COMMENTARIUM LITERALE IN BIBLIA.

EPISTOLÆ S. PAULI,
EPISTOLÆ CANONICÆ,
ET
APOCALYPSIS.

COMMENTA[illegible]

LITTERALE

IN BIBLIA

EPISTOLAE [illegible]

EPISTOLAE [illegible]

ET

APOCALYPSIS.

COMMENTARIUM
LITERALE
IN OMNES AC SINGULOS
TUM VETERIS CUM NOVI
TESTAMENTI
LIBROS

AUTHORE R. P. D.
AUGUSTINO CALMET
Ordinis S. Benedicti, Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi.

E Gallico in Latinum sermonem translatum.

TOMUS OCTAVUS.



VENETIIS MDCCXXXII.
APUD SEBASTIANUM COLETI:
SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

IN EPISTOLAM S. PAULI AD ROMANOS

PRÆFATIO.

POst Sacrosancta Evangelia venerabile maxime, ac cæterorum omnium pretiosissimum monumentum S. Pauli Epistolæ habendæ sunt. Totum in illis continetur, quod formandis moribus, sive ad mysteria & Religionem constituendam à Jesu Christo traditum est. Tanquam supplementum aliquod & interpretatio eorum, quæ Jesus Christus docuerat, ac veluti secundum aliquod Evangelium Jesu Christi è mortuis jam reviviscentis, jure meritoque reputarentur. Etenim nihil aliud docuit Apostolus, quam quæ à Jesu Christo in gloria sua jam constituto (*) didicerat, quo tempore scilicet ad tertium usque Cælum raptus, *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* 2. Cor. 12. 2.

S. Paulus Tharsi in Ciliciæ natus (1) ex patre Judæo item ac Romano cive literis Græcis excultus erat, quippe qui Epimenidem (2) laudet, & Aratum (3). Poterat autem Tharsi literis vacasse, in qua scilicet Urbe humaniora studia florebant adeò, ut Athenas literarum gloria superaret, teste Strabone lib. 14. Sacris literis addiscendis Jerosolymam missus est, Legis studio sub Gamaliele Doctore clarissimo operam daturus. Tanto autem Legum avitarum amore tenebatur, ut acerrimum in primis persecutorem se præberet adversus Jesu Christi Discipulos, quòd Christum perinde reputaret ac Moysis æmulum, & Legum ipsius subversorem. Vestimenta servabat eorum, qui lapidibus S. Stephanum confecerunt (4); & post primi illius Martyris obitum, Summi Sacerdotis literis ad Synagoges Damasci datis, facultatem sibi impetravit capiendi detinendique quemcumque in via Christi Discipulum offendisset. Cùm igitur cædes & sanguinem meditans ad eam Urbem sese conferret, subita quadam vi in terram adactus, increpantem se vocem audivit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Tum cæcitate percussus, Damascum manu deductus est. Ibi Ananiam Discipulum conveniens, & visum ab illo, & Baptismi lotionem, ac tandem manuum impositionem recepit.

Præco inde Evangelii effectus, Jesum Christum in ea Urbe primum, tum in Arabia annunciavit; è qua post longiorem aliquam moram, iterum Damascum repetiit. Mutatum viri animum gravius ferentes Judæi, necis illius consilia agitabant: quorum molitiones subodoratus Paulus, demitti se funibus ex Urbis mœnibus curavit, eo consilio perstructas sibi insidias declinans (5). Contulit se postea Jerosolymam, ubi cum Apostolis, quos fortè offendit, res suas omnes communicavit. E Jerusalem Tharsum profectus est, quò veniens Barnabas virum deduxit Antiochiam (6), non inutilem futuram ejus præsentiam Evangelio propagando intelligens. Ambo pariter, Barnabes nempe & Paulus, Jerosolymam concesserant, ferendis collectis è Fidelium erogationibus eleemosynis (7). Reduces inde Antiochiam Spiritus S. seligi jussit, ut in Apostolos dilatandæ apud Gentiles fidei ordinarentur. Novo hoc munere auctus S. Paulus, in Cyprum profectus est, ubi Sergio Paulo Procos. fidem persuasit (8). Venit inde in Pamphyliam, tum in Pisidiam, & Lycaoniam, ac faciliè etiam in Galatiam; tandem Antiochiæ restitutus est (9).

Quinque post annos Jerosolymam ad primum Concilium celebrandum venit. Sancitum ibi; Gentiles, qui ad Christianorum sacra transierant, adigi non oportere tum ad recipiendam circumcisionem, cùm ad legales alias cæremonias observandas; cavere tantùm monitos ab Idololatria, fornicatione, usu sanguinis, & suffocati. In eodem Concilio munus Apostolorum Gentium Paulo & Barnabæ assertum est. Restituti post hæc Antiochiæ, eò non diu post venientem S. Petrum exceperunt, cui Paulus coram omnibus in faciem restitit, quod præpostera dissimulatione, non bono futura cæteris exemplo, utentem illum animadverteret. Post longiorem aliquam moram, consilium agitavit Apostolus Ecclesias invisendi, quas in Asia minori opera sua constituerat. Ut secum veniret Barnabam invitavit; sed volente illo unà secum ducere Joannem Marcum, recusante verò Apostolo, secessio utrinque facta est, atque ita Asiæ minoris iter Paulus & Silas; Cypri autem Barnabes & Joannes Marcus ingressi sunt.

[*] Galat. 1. 12. (1) Act. 21. 39. & 22. 3. (2) Tit. 1. 12. (3) Act. 17. 27.
(4) An. J. C. 34. (5) An. J. C. 37. (6) An. J. C. 43. (7) An. J. C. 44.
(8) An. J. C. 45. (9) An. J. C. 46.

Per Phrygiam & Galatiam Paulus excurrens Evangelium annunciavit; petens inde Macedoniam (1), civibus Philipporum, Thessalonicæ, & Berœæ prædicavit Evangelium; tum Athenas sese conferens, Dionysium Areopagitem ad Christianorum sacra traduxit. Exeunte anno Corinthum veniens, 18. mensibus substitit. Data ibi Epistola prima ad Thessalonicenses; quam paulò post secunda ad eosdem ex eo loco consecuta est (2). Corintho secedens Ephesum priùs, postea Jerosolymam, tandem Antiochiam petiit. Excursum inde per Galatiam, & Phrygiam, tum Ephesum ventum est (3), ubi triennalis mora producta. Multa ibi Apostolo tolerata mala, ut & bestiis expositum se ipse profiteatur. Ex ea Urbe data Epistola ad Galatas (4); quos perniciosa Doctorum quorumdam dogmate, jubentium jugum legalium cæremoniarum fidelibus inducere, turbaverant. Ad alterum annum spectat prior ad Corinthios Epistola (5). Tandem Ephesu movens Apostolus (6). Troadem profectus, inde in Macedoniam excurrit, ubi secundam dedit ad Corinthios Epistolam (7). Repetiit tandem Corinthum, triennalem ibi moram acturus, quo temporis intervallo scripta est ea, de qua modò, ad Romanos Epistola (8).

Revulsis Corintho Sedibus, Jerosolymam non recta via, metu ne in manus Judæorum incideret, profecturus, transcurrit Philippos in Macedonia, Troadem, & Miletum. Venit tandem Jerosolymam, resignatisque in manibus Apostolorum, quas deferendas acceperat, eleemosynis, post septem ab adventu suo diebus cùm versaretur in Templo, magno concitato à Judæis tumultu apprehensus est. Nec ea in seditione mortem evitasset, nisi promptè accurreus Lysias Romanorum Præfectus, ex adversariorum manibus edactum Cæsaream misisset, à Felice Judææ Præside judicandum. Mensit apud eundem Præsidem biennio in custodia (9); cùm datus Felici successor Festus, tradere virum in manus Judæorum molitus est. Quare id intelligens Apostolus, Imperatorem appellavit; ad cujus judicium subeundum Romanam navigationem inivit. Infelici naufragio periit navis illa ad *Melitam*; sed littus tenens Apostolus, in ea insula quatuor mensibus substitit, nec antea Romam, quàm exeunte Februarii mense pervenit (10). Biennio ibi in vinculis detentus est, nunquam non auscultandis iis à quibus frequentabatur, atque Evangelio illis annunciando occupatus. Adhuc in conducta à se domo sub vinculis detinebatur, cum Onesimum Philemonis servum se convenientem ad fidem traduxit, & Epistolam ad Philemonem pro illo & per illum commendatitiam misit (11).

Sub idem tempus literis à Fidelibus Laodiceæ, & Epaphroditu Episcopo Philipporum à Philippensibus in obsequium misso recreatus est. Scripsit tunc ad Philippenses & Colossenses Epistolas (12). Anno tandem Jesu Christi 63. à vinculis resolutus est; nec diu post ad Hebræos Epistolam dedit (13). Eo revocandum est iter ejus in Hispaniam; si tamen quæ de profectione illius in eam regionem feruntur, cum veritate consteut. Orientem denique repetens, in Creta Fidem annunciavit, in Judæam excurrit, tum in Asiam, quemadmodum in suis Romæ datis Epistolis significaverat. Plura pro fide illi subeunda in eo itinere fuerunt. In Macedonia versans, scripsit ad Timotheum Discipulum suum Ephesi à se constitutum Episcopum (14). Post hyemem Nicopoli toleratam, unà cum Tito postremà tandem vice Asiam (15), Ephesum, Miletum invisit. Secundùm hæc Romam se conferens, circa Julii mensem in carcerem conjectus est, accusatus, quòd pincernam & concubinam Neronis ad Christi Fidem, uti communis fert opinio, traduxisset. Post primam interrogationem ad Principis tribunal, scripsit secundam ad Timotheum (16), tum & ad Ephesios singularem. Altero vertente anno, mense Junio martyrium Romæ consummavit (17). Epistola ad Romanos ordine prior inter cæteras, quamquam non omnes tempore præcessit, constituta est. Datum id Romanæ Ecclesiæ dignitati, sive Romanorum Fidelium merito, vel fortè mysteriorum, quæ in ea Epistola reserantur, majestati, sive tandem ipsius Epistolæ excellentiæ. Omnes enim sublimitate, adeoque & obscuritate vincit, ut S. Augustinus (18), simplex adhuc Sacerdos, in unius tituli expositione Librum integrum impenderit; quare tædio, & morositate Operis victus inceptum deseruit. S. Hieronymus ejusdem epistolæ obscuritate perculsus, illi exponendæ non Libro tantùm, sed voluminibus laborari oportere dixit (19). Operis difficultatem novit pariter Apostolus Petrus, cùm de hac potissimùm Epistola scripserit, 2. Petr. 3. 15. *Sicut &c. charissimus frater noster Paulus, secundùm datam sibi Sapientiam scripsit vobis. Sicut & in omnibus Epistolis loquens eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad ipsarum perditionem.*

Confi-

(1) An. J. C. 52. (2) *Duæ Epistolæ ad Thessalonicenses* An. J. C. 53.
(3) An. J. C. 54. (4) *Epistola ad Galatas* A. J. C. 55.
(5) An. J. C. 56. *Epistola* 1. *ad Corinthios*. (6) An. J. C. 57.
(7) An. J. C. 57. *Epistola* 2. *ad Corinthios*. (8) *Epistola ad Romanos* A. J. C. 58.
(9) An. J. C. 60. (10) An. J. C. 61. (11) Circa An. J. C. 62. *Epistola ad Philemonem*.
(12) An. 62. vel 63. J. C. *Epistola ad Philippenses, & Colossenses*.
(13) An. J. C. 63. *Epistola ad Hebræos*. (14) *Epistola* 1. *ad Timotheum* An. J. C. 64.
(15) An. J. C. 65. (16) *Secunda ad Timotheum* An. J. C. 65. *Epistola ad Ephesios*.
(17) A. J. C. 66. (18) August. Retract. l. 1. c. 25.
[19] Epist. 151. c. 8. *Si voluero differere, nequaquam mihi unus Liber, sed multa & magna erunt scribenda volumina.*

Conſilium autem ſcribendi Apoſtolo fuerunt domeſticæ quædam in Eccleſia Romana diſſenſiones (1) ex eo inductæ, quòd jugum Legalis obſervantiæ Gentilibus ad Fidem converſis induci oportere Pſeudo-Apoſtoli prædicarent. Res primùm ad diſputationes venit, deinde ad jurgia, & ſeditionem inter Fideles ex Judæis, & ex Gentibus, unde periculum non leve ſeceſſionis utrinque imminebat. Judæi partes ſuas defendebant, ac privilegium natalium ſuorum, & promiſſionum, quæ Patribus ſuis divinitus factæ ſunt, præferentes, primas in Eccleſia arrogabant; volebant in cæteris dominari, & quaſi ex aſſe hæredes promiſſionum, & fidei Patriarcharum, ut alienigenas habebant, & nonniſi beneficio quodam in ſuum cœtum adlectos Fideles ex Gentibus. Invidiam pariter in Paganos creabant, revocatis in memoriam miſeræ Gentilitatis erroribus, criminibus, abominationibus, quibus juſta Dei permiſſione tot annorum ſæculis inhæſerant. Se verò dicebant Hebræos eſſe, genus jam inde ab ætate Abrahami electum in ſanctam charamque Deo ſobolem, ſacratum Scripturarum, atque Prophetiarum depoſitarios, ac veluti oculorum Dei pupillam.

Intolerabili hoc Judæorum faſtu offenſi Gentiles, & meritum ſuorum Philoſophorum, & Legiſlatorum ſapientiam efferebant; commemorantes inſuper quanta morum puritate, & ſanctimonia ſuorum quidam vitam egerint, ut ne lato quidem ungue à Legis naturalis tramite deviarent. Accuſabant inſuper Judæos adversùs Deum infidelitatis, adversùs Legem tranſgreſſionis, ac tandem adversùs inſignia Dei beneficia oblivionis; quorum criminum merito extorres à promiſſionibus & hæreditate eorum plerique facti fuiſſent. Ad ſe verò quod attineret, appellatos dicebant, ut in locum excluſæ Judææ gentis venirent; quippe qui minoris criminis rei ante Deum tenerentur.

Hiſce igitur diſſenſionibus componendis, atque in ordinem redigendæ audaciæ Judæorum pariter, & Gentilium, utriuſque Gentis crimina, & errores exaggerat Apoſtolus, demonſtrans, nemini præ alio gloriandum eſſe, quaſi meritorum ſuorum præmium aliquod recipere meruiſſent. Quod à Deo acceperant vocationis privilegium, merum fuiſſe Dei largientis beneficium; neque enim ſive ad juſtitiam, ſive ad gratiam Fidei promerendam aliquid valuiſſet ſive Lex Moyſis ſola, & multò etiam minùs naturalis Legis obſervantia. Sola ad juſtificationem momenti eſt Fides in Jeſum Chriſtum, quam charitas animat, ornat proborum operum meritum; quæ tamen opera, niſi à fide procedant, nihil agentibus proſunt. Plures occupat per tranſitum objectiones, quas ipſe ſibi conſtitutis ſemel principiis proponit; uti e. g. cùm operum Legalium ſine Fide inutilitatem, cùm revocationem & gratuitam Judæorum & Gentium prædeſtinationem ſtatuit: cum promiſſionum Divinarum fidem & veritatem; cùm Judæorum ſupra Gentiles præſtantiam adſtruit; ex quo ſenſim deducitur ad verba de myſterio Prædeſtinationis & reprobationis facienda; & quanquam parergon illud ad potiſſimum Epiſtolæ argumentum videtur, portionem tamen non minimam ejuſdem ſcripti occupat, atque potiſſimas involvit ipſius Epiſtolæ difficultates.

In Capp. 12. & 13. & 14. & 15. aptiſſimas præſcribit formandis moribus regulas, quæ in re nihil ab intentu Operis, componendi nempè domeſticas lites, recedit. Obſervantiæ legalis, & ciborum diſcernendorum inutilitatem fuſiùs demonſtrans, hortatur Gentiles, ut imbecillitati Fidelium hac in re conſulturi neque id committant, ut coram Judæis nullum habentes ciborum delectum offenſionis illis præbeant occaſionem; neve eorum hac in re religionem ſuperſtitionis, & imbecillitatis accuſent; ſed illud in primis ſtudeant, ut nihil potiùs, quàm pacem, & unionem inter fratres, & Diſcipulos Dei illius, qui ſe Deum pacis appellat, nihil, inquam, potiùs ducant. Secundùm hæc, in Pſeudo-Prophetas invectus, illorum imaginem exprimit, tanquam hominum unicè lucro, & ventri ſtudentium; quare Romanos, ut talem hominum fœcem evitent, etiam atque etiam hortatur. Officioſa tandem peroratione epiſtolam claudit, ſalutari inſuper ſuo nomine præcipiens viros quoſdam Eccleſiæ Romanæ ſibi familiares.

De authoritate hujus Epiſtolæ nunquam dubitatum. Data fuit Corinthi anno Jeſu Chriſti 58. quo tempore Apoſtolus ad ferendas è largitionibus Fidelium eleemoſynas iter Jeroſolymitanum initurus erat. Miſſa eſt per Phœben Diaconiſſam Eccleſiæ Cenchrenſis juxta Corinthum. Quanquam Romam, & ad Romanos miſſa, Græcis literis exarata eſt, Amanuenſe Tertio, quem virum Romanum, ſive Latinum ex ipſo nominis indicio credimus. Sed familiare erat Romanis Græci ſermonis eloquium, familiare, inquam, adeò, ut vel à fœminis adhiberetur (2). Illud etiam accedebat, contingere facilè potuiſſe, ut Latinas literas non calleret Apoſtolus, cùm viciſſim Græcis, ceu uvitia Tharſi patria ſuæ excultus fuiſſet. Norat etiam Hebræum, nempè Syriacum, tum temporis in Palæſtina vernaculum, quemadmodum ex Actis (3) compertum eſt.

Stilus neque puritatem, neque elegantiam illam refert, quæ in Græcis ejuſdem ætatis delectat; horret enim aliquando Hebraiſmis, vix Hebræo homini, & in lectione Sacrorum Librorum

(1) Vide Rom. 16. 16. 17. 18.
(2) Juvenal. Satyr. 6...... *Omnia Græcè Cùm ſit turpe magis noſtris neſcire Latinè.*
(3) Act. 21. 40. & 22. 2. & 26. 14.

brorum nutrito avitandis. Inspergitur etiam ejus eloquium solœcismis; depravato interdum ordine, & longioribus parenthesibus morosus est; quandoque è via pariter divertens, contextum sermonis, & sensum abrumpit, quod difficultatem, & obscuritatem Lectoribus ingerit non modicam. Sunt qui (1) vitia ista sermonis, quæ maximè in Epistola ad Romanos sentiuntur, in Tertium Amanuensem refundant; sed præstat Apostolo ipsi tribuere, qui rebus totus intentus, cùm nec posset conceptuum ubertatem, nec ad majora semper festinantis spiritus impetum retinere, singula potiùs attingebat, quàm prosequeretur; & alia aliis inferciens id efficiebat, ut obscuro semper stilo tenebras potiùs, quam lucem Lectoribus offunderet.

Ad rem tamen quod spectat, ipsis fatentibus adversariis, nihil erat gravius, & validius quàm Epistolæ ab Apostolo scriptæ (2). Ipse pariter de se Apostolus prodit, rudem se quidem esse, parùm instructum in regulis eloquentiæ; quamquam necessaria Apostolicis muneribus implendis scientia abundaret (3). Excellere illum in regulis Dialecticæ observat S. Augustinus (4); eam enim in eloquio suo vim præfert, quam in Epistolis ipsius sentimus, cælesti pariter sapientia redundantibus (5). Nunquam ad divinorum illorum Operum lectionem conferre se S. Chrysostomus fassus est Prolog. in Epist. Pauli, quin extra se admiratione & gaudio raperetur; quamquam, bis ter vel quater in hebdomada, & quoties alicujus S. Martyris memoria celebrabatur, auscultaret. Et hom. 4. de Laudibus Pauli addit, Deum singulari quadam providentiæ suæ dispositione grandia rerum divinarum mysteria viro illi cælesti reserasse. Cælum est, ait, in quo justitiæ sol regnat; pelagus est purissimus & altissimus, infinitæ sapientiæ abyssum continens. Et in 2. Timot. 3. hom. 4. scientiam & eloquentiam Pauli insidenti Spiritui & singularis gratiæ prodigio adscribit. Antequam ad Christi fidem converteretur, ait, Græcarum literarum pene rudis, nihil eorum norat, quæ apud exteros in pretio habentur; solo Hebraico eloquio excultus erat; quo sermonis genere nihil contemptibilius apud Romanos; vir erat Cilix, qui vitam scenofactoria tolerabat; veste erat & habitu corporis temnendus. Quæ à S. Chrysostomo hìc asseruntur de ignoratis ab Apostolo Græcis literis ante datum fidei nomen, nobis planè, quemadmodum supra insinuavimus, nequaquam probantur.

Idem S. Doctor lib. 4. de Sacerdotio in eos invehitur, qui Paulum tanquam hominem humanarum literarum rudem contemnebant. Fatetur ille quidem, humanæ eloquentiæ exercitium viro defuisse; instructum tamen alioqui defendit vi & scientia, promovendis Fidei rebus opportuna. Si quis comparationem instituat inter eloquentiam Apostoli, & Isocratis, Demosthenis, Thucydidis, & Platonis, fateatur oportet, quemadmodum ipse pariter de se testatur Apostolus, artificioso eloquii genere destitui virum; præstare tamen scientia veritatis & Religionis. Quod tamen viro fuisse par est eloquentiæ robur, cùm maximè confundendos suscepit Judæos, cùm refutandos Gentiles in pleno Areopagitarum consessu verba fecit. Quinam, rogo, nisi ad eloquentiam viri, persuasi Lystrenses Apostolo tanquam Mercurio litandum susceperant? Unde tanta erga ejus scripta admiratio capit, non Christianos modò, sed Judæos, ipsosque Paganos? Nonne ex robusta illa, mascula & infracta quadam viro eloquentia.

S. Hieronymus Epist. 61. ad Pammach. scribit, Vas illud electionis tanquam buccinam aliquam Evangelii clangentem habendum esse, tamquam mugientem Leonem Juda, tanquam eloquentiæ Christianæ fluvium, qui admiratione potiùs quàm verbis rapit in contemplationem abditissimorum Christianæ Fidei mysteriorum, omnibus retrò sæculis ignotorum, & in divinæ Sapientiæ abyssum introducit. *Quem quotiescumque lego*, addit ille, *videor mihi, non verba, sed audire tonitrua*. Persuasum habet idem S. Doctor (6), Apostolum non nisi demissione quadam & modesta de se sententis humilitate scripsisse 2. Corr. 11. 6. *Et si imperitus sermone, sed non scientia*; namque, ait S. Doctor, *illi utrumque non deerat, sed unum humiliter renuebat*. Demonstrat alibi (7), excultissimum fuisse virum in regulis dialecticæ, quemadmodum satis demonstrant, quæ prosequitur, argumenta, & quas ex constitutis à se principiis consecutiones urgendis adversariis deducit.

Ex Epistolis Pauli ac maximè ex Epistola ad Romanos, (8) plura detruncabant Marcionitæ. Ita e. g. è postrema hac Epistola duo integra novissima capita demebant (9). Hæreticorum verò alii, veluti Ebionitæ (10), universas sine exceptione rejiciebant, utpotè erroribus suis planè è diametro contrarias. Encratitis & Marcionitis geminæ Epistolæ ad Timotheum, & singularis ad Titum invisæ fuerunt (11). Quidam Fabricii discipulus, quem Scripto suo exagitavit Augustinus lib. contr. Adversar. Leg. & Prophet., contendebat, in Epistolis Pauli plura admisce-

(1) Sixt. Senen. l. 2. Bibliot. ex Diodor. Tars. (2) 2. Cor. 10. 10.
(3) 2. Cor. 11. 6. (4) August. l. 2. contra Crescon. c. 14.
(5) Idem l. 4. c. 7. de Doctrin. Christ. (6) Hieron. ad Marcellam, de Ephod. &c.
(7) Hieron. ad Paulam, de alphabeto Psal. 118.
(8) Tertull. l. 5. cont. Marcion. c. 13. *Quantas autem foveas in ista maximè Epistola Marcion fecerit, auferendo quæ voluit, de nostri Instrumenti integritate patebat.*
(9) Origen. ad finem c. 16. Ep. ad Romanos. (10) Irenæ. l. 1. c. 26. Euseb. l. 3. hist. Eccles. c. 27.
(11) Tertullian. contra Marcion. l. 5. c. 2.

admisceri, Spiritu Sancto authore non scripta, quibus scribendis viri industria sive spiritus hominis valuisset; quod maximè de Epistola ad Philemonem sentiebat, & de aliis quibusdam, quæ Apostolus absque speciali Dei revelatione nosse potuerat. Sed aliter Ecclesiæ Catholicæ visum, cui quatuordecim Epistolæ integræ prorsus, nulloque dempto, tanquam divinum Opus probantur. Tertulliani ætate sive earum Epistolarum Autographa, vel ex Autographis descripta Exemplaria servabantur. *Authentica ipsa literæ Apostolorum sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque* (1). Idem in lib. de Monogam. cap. 11. ad Græcum originale S. Apostoli provocat: *Scimus planè non sic esse in Græco Authentico, quomodo in usum exiit.*

Alibi etiam animadvertimus, modum Epistolæ ad Romanos imponere Apostolum facilè voluisse, in exitu capitis 14. cui deinde opportunum tempus nactus, duo sequentia capita subtexuit; quin & caput 16. variis constare post inscriptis, colligitur ex illa clausula bis recurrenti: *Gratia Dei sit cum omnibus vobis*; ac tandem similis clausula in exitu capitis 15. legitur: *Deus pacis sit cum omnibus vobis. Amen.*

S. Pauli nomine scripta plurima vulgata sunt tanto viro indigna. Notæ sunt Epistolæ Senecæ ad Paulum, & vicissim, sicut & alia supposititia ejusdem Pauli ad Laodicenos. Meminit post Origenem de Princip. lib. 1. cap. 2. Eusebius histor. Eccle. lib. 2. cap. 25. Actuum quorumdam S. Pauli, in quibus plura tum de itineribus, cùm de rebus ab eo gestis. Nicephorus lib. 2. cap. 25. longum ex eo Opere fragmentum recitavit certaminis veri, an secùs, quod Paulo in urbe Ephesi bestiis exposito subeundum fuit.

Discipuli Simonis Magi erroribus suis vulgo imperito approbandis Librum ea de re supposuerunt, inscriptum: *Prædicatio S. Pauli* (2); cujus præter nomen nihil ad posteros transmissum est. Non defuisse narrat Tertullianus contra Marcion. lib. 4. cap. 5. viros, qui Evangelium S. Lucæ Paulo Apostolo tribuerent, ea planè ratione adductos, quà Discipulorum omnia ad Magistros referre solemus. Longiùs adhoc alii excurrentes (3) autumarunt, dictante Apostolo exceptum Evangelium illum à S. Luca; persuasum interim habentes, semper opus illud insinuasse Apostolum, quoties phrasim illam usurparet (4): *Secundùm Evangelium meum*; quod nos in Prolegomenis ad S. Lucam discussimus. Ejus tandem nomine inscripserunt alii Evangelium & Apocalypsin, à Concilio Romano sub Gelasio censura injusta.

Presbyter quidam Asiæ supposuerat Pauli Apostoli nomine Itinerarium quoddam S. Pauli & Theclæ; sed fraudis sua pariter confessione à S. Joanne Evangelista convictus, amotus fuit à Sacerdorio (5). Apostolum in hæc verba loquentem induxit S. Clemens Alexandrinus, qui facilè sermonem illum ex Opere aliquo apocrypho descripsit (6): *Libros Græcorum sumite; agnoscite Sybillam, quomodo unum Deum significaret, & quæ futura sunt. Hystaspem sumentes legite, & invenietis Dei Filium multò clariùs, & apertiùs scriptum, & quemadmodum adversus Christum multi Reges instruent aciem, odio habentes illum, & istos, qui gestant nomen ejus, & Fideles ejus, illiusque tolerantiam & adventum. Deinde uno verbo nos interrogat: totus autem mundus, & quæ sunt in mundo, cujus sunt? nonne Dei?* Sed non inviti credimus, verba illa ejusdem impostoris fraude supposita fuisse, qui nobis fictas Sybillas & non genuinum Hystaspem fabricavit.

Suspicati sunt nonnulli, Apostolum inter duas Epistolas ad Thessalonicenses mediam aliam scripsisse ad Fideles pariter ejus Urbis; quod illis in mentem venit ex verbis Apostoli 2. Thessalon. 2. 2. *Non citò moveamini, neque per Epistolam, tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini.* Sed eo Apostoli testimonio probaretur tantùm, hanc Epistolam, si fortè aliqua missa est, Pauli Apostoli ementitum nomen præfetulisse. Tertiam etiam ad Corinthios Epistolam invexerunt alii ex illis 1. Cor. 5. 9. verbis: *Scripsi vobis in Epistola ne commisceamini fornicariis.* Sed præstat postrema hæc ad priora Apostoli verba 1. Cor. 3. 16. 16. referre: *Nescitis quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus:* & alia 1. Cor. 5. 6. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Secundam denique Epistolam ad Ephesios quidam suspicati sunt ex illo ad Ephes. 3. 3. *Quoniam secundùm revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi, in brevi.* Sed verba illa ad superius caput 2. ejusdem Epistolæ referre juvat.

DISSER-

(1) Tertull. de Præscript. c. 36. (2) Cyprian. edit. Oxon. tom. 3. de Baptismo pag. 30.
(3) Athanas. seu alius in Synops. Sacr. Script. Appendic. (4) Rom. 2. 16. & 16. 25. & 2. Timoth. 2. 8.
(5) Tertull. de Baptismo c. 17. Hieron. de viris Illustr. c. 7. (6) Clemens Alexan. l. 6. Strom. pag. 636.

DISSERTATIO
IN PRÆDESTINATIONEM ET REPROBATIONEM HOMINUM.

Dogma est Christianæ Religionis A sanctum assertumque, homines ab ipsa æternitate irrevocabili decreto sive gloriæ, sive reprobationi æternisque suppliciis addictos fuisse. Omnium etiam Catholicorum Theologorum consensu certum est & exploratum, prædestinationem ad gratiam, & vocationem ad Fidem, Dei munifica liberalitate donari. Quare aliud quæstionis de prædestinatione & reprobatione hominum agitatæ punctum est; quæstionis nempe, quæ tot jam seculis viros doctos in partes distraxit, ac turbas in Ecclesia concivit non infrequentes. Totus igitur controversiæ cardo in eo versatur, ut ratio B ipsa prædestinationis, & quæ fuerint Deo prædestinandi reprobandique homines, causæ assignentur. Qui etiam fieri possit, ut variæ illæ Scripturæ phrases concilientur, quarum aliquæ hominis salutem libero ejus arbitrio integram committunt; aliæ verò Deo totam reservari ferunt? Quæ sit pariter ratio componendi gratiam, atque infallibilem certamque divinorum decretorum vim cum ipsa hominis libertate? En totus quæstionis cardo, quem plenius versandum in hac nostra Dissertatione neque suscipimus, neque, si maximè suscipere statueremus, ut tantam rem pro dignitate unica Dissertatione tractaremus, nunquam contingeret. Quare id potiùs agendum est nobis in præsentia, ut histori- C cam quamdam narrationem texamus variæ & multiplicis illius rationis, qua controversia ista in Ecclesia ad nostram usque ætatem tractata est, designato tandem systemate, quod nos commodissimum præ omnibus tollendis difficultatibus judicamus.

Veteres Judæi animas antea existere quàm in corpora immitterentur persuasi, ita de prædestinatione & reprobatione reputasse credendi sunt, quasi Deus insita in animabus ad bona vel mala ab ipsis in corpore præstanda indole perspecta pro futuris illorum meritis præmia vel supplicia disponeret: In Ecclesia Christiana Systema illud Origeni ejusque sectatoribus arrisit. Post Origenem, animad- D vertentes Patres quantis abusionibus per Manichæos & Marcionitas exponeretur principium illud de recta pravaque animarum indole, antequam in corpora illaberentur; illud sibi asserendum susceperunt, Deum supplicia vel præmia decernere, non pro anteactis meritis, quod Origeni persuasum, sed futuræ vitæ operibus inspectis, quæ bono pravoque liberi arbitrii divina gratia adjuti usu præstarentur. Ita de prædestinatione S. Chrysostomus & Græcorum plerique.

Plus aliquid libertati indulgendum censuit Pelagius, defendens, prædestinare Deum ac reprobare homines, prænoscens rectum pravumque usum liberi arbitrii; quod ille ea confidentia asserebat, E ut bono supernaturali præstando naturales hominis sufficere vires, neque auxilio indigere supernaturali contenderet. Defendit S. Augustinus, prædestinationis privilegium beneficium esse prorsùs ex parte Dei largientis gratuitum; cùm enim una damnationis sententia primus Pater & cæteri deinde ejus filii obvolvantur, atque in unam corruptionis massam mortales omnes confunderemur, Deus ab ipsa statuit æternitate certum quemdam selectumque numerum prædestinatorum eligere, quos, nullis propriis ipsorum meritis spectatis, clementiæ suæ & misericordiæ exemplum statueret; relictis interim aliis, latenti quidem, sed nunquam injusta dispositione, quippe quos deserendi in causa habebat sive originale illorum crimen, sive peculiaria singulorum, quibus originalis sceleris meritum auxerant. In hanc sententiam concesserunt Patres & Theologi ferè omnes Ecclesiæ Latinæ, usque ad exortas novissimis sæculis hæreses Lutheri & Calvini.

Hæretici illi, Augustiniano systemate abusi, docuerunt, liberum hominis arbitrium post Adami lapsum penitus intercidisse. Quibus revincendis, Theologi quidam nostrates aliud sibi defendendum systema opportunius judicantes, decreta quædam invexerunt certis quibusdam conditionibus adstricta, & futurorum meritorum prævisionem aliquam, in quam tota ratio prædestinationis & reprobationis hominum refunderetur.

Ita factum est, ut quæstionis hujus status sæpiùs in Ecclesia Christianorumque Scholis mutaretur; sed variata licet tanti mysterii exponendi ratione, inconcussa semper dogmatis de prædestinatione veritas mansit; nihil derogatum certitudini divinorum decretorum, & juribus, qua misericordiæ & justitiæ Dei, qua libertatis hominum & gratiæ Servatoris. His enim si forte ab Hæreticis aliquando adversum aliquid intentatum est, actutum à Doctoribus Catholicis impugnati, ab Ecclesia censura inusti, temeritatis suæ pœnas luerunt. Sed hæc fusiùs demonstranda.

Persuasum habent Hebræi creatum à Deo hominem rectum, in ipso innocentiæ & justitiæ culmine (1); mortem non à Deo factam (2); sed invidia & nequitia Dæmonis in mundum invectam (3); positos à Deo homines in manu consilii sui, statuto ante illos igne & aqua, pravo rectoque, relicta illis libera eligendi facultate (4). Præmia pariter & supplicia æterna manere pro vitæ merito atque liberi arbitrii exercitio pravo rectoque, singulis rependenda. Philo (5), Josephus (6), & Rabbini (7) docent, animas priùs extitisse quàm in corpora illaberentur: quin & ejusdem esse naturæ variisque tantùm nominibus discretos Angelos, Dæmones & animas Philo (8) autumavit. Qua autem ratione boni sunt pravique Angeli; ita pariter opinatur ille pravarum esse proborumque animarum genera duo. Addit, animas, non secus ac Angelos, in defœcatissima atque celsissima aeris parte sedem habere, unde animæ illæ in corpora dilabentes, peculiarem singulæ indolem bonam pravamque secum tulerunt. Frui tandem illas dicit (9) plena in bonum malumque libertate, qua sibi vel æterna præmia vel supplicia promereantur.

Pharisæorum hac de re dogma, quod & ejusdem Historici Pharisæi esse constat, non semel exponit Josephus, prodens (10), ita fatum ab illis admitti, ut nihil velint derogatum tum libero hominis arbitrio, cùm summæ Dei potestati. Animæ, quæ ante

(1) Eccles. 7. 30. *Hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum.* (2) Sap. 1. 13. *Deus mortem non fecit.* (3) Sap. 2. 24. *Invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* (4) Eccli. 15. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui, &c.* (5) Philo de Gigan. p. 285. & de Confus. Ling. p. 338. & de Plantat. Noe pag. 216. & de somniis p. 586. (6) Joseph de bell. Judaic. l. 2. c. 12. pag. 787. &c. (7) Vide Menasse Ben-Israel, Concil. in Genes. q. 6. p. 12. & de Creatione problemat. 15. p. 61. Vide & Grot. in Sap. 8. 20. & in Joann. 9. 2. (8) Philo de Gigant. p. 286. Idem l. 2. de Legis Allegor. p. 74. 75. De Plantat. Noe pag. 216. Idem de somniis pag. 586. 592. & De Confusion. Linguar. p. 329. (9) Philo lib. Quod Deus sit immutabilis, p. 308. (10) Joseph. Antiquit. l. 18. c. 2. de Pharisæis. Idem l. 2. de bello c. 12. p. 788. de Pharisæis. Joseph l. 3. de bello Jud. c. 10. p. 852.

ante illapsum in corpora, bona exercuerunt, corporea resolutæ vinculis ad pristinas remeant sedes, data illis pariter facultate in corpora pro arbitrio regrediendi; sontes supplicia manent æterna. Ac de Essenis lib. 2. de bello cap. 12. tradit, in ea viros illos fuisse sententia, ut animas crederent immortales, easque insita quadam à natura vi in corpora velut in carceres propelli: post obitum, justos in locis amœnis & deliciis plenis trans Oceanum otiari; impios verò pœnas luere æternas in horrentibus quibusdam tormentorum locis. Author Sapientiæ, quem Librum Veteres nonnulli Philoni tribuerunt, ita loquentem Salomonem inducit cap. 8. 20. *Puer eram ingeniosus & sortitus sum animam bonam; & cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*. Scriptoris verba in partes defendentium animarum præexistentiam trahi facilè potuissent; re tamen nihil aliud insinuant, quàm animas alias aliis præstare; esse pariter corpora melioris alia præ aliis habitudinis.

Erant pariter, quibus in ea sententia fuisse Apostoli viderentur (1); cæci enim nati occasione quæsiverunt à Jesu, cujus merito infortunium illud homini accidisset, parentumne, an viri illius crimine? Quod in eam sententiam dictum videri potuisset, nimirum hominem illum merendi & demerendi, antequam in mundum veniret, facultate instructum fuisse. Obtinet hodie usque ea opinio apud Hebræos, quibus & animarum præexistentia ac metempsycoseos genus quoddam probatur juxta & Menasse Ben-Israel asseruit. Exponunt in eam rem illud Jeremiæ 1. 5. *Priusquam te formarem in utero novi te; & antequam exires de vulva, sanctificavi te*. Eò etenim sententiam illam pertrahunt, quasi anima Jeremiæ jam inde à mundi exordio extitisset, & ex tunc Deus ad munus propheticum stato tempore implendum illam destinasset. Favet huic interpretationi Origenes, ejusque sectatores, si S. Hironymo in Jerem. 1. fides habeatur. Hujus sententiæ fons in Pythagoricis statuendus est, & facilè in Ægyptiis, apud quos Pythagoras 22. annos egit.

His semel in animum inductis, mysterium prædestinationis & reprobationis statim omne referatur, illud obtrudendo nimirum, Deum salutem sive reprobationem hominum decreto suo edicere pro merito indolis bonæ pravæque, quam in anima, antequam in corpus illabatur, explorat; nec modicè ad eam rem conferre rectum, vel secùs, liberi arbitrii usum, quem ab illis præstandum intelligit. Ita Origenes autumavit, qui ea tenebatur sententia, qua Hebræorum plerique, de præexistentia animarum. Nec facilè ex alio fonte, quàm ex Judæis, Author iste systema suum deduxisse cre dendus est.

Arbitratus est Scriptor ille (2), animas, quæ plura in aere sæcula egerant, antequam in corpora descenderent, ibi pariter meritum prædestinationis reprobationisque pravo rectove liberi arbitrii usu sibi parasse. Statuebat; hominem plena esse in bonum malumque libertate; quæ illi accidebant in hac vita prospera, vel adversa, hæc sibi premium ac supplicium bonorum malorumque, quæ in altera perpetrasset vita, promeruisse (3). Quin etenim in eo rerum statu animas expeditam haberent merendi demerendique libertatem, ne dubitabat quidem (4). *Pro quibus omnibus non aliter poterit responderi, nisi priores quadam eis fuisse causa dicantur, quibus antequam in corpore nascerentur animæ, aliquid contraxerint culpæ in sensibus vel motibus suis, pro quibus hoc meritò pati à Divina Providentia judicatæ sunt. Liberi namque arbitrii semper est anima, etiam cum in corpore hoc, etiam cum extra corpus est*. Alibi verò, post prolixum quoddam fragmentum Libri cujusdam Apocryphi, quo tradebatur viros insignes V. T. ab Angelis animatos fuisse, sive ab animabus naturæ cæteris omnibus præstantioris, ut e.g. in Jacob vicem animæ supplevit Angelus Israel, inter primores Aulæ cælestis, addit (5): Animadvertendum est, an semel hisce constitutis solutio pateat notissimæ illius quæstionis, cui Deus Jacob Esau prætulerit, quanquam boni aliquid malivè neuter adhuc egisset: *Non recurrentibus nobis ad Opera hanc vitam præcedentia, quomodo verum erit injustitiam non esse apud Deum, si major serviat minori, odio habitus antequam digna vel servitute vel odio fecerit?*

S. Hieronymus in Epistolam ad Ephesios (6) scribens, Origenis sententiam de prædestinatione exponit, asserens ex ejus mente prædestinari homines à Deo, *Non ex præjudicio scientiæ suæ, sed ex merito electorum*. Addit, ex Origenis persuasione, cælum terramque invisibilibus incoli creaturis, quas latenti divino consilio præcipites egerit Deus in hanc lacrymarum vallem; & ante memorandum hunc creaturarum lapsum, S. Paulum cæterosque illi similes, quod ab omni labe puros videret, Dominum secrevisse. Hanc sententiam refutat S. Hieronymus, ipsius Pauli verbis demonstrans, non ideo Deum homines prædestinasse, quod sancti fuerint, sed ut essent.

Pamphilus Martyr Apolog. pro Orig. testatus, hanc de præexistentia animarum Origenis sententiam minùs aliquibus probari, excusatione tamen dignum illum censet, demonstrans, nihil uspiam certi ab illo de anima definitum; sed propositis tantùm conjecturis suis, Ecclesiæ judicio causam integram reliquisse: Tuetur insuper Pamphilus Origenis partes, adversæ opinionis incommoda omnia exaggerans. Fateamur quidem oportet, Origenem aliquando ambiguitatem suam ea de re prodidisse (7); sed animarum præexistentiam tam frequenter in suis Operibus inculcavit, ut eadem sentire se non obscurè demonstret.

Ad prædestinationem verò quod attinet, nullus dubito, quin ea teneretur opinione, Deum pro merito ejus, quam in anima explorat, indolis, præmia illi, vel supplicia decernere (8): *Ut autem scias, non præscientia Dei unicuique salutis causam poni, sed in proposito & actibus suis, vide Paulum verentem, ne cùm aliis prædicaverit ipse reprobus inveniatur*. Et in Epl. ad Rom. 9. pag. 378. colum. 2. de Jacob & Esau agens scribit (9), Jacob meritis suis accepto retulisse, ut à Deo in vas honoris formaretur, ipsum enim se disposuisse atque ab omni elutum macula purgasse; quod autem inertiorem operam in hac re Esau posuisset, ideò in vas ignominiæ à Deo transformatum. Addit insuper (10), Paulum ipsum sibi in causa fuisse, cur ab eo, cui omnia antea explorata sunt quàm contigerint, eligeretur; Deum enim prospexisse, quæ ipse in agro Ecclesiæ colendo dura perpetraturus esset. Uno verbo, *quos præscivit Deus tales futuros, ut Christo se passionibus conformarent, ipsos etiam conformes ac similes imaginis ejus prædestinavit & gloriæ*. Ex quibus omnibus recta consecutione dedu-

(1) Joan. 9. 2. (2) Vide Hieron. in Ephes. 4. 2. p. 395. nov. edit. (3) Origen. in Matth. tract. 35. p. 182. (4) Origen. l. 2. Periarchon, circa fin. (5) Orig. in Jo: 10. 5. edit. Huet & edit Genebr. pag. 181. Vide & Philocaliam pag. 7. edit. Oxon. (6) Hieron. in Ephes. 1. 4. & 4. 2. pag. 325. & 327. nov edit. & pag. 395. Vide eundem Epist. 8. & 61. & Epiph. Epist. ad Jo: Hierosolymit. (7) Vide e. g. l. 2. Periarchon. pag. 420. & in Jo. tom. 7. pag. 187. (8) Origen in Epist. ad Rom. (9) *Ut enim Jacob esset vas ad honorem sanctificatum... anima ejus emundaverat semetipsam. Et videns Deus puritatem ejus, potestatem enim habens ex eadem massa facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam; Jacob quidem, qui ut diximus, emundavit semetipsum, fecit vas ad honorem; Esau verò, cujus animam non ita puram nec ita simplicem vidit, ex eadem massa fecit vas ad contumeliam.* (10) Idem in Ep ad Rom. 1. l. 1. *Paulus electionis suæ causas in semetipso dedit ei, qui scit omnia antequam fiant. Providit enim Deus, quod abundantius cæteris laboraturus esset in Evangelio.*

deduxit S. Hieronymus in Ep. ad Ctesiphontem, ex Origenis doctrina profecisse Pelagium; cujus Hæretici dogma *Origenis ramusculus esset*.

S. Chrysostomus, cæterique coævi Patres, ut ab Origenis errore longius recederent, qui æternam atque temporalem hominis felicitatem, prædestinationem & reprobationem è meritis alterius vitæ repetebat; volentes insuper adversarios se præbere erroribus Marcionis & Manichæorum, qui, duobus admissis principiis, bono pravoque, totam liberi in homine arbitrii œconomiam subvertebant; prava enim natura sua anima neque in bonum libera est, neque, si crimen aliquod admiserit, quòd necessitate, & natura peccaverit, jure corripienda est; Patres, inquam, illa tria sibi defendenda susceperunt. 1. Hominem auxilio gratiæ præventum, verè expeditam in rectum pravumque, meritum & demeritum, habere facultatem. 2. Nullam nobis ex præstituto reprobationis prædestinationisque decreto imponi necessitatem. 3. Deum nulla sibi præcedentia merita, sed futura tantum proposuisse, ut pœnas vel præmia mortalibus sanciret.

Hæc nobis demonstranda manet ex ipso S. Chrysostomo, quem velut oraculum Græcæ Ecclesiæ ad nostram usque ætatem haberi ignoraverit nemo. Scribens S. Doctor in illa verba Epistolæ ad Romanos: *Cùm nondum nati fuissent*, (Jacob & Esau) *aut aliquid boni egissent, aut mali, dictum est ei* (Rebeccæ) *quia major serviet minori. Qua de causa hic quidem amori, ille autem odio habitus erat? Quoniam quidem hic malus, ille autem bonus erat; quamquam illi nondum nati, alter quidem honorabatur, alter autem condemnabatur; adhuc enim nati cùm non essent, dixerat Deus: Major serviet minori. Cur igitur hoc dixit Deus? Quod non expectat, quemadmodum homo, a rerum exitu videre, quisnam bonus sit, quisnam item non talis; sed etiam antea novit, quisnam malus, & qui non talis. Deus unus est, qui dignos noverit; hominum autem nemo, ut etiam valde nosse videantur. Qui cognitionis arcana solus novit, is apertè novit quinam digni sunt, qui coronas reportent, qui rursus pœnam aut supplicium merentur. Hoc igitur præscientia est, ab ipsorum partu electionem facere; a primo enim die bonum, & eum item qui talis non est, & novit, & pronunciavit. Quam multi Matthæo meliores esse videbantur, ab apparenti operum argumento? Verùm qui arcana novit, is & in cœno Margaritam jacentem novit. Non operum probationem* (pag. 232.) *quærit solum Deus, sed voluntatis nobilitatem, ac probam gratamque mentem*.

De Pharaone verò agens (1), observat, Regem illum scelerum suorum merito in iniquitate animum obfirmasse, in vas indignationis transformatum; vicissim autem fideles Judæos misericordiæ vasa effectos genuina ipsorum probitate atque integra in Deum fide; quamquam enim in negocio prædestinationis potiores Dei partes habendæ sint, de nostro tamen minimum quid ponendum est. Quod enim ad prævenientem misericordiam spectat, id unicè in Deum referendum; quod autem velimus & curramus, non in nostra tantùm virtute positum, sed in nobis, Divina tamen gratia adjutis. Concludit tandem (2), neque Judæos omnes, neque Gentiles pariter universos Deum salutis beneficio donasse, sed eos tantum, quos insigni illo privilegio dignos norat. Alibi insuper observat (3), Deum non Judæos omnes & Gentiles vocasse, quippe qui sciret plures vocationi suæ obstaculo futuros. Planè si vocatio Dei unicè sufficeret, ait, ut quid non omnes ad salutem venissent? Itaque si salutis beneficio aliqui donati sunt, id non in vocationem tantùm Dei refundendum, sed in bonam etiam eorum voluntatem: ita enim vocati sunt, ut nihil libertati hominis derogaretur.

Alio in loco (4) scribit, Regnum Cælorum electis destinatum esse jam inde ab exordio mundi, antequàm ipsi prodirent in lucem; norat enim Deus quidquid ab illis suo singulis tempore præstaretur. Et in Psal. 138. 3. ad illa verba: *Tu cognovisti cogitationes meas de longè*: Sunt, ait, homines adeò rudes & scientia destituti, ut dicant: Hic homo probus est, quòd à Deo electus sit & dilectus; iste impius, quòd à Deo odio habitus. Contraria planè docet Propheta, operum nostrorum experimento probari nos à Deo perhibens: nosse verò illum, antequam in lucem veniant, an virtutis amore tenendi sint homines; ex quo præscientiæ suæ insigne præbet documentum; quam scilicet præscientiam experimento operum nostrorum confirmat, veritus, ne præscientia sua virtutum nostrarum causa reputetur. Eadem confirmat Apostolus ingesto Jacob & Esau exemplo; eorum enim futura merita Deus longè antequam nascerentur, prænoscens, alterum alteri subjecit.

Scribens autem in Epistolam ad Ephesios (5), docet. *Si homines eligentes, quæ sunt optima & pulcherrima eligunt, multo magis Deus. Electos quoque esse, est & Dei benignitatis & clementiæ, & ipsorum virtutis judicium: probatos enim elegit*. Et post modica: *Non fit* [prædestinatio] *a laboribus* (nostris, *sed a charitate* (Dei); *neque a charitate solùm, sed a nostra virtute. Nam si a charitate sola, oporteret nos esse salvos. Si autem rursus à nostra sola virtute, supervacaneus fuisset ejus adventus, & quæcumque facta sunt per dispensationem. Sed neque sola charitate, neque nostra virtute, sed ex utrisque*. Et in Psal. 134. observat, Deum, cùm è medio gentium populum Judæorum discerneret, non infrequentem eorum numerum, sed altum virtutis gradum, ad quem elevare illos meditabatur, spectasse. Magis enim futurum ut consiliis suis serviret populus Hebræorum, prænoverat, quàm gentes aliæ & numero hominum, & divitiis florentiores.

Laudantur alia S. Chrysostomi loca (6), quibus favere visus est gratuitæ prædestinationi; sed hæc a nonnullis Theologis referuntur ad prædestinationem ad gratiam, & vocationem ad fidem, quæ itidem beneficia esse gratuita, quis neget. In eandem sententiam concesserant post S. Chrysostomum cæteri deinde Græci Patres; quare supervacaneum reputamus integra, referre Theodoreti, Theophylacti, Oecumenii, & aliorum testimonia; quos maximè novimus fidos S. Doctoris sectatores. Quod autem extra controversiam positum est, illud reputandum, nimirum S. Chrysostomum in hoc argumenti genere, sicut & in cæteris, nihil nisi Orthodoxum sentire: si quæ verò minus correcta scribenti exciderant, hæc ideo excusanda, quia castigatum nullum sermonem Ecclesia adhuc præscripserat; neque Pelagiana adhuc hæresis emerserat, quæ Ecclesiasticos Doctores in loquendo cautiores adversùs ejus errores redderet. S. Augustinus (7) pro sua sententia sæpiùs S. illum Doctorem laudavit, veluti suarum partium vindicem adducens in disputationibus de prædestinatione & gratia adversùs Pelagium. Semper ac de conciliatione Ecclesiæ Græcæ cum Latina tractatum est, magna fuit animorum hac de re consensio; in re enim conveniebat utrinque, quamquam loquendi phrasibus à Latinis diversis Græci uterentur. Minùs exactè præ Latinis Græci locuti videntur, quòd Pelagiana hæresis, occidentis maximè plagas infestans, Doctores nostros cautiores doctioresque effecerit.

Non ita tamen reputandum est, quasi nihil prorsus de nostris disputationibus apud Græcos nesci-

(1) Idem in Rom. 9. p. 239. 240. 241. (2) Idem p. 245. (3) Chrysost. in Rom. 8. p. 213.
(4) Hom. 80. in Matth. 25. p. 837. (5) Chrysost. hom. 1. in Ephes. 1. ver. 5.
(6) Hom. 1. in Epist. ad Ephes. 1. 11. hom. 7. in 1. Cor. 2. pag. 63. hom. 1. in 2. Timoth. 1. pag. 545. In Ps. 5. pag. 40. hom. 4. in Thessalon. 2. pag. 386. &c. hom. 18. pag. 358. hom. 20. in Galat. 5. pag. 1036.
(7) August. l. 1. c. 2. contra Julian. & l. 2. c. ult. & l. 4. c. 3. &c.

nesciretur. Notant enim ætate Photii (1) Scripta S. Augustini, Cælestini Papæ, S. Prosperi Libros de gratia adversus Pelagianos & Semipelagianos, & damnabant veluti Hæreticos, quos censura inusserant Concilia Africana, & SS. Augustinus & Prosper scriptis suis refutarunt. Jam inde à pluribus sæculis (2) doctrinam plerumque sequuntur S. Joannis Damasceni de prædestinatione & gratia, quemadmodum Gennadius in suis Lucubrationibus de prædestinatione & providentia testatur. Docet autem S. Joannes Damascenus de Fide orthodoxa lib. 4. cap. 19. (3), prædestinationis & reprobationis decreta causam habere constitutam bonas malasque hominum voluntates; quod perinde est ac si Deus pro merito singulorum pœnas decerneret, vel præmia. Deus antecedente, quam vocant, voluntate salutem omnibus hominibus impertiri maximè cupit, quemadmodum idem S. Doctor loco cit. observat; sed voluntate sua consequente suppliciis in impios animadvertere intendit. Porrò consequenti voluntati duo proposita sunt; prædestinatio nempe & reprobatio; prædestinatione in salutem perducimur, juxta constitutas providentiæ Divinæ leges, interioribus scilicet gratiis & institutionibus; reprobatio verò justa nobis supplicia illa decernit, quæ in nostrum caput criminibus admissis, prævisis à Deo & permissis, provocamus; cave tamen, ait ille, Deum sive causam, sive authorem, sive approbatorem tantùm eorum criminum reputes.

Græci recentiores eandem & doctrinam & loquendi rationem, quam veteres Ecclesiæ suæ Patres, servant; æque tamen abhorrent ab erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum, quemadmodum deinde & à Lutheranorum, & Calvinistarum de gratia & prædestinatione. Vix Jeremias Patriarcha C. P. certior factus est, quid Lutherani de justificatione, libero hominum arbitrio, cæterisque ad eam rem in Concilio Tridentino damnatis erroribus sentirent, actutum damnatos geminia responsionibus suis refutavit (4). Eadem censura inusta est doctrina Cyrilli Lucaris, planè Calvinistis consentanea; censura, inquam, inusta est in Conciliis C. PP. An. 1638. & 1642. ac deinde in Concilio Jerosolymitano A. 1672. Syrigus dogma illud Lucaris fusissimè rafutaverat, cujus Operis vernaculis literis traditi impressio à Dosithæo Patriarcha Jerosolymitano curata, satis probat, quanto omnium favore & approbatione Opus idem exciperetur.

Fatemur quidem, novissimos hosce Græcos Scriptores minus castigatè loqui, quàm Theologos Nostrates Latinos & Controversiarum Scriptores. Sed ab Authoribus Scholasticæ exercitationi intueris, atque disputationum nostrarum planè rudibus, quis satis castigatum aliquid in ea re expectet? Si quid autem scribentibus adversus Occidentales Hæreticos minùs certum excidit, nunquam tamen eo venerunt, ut in errorem aliquem receptæ in Ecclesia doctrinæ planè adversum incideret. Indulgendum est aliquid Theologis alterius linguæ, qui sibi alteram, quam quæ apud nos obtinet, scribendi methodum proponunt.

Emergente jam in occidente Pelagiana hæresi, post initum quintum Ecclesiæ sæculum, summus erat in dogmate de prædestinatione Græcos inter & Latinos consensus. Uno omnium suffragio rejiciebatur error Origenis, autumantis, Deum homines prædestinare reprobareque merito operum, quæ in altera vita præcessissent. Arbitrabantur autem Orthodoxi Patres, Dei præscientiæ exposita fuisse futura hominum merita, quibus inspectis, prædestinationis & reprobationis decreta prodirent (5): persuasum habebant decretis illis nihil derogari nostræ libertati; merita verò hominum Dei largientis dona atque gratiarum in nobis & per nos germina esse: tandem hominem, originalis criminis corruptione, nihil meriti in censu suo habere; nihil in bonum (supernaturale intellige) posse, nisi supernaturali Dei ope præventum atque fulcitum.

Pelagio (6) adversa omnia arridebant, contendenti, Deum eos maximè elegisse, quos bono libertatis usu electione dignos futuros prænoverat, quare non effecit sanctos decreto suo, sed jam effectos sanctos prævidit. Latens hæreseos hujus virus omne detexit S. Augustinus; nec sanè error latuit in ambiguo, ex quo Hæresiarchæ illi docendum succurrit, hominem satis in se virium habere, quo nullo adjutus gratiæ auxilio bonum præstaret, & malum; quin & gratiam, bonum ex propriis viribus agenti, homini tanquam meritorum præmium, dari. S. Augustinus, cæterique ejusdem ætatis Episcopi defendebant, prædestinationis ad gloriam beneficium gratuito Dei largientis privilegio donari; addebant cum eodem Augustino (7): *Hæc est prædestinatio Sanctorum, nihil aliud: præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.*

Semipelagiani utramque improbantes sententiam, Pelagii nempè de prædestinatione, & S. Augustini de eadem ipsa prædestinatione systema, maluissent silentio tantum mysterium premi: *De his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus attigerit* (8). Cùm autem S. Augustini rationibus urgerentur, *Obstinationem suam vetustate defendebant; & ea quæ de Epistola Apostoli Pauli ad Romanos scribentis ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentitur, affirmant.* Fatebantur, nihil se apud Veteres quod satis quadraret, invenisse. Cùm verò mentem suam promere cogerentur, ita rem totam exponebant: *Nostram non præscivisse Deum nisi Fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ac prædestinasse, ut etiam sancti & immaculati gratia atque opere ejus essemus,* Vide S. Augustinum de Prædest. Ss. cap. 19.

Sciscitatur à S. Augustino S. Prosper Epist. supercit. quid reponendum objectioni è Veterum consensu deductæ; una enim omnes sententia tenebant, decretum sive prædestinationem Dei ipsam esse ejus præscientiam, *qua finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutoris, in qua futurus esset voluntate, & actione præviderit.* Respondet Augustinus de Prædest. Ss. cap. 14. num. 27. frustra ea de re veterum Scriptorum volumina excuti; cùm enim serò rem totam discutere nulla necessitate adigerentur, quemadmodum post exortam Pelagianam hæresim factum est, leviori brachio, & veluti per transitum argumentum libarunt; in id omnes intenti, ut suorum temporum hæreses refutarent: quamquam, addit ille, Ecclesiæ doctrina servabatur in exhibitis Deo precibus; nunquam enim postulassent ab ipso, ut quæ maximè juberet, ipse largiretur, nisi Dei opem ad id præstandum necessariam esse autumassent.

Agnoscit idem S. Doctor (9), se, antequam rem pleniùs excuteret, in eo cum pluribus aliis errore versatum, fidem nempè non Dei beneficio præstari, sed nostris in nobis parari viribus; ejus verò merito necessarias dari nobis vires, ut pietatem & justitiam colamus. In eo tamen, quem ad Simplicianum Archiepiscopum Mediolanensem scripsit,

(1) Photius Cod. 34. Bibl. (2) Renaudot Præfat. 5. tom. Perpetuit. fidei Gallicè. (3) Vide & Dialog. contr. Manich. p. 72. nov. edit. (4) Vide Renaudot. Perpetuit. Fidei in 5. tomum Præfat. (5) Vide Hilar. in Psal. 118. p. 359. n. 10. 81. Epist. 345. n. 8. Ambros. l. 5. de Fide c. 6. n. 83. Hilar. Diac. in Rom. 9. 11. 12. 13. Hieron. in Ezech. 2. in Jerem. 27. in Epist. ad Paulin. (6) Aug. l. de Prædest. SS. c. 28. (7) Aug. de Dono Persever. 14. n. 35. (8) Vide Prosper. Epist. ad August. inter Augustinianas 225. num. 3. & 8. (9) Ibid. c. 3. n. 7.

Librum, paulò post initum Episcopatum suum, ab errore tandem se resipuisse: *Hoc Apostolico præcipuè testimonio (Quid habes, quod non accepisti?) etiam me ipsum fuisse convictum, cum de hac re aliter saperem: quam mihi Deus in hac re solvenda, cùm ad Episcopum Simplicium, sicut dixi, scriberem, revelavit* (1). Adeo autem de ejus sententiæ veritate persuadebatur, ut tanquam Ecclesiæ fidem (2) illam traderet: *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse* (3).

Pelagius & Cælestius toto Occidente damnati, Romæ, in Galliis, in Africa, in ultimas tandem Britannias sese recipientes, dogmatum suorum virus B ibi sparserunt. Cùm autem caveret ab illis nemo, totam illico Insulam perniciosis dogmatibus suis infestarunt. Sævienti jam malo prompto remedio occursuri Cælestinus Papa, & Concilium quoddam Gallicanum eò deputarunt An. 429. S. Lupum Episcopum Trecensem, & S. Germanum Episcopum Altissiodorensem. Nec improspero successu; brevi enim Britannia universa ad sanam doctrinam rediit; & cùm non diu post in pristinas errorum Pelagianorum tenebras recidissent, iterum eò missus S. Germanus Altissiodorensis, & Severus Trecensis pristinam Ecclesiis pacem lucemque veritatis restituerunt.

C Toto inde Occidente Pelagianorum reliquiæ depulsæ, penes Nestorium Archiepiscopum C.P. tutum invenerunt effugium, quippè cui eorum de prædestinatione error arrideret; docebat enim Jesum Christum operum suorum præmio divinitatem sibi promeruisse; cùm vicissim Ecclesia & S. Augustinus (4) docerent, Jesum Christum ideam esse & exemplar prædestinatorum, in eo videlicet, quod gratuita esset prædestinatione donatus. Hinc scitè S. Prosper (5) eandem ipsam Nestorianam hæresim matrem & filiam Pelagianæ appellat; filiam, quod post Pelagianam prodierit, matrem verò, quod in Jesu Christo gratiæ authore gratiam subvertat; docentem bonorum operum merito, veluti præmium D gratiam sibi Christum promeruisse. Nihil tamen juvandis Pelagianis Nestorii authoritas valuit; quin & utriusque Hæretici errores Concilium Generale Ephesinum damnavit (6).

Semipelagiani in speciem quidem Pelagianis modestiores, majori tamen pervicacia errores suos defenderunt. Quin & sæpiùs post S. Augustini obitum caput relevarunt, hoc semper systema de prædestinatione & reprobatione obtrudentes. Docebant itaque, hominem proprii arbitrii viribus & nullo prævenientis gratiæ auxilio fultum credere & salutem velle posse (7): quod perniciosissimum erat illius hæresis dogma, unde virus in cætera spargebatur. Addebant, post jacta ea veluti prima salutis E semina ab homine, Deum nunquam desistere, quin gratia suâ illa foveat. Præter hæc, prædestinationem & reprobationem veluti necessarias consecutiones deduci à præscientia Dei, bona sive mala prævidentis, quæ ab homine præstanda sunt, vel præstarentur, si viveret. Quarto tandem docebant, gratiam aliunde efficaciam non habere, quàm à se ipsa; quod enim à Deo in homines redundat auxilii, ita ejusdem hominis dispositioni atque libertati subdi, ut eo pro libito utatur rejiciatque.

S. Augustinus sub exitu vitæ suæ Hæreticos illos refutavit in Libris de Prædestinatione SS. & de Dono Perseverantiæ: atque ipso demum satis functo, F S. Prosper eandem provinciam aggressus est. Cùm A. 433. novi cierentur Semipelagianorum tumultus in Galliis; S. Prosper altero anno in lucem produxit Opus suum *Contra Collatorem*, nempè contra

A Cassianum, quem refutandum suscepit. Faustus Episcopus Rhegiensis & Gennadius, junctâ simul opera, novare pro Semipelagianis res cœperunt An. 482. sed validis adversariorum conatibus oppressi sunt. S. Cæsarius Arelatensis, & Fulgentius Ruspensis omnium primas inter eosdem adversarios tenebant. Libri Fausti, Cassiani, & Arnobii censura inusti sunt in Concilio Romano sub Gelasio An. 494. Cùm Fausti errores ad Orientis usque plagas penetrassent, Scythæ quidam Monachi, literis ad S. Fulgentium in Insula Sardiniæ relegatum, ea de re miserunt: quibus S. Doctor suo & cæterorum una secum exulantium Episcoporum nomine rescripsit, B probare se eorum sententiam, quam consentaneam Augustinianæ agnoscebant. Novo deinde ad illos scripto anno 521. Fausti errores penitiùs refutavit; quod pariter Opus exules in Sardinia Episcopi coacta Synodo probarunt. Concilium Aurelianense anni 529. eosdem Semipelagianorum errores damnavit; qua ejus sententia toti controversiæ finis impositus est. Concilii decretum confirmavit Bonifacius II. Papa, adversùs privatorum quorumdam & Episcoporum etiam obtrectationes: atque pax tandem hisce Papæ literis composita est.

Nihil agendum arbitror in præsentia de Prædestinatianorum hæresi, quibus hunc appingit errorem Liber Prædestinati, à Sirmondo publici juris factus, C nimirum bona opera frustra à Fidelibus præstari; cùm omnia à prædestinatione & reprobatione hominum pendeant. Quæ enim de Hæreticis illis feruntur, mera esse commenta doctissimi quidam Critici suspicati sunt, rati Prædestinatianorum nomine traduci à Semipelagianis quinti sæculi S. Augustini Discipulos, affingentes illis per summam impudentiam præposteras illas consecutiones, quas deduxisse sui è principiis S. Doctoris arbitrabantur. Quando verò Hæreticos illos reapse admitteremus, non semel refutati sunt sparsim inter Opera S. Augustini, & Discipulorum ipsius, qui Semipelagianorum cavillis responderunt.

D Quieta omnia, quantum ad prædestinationem, in Ecclesia manserunt, post Concilium Aurelianense anno 529. spatio 300. circiter annorum, quousque nono vertente sæculo turbæ de prædestinatione & gratia excitatæ sunt, occasione Gothescalchi, viri natione Germani & Monachi Orbacensis in Suessionensi Diœcesi. Cùm ille assidua Patrum & maximè S. Augustini lectione se se exerceret, atque plures ejusdem S. Doctoris sententias memoriæ mandasset, curiosiùs aliquantò, quàm par erat, nonnullas è Theologia quæstiones excutiendas suscepit, quemadmodum Lupus Ferrariensis Epist. 30. Circa an. 846. sub Sergio Pontifice Romanam iter aggressus est; cùm redux, aliquanto temporis spatio apud E Comitem Eberardum subsisteret, in familiaribus colloquiis quædam de prædestinatione viro exciderant, Nothingo Episcopo Veronensi minus probata. Quare cùm Episcopus post aliquid temporis in Germaniam venisset, rem totam cum Rabano Archiepiscopo Moguntino contulit: communique consilio sanxerunt, ut Rabanus scripto Opere Monachum refutandum susciperet. Fidem suam Germanus liberavit, scripto in Epistolæ modum ad Nothingum adversùs Gothescalchum Libro (8). Datis insuper ad Comitem Eberardum literis, monuit (9), Monachum illum docere, Deum prædestinationis suæ decreto necessitatem hominibus imponere; F ut quicumque maximè vellet salutem consequi, atque ejus rei gratia Fidei & bonorum operum exercitio laboraret, ageret ille frustra, siquidem prædestinatus non esset ad vitam: quibus dogmatibus suis plures in ultimas desperationes induxisset; reputas-

(1) Ibid. c. 4. n. 2. (2) Aug. de Dono Persev. c. 23. n. 65. (3) Idem de Dono Persev. c. 19. n. 48.
(4) In Jo. tract. 105. n. 8. & tract. 74. n. 3. & Oper imperfect. cont. Julian. c. 11. pag. 951. (5) Epitaph. Nestoriana lues, successit Pelagiana, *Quæ tamen est utero progenerata meo. Infelix misera genetrix & filia nata Prodivi ex ipso germine, quod peperi*. (6) Concil. Ephe. act. 6. sess. 2. Vide Binii notas to. 3 pag. 1294. edit. Labb.
(7) Vide Epistolam S. Prosperi ad Augustinum, & Hilarii Monachi ad eundem, ordine 225. & 226. in nova Edit. S. August. Vide etiam Carmen *De Ingratis*, & S. August. de Prædest. SS. [8] Vide apud Sirmond. p. 1312. (9) Idem p. 834.

reputasse enim eos, quid sibi laborandum esset pro salute sua, cùm nihil omnino sint omnia, nisi prædestinationis decretum divinitus datum est? præstando autem malo illud commodi ex ea sententia accedere, ut nihil supplicii timeretur, si prædestinatus fuisset impius ad vitam.

Errorem illum refutandum aggreditur Rabanus authoritate Ss. Augustini, Prosperi, atque cæterorum Patrum. Fatetur ille quidem, de prædestinatione dogma in Sacra Scriptura constitui; constitui tamen eo sensu, nimirum omnes è statu gratiæ primi hominis lapsu excidentes homines sola Jesu Christi gratia relevari, quam ille gratiam tota æternitate parasset & prædestinasset. Addit, plures quidem è damnationis & criminis originalis statu relevatos, damnari merito criminum post Baptismum admissorum, quæ Deus præscientia sua perpetranda ab illis libere & nulla adactis necessitate norat. Defendit tandem, Dei prædestinantis sive reprobantis decreto nihil in homine immutari, nullamque mortalibus imponi agendi necessitatem. Si quos verò, ait, Deus è massa corruptionis educit, eos gratuita misericordia tanto beneficio donat; quos verò in pristino miseriarum statu relinquit, illos nonnisi post prævisa eorum crimina, libera singulorum voluntate committenda, ad æterna supplicia destinat.

Gothescalchus rem sibi esse intelligens cum adversario, eruditionis fama celebratissimo, ex Italia Moguntiam profectus circa annum 848. Rabanum convenit, mentem illi suam explicaturus. Scriptum exhibuit Episcopo, cujus quædam supersunt fragmenta; in eo verò ejusdem Episcopi sententiam arguit in dogmate de prædestinatione ad malum, de voluntate Jesu Christi salvandi omnes homines, ac de libero hominis arbitrio. Ferunt, Rabanum eo Scripto accepto prodire in scenam noluisse; quippe qui cùm pars esset, & accusati reique locum teneret, inter judices Gothescalchi minus recipi potuisset. Concilium igitur Mogontiæ coactum est circa mensem Octobris anno 848. quò ad causam suam dicendam vocatus Gothescalchus, Scriptum protulit, in quo doctrinam suam luculenter explicans, defendebat, duas distinguendas esse prædestinationes, alteram nempè Electorum ad gloriam, alteram impiorum ad pœnam: & quemadmodum Deus ante mundi constitutionem immutabili decreto suo plures ad æternam vitam gratuita misericordia prædestinaverat; ita pariter sancto & inviolabili decreto impios *propter ipsorum mala merita* ad supplicia & mortem æternam destinasse.

Accusabat Monachum Rabanus, quasi defendentem prædestinari à Deo homines ad æterna supplicia, pravis eorum operibus, nec prævisis, neque spectatis. Fatebatur ipse quidem, nosse Deum quicumque criminibus tenerentur, & quos criminum suorum merito æterna morte puniendos statuerat; nolebat autem totam hanc œconomiam, prædestinationis ad mortem nomine appellari, metu ne fortè prædestinare ad peccatum Deus crederetur. Gothescalchus pervicaciùs resistebat, contendens, geminas distinguendas esse prædestinationes, ad mortem nempè, & ad vitam. Conveniebant utrinque, prædestinationem ad vitam gratuita Dei largientis miseratione præstari. Deum nempè è massa corruptionis quos maximè voluerit, secernere, secretisque parare gratias & consequendæ saluti auxilia necessaria; sicut vicissim neminem ad mortem damnare, nisi pro meritis criminum, quorum ille nequaquam causa esset. Quare totus controversiæ cardo in eo vertebatur, an nomine prædestinationis utendum esset designando reprobationis decreto, quemadmodum Gothescalchus contendebat; vel ab eo temperandum, quemadmodum Rabano visum.

Frustra laborarunt Concilii illius Patres, ut Gothescalchum ad saniora consilia & castigatiorem loquendi rationem perducerent; quare pervicacem damnarunt, damnatumque remiserunt ad Hincmarum Archiepiscopum Remensem; apud quem Rabanus per Epistolam Monachum illum accusavit, quasi spargentem in vulgus, quemadmodum Dei esset prædestinatio in bonum, ita Dei esse in malum prædestinationem; dari autem in mundo homines, qui ab erroribus suis resipiscere non possent; Dei prædestinantis decreto coactos, præcipites in mortem ferri, cujus victimæ destinati sunt; esse autem illos natura sua incorrigibiles, & damnatione dignos. Hæc de Gothescalcho Rabanus; non verò de se Gothescalchus affirmabat.

Hincmarus hisce Rabani literis præmonitus, atque loquentem pro se Gothescalcum auscultatum tandem in Synodum Carisiacam produxit. Appellatus eo Rhotadus Episcopus Suessoniensis, ad quem Diœcesani sui judicium pertinebat. Interrogatus igitur Monachus ab Episcopo, cùm sententiam suam sicut olim Moguntiæ, ita pariter eadem obstinatione tunc defendisset, ab injuriis pariter in adversarios suos non parcens, hæresis damnatus est, à Sacerdotio amotus, & virgis cæsus coram Rege Carolo Calvo, & Episcopis; virgis inquam, tandiù cæsus, quandiù scriptum pro asserenda sententia sua ex collectis Scripturæ & Patrum sententiis Librum flammis manu sua absumendum non traderet. Arcto deinde carcere damnatus est in Abbatia Altovillarensi Diœcesis Remensis.

Ex eo carcere Gothescalchus duas remisit Fidei professiones, prolixiorem alteram, aliam breviorem; in utraque verò defendebat, Deum nunquam ad peccatum & malum prædestinasse, sed tantùm ad bonum, cujus duplex est genus distinguendum; nempe beneficiorum gratiæ ipsius, & pœnarum, quæ ab ejus justitia decernerentur. Gratuitò quidem illum elegisse hominem ad vitam æternam, prædestinasse verò Dæmones & reprobos in mortem æternam. Significabat optare se, ut posset doctrinam suam in cœtu aliquo publico coram Episcopis Principibus & Clero tueri, probaturum etiam se orthodoxiam suam spondens, per quatuor dolia ebullientis aquæ, olei & picis, ac tandem per ingentem incensum ignem, illæsus pertransiens; è quibus si quid læsionis contraxisset, offerre se dicebat, ut tanquam de crimine convictus ignis supplicio perimeretur.

Interim Hincmari adversus Gothescalchum molitiones, & quas ipse tuebatur, sententiæ in Libro ad Reclusos Diœcesis suæ, criminatores plurimos nactæ sunt. Ratramnus Monachus Corbejensis suis ad amicum Gothescalchum literis Scriptum illud Archiepiscopi liberiùs carpit. Prudentius Episcopus Trecensis, collectis pluribus Sacræ Scripturæ, Patrum, & præcipuè S. Augustini sententiis, veritatem duarum prædestinationum asseruit. Lupus Servatus Ferrariensis Abbas lucubrationem suam ea de re edidit Sup. tract. de Trib. Quæstionibus, Augustinianæ sententiæ maximè consentaneam. Docet autem inter cætera, scire se quidem, nec apud Scripturam, nec apud Patres prædestinationis nomine designari reproborum exitium, metu ne fortè ideò creasse Deus homines aliquos dicatur, ut ultionis suæ monumenta in illis statuat, neve id unquam reputetur, damnare Deum injustè ad supplicia homines, qui in malum summa necessitate ferrentur. Hæc quidem, dicebat, ita se habent: sed cùm de re constat, de reprobatione nempè impiorum propter merita, stultæ sunt pro vocibus concertationes.

Jussus insuper à Carolo Calvo Ratramnus de hoc argumento disserere, Librum suum edidit de Prædestinatione, demonstrans tota Deum æternitate nosse bonorum, impiorumque eventus omnes; Sanctorum autem prædestinationem merum esse Dei miserentis beneficium; & electorum numerum neque minui, neque augeri, sed nec immutari quidquam posse. Ad prædestinationem verò impiorum quod attinet, demonstrat, nunquam prædestinari à Deo homines ad crimen, sed ad criminum pœnas, & supplicia: qui tamen posita prædestinatione, nihil de hominis in bonum, malumque libertate detra-

ctum; quanquam, ait, quicunque mera puraque Dei miseratione eliguntur, illos certa manet salus; sicut vicissim in massa perditionis relictis certa pariter damnatio decreta est, quam sibi merito criminum sponte admissorum adsciscunt. In calce Operis Imperatorem rogat, ne Opus evulget, antequam controversiis illis plenius discussis, sententia de re tota feratur.

Duos Libros Lupi, & Ratramni discutiendos tradidit Imperator Hincmaro, & Pardulo Episcopo Laudunensi, qui geminis illis Scriptoribus geminos pariter adversarios opposuerunt, Amalarium Diaconum Trevirensem, & Joannem Scotum Erigenam. Periit nostra ætate Opus Amalarii; sed aliquandiu post Ecclesia Lugdunensis in Lib. de trib. Epist. iniquius aliquanto virum agit; accusat enim concivisse illum turbas, vel saltem concitare molitum in pluribus Gallicanis Ecclesiis, dignumque judicat, cujus scripta igni absumenda tradantur. Joannes Scotus Erigena humanioribus literis, & Philosophia exultissimus erat, imperitus verò in Theologicis. Redundat ejus Liber cavillis, & subtilitatibus Scholasticis; duplicem prædestinationem reprobat; demonstrat insuper, nullam ex prædestinatione imponi necessitatem; liberum hominis arbitrium, Adami crimine nihilò factum imbecillius; per crimen & criminis consecutiones, sicut etiam, quibus crimina plectuntur, supplicia, cum meræ sint privationes, neque prædestinari unquam, neque prævideri à Deo potuisse. Quibus bellè planèque adscitis, deducit inde, damnatorum pœnas in privatione tantùm beatitudinis, sive concepto inde dolore versari; ut proinde juxta Scriptoris illius sententiam ita de universo damnatorum supplicio reputandum sit, quasi totum illius cruciatus momentum in alio quàm in materiali quodam igne constituatur; quippè non alio torquentur igne quàm elementari, per mediam enim ignis sphæram animæ hominum statim post obitum traducuntur. Ne tamen flamma atque ignis impressione aliqua lædantur justorum animæ, in causa est, quòd in naturam quandam æthercam transmutentur; sicut vicissim in aerem transformatæ impiorum animæ, contraria igni qualitate instructæ, plurima ex eodem igne tanquam ab adversario tolerant. Ad prædestinationem quod attinet, nullam dari affirmat, nisi pro rebus à Deo deducendo in salutem æternam homini paratis: prædestinationis hujusce causam assignat in Deo quidem summam rerum omnium prævisionem, in homine verò rectum liberi arbitrii usum.

Venilo sive Ganelo Archiepiscopus Senensis plures ex eo Opere propositiones à se excerptas misit ad Prudentium Episcopum Trecensem, qui vix lectis innovari ecredidit, veteres Pelagianorum errores, nec ab impietatibus Collytidianorum immunes prorsus esse; quare illis refutandis calamum acuit. Distinguit ille prædestinationem à præscientia, quarum nempe hæc ad crimina extenditur, non verò prædestinatio. Statuit ille tamen duo prædestinationum genera, quorum illo Deus gratuitò prædestinat electos ad gratiam & gloriam; altero verò, quo impios, præviso criminum ab illis perpetrandorum merito, æternis suppliciis destinat; asserit autem neminem unquam in tantam venisse impietatem, ut everti libertatem à gratia sive necessitatem hominibus prædestinatione imponi docuerit.

Eadem excerpta libri Scoti Erigenæ missa sunt ad Ecclesiam Lugdunensem, quæ refutandi erronea dogmata Floro Diacono munus imposuit. Florus itaque duas distinguit prædestinationes, vel unam eamdemque dupliri ratione spectari potuisse demonstrat; & cùm nempe gratuito beneficio electos ad gratiam & gloriam destinat; & cùm vicissim, reprobos, in ultionem admissorum proprio libertatis arbitrio criminum, æternis suppliciis addicit. Ignorare se ait de Gothescalcho, quonam criminis merito infelix ille Monachus damnationem subierit & carcerem. Si enim, cujus accusabatur, hæresis reus deprehensus fuisset, æquum erat ut juxta veterem Ecclesiæ disciplinam & lata in illum sententia & crimina per omnes Regni Ecclesias promulgarentur.

Amolo Archiepiscopus Lugdunensis sub idem tempus literis à Gothescalco pro defensione causæ suæ acceptis, aliis datis literis respondit: cavisse se quidem dixit, ne Opus illud suum ad ipsum tanquam anathematis sententia damnatum, dirigeret, sed opportunius duxisse, ut ad Metropolitanum ejus mitteret, quò miseratione aliqua permotus, fores tandem illi Ecclesiæ, præmissa antea errorum suorum palinodia, aperiret. Ad rem autem accedens, plures Gothescalchi sententias notat, atque illam potissimùm, nimirum Dæmones & reprobos tam certo & irrevocabili decreto ad damnationem prædestinari, quomodo Deus certus est, & nulli obnoxius mutationi. Observat insuper Amolo, omnia quæ apud S. Augustinum aliosque nonnullos Patres leguntur de prædestinatione impiorum ad pœnas, non ita profectò intelligenda esse, quasi Deus prædestinatione sua impios sive damnatos ad impietatem & damnationem cogeret; sed constituisse potiùs, ut qui in massa corruptionis sive originario Adami sive propriis criminibus computrescerent, æternis suppliciis damnarentur.

Hincmarus ex ea Amolonis Epistola satis intelligens, non abhorrere illum ab impietate Gothescalchi damnanda, è re sua esse judicavit, si datis ad Ecclesiam Lugdunensem ejus argumenti literis in suas illam partes pertraheret. Misit igitur prolixam satis Epistolam, qua totum Gothescalchi judicium, atque sententias in illum à duobus Conciliis latas prosequitur; explicat deinde Monachi illius dogmata de prædestinatione ad gloriam, æternamque impiorum damnationem; nec omittit erroneas è principiis illis deductas consecutiones.

Remigius, in Archiepiscopatu Lugdunensi successor Amoloni datus, Ecclesiæ suæ nomine hæc reposuit. Ac primò causam Gothescalchi deserit, quem pariter temeritatis, & levitatis reum damnat: simul autem defendit, juxta S. Augustini doctrinam, è prædestinatis à Deo ab ipsa æternitate ad gloriam justis neminem periturum; sicut vicissim nihil demendum è numero prædestinatorum ad mortem æternam, quos justa criminum ultio consequetur: cavendum tamen, ne cogere in damnationem impius potestate sua Deus credatur, sed omnes, ait, admissorum propria voluntate criminum pœnas luunt.

Ad judicium & personam Gothescalchi descendens, perversas in eo canonicas sanctiones accusat, quòd damnatus priùs in cœtu Abbatum, & Religiosorum ad regularem disciplinam subeundam, judicio deinde Episcoporum sisteretur. Hæreticorum enim judicium ad Episcopos, non ad Abbates pertinere. Justè autem in illum animadversum, quòd injuriis Episcopos proscidisset; quanquam id per alios factum, quam per eosdem Episcopos, maluisset Remigius. Ad dogmata viri quod attinet, addit ille, veniam facilè impetrabimus, vera esse statuentes, & à nemine Catholico Doctore rejicienda, quæ Monachus ille de prædestinatione asseruit. Dolemus proinde, judicio Episcoporum sententiam latam fuisse, non adversùs infelicem hunc Monachum, sed adversùs Ecclesiasticam veritatem. Illud autem horrendum, quòd inaudito crudelitatis exemplo, flagrorum ictibus toto corpore cæderetur, quemadmodum oculatorum testium relatione comperimus, donec suis ipse manibus in ignem projiceret libellum ex collectis Scripturarum, & Patrum testimoniis à se descriptum. Olim Hæretici argumentorum & rationum vi, non crudelitate confringebantur. Longa planè, & inhumana miseri illius in carcere detentio, quantum nos reputamus, solatio aliquo temperanda est, ut charitate lucremur fratrem, cujus amore Jesus Christus mortem oppetiit; quod sanè ma-

gis

gis conduceret, quàm si tristitia, & mœrore opprimeretur.

Ea responsione minùs faveri consiliis suis sentiens Hincmarus, aliam suæ doctrinæ fulciendæ rationem inivit. Cùm itaque soluto jam Concilio Suessionensi an. 853. cum Episcopis, & Abbatibus nonnullis Carisii versaretur, quatuor articulos Imperatori proposuit, ac deinde ejus authoritate publicavit. Primus ferebat, unam dari tantùm prædestinationem ad vitam, qua Deus lapsos homines post Adæ peccatum in massam corruptionis, aliquos relevans, ad gratiam & gloriam prædestinat; cæteros verò, quos in eadem massa relinquit, perituros sanè illum prænosse, nec tamen ut perirent, sed tantùm ad æterna pro eorum merito supplicia prædestinasse. Cæteri articuli in rem præsentem nihil faciunt.

Portò capitula illa ab Hincmaro digesta Episcoporum, & Abbatum præsentium subscriptionibus munita sunt; agente pariter Hincmaro, subscripsit Prudentius Episcopus Trecensis. Sed ille mox facti pœnitens, ad Episcopos in Senonensi urbe coactos pro electione Episcopi Parisiensis literas dedit, misso simul Arnoldo Presbytero Ecclesiæ suæ, ad ratam habendam suo nomine futuri Episcopi electionem, ea tamen conditione, si ab Episcopis probarentur quatuor à se proposita Capitula, quorum de prædestinatione articulus ita conceptus erat, prædestinari à Deo alios gratuito misericordiæ suæ beneficio ad vitam æternam, alios justo judicio ad damnationem. Ejus Epistolæ exitus ignoratur.

Memoriæ tamen proditum scimus quatuor illa capitula Carisiaca ad Ecclesiam Lugdunensem transmissa, examine ab illa discussa, atque refutata ejus jussu à Remigio Archiepiscopo fuisse an. 854.. Primo itaque queritur Operis illius Author de neglecta in rebus ad prædestinationem & gratiam attinentibus S. Augustini doctrina; atque in eo reprehensione digna Capitula illa judicat, quòd de electorum prædestinatione ita statuant, quasi a meritorum præscientia deducatur; negentque pervicaciter, impios à Deo ad æterna supplicia prædestinari. Post refutata Capitula Carisiaca, Remigius doctrinam Concilii Valentini, sex canonibus de gratia, libero arbitrio, & prædestinatione traditam A. 855. defendit. Porrò hujus Concilii Episcopi audacter adstruunt & bonorum ad vitam æternam, & impiorum ad mortem æternam prædestinationem; ea tamen cautione, ut quos Deus salvandos edicit, illos misericordiæ suæ gratuito beneficio, ne meritis quidem eorum prævisis, donet; damnatos verò ita justo judicio puniendos statuat, ut eorum crimina antea præviderit.

Ejus Concilii canones unà cum lucubrationibus Ecclesiæ Lugdunensis per Ebbonem Archiepiscopum Gratianopolitanum oblati sunt Carolo Calvo anno 856. Rex Hincmaro tradidit, qui statim alterum scriptum opposuit. Opus illud nostra ætate intercidit; superest tamen adhuc ejus Epistola ad Carolum Calvum, toti Operi præfixa, qua de damnatione quatuor Capitulorum, nec relatis illis, & in pravum detortis sensum, conqueritur. Tandem an. 859. cùm iidem qui olim in Concilium Valentinum convenerant Episcopi, in Concilio altero ad Saponarias in agro Tullensi coivissent, priores ibi canones referri jusserunt. Hincmarus cæterique ejus clientes eorum approbationi intercedebant; quare Remigius Archiepiscopus Lugdunensis remittendam causam ad viciniorem Synodum proposuit; & cùm in eandem sententiam ivissent omnes, Concilium dissolutum est.

Sed Prudentius rem totam ad Romanum Præsulem deferendam arbitratus, Canones Valentini Concilii ad Nicolaum Papam confirmandos transmisit. Approbatos reapse à Pontifice affirmabat deinde Prudentius; sed negavit Hincmarus, à quo pariter vulgatum spissum Opus in Canones Concilii Valentini, quo demonstrare enititur, Deum merita & gloriam electorum, sicut & reproborum crimina, prævidisse; prævidisse pariter & prædestinasse illorum supplicia, ex quo tamen minime deduceretur, Deum impios ad mortem sive ad damnationem prædestinasse. Quare tota Hincmarum inter ejusque adversarios controversia in eo tantùm versabatur, quòd illi nullis verborum ambagibus prædestinari à Deo reprobos in damnationem assererent; cùm Hincmarus parari illis sive prædestinari diceret æternam pœnam in criminum ultionem.

Circa A. 864. Nicolaus I. Papa de Judicio & damnatione Gothescalchi certior fieri voluit. Hincmarus præoccupandum Pontificem ratus, Monachum illum invidiosissimis coloribus depinxit. Pontifex duriùs, quàm par erat, habitum Monachum improbare se significavit; sed Archiepiscopus datis ad ipsum literis respondit, jussisse se quidem abundè necessaria omnia viro sufficì, sed pervicaciùs ab illo recusari. Pontifex Legatos suos ad Concilium Metense 865. proficiscentes mandatis oneravit, ut Romam Hincmarum ad causam dicendam mitterent; mitterent pariter & Gothescalchum: sed Archiepiscopus neque Pontificiis jussionibus parere, neque obedire Monachum permisit. Cùm tandem Gothescalcho contigisset, ut ad Pontificem scriptas à se literas Monacho Gonterio deferendas traderet; Hincmarus & detineri Gonterium, & intercipi literas, ac tandem Gothescalchum arctiori carceri tradi præcepit. In extremis illis angustiis infelicem Monachum extremus morbus occupaverat; quare Monachi Altivillarenses quæsitum ab Hincmaro venerunt, quid agendum esset; mandatumque illis à Præsule, ut Eucharistia privaretur, siquidem erroribus suis non renunciasset. Ille in sua sententia persistens, vitam denique cum morte commutavit an. 868.

Nec ingenium quidem, nec studium, nec acumen deerat Gothescalcho; fortè etiam alia erat viri sententia, quàm quæ ab Hincmaro, Rabano, ejusque adversariis spargebatur in vulgus. Obstinationem tamen viri, pervicaciam & violentam agendi rationem nemo prudens excusaverit. Persuasum quidem habent multi, Prudentium Trecensem, Ratramnum Monachum Corbejensem, Lupum Ferrariensem, Florum Diaconum, & Remigium Archiepiscopum Lugdunensem, quin & Amolonem ipsum, quamvis alioqui obstinationem ejus, atque inconsultam agendi rationem altè improbarent, ab ejus tamen doctrina non abhorruisse. Quod autem animadversione dignum judicamus, illud est, nimirum inter utriusque partis assertores convenisse, S. Augustini præ omnibus Patribus authoritatem, cùm de prædestinatione & gratia agitur, maximi habendam esse momenti; utrinque verò de eo certabatur, ut S. Doctorem in suas partes pertraherent. Quare tota tandem disputationis vis ad nomen tantummodò redacta videbatur; nimirum an nomine prædestinationis ad peccatum & ad damnationem, designari possit Dei in reprobos decretum.

Post nonum sæculum usque ad exortas Lutheri & Calvini hæreses, nihil, ad prædestinationem & gratiam quod attinet, in Scholis Christianorum tumultuatum est. Quamquam inter varios Theologos parvæ quædam agitabantur velitationes de variis exprimendi rationibus, variisque diversorum sententiis; quibus de Ecclesiæ pace nihil detractum, cum de opinionibus in utramque partem citra Fidei dispendium agitandis res esset. Cùm autem Lutherus statuisset, post Adami lapsum omnes arbitrii vires excidisse, sola relicta malorum agendorum facultate, in bonum enim ita ferri liberum hominis arbitrium, quomodo inanime quoddam instrumentum; cùm pariter Zuinglius defenderet, ad prædestinationem & reprobationem nihil homines conferre; totum enim à Dei voluntate, nihil ab homine pendere, ut neque

prædestinati unquam damnari, neque reprobi salvari unquam possint; Episcopi & Doctores in Concilio Tridentino an. 1546. coacti; propositiones illas ad trutinam revocarunt, & post sedulam eorum discussionem, Cardinalis S. Crucis, cui anathematum digerendorum cura imponebatur, ea cautione rem totam perfecit, ut variis Doctorum Catholicorum sententiis intactis, nihilque etiam ansæ tradens Proteliantibus, doctrinam erroneam Hæreticorum damnaret.

Temperavit autem Cnncilium Tridentinum à ratione & causis prædestinationis & reprobationis: quod in causa fuit, cur varia super eodem argumento ab ipsis etiam Concilii Tridentini Theologis prodirent Scripta, quibus singuli in suas partes trahere Concilium nitebantur. Anno 1549. Leonardus Utinensis, Ordinis Prædicatorum, Italus, verba faciens è sacro suggestu Utini, oppido agri Foro Juliensis, quò Sedes Patriarchalis Aquilejensis translata est, quas inde statuit propositiones, quibus & inter Auditores murmur, & in tota Urbe scandalum inductum est. Affirmavit itaque primò, prædestinatum à Deo hominem damnari nequaquam posse; quæcumque enim admiserit peccata, à Deo tandem remitti; necessarium esse enim, ut salutem tandem consequatur. 2. Electionem & reprobationem adeò necessarias esse, ut salus sive damnatio hominis ab ipsius voluntate & libertate nequaquam dependeat.

Vicarius Generalis ejus Urbis statim per literas ea de re monuit Joannem Grimani Aquilejensem Patriarcham, tunc temporis Venetiis agentem; qui rescriptis ad Vicarium suum, 17. Aprilis datis, liquidò prodidit, noscere se propositiones illas, quibus murmur in Civitate excitatum fuerat, veras esse & Catholicas; neminem etenim prædestinatum damnari, sicut vicissim reproborum neminem salvari posse: quod fusiùs demonstrandum, ingesta SS. Pauli & Augustini authoritate, suscepit. Publicè per totam Diœcesim evulgata est Epistola, cujus pariter autographum in publico Tabulario servatum; quare nihil ea de re innovatum usque ad an. 1560. cùm ejus adversarii deterrendo Pontifici Paulo IV ne virum cooptaret in cœtum Cardinalium, urgentibus ejus electionem Venetis, hanc ejus Epistulam ad Tribunal Inquisitionis, veluti errorum Lutheranorum & Calvinistarum suspectam, detulerunt. Versabatur tunc Romæ Episcopus; quare ad Pontificem actutum se conferens, post doctrinam suam expositam, Epistulam & scriptum exhibuit. Pontifex adlegere virum inter Cardinales maximè optans, illi absolvendo Congregationem induxit pervigilio ejus diei, qua in Consistorio novorum Cardinalium nomina edicere statuerat. Coram Judicibus itaque venit Patriarcha, Epistolam suam defensurus; sed nihil ea de re pronunciare Judicibus visum est: quare inter novos Cardinales, an. 1561. electos, nomen Grimani desideratum est.

Conceptam tamen spem non depoluit Patriarcha, judiciumque suum in dies urgebat. Coram Tribunali Inquisitionis septem propositiones ex ejus Epistola deductæ in examen revocatæ sunt. 1. Prædestinatio Deum unum habet authorem. 2. Prædestinatio è liberis tantum Dei promissionibus dependet. 3. Nec prædestinatus damnari, nec reprobus salutem consequi potest. 4. Nunquam Deus misericordiæ suæ oculis reprobos homines respicit. 5. Diabolus contra certum electorum numerum prævalere nunquam potest. 6. In negocio salutis nostræ omnia ad Deum referenda. 7. Nihil conferre reprobis liberum arbitrium, ut salutem obtineant. In Congregatione die 11. Decembris 1561. causa illa agitata est; sed cùm in partes à Consultoribus abiretur, Pius IV. novo examini rem totam deferri præcepit. Urgebat Grimanus; sed differri in dies sententiam animadvertens, Venetias tandem sese recepit. Postulavit à Pontifice Respublica, ut causa illa ad Concilium deferretur. Assentiente Pontifice, Concilium Epistolæ illius doctrinam 27. Theologis discutiendam tradidit; ac post longam 28. dierum discussionem, tandem die 13. Augusti 1563. pronunciatum est, in Epistola & Apologia Patriarchæ nihil hæreticum neque hæresis suspectum contineri: quamquam, addebant, minùs conducat in vulgus illas propalare ob arduas aliquas quæstiones, non usque adeò exactè in eodem Opere discussas.

Ambrosius Catharinus, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Minoritanus in Regno Neapolitano, defunctus an. 1551. quædam & ipse singularia de prædestinatione defendebat. Namque in Commentario super propria quinque Geneseos capita sine ambagibus prodidit, nulla se necessitate teneri, uti in opiniones SS. Augustini & Thomæ, ad prædestinationem & gratiam quod attinet, concederet; quin & improbare se quæcumque S. Augustinus docuisset de prædestinatione gratuita, atque de massa corruptionis; eundemque S. Doctorem data opera refutat. Disertius aliquid addit in Commentario super Epistulam ad Romanos; ubi duas hominum classes distinguit, electorum nempè & prædestinatorum, quos singulari quodam prædestinationis genere à Deo secretos dicit, ut suavi gratiarum & auxiliorum pellectu ita ad salutem certò afferòque trahat, ut libertati nihil necessitatis imponat. Priorem hanc classem componit rarissimus hominum numerus, quos speciali dilectione sua Deus voluit distinctos; eidemque sibi vindicat Author, quæ apud Apostolum in Epistola ad Romanos de vocatione & prædestinatione electorum traduntur.

Secundam classem implere antumat Catharinua reliquum de vulgo hominum genus, quos ita Deus ad salutem prædestinavit, ut non certo & absoluto rem illam decreto constituerit, sed conditionato & à futuris eorum meritis dependente; ut salvandos illos edicat, siquidem gratiis, quas Deus indulgens donaverit, præsto se paratosque tradiderint. Refutavit viri sententiam Dominicus Soto in suo Commentario in Epistolam ad Romanos; defendit verò Sixtus Senensis, Catharini Discipulus, eamque publicè, ait idem Soto, docuit ab anno ætatis 20. usque ad 30. in præcipuis Italiæ Urbibus; deinde verò plura in eam doctrinam objicit animadvertens, improbari pariter à doctissimis Theologis, assertam tandem opinionem deseruit, ad partes SS. Augustini & Thomæ accedens. Verùm suæ sententiæ inhæsit Catharinus, eamque prolixiùs ingessit, scriptis ea de re lucubrationibus impressis Lugduni 1542.

Anno 1581. Prudentius de Montemajor Jesuita Universitatis Salmantinæ proposita Thesi rejecit decreta Dei absoluta, ad liberos hominum actus quod attinet, & maximè gratuitam prædestinationem, à proborum operum prævisione independentem; quam Thesin Theologica Facultas ejusdem Urbis censurà inussit. An. 1584. Gregorius de Valentia, ipse pariter Jesuita, Theses aliquas de prædestinatione Ingolstadii defendit, quibus conditionata decreta admittit; insinuans nequaquam alia ratione sententiam de prædestinatione gratuita defendi posse, hominis illæsa libertate. Tandem an. 1586. Leonardus Lessius, & Hamelius, ejusdem Societatis, in Lovaniensi Collegio similem defenderunt doctrinam ei, quæ priùs Salmanticæ, & Ingolstadii à Sociis suis asserta est. Certiori ea de re facta Lovaniensis Facultas, geminis è suo cœtu Doctoribus eorum scripta excutienda commisit. Cùm illi censoram suam retulissent, sicut & singuli pariter Doctores seorsum scripta illa expendissent, solemnis tandem totius Facultatis censura data est. Subscribere illi jussi sunt Jesuitæ, transmissaque actutum exemplaria ad omnes ejus regionis Episcopus, sicut & ad Universitates Parisiensem, & Duacensem. Lovaniensium exemplum secuta est Duacensis,

censis, evulgata earundem propositionum censura, die 20. Januarii 1588.

Hanc Lovaniensem censuram Jesuitæ Romam transmiserunt; & Lessius datis ad Provincialem suum literis, questus est, falsa plurima à Doctoribus Lovaniensibus Jesuitis affingi; inauditos damnari, atque communes aliis pluribus Doctoribus Facultatis propositiones censura inustas. Episcopi Mechliniensis, & Cameracensis, huic controversiæ sopiendæ, atque censuris duarum Facultatum discutiendis, Concilium Provinciale indicere cogitabant. Sed Octavius Frangipani, Sixti V. in Belgio Nuncius, datis ad utroique literis, absistere præcepit, judicium ejus rei Sanctæ Sedi reservatum significans. Inter hæc Theologi in duas divisi factiones, & in partes Jesuitarum non infrequentes concesserunt. Pontifex, datis ad Nuncium suum literis, utrique parti silentium indici præcepit; quibus illi jussionibus quanquam plurimum detulerint, à mutuis tamen declamationibus aliorum adversùs alios, quà in Scholis, quà in Cathedris non abstinuerunt. Quare Nuncius promulgato die 10. Julii an. 1588. decreto vetuit, ne agitata inter utramque partem dogmata veluti suspecta, hæretica, scandalosa, sive perniciosa, usque ad ferendam à S. Sede sententiam, traducerentur.

Acrius utrinque, nec modico temporis spatio, disceptatum est; sed post plura acta & in vulgus producta scripta, tandem Pontificius Nuncius priori edicto innovato, vetuit Universitatibus Lovaniensi, & Duacensi, sicut etiam Jesuitis, ne disputationes ea, de re ullas deinceps agitarent, neque utriusque partis sententiam invidiosis titulis innotarent; permissa interim singulis quamcumque mallent opinionem sequi, dummodo intra præceptos Christianæ modestiæ fines sese, continentes, jurgiis, injuriis censurisque invidiosis, usque ad ferendam à Sede sententiam, abstinerent. Huic decreto obsecundatum est deinceps ab omnibus, resque adhuc pendet indecisa. Secundùm hæc, cùm ad Facultatem Theologicam Lovaniensem delatum esset, falsò de illa rumore per Hispaniam & Italiam spargi, priori deserta sententia in adversam concessisse, in Cœtu publico DD. die 10. Julii 1647. solemni protestatione palam omnibus fieri voluit, nihil à se de priori sententia immutatum, ratamque haberi censuram, quam 60. annis antea adversùs Lessium & Hamelium tulerat. Validiùs adhuc constantiam doctrinæ suæ asseruit Facultas Duacensis, semel quidem die 20. Julii an. 1648. atque succedenti proximè anno iterum. Nec segnior Lessius veteribus opinionibus suis inhæsit, quibus & immortuus est an. 1623. Singulas eas disputationes prosequi, longiùs nos quam pro intento deduceret.

Belgicæ de prædestinatione & gratia concertationes, graves alioqui, leves tamen velitationes haberi possunt, si cum illis comparentur, quæ sub idem tempus exortæ sunt in Hispaniis, occasione Libri de Concordia gratiæ & liberi arbitrii, digesti à Ludovico Molina Jesuita, oriundo Conchæ in Hispania, & in Theologica Universitate Eboracensi Professore, defuncto Matriti 12. Octobris 1600 annorum 65. ætate sene. Visum est Authori ejusdem Operis, facilem se inituram liberi arbitrii cum gratia & prædestinatione conciliandi rationem, si illud sequeretur systema, quod ipsi omnium primo clariùs explicandum succurrisset. Credere autem se dixit, si Augustino cæterisque Patribus sententia illa in mentem venisset, victas profectò illi manus traditur os, suoque confirmatoros suffragio. Addebat futurum fuisse, ut suis positis principiis, hæresis Pelagiana nunquam caput extulisset: Lutheranos à cavillis cessaturos, quibus non ulteriùs liberum arbitrium negandum succurrisset, sub obtentu difficilis consensus gratiæ cum præscientia & prædestinatione; nullo Fideles scandalo afficerentur, quo reipsa affecti sunt, sparsis in vulgus Augustini opinionibus, ejusque adversùs Pelagianos disputationibus. Nullo tandem negocio exsufflari potuisse reliquias Pelagianismi in Gallia, extinque facilè terminari tot inter Catholicos acriùs agitatas controversias. Profitetur tandem, hanc liberi arbitrii cum prædestinatione Divina conciliandi rationem nemini ad eam usque ætatem succurrisse: *A nemine, quem viderim, huc usque tradita*. Quid de Veterum sententia ante exortos Pelagianos? nonne faciè ope ejusdem Concordiæ cum S. Augustino coire poterit? ait Molina; cum S. Augustino, inquam, qui calamum strinxit adversùs Pelagianos, libero arbitrio unice deferentes, atque initium conversionis in nostris esse viribus asserentes.

Invehit ergò Molina scientiam quandam mediam, qua Deus ante voluntatis suæ decretum ea speculatur, quæ à nobis in hoc vel illo articulo rerumque circumstantia positis, bona vel mala præstarentur. Quarè adultorum prædestinatio, quantum est ex Deo, nihil aliud reputatur, quàm Dei actus liber, statuentis opem & adjumentum præstare, quo fultos nos prævidet ad vitam æternam iter facile expeditumque habituros, spectata causarum naturalium serie atque usu liberi arbitrii. Reprobationi exponendæ tres distinguit in Deo erga reprobos voluntates. I. Voluntatem crimina permittentem, quibus admissis, æterni Regni fores occludendæ impiis, recludendæ verò æterni carceris essent. 2. Voluntatem auxilia denegandi, quibus ab impietate criminosus reduceretur, permittendique, ut in nequitia animus obfirmetur. 3. Voluntatem excludendi à Regno Cælesti, & ignem æternum damnandi. Deus itaque rerum naturalium, quam ipse ordinavit, inspecta serie, committendum à reprobo crimen volente illo ac liberè assensum præbente, quin & ad mortem usque in vitio exsordescente, prænovit.

Vix lucem aspexit Molinæ Liber, cum Dominicani Ordinis Theologi acriùs in illum invecti sunt: defendere contra Jesuitæ; nihil tamen ultra processum, nisi ad Theses publicas ab utraque parte propugnatas oppugnatasque. Inter hæc. Dominicani Molinæ doctrinam ad Inquisitionem Vallisoletanam detulerunt; instare Jesuitæ, ut quandiu sub Judice lis esset, vetarentur adversarii, ne Molinæ propositiones hæresis nota traducerent. Cùm æqua postularent, voti compotes facti sunt. Urgebant interim Dominicani, causamque adversus Jesuitas coram Tribunali Inquisitionis prosequebantur: nec judicium renuebant adversarii, ea tamen conditione, ne Dominicani inter Censores adlegerentur. Eodem tempore Bannez doctrinam illam detulit ad Inquisitionem Castellanam; quare cùm utrimque animi incenderentur, Cardinalis Quiroga muneris sui esse censuit, si de re tota Clementem VIII. faceret certiorem. Pontifex datis ad Inquisitorem Hispanum & Nuncium suum literis vetuit, ne ultra in ea causa cognoscenda prosequerentur; sed Theologis utriusque Ordinis absistere à censura jussis, exactas opinionum ab iis suarum declarationes exigerent, consulerentque deinde de controversiis illis Universitates Hispaniæ, Episcopos atque doctissimos Theologos. Mandatum id executioni die 15. Augusti 1594.

Nec tamen cessantibus turbis, Pontifex, alia Constitutione occurrendum censuit, qua utrique parti districtè interdicebatur, nequid palam loqui, neve scribere aliquid super hoc argumento auderent. Sed frustra illud Theologis in ordinem redigendis; quod in causa fuit, cur Pontifex tertia Constitutione sua judicium ea de re totum Inquisitioni Generali adimeos, ad S. Sedem redigeret. Missa actutum Romam omnia, tum quæ à Jesuitis, tum quæ à Dominicanis pro causa sua producta fuerant monumenta, unà cum Universitatum, Episcoporum & Theologorum consultationibus. Rex verò metuens; ne in tanto disputationum molimine sinistri aliquid contingeret, Præsidibus utriusque Ordinis significari jussit ne ad Theologicas cathedras assume-

assumerent, nisi Professores doctrinæ S. Thomæ studiosos, & à contentionum spiritu abhorrentes; id autem caverent, ne publica congressione alter alterius partis disputandi gratia conveniret; in Actibus verò, Lectionibus, quin & familiaribus colloquiis caverent, ne adversas sententias erroris cujusquam & hæresis accusarent. Nihil tamen his cautionibus factum, nihilque de animositate alterutrius partis quà in Scriptis, quà in Congressibus remissum.

Instabant interim Dominicani, apud Pontificem, ut Opus Molinæ discuteret, cujus suspiciosam doctrinam arguebant. Clemens VIII. mense Novembris 1597. Congregationem ea de causa indixit, decem assignatis Consultoribus, ut examini ejusdem Libri incumberent. Porrò illi die 2. Januarii 1598. primò coiverunt, inditumque Congregationi nomen *De Auxiliis*, quod scilicet de auxiliis Dei homini præstitis ageretur. Quid in singulis Congregationibus præstitum sit, referre hic abstinemus; contenti intra præscriptos argumenti nostri fines sistere, quin & summa tantùm eorum, quæ ad nos faciunt, retulisse sat erit; neque enim Dissertationis modus fusiorem de illis tractationem pateretur. Actum est igitur de Scientia media in decima Congregatione, habita 6. Martii 1598. atque unanimi Consultorum assensu rejecta. In undecima, omnium postrema, habita die 13. ejusdem Mensis, statutum est, Molinæ de prædestinatione sententiam non doctrinæ tantum Ss. Thomæ, Augustini, ceterorumque Patrum adversari, sed etiam refragari Scripturæ, Conciliorumque decretis, ac maximè cum erroribus Cassiani & Fausti consonare. Quare de Consultorum sententia interdicendus erat Liber Molinæ de Concordia, sicut & ejusdem Authoris Commentarii in primam partem S. Thomæ, nullatenus permittendi, nisi priùs sedula virorum doctissimorum opera ad normam Doctrinæ Patrum & S. Thomæ reformarentur. Hæc in Actis ejusdem Congregationis, aliquibus ab hinc annis publici juris factis.

Nequid verò nisi summa cura discussum prodiret, jussi à Pontifice Consultores singulis recurrentibus feriis sextis usque ad 22. Septembris in cœtu conveniebant. Nihil tamen de priori sententia & censuris remissum est; scriptisque judicium suum de doctrina Molinæ atque de sententia Universitatum, & Theologorum, ab Hispaniis transmissa, tradiderunt. Scriptum illud digessit Coronellus, ejusdem Congregationis à secretis, lectumque palam in congregatione 22. Martii 1599. approbatum ab omnibus, & uno excepto Antonio Bovio, confirmatum est.

Postularunt à Pontifice Jesuitæ, impetraruntque facultatem, ut cum Dominicanis, coram electis ab eodem Pontifice arbitris, disceptarent. Disceptatum est à die 22. Februarii 1599. usque ad ad 16. Maji ejusdem anni. Sed cùm nihil proficeretur, neque inter utriusque partis Theologos spes aliqua pacis affulgeret, Jesuitæ, omissa Libri Molinæ defensione, totos se ad accusandam physicam præmotionem Dominicanorum transtulerunt. Interim latam à se censuram, brevi complexam scripto, suisque munitam subscriptionibus sibi remitti Pontifex Censoribus injunxit. Huic itaque digerendæ aliquibus mensibus laboratum est. Confecta tandem atque singulorum Consultorum subscriptionibus munita, solis exceptis Bovio & Plumbino, qui in Jesuitarum partes concesserant, Pontificis manibus die 12. Octobris 1600. resignata est.

Ad exitum properare causa videbatur, cùm Jesuitæ questi de exposita perperam Molinæ sententia, auscultari se iterum postularent, nec Pontifex quartum aliud examen denegare potuit. Designati in eam rem Consultores, habitæque 30. Collationes à die 25. Januarii usque ad 31 Julii 1601. Utrique parti Molinæ propositiones communicatæ, auditum quid utrinque reponeretur, & responsiones scriptis exceptæ sunt. Tum data à Consultoribus suffragia, nec quidquam à veteri sententia recessum. Censura Congregationis scriptis tradita à Coronel-

A lo, & Bossu, una cum documentis, quæ jure processum in damnatione demonstrabant, manibus Pontificis consignata est, die 30. Decembris 1601.

Iterum de hoc Consultorum judicio querentibus Jesuitis, coram se, adsistentibus Cardinalibus, novisque adjectis Consultoribus agitari causam Pontifex jussit. Habitæ sunt 68. congregationes à die 20. Martii 1602. usque ad 22. Januarii 1605. Duo ex Consultoribus pro Molinæ partibus steterunt, Antonius Bovius, & Episcopus Aquilæ: reliqui omnes, & ipse pariter Plumbinus Dominicanis assensi sunt. Pontifex in prima Congregatione velle se declaravit, ut disceptationum de gratia norma statueretur doctrina S. Augustini, quam Summi Pontifices decessores sui Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Leo, Hormisdas summis laudibus celebrarunt; B ejusque scripta adversus calumnias Gallorum, Pelagianæ hæresi aliquantò faventium probarunt, confirmaruntque: quare nihil opportunius se facturum credere, quàm si hisce Sanctissimorum Pontificum vestigiis insisteret. Adjecit, totam hanc de gratia controversiam tam altè penetrasse Augustinum, omnesque ejus modos ita explicasse, ut nihil ultra à Pelagianis opponendum superesset; quare nullius alterius Doctoris Scripta tutiùs consulenda esse, ut præsentes de gratia lites componerentur.

Actum est de Scientia media, & prædestinatione in Congregationibus 59. & deinceps usque ad totam 67. Vallida Jesuita palam asseruit à Calvini hæresi necessitatem impositam fuisse Theologis, ut hanc mediam Scientiam rerum futurarum conditionibus implicitarum, & à causa libera pendentium, admitterent; Scientiam verò illam absolutum o- C mne divinæ voluntatis decretum præcedere. Lemos Dominicanus defendebat, Scientiam mediam, quam Molina Deo affingebat, ab ipso Authore constitui ante quàm ullum à Deo emanet decretum, ex prævisione nimirum operum præstandorum ab homine, liberæ suæ voluntati permisso: nosse scilicet Deum in talibus rerum circumstantiis positum hominem ad liberè volendum aliquid sese determinaturum, modò Deus ipse concursum præstare voluisset: voluisset, inquam, voluntate, juxta Molinam non præveniente, & efficaci, sed concomitante; ex qua præscientia quædam in Deo resultaret absoluta eorum, quæ per liberam hominis voluntatem agerentur, absque eo quò ad opus voluntas ipsa à Deo determinaretur. Sententiam verò illam ita expositam contendebat Lemos apertos D habuisse adversarios SS. Augustinum & Thomam. Actum est pariter de Scientia illa media in quatuor inde succedentibus Congregationibus, atque in sententiam Lemos ab omnibus, uno excepto Bovio, concessum est.

De Prædestinatione actum est in Congregatione 65. habita 4. Januarii 1605. Contendebat Vallida, decretum prædestinationis è Molinæ sententia absolutum esse; id agente Deo, ut prædestinatum in ipsa rerum serie constitutum, inspecto illarum ordine, salutem consecuturum nosceret. Lemos contra propugnabat, prędestinationis decretum unicum esse, efficax, & absolutum, nihilque pendere à prævisione eorum, quæ à prædestinato in hoc, vel illo rerum ordine constituto agerentur. Post acres per succedentes pariter Congregationes agitatas controversias, decretum à Consultoribus, prædestina- E tionem ab unico petendam decreto absoluto Dei, quo nimirum ille & gloriam largiri electis, & auxilia ad illam obtinendam necessaria suppeditare constituisset; atque in hanc sententiam S. Augustinum consentire.

Accidit, ut exitum causæ Clemens VIII. die 3. Martii 1605. morte occuparet: consecutus est Leo XI. qui 25. dierum Sacerdotium post ipsum gessit. Renunciatus est deinde Pontifex die 16. Maji Paulus V. quem Rex Hispaniæ, ut causam tandem absolveret, per Legatum suum rogavit. Vicissim Rex Galliæ per Cardinalem Perronium persuasit, rem

illam

illam maturo examine adhuc indigere. Deferendam causam aliqui suadebant, atque in silentio manendum. Utraque verò disceptantium pars pro sua causa, illi urgendo, Jesuitæ vero retardando judicio laborabant. Consultores apud Pontificem instabant, ut inceptum sub decessore suo judicium absolveret. Hæsit aliquandiu suspensus Pontifex; sed tandem cœptum opus minimè deserendum ratus, coram se 16. Congregationes haberi voluit, à die 14. Septembris 1605. usque ad 1. Martii 1606. Disceptationum argumentum præbuit & gratia efficax, & physica prædeterminatio.

Absolutis tandem Theologicis concertationibus, auditisque Consultorum judiciis, Paulus V. cum Cardinalibus deliberavit die 8. Martii 1606. num ad supremam ferendam sententiam procedendum esset. E duodecim Cardinalibus decem affirmabant, duo tantùm, Perronius, & Bellarminus, negarunt. Saniori parti inhærendum censuit Pontifex, haberique jussit 9 vel 10. Congregationes, ut de propositionibus damnandis conveniret. Asserunt demandatam à Pontifice curam duobus à secretis, & duobus Congregationis Archiepiscopis, ut Constitutionem ad mentem Consultorum digererent, qua in re sex mensium spatio laboratum fuerit.

Censura inustæ propositiones ad 14. referuntur, quarum tres, nempe 12. 13. & 14. ad prædestinationem pertinent. Duodecima in hæc verba concepta erat: *Qui dixerit, Deum ab æterno non ita constituisse, proposuisse, prædefinisse, seu prædeterminasse illos omnes & singulos consensuros, credituros, operaturos, perseveraturos, quicunque in tempore à Deo vocati ad salutem consentiunt, & consentientes credunt, operantur, & perseverant, ut decreto absoluto, idest, quo absoluti vult, ut consentiant, credant, operentur, seu perseverent, præordinaverit unicuique eorum dare auxilium gratiæ, cujus virtutem, seu motionem præscit tam esse efficacem ad subjiciendum sibi liberum arbitrium ejus cui datur, ut ex ea certum sit & infallibile, & insuperabile, quod is consentiet, credet, operabitur, seu perseverabit: aut ejusmodi decretum Dei absolutum, seu efficacem motionem libertatem arbitrii tollere, vel ei adversari; Errat.* Decima tertia sic habebat. *Qui dixerit, Præscientiam de hominum salute, seu quocumque illorum actu ad salutem pertinente fundari non in virtute auxilii, seu motionis efficacis, ad subdendum sibi arbitrium ejus, cui datur; sed in præviso usu humani arbitrii, pro sua libertate auxilio Dei utentis, vel non utentis: aut hujusmodi Præscientiam esse necessariam ad conciliandum inter se auxilium gratiæ Dei & liberum usum humani arbitrii; Errat, ponendo in Deo scientiam, quæ nullum prorsus habet vel habere potest objectum.* Decima quarta sic. *Qui dixerit, prædestinationem Electorum sic pendere ab ipsorum arbitrio, ut non per efficaciam seu virtutem auxiliorum, quæ Deus sua prædestinatione decrevit dare, fiat quòd bene iis utantur; sed quia Deus in præscientia sua videns, quibus auxiliis pro sua libertate bene uterentur electi, hæc ipsis dare decreverit: Errat, in illud incidens, prædestinationem Dei esse ex meritis hominis; ita nimirum ut gratiis, quis adjuvantur homines ad consequendum effectum & finem, ad quem sunt prædestinati, inde iis detur, quia ipsi volunt usu illo sui arbitrii, quem pro libertate sua adhibent; non autem ideo velint, quia per gratiam adjuvantur.*

Secundùm hæc, in cœtu Cardinalium Pontifex die 28. Augusti 1607. sententiam singulorum pro controversia absolvenda requisivit. Quid singulis visum fuerit, incertum; sed triduo post Summus Pontifex accitis utriusque Ordinis Summis Præsulibus scriptam quamdam syngrapham dedit, qua Theologis & Consultoribus in causa de Auxiliis ad propria remeandi venia dabatur: expectarent autem propediem, quæ ab ipso prodiret sententia, atque interim ab invidiosis mutuò se titulis lacessendo abstinerent. Transmissa hujus decreti exemplaria ad Nuncios Apostolicos & Generales per orbem Christianum Inquisitores, quo ejus executionem urgerent. Hispaniæ Rex apud Pontificem pro sententia instabat; instabant & Dominicani, supplici ad eam rem libello exhibito; sed frustra omnes. Nam Paulus V. decreto suo 1 Decembris 1611. cavit, ne quis deinceps quidquam de hoc argumento imprimere auderet. Innovatum est hoc Pauli decretum sub Urbano VIII. die 22. Maji 1625. sub Innocentio X. 23. Aprilis 1654. sub Innocentio XII. 28. Januarii & 6. Februarii 1694.

Innocentius X. decreto suo 23. Aprilis 1654. edicit, nullam addendam esse fidem Actis Congregationis de Auxiliis, sicut nec Constitutioni Pauli V. quo tamen minimè factum est, quin publici juris Acta illa tandem fierent, primò à Coronello in summam redacta; deinde totidem verbis à Lemos relata. Denique inter utriusque partis Theologos summum semper jus scribendi, docendi, atque doctrinam suam prædicandi retentum est; absque eo quod coercendis illis in ordinem Summi Pontifices aliquid molirentur. Nos autem operæ pretium facturos animadvertimus, si eorum, quæ in Ecclesia super hoc argumento agitata sunt, historiam brevioribus verbis complecteremur, potius quàm nudam utriusque sententiæ relationem expositionemque tradentes, tædium pararemus Lectoribus.

Nunc verò, ut Dissertationi modum imponentes nostram super ea re sententiam promamus, illud asserendum statuimus: Prædestinationem ad gratiam & vocationem ad Fidem mera esse, & prorsus gratuita Dei largitoris beneficia: prædestinari nos pariter ad Beatitudinem divinæ voluntatis beneplacito, non meritorum præscientia: quod autem ad gloriam seligamur, ejus rei in causa nequaquam fuisse Dei prævisionem, qua scilicet spectaverit, quid essemus liberi arbitrii viribus præstituri, nullis adjuti auxiliis supernaturalibus & gratia. Neque pariter in animum inducimus, explicando prædestinationis mysterio, sive Scientiam mediam sive decreta conditionibus adstricta, sive futurorum meritorum præscientiam invehere oportere. Sed juxta traditam à SS. Augustino & Thoma doctrinam sancimus, virorum Sanctorum ad gloriam prædestinationem nullam aliam habere, quantum ad Deum, causam, quàm volentis favorem præstare gratuitam in illos propensionem; prædestinationem etenim perinde reputandum, quasi præscientia sit & præparatio gratiarum, ad salutem viam certam paratamque instruentium.

Eo semel posito systemate, salva sunt omnia justitiæ, præscientiæ, misericordiæ, sicut & libertatis humanæ jura. Totam Adami posteritatem in crimine, & corruptione squallentem respiciens Deus, nihilque in illa non odio, non execratione, non æterno supplicio dignum intuitus, puro miserationis affectu certum quemdam eorum numerum ad salutem selegit; cujus rei gratia absolutum ab illo decretum prædestinationis emanavit, parataque certa & infallibilia ad prædestinatos in gloriam perducendos auxilia. Hujus decreti beneficio homo gratiæ cujusdam pellectu, & efficacia liberè in bonum & virtutem propellitur, auxilioque Dei nunquam deserentis fultus, ad finem usque vitæ in bono perseverat.

Quos verò Deus simili beneficio donandos non censet, nec talibus instruit auxiliis, quanquam alioqui sincera Dei voluntate ad salutem poscantur, in transversum tamen à voluntate sua & naturæ corruptione acti, certum sibi & indubitatum parant exitium, non necessitate, sed libera voluntate, originali crimini nova superaddentes scelera, quorum merito æterno se supplicio dignos exhibent. Ita reprobationis decretum in adultis quidem non originale tantùm, sed actualia etiam hominis crimina respicit; id agente per summam justitiam Deo, ut criminum merito reprobis valida illa deneget auxilia, quæ nemini præstare tenetur, nec justis nisi gratuito miserationis affectu indulget.

In eam verò inclinari sententiam cogimur solemni illo approbationis elogio, quo Ecclesia S. Augustini

stini in dogmate de prædestinatione & gratia doctrinam commendavit; modò ex verbis S. Doctoris fidei canones dirigens, modò, quod ab Ecclesiis totius Africæ factum novimus, illum eligens singularem ad Fidem adversùs Pelagianos asserendam Doctorem (1): ut proinde nobis jure meritoque cum eodem Augustino affirmandum censeamus (2), neminem constitutæ ab illo de gratia & prædestinatione doctrinæ repugnare, quin simul & in discrimen fidei suæ venerit. Nemo melius Pelagianorum & Semipelagianorum arcana penetravit; nemo feliciori successu hæresibus illis prostratis Fidei Catholicæ veritatem asseruit, solidis insuper jactis fundamentis, quibus innitamur, si quid forte ea in re controversiæ suscitari contigerit in Ecclesia. Ita à recto itineris tramite nequaquam nos diversuros credimus, si tantum viæ ducem sequamur.

Nec minori assensu doctrinam ejus probarunt Summi Pontifices vel S. Augustino coævi, vel non diu post illum Summum Sacerdotium tenentes, uti Innocentius I. Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Leo Magnus, Gelasius, Hormisdas. Quibus pariter accensendi Pontifices, successu temporis Ecclesiæ clavum tenentes. *Augustinum*, ait Cœlestinus Papa Epist. ad Episc. Galliæ, *sanctissimæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit*. Addit, ejus doctrinæ tantam fuisse apud omnes laudem, ut Romanæ Ecclesiæ Præsules decessores sui inter summos doctrinæ Ecclesiæ Magistros semper habuerint.

Romanæ Ecclesiæ, i.e Catholicæ, sententiam nosse in dogmate de libero arbitrio & gratia si quis velit, ait Hormisdas Epist. ad Possessorem tom. 4. Concil. pag. 1512 adeat Augustini Scripta & maximè libros ad Hilarium & Prosperum (3) Joannes II. Papa Epist. 3. declarat, Ecclesiam Romanam sequi, & tamquam pretiosum aliquod depositum servare doctrinam S. Augustini in dogmate de gratia, juxta decessorum suorum Pontificum Statuta (4).

Alexander VII. in suo Brevi ad Facultatem Lovaniensem sub die 7. Augusti 1660. monet hortaturque, *ut præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum Augustini, & Thomæ inconcussa tutissimaque dogmata sequantur* (5). Tandem Clemens Papa XI. decreto suo sub die 18. Januarii 1704 censura mulsit Librum Gallicum inscriptum: *Vera Ecclesiæ traditio in dogmate de prædestinatione & gratia D. Launoji* [6]; professus insuper, Decessoribus suis S. Augustini Doctoris præcelsam doctrinam magno semper in pretio habitam, *quam toto mentis affectu*, ait, *amplexi sunt vestigiis ejus firmiter inhærentes &c*.

Ad locum Epistolæ ad Romanos (7), cujus occasione Dissertationem hanc nostram dedimus, quod attinet, de prædestinatione aliqua gratuita sermonem ibi ab Apostolo fieri, satis convenit inter Commentatores. Usque adeò tamen certum non est, an de prædestinatione ad gloriam & reprobatione ad æterna supplicia, dicta illa exponantur, vel tantùm de prædestinatione ad gratiam & vocatione ad Fidem. Contendunt plures, solo inspecto Apostoli in universa hac Epistola consilio satis insinuari, omnia hæc de prædestinatione ad gratiam & vocatione ad Fidem, beneficiis prorsus, quantum ex Deo, gratuitis, dicta intelligi oportere. Prædestinationem gratuitam ad gloriam in verbis Apostoli legere se alii autumarunt. Vix tamen ambigimus, quin obliquè saltem Apostolus prædestinationem ad gloriam innuat, cùm veluti necessaria consecutione ex prædestinatione ad gratiam & Fidem deducatur. Hanc utriusque prædestinationis connexionem demonstrat Apostolus ad Rom. 8.30 *Quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, hos & glorificavit*.

(1) August. Epist. 150. *Curam Scripturarum mihi Fratres, & patres mei Coepiscopi duorum Conciliorum Numidiæ & Carthaginis imponere dignitati sunt.* [2] De Dono Persev. c. 19. n. 48. (3) *Quid de libero arbitrio, & gratia Dei Romana, hoc est Catholica sequatur Ecclesia in variis Libris Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum cognosci potest.* (4) *Augustini doctrinam de Gratia secundùm Prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur, & servat Ecclesia.* [5] Vide etiam Breve Innocentii XII. ad Facultatem Theologicam Lovaniensem sub die 6. Februarii 1694. [6] La veritable Tradition de l'Eglise, sur la predestination & la grace, par de Launoy, &c. [7] Rom. 9, 11, 12, 13,

DISSERTATIO
DE CIRCUMCISIONIS EFFECTIBUS.

De origine Circumcisionis in Dissertatione ad Genesim disserentes, demonstravimus ejus invectæ primum Authorem Abrahamum fuisse. De effectibus ejus cæremoniæ agendum modò; ad quem nempe finem Deus ritum illum ordinaverit; & maximè, an Originalis criminis expiationi institutus sit.

Circumcisionis ritus altiùs quàm à Lege Mosaica repetendus; tradidit enim Deus Abrahamo Patriarchæ, atque apud ipsum deinceps ejusque posteros etiam ante latam à Deo Legem obtinuit. Hæc autem Deus Abrahamo injunxit Genes. 17. 10. 11. 12.: *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculum, ut sit in signum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur ..... eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*. His verbis non obscurè Circumcisionis effectus exprimuntur; invexit enim hunc ritum Deus tamquam in monumentum sui cum Abrahamo fœderis.

Fœderis initi pactiones plerumque tabulis marmoreis sive æreis inscribebantur; non semel monumenta publica erecti sunt, quò memoria apud posteros perennaretur; adhibiti testes, quorum assertione de re tota constaret, nihilque inter posteros deinde ambigeretur. Nunc autem Deus fœderis à se initi monumentum manere æternum voluit, non tabulis lapideis vel metallo committens, sed corpori illius, quocum fœdus sancitum est, ac toti deinceps ejus posteritati eorumque mancipiis inscripsit. Ejus autem violati juris reis, nequis unquam talia auderet, exterminium ex universo populo suo solemni protestatione minitatur.

Solemne erat apud Orientales, ut stigmatibus compuncti totos se in Numinis alicujus singularem clientelam & obsequium consecrarent. Mos ille facile ante Abrahami ætatem obtinebat: fortè etiam Abrahami imitatione factum est, ut in alias gentes reciperetur. Illud sanè apud mortales insitum semper fuit, ut suæ erga Numen aliquod religionis indelebilibus expressa characteribus documenta exhiberent. Ita sacris Bacchi initiati cauterio impressam hederaceæ frondis notam præferebant (1); sacris chara-

(1) 3. Macchab. 2, & 2. Macchab. 2, 5. & 14. 33.

characteribus sive in corpore, sive in pulsibus, sive in collo inurebantur; quicumque se religioni Deæ Syriæ addixissent (1). Sunt, ait Philo de Monarchia, qui ad id stultitiæ devenerint, ut omnes sibi præcludunt reditus ad Deum, & pœnitentiam vias, ac totos se Numinum superstitioni addicentes, serviles impietatis notas admittant, cauterio se in carne sua stigmatis urentes, quasi id committentes, ne impietatis suæ memoria ullo unquam tempore deleatur.

Erat itaque Circumcisio indelebile aliquod signum, quo totum Abrahami genus divini Numinis obsequio se penitus addixit; insigne erat populi electi peculiare, quo à cæteris distingueretur; *Genitalia circumcidere instituere, ut diversitate noscantur*, ait Tacitus hist. l. 5. sub init. Fidem suam obstrinxerat Deus, propagandi scilicet Abrahami genus velut stellas Cæli, & arenas maris; commissurum insuper pollicitus, ut in ejus stirpe omnes Tribus terræ benedicerentur. Illud igitur consequebatur, ut genus illud distingueret signo aliquo aperto, omnibusque explorato, quo divinarum promissionum fides illustrius spectaretur. E medio ejusdem populi proditurus erat Messias; quare nunquam gens illa cum cæteris Orbis nationibus admiscenda erat, ne forte Servatoris humani generis origo incerta maneret, & ambigua: *Ne soboles dilecti Abrahami cæteris nationibus misceretur, & paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Israeliticum quodam circumcisionis cauterio annotavit*. Hieron. in Ep. ad Galat. 3.

Itaque de circumcisione sua plurimum gloriabantur Hebræi, apud quos incircumcisi nomen, si quod aliud unquam, invidiosissimum. Probro erat apud illos maximo, si quis in carne sua insigne fœderis cum Domino initi non ostentaret. Summo respiciebant horrore populos incircumcisos, ut quantæ invidiæ erat Judæis circumcisio apud Paganos, tanto pariter contemptui incircumcisio Paganorum apud Judæos. Nulla volebant cum ipsis commercia, nulla connubia, nulla pariter compotationes, & vix salutatione illos dignabantur. *Apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu. Sed adversus omnes alios hostile odium; separati epulis, discreti cubilibus*. Tacit. hist. l. 5. circa initium. Exaggeratum fortè aliquid ea in re apud Paganos; quippè qui fastui, & odio imputabant, quod tantùm ab amore, & studio externæ puritatis repetendum erat. Veriti enim ne quid contraherent maculæ, à commercio se alienigenarum interdicebant. Ita nonnisi exaggeratione quadam Hebræis imputatur apud Juven. Sat. 14. vers. 104.

Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti.
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.

Præter hanc literalem circumcisionis significationem, qua scilicet invectam illam intelligimus, tanquam Judæorum peculiare insigne, morales illi effectus aliqui tribuuntur; revocandi nempe memoriam originis suæ ex Parente; qui eximiæ fidei merito author, & princeps electi generis, & Pater Messiæ constitutus est. Ad hæc, Circumcisio Judæos urgebat, *ut æmuli essent futuræ fidei, & crederent in Jesum, qui Abrahamæ promissus est*. Ambrosiaster in Rom. 4. Ipse pariter Moyses insinuaverat, externam carnis circumcisionem internæ argumentum fuisse (2): *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum*. Idem apud Prophetas traditum: *Omnes gentes habent præputium; omnis autem domus Israel circumcisi sunt corde*, ait Jeremias 9. 26. Corporis circumcisio, ait Philo de circumcisione, & de Migrat. Abraham, sensualium voluptatum, animam in malum pellicientium, præcisionem significat, sed omnium maximè blandas voluptates, & opiniones vanas noxiasque subducendas, retrahendasque imperat.

Quemadmodum autem institutum à Jesu Christo Baptismatis Sacramentum indelebili quodam charactere spiritum obsignat, quo nos & filii Dei constituimur, & in cœtum adlegimur novorum hominum, à crimine segregati, atque ad jura fœderis cum Jesu Christo initi evocati; ita pariter circumcisio carnis stigmate quodam corpus inurit, quo Hebræi divino se famulatui mancipatos profitebantur. Segregabantur pariter ab omnibus circum prophanis gentibus, speciali eo ritu Domino consecrati. Porrò circumcisio typus erat, Baptismus typi hujus veritas. Illa Judæis ad Religionem Domini fores recludebat, ubi semel admissi, in promissiones Domini atque populi electi hæreditatem jure optimo fruebantur. Circumcisione initiati Legis actutum imperio submittebantur (3). Nec cæteræ per orbem Nationes à publica Judaicæ Religionis professione, atque jure promissionibus Domini potiundi excludebantur; ea tamen conditione, si Circumcisione initiatæ, Idololatriæ superstitiones ejurarent; quare illud identidem oggerebatur recens ad fidem conversis Gentilibus à Judæis: *Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari* Act. 15. 1.

Diu pòst Hebræi circumcisione simul & Baptismo toto emergentes corpore, illos initiabant, qui inter Proselytos justitiæ nomen daturi venissent. Docebant, tria exigi oportere ab illis, qui in fœdus Domini admitti postulassent; circumcisionem, baptismum, & oblationem sacrificii (4). Nihil tamen ea de re in Lege expressum; quare traditione tantùm, vetustissima illa tamen, disciplinam illam obtinuisse constat. Curandum verò erat in eo baptismate conferendo, ne aqua tantùm initiandus aspergeretur, neve ad collum usque demergeretur tantummodo; sed id pariter committendum, ut ne minima corporis portio relinqueretur illota, alioqui nullus erat baptismus (5). Semel autem lotos, novo baptismate sive ipsos, sive eorum posteros, etiam apostasiæ reos abluere nefas.

Hujus regenerationis, quæ ex baptismo & circumcisione inducebatur, effectus hi habebantur juxta Rabbinos. 1. Ejus generis Proselyti, cujuscumque antea fuissent sive gentis sive religionis, Hebræorum jure donabantur. Hinc distinctio apud illos, Hebræi è parentibus Hebræis, & simplicis Hebræi. S. Paulus *Hebræum se ex Hebræis & è Tribu Benjamin* (6) profitetur, quòd scilicet à Proselytis, adoptione quadam Hebræis distingueretur. Judæorum quidem vindicare sibi appellationem fas erat Proselytis: non tamen è genere se Judæorum jactare. 2. Ea cæremonia veluti denuò nascebantur, ut tanquam nati tum primùm infantes, & innocentes quodammodo natura nec priores parentes agnoscere ampliùs, nec sanguinis conjunctione sibi devinctos necessarios habere diutiùs sustinerent. Neque id tantùm cum parentibus & necessariis, à Judæorum sacris abhorrentibus servatum, sed ipsis & parentibus & fratribus & filiis quoque; inter Judæos nomen dantibus, nihil habebant Proselyti commune (7); perinde enim reputabantur, ac è Cælo tum primùm delapsi homines. Necessitudinis conjunctione hæredes à successione defuncti Proselyti excludebantur. Eo ventum à nonnullis, ut credant, priorem etiam animam Proselytum dimittere, ut novam recipiat (8).

Hæc Rabbinorum commenta ne retulisse quidem sustineremus, nisi allusione quadam spectata animadverteremus à Scriptura, sicubi sermo occurrat

(1) Lucian. de Dea Syra. (2) Deut. 30. 6. Levit. 26. 41. *Donec erubescat incircumcisa mens eorum*.
(3) Galat. 5. 3. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ Legis faciendæ*.
(4) Gemar. Babylon. ad tit. Jabimoth, c. 4. & tit. Cerithot. c. 2. Maimon. Halac. Isuri Bia, c. 13. &c.
(5) Maimon. Halac. Isuribia, c. 13. & Halac. Micuaoth c. 1, 2. (6) Philipp. 3. 5. Vide & Rom. 11. 1. (7) Vide Gemar. Babyl. ad tit. Jabimoth, c. 2. Maimon. Halac. Jabom. Vechaliza c. 1, & Isuri Bia c. 14. &c. (8) Vide Selden. de Jure Nat. & Gent. l. 2. c. 4. p. 163, 164.

rat de Baptismo Christianorum, atque spirituali è sacro lavacro illo regeneratione. Nec abs re pariter suspicamur, Hebræos plura è Libris N. T. ea de re suffuratos. Huc pertinet illud Jesu Christi ad Nicodemum de regeneratione Joan. 3. 3. 4.: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus. Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci? Respondit Jesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei .... Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Huc etiam illud 2. Cor. 5. 17. *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova.* Et ad Galatas 6. 15. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Et Ephes. 4. 24. *Deponite secundum pristinam conversationem veterem hominem. Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia, & sanctitate veritatis. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis* Galat. 3. 27. *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* Rom. 6. 3. 11.? *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus .... Ita vos existimate, mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo. Pro omnibus mortuus est Christus* 2. Cor. 5. 15., *ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Ita nos ex hoc neminem novimus secundum carnem,*

Hæ loquendi phrases satis cum iis consonant, quibus Judæi circumcisionis & Baptismatis in Proselytis seu veros seu fictos effectus designant: seu fictos, inquam, soli etenim qui Christianorum Baptismate abluuntur, regeneratione quadam reipsa innovantur, atque in novos reformati homines novasque creaturas, veterem exuunt hominem, ut Jesu Christo induantur. Circumcisio & Baptismus Proselytorum eorumque effectus, typus erant Baptismi à Jesu Christo instituti. Utrumque enim inter Sacramenta primas tenent: illud Veteris, hoc novæ Legis; sicut enim circumcisione in populo Dei censebantur homines; ita pariter Baptismo in Fidelium & Filiorum Dei cœtu cooptantur. Circumcisione, juxta veterum quorundam phrasim (1), veluti lorica quadam adversus nefarii Dæmonis ictus muniebantur Hebræi, sicut & Christiani, juxta S. Basilium Exhort. ad Baptismum, Baptismo. Angelus ille, qui Moysi, sive Elizer è Madian venienti occurrit stricto in necem gladio, filio à Sephora initiato Circumcisione repressus est Exod. 4. 24.: neque Dæmon adversus Fideles Baptismate munitos audere quidquam potest, nisi intento in malum Spiritui segnities & iniquitas Fidelium aditum præbeat, viamque veluti sternat.

Ritè collatum Baptismum iterum repetere nefas; nefas pariter & Circumcisionem: quamvis extra Judaismum secti, uti apud Samaritanos, Arabes, Ægyptios, Æthiopes, ad Judæorum sacra transeuntes novæ circumcisioni subderentur; nullam enim ritè dari circumcisionem autumabant Hebræi, nisi Judaicam, qua scilicet initiati in jus promissionum & fœderis Dominici admitterentur. Quicumque igitur apud alios circumcisi ad Judæorum sacra transissent, portio reliqua cuticulæ iis præcidebatur; sive cruoris aliqua gutta è priori circumcisionis cicatrice educta, nova initiati circumcisione habiti sunt (2). Ita in Ecclesia quoque receptum est, ut novo abluantur Baptismate quicumque alio quàm SS. Trinitatis nomine, vel deficiente aliquo maximi momenti ritu, abluti fuerint.

Mira de circumcisione sua prædicant Judæi; in ea enim, qua Proselytum recèns ablutum prosequuntur, oratione precantur (3): *Benedictus sit Rex Mundi, qui nos sanctificasti præceptis tuis, qui nos jussisti Proselytos circumcidere, atque ex illis educere sanguinem fœderis; sine cruore enim fœderis Cœlum & terra non firmarentur, juxta verbum tuum* Jerem 33. 25. *Si pactum meum inter diem & noctem, & leges Cœlo & terra non posui.* Quibus verbis satis demonstrant, omnia à se, conditum nempe, & conservationem universi, circumcisionis observantiæ accepto referri. Defendunt alii, Patres suos in Ægypto è gladio Angeli exterminatoris subductos, non Agni tantùm Paschalis pervigilio ejus diei immolati virtute, sed etiam cruore circumcisionis omnium, quotquot ex Hebræis nati fuerant, liberorum, quorum sanguis eadem ac sanguis Agni die, si fides Judæis, effusus est. Sed circumcisi vespere Judæi, quomodo eadem nocte iter inire potuissent?

Circumcisionem capitali lege præceptam credunt: nec Deus quidem mitius agendum præcipit cum iis, qui octava die circumcisione non initiarentur Genes. 17. 14. Sicut autem morti obnoxios censent incircumcisos, ita vitæ fontem credunt circumcisionem; quare ritum illum administrantes faustis illis vocibus applaudunt: Bene: *bene, bene: Vive in sanguine tuo, vivo.* Ezechiel. 16. 6. Suspicatur quin etiam Maimonides, Deum ipso mortis articulo extinguere animas eorum, qui dum viverent sacramentum illud neglexerant, belluino proinde more spiritum illum efflare. Blandiuntur sibi pariter ex Hebræis quidam (4), cruore circumcisionis penitus satisfactum criminibus sicuti in abcissione præputii abolita crimina mortuorum. Docent alii, Abrahamum ante Inferorum fores excubantem, omnes admittere incircumcisos, excludere verò animas gentilium suorum; nec excludere tantùm, sed & ad Cœlum mittere: Circumcisione etenim illud præstatur, ut & Paradisi recludantur fores, & Deo gratæ animæ afficiantur.

Ante S. Augustinum, Patres nihil de Circumcisione præclarum senserant; quippe qui ejus omnes effectus eò fermè redegerint, ut signum illud datum crederent, quo electus in fœdus Domini populus à cæteris per Orbem gentibus distingueretur. Meliùs de illa S. Augustinus, cæterique ejus doctrinam secuti Patres Latini & Theologi desuderunt, originale crimen Circumcisione remitti, eaque simul in justitiam revocari. Hisce autem rationibus sententiam hanc suam fulciunt.

S. Paulus de Abrahamo Patriarcha statuit Rom. 4. 11.: *Et signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiæ Fidei, quæ est in præputio:* signaculum nempè justitiæ, per Fidem adhuc incircumciso collatæ. Circumcisionem igitur admisit, tanquam signum sanciti cum Deo fœderis: *Ut sit signum fœderis inter me & inter vos* Gen. 17. Ea vero Circumcisio insigna habebatur justitiæ Abrahami; non quasi justitiam externus ille ritus contulisset, sed exceptam jam fidei merito, externo veluti indicio prodebat. Quare unicum justitiæ hujus momentum non in Circumcisione reponendum erat; sed in virtute Fidei Mediatoris, quam Circumcisione Judæi profitebantur (5). *Eadem Fides Mediatoris Christi salvos faciebat justos omnes tam pusillos quam magnos.* Alterum Sententiæ suæ argumentum deducit S. Augustinus ex ipsis institutæ Circumcisionis Sacri Textus Gen. 17. 14. verbis; *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit octava die, delebitur anima illa de populo*

(1) Origen, l. 5. p. 263. contra Celsum. Vide & Chald. Interpr. in Cant. 3. 8. 9. (2) Gemar. Babyl. ad tit. Jabimoth, c. 4. Maimon, & Maskotzi, &c. Epiphan. l. de ponderibus & mensuris. (3) Vide Maimonid. Halach Milla (4) Vide Mayum Synagog. Jud. l. 16. p. 280. Leo Modea. Theol. Jud. c. 16. p. 563. (5) *Aug. de Nuptiis & Concup. l. 2. c. 11. Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ Fidei, ad significationem purgationis valebat, & parvulis originalis veterisque peccati: sicut & Baptismum ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo est institutum &c.*

populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Absunt verba illa *octava die* in Codicibus Hebraicis; leguntur tamen in Samaritano, & Septuaginta: atque apud Judæos, recens natos infantes octava die circumcidi, juxta illud Gen. 17. 12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*, neminem latere arbitror.

Quomodo autem recens natus Infans, Circumcisione intra dies octo non initiatus exterminandus esset è populo, cùm cognitione destitutus, nec peccaverit, nec peccare unquam potuerit, si maximè voluisset (1)? *Nisi quia etiam parvuli non secundum suæ vitæ proprietatem, sed secundum communem generis humani originem omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt*. Alibi verò idem Augustinus observat (2) Isaacum octo dierum infantem Circumcisione initiatum: eo pariter Sacramento veluti signaculum justitiæ Fidei, tum primum sibi communicatæ, recepisse; quæ justitiæ semina magis deinde magisque fovit, tot præclaris fidei suæ exhibitis speciminibus, quot edere Abrahami filium par erat. Et l. 2. contr. Epist. Petil. cap. 72. *Populus Dei*, ait, *Circumcisionem pro Baptismo habebat*. Addit (3): *Cum parvulus proprium nullum omnino habeat peccatum, restat ut nullum eidem aliud auferatur, nisi originale, illo remedio sine quo perit anima ejus de populo suo: quod sub justo Deo non fieret, nisi esset culpa, qua fieret*. Eadem sæpius in suis Operibus inculcant.

Nec minùs luculenter consonat Augustino Gregorius Moral. Job lib. 4. cap. 3. Distinguit ille tres obtinendæ ante adventum Jesu Christi justitiæ status; justitiæ nempe, quæ in Ecclesia Christi Baptismo confertur. Primò, Fidei parentum merito originale crimen infantibus remittebatur. Secundò adultis expiationi erant sacrificia ab ipsis pro se oblata. Tertio, Judæis è genere Abrahami saluti erat Circumcisionis mysterium: *Quod apud nos valet gratia Baptismatis, hoc egit apud Veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro iis, qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium Circumcisionis*. Probant, & sequuntur eandem doctrinam cum Venerabili Beda in Luc. 1. S. Bernardo, S. Fulgentio, S. Prospero frequenti numero Theologi. (4)

Observant illi tamen in multis Circumcisionem à Baptismo discrepasse. 1. Baptismus excellentiæ suæ merito, quam scilicet passioni Domini accepto refert justificationis gratiam confert: contrà Circumcisio gratiam justificationis largitur, non virtutis suæ privilegio, sed fidei in Passionem Jesu Christi (5), cujus erat & typus, & signum; quicumque enim Circumcisionem in se admitteret, unà simul eo externo ritu profitebatur credere se in futurum Messiam, & in eum pariter implicitam saltem fidei professionem emittebat: suam pariter edebat, & pro se & pro infante, qui infantem ipsum offerebat initiandum. 2. Baptismus Characterem quendam spiritualem, & indelebilem in anima imprimit; Circumcisio tantùm corpus obsignat, atque insigne est fœderis, ad quod initiatus admissus è genuinis Abrahæ filius unus habebatur. 3. Pleniori gratia ditescit Baptismus, quàm Circumcisio; hæc enim Sacramentis novæ Legis præ Veteris est prærogativa, ut facilius, efficaciùs, & largius effectus suos conferant (6). Quare cùm S. Augustinus non semel (7) Circumcisionem loco Baptismi datam fuisse Hebræis asserit, de effectu potissimo, atque principali Baptismatis intelligendus est, nempe de remissione originalis criminis; non de varia dimittendi ratione.

Plura tamen in hanc sententiam, institutæ nempe Circumcisionis in remissionem originalis criminis, objiciuntur. Textus Scripturæ, quos illi fulciendæ adducit S. Augustinus, alterum planè sensum obtinent apud Veteres Patres; nec sanè diffitendum ambiguos esse, nec singulari sensui servire. S. Augustinus autumat illud Scripturæ: *Exterminabitur de populo suo*, de pœna Inferni exponendum; sicut & fœdus illud his verbis insinuatum: *Pactum meum irritum fecit*, sancitum à Deo cum primoribus humanis generis parentibus, pactum exprimit, cujus nos pacti in Adamo prævaricationis rei damnamur. Plures tamen doctissimi Interpretes defendunt, exterminari de populo suo perinde esse, atque capitis pœna, seu violenta & præcipiti morte damnari (8); vel etiam è reliquo Israelitici populi cœtu interdici, omnibus multari gratiis & privilegiis, quibus recepti in fœdus Dei cum Abraham populi donantur.

Sed quisnam è cœtu populi exterminandus? an infans, an alius ad quem infantis cura pertineret? Sunt qui nihil in infante cautum arbitrentur; neque enim in infantis situm esse facultate poterat, sive ut hanc Circumsionis legem cognosceret, sive cognitam in se executioni mandaret. Quando verò lex illa ad infantem spectare defenderetur, esse contendunt ejus districtionis rigorem tandiu suspendendum, quàndiu puer ipse intelligendi atque volendi capax, submittere se Legi sive neglexisset sive contempsisset (9). Malunt alii (10), vindicem illum Legis rigorem in eorum tantùm caput detorqueri, quibus sive à Lege, sive à consuetudine onus impositum esset curandi, ut infans sacramento illo initiaretur, uti parentum, & horum defectu, sanguinis conjunctione magis ad puerum accedentium. Nemo unus ante S. Augustinum exterminium illud de pœna Inferni usurpavit, sicut neque exterminii pœnæ infantem intra octo dies Circumcisione non initiatum subegit. Semper omni ætate Judæi permissum sibi arbitrabantur, ut cæremoniam illam sive valetudinis tuendæ gratia, sive officii, ultra octo illos dies differrent. Nullo vero argumento probatur, Hebræos sive veteres, sive recentiores virtutem remittendi criminis originalis Circumcisionis tribuisse. Illud *octava die*, quod in Textu legit S. Augustinus, neque in Hebræo, neque in Vulgata apparet; ex quo pariter totum Augustini argumentum evanescit.

Adde, voces illas Textus, *Quia pactum meum irritum fecit*, à S. Augustino quidem de pacto Domini cum Adamo, cum primùm in mundum veniret, expositas, de fœdere Dei cum Abrahamo proprio & obvio sensu reddi potuisse. Perinde enim accipienda sunt verba illa, quasi Deus ea se die inire cum Judæis fœdus protestaretur, fidem suam obligans opem se illis præstiturum, immissurumque in hæreditatem Chananitidis, ea conditione; si mares omnes sacro Circumcisionis mysterio initiarent; quare Circumcisionem veluti pignus, & sigillum ejusdem fœderis proponebat; ut quicumque Sacramentum illud neglexisset, ille è cœtu populi segregatus, & a spe promissionum exclusus, veluti pacti fœderis transgressor haberetur. Veram hanc, & genuinam sententiæ hujus expositionem esse, sola Textus lectione abundè intelligimus (11).

Apertissimè tandem constat, sententiam illam,

(1) Aug de Civit. l. 10. cap. 17. (2) Idem l. 4 de Baptismo contra Donatistas c. 24. (3) August. contra Julian. Pelagian. l. 6. c. 7. p. 673. Vide eundem de peccato Originali contra Pelag. & Cælest. c. 30. (4) Vide Perer. in Genes. 17. & in Rom. 4. Disput. 6. Estium, & Cornel. in Genes. 17. Vide Innocent. III. capite Majores &c. Et Prosper. ad Demetriad. Fulgent. l. de Incarnat. c. 15. Bernard. sermone in Cœna Domini, Isidor. Rupert. Hugon. de S. Vict. Petr. Lombard. in 4. Sent. dist. 1. & Scholasticos passim. (5) D. Thomas 3. part. qu. 70. art. 4. *In Circumcisione conferebatur gratia non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute Fidei passionis Christi, cujus signum erat Circumcisio*. (6) August. l. 19. contra Faust. c. 13. *Sacramenta* (novæ Legis) *instituta sunt virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora*. Vide & Epist. olim 118, nunc 54. c. 1. *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit*. (7) August. Epist. olim 57. nunc 187. c. 11. & serm. 151. num. 12. c. 5. nov. Edit. &c. (8) Ita Jarch. Abenezra & Rab. alii. (9) Vide Lyr. & Carth. ad Gen. 17. & alios plures. (10) Pererin. Genes. 17. q. 6. Lyran. Carth. alii, ut Dind. Tarsens. Procop. in Gen. (11) Genes. 17. 4. 5. 6. 9. 10. 11. 12. 13. 14. &c.

quemadmodum in Hebræo & Vulgata præscitur, *Cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur*, (sive abscindetur) *anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*, non infantes, sed adultos, Sacramento illo initiari vel initiandos liberos suos tradere negligentes, ultimo submittere. Quod enim octo dierum infans tanta pœna afficiatur, ut è cœtu populi sui rejectus sit, tanquam pacti fœderis violator, nihil est. Ita quidem satis apposite philosophatus Cardinalis Bellarminus, intentum planè convincit (1).

Alter S. Pauli locus, (2) cujus occasione nos argumentum istud tractandum suscepimus: *Abraham signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio; ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad justitiam*; iste, inquam, locus nihil minùs, quam Circumcisione crimen originale remitti, demonstrat. 1. Sermo est ibidem de Circumcisione Abrahami, cui remittendi originalis criminis virtutem, nisi mendacii Apostolus arguatur, nemo vindicaret. Apostolo enim locupletissimo teste, ante receptam Circumcisionem Abraham à crimine absolutus est, cujus remissionis veluti signaculum in Circumcisione prætulit. 2. Quando verò ad alios Judæos accommodatione quadam extenderetur, non inde tamen probaretur continuò, Circumcisione & gratiam justitiæ in illis produci, & Originale crimen remitti. Nihil enim tale sive Apostolus exprimit, sive in ejus verbis latere doctissimi Interpretes animadvertunt. Origenes in Rom. 4. 11. persuasum habet, Circumcisionem veluti sigillo quodam clausam tegi justitiam Fidei, mox remoto sigillo sub Messia promendam, Theophylactus philosophatur, eo planè modo, quo sigillum actibus & instrumentis auctoritatem affert, ita Circumcisionem in Abrahami corpore impressam, veluti sigillum assertam ostendere coram omnibus ejusdem Patriarchæ justitiam: quo indicio Deus aperuit, quantùm sibi in eo viro placeret. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius super hunc locum scribentes, non obscurè docent, Circumcisione veluti signo quodam receptæ jam per fidem justitiæ Abrahamum donatum fuisse. Nec aliter sentiunt Patres Latini ante S. Augustini ætatem; sicut & gemina tradunt Græci pariter & Latini, ita de Circumcisione philosophati, quasi de insigni quodam distinguendis Judæis à cæteris gentibus, atque futuræ mox sacramenti Baptismi veritatis typo; neque ullam quidquam in illa virtutis supernaturalis expiandi criminis unquam agnoverunt. Sed promenda modò selecta quædam ex illis testimonia.

S. Justinus Martyr in Dial. cum Tryphone docet, ante receptam Circumcisionem Abrahamum fidei suæ in Deum merito largum sibi divinarum benedictionum præmium impetrasse; nec Circumcisionem ideò admisisse, ut ex illa justus efficeretur, sed veluti in signum obtentæ jam à Deo justitiæ. Addit, fœminas à justitia excludendas fuisse, siquidem Circumcisio ad justitiam conferendam valeret, cùm nulla sit fœminarum Circumcisio. Constat autem, ait, Creatoris beneficio in medio constitutam esse justitiam, ut à singulis, quà viris, quà fœminis, perciperetur. Est itaque Circumcisio merum quoddam signaculum, non causa justificationis; neque promerendo nobis Deo nisi pietatem & justitiam conferre censendum est.

S. Irenæus l. 4. c. 3. paria docet, adductis in eam rem Scripturæ testimoniis. Circumcisio universæ Abrahami familiæ data est, qua non tanquam ad justitiam adjumento uterentur, sed tanquam insigni, ut à cæteris Gentibus Israelitæ distinguerentur. Probat id Scriptura Gen. 17. 10. 11. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, ut sit in signum fœderis inter me, & vos*. Eadem docet Ezechiel an. 12. de Sabbatho: *Sabbatha mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos*. Signa igitur erant Circumcisio, & Sabbatum, non vana tamen, & inutilia, sed latenti Dei consilio in rem aliquam disposita. Carnis circumcisio cordis circumcisionem aliam designat, Apostolo teste Coloss. 2. 11. *Circumcisi estis circumcisione non manufacta*. Et Deut. 10. 16. *circumcidite præputium cordis vestri*. Quod autem planè demonstrat, circumcisionem non justificando homini valuisse, sed Judæis distinguendis, illud est, nimirum ante receptam Circumcisionem Abrahamum merito fidei suæ justitiam obtinuisse (3). Hæc S. Irenæus, nihil affirmans, quin simul adductis è Scriptura testimoniis probet.

Tertullianus in Opere adversùs Judæos hoc sibi argumentum solvendum proponit. Nonne Abraham circumcisione initiatus est? Respondet: *Accepit quidem circumcisionem, sed quæ esset in signum illius temporis, non in salutis prærogativam*. Iterum verò opponentibus Judæis exemplum Angeli, qui incircumcisum filium Moysis neci traditurus venerat (4), à quo statim Sephora mater, circumcisione lapideo gladio facta, imminens vitæ discrimen avertit; iterum reponit Tertullianus, vix fieri potuisse, ut Moyses tandiu circumcisionem illam in filio neglexisset, siquidem tantæ necessitatis Sacramentum reputasset. 2. Sephoræ Circumcisione initiare filium suum properantis exemplum, cui in legem universo populo Israel statueretur, nihil esse. 3. Deum, quo tenebatur consilio instituendi Circumcisionem Hebræis, non ut instrumentum parandæ, sed tanquam signum jam paratæ justitiæ, id pariter voluisse, ut in filio Moysis ejus rei monstraretur exemplum, ne arduum sibi quisquam reputaret, quod nec in filio Summi Ducis, & Principis totius gentis omissum spectabat. Quanti ponderis habenda sint hæc Tertulliani argumenta in examen adducere non vacat. Posset optima hæc sententia melioribus fulciri; sed ea teneri opinione Tertullianum, nihil obtinendæ saluti Circumcisionem valere, satis ex his demonstratum arbitror.

S. Chrysostomus in Genes. hom. 39. exponens illud: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum*, his potissimùm rationibus nihil ad salutem conferre Circumcisionem demonstrat. Duo sunt, quæ statuendæ parvulorum Circumcisioni post octo ab editis in lucem diebus apud Deum valuerunt: 1. ut tolerabilior esset ejus ætatis infantibus vulnerum dolor (arbitratur faciliè minori sensu doloris ejus ætatis pueros affici): 2. quo demonstraretur, Circumcisione ad salutem animæ obtinendam nihil conferre, sed ideo datam, ut eo veluti stemmate Judæi à cæteris distinguerentur juxta illud Pauli ad Romanos: *Abraham signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio*. Exuite, ait Paulus, ò Judæi insensati, hanc mentium vestrarum persuasionem, Circumcisione nempe justitiam acquiri. Abraham Fidei suæ merito ante receptam circumcisionem justitiam adeptus est. Hæc Chrysostomus. Gemina fermè habet in Epistolam ad Romanos; eumdemque præceptorem sequuntur Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius.

Probat S. Epiphanius hæres. 30. carnis circumcisionem neque omnibus esse numeris absolutum Sacramentum, nec altiùs surgere, quam ut signum & typum exhibeat, ad altiorem circumcisionis sensum Judæos invitans. Si enim, ait, ritus ille ad justitiam & morum sanctitatem contulisset, sanctissimæ illæ fœminæ V. T. Sara, Rebecca, Lia, Rachel, à cælesti hæreditate & sanctitatis gratia, quemadmodum erant à Circumcisione, excluderentur. Cùm itaque suas obtinuerint in Regno Cælorum sedes, illud pariter constat, ad obtinendam salutem perinde ac nihil valere Circumcisionem.

Hilarius Diaconus in Epistolam ad Romanos sub

(1) Vide Bellarm. lib. 2. de Sacrament. in Genere c. 17. (2) Rom. 4. 11. (3) Genes. 15. 6. Rom. 4. 3. Galat. 3. 6. 1. Macc. 2. 52. Isai. 41. 8. & Judith. 8. 22. Jacob. 2. 23. 4 Exod. 4. 24.

sub S. Ambrosii nomine vulgatus, luculenter asserit: *Non ergo Circumcisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantum*. Abraham præstitæ sibi Deo, filium pollicenti, fidei merito Circumcisionem obtinuit, tamquam signum vel argumentum justitiæ, quam sibi fide jam promeruerat. Eodem signo donati sunt Israelitæ, quo scilicet revocarent in memoriam genus se referre ex Abrahamo, viro fidei spectatæ, cujus proinde virtutem & observantiam sibi imitatione referendam proponerent, credentes in Messiam Abrahamo promissum, & Isaaci typicis natalitiis expressum.

S. Joannes Damascenus de fide orthodoxa l. 4. c. 25., quem virum reputant locupletissimum sententiarum totius Græcæ Ecclesiæ testem, atque doctrinæ præcedentium Patrum custodem fidissimum, S. Joannes Damascenus, inquam, cap. 25. docet, Abrahamum post receptas primò Dei benedictiones & promissiones, Circumcisionis insigne obtinuisse, quò genus illius & familia à cæteris per orbem nationibus distingueretur; cujus rei, Circumcisionem nempe non nisi ad distinguendos Judæos ab Idololatris datam fuisse, documentum esse dicit quòd, Hebræorum filii solidis 40. itineris per desertum annis nulla Circumcisione initiati sunt. Cùm enim soli per desertum graderentur Hebræi, cur signo alieno à cæteris gentibus distinguerentur, nihil erat. Transgressi demum Jordanem, & regionem variis occupatam gentibus penetraturi, circumcidi ad unum jussi sunt omnes; quæ Circumcisio secunda appellata est. Vide Josue 5. 2. 3. 4. & &c.. Addit, Circumcisionem in eo potissimùm Baptismum referre, quòd superflua carnia amputaret, atque Judæum distingueret à pagano; quemadmodum Baptismus vitia cordis rescindit, atque ab Infidelibus distinguit Fideles.

S. Hieronymus l. 2. in Epist. ad Galat., inter Patres Latinos iisdem ferè rationibus datam Judæis circumcisionem, ut ea veluti tessera à cæteris distinguerentur, demonstrat. *Gregem Israeliticum quadam circumcisionis cauterio denotavit, ut viventes inter Ægyptios, inter Assyrios, Babylonios, atque Chaldæos hoc signaculo distinguerentur*. Addit, toto itineris per desertum 40. annorum spatio dilatam fuisse eam cæremoniam, quòd scilicet nullo cæterarum gentium commercio Hebræi implicarentur; sed *statim ut in Palæstina terram Judæum se examen effudit, circumcisio necessaria futuro ex commixtione gentium providit errori*. Tandem Pererius in Rom. 4. Disp. 5. & Estius in Rom 14. 12. conveniunt, vix unum aliquem reperiri ante S. Augustinum qui remittendi originalis criminis virtutem circumcisioni tribuerit. S. Gregorius Nazianzenus Orat. in S. Baptisma docet quidem, vitæ discrimine laborantes pueros Baptismo initiari octava nativitatis die posse, quemadmodum octava pariter die nati liberi Hebræorum circumcidebantur; quibus verbis parem in circumcisione ac in Baptismo virtutem agnoscere visus est. Sed hæc nimis longè ducitur consequutio, & obscurior est S. Doctoris textus, quàm ut apertissimis aliorum opponatur.

Quanquam si una Patrum Græcorum authoritate sententia illa fulciretur, momenti aliquid in contrarium faceret S. Augustini sententia, in quam vulgò apud Ecclesiam Latinam concessum est; sed authoritati accedit ratio, cui vix aliquid reponeretur. Demonstrant Patres illi, nunquam fieri potuisse, ut Circumcisio delendi originalis criminis in Sacramentum destinaretur, nec enim alioqui satis cum fœminis provisum fuisset: Sapientiæ nimirum est Dei, ut communi utriusque sexus malo communi remedio succurrat. In quibus Scripturæ Textibus mandatum de circumcisione traditur, nullus unquam de re tanti momenti est sermo; neque Judæis unquam succurrit, ut tantum de circumcisione sibi data præsumerent. Quis, rogo, in animum inducat, fieri potuisse, ut à Moyse toto 40. annorum spatio negligeretur inter Hebræos circumcisio? Quot enim tam longo temporis intervallo e vivis excessisse credendi sunt, sub ipsis Legislatoris oculis, quos æternùm cruciandos incuria sua tradidisset, quippe quibus originalis criminis noxam omissa circumcisione demere recusasset?

Cæteri Judæorum nunquam tanta de Circumcisione sua prædicarunt, non Josephus, non Philo, quamquam alioqui horum alter virtutem Circumcisionis pluribus extulerit. Puerorum, qui fato cesserunt, animas constituunt Rabbini in loco quodam deliciarum (1), nullo facto discrimine inter infantes Circumcisione initiatos, cæterosque, qui in ipso matris utero nondum in lucem editi decesserunt. Et unde meliùs, quàm ex Judæis Circumcisionis ab ipsis admissæ effectus disceremus? An fortè admittere illos incognitum aliquod Sacramentum in animum induxerimus, reputantes nihil tale unquam apud eorum Patres succurrisse, quamquam alioqui adeò magni res esset momenti ut nihil supra?

In ipso instituendæ Circumcisionis articulo Dominus destinare se dixit insigne vel sigillum fœderis initi cum Abrahamo Genes 17. 11.; quod spectans Apostolus Rom. 4. 11. disertè asserit, Circumcisionem sigillum esse justitiæ, quam sibi Abraham fidei merito ante ipsam Circumcisionem comparaverat. Docet pariter Rom. 2. 25. circumcisionem juvare quidem religiosos Legis observatores, refractariis nihil profuturam. Profectò si remittendi criminis originalis singularem agnoscamus in Circumcisione virtutem, etiam sine Lege proderit sanè multum. Ad hæc nihil Circumcisio Baptismo concederet, si una esset utriusque virtus, criminis nempe remittendi & gratiæ conferendæ. Hoc autem inter sacramenta utriusque Legis discrimen constituunt Concilia, Florentinum in Decret. Eugen. ad Armen. & Tridentinum sess. 7. can. 2. 6. 8. *Hæc non causabant gratiam, sed solùm per passionem Christi dandam figurabant; nostra verò Sacramenta & continent gratiam, & dignè suscipientibus eam conferunt*. Siquid verò gratiæ à veteribus Sacramentis dabatur, id non Sacramentorum efficacitati, sed eorum, à quibus reciperentur, dispositioni & merito accepto erat referendum; quare ut phrasi Scholarum utamur, gratiam causabant, non *ex opere operato* (2), quemadmodum nova Legis Sacramenta, sed *ex opere*, ut aiunt, *operantis*.

Quamvis autem vulgò Scholastici Commentatores in Augustini & Gregorii Magni sententiam concedentes autumaverint, originale crimen piaculo Circumcisionis deleri; alia tamen sedit pluribus aliis Theologorum opinio, ratis cum Græcis & Latinis vetustissimis Patribus nihil in Circumcisione agnoscendum, quàm merum aliquod signum, nullam habens remittendi criminis efficacitatem. Id sibi disertissimè asserendum suscepit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Sacramene in gener. cap. 16. 17. (3), Sasbout in cap. 4. Epist. Rom Stapletonius (4), Sylvius (5), S. Thomas (6), aliique plures ejus Interpretes, docentes originale crimen Circumcisione non nisi ex obliquo & ex consequenti remitti; quòd enim deleretur, in causa fuisse fidem, atque meritum illius, qui se Circumcisione initiandum traderet; quorum sanè sententia æquior nobis probatur.

(1) Vide Manasse Ben-Israel l. 2. de resurrectione mortuorum c. 12. ex l. Zohar; & Talmud tract. Sanhedrin c. 11. & Gemar. Ketuboth c. 12. (2) Vide Concil. Trident. sess. 7. Canon. 8. (3) Vide & Vasquez in 1. 2. disp. 130. cap. 2. (4) Stapleton. Antidot. Apostolic. contra Hæreticos in Epist. ad Rom 4 (5) Sylvius in D. Thom. 3. partem qu. 70. art. 4. (6) D. Thomas. 3. part. & in Rom. 4. & in 2. part. qu. 62. art. 6.

DISSERTATIO
AN GENTILES,
Quibus neque de Lege Moysis, neque de Evangelio aliquid innotuit, salutem obtinere potuerint.

CUM de æterna salute & damnatione A judicium ferendum est, nulli parcendum cautioni autumamus. Qua enim laboramus ignoratione abditissimorum sapientiæ pariter & misericordiæ divinæ consiliorum, nonnisi per summam audaciam certi aliquid de viis Domini asserendum esset. Obstinatum licet in malo cor nullo potest negotio Divinæ gratiæ suæ efficacitate lenire, pro libero suæ voluntatis arbitrio uno potest momento cor lapideum in carneum transmutare, indomita rebellium colla sub amoris & gratiæ jugum redigere? Quis furem è cruce in Paradisum uno eodemque temporis articulo transtulit?

B Cum itaque discutiendum nobis suscipimus, an Gentiles, quos sive Judæorum Lex, sive Evangelium æquè latebant, quamquam alioquin Deum noscerent, atque naturæ lumine justitiæ tramitem dispicientes, rectam virtutis viam tenuisse hominibus visi sunt, salutem justitię suę virtute obtinuerint; nullum nos limitem divinæ misericordiæ præscribere, neque latentium divinorum consiliorum atque judiciorum abyssum scrutari audemus, sed disputationem hanc nostram totam redigendam volumus ad normam eorum, quæ Deus ipse in Scriptura revelavit, docuerunt Patres: an scilicet, juxta consuetam Divinæ Providentiæ rationem, omni remoto subitæ resipiscentiæ per Dei gratiam facta, C atque justificationis ipso mortis articulo obtentæ prodigio, accidisse potuerit, ut Gentes, quibus nihil cognitum de Lege naturali ac Deo, nisi si quid incerto speculativæ cognitionis lumine dispicere valuerant, exactam tamen ad naturalis honestatis regulas vitam composuerunt, probitatis illius suæ merito, quamquam fide supernaturali & gratia Jesu Christi destitutæ, æternam salutem obtinuerint.

Occasionem ambigendi præbet Apostolus in ea, quam modò tractamus, Epistola Rom. 1. 19. 20. ita de Gentilium Philosophis disserens. *Veritatem Dei in injustitia detinentes, quia quod notum est Dei, manifestum est illis: Deus enim illis manifestavit. Invi*-D *sibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut sint inexcusabiles: quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. Et cap. 2. 9. &c. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm & Græci: gloria autem honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco. Non enim est acceptio personarum apud Deum. Quicumque enim sine Lege peccaverunt, sine Lege peribunt; & quicumque in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur ...... Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt; ejusmodi legem non habentes* E *ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Et ver. 26. *Si igitur præputium* (Gentilis) *justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? Et judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per literam & circumcisionem prævaricator legis es?*

Ex quibus Pauli verbis duo recta consecutione deducentur. 1. Gentiles & maximè Philosophos, virosque doctissimos tantùm de Deo legibusque nosse, quantum ejus legis transgressæ rei meritò arguantur. 2. Nullum esse personarum discrimen apud Deum, qui Gentiles perinde ac Judæos legibus suis obsequentes habeat acceptos; sicut & damnet reos, si prævaricatores teneat. Sive igitur ideam habeant exactam & distinctam rerum divinarum, quam Judæis Leges Mosaicæ inducunt, sive confusam, quam præbent Gentibus naturalis legis sanctiones, utrique tamen æquè Deo placent displicentque. Quare illud pariter consequi necesse est, Gentiles scilicet solum rationis & luminis naturalis ductum sequentes, ad salutem pervenire.

Ut autem omnis ambigendi ratio tollatur, tria Paganorum genera distinguenda sunt. Primum eorum, qui sive ante, sive post rogatam à Moyse Legem, veram tenentes religionem, atque in Deum ejusque promissiones fidem, spem tandem in merita Liberatoris & Messiæ, ad legis naturalis normam vitam instituerunt, quemadmodum memoriæ proditum est de Abele, Sethn, Noe, Abrahamo, Melchisedecho, Jobo, & de aliis facile simile ferri possit judicium, qui scilicet nullo Scriptarum legum præsidio, omnia tamen justitiæ & pietatis in Deum atq; homines officia impleverunt.

Secundum genus tenent ii, qui in medio Paganici erroris versantes, nulla veræ religionis idea instructi, adeò tamen ingenio valuerunt, ut ejus unius ope in cognitionem unius Dei atque officiorum in ipsum ab hominibus exhibendorum venirent; tum & vitam instituerent ad omnes justitiæ & naturæ leges compositam.

Tertii tandem sunt generis Idololatræ, qui nihil à se corruptionis ducentes alienum, Paganismum veluti plenis scyphis hauserunt, nihil de Numinis, nihil de naturalis legis cognitione solliciti; vel si mavis, eorum notitia abusi, bonæ indolis semina criminibus opprimentes. Perditos hosce salvare nemini unquam succurrit, nisi fortè Origeni (1), qui præpostera sanè pietate, Dei misericordis clementiam extendit in criminosos quoscumque, ne exceptis quidem Angelis perduellibus; ratus post exactam plurium annorum in Infernis periodum, eam tandem impetraturos felicitatem, quam Jesus Christus merito Sanguinis sui mundo obtinuit universo.

Persuasum est pariter omnibus (2) primi generis Paganos salutem obtinuisse, veluti pietatis & justitiæ, quam impensè coluerunt, retributionem. Quæstionis igitur status in secundi generis Paganis constitutus est; an scilicet illi salutem obtinuerint; qua de re varia apud Patres.

Certum habuerunt quidam, Gentiles, nec Dei cognitione, nec institutæ ad legis naturalis normam vitæ merito destitutos salutem obtinuisse. Putarunt alii Gentiles tandiu in Infernis detentos pœnas luisse, quandiu Jesus Christus ad eos descendens, ad pœnitentiam annunciandam non venit. Prædicanti enim illi fidem adhibentes, ejusdem Dei Filii merito salute tandem æterna donati sunt. Defenderunt tandem alii, neminem dono supernaturalis fidei, spei in Messiam, & luminis gratiæ destitutum pervenire ad salutem potuisse; quæ nos fusiùs in præsentia examinanda suscipimus.

S. Justinus Martyr Apolog. 2. asserit, veteres illos Philosophos, qui rationis normam secuti sunt anticipatione quadam Christianos meritò habitos fuisse; quamquam enim Christum Jesum igno-

(1) Origen. l. 1. de Princip. c. 6. & contra Celsum l. 4 & 8. & in Exod. hom. 6. & in Psal. 36. hom 3. & in Lucam hom. 14. & 24. (2) Vide Aug. de Civit. l. 18. c. 41.

ignorarent, dogmata tamen norant & doctrinam; inter cæteros reputandi è Græcis quidem Socrates, Heraclitus, aliique nonnulli; è Barbaris verò Abraham, Ananias, Azarias, Misael, Elias, aliique plures. S. Clemens Alexandrinus (1) docet, viris illis, qui Christi ætatem præcesserunt, ac quirendæ justificationis duplicem patuisse viam, Legem nempe, & Philosophiam; Philosophia quidem justos effici, vel saltem animum ad justitiam disponi; ea enim tanquam via habebatur, quæ ad justitiam deduceret: conferebat insuper justitiam, quanquam non omnibus numeris absolutam. Addit, Paganos ante Christi adventum satis functos, ipsum Christum sive ex Apostolis ejus aliquem in Infernis præstolatos fuisse, vixque auditæ fidei prædicationi lætos acquievisse, ut ejus obedientiæ merito salutem obtinuerint. Spectat eo loci vir Sanctus ad illud 1. Petri 3. 19. *Jesus Christus, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, spiritus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando.*

S. Chrysostomus Hom. 39 in Matth. asseruit, Gentiles, qui Christi ætatem præcesserunt, salutem obtinere potuisse, absque prævia ejus confessione; neque enim in Messiam fides ante ejus adventum exigeretur. Illud igitur ab hominibus hisce postulabatur, ut rejecto Idolorum cultu, se se in unius Dei clientelam assererent, unicum illum rerum omnium agnoscerent Creatorem &c. Et paulò infra docet, eos, qui venturi in mundum Messiæ ne levem quidem admiserant suspicionem, si rejecta idololatria, ad cultum unici & solius Numinis sese contulissent, composita ad recti normam vita ad cælestem felicitatem aspirare cum electis potuisse, juxta illud S. Pauli ad Rom. 2. 10. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum* (2).

S. Augustinus de Genes. ad lit. lib. 12. cap. 33. fatetur (3), Jesu Christi animam ad inferna penetrasse; nempe, ut ipse paulò post exponit, ad locа torquendis impiorum spiritibus destinata; ibique in vinculis detentas, quas tamen maximè di gnas tanto dono judicaverat, solvisse; quam in tem exponit illud Act. 2. 24. *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* S. Epiphanius Hær. 46. tradit, Jesum Christum ideò ad inferna descendisse, ut in libertatem vindicaret eos, qui Deum quidem semel noverant, sed pluribus admissis erroribus in loco tormentorum cruciabantur. Quibus verbis satis apertè insinuantur Philosophi, qui Deum juxta Apostoli phrasim Rom. 1. 21. noverunt: *Sed non sicut Deum glorificaverunt, & evanuerunt in cogitationibus suis.* Marcio apud S. Epiphanium Hæres. 42. defendit, Jesum Christum eo venisse, ut insultaret Deo Judæorum, Legi, & Prophetis, salvaret autem Cain, Core, Dathan, Abiron, & Esau, cæterasque gentes, quibus Deus Judæorum incognitus; reliquisse verò inter tormenta spiritus Abelis, Henoc, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moysis, Davidis, Salomonis, addictissimos Dei Judæorum cultores. Apage blasphemias, quibus ne fulciendæ quidem singulari quorumdam Patrum opinioni uti audemus. Neque enim Marcionis nomine nisi malum præjudicium sententiæ illi conciliaretur: quare dicta tantummodò hæc de Hæretico volumus, ne quid prætereamus eorum, quæ in hanc quæstionem apud Veteres occurrunt.

Origenes lib. 2. contra Celsum defendit, Spiritum Jesu Christi corpore solutum humanos cæteros spiritus convenisse, quò dociliores mortuorum animas ad fidem converteret. S. Gregorius Nazianzenus de Jesu Christi ad Inferos descensu agens Oratione 42. incertum relinquit, an omnes, nemine excepto, salvaverit, vel eos tantummodo, quibus prædicationibus suis persuaserat: quo in loco Nicetas Philosophus Platonicus hæc adnotat.

Memoriæ proditum est, ait, in historia Patrum de pio quodam Christiano, qui cum in Platonem longa jam ætate defunctum plus nimio invectus, impietatis illum & injustitiæ traduceret, succedenti nocte per quietem eundem Philosophum obvium habuit, maledicta præcedentis diei exprobrantem. Fateor, aiebat ille, me immodicis detineri criminibus; sed Jesu Christo vix apud Inferos prædicanti omnium priorem credidisse me scias. Hilarius Diaconus in Comment. super Epistolam ad Ephesios 4. 8. docet (4), Jesum Christum captivos omnes, qui sive prævaricationis Adami, sive proprii criminis rei in infernis detinebantur, solvisse, & quos prædicationibus suis obsequentes nactus fuit, secum veluti in triumphum ad Paradisum deduxisse. Et in Epistola ad Rom. ita disserit: *Omnis enim quicumque viso Salvatore apud inferos speravit de illo salutem, liberatus est; Petro Apostolo testante, quia & mortuis prædicatus est.*

Author Cælestis Hierarchiæ cap. 9. autumat, SS. Angelos à Deo Principes in Gentes datos, veri Numinis cognitionem & cultum subjectis sibi populis inspirasse; quam plures è Gentilibus Angeli ducta salutem, atque cælestem beatitudinem obtinuisse. Ammonius Presbyter (5) consultus à Cæsario Scholastico, an scilicet Jesus Christus, cùm in infernum venisset, omnes, quicumque eo in carcere detinebantur, asseruisset in libertatem; respondit omnibus, ne Juda quidem excepto, providisse, resolutis omnium vinculis; iis tantùm relictis, qui prædicationibus ipsius pervicaces restitissent. Jobius Monachus in excerptis Photii Cod 222. omnes, quicumque credere in Salvatorem non renuerunt, libertati restitutos, cùm Jesus Christus ad inferos descendit, asseruit.

Laudatur tanquam ejus sententiæ assertor S. Joannes Damascenus Orat. *de iis qui in Fide dormierunt;* ubi refert exemplum Falconillæ, ex Inferni suppliciis precibus S. Theclæ liberatæ; quod pariter in vetustis precationum in honorem S. Theclæ formulis recurrit (6). Meminit etiam idem vir Sanctus calvariæ viri cujusdam Pagani, interrogationibus S. Macarii respondentis, Virorum Sanctorum precibus, animas sociorum suorum in Inferno solamine quodam aspergi. In ea tandem Oratione, sicut & in aliis pluribus vetustis Libris, occurrit historia liberati ex Inferni pœnis Trajani Imperatoris, S. Gregorio Papa rogante (7). Docet etiam, Jesum Christum, cùm ad inferos descendisset, fidei & justificationis donum impertitum fuisse iis, quos fortè eo loci invenit, viris frugi & modestis; neque enim clementissimus Deus suo præmio destitui voluit tam multa sanctissime à Viris illis gesta.

Inter Recentiores Ambrosius Catharinus in Epist. ad Rom. cap. 2. Erasmus, aliique nonnulli saluti Philosophorum Gentilium favisse plurimum visi sunt. Philosophorum, inquam, quorum vita adeò cum Lege & Evangelio congruebat, ut unius ejusdemque spiritus utraque opus viderentur. Adeò vero admiratione Socratis arreptus est Erasmus, ut diceret: *Parùm abest ut dicam: Sancte Socrate ora pro me.*

Tostatus Episcopus Abulensis in Gen. 17. defendit, Gentiles, quos laudabilis vitæ probitas ornabat, nihilque non expressum ad normam naturalis legis habebant in moribus, nullum præbuerunt Idolis cultum, sed unius Dei singularitatem norant, Dei, inquam, præmia justis conferentis, probitatis suæ merito salutem obtinuisse, quamquam nihil

 sive

(1) Clemen. Alexand. L. 6. Strom. p. 637. 638. 639. & Strom. l. 1. p. 319. (2) Vide Chrysost. p. 432. cap. 3.
(3) *Christi quidem animam venisse usque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, ut eos solveret à tormentis, quos esse solvendos occulta nobis sua justitia judicabat, non immeritò creditur.* (4) *Expoliavit Inferos, cùm captivos, quos ex prævaricatione Adæ, aut proprii captivos peccatis in conditione tenebant, abstulit consentientes sibi, & ascendens inde in Cælos induxit.* (5) Vide Biblioth. Coislini. Cod. 25. p. 76. (6) Apud Grab. Spicileg. PP. t. 1.
(7) EuchOlog c. 96. & alii Libb. Græc. Damasc. loc. citat. p. 588.

sive de Trinitate, sive de cæteris aliis nostræ Reli- A gionis dogmatibus norint. Cùm enim illi justitiam ad exitum usque ita voluerint, ut nullo mortali crimine tenerentur, cùm obirent; in Abrahæ sinu post mortem constituti sunt, ubi nullo doloris sensu tangebantur. Eodem pariter privilegio illos donat, si post commissum crimen nec rejectam Idololatriam, inquinatissimæ vitæ maculas pœnitudine ante mortem eluissent; tunc enim igne Purgatorii, quidquid reliquum esset criminis, post mortem expiasse illos dicit: quam enim vim nostris modò obtinet, eadem semper quacumque demum ætate obtinuit.

Nec Seneca vulgaria, quantum ad morales disci- B plinas attinet, sentire visus est, quorum admiratione nostri quidam Scriptores Christianum Stoicum plenis buccis appellantes, è Philosopho Discipulum S. Pauli reddunt. Fatetur pariter Tertullianus de Anima cap. 20. Senecam in nostras partes sæpè transire: *Seneca sæpe noster*. Eundem Authorem sæpius in Paganos Lactantius; non raro etiam laudat S. Augustinus plura ex ejus libro adversùs superstitiones referens, agnoscens insuper, strenuè Paganicæ superstitionis errorem ab illo impugnari (1). Observat autem idem S. Augustinus, nunquam ab illo laudari Christianos, invidiam suorum motuens, si quid de ipsis boni referret; conscientia verò prohibitum, nequid mali de illis dicere auderet (2). Tan- C dem S. Hieronymus genuinas esse, quæ ferebantur, Senecæ ad S. Paulum Epistolas ratus, eundem Philosophum inter Ecclesiasticos Scriptores recenset.

Judæorum Doctores, quamquam alioqui gentis suæ privilegiorum studiosissimi, fores tamen æternæ beatitudinis pluribus Paganorum reserant. Admittunt enim omnes, quicumque præceptis Noemo datis colla submiserunt (3), videlicet Idola non coluerint, à cæde, adulterio, à maledictis, à nomine Dei violando abstinuerint, ad furta manus non extenderint, pariter abesu viventis cujuscumque animantis temperarint; quibus urgendis præceptis Judicea constituti erant. Hisce Noachidorum præ- D ceptorum legibus subiectis Gentilibus accenset R. Moyses Ægyptius omnes quicumque *Deum* nossent, æqua de ejus divinitate sentirent, ac tandem vitam frugi probamque instituissent, uti Socrates, & Plato. Tandem in Talmud relatum est, quatuor hominum genera à futuri sæculi beatitudine excludenda, videlicet Balaam, Doeg, Achitophel, & Giezi, cæterosque eorum imitatores; ex quo rectâ consuetudine deducunt, cæteris Paganis salva manere omnia (4).

Patrum authoritatem fulciunt hæ potissimùm rationes. Cùm Deus mortales omnes sui, Dei videlicet, commodis genuisset, sicut vicissim Jesus E Christus omnium hominum saluti mortem oppetiisset, quòd ex universo mortalium hominum cœtu pauci tantummodò salutem reipsa obtinuerint, vix ac ne vix quidem intelligeretur. Quantus autem, rogo, electorum esset numerus, exclusis ab eorum consortio Gentilibus, qui Deum nossent, & ad rationis normam vitam instituissent? Quis credat, antediluvianum 1656. annorum spatium modicum illum prædestinatorum numerum implesse quem referente Scriptura legimus? Quis Abrahamo, Melchisedecho, & Jobo coævos plures viros, non dissimilem ab illis vitam morum sanctitate, & Dei cognitione & cultu puram ducentes non statuat? Cur arctiùs F adeò limitibus Dei miseratio claudatur in angustum contracto electorum numero? Maximè pariter ad Dei majestatem spectat, ut beneficia sua in omnes spargens creaturas, omnes ad destinatam sibi felicitatem invitet. Invitat autem, juxta phrasim S. Clementis Alexandrini Strom. lib. 7. Gentiles Philosophia, & naturali illa Religione, quam singulorum cordibus ministerio inferiorum Angelorum insculpsit; invitat Judæos Lege, quam per Angelos superiores, præcone Moyse, rogavit.

Eadem fusiùs lib. 6. Strom. prosecutus, docet, triplici veluti fœdere Deum sibi homines sociasse, suo nempe Gentiles, peculiari Judæos, ac tandem tertio quodam singulari Christianos; à singulis verò, ait, singulari ac distincta religione cultum obtinuit. Dedit Gentilibus Philosophiam, Judæis Legem, ac tandem utrisque in unum conjunctis Ecclesiam composuit, tria veluti fœdera in unum concilians; tria nempe, quæ unius Dei verbo nectuntur atque firmantur. Ita enim sentiendum est, ut quemadmodum Judæis Prophetas constituit, ita pariter suos dederit Gentilibus Prophetas nempe Philosophos. Laudat in eam rem testimonium S. Pauli, cujus tamen verba in Scriptis Canonicis nuspiam leguntur: *Libros Græcorum sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo unum Deum significant, & quæ sunt futura.* Et pag. 637. tamen Apostoli Petri verba refert: *Dicit Petrus Dominum dixisse Apostolis: Egredimini in mundum, ne quis dicat: Non audivimus; nam sicut hoc tempore prædicatio Evangelii ad nos delata est, ita pariter tempore elapso Lex & Prophetæ data sunt Barbaris, & Græcis Philosophia, ut ad Evangelium recipiendum disponerentur.*

Idem prosequens institutum vir sanctus eandem sententiam ex illo Scripturæ probat, quo Jesus Christus prædicasse traditur apud Inferos; asserit autem, Apostolos Præceptoris sui imitatione ad inferna loca venisse, ut inceptum opus tandem absolverent, appellando nempe ad salutem eos, qui nullam veri Dei & Servatoris cognitionem haberent; ex quo factum, ut Jesus Christus ad saniora consilia revocandis Judæis eò veniret; Apostolos verò in Gentium salutem, seu potiùs Jesum Christum ideò descendisse, ut indiscriminatim omnibus prædicaret, ac salutem omnibus, quotquot in ipsum crederent, largiretur. Laudat in eam rem sententiam illam Pastoris (5): *Descenderunt ergo eorum, qui dormierunt, in aquam; sed hi quidem descenderunt viventes, & viventes ascenderunt.* (Hæc de Justis Hebræorum dicta accipe) *Illi autem mortui descenderunt, & vivi ascenderunt.* Quibus verbis Gentiles designantur, ante receptam fidem decedentes; ex infernis tandem adscendentes, merito fidei, prædicatione Jesu Christi sive Apostolorum receptæ, vitam consequuti.

Nihil est, ait ille, inter justos sive Græcos sive Judæos, vel sub Lege vel secùs, discriminis; est enim omnium hominum unus & singularis Deus, qui Patris amore speciali omnes in se credentes complectitur. Sentit autem (6), iniquitatis esse & injustitiæ, si æternis damnentur suppliciis, qui cùm ante Christi adventum è vivis excessissent, nihil de illo subodorati, vitam in ignoratione Messiæ traduxerunt; quam in rem illud velut è Scriptura laudat: *Quæcumque vestrum fecit aliquis in ignoratione, Deum aperte non cognoscens, si ea agnoscens ductus fuerit pœnitentia, ei omnia peccata remittentur.*

Quibus latè discussis, illud tandem concluditur, Gentiles, qui & mentem Dei cognitione illustrarunt, & vitam morum sanctitate probatam duxerunt, salutem tandem impetrare potuisse. Sed æquivocationes demum tollendæ sunt, & apertiùs promendum, quid sit Deum nosse, & vitam laudabilem instituisse. Potest itaque Deus sterili quadam & speculativa contemplatione cognosci, quemadmodum impii & Dæmones Deum, quem noscunt, blasphemant. Potest Deus cognosci solo rationis lumine, uti factum novimus à Philosophorum pluribus; ex creaturis in Creatoris cognitionem venientibus, destitutis tamen illis fide & charitate, vitamque planè agentibus scientiæ suæ oppositam, & vitæ in speciem exactæ decora corrumpentibus, justitiæ & charitati planè adversis criminibus. Cur illi suis hisce contemplationibus atque fucatis probitatis exemplis salutem æternam obtinuerint, nihil est; deerant enim

(1) August. l. 6. de Civit. c. 10. (2) Idem. l. 6. de Civit. c. 11. *Christianos jam tunc Judæis inimicissimos in neutram partem commemorare ausus est, ne vel laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem.* (3) R. Moses, & R. Meyr. Gabay. (4) Vide Menasse Ben Israel. l. 2. c. 9. de Resurr. Mortuor. (5) Ibidem p. 638. (6) Strom. l. 6. pag. 699.

A enim illis, quæ unicè ad salutem requiruntur, Fides, gratia, charitas, & bona opera, quorum si quid desideretur, etiamsi cætera adsint, actum est de adultorum salute.

Viri illi sanctissimi, qui Legem Mosaicam præcesserunt, uti Seth, Noe, Melchisedech, Deum fidei lumine norunt, cognitumque in spiritu & veritate adorarunt, cultu puro & religioso, corde igne charitatis inflammato, & vita ad omnem justitiæ normam composita. Nihil tale de Paganorum Philosophis affirmare, vel suspicari quidem audemus. Fatetur quidem Apostolus, viros illos creaturis inspectis in Dei cognitionem venisse; addit tamen continuò, B illos ipsos viros Deum non tanquam Deum glorificasse, sed evanuisse in cogitationibus suis; vitam pluribus admissis criminibus egisse Dei cognitione indignam: quod ab Apostolo assertum, ex Historiæ fide plus nimio confirmatum est. *Veritatem illi Dei in injustitia detinuerunt*: Rom. 1. 18. ex quo factum, ut vana quadam & sterili maditatione recta viderent, præstiterint sinistra, & quem norant Deum, neque coluerint, neque super omnia amaverint, nec tandem metuendo commendarint. Nunquam illi satis apertè adversùs idololatriam reclamarunt, sed interno mentis conceptu, illam temnentes, externa specie probare visi sunt: unde illud Pauli 1. Cor. 1. 20. 21. *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi?* C *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus sæculi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit Mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.*

Profectò si Philosophi, qui naturali lumine, & ingenii perspicacitate Deum agnoverunt, contemplatione hac sua abusi, alia mente norant, alia opere præstiterunt, Deumque, quem noverant, nunquam precibus suis implorarunt; Deus vicissim illis opem suam naturalem jure meritoque denegavit, retinuit gratias, & interiorem illam lucem, quibus semel denegatis, omnis eorum cognitio vana erat, & ad salutem æternam inutilis. Scimus planè Deum neque impossibilia jubere, neque D miserationis suæ largitates denegare iis, qui Gratiæ auxilio præventi, toto animi nisu efflagitant, quæ supra virtutem suam posita esse cognoscunt (1). Æquè tamen fide certum est, sine fide nunquam fieri ut Deo placeamus (2); hominem solis arbitrii viribus, gratiæ & charitatis ope destitutis, ad salutem admitti nunquam posse (3); speculativam rerum agendarum, atque Dei cognitionem sine probis operibus nihil de se ipsa pro æternitate valere.

Persuasum insuper habemus, Deum, si quid gratiarum Philosophis dare recusavit, id nonnisi summo jure fecisse; indignos se tanto Dei beneficio, sive ingrati animi vitio, sive infidelitate, sive pervicacia E exhibentibus Philosophis. Si tandem æternæ damnationis pœnam subierunt, ejus rei in causa non fuisse subtractam illam beneficiorum copiam, sed crimina, & pravi cordis habitudines, cujus culpa nullam possent obtendere damnationis suæ causationem; quippè qui, sicut Apostolus ait, cùm Deum nossent tanquam bonorum omnium authorem, & pravè factorum ultorem, qui primus est gradus accedentium ad Deum, juxta eundem Apostolum ad Hebr. 11. 7. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*; cum, inquam, Deum nossent, *non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*. Rom. 1. 21.

F Conferat, si quis vult, laudatissimorum Philosophorum vitam cum exactissimæ moralis regulis, & quid præmio æterno dignum offendet? Anne fortè contemptum illum Idolorum, & superstitionis eorum ætate obtinentis? Nemini sanè melius id persuasum, quàm Socrati, Platoni, & Senecæ: nihilo secius tamen Socrates cicutam bibens, nonne apertè dixit, rogandos sibi esse Deos, ut exitum sibi dasent felicem? Et cum animam afflaret, socios rogavit, ut gallum, quem voto Æsculapio promiserant, suo nomine offerrent. Digna ne sunt ista homine, qui in fide unius Dei Judicis vivorum, & mortuorum, in horrore idololatriæ immoritur? Crimini etiam viro datus est perditus puerorum amor (4): jurabat in canes, in quercum, in anatem (5); cum interim Deos Athenarum amaris sarcasmis irrideret. Vitio illi pariter datus cultus nubium, & veteris religionis Athenarum subversio, quam à se invidiam levissimo, ut ajunt, brachio depellit, ac testimonium ea occasione debitum veritati defraudat. Ita vero Philosophum illum traducit Lactantius de falsa Sapientia l. 3 cap. 19. *O hominem scurram, si cavillari voluit religionem; dementem, si hoc serio fecit, ut animal turpissimum pro Deo haberet.*

Xenophon, & Plato ejus Discipuli virum à calumnia atheismi purgaturi demonstrant, sacris illum Numinibus Græcorum litasse, quin & coluisse ipsum, atque alios ad eorum cultum induxisse. In rebus agendis plerumque instinctu illius agebatur, quem Dæmonem suum appellabat: tenebant autem apud Paganos Dæmones, & Genii (6) locum à Diis inferiorem. *Secundum Deos Philosophi Dæmones deputant. Socratis vox est: Si Dæmonium permittat.* Illustre huic Philosopho sapientiæ testimonium tulit Apollinis oraculum: quod sanè vix de Numine crederetur, si Deos omnes Socrates sustulisset (7): *O Apollinem inconsideratum? Sapientiæ testimonium reddit ei viro, qui negabat Deos esse.*

Modo ad Senecam, quem aliqui admirantur tanquam omnigenæ virtutis exemplar, & prototypum. Porrò Seneca Librum superstitionum Paganicarum digessit, cujus insignia aliqua fragmenta servavit S. August. de Civit. lib. 6. cap 10. eorumque lectione intelligimus, absurda omnia superstitiosissimorum rituum sapientem illum Scriptorem relevasse; & postquam singula suis coloribus expressisset, statuisse demum in hæc verba: *Quæ omnia sapiens servabit tamquam legibus jussa, non tamquam Diis grata; atque omnem istam ignobilem Deorum turbam, quam longo ævo longa superstitio congessit, sic adorabimus, ut meminerimus, cultum ejus magis ad morem, quam ad rem pertinere.* Ita magnus ille Senator & Philosophus Romanus Numina illa externa religionis specie colebat, quæ intimo mentis conceptu temnebat; & quam intus apud se execrabatur, superstitionem, suo interim exemplo fulciebat confirmabatque.

Nonne pariter Apostolus omnibus æquè Philosophis vitio vertit (8), quod prudentes scientesque errorem sectari, nullam criminis sui causationem obtendere potuerint; quippè qui Deo, quem nossent, cultum impendere, debitas illi actiones gratiarum agere recusassent; sed erraticæ mentis ludibriis rapti, in veram dementiam incidissent, tunc maximè quod majorem de se opinionem sapientiæ ingerere volebant. Ejus rei merito à Deo, voluptatum ac passionum suarum præda relicti, eò abrepti sunt, unde natura ipsa maximè resurgeret. Scitum est, quàm in rebus Juliæ Augustæ de adulterio aliisque criminibus delatæ Seneca implicaretur (9); sicut & probrosissima crimina, quæ ipse Neroni instillasset, eidem Philosopho vitio vertit Dio (10). Strenuè licèt in divitias idem Philosophus decertaret, locupletem tamen gazam possidebat, quam brevi tempore collectam, in dies fœnoribus immodicis augebat (11).

Nec meliora facilè spectarentur in cæteris Philosophis

(1) Conc. Trid. sess. 6. c. 11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Vide & Conc. Arausican. 2. c. 25. (2) Hebr. 11. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* (3) Vide Petav. in cap. 1. Rom. disp. 17. (4) Juvenal. Satyr. 2. *Inter Socraticos notissima fossa Cinædos.* Vide Menag. not. in Laert. l. 2. Monogr. 1. 8. (5) Tertull. Apologet. & l. 1. ad Nationes. (6) Tertull. Apolog. (7) Tertull. ibid. (8) Rom. 1. 20. 28. (9) Tacit. Annal. 12. c. 8. Sueton. in Claudio 1. 29. (10) Dio l. 61. & in Excerptis Vales. p. 685. (11) Dio in Excerptis Vales. p. 686. Tacit. Annal. l. 13. c. 41.

sophia Græcis, Ægyptiis, Chaldæis, & Indis, siquidem gesta ab illis omnia in medium ferentur. Singuli prorsus illi æternam sibi damnationem induxerunt, sive Idololatria, sive infidelitate, vel simulatione, sive altero aliquo admisso crimine. Quod tantùm fide & charitate destituerentur, id satis superque habebatur, cur à Cœlorum Regno perpetuò ablegarentur. Vidimus in superioribus, in ea quidem fuisse opinione S. Chrysostomum hom. 37. in Matth. nulla adactos necessitate Gentiles, qui Christum præcesserunt, ut in Messiam crederent, sed omnia illis salva futura, si errori, & Idololatriæ tantùm renunciantes, Deum nossent, colerentque, ac vitam ad rationis normam componerent. Verùm S. Augustinus, cui Theologi omnes post Apostolum adstipulantur (1), nunquam fieri posse defendit, ut ad salutem quis admitatur sine fide in Jesum Christum, nempè absque supernaturali illo lumine, quo credenda pariter & agenda non demonstrantur tantùm, sed & ad veritates demonstratas homines invitantur: neque satis esse in Deum tantùm credere, sed oportere simul, ut fides in Jesum Christum teneatur, juxta illud Scripturæ (2): *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*.

Fatemur quidem, non omnibus æquè Theologis eam sedere opinionem, fidem nempè in Messiam explicitam unicè esse ad salutem momenti; sunt enim, qui fide tantùm implicita salvari Gentiles potuisse defendant (3), eam rationem ineuntes conciliandi inter se S. Chrysostomum cum S. Augustino; quorum hic necessariam esse ad obtinendam salutem fidem in Servatorem affirmavit, negavit alter. Itaque S. Chrysostomus explicitam, uti vocant, fidem à Paganis non exigit, sed tantùm implicitam, qua nempè in Deum crederent, Authorem, & Reparatorem generis humani, Reparatorem nempè ea ratione, ordine, & tempore, quo ipse latentis providentiæ suæ consilio proposuisset.

Qui vero ex Patribus defenderunt, Jesum Christum, & Apostolos ad Inferna loca descendentes Philosophis & Paganis quàm pluribus, nec frustrà, prædicasse, quibus docilitatis suæ merito, æternæ vitæ præmium contigisse; illi planè nunquam in eam venissent opinionem, nisi ea posita veritate, quam nos supra constituimus, nimirum absque fide in Jesum Christum nemini æternæ vitæ fores reserari. Hæc cogitantibus fucum faciebat textus quidam Epistolæ S. Petri; & aliter Libri Pastoris. Illud tanquam certum sibi constituebant, Jesum Christum salvandis omnibus quà Judæis quà Paganis venisse; nec poterant in animum inducere, alios à Regno Dei excludi, quàm qui annunciatæ veritati aures volentes prudentesque occlusissent. Ex quo illud pariter reputabant, omnes, quicumque ante adventum decessissent, nunquam à salute excludendos fuisse, cùm præsertim vitam ad rationis normam direxissent. Maximè autem ad rem esse arbitrabantur, si Jesum Christum, qui viventibus fidem annunciaverat, mortuos pariter non neglexisse autumarent. Facilè pariter aliqui in eam venerant opinionem, quòd commodiorem arbitrarentur conciliandis Paganorum animis, quibus ingratè accidisset, si credere cogerentur, Philosophos, quorum maximè virtutem & doctrinam suspiciebant, sine spe veniæ damnari. Maluerunt proinde in vitam æternam illos admittere, ad partes Jesu Christi transferentes, sive quando mortalem adhuc vitam agerent, defendentes, quæcumque Philosophi vera sentirent, hausisse è veritate & ratione æterna, nempè Christo Jesu, uti S. Justino visum; sive post mortem statuentes, Jesu Christo vel Apostolis in Infernis prædicantibus victas manus dedisse: quod S. Clementi Alexandri-

A no, Origeni, Nicetæ, Jobio, aliisque nonnullis assertum est.

Sed utraque hæc opinio æquè rejicitur; neque enim reputari potest, Gentiles, de quibus in præsentia sermo, palam in Deum credidisse, quem non nisi obscurè, quantum naturali lumine permissum est, norant: omnia illis incognita, sive quæ ad vulnus ab originali crimine inflictum, sive quæ ad necessitatem Reparatoris pertinent. Cum de ærumnis atque imbecillitate hominum agendum esset, nemo illis meliùs disseruit; nemo pariter absurda Idololatriæ apertiùs propalavit: sed cùm ad quærendum animæ languentis remedium in Servatore, vero illo animarum Medico ventum est, B eque omnes aberrant. Audaces & superbi tantum se habere virium & scientiæ præsumebant, quantum vitiis excludendis valeret, seque à passionum impetu in tutum reponerent. Quis unquam vidit Philosophos pectus plangentes, orantesque, criminum suorum coram Deo exomologesim habere, imbecillitatem suam plorare, spem in ipsum suam reponere, & quidquid in se boni esset, accepto illi referre. Quis unquam, ait quidam Philosophus, de virtute sua grates Diis egit (4)? Aguntur illis quidem grates de acceptis divitiis, oris venustate, cæterisque C exterioribus donis, sed propriè singuli virtutis authores sumus. *Det vitam, det opes; æquum mi animum ipse parabo* Horat. Epist. 18. l. 1. En Philosophiæ Paganicæ indolem: en Philosophorum tumor & superbia. Sapiens ille est, *qui est totus aptus ex sese, quique in se uno sua ponit omnia* (5). Hæc de se Stoicus Philosophus: *Sapiens uno minor est Jove*, Horat. Epist. 1. l. 1.

Origenes in suo Commentario in Matth. Hom. 4. asseruerat, S. Joannem Baptistam duos ex Discipulis suis ad Jesum Christum misisse, postulatum, an idem ipse esset, quem tantis votis Judæi expecta- D verant; quod à sancto viro, ait, non tanquam de veritate ambigente factum est, sed ut majori persuasione veritatem illam posset apud Inferos annunciare (6). In suo vero Commentario in 1. Reg. asserit luculenter, S. Joannem Baptistam ad Inferos descendisse, ut anticipatione quadam Jesum annuncians, eos simul venturum prædiceret. Ex in Commentario in Matth. tom. 12. docet, Moysem & Eliam post colloquium cum Jesu Christo in ejus Transfiguratione, pristinas Inferorum sedes repetentes, lætum ad suos detulisse nuntium, simulque omnia, quæ à Jesu Christo audierant, iis exposuisse, quos E tempore Passionis Christi è captivitate redimendos norant. Hanc opinionem, suppresso Authoris nomine, de ridiculo agit S. Chrysostomus; demonstrans, toto quidem vitæ hujus spatio merendi sive demerendi facultatem singulis permitti: sed post obitum nemini resipiscendi manere potestatem; unicuique enim post obitum pro vitæ merito sive præmia restant, vel supplicia. Profectò si Jesus Christus ad Inferna prædicandæ impiis veniæ descendisset, omnibus ad unum persuasisset. Si infidelibus post obitum veniæ spes aliqua relicta est, nemo sanè novissima saltem die peribit; omnes enim genua coram Judice flectent, parati judicium om- F ne subire. Intimo quidem criminum suorum dolore tangentur; sed frustra illi, cogentur enim, vel inviti ad lacrymas & ejulatus.

Porrò hæc S. Chrysostomi momenta æquè valent adversùs Origenem, cæterosque omnes, qui Paganis Philosophis post obitum salutis spem factam in prædicationibus Jesu Christi vel Apostolorum tuentur: Sive enim S. Joannes Baptista, sive Jesus Christus, sive S. Petrus, sive alius quicumque Evangelium illis annunciaverit, æquè tamen impossibile est, aliquem ex iis, qui in Infernis torquebantur, potuisse annunciatis sibi veritatibus non acquievisse; maximè post tolerata tam longa supplicia, quæ

incre-

(1) Augus. Epist olim 157 ad Optatum, nunc 190. item Epist. olim 89 nunc 157. item l. de Nat. & Grat. c. 44. & l. 2. de Peccator. remiss. c. 9. n. 29. (2) Act. 4. 12. (3) Vide Perer. Disput. 18. in cap. 1. Ep. ad Rom.
(4) Cicer. l. 3. de Nat. Deorum. (5) Paradox. 2. Cicero. (6) Vide nostr. Comment. in Matth. 11. 3.

incredulæ pervicaciæ luæ merito subjissent, & post exploratam in se veritatem eorum, quæ sibi ab Evangelicis illis Præconibus annunciarentur, nempe immortalitatis animæ, suppliciorum & pœnarum alterius vitæ: quæ qui sem hominibus in hac vita degentibus ægrè persuaderentur, facilè tamen nulloque negocio iis, qui in altera vita tormentis addicti sunt, & è mortuis resurgente Iesu, ipsis oculis intuentur. Iam inde ergo a pluribus fæcutis incolis destituerentur inferna loca, incolis, inquam, ab ipso mundi exordio, illic degentibus, siquidem post obitum illis via resipiscendi esse potuisset. Scitè autem observat idem S. Chrysostomus hom. 37. insinuatam à Iesu Christo eam veritatem, nimirum ad exitum usque mundi futuros in Inferno impios Abrahamo pene coævos; prædicit enim Iesus Christus Matt. 11. 21. tolerabilius futurum extrema die judicium Tyriis, Sidoniis, Sodomæ, & Gomorrhæ, quàm Corozaim, Bethsaidæ, & Capharnaum, qui omnem sibi ad salutem aditum, opemque volentes prudentesque præcluserant.

Cum vero S. Augustinus (1) supra à nobis laudatus docuit, Iesum Christum ad inferna loci, ubi nempe impiorum animæ torquebantur, descendisse, atque inde omnes, quoscumque aptos secundùm justitiæ suæ leges norat, eduxisse, nunquam planè S. Doctori succurrit, Inferni illum fores reclusisse iis, qui nunquam in Deum credidissent, vel speculativa tantum illum nossent cognitione, qua nec ad cultum Deo præstandum, nec ad referendas gratias inducerentur: alioqui enim ipse sibi S. Doctor, sicut & Apostolo Paulo, adversaretur. Quare illud tantummodo insinuatum est ab illo, inter eos, qui suppliciis detinebantur, suppliciis, inquam, quæ Purgatorii diceremus, aliquos deprehendisse, qui debitas criminibus suis pœnas jam luissent, eosque proinde veluti jam expiatos secum deduxisse, æterna Beatitudine pro virtutum merito donandos. Hebræi erant imbecilliores, qui nondum ad purum eluta criminum macula ex hac vita decesserant, vel si mavis, Gentiles, qui Deum norant quidem, sed rudiori adhuc fide infirmiores, vel saltem levioribus aspersi criminibus tormentis alterius vitæ cruciabantur.

Significat autem, se, siquidem indulgentioris naturæ indolem sequi voluisset, in eam inclinaturum sententiam, quæ æquior esset Philosophis illis, qui Deum nossent, & idololatriæ fuissent aversati; retrahi se tamen ab ea opinione, quod constitutis à se principiis repugnaret: *Si omnes omnino dixerimus tunc esse liberatos, qui illic inventi sunt, quis non gratuletur, si hoc possimus ostendere? Præsertim propter quosdam, qui nobis literario labore suo familiariter innotuerunt, quorum eloquium ingeniumque miramur.* Addit deinde, vix fieri posse, ut solertiùs discussa singulorum vita, purum aliquid à fastu & inanis gloriolæ ambitu deprehendatur: ex quo totum proborum operum meritum ita corrumpitur, ut quanto indulgentioris animi indole in salutem Philosophorum ferremur, tanto pariter ab opinione justitiæ divinæ retraheremur. *Verumtamen quadam indole animi ita delectant, ut eos, in quibus hæc fuerunt, vellemus vel præcipue vel cum cæteris ab inferni cruciatibus liberari; nisi aliter se haberet sensus hu-*A *manus, aliter justitia Creatoris.*

Ad fabellas ex S. Joanne Damasceno laudatas quod attinet, reponimus, 1. Lucubrationes taliâ referentes, viro tanto fictè inscribi, uti Leo Allatius primùm, deinde P. le Quien in nova editione Operum S. Joannis Damasceni convincunt. 2. Quando genuina essent opera, certè è minus authenticis monumentis deductæ historiolæ, in Scripta licet S. Damasceni translatæ, nihilo meliorem obtinent fidem. Opinionem eorum, qui damnatos jam ad inferos Gentiles, ad Fidem, auditis Apostolis concionantibus, traduxerunt, satis jam refutavimus.

Si Tostatus in ea fuit persuasione, Gentiles absque Fide explicita vel implicita in Jesum Christum B salutem consequi potuisse, nos virum doctum, scripturæ & Patribus repugnantia docentem, non admittimus: ait enim Scriptura Act. 4. 11. 2. de Jesu Christo: *Nec aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Si verò ille nomine *Fidei in unum Deum, qui bona operantibus æqua retribuit*, insinuat Fidem saltem implicitam in Jesum Christum, paria sentit nobiscum.

S. Clemens Alexandrinus vix ab omni errore purgaretur in iis, quæ de Philosophis Paganis, & prædicatione Iesu Christi, atque Apostolorum apud Inferos scripsit. Illud tamen Authori illi excusando reputandum est, nimirum vitium id fuisse illius ætatis, C qua non bene discussis earum rerum veritatibus, omnia offulcabantur. Accedebant scripta quædam, opinione quidem authentica, & secundam à sacris Libris authoritatem obtinentia, quibus facilè credulis illis Patribus impositum est. Ad hæc, S. Clemens Alex. l. 1. ita de Philosophia agit, quasi nihil satis commodi de illa sentiret: adeo longè abest, ut in pari eum Fide & veritate nostræ Religionis gradu illam constituat. Nullam peculiarem Philosophorum sectam probans, damnat universas. Quis autem credat, harum, quas reprobat, sectarum Authores, vel Sectatores æternæ salutis præmio donare illum voluisse? Tandem in Admonitione ad Gen- D tes observat, tenues illos veritatum, seu potiùs Verbi divini igniculos, qui Philosophis affulserunt, & veritatis quanta sit via, & Philosophicæ scientiæ quanta sit imbecillitas, apertè satis demonstrare; noverint enim licet Philosophi quædam, ad finem tamen sibi intentum venire nunquam valuerunt. Abundè hinc etiam demonstratur, eos qui sine Verbo veritatis, i. e. Jesu Christo, ad agendum se disponunt, perinde esse, ac si pedibus destituti ad gradiendum adniterentur. Qui de hoc argumento plura voluerit, consulat Librum Gallicum *de Necessitate Fidei in Jesum Christum*, impressum Parisiis 1701. qui in prima Lucubrationis hujus editione nos latuit.

E Ita ergo Dissertationem hanc nostram cogentes statuimus. Pagani, quorum totus erat census speculativa quædam, naturalis, & sterilis Dei, & veritatum moralium cognitio, nullo Fidei saltem implicitæ in Messiam, & humani generis Reparatorem, ac supernaturalis gratiæ radio illustrati, nullo charitatis igniculo foti, ad Regnum Cælorum obtinendum nunquam evadere valuerunt. Hæc Apostoli Pauli mens, docentis, Philosophos illos, qui Deum norant, cùm debitam illi gloriam denegassent, nullam criminis sui causationem coram Deo obtendere potuisse.

(1) August. l. 12. de Genes. ad liter. c. 33.

DISSERTATIO
AN S. PAULUS EPHESI cum bestiis pugnaverit?

Viri quidam Ecclesiæ Corinthi recens ad fidem conversi, Philosophiæ Paganicæ dogmatum plus nimio tenaces, ut mortuorum resurrectionem crederent, vix poterant in A animum inducere. Plures inde de fidei illo dogmate formabant quæstiones, argumentorumque plexibus simplices quoscumque Fideles illos implicabant. Certior de his omnibus factus Apostolus, resu-

refutandis revincendisque viris illis audacibus, tranquillum Ecclesię statum turbantibus nihil omisit, non authoritatem, non argumenta è quinque potissimum deducta principiis: 1. Jesus Christus è mortuis, ait idem Apostolus, resurrexit, quod fide certum tenemus; est autem ejus resurrectio nostræ pariter resurrectionis pignus, exemplar, & argumentum. 2. Si Christus è mortuis nequaquam revixit, nos ergo mendaces testes habendi sumus, vana est fides vestra, & in crimine adhuc sordescitis. 3. Si nulla nos manet resurrectio, quicumque vita hac decesserunt, nullam habent spem reliquam; infelicem planè nostram sortem deploremus oportet; si nulla quàm hujus vitæ spe nos consolamur. 4. Quid fiet de illis, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? 5. Ut quid tandem nos damus in discrimina: *Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?*

Postrema hæc Apostoli verba argumentum præbent Dissertationi; neque enim certaminis hujus veritas sat constat, silente maximè S. Luca, nihil eorum cæteroqui omittente, quæ S. Paulus Ephesi pro fide Christiana sustinuit; silentibus pariter è priscis Patribus quatuor primorum sæculorum omnibus, qui Apostoli illius gesta omnia traditione accepta sedulò collegerunt. Negans hoc argumentum adeoque & per se imbecille, confirmat maximè prona ex ipsa gestorum S. Pauli lectione concepta idea; neque enim absre credi potuisset, ut quæcumque à Demetrio Argentario Ephesino ac sociis iniqua in ea Urbe sustinuit Apostolus, hæc ille phrasi certaminis cum bestiis designaret.

Viri enim impotentes, brutales, & impii, quales Argentarii illi, meritò sibi quidem vindicant bestiarum nomen, ea planè phrasi, qua & Apostolus idem sub emblemate *Leonis* Neronem censuit designandum (1); sicut & de Cretensibus effatus est 1 *Malæ bestiæ, ventres pigri* Tit. 1. 12. S. Ignatius Martyr ad bestias damnatus, commissum se dicit manibus decem leopardorum, ut Antiochia Romam deduceretur, à quibus anticipati quoddam supplicii genus subire se dicit, prolixumque certamen continuare, ab Urbe nempe Antiochiæ adusque Romam. Porrò certamina illa, bestiæ, leopardi, nihil designabant aliud, quàm milites Martyria in itinere custodes & deductores. Ita pariter S. Joannes, & ipse quoque Jesus Christus Judæos appellat *genimina viperarum* Matth. 3. 7. ac Prophetæ injustos, violentosque Reges suggillant nomine leonum, leopardorum, aquilarum, vulturum; sicut & impiorum linguæ Psalmistæ phrasi *fovent venenum aspidum sub labiis.*

Ne tamen sententiam istam sequamur, cogunt temporum circumstantiæ, ac præscriptæ Chronologiæ leges, quibus instruimur, motam Ephesiorum Argentariorum in Apostolum persecutionem vertente anno post scriptam ad Corinthios priorem Epistolam contigisse, nempè anno 56. Quare Apostoli cum bestiis certamen anno 55. initum est, quo scilicet anno nullam in Apostolum commotam persecutionem sub eo verborum emblemate designandam novimus. Est igitur ad literam Apostoli textus ille explicandus; si enim alicujus momenti adversùs hanc opinionem censendum esset silentium S. Lucæ, silet æquè idem Scriptor persecutionem quamcumque ante annum 56 agitatam. Vis proindè hæc negantis argumenti vel in utramque partem valere censenda est, vel in neutram.

Fatemur quidem, Apostolum 1. Cor. 15. 30. 31. 32. ibi omnia exponit quæcumque priori illo anno à ducta Ephesi mora sibi contigerunt, hæc de se scribere: *Ut quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior, per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.* Statimque continuat: *Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest? &c.* Verùm si totum percurratur caput 19. Actuum, gesta omnia S. Pauli Ephesi versantis anno 55. complectens, nihil occurret, quàm Apostolicis laboribus par fructus respondens, Dei per illum prodigia, quorum pellectu tractæ undique ad fidem gentes; donec tandem excitatam in se Demetrii Argentarii persecutionem declinare, facta ab Urbe secessione Apostolus coactus est. Cùm itaque S. Paulus in eo Epistolæ capite veluti supplementum adjiciat eorum, quæ in Actis prætermissa sunt, conceptisque verbis exprimat, luctam se cum bestiis Ephesi sustinuisse; cur testimonium ejus ad literam non recipiatur, nihil est.

Porrò Textus iste pronus est adeò in hanc significationem, ut in alium sensum detorquere illum nemini succurrisset, nisi ea invalescente persuasione, S. Lucam nihil è gestis Apostoli majoris momenti prætermisisse, quod tamen veritati prorsùs non congruit. Ipse enim Apostolus plura in Epistolis suis identidem de se commemorat, quæ S. Lucas imprudens omiserat; nolente Deo divinæ providentiæ suæ consilio, ut ab alio illa quàm ab ipsomet Apostolo resciremus. Ita e.g. de raptu S. Pauli in Cælum nihil habet S. Lucas; sed testimonium de illo exhibet Apostolus 2. Cor. 12. 2. 3. 4 sicut etiam nonnisi ipso de se narrante scimus, obitas ab ipso prædicatione Pontum, Thraciam, Illyricum, & Galilæam (2). Quis reprehensum à S. Paulo Petrum Antiochiæ, nisi ipse Paulus Galat. 2. 11. commemorat? quis secundum ejusdem Pauli iter Ephesio Antiochiam circa ann. 55. nisi idem Paulus subobscurè 1. Cor 12. 14. & 13. 1. (3)? quis memorat alius scriptas ab ipso varias ad varias Ecclesiæ Epistolas; traductum ad fidem Onesimum, cùm ipse Paulus Romæ in vinculis versaretur, datas circa idem tempus literas ad Philemonem & ad Philippenses; naufragium illud ingens, quo integra nocte dieque in mare jactus est; 2. Cor. 11. 25. tria illa naufragia quæ pertulit; 2. Cor. 11. 25 flagra quinquies à Judæis tolerata? 2 Cor. 11. 24. Nihil ergò e S. Lucę silentio certi adversùs hanc historiam deducitur. Quare literam Textus censemus retinendam, in loco maximè, ubi stilus simplex nihil minùs quàm metaphoram audacem adeò & insuetam expectare Lectores admonet. Quid enim audacius, quàm nomine pugnæ cum bestiis designare luctam cum adversariis?

At enim S. Paulus silet prorsùs hanc cum bestiis Ephesinis luctam in secunda ad Corinthios Epistola, mala omnia enumerans, quæ pro fide tolerare coactus est. Id quidem ultrò fatemur; sed numquid non satis est semel de illa in priori ad Corinthios 15. 5. 10. fecisse sermonem? Numquid modestissimus vir hanc virtuti suæ vim inferre cogebatur, ut iterum decora illa sua repeteret? Ad hæc, facilè luctam illam tacitè insinuant verba 2. Cor. 1. 8 *Non volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet etiam nos vivere.*

Genuina facilè hujus silentii ratio inde repetenda, quòd nulla memorabilis consecutio ex eo supplicio deducta sit; forte enim Apostolus Judicis sententia ad supplicium damnatus, civitatis tamen Romanæ, quo fruebatur privilegio immunis ab eadem pœna reipsa declaratus fuit. Animadversum est enim, Civium Romanorum jus assertum fuisse, ne simili perimerentur supplicio (4). Nisi fortè malueris aliam quamcumque ejus rei assignare rationem, ne exponeretur feris; sive expositum ab illis lætum non fuisse, uti divino prodigio factum esse interdum cum SS. Martyribus sat novimus (5). Quod præ oculis habens S. Ignatius in Epistola ad Romanos scribebat: *Utinam fruar bestiis mihi paratis, quas & opto veloces mihi inveniri, quas & blanditiis demulcebo, ut citius me devorent, non ut quosdam verita non attigerunt. Seu & si ipsæ volentem nolint, ego vi adigam.*

Accidit interdum, ut expositi feris homines primos illarum incursus vel illæsi, vel levi tantùm relato

(1) 2. Timot. 4. 17. *Liberatus sum de ore leonis.* (2) Rom. 15. 19. (3) Vid. D. Tillemont. not. 41. in S. Paulum.
(4) Vide Baron. ann. 55. n. 7. (5) Vide Act. S. Taraci & sociorum c. 10. & Euseb hist. Eccl. l. 8. c. 7. p. 293.

lato vulnere sustinerent; tunc antem ante finitam luctam manu Gladiatorum ad eam rem destinatorum perimebantur, quemadmodum de S. Perpetua & Felicitate cæterisque Africanis martyribus legimus in Actis; sive ad aliud spectaculum reservabantur, uti de S. Blaodina Martyre Lugdunensi memoriæ proditum est. Idem & cum Apostolo factum non inverosimiliter suspicamur, qui cùm in discrimen ejus supplicii venisset, scribere utique poterat ad Corinthios: *Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt.*

Nicephorus Callistus Hist. Eccl. l. 2. c. 25. laudat in eam rem Librum vetustissimum inscriptum: *Itinera S. Pauli*; fert autem Liber ille, Apostolum Ephesi versantem tanta eloquentiæ vi ad populum verba fecisse, ut Hieronymus Principem ibi locum obtinens illum benè quidem & disertè dicere, sed non pro temporis opportunitate, testatus fuerit; sed asperiora consilia secutum populum Apostolum illum catenis oneratum arctaque inclusum custodia bestiis mox exponendum servasse. Stata ad supplicium die, eductum in illum Leonem immanem corpore, & ferocia non imparem. Sed vix eductam bestiam & impetu irruentem, ad primum viri sancti aspectum flexam ad obsequium, cecidisse venerabundam ad pedes, non dissimile exemplum aliis demum & aliis productis feris sequentibus. Ad hæc, ingruentem subitò ingentem turbinem sævam adeò grandinis procellam excussisse, ut opprimeret plurimos, Hieronymi verò Urbis Præfecti utramque aurem rescinderet. Quibus malis revocatum ad saniora virum Fidei victas dedisse manus. Tandem Leonem, qui Apostolo pepercerat, in vicinos montes evasisse; Apostolum verò recta contendisse in Macedoniam.

Nec est quòd sinistri aliquid in veritatem hujus historiæ, addit Nicephorus, è S. Lucæ silentio deducamus. Lazari resurrectionem certam admittimus, quamvis à S. Joanne tantùm, silentibus cæteris, referatur. Singuli Scriptores Sacri peculiaria quædam referunt ab aliis omissa. Porrò opus illud, unde hanc historiam Nicephorus deduxit, & minoris esse per se authoritatis fateor, & à Nicephoro licèt adoptatum nihil propterea habere, quo persuadeat. Liber Itinerum S. Pauli vetustissimus est, adeò ut mentio de illo occurrat apud Origenem t. 21. in Joann. p. 298 Edit. Huet. Item l. 1. de Principiis, Tertullianum de Baptismo l. 1. c. 17. S. Hieronymum de Scriptor. Eccles. in Luc. & Eusebium Hist. Eccles. l. 3. c. 3. & 25. neque enim nisi unum eundemque credo Librum *Acta Pauli & Itinera* ejusdem. Opus illud procusum pia quadam in Apostolum fraude, melius quam obsequio, Sacerdotis cujusdam Asiæ, refert Tertullianus. Hujus criminis, addit S. Hieronymus, convictus Author, à Sacerdotio statim amotus est. Nihil ego moror Veteris hujus Scriptoris cæterorumque ejus fidem sequentium testimonium; suspicari tamen licet, sive textus hujus, quem excutimus, lectionem, sive deductam ad eam usque ætatem traditionem Scriptorem hunc ad describendam luctam Apostoli cum bestiis induxisse.

Suppetunt cæteroqui majoris fidei & authoritatis in nostram hanc sententiam documenta. S. Chrysostomus in priorem Epistolam ad Corinthios scribens hom. 40. nihil allegoricum in loco illo Pauli subodoratur; ex quo planè intelligimus, simplicem & literalem interpretationem probasse. Et in illa verba, *secundum hominem*, perhibet, Deum eduxisse Apostolum suum è discrimine, in quo certus illum manebat *secundum hominum opinionem* interitus. Certum igitur constituit vir sanctus, Apostolum divino prodigio à nece servatum. Luculentiùs asserit Theodoretus in 1. Cor. 15. 32. Apostolum, ne devoraretur à bestiis, divino prodigio liberatum fuisse. Pelagius in suo Commentario in Epistolam primam ad Corinthios duas inquit sententias; quæ de lucta cum bestiis locum interpretatur, & quæ cum adversariis pugnam verbis illis designatam tuetur. Addit, plura in Epistolis S. Pauli historica facta occurrere, frustra in actis quærenda. Primasius Commentarium illum Pelagii S. Hieronymi esse juxta receptam ea ætate persuasionem, ratus, non sententiam ejus tantùm, sed verba penè describit. Hilarius Diaconus Ecclesiæ Romanæ, Ambrosiaster vulgò dictus, quòd ejus Opera S. Ambrosii nomen prætulerint in impressis, Apostoli verba illa ita paraphrasticè exponit: in 1. Cor. 15. 32. *Si secundùm humanum sensum bestiis offerri, mori non timui, nihil profeci: sed non hoc est, quia certus de promissa vita non solùm non timuit, sed & libenter bestiis offerri se passus est.*

Ita Textum Apostoli interpretati sunt Veteres; & R. P. Alexander, quanquam alioqui allegoricum sensum defendens, ingenuè tamen fatetur in 1. Cor. 15. 32. *Hæc tamen verba, Ad bestias pugnavi Ephesi, propria non metaphorico sensu antiqui Interpretes intellexerunt*. D. Tillemontius, cujus inclyta eruditio pariter & circumspectio est, nostram hanc sententiam acriter defendit contra Baronium, & Estium adversæ opinionis assertores (1). Evincit ille Græcum *Theriomachein*, quo utitur Apostolus, non significare tantùm certamen ultrò cum bestiis initum, uti Athletæ solebant, quod alioquin indignum Paulo viro Christiano & Apostolo fuisset, cum nec ingenuum Paganum deceret, sed etiam rectissimè ad bestias raptari, quomodo factum non semel novimus cum Christianis, sacrilegii, ut quidem dicebatur, reis (2). Christiani enim onerabantur invidia eorum omnium, quæ in Republica sinistri acciderant. *Si enim*, ait Tertullianus Apologet. c. 40. *Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si Cælum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem, cantus ad unum.*

Observaverat Baronius, bestiarum supplicium, quod à Cive Romano fuisset alienum, in Apostolum Paulum decerni nequaquam potuisse. Respondit D. Tillemontius; damnari illum facilè quin & subire supplicium illud potuisse, quemadmodum Philippis in Macedonia flagris cæsus fuerat, licèt Romanæ Civitatis prærogativa ab illis exemptus. Notat insuper factum non semel, ut Provinciarum Præsides privilegium illud nequaquam assertum vellent Christianis, humani generis adversariis, & prærogativis omni multandis. Luculentum ejus rei exemplum præfert S. Attalus Martyr Lugdunensis, & Romanus Civis, quem gratificaturus populo Præses ad bestias eduxit.

Præter Veteres in Epistolas Pauli Interpretes supra laudatos, suppetunt etiam alii plures Scriptores & scientia & vetustate graves, pro nostra sententia laudandi (3). Tertullianus in Libro de resurrectione carnis c. 48. ita disserit: *Quotidie morior, utique periculis carnis, per quam & depugnavit ad bestias Ephesi, illas scilicet bestias Asiaticæ pressuræ:* sunt igitur bestiæ Ephesinæ per Tertullianum mala in Asia tolerata; sed metaphorica hac interpretatione literalem alteram non excludit, namque in Libro de Pudicitia cap. 22. hoc ipso testimonio utitur, ut S. Paulum inter Martyres accenseat; quod uni cuidam ex ejus Commentatoribus satis fuit, ut Tertullianum in sententiæ nostræ patronum assereret.

Nostras etiam partes tueri visus est S. Cyprianus Epist. 6. Edit. Pamelii, illis de Apostolo verbis: *Post carcerem sæpè repetitum, post flagella, post bestias; circa omnia mitis & humilis perseveravit*. S. Hilario eadem probantur in Aux. p. 121. *Edictis ne Regis Paulus, cum in theatro spectaculum ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat?*

Inter recentiores Interpretes nostras partes tuentur Cajetanus, Cornelius à Lapide, Lutherus, Vor-

(1) Tillemont. not. 46. in S. Paulum. (2) Lege sexta ad legem Juliam peculatus & de sacrilegis.
(3) Euseb. l. 5. c. 1. Hist. Eccles.

Vorstius, Piscator, Zegerus, aliique nonnulli. Sed rationes nos magis Scriptorum, quàm Scriptores ipsos quærimus; cum maximè lateamur oportet, Commentatorum planè majorem partem apertè negare Apostolum in amphiteatro Ephesino bestiis expositum spectaculum sui fecisse. Quamquam inter posteriores hujus sententiæ assertores non satis convenit; Oecumenius enim e. g. Remigius Lugdunensis sive Antissiodorensis in Biblior. PP. t. 8. (non enim satis constat unde esset) S. Thomas, aliique nonnulli locum exponunt de persecutione in Apostolum Ephesi versante à Demetrio Argentario commota (r): sed tumultum illum post scriptam priorem ad Corinthios Epistolam excitatum supra animadvertimus; ex quo systema illorum prorsùs evertitur. Exponunt alii Textum de Viris impiis, Hæreticis, & belluina ferocia sævientibus, à quibus plura in Apostolum irrogata, ut Apostolus ipse 2. Cor. 8.9. conqueritur: *Non volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut taderet nos etiam vivere*. Ita tenent Baronius ad ann. 55. num. 7. Esrius, Grotius, Heinsius Exercit. Sacr. fol. 414. Ligfootus Hor. Hebr. Calovius in hunc loc. 1. Cor. 15. 32. Suicerus Thesaur. Eccles. t. 1. p. 1399. Basnage, Beza, Hammondus, Deylingius, & inter Antiquos Sedulius, Scotus, Lanfrancus.

Sed antequam Dissertationem claudamus, operæ pretium me facturum arbitror, si varia certaminum cum bestiis genera paucis exponam, quibus lux Textui, quem discutimus, affundatur. Græca vox *Theriomachein*, qua utitur Apostolus, sonat ad literam, Cum bestiis pugnare; cujus generis homines Latini vocant *Bestiarios*, Græci *Epithanaticus*, *Teriomachous*, *Parabolous*, seu potiùs *Parabolanous*. Tria sunt ejusmodi hominum genera; alii roboris & agilitatis suæ specimen daturi, ultrò se certamini exponebant; alii mercenariam ad id locabant operam, qui proinde tanquam vilissima hominum capita mercimonium de vita facientes habebantur: *Qui se ob aliena gratia voluntatem nundinati sanguinis jacturam ad mortis spectaculum vendunt*. Tertii tandem generis homines reserebant sontes illi, qui bestiis exponebantur; interdum ab eorum insultibus defendere se criminosis illis permissum, ita tamen, ut à morte non eaimerentur, tandiu enim prorogandum erat illis certamen, quandiu bestiis non succumberent. Si quis vero salvus incolumisque post spectaculum restaret, ad alterum reservabatur.

Certaminum primi ganeris reliquiæ manent in Ludis taurorum, hodie usque in Hispania celebratis; cum scilicet viri interdum principes coram Rege cæterisque spectaculum sui præbent, cum tauris luctantes. Nec abludunt certamina cum bestiis in Regno Mogorii solemnia, in quibus viri principes & virtutis suæ specimen exhibent, & viam sibi ad summos honores struunt. Legimus in Historia Francorum (a), Pipinum Brevem Caroli Martelli filium, ac deinde Galliæ Regem, cùm olim certamen bestiarum spectaret, furentem quendam leonem, qui taurum arripuerat in cervice, vidisse, versum autem ad viros Principes, quos habebat in comitatu, significasse opportunum secensere, si capta à leone præda liberaretur. Audacior res visa est, quàm ut ab ?lis susciperetur; sed Princeps inspectis sedulo omnibus in caveam se dedit, & gladium tenens in manu rectà petiit leonem, tantoque ictu feram percussit, ut caput præcideret, simulque intra tauri collum altum infligeret vulnus.

Ad bestias damnatos quod attinet, alii nudi & inermes exponebantur; sicut etiam venatoriis retibus impliciti, quo à feris discerperentur. Alii ad mortem usque luctari cogebantur. Raró tamen contingebat, ut spectatores vitam certantis precarió obtinerent. Factum id legimus cum Androclo, de quo Aulus Gellius l. 5. c. 14. cum enim ad bestias damnatus & in Amphiteatro expositus, irruentis leonis impetum sustinere cogeretur, agnitus à fera, è cujus pede spinam olim extraxerat, illam habuit & demulcentem, & adversùs alias immissas feras tuentem. Spectaculi hujus novitate capti adstantes, Androclo vitam, leoni libertatem poposcerunt.

Nec quacumque data occasione spectacula illa dabantur; id erat enim speciale quoddam veluti munus ab Imperatoribus, & Provinciarum Præfectis populo concessum. Smyrnensibus Civibus S. Polycarpum ad leonem poscentibus, respondit Proconsul, ne eorum votis annueret prohiberi se, quod dies spectaculis destinata transisset (3); & cùm bestiis Lugdunenses Martyres exponendi essent, ejus generis spectaculum populo concedi oportuit. Non absre itaque suspicaremur, Ephesios poposcisse ad bestias Apostolum, quemadmodum & S. Polycarpum deinde repopoposcerunt; nec impar fortè ratio utrumque virum à supplicio illo exemit.

Cùm autem damnari ad supplicium Christiani non spectaculum tantùm darent populo, sed & supplicium tanquam criminosi subirent, quo major spectantium oculis terror eahiberetur, non producti tantùm ad feras robusti, valentes corpore ac certaminis patientes juvenes, sed & imbecilles senes ac fœminæ; sicut etiam venatoriis retibus impliciti, quò defensionis ratio omnis penitùs tolleretur, uti factum legimus cum S. Baldina, inter Lugdunenses Martyres inclyta (4). Alligabantur interdum palis seu ferinis pellicibus insuebantur, ad ursorum & leonum ferociam efferandam: ita Nero cum Christianis de incendio Romano à se accusatis, cujus tamen incendii ipse, non alios, fuerat author (5), sæviit. Ad palum alligata S. Blaodina feris voranda objecta fuit, antequam ad taurum venatoriis retibus implicita educeretur (6). Alia quædam ejus rei exempla soppeditat Justus Lipsius de *Cruce* l. 3. c. 21.

Ad S. Paulum quod attinet, expositum illum feris in theatro Ephesino ne ambigimus quidem, autumantes insuper, nunquam nisi Divino prodigio commissum fuisse, ut à præsentissimo illo discrimine illæsus eriperetur; ita enim exponunt S. Chrysostomus & Theodoretus illud: *Secundùm hominem*. Si quis autem à nobis quærat prodigii hujus rationem, ingenuè fatemur nec scire nos, & nobiscum homines æquè omnes ignorare. Quæ etenim ea Apocrypho Libro narrat Nicephorus, futiliora sunt, quàm ut fidem mereantur; nihilque prætereà certi ab antiquis servatum est.

COM-

(1) Act. 19. 23. &c. (2) Firmic. l. 8. c. 13. (3) Euseb. Hist. Eccl. l. 4. c. 15.
(4) Euseb. Hist. Eccl. l. 5. c. 1. (5) Tacit. Annal. l. 15. c. 44. (6) Euseb. loci cit.

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN SANCTI PAULI
EPISTOLAM AD ROMANOS.

CAPUT PRIMUM.

S. Paulus Apostolus sui præstantiam concelebrat. Romanis doctrinam suam communicare desiderat; atque ex eorum exemplis fructum percipere. Infideles sunt inexcusabiles; Deum cognoverunt, neque uti par erat, illum coluerunt. Gravia scelera, in qua deciderunt.

1. PAulus, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium
Dei, 2 Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis.
3 De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, 4
Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri: 5 Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus,
6 In quibus estis, & vos vocati, Jesu Christi: 7 Omnibus, qui sunt Romę, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino
Jesu Christo. 8 Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro
omnibus vobis: quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. 9 Testis enim
mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio 10 Semper in orationibus meis: obsecrans, si quo
modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.
11 Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos: 12 Id est, simul consolari in vobis, per eam, quæ invicem est, fidem vestram, atque meam. 13 Nolo autem vos ignorare, fratres: quia sæpe proposui venire ad vos, (& prohibitus sum usque adhuc) ut aliquem fructum habeam
& in vobis, sicut & in cęteris gentibus. 14 Græcis, ac Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum: 15 Ita (quod in me) promptum est, & vobis, qui Romæ estis, evangelizare. 16 Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est
in salutem omni credenti, Judæo primum, & Græco. 17 Justitia enim Dei in eo
revelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit. 18 Revelatur enim ira Dei de cœlo, super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitiam detinent. 19 Quia quod notum est Dei,
manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. 20 Invisibilia enim ipsius,
a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna
quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles. 21 Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt
in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. 22 Dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt. 23 Et mutaverunt gloriam incorruptibilis

Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupe-
dum, & serpentium. 24 Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eo-
rum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis: 25 Qui
commutaverunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & servierunt creaturæ
potius, quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. 26 Propterea tra-
didit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt natura-
lem usum, in eum usum, qui est contra naturam. 27 Similiter autem & masculi
relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in
masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in se-
metipsis recipientes. 28 Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia: tra-
didit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt. 29
Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invi-
dia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, 30 Detractores, Deo
odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obe-
dientes, 31 Insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.
32 Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, di-
gni sunt morte: & non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

℣. 1. PAULUS SERVUS JESU CHRISTI.] Præponit S. Paulus Epistolæ suæ nomen, atque conditionem suam, Latinorum more, ad quos hoc dabat litterarum. Titulus vero hic ad octavum usque versiculum procedit. Cogitat autem de munere suo cum laude verba facere, ut se Romanis cognoscendum traderet, qui illum neque viderant, neque prædicantem audiverant umquam: atque epistolæ suæ aliquid auctoritatis conciliaret, qua te utilior evaderet. Alibi locuti sumus de illius nomine, ac tempore, quo Sauli nomen exuit, ut illud Pauli indueret [1]: hic vero se dicit *Servum Jesu Christi*, quod quidem præstantissimum est dignitatis appositum, quale geminum illud, *Servus Dei*, quo in veteri Testamento Prophetæ, atque Patriarchæ, puta Moyses, Josue, David, Elisæus, Elias, Nehemias, &c. se ipsos vocabant. B

VOCATUS APOSTOLUS [2].] Prævertit dubitationem, quæ de se apud Romanos oboriri potuisset, ubi audivissent, hunc minime ex eorum duodecim esse numero, quos Salvator vivens adhuc elegerat. Non minus, quam cæteri, & ego Apostolus sum; ego enim quoque ad Apostolatum divina vocatione accitus fui, neque in eo minorem operam impendi, quam qui inter Apostolos majori nominis celebritate feruntur. *Existimo enim, nihil me minus fecisse a magnis Apostolis*, 2. Cor. 11. 5.

SEGREGATUS IN EVANGELIUM [3].] Destinatus ad Evangelium Dei annuntiandum, ex utero matris electus [4], ut aliquando Præco essem veritatis; distinctus a Fidelibus eo tempore, quo dignatus est Spiritus sanctus præcipere, ut segregarer ad opus, ad quod ipse me assumpserat [5]. Denique peculiari electione destinatus, ut Apostolus etiam Gentilium [6], & divini, atque æterni [7] Evangelii, quod missum est a Deo, remotissimis sæculis promissum, & per eos, quos ad id elegit Dominus, prædicatum. C

℣. 2. QUOD ANTE PROMISERAT.] Evangelium, de quo loquor vobis, & quod recepistis, non est recens doctrina ab hominibus inventa: sed in ipsis etiam antiquorum Prophetarum libris annuntiatur, qui de Messiæ adventu, vita, Regnoque locuti sunt. Ubi de Religione agitur, nova quælibet suspicione non carent. A Christiana Religio omnes habet veritatis, & antiquitatis characteres, qui queant exoptari. Veteres omnes Prophetiæ illi perhibent testimonium; ipsa primum, ac præcipuum est earum omnium objectum.

℣. 3. DE FILIO SUO, QUI FACTUS EST EI [8].] Hoc referri potest ad Evangelium, de quo immediate superius sermo fuit. Loquor vobis de hoc Evangelio, quod nobis nativitatem, vitam, mortem, Divinitatem, & omnipotentiam revelat Filii Dei, quoad quidem divinam Naturam, Patri sui coæterni, quoad carnem vero ex progenie David secundum Scripturas. Aliter, Evangelium nobis promissum est in Scripturis, quæ loquuntur de Filio Dei, qui secundum carnem ex progenie David originem duxit.

℣. 4. QUI PRÆDESTINATUS EST FILIUS DEI.] S. Augustinus, ac post eum Latini Patres, & plerique Scholastici, atque Interpretes hoc intelligunt de JESU CHRISTI prædestinatione, per quam ex omnibus hominibus electus est, ut esset Dei Filius. S. Johannes Chrysostomus, Græci Patres, & Recentiores nonnulli hoc intelligunt de certis argumentis, ex quibus JESUS veri Dei Filius cognoscitur. Certissimum nobis, atque maxime ab omni dubitatione remotum Divinitatis ejus argumentum illud est; 1. *Spiritus Sanctificationis*, qui in illius persona, doctrina, & miraculis maxime enituit.

Secundo; *Gloriosa illius Resurrectio*, quæ solidissimum est omnipotentiæ illius monumentum. Hæc est Græcorum explicatio, ut exemplaribus suis legentium; *Qui destinatus est*, constitutus, agnitus, probatus *Dei Filius*, &c. Quæ lectio invenitur in Origene exposit. in Epist. ad Rom. Tertulliano contra Praxeam c. 27. & S. Hieronymo, qui legunt *destinatus*, non *prædestinatus*. Cæsareensis Eusebius contra Marcel. putat etiam lectionem *prædestinatus* nefarie inventam fuisse a Marcello Hæretico Sabelliano ea mente, ut inde inferret, JESUM CHRISTUM non esse Filium Dei magis, quam Fideles alios, qui sunt ad vitam prædestinati.

At *prædestinatus* legitur apud Sanctos Irenæum l. 3. cap. 1. & 30. Hilarium de Trinit. l. 7. Augustinum passim, Ambrosium in Vulgata, & apud Latinos Patres,

1 Vide Commentaria in Acta c. 13. 9. 2 Κλητὸς Ἀπόστολος, *Vocatissimus*, seu *ex vocatione Apostolus*.
3 Ἀφωρισμένος. 4 Galat. 1. 15. *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam.* 5 Act. 13. 2. *Segregate mihi Saulum &c.*
6 Act. 9. 15. *Vas electionis est mihi iste &c.* Vide & Act. 22. 21. & Galat. 2. 9. *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter Gentes.* 7 Apoc. 14. 6. *Angelum habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram.* 8 Græcus non legit *ei*, sed simpliciter, *qui factus est*: τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαυίδ. Verum S. Irenæus lib. 3. cap. 18. S. Ambrosius, S. Hieronymus legunt: *Qui factus est ei*. S. Augustinus l. 11. cap. 14. contra Faustum: *Qui factus est ex semine David .... Etsi in quibusdam Latinis exemplaribus non legitur factus, sed natus &c.* At in ejus expositione incæpta in Epist. ad Romanos legit: *qui factus est ei*.

tres, immo & apud Græcos nonnullos, puta S. Epiphanium hæres. Theodor. cap. 6. & in Græcis quibusdam Mss. Et S. Augustinus, quemadmodum jam dictum est, hoc intellexit de JESU CHRISTI prædestinatione, cujus virtute humanitas illius, quin hoc antea merita fuisset, ex ipso existentiæ suæ primordio statim adhæsit Divinitati [1]. Apostolus hic palam utramque in JESU CHRISTO naturam distinguit, divinam, per quam est *prædestinatus Filius Dei in virtute*, hoc est secundum omnipotentiam: & humanam, secundum quam *factus est*, vel natus ex *semine David secundum carnem* [2]. Græcorum explicatio Estio ad litteram magis videtur accedere; cujus sententiæ haud ægre subscribimus.

EX RESURRECTIONE MORTUORUM, JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI.] Per Resurrectionem suam apparuit vere Dei Filius. Hoc addendum est ℣. 3. *Evangelium, quod ante promiserat per Prophetas suos de Filio suo Jesu Christo Domino nostro*. Ita enim juxta Grammaticæ regulas vertendum fuisset, *Jesu Christo Domino nostro*; non *Jesu Christi Domini nostri*, propter convenientiam cum verbis illis, *de Filio suo*, quæ præcedunt. Sed versus Interpres de eo sollicitus, quæ maximi quidem erat momenti, non advertit regimen præpositionis *in*, quæ ablativum postulat, & quæ Græcæ *peri*, patrium exigenti respondet. Ibi Græcam Syntaxim pro Latina secutus est.

℣. 5. PER QUEM ACCEPIMUS GRATIAM, ET APOSTOLATUM.] Pergit Apostolus commendare munus suum, & ostendere, se vere Apostolum esse, quod a Deo prorsus miraculosa ratione evocatus fuit, & cumulatus gratiis, luminibus, ac spiritualibus donis linguarum, miraculorum, & doctrinæ eadem, qua alii, & majori etiam in copia. *Gratia, & Apostolatus* unum tantummodo significare possunt, perinde ac legeremus, *Gratiam Apostolatus* [3]: quæ vel maxima est gratia, quam Deus homini conferre possit; vel *Gratia* accipitur pro externis Spiritus sancti donis, quibus in ipsis Ecclesiæ primordiis ii cumulati fuerunt, qui Baptismum, & manuum impositionem recipiebant; vel denique pro interioribus donis, reconciliationis, veniæ peccatorum, amoris, zeli, aliisque muneribus Spiritus Sancti in anima inhabitantis [4].

AD OBEDIENDUM FIDEI [5].] Missus sum non ad Judæos solum, vel ad Syriæ, & Asiæ populos: Apostolatus meus ad omnes Gentes late patet; eas omnes complector: ideoque ad vos hæc scribo; licet non cognoscar e vobis. In id adlaboro, ut omnes gentes fidei subjiciam, & ubique JESU CHRISTI gloriam inquiram. Dicit autem [6] *ad obediendum fidei*, S. Johannes Chrysostomus inquit, quoniam ad fidem habendam requiritur obedientia, submissio, bona voluntas; neque ulla quæstio habenda est in iis, quæ nobis ad credendum proponuntur, neque earum rerum, quas docemur, perspicua cognitio assensum nostrum trahere debet. Intellectus in obsequium fidei captivandus est [8]: eaque constans est Apostoli doctrina, ubique obedientiam, atque documentis suis submissionem efflagitantis [7].

℣. 6. IN QUIBUS ESTIS.] Cum autem ego Apostolus sim, & a Deo ad omnes Gentes missus; vos vero a JESU CHRISTO vocati, & vos ergo ex eorum estis numero, ad quos Apostolatus, et missio mea extenduntur. Mihi jus est, immo officio quodam teneor, scribendi ad vos, vosque erudiendi; itaque ne miremini, si licet vobis ignotus, hoc vobis dem litterarum. Eos dicit a JESU CHRISTO *vocatos*; non generali tantum, omnibusque mortalibus communi vocatione, sed peculiari, & efficaci, per quam sunt Salvatoris Discipuli

Tom. VIII.

[9] ad peculiarem sanctitatem vocati, hæredes promissionum ejus, & destinati, ut aliquando gloria illius perfruantur. *Vocatorum* nomen in hac, & aliis Epistolis, ut plurimum, de divina prædestinatione intelligendum est. Romæ Fideles non omnes fortasse ad gloriam erant prædestinati; sed eos majori ex parte prædestinatos censebat S. Paulus, atque juxta hanc sententiam ad eos loquebatur.

℣. 7. OMNIBUS, QUI SUNT ROMÆ.] Non est, *Omnibus Romanis*, plurimi enim advenæ illic erant, atque per accidens tantum Romæ permanebant; veluti, exempli gratia, omnes Judæi, qui in JESUM CHRISTUM crediderant. Ad hæc *Romanorum* nomen sine addito de iis proprie intelligebatur, qui Romani erant cives; qua dignitate procul dubio insigniti non erant eorum plerique, ad quos S. Paulus scribebat.

VOCATIS SANCTIS.] A Deo vocati estis, ut Sancti sitis, & sine macula: & ut vocationis vestræ sanctitati respondeatis, eamque per bona opera, sanctamque vivendi rationem magis, magisque confirmetis: *Ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis* [9]. Primi Christiani vulgo Sancti appellabantur, quemadmodum in Actis Apostolorum vidimus, & ex omnibus S. Pauli Epistolis innotescit. Morum innocentia, vitæ sanctitas, Spiritus sanctus in illis inhabitans, eos præclaro hoc nomine dignissimos efficiebat.

GRATIA VOBIS, ET PAX.] Deus suis vos cumulet beneficiis, omnibusque secundis rebus exornet. Utinam inveniatis gratiam in oculis Dei, ejus benedictionem, & quodlibet felicitatis genus promereamini. Hic desinit Epistolæ inscriptio.

℣. 8. GRATIAS AGO DEO MEO.] Conatur S. Paulus Romanorum animos sibi conciliare, eorumque captare benevolentiam, illos justis, meritisque laudibus exornans. Testatur sibi jucundissimam accidisse famam, quæ in omnibus terris percrebuit, de fidei ipsorum integritate, ac vitæ innocentia. Ita illos præparat, ut æqui, bonique faciant ea monita, quæ ad eorum vivendi rationem, & contentiones, quæ inter ipsos obrepserant, spectantia mox est traditurus.

℣. 9. TESTIS MIHI EST DEUS.] Hæc jurisjurandi species est [10]; sed necesse erat quodammodo ea in occasione jurisjurandi fidem interponere, ut Romæ fidelibus persuaderet, se illorum ingentem fovere existimationem, eosque eximia dilectione complecti.

CUI SERVIO IN SPIRITU MEO.] Vel voluntario meæ studio; interiori, spirituali, libero officio. Vel: servio per Spiritum sanctum in me inhabitantem [11]: non cultu carnali, & exteriori, qualis est Judaicus.

℣. 10. SI QUOMODO TANDEM ALIQUANDO.] Græcus legit: *mihi felix ad vos iter concedat*, vel mihi hanc vos conveniendi felicitatem largiatur. Hæc testimonia zeli, & charitatis S. Pauli erga Romanos præclaram viam sternunt ad ea, quæ acrius deinde illis dicturus est.

℣. 11. UT ALIQUID IMPERTIAR VOBIS.] Non ex privata utilitate vos videre cupio: hac in re vestram felicitatem, & fructum quæro; vobis communicare desidero ea dona, quæ a Spiritu sancto accepi, *ad vos confirmandos* in bono, & corrigendos, si quid castigatione dignum videretur. Primoribus dumtaxat labiis, ut inquiunt, hæc ait, ne illos exacerbet; imo & locutionem suam magis delinit sequenti versiculo: *Id est simul consolari in vobis, per eam, quæ invicem est, fidem vestram, atque meam*. Ne discipulus hos adhuc infirmos perterreat, se ipsum in eorum numero recenset, eosque quodammodo veluti præceptores suos [12] agnoscit.

℣. 13. NOLO VOS IGNORARE.] Se se excusat, quod nondum expleverit desiderium suum; *prohibitus sum*

D 2 *usque*

1 August. Enchir. cap. 40. *Nullis præcedentibus meritis in ipso exordio naturæ suæ esse cœpit, Verbo Dei copulatur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei*. 3 Vide August. expos. inchoata in Ep. ad Rom. 3 Theodoret. Est. Fromond. alii plures. 4 Ambros. Toler. Paræ. alii.

5 Εἰς ὑπακοὴν, *in obedientiam fidei; ut obediatur fidei*.

6 1. Cor. 10. 5. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*.

7 Rom. 15. 18. & 19. 16. 2. Cor. 7. 15. Philem. vers. 21. &c. 8 Vide Est. Fromond. Menoch. Titin.

9 2. Petri 1. 10. 10 Aug. l. 1. de Serm. Domini in monte, alii PP. Est. Toler. Grot. Menoch.

11 Vide Chrys. Tolet. Ludov. de Dieu. 12 Chrys. From. Grot. Paræ.

usque adhuc. Græca complura Exemplaria legunt [1]: *Non credo vos ignorare, me sæpe decrevisse venire ad vos*. Putabat, Romanos hoc forte audisse, quid ipse statuerat, ex Fratribus, qui ex Jerusalem, vel Asia [2] Romam concesserant.

UT ALIQUEM FRUCTUM HABEAM.] En qua de causa statuerim venire ad vos: desideravi aliquam vobis utilitatem afferre, & spirituale bonum aliquid communicare ad vestram educationem, atque doctrinam, ut mihi contigit apud alios populos, ad quos prædicavi.

℣. 14. GRÆCIS, ET BARBARIS.] *Græcorum* nomine intelligit etiam Romanos, *Barbaros* vero appellat reliquos populos, qui neque Græci erant, neque Romani. Græci Barbaros vocabant eos omnes, qui Græce non loquebantur, etiam Latinos [3]. Sed Romani summa rerum potiti, ex hoc numero ab illis expuncti sunt per politicam; tunc præsertim, cum Græcorum scientias excolere inceperunt:

Græcia victa ferum victorem cepit, & artes
Intulit agresti Latio.

S. Paulus ergo se debitorem esse ait, Græcis, & Barbaris, Sapientibus, Philosophis, illis, qui apud Ethnicos Sapientes habebantur, & simplicibus, rudibus, populisque illiteratis: non quod ex illis acceperit aliquid, sed quod munus suum, Apostolique dignitas ex eo petebant, ut omnibus se se communicaret; & summis æque, ac imis; Sapientibus, atque insipientibus prædicaret.

Videtur autem, quod sibi objici poterat, occupare: Si tanto videndi nos flagras desiderio, & si nostra fama ad te usque pervasit, cur ad nos venire non maturasti? Num oportebat, ut populi Lycaoniæ, Galatiæ, Pisidiæ, totque alii, qui certe Romanis neque captu, & elegantia, neque dignitate, ac meritis præcellunt, te eousque distinerent, ut Romam venire negligeres. S. Paulus, quin comparationem, quæ semper infensa solet esse, instruat inter hos populos, apud quos hactenus prædicaverat, & Romanos; respondet, se a Deo ad utrosque missum, semet rudibus æque, ac Sapientibus communicare, sibique sectandas vias esse, quæ a providentia sternuntur, quin vel proprium studium, vel opinionem sequatur. *Sapientis* nomen isthic pro *Erudito* homine usurpatur [4]; uti sæpius apud Hebræos, necnon apud Latinos etiam, Tullio ipso teste.

℣. 15. ITA [5] QUOD IN ME.] Si meum dumtaxat desiderium consuluissem, jampridem Romam advolassem: sed hanc mihi Deus abstulit voluptatem, & voluptas mea obedientiæ illius mihi fuit posthabenda. Sequitur afferre rationes, cur iter suum distulerit.

℣. 16. NON ENIM ERUBESCO EVANGELIUM [6].] Si Romam usque non accessi, ibi JESUM CHRISTUM annunciaturus, non mea voluntas, non persecutionum metus, non Evangelii prædicandi verecundia me prohibuerant. Persecutiones non timeo, neque erubesco prædicare Deum Crucifixum, atque me meo insaniam sæculi hujus Sapientum cachinnis, & contumeliis objicere. JESUM audacter prædico. *Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: Ipsis tamen vocatis Judæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*. 1. Cor. 1. 23.

VIRTUS [7] ENIM DEI EST IN SALUTEM OMNI CREDENTI.] Virtus Dei est Evangelium, quatenus omnibus in JESUM credentibus salutem, æternamque felicitatem procurat; non quod Evangelium per se Fidem operetur, neque Fides sola certissimam afferat salutem. Satis liquet, quamplurimos Evangelium audire, quin credant, & alios complures credere, quin salvi fiant. Sed simplicior, atque usitatior via, qua Deus nos ad Fidem adducat, est Evangelii prædicatio: & quicumque credit, atque juxta ea, quæ credit, suam vivendi rationem instituit, ad finem usque perseverans in Fide, Charitate, atque Christianarum virtutum exercitatione, hic vivet, eritque æternum beatus: qua in re Deus præcipue Gratiæ suæ vim, atque potestatem enitescere facit, idque maximum est Divinæ virtutis miraculum.

JUDÆO PRIMUM, & GRÆCO.] Salus Judæis primum promissa fuit, JESUS CHRISTUS ad eos solum prædicavit; dumque viveret prohibuit, ne Discipuli sui alienigenis Evangelii lucem afferrent [8]: & post ipsam Resurrectionem, licet illis integrum reliquerit omnibus quibuscumque populis prædicare, ad hos tamen non nisi Judæis abnuentibus, salutis Verbum attulerunt; immo peculiaribus quibusdam opus fuit miraculis, ut S. Petrus incircumcisis Evangelium vellet aperire [9]. S. Paulus quocumque pergeret, Judæis primum, Gentilibus deinde prædicare consuevit.

Isthic sensim argumentum suum aggreditur Apostolus, atque indirecte Romanorum evertit præsumptionem, qui aliquid sibi super Judæos vendicabant; ac gratiam vocationis ad fidem se meritos fuisse arbitrabantur.

℣. 17. JUSTITIA DEI IN EO REVELATUR EX FIDE IN FIDEM.] Dei Justitia nobis revelatur in Evangelio. Justitia hæc, quæ ex Fide proficiscitur, per Fidem perficitur. Dei justitia hoc in loco, ex nonnullorum sententia [10] eam significat justitiam, per quam Deus, vel JESUS CHRISTUS Justus vocatur; ut aliis vero placet [11], eam justitiam, per quam justificamur: vel justitiam veram, atque perfectam, per quam justi sumus coram Deo, secundum vulgarem Scripturarum loquendi rationem, ubi aliquis coram Deo justus vocatur, vel ejus justitia, pulchritudo, magnitudo, dicitur justitia, pulchritudo, magnitudo Dei, ad earum qualitatum præstantiam, atque perfectionem indigitandam.

Sed explicatio, quæ hoc intelligit de justitia, quam Deus per gratiam suam impertitur, ea sane melior videtur, atque conformis est iis, quæ S. Paulus ait ad Philippenses [12]: *Et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex Lege est, sed illam, quæ ex fide est CHRISTI JESU: quæ ex Deo est justitia in fide*. At hæc justitia, quam ex mera Dei accipimus misericordia, nobis in Evangelio per Fidem declaratur; quippe ex Evangelio discimus, operibus externis, atque cæremonialibus Legis præceptis non eam inesse vim, ut nos valeant justificare: & JESU CHRISTI dumtaxat Fidem charitate animatam, atque bonis fultam operibus, tantum nobis boni posse conferre.

Addit S. Paulus, justitiam hanc ex Fide proficisci, ac per Fidem perfici; *Ex Fide in Fidem*; cum fidelis de virtute in virtutem progreditur, & quotidie magis, magisque in Fide, atque Evangelicarum virtutum exercitatione procedit [13]. Non enim simpliciter loquitur de Fide theoretica, sed practica, & quam charitatis flamma succendit. Aliter; Justitia, quam nobis communicat Deus, revelatur in Evangelio ex veteris Testamenti fide in fidem novi progrediens [14]. De Fide in Fidem procedimus, cum de Lege ad Evangelium, de fide veritatum in Moyse, ac Prophetis descriptarum, ad eas migramus, quæ nobis a JESU CHRISTO in Evangelio, & a S. Spiritu, qui per os Apostolorum

rum

---

1 Gr. impress. Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν. Alii, ἐν οἴομαι ἀγνοεῖν. Ambrosiaster. in Rom. *Non autem arbitror ignorasse vos*. Ita Pelag. Primas. Claromont. Gr. Lat. 2 Ambrosiast. in hunc locum.
3 Vide Cajet. & Grot. hic. Etiam Romanos Plautus vocat barbaros.
4 Vide Castal. Drus. Erasm. 5 Plures legunt. *Itaque*. 6 Gr. addit τοῦ Χριστοῦ. *Evangelium Christi*, sed illud deest in pluribus MSS. Copt. Syr. Æth. Chrys. Origen. Tertull. Ambr. Hier. Vide Zeger. Est.
7 Δύναμις, *potentia, vis*. 8 Matth. 10. 5. *In viam Gentium ne abieritis*.
9 Act. 10. 11. 10 Theodoret. 11 Chrysost. Theophyl. alii Græci, August. l. de Spirit. & litt. cap. 11. Ita Est. Toler. Menoc. alii. 12 Philipp. 3. 9. 13 Theophyl. Oecumen. Est. Peter. Sa, Scalig. Glass. Ludov. de Dieu, alii. 14 Tertull. l. 5. c. 13. contra Marcion. *Ex fide Legis in fidem Evangelii*. Clem. Alex. l. 5. Strom. Chrysost. hic; Toler. Grot. alii.

rom Intatpretum fensuom Jueu CHRITTI loquitot, deteguntur. Chriſtiani Pidet perfectioz eſt, fulgidiot, ſublimiot, quem Judæi.

JUSTUC AUTEM EX FIDE VIVIT.] Vel eum Græco, & Hebræo, *vivet ex Fide*. Ite probat, quod ſupre dictum eſt, Juſtitiam fiuera ex Fide, ac per Fidem perfici: val Fidem in Lagem perfici a Fide in Evangelium; nam, addit ille, *Juſtus vivet*, & per Pidel metitum ſupremæ particeps erit beatitudinis. Vel potius: Fidea ſua illum juſtum, & beatum efficiet. Habacua, unde locus hic depromptus eſt, innuebat, cos ex Judæis, qui in Deum erediderint, omnamqua ſpem in ejus promiſſionibus collocaverint, da Babylonis captivitate eſſe liberandos. S. Paolus hoc ed novi Teſtamenti viros Juſtos tranſtulis. Per Pidem chariteta animatam, bonorumque operum axarcitationem Gratiæ vita vivent, æternaqua beatitudine petfruensur [1]. Babylonis Captivitat figute atat ſtatot peccati, in quo anta JESUM CHRISTUM homo verſabetur. Bonorum Iſraelitatum Pidas atat ſymbolum bonorum Chriſtifidelium. Ptimi illi pet fidem meriti ſunt, ut in libertatem avocearantur: bi vero per fidem in JESUM CHRISTUM peccatorum veniam, verem juſtitiam, atque cœleſtem bestitudinem conſequuntur. Hebræus legit: *vivet per fidem*; & Septuaginte: *vivet per fidem, quam habebit in me*.

℣. 18. REVELATUR ENIM IRA DEI.] Dei Filius in Evangelio detagit ſupplicia, quibus aliquendo impii afficiendi ſunt; cum illis axtremum judicium, alterom advantum ſuum, ignem numquam extinguendum, & vermem numquam moriturum minitatur [2]. Erumpet ita Dei *de Cœlo*, cum apparabit Dei Filius in nubibus, gloria, & majeſtera ſua circumdatus [3], & velut ignis ad ultionem ſuam exercendem deſcendet. *In flamma ignis dantis vindictam*. 2. Theſſal. 1.

Erumpat autem in eos, *qui veritatem Dei in injuſtitia detinent*. Biferiam Dei varites in injoſtitia datinetur, vel eae, quas agnoſcimut, veritates aliis invidendo, vel eae non exereendo; cujut utriuſque injoſtitiæ nomine Philoſophi redarguuntur. Cognoverunt veritatas de unitate Dei: verum eas detegara, aliiſque aperire auſi non ſont; veriti, ne populi in ſe furorem concitetent. Vitam egerunt fidei ſuæ prorſus oppoſitam, extrinſecus ea colentes numina, quæ intrinſecus Deot eſſe neſciebant, ac turpia dictu, factoque patrentes, quæ ipſi quoque in aliis damnabant. Infetendum eſt ergo, ab Evangelio, quod omnem injuſtitiam, impietatem, impudicitiam damnas, damnati Ethnicos quoque licet ſapientiores, & qui magis frugi videntur. Hoc S. Paulus probare cupiebat; nullam videlicet eſſe verem in Ethnicorum Religione juſtitiam, ideoque meritum nullum.

Quod hactenus de Ethnicorum impietata, ac Philoſophorum ſcaleta diximus, facile ax eorum ipſorum ſcriptis probatur. Varro [4] triplicem facit Theologiæ ſpeciam; alteram fabuloſam, Poetarum propriam, alteram Phyſicem a Philoſophis excogitatam, tertiam politicam a Principibus, populiſque invectam. Prior Theologiæ ſpecies, quæ Poetarum eſt adinvantum, ex illius ſententie, irridenda plana, & contamptibilis eſt; quoniam Diis aa adſaribit, quæ illis prorſos indigna ſunt, furta, adulteria, turpes, flagitioſeſqoe animi ægritudines. Altera, quæ naturalis eſt Philoſophorum Theologia, minime apta aſt populis, & civitatibus; inutilia quippe complectitur, & nocua, quæ rudi populo aperiri minime expedit: puta Herculem, Eſcolapium, Caſtorem, & Pullucem non eſſa Deos; ſed verum Deum neque corpus habara, neque ſexum, nec membra. Tertia denique Theologiæ ſpeciet, quæ popularis eſt, a Principibut axeogitata ad multitudinem coercendam, atqua cultum illius ſtatuendum, neceſſaria eſt, vel utilis ſaltem Raipublicæ, asmque debent Sacerdotes, & exequi, & docete; Deos religioſe, & publico cultu palam venerantes, populoſque in præjudiciis ſuis arga Divinitatem alentes. Ita Ethnici Philoſophi de Religiune ſua loquebantot. *Hoc nonne eſt veritatem Dei in injuſtitia detinere?*

Plato, quem minime fallebant ea, quæ naturali lumine de Divinitete poſſunt intalligi, ajebas in Timæo, nequa facile eſſe invenire, neque tutum popello oſtendere Univerſorum Parrem, & Creatorem. Seneca [5], qoi ſcite adeo Ethnicæ Religionis errores, atque ſuperſtitiones perſpexerat, ut illas in jocum traduxarit, in opera quodam hac de re da induſtria concinnato, aujus fragmenta nonnulla aarant apud S. Auguſtinum, id aſſerara eſt auſus, quod Varro veritus fuerat. Damnat enim eam politicam, atqua civilem Theologiam, aui Varro pepercerar, omneſqua ritos vertit in ludibrium. Verum qood præclare adeo incœperat, avertit, dicens ea omnia e Sapienta viro obſervanda, quæ in patria ſua inſtitute cognoverit, non tamquam ſancte, recteque inſtituta, ſed quod Legibus ſancita: *Quæ omnia ſapiens ſervabit, tamquam Legibus, non tamquam Diis grata*. Et mox: *Omnem iſtam ignobilem Deorum turbam, quam longo ævo, longa ſuperſtitio congeſſit, ſic adorabimus, ut meminerimus cultum ejus magis ad morem, quam ad rem pertinere*.

Græcus textus ſimpliciter legit: *Qui retinent veritatem in injuſtitia*, non autem, *veritatem Dei*; quemadmodum Vulgata, & SS. Ambroſius, & Hieronymus legerunt. Sed hæc additio ſanſum non movet; & ex decurſu liquet, S. Paulum hic de veritata Dei verba facare.

℣. 19. QUOD NOTUM EST DEI, MANIFESTUM EST IN ILLIS.] Philoſophi Deum aognovera, quantum lumine naturali fas eſt; illius omnipotentiam, unitatem, ſapientiam, aliaque attributa perſpexerunt: non autem illius myſteria, quæ nonniſi per revelationem detegi poſſunt [6]. Immo ipſa etiam attributa, de quibus locuti ſunt, aliis magis, aliis minus explorata fuerunt; quidem ea perfectius, alii eadem imperfectius comperta habuerunt. Non defuerunt etiam, qui negerint Divinitatem, & qui falſam omnipotentiæ, ac providentiæ Divinæ ideam conceperunt. Sed S. Paulus hic verba fecit de potiori Philoſophorum parte, qoi generatim Dei axiſtentiam credebant, eamque ex ipſa rerom ſenſibilium natura, earumque effectibus probabant, immo & in ſemet ipſis illius argumenta inveniebant.

℣. 20. INVISIBILIA ENIM IPSIUS A CREATURA MUNDI &c. [7].] Exinde ingens naturæ volumen omnibus patuit; quicumqua ibi exiſtentiæ Creatoris argumenta legera voluit, hæc ibi majoribus deſcripta characteribus deprehendit. Opifices ea operibus ſuis agnoſcuntur, ait Philo; Pictor ax tabulis, Sculptor ex ſignis ſuis. Qui elegantem ingreditus orbem, rectum admiratus ordinem, illam regentiom ſapientiam cognoſcit: & quis, qui oculos in ea omnia conjiciens, quæ in mundo ſunt, non intelliget ſtatim præclarum ordinem, qui ibi cernitur, eumumque non attollat ad eum, qui hæc omnia creavit, eaque moderatur?

Græcus verti poteſt: *Invisibiles Dei perfectiones revelantur in creaturis, quæ ſunt in mundo*. Creata hæc linguam habent ſuam, qua annuntiant illum, ex quo eſſentiam, & perfectionem ſuam perceperunt. *Cœli enarrant opera Dei*, inquit Propheta pſalm. 18. 1. 2. *& opera manuum eius annuntiat firmamentum*. Lingua eorum non eſt ignota, neque vox eorum exilis, & obſcura; ſed *in omnem terram exivit ſonus eorum*. Quæſivi ex iis, quæ me circumſtant, num ille Deus aſſent? ut negaverunt. Iterum autem dixi: cum Deus minime ſitis, ſaltem quæſo dicita, ubi eſt Deus, & quinam hic eſt? eaque ſublimiori voce clamarunt: ille eſt, qui

1 Vide Grot. hic, Vatabl. Eſt.
2 Marc. 9. 43. 44. 45.
3 Matth. 24. 23. & 26. 64.
4 Apud Aug. l. 6. c. 5. & l. 4. c. 27. de Civit. Dei.
5 Seneca lib. contra ſuperſtitiones apud Aug. l. 6. c. 10. de Civit. Vide & Aug. l. de vera Relig. c. 5.
6 Tolet. Eſt. Menoc. Tirin. alii.
7 Ἀπὸ κτίσεως κόσμου. Aug. de Civit. ibid. 8. 9. & 12. *A conſtitutione Mundi*. Ita Bez. Eraſm. Vat. Druſ. Hammond. Zeger. alii plures.

qui fecit nos. Eorum autem species est vox ipsorum; *Interrogatio mea, intentio mea: & responsio eorum, species eorum*, ait S. Augustinus l. 10. Confess. c. 6. n. 9.

SEMPITERNA QUOQUE EJUS VIRTUS.] Æterna illius potentia, atque divinitas in operibus ejus adeo compertæ fuerunt, & exploratæ, ut inexcusabiles mortales habendi sint, si illum, ut par erat, minime coluerunt. Verum quippe est, tot licet pateant argumenta ex creatis rebus desumpta ad Dei existentiam probandam, non defuisse Philosophos, qui fortuito mundum coaluisse censuerint, & alios, qui æternum illum crediderint, & qui Dei existentiam, & providentiam negaverint. Id genus homines sunt inexcusabiles, & quod perperam luminibus suis abutuntur, errantes in cogitationibus, ac fallacibus argumentationibus suis; & quod post corrupti cordis sui studia abeuntes in teterrima quælibet flagitia prolapsi sunt. Deus illis satis luminis ad veritatem intelligendam fuerat impartitus, si in id citra quodlibet præjudicium animos appulissent; atque satis cognitionis ad bonum a malo secernendum, & ad intelligendum, actiones, quas operabantur, æquitati, atque verecundiæ adversari, si conscientiam suam, & cordis sui sensum consuluissent. Illi in omne facinus libertime proruerunt, ac nullam in sceleribus suis, satis æquam invenire valent excusationem [1]: *Ita ut inexcusabiles sint*.

℣. 21. NON SICUT DEUM GLORIFICAVERUNT.] Illi gloriam, & honorem minime detulerunt, magnitudinem ejus non celebrarunt, eique ob benefacta, quibus cumulati sunt, gratias non egerunt. Philosophi agnoverunt quidem idololatriæ vanitatem, Ethnicæ Religionis falsitatem, populares errores de divinitate, verum non satis fortes fuerant, ut torrente adverso reluctarentur, & vanitates, quas cognoverant, prædicarent. In Scripturis, *glorificare Deum* [2], significat alicujus confessionem, qua secretum aliquid confitetur, ubi a Judicibus interrogatus, atque in Dei nomine adjuratus est: hic vero hoc ipsum ferme significat. S. Paulus Ethnicæ Religionis Sapientes viros accusat, quod Deum non glorificaverint, neque ausi fuerint eas detegere veritates, quas noverant, cum id ageretur, ut populis error auferretur, cumque ex illis Dei gloria, & veritas hanc confessionem exquirerent [3]. *Glorificare Deum* [4], sæpius etiam magnalia ipsius celebrare, illi eorum, quæ facimus, gloriam acceptam referre, eique animi grati sensus testari significat.

SED EVANUERUNT IN COGITATIONIBUS SUIS.] Erraverunt in vanis argumentationibus suis: Vel: Perierunt in argumentationum suarum vanitate: in fumum, ut ita dicam, abierunt; cognitiones eorum evanuerunt, & velut umbra dissipatæ sunt; nihil inde utilitatis perceperunt. Quin illis uterentur, ut Deum agnoscerent, amarent, eique inservirent, inani superbia intumuerunt. Vel, vana commenti sunt argumenta, ac tandem in errorem, atque dementiam lapsi sunt: omnes enim hi sensus tribui possunt Autographo ad litteram legenti: *Vani fuerunt*, inutiles, fallaces *in cogitationibus*; in argumentationibus suis. Hæc omnia facile in Philosophorum persona probantur, quorum cognoscitur vanitas, errores mentis, insanæ cogitationes; cum nihil adeo absurdum queat excogitari, quod Philosophus aliquis non probaverit; quemadmodum promissa inductione facillime hoc posset ostendi. S. Augustinus Philosophorum scripta, in iis præsertim, quæ ad mores attinent, jure suo [5], *magna magnorum deliramenta doctorum* appellat.

OBSCURATUM EST INSIPIENS COR EORUM.] Cor sæpius pro mente usurpatur. Philosophorum spiritus in cæcitatem, erroremque decidit: ubi theoretica cognitione Deum cognovissent, turpissimis cordis sui affectibus, atque fœdissimæ idololatriæ sese mancipaverunt. De industria Sanctus Paulus exaggerat quid-quid in commenticiis hisce sapientibus ridiculum est, ut magis pateat, quibusnam de hominibus Ethnici gloriarentur, & quos tamquam virtutis, & sapientiæ exemplaria proponerent. Versiculo 24. explicite ait, eos, qui sapientes se ferebant, stultos factos esse: *Dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt*: saltem quoad cognitiones veritatum Ethicæ, & Religionis, & quoad maxime necessaria hominis officia. Et sane, si ad examen serio revocare velimus sensus, & vitam plerorumque Philosophorum, atque Sapientum, qui apud varios populos floruerunt, puta apud Græcos, Persas, Gallos, Indos, & Ægyptios in eorum præceptis tenebræ, in vita vero flagitia tantummodo inveniuntur. Nihil melius ostendit naturæ humanæ corruptionem, gratiæ JESU CHRISTI necessitatem, & utilitatem conatuum naturæ, JESU CHRISTI gratia carentis, quam mentis, & cordis corruptio in illis, quos Ethnica Religio tamquam perfectos homines jactitavit.

℣. 23. MUTAVERUNT GLORIAM INCORRUPTIBILIS DEI.] Hoc vel maximum est insaniæ eorum argumentum; quod nempe ad res creatas eam transtulerunt gloriam, quæ uni Deo debebatur, homines, aves, bruta, serpentes venerati, atque Divinitatem, quæ incorporea, invisibilis, incorruptibilis est, sub corporeis, ac sensibilibus imaginibus exhibentes; uterque adeo crassus est error, ut vix in illos sapientes, seriosque homines incidisse crederes, nisi rei certissima argumenta superessent. Liquet, integros populos, a summo ad imum, sapientes simul, & insipientes felibus, canibus, bobus, flagitiosis, criminosis hominibus, Jovi, Veneri, Mercurio, Herculi &c. elementis etiam, igni, aeri, aquæ, & syderibus, Soli, Lunæ, Cœlo, thura adolesse. Et quasi non satis magnum esset crimen, Dei nomen polluere, illud ad res creatas transferendo; illud ipsum tribuerunt etiam figuris, & signis syderum, hominum, brutorum, eaque venerati sunt, tamquam ea, quæ ab iisdem exhibebantur.

℣. 24. IN DESIDERIA CORDIS EORUM.] Mentis eorum error, & cordis corruptio in pœnam alios errores, aliamque corruptionem invenere. Deus illorum nequitia, & ingrati animi vitio irritatus, ipsos turpissimis affectibus tradidit; passus est, illos in recentia dilabi flagitia; non impellens, vel illos in ista conjiciens, sed gratiam suam illis non elargiens, eosque ipsorum pravis studiis derelinquens [6]; tamquam Imperator, S. Chrysostom. hom. 3. in Rom. 1. utat similitudine, qui rebellem, atque inobedientem exercitum, ubi majus imminet periculum, deserit: vel ut Theodorus ait, tamquam nauta, qui navem mediam in fluctibus relinquit sine pondere, quod necessario requiritur, ut undis agitata resistat.

UT CONTUMELIIS AFFICIANT CORPORA SUA.] se turpissimæ libidini mancipantes. Homo ad Dei imaginem creatus corpus suum dedecorat, afficitque contumelia, ubi illud contumeliosis, atque obscœnis ministeriis addicit; quemadmodum homo alter dedecoratur, cum in usus vel naturæ oppositos, vel conditione sua indignos, vel in sa turpes impenditur. Deus corpus nobis tribuens, omnia, & singula membra quibusdam naturalibus, licitisque usibus destinavit; qui ergo membris iisdem aliis in rebus abutitur, hic illa afficit contumelia: *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est*, inquit Apostolus 1. Cor. 6. 18. *qui autem fornicatur in corpus suum peccat. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti... Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*, 1. Cor. 3. 17. *Si quis Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*, 1 Thessal. 4. 4. *Sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderii &c.*

Ethnicorum Philosophi, Deum contumeliis affecerunt; postquam cognoverunt illum, caritates ejus in capri-

1 Vide Origen. Chrysost. Toler. Erasm.
2 Josue 7. 19. *Da gloriam Domino Deo Israel*. Joan. 9. 24.
3 1. Par. 16. 24. 28. 29. & in psalmis passim.
4 Vide August. l. de vera Relig. c. 4.
5 August. serm. 241. nov. edit. cap. 6. alias de tempore 141.
6 Vide August. l. 5. contra Julian. c. 3. & l. de Nat. & Grat. c. 22. & Toler. Est. Menoc. Tirin. Ita & Origen. Chrysost. Theodoret. Theophyl. Ambrosiaster.

captivitate continuerunt, neque ausi sunt illas detegere, eisque illum, quem merebantur, honorem præstare. Deus vero, ut illos animadverteret, eos luminibus suis privavit, eosque in reprobas, pravasque ipsorum tradidit cupiditates, ut non alios, quam se ipsos carnifices haberent, & rubore suffunderentur in turpia lapsi flagitia; *mercedem, quam oportuit, erroris sui in semet ipsis recipientes* ℣. 27.

Græce verti potest: *Inter se mutuo proprium corpus suum dehonestarunt*. Invicem alii in alios fœde facti, atque dicti ausi sunt. Sed prior versio melior est, atque probatior. Se ipsos dedecorarunt.

℣. 25. QUI COMMUTAVERUNT.] Mendacium sæpe in Scripturis pro Idololatria usurpatur, & pro Idolis [1]. Philosophi, qui Deum cognoverant, veritatem hanc in mendacium converterunt, & quin Dominum colerent, mendacium secuti sunt; ac mendacem cultum amplexi, creaturæ honorem illum detulerunt, qui Creatorem solum decebat; *Servierunt creaturæ potius, quam Creatori, qui est benedictus in secula, Amen*. Creatori videlicet, qui omnium laudum, atque benedictionum genus, omnem cultum, omniaque officia nostra in tempore, atque in æternitate meretur, Amen. Ita sit. *Amen*, significare etiam potest, certe, haud dubie. Deus proculdubio omnes laudes meretur, & benedictiones. S. Paulus sæpe utitur hac voce *Amen* [2], etiam in sermonis decursu, tamquam specie quadam exclamationis, qua cupit, ut Deus vere ab omnibus mortalibus celebretur.

℣. 26. PASSIONES IGNOMINIÆ.] Permisit, ut se se traderent flagitiosis affectibus, factisque turpissimis, quæ & eorum corpora, & personas dedecorarent; quod satis superque ex Philosophorum Historia probatur. Nemo nescit, Socratem [3], & Platonem [4] pueros deperiisse; quorum posterior redarguebatur nomine superbiæ, ac vanitatis, & quod vitam longe aliter a præceptis suis traduceret. Lycon apud Eusebium Præpar. l. 5. c. 2. testatur, Aristotelem uxori, quam sibi mors abripuerat, divinis honoribus litasse, iis similibus, quibus Attici Cererem venerabantur. Citra pudorem legi nequeunt obscœnissima Diogenis Cynici flagitia, quæ palam, omnibusque inspectantibus committere non verebatur. Neque continentior erat Aristippus [5], & S. Chrysostomus hom. 5. in Epist. ait, Zenonis sententiam fuisse, mulieres omnes communes esse debere; quæ inter Platonis leges fuisse non dubitatur. Inutile est de Epicureis verba facere, quorum nomen ingentis instar probri est, & qui maximam felicitatem in voluptate constituebant [6]. Periander ipsa matre sua abusus fuisse dicitur. Chrysippus vero, incestus cum matribus, ac filiis ipsis concubitus licere putat. Vide Cornel. a Lap. hic.

NAM FOEMINÆ EORUM.] Quæ etenimque sexum naturaliter conjungerent, mulieres fœdissimis prostitutionibus omnes corporis sui partes turpissime polluerunt [7]; vel etiam obscœniori adhuc libidine illæ inter se se mutuo actionibus contra naturam coinquinarunt [8]. S. Paulus a mulieribus exordium sumit, quorum pudor major esse debet, & quarum flagitia ex imitatione libidinis virorum profecta sunt; quibuscum præcipue S. Paulo res est, ac sermo, in horribili descriptione, quam de moribus Ethnicorum ævi sui isthic exornat.

℣. 27. SIMILITER AUTEM, & MASCULI.] Hoc libidinis genus olim adeo vulgatum erat, ut operæ pretium non sit, illud hoc in loco exemplis probare. Neque ab iis flagitiis immunes erant Græci Philosophi; verum quomodo immunes essent homines, si Dii etiam huic impudicitiæ se mancipaverunt [9]? Hoc nomine accusantur Solon [10], Zenon [11], Plato [12], Socrates [13], Aristoteles, Lycurgus [14]; qui & ipsi in hoc impudicitiæ genere se se exercuerunt, & illud aliis permiserunt. Vitium hoc Romæ adeo inoleverat, ut passim, ac citra ullam verecundiam admitteretur [15]. Legibus minime vetitum erat: in eos tantum animadvertebatur, qui libero puero vim intulissent. Hucusque etiam apud sapientes viros, & qui ex Ethnicis majoris nominis celebritate florebant, libido processerat.

MERCEDEM, QUAM OPORTUIT.] Ipse Deus persecutus est scelus, & cæcitatem libidinosorum hominum, aliis sceleribus, quæ illius velut effectus, ac remuneratio fuerunt. Ipsi Deum dereliquerant; Deus vicissim eos dereliquit. Illi abusi sunt donis Dei, scientia, eloquentia, mente sua; Deus permisit etiam, ut corporibus suis abuterentur, in turpissima lapsi flagitia, quæ apud bonos viros in omnia sæcula eorum nomini turpitudinis notam inurent. Ita peccatum sæpe præcedentis peccati pœna est, quemadmodum Patres, atque Interpretes docent.

℣. 28. SICUT PROBAVERUNT DEUM HABERE IN NOTITIA.] Quemadmodum Deum agnoscere noluerunt, ita tradidit illos Deus in reprobum sensum. Hæc est Græc. Textus, meliorumque Interpretum sententia [16]. Cum Ethnici Philosophi Deum noluerint agnoscere, venerari, eique servire, quemadmodum debebant, & Supremum hoc Ens, quod cognoverunt celebrare, atque conscientiæ suæ lumina sequi requierint, quibus sibi sua officia ostendebantur; Deus, ut in illos animadverteret, *tradidit eos in reprobum sensum*, propter quem ea adamarunt, atque probarunt, quæ neque ullam existimationem, neque approbationem ullam merebantur, permittens, ut in eos mentis, & cordis errores laberentur, qui in hominibus tanti ingenii, tantæque eruditionis vix fingi possint. Non impulit eos in hanc reprobum sensum; verum eos in illis reliquit, neque inde eduxit. *Reprobus sensus*, significat sensum pravum, flagitiosum, insipientem, dignum, qui rejiciatur; & qui nullam existimationem meretur: quemadmodum nummus notæ sequioris, vel qui interdictus est, *reprobus nummus* [17] appellatur.

℣. 29. REPLETOS OMNI INIQUITATE.] Pseudo-sapientes Ethnici non solum flagitiosi fuerunt in iis, quæ ad usum voluptatum pertinent; verum etiam omni scelerum genere se se coinquinarunt: injusti, scelesti, avari, invidi, interfectores, &c.

Græca, & Latina exemplaria variant ordinem rerum, de quibus S. Paulus verba facit: *Repletos omni iniquitate, fornicatione, malitia, avaritia, malignitate, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, nequitia*. Græca etiam Exemplaria inter se variant: quorum nonnulla *fornicationem* omittunt, utpote quæ in præcedentibus versiculis continetur; alia vero *malignitate*

1 Vide Isai. 28. 15. & 44. 20. Jerem. 23. 25. & 43. 24. Osee 7. 1.
2 Rom. 9. 5. & 10. 36. et 15. 33. et 16. 20. 27. 2. Cor. 13. 13. Galat. 1. 5. 6. 18. &c.
3 Vide Dion. Chrysost. Orat. 63. Ælian. var. hist. l. 4. c. 11. Lucian. Vitar. auction. Juvenal. Satyr. 2. *Inter Socraticos notissima fossa cinædos*.
4 Laert. in Plat. n. 29. Seneca de Vita Beata cap. 18.
5 Laert. l. 2. n. 66.
6 Laert. l. 10. n. 6.
7 Paræus hic. *Ad propositos, & Sodomiticos concubitus se se moribus prostituerunt*. Vide Tolet.
8 Clem. Alex. Senec. Ep. 95. *Libidine vero ne maribus quidem cedunt pati natæ. Dii illas Deæque male perdant, adeo perversum commentæ genus impudicitiæ*. Vide Grot. hic. Et. Cornel. a Lapide. Martial. de Bassa Tribade.

Commenta est dignum Thebano ænigmate monstrum
Hic ubi vir non est, ut sit adulterium, &c.

9 Theophyl. Antioch. apud Grot. hic.
10 Plutarch. in Amatorio.
11 Laert. in Zenone.
12 Vide sup. & Theodoret. 9. de curan. Græc. affect.
13 Vide sup. item Tertul. Apolog. cap. 46. & l. de Anima cap. 1. Nazianz. Orat. advers. Julian. alios.
14 Theodoret. ubi supra.
15 Vide Grot. hic. & Est. Senec. ep. 95. *Transeo puerorum infelicium greges &c.*
16 Ita Chrysost. Theodoret. Syr. Arab. Vat. Erasm. Tolet. alii.
17 Vide Grot. Ludov. de Dieu.

tatem reticent, quæ eadem est ferme ac malitia, quæ paulo superius memoratur. At ordo verborum inter se variat etiam in Manuscriptis [2]; Sed hæ mutationes rem nihil immutant.

Malitia, *nequitia*, *& malignitas* apud Latinos idem fere significant: sed in Græco textu prior vox [3] designat quamdam nocendi cupiditatem, affectatam malitiam ad malum faciendum. Altera vero [3], spiritum perversum, & malignum: tertia tandem [4] asperitatem quamdam, & morum rusticitatem, quæ vel ex prava humorum temperie, vel ex improba educatione proficiscitur. Abs re puto exemplis ostendere, omnia hæc vitia, & alia quæ in ℣. ℣. 28. 29 memorantur, passim apud Græcos, & Romanos grassata fuisse, & generatim apud Gentiles. Perpauci sunt in Historia viri vel modice insignes, qui rei hujus exempla non suppeditent; pleraque hæc crimina publica erant, & apud integras nationes communia.

℣. 30. SUSURRONES, DETRACTORES [5].] Primi clanculum obtrectant, ac ficta quædam serunt, ut inter amicos dissidia, atque simultates pariant. Posteriores amicorum etiam suorum existimationem proscindunt, & per maledicendi libidinem in iniquum sensum detorquent, immo & in vulgus pandunt, quidquid alii operantur.

DEO ODIBILES [6].] Quidam [7] hoc cum præcedentibus conjungunt. Maledicos, & qui falsa nuntiant, Deus odit. Alii absolute hoc intelligunt de hominibus, qui in odio sunt apud Deum propter scelera, & flagitia sua. Vel, homines, *qui Deum oderunt* [8], qui Dei providentiam negant, qui illius justitiam accusant, cum ab illo plectuntur; & qui in Deum blasphemias evomunt, ubi aliorum supplicia distulerit. Pleni sunt Ethnicorum libri hujusmodi in Deos suos contumeliis [9].

CONTUMELIOSOS [10].] qui injuriis addunt contumeliam, & incommodationi convitia. Græca vox significat etiam libidinosa flagitia, quæ natura sunt contumeliosa, & vim quæ hæc in se honestis personis inferant [11].

SUPERBOS, ELATOS.] Superbia vitium erat Philosophorum, atque Stoicorum præsertim, qui non ferendo fastu alios homines contemnebant, & qui se solos scitos, sapientesque putabant. *Elati*, arroganter, qui Diis quodammodo se se æquales ferebant: Horatius Epist. l. 1. Ep. 1.

> *Ad summam sapiens uno minor est Jove; dives,*
> *Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.*

Generatim Philosophorum vitium erat superbia, S. Augustino l. de Spir. & lett. c. 12. teste: *Eorum propria vanitas morbus est.*

INVENTORES MALORUM.] Qui omnem mentis suæ vim in id transmittunt, et novas voluptatum, sumptuum, luxusque adinventiones comminiscantur; qui mollitiem, & epularum rationem ad exquisitissimum apicem provehunt. Cum hæc scriberet S. Paulus, hujusmodi flagitia ad cumulum in Romano excreverant Imperio, & Romæ præsertim dominabantur. Nero, qui tunc ibi imperabat, libidinis erat monstrum; ante ipsum vero viaerant Tiberius, & Caligula, quorum historia omnium crudelitatum, atque libidinum congeries est refertissima.

PARENTIBUS NON OBEDIENTES.] S. Paulus hoc scelus inter maxima, isthic, & in altera ad Timotheum epistola numerat [12]; cum non secus ac cœtum pleraque, de quibus sermo fuit, naturali legi, & primis pietatis, atque justitiæ notionibus adversatur. Non latet, quid in Liviam Tiberius, in Claudium Nero ausi fuerint; & quid post hanc conscriptam Epistolam Nero idem Agrippinæ matri fax fecerit. Græcus ad litteram [13]: *Qui non audiunt parentum suorum monita*, qui in illos insurgunt, eisque parere detrectant.

℣. 31. INCOMPOSITOS.] Sine modestia, vel disciplina. Græcus [14] bifariam explicatur: ab aliis [15], de *perfidia*, homines sine fide, qui neque fœdera, neque contractus seu publicos, seu privatos servant: quod vitium Romanis exprobratum post bella Punica, quemadmodum hunc in locum Grotius animadvertit. Ab aliis [16], de quodam morum austeritate, ac difficultate; quæ suavitati, urbanitati, ac miri ingenio adversatur: verum prior sensus probatior est.

SINE AFFECTIONE, SINE FOEDERE.] Græca vox, quam vertit Vulgata, *sine fœdere*, sine fide, in plurimis Græcis MSS. omittitur. Fortasse crediderunt, vitium hoc in illo jam contineri, *incompositos*. At S. Paulus utraque hæc nomina, quæ isthic leguntur, simul conjungit in altera ad Timotheum Epistola c. 3. 3. unde conjicere licet, nihil isthic abundare. Prior vox, *sine affectione*, eos significat, qui omnem penitus humanitatis, misericordiæ, charitatis sensum exuerunt. Romani, atque Ethnicorum plerique libere filios suos exponebant, ubi in re non censuissent, illos alere, vel eum ad alendos sibi vires minime suppeterent [17]. Erga miseros autem duri, & immisericordes erant, atque Ethnica religio nullam ipsis charitatis documentorum præbebat.

Altera autem vox, quæ vertitur *sine fœdere*, sine fide, eos proprie significat, qui fœdera, atque contractus infringunt, quibus bona deest fides in promissionibus, & negotiis suis. Sed ne hi cum *incompositis* confundantur, quos in eumdem ferme sensum explicuimus, complures hoc intelligant de odio plusquam Vatiniano eorum, qui cum nullo pacem servare, ac nemini parcere possunt.

SINE MISERICORDIA.] Qui ad interitum usque persequuntur, atque affligunt; quos alienorum malorum nulla tangit miseratio; qui in persequenda ultione crudeles sunt; erga servos inhumani, erga inimicos violenti. In Historia Romana leguntur exempla crudelitatis, quam belli exercuerunt & Seneca ep. 47. & l. 5. de Benef. c. 15. sævissimam dominorum in servos inclementiam testatur. Credunt nonnulli, Apostolum ad Stoicos præsertim respexisse, docentes, Sapientem affectibus vacuum esse oportere, atque immutabilem, quodcumque in terris accidat; quod omnem prorsus amicitiam, benevolentiam, & miserationem evertebat.

℣. 32. QUI TALIA AGUNT, DIGNI SUNT MORTE.] Ethnicis Philosophis nequaquam incomperta fuit Dei justitia, sapientia, potentia. Agnoverunt, facta quædam mala esse bona quædam; attamen permisit Deus, ut eousque excæcarentur, ne viderent, ea omnia flagitia, quæ hactenus enumerata sunt, æternis esse digna suppliciis [18], non pro iis solum, qui faciunt ea, sed pro illis etiam, qui eisdem assensum tribuunt, & approbationem [19]. Philosophi ergo, qui in hæc scelera non lapsi sunt, non idео patent se omni culpa vacare: satis est, illos, cum potuerint, malum non prohibuisse, & non annuntiasse eas veritates, quas cognoverunt; si enim id facientes malum minime prohibuissent, saltem conscientiæ, muneri que suo satis fecissent. Qui ex illis minoribus obnoxii criminibus fuerunt, ideo tamen damnandi sunt, quod scelera, qua

2 Vide Var. Lect. Mill. hic.   3 Πονηρία, *improbitas, perversitas, pravitas, versuta, & fallax nocendi ratio*.   3 Κακία, *malitia, vitiositas ex natura, seu consuetudo nocendi*.
4 Κακοήθεια, *morositas asperis, & difficilibus moribus*.   5 Ψιθυριστὰς, καταλάλους.
6 Θεοστυγεῖς.   7 Gloss. ord. Pisca.   8 Cyprian. *Abhorrentes a Deo*. Grot. Bez. Est. Menoch.
9 Vide Grot. hic.   10 Ὑβριστὰς.   11 Vide Hamond. Grot.
12 2. Tim. 3. 2.   13 Γονεῦσιν ἀπειθεῖς.   14 Ἀσυνθέτους.
15 Theophylact. Grot. Erasm. Syr. Arab. Vatab. Lud. de Dieu, Hammond. alii.
16 Vide Tolet. Menoch. Tirin. Est.   17 Vide Grot. hic. Tertul. Apologet. Justin. Apolog.
18 Vide Platon. l. 10. de Rep. Cicer. de somnio Scipionis. Grot. hic, Est. Pars.
19 Philo de Specieg. Cyprian. Ep. 12. *Nec est alienus a crimine, cujus consensu, licet non a se admissum crimen tamen publice legitur*. Vide & Salvian. lib. 4. apud Grot. hic.

quæ cognoverant, non exprobraverint.

Græcus hujus loci textus differt: *Qui cognoscentes institiam*, vel *Legem Dei* pracipientis, *eum, qui hæc facit, dignum esse morte*, hæc non solum faciunt, verum etiam *& illa facientes probant*. Ethnici Philosophi minime exploratas, & compertas habuerunt Leges scriptas, quibus mortis supplicio quædam infanda, & contra naturam, scelera subjiciuntur: verum illis effulsit naturale lumen, quod studio excolentes intellexerunt scelerum eorumdem iniquissimam fœditatem [1]. Ea quidem plerique ipsorum theoretice damnarunt: sed licet hæc illis emicaret lux, eisque conscientia obstreperet; alii quidem eadem commiserunt, alii vero ea committentibus assensi sunt; non advertentes gravissimam in

A caput suum damnationem convertere, seu illa operarentur, sive illa probarent.

Sed Vulgatæ lectio in vetustissimis MS. Græcis invenitur [2], quorum quidam mille, ac ducentos annos tulerunt; item in S. Clemente Papa, qui S. Pauli etiam ævo vixit: in ejus Epistola ad Corinthios; in Origene in Ep. ad Rom. in S. Ambrosio de Bono mortis c. 7. in Lucifero Calaritano ep. 101. in S. Augustino in Psalm 57. aliisque pluribus [3], ita ut ambigi minime liceat, quominus hæc vera sit S. Pauli lectio; eo magis, quod optimum sensum afferat, ac optime, & cum decursu orationis, & cum Apostoli hoc in loco mente cohæreat.

---

1 Vide Grot. hic. Tolet. 2 Vide Var. Lect. Mill. in hunc locum, & Proleg. 141. 142.
3 Vide Cyprian. l. 1. ep. Hesych. in Lev. 30. Auctor Commentarii inter opera Hieron. Primas. Sedul. Ansel. Haym. &c.

C A P U T II.

Judæi, qui Ethnicos damnabant, æque ac illi noxii sunt, quod illorum flagitia imitentur. Deus reddet unicuique, secundum opera eorum. Lex non salvos faciet eos, qui eamdem infringunt, neque damnabit non violantes se. Vera circumcisio est cordis, & spiritus.

1. PRopter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim
judicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas. 2
Scimus enim, quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos, qui
talia agunt, 3 Existimas autem hoc, o homo, qui judicas eos, qui talia agunt,
& facis ea, quia tu effugies judicium Dei? 4 An divitias bonitatis ejus, & pa-
tientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœni-
tentiam te adducit? 5 Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, the-
saurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, 6 Qui reddet
unicuique secundum opera ejus; 7 Iis quidem, qui secundum patientiam boni
operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam; 8
Iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt au-
tem iniquitati, ira, & indignatio, 9 Tribulatio, & angustia in omnem animam
hominis operantis malum, Judæi primum, & Græci: 10 Gloria autem, & ho-
nor, & pax omni operanti bonum, Judæo primum, & Græco; 11 Non enim
est acceptio personarum apud Deum. 12 Quicumque enim sine lege peccaverunt,
sine lege peribunt; & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.
13 Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justifica-
buntur. 14 Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ le-
gis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; 15 Qui
ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis con-
scientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam de-
fendentibus, 16 In die, cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evan-
gelium meum, per Jesum Christum. 17 Si autem tu Judæus cognominaris, &
requiescis in lege, & gloriaris in Deo, 18 Et nosti voluntatem ejus, & probas
utiliora, instructus per legem, 19 Confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen
eorum, qui in tenebris sunt, 20 Eruditorem insipientium, magistrum infantium,
habentem formam scientiæ, & veritatis in lege. 21 Qui ergo alium doces, te-
ipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris: 22 Qui dicis non mœ-
chandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis; 23 Qui in lege
gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. 24 (Nomen enim Dei
per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est) 25 Circumcisio quidem
prodest, si legem observes; si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præ-

putium

putium facta est. 26 Si igitur præputium justitias legis custodiat: nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? 27 Et judicabit id, quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram & circumcisionem prævaricator legis es? 28 Non enim, qui in manifesto, Judæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: 29 Sed qui in abscondito, Judæus est: & circumcisio cordis in spiritu, non littera; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

℣. 1. PROPTER QUOD INEXCUSABILIS ES, O HOMO.] Infirmata Ethnicorum audacia, qui Philosophorum suorum doctrinam, meritumque jactabant, orationem suam convertit S. Paulus ad Judæos conversos [1], qui se Gentilibus superiores ferebant, contendentes, sibi certissimum esse jus ad JESU CHRISTI promissiones, atque gratiam Evangelii. Ait ergo, illos esse inexcusabiles, cum Ethnicos damnent, non quod Ethnicorum opera damnanda non sint, sed quod Hebræi illa damnantes Ethnicis nihilo erant meliores. Si Gentiles damnandi, quod naturalem legem violaverint, neque cœtuerint veritates, quarum cognitionem illis tradidit Deus per studium, atque scientiam; deteriores adhuc sunt Judæi, qui non paruerunt Legi scriptæ, & revelationi sibi creditæ a Deo. Hoc est universum capitis hujus argumentum, & explicatio, quæ melior, & melius cum sequentibus cohærere videtur.

Attamen Græci, & complures Interpretes Latini [2] hoc in latiori intelligunt sensu, vel de omnibus Judicibus, & Magistratibus generatim, vel de illis omnibus, qui de proximo suo judicium ferre audent, seu Ethnici sint, seu Judæi [3]; vel denique de Philosophis, qui censoria nota alios homines castigabant, licet illis nihilo essent sanctiores. Sed orationis S. Pauli decursus priori explicationi melius suffragatur. Hæc particula *Propter quod*, sequentia potius respicit, quam quæ præcedunt. Si Ethnici noxii sunt, vos, qui Judices esse vultis, æque sontes estis; ideoque inexcusabiles. Ad eos per apostrophem convertit orationem, dicens, *omnis homo, qui judicas*, vel damnas alios. Suppositio illius verbo tenus generalis est; verum illam coarctat sensus, qui perspicue Judæos respicit. Apostolus ostendere vult, neque Legem scriptam, neque Circumcisionem illis profuturam [4].

IN QUO ENIM JUDICAS ALTERUM, TEIPSUM CONDEMNAS.] Verbum *judico* hoc in loco, ut alibi passim, pro *condemnare* usurpatur. Damnabant Judæi Ethnicorum idololatriam, eorum errorem in morali scientia, eorumque in moribus flagitia: sed in his omnibus illos imitabantur. Patres eorum in gravissima quælibet scelera proruerant, idola quippe fuerant venerati, & jam ex eo tempore meriti fuerant, ut a Deo relinquerentur. Sapientiores vero, & qui apud eos magis frugi habebantur Domini nostri ævo, erant hypocritæ, superbi, ultores, Legis depravatores, in pravum sensum novis explicationibus suis eam detorquentes. Plenum est Evangelium narrationibus, ubi eorum scelera vel narrantur, vel corripiuntur [5]. Quod si Pharisæi, atque Sacerdotes ita erant flagitiosi, quid de reliquo populo existimandum? Josephus de Bello l. 6. de ævi sui Judæis, illis præsertim, qui Jerusolymam a Romanis obsessam propugnarunt, verba facit, tamquam mortalium omnium sceleratissimis.

At æquum est, ut qui alios judicat, eosque condemnat, iis saltem abstineat sceleribus, quæ in illis redarguit; nam si in eadem decidit, illa corripiens, se ipsum condemnat: *Nolite judicare, ut non judicemini*, Salvator ait Matt. 7. 1. *in qua enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*. Et Seneca: *Non potest ullam auctoritatem habere sententia, ubi qui damnandus est, damnat*.

℣. 2. SCIMUS ENIM, QUONIAM JUDICIUM DEI EST.] Scimus, Deum secundum veritatem, & justitiam suam justo damnare judicio eos, qui hæc patrant, quæ vos condemnatis. Non in hoc vos redarguo, laudem quidem meremini illos damnantes, atque improbantes: hoc enim in re Dei judicium sequimini, & justitiam ejus confitemini: verum hac vestra cognitione uti vos oporteret, turpia hæc facta in vobismet ipsis primum damnantes; quandoquidem ex Lege, quam irrogavit Deus, hæc damnanda esse intelligitis.

℣. 3. EXISTIMAS AUTEM HOC?] Te scilicet non damnandum, eo quod in aliis condemnas, quod tu ipse facis, cum scias, Deum acerrime vitia hæc in illis, qui iisdem obnoxii fuerint, puniturum? Quo plura scit, eo magis damnandus es, cum contra propriæ conscientiæ stimulos, mentisque lumina operaris.

℣. 4. AN DIVITIAS BONITATIS EJUS CONTEMNIS?] Divitiæ copiam significant; eaque familiaris est S. Paulo loquendi ratio; divitiæ gratiæ [6], divitiæ gloriæ [7], divitiæ bonitatis, & misericordiæ, divitiæ sapientiæ, & scientiæ [8]. Divitiæ bonitatis Dei significant magnitudinem misericordiæ, quam erga Judæos exercuit, & patientiam, qua illos invitavit, & præstolatus est ad pœnitentiam. Eo quod miserationis erga vos se plenum exhibet Deus, non ideo oportet, ut magis, magisque vosmet obduretis? Num inde illius lædendi ansam arripitis, quod vestra differt supplicia?

IGNORAS [9], QUONIAM BENIGNITAS DEI AD POENITENTIAM TE ADDUCIT.] Si Deus supplicium differt, ideo differt, ut illius clementiam intuitus ad ipsum revertaris. Misericordiæ tempori ultionis tempus succedet, & læsus amor in furorem vertetur.

℣. 5. THESAURIZAS TIBI IRAM.] Hebræi *thesauros* appellant cujuslibet rei congeriem, thesauros aquæ vivæ [10], thesauros pluviæ [11], thesauros vindictæ [12], thesauros metallorum in fodinis abditorum [13], thesauros auri, & argenti, thesauros tritici, vini, olei, aromatum &c. Judæi obstinati, atque superbi imitantes scelera gentium, quas damnabant, in se ipsos congregabant iræ thesaurum in diem ultionis; & non secus ac quod in thesauris continetur, diligenter asservatur, ita ut nihil intereat: ita, Theodoretus ait [14], omnia facta nostra seu bona, seu mala judicii die detegentur, & debitam sibi pœnam, vel remunerationem ferent. *Iræ thesauros, bonitatis divitiis* eleganter opponit.

IN DIE IRÆ &c.] Hic locus palam ostendit, Apostolum ad Judæos, non ad Ethnicos loqui. Ethnici quidem in inferno judices quosdam esse credebant, qui homines, prout in obscura ea loca descenderent, judicabant. Hæc pars erat artis illius, quam Theologiam poeticam appellabant, & quam omnino fabulosam esse arbi-

1 Aug. de Spir. & litt. c. 26. Est. Menoch. Tir. Tolar. de Brais, Cornel. Cleric.
2 Chrysost. alii Græci, Theodoret. Grot. Cajet. 3 Haymo, Ansel. Peter. Fromon.
4 Beza hic. 5 Vide Matth. 5. & 23. 6 Ephes. 1. 7.
7 Rom. 9. 23. Ephes. 1. 18. & 3. 16. Coloss. 1. 27. à Rom. 11. 33. Coloss. 2. 2.
9 Græc. Ἀγνοῶν, *ignorans*, & ita Latini Codd. probariores. Et Cyprian. l. 3. c. 35. ad Quirin. & lib. de Patien. & Iren. lib. 4. cap. 71. & Augustin. in Psalm. 102. & Ambrosiast.
10 Num. 20. 6. 11 Deut. 28. 12. 12 Deuter. 32. 34. 13 Deut. 33. 19.
14 Theodoret. hic.

arbitrabantur. Sed Hebræi præter peculiare judicium, quod post mortem singulorum habetur, & illud, quod semel in anno sub initium mensis Tizri, quo tempore civilis annus exordium sumit, haberi credebant, expectabant adhuc generale, atque universale judicium pro omnibus hominibus, vel saltem pro omnibus justis in valle Josaphat: quæ sententia liquido patet in prophetis, & Libris Sapientiæ, & Macchabæorum; sed multo magis in Novi Testamenti Libris, ubi Jesus Christus hac in re illorum fidem, atque traditionem confirmat. Dies hæc appellatur dies iræ, & districti judicii; tunc nullus erit amplius misericordiæ locus; clementiæ, & veniæ tempus jam excesserit, quoniam non erit amplius integrum homini pravum cordis sui habitum exuere, atque ad Deum per sinceram conversionem reverti. Illius conditio seu bona, seu mala in æternum stata erit, constans, & immutabilis. Arbor *in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, Eccle. 11. 3.

℣. 6. UNICUIQUE SECUNDUM OPERA EJUS.] Bonum quidem remunerabitur, malum puniet. Bonum, quod oppositæ, pravæque actiones non everterint, nanciscetur mercedem suam; malum, quod pœnitentiæ sensus, & opera non expiaverint, punietur. Ita Judæi superbi, atque arrogantes, qui alios omnes judicare vultis, atque commentitia jactitatis merita, & gloriamini ob eam gratiam, qua Deus vos elegit in populum sibi, præstolamini judicium illius, qui juxta opera, atque cogitationes vestras in vos animadvertet. Legis suæ cognitio majus sceleribus vestris, vestræque damnationi pondus adjiciet.

℣. 7. IIS QUIDEM, QUI SECUNDUM PATIENTIAM BONI OPERIS GLORIAM QUÆRUNT [1].] Gloria æterna, & Regnum cœlorum, quod ille vobis spopondit, nequaquam merces est sterilis scientiæ, neque theoriæ inutilis, quæ superbiam dumtaxat parit, & vanitatem. Deus hoc illis permittit solum, qui in bonorum operum jugi exercitatione versantur. Adverte autem, Apostolum non dicere simpliciter eos, qui bonum operantur, sed qui in bono perseverant, ut ostendat, *Virtutem boni operis esse perseverantiam* [2], neque salvos fore, nisi qui ad finem usque in bono persliterint: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, Matt. 10. 22. Explicationem hanc Origenes, S. Johannes Chrysostomus, atque Theophylactus in hunc locum sequuntur.

Non desunt, qui ita vertant [3]: *Concedit Deus gloriam, honorem, & incorruptibilitatem illis, qui per bonorum operum perseverantiam quærunt vitam æternam*. Alii [4], pro, *secundum patientiam boni operis*, legunt, *secundum patientiam in exercitatione boni*; nam reipsa virtus exerceri nequit, quin multum patiaris, atque plures subeas ærumnas, & adversa. Hinc Salvator in parabola triticum seminantis in agro, secus viam, & inter lapides [5], ait, postremos hos illos innuere, qui cum hilaritate Dei verbum recipiunt, sed qui non satis alte radices jaciunt, atque ubi tentationis aura afflaverit, virtutis viam statim relinquunt.

℣. 8. IIS, QUI SUNT IN CONTENTIONE.] Contentio, quæstio, loquacitas verum Judæorum characterem efficiunt. Indesinenter disputant, & numquam aliqua in re volunt consentire. Nihil infrequentius, quam sincera Judæi alicujus conversio. Hoc illorum ingenium, & in Evangelio videmus, & in historia de Actis Apostolorum, ubi jugiter disputare, & contendere volunt. Judæi Christianæ Religioni initiati, ad quos S. Paulus hac in Epistola loquebatur, hanc disputandi libidinem nequaquam satis cavebant [6]: cum fidelibus ex Ethnicorum errore conversis altercabantur de eorum fide, eorumque vocatione, neque meritis, neque fidelitati, neque bonis eorum operibus deberi asserebant. Hæ jurgia Ecclesiam turbabant, charitatem minuebat, & magnum obicem prædicationi veritatis afferebant [7].

℣. 9. TRIBULATIO, ET ANGUSTIA.] Afflictio, & desperatio, vel dolor, & mœstitia opprimet animam omnis hominis, vel simpliciter omnem hominem (anima hominis sæpius pro homine eodem usurpatur) malum facientem, Judæum præsertim, & Ethnicum. Quicumque malum operatur, a Deo judicabitur, & punietur secundum opera sua, quemadmodum superiori versiculo Apostolus inquit: præterea conscientiæ stimulis torquebitur, qui tamen eum mœrore, atque desperatione conficient, ut vitæ etiam illum tædeat. Hæc angustia, hi stimuli, hæc desperatio indigitare possunt statum damnatorum, postquam Dei judicium subierint: eaque damni pœna appellatur: & hæc mala in Judæos, æque & in Gentiles ruent. Utrique acerrimis stimulis confossi sunt, cum contra fas, & conscientiam suam egerunt: in æternitate vero ferent justam scelerum suorum pœnam summo bono privati. *Judæi primum, & Græci*. Hæc verba innuunt Judæos, utpote qui majoribus privilegiis, atque luminibus donati fuerunt, acrius quoque punitum iri, si Domini leges perfregerint, atque per scelera sua propriam conscientiam prodiderint.

℣. 10. GLORIA, ET PAX OMNI OPERANTI BONUM.] Gloriam, & pacem suppliciis, atque stimulis opponit. Gloriabantur Judæi, futurum, ut, etiam si maximis obnoxii sceleribus essent, Deus tamen in gratiam sanctæ originis eorum, tamquam filiis Abrahæ vitam æternam concederet. Hæc illorum erat sententia Sancti Justini Martyris ævo [8]. Hodie etiam non desunt Judæi, qui putent post annum suppliciorum animas damnatorum in nihilum redigi; alii vero pro gravissimis etiam sceleribus purgatorium admittunt; & qui severissime sentiunt, in æternum eos damnant dumtaxat, qui Divinitatem, atque mortuorum resurrectionem inficiantur, & qui totales leges contemnunt [9].

Has sententias isthic explodit Apostolus, tenens, hac in re Judæis nullum esse præ Gentilibus privilegium, & Deum in illos summa animadversurum severitate, si scriptas, vel naturales Leges contempserint, eosque omnibus bonis cumulaturum, si summa fide ea, quæ ab illis petit, præstiterint. Hic ait, quod, *Gloria, & honor, & pax* pars est *omni operanti bonum, Judæo primum, & Græco*. Non loquitur autem de Gentili proprie, adhuc in impietate, infidelitate, idololatria manenti: fieri quippe non potest, ut qui in hoc statu permanserit, bonum, & cœlestem gloriam, æternamque pacem acquirat. Non loquitur etiam de Gentilibus, vel Judæis, qui Christianæ Religioni nomina dederant; sed de illis, qui ante Moysis legem, & ante Messiæ adventum [10] vixere, quales fuerunt Noe, Melchisedech, Enoch, Job, Jethro, Naaman, aliique plures, qui naturalis Legis præcepta secuti Deo famulati sunt juxta lumina, atque interiores sensus, quos illis Deus communicabat. Hujusmodi viri licet Gentiles essent, præclaram, non secus ac Judæi, qui sub Lege vixerunt, Deoque fideles fuerunt, mercedem invenient. Qui Gentilem dicit, non illico & Idololatram dicit. Sed in Hebræorum stylo quicumque ab origine Judæus non est, Gentilis est.

℣. 11. NON ENIM EST ACCEPTIO PERSONARUM APUD DEUM.] Deus Judex est æquissimus, qui causæ dumtaxat rationes, non autem personas considerat. Pauper, dives, imus, summus, nobilis, humilis, gnarus, ignarus, Judæus, Gentilis, domesticus, alienus nullo sunt apud ipsum in discrimine. Ille vitium damnat, virtutem remuneratur, ubicumque illa deprehenderit [11]. Ita Judæi nativitatis vestræ jure ne abuta-

1 Græc. [illegible]. Latini Codd. plurimi, *quærentibus*. Et ita Interpretes, & expositores plerique omnes. Brug. Est. 2 Gregor. lib. 2. hom. 23. in Evang. 3 Oecum. Ambros. Greg. in Tolet. & ita fere omnes Latini apud Estium. 4 Vide Theodoret. Est. Menoch. Tolet. alios. 5 Luc. 8. 13. 6 Tolet. Est. Menoch. alii. 7 Vide Rom. 13. 13. 1 Cor. 6. 11. Galat. 5. 20. 8 Justin. Dial. cum Tryphon. 9 Vide Basnage Hist. des Juifs l. 7. c. 32. art. 1. 10 Vide Chrysost. Theophyl. Theodoret. ad vers. 9. 10. Grot. hic. 11 Vide Act. 10. 34. 2. Par. 19. 7. Deut. 10. 17. Matth. 22. 16. Est. Grot. Menoch. hic.

ebutamini, ut liberius in Deum peccetis; vos autem Gentiles, ne prætexatis vestram Divinæ Legis ignorantiam, ut laxatis habenis ruatis in scelera. Non adhibebit Deus aures futilibus, inanibusque excusationibus vestris; perfecta æquitate, atque secundum opera vestra vos judicabit.

℣. 12. QUICUMQUE SINE LEGE PECCAVERUNT, SINE LEGE PERIBUNT[1].] Ne dicant Ethnici: Moysis Legem non accepimus, quomodo ergo Dei voluntatem agnoscere possumus? Qui peccant, quin scriptam Legem acceperint, peribunt, quin per Legem damnentur. Si scriptam Legem ignoraverunt, non ita ignoraverunt legem naturalem, in corde eorum insculptam[2]. Legis hujus præcepta eos violasse satis est, ut jure damnentur; ipsi etiam punientur, licet non æque districte, atque Judæi, qui præter naturale lumen habuerunt etiam Domini legem, & voluntatum ejus revelationem. Hinc addit Apostolus: *Et quicumque in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur*.

℣. 13. NON ENIM AUDITORES LEGIS.] Hac in sententia duo adsunt verba, quæ explicationem exposcunt. Primum est nomen *Legis*, alterum illud *justificabuntur*. Moysis lex latius sumpta morales, cæremoniales, & judiciales leges complectitur. Ad hæc duæ sunt rationes, quibus Moysis lex exercetur, imperfecta altera, servilis, atque litteralis, altera vero spiritualis, libera, perfecta, & a charitate animata. Litteralis, atque servilis legum observantia generatim nihil confert ad justificationem, quemadmodum in universa hac epistola S. Paulus ostendit. Leges cæremoniales, atque judiciales, eæ scilicet, quibus nihil morale immixtum est, ipsæ quoque per se nos coram Deo justos efficere minime possunt. Sed leges morales, ubi, uti opus est, adimplentur, meriti, atque justitiæ fons sunt; easque non Judæi tantum, verum cæteri etiam homines observare tenentur. Moyses illas proponens jus naturale dumtaxat instauravit, explicuit, in lucem vocavit.

Justificandi verbum hoc in loco non minus æquivocum est, quam nomen legis. Qui legem observant, bifariam possunt justificari[3]: primum, quod per illam justi fiunt, innocentes, Deo accepti: alterum quod Deus illos justificat, & pro justis considerat; cum interim velut sceleftos habeat, & damnet eam infringentes. Hoc præsertim in sensu vere dicimus, eos, qui observant *legem* moralem, seu scriptam, seu naturalem[4], coram Deo *justificari* in Judicio Dei: licet enim fortasse homines aliter judicent, Deus tamen unicus noster est Judex. Universus hic versiculus ad Judæos tantum coarctandus videtur. Nihil illis proderit Legem accepisse, nisi illam observaverint. Per praxim, non autem per theoriam meremur, ut Deus nos justificet, & in amicorum suorum albo nos enumeret. S. Paulus inanem Hebræorum confidentiam explodit, existimantium, se perire non posse, neque in æternum cœlesti beatitudine carere, hac una de causa, quod sunt ex progenie Abraham, & Dei Legem acceperunt.

℣. 14. CUM ENIM GENTES.] Quibus scriptæ legis lux minime affulget, neque aliam justitiæ regulam agnoscant, quam quæ ratio, & conscientia ipsis indigitant[6], suopte ingenio, ac *naturaliter*, vel secundum Legem naturalem, & conscientiæ suæ lumina, bona exequuntur opera moralia, quæ præcipiuntur in Lege, ipsæ sibi sunt loco legis. In se ipsis, in ratione sua id inveniunt, quod Judæi in Lege scripta cognoscunt, exempli gratia, Deum unum amandum

A esse, & colendum, proximum vero, tamquam alterum se ipsum esse diligendum &c. Adverbium illud *naturaliter* hoc in loco opponitur Judæorum statui, qui a Deo scriptam Legem acceperunt[7]; cum interim Gentiles populi in naturali statu permanserint, quemadmodum illos Deus creaverat, sine alia qualibet lege, præter eam, quæ est omnibus hominibus communis. Hoc minime excludit supernaturalem Dei opem, citra quod propriis viribus homo nihil conari potest, quod æternitatem mereatur. *Facere naturaliter*, significat facere seorsim a qualibet cogitatione Dei; sed citra opem scriptæ Legis, & unice secundum lumina naturalis præcepta, operari.

Ita omnes Sancti Patriarchæ, qui ante, ac post diluvium vixerunt sub Lege naturæ, & qui post le-
B gem apud Gentes vixere, qui cœlestis luminis, & gratiæ adminiculo Dominum cognoverunt, & Leges naturales observaverunt; hi omnes inquam sibi met ipsis Lex fuerunt, quemadmodum loquitur S. Paulus. Lex ergo nequaquam absolute ad salutem est necessaria; & Judæi, qui præ Gentilibus eam receperunt, sed fideliter eam minime observarunt, nihil habent, quod glorientur, ac illis se præferant; non enim qui Legem agnoscunt, sed qui illam adimplent, coram Deo justificantur. Hoc Apostolus isthic probare contendit.

Pelagius[8] locum hunc explicabat de quadam justitia, quam homo sine divinæ gratiæ auxilio propriis viribus obtinere poterat, ubi rationis lumen sequeretur; quæ sententia ab Ecclesia[9] proscripta fuit, & a
C S. Augustino refutata[10], docente, Apostolum isthic verba facere de Gentilibus ad JESU CHRISTI Fidem conversis, & qui *naturaliter*, hoc est, sine Legis scriptæ subsidio, sed tantum ope gratiæ naturæ illuminantis, confirmantis, perficientis, observare legem naturalem, quæ in ipsis impressa est, Leges morales Moysis, Legemque Evangelii: quæ sententia maxime catholica est, ac plurimos habet patronos[11]: licet prior expositio magis litteralis videatur. Argumenti, ac orationis decursus ostendit, S. Paulum isthic agere de Gentilibus, quibus nulla est scripta Lex, revelatio nulla: sed Ethnici ad Christianam Religionem conversi habent utramque.

℣. 15. QUI OSTENDUNT OPUS LEGIS.] Gentiles timentes Deum, de quibus sermo fuit superiori versi-
D culo, divina favente gratia, legem naturalem, atque conscientiæ suæ lumina sequentes[12], fidelitate sua ostendunt, in ipsis Dei digito insculptam esse legem, qua eadem morum, & justitiæ naturalis præcepta edocentur, quæ in Lege Moysis scripta sunt. Non loquitur hoc in loco de Legibus, quæ mere cæremoniales sunt, vel judiciales, quarum observantia ad salutem nequaquam conducit; sed de legibus moralibus, quæ Legis essentiam constituunt. *Opus Legis* significat Legis essentiam, tem, veritatem, quatenus opponitur litteræ, scripto, materiali parti Legis. Postrema hæc est pars Judæorum: verum omnes homines in cordibus suis insculptam habent naturæ legem[13]: licet ad eam cum fructu exercendam, prætera opus sit auxilio supernaturali, quod nemo ex se met potest habere. *Opus Legis* innuere quo-
E que potest Legis observantiam, opera Legi naturali conformia.

TESTIMONIUM REDDENTE.] Duo in nobis adsunt moralis disciplinæ principia, quæ bonum a malo secernere docent; primum est lumen rationis, alterum conscientia. Rationis lumine bonum a malo dignoscimus;

Con-

1 Græc. Syr. & Latini plures; *Et peribunt*.
2 Vide Theodoret. Est. Grot. Menoc. Cornel.
3 Chrys. Or. 2. de jejun. Oecum. Theophyl. al.
4 Vide Est. Perer. Gent. Toler.
5 *Φύσει*. *Natura*: sic Ephes. 2. 3. *Natura filii*.
6 Tolet. Est. Grot. Menoch. Vide & D. Thom. & Andr. in Conc. Trid. c. 21.
7 Vide Chrys. Theodor. Theophyl. Oecum. Primas. Sedul. Haym. Cyprian. lib. 3. ad Quirin. cap. 99. Hieronym. ad Algas. quæst. 8. Soto, Cornel. alios.
8 Pelag. Ep. ad Demetrium, & Comment. in hunc locum. Vide & Cassian. Collat. de Protectione Dei.
9 Concil. Milevit. cap. 5.
10 Aug. de Spir. et litt. c. 26. et l. contra Julian.
11 Vide et Prosper contra Collat. c. 22. Fulgent. de gratia Christi c. 26. Anselm. Per. Hug. Lombard. Carthus.
12 Toler. Perer. Grot. Tertull. contra Judæos. *Ante legem Moysis scriptam, legem fuisse contendam non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & a patribus custodiebatur*, etc. Vide et de Corona militis.
13 Origen. Philocal. c. 9.

Conscientia vero intrinsecus intelligimus, utrum, quod egimus justum sit, an injustum. Nuper dixit Apostolus, Gentiles, qui sub lege naturæ Deo erant accepti, factis suis ostendisse, in ipsis quamdam fuisse æquitatis regulam, secundum quam operabantur: hic vero ait, illos bonum operatos esse, conscientiæ suæ testimonium sequentes: cogitationibus suis intrinsecus illis testimonium perhibentibus, ipsos a recta virtutis semita aberrare, dum conscientiæ stimulis torquebantur; vel ipsos recte agere, ubi in semet quamdam occultam oblectationem perciperent, quæ recte factis comes jugiter solet hærere [1]. Ita sibi certissimam irrogantes legem, ne contra propriam conscientiam agerent umquam, malum quidem evitabant, bonum vero operabantur: quod Ethnici perfecte cognoverunt; neque fortes sunt, nisi quod fideliter id minime exercuerint. Horat. Epist. l. 1. ep. 1.

Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi: nulla pallescere culpa.

℣. 16. IN DIE CUM JUDICABIT DEUS.] Versiculus hic cum præcedentibus connectendus. Ethnici, qui legem naturalem, vel conscientiæ suæ lumen secuti sunt, vel damnabuntur, vel justificabuntur novissimi Judicii die per leges easdem, quas vel secuti fuerint, vel violaverint. Non judicabit illos Deus secundum Legem scriptam, quam non cognoverunt, sed secundum naturalia lumina, & conscientiæ suæ testimonium. Hæc pro illis, vel contra illos testabuntur [2].

SECUNDUM EVANGELIUM MEUM,] scilicet secundum Evangelium, quod prædico. Liquet, S. Paulum nullum scripsisse Evangelium; sed omnis illius prædicatio, omnes ejus sermones, atque Epistolæ sunt Evangelium [3]. Omnia enim in id tendunt, ut JESUM CHRISTUM agnoscamus, & diligamus. Hoc autem Evangelium suum dicit, *Evangelium meum*, non quod ab Evangelio cœterorum Apostolorum differret, sed quod illud a JESU CHRISTO etiam per revelationem didicerat [4]. S. Hieronymus ait [5], quosdam credidisse, S. Paulum, quotiescumque de Evangelio suo verba facit, intellexisse S. Lucæ Evangelium, cujus tamquam verus auctor habebatur. Sed quod nuper dictum est, longe æquius videtur: Evangelium illius est id, quod prædicabat, doctrina ipsius [6]. Vide eamdem loquendi rationem 2. *Timoth.* 2. 8. Ubique docebat Apostolus, Deum JESU CHRISTI ministerio [7] omnes homines indiscriminatim secundum opera illorum judicaturum, seu sub Lege scripta vixerint, veluti Judæi, seu secundum Legem naturalem, ut Ethnici.

℣. 17. SI AUTEM [8] TU JUDÆUS COGNOMINARIS.] Tibi, qui Judæum te fers, & gloriaris Legem cognoscere, ostendam, nullum præ Gentilibus esse privilegium; vel saltem te jacturam fecisse omnium privilegiorum tuorum, quæ minime tibi prosunt ad gratiam vocationis, ad fidem promerendam. Reliqua hujus capitis pars continet invectivam contra Judæorum infidelitatem. Ut perficiatur hujus versiculi sensus, qui pendet, nonnihil supplendum est: *Si ergo tu, qui Judæus appellaris* (21.) *Si inquam tu, qui alios erudis, te ipsum minime instruis*, & Legem, quam profiteris, infringis, (cap. 3. 1.) Quinam tibi cedit fructus ex hac Judæi prærogativa, & ex circumcisionis signo, quod geris? non alius sane, nisi quod Legem cognovisti, ac sequester fuisti oraculorum Domini. Sin autem æqua esse vis Judea ℣. ℣. 19. 20. fateri debes, neminem coram Deo justificari ex solis operibus Legis, & Legem tibi solam peccati cognitionem, non autem ad illud evitandum vim atribuisse.

REQUIESCIS IN LEGE, & GLORIARIS IN DEO.] Vel gloriaris de favoribus Dei, vel te Dei esse gloriaris: Confidis in legis cognitione, quasi hæc ad salutem sufficeret; te Domini populum esse jactas, quasi hoc te in oculis illius justum efficeret: cum hæ qualitates, sine moribus, quos eas maxime deceant, inutilia sint nomina, & ad damnationem augendam, quam ad gratiam promerendam, aptiora.

℣. 18. ET NOSTI VOLUNTATEM EJUS [9].] Hæc est prerogativa, qua Ethnicis præstas, qui naturali lumine sua tantum generalia cognoscit officia, non autem ad quid peculiariter teneatur intelligit. Scit, se debere Deum colere, atque famulari; verum neque quem cultum, vel quomodo præstare debeat, intelligit: nescit, quid consilii capiat, & quosnam cultus sui circumstantias sequatur; cum interim Judæus in Lege omnem dubitationum suarum solutionem inveniat, ita ut sufficiat, ipsum ea sequi mandata, quæ sibi præscribuntur. Verum mox ostendetur, nullum ex his omnibus fructum percepisse.

℣. 19. DUCEM CÆCORUM.] Te inter alias gentes reputas, tamquam videntem in turba cæcorum. Tibi solum oculos apertos esse putas, ut bonum a malo dignoscas [10]. JESUS CHRISTUS hoc ipsum ferme exprobrat Pharisæis [11]: *cæci sunt, & duces cæcorum*.

℣. 20. ERUDITIONEM INSIPIENTIUM.] Domini lege imbutus maria, terrasque percurris, ut unum facias proselytum [12] jactitans, tibi competere esse, atque exploratas Dei vias, quæ cæteros populos fallunt. Fuit olim tempus, cum Hebræi alienis se se communicare non dignabantur. Sed post quam tot calamitatibus, atque captivitatibus affecti fuerunt, mitiores effecti, animum appulerunt, ut quoscumque possent, in sua sacra converterent, atque extrinsecus Religionis suæ cognitionem effunderent.

℣. 21. QUI ERGO ALIUM DOCES.] Hic incipiunt invectivæ. Quin ex tot prærogativis fructum perciperes, eas neglexisti, atque earum jacturam passus es; quin in tuam utilitatem converteres præcepta, quæ aliis tradebas. Aliis viam indigitans errasti: illis quidem detexisti foveam. Tu vero in eam decidisti. Hoc Salvator sæpe Pharisæis in Evangelio, Matth. 23. 3. dicebat: ipsos quidem super Moysis cathedram docere, vitam vero omnino a præceptis suis alienam vivere; aliis gravissima onera imponere, quæ ne digito quidem velint attingere, Matth. 23. 4. auferre velle ex fratrum suorum oculis festucam, cum interim in oculis suis trabem non videant, Matth. 7. 3. &c.

℣. 22. QUI ABOMINARIS IDOLA.] Judæi Domini nostri ævo ex Idololatriæ morbo, quo tot sæcula patres eorum laboraverant, satis jam convaluerant. Sed malum hoc aliud excepit, nihilo priore minus: sacrilegium videlicet, sacrorumque pollutio. Summorum Sacerdotum plerique dignitatem hanc pretio comparabant. Minores vero Sacerdotes permittebant, ut in Templo negotiatio ea transigeretur, propter quam dixit JESUS CHRISTUS, illos Patris sui domum in latronum speluncam immutasse, Matth. 21. 13. Ut avaritiam suam explerent, docebant, creditores fraudari posse; parentibus vero necessariam opem negari [13]; si quis Templo omnia sua bona vovisset. At nonne hoc sacrilegium est? Non loquor de iis, quæ fanda, infandaque in Templo novissimæ obsidionis Jerosolymitanæ tempore patrata sunt: non enim poterat S. Paulus ipsis ea exprobrare mala, quæ nendum admiserant: verum exploratus ipsi erat eorum animi habitus, & quem interiosece pro rebus sacris sensum foverent, aperte noverat.

℣. 24. NOMEN DEI PER VOS BLASPHEMATUR.]

1 Vide Peret. Tolet. Grot. Oecum. alios. 2 Par. Est. Grot. Tolet.
3 Origenes in Joannem. 4 Galat. 1. 11. 12. 5 Hieronym. Catal. Script. Eccles.
6 Ita Interpretes passim. 7 Act. 10. 42. *Ipse est, qui constitutus est a Deo Judex vivorum, & mortuorum*. Vide & Matth. 25. 31. Act. 17. 31. 8 Græc. impress. [illegible]. *Ecce tu Judæus cognominaris*. Sed MSS. quamplurimi, Clem. Alex. Origen. Ambros. Sedul. Theophylact. Syr. Æth. alii cum Vulgata, *Si tu autem Judæus &c.* 9 Καὶ δοκιμάζεις τὰ [illegible]. *Probas, explores, discernis utilia, eximia, discrepantia.* 10 Tolet. Grot. ex Chrysostom.
11 Matth. 15. 14. 23. 16. 12 Matth. 23. 15.
13 Marc. 7. 11. Vide Commentarium in hunc locum.

Hoc olim jam sæpius Prophetæ Judæis exprobrarant [1], & Apostolus hic reperit ad Judæos conversor, qui Romę erant, verba faciens: non quod Judæi fideles flagitiosam inter Erhnicos vitam traducerent, sed illos reputabat tamquam inter Hebræos nondum CHRISTI sacris initiatos, quorum vita a Legis suæ sanctitate procul dubio abhorrebat, ut Gentiles ipsi hanc illis exprobrarent, ac in eos convitia ingererent, quæ indirecte in Dominum recidebant. Hic est, ajebant, populus ille adeo acceptus Deo, qui se solum jactat Angelorum manu Leges recepisse; egregia profecto est illius vita, præclara æquitas, bona fides, sancta Religio? Num potius in omnibus terrarum plagis ulla nequior, & infidelior gens potest inveniri? quæ vero esse potest Religionis ejus sanctitas, in qua fanda, infandaque omnia perpetrantur?

℣. 25. CIRCUMCISIO QUIDEM PRODEST; SI LEGEM OBSERVES.] Alioquin inutilis est circumcisio, & idem esset, ac si circumcisus minime fuisses. *Circumcisio tua præputium facta est.* Circumcisio pro Judaicę Religionis professione usurpatur. Non exterior professio, sed vitæ recta ratio justificat. Hactenus circumcisio, aliique Legis ritus a Judæis etiam, qui in Christianam Religionem transierant, observabantur; eosque non solum non damnabat Ecclesia, verum etiam probabat; docebat solum, ipsos ad salutem necessarios non esse, neque jugum hoc imponendum esse Gentilibus, qui in Ecclesiam admitterentur, quod fusius in Apostolorum Actis sumus intuiti.

Igitur S. Paulur nequaquam oppositum docet iis, quæ ait in Epistola ad Galatas, tres, vel quatuor annos ante hanc conscriptam: *Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur*, Galat. 5. 6. Carnis circumcisio sine cordis circumcisione ad nihilum valet [2]; exterior circumcisio, sine Legum observantia, neminem justificat. In Epistola ad Galatas de carnis tantum circumcisione verba facit; hic vero de circumcisione cordis, quam divinæ voluntatis obedientia subsequitur.

℣. 26. SI PRÆPUTIUM.] Hoc est, *si homo circumcisus*. Ubi tamquam firmum satis principium constituit, circumcisionem citra Legis observantiam inutilem esse; hinc infert Ethnicum, qui Legem observat, idem apud Deum mereri, ac Judæum, quod ipsum præstat a unde sequitur perspicue, solam circumcisionem minime prodesse, quod erat probandum.

℣. 27. ET JUDICABIT &c.] Gentilis, qui in eo permanet statu, in quo a Deo creatus fuit, quin circumcisionem recipiat; dummodo Legem naturalem ad unguem observet: hic Judæum circumcisum, & Legis perfractorem condemnat; *Condemnabit te, qui per litteram, & circumcisionem prævaricator Legis es.* Hæc verba: *per litteram, & circumcisionem* significare possunt *litteram* Legis, & *circumcisionem* carnis [3]. Vel simpliciter: *circumcisionem litteralem*, exteriorem, & sensibilem [4]. *Spiritus* sæpius opponitur *littera* in Epistolis S. Pauli. Tu, qui arctiorem contraxisti Legis observandæ obligationem, cum habeas Scripturas, & circumcisionem, ubi prævaricatus es, damnaris ab iisdem Gentilibus, qui majori fide luminibus naturalibus parent, quam tu Legi scriptæ obsequaris.

℣. 28. NON ENIM, QUI IN MANIFESTO JUDÆUS EST.] Sed qui intrinsecus est; hoc est, qui intra se Dei Legem colit, veneratur, religiosius observat, ac Deo purum, sincerum, spiritualem, verumque cultum exhibet. Ita vera circumcisio, non ea est, quæ corporum solum est; sed ea, quæ cordis, & mentis, toties a Prophetis commendata [5], & quæ in vitiorum abscissione, effectuum moderatione, cordis puritate consistit. Hæc circumcisio donum est Spiritus Sancti, quemadmodum inquit S. Paulus 2. Cor. 3. 6. & Moyses ipse testatur, Deut. 30. 6. ubi ait: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.* Deus ita de se ait apud Jeremiam 31. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Et idem apud Ezechielem 19. 19. *auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.*

1 Vide 70. in Isai. 52. 5. Ezech. 36. 20. 7. Act. 7. 51.
2 Jerem. 4. 4. & 6. 10. & 9. 26. Levit. 26. 41. Ezech. 44.
3 Varab. Gros. Est. Menoch.
4 Piscar. Paræus.
5 Jerem. 4. 4. 6. 10. & 9. 26. Ezech. 44. 7.

CAPUT III.

Variæ objectiones, quibus respondet Apostolus. Judæorum præ Gentilibus privilegia. Judæorum incredulitas Dei fidelitatem non evertit. Judæi, Gentiles omnes sunt peccatores. Fides, non Lex justificat. Nemo in se ipso gloriari potest.

1. QUid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis? 2 Mul-
tum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis elo-
quia Dei. 3 Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid
incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. 4 Est autem Deus verax; om-
nis autem homo mendax, sicut scriptum est: Ut justificeris in sermonibus tuis:
& vincas cum judicaris. 5 Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat,
quid dicemus? numquid iniquus est Deus, qui infert iram? 6 (Secundum ho-
minem dico) Absit, alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? 7 Si e-
nim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius; quid adhuc & ego
tamquam peccator judicor? 8 Et non (sicut blasphemamur, & sicut ajunt qui-
dam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio justa est.
9 Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus, Judæos, &
Græcos omnes sub peccato esse. 10 Sicut scriptum est: Quia non est justus quis-
quam: 11 Non est intelligens, non est requirens Deum. 12 Omnes declinave-
runt,

runt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.
13 Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: Venenum
aspidum sub labiis eorum: 14 Quorum os maledictione, & amaritudine plenum
est: 15 Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: 16 Contritio, & in-
felicitas in viis eorum: 17 Et viam pacis non cognoverunt: 18 Non est timor
Dei ante oculos eorum. 19 Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur,
iis, qui in lege sunt, loquitur: ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis
mundus Deo: 20 Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo.
Per legem enim cognitio peccati. 21 Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata
est; testificata a lege, & Prophetis. 22 Justitia autem Dei per fidem Jesu Chri-
sti: in omnes, & super omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio. 23
Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. 24 Justificati gratis per gratiam
ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, 25 Quem proposuit Deus
propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter re-
missionem præcedentium delictorum, 26 In sustentatione Dei, ad ostensionem justi-
tiæ ejus in hoc tempore: ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Je-
su Christi. 27 Ubi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum?
Non: sed per legem fidei. 28 Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine
operibus legis. 29 An Judæorum Deus tantum? nonne & Gentium? Immo &
Gentium. 30 Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fi-
de, & præputium per fidem. 31 Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed
legem statuimus.

℣. 1. QUID ERGO AMPLIUS [1] JUDÆO EST.] Hanc a Judæis sibi prævertit S. Paulus objectionem. Si verum est, quod nuper probasti, Legem, circumcisionem, Judaicam Religionem nihil ad nostram justificationem profuisse, quoniam ante Legem Patriarchæ, & sine Lege complures Sancti viri Deo jucundi fuerunt; cur ergo Dominus nobis Legem irrogavit, cur circumcisionem præcepit? Quorsum Scripturæ tot laudibus genus Abraham celebrant, illud genus sanctum [a], populum electum; & regale Sacerdotium appellant? Hæc omnia prorsus inutilia sunt; si verum est, sine Lege æque ad salutem patere viam, & justificationis gratiam posse comparari?

℣. 2. MULTUM PER OMNEM MODUM.] Plurima quidem Judæo cedit utilitas. Eum quippe elegit Deus, ut sibi peculiarem populum constitueret; eduxit illum de Ægypto; illi suos dedit Prophetas, in illius gratiam plurima operatus est miracula, sed S. Paulus hoc in loco eam tantummodo extulit prærogativam, qua Judæis Scripturas suas concredere dignatus est: *Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Non celebrat populum hunc, quod inde summi extiterint viri; loquitur solum de gratiis, quas illis contulit Deus, suas ipsis in Lege aperiens voluntates [3]; & in id unum laborat, ut Dei sui gloriam commendet, atque Judæis, & Gentilibus, qui Christianæ Religioni nomina dederant, ostendat, illos omnes æque gratiæ divinæ ope indigere. De aliis vero Judæorum prærogativis inferius sermonem est habiturus [4].

Primum isthic indigitare potest, potissimum, & maximum ex privilegiis, quibus Hebræi a Deo donati fuerunt [5], esse Legem scriptam, vel cum Origene [6], gloriam eorum hanc esse, quod *primi* Domini Oracula acceperint; illis vero Christiani successerunt. Vel *primum* in ordine: ex hoc initium desumo, quod ex præcipuis est eorum privilegiis. Et sane Psalmista Ps. 147. 20. prærogativam hanc summopere extollit: *Deus annuntiat verbum suum Jacob: justitias, & judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi: & judicia sua non manifestavit eis.* Et Moyses Deut. 4. 7. *Non*

A *est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, & universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?*

℣. 3. SI QUIDAM ILLORUM NON CREDIDERUNT, NUMQUID INCREDULITAS &c.] Hæc altera est Judæorum objectio. Nisi alia nobis præ Gentilibus adest prærogativa, quam quod Legem scriptam recepimus; & si quis ex nobis Leges violando, se misericordia Dei probavit indignum, num sequitur, promissiones, quibus nos cumulavit, prorsus esse antiquatas? Nonne nobis se Christum suum missurum esse spopondit, nos Spiritu suo repleturum, nos in infinitum usque multiplicaturum, ex omnibus terrarum partibus

B congregaturum, ac felicissimos Messiæ sui dies nobis ostensurum? Tu tamen contendis propter Judæorum nonnullorum infidelitatem, omnes has promissiones effectu suo cariturus, ac Deum nullo in discrimine Hebræos æque, ac Gentiles habere? Hoc si verum est, ubi fidelitas Dei, & promissionum ipsius veritas?

Respondet Apostolus [7], licet plerique Judæi propter infidelitatem suam ad fidem non evocarentur, inferri tamen non posse, aliquid de fidelitate Dei esse imminutum. Cum Dei promissiones generatim effectæ fuerint universo Judæorum populo, cumque ex illis nemo se iisdem dignum propriis operibus præbuerit [8]; posse Deum citra injustitiam, & quin suæ officiat fidelitati, alios quidem in ira sua deserere, alios

C gratuita miseratione vocare; gratis ergo hos promissiones suas adimplere, in illos justam exercere severitatem. Cæterum notandum est, quamvis Apostolus de Judæis loquatur, quasi omnes, nemine excepto, se per infidelitatem suam indignos præbuerint promissionum Dei: hoc tamen non ideo late esse intelligendum; liquet enim, in Judæorum Ecclesia complures Sanctos fuisse viros, & Patriarchas, Prophetas, aliosque non paucos, qui Deo perplacuerunt. Sed cum omnes illos in peccatis esse dicit ℣. 9. intelligit, illos ita esse per propria opera, & seorsim a fide, gratis, & charita-

1 Gr. *Quæ præstantia, seu prærogativa Judæi est?* a Exod. 19. 6. Deut. 4. 6.
3 Theophylact. hic. 4 Vide cap. 11. 4. 5.
5 Est. Tolet. Menoch. Pear. 6 Origen. Caten. MSS. Bibl. Bold. apud Mill. hic.
7 Vers. 3. 4. 9. 10. & seq. 19. 20. 8 Vers. 9. 10. . . . 19. 20. 23. 24.

ee, quæ fulæ meritum actionum, cum ante, tum post Messiæ adventum, constituunt.

Fides hoc in loco significat fidelitatem Dei, illius veritatem, verbi, & promissionum ejus certitudinem. Promiserat Deus, se Judæos bonis omnibus cumulaturum. At Hebræi quoque se summa officii fide mandatis illius adhæsuros spoponderant; qui tamen non præstiterunt ea, quæ debebant Deo, quemadmodum S. Paulus, & superius ostendit, & fusius infra ostensurus est. Deus ergo promissionibus suis minime tenetur; ita ut Judæis præ Gentilibus id unum privilegium supersit, quod Israel Scripturarum illius fuerit sequester [1].

Quæ cum ita fint, ubinam est Dei Fides? Respondet Apostolus, hac in re si qua culpa est, hanc non esse Domini promittentis, sed infidelis populi. Etiamsi omnes homines infideles erga Deum essent, & ingrati; illius tamen Fides, bonitas, clementia infirmari non posset. Si promissiones illis proposuit; minas etiam ipsis intentavit; utrasque vero non sine conditione. Si Israel perit, culpa sua perit, & coram Deo est inexcusabilis. *Perditio ex te Israel.*

℣. 4. Est autem Deus verax.] Hoc verissimum est Oraculum, Deum eamdem esse veritatem; ipsum decipi non posse; neque promissionum suarum fidem non præstare; hominem e contra suopte ingenio mobilem esse, inconstantem, & fallere posse, & falli. Sed licet omnes simul homines fallerent, & dicta minime starent, Deus tamen fidem exequetur. Promisit Deus se missurum Messiam suum; idque absolute, & sine conditione promisit; misit etiam illum tempore præstituto. Hebræis vero spopondit, se illos ad Regnum suum evocaturum, hac tamen conditione, si fideles sibi forent. Eorum plerique infideles fuerunt; jure ergo illos in errorem, atque interitum tradidit: quod tamen non prohibuit, quominus ille fidem suam præstaret erga alios, qui sibi fideles adhæserunt; quos vocavit; & ex quibus suam Ecclesiam composuit. Deinde explicabit, quo in sensu fideles fuerint, & ostendet eos non per sola Legis opera, verum per Fidem cum charitate conjunctam justificationis gratiam promeruisse.

Pro verbis illis: *Est autem Deus verax*, Græcus legit: *Sit Deus verax*; talis habeatur [1]: omnes intelligant ipsum fidei suæ deesse non posse, & ea quæ spopondit, non exequi: e contra vero omnem hominem ex se esse mendacem.

Ut justificeris in sermonibus tuis.] Hæc verba sunt Psalmi quinquagesimi ℣. 6. eaque S. Paulus ex versione Septuaginta deprompsit. *Ut*, hoc in loco non est causalis particula, sed eventum indigitat. Ratio, quam sequeris, ostendit, te in promissionibus tuis fidelem esse, atque veracem, & quidquid homines existiment, te semper immutabilem esse, ac falli non posse. *Et vincas cum judicaris*; ex effectu hominum judicia fallacia, utque injusta esse demonstras.

Hebraicus textus habet: *Ut sis justus in verbis tuis, & purus in judiciis tuis*. Fidelis in promissionibus tuis, irreprehensibilis in judiciis, verax, æquus in omnibus erga nos operibus tuis. Quidquid inconstans, vel injustum videri posset, a creatura profectum est; quæ te cogere potest, ut promissiones in minas permutes, & clementiam tuam in severitatem; id autem citra omnem in te injustitiam, mobilitatem, infidelitatem.

℣. 5. Si iniquitas nostra justitiam Dei commendat.] Deus nos puniens nonne iniquus est? Hæc tertia est objectio, quæ ex nuper diluta emanat. Si hominis injustitia, & infidelitas magis magisque Dei justitiam, & æquitatem commendat; quemadmodum ait; nonne injustus est, nostra scelera puniens? Numquid suppliciis coercentur homines, quod Dei gloriam procuraverint? nonne ita ob præclare factum in illis animadverteretur? Hæc oppositio satis quidem vitium habere videtur: verum nihil solidum habet. Si Dei gloriam procurat homo, hoc facit invitus; primum quidem supremam Majestatem contumeliis afficere in animo ejus versatur; huic non obtemperat, in eam insurgit, eam quodammodo vellet evertere; hæccine mercedem, laudesque merentur? non ita sane. Verum est, quidquid peccatoris nequitia, & defectio conentur, Deum semper gloriosum esse, atque victorem; sed hoc accidit ex effectu infinitæ ipsius sapientiæ, atque potentiæ, quam peccator lacessit. Videri potest cap. 6. hujus Epistolæ, ubi Apostolus fusius hanc difficultatem evertit.

Numquid injustus est Deus?] Græcus melius vertitur [3]: *Nonne injustus est Deus nos puniens?* perinde ac in Vulgata altera inveniretur negatio: *Numquid non injustus est Deus?* Quæ vero sequuntur; *secundum hominem dico*, significant; loquor hic non secundum animi mei sensus, sed velut homo Divinæ Sapientiæ ignorans mysteria: populari modo, & parum castigate loquor [4]. Absit, me hos sensus alere; quos neque ulli, qui intelligat, & non admodum hospes in hujusmodi rebus versetur, suum tribuere; Sed hæ cogitationes hominibus indoctis possent suboriri.

℣. 6. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?] Si verum esset, nostram injustitiam recentem gloriæ, justitiæque Dei splendorem conferre, nonne videretur Deus minime posse, vel judicare, vel damnare mortales? Quomodo enim damnare posset eos, qui illius conferunt majestati? S. Paulus hujus illationis absurditate dumtaxat utitur ad evertendum principium illud, unde est deprompta. Deus procul dubio Judex est omnium hominum. Ille certe ceterius scelus, & nefas persequetur: igitur verum non est, hominis peccatu Dei gloriam augeri. Si eam auget, hoc non nisi per accidens, & per occasionem, non autem per se, & per intentionem peccantis evenit: qui si quid turpe, ac flagitiosum committit, Deus id non approbat, sed permittit solum, ut inde gloriam percipiat, atque sua justitia refulgeat.

℣. 7. Si enim veritas Dei.] Hæc est continuatio objectionis, quæ ℣. 5. incœpit; quæ quoniam magnitudinem in speciem videbatur, eam aliter, ulterque confutat. Si Dei fides per Judæorum infidelitatem magis, magisque elucescit; nonne injustum est, eorum partem ob hanc infidelitatem damnari? Deus e contra illos afficere præmiis deberet, vel saltem in eos nequaquam animadvertere, quandoquidem nihil de sua gloria imminuitur [5]. Vel nonne multo majoris gloriæ ipsi fieret accessio, si omnibus parceret, potiusquam in unam tantummodo partem sæviret? Sed hæc argumentatio retorqueri potest. Verum est, neque fidelitatem, neque gloriam Dei aliquid a peccatorum sceleribus perpeti, ac Deo, vel parcat, vel puniat, semper gloriam cessuram. Sed cur non puniat, ubi parcere possit? Si parceret, quæreretur, cur minime puniat? Media insistit via. Impios, & pertinaces reprobat, eos, qui fideles sunt, atque obedientes, adoptat; illos recipit, qui voci suæ responderunt, qui crediderunt, qui omnem spem in illius quidem gratia, suis vero operibus constituerunt; qui vulneris sui periculum, & lapsus magnitudinem intelligentes, humiliter infirmitatem, atque necessitatem suam confessi sunt [6].

℣. 8. Et non sicut blasphemamur.] Hæc validior est objectio; & directe ad Apostolum spectans, qui redarguebatur, quasi malum fieri posse, ut inde bonum eveniret, affirmaret. Hanc vero illius criminandi occasionem inde arripuerunt, quod ubique docebat [7]: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*: Jesum in terras dilapsum invenisse Mundum univer-

Theodoret. hic. 2 Ita Grot. Tolet. Erasm. Est. Men. alii.
1 Particula μὴ hic duplicem negativam complectitur, uti in Matth. 12. 23. Joan. 4. 29. & 18. 17. 25. Grot. Hammond. Cnateb. hic. 4 Vide Rom. 6. 19. & 1. Cor. 9. 8. & Galat. 3. 15.
5 Theodoret. Grot. Est. 6 Vide Theodoret. hic.
7 Rom. 5. 20. Vide Chrysostom. Theophyl. Theodoret. Est. Cornel.

versum in peccatorum cœno alte demersum, atque in hoc gloriam suam collocasse, ut ad se peccatores advocaret; venisse autem illum, non pro illis, qui bene se habebant, sed pro iis, qui morbo laborabant. Salvator enim hæc docuit in Evangelio.

Judæi invidentes gratiæ, qua Ethnici ad fidem vocabantur, quin Legis jugum illis imponeretur, dicebant: Quid nobis prodest, in Legum Dei observantia, & in gravissimarum cæremoniarum exercitatione sandiu vigilasse? Cur nosmet minime addicimus idolorum cultui, atque omnium flagitiorum generi, velut hi Gentiles, qui hodie nostras promissiones invadunt, qui citra omnem laborem irrepunt ad eam hæreditatem, quæ olim Patribus nostris promissa fuit; si fides nostra minime prodest nostræ justificationi, & si Deus nullo habet in discrimine illa, quæ fecimus? Cur non in omne scelus ruimus, ut Dei nos convertentis misericordia magis eluceat? Hæc increduli Judæi ferebant, ut Apostoli doctrinam in odium raperent, atque invidiam.

Verum S. Paulus, quin hanc perniciosissimam illationem patiatur, eam detestatur, & habendam censet veluti calumniam aliquam, & blasphemiam; & quin eam directe convellere aggrediatur, ipsi sufficit eamdem a se avertere, atque iis, qui illam sibi vertebant, justissimum Dei judicium minitari [1]. *Quorum damnatio justa est*. Tacite illis Jerosolymæ, Templique excidium, ac universæ nationis dispersionem portendit. Nefaria hac Judæorum improborum argumentatio æque ridicula est, ac si quis diceret: Princeps hic recens ad regni solium evectus præclarum clementiæ specimen præbuit erga inimicos, & suos, & patris sui, illos pristinæ dignitati restituens: in vitam igitur illius conjurandum est, ejusque honor contumeliis deterendus, ut illius gratiam adipiscamur.

℣. 9. QUID ERGO PRÆCELLIMUS EOS?] Semper urgent Judæi adversus ea, quæ dixerat S. Paulus. Ergo si Deus crimen persequitur, licet inde illius gloria augeatur, neque permittit quid mali fieri, ut inde bonum proveniat; nonne hinc sequitur, nobis aliquam aliam esse præ Gentilibus prærogativam, citra Legem; quandoquidem illi quamplurimis se se coinquinarunt flagitiis, quibus nos ipsi caruimus? Ad id revertuntur, quod capitis initio dictum est.

Verum Apostolus constanter primam suam thesin tuetur, quam in primo, & secundo capite statuerat, & perspicue declarat, Judæum nullo modo Ethnico præcellere quoad justitiam: *Judæos & Græcos omnes sub peccato esse*. Neuter bonis operibus suis promeriti sunt, ut Deus eos ad fidem vocaret [2]: nemo exterioribus Legis observantiis, neque moralibus Philosophorum virtutibus justificatur: sola fides agens per charitatem, & bona opera, eis salutem procurare potest. Quod clarius in hujus capitis processu innotescet.

℣. 10. NON EST JUSTUS QUISQUAM.] Apostolus hic adfert complurium locorum Scripturæ congeriem [3], ad probandum, neminem vel Judæorum, vel Gentilium justum esse, & nemini esse jus de bonis operibus suis [4] gloriandi. Hoc minime significat neminem fuisse, vel in veteri Lege, vel ante Legem justum; immo e contra liquet ex plurimis Scripturarum locis, sexcentos justos homines fuisse: sed loqui vult de homine quatenus Filio Adam, qui in peccato conceptus est, & natus filius iræ. Certum est hoc in statu hominis nullum esse meritum, cumque per se neque donum fidei neque vocationis gratiam posse promereri: quæ alioquin non esset gratia. Si qui ad justitiam & sanctitatem pervenerunt, ideo quod mera Domini misericordia de tenebrarum squalore, ipsorumque propria corruptione illos eduxerit, ut eos in luminis atque justitiæ statum adduceret, qui quodammodo a corrupta illorum natura maxime alienus videbatur.

S. Hieronymus [5] aliique nonnulli crediderunt in universo hoc capite Apostolum *quisquam* nomen in hyperbolico sensu accipere, quod simpliciter de maximo numero est intelligendum. Sed ea, quam primum sententiam proposuimus, probatior est, atque plurimorum Patrum auctoritate fulcitur. Ea etiam Apostoli consilio, ac menti magis conformis est, ejusque verba in alium sensum, nisi iisdem vis inferatur, detorqueri minime possunt. Non ideo tamen asserendum, omnes homines æque corruptis fuisse moribus, & omnes æque flagitiis, atque sceleribus se se mancipasse. Ut Apostolus vera diceret, satis est, plurimos fuisse flagitiosissimos, atque omni tempore ab ipsis usque rerum primordiis ad ipsum usque JESUM CHRISTUM deinceps vere semper dici potuisse; omnes homines, quatenus homines, & seorsim ab omni cogitatione donorum fidei, & gratiæ, quibus a Deo potuerant cumulari, corruptos & nequam; alios tamen aliis corruptiores, & nequiores fuisse.

Apostolus non semper ad litteratum apicem propria rectus verba profert, illa enim suo accommodat consilio, quin tamen sensum eorumdem corrumpat. Sequitur ille præsertim Versionem Septuaginta, quin tamen vili nimis ratione eam subsequatur. Contenderunt nonnulli, totum hunc satis prolixum locum a versiculo decimo usque ad decimum octavum ex Psalmo 13. fuisse desumptum. Verum liquet ℣℣. 13. 14. 15. 16. 17. 18. in authographo Hebræo, & in veteri Psalmi hujus Versione Septuaginta non adesse; & Origenem, S. Hieronymum, Bedam, Cassiodorum, ac meliores loci hujus, & Psalmi decimi tertii Interpretes, fateri, hæc verba ℣. 13. *Sepulchrum patens est guttur eorum; linguis suis dolose agebant*, desumpta esse ex Psalmo quinto ℣. 10. & illa: *venenum aspidum sub labiis eorum*, depromta esse ex Psalmo 139. 4. Versiculum vero 14. *quorum os maledictione & amaritudine plenum est*, ex Psalmo 9. 7. versiculum 15. *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*; vel ex Proverbiis cap. 1. ℣. 16. vel Isaja cap. 49. ℣. 7. esse decerptum: versiculos denique 16. 17. 18. *contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum*, ex Psalmo 35. 1. & Isaja 49. 7. &c. huc allatos fuisse.

NON EST JUSTUS QUISQUAM, NON EST INTELLIGENS.] Pro *justo* Hebræus habet: *non est faciens bonum*: omnes homines generali corruptione fœdati sunt: *non est intelligens ea*, quæ ad sanctitatem pertinet: non est, qui ullo virtutis sapore, aut voluptate afficiatur [6]. Hebræi sæpius peccatorem insipientem vocant, & peccatum dicunt stultitiam [7]. *Utinam saperent, & intelligerent*; & David psalm. 93. 18. *Stulti aliquando sapite*. Ethnicæ Religionis Philosophi, & sapientes ex S. Pauli sententia insipientes erant, ac stulti; quoniam veræ Sapientiæ amore minime afficiebantur, ac vias Domini ignorabant.

℣. 12. OMNES DECLINAVERUNT, SIMUL INUTILES FACTI SUNT;] vel cum Hebræo textu *putridi*, fœtentes, corrupti facti sunt. Judæi, atque Ethnici a recta veritatis via recesserunt; hi quidem naturalem Legem deserentes, illi vero Legem Moysis infringentes: ideoque *inutiles facti sunt sibimetipsis*, & Deo invisi, atque abominabiles, veluti esca ex nimia diuturnitate, sanie, atque tabo confecta.

℣. 13. SEPULCHRUM PATENS EST GUTTUR EORUM.] Guttur eorum est sepulchrum patens, unde teterrima exhalat mephitis, ac fœtor [8]. Profunda abyssus est, eos omnes, qui accesserint, deglutiens. Viros bonos calumniis, atque obtrectationibus suis misere discerpunt, vel perniciosis sermonibus, noxiisque præceptis suis eos, apud quos verba faciunt, misere corrumpunt, ac perdunt. Nemo adeo rudis est, atque hospes, qui ignoret, quas Judæi contra Chri-

1 Est. Grot. 2 Tolet. Est. Grot. 3 Vide Hieron. Præfat. Isai. l. 16. & Comment. in Psal. 13. &c. 4 Vide Tolet. Est. Salmer. Cornel. Fromon. hic, alios.
5 Hieron. ep. 140. ad Damas. & in Epist. ad Ephes. 1. ad finem. Grot. hic. ad vers. 9. Geneb. & Jansen. in Psal. 13. 6 Matth. 16. 23. *Non sapis ea, quæ Dei sunt*. 7 Deut. 32. 29.
8 Tolet. Est. Tar.

stiunus calumniis feverint; & quid Philosophorum plerique de præcipuis Ethicæ officiis perniciosissime senserint.

℣. 14. QUORUM OS MALEDICTIONE PLENUM EST.] calumniis, blasphemiis, conviciis contra innocentes; & *amaritudine*, verbis duris, contumeliosis, atque perquam accommodatis ad proximum lacessendum, atque vexandum. Loquitur de inimicitiis, earumque effectibus.

℣. 16. CONTRITIO, & INFELICITAS.] Omnis eorum vita in id unum tendit, ut alios opprimant, & calamitosos efficiant. Id solum quærunt, ut opprimant, supplantent, rapiant, depopulentur. Nullam novere Legem, nisi vim atque licentiam: nulla ipsis charitas est, nulla pax, nulla justitia, pietas nulla. *Viam pacis non cognoverunt*.

℣. 19. QUÆCUMQUE LEX LOQUITUR.] Post tot congesta in unum testimonia jure quidem inferre potest, Judæos omnes injustos esse, atque corruptos: quoniam Lex, vel Scriptura, quam modo protuli, generalis est, & de his omnibus, cum qui sub Lege sunt, tum cæteris quibusque verba facit. Ita non dicant Hebræi, hoc ad Gentiles tantum pertinere: allata verba nullam exceptionem admittunt. Satis familiare est, ut Legis nomine universæ veteris Testamenti Scripturæ comprehendantur [1]: eæ vero præsertim, quæ præcepta, vaticinia, minas, & corruptiones complectuntur. Non moratur ostendens, Ethnicos esse corruptos; id quippe omni prorsus difficultate carebat, & si loci superius allati Judæos etiam complectebantur, potiori jure ad Ethnicos quoque spectabant, palam Judæis ipsis multo nocentiores, *ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo* [2]. *Ut* hoc in loco pro *ita* ut usurpatur; cum omnes homines injusti sint, & nequam, nemo propria potest merita jactare.

℣. 20. QUIA EX OPERIBUS LEGIS NON JUSTIFICABITUR OMNIS CARO CORAM ILLO.] Pro *quia*, Græcus verti potest: *ideo non justificabitur omnis caro coram illo*. Hoc ex iis, quæ superius dicta sunt, proficiscitur. Si Scriptura neminem a generali eximit corruptione; perspicue profecto patet, Judæos ab operibus Legis minime justificari; alioquin Spiritus Sanctus illos debuisset excipere. At si Judæi Mosaicæ Legis exercitatione minime justificantur, multo minus justi inventi fuerint, opus est, Gentiles, qui per summum nefas violarunt Leges ab ipsa natura in eorum cordibus penitus inscriptas, & insculptas.

Legis nomen isthic plura significare potest. Primum vero quatenus complectitur Legem scriptam, & naturalem [3], eoque in sensu Judæis æque ac Gentilibus propria est. Hi quidem minime justificantur operibus Legis naturæ, illi vero Legis scriptæ fideli exercitatione minime probantur. Vel potius neutri justificantur a Lege, quod neutri illam exercuerunt. II. Contestant quidam [4] hoc in loco Legis nomen ad cæremonialia præcepta, quæ Moyses præscripsit. Hoc certe liquet, hujusmodi præceptorum observantiam hominem nullo modo posse justificare. Quævis piacula, purificationes, lustrationes, sacrificia a Moyse præcepta numquam per se peccatori innocentiam afferre potuerunt, neque animam a peccatorum sordibus emundabunt. Sed hic sensus nimium arctis cancellis constringitur, & ad Judæos dumtaxat potest pertinere: cum alioquin ex omni orationis decursu innotescat, Apostolum de omnibus hominibus loqui. Hoc igitur de Lege morali est intelligendum, Hebræis irrogata, quatenus & omnis hominis continet officia, & Legem ipsam naturalem complectitur. Hunc etiam in sensum nos palam impellit Apostolus, cum inferius statim ait; *per Legem enim cognitio peccati*: & cum in universo capite n. Judæus accusat, quod non cæremoniales, seu morales Legis minime observent. Hæc est eruditissimorum Interpretum [5] sententia, præsertim vero S. Augustini pluribus in locis [6].

Verum quomodonam ea, quæ Apostolos inquit; *quia ex operibus Legis non justificabitur omnis caro coram illo*, conciliari possunt cum iis, quæ JESUS CHRISTUS Matth. 5. 17. a t, se venisse quidem, ut Legem non everteret, sed statueret; & cum iis, quæ Sanctus ipse Paulus docet ad Rom. 3. 31. se statuendo Fidem, minime Legem evertere, sed illam e contra confirmare? Respondemus, illum isthic de Veteris Legis operibus loqui dumtaxat, quatenus a Fide, & gratia sejunctis. Extrinsecæ Legis cæremoniæ in Legis Spiritu dumtaxat servatæ, videlicet quin easdem fides, & charitas comitentur, nihilum sane ad salutem prosunt. Omnes homines Veteris Testamenti, qui Deo placuerunt, ideo placuerunt, quod Fides in JESUM CHRISTUM venturum, & gratiæ ejusdem virtus, vires illis suppeditavit [7].

PER LEGEM COGNITIO PECCATI.] Eo ad quid profuit Lex. Judæorum objectionem prævertit: si Lex neminem justificat, Lex ergo inutilis est. Nequaquam: quoniam profuit, ut peccatum cognosceretur, licet vim, & gratiam ad illud evitandum minime conferret [8]; medici instar, qui morbi quidem periculum ostendit, sed illum minime curat: neque pollicetur, se ægroto opem laturum, sed alium indigitat medicum seipso valentiorem, a quo æger curetur. Hic autem medicus Messias est, toties in Scripturis promissus, & designatus. Non exiguum bonum est, malum cognoscere, licet hoc solum prodesset, ut medicum conquireremus, & pharmacum in pretio haberemus. Inde tamen arguendum non est, sub Lege nullam fuisse gratiam, & Judæorum singulos prævaricatores fuisse: sed hoc est inferendum, Legem seorsim a Fide, & gratia adstruere quidem simpliciter morbi cognitionem, non afferre tamen morbo eidem medicinam.

Ex naturali lumine pleraque hæc mala cognoverant Ethnici, qui medici Omnipotentis auxilio se indigere intellexerant; verum nec morbi naturam, neque medici characteres explicite cognoverant. Attamen Prophetæ exhibent nobis nonnumquam naturam humanam tamquam vota nuncupantem pro adventu illius, quem Gentes omnes desiderabant. Ipsa etiam illorum calamitosa conditio satis per se, ut ita dicam, clamabat; atque ubi lux oculis eorum affulsit, & Spiritus Sanctus corda illorum aperuit, illi statim avidissime ducem eamdem subsecuti sunt.

℣. 21. NUNC AUTEM SINE LEGE JUSTITIA DEI [9] MANIFESTATA EST.] Ubi ostendit, non posse Legem ulli cui justitiam afferre, hoc in loco probat, veram justitiam nonnisi ex JESU CHRISTI fide proficisci. Salvatorem unicum esse gratiarum fontem; unicum, inter Deum ac homines mediatorem; unicam viam, quæ ducit ad vitam; unicam justitiam, quæ nos Deo acceptos efficit, & jucundos. Justitia hæc ad nos venit sine Lege, hoc est sine operibus Legis, & seorsim a quolibet Judæorum merito, qui Legem scriptam receperant, & Gentilium qui se multa scire, & plurima ob hominum oculos laude digna operatos esse gloriabantur. Tantum boni hominibus, neque scripta Lex neque naturalis compararverunt. Ostendit superius Apostolus, omnes coram Deo noxios esse, & peccatores; atque omnes in JESU CHRISTI fidem gratuita prorsus vocatione fuisse accersitos. *Nunc* vero hæc felicitas illi-

lia

1 Matth. 5. 17. & 22. 5. Luc. 16. 17. Joan. 12. 34. & sæpius. 2 Theodoret. Est.
3 Tolet. Par. Est. alii. 4 Vide Theodoret. Gloss. ord. Cornel. Carthus.
5 Vide Tolet. Est. Cornel. alios. 6 August. de Spir. & litt. c. 8. & 29. & alibi.
7 Vide August. de Spir. & litt. c. 8. & de Grat. & lib. arbitr. c. 12. & l. 3. contra Epist. Pelag. c. 7. Est. Tolet. Cornel. hic. 8 August. de Spir. & litt. c. 8. Tolet. Est. Menoch. Tirin. alii passim.
9 S. August. l. de Grat. Christi c. 8. et de Spir. et litt. c. 9. ubi *sine lege* cum *justitia Dei*, perinde ac Apostolus dicere vellet, Dei justitiam a lege non pendere; cum plerique illud uniant cum *manifestata est*, Dei justitia independenter a lege se manifestavit.

lis accidit per Evangelii [1] prædicationem.

TESTIFICATA A LEGE, & PROPHETIS.] Lex & Prophetæ huic justitiæ, fidei, Evangelii egregium testimonium jam perhibuerant. Legimus sane in Moysis libris Messiam futurum omnium gentium expectationem [2]; a Domino Prophetam populo suo, vel novum Legislatorem, cui obtemperandum erit, iri suscitatum [3]; omnes gentes in eo, qui vera est progenies Abraham, esse benedicendas [4]. In Prophetis vero legimus, Dominum nostrum nostram esse justitiam [5]; justum ex fide vivere [6] omnes justitias nostras coram Deo non aliud esse, quam pannum menstruatæ [7].

℣. 22. JUSTITIA DEI PER FIDEM JESU CHRISTI [8]:] ergo non per opera Legis, sed per fidem in JESUM CHRISTUM eam justitiam acquirimus, de qua sermo fuit ℣. superiori. Hæc autem justitia per Evangelii prædicationem æque super Judæos, & Gentiles generatim effunditur. Cum ubique Deus omnia æque prava, nefaria, & corrupta invenerit; ita æque ubique gratiam prædicationis effudit. Omnes homines ad fidem advocat; licet non omnibus insignia efficacis gratiæ dona elargiatur, ut illuc perveniant: & licet fides inutilis, & infœcunda nonnumquam in illis ipsis subsidat, qui eam receperunt, id tamen accidit dumtaxat ex horum defectu, atque infidelitate. Fides ergo non est justitia, sed via, qua cum gratia, & charitate ad justitiam pervenimus [9].

NON ENIM EST DISTINCTIO; ℣. 23. OMNES ENIM PECCAVERUNT.] Deus, sine ullo discrimine Judæum simul, atque Ethnicum, omnes ad fidem evocat; omnibus suam offert gratiam; efficit, ut lux sua omnibus luceat, & Evangelium suum creaturæ omni, quæ illi audiendo par est, prædicetur [10]. Omnes æquo ea luce indiguerunt, omnes enim æque peccatores fuerunt. Non dicat Judæus; Lex mihi sufficit, Evangelii non egeo. Nulla vera justitia invenitur, nisi in JESU CHRISTI fide. Non jactet Ethnicus scientias suas, atque Ethicæ prudentiæ præcepta: hæc enim omnia minime illi prosunt in oculis Dei, ut justificetur, neque ulla extra JESU CHRISTI Ecclesiam salus invenitur: *omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei*. Legunt quidam: *& egent gratia Dei*: sed genuina lectio est *gloria Dei*. Omnes misericordia Domini, & effectibus clementiæ illius ad peccatorum nostrorum veniam obtinendam maxime indigemus. Evangelii prædicatio, & peccatorum conversio aptiores viæ sunt, quibus utitur Deus ad gloriam sibi apud homines comparandam [11]. Aliter: *omnes egent gloria Dei*; vel cum Græco [12]: *omnes privati sunt gloria Dei*. Omnes æterna gloria, & [13] cœlesti beatitudine indigni sunt: vel, *egent gloria Dei*: minime gloriari possunt coram Deo, se ab illo probari: omnes a Deo tamquam peccatores habentur. Vel denique, debent omnes Dei gloriam referre, & coram illo se se peccatores fateri [14]; quod ferme congruit cum sensu nuper proposito: *gloria Dei* ponitur, pro *gloria in Deum*, vel *coram Deo*, vel *apud Deum* [15].

℣. 24. JUSTIFICATI GRATIS PER GRATIAM IPSIUS.] Cum ex se nullam habeat homo justitiam, nullum meritum, hinc palam infertur, ipsum nonnisi ex mera Dei largitate fidei, & justificationis munus posse recipere;

A Quandoquidem in eo nihil est, quod hanc gratiam promereri potuerit, quemadmodum inquit Tridentinum Concilium sect. 6. c. 8. *gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur*. Hoc autem minime adversatur iis, quæ alibi a S. Paulo Apostolo dicuntur [16]: *Justificati ex fide*; nam quemadmodum explicat idem Concilium [17], fides, est salutis initium, & fons omnis justificationis, itaque initium, progressio, & perfectio salutis, atque justificationis mera sit gratia Divinæ misericordiæ [18]. Illam unus nobis JESUS CHRISTUS sua morte promeruit; ipse unus sua nos gratia prævenit, licet nos minime salvos facturus sit, nisi suis miserationibus cooperemur; *Qui fecit te sine te, non te justificat sine te. Ergo* B *fecit nescientem, justificat volentem*, ait Augustinus [19].

℣. 25. QUEM PROPOSUIT DEUS PROPITIATIONEM.] Quem proposuit Deus, ut esset victima propitiationis; vel potius cum Græco: *quem Deus ante constituit*, & quodammodo præordinavit, *ut esset victima expiationis per fidem, quæ in illius sanguinem habetur*. In Veteri Testamento instituerat Deus sacrificia quædam, atque piacula ad peccatorum expiationem, & Legalium sordium emundationem, quæ omnia figura erant sacrificii JESU CHRISTI, qui propitiationis est hostia, & victima pro peccato, unica, ac vere animæ sordes abstergens [20]. S. Paulus his verbis indirecte illud occupat, quod sibi a Judæis objici posse videbat: ad quid ergo Legis proderant sacrificia, si sola fides in JESUM CHRISTUM vera est, atque unica nostræ sanctificationis origo? Sacrificia illa imagines erant, atque symbola illius, quod JESUS CHRISTUS in C scelerum omnium expiationem obtulit Patri [21].

Sunt [22], qui per *propitiationem*, Græce *Hilastêrion*, propitiatorium intelligant, quod erat operculum arcæ, in qua Legis tabulæ continebantur. Hoc erat veluti scabellum Dominici solii, inde oracula sua referebat Dominus, inde Hebræorum preces exaudiebat. Ibi Sacri Auctores nobis illum exhibent inter Cherubim, vel super alas Cherubim insidentem. *Propitiatorium* illud erat JESU CHRISTI figura; namque per hunc nobis accessus est ad thronum Divinæ misericordiæ [23]. Sed prior explicatio, quæ hoc de piaculari victima intelligit, mihi videtur accommodatior.

℣. 26. AD OSTENSIONEM JUSTITIÆ SUÆ PROPTER REMISSIONEM [24].] Vel ad ostensionem justitiæ Dei, quæ nobis communicatur per fidem, per quam Deus D nobis præteritorum scelerum veniam concedit: vel, per quam peccata omnia ab ipsis usque Mundi primordiis patrata remittit [25]: quin rationem habeat iniquitatis hominum, qui alte in omnium scelerum cœno erant demersi. Deus nobis tradidit Filium suum, & per hunc justitiam, atque remissionem peccatorum omnium & præteritorum, & præsentium. Ne dixeris tamen, JESUM per mortem omnis generatim omnium hominum, qui & ante, & post suum adventum vixerunt delesse peccata: sed sacrificii ipsius virtus, & sanguinis pretium ad ea delenda satis erant, & super [26]. Præteritorum dumtaxat scelerum meminit S. Paulus: nam in redemptionis mysterio hoc difficilius credi poterat, quod JESU CHRISTI Sanguis post tot secula effundendus expia-

1 Vide August. locis citatis, Tolet. Est. alios.
2 Genes. 49. 10.
3 Deut. 18. 15.
4 Genes. 12. 3.
5 Isai. 46. 13.
6 Habacuc 2. 4.
7 Isai. 64. 6.
8 *In omnes, & super omnes*, Plures MSS. Arabs, Æthiop. S. Clemens Alexand. S. August. de Spir. et litt. c. 13. omittunt, *super omnes*.
9 Tolet. Est.
10 Matth. 28. 19.
11 Ezech. 30. 23. 32. 36. Aug. de Spir. et litt. c. 9. Vide et Theodoret. Vat.
12 Vide Chrysost. Theophyl.
13 Grot. Hammon. Pisc. Cujer. Toler. Est.
14 Vide Josue 8. 19. Apoc. 16. 9.
15 Similes fere locutiones vide supra vers. 22. *Fides Jesu Christi*. 21. *Justitia Dei*. Luc. 6. 12. *Oratio Dei*, Marc. 11. 21. *Fides Dei*;
16 Rom. 5. 1. *Justificati ex fide*, et Galat. 2. 16. et 3. 8. 24.
17 August. loco citato.
18 Vide Est. Tolet. Paræ.
19 August. Serm. 169. c. 2. nov. edit.
20 1. Joan. 1. 2. et 4. 10. Menoch. Tir. Est.
21 Vide, si places, Justin. Dialog.
22 Theodoret. Grot. Pasm. Hamm. Tolet.
23 Hebr. 4. ult.
24 Διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, Chrysost. Euthym. Quidam Codd. *propter cæcitatem*, Latini quidam, *propositum*.
25 Tolet. Est. Menoch, Grot. Hammond.
26 Vide 1. Joan. 2. 2. et totam Epist. ad Hebr.

expiare posset peccata Adæ, & Evæ, & cæterorum, qui in Veteri Testamento ante Legem, cum sub Lege viventes erant prædestinati [1]. *Justitia* hoc in loco, *ad ostensionem justitiæ suæ*, significare quoque potest Dei misericordiam, quæ nobis nostra remittit scelera; nomen enim justitiæ sæpe hoc in sensu usurpatur [2].

IN HOC TEMPORE, UT SIT IPSE JUSTUS.] Justitia hoc in sensu apparuit post JESU CHRISTI adventum, & Evangelii prædicationem: & Deus ostendit, quomodo *sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide* JESU CHRISTI, qui fidem habet in JESUM CHRISTUM, qui pertinet ad fidem. Deus Pater Domini nostri JESU CHRISTI ex mera sua misericordia nos evocavit ad fidem; atque ita ostendere nobis voluit, se justum esse, & fontem omnis justitiæ, ut homo non nisi in Deo confideret, & gloriaretur. Apostolus jam non semel hoc ipsum docuit: verum sæpius eandem tundit incudem, quod maximi momenti est hoc præceptum. Redemptionis mysterium in hoc præcipue positum est, quod Deus, quin aliquid de justitiæ ipsius jure deperiret, viam invenit, qua parceret, & hominum misereretur. Lacessitæ justitiæ suæ satisfecit sacrificio, & sanguine Filii sui; exercuit clementiam, & misericordiam suam erga homines ductos pœnitentia, illis tribuens fidem in JESUM CHRISTUM, & per hujus fidei meritum illis peccatorum veniam concedens.

℣. 27. UBI EST ERGO GLORIATIO TUA? EXCLUSA EST.] Post ea, quæ hactenus dicta sunt de statu illo, in quem peccatum omnes homines redegerat, & de gratia prorsus gratuita, qua Deus illos ad fidem servare, eisque justificationem elargiri dignatus est, quid reliquum illis est, in quo glorientur? numquid in operibus suis? vidimus jam, omnes coram oculis Dei nequam fuisse, numquid in meritis suis, vel justitia? vidimus, quidquid in illis erat, ex JESU CHRISTI fide, & Sanguinis ipsius merito esse profectum. Fatendum igitur est, hominem nonnisi in uno Deo posse gloriari. Græcus textus [3] in generali, atque indefinito sensu legit: *ubi est ergo gloria?* perinde ac ad Judæos, & Gentiles simul loqueretur. Sed Vulgata Judæos tantum alloquitur, legens: *ubi est ergo gloriatio tua?*

PER LEGEM FIDEI.] Opponit Legem Fidei legi actionum, tamquam vitam morti, diem nocti. Lex operum nostrorum nobis, neque gratiam, neque justitiam potuit comparare; utramque vero nobis lex fidei confert. Pressius quidem nulla est *Lex fidei*, nisi Lex Dei, observata ea fide, quam animet charitas [4]. Opponitur autem *legi operum*, quatenus homo sibimet derelictus, atque fide, & gratia qualibet destitutus inanes conatus exerit, & operam ludit, ubi adnititur scriptas, aut naturales leges ita exercere [5], ut æternam vitam sibi valeat promereri.

℣. 28. JUSTIFICARI HOMINEM PER FIDEM SINE OPERIBUS LEGIS.] Hæc est totius argumentationis conclusio; nobis persuasum est, nullum hominem sive Judæum, sive Gentilem justificari posse, nisi *per fidem*, saltem implicitam in JESUM CHRISTUM, quam spes subsequatur: quam charitas foveat: & quæ in bonis operibus se exerceat: non autem per *opera* Legis seu scriptæ, seu naturalis [6]; hæc enim opera in semetipsis seorsim a fide, & charitate ad salutem minime prosunt, neque nobis promereri possunt gratiam, & justificationem, quæ salutis nostræ origo sunt, ac fundamentum.

Legis opera, quæ excludit Apostolus ex numero causarum justificationis nostræ, non sunt ergo vel charitas, quæ ex illa proficiscitur, vel oratio, vel pœnitentia, vel alia bona opera, quæ in Lege præcipiuntur, & quæ Veteris Testamenti Sancti Viri in fidei, spei, & charitatis spiritu exercuerunt: sed sunt opera extrinsecus, his nudata qualitatibus; quæ illa sancta efficiunt, & Deo accepta. *Fides* vero, quæ nos justificat, non est fides sterilis, inanimata, atque iners. Agit illa, amat, & se se prodit in operibus suis; atque inde ex fidei, charitatis, & operum unione sanctificamur. Si omnia fidei accepta referre videtur Apostolus, ideo illa refert, quemadmodum Tridentinum Concilium sess. 6. cap. 8. inquit, quod initium salutis est, & nostræ justificationis fundamentum. Opera non efficiunt, ut fides nostra mereatur, sed opera ipsa a fide animantur. *Opera sunt ex fide, non ex operibus fides*, ait S. Augustinus de Grat. & lib. Arbit. cap. 7. & Retract. l. 2. cap. 23. *non opera, sed fides inchoat meritum*. Atque ita verum est, secundum Apostoli doctrinam, hominem *gratia justificari*, Rom. 3. 24. *& justificari ex fide*, Rom. 5. 1. in quibus nulla est contradictio. Fides merum est Divinæ misericordiæ donum; justificatio vero est fructus fidei, quemadmodum diximus: *gratia justificati estis per fidem*, inquit ille ad Ephesios 2. 8. *& hoc non ex vobis, Dei enim donum est*.

℣. 29. AN JUDÆORUM DEUS TANTUM?] Redit Apostolus ad ea, quæ sub præcedentis capitis finem inceperat pertractare. Hæc omnia respicienda sunt tamquam parenthesi quadam conclusa, propter varias objectiones, quæ aliæ ex aliis nascuntur, quas Apostolus ibi proposuit, & quibus respondit. Capite secundo ℣. ℣. 26. 27. 28. 29. ostendere inceperat, exteriorem circumcisionem nihilum ad justificationem prodesse. Judæum, atque Ethnicum ex cordis, animique circumcisione mereri, extra quam carnis circumcisio nihil Judæo magis, quam Ethnico proderat. Postquam iis satisfecit difficultatibus, quæ ex hac doctrina fluere videbantur, isthuc pergit, atque ostendit, Deum æque esse Deum Gentilium, & Judæorum, circumcisorum, & incircumcisorum: & aliud aliquid præter circumcisionem requiri ad obtinendum Domini amorem: sed per fidem utrosque justificari. Ethnicum quidem fidem sine circumcisione habentem longe præstare Judæo carnis circumcisionem habenti sine fide, & circumcisionem fidei additam nullum recentem justitiæ, aut meriti gradum addere Judæo converso supra fidem Ethnici, qui Christianis sacris initiatus est. Addit enim ℣. 30. *unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*.

℣. 31. LEGEM ERGO DESTRUIMUS PER FIDEM?] Hoc objici potest. Ex doctrina, quam modo probasti de operum inutilitate, & causa nostræ justificationis, sequitur, legem inutilem esse, & opera nihil prodesse. Hæc illatio videtur quidem recta, atque optime instituta: Apostolus tamen tenet, fidem, quin legem evertat, immo eidem robur adjicere. Et sane fides legem perficit, primo quod obtinet gratiam Legis, ubi opus est, observandæ [8]: nam citra fidem lex est veluti littera, quæ occidit, & tamquam corpus sine anima. Fides enim vitam, ac meritum omnibus operibus legis impertit. Secundo lex erat figura, & promissio. Fides in JESUM CHRISTUM gignit, & promissionum, & figuratum complementum [9]. 3. Fides peccatum ostendebat, at per se illius evitandi vim non procurabat: fides nostra nobis aperit officia, nobisque gratiam eorum explendi concedit. 4. Lex agebat corpus, & manum coercebat. Fides regit cor, & concupiscentiam frenat. 5. Lex Moysis a Christiana Religione antiquatur quoad ceremoniales observantias, non vero quoad leges morales: quarum quin evertat virtutem, JESUS CHRISTUS verum sensum, verumque spiritum ostendit, docens, quo pacto observanda sint ea præcepta, quæ Judaici populi duritia quibusdam in rebus relaxaverat, vel quæ pravissimæ Pharisæorum traditiones perniciosis explicationibus corruperant. Quidquid de lege generatim dictum est, peculiariter ad circumcisionem transferri potest, de qua isthic præcipue habetur sermo.

1 Vide Peter. Tolet. Est. 2 Vide psalm. 2. 26. et 142. 1. Ezech. 7. 17.
3 2. Cor. 9. 9. Prov. 22. 18. 1. Joann. 2. 1. 4 Græcus non legit *tua*. neque Syrus, neque S. Chrysostomus; occurrit tamen in pluribus antiquis exemplaribus, in S. Ambrosio, Origene, seu Rufino etc.
5 Vide Menoch. Tolet. 6 Vide, si placet, Aug. lib. de Spir. et litt. c. 13. Est. hic.
7 Est. Tolet. Menoch. Vide Chrysost. Theodoret. hic, et Aug. l. de Grat. et lib. arb. c. 7.
8 Græc. Κατ… [illegible]. Aug. Tertull. *Evacuamus*, alii, *abrogamus*, *inutilem reddimus*.
9 Chrysost. Theophylact. etc. August. de Spir. et litt. cap. 30. 10 Chrysostom. Est. Tolet. Menoch.

CAPUT IV.

Apostolus Abrahæ exemplo ostendit, non opera, non circumcisionem, non Legem, sed Fidem justificare, neque Judæos solum, verum etiam Gentiles.

1. QUid ergo dicemus, invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?
2 Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non
apud Deum. 3 Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo: &
reputatum est illi ad justitiam. 4 Ei autem, qui operatur, merces non imputa-
tur secundum gratiam, sed secundum debitum. 5 Ei vero, qui non operatur,
credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam se-
cundum propositum gratiæ Dei. 6 Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui
Deus accepto fert justitiam sine operibus: 7 Beati, quorum remissæ sunt iniqui-
tates, & quorum tecta sunt peccata. 8 Beatus vir, cui non imputavit Dominus
peccatum. 9 Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an etiam in præ-
putio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. 10 Quomodo
ergo reputata est? in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed
in præputio. 11 Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ
est in præputio: ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur &
illis ad justitiam; 12 Et sit pater circumcisionis, non iis tantum qui sunt ex cir-
cumcisione, sed & iis, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris no-
stri Abrahæ. 13 Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæ-
res esset mundi; sed per justitiam fidei. 14 Si enim qui ex lege, hæredes sunt:
exinanita est fides, abolita est promissio. 15 Lex enim iram operatur. Ubi enim
non est lex, nec prævaricatio. 16 Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit
promissio omni semini, non ei, qui ex lege est solum, sed & ei, qui ex fide est
Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, 17 (Sicut scriptum est; Quia patrem
gentium posui te) ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea,
quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt: 18 Qui contra spem in spem credidit,
ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei: Sic erit semen
tuum. 19 Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum,
cum jam fere centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. 20 In repromis-
sione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam
Deo; 21 Plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere. 22
Ideo & reputatum est illi ad justitiam. 23 Non est autem scriptum tantum pro-
pter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam: 24 Sed & propter nos, quibus
reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a
mortuis, 25 Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justifica-
tionem nostram.

℣. 1. QUID ERGO DICEMUS INVENISSE ABRAHAM PATREM NOSTRUM SECUNDUM CARNEM?] Quam dicemus ergo utilitatem Abrahæ fuisse secundum carnem? Vel cum plerimis Interpretibus [1], pluribusque Græcis exemplaribus; quam utilitatem dicemus habuisse Abraham Patrem nostrum secundum carnem, ita ut ea verba *secundum carnem* non ad verbum *invenisse*, sed ad *Abraham* referatur; quod Vulgatæ conformius videtur. Hoc intelligi potest perinde a Judæis objiceretur. Si Lex, si opera ad justificationem minime prosunt, quid de Abraham Patre nostro dicemus? Dicemus ergo, illum operibus suis justificatum non fuisse, quandoquidem certe per fidem in JESUM CHRISTUM justificatus non fuit? quippe qui hunc minime cognovit, neque eo tempore vixit, quo Salvator in Mundum prodierat. Objectioni S. Paulus respondet, argumentum in Judæos retorquens ℣. 2. *si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam; sed non apud Deum.* Quod est absurdum.

Græcus typis editus, & complures eruditi viri [2] verba *secundum carnem* cum verbo *invenisse* hoc pacto conjungunt. Quid ergo dicemus, *Abraham Patrem nostrum invenisse* justitiam, & gratiam, *secundum carnem*, vel operibus Legis naturalis, quæ extrinsecus, & citra fidem exercuit? vel; *quid ergo dicemus, in hæredi-*

1 Chrysostom. Theophylact. Gennad. apud Oecum. Phot. ibid. Et Epist. 166. Ita in Vulg. Cod. Alex. Berner. Velez, Origen. alii. Vide Est. Tolet. Erasm. Sy. Arab. Ludov. de Dieu, Grot. alii plures.

2 Ambrosiaster, Theodoret. D. Thom. Cajet. Hammon.

hereditatem cessisse Abrahæ Patri nostro secundum carnem? quid illi profuerunt exteriora Opera, quæ secundum carnem exercuit? Quid ad justificationem illi profuit circumcisio, & operatio, cui Fides, & gratia comes non accesserat? *Caro Fidei* atque Spiritui opponitur.

Postremo hæc explicatio S. Pauli consilio conformior videtur, qui sensibili atque certissimo exemplo ostendere velle videtur, hominem non ab operibus, sed a fide justificari. Ita porro hoc cum præcedentibus subnecti potest. Objicis; si homo per Fidem, & non per opera justificatur, inde inferri, nihil prodesse Legem, & me Legem evertere, dum cupio Fidei meritum extollere. Absit; immo e contra Legem commendare contendo, cum ostendo, quo pacto ea sit exercenda, ut fructus percipi valeat. Quomodo credis, Abraham Patrem nostrum ad justitiam pervenisse? per opera, ne, & per circumcisionem, an per fidem? per carnem, an per spiritum? Minime profecto per carnem, & per circumcisionem; quod si verum esset, ne ille quidem sibi gloriæ vertere debuisset justitiam suam, non autem illam Deo acceptam, quandoquidem juxta hanc hypothesim nondum e Deo, vel fidem, vel gratiam receperat. Hoc autem videbimus ℣. 2.

℣. 2. SI ABRAHAM EX OPERIBUS [1] JUSTIFICATUS EST.] Sibi, non Deo, gloriam acceptam referre potest; quandoquidem Dominus ne minimum quidem illius justitiæ, rectisque operibus profuit. At numquam permisit Deus, ut mortalis in seipso gloriaretur [2]: unusquisque ergo gloriam Deo referre debet, ex quo rebus in omnibus pendet. Igitur deserenda est hæc argumentatio, ex qua adeo impia illatio proficiscitur. Aliter: si universa Abrahæ justitia in operibus tantum consistit, poterit ille quidem coram hominibus gloriari, qui ex externa tantum specie judicant, non autem coram Deo, qui omnia intus, & in cute scrutatur [3]. Justitia illius profecto exiguum quid erit; quoniam illum Deo conciliare, eique acceptum efficere minime poterit. Atque constat, Abraham vere justum fuisse, & amicum Dei: fatendum igitur, illius justitiam aliam prorsus fuisse ab ea, de qua locutus sum [4].

℣. 3. CREDIDIT ABRAHAM DEO, & REPUTATUM EST ILLI AD JUSTITIAM.] Hæc vera est illius justificationis causa; fides videlicet, non opera, hanc illi gratiam promeruit. Tunc solum justus vocari cœpit, cum credidit: tunc fides *reputata est illi ad justitiam*. Hæc meriti locum in illo habuit ad obtinendam justificationem. Deus auctor fidei, justitiæ quoque illius auctor est; sed hanc in illius gratiam concedit. Fides est quodammodo justitiæ parens, & fons, & cum dicitur fides illius illi ad justitiam esse reputata, minime intelligendum est, justitiam hanc simplicem fuisse qualitatem imputatam, non autem virtutem intrinsecam, atque inhærentem. Abraham non solum justus reputatus est, sed vere, ac realiter justus fuit [5]; & justus fuit non eo solum tempore, quo dicit Moyses [6], *Fidem illius illi reputatam esse ad justitiam*; videlicet cum Deus illi progeniem pollicitus est æque frequentem, ac Cœli stellas; licet per ætatem Abraham, & Sara liberis gignendis tunc minime pares viderentur: sed jam antea justus erat [7], cum de patria terra egressus est, & cum spopondit illi Deus, se illum quovis benedictionum genere cumulaturum, se illius Patronum simul, atque præmium futurum. Sed cum fidei Patriarchæ in singulos dies nova fieret meritorum accessio, ita justitia quoque illius in dies crescebat, prout fides invalescebat [8]. At in fide erga ea, quæ Abrahæ promissa fuerant, implicite saltem continebatur fides mediatoris, quod præcipuum erat argumentorum votorum, & expectationis Patriarcharum: ergo fides Abrahæ non alia a fide erat, quæ Christianos purificat, nisi fortasse, quod minus erat explicita, & objectum confusius tantum agnoscebatur [9].

℣. 4. EI AUTEM, QUI OPERATUR, MERCES NON IMPUTATUR SECUNDUM GRATIAM.] Quippe meritum est, justitiæ, debitum. Igitur si operibus suis justificationis gratiam Abraham sibi promeruit; hæc gratia amplius non est, sed debitum; vel si gratia est, quemadmodum certissime est; jam non est amplius remuneratio: *si gratia jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia* [10]. Dico autem, hanc esse gratiam, quoniam *reputata est illi* secundum Scripturam. At non imputatur id, quod debetur [11], sed hoc persolvitur, hoc redditur. Creditor, qui obærato suo ingentis pecuniæ imputat solutionem, illi quidem gratificatur: at si ea illo æs, quod mutuatus fuerat, recipit, jam non amplius illi dicitur gratificari. Cum Deus nobis fidem largitur, atque nobis imputat justitiam, nihil a nobis recepit; hæc mera est gratia. Nos credimus solum, quia ille nobis mentem, atque animum [12] aperit.

℣. 5. EI VERO, QUI NON OPERATUR.] Superiori versiculo de eo locutus est, qui sine fide agit; hic vero de illo verba facit, qui fidem habet, quin operetur. Ille quidem gratis recipit fidem, hic vero justificationem recipit per eamdem Dei misericordiam, quæ illi fidem jam concessit. Abraham antequam vocaretur, erat Idololatra juxta Scripturam [13], Josephum Antiq. l. 1. c. 8. & Rabbinos nonnullos [14]. Igitur fidei donum, operibus suis nequaquam promeruit, sed cum Deus illum vocavit, eumque patrio solo excedere jussit, cum illi frequentem posterorum numerum pollicitus est; promittenti credidit Abraham, & fides ejus illi reputata fuit ad justitiam; ita ut fides, & justitia Abrahæ merum Dei munus habendæ sint [15]. Fides illius nequaquam mortua est, & mere theoretica, sed practica, & cum charitate conjuncta, quemadmodum ex toto vitæ illius decursu innotescit. Fides ejus initium quidem justitiæ illius fuit, non autem ejusdem consummatio. *Credens in eum, qui justificat impium, a fide incipit*, ait Augustinus in Psalm. 110. *ut bona opera non præcedentia, quod meruit, sed consequentia, quod accepit, ostendant.*

SECUNDUM PROPOSITUM GRATIÆ DEI.] Hæc verba, neque in Græco, neque in Latinis quibusdam MSS. inveniuntur [16]; sed Auctor commentariorum in hanc epistolam, qui S. Ambrosii nomine circumferuntur, & illorum, qui S. Hieronymi nomen præferunt, Pelagius, Sedulius, Remigius, & Latinorum plerique eadem legunt; quod satis illorum ostendit antiquitatem. His verbis innuere voluerunt, neque fidem, neque justitiam esse debita, vel effecta nostrorum meritorum, sed effecta gratiæ Dei, ab æternis illius decretis emanantia.

℣. 6. SICUT, & DAVID DICIT.] Ubi probavit, justitiam Abrahæ per fidem dumtaxat illi fuisse imputatam; per David ostendit, justitiam hominibus minime propter opera imputari, ideoque imperationem hanc prorsus esse gratuitam.

℣. 7. BEATI, QUORUM REMISSÆ SUNT INIQUITATES.] Justitia supremum est hominis bonum in hoc mundo, & semen æternæ in Cœlo felicitatis. Hæc autem justitia in eo primum posita est, ut integer sis vitæ, scelerisque purus; mox vero, ut virtutem exerceas. Hic proprie de priori tantum justitia, vel primo justificationis gradu, atque interioris hominis renovatione sermo est. David his verbis probat Apostolus, hanc beatitudinem, hanc justitiam merum esse Dei

1 Ambrosiast. D. Thom. Quid. *ex operibus Legis*, mendose. 2 Vide Rom. 3. 27. 1. Cor. 1. 31. & 3. 21. & 4. 7. 2. Cor. 7. 17. Ephes. 2. 9. 3 Toler. Menoch. Tirin.
4 Vide Est. ex Ludov. de Dieu. 5 Est. Menoch. Tirin. alii.
6 Genes. 15. 6. 7 Genes. 12. 3. & 15. 1. 8 Toler. Est. Menoch. Tirin.
9 Vide Est. Menoch. Gomer. Paræ. 10 Rom. 11. 6. 11 Est. Peræ. alii.
12 Act. 16. 14. *Cujus Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur a Paulo.*
13 Josue 24. 2. Vide pariter Isai. 43. 27. Sap. 10. 5. Judic. 5. 7.
14 Maimon. pluribus locis. 15 Tolet. Menoch. Est. 16 Vide Erasm. Est. Mill.

Dei donum [1], hac uses argumentatione. Quicumque ex peccatore justus fiat, nonnisi per Dei misericordiam justus fieri potest. At quicumque justus fit, antea erat peccator, vel si mavis, nemo justus erat antequam a Deo justificationis gratiam reciperet; hanc ergo nonnisi ex mera Dei recipit misericordia. Eam sane minime recipere potest, veluti operum suorum mercedem; in ea enim hypothesi, de qua agimus, injustus est, atque peccator; eam igitur ex mera Dei misericordia recipit. Neque asseri potest, quosdam aliquando justos fuisse viros, qui numquam fuerint peccatores; quoniam satis patet, omnes homines peccatores esse [2], atque indigere, ut Deus in illis suam largitatem, & misericordiam effundat; omnes ergo coram Deo fateri debent, se obnoxios esse peccato.

Locus Davidis nulli obnoxius est difficultati. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Antequam Deus parceret, iniquitates cooperiebat: antequam justitiam impetraret, cum peccatum esset imputandum, quisnam erat hic homo, nisi peccator erat? Et quid factus est ille per hanc veniam, & per hoc, quod illi peccatum imputatum minime fuit, si justus factus non est? quid illi hanc veniam, quid hanc justificationem potuit promereri? profecto non opera illius, quippe mala erant: fatendum ergo est, illum nonnisi per misericordiam Dei fuisse justificatum [3].

Cæterum cum David ait, Deum cooperire peccata, eaque non imputare; nequaquam intelligendum est, quasi peccata permanerent, atque subsisterent, sed minime imputarentur: velut æs alienum, quod licet minime persolutum sit, tamen non exigitur; vel tamquam scelus, quod leges minime ultæ sint. Scelus, & debitum vigent adhuc, licet neque solutio impetretur, neque infligatur pœna [4]. At hoc in loco res aliter se habet. Debitum prorsus deletur, & scelus omnino condonatur [5]. In peccato quatuor sunt, inquit Pererius; *Dei offensio*, quæ in casu, de quo agitur, prorsus remittitur: *actus peccati*, quod cum factum sit, infectum fieri minime possit, obtegitur: *Culpa*, quæ non imputatur: *Turpitudo*, vel sordes animæ, quæ eluitur, atque emundatur.

℣. 8 CUI NON IMPUTAVIT DOMINUS PECCATUM [6].] Cui Deus pepercit, quem innocentis, atque justi viri loco habet [7]. Si reus esset, Deus illum innocentem existimare non posset; de rebus, prout sunt, ille judicat. Creditor, qui debitori suo æs remisit, illum ultra debitorem censere non debet. Ille, qui Principis gratia supplicium evasit, non habetur amplius, tamquam supplicio dignus. Sed venia, quæ peccatori quoad culpam conceditur, non semper etiam illi conceditur, quoad pœnam. Deus vel in hac, vel in altera vita [8], ea punit peccata, quæ quoad culpam condemnavit, sed quibus quoad pœnam homo non satisfecit. Verumtamen numquam illi eam omnem quam meretur pœnam infligit; æternam videlicet damnationem, sed tantum temporalibus pœnis, vel Purgatorii flammis illum emendat.

℣. 9. BEATITUDO HÆC TANTUM MANET [9].] Gratia, quam Deus peccatori est largitus, ut illi peccatum minime imputaret, eique parceret, adeo ne soli Judæo tantum concessa fuit, ut illius Gentilis sit expers? Videtur quidem de Judæis dumtaxat verba facere David, sed propositio ejusdem est generalis, neque hunc magis, quam illum sensum respicere potest; quandoquidem, quemadmodum ostendit Apostolus, uterque ex æquo peccarunt, uterque meritis carent. At si inter illos aliquod esset discrimen, hoc sane meritorum, vel peccatorum inæqualitatem respicere deberet.

Ut autem probet S. Paulus hoc omnia æque in Judæorum, & Gentilium gratiam concessa, ad Abrahæ exemplum revertitur. Sanctus hic vir per fidem justificatus fuit, quemadmodum Scriptura testatur; at ille Legi minime paruit, neque tunc etiam cum circumcisionem recepit: igitur non Lex, neque circumcisio, neque Judaica Religio [10] tantum boni illi procurarunt. Quod si de Abrahamo verum est, cur non ita de cæteris omnibus Gentilibus? Vide ℣. 10.

℣. 10 NON IN CIRCUMCISIONE, SED IN PRÆPUTIO.] Is quidem veram circumcisionem recepit, uno dumtaxat ante nativitatem Isaac anno; promissiones vero, & justificationem ultra quinque & viginti ante eam diem annos receperat, cum a Deo ex Mesopotamia pedem efferre jubebatur.

℣. 11. SIGNUM ACCEPIT CIRCUMCISIONIS [12].] Circumcisio, quam Abraham recepit, non fuit justitiæ ejusdem causa; ante enim justus erat, sed signaculum fuit, atque nota justificationis, quam intrinsecus per fidem receperat. Docent Patres [12], circumcisionem Abraho, & per hunc Hebræorum populo datam fuisse, ut ab aliis populis distingueretur. Ea erat veluti arrha quædam eorum, quæ Abrahæ, atque posteris ejusdem promissa fuerant; signum fœderis a Deo cum illo percussi, nota jurisjurandi, quo Hebræi se adstrinxerant, futuros, ut essent populus Domini, atque ab aliis nationibus abhorrerent. Ita circumcisio in virtutem fidei parentum remittebat originale peccatum [13], & erat figura Baptismatis a JESU CHRISTO instituti, continebatque implicitam fidei professionem erga promissiones Domini, atque Mediatoris, qui erat summa votorum, & expectationis omnium Justorum. Vide nostram Dissertationem de effectibus Circumcisionis.

UT SIT PATER OMNIUM CREDENTIUM PER PRÆPUTIUM.] Cum igitur Abraham justitiam per fidem recepit, ante ipsam circumcisionem; per eamdem factus fuerit exemplar, caput, Pater [14] omnium, qui post ipsum, ejusdem exemplum secuti, seu Judæi, seu Gentiles in Deum crediderunt, & ab eo receperunt justitiam per fidem, non autem per opera, & circumcisionem. Quod in Sancti hujus Patriarchæ gratiam contulit Deus, pignus erat, & quoddam veluti arrha, hoc ipsum illis collatum iri, qui ejusdem fuissent exemplum imitati.

℣. 12. ET SIT PATER CIRCUMCISIONIS.] Pater cum circumcisorum, tum incircumcisorum, quatenus utrisque fidei exemplum ostendit; Judæorum quidem Pater secundum carnem, Gentilium vero secundum spiritum. Nihil Judæo prodest, genus ab Abraham ducere, nisi illius fidem, virtutemque imitetur; neque obest Ethnico, genus ab eodem non duxisse secundum carnem; dummodo illius se filium praestiterit secundum spiritum. Judæus simul, atque Ethnicus heredes erunt justitiæ Abraham, si heredes fuerint fidei, & Religionis ejusdem.

℣. 13. NON ENIM PER LEGEM PROMISSIO.] Non vivebat Abraham sub Lege, neque ullum habere poterat meritum, quod Moysis mandata observasset; cum promisit Deus, se illi, vel illius semini promissam Terram daturum. Adhuc incircumcisus erat, neque Le-

---

1 Chrysostom. Theophylact. Theodoret. alii. 2 Rom. 3. 9. *Causati sumus Judæos, & Græcos omnes sub peccato esse.* 3 Rom. 3. 23. *Omnes peccaverunt, & egent gloria,* 4 August. in Psalm. 31. Enarr. 2. num. 9. *Cooperta sunt peccata, &c.* 5 Vide Grot. Menoch. Tolet. Tirin. Est. 6 Plures Codd. MSS. *imputabit*. Ita Ambros. Origen. seu Rufin. in hunc locum. 7 Tolet. Est. Menoch. Tirin. 8 Vide Augustin. lib. 22. contra Faustum cap. 67. & in Psalm. 50. Est. hic. 9 Verba hæc, *tantum manet*, non sunt in Græco, neque in Syr. neque in pluribus MSS. Latinis. 10 Vide Grot. Est. Menoch. Tirin. alios. 11 Vide Mill. Chrysostom. Theophylact. Justin. Dialog. Syr. 12 Justin. Dialog. Iren. lib. 4. cap. 30. Tertul. contra Judæos. Ita & Chrysostom. Theodoret. August. Ambros. alii. 13 Ita August. lib. 16. de Civit. cap. 27. lib. 2. contra Pelag. & Celest. cap. 30. lib. 2. de Nupt. & Concupiscent. cap. 11. Ita Prosper, Beda, Bernardus, alii post eos multi. 14 Grot. Glass. Vide & Tolet. Estium. ex Chrysostom. Theophylact. ad vers. 12.

Legem aliam noverer præter naturalem. Fatendum A ergo, has promissiones non esse operum illius, sed fidei remunerationem. Hoc invictum est argumentum.

Hæc verba: UT HÆRES ESSET MUNDI, ut totos terrarum orbis illi cederet in hæreditatem, variè explicantur: quidam enim [1] illa de terra Chanaan intelligunt, quæ nonnumquam universa terra vocatur; præsertim vero cum sumitur una cum regionibus finitimis, quæ te ipse fuerunt sub Hebræorum ditione, dum Imperii summa penes Davidem esset, ac Salomonem: alii vero [2] credunt, Apostolum ad ea Geneseos 22. 18. verba alludere, ubi Abrahæ dicit Deus; *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*; quæ promissio ultra Chanaanitidis possessionem latius extenditur. Denique in spirituali sensu possunt intelligi [3] de dignitate Patris credentium, quæ illum quodammodo B totius terrarum orbis Dominum constituit, quod spirituales illius filii in omnem terram effusi, universum quodammodo terrarum orbem obtinent in hæreditatem, juxta ea Psalmi 2. 8. verba, quæ Messiæ filio Abraham secundum carnem, veroque omnium promissionum ejusdem hæredi dicuntur: *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

Hoc promissum fuerat *Abrahæ, aut semini ejus*; illi, & filiis Isaac filii ipsius; non autem meritis operum Abrahæ, vel filiorum ejus. Abraham Legem scriptam ignorabat, quæ nonnisi annos post ipsum quadringentos fuit irrogata: filii ejus nondum existebant, ideoque nihil poterant meruisse. Arguendum igitur est, promissiones has esse mere gratuitas, & earum C complementum esse non posse, nisi divinæ erga illos largitatis effectum [4].

℣. 14. SI ENIM EX LEGE HÆREDES SUNT.] Si vi Legis, atque per observantiam mandatorum, filii Abrahæ sunt promissionum hæredes, & si hæ promissiones ad illos tantum pertinent, *exinanita est fides, abolita est promissio*. Fides inutilis fit, quia sine illa acquiritur justificatio; promissiones irritæ fiunt; nam non in promissionum gratiam, neque in gratiam fidei Abrahæ, sed operum ejusdem Hebræis Deus justitiam concessit. Frustra credit Abraham Domino, quoniam non fides, sed opera illius præmium invenerunt. Frustra illi promittit Deus: promissi quippe fidem eidem non præstitit [5]; vel si præstitit filiis ejus, hoc non vi promissionum Dei, sed merito operum præstitum fuit. D

℣. 15. LEX ENIM IRAM OPERATUR.] Tantum abest, quod Lex Hebræis promissiones, & gratias, de quibus locuti sumus, promeruerit, & illos justificaverit, ut e contra illis Dei iram, supplicium, maledictionem conflaverit. Hæc quidem mala non per se, neque directe Lex peperit, sed per occasionem [6]. Nam 2. *ubi non est Lex, nec prævaricatio*. Homo minus esset iniquus [7]; præstaret enim, Dei Legem non cognoscere, quam cognitam violare [8]: & servus, qui domini voluntas est explorata, & qui illi minime obtemperaverit, vapulabit multis [9]. 1. Concupiscentia per vetitum ruit. Quo magis aliquid fieri prohibemur, eo majori ejus faciendi cupiditate tenemur. Ita Lex & peccandi libidinem, & prævaricantium numerum auget [10]. 3. Lex auget hominis jactantiam; qui sibi E suadet, se ea, quæ præcipiuntur, posse adimplere, quin propriam infirmitatem animadvertat, & se divinæ gratiæ indigere cognoscat [11].

℣. 16. IDEO EX FIDE, UT SECUNDUM GRATIAM SIT PROMISSIO.] Promissiones, quas fecit Dominus Abrahæ, ejusque semini, hæreditas, quam illi spopondit, non sunt ergo in eorum gratiam, qui externe tantum Legem observant sine fide, & gratia, quæ meritum nostris operibus addant; hoc privilegio [12] unice perfruuntur, qui fidem habent [13] charitate succensam, & cum bonis operibus conjunctam. Non ergo merito, sed gratiæ accepta referre debemus, quæcumque habemus, sive Judæi simus, sive Gentiles. Nobis coram Deo confitendum est, nos nihil omnino mereri. Per hanc confessionem *firma facta est promissio* Abrahæ, non pro Judæis solum, verum etiam pro Ethnicis. Hæc in semet semper firma est, atque invariabilis; sed in nobis etiam quodammodo firma fit, cum talem ipsam efficimus, Deo gratias agentes, & hinc nostram cognoscentes infirmitatem, inde illius infinitam potestatem, atque justitiam, quæ nos sua gratia prævertit, & in nobis sua coronat munera, nostra coronans merita.

NON EI, QUI EX LEGE EST SOLUM.] Per fidem, non autem per opera Judæi, atque Ethnici hæredes fiunt promissionum Abrahæ. Hujus Patriarchæ filiis dumtaxat promissa hæreditas est: verum duplex est genus filiorum: alii ad eum secundum carnem, alii secundum spiritum attinent. Priores illi promissionum nihilo magis participes erunt, quam alieni, nisi vixerint ex fide, atque Patris sui fidelitatem, atque obedientiam fuerint imitati.

℣. 17. PATREM MULTARUM GENTIUM POSUI TE.] In litterali, historicoque sensu, Abraham Pater fuit multarum gentium; et Ismael, Isaac, & Cethuræ filiis. Sed in morali Propheticoque sensu, futurus erat Pater plurimarum nationum per Gentilium conversionem ad JESU CHRISTI fidem: nam *ante Deum* pater est Fidelium, qui fidem, obedientiam, ac fidelitatem ipsius imitantur. Hæc igitur paternitas, & filiatio est, non carnalis, sed omnino spiritualis, & quæ viget [13] *ante Deum, cui credidit* [14]. Græci hoc aliter explicant. Pater est omnium Credentium, *ad imitationem Dei*, non secus, ac Deus Pater est communis universorum hominum per creationem: ita Abraham per fidei suæ exemplum, Fidelium omnium est Pater.

QUI VIVIFICAT MORTUOS.] Credidit Abraham Deo, qui vitæ, necisque dominus est, & qui æque mortem inferre potest, vitam elargiri; producere, quod non est, delere, quod est. Hoc referri potest ad nativitatem Isaac ex Saræ sinu, quæ annis effœta, liberis gignendis impar ferebatur [15]. Illi filios polliceri, idem erat, ac promittere futurum, ut mortuus e sepulchro excitaretur. Id tamen credidit Abraham, quin hæreret, ubi Dei vocem audiit. Aliter; Abrahæ polliceri, cum futurum Patrem plurimarum gentium antea infidelium, corruptarum, Idolis servientium, idem erat, ac illi plurimorum mortuorum resurrectionem portendere [16]: Attamen promissionis difficultas, nequaquam illum deterruit, ne fidem haberet. Generatim denique intelligi potest de magnitudine fidei Abrahæ, cui nihil arduum, nihil difficile videbatur, quod a Deo promitteretur [17]. Apostolus autem ad eam difficultatem ostendendam duplici utitur exemplo, ex iis rebus desumpto, quæ difficiliores, & longius supra naturæ vires positæ videntur; nempe mortuos resuscitare, & rebus, quæ non sunt, essentiam conferre.

℣. 18. QUI CONTRA SPEM IN SPEM [18] CREDIDIT.] Licet annis admodum gravem se videret, & Sara uxor sua senio confecta, filios parere non posse videretur; tamen contra *spem in spem credidit*; vel potius contra omnem rei futuræ speciem credidit, se futurum cum in morali, tum in litterali sensu, quemadmodum nuper explicuimus, plurimarum nationum parentem. Græcus

1 Vide Glass. Rhetor. lib. 1. cap. 16. alii quid. 2 Grot. Bez.
3 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Cornel. Tir. Menoch. 4 Vide Est. Menoch. Paræ. Ludov. de Dieu. 5 Vide Grot. Est. Tolet. Menoch. Tirin. 6 Est. Tolet. Zeger. alii passim.
7 Augustin. Ep. 88. Vide Est. hic. 8 Jac. 4. 17.
9 Luc. 12. 47. 10 Rom. 7. 7. 11 Augustin. lib. 3. contra duas Epist. Pelag. cap. 7.
12 Est. Tolet. Menoch. Paræ. 13 Vatabl. Est. Anselm. alii.
14 Chrysostom. Theophylact. Theodoret. Erasm. Paræ. Tolet. Est. 15 Origen. Piscat. Menoch. Paræ. alii. 16 Ambrosiaster. Oecumen. Est. Grot. 17 Tolet. Est.
18 Quid. in Spe. Ita Pelag. Primas. Hugo.

eus verti posset: *Contra spem credidit, in spem*; credidit in spem promissionum Dei, certus, hunc fallere non posse; licet nulla adesset species veritatis [1]. A

SIC ERIT SEMEN TUUM.] Complura Græca, & Latina Exemplaria adducunt [2]: *sicut stellæ Cæli, & sicut arena maris*; quod ex Genesi desumptum est c. 15. ℣. 5. & spiritualem Abrahæ respicit posteritatem.

℣. 19. CORPUS SUUM MORTUUM.] Hæc omnia minime perpendit, ita ut diffideret; haud ignorabat quidem effœtam ætatem suam, præsertim vero eum naturali Saræ sterilitate conjunctam, invictum naturaliter esse obicem iis, quæ Deus sibi pollicebatur: verum hæc omnia pro nihilo habuit, & se in spe in Deum confirmavit. Verum quomodonam dicitur corpus Abrahæ fuisse veluti emortuum, & liberis gignendis impar, quandoquidem liquet post nativitatem Isaac, & B Saræ mortem, ipsum ex Cethura plures adhuc filios retulisse? Respondent [3], corpus illius fuisse veluti mortuum quoad gignendi virtutem, habita ratione Saræ, quæ sterilis erat; licet in se met non eo confectus esset senio, ut citra miraculum pater fieri non posset; quamobrem in Scriptura [4] dicitur Deus, Saræ fœcunditatem impertitus fuisse, quin ulla Abrahæ mentio habeatur.

Sed plerique [5] hanc negligunt responsionem, ac tenent, Deum utrique, Abrahæ simul, & Saræ eam, quam neuter habebat, virtutem fuisse elargitum, quæ in Abraham diutius post natum Isaac adhuc permansit. Auctor Epistolæ ad Hebræos non ait profecto, Deum Abrahæ, æque ac Saræ fœcunditatem tribuisse; at, idem ferme innuit, fatetur enim illum, licet senem, & quodammodo emortuum genuisse Isaac: *ab uno nati* C *sunt, & hoc emortuo, tamquam sydera Cæli*. Post nativitatem Isaac quinqua adhuc, & septuaginta vixit annos.

℣. 20. NON HÆSITAVIT DIFFIDENTIA.] Qui Abrahæ tantum verba considerat, ibi primo intuitu quamdam offendit diffidentiam [6]: *Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* & addit: *Utinam Ismael vivat coram te*. Quasi spem minime foveret, futurum ut alius præ hoc ancillæ filio sibi nasceretur. Et sane Patres quidam [7] in hac Abrahæ responsione dubitationem minime deesse censuerunt; at Patres alii, ac Interpretes non recedentes ab hac Apostoli sententia tenent, Patriarcham non dubitasse, immo neque hæsitasse; sed humilitatis sensu permotum, eum se tanta indignum gratia putarat, summa cum admiratione quæsivisse, quomodo id fieret, & utrum Ismael ille es- D set, qui tot populorum pater erat futurus [8]. Satis præclare mecum actum judicavero, si Ismael hæres esse potest tuarum promissionum: ego enim recenti gratia indignus sum, neque mihi est, qua sum ætate, tantum boni animo concipere fas est.

DANS GLORIAM DEO.] Illius potentiam, certissimamque veritatem confessus est. Humiliter, & constanter Dei verbis credidit, eique gratias egit sincero animi affectu, hunc divinæ bonitatis, & omnipotentiæ merum effectum esse confessus [9].

℣. 22. REPUTATUM EST ILLI AD JUSTITIAM.] Fides, quam habuit promissionibus Dei eo tempore, illi ad justitiam fuit reputata, non secus ac illa, quam habuit, eum de terra Chaldæorum a Deo fuit evocatus, & item eum ante nativitatem Ismael Dominus ipsum allocutus est. Hæ multiplices immutationes justitiæ ejusdem sunt incrementa, atque effectus justificationis, quam ab initio obtinuit propter fidem suam ex mera Dei misericordia [10].

℣. 24. SED ET PROPTER NOS.] Gratia, qua Deus Abrahæ fidem ad justitiam reputavit, pro illo æque est, atque pro nobis: non quod nobis illius justitia imputetur; sed quod si fidem illius fuerimus imitati, Deus eam nobis, non secus ac illi ad justitiam reputabit. Objectum fidei Abraham erat promissio rei futuræ procul sepositæ. Fidei nostræ objectum est JESU CHRISTI Incarnatio, Mors, & ex mortuis Resurrectio. Licet tanta locorum, temporumque adsit diversitas, si crediderimus, ut olim Abraham, fides nostra nobis ad justitiam reputabitur; & justitia nostra magis, magisque crescat, prout fides magis perficietur.

℣. 25. RESURREXIT PROPTER JUSTIFICATIONEM NOSTRAM.] Pater Æternus Filium suum tradidit in mortem, ut peccata nostra expiaret: eumque a mortuis suscitavit, ut nobis justificationem procuraret. Mors illius est nostra Redemptio; ejus Resurrectio præcipuum est fidei nostræ argumentum. Fides, quam in illius Resurrectionem habemus, nobis ad justitiam reputatur, non secus ac Abrahæ fides, quam habuit in promissionibus Dei [11]. Videtur istic Apostolus fidem, atque justificationem nostram ad solam Salvatoris Resurrectionem coarctare; non quod alia nostræ Religionis mysteria, quæ omnia simul, & singula seorsim objecta sunt fidei nostræ, excludat; sed illa universa quodammodo complectitur Resurrectio, quæ cæterorum est veluti signaculum, & consummatio. Hæc explicatio melius cum superioribus, & subsequentibus cohærere videtur.

1 Erasm. Est. Men. Tir. Chrysost. hic. 2 Ita Hieron. hic, Origen. seu Rufin. in ep. ad Rom. Theophyl. in Comment. Erasm. in Vulg. Vide Est. Mill. 3 August. l. 16. de Civit. c. 1. & quæst. 35. super Genes. Perer. Dausf. 4 Hebr. 11. 7. *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit*. 5 D. Thom. Perer. Est. Tolet. alii. 6 Genes. 17. 17.
7 Chrys. hom. 40. in Gen. Hieron. lib. 1. Dial. contra Pelag. cap. 10. & lib. 3. cap. 5.
8 Vide Ambros. l. 1. de Abrah. c. 4. & l. 2. c. 11. Aug. l. 16. de Civit. c. 26. & 31. Est. Tolet.
9 Chrysost. Est. Tolet. Grot. alii. 10 Vide Est. hic. 11 Peter. Sasbod. Adam. Cajet. Vide 1. Petri. 3. 21.

CAPUT V.

Bona eorum qui justificantur. Infinita Dei erga nos liberalitas. Quemadmodum per unum hominem mors, & peccatum in Mundum ingressa sunt; ita per unum gratia, & vita super plurimos se se effuderunt.

1. JUstificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum: 2 Per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. 3 Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes, quod tribulatio patientiam operatur: 4 Patientia autem probationem, probatio vero spem, 5

Spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per
Spiritum sanctum, qui datus est nobis. 6 Ut quid enim Christus, cum adhuc
infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est ? 7 Vix enim pro ju-
sto quis moritur : nam pro bono forsitan quis audeat mori ? 8 Commendat au-
tem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, se-
cundum tempus ; 9 Christus pro nobis mortuus est : multo igitur magis nunc
justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. 10 Si enim cum
inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus ; multo magis re-
conciliati, salvi erimus in vita ipsius. 11 Non solum autem ; sed & gloriamur
in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem
accepimus. 12 Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum
intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in
quo omnes peccaverunt. 13 Usque ad legem enim peccatum erat in mundo :
peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. 14 Sed regnavit mors ab
Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem præ-
varicationis Adæ, qui est forma futuri. 15 Sed non sicut delictum, ita & do-
num : & enim unius delicto multi mortui sunt : multo magis gratia Dei, & do-
num in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. 16 Et non sicut
per unum peccatum, ita & donum : nam judicium quidem ex uno in condemna-
tionem : gratia autem ex multis delictis in justificationem. 17 Si enim unius de-
licto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis,
& justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. 18 Igitur
sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem ; sic & per unius
justitiam in omnes homines in justificationem vitæ : 19 Sicut enim per inobedien-
tiam unius hominis peccatores constituti sunt multi ; ita & per unius obeditionem
justi constituentur multi. 20 Lex autem subintravit, ut abundaret delictum.
Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. 21 Ut sicut regnavit pec-
catum in mortem : ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum
Christum Dominum nostrum.

℣. 1. JUSTIFICATI ERGO EX FIDE.] Peccatorum nostrorum veniam consecuti per Domini nostri JESU CHRISTI mortem, & fidem in Resurrectionem ejus eam vitam vivamus, quæ digna sit hac reconciliatione, quam ingressi sumus, & pace, quam cum illo obtinuimus. Ostendere vult, non satis esse, priorem obtinuisse gratiam ; sed illam servandam, atque augendam esse optima vivendi ratione, atque exacta fidelitate. Plurima exemplaria [1] pro *habeamus pacem*, legunt, *habemus pacem* ; jam redimus in gratiam cum Deo per JESUM CHRISTUM Salvatorem nostrum, qui nobis per mortem suam veniam, & per suam Resurrectionem justitiam promeruit, ℣. 25. cap. preced. A

℣. 2. PER QUEM ET HABEMUS ACCESSUM,] Per fidem in JESUM CHRISTUM, peccatorum nostrorum remissionem, & justificationem obtinuimus ; per eamdem reconciliati sumus Patri Cœlesti, atque adoptionis gratiam sumus assecuti. Semper redit Apostolus ad id, quod primum proposuerat : Fidem nempe veram esse nostræ justitiæ causam, ac merum Divinæ misericordiæ donum, non autem præmium nostrorum meritorum. Filius ad illam nos evocavit, Spiritus Sanctus nos deduxit, Pater vero nos illexit [2]. Filius est Mediator noster, ipse nos admisit [3], per illum in nos omnis gratiarum affluentia defluxit. Hæc verba *per fidem* in plurimis Græcis MSS. desiderantur [4]. B

IN QUA STAMUS, ET GLORIAMUR.] Permanemus, perseveramus in gratia reconciliationis, justificationis, & adoptionis, quæ nobis tradita fuit per fidem, ita ut in hoc præcipuam gloriam nostram collocemus, quin vel ærumnæ, quibus obnoxii sumus, vel contemptus, quo mundus Divinum hoc munus ab ipso minime cognitum flocci facit, valeant nos deterrere, vel efficere, ut de nostra existimatione decidat ea gratia, quæ omnimodam nostram felicitatem constituit. Apostolus, antequam homini humilitatis sensum inspiret, efficiens, ut seipsum, & sua propria merita ad trutinam vocet, antea illum confirmat, celebrans solidam vocationis suæ gloriam, atque spem, quam in Dei sui Omnipotentis auxilio debet collocare. Fides, gratia, justificatio illum ad inæstimabilem gloriam evehunt. Sed ille excidit, statim ac vel minimum quid sibi tribuit acceptum : unde fit, ut non in nobismetipsis, sed in spe gloriæ Filiorum Dei gloriari debeamus, certo sperantes, hanc nobis in æternitate eam concessurum gloriam, quam Dei filiis spopondit. Græcus typis editus, Græci Patres, MSS. S. Cyprianus de exhortat. Martyr. cap. 9. S. Ambrosius, vel Auctor Commentariorum, qui sub nomine illius circumferuntur, & Syros simpliciter legunt ; *gloriamur in spe gloriæ Dei*, non autem *gloriæ filiorum Dei*, quæ posterior lectio in Vulgata, in Hilarii Diaconi textu, in Rufino, & in Scholiaste in epistolam hanc sub nomine Sancti Hieronymi invenitur.

℣. 3. SED ET GLORIAMUR IN TRIBULATIONIBUS.] Spes nostra præcipuum est lætitiæ, ac virtutis nostræ argumentum, atque per illam in ipsis tribulationibus, persecutionibus, rebus adversis gloriamur. Et sane si Christianis, Sanctis, Dei amicis non alia superest spes, quam in hoc Mundo ; ne illi quidem mortalium omnium sunt calamitosissimi [5]. In hoc gloriam suam collocant,

1 Gr. impress. εἰρήνην ἔχομεν. Sed Vulg. Syr. MSS. Alex. Clarom. & alii, plures, Chrysost. Theodor. Theoph. alii, *pacem habeamus*. Origen. Ambros. hic. Tertul. l. 5. contra Marcion. c. 13. *Pacem habemus*.
2 Joan. 6. 44. 3 1. Timot. 2. 5. 4 Vide Mill. hic.
5 1. Cor. 15. 19.

A locant, si patiantur tamquam Christiani [1], tamquam JESU CHRISTI imitatores, & si per ærumnas suas Dei sui gloriam cogitant. *Ibant gaudentes Apostoli a conspectu Concilii*, ait S. Lucas Act. 4. 41. *quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Christiana Religio una est, quæ hoc secreti immittere possit hominibus, atque efficere, ut inter cruciatus, ac pœnas, gaudium, atque voluptatem invenire possint æternæ beatioris vitæ intuitu, quæ quidem illis promissa est, & quam nonnisi oculis fidei intuentur.

TRIBULATIO PATIENTIAM OPERATUR.] En quomodo tribulatio Christianum possit afficere lætitia; quod nempe viam aperit ad bonorum æternorum spem, quæ nostram consolationem, nostramque virtutem constituunt: *Tribulatio patientiam operatur*, hanc exercet,
B huic materiam, atque occasionem præbet: *patientia autem probationem*; cum enim homo sæpius mala pertulerit, ac semper Dei opem fuerit expertus, confirmatur, majores animos induit, atque inter adversa constantiam numquam flectendam acquirit; & periculum, quod toties fecit divinæ largitatis, certissimam illi confidentiam immittit, quæ tandem afferat laboribus ejus coronam, & ea præmia, quæ illi fuerant promissa: *probatio vero spem*.

Vel si *probationis* nomen pro ea approbatione, quam Deus illi concedit, accipiemus: patientia, qua inter adversa taloflectens, interiosecca illum afficit lætitia, quasi illum certiorem efficiens, ipsum a Deo maximo approbari; hoc illi præclarum testimonium propria perhibet conscientia [2]. Hæc autem approbatio parit
C spem; replet enim hominem constanti spe erga promissiones Dei, futurum ut tot laborum, atque ærumnarum lætissimam, atque copiosissimam mercedem inveniat. Vide universum primum caput Epistolæ prioris ad Corinthios.

℣. 5. SPES AUTEM NON CONFUNDIT.] Non desunt fallaces quædam, mendax, inanes spes, quæ summo pudore illos suffundit, qui eidem incubuerint: sed ea spes, quæ innititur tribulationi, probationi, patientiæ, promissionibus Dei, numquam deficere potest. Inconcusso hæc insistit fundamento, & Deus jam non esset Deus, si hæc spes fallere posset [3]; qui fidem habent vivam, & charitate succensam, quique indesinenter allaborant, ut vocationem suam certam faciant, se se in patientia, bonisque operibus exercentes, hi
D possunt, immo & debent constantem fovere spem in promissionibus Domini, certi sibi illas non defuturas, neque se ullo pudore suffusum iri, quod iis accidit, qui avidissime præstolantur, & non assequuntur, qui petunt, atque repulsam reportant [4].

QUIA CHARITAS DEI DIFFUSA EST IN CORDIBUS NOSTRIS.] Hoc superioribus addendum est. Christiani hominis spes nequaquam inanis est, quia *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*. Quomodo nam promissionum suarum, nostræque spei effectum nobis denegaret Deus, postquam nos suo amore cumulaverit? ubi nos sua gratia prævenit, quam parum adeo merebamur, nobis eam, quam pollicitus est, mercedem non afferet? præsertim vero cum summo nisu, atque ope conemur, ut per tribulationes, fidemque nostram
E illam promereamur [5]. Hic sensus non decursu Apostolici sermonis bella videtur congruere.

Aliter: non permittet Deus, inanes accidere spes nostras, quoniam charitas, qua repleti sumus, constantem in nobis alit confidentiam, futurum ut ea, quæ nobis spopondit, assequamur [6]. Numquid postquam nobis fidem, charitatem, patientiam, atque fideli-
A tatem elargitus est, tandem nobis Regnum suum negabit? postquam nobis benevolentiæ suæ pignus, atque arrham tribuit per charitatem, qua repleti sumus, non perficiet ille opus suum, suasque erga nos promissiones minime exequetur? *Charitas Dei* significare potest vel amorem, quo Deus nos complectitur, vel illum, quo ipsum prosequimur [7]; quemadmodum liquet ex plurimis Scripturarum locis, ubi hæc locutio invenitur.

℣. 6. UT QUID ENIM CHRISTUS CUM ADHUC INFIRMI ESSEMUS.] Si voluisset Deus nostram spem fallere, numquid tot suæ charitatis monumenta nobis suppeditasset, sua nos ipse misericordia præveniens, nos ad fidem evocans, nobisque Filium suum JESUM CHRISTUM tribuens, qui nos redimeret, atque pro
B nobis deprecaretur? idque vero tunc temporis, quo maxime ipsum lædebamus, & adhuc in scelerum infirmitate languentes eramus, atque ad fidei vitam emortui, cum hodie per illius gratiam nostra spiritualia vulnera ad cicatricem redierint, ac nos stantes simus [8] in via præceptorum ejus, atque exercitatione voluntatum ipsius [9]?

Græcus legit: *nam cum adhuc infirmi essemus*, nec legit, *ut quid*? Sed Vulgatæ lectio apud S. Irenæum l. 3. cap. 18. & in Commentariis in hanc epistolam, qui S. Ambrosii nomine editi circumferuntur, & apud S. Hieronymum invenitur. Si autem Græci textus lectionem sequi velis, ita intelligere poteris: quæ major nota capere potest amoris, quo nos ipse prosequitur, quam quod ille pro nobis effecit? *Nam cum adhuc*
C *infirmi essemus, nobis dedit Dominum nostrum* JESUM CHRISTUM *Redemptorem*.

Hæc locutio, *cum infirmi essemus*, significare potest statum infirmitatis, & mortis, ad quem redactus est peccator. Infirmitas, vel morbus hoc in sensu nonnumquam pro animæ morte usurpatur [10]; quæ loquendi ratio infirma quidem videtur in verbis: sed magnam habet in sensu vim significandi; quemadmodum *dormire* pro mori; *inutile* pro nocivo; *vanum* pro scelesto, ita & infirmum pro illo usurpatur, qui in nullam reditus spem prorsus inciderit. *Infirmi* hoc in loco idem significant, ac *impii*, *peccatores*, *inimici Dei*, quemadmodum liquet istic, & ℣. ℣. 8 & 10.

SECUNDUM TEMPUS.] JESUS CHRISTUS mortuus est tempore in providentiæ decretis præstituto [11], at-
D que in prophetis designato; videlicet cum iniquitas, atque scelus maxime grassarentur in terris, atque ad summum Redemptoris habendi necessitas evasisset [12]. Quidam ea verba *secundum tempus* referunt *ad infirmos*, quæ ante immediate præcedit. Cum majori infirmitate laborabamus, cum majoribus dediti essemus iniquitatibus, conjecit Deus oculos in nos, & sua nos misericordia prævertit.

℣. 7. VIX ENIM PRO JUSTO QUIS MORITUR.] Commendare vult Patris erga nos largitatem, atque infinitam Filii charitatem, qui se se tradidit morti, ut nos redimeret, cum adhuc in infirmitate, atque morte peccati versabamur. Nemo umquam pro scelesto suam vitam impenderit, & vix etiam quis illam impendet, ut justum, bonum, & amicum virum redi-
E mat: sed pro impiis, pro peccatoribus, pro iis, a quibus actu lædebatur large, effusaque Dei Filius illam donavit. Sunt [13], qui Græcum textum ita vertunt: *vix aliquis mortem subire volet pro justa causa; quis enim tandem subire pro injusta vellet?* Leguut alii [14]: *vix aliquis pro impio, atque scelesto mori volet: nam fortasse non deerit aliquis, qui effundat vitam suam pro viro bono*,

Tom. VIII. F pro

1 Theodoret. 2 2. Cor. 1. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*.
3 Eccli. 2. 10. *Nullus speravit in Domino, & confusus est*. 4 Psalm. 21. 6. & 24. 3. & 30. 2. Vide Grot. Est. Tolet. 5 Vide Chrysost. Theophylact. Cajetan. Tolet.
6 Vide August. de Spir. & litt. c. 32. Primas. Menoch. Grot. 7 Rom. 7. 39. 2. Cor. 5. 14. & 13. 13. Ephes. 3. 19. 1. Joann. 3. 17. & 4. 9. 8 Supra vers. 2. *Per gratiam istam, in qua stamus*.
9 Vide Tolet. Est. Menoch. 10 Vide Ludov. de Dieu hic, Grot. Est. Vide 1. Cor. 15. 43. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*. 11 Theodor. Tolet. alii.
12 Hieron. Theophyl. Sedul. Tirin. 13 Hieron. ep. ad Algas. Drus. Vatab. Erasm.
14 Syr. Arab. Grot.

pro amico, pro illo, qui de nobis sit optime meritus. At Patres, & pleriqae Interpretum priorem sequuntur explicationem.

℣. 8. COMMENDAT CHARITATEM SUAM DEUS IN NOBIS.] Ideo vero Dei amor in nobis effulget, quod Unigenitum suum nobis tradidit, qui, cum minus merebamur, nos de servitutis squalore redimeret. Jactet historia amicos, qui pro amicia vitam suam in discrimen adduxerint, veluti Jonatham pro Davide [1], Damonem pro Pythia [2], Nisum pro Euryalo. Moriatur pater, ut filium suum sospitem præstet; vel filius, ut parentis sui vitæ consulat: aliquis se se in mortem credat, ut familiam, Patriamque suam tueatur. Hoc profecto mirum est, at non inauditum: vir aliquis virtute insignis se se objiciat, ut justi hominis per nefas appetiti innocentiam tueatur, vel ut illum a morte eripiat, hoc etiam magis generosum est, & laude dignius. Sed quod pro ingratis, pro inimicis, pro alienis, pro impiis, non dicam Deus, sed homo vitam suam dignatur effundere, næ hoc quidem omnes magis insignis, atque inauditæ charitatis fines excedit?

℣. 9. MULTO IGITUR MAGIS NUNC JUSTIFICATI.] Cum ergo Patri reconciliati simus, ac per adoptionem in numero Filiorum ejus recepti; quid fas est, nos ex illius largitate præstulari? Si Filium suum tradidit, & si Filius vitam suam pro impiis, atque inimicis effudit, quid umquam pro justis viris, pro filiis, pro amicis impendet? Nos utique ab effectibus iræ suæ, atque a terribili judicio suo liberabit. *Salvi erimus ab ira per ipsum.*

℣. 10. SALVI ERIMUS IN VITA IPSIUS.] Isthic revocandus est postremus superioris capitis versiculus. *JESUS CHRISTUS traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Mortem subiit, ut impios, atque peccatores redimeret, & resurrexit, ut illis justitiam per fidem conferret. Si tanta nos charitate dilexit, quo tempore illum maxime lædebamus, ejusque eramus inimici, quid autem in nos conferat modo, cum & per mortem illius redempti simus, & per fidem in Resurrectionem ejusdem simus justificati? Spes quidem nostra proculdubio certiori, quam antea, nunc innititur fundamento, atque gloriari possumus in tribulationibus nostris, quandoquidem tot habemus pignora divinæ Charitatis. Vide ℣℣. 2. 3. 4. 5. hujus capitis.

℣. 11. NON SOLUM AUTEM, SED & GLORIAMUR.] Non solum reconciliati sumus, & justificati per mortem, & Resurrectionem Jesu Christi: *sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM.* S. Paulus hac gradatione illa extollit beneficia, quæ a Deo recepimus. Nos per suam mortem redemit, nos per Fidem in Resurrectionem suam justificavit, nos Patri reconciliavit, nos in amicorum, atque Filiorum suorum albo descripsit. Quid autem reliquum est, nisi ut *gloriemur in Deo per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM*; magno habeamus in pretio gratiam reconciliationis, & adoptionis nostræ, Deo meritas agamus gratias, atque fideli cooperatione promereamur, ut jugiter favore suo nos prosequatur.

℣. 12. PROPTEREA SICUT PER UNUM HOMINEM PECCATUM.] Particula *propterea* isthic non adfert rationem eorum, quæ superius dicta sunt; verum simplex est conjunctio, per quam ab uno ad alterum argumentum transitus fit. Ubi superius amplificaret infinita beneficia, quibus a Deo per JESUM CHRISTUM cumulati fuimus, S. Paulus aliquid majus aggreditur: instituit enim JESU CHRISTI comparationem cum Adam, atque ostendit, quemadmodum mortalium primus per inobedientiam in terras peccatum invexit; ita Jesum Christum per mortem, atque obedientiam suam huic vulneri medicinam attulisse. Supponi potest quædam objectionis species, cui respondet Apostolus. Inquies, JESUS CHRISTUS profecto nos bonis, atque beneficiis cumulavit, neque satis magno haberi potest in pretio ea gratia, quam fidelibus contulit: verum cur charitatem suam ad paucos adeo viros coarctavit? cur non potius eadem universum mortalium genus complexus est? cur tot adhuc supersunt infideles Idolorum cultores, impii, pertinaces, atque increduli Judæi? nonne magnificentia illius dignum esset, ut misericordiæ suæ divitiæ erga tot calamitosos etiam effusæ effulgerent?

Alii [3] hoc superioribus ita subnectunt; *a Deo per JESUM CHRISTUM reconciliationis gratiam obtinuimus.* Hoc est hujus reconciliationis mysterium: ita illa adimpleta est. Omnes simul in Adam mortui eramus, omnes peccaveramus, omnes obnoxii eramus crimini Parentis nostri [4]; JESUS CHRISTUS vero per mortem suam nos inde expedivit. Aliæ quoque adsunt rationes, quibus cum superioribus versiculis hoc potest subnecti: sed duriusculæ nimis videntur. Stylus Apostoli sæpe impeditior est propter transitiones quasdam, celeres nimium, atque præcipites. Abreptus enim S. Spiritus impetu, de uno in aliud prosilit argumentum, quin Lectorem admoneat, qua in re posita est pars maxima difficultatis, quæ in Epistolis ejus occurrit.

SICUT PER UNUM HOMINEM PECCATUM.] Originale peccatum, omnesque effectus illius in Mundum obrepserunt per Dæmonis invidiam [5], & per primi hominis scelus, quem mulier prima in errorem induxit, Eva prior peccavit, & impulit virum suum in inobedientiam; at nonnisi post peccatum Adæ fractum fuit fœdus inter Deum, & hominem [6]. Crimen Evæ privatum quoddam erat peccatum: at peccatum Adæ erat quodammodo scelus omnium posterorum, qui in ipso, tamquam in origine continebantur, & qui comprehendebantur in fœdere, quod Deus cum Adam percutere dignatus fuerat [7]. Originale peccatum in omnes Adæ posteros transiit, non per simplicem imitationem, quemadmodum Pelagiani, atque Sociniani contendunt; sed per realem transfusionem, quæ fit per generationem [8], atque per veram imputationem verissimæ Justitiæ innixam; quippe juraverat Deus, se Adæ omnibusque posteris illius æternam largiturum felicitatem, si in bono perseverasset, vel eumdem, ac posteros simul morte puniturum, si ea, quæ illi irrogaverat, præcepta perfregisset.

PER PECCATUM MORS.] Mors homini necessaria dumtaxat post Adæ peccatum facta fuit [9]. Viventium hic Pater ad immortalitatem creatus fuerat, sed cum Deo minime paruisset, nactus est animæ mortem, quam subsequuta est necessitas moriendi, corporibus etiam inflicta [10]; atque simul cohors omnium morborum, qui sunt causæ, præcursores, atque signa nostræ mortalitatis: dolor videlicet, lassitudo, ægritudo, corruptio, & jugæ prælium, quo decertare debemus, ut nosmet a morte tueamur, vivendo, manducando, quiescendo, dormiendo. Rabbini hac in re nobiscum consentiunt [11], mortem scilicet nonnisi per Adæ peccatum terris incubuisse.

ET ITA IN OMNES HOMINES MORS PERTRANSIIT.] per nativitatem, quam omnes ab Adam recipiunt. Antiqua Exemplaria nonnulla [12], Origenes, SS. Ambrosius,

---

1 2. Reg. 19. 20. 2 Vide Valer. Max. l. 4. c. 7. Lactant. l. 5. c. 18.
3 Perer. Est. Tolet. 4 August. serm. 22. c. 9. nov. edit. *Traducem mortalitatis de parentibus duximus, & massa peccati, massa iræ facti sumus.*
5 Sap. 2. 14. 6 Vide August. de Civ. l. 16. c. 27. Beda in Luc. 2. Perer. Est. Tolet.
7 Vide ad Gen. 17. 14. 8 Vide August. contra Julian. citante Beda; item l. 1. de Baptismo parvul. c. 18. Hugon. q. 132. Est. hic. Vide Eccli. 25. 33. & Concil. Trid. Sess. 5.
9 Vide Est. Perer. Parz. alios. 10 Gen. 2. 17. *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris.*
11 Chald. Paraph. ad Ruth. 4. Bereschit. Rab. sect. 14. Midras cohelet 3. 14. Jarchi, alii. Vide Grot.
12 Vide Mill. hic, & Est.

fius, & Augustinus hoc in loco mortis nomen non legunt, sed simpliciter, *& ita in omnes homines pertransiit*, quod intelligi potest de peccato, vel de morte, quæ per prævaricationem Adæ ad omnes homines transierunt. Animadvertit S. Augustinus l. 4. contra duas ep. Pelag. c. 4. Pelagianos in exemplaribus, ubi *mortis* nomen non legebatur, supplesse non *peccatum*, sed *mortem* corporis; ne suppeditarent nobis arma in semetipsos originalis peccati propagationem confitentes.

In quo omnes peccaverunt.] Omnes Adæ posteri quodammodo in ipso Adam continebantur: *quando omnes illi unus homo fuerunt* [1]; non secus ac arbor in radice, vel in germine continetur [2]. Quidam Græcum textum vertunt: *per quem omnes peccarunt*, vel per quem omnes puniti fuerunt, & habiti tamquam peccatores; *peccare* enim sæpius in hoc sensu usurpatur [3]. Alii [4] vertunt: *quod omnes peccaverunt*. Omnes mortales effecti sunt, omnes enim nequam, & peccatores sunt. Verum hæc versio, mea quidem sententia, suspicione non caret, quippe quæ infirmat illam, quæ hoc de originali peccato intelligit per propagationem filiorum Adæ: *quod ex primi Parentis mala voluntate contractum factum est quodammodo hereditarium*, inquit S. Augustinus l. 1. Retract. c. 13.

℣. 13. Usque ad Legem enim peccatum erat in Mundo.] Universum humanum genus originalis peccati labe infectum, quæ in mundum per Adæ prævaricationem pervaserat, in omne flagitiorum genus se se abdidit, ita ut omne illud temporis spatium, quod a mundi incunabulis ad Legem usque effluxit, jure peccati Regnum queat appellari [5]. Lex deinde oborta tantum malum auferre minime potuit [6]; effecit quidem, ut peccatum agnosceretur, sed illud delere non valuit; non contulit virtutem illius vincendi; hominem quidem magis illustravit, verum in priori infirmitate, & corruptione reliquit.

Ita cum dicitur, *usque ad Legem peccatum erat in Mundo*, inferendum non est, peccatum per Legem fuisse sublatum, sed tantum illud eousque regnasse, quin satis agnosceretur, *Peccatum autem non imputabatur cum Lex non esset*; illud quidem semper erat peccatum; veruntamen non imputabat hominibus Deus Legis scriptæ, quæ needum irrogata erat, prævaricationem [7]. Scelus tunc non adeo magnum erat, quoniam illud non satis distincta cognitio concomitabatur. Dicit, *non imputabatur*, pro minus imputabatur, & minus supplicio dignum censebatur.

Græcus verti etiam potest: *cum Lex non esset, peccatum non censebatur*. Hominibus affulgebat lux Legis naturalis, atque conscientiæ, qua duce bonum a malo secernebant, verum confusius. Non satis assequebantur ea omnia, quæ ipsos decerent, quemadmodum post latam Legem intellexerunt. Complura scelera nequaquam peccata esse credebantur, quod minime cognoscebantur. Sed Lex Scripta lucem attulit, ut agnoscerentur: quod non abhorret ab iis, quæ nuper dicta sunt, cum explicaremus lectionem *imputabatur*.

Basilides juxta Metampsycoseos suppositionem [8] locum hunc interpretabatur. Dicebat, peccatum semper in Mundo fuisse, sed hominibus minime fuisse imputatum, nisi ubi venissent in humanum corpus, atque Legem cognovissent; & cum S. Paulus inquit: *ego vivebam sine Lege aliquando* [9], *sed cum venisset mandatum, peccatum revixit* [10]: tempus quo Apostolus erat sine Lege, illud esse tempus putat, quo avicula, vel alterius viventis corpus animabat: sed ex quo humanum corpus ingressus est, peccatum, quod tunc erat in ipso, quemadmodum sepultum, convaluisse & revi-

A xisse. Verum nugas has Basilidianas relinquamus.

Origenes loco cit. censet, peccatum in mortuis, atque inertiæ statu permanere intra nos ipsos donec per ætatem rationis sumus expertes: at simul ac rationis lumen in nobis effulget, & judicium se se incipit evolvere per distinctam boni, atque mali, legisque naturalis cognitionem; tunc peccatum convalescit, & quodammodo reviviscit, imperium in nos exercens. Si puer Patrem, vel Matrem percusserit, hoc illi minime crimini vertitur, quia nondum rationis est compos, neque Legem naturalem, atque multo minus Dei Legem, quibus id prohibetur, agnoscit: sed homo cum jam adolevit, si hoc ipsum fecerit, jam tamquam impius, atque Divinæ Legis prævaricator habebitur.

Peirerius Auctor Libri Præadamitarum sententiam
B suam ex Origene hausisse videtur, cum hoc tamen discrimine, quod cum Origenes hoc tenebrarum tempus in singulorum hominum sigillatim infantia cognoscat, cujus tempore peccatum illis imputari minime potest, hic Auctor e contra in universa hominum natura admittit diuturnam annorum seriem, qua illa in quadam infantia constitit, omni prorsus lumine carens; quo tempore peccatum illis imputatum minime fuit. Post Adam tantummodo cum illi tradita fuisset Lex naturalis, atque rationis usus, natura humana peccare incœpit, atque coram oculis Dei se noxiam præbere. Cum ait Apostolus *usque ad Legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum Lex non esset*. Hoc juxta eumdem Auctorem intelligendum est de Lege naturali Adæ, ejusque posteris tradita [11], ita
C ut mors in Mundo ab Adam ad Moysem regnaverit, in eos etiam, qui prævaricationis Adæ minime imitatores fuere.

Scriptura unam dumtaxat explicite memorat Legem Adæ traditam, eam videlicet, qua prohibetur arboris vitæ necisque fructum comedere [12]; aliqua mox Noe tradita fuerunt præcepta [13]. Dicitur Abraham [14] *obedisse voci Dei, & custodisse præcepta, & mandata, & cæremonias, Legesque servasse*. Ecce igitur quasdam ante ipsum Moysem Leges. Pressius quidem atque in absoluto sensu dici nequit, ante Moysis Leges peccatum hominibus minime fuisse imputatum [15]; quemadmodum hoc in loco innuere videtur Apostolus; liquet enim, Adam, & Evam de Paradiso ejectos fuisse, & Deum severissime animadvertisse in Cain, aliosque im-
D probos homines, antequam universus terrarum orbis generali eluvione ablueretur: Sodomitas, & Gomorrhæos post illum cataclysmum igne cœlesti fuisse absumptos, & Asphaltitis lacus aquis submersos; Pharaonem Ægypti Regem percussum, quod Saram sibi abstulisset [16], Onam morte cæsum [17] propter nefarium scelus [18] interemptum.

Quod si peccatum ante Moysis Legem imputabatur, quemadmodum nuperrime probatum est, tempus inveniendum est, ubi dici queat, quod *peccatum non imputabatur, cum Lex non esset*. At hoc tempus illud est sane, quod ante Adam effluxit, & antequam illi Lex naturalis [18] irrogaretur. *Præadamitæ*, illi videlicet homines, qui ante Adam creati vivebant, peccabant ipsi quoque quoad actum materialem, sed peccatum il-
E lis minime imputabatur: Lex quippe nondum intervenerat. Formale vero peccatum tunc subsistere, atque imputari cœpit, cum tandem Adam creatus est, atque Legem perfregit: quo tempore peccatum se se effudit non solum in eos, qui ex Adam erant nascituri, verum in eos etiam, qui ante illum creati fuerant [19]; non secus ac meritum & pretium Sanguinis Jesu Christi non iis solum, qui eumdem subsequuti sunt, sed & illis, qui eum præcesserunt, fuit imputatum.

1 August. l. 2. de Bapt. parv. c. 10. & l. 3. c. 7. & l. 2. de Nupt. & Concup. c. 5. & Ep. olim 106. nunc 186. 2 Perer. Toler. Est. alii. 3 Grot. hic. Vide Gen. 31. 36 Job 6. 24.
4 Vat. Pare. Pisc. Tigur. Erasm. Castel. 5 Est. Tolet. Pare. Grot. &c.
6 August. Theodor. alii. Vide infra 7. 8. 7 Vide Est. Toler.
8 Vide Perer. Castal. Piscat. Tirin. 9 Basilid. apud Origen. in hunc locum l. 5.
10 Rom. 7. 9. 11 Præadamitæ. Exercit. 2. c. 2. 12 Gen. 2. 17. Vide & Gen. 3. 18. 19.
13 Gen. 9. 3. 14 Gen. 26. 5. 15 Præadamit. Exercit. c. 4.
16 Gen. 12. 17. 17 Gen. 46. 10. 18 Idem c. 8. 19 Idem. c. 19.

Quinam ergo hic erat status *Præadamitarum*? hunc A fuisse comminiscuntur [1]; vivebant in statu mere naturali, atque ducebant vitam omnino similem vitæ omnium brutorum sine supernaturali cognitione, vel Dei creatoris, vel voluntatum illius, vel Legum, quæ naturales vocantur. Quidquid de Deo cognoscere poterant, non eousque processerat, ut aliquid supernaturale saperet; in superficie duntaxat oculo illorum posita erat, ex creatarum rerum consideratione desumpta; neque illum magis cognoscebant, quam Athenienses illi, qui *ignoto Deo* aram posuerant [2]. Deus tandem se se prodere atque voluntates suas aperire cœpit Adæ: hactenus, ut ita dicam, mundi vagierat Infantia.

Tunc peccabat homo, verum proprie loquendo, non peccabat in Deum, quem non satis cognoverat. B Peccatum erat in homine, sed in peccato homo non vivebat. Turpe quidem erat hominis peccatum, quippe dedecus inferebat naturæ suæ, sed nullo afficiebatur dolore, cum Dei Legem infringeret, quoniam eamdem minime noverat. Si apud illos homines aliqua Lex erat, humana erat, atque politica: itaque illius prævaricatio nullam irrogabat pœnam supernaturalem, quod nullam moralem deformitatem complectebatur. Mors, quæ tunc dominabatur, non erat peccati pœna, sed necessitas omnino naturalis. Moriebatur homo, at non *moriebatur morte*, quemadmodum Adam deinceps mortuus est: *morte morieris*; illa quidem simplex erat mors, nostra vero duplex; hæc enim pœna est peccati, & Adam, & nostri.

Hic Auctor, qui in gravissimos hos errores lapsus C fuerat, quoad peccatum, atque commentitiam Præadamitarum sententiam, nihil æquius de JESU CHRISTO, atque humani generis reparatione cogitaverat. In Epistola sua ad Judæos ait, JESUM CHRISTUM, in quem credimus, qui ab eorum Patribus crucifixus fuit, venturum aliquando ad eorum peccata delenda. Venit enim in carne, ut Ethnicos salvos faceret, veniet iterum in Spiritu, ut Judæos salvos faciat, juxta S. Pauli verba ad Rom. 11. 26. *& sic omnis Israel salvus fiet, sicut scriptum est: veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem Jacob.*

Ad hoc Peirerii systema evertendum ex eo sciscitari satis est, quinam sit Sacer Auctor, qui verba fecerit de commentitiis hominibus, qui ante Adam vixerunt? quomodo probare possit eorum existentiam, quo in lo- D co, qua in Regione permanserint? nobis igitur fabella narratur, cum dicunt Sacri Scriptores, materiam ex nihilo fuisse desumptam, & verba faciunt de chaos, ex quo eduxit Deus universa creata? Ante igitur chaos hoc, ullusnon aderat mundus, non alia terra, ubi viverent Præadamitæ.

Quinam sacer vel Profanus Auctor de veteri hoc mundo sermonem instituit? numquid Peirerius illum ex peculiari revelatione cognovit? nonne Scriptura universa supponit, nullos ante Adam homines viguisse? Moyses ait, Adam creatum fuisse sexto hujus mundi die; nullum ergo tempus est, nullus locus, ubi Præadamitæ possint collocari.

Si enim supponas cum Peirerio hominem, vel juxta illius sententiam, homines sexto mundi die creatos E ab Adam differre, hæc mera est petitio principii, atque chimæra omni carens fundamento. Ad hæc nulla est necessitas admittendi Præadamitas, quoniam locus S. Pauli, cui ea innititur sententia, facile citra illud systema explicatur; & in Genesi respondimus aliis Authoris hujus rationibus, qui ne meretur quidem, ut serio refutetur.

Quod ait de JESU CHRISTO, magis adhuc impium est, atque ridiculum. Si alterum JESU CHRISTI adventum eum esse putat, quem universa expectat Ecclesia; nequiquam Judæis os sublinire contendit. Veniet JESUS CHRISTUS, eorum incredulitatem judicaturus at- A que illorum pertinaciam puniturus. Tunc longe plures convertentur; sed eorum in JESUM CHRISTUM conversio non oberit, quominus hi omnes, qui mortui sunt, & qui ad illud usque tempus morientur in obstinatione sua, æternis suppliciis addicantur. Hoc illis dicendum erat; non eisdem felicitas promittenda, cujus nemo eorum, ad quos Auctor loquebatur, particeps erit.

℣. 14. REGNAVIT MORS AB ADAM AD MOYSEM.] In illos ipsos, qui Legem non violaverunt. Licet Mosaicæ Legis prævaricatio nemini fuerit imputata, antequam irrogaretur, atque promulgaretur; tamen mundus minime erat sine peccato, & sine prævaricatione. Mors, & peccatum regnabant in Mundo per violationem Legis naturalis, quæ homini est coæva.

B ETIAM IN EOS, QUI NON PECCAVERUNT.] Per transgressionem peccato Adæ similem. Neque credas, hoc mortis, & peccati Regnum in eos tantum fuisse, qui explicite Dei voluntatem cognoverant, ut Adam, 2. illi ipsi, qui Dei mandata non noverant, sontes erant, eo quod violabant Leges naturales, in penitiori singulorum corde descriptas [3]. Peccatum non solum regnavit in eos, qui cum cognovissent Adam & lapsum, & pœnam illius, eumdem tamen imitati sunt, Dei mandata in corde sua insculpta infringentes, verum etiam in Gentiles, qui neque creationem, neque peccatum, neque supplicium Adæ cognoverant, & qui magis erant excusabiles, quam progenies Abrahæ; ex. gr. quæ insignis illius facti monumentum aliquod semper servasse videtur. 3. Regnum hoc mortis, & C peccati non solum fuit in homines, qui rationis usu compotes sunt, & qui imitantur Adam in Legum Dei prævaricatione, sed in pueros etiam grassatum est, qui numquam ex propria electione, & cognitione, & per explicitum voluntatis suæ actum peccarunt: sed qui originalis peccati labe ideo imbuti fuerunt, quod ex Adam nativitatem duxerunt [4], quæ illis & corporis, & animæ mortem inflixit.

Cum dicimus, mortem ab Adam ad Moysem usque regnasse, non asserimus, in Moyse Regnum illius desiisse. Regni illius effectus simpliciter explicantur, ejusque diuturnitas in plures partes dividitur, ut illius mala melius percipiantur. Ante Legem Mors & peccatum in omnes homines dominabantur, eo quod omnes infringebant Leges, quas in eorum cordibus in- D sculpserat Deus. Post Legem regnaverunt adhuc propter scelera eorum, qui Dei quidem Legem agnoscebant, eam vero vel nequaquam, vel perperam observabant.

Vetera Exemplaria Græca, & Latina in hunc locum variabant: alia quippe legebant: *etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*: alia vero e contra *etiam in eos, qui peccaverunt*. S. Ambrosius, vel potius Hilarius Diaconus, qui Auctor esse perhibetur Commentariorum in S. Pauli Epistolas, qui hactenus sub S. Ambrosii nomine editi fuerant, tenet legendum esse; *qui peccaverunt*, dempta negatione; & Græca exemplaria quæ legunt: *qui non peccaverunt*, esse mendosa. S. Augustinus [5] fatetur, non deesse Latina quædam exemplaria, ubi negatio non invenitur; E quæ tamen in omnibus fere Græcis adest. Origenes, vel potius Ruffinus ejus Interpres [6], negationem in textu minime legit, sed in exemplaribus quibusdam inveniri fatetur, eamque in Commentariis suis in S. Johannem legit verus Origenes. Sedulius utramque lectionem admittit, sed lectio Græci textus editi, atque Vulgatæ omni procul dubio melior est atque probatior; ea belle S. Pauli sententiæ respondet, eamque S. Irenæus l. 3. c. 20. & vulgo plerique Græci, Latinique Patres sequuntur.

IN SIMILITUDINEM TRANSGRESSIONIS ADÆ, QUI EST FORMA FUTURI.] Primus Adam Pater est omnium mortalium, atque omnium peccatorum: hic in Mun-

1 Eadem vide c. 18. 2 Act. 17. 23. 3 Chrys. Theoph. Theodor. Per. Est. Tolet.
4 August. l. 1. de Bapt. parvol. c. 11. & ep. olim 89. ad Hilar. nunc 157. Hieron. Dial. contra Pelag. alii.
5 Aug. de Peccat. merit. l. 1. c. 11. & ep. 157. nov. edit.
6 Origen. in Ep. ad Rom.

Mondum mortem atque peccatum invexit. Alter Adam est JESUS CHRISTUS, quemadmodum ipse etiam S. Paulus in prima ad Corinthios 15. 45. animadvertit, viventium, justorumque Pater, Auctor reconciliationis, gratiæ, & salutis. Adam prævaricator est JESU CHRISTI figura per antithesim, vel per contrariorum rationem. Quantum Adæ inobedientia mondo obfuit, tantum eidem profuit JESU CHRISTI obedientia. Prioris peccatum ad omnes posteros diffusum est: alterius vero justitia, & meritum in eos omnes sese effudit, qui crediderunt in illum. Illi omnes etiam, qui non cognoverunt, neque imitati sunt formali prævaricatione Adam, mortis sententiam subierunt; ita qui neque mortem perpessi sunt, neque sanguinem suum effuderunt, quemadmodum JESUS CHRISTUS, non ideo expertes fuerunt meritorum mortis, sanguinisque illius ex mera Domini misericordia [1].

Vertunt nonnulli; *quemadmodum fecit Adam, qui est futuri temporis exemplar*. Et lapsus, & pœna illius insignes sunt eorum exempla, quæ manent illos, qui eos imitabuntur, ac post illum nascentur. Aliter; Adam est *exemplar hominis futuri*, vel eorum, qui post illum venient. Omnes primi hujus hominis posteri sunt peccatores, atque mortales, Adæ similes. Deus illos percussit, & originalis peccati imputatione, & mortis pœna, quam omnibus æque summis, & imis, pueris, atque viris [2] inflixit.

℣. 15. SED NON SICUT DELICTUM, ITA ET DONUM.] Postquam ostendit Apostolus, Adam figuram esse JESU CHRISTI per antithesim; hoc in loco ostendit, quanam in re alter ab altero differat. Adæ peccatum non eamdem obtinet vim ad interitum, quam donum gratiæ JESU CHRISTI ad salutem. Absit, nos comparare velle hominem Deo; mortem vitæ, Adæ peccatum Redemptioni, quam nobis JESUS CHRISTUS procuravit.

SI ENIM UNIUS DELICTO MULTI MORTUI SUNT.] Potiori jure plurimi vitam recipient per gratiam JESU CHRISTI. Si S. Paulus istic conferret magnum eorum numerum, qui per Adæ peccatum pereunt, cum illis, qui per JESU CHRISTI gratiam salvi fiunt, dicere nequaquam posset, gratiam, atque misericordiam copiosius per JESUM CHRISTUM, quam peccatum, & mortem per Adam sese effudisse. Scimus, damnatorum, reproborumque numerum majorem esse, quam Electorum, & Prædestinatorum. Verum, ubi consideratur, & JESU CHRISTI persona, & gratiarum, quas nobis impertit, natura, & peccata, quæ remittit, & effectus gratiæ in cordibus nostris, & ratio, qua operatur, & illius infinita affluentia, quæ non omnes solum terrarum homines, sed longe plurimos potest justificare: nemo inficiari poterit, donum multo majus esse peccato; & ea, quæ JESUS CHRISTUS pro nobis efficit, longe majora esse iis, quæ Adam contra nos est operatus. Omnes justissimo Judicio damnati eramus in Adam: scelus illius factum erat nostrum per fœdus, Deum inter, & Adam ac posteros ejus ictum, & quod a nostro proparente fuerat infractum; sed nec salus, neque gratia, neque reconciliatio nobis ullo pacto debebantur: neque enim aliquid feceramus, quod nobis tantum boni promereretur. Hoc aliud decens est discrimen, quod præ effectibus peccati Adam, JESU CHRISTI donum vehementer extollit [3].

GRATIA JESU CHRISTI IN PLURES ABUNDAVIT.] Hæc vox *plures* ad litteram *majorem numerum* significat; sed Græcus simpliciter legit, *multos*; & S. Augustinus [4] in Pelagianos insurgit, qui hac voce *plures* abutebantur, asserentes, salutis gratiam super filios, qui prævaricationem Adam imitati non fuerant, extendi: scimus enim, hos hæreticos non admisisse originale peccatum secundum Ecclesiæ sententiam. Apostolus hoc in loco non aliud significat, nisi quemadmodum Adæ peccatum mortem attulit *multis*, hoc est omnibus hominibus, qui ex eo nati sunt secundum carnem, & qui in JESU CHRISTO regenerati non fuerunt [5]; ita JESU CHRISTI mortem *multis* vitam donasse, omnibus videlicet illis, qui nati sunt ex ipso secundum spiritum, qui sacro baptismate regenerati sunt, qui ad illum pertinent, & potiori jure ad omnes electos. Omnes homines in Adam mortem meruerunt; omnes homines meruerunt vitam in JESU CHRISTO: sed quemadmodum omnes filii Adam secundum carnem minime pereunt, quoniam Dei clementia plurimos vult salvos fieri; ita omnes homines, pro quibus JESUS CHRISTUS suum cruorem effudit, non omnes salvi fiunt, quod hujus Sanguinis meritum non omnibus applicatur, vel propter eorum culpam, vel propter altissima, atque inscrutabilia divinæ justitiæ decreta.

℣. 16. ET NON SICUT PER UNUM PECCATUM, ITA & DONUM.] Istic comparat effectus peccati Adæ ad nostram damnationem cum effectibus gratiæ JESU CHRISTI ad nostram justificationem. Per unum peccatum Adam mortem posteris omnibus intulit: non ita vero de JESU CHRISTI accidit gratia, quæ non ab uno solum peccato nos liberat, sed & originalis, & actualium peccatorum veniam impertit [6], & animæ vitam, æternamque felicitatem procurat. Hoc sententia in sequentibus enucleatur.

Græcus textus legit [7]: *sed de hoc dono non est sicut de illo, qui unus peccavit*, quæ lectio deprehenditur etiam in S. Augustino, Beda, S. Ambrosio, aliisque plurimis Latinis exemplaribus, quæ *peccantem* legunt, non *peccatum*. Sed potior MSS. codicum numerus, & omnes fermo typis editi, *peccatum* legunt: quæ lectio in valde bonis Græcis etiam MSS. occurrit.

NAM JUDICIUM QUIDAM IN UNO.] Damnati fuimus per unum, vel per unius peccatum, nunc vero justificamur per unius gratiam post plura peccata. Hoc aliud discrimen est inter Adam, & JESUM CHRISTUM. Adæ peccatum, quod non aliud est, quam unus actus, universo humano generi mortem inflixit; JESU CHRISTI gratia homines Deo reconciliat, licet infinita peccata patraverint. Unica Adæ inobedientia mortem omnibus posteris ejus intulit; omnia hominum peccata ab initio ad finem iterata minime efficiunt gratiæ Salvatoris effectus. Hæc igitur in hoc quoque sensu major est, atque superior primi hominis peccato.

℣. 17. SI ENIM UNIUS DELICTO MORS REGNAVIT PER UNUM.] Potiori jure vita in nobis per JESU CHRISTI gratiam regnabit. Si potuit Adam per prævaricationem suam nobis omnibus mortem inferre, multo magis JESUS CHRISTUS per meritum passionis suæ electis omnibus gratiæ, justitiæ, & gloriæ vitam conferet [8]. S. Paulus non comparat ingentem eorum numerum, qui per scelus Adæ pereunt, cum numero eorum, qui per JESU CHRISTI gratiam salvi fiunt; sed electos reprobis tantummodo opponit. Hi in Adam damnantur, illi per JESUM CHRISTUM salutem consequuntur.

℣. 18. SICUT PER UNIUS DELICTUM IN OMNES.] Sicut unius culpa omnes in eamdem damnationem ceciderunt, sicut per Adam omnes morte damnati fuimus & filii peccati, filii iræ nascimur: ita per unum JESUM CHRISTUM fidem, gratiam, & gloriam justificationis recipimus. Adæ peccatum calamitosos efficit, noxios, improbos; JESU CHRISTI gratia justos facit, Dei filios, beatos. Inter utrumque Adam, nec major, neque apertior inveniri potest oppositio.

At quomodonam inquit Apostolus, sicut omnes homines in eamdem damnationem lapsi sunt per Adæ peccatum,

---

e Ita Augustin. & cæteri PP. & Interpretes passim.
2 Vide Knatchbul.
3 Vide Toler. Est, Perer, Menoch, Grot. alios.
4 Augustin. oper. 2. contra Julian. apud Bedam hic.
5 Est. Tirin. Grot. Perer.
6 Vide Toler. Est.
7 Quidam legunt in Latino, *Et non sicut per unum peccantem, ita & donum*. Ita Ambrosiast. August. in edit. Bed. Erasm. MSS. Cisterc. & apud Lovan. lib. de peccator. merit. c. 12. Sed edit. Benedict. legit: *Per unum peccatum*: & sic plures Græci Codd. Vide Mill. hic, Est. Zeger.
8 Vide Toler. Est. Menoch.

catum, (quod nullam explicationem admittit,) ita A omnes in JESU CHRISTO justificari: *sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*; quandoquidem liquet, exiguum sane eorum esse numerum, qui salutis gratia, quam JESUS CHRISTUS nobis promeruit, utuntur egregie? Respondemus primo, *omnes* hoc in loco in arctiori sensu esse intelligendos, videlicet pro numero ingenti, cujus rationis loquendi exempla in Bibliis [1] haud sunt infrequentia. Secundo, omnes, qui justificantur per JESUM CHRISTUM, in JESU CHRISTO justificari [2]; omnes enim sine ulla exceptione hac ratione justificantur, licet illi omnes, qui in Adam pereunt, multo plures sint. Tertio denique, quod ad idem ferme redit, eos omnes, qui in JESU CHRISTO regenerantur, justificari, non secus ac omnes, qui nascuntur in Adam, morti [3], atque damnationi subji- B ciuntur. Non igitur satis est, JESUM CHRISTUM pro omnibus hominibus mortem oppetiisse, neque mortem illius tanti esse meriti, ut omnia omnium mortalium delicta valeat delere: requiritur etiam, ut per Baptismum hæc nobis merita applicentur, atque ad finem usque in virtutis exercitatione, & fidelitate erga Domini gratias perseveremus, & vitam fidei nostræ conformem vivamus, & bonis operibus vocationem nostram certam faciamus.

℣. 19. SICUT PER INOBEDIENTIAM UNIUS.] Eamdem tundit incudem, eamdem iterat veritatem, variis variisque rationibus illam perpendens, ut eamdem magis, magisque in fidelium animis infigat. Totum Adæ peccatum in *inobedientia*, totum vero JESU CHRISTI meritum in obedientia consistit. Et sane hæc virtus in JE- C SU CHRISTO cæteras omnes complectitur, quemadmodum Adæ inobedientia, omnem sceleris ejusdem turpitudinem continet. Apostolus nequaquam hoc in loco adeo late verba facit, & generatim loquitur, ut 21. cap. dicit solum, *peccatores constituti sunt multi* per Adam, quemadmodum per JESUM CHRISTUM, *justi constituentur multi*. Sed in utroque loco sensus idem est [4]. Per Adam multi facti sunt peccatores: hoc est ii omnes, qui ex eodem secundum carnem nati sunt. In JESU CHRISTO multi justi effecti sunt; ii videlicet omnes, qui fidei, justificationis, regenerationis, & perseverantiæ gratiam receperunt.

℣. 20. LEX SUBINTRAVIT, & ABUNDAVIT DELICTUM.] Ea vox, *Ut*, hoc in loco non significat cau- A sam: significat solum id, quod post Legem accidit; licet contra Legis mentem, quæ peccata, atque prævaricationes immiouere cupiebat. Accidit autem, ut abundaret delictum defectu, non Legis, sed Judæorum, qui Legem receperunt. Lex plurima continebat præcepta naturalibus Legibus addita, quæ cum Judæi perfregerint, recentia complurima extiterunt peccata, quæ antea ignorabantur. Concupiscentiam irritavit, & per accidens impulit, ut contra præceptum rebellis insurgeret [5]: illa detexit errata, quæ antea minime videbantur: effecit, ut homo infirmitatem suam cognosceret, & necessitatem, qua tenetur, Mediatoris, qui inter præcipuos, atque utilissimos censetur effectus, Legis habita Judæorum ratione, quorum auda- B cia summa erat [6]; quemadmodum sæpius S. Augustinus animadvertit.

UBI ABUNDAVIT DELICTUM.] Deus superabundantem gratiæ mensuram effudit, Judæis quidem ostendens universum propriæ infirmitatis pondus, Gentilibus vero omnem erroris ipsorum magnitudinem. Ad utrosque misit ille Filium suum, ut illos gratia cumularet. Ethnici, qui majori morbo laborabant, & qui gravioribus erroribus addicti erant, majorem gratiarum affluentiam obtinuerunt, quemadmodum liquet ex numero conversionum, quæ intra exiguum temporis spatium in universo terrarum orbe contigerunt. *Ubi* ad tempus etiam nonnumquam indigitandum usurpatur [7]. Cum peccatum terram omnem inundasset; Deus hominibus concessit Reparatorem. Ad illos Omnipotentem Medicum misit, cum jam de eorum salu- C te actum esset, cumque illi morbi sui magnitudinem intellexissent.

℣. 21. UT SICUT REGNAVIT PECCATUM IN MORTEM.] Ita regnaret gratia, vitam impertiens. Deus rationem quamdam servare voluit inter mala, quæ peccatum pepererat, & bona, quæ JESU CHRISTI gratia in terras erat paritura. Adam per peccatum suum posteros omnes in mortem corporis simul, & animæ præcipites dederat: ex utraque per gratiam suam, JESUS CHRISTUS nos eripit; nobis pollicetur corporum resurrectionem, æternamque felicitatem; nobisque confert gratiam, fidem, & justificationem [8]: quod intelligendum est cum his explicationibus, & exceptionibus, quas superius non semel attulimus, & quas sæpius referre est supervacaneum.

1 Vide Luc. 6. 26. Act. 12. 15. Coloss. 1. 28. Est. hic. 2 August. plur. locis, Menoch. Parr.
3 Tolet. Menoch. Grot. Pisc. alii. 4 Est. Tolet. Menoch. Grot. Pisc.
5 Rom. 7. 7. 8. 9. 6 Vide Est, & D. Thom. hic, & August. plur. locis.
7 Tolet. Est. Menoch. Grot. alii. 8 Vide Est. Tolet.

CAPUT VI.

Nequaquam peccandum est, ut gratiarum superabundantiæ locus præbeatur. Per Baptismum mortui sumus peccato, ut ultra eidem minime reviviscamus. Vivere debemus solum Justitiæ, cujus facti sumus tamquam servi, & milites.

1. QUid ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? 2 Ab-
sit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?
3 An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in mor-
te ipsius baptizati sumus? 4 Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in
mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in
novitate vitæ ambulemus. 5 Si enim complantati facti sumus similitudini mortis e-
jus: simul & resurrectionis erimus. 6 Hoc scientes, quia vetus homo noster simul
crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato. 7 Qui
enim mortuus est, justificatus est a peccato. 8 Si autem mortui sumus cum CHRI-
STO, credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo: 9 Scimus, quod Chri-
stus

stus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. 10
Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.
11 Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo,
in Christo Jesu Domino nostro. 12 Non ergo regnet peccatum in vestro mortali
corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. 13 Sed neque exhibeatis membra vestra
arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, &
membra vestra arma justitiæ Deo. 14 Peccatum enim vobis non dominabitur: non
enim sub lege estis, sed sub gratia. 15 Quid ergo? peccabimus, quoniam non su-
mus sub lege, sed sub gratia? Absit. 16 Nescitis, quoniam cui exhibetis vos
servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive
obeditionis ad justitiam? 17 Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedi-
stis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. 18 Liberati
autem a peccato, servi facti estis justitiæ. 19 Humanum dico, propter infirmitatem
carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquita-
ti ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificatio-
nem. 20 Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. 21 Quem ergo
fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors
est. 22 Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum
vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. 23 Stipendia enim pec-
cati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro.

℣. 1. QUID ERGO DICEMUS? PERMANEBIMUS IN PECCATO?] Cum superius c. 5. 20 dixisset, *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*, isthic objectionem prævertit, quæ ex verbis suis ultro oriri videbatur, & de qua jam locutus est capite tertio vers. 8. his verbis: *non faciamus mala, & veniant bona, quorum damnatio justa est*. Judæi ergo increduli, atque inimici doctrinæ S. Pauli, hanc illi difficultatem objiciebant. Verum quemadmodum illorum sermo fidelibus negotium facessere poterat, eorum isthic objectionem explodit. Ostendit eis, qui semel justificationis gratiam per baptismum receperint, diligentissime cavendum esse, ne rursus in scelus relabantur. Dignum profecto erat magnitudine, ac majestate Dei, ut Gentiles ad fidem evocarentur, licet turpissima essent eorum flagitia: in hac quippe vocatione Dei gratia magis effulget. At non inde sequebatur in Idolorum cultum, & in peccatum iterum esse recidendum, ut Deus iterum suam insigniret misericordiam, eis, qui recidissent, rursus salutem impertiens.

Græcus textus in nonnullis exemplaribus legit: *quid ergo dicemus*, vel quid faciemus? *numquid permanebimus in peccato, ut gratia superabundet?* hæccine est nostra doctrina? avertat Deus; imo prorsus opposita. Cum humilitate fatemur, Deum in nos gratiæ affluentiam effudisse, parem præcedentium peccatorum nostrorum magnitudini: verum dementis esset inferre, iterum lacessendum esse illum, qui tanta nos misericordia vocavit.

℣. 2. QUI ENIM MORTUI SUMUS PECCATO.] Mori peccato bifariam in Scripturis intelligitur; primo peccatum committere, atque nefariis factis animæ mortem inferre [1], secundo peccatum non amplius committere, & erga illud fieri, qualis est mortuus vitæ, atque actionis habita ratione; quo posteriori in sensu isthic est intelligendum. Postquam peccatum abdicavimus, postquam illud in oblivionem dedimus, atque illius habita ratione facti sumus, tamquam mortui, atque sepulti; hoc est, postquam illud deseruimus, & ab eo recessimus in nullam reditus spem: quomodonam cum illo adhuc consuetudinem habere poterimus? Numquid mortui redeunt in vitam? Christianus, qui in scelus relabitur, prodigium est quodammodo simile, quam

A si mortuus aliquis adhuc cum viventibus conversaretur, & compotaret. Propheti quoque iisdem locutionibus usi sunt, ubi omnimodam vitæ immutationem innuere voluerunt, qua & voluptatis, & mundi hujus solatiis postremum vale dixerunt. Hæc in morali sermone, spiritualis mors appellatur [2].

℣. 3. AN IGNORATIS, QUIA QUICUMQUE &c.] Baptismus figura est mortis JESU CHRISTI; in Baptismo homo moritur peccatis, quemadmodum per corporis mortem Salvator vitæ præsenti mortuus est. Baptismus etiam est species quædam professionis, qua quilibet profitetur, se velle Mundo, & peccato mori; ac deinceps nonnisi gratiæ, & Jesu Christo vivere. Per hanc ceremoniam participes evadimus meritorum mortis Dominicæ, atque tenemur mortem illius imitari, morali

B ratione veterem vitam, ac pejores habitus renunciantes, ut deinceps per Salvatoris Spiritum sancte vivamus [3]. Hæc fundamentalia sunt Christianæ Religionis præcepta, quæ non semel ab Apostolo in Epistolis iterantur.

℣. 4. CONSEPULTI ENIM [4] SUMUS.] Alludit ad eam rationem, qua Baptismus conferebatur. Homo prorsus in aquas immergebatur, & hæc actio satis belle exhibebat hominem de sepulchro egredientem, atque ex hominum oculis evanescentem [5]. Per Baptismum, & Salvatoris mortem, & nostram ipsam peccato mortem exhibemus: priorem, quam imitamur, & cujus participes sumus, alteram vero, per quam veteri vitæ nostræ abrenunciare incipimus, ut imposterum non-

C nisi JESU CHRISTI vita vivamus. *Ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*, 2. Cor. 5. 15.

SURREXIT A MORTUIS PER GLORIAM PATRIS.] Per virtutem, atque potestatem Patris. *Pater mi*, dicebat, paulo ante quam moreretur, Salvator, *clarifica Filium tuum* [6], illum resuscita. Aliter: *resurrexit propter gloriam Patris*. Illius Resurrectio, fulgidissimum est divinæ potentiæ miraculum, atque certissimum missionis, & divinitatis JESU CHRISTI argumentum. Denique ille *resurrexit in gloria Patris sui*, gloriosus videlicet, & immortalis; ne vitam ampliam in squalore, atque humilitate duceret, sed vitam viveret, eo gloriæ splendore fulgentem, quæ ipsum maxime decet. Singuli hi sensus eruditorum Interpretum suf-

1 Ephes. 2. 1. & Coloss. 2. 13. 2 Vide Porphyr. Marc. Antonin. Macrob. Somn. Scipion. apud Grot. Spic. 3 Vide Augustin. Enchirid. cap. 50. Toles. Est. Menoch. Varab. alii passim.
4 Græcus, *Igitur*; at Vulgata, Syr. Arab. S. Ambros. et plures alii legunt, *Enim*.
5 Vide Est. Grot. Menoch. alios. 6 Joan. 11.

suffragiis probantur, & nihil afferunt, quod a Græco textu abhorreat.

S. Paulus hinc infert, ita *& nos in novitate vitæ ambulemus*, perinde quasi una cum JESU CHRISTO surrexerimus. Si enim inauditum est mortuum reviviscere, ut agat, atque inter homines versetur; inauditum quoque est, hominem, qui resurrexit, vitam suam ducere, ut olim consueverat, juxta priores habitus, quin in alium prorsus hominem immutetur. Atqui per Baptismum mortui sumus peccato, & cum JESU CHRISTO per Christianæ Religionis professionem resurreximus; praeclare ergo utramque hanc personam geramus, & mortuorum, & a morte suscitatorum respectu diversorum in novitate vitæ, & sanctitate. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*, Coloss. 3. 2.

℣. 5. SIMILITUDINI MORTIS EJUS.] Hæc recens est similitudo, quæ a sensu eodem minime abhorret. Per Baptismum quodammodo insiti sumus in JESUM CHRISTUM; opus est igitur, ut quemadmodum ille mortuus est, & resurrexit; nos quoque in illo, & per illum resurgamus. Salvator in Evangelio se viti comparat, cujus palmites suos dicit esse discipulos [1]. Eodem in sensu isthic Apostolus ait, nos quodammodo complantatos esse, & insitos in JESU CHRISTO; & nobis vivendum ex spiritu, & vita illius; quemadmodum palmes insitus arbori vivit arboris vita, & ejusdem alitur succo.

℣. 6. VETUS HOMO NOSTER.] Consideret hominem ad JESUM CHRISTUM conversum, tamquam ex duabus personis compositum, altera, quam ante conversionem suam gerebat, altera, quam post eamdem induit. Prior dicitur vetus homo, posterior vero homo novus. Vetus homo veteres habitus, peccata præterita, cum JESU CHRISTO quodammodo crucifixa fuerunt, ne ultra reviviscerent. Hæ loquendi rationes familiares erant Judæis docentibus, Gentiles, qui in Judæorum castra, & sacra transibant, quique circumcisionem, & Baptismum recipiebant, eos quodammodo immutari, ac fieri homines ab iis, qui erant ante, prorsus alios [2]. Qui antea servi erant, liberi fiebant, neque consanguineos amplius noverant eos, quibuscum ante hanc solemnitatem sanguinis jure erant devincti. Ad hoc alludit JESUS CHRISTUS in Evangelio Joan. 3. 10. Nicodemo dicens, opus esse, ut iterum renascamur, veterem quidem hominem exuamus, novum autem induamus.

UT DESTRUATUR CORPUS PECCATI.] Græcus ad litteram, *ut fiat inutile*, sine actione, hoc vi, tamquam corpus mortuum, & Cruci confixum. *Corpus* etiam *peccati* ab Apostolo vocatur, vel corpus nostrum conceptum, & natum in peccato; vel ipsum peccatum juxta omnem illius vim, atque magnitudinem; vel omnis homo peccator. Hebræi, & S. Paulus eorum exemplo, corpus dicunt pro substantia, pro ipsa re [3]: corpus diei pro die, corpus mortis pro ipsa morte, corpus peccati pro peccato, &c. Christianus, qui peccator erat, fit justus per Baptismum, qui antea peccato vixerat, peccato moritur per JESU CHRISTI mortem, & qui mortuus erat JESU CHRISTO ac vitæ, per gratiam, atque justitiam vivificatur.

℣. 7. QUI ENIM MORTUUS EST.] Qui JESU CHRISTI exemplo mortuus est peccato, liber est a peccato, liber a captivitate, in qua antea detinebatur. Non est amplius, ut olim, servus peccati, Dæmonis, affectuum. Non peccet amplius, vel saltem non admittit ultra ea scelera, a quibus animæ mors infertur; sed omnino recentem, sanctamque in JESU CHRISTO vitam vivit. Græcus, & Vulgata legunt: *justificatus est a peccato*, pro, *a peccato liberatus est*; quod tamen, quoad sensum est idem; Verum non ita belle servat in verbis antithesim: *ut ultra serviamus peccato: nam qui mortuus est peccato, liber est a servitute peccati*. Justificatus significet illum, qui judicio absolutus est; liberatus vero illum, qui in libertatem est vindicatus.

℣. 8. SI AUTEM MORTUI SUMUS.] Si vere peccato mortui sumus, & servitutis jugum excussimus in JESU CHRISTO, hæc nobis reliqua spes est; *quia simul vivemus cum* CHRISTO in gloria, quam ille nobis præparavit, atque per suam mortem promeruit [4]: vel potius novam vivemus vitam, vitam gratiæ, vitam integerrimam, & prorsus sanctam [5].

℣. 9. SCIENTES, QUOD CHRISTUS JAM NON MORITUR.] Amplius, vel non morietur; mors nullum ultra obtinet imperium in illo: ita in JESU CHRISTO vitam vivere debemus omnino novam, quin unquam ad vomitum redeamus, & recidamus in peccatum, quod est mors animæ nostræ. Imitemur JESUM CHRISTUM, novam illius vitam, ejus Resurrectionem, quemadmodum nobis contigit, per Baptismum mortem ipsius imitari.

℣. 10. QUOD ENIM MORTUUS EST PECCATO.] Semel mortuus est pro peccato, non autem pro suo; quandoquidem nullum unquam peccatum habuit; sed ut omnium hominum peccata expiaret [6], neque putes, in Vulgata vocem illam *peccato*, dandi esse casum; hoc enim supponeret, antea illum sub peccati imperio fuisse; sed *mortuus est pro peccatis mundi*, hac in re aliter omnino e nobis, qui possumus quidem mori *per peccatum*, cum illud committimus; vel *peccato*, cum illud deserimus; sed non *pro peccato*: quippe nostra mors nequaquam efficax est, atque æternæ salutis meritoria, qualis fuit mors JESU CHRISTI illis omnibus, quibus sanguinis ejus pretium per fidem, atque Baptisma applicatur. Semel passus est, ut nostra peccata expiaret [7], atque ita æternam sibi gloriam, immortalem, gloriosamque vitam promeruit, Luc. 24. 26.

℣. 11. ITA EXISTIMATE VOS MORTUOS QUIDEM ESSE PECCATO.] Non eo modo, quo JESUS CHRISTUS pro peccatis mortuus est, quemadmodum superiori articulo animadvertimus. Apostolus isthic attendit solum ad circumstantiam unitatis mortis Dominicæ. JESUS CHRISTUS semel dumtaxat pro peccatis nostris est mortuus: ita caveamus, ne plusquam semel peccato moriamur. Si nobis contigit ea calamitas, ut peccatores nasceremur, atque deinde plurimis sceleribus nosmet coinquinaremus; conemur saltem eam integritatem, ac vitam, quam per Baptismum recepimus, tueri, atque veluti veram mortem metuamus recentem lapsum in scelus: *viventes Deo in Christo Jesu Domino nostro*. In Deo vivamus, de Deo vivamus, Deo vivamus, & Deus in nobis per Spiritum suum vivat, per suam charitatem vivat, & vivat per gratiam [8].

℣. 12. NON ERGO REGNET PECCATUM.] Peccatum isthic bifariam potest intelligi, vel pro actuali peccato, quod quotidie committimus, & mortem animæ infligit, vel pro concupiscentia, quæ effectus est peccati originalis, & quæ nos in actuale peccatum pertrahit. Prohibere non possumus, quominus concupiscentia, atque studium erga peccatum, sit in nobis: in nobis enim etiam post nostram regenerationem subsistit. Hæc quidem peccatum non est; sed est pœna peccati originalis, atque proclive quoddam, quo rapimur in malum [9]: verumtamen divina freti gratia prohibere possumus, ne regnet in nobis, & ne in nos suum imperium exerceat. Integrum nobis est ejusdem illecebris reluctari [10], atque incompositis illius cupiditatibus non obsequi; quod si præstiterimus, neque actuale pec-

1 Joan. 15. 1. 2 Vide Selden. de jure Nat. & Gent. lib. 2. cap. 2. & de Synedr. cap. 3.
3 Vide Gen. 7. 3. & 17. 23. Levit. 23. 14. Josue 5. 27. Rom. 7. 24. Vide Tolet. Est. Menoch. Hamm. alios.
4 Chrysostom. Origen. Theodor. alii plures. Grot. hic. 2. Timoth. 2. 11. 2. Cor. 4. 5. &c.
5 Est. Tolet. Menoch. alii.
6 Peret. Tolet. Est. Vatabl. Vide Chrysostom. Theodoret. Hilar. alios. 7 Vide Grot. hic.
8 Vide Tolet. Est. Menoch. Vatab. alios. 9 Concil. Trident. sess. 5. cap. 5. ex August. contra 2. ep. Pelag. cap. 13. & alibi sæpius. 10 Chrysostom. Est. Tolet. Peter. alii.

peccatum; neque concupiscentia in nobis amplius dominabitur. Ita vero liberi erimus viventes, & Jesu Christo resuscitati, licet in mortali corpore, atque peccatis subdito permaneamus.

℣. 13. NEQUE EXHIBEATIS MEMBRA VESTRA.] Ne tradatis peccato membra corporis vestri, tamquam illi iniquitatis arma futura; vel futura iniquitatis, & peccati instrumenta. Armorum nomen, sæpius pro quovis instrumentorum genere usurpatur; *arma iniquitatis* significare possunt *arma injusta*, vel instrumenta, quæ inserviunt injustitiæ ad peccatum patrandum. Oculi, manus, pedes fiunt arma iniquitatis, cum adhibentur ad pravas actiones admittendas; & nos ultro efficimur sceleris, atque injustitiæ servi. E contra vero hæc eadem membra fiunt arma, vel instrumenta justitiæ, cum justitiæ opera facimus, atque ita agimus quasi resuscitati essemus, et novam in Jesu Christo vitam viveremus. *Exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ Deo.*

℣. 14. PECCATUM VOBIS NON DOMINABITUR.] Reddit ad objectionem, quam sibimet capitis initio proposuerat; *permanebimus in peccato, ut gratia abundet.* Avertat Deus peccatum nobis dominari, non enim sumus amplius sub lege, sed sub gratia. Absit, quod rursus subditi efficiamur peccati; quandoquidem ex illius servitute Jesus Christus nos liberavit. Hoc idem est, ac si quis diceret; emersi ex gravi morbo, ex lethali vulnere penitus convalui, oportet, ut rursus vulnerer, & simili morbo laborem, ut iterum medicus præsenti ope me recreet. Vel: Patrem omnium suavissimum, atque amicum omnium clementissimum offendi; altero rursus eum lædere lubet, ut mihi iterum parcat. Hæc est eorum argumentatio, qui dicunt, peccandum esse, quod non amplius sub Lege sumus, sed sub gratia; & quod Jesus Christus ad fidem, & Christianam Religionem nos evocans, jugum Legis excussit, nobis sub peccati jugum esse redeundum. Simplex sententiæ hujus expositio adeo ridicula est, ut in se ipsimet confutationem complectatur vers. 15.

℣. 16. NESCITIS, QUONIAM CUI EXHIBETIS.] Postatis ex peccati servitute evasisse; at nonne videtis, vos iterum peccati servitutem subituros, si rursus peccaveritis; quid enim est servitus, nisi præstita alieno submissio, atque obedientia? nonne peccato vere obtemperatis, ubi illud committitis, ac vosmet traditis injustitiæ? *Servi estis ejus, cui obeditis; sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam.* Absurdum est igitur efferere: peccemus, ut locum superabundanti gratiæ præbeamus. Hæc manifesta est contradictio; velle simul, & peccati esse servos, & a peccato esse liberos [1]. *Obedientiam peccato* opponit Apostolus, quod obedientiæ fidei, Evangelio, voluntatibus Dei, præceptis Jesu Christi, via est justitiæ, vitæ, atque æternæ felicitatis.

℣. 17. GRATIAS AUTEM DEO.] Quod cum antea peccati servi fueritis, Evangelicæ doctrinæ obtemperastis, juxta cujus exemplar formati estis; vel quæ vobis tradita est in exemplar. Sed prior versio autographo magis conformis est, formis alludenti, quibus aliquod cuditur. Evangelium quædam est forma, & exemplar, secundum quod [2] Christiani se se componere debent. Perhibet Apostolus fidelibus Romæ præclarum hoc testimonium, quod cum Dæmonis jugum excussissent, humilius, atque sincere doctrinæ Apostolorum se se submiserunt, ac fideliter Jesu Christi Divini exemplaris sui vitam in semetipsis expresserunt. Minime vereor, ut in ea flagitia, quæ damno, decidatis; scio enim, vos esse fideles Jesu Christi imitatores, & veros doctrinæ ejusdem discipulos.

℣. 18. LIBERATI A PECCATO.] Eamdem veritatem variis effert modis, & vario sub aspectu illam considerat juxta Spiritus sui fœcunditatem, atque argumenti abundantiam. Mori peccato, a peccato liberari, peccatu crucifigi, peccati imperium excutere, hæc omnia unum, & idem significant; hoc est per fidem, per Baptismum, per gratiam justificari, novam vitam vivere in Jesu Christo, vivere ex illius spiritu, vivere, & cum illo resurgere. Cum de iniquitatis captivitate emergimus, simul in justitiæ libertatem ingredimur.

℣. 19. HUMANUM DICO PROPTER INFIRMITATEM CARNIS VESTRÆ.] Familiares similitudines, & comparationes vobis propono, ut memet submittam infirmitati captus vestri non satis adhuc cœlestibus mysteriis imbuti [3]. De nova vitæ loquor, & de vestra ad Christianam fidem conversione sub imagine servitutis, & libertatis, vitæ, ac mortis; quæ loquendi rationes humiles quidem sunt, sed satis validæ, atque ad significandum appositæ.

Alii [4] hoc aliter intelligunt; nihil ajo, quod sit difficile; quod nimis sublime, nihil ex vobis peto, quod excedat vires vestras, ope divina suffultas, vel quod luminibus vestris, & naturali æquitati adversetur: hoc unum dumtaxat peto, ut pro Deo faciatis, quod pro mundo fecistis; atque pro justitia, & salute vestra illud audeatis, quod pro peccato, atque interitu vestro estis operati; *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ, in justificationem.*

℣. 20. CUM SERVI ESSETIS PECCATI.] Duplex est libertatis genus, alterum bonum, alterum nequam; non secus ac servitus, altera quidem bona est, altera prava. Esse veritatis, atque justitiæ servos, ne ista quidem laudabilis, & beata servitus est; at servos esse peccati, calamitas est omnium maxima. Excutere suavissimum servitutis justitiæ jugum, ut funesta peccati libertas acquiratur, hoc est, gravissimum omnium malorum. Hæc autem est Apostoli sententia. Antequam converteremini, vitam ducebatis ab omni Dei obedientia alienam, in id incumbentes, ut affectibus vestris obsequeremini, & in calamitosissima iniquitatis patrandæ libertate verseremini. Jugum tandem confregistis, atque dixistis, non serviam [5]; sed nunc subditi estis jugo Salvatoris, veritatem ejus diligitis, justitia illius vobis dominatur; cujus amor regnat in cordibus vestris; felici conditione servorum, & amicorum Dei perfruimini [6].

℣. 21. QUEM ERGO FRUCTUM HABUISTIS.] At quænam erat hæc libertas, qua tunc tantopere oblectabamini, & quæ vos modo tanto pudore suffundit? quem ad finem vos illa agebat? ad mortem sane. At quinam est finis Dominicæ servitutis, cui vosmet subjecistis, ubi sacro Baptismate abluti estis, atque Idololatriam abdicastis? vita sane, ac suprema felicitas. Quanto ergo vos æstimare opus est conditionem adeo beatam?

FINIS ILLORUM MORS EST.] Non mors corporis, sed animæ, & mors æterna, atque infinita supplicia, quæ æternæ vitæ, æternisque bonorum virorum præmiis opponuntur. ℣. 22. *Finem vero vitam æternam.*

℣. 23. STIPENDIA PECCATI MORS.] Peccatum, atque justitia isthic ab Apostolo tamquam duo domini exhibentur, quibus omnes homines respective subjiciuntur. Quicumque sub justitiæ imperio non est, necessario sub peccati dominatione versatur; e contra vero quicumque peccati jugum non perfert, hic justitiæ jugo subjectus est. Duo autem hi domini quilibet pro modulo suo, servos suos remunerantur; peccatum quidem mortem confert, justitia vero vitam. Inter utramque hanc mercedem essentiale intercedit discrimen, non solum quoad rei substantiam; nihil enim magis oppositum inveniri potest, quam vita, & mors; verum etiam quoad modum, quo hæc remuneratio tribui-

[1] Est. Tolet. Grot. Vide Joann. 8. 34. *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* 2. Petri 2. 19. *A quo quis superatus est, hujus & servus est &c.* [2] Vide Tolet. Est. Men. Grot. Tirin. alios.
[3] Grot. Vateb. Gemar. Fessel. adversar. lib. 1. cap. 5. Martianæus.
[4] Tolet. Est. Hammond. Menoch. Vide Chrysostom. [5] Jerem. 2. 20. *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, dixisti; non serviam.* [6] Vide Est. Tolet. Vat. Men. Zeger. Tit. alios.

tribuitur : altera enim debitum est, altera vero merum Dei beneficium. Mors peccato debetur. Vita æterna gratia est, quam Deus nobis conferre dignatur. *Gratia autem Dei vita æterna*.

Ne dixeris tamen, justitiam, sanctamque vitam nequaquam mereri vitam æternam, vel posse Deum illum non remunerari, qui bene vixerit, & qui omnia justitiæ munia adimpleverit. Ipse etiam S. Paulus [1] audacter ait, se certum esse, futurum, ut justus Judex sibi aliquando justitiæ coronam retribuat. Verum innuere vult, nos per gratiam id esse, quod sumus [2]; nostra bona opera effectus esse misericordiæ, qua Deus nos prævertit, & cum ille in nobis bona coronat opera, ipsum in nobis bona sua coronare. *Intelligendum est igitur*, inquit S. Augustinus [3], *etiam ipsa hominis bona merita esse munera, quibus cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur?* Ipse nos prædestinat, ipse nos vocat, ipse nos justificat, ipse mero misericordiæ suæ effectu nos sua gloria cumulat [4], ita ut nos

A ab illo non nostram dumtaxat remunerationem, verum nostram etiam justitiam obtineamus [5].

Nonnulli [6] post Tertullianum de Resurrect. carnis cap. 7. vertunt : *donativum vero Dei vita æterna*. *Donativum* in militia Romana ea præmia significabat, quæ militibus præter consueta stipendia erogabantur ; puta coronæ, munera, honores, & ea, quæ jure quidem minime debebantur, sed quæ ex mera Imperatoris, vel ducis liberalitate emanabant. Ad hæc S. Paulus alludit : *stipendia autem peccati, mors* : en quid lucri ferunt, qui peccato inserviunt. At Deus Dominus est maxime liberalis, atque magnificus : vitam æternam vobis concedit non stipendii nomine, sed gratiæ, aut *donativi*. Hoc donum est, quo vestra merita, atque officia remuneratur. Hæc remunerandi ratio præstantior est, ac Deo dignior. Remunerationes, quibus servis suis gratificatur, meræ sunt Dei gratiæ ; cum enim nostra coronat opera, sua coronat dona. Cum his confer cap. 5. 21.

1 2. Tim. 4. 8. 2 1. Cor. 15. 10. *Gratia Dei sum id, quod sum*.
3 Aug. Enchir. cap. 107. Vide eumdem lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 6. 7. 8. lib. de Corrept. & gratia c. 13. & Epist. olim 105. ad Sixtum, nunc 194. 4 Rom. 8. 30. 5 Vide Peter. Est. Tolet. Chrys. Theodor. Theophyl. 6 Vide Est. Grot. Carsck. in Cinno c. 5.

CAPUT VII.

Mortui sumus Legi per JESUM CHRISTUM. Lex auget peccatum ; affectus Justi contra eumdem depræliantur. Non operatur ille ea, quæ vellet. Gratia nos ex hac liberat servitute.

1. AN ignoratis, fratres, (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit? 2 Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. 3 Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri : ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. 4 Itaque, fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi : ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. 5 Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. 6 Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate litteræ. 7 Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. 8 Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. 9 Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit. 10 Ego autem mortuus sum : & inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. 11 Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit. 12 Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. 13 Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem : ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. 14 Scimus enim, quia lex spiritualis est : ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. 15 Quid enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago : sed quod odi malum, illud facio. 16 Si autem quod nolo, illud facio : consentio legi, quoniam bona est. 17 Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. 18 Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi : perficere autem bonum, non invenio. 19 Non enim quod volo bonum, hoc facio : sed quod nolo malum, hoc ago. 20 Si autem quod nolo, illud facio ; jam non ego operor illud, sed quod

habitat

habitat in me, peccatum. 21 Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet: 22 Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; 23 Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. 24 Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? 25 Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei: carne autem legi peccati.

℣. 1. AN IGNORATIS.] Legem in hominem non dominari, nisi quamdiu illa vivit [1]. In universo superiori capite respondit Apostolus objectioni, quam ipse sibi proposuerat, & quæ erat quædam veluti ex illius præceptis illatio: quoniam gratia, ajunt, copiosior fuit, & superabundavit, ubi peccatum magis regnaverat; numquid debemus in peccato persistere, ut majori gratiarum superabundantiæ locum præbeamus [2]? Ad hanc objectionem diluendam superius ostendit, fideles mortuos esse peccato. Hic vero probat, illos jugo Legis esse liberatos [3]; unde sequitur, illos non debere amplius sub peccati, vel Legis imperium reverti, ideoque objectionem propositam magis esse importunam, quam hanc argumentationem. De crudelis domini manu, qui me duro premebat servitio, ereptus sui: igitur rursus eidem memet subjicere debeo, ut qui me primum inde eripuit, iterum suam potestatem exerceat, rursus inde me eripiens?

Isthic verba facit ad Judæos conversos, quemadmodum ex toto capitis decursu innotescit; atque insistit præcipue argumento, quod ante jam, sed strictius proposuerat, capitis sexti ℣. 14. *peccatum vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia*. Judæis conversis omnino recens hæc accidebat veritas, ubi audiebant, se non esse amplius sub Lege, quia erant sub gratia. Alii Apostoli nihil simile illis prædicaverant [4], & Jerosolymitanum Concilium hac de re nihil sanxerat [5]; satis enim duxerat decernere Gentiles, qui converterentur, legalibus ceremoniis minime esse subjiciendos, atque permiserat, ut Judæi in Legis observatione persisterent: quamobrem horum plerique ægre, & gravate ferebant, quod Ethnici, qui Christianam Religionem ingrederentur, Legis servituti minime subjicerentur. Iidem Apostoli vulgo legales cæremonias servabant.

Moysis Legem isthic exhibet, tamquam viventem hominem, ac tamquam sponsum jus, atque imperium suum exercentem in eam, quam conjugem duxit, & quæ in ejus familiam migravit. Donec vir vixerit, ille caput est familiæ; in uxorem, æque ac in filios suam potestatem exercet. Ita donec viget Lex, ac vivit; & habetur tamquam vitæ, ac morum magistra, in eos, qui eamdem receperunt, & qui se illam sequi polliciti sunt, dominatur; sed quemadmodum ubi sponsus ad plures abierit, uxor, & filii eidem parere non tenentur amplius: ita Lex vobis emortua nullum amplius in vos obtinet imperium. Hæc omnia minime abhorrent a Legis ipsius dispositione, quemadmodum nostis: *scientibus enim legem loquor*. Hæc uxorem viro, donec vixerit, tantum submittit. Vir imposterum, atque in tempus illud, quod mortem suam subsequuturum est, de uxoris corpore, libertate, ac bonis testari minime potest.

Quidam [a] vertunt: *Lex non dominatur in hominem, nisi quamdiu homo vivit*; & statim ac fato concessit homo, Lex in illum nullam amplius obtinet auctoritatem: mortuus est Legi, quemadmodum Lex illi mortua est. Vos ante hac Legi viventes eratis, illa in vos imperium suum exercebat. Sed statim ac Legi mortui estis, ac in fœdus novum per Fidem, atque Baptismum ingressi estis, Lex nullam amplius in vos obtinet potestatem, neque vos illi amplius parere opus est. Hæc explicatio a priori quidem differre minime videtur; sed prior versio ad litteram magis videtur accedere.

℣. 2. QUÆ SUB VIRO EST MULIER.] Persequitur allegoriam suam. Mulier duobus viris nubere non potest; non potest illum deserere, cui nupsit, donec ille vixerit. Lex enim pressius sumpta divortium viro dumtaxat permittebat [7]. Nupsisti Legi tamquam viro tuo, teque Legi subjecisti, donec illa viveret atque vigeret. Sed ex quo JESUS CHRISTUS illi novum fœdus subrogavit, Lex tamquam mortua habetur, & tu tamquam ex illius imperio, atque obedientia in libertatem es vindicatus. Hæc verba, *si autem mortuus fuerit vir ejus*, & quæ ad quartum usque versiculum sequuntur, in exemplaribus quibusdam desiderantur [8]: & haud ægre omitti possent, quandoquidem fusius dumtaxat eam explicant sententiam, quæ satis jam superioribus duobus versiculis expressa fuit.

℣. 3. VIVENTE VIRO VOCABITUR ADULTERA.] Minime reor, S. Paulum hoc in loco verba facere velle de conjuge, cui libellus repudii traditus fuerit, & quæ alteri viro nupserit; Lex enim permittebat hujusmodi mulieribus, quibus vellent, nubere [9]; licet divortium, & conjugia, quæ priori viro adhuc vivente [10] fiebant, neque laudaret, neque probaret. Nescio immo, utrum S. Paulus hoc in loco de conjugio loquatur; verba enim illius significare possunt illicitum mulieris concubitum cum alio viro [11] non suo. Ita ergo hoc intelligi potest: *mulier, quæ videt alium hominem, viro suo adhuc vivente, tamquam adultera habetur: at si vir ejus obierit, hac Lege non tenetur amplius*. Non habetur amplius, tamquam adultera, seu alteri nupserit viro, seu stuprum passa fuerit. Lex morte damnabat adulteros tantum pressius sumptos. Levit. 20. 10.

℣. 4. ET VOS MORTIFICATI ESTIS LEGI PER CORPUS CHRISTI.] JESU CHRISTI mors ea vos libertate donavit, qua antea minime perfruebamini [12]. Corpus, & vita illius vobis erant quodammodo tamquam corpus Legis. Ubi corpus illius necatum fuit, vos integram estis libertatem adepti. Vos Legem abdicare potuistis, non secus ac mulier a viro suo recedit, ubi ultima passus fuerit. Vos immo reipsa Legem abdicastis, & Evangelium estis amplexi. Hoc novum est conjugium, vel fœdus novum, quod iniistis.

Aliter: Lex non erat nisi figura. JESUS CHRISTUS est res ipsa: Lex erat umbra; JESUS CHRISTUS est corpus. Hactenus figuræ, & umbræ adhæsistis: sed ubi JESUS CHRISTUS apparuit, Legem reliquistis, ut JESUM sequeremini. Reliquistis umbram, ut amplecteremini corpus. Ut accurata fieret comparatio, dicendum fuisset; non secus ac uxor libertatem acquirit, ubi vir obiit; ita vos Legis jugum excussistis, ex quo Lex mortua est. Sed Apostolus, ne Judæos irritet [13], dicere mavult, *mortui estis Legi*; quam *Lex mortua est vobis*: sed eadem semper est argumentatio: si Ju-

a Origen. Ambros. Erasm. Est. Vat. Drus. Par. Grot. 2 Cap. 4. 11. & 5. 8.
3 Vide Est. Tolet. Pareæ. alios. 4 Grot. Hammond. 5 Act. 15.
6 Oecumen. Theophyl. Aquinas, Cajet. Bez. Ham. Tolet. 7 Deut. 24. 1. 2. 3.
8 Desunt in Æthiop. & in Cod. Claromont. Lat. & S. Germani Lat. Mill. hic.
9 Deut. 24. 10 Jerem. 3. 1. & seq. 11 Vide Grot. hic, & ad vers. 2. Par. Pezar.
12 Est. Grot. Men. Tir. Paræ. alii passim. 13 Theodoret. Cajet.

si Judæi conversi mortui sunt Legi: *Lex mortua est Judæis, & per Corpus Christi utrumque adimpletur*. Per illius adventum vitam, ac mortem, per complementum Prophetiarum, & figurarum Legis, Judæi jus acquirunt Legem deserendi, ut Evangelium amplectantur.

Tenent alii [1], hæc verba: *vos mortificati estis Legi*, illis esse æquipollentia: *Lex vobis est mortua*. Lege ulterius non indigetis, hæc vobis inutilis est: illa erat tamquam sponsus vester; sponsa obiit, vos ex illius imperio evasistis. Hic sensus omnino simplex est, & reipsa Patres omnes [2], atque Interpretes, ab eo non abhorrent. Fatentur, hanc veram esse Apostoli sententiam: *per Corpus Christi*, per mortem ejus, per illum ipsum, (Corpus pro persona sæpius usurpatur [3]) per promissionum ejus realitatem umbris, figurisque Legis comparatam, Judæos liberatos esse de jugo Legis, & eos, qui conversi sunt, jure suo usos esse, novum cum JESU CHRISTO fœdus ineuntes, factos illius membra, conjuges, & quodammodo unum & idem corpus cum illo: *ut sitis alterius, qui a mortuis resurrexit*.

UT FRUCTIFICEMUS DEO.] Conjugium, quod cum JESU CHRISTO contraxistis, sterile non est, immo producere debet vitæ fructus [4], quoniam JESUS CHRISTUS est sponsus, & uxores gignere debent cœlesti Patri filios benedictionis, fructus æternitatis, opera videlicet virtutis, & sanctitatis; fructus longe alios a fructibus prioris conjugii vestri cum Lege, in quo *fructus mortis* dumtaxat peperistis ℣. 5.

℣. 5. CUM ESSEMUS IN CARNE,] hoc est *sub Lege*, quæ caro appellatur, quemadmodum ex opposito Evangelium gratia, & *spiritus* [5] dicitur. Cum igitur nos Judæi conversi essemus adhuc sub hujus Legis carnalis imperio [6], antequam in JESU CHRISTO regeneraremur, & cum sub veteri homine adhuc viveremus: *passiones peccatorum, quæ per Legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti*. Hujusmodi erant prioris nostri conjugii suo Lege fructus. Caro carnales fructus, & fructus mortis gignebat, quibus æterna morte digni efficiebamur. Inferius explicabit, quo in sensu lex mortis fructus produceret, quod non ea illius, sed nostro vitio contigit, cum Lex non causa eorum esset, sed dumtaxat occasio [7]. Hi fructus mortis non erant proprie fructus Legis; nam immo a Lege damnabantur, & prohibebantur: sed fructus hominis infirmi, & corrupti Legem infringentis, & se æterna morte dignum prabentis.

℣. 6. NUNC AUTEM SOLUTI SUMUS A LEGE MORTIS,] post nostram conversionem, atque Baptismum, Conjugii prioris jugum excussimus, quod fructus mortis dumtaxat afferebat, nunc vero alteri impliciti sumus conjugio, quod a priori omnino differt. Sub Lege eramus, nunc sumus sub JESU CHRISTO; fructus mortis ferebamus, nunc fructus vitæ gignimus; Deo serviebamus in vetustate litteræ, nunc illi servimus in Spiritus novitate.

Moysis Legem, *Legem mortis* appellat, quoniam peccati, & mortis occasio erat iis, qui eam observare tenebantur [8]. *Novitatem spiritus* novæ Legis, & Evangelii opponit *vetustati viæ* Legis, a Moyse irrogatæ. Hæc prorsus erat litteralis, & omnis in exteriori actione erat posita, atque manum coercebat per timorem, quin tamen tribueret gratiam, atque opem interiorem, quæ erat necessaria ad eamdem, quemadmodum oportet, observandam [9]. Cum Lex nova, & Evangelica non solum promittat, verum etiam tribuat Spiritum Sanctum, qui in nobis veterem exuit hominem, & novum induit, ut non sine gratiæ adminiculo vitam prorsus novam vivamus [10]: *in novitate vitæ ambulemus*.

Græca exemplaria typis edita legunt: *liberati sumus de Lege, cum mortui simus in eo, quod nos retinebat*, vel potius: *cum mortui simus Legi, quæ nos retinebat*; sed MSS. non pauci, & Patres complures legunt cum Vulgata, *nunc soluti sumus a Lege mortis, in qua detinebamur*. S. Chrysostomus, & Editiones quædam [10]: *soluti sumus a Lege, quæ mortua est*; at reipsa nequaquam magnum est discrimen. Interpretes omnes quocumque modo legant, consentiunt, S. Paulum hoc in loco innuere velle, fideles mortuos esse Legi, neque ad eam observandam amplius teneri; & illam ipsis inutilem esse.

IN NOVITATE SPIRITUS, & IN VETUSTATE LITTERÆ.] Ante hæc subditi eratis scriptæ Legi, quæ vetustatem suam, & Auctoris sui sanctitatem jactitat; sed modo subditi estis alteri Legi omnino novæ, & prorsus spirituali, quæ veteri tantum præstat, quantum Spiritus corpori, & intellectus litteræ. Judæi Legem quidem habebant, sed sensum illius non assequebantur: habebant Scripturas, sed earumdem Spiritum non scrutabantur. Nos utrumque habemus, ideoque Legem perfectissime possidemus. Omnia illius officia cognoscimus, eaque gratiæ, & Spiritus Sancti adminiculo perfectissime exercemus [12]. Cum enim S. Paulus toties dicit, Christianos solutos esse jugo Legis, minime adversatur JESU CHRISTO dicenti Matth. 5. 17. se venisse, ut Legem non everteret, sed perficeret. Legis præcepta subsistunt, sed hæc a Christiano dumtaxat, quemadmodum oportet, observantur; & unus JESUS CHRISTUS gratiam confert, eadem in Spiritu & veritate observandi. Joan. 4. 24.

℣. 7. QUID ERGO DICEMUS? LEX PECCATUM EST?] Versiculo quinto dixerat; *Passiones peccatorum, quæ per Legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti*; nunc vero id, quod sibi objici posse videbat, prævertit. Numquid ergo Lex peccatum est, atque illius observantia noxia est? Hanc mentem avertat Deus: hoc dicere nolui; sed dumtaxat Legem factam esse pro iis, qui illam receperunt, peccati occasionem, quemadmodum Apostolus ostensurus est.

SED PECCATUM NON COGNOVI, NISI PER LEGEM.] In hoc ℣. & in seq. S. Paulus in prima loquitur persona, perinde ac olim nullam habuisset Legis cognitionem; mox vero eum statum describit, in quo sub Lege fuit, & effectus, quos Dei cognitio in ipso peperit. Quæritur, utrum vere de seipso verba faciat, atque seipsum proponat in exemplum Romanis Fidelibus; an in persona sua universum humanum genus, primum quidem sub naturæ statu, mox vero sub statu Legis exhibeat?

Origenes [11] & alii quidam post illum crediderunt, S. Paulum isthic repræsentare statum Judæi, antequam ad rationis usum perveniat. Tunc sine ulla ratione ac Religione suis se rapi studiis, atque cupiditatibus sinit, quoniam Legem non novit. Sed cum adolescens officiorum suorum cognitionem assequitur, ea, quæ antea citra scelus operabatur, in ipso fiunt criminosa, atque illi peccata imputantur, cum antea minime imputarentur: Ita Lex illi fit in hoc sensu occasio peccati. Alii vero [14], iique majori in numero credunt, Apostolum prudentiæ effectu in persona sua humanam exhibere naturam, primum quidem liberam, & in naturæ statu, mox vero Legi subjectam. Homo naturalem dumtaxat Legem agnoscens ignorare posset, plurima, quæ ab ipso patrarentur, esse peccata: sed post Legem

1 Grot. Menoch. Paræ. Vorst. Hammond. Castal. Ludov. de Dieu.
2 Vide Chrysost. Theodoret. Oecumen. Ambrosiast. Anselm. alios.
3 Supra c. 6. 6.
4 Theophyl. & alii passim.
5 Rom. 8. 2. 6. 8.
6 Theodoret.
7 Chrysostum.
8 Vide Est. Toler. Menoch.
9 Vide Est. Toler. Vatab. Menoch. Tir. alios passim.
10 Vide Rom. 6. 19. 2. Cor. 3. 6. Galat. 3. 3.
11 Ita Ambrosiast. August. Rufin. seu Origen. in Epist. ad Rom. Cod. Claromon. G L, & S. Germani G. L.
12 Est. Tirin. Paræ.
13 Origen hic, Hieronym. Ep. ad Helvidiam q. 8. Paræus hic, &c.
14 Chrysost. hic, August. l. 1. contra duas Epist. Pelag. Oecum. Ambrosiast. Est. Gent. Hamm. Tolet. &c.

Legem hæc facta eadem, cum illi fuerint interdicta, criminosa facta sunt, itaut Lex, quin isti concupiscentiam auferret vel majores adderet vires, ut prava naturæ studiis resisteret, illum dumtaxat magis illustravit, & magis noxium effecit. Novissima hæc sententia mihi magis arridet.

Antequam Legem reciperem, sexcenta peccata non noveram, quæ post Legem acceptam cognovi. Sciebam, vim ferro faciendam non esse, & nemini malum inferendum, quod mihi nollem inferri; at nesciebam extra nefaria desideria tot esse peccata. Non credebam, Idololatriam, syderum cultum, perjuria, aliaque id genus divinæ voluntati adversari; & sane Ethnici citra ullam Religionem quamplurima committebant, quæ mox Lex tamquam mala prohibuit. Qui ex illis majori cognitione præditi erant, earum rerum fortasse turpitudinem noverant, quæ a populo minime cognoscebatur.

Cum Lex irrogata fuit, de rebus illis aliter omnino facere judicium cœpi. Ita Lex peccatum tantummodo meum adauxit: non quod actiones illæ ante Legem peccata non essent, sed non erant ita nefariæ, non enim pro peccatis habebantur. Ad hæc minime sentiebam, me adeo vehementer rapi ad eas actiones patrandas, antequam illa agere prohiberet, immo ad ea ne animum quidem advertebam, cum tamquam neque bona neque mala reputabam. Denique Deus mihi illas tamquam peccata minime imputabat, antequam Legem irrogasset, a qua eadem prohiberentur, Rom. 3. 20.

Nam concupiscentiam nesciebam.] Non prohibet pressius loquendo Lex prava desideria, quæ præter voluntatem accidunt. Ea quippe in nostra potestate posita non sunt, hoc in statu cognitionis, in quo versamur: sed illa prohibet, quæ ex mera voluntate proficiscuntur, & vetat, ne illis assentiamur, illis insistamus, illa exequamur [1]. Ante Legem, immo & in ipsa Ethnicorum Religione minime ignorabatur pravarum cupiditatum turpitudo; immo Ethnici complures [2] confessi sunt, hominem in suis desideriis atque studiis corrumpi; licet interim non deessent Judæi quidam sub Lege, qui assererent, simplices cogitationes, & desideria peccata non esse, donec opere non complerentur. Josephus historicus Antiq. l. 12. c. 13. audacter hoc venditat præceptum, quod ex Pharisæorum schola didicerat [3]: at hoc minime obest generatim, quod verum non sit, Legem hominibus aperuisse, nefaria desideria totidem esse peccata. Hanc veritatem non satis umquam perspicue Ethnici cognoverunt, & numquam inde intulerunt, quæ legitime erant inferenda. Si Hebræorum quidam hac in re erraverunt, non ideo minus explicita ea Lex est, quæ pravas cupiditates aufert. S. Paulus generatim loquitur, quin attendat ad exceptiones quasdam, quæ afferri possent contra ea, quæ ab ipso dicuntur, quorum tamen veritatem minime labefactant.

℣. 8. Occasione accepta peccatum.] Concupiscentiam peccatum vocat, quoniam effectus est, & pœna peccati, & studium quoddam, quod peccatum in nos pertrahit [4]. Peccatum, ubi hoc in sensu intelligatur, occasionem arripuit ex Legis præcepto, ut nos in prævaricationem injiceret; natura enim ita imbuti sumus, ut in ea, quæ vetita sunt, incumbamus: *nitimur in vetitum*; atque hic effectus est incompositi amoris, quo libertatem diligimus.

Sæpius Leges, interdicta & præcautiones cupiditatem irritant ea faciendi, de quibus alioquin ne cogitassemus; quippe mysterium, quo res aliquas involutas intuemur, in nobis ciet easdem cognoscendi cupiditatem. *Aquæ furtivæ dulciores sunt*. Prov. 9. 17. Si quid facere cupis, cave, ne id facere prohibearis; si enim prohiberis, & nihilominus facis, postmodum neque metus, neque pudor poterunt amplius te deterrere [5].

Grotius Græcum ita vertit: peccatum, vel ut ille ait, peccati habitus ante Legem contractus, *cum impunitatem ex præcepto recepisset*, hoc est, videns, a Lege minime damnari mala desideria sensibili pœna, ex hac impunitate occasionem arripuit in omne flagitiorum genus protruendi. Vidit ille furtum, adulterium, homicidium severissima pœna multari; metus supplicii hominum manus coercuit: sed in aliis, quæ simpliciter a Lege damnantur nulla apposita pœna, iis se se mortales penitus manciparunt.

Si a Lege peccatum mortuum erat [6].] Concupiscentia erat veluti intermortua, cum nihil illam excitaret, nihil stimularet [7]; erat veluti torrens perniciosissime fuens, atque sine ullo obice intra alveum suum decurrens. Verum cœpit se se effundere, ac proxima quæque vastare, ubi aggeres, & valla ipsi fuerant opposita. Aliter; *peccatum mortuum erat*: ignotum erat, plerisque mortalibus non imputabatur, saltem tamquam prævaricatio, illis, a quibus ignorabatur [8]. Hoc in loco non loquitur de principiis juris naturalis; quorum singulis aliquis fulgor emicat, qui satis est, ut nos inexcusabiles reddat, ubi illius præcepta perstringimus: sed verba facit tantummodo de Legibus scriptis, & positivis per Moysem irrogatis [9].

℣. 9. Ego autem vivebam sine Lege aliquando.] Apostolus in seipsum invisum hoc vertit exemplum, ne eos, ad quos scribit, offendat [10]. Omnes homines, & ego quoque cum illis ante Legem in altissima voluntatum Dei caligine versabamur: *Ego vivebam sine lege aliquando: sed cum venisset mandatum, peccatum revixit*. Hoc erat veluti ignis cineribus sepultus, qui vim arripuit, simul ac aditus illi datus est, atque flatus accessit. Peccatum quidem subsistebat ante, sed quodammodo sopore obrutum. Concupiscentia quidem vivebat, sed illius activitas obtorpuerat, quod nullam ea parte Legis oppositionem sibi fieri cognoverat. Peccatum erat in me, sed illud minus cognoscebam [11]: *peccatum revixit; ego autem mortuus sum*. Concupiscentia inflammata est, & mihi peperit mortem: non intelligebam ægritudinem meam: me perfecte incolumem credebam, & repente me mortuum esse intellexi. Lex mihi oculos aperuit, ut animæ meæ statum viderem, & vidi, me morte æterna esse dignum [12].

℣. 10. Inventum est mihi, mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.] Non directe, & per illud ipsum, sed, quemadmodum non semel dictum est, per occasionem. Concupiscentia enim interdicto irritata pernicissime in vetitum ruit. Deus mihi Legem irrogaverat, ut me felicem efficeret, si fideliter ejus mandata observassem [13]; sed ex defectu meo Lex non profuit, nisi ut me nocentiorem, atque calamitosiorem efficeret: effecit enim, ut duplex peccatum committerem, ubi antea simplex dumtaxat committebam; quoniam nefario facto accessit etiam prævaricatio. *Lex prohibens omnia delicta congeminat*, ait S. Augustinus l. de vera Relig. cap. 6. *non enim simplex peccatum est, non solum malum, sed etiam vetitum committere*.

Nam peccatum occasione accepta.] Concupiscentia obice irritata recentes vires adepta est, & per fallaces illecebras me in errorem induxit, mihique intulit mortem. Me impulit, ut illam sequerer, atque perfringerem obedientiam, quam Dei mei mandato me præstare æquum erat. Grotius hoc in loco eamdem sequitur explicationem, superius octavo versiculo allatam.

1 Vide Grot. Est. Capell. Peter. Tolet. 2 Vide Grot. in Decalog. Exod. 20. 17.
3 Vide Abenezra ad initium Decalogi, Kimchi ad Psal. 63. 18. Matth. 5. 27.
4 Anselm. Tolet. Est. Menoch. Paræ. Pisc. alii. 5 Tacit. Annal. 3.
6 August. & Pelag. *Peccatum mortuum est*. 7 Tolet. Est. Grot. Menoch. Tirin. Oecum.
8 Chrysost. Ambrosiast. Tolet. Est. Vatab. Paræ. 9 August. Chrysost. Ambros. Tolet. alii.
10 Grot. Hamm. Tolet. 11 Chrysost. 12 Tolet. Est. Menoch. Paræ.
13 Vide Menoch. Tolet. Zegee. Est.

℣. 12. ITAQUE LEX QUIDEM SANCTA.] In iis omnibus, quæ nuper a me dicta sunt, absit me velle accusare Legem, & sanctitati, atque justitiæ ejusdem derogare. Fateor, Deum illius esse auctorem, qui nihil nisi justum, atque sanctum nobis præcepit, etsi illius mandatis paruissemus, fuisse futurum, ut sanctitatem, justitiam, vitam, æternam beatitudinem consequeremur. Quodcumque mali peperit Lex, mihi ipsi acceptum refero [1].

℣. 13. QUOD ERGO BONUM EST.] Quomodo ergo Lex bona est, si mihi mortem infert? Quomodo autem illa mihi mortem non infert, si quemadmodum ℣. 10. dixi: *inventum est mihi, mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem?* respondet: Lex non est mortis meæ causa, sed occasio dumtaxat. At injustum est occasionali causæ imputare effectus, qui illam subsequuntur; alioquin iis, qui benefecerunt, crimini vertendum esset vitium ingratorum; Sacris rebus impiorum, & sacrilegorum crimen; sanctissimis etiam veritatibus blasphemiæ Hæreticorum essent imputandæ. Igitur verbum *factum est* hoc in loco pressius non est intelligendum.

SED PECCATUM, UT APPAREAT PECCATUM &c.] Peccatum, hoc est, concupiscentia, cum mihi mortem peperisset per eam rem, quæ bona erat, ostendit, quid illa esset. Concupiscentia se ipsam prodidit in effectibus suis per occasionem Legis, quæ erat bona. Vel: peccatum apparuit per occasionem Legis illud prohibentis, & per prævaricationem, quæ illam subsecuta est. Ante Legem nonnisi imperfectissime noveram peccatum. Lex mihi illud cognoscendum tradidit, cumque concupiscentiam meam irritasset, indirecte, atque per accidens in scelus me impulit [2]. Hæc eadem est sententia, quam sæpius iteratam offendimus, atque sub vario obtutu propositam. Lex bifariam auget peccatum, primum illud manifestans interdicto; secundo irritans concupiscentiam, atque ita prævaricationibus occasionem aperiens; hæc duplex est omnium harum difficultatum solutio.

UT FIAT SUPRA MODUM PECCANS PECCATUM.] Preceptum, mandatum, lex auxerunt peccatum, tribuentes concupiscentiæ occasionem peccandi majori cum furore, & excessu, quam antea. Vires illius ex ipso Legis interdicto creverunt, quemadmodum sæpe dictum est. Peccans hoc in loco non significat *peccatorem*, sed *peccans peccatum* innuit peccati actionem multiplicem, atque iteratam; peccans peccatum, hoc est, immoderata peccandi cupiditas, vel vehementissimus, acerrimusque habitus peccandi [3]. Hoc lex in homine per occasionem peperit.

℣. 14. SCIMUS AUTEM, QUIA LEX SPIRITUALIS EST, EGO AUTEM CARNALIS SUM.] Pergit purgare Legem a quocumque probro, quo illam aspergunt ii, qui eamdem peccati causam faciunt: atque malum omne in hominem peccatorem corruptum, & carnalem deflectit. Lex bona est, sancta, & justa: sed homo carnalis est nequam, & impurus.

Insignis hic instituitur quæstio, utrum S. Paulus in hoc, & in seq. ℣. ℣. de homine sub Lege, an sub Evangelio verba faciat. Credunt multi [4], ipsum gerere adhuc personam eamdem, quam in ℣. 7. induit, hoc est, seipsum exhibere velut hominem, qui ex naturæ statu sub statum legis migravit; qui omne infirmitatis suæ pondus, & omnem concupiscentiæ in malum impellentis vim expertus est, quin tamen in Lege, vel opem ad resistendum, vel gratiam ad se se liberandum invenerit.

Contendunt alii, hoc in loco agi de homine justo, qui legis jugum excussit, atque sub gratia vivens gemit cupiditatis suæ pondere oppressus, contra quam jugi prælio decertat, ut peccatum aufugiat, in quod ab illa pertrahitur. Novissimus hic sensus propugnatores habuit S. Augustinum [5], ejusque discipulos [6], & ante illum S. S. Gregorium Nazianzenum, Hilarium, Ambrosium, & Hieronymum, qui eam primum oppositam amplexus fuisset [7] sententiam, videtur deinde [8] in hanc concessisse se propius perspecta, atque cognito errore Pelagianorum, qui ad doctrinam suam confirmandam æquissime eadem abutebantur.

Pelagius [9] asserebat audacter, omnes Ecclesiasticos Scriptores hujus esse sententiæ in hunc locum, & Apostolum isthic minime loqui de homine sub gratia, & Evangelio constituto. At S. Augustinus, qui primam quidem sententiam illam secutus fuerat, Hæresiarchæ huic duo ostendit: primum, plures fuisse Veteres, qui hos locos alio in sensu fuerant interpretati; secundo, ea, quæ ille inferre isthinc adnitebatur, fidei Ecclesiæ adversari; quoniam asserebat sub Lege, immo etiam sub gratia liberi arbitrii vires sufficere, ut peccato reluctari possemus.

Quin tamen in Pelagii errorem incidamus, amplecti possumus Græcorum Patrum explicationem, quam priorem exposuimus, & quæ simplicior, atque cum præcedentibus melius cohærere, & in hoc loco ad literam magis videtur accedere. Altera quidem plures assectas jactat, & majori Latinæ Ecclesiæ auctoritate probatur: hanc igitur in reliquo hoc capite post S. Augustinum sequemur, quin tamen alteram illam abjiciamus, quæ certe Catholica est, ubi intelligatur in Græcorum Patrum sensu; & ubi Pelagii, & sectatorum illius error vitetur.

Apostolus inquit; *quia Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum*. Profecto Lex Moysis, obi consideretur tamquam a Deo, & Spiritu Sancto profecta, viam sternens ad legem gratiæ, hominem ad supernaturalia extollens, virtutumque exercitationem præcipiens, spiritualis est; & homo sub lege vivens, carnalis est, corruptus, proclivis in peccatum, & in lege neque gratiam, neque necessariam opem, ut peccato resistat, nanciscitur. Sed lex gratiæ magis est spiritualis in sublimiori sensu: in id enim illa tendit, ut Deo veros adoratores efficiat in Spiritu, & veritate, & hominem evehat ad sublimiorum virtutum exercitationem. Christi fidelis licet renatus sit, non ideo tamen immunis est a concupiscentia, atque studio, quo in malum capitur [10]. Ita dici potest, *carnalis esse, & venumdatus sub peccato*; at alio in sensu spiritualis est, quatenus Divinæ Legi subditos, eamque gratiæ ope observans, licet non sine difficultate quadam, & contentione.

Hæc loquendi ratio; *venumdatus sub peccato*, Hebraica est, ejusque in Veteri Testamento [11] exempla quædam inveniuntur ad hominem indigitandum, qui se peccato mancipavit. Apud Judæos poterat aliquis seipsum vendere, atque libertatis suæ jacturam facere [12]; & Pater etiam Filium suum alieno venumdare poterat [13]. Adam primus parens noster, quodammodo peccato nos vendidit per inobedientiam suam, atque

1 Grot. Est. Toler. Parr. 2 Tolet. Est. alii. 3 Orig. Erasm. Tolet. Est. Men.

4 Origen. Chrysostom. Theodoret. Theophyl. Oecumen. hic, August. quæst. 2. ad Simplic. & lib. 83. quæst. q. 66. & in proposit. expositis hujus ep. & Basil. regul. brevior. quæst. 16. Ambrosiast. Sedul. Pelag. in hunc locum, & l. 3. de lib. arbitr. apud Aug. de Grat. Christi c. 39. Ita Toler. Lyr. Carthus. Erasm. Ham. Vorst.

5 Vide Aug. l. 2. Retract. cap. 23. & 26. lib. 2. cap. 1. l. 3. contra Julian. cap. ult. l. 6. c. 23. Item Hilar. Nazianz. Ambros. apud eumdem, Aug. l. 2. contra Julian. c. 3. 4. 5. Epiph. hær. 64.

6 Vide Bedam hic, Prosper. l. contra Collat. c. 8. Gregor. Moral. l. 19. cap. 5. & lib. 29. c. 13. & in libb. Reg. l. 5. c. 2. Hug. Victorin. qu. hujus loci, Peter. Est. Cajet. Hessel. Sarbold. alios.

7 Hieronym. Epist. ad Algas. & in Habac. 1. & in Dan. 5.

8 Idem Dial. contra Pelag. lib. 2. c. 1. 9 Pelag. l. 3. de lib. arbitr. apud Aug. l. de Gratia Christi, cap. 39. 10 Conc. Trident. sess. 5. n. 5. de peccato Origin. *Manere in renatis concupiscentiam, vel fomitem hæc sancta Synodus fatetur &c.* 11 3. Reg. 21. 20. & 1. Macchab. 1, 17.

12 Levit. 25. 39. 13 Exod. 21. 7.

atque inde omnes cupiditati subditi sulmus. Verum ex hac venditione non adeo libertatis nostræ fecimus decrimentum, ut reliqua pars minime superfit, qua malo resistamus, & favente JESU CHRISTI gratia bonum exerceamus: quod vere dicitur, non de homine solum, qui sub lege vivebat, verum etiam de illo, qui renatus est, & vivit sub Evangelio.

℣. 15. QUOD ENIM OPEROR, NON INTELLIGO.] Scilicet approbationis cognitione [1]; licet hoc faciam sciens, & volens; attamen non fine certamine quodam affectior. Resisto quidem, sed nimis infirme. Sentio, in me motus quosdam insurgere, quorum potens non sum, & quos minime probo. Video bonum, quod a me faciendum esset, illud pro viribus amo, & approbo: at sentio me in oppositum rapi, neque satis virium in me esse intelligo, ut citra supernaturalem Dei opem resistam [2]: *Video meliora, proboque; deteriora sequor.* Attamen hoc me nequaquam justificat; si enim vincor, ideo vincor, quod ignavus sum, & iners, & ex mera voluntatis meæ electione: concupiscentia enim nullam mihi necessitatem imponit; me sollicitat quidem, non cogit; mihique semper integrum est, si velim, eidem reluctari.

NON ENIM QUOD VOLO BONUM, HOC AGO [3].] Non facio bonum, quod nonnisi imperfecta, atque titubante voluntate volo; non semper exequor bona desideria, quæ concipio; at fieri minime potest, ut non faciam bonum, quod cupio, cum illud plena, perfecta, & deliberata voluntate cupio: & dum hujusmodi adsint occasiones, licet non exequar, quodcumque boni cuperem, quippe mihi vires desunt, illud tamen ipsum coram Deo meritum assequor, ac si reipsa omne illud bonum perficerem. Deus rationem habet bonæ voluntatis meæ, cum sincera est; & cum pro viribus adnitor, ut perficiatur.

Sæpius etiam, *quod odi malum, illud facio*; vel potius, sentio me rapi in malum, quod non amo; in me experior studium quoddam, quod me, licet invitum, trahit in malum, quod perhoresco; & Dei auxilium, & gratia dumtaxat prohibent, ne eo malo vincar. Sed donec contra hæc prava desideria depugno, atque illis utor, quin tamen assentiar, Deus illa mihi vitio non vertit: ita pressius loquendo nunquam facio illud malum, quod odi, vel si illud extrinsecus facio, quin mea voluntas, & consensus adhæreant, illud proprie non facio, & actus exterior, & interior motus omni consensu, & voluntate destitutus peccata non sunt. Quod hactenus dixi, locum habet in Justis Veteris æque, & Novi Testamenti. Non semper quodcumque boni vellent, efficiunt; & sæpe se rapi sentiunt in malum, quod minime callent. Experiantur in seipsis certamen interius, seu bonum facere velint, seu malum evitare [4].

℣. 16. SI AUTEM, QUOD NOLO, ILLUD FACIO.] In hoc, & superiori versiculo facio incompletum actum, non autem actionem perfectam significat. *Si facio*, hoc est, si me invitum rapi sentio, ut faciam, quod *odi*: si tentor facere; *consentio Legi*, illam approbo, eam bonam credo, illam immo exerceo, & voluntas mea coram Deo justa est, atque innocens [5]. Hoc convenit justis antiqui, novique fœderis, quibus accesserit charitas, & qui fidei lumine fuerint illustrati; sola enim lex minime eam præbet opem, quæ ad id est necessaria.

℣. 17. NON EGO OPEROR ILLUD, SED QUOD HABITAT IN ME PECCATUM.] Si concupiscentiæ me in malum pertrahenti resisto, non amplius hæc mala desideria foveo, quæ in interiori cordis mei parte insurgunt, & quæ me in malum propellunt, versus quod studio quodam proripiar: sed ea fovet, *quod*

A *habitat in me peccatum*, hoc est, concupiscentia [6]; quæ in me ea omnia mala parit, quæ abominor, quæ ægerrime patior: ideoque Deus illa mihi imputare minime potest, quia accidunt præter voluntatem. Sed quemadmodum mors adstat in limine consensus [7], neque domestico huic inimico resistere possum citra supernaturale subsidium; teneor in jugi prœlio versari, in terrore, vigilantia, ac perenni oratione. Domesticum hoc prœlium, atque hæc interiora certamina nobis belle exhibentur in vita omnium Sanctorum, qui cum ante, cum post JESUM CHRISTUM vixere; omnes enim salutem suam cum timore, ac tremore operati sunt.

℣. 18. SCIO QUIA NON HABITAT IN ME.] Cum Paulus ait, se carnalem esse; se venumdatum sub peccato B in malum; se malum facere, quod odit, de seipso loquitur, quatenus in peccato conceptus, natus filius iræ, & concupiscentiæ traditus fuit. Hoc tamen minimo officit, quominus favente Deo virtutem exercere possit, & S. Spiritus valeat illius mentem illustrare, ut bonum cognoscat, atque in voluntatem illius victricem erga virtutem propensionem immittere. Homo justificatus, licet coram Deo purus, & innocens sit, debet semper fateri, se in semet nihil habere nisi peccatum, & concupiscentiam, quæ in ipsomet radicem posuit, atque ipsum jugiter in malum propellit [8], ita ut si Dei auxilium deficeret, cupiditatis suæ conatus superare minime posset. Verum neque hæc concupiscentia, neque hæc incomposita desideria evertunt libertatem, aut potestatem bonum operandi, cum cœ- C lestis adsit gratia. Quantumvis per originale peccatum corruptus sit; & licet liberum arbitrium sit infirmatum; concupiscentia tamen illud non necessario in peccatum tradit, statim ac deficit gratia. Homini semper integrum est, & concupiscentiæ, & gratiæ reluctari; quantumvis vehemens sit utriusque vis, ut illum in bonum, vel in malum impellant.

NAM VELLE ADJACET MIHI.] Pelagiani ex hoc loco inferebant, hominem in semet boni principium habere; liberum arbitrium propriis viribus, bona inire posse consilia, verbo, in nostra positum esse potestate, ut bonum velimus. Verum Apostolus non aliud ait, nisi posse hominem naturaliter fovere imperfecta quædam bonum faciendi desideria; sed illa prorsus esse naturalia, atque coram Deo nullum meritum obtinere: non D solum quod effectus illa minime subsequatur, verum etiam quod neque per spiritum Dei gignuntur, neque per ipsius gratiam firmantur. *Velle bonum* isthic respondet eidem locutioni, quæ in superioribus versiculis invenitur, ubi inefficacia tantum desideria significat. Si innuere vellet Paulus hominem in se ex liberi sui arbitrii vi nancisci voluntatem, & potestatem ad bonum efficiendum satis efficaces, sibimetipsi adversaretur alibi docenti [9]: *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*: Deum, qui incœpit bonum in fidelibus suis [10], ipsum etiam in nobis, & velle, & facere prout illi placet perfecturum [11]. Denique non diceret, se nihil esse sine gratia, se nihil posse ex semetipso, se nihil in seipso habere, nisi malum, atque peccatum.

E Addit, *perficere autem bonum non invenio*. Sentio, quid deceat, experior quædam in me illius adimplendi desideria, verum desunt vires ex meipso, neque efficacia inire possum consilia, neque illa exequi, nisi me adjuverit gratia [12]. Scelestissimus quisque nonnunquam dolet propter flagitia sua, lacrymis prosequitur statum suum miserrimum, vincula sua perfringere vellet; verum turpes affectus illi dominantur, & momento hæc omnia inutilia consilia subvertunt. *Semisaucium hac, atque hac versant, & jactant voluntatem parte assurgen-*

1 *Non approbo*. Erasm. Vatab. Deuf. Illyr. Pereri Est. Grot. alii passim. Confer Psalm. 1. 6. Osee 8. 4. &c.
2 Ovid. Vide Grot. & Ham. hic.
3 Optimi MSS. Latini, et Græca exemplaria non legunt bonum in hoc membro, nec *malum* in opposito, sed simpliciter: *non enim quod volo, hoc ago, sed quod odi, illud facio.*
4 Vide Aug. sæpius, Tolet. Menoch. Est.
5 Tolet. Est. Tir. Menoch. alii.
6 Est. Vatab. Menoch. Tirin. alii.
7 Genes. 4. 7.
8 Vide Perer. Est.
9 1. Cor. 3. 6. 7.
10 Philipp. 1. 6.
11 Philipp. 2. 13.
12 Vide Est. Perer. Tolet. alios.

surgentem, cum alia parte cadentem instantem [1].

℣. 19. NON ENIM QUOD VOLO BONUM.] Hic repetit, quod ℣. 15. dixerat, cum hoc tamen discrimine, quod cum ibi bonum, & malum in pluribus textus exemplaribus non inveniantur, isthic leguntur in omnibus. Omni tempore, atque in omni statu quicumque vivere voluerunt, certamen illud experti sunt, quod isthic a S. Paulo describitur. *Ego suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate*, ait S. Augustinus [2].

℣. 21. INVENIO IGITUR LEGEM.] Lex hæc est concupiscentia intra nosmetipsos decertans, atque bono, quod efficere vellemus, se opponens [3]. Ita cum bonum efficere studeo, experior hanc pugnam, quæ in meipso agitur, & intelligo, *quoniam mihi malum adjacet*; in carne mea residet concupiscentia, & ex meipso nihil boni conari possum, nisi supernaturale Dei auxilium adfuerit. Non quod necessitas inevitabilis mali efficiendi me urgeat, hæc enim mihi minime impendat, ac semper Deo favente pravæ concupiscentiæ resistere possum; & numquam ab illa me trahi patior nisi volens, sed propriis viribus numquam efficaciter bonum amplecterer, atque in statu infirmitatis, & corruptionis, in quo versor, nonnisi inutiles inanesque conatus exererem.

Interpretes non pauci [4] Græco textui hunc sensum appingunt: in meipso experior per Legem, qua ad bonum faciendum impellor, alteram in me esse Legem priori oppositam, & quæ me rapit in malum. Aliter; quamvis in me malum resideat, invenio tamen in meipso bonam esse Legem, cum bonum facere conor. Opponit Legem carnis Legi Spiritus; eam, quæ in bonum nos impellit, illi, quæ nos trahit in malum; motus concupiscentiæ bene vivendi desideriis. Vide ℣. 18.

℣. 22. CONDELECTOR ENIM LEGI DEI.] Video, approbo, amo justitiam divinæ Legis, eamque exercens secreta voluptate perfundor: *Video autem aliam Legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ*. Hæc omnia nihil aliud sunt, quam quod jam toties variis rationibus expressum est. Cupiditas, caro, vetus homo, homo exterior, lex membrorum, malum, peccatum in nobis residens, unum dumtaxat in universo hoc capite idemque significant: quemadmodum e contra Lex interior, Lex Spiritus, homo interior, Spiritus superiorem hominis partem significant gratiæ lumine illustratam, & Spiritus S. afflatu munitam.

Alii ita explicant: homo interior naturale quoddam ingenium significat, per quod amamus ordinem, justitiam, veritatem, & injustitiam, iniquitatem, mendacium odimus. Quod ingenium nonnunquam in corruptissimo etiam quovis se prodit; *video meliora proboque, deteriora sequor*. Contra ingenium hoc depræliantur Lex membrorum, & corruptio, quæ regnat in nobis, quæ aliud ingenium est priori acrius, & potentius, quo in malum trahimur, & cui non satis resistere valemus, nisi supernaturale gratiæ subsidium accesserit.

℣. 23. CAPTIVANTEM ME IN LEGE PECCATI.] Lex peccati, S. Johannis Chrysostomi sententia, imperium est, atque violentia peccati. Verum ne credas, hanc peccati Legem, sub qua tamquam in quamdam captivitatis speciem redacti sumus, talem esse, ut necessario, atque ita ut id evitare minime possimus, in malum trahamur, & sine electione, sine libertate peccemus. Hæ sententiæ S. Paulo adversantur, & damnantur ab Ecclesia.

Captivitas, de qua hic agitur, designat dumtaxat eam necessitatem, qua tenemur jugiter experiendæ vis pravæ hujus concupiscentiæ nos sollicitantis, sed non cogentis; impellentis, sed necessitatem minime imponentis [1]; conantis nos in captivitatem asserere, sed nonnisi, ubi velimus id vincientis: *Magna ex parte id patiebar invitus, quod faciebam volens*; ait S. Augustinus Confess. l. 8. cap. 5. Lex peccati ex ejusdem sententia est vis habitus, quo anima vincta, & captiva tenetur: *Ex perversa voluntate facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur facta est necessitas*. Et mox: *Lex peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur, & tenetur etiam invitus animus, eo merito quo in eam volens dilabitur*.

℣. 24. QUIS ME LIBERABIT DE CORPORE MORTIS HUJUS?] vel *de corpore hoc mortali* [6], quod morti, atque sequentibus aliis malis subditum, præsertim vero captivitati, concupiscentiæ, & rebellioni carnis adversus spiritum, Legis membrorum adversus Legem Dei, eripi exoptat ex his periculis, præliis, certaminibus per beatam mortem, vel simpliciter per victoriam de rebellibus affectibus per gratiam JESU CHRISTI relatam. *Corpus mortis* ex nonnullorum Interpretum sententia [7], significare etiam potest carnem corruptam per concupiscentiam, corpus hoc, quod jugiter conatus suos exerit, ut animæ mortem instiget, hanc massam, quæ deorsum trahit eam animam, quæ ut sursum & in Cœlum ascenderet, creata fuit.

. . . . Quin corpus onustum
Hesternis vitiis, animam quoque prægravat una,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

℣. 25. GRATIA DEI PER JESUM CHRISTUM.] Fatetur Apostolus, se propriis viribus parem non esse, qui resistat concupiscentiæ, & carnis contra Spiritum depræliantium conatibus; sed ex Dei solius gratia, quam nobis JESUS CHRISTUS promeruit, victoriam hanc se præstolari; hanc spem suam esse, suumque solatium.

Græca Exemplaria typis edita: *gratias ago Deo per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum*; hæc est responsio interrogationi ℣. superioris: *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Deo gratias ago, qui per JESU CHRISTI Salvatoris nostri merita hanc nobis gratiam comparavit. Sed complures veteres MSS. præsertim vero Claromontanus, & S. Germani Pratensis Græco-Latinos, S. Irenæus l. 3. cap. 22. Theodoretus in Comment. S. Augustinus, Origenes, vel Rufinus Commentar. in hos locos, qui SS. Ambrosii, & Hieronymi nomine circumferuntur, Sedulius, Primasius, et qua omnia Vulgatæ exemplaria legunt: *gratia Dei per JESUM CHRISTUM*. Omnes hi sensus inter se minime discrepant; certo enim certius est, nos a peccati morte, & concupiscentiæ impulsu liberari non posse, nisi per JESU CHRISTI gratiam, & nobis illi æternas esse gratias agendas, si illius vires propulsare, atque ex ea victoriam possumus reportare.

MENTE SERVIO LEGI DEI.] Ego, & omnis homo mortalis mihi similis in peccato conceptus, & concupiscentiæ Legi subditus, Legi Dei secundum Spiritum obtemperamus, hanc probamus, illius æquitatem cognoscimus, illam observare cupimus, sed voluntate infirma, & labante, itaut simul in nobismetipsis Legem aliam experiamur, a qua in malum pertrahimur [8]. Exile illud studium, quo in bonum impellimur, & ab eo superatur, quod dominatur in nobis, atque in peccatum nos rapit: & cum JESU CHRISTI gratiam efficacia inimus consilia obtemperandi Legi Dei, ipsa etiam concupiscentia insurgit, nostram bonam voluntatem labefactare contendit, & nonnumquam voluntas nostra, quæ non ita facile gratiæ, atque cœlestis afflatus illecebris cedit, concupiscentiæ se victam dedit, seque peccati imperio submittit. *Certum habebam esse melius tuæ charitati me dedere, quam meæ cupiditati cedere; sed illud placebat, & vincebat; hoc libebat, & vinciebat*, ait S. Augustinus Confess. l. 8. cap. 5. statum in quo erat, antequam penitus converteretur, describens.

---

1 August. Confess. lib. 8. cap. 8. idem cap. 9. *Ideo sunt duæ voluntates, quia una earum tota non est, & hoc adest alteri, quod deest alteri*. 2 August. Confess. lib. 8, cap. 5.
3 Tolet. Menoch. Est. Tir. alii. August. Confess. lib. 8. cap. 5. 6. 7. 8.
4 Ludov. de Dieu, Zeger. Paræus, Grot. 5 Vide August. Est. Tir. Menoch. Peret. disput. 17.
6 Hieronym. Tolet. Zeger. Est. Chrysost. 7 Tolet. Vatab. Zeger. Grot. Erasm.
8 August. serm. 6. de Verbis Apost. *Non mente operabatur consentiendo, sed carne concupiscendo.*

CAPUT VIII.

Qui vivunt in JESU CHRISTO, a damnatione immunes sunt. Ambulant secundum spiritum, & qui hoc spiritu animantur, sunt Filii Dei, & futura gloria spe perfruuntur. Omnia Electis cedunt in bonum. Nihil illos a JESU CHRISTI charitate valet deterrere.

1. NIhil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. 2 Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati, & mortis. 3 Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne. 4 Ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. 5 Qui enim secundum carnem sunt: quæ carnis sunt, sapiunt. Qui vero secundum spiritum sunt: quæ sunt spiritus, sentiunt. 6 Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita, & pax. 7 Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta: nec enim potest. 8 Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. 9 Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. 10 Si autem Christus in vobis est; corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. 11 Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. 12 Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. 13 Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. 14 Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. 15 Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater) 16 Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. 17 Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur. 18 Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 19 Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. 20 Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe. 21 Quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. 22 Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc. 23 Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes; & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. 24 Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? 25 Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus. 26 Similiter autem & spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 27 Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus: quia secundum Deum postulat pro Sanctis. 28 Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. 29 Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. 30 Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit. 31 Quid ergo dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? 32 Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? 33 Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat?

est ? 34 Quis est qui condemnet ? Christus Jesus, qui mortuus est : immo qui
& resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 35
Quis ergo nos separabit a charitate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an fames ?
an nuditas ? an periculum ? an persecutio ? an gladius ? 36 (Sicut scriptum est:
Quia propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis) 37
Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. 38 Certus sum
enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque
virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, 39 Neque altitudo,
neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ
est in Christo Jesu Domino nostro.

℣. 1. NIHIL ERGO NUNC DAMNATIONIS.] Licet hæc adsit Lex carnis, quæ adversatur Legi Spiritus, atque nos in peccati captivitatem trudere conatur, A JESU CHRISTI favente gratia damnationem, atque peccatum evitare possumus, si illi resistamus, & fortiter per fidem, & charitatem JESU CHRISTO adhæreamus [1]. Concupiscentia non est peccatum, & qui in JESUM CHRISTUM per Baptisma regenerati sunt, qui summa fide justificationis gratiam servarunt, *qui non secundum carnem ambulant*, sed secundum spiritum, qui cupiditatis desideria impugnant, atque adlaborant, ut spiritui carnem submittant, mercedem illi quidem prælii, atque laboribus suis parem nanciscentur [2].

℣. 2. LEX ENIM SPIRITUS VITÆ.] Hæc altera Lex est opposita Legi carnis, vel concupiscentiæ. Concupiscentia quidem Lex est contraria justitiæ, spiritui, ordini, saluti. Recens vero Lex est Lex vitæ, liber- B tatis; Lex omnino spiritualis a JESU CHRISTO annunciata, illius exemplo, atque amori innixa. Hæc nos liberat a Lege peccati, atque efficit, ut Spiritus Sancti ope, & Salvatoris gratia concupiscentiæ conatus superemus. Illa minime evertit in nobis corruptionis originem, neque fomitem cupiditatis extinguit; sed prohibet, ne peccatum dominetur in nobis [3]: *ut non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*, quemadmodum supra dixit cap. 6. ℣. 12.

℣. 3. NAM QUOD IMPOSSIBILE ERAT LEGI.] Lex nobis peccatum aperuit, concupiscentiam irritavit, sed non illa nobis necessariam contulit gratiam, qua suffulti ipsam observemus; neque vires suppeditavit, ut concupiscentiæ impetum infringeremus. Hoc autem C non ex Legis defectu, quæ in seipsa bona est, & justa; sed *per carnem*, quia homines carnales sunt, atque corrupti. Deus nobis utramque per Filium suum elargitus est, & cognitionem, & vim, & lucem, & gratiam. Sancti Spiritus sui auxilio suffulti, officiorum nostrorum magnitudinem perfecte cognoscere, sanctas illius Leges fideliter observare, & pravis desideriis nostris resistere possumus. Hanc vero opem abundantius in novo fœdere invenimus [4].

FILIUM SUUM MITTENS IN SIMILITUDINEM CARNIS PECCATI.] Non ait, se misisse Filium suum in carne peccati, sed in similitudinem carnis peccati. Nam licet JESUS CHRISTUS veram carnem, nostræque simillimam induerit; attamen peccatum, & concupiscentiam minime contraxit [5]: *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato* [6]. D

DE PECCATO DAMNAVIT PECCATUM IN CARNE.] Peccati imperium prævertit, atque illud per suam mortem morte damnavit [7]. JESUS CHRISTUS a peccatori- A bus morti addictus redarguit peccatum de injustitia, atque illud justissime eo exuit imperio, quod usurpaverat. Aliter: JESUS CHRISTUS nobis piacularis victima per sanguinem, & mortem suam [8] scelera nostra expiavit, & per Sacrificium suum pro peccato peccatum delevit. Vel [9]: Deus damnavit *peccatum*, hoc est concupiscentiam per Carnem Filii sui: emundavit nos ab originali peccato, cupiditatis vires labefactavit, nobisque ex illo victoriam per baptismum, per justificantem gratiam, per fidem, per Spiritum Sanctum concessit.

℣. 4. UT JUSTIFICATIO LEGIS IMPLERETUR IN NOBIS.] Vel ut nos gratiæ suæ auxilio omnia Legis officia expleremus. Antequam JESUS CHRISTUS pro nobis fieret expiationis hostia, & per mortem suam peccati imperium averteret: per nosmetipsos, minime pares eramus, qui satis iis faceremus, quæ ex nobis B Lex perquirebat. Cum enim Lex ipsa per se esset infirma, minime conferebat nobis opem, quæ ad eam servandam necessario requiritur, sed post Salvatoris obitum in supernaturali ope, quam ille nobis comparavit, nanciscimur quidquid opus est, tum ut bonum adnitamur, tum ut malo resistamus. Christiana Religio Legem minime delevit, sed eam perfecit; non exsolvit nos, ne Dei mandata servaremus; et docuit, quomodo illa essent observanda; nobisque affluentes gratias contulit, quibus adjuti, quemadmodum opus est, id perficeremus [10].

℣. 5. QUI ENIM SECUNDUM CARNEM SUNT.] Omnes eæ prærogativæ, de quibus locuti sumus, & quæ Christianæ Religionis sunt propriæ, eorum dumtaxat sunt, qui ambulant secundum spiritum, & qui nomi- C ne discipulorum JESU CHRISTI dignos se præbent. Non desunt enim in Ecclesia, qui ambulent secundum carnem, & Dominicæ crucis sint inimici [11]; hujusmodi vero mortales nomine tantum a Judæis differunt, eodem spiritu repleti sunt, & agunt solum, quatenus Veteris Testamenti filii. At non de illis isthic verba facit S. Paulus, opponens eos, qui, *quæ carnis sunt, sapiunt*, illis, qui, *quæ sunt spiritus, sentiunt*. Priores illi cupiditatis motus sequuntur, alii vero Sancti Spiritus afflatum: illi terrena, carnalia, & sensibus subjecta in deliciis habent; hi vero cœlestia dumtaxat diligunt, pietatem sequuntur, virtutem amant, gloriam, & Domini cultum unice quærunt.

℣. 6. NAM PRUDENTIA CARNIS MORS EST.] Prudentia hoc in loco amorem, sensum, ingenium signi- D ficat. Terrenarum, atque carnalium rerum amor animæ mortem infligit; rerum vero supernaturalium, spiritualium, ac Divinarum amor illi vitam confert. Rationem reddit eorum, quæ dixit ℣. 1. *nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non*

1 Tolet. Est. Menoch. Tirin. 2 Vide Augustin. lib. 2. de peccat. meritis cap. 27 lib. 6. contra Julian. cap. 10. lib. 1. contra duas Epist. Pelag. cap. 13. 3 Est. Tolet. Menoch. Tirin. &c.
4 Est. Tolet. Menoch. Vatabl. Grot. Paræ. &c.
5 Chrysostom. Vide & Theodoret. 6 Hebr. 4. 15.
7 S. Leo serm. 18. de Pass. Dom. Theodoret. Chrysostom. Est. Tolet. Menoch. Grot. Vide Augustin. lib. 3. contra 2. ep. Pelag. cap. 6. & quæst. 66. inter 83. 8 Theodor. Vatab. Glass. Pisc. Paræ. Ludov. de Dieu. Vide Augustin. serm. 6. de Verbis Apostoli. 9 Peter. Zegers.
10 Vide Est. Menoch. Tolet. 11 Philip. 3. 18. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus . . . qui terrena sapiunt.*

non secundum carnem ambulant.] Non enim proderit il- A lis, qui secundum spiritum non ambulant, JESUM CHRISTUM fateri; immo hoc magis, magisque eorum damnationem augebit.

℣. 7. SAPIENTIA CARNIS INIMICA EST DEO.] Opposita spiritui, amori, cultui illius. Hæc hominem Deo inimicum constituis, in eo defectionis, & inobedientiæ sensus ciet; voluntati, ac Legi illius adversatur. *Legi Dei non est subjecta, neque enim potest*; quippe inter illam, atque Legem Dei omnis occurrit oppositio, quæ nonnisi per JESU CHRISTI gratiam, sinceramque conversionem potest averti.

℣. 8. QUI AUTEM IN CARNE SUNT, DEO PLACERE NON POSSUNT.] Nisi sensus, atque affectus immutaverint. Rebellis quidem, donec in sua rebellione constiterit, Principis sui gratiam sibi promereri non B potest; sed potest errorem suum agnoscere, reparare, atque ita in Principis gratiam reverti [1].

℣. 9. VOS AUTEM IN CARNE NON ESTIS.] Alloquitur fideles Romæ: puto, vos omnes Dei Spiritu esse repletos, & non secundum carnem ambulare, neque illius sequi desideria. *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*. Grotius ita verti potest: *quoniam Spiritus sanctus in vobis habitat*: quæ non est exceptio eorum, quæ dixerat, vel loquendi ratio, ambiguitatem, aut diffidentiam significans [2]: quoniam id ipsoepistolæ suæ capite eos vocavit amicos Dei, & Sanctos per vocationem; atque inferius magis adhuc explicite inquit, se certo scire, illos charitate Dei esse repletos [3]: *Certus sum autem & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione*: quod tamen non prohibet, quominus C hoc illis non sua apposita conditione dixerit: dummodo tamen summa fide donum fidei, atque Spiritus Sancti servetis [4]. Licet perfecta esset Romana Ecclesia, injustus tamen illi non erat Apostolus ita loquens: poterant enim in eadem esse membra quædam, vel putrescentia, vel mortua.

℣. 10. SI AUTEM CHRISTUS IN VOBIS EST.] Tamquam in Templo suo, si vivitis de Spiritu illius, & si vere illius estis, licet *corpus mortuum est propter peccatum. Spiritus vivit propter justificationem*. Quamvis in corpore mortali, atque affectibus subdito propter primi hominis peccatum, quod vestrum per nativitatem effectum est, vivatis [5]; attamen spiritus vivis per fidem, per gratiam, per justitiam. Hic immortalis est, & aliquando æterna felicitate perfruetur, si in D bono perstiterit. Grotius ita intelligit: Si Jesus CHRISTUS in vobis est per Spiritum S. in vobis residentem; concupiscentia ibi quodammodo mortua est; vos illam mortificatis, ut peccatum evitetis, & Spiritus Sanctus in vobis est fons vitæ [6], propter justitiam, quam ibi producit, quod geminum videtur eum illis verbis ex secunda ad Corinthios epistola: *licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem*, 2. Cor. 4. 6.

℣. 11. QUOD SI SPIRITUS EJUS, QUI SUSCITAVIT JESUM.] Si Spiritus Patris Cœlestis habitat in vobis, quemadmodum Pater resuscitavit JESUM CHRISTUM ex mortuis; Spiritus ejus vos quoque de peccati mortalis resuscitabit, & vitæ gratiam conferet. Fieri nequaquam potest, ut in vobis inhabitante Spiritu Dei, E Spiritu vitæ, Spiritu omnipotenti, vos in morte permaneatis. S. Paulus Patri acceptam refert JESU CHRISTI Resurrectionem secundum Scripturas [7]. Resurrectio spiritualis, & moralis fidelium per gratiam, fidem, Baptismum, opus est Spiritus Sancti; JESU CHRISTI vero ex mortuis Resurrectio, opus est Patris. Hoc tamen minime prohibet, quominus verum sit, JESUM CHRISTUM per propriam virtutem resurrexisse, quemadmodum pluribus in locis Scriptura testatur.

℣. 12. ERGO FRATRES DEBITORES SUMUS NON CARNI.] Resurrectionem nostram, recentemque vitam [8], non carni, sed Spiritui Sancto debemus. Illi acceptam referre debemus libertatem nostram, per illam nobis vivendum est, non amplius subditi sumus carni, peccato, concupiscentiæ; hæc nullum amplius in nos obtinet imperium; unus dumtaxat Jesus CHRISTUS in cordibus nostris regnare debet. Væ nobis, si felici huic libertati filiorum Dei renunciantes, iterum imperio peccati submittimur, & si per infidelitatem affligimus Spiritum Sanctum in nobis permanentem [9]; si illum a nobis amovemus, eumque a nobis recedere [10] cogimus.

℣. 13. SI ENIM SECUNDUM CARNEM.] Si carnis desideria, & concupiscentiæ motus secuti fueritis, æterna morte moriemini: Sin autem per Spiritum Sanctum in vobis inhabitantem cupiditatis impetus infregeritis, vita gratiæ in hoc mundo, & vita gloriæ in altero vivetis. Vita carnis est vita peccati; vita spiritus est vita gratiæ. Ex nobisme ipsis vita gratiæ vivere non valemus; ad id enim ope Spiritus Sancti, qui nos illuminet, atque inflammet, maxime indigemus [11].

℣. 14. QUICUMQUE ENIM SPIRITU DEI AGUNTUR.] Quicumque Spiritu Sancto animantur, & operantur ex impulsu illius [12]; qui ejus afflatum sequuntur, & ipsius amore replentur; qui Dei Legem in corde gerunt insculptam, qui gratiæ sectantur illecebras, qui fidelibus ejusdem invitationibus fideles sunt: hi omnes vere sunt Filii Dei, ejusdem amici, hæredes, imitatores. Vivunt in hac vita ex illius gratia, & amore; in æterna vero, gloria ejusdem perfruentur.

℣. 15. NON ENIM ACCEPISTIS SPIRITUM SERVITUTIS.] Spiritus Legis erat Spiritus timoris; Spiritus vero Evangelii, ipsius amoris. Idem Spiritus auctor est casti amoris, atque saluberrimi timoris; sed in operationum suarum varietate a seipso non differt. In aliis quidem metum, ac dolorem operatur; in aliis vero amorem, & confidentiam. Judæus Legem modo servili, atque litterali; Christianus vero spirituali ratione, & per amorem observat. Timor non secus, ac amor Dei dona sunt, sed non æqualia, licet ab eadem manu profecta. Timor conversionem quidem informat; at fine charitate saltem incœpta, nulla est vera conversio [13]. Veteres Patriarchæ, atque Prophetæ ad Legem novam jam pertinebant ex cordis sui dispositione; iique non servitutis, sed charitatis, & libertatis spiritu animabantur.

SPIRITUM ADOPTIONIS FILIORUM.] Recepistis Spiritum Sanctum, qui intrinsecus testimonium vobis perhibet, quod estis adoptivi filii Dei, & qui vobis confidentiam inspirat clamandi, Pater mi, Pater mi: JESUS CHRISTUS nobis gratiam promeruit, ut essemus filii Dei; ille nobis asseruit, Patrem suum, Patrem esse nostrum [14]; nobis præcepit, ut preces nostras illi effunderemus, dicentes [15]: *Pater noster, qui es in Cœlis*: denique nos fratres suos appellare non dignatur [16].

IN QUO CLAMAMUS: ABBA PATER.] Spiritus Sanctus in cordibus nostris residens in nobis ciet audaciam, Deum Patrem nostrum vocandi [17]. *Abba* vox est Syriaca, significans Patrem; vel Patrem meum; Apostolus vero, vel ejus interpres addit vocem *Pa-ter*,

1 Vide Est. Par. alios. 2 Chrysostom. Theodoret. Erasm. Pare.
3 Rom. 15. 14. 4 Grot. Est. Tolet. Menoch.
5 Erasm. Vatab. Zeger. Menoch. Tolet. 6 Græcus impressus legit: *at spiritus est vita*: & ita legunt S. Irenæus, S. Hilarius, S. Ambrosius, Tertullianus, S. Augustinus. Pauci MSS. legunt, *vivit* cum Vulgata.
7 Act. 3. 15. & 4. 10. & 5. 30. & 13. 37. Rom. 4. 24. 1. Cor. 6. 14. Vide Grot. Menoch.
8 Tolet. Est. 9 Ephes. 4. 30. 10 1. Thessal. 5. 19.
11 Tolet. Est. alii. 12 August. serm. 13. de Verbis Apost. *Dicis mihi aliquis: Ergo agimur, & non agimus. Imo agis, & ageris: & tunc bene agis, si a bono ageris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor est*. 13 Vide Est. Menoch. Tolet. Augustin. passim.
14 Joan. 20. 17. 15 Matth. 6. 9. 16 Matth. 28. 10. Joan. 20. 17. Hebr. 2. 11.
17 Confer Galat. 4. 6.

ter, quæ Græce, & Latine illud ipsum significat: A Hæc vocandi ratio Pater mi, Pater mi, propria est filiorum ingenuorum, atque honesto loco natorum: nam Hebræis ipsis testibus [1], servorum filiis, minime licebat Patrem suum vocare *Abba*, neque matrem suam *Imma*, vel *Amma*. In Lege veteri hujusmodi locutiones, perquam raro inveniuntur. Hebræi illum Dominum suum vocant, Deum suum, salutem suam, protectorem, gloriam, terrorem; et Patrem raro. Unus Salomon Deum Patrem suum vocavit, ea quo Dominus illi dixit [2]: *Ipse invocabit me, Pater meus es tu*: & 1. Paralipom. 28. 6. *Ipsum elegi mihi in filium, & ego ero ei in Patrem*: Verum hoc accidit, quod Salomon figura erat Messiæ, qui verus est Patris Filius, Patri coæternus, & coæqualis.

Testimonium, quod intra nos perhibet Spiritus Sanctus, nos esse adoptivos Dei filios, vel cum Græco textu, testimonium spiritus nostri una cum testimonio Spiritus Sancti; ita ut hæc sint quodammodo duo rei unius testimonia; hoc inquam testimonium certissimum non esse non potest, atque illi fidem nostram jure denegare minime decet. Sed quemadmodum Angelus Sathanæ nonnumquam personam induit Angeli lucis, & audacia satis frequenter justam confidentiam imitatur; spes Christifidelis semper cum filiali quodam metu immiscetur. Confidentia quidem repletur, verum sine præsumptione. Clamat Pater mi, Pater mi; se non obliviscitur simul Deum esse, & Judicem suum: ea Deo petit, ut fidem augeat, charitatem, & spem; ne superbia, & inania fiducia omnem adoptionis fructum, & Dei Patris sui gratiam C labefactent [3].

℣. 17. SI AUTEM FILII, & HÆREDES.] Apud Hebræos proprie filii dumtaxat hæredes erant, quibus nonnisi deficientibus ad filias migrabat hæreditas. Sed in ea hæreditate, de qua hic agitur, nulla excipitur ætas, sexus, conditio. Omnes unum sumus in JESU CHRISTO; omnes conjuncti sumus in eadem fide, atque eadem æternorum bonorum spe; dummodo per Baptismum regeneremur, & in adoptionem filiorum Dei ingrediamur, atque summa fide & omni conatu adnitamur, ut operibus bonis certam adoptionem nostram [4] faciamus. Deus Pater noster est, JESUS CHRISTUS frater noster; hæreditas, quæ nos manet, Regnum Cœli: *Si tamen compatimur, ut & glorificemur*. Hæc ea conditio est, qua proposita D nobis tantum boni promittitur; scilicet ut patiamur cum JESU CHRISTO, pro illo patiamur, ut ille, patiamur & pro gloria illius, nostras cum illius passionibus conjungamus, atque in sequela ejusdem ad mortem usque crucem illius gerere perseveremus: *Certa, atque secura est expectatio promissa beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis* [5].

℣. 18. NON SUNT CONDIGNÆ [6] PASSIONES HUJUS TEMPORIS.] Futuram gloriam modo nonnisi per quoddam veluti aenigma prospicimus; eamque nonnisi ænigmatice novimus [7]: sed post hanc vitam, illam aperte, atque sine ulla figura videbimus. Passiones, privationes, quas in hac vita perferimus, ubi cum cœlesti beatitudine conferantur, nihil sunt. Quæcumque fluxa, quæcumque perfunctoria sunt, nihil sunt, ubi E cum æternis [8] comparentur. Pleraque mala, quæ in terris ferre possimus, majora sunt in hominum mente, quam in re; et cœlestia bona infinitæ sunt soliditatis, magnitudinis, pretii. Eaque Deus nobis tamquam præmia conferre dignatur, ubi illa per gratiam suam nobis promeruerit [9].

℣. 19. EXPECTATIO CREATURÆ.] Hoc argumentum est votorum suorum. S. Paulus hoc in loco universum terrarum orbem exhibet [10], tamquam animatum, participem humanæ felicitatis, atque intentum in momentum illud, quo homo ex difficili hoc viatoris in promissæ quietis statum aliquando transferetur. Æquum est, ut creata qualibet humanæ felicitati congaudeant, quandoquidem omnia ad hominis usum creata fuerunt. Quemadmodum cum illo quodammodo patiuntur, atque in hoc mundo vicibus illius dolent; quamdam etiam quietis speciem capiunt, ubi ille ex hac anxietate, & solicitudine emerserit, æternam felicitatem aditurus. Hæc vero lætitiæ suæ potissima causa est, quod post Sanctorum consummationem, & in sæculorum fine sperat futurum, ut ipsa etiam in statum longe pulchriorem, & perfectiorem restituatur [11], cum videlicet Dominus novum cælum, novamque terram efficiet [12].

Veteres quidam [13] hoc in loco *Creaturæ* nomine intellexerunt *Angelos*, qui licet inviti, tamen subjecti sunt vanitati, quod homines in viam salutis deducere teneantur, eisque eam servitutem præstare, naturæ suæ dignitati non satis parem. Gemunt expectantes, donec electi in cœlo constituantur, ac ministerii sui tempus adimpleatur. Sed hæc explicatio humilem sane nobis adstruit beatorum horum Spirituum ideam: Nihil de eorum felicitate, nihil de eorum gloria petit, cum hominibus super terram famulantur.

S. Augustinus [14], aliique nonnulli crediderunt, fidelem dumtaxat hominem isthic creaturæ nomine indigitari. Christifidelis sollicite propriæ gloriæ suæ manifestationem expectat, gemit, sperans eam felicitatem, quæ sibi promissa est. Alii vero [15] de omnibus hominibus generatim, peculiariter vero de gentilibus explicant. Ethnici populi sæpius a Rabbinis designantur Mundi, vel creaturæ nomine; illi subjecti sunt vanitati, atque fraudibus Dæmonis, donec in veram Religionem ingressi non fuerint: Felicem hanc immutationem avidissime expectant, quin tamen illam satis agnoscant: sed status ipse, in quo illi versantur, pro illis quodammodo lacrymas effundit. Hinc in Scriptura [16] Messias Expectatio, atque Desiderium gentium vocatur. Prior explicatio melior est, eamque plerique sequuntur.

℣. 20. VANITATI ENIM CREATURA SUBJECTA EST NON VOLENS.] Creaturæ obnoxiæ sunt vanitati, mutationi, senio, corruptioni, atque sexcentis vicissitudinibus, quarum pleraque affectur sunt maledictionis, quam Deus terræ indixit propter primi hominis peccatum. Videtur S. Paulus creaturis insensibilibus sensum tribuere: *vanitati creatura subjecta est non volens*, non ea propria electione, non sponte: qualibet enim rer ingenio suo ad perfectionem feruntur. Vanitati autem subjecta sunt, quod creatoris imperio parere teneantur, qui pœnam peccati protoparentis nostri non solum in personam Adam, verum etiam in creaturas omnes contraxit, quas illius imperio, & usui subjecerat: *sed propter eum, qui subjecit eam in spe*. Sperant autem futurum, ut libertate donentur, ac in meliorem perfectioremque statum immutentur; qui accidet, quemadmodum dictum est, post finem sæcu-

1 Vide Gemar. Selden. & Ludov. de Dieu hic. 2 Psalm. 88. 27.
3 Vide si placet, Perer. Disp. 9. Est. hic. Concilium Trident. sess. 6. cap. 9. *Quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest. Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*.
4 2. Petri 1. 10. 5 S. Leo serm. 9. de Pass. Domini. 6 Græc. *Non sunt digna*. Erasm. *Non sunt pares*. Ambros. et Augustin. *Indignæ sunt*. Vide Est. hic. 7 1. Cor. 13. 12.
8 2. Cor. 4. 17. *Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis*. 9 Vide Tolet. Menoch. &c.
10 Pagn. Vatab. Est. Grot. Tolet. Per. Jac. Capel. Par. 11 Vide Grot. Menoch. Tir. & Origen. lib. 4. contra Cels. & Chrysostom. hic. 12 2. Petri 3. 13. Apoc. 21. 1. Isai. 65.
13 Theodoret. hic, Nazianz. Orat. 1. contra Julian. Cyril. l. 14. c. 1. Thesaur. Vide & Ambr. ep. 34. 35. & Origen. apud Tolet. hic. 14 August. l. 83. Quæst. qu. 67. Gregor. l. 4. Moral. Ansel. hic, alii quidam.
15 Vide Knatchbul. Ligfoot, Hassim. 16 Genes. 49. 10. Agg. 2. 7.

seculorum, cum Deus universa instaurabit, eisque recentem faciem impertiet [1].

℣. 21. ET IPSA CREATURA LIBERABITUR A SERVITUTE CORRUPTIONIS.] Prosopopejam suam persequitur S. Paulus: sollicite creaturæ expectant, atque ardenter sperant, felicem conditionis suæ permutationem se visuras; confidunt, se tandem aliquando evasuras ex ea captivitate, in quam hominis peccatum ipsas conjecit, & tandem gavisuras *in libertatem gloriæ Filiorum Dei*. Hoc minime significat, inanimas creaturas reipsa beatitudine perfruituras esse, atque gloriæ Prædestinatorum participes futuras; sed quodam in sensu hujus erunt participes, cum sub finem seculorum purum, incorruptibilem, ac priori longe perfectiorem statum acquirent, neque amplius obnoxiæ erunt mutationibus, ac vicissitudinibus, quemadmo- B dum erant ante sub Regno peccati, neque amplius homo peccator earum pulchritudine, aut bonitate abutetur contra mentem Creatoris, ut illius clementiam lacessat.

S. S. Ambrosius, & Hieronymus [2] crediderunt, tunc Solem, Lunam, ac Stellas fulgidiores, quam hodie futuras, neque illam amplius passuras Eclypsim, aut caliginem, cui hodie obnoxii feruntur. Philo l. de premiis, ac Tertullianus adversus Hermogen. credere videtur futurum, ut feræ, atque virulenta animantia feritatem, ac venenum suum amittant: & Rabbini docent [3], ubi resurrexerint, astra, plantas quoque, & animantia perfectiorem, felicioremque statum inventura.

℣. 22. OMNIS CREATURA INGEMISCIT, & PAR- C TURIT.] Hoc sequitur ex iis, quæ superius dicta sunt. Creata quælibet sensibilia, Angeli ipsi, ex quorumdam Patrum auctoritate [4], seculorum finem concupiscent; quod tunc quidquid in terris inconditum est, malum, corruptum, in pulchritudinis, ordinis, & perfectionis statum, quem creaturæ omnes exoptant, restituetur. Ait vero Apostolus, Creaturas partus doloribus agitari quodammodo, donec tantum boni consequantur: quæ locutio mirum in modum significat conatum, quem omnia creata pro modulo suo exerunt, ut celeriter felicissimam hanc sibi permutationem procurent. Cæterum meminerit oportet, hanc Rhetoricam esse figuram, qua tamquam animatum exhibetur, quidquid sensu caret.

℣. 23. NON SOLUM AUTEM ILLA, SED & NOS D IPSI,] qui regenerati fuimus per Baptisma, atque per JESUM CHRISTUM justificationis gratiam recepimus, *gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes*, & liberationem corporis mortis hujus, quæ nos undique circumdat, præstolantes. Summa ope vitæ hujus finem, peccatis, atque sexcentis infirmitatibus subditæ, & felicitatem Dei filiis in Cœlo preparatam exoptamus. Nosmet in hoc mundo tamquam in exilio, atque aliena terra perpendimus, & ut hinc penitus eruamur, anhelamus.

Crediderunt quidam [5] hic verbis: *sed & nos ipsi primitias spiritus habentes*, S. Paulum innuere velle Apostolos, qui reipsa primitias, ac pretiosissima Spiritus Sancti dona Pentecostes die receperunt: sed tenent alii [6], ab Apostolo hoc in loco fideles omnes E indigitari, qui tunc vivebant, & qui, veluti ipse, spiritus ejusdem primitias receperant, qui omnibus seculis deinceps in omnium fidelium, qui JESU CHRISTI Ecclesiam constituturi erant, corda erat effundendus. Non ait, nos Spiritus Sancti plenitudinem recepisse; quod proprie illis convenit tantum; qui affatim Deo perfruuntur, & qui torrente cœlestium deliciarum inebriantur; sed ait solum nos habere *primitias Spiritus* A *Sancti*, nos jam cœlestis vitæ voluptates prægustare, aut per Spiritus Sancti in nobis inhabitantis gratiam, futuræ beatitudinis quoddam veluti pignus possidere. Nobis jus est ad Cœli hæreditatem, quippe qui sumus filii adoptivi; at hæreditatem hanc nondum possidemus, & majores adoptionis nostræ effectus nondum percipimus.

Primitiæ, vel illud quod in qualibet re excellentissimum, & exquisitissimum censetur [7], vel illud, quod tamquam totius pars offertur, significant. Duplici huic significationi duplex innititur loci hujus a nobis allata explicatio.

℣. 24. SPE ENIM SALVI FACTI SUMUS.] Nondum re quidem, sed spe dumtaxat salvi facti sumus. Nondum supremam beatitudinem sumus assecuti, sed illam B ea spe præstolamur, quæ JESU CHRISTI promissionibus innititur. Quædam est inchoata salus, de qua illic, & ad Ephes. 2. 5. 8. verba facit Apostolus: *gratia enim estis salvati per fidem*: & Tit. 3. 5. *secundum suam misericordiam salvos nos fecit*: altera vero salus est perfecta, eaque est Beatorum in Cœlis universæ spei nostræ finis, & objectum: quam qui possident, non sperant amplius, sed perfruuntur.

SPES AUTEM QUÆ VIDETUR, NON EST SPES.] Videre hoc in loco frui, & possidere significat. *Videre bona in terra viventium*, Psal. 26. 13. hoc est illa possidere: *videre voluptatem Domini* Psal. 24. 4. hoc est, eadem frui. *Videre mala* Psal. 89. 15. hoc est illis affici, ac dolere. Cum igitur aliquid hoc in sensu videtur, gustatur, percipitur, hæc non est altera spes, sed pos- C sessio.

℣. 25. SI AUTEM QUOD NON VIDEMUS, SPERAMUS.] Illud cupimus, atque ad illius possessionem toto pectore incumbimus. Cœli beatitudo spei nostræ objectum est; nondum illam possidemus; eamdem enixius adhuc salutamus; omnia patimur, ut eam promereamur, & assequamur: illa nobis in laboribus & cruciatibus nostris solatio est.

℣. 26. SIMILITER AUTEM, & SPIRITUS ADJUVAT.] Præterea [8] Spiritus Dei nostræ infirmitati opitulatur. Non futurorum bonorum spes dumtaxat in malis nostris nos recreat; verum etiam Spiritus Sanctus nos intrinsecus consolatur, atque in nobismetipsis efformat preces ac gemitus, quos semper exaudit Deus; eo quod illi semper jucundi sunt; quippe qui ex amo- D ris, atque sanctitatis fonte proficiscuntur. Hoc præcedentibus ita subnecti potest: Spiritus Sanctus testimonium perhibet, nos esse filios Dei, & a nobis eos elicit clamores: Pater mi, Pater mi. Denique ille in nostra infirmitate nos confirmat; & docet, quomodo orare oporteat, in penitiori corde nostro ipse preces efformans. Ille nos dubitantes confirmat, ignaros erudit, infirmos fulcit, in spiritualibus ægritudinibus sanat, in mœrore consolatur, atque auxilio est nobis, Crucem nostram ferentibus [9]: *adjuvat infirmitatem nostram* [10].

NAM QUID OREMUS SICUT OPORTET, NESCIMUS.] Spiritus Sanctus nos instruit, ut Deum oremus; docet, quæ nobis petenda sint, & quomodo petenda. Sæpe Deum rogamus, ut nobis illa permittat, quæ nobis E nocerent; temporalia bona petimus; vel flagitamus, ut ex mundi hujus malis nos eruat; idque enixius, quam spiritualia bona, & realium malorum liberationem petamus. In ipsis precibus nostris, earumque ratione peccamus, vel quod nobis lumen deest, vel quod incondita sunt desideria nostra, & quod nimio amore ea prosequimur, quæ minus essent amanda. Efficit ergo Spiritus Sanctus, ut hos defectus evitemus; in cordibus nostris preces effingit; ardentis pro veris bonis

1 Vide Grot. Var. Menoc. Tir. Est. Tolet. alios. 2 Vide Hier. in Habacuc. 3. Chrys. hic, Ambr. Ep. olim 21. & 22. nunc 24. 35. 3 Menasse Ben-Israel de Resurrect. l. 3. c. 6.

4 Vide Origen. l. 1. de Princip. c. 7. & 6. Ambros. Ep. olim 22. nunc 34. Theodor. &c.

5 Sedul. Aquinas, Cajet. Vers. Grot. Vide & Origen. hic.

6 Chrys. Theodor. Est. Tolet. Vide et Ambrosiast. August. l. 2. de Peccat. meritis c. 7. 8.

7 Psal. 76. 51. et 104. 36. 1. Cor. 15. 20. 23. Apoc. 14. 4.

8 Gr. ὡσαύτως æquivalet עוד itidem, præterea. 9 Vide Per. Est. Tolet. etc.

10 Ambros. *Adjuvat infirmitatem orationis nostræ*. Lat. *Adjuvat infirmitatis nostræ*.

nis vota nobis inspiret, nobisque detegit ea, quæ petere oporter.

Sed ipse Spiritus postulat pro nobis; vel intercedit pro nobis [1]; *gemitibus inenarrabilibus*, quos in nobis metipsis parit, tamquam mediator aliquis, qui operam suam apud Principem collocet pro clientibus suis, qui eorum petita informet, eosque erudit, quomodo preces suas debeant adferre. Ille non loquitur per seipsum, sed efficit, ut homines in precibus loquantur [2]. Gemitus, quos e nobis elicit, *inenarrabiles* vocantur, vel propter eorum vim, atque ardorem; vel quod omnes intrinseci sunt, neque exprimi valent.

℣. 27. QUI AUTEM SCRUTATUR CORDA.] Verbis non indiget, ut exaudiatur Deus; videt enim ejulatus, & gemitus, eosque voti damnat. Credunt Judæi, preces omnes submissa saltem voce, atque primoribus, ut ajunt, labiis esse proferendas [3]; & S. Paulus asserit, audire Deum nostra desideria, ac intueri sensus, quos in penitiori corde nostro peperit Spiritus Sanctus. Licet enixius præsens aliquod malum deprecemur, quemadmodum JESUS CHRISTUS Patrem suum orabat, ut Passionis calicem amoveret; videt Deus in justi anima perfectam voluntati suæ obedientiam, & Spiritus Sanctus interiori voce ait: fiat voluntas tua, non mea; ineffabili ratione clamet, da domine quidquid gloriæ tuæ magis prodesse, & conferre posse arbitraris. Ita sæpe exaudit Deus secretam hanc vocem a Spiritu Sancto efformatam, cum interim aures obstruit precibus, quibus non sine magno clamore extrinsecus illum fatigamus.

S. Johannes Chrysostomus hom. 14. in Rom. 8. per Spiritu clamante intelligit spiritum precum, qui donum est Spiritus Sancti, quod fidelibus communicat Deus, non secus, ac donum linguarum, & miraculorum. Qui hoc Spiritu repleti erant, pro omni populo preces effundebant, gravibusque gemitibus rogabant ea, quæ singulis e certo maxime conveniebant.

QUIA SECUNDUM DEUM POSTULAT PRO SANCTIS.] Quia nihil non justum, non optimum petit; ideo fieri non potest, ut voti minime damnetur. Sed, quemadmodum superius ait, interior oratio semper exauditur, at non semper ea, quæ ore profertur. Sanctorum preces omnes semper conditiones has vel expresse, vel tacite complectuntur; videlicet si placet voluntati tuæ, vel si sit gloria tua, & mea salute minime abhorret. Ita exauditur JESUS CHRISTUS, cum etiam a Deo minime exaudiri videtur ex. g. cum petit, ut passionis suæ calix amoveatur, ac Deum orat, ut crucifigentibus parcat; quoniam in æternis, atque immutabilibus decretis Dei, & illius passio, & Judæorum perniciem altio jam erant constitutæ, & quod nihil petebat, nisi cum omni erga divina hæc decreta subordinatione [4].

℣. 28. SCIMUS AUTEM QUONIAM DILIGENTIBUS DEUM.] Certo scimus & per revelationem, & per Sanctorum exempla, & per experientiam nostram omnia conferre saluti, felicitati, perfectioni eorum, qui diligunt Deum. Quæcumque illis extrinsecus accidunt, seu prospera sint, seu adversa, bona, æque ac mala hujus mundi, ipsorum etiam peccata, nonnumquam & aliena electis prosunt vel ad humilitatem, vel ad suæ infirmitatis cognitionem, vel ut exerceantur, vel ut major fervor, diligentior fidelitas, accuratior vigilantia in illis excitetur [5].

HIS, QUI SECUNDUM PROPOSITUM VOCATI SUNT SANCTI.] Fidelibus ex Dei decreto ad fidem evocatis, ac in baptismate regeneratis. Non omnes Christiani ad sanctitatem, & Cœli beatitudinem perveniunt: sed ad illam vocantur omnes, atque omnes inexcusabiles sunt, si eamdem non assequuntur. Numquam eos deserit Deus, ubi semel justificationis gratiam illis contulerit, nisi priores illi Deum dereliquerint [6]. Quæritur, quodnam sit hoc decretum: *secundum propositum*, ex quo homines ad fidem, & Cœli felicitatem vocantur. Græci Patres [7], ac recentiores Interpretes nonnulli [8] hoc intelligunt de hominis deliberata voluntate, qui cum vocatus sit, fideliter divinæ vocationi, atque interiori lumini, quo illustratur, respondet. Sed Latinorum Patrum [9], atque Interpretum [10] plerique explicant de decreto Dei, qui nos prædestinavit, atque per misericordiam suam prorsus gratuitam ad fidem evocavit. Apud Theologos omnes convenit, vocationem ad fidem, & JESU CHRISTI Religionem Dei donum esse mere gratuitum; ad quam sententiam probandam Ecclesia insigne sæpe præbuit indicium; licet in eam minime censuerit, eam proscribere, quæ asserit prædestinationem eamdem fieri ex meritorum prævisione. Cæterum multa est species veritatis, S. Paulum isthic de vocatione ad fidem loqui dumtaxat.

Græcus textus simpliciter habet [11], *qui vocati sunt*; & omittit *Sancti*, quæ vox neque in antiquis Græcis, Latinisque MSS. qui extant, invenitur, neque recipitur a S. Augustino, ab Authore, qui S. Ambrosii nomine circumfertur, a Primasio, a Sedulio, licet in eorum textum obrepserit; sed ex eorum explicationibus ab iisdem minime lectæ fuisse videntur. Fidei autem consonum est, nomen *Sancti* huc ex primo hujus epistolæ versiculo migrasse.

℣. 29. NAM QUOS PRÆSCIVIT.] Illos, quos præscivit, recepturos esse gratiam suam, eique fideliter cooperaturos [12], prædestinavit ad gloriam; vel potius eos, quos ex præscientia sua cognovit, quos mera clementia sua ex corruptionis massa, in qua universum genus humanum involutum erat, discrevit, ut inde illos per effectum misericordiæ suæ mere gratuitum erueret, illos prædestinavit, quin ullam meritorum eorumdem rationem haberet, ideoque decrevit, eos ad fidem, & mox ad gloriam vocare efficaci via, quam illis aperit, ut certissime, sed libere ad finem hunc pervenirent; ita ut vocatio, fides, gratia, fidelitas, bona opera, divinæ prædestinationis effectus sint, non causa. Hæc est S. Augustini [13] & eorum qui hunc secuti sunt [14], explicatio.

PRÆDESTINAVIT CONFORMES FIERI.] Hic finis est, quem sibi proponit Deus in electorum suorum prædestinatione; scilicet ut efformet imitatores obedientiæ, & fidelitatis JESU CHRISTI, qui se præbeant veros adoratores in Spiritu, & veritate, atque ut filios adoptivos sibi constituat juxta exemplar JESU CHRISTI, qui prædestinatorum caput est ac Princeps. Illos autem Filio suo conformes efficit, primum quidem in passionibus, ac virtutis exercitatione, mox vero in gloria, & Regni cœlestis possessione [15]: ita ut quemadmodum hominis terrestris imaginem gessimus, ita & cœlestis geramus [16]; si peccatum nos Adæ confor-
mes

1 Math. 10. 20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.*
2 Vide Perer. Erasm. Tolet. Grot. Est. alios. Vide August. ep. olim 121. nunc 130. c. 14. et l. 1. et 2. contra Maximum. 3 Vide Grot. ad vers. 26. 4 Hugo Victor. hic. Vide Est.
5 Vide Aug. de Corrept. et Grat. c. 9. *Usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum; quia humiliores redeunt, atque doctiores*. Vide et Bern. Serm. 2. in Psal. 90 Est. hic. 6 August. de Nat. et Grat. c. 26. Conc. Triden. sess. 6. c. 11.
7 Origen. Chrysost. Theodor. Oecumen. hic. Cyrill. Ambrosiast. Hieron. 8 Grot. Hamm.
9 Aug. plur. locis, ut lib. de Prædest. Sanct. et lib. 2. contra 2. Ep. Pelag. c. 10. et de Prædest. et Grat. c. 7. Primas. alii. 10 D. Thom. Cajet. Lyran. Est. etc. 11 Chrys. Theodor. Hier. Men.
12 Aug. de dono Persev. c. 14. n. 35. et Retract. l. 1. c. 23. et alibi sæpius. Lege Petav. Theologic. Dogm. t. 1. l. 9. c. 6. et seq. 13 Vide Perer. disput. 22. Est. Var. Erasm. alii plures.
14 Philip. 3. 10. Coloss. 3. 4. 1. Cor. 15. 49. 2. Tim. 2. 12.
15 1. Cor. 15. 49. 16 Coloss. 3. 4. 1. Joan. 3. 2. Vide D. Thom. Est. Tolet. alios hic.

mes efficit, gratia JESU CHRISTO nos conformes efficiat; & postquam consortes fuerimus humilitatis, & passionum ejus in hoc mundo, speremus etiam in altero, gloriæ ejusdem participes [1] futuros.

UT SIT IPSE PRIMOGENITUS IN MULTIS FRATRIBUS.] Dei Filius ab æterno genitus ex natura sua unigenitus est, & hoc in sensu primogenitus Patris, quatenus Deus; sed quatenus homo Deus primogenitus est prædestinatorum; omnes enim electi ad honorem Filiorum Dei perveniunt solum per adoptionem, quam illis ipsis promeruit; & illius prædestinatio mere gratuita, exemplar est prædestinationis omnium electorum; itaque eorum & electis ad utilitatem, & JESU CHRISTO cedat ad gloriam. Prædestinatorum multitudo, eorumque sanctum vivendi genus gloriam filii Dei adaugent: quoniam illi peramplum est, caput esse familiæ adeo frequentis, & sanctæ, quæ quo magis frequens est, atque perfecta, eo magis JESU CHRISTI magnitudo, atque sanctitas emicant. Hoc probat vim gratiæ illius, meritorum ejus fœcunditatem, sapientiæ, atque potentiæ magnitudinem.

℣. 30. QUOS AUTEM PRÆDESTINAVIT, HOS & VOCAVIT.] Concinna gradatione S. Paulus isthic enumerat præcipuos prædestinationis effectus. Primum Deus ad fidem evocat [2] eos, quos elegit; deinde illos justificat, illis gratiam, atque necessariam opem ad bonum cognoscendum, exercendumque concedit, ac tandem illis perseverantiæ donum impertit, eosque ad gloriam conducit: qua in re definit universa prædestinationis, adoptionis, & vocationis Sanctorum œconomia. Plurimi vocantur, plurimi per Baptisma in adoptionem filiorum Dei ingrediuntur; plurimi justificationis gratiam recipiunt, sed non omnes in bono perseverant, & ad gloriam perveniunt. Non desunt [3], qui eam vocationem, de qua hic sermo, de illa intelligant, qua ad passiones evocamur; verum quidem est, nos sæpe in Scripturis [4] admoneri, quod fideles ad Crucem gerendam, & JESUM CHRISTUM inter vitæ hujus dolores sequendum, vocantur. Verum hic effectus est vocationis ad fidem, & prædestinationis ad gloriam.

QUOS VOCAVIT, HOS & JUSTIFICAVIT.] Quos efficaciter vocavit, & qui divinam vocationem secuti sunt. Plurimi enim vocantur, at vocationi minime respondent: *vocavi, & renuistis* Prov. 1. 24. Illi ergo, qui divinæ vocationi obtemperaverunt, gratiam justificationis recipiunt per donum fidei, per dolorem peccatorum suorum, per Sacramentum Baptismi. Hæ primæ sunt gratiæ, quas Deus nobis impertit: hi primi sunt gradus, quibus in Ecclesiam, & in viam salutis ingredimur.

QUOS AUTEM JUSTIFICAVIT, ILLOS & GLORIFICAVIT.] Quicumque ad gloriam absoluto Dei decreto prædestinati sunt, facere non possunt, quin ad beatitudinem perveniant, ex quo justificationis, & perseverantiæ gratiam receperunt. Sed plurimi sunt in Ecclesia, qui cum justificationis gratiam receperint, ad gloriam usque minime perveniunt, quoniam ex defectu suo meruerunt, ut Deus ab ipsis recederet, eosque suæ infirmitati, & corruptioni derelinqueret. Hi quidem ad gratiam quidem, & vocationem prædestinati sunt, licet efficaciter ad gloriam non sint prædestinati [a].

℣. 31. QUID ERGO DICEMUS AD HÆC?] Postquam tot divinæ largitatis, & misericordiæ erga nos pignora accepimus: postquam nos vocavit, justificavit, spiritu suo replevit, atque certissimam futuræ gloriæ nostræ arrham præbuit, aliquid ne in hoc mundo nobis timendum est? numquid ærumnæ, afflictiones, mors ipsa nos deterrere debent? numquid Deus fidem minime præstabit, atque opus suum imperfectum relinquet? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* quandoquidem Deus se Patronum nostrum futurum spopondit, quis nos poterit superare? Possunt quidem Mundus, caro, Dæmon nos lacessere, & persequi; at nonnisi sibi metipsis funestas de nobis victorias referre possunt; si extrinsecus eorum conatibus cedimus, intrinsecus nos proteget Deus gratia sua, atque efficiet, ut ex nostra infirmitate nobis nostra lætitia, felicitas, & gloria oboriatur. Spoliabimur quidem, in carceres conjiciemur, sexcentis suppliciorum generibus afficiemur, at nemo nobis eripiet justitiam, innocentiam, pacem, charitatem, fidem, spem, & futuræ vitæ, quam prestolamur, felicitatem.

℣. 32. QUI ETIAM PROPRIO FILIO SUO NON PEPERCIT.] Poterat ne apertius, certiusque amoris sui erga nos argumentum præbere, quam pro nobis in mortem tradere Unigenitum suum? post hoc, quid nobis denegare potest? opponit JESUM CHRISTUM Unigenitum, proprium Dei Filium, Fidelibus, qui dumtaxat adoptivi sunt Filii. Dicit illum a Deo pro nobis omnibus traditum, neque pro fidelibus solum, verum etiam pro toto mundo [6]; quamquam non omnes redemptionis gratia præclara, ut decet, utantur, alii aliis quidem illam ex proprio defectu renuentibus, aliis vero occultis quidem rationibus, sed justissimis tamen, a Deo eadem orbatis [7]. Addit tandem, Deum nobis nullam, qua egemus, opem negaturum ad gloriam illius prosequendam, ad nostram sanctificationem, & ad eam gloriam assequendam, quam nobis destinat; nec patientiam in malis, fortitudinem in adversis, lumen in ambiguis, gratiam in defectionibus, dummodo hæc a nobis, quemadmodum oportet, petantur, unquam defutura.

℣. 33. QUIS ACCUSABIT ADVERSUS ELECTOS DEI?] Huic versiculo, & sequentibus juxta variam eorumdam lectionem triplex sensus tribuitur: primo; *quis accusabit electos Dei? Deus illos justificat. Quis illos damnabit? JESUS CHRISTUS pro illis mortuus est, eorumque peccata expiavit* [8]. Secundo; *quis accusabit electos Dei? nemo: quoniam Deus ipse illos justificat. Quis illos damnare audebit? nemo: quoniam JESUS CHRISTUS pro illis mortem appetiit* [9]. Tertio; *quis accusabit electos Dei? numquid Deus? hic illos justificat. Quis illos damnabit? numquid Filius? hic pro illis mortem passus est*. S. Paulus hic verba facit de Sanctis prædestinatis ad gloriam, quos Deus per misericordiam suam ad Cœli felicitatem adducit [10]. Quis illos damnare audebit, vel etiam accusare, si Deus illos salvos facere vult? Deus illos proculdubio salvos non efficiet, nisi meriti fuerint; sed efficaces illis conferet gratias, quibus se dignos illius favore, ac præmiis efficiant. JESUS CHRISTUS eos justificabit, eisque perseverantiæ gratiam concedet, atque sua dona coronabit, illorum merita in Cœlo coronans.

℣. 34. QUI ETIAM INTERPELLAT PRO NOBIS.] Illis salutem nostram commendat non humili modo, & supplicis forma, ut olim, dum viveret in terris: verumtamen sedens ad dexteram Patris, eique potentia, & gloria secundum divinitatem æqualis, eidem ostensabit corpus, quod pro nobis assumpsit, vulnera, quæ passus est, eique significabit ea ratione, quam maximo suam magnitudinem, atque infinitam majestatem ducat, suum nostræ salutis, atque glorificationis desiderium [11].

℣. 35. QUIS ERGO NOS SEPARABIT A CHARITATE CHRI-

1 August. Oper. Imperf. contra Julian. l. [illegible] c. 38. & in Joan. Tract. 74. & 82.
2 Tolet. Est. Erasm. Par. alii. [illegible] 3 Grot. Hammond.
4 1. Petri 2. 20. 21. 1. Thessal. 3. 3. Matth. 10. 38. & 16. 22. 5 Tolet. Vatab. Est. Peter. hic disput. 25. August. passim. 6 Joan. 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro peccatis nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* 2. Cor. 5. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus.*
7 August. de div. quæst. ad Simplic. l. 1. q. 2. n. 16. 17.
8 Origen. Lyran. Grot. Erasm. Tirin. &c. 9 Aug. l. 3. de Doctr. Christ. c. 3.
10 Tolet. Est. Menoch. alii. 11 Chrys. Rupert. Ambros. Tolet. Est. Menoch. &c. Vide Hebr. 4. 14. ea 7. 25.

CHRISTI [1].] Post ea, quæ JESUS CHRISTUS pro nobis fecit, quis divellere nos poterit ab ea charitate, qua in illi debemus, quæ tormenta, quæ calamitates dimovere nos poterunt ab illo, qui tantopere nos dilexit [2]? Aliter; quis ergo nobis eripere potest eam charitatem, qua a JESU CHRISTO diligimur? quis inutiles efficere poterit effectus amoris, atque suæ erga nos prædilectionis. Si Deus nos salvos efficere vult, quis illum prohibere poterit? Posterior hic sensus ad litteram magis accedit, atque melius cum iis, quæ præcedunt, & subsequuntur, cohæret [3]. Non persecutiones, non adversa, non fames, non nuditas, non ferrum, non gravissima quæque pericula efficient, ut ea deseramus, quæ Deo debemus; & nihil horum inhibere poterit divinæ erga nos largitatis effectus. Licet omnia adversentur, in nobis salutis nostræ, atque prædestinationis opus perficiet.

℣. 36. SICUT SCRIPTUM EST: PROPTER TE &c.] Sanctus Paulus isthic citat Psalmum quadragesimum tertium, & ea, quæ Psalmista inquit de malis, quibus Judæi Babylone captivi erant obnoxii, ad illa transfert, quæ primi Christiani, cum a Judæis, tum ab Ethnicis patiebantur. In Apostolo plures occurrunt hujusmodi citationes, quæ potius simplices sunt allusiones, vel locorum Scripturæ ad suas res, quas agebat, applicationes, & quorum quidam potius ad ornandum, quam ad probandum inserviunt. Hæc erat Hebræorum consuetudo, hæc & Patrum Ecclesiæ, qui amarunt pro virili biblicas stylo suo locutiones inserere, ut eidam quamdam elegantiam, atque majestatem conciliarent. Hæ quippe in Ecclesiastico stylo semper assulgent; ubi ad Scripturæ locos allusio singularem obtinet venustatem.

℣. 37. SED IN OMNIBUS SUPERAMUS PROPTER EUM, QUI DILEXIT NOS.] Græcus [4] vertendus esset, *per eum*, non *propter eum*, qui dilexit nos [5]. Per opem, qua a Deo fulcimur, & per JESU CHRISTI gratiam, qui nos eousque dilexit, ut pro nobis se se morti traderet, victoriam de persecutionibus, afflictionibus, atque suppliciis reportamus, ac per eamdem Apostoli, Martyres non patiantur, ac libere solum, verum etiam libenter, atque hilariter morti [6] occurrerunt.

℣. 38. CERTUS SUM.] Pro certo habeo [7], Deum minime permissurum, ut ab illius amore divellamur; non sinet vel morte, vel vita, vel terrenis rebus nos deterrari, quo minus illum amemus, colamus, atque famulemur. Denique in illius auxilio confido, me de omnibus inimicis meis victoriam relaturum, atque felici eventu eum, quem mihi propono, finem assecuturum. Aliter: credo, & ea fide ardeo, quæ omnem prorsus dubitationem excludit [8], Deum non permissurum, ut prædestinationis decretum, quod pro electis suis proposuit, effectu careat, quæcumque accidant in terris. Cum S. Paulus ex revelatione plum didicisset, se ex prædestinatorum numero esse, de semetipso in eorum persona verba facit.

NEQUE MORS, NEQUE VITA.] Neque mortis metus, neque vitæ amor, neque periculi timor, neque voluptatis illecebræ, denique, ut verbo me expediam, nihil nos separare poterit ab ea charitate, qua Deum complecti tenemur.

NEQUE ANGELI.] Licet per *adynaton* bonus Angelus, vel Angelus lucis mihi persuadere vellet, ut a Deo recederem [9]; & licet omnes dæmones in me, quidquid altus, nequitiæ, furoris, exercerent; nunquam illis a voto cederet, ut me a Dei mei charitate sejungeret [10].

NEQUE PRINCIPATUS, NEQUE VIRTUTES.] Hi sunt diversi Angelorum chori [11], vel juxta nonnullorum sententiam, sunt Angeli nequam [12], inter quos Scriptura [13] eosdem potestatis, atque subordinationis gradus notat, quos apud Angelos bonos [14]. Alii vero [15] hoc intelligunt de secularibus Potestatibus, Imperiis, Principibus, Magistratibus. Nihil horum a nostro erga Deum officio nos deterrebit.

NEQUE INSTANTIA, NEQUE FUTURA.] Neque mala præsentia, quæ patimur, neque futura, quæ nobis impendent. Apostoli, atque fideles quodvis sibi calamitatum genus expectare debebant, ubi vidissent, quomodo erga illos universus terrarum orbis esset affectus.

℣. 39. NEQUE ALTITUDO, NEQUE PROFUNDUM.] Neque prospera, neque adversa [16], neque honores, neque dejectiones [17]: vel nobis promittatur, quidquid in terris maxime nitidum, atque ad homines capiendos aptum invenitur; vel nobis, quidquid tristissimum, atque gravissimum est, intentetur; nihil nos deterrebit, non aëris pericula, non maris, non fulmina, non procellæ, non naufragia [18] nobis afferent interitum. Pro nobis stat Deus; ille nos ex omnibus periculis eruet, vel hæc in gloriam suam, ac nostram convertet utilitatem.

POTERIT NOS SEPARARE A CHARITATE DEI.] Vel qua JESUM CHRISTUM Dominum nostrum diligimus; vel qua nos diligit Deus [19]: & quam JESUS CHRISTUS Dominus noster nobis promeruit, nos Patri per mortem suam reconcilians, nobis adoptionis, vocationis, & justificationis, ac tandem glorificationis gratiam procurans, quam a Patris misericordia expectamus. Ex his omnibus, quæ dicta sunt, infertur, electorum neminem perire posse, atque determinatam, absolutam, & efficacem Dei voluntatem, quæ prædestinatos omnes salvos facere cupit, effectu suo carere non posse. Hinc vero ea oritur difficultas, quam sequentibus capitibus explicandam assumit Apostolus.

1 Quædam Exemplaria legunt *Dei* pro *Christi*.
2 Origen. Chrysostom. Ambrosiast. hic.
3 Tolet. Est. Cajet. Paræ. &c. August. sæpissime.
4 Græc. *Per eum, qui dilexit nos*. Et ita legunt August. Prosper, Syr. & Græci PP.
5 Ambrosiast. Tertull. Cyprian. alii.
6 Chrys. Tolet. Est. Grot. Men. &c.
7 Chrys. Theoph. alii Græci PP.
8 Aug. in propos. 58. Tolet. & Latini plerique.
9 Galat. 1. 8. Vide Chrys. Hier. Anselm. Tolet.
10 Grot. Tolet. Est. Pisc.
11 Men. Pisc.
12 Est. Grot.
13 Ephes. 5. 12. 1. Cor. 15. 24.
14 Ephes. 1. 21. Coloss. 1. 16.
15 Paræ. Vat. Bez.
16 Oecum. Men. Tolet.
17 Grot. Est.
18 Vat. Paræ.
19 Supra vers. 35. Tolet. Perer. Est. Paræ. Men.

CAPUT IX.

Quorumdam Judæorum lapsus nequaquam irritas efficit Dei promissiones, quæ in Israel secundum Spiritum adimplentur. Deus per misericordiam suam prædestinat, vel per justitiam reprobat, quos vult. Ex mera illius largitate Gentiles electi sunt, & vocati; per justitiam ejusdem Judæi rejecti.

1. VEritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto; 2 Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. 3 Optabam enim ego ipse anathema esse a

Christo

Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, 4 Qui sunt
Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio,
& obsequium, & promissa: 5 Quorum patres, & ex quibus est Christus secun-
dum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. 6 Non au-
tem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt
Israelitæ: 7 Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocabitur ti-
bi semen: 8 Id est, non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promis-
sionis, æstimantur in semine. 9 Promissionis enim verbum hoc est: Secundum hoc
tempus veniam, & erit Saræ filius. 10 Non solum autem illa: sed & Rebecca
ex uno concubitu habens, Isaac patris nostri. 11 Cum enim nondum nati fuis-
sent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei
maneret) 12 Non ex operibus: sed ex vocante dictum est ei: 13 Quia major
serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. 14
Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. 15 Moysi enim di-
cit: Miserebor, cujus misereor: & misericordiam præstabo, cujus miserebor. 16
Igitur non volentis, neque currentis: sed miserentis est Dei. 17 Dicit enim Scri-
ptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam,
& ut annuntietur nomen meum in universa terra. 18 Ergo cujus vult, miseretur,
& quem vult, indurat. 19 Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur? voluntati
enim ejus quis resistit? 20 O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Num-
quid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? 21 An non habet
potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud
vero in contumeliam? 22 Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere
potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, 23 Ut
ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.
24 Quos & vocavit non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus, 25 Sicut in
Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam:
& non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. 26 Et erit: In loco,
ubi dictum est eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi. 27 Isaias
autem clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris,
reliquiæ salvæ fient. 28 Verbum enim consummans, & abbrevians in æquitate:
quia verbum breviatum faciet Dominus super terram: 29 Et sicut prædixit Isaias:
Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut
Gomorrha similes fuissemus. 30 Quid ergo dicemus? Quod gentes, quæ non se-
ctabantur justitiam, apprehenderunt justitiam: justitiam autem, quæ ex fide est.
31 Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. 32 Quare?
Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis,
33 Sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali:
& omnis, qui credit in eum, non confundetur.

℣. 1. VERITATEM DICO.] Cum superiori capite jam ostenderit, nihil posse prædestinationis, & consiliorum Dei erga electos ejus effectus inhibere, hoc in loco occupat S. Paulus id, quod sibi objici posse videbat de Judæis, qui a Deo electi, ut essent populus illius, cum jam amplissimas quaslibet promissiones recepissent, attamen a Deo fuerant derelicti, atque cordis sui traditi obdurationi: cum interim Gentiles populi nulla meritorum ratione commendati ad fidem evocabantur, atque cœlestibus favoribus cumulabantur. Ex his omnibus inferendum videbatur, Dei promissiones nequaquam esse immutabiles, & ejusdem electionem ex Creaturæ defectu inanem, atque irritam fieri posse. Huic objectioni in hoc, & duobus sequentibus capitibus S. Paulus respondet, ubi Prædestinationis, atque reprobationis explicat mysterium.

Primum quidem Deum testem vocat sinceritatis sensuum suorum, atque amoris, quo Judæos fratres complectitur, de quibus, si quid duriusculum dicere cogitur, id nonnisi veritate coactum se proferre testatur; se illis insultare nolle, neque eorum vivendi rationem improbare; sed hoc unum quærere, ut Dei jura probet, atque certitudinem promissionum, æternorumque decretorum ejus ostendat; & quamvis Judæorum pars fuerit reprobata, tamen electionem Dei effectu suo non frustrari, quoniam in Israel Dei, in populo fidei, & obedientiæ Abraham, atque Israel imitatore, adimpletur.

Veritatem dico in Christo, non mentior. JESUM CHRISTUM testem vocat, in nomine illius [1] jurat, testimonium perhibet illius Divinitati. Si unquam jurare licet, hoc certe licuit in occasione, ubi Apostolus seipsum purgare debebat apud Judæos ab omni injusta suspicione, quam in ipsum conceperant, quasi leviter nimis cæremonias Legis reliquisset, earumdem abrogationem prædicans, & quasi nullo in discrimine habens populum suum, non sine fratrum suorum præjudicio enixius Gentilibus favens. Addit etiam conscientiæ suæ jusjurandum testatus, videlicet sinceritatem, atque testi-

1 Vatab. Tolet. Est. Men. Tir. Pare.

rectitudinem sensuum suorum, idque *in Spiritu Sancto.* Conscientia enim vel falli potest affectu, vel corrumpi scelere, vel decipi ignorantia: sed ubi Spiritus sanctus in illa inhabitans eamdem illustrat, regit, emundat, illa quidem neque errori obnoxia esse, neque falli, neque fallere potest.

℣. 2 QUONIAM TRISTITIA MIHI MAGNA EST.] Consideranti statum, ad quem populus meus redactus est, contra veritatis doctrinam rebellis; contra JESUM CHRISTUM, ejusque Apostolos insurgens; Evangelio oppositus, atque suæ traditus incredulitati.

℣. 3. OPTABAM EGO IPSE ANATHEMA ESSE A CHRISTO PRO FRATRIBUS MEIS.] Anathema isthic vel pro excommunicatione, & recisione, societate, communione, & precibus [1] Ecclesiæ, vel pro devotione, atque omnimodo excidio [2] usurpatur. Cum Urbs, vel Regio aliqua anathemati devovebatur, omnia ferro, aut igni absumebantur. Denique anathema significare potest æternam damnationem, separationem a JESU CHRISTO, & privationem effectuum promissionum ejus [3].

Nonnulla adest veritatis species, quod S. Paulus concupierit æternis damnari suppliciis, & JESU CHRISTI iram subire, ut Judæorum fratrum suorum salutem procuraret. Hujusmodi desiderium minime licet, & contra instituta sua ageret S. Paulus, qui nuper probavit, nihil efficere posse, ut Dei decreta, atque electorum prædestinatio in irritum cedant. Neque illud probabile est, voluisse Apostolum per excommunicationem ab Ecclesia divelli: hujusmodi enim separatio nonnisi lethalis peccati pœna esse potest; at hoc peccatum, hoc separatio maxima sunt, quæ homini ingruere mala possint, & numquam neque cupere, neque facere licet malum, ut inde bonum proveniat.

Potuit tamen S. Paulus propriæ vitæ, valetudinis, honorumque interitum petere, ita ut ad eum statum redigeretur, ad quem urbs, vel natio anathemati devota, ut si posset, temporali sua calamitate æternum fratrum suorum averteret interitum. Ita Moyses etiam Deum rogabat, ut ipsum de vitæ libro deleret, hoc est, de viventium numero eriperet, nisi populo suo parcere vellet [4]. S. Paulus hoc ipsum petit: id exercet, quod fecit JESUS CHRISTUS, & quod Apostolis, atque populi sui Pastoribus [5] præcepit, ut videlicet pro ovibus suis vitam ponerent [6].

Patres nonnulli [7] crediderunt, S. Paulum hic verba facere de eo tempore, quod suam conversionem præcessit. Testem invoco JESUM CHRISTUM, quod eo tempore, quo adhuc in Judæorum Religione versabar, & antequam Dominus oculos mihi aperiret, a Christianis haberi voluerim, velut anathema, atque horroris objectum, & ab illis gravissima quælibet nomina promereri propter eas persecutiones, quibus illos exagitabam. Nunc vero cum veritatem agnoscam, possumne citra dolorem intueri fratres meos procul a JESU CHRISTO abhorrentes, atque ab hujus Ecclesia sejunctus? Sed hæc explicatio plerisque recentiorum Interpretum minime arridet [8]: vetus enim S. Pauli rabies in Christianos concepta minime fallebat Judæos, eaque ne minimum quidem prodesse ad studium suum erga fratres probandum, de quo hic agebatur, & de quo acciderat quæstio. Poterat ille Christianorum olim hostis esse; impræsentiarum vero Judæorum amicus non esse.

℣. 4. QUORUM ADOPTIO EST FILIORUM.] Fuerunt Israelitæ adoptivi filii Dei in sensu prorsus alio ab eo, de quo S. Paulus superiori capite locutus est, de Christianis, & prædestinatis ad gloriam verba faciens. Hi quidem adoptionem, vocationem ad fidem, justifica-

A tionem, perseverantiam, & cælestem gloriam receperant; Judæi vero e contra ex nationibus electi fuerant, ut essent populus Domini. Hos Scriptura Exod. 4. 22. specioso nomine Domini Primogenitos vocat: *primogenitus meus Israel. Dimitte filium meum, ut serviat mihi*; sed culpa sua plerique de jure suo deciderunt. Deus, qui illos adoptaverat, eorum ingrati animi vitium, atque infidelitatem videns, plurimos illorum exheredavit, & sua domo ejecit, in quorum locum alium accersivit populum, e quo Ecclesia sua componeretur. Plerorumque Judæorum adoptio imperfecta tantummodo fuit; ea vero, qua Christiani ad gloriam prædestinati sunt, omnino perfecta est, atque completa.

ET GLORIA.] Dedit illis præsentiæ suæ gloriam,
B arcam suam [9], Templum, Legem, sacrificia, voluntatum suarum revelationes, promissiones, protectiones, & ut verbo me expediam, illos honore cumulavit, in populum suum eligens, atque a cæteris mundi hujus nationibus secernens.

ET TESTAMENTUM.] Dignatus est Deus fœdus percutere cum Israel, eique Legem suam in Monte Sinai erogare [10]. Græcus typis editus, multitudinis numero legit [11] *testamenta*, vel fœdera, quod innuit varia illa fœdera, quæ Deus cum progenie Abraham percussit. Primum quidem cum Patre Hebraicæ nationis, illi circumcisionem præcipiens [12], veluti fœderis ejusdem signaculum; mox vero solemniter illud ipsum in Sinai instauravit, quod & Josue in promissa terra iteravit [13], & sæpe deinceps, cum aliæ, & aliæ
C subinde occurrerent occasiones, fuit repetitum.

Patres complures [14], *fœderum* nomine, vetus, novumque testamentum intellexere. Duo videlicet fœdera, alterum ictum in Sinai, alterum Jerosolymæ percussum; prius illud taurorum sanguine confirmatum, alterum vero JESU CHRISTI signatum sanguine, & Spiritus Sancti descensu corroboratum. Verum minime videtur hic verus Apostoli sensus hoc in loco, ubi veteris populi prærogativas prærogativis novi ex adverso opponit, illas Synagogæ, illis, quibus fulget Ecclesia: quo in sensu novum fœdus minime ad Synagogam pertinebat, neque illius Judæi erant participes.

LEGISLATIO.] Deus illis eam gratiam concessit, quam præter illos nulli populo. Ipse illis Legem suam tradens, Legem scriptam, & explicitam voluntatum
D suarum revelationem, se ipsum caput, Regem, atque Legislatorem Israel professus est.

OBSEQUIUM.] cultus ejus, Religio, ceremoniæ, Deus ex omnibus populis elegit Israel, ut ibi veram Religionem statueret, ut ex illo veros sibi adoratores efficeret; cum interim nationes reliquas in corruptas vias suas abire [15] permitteret.

PROMISSA.] Quibus Deus Patriarchis spopondit futurum, ut illis Messiam liberatorem, & Salvatorem mitteret, illis Chananæitidem possidendam traderet, eos benedictionibus cumularet, atque protegeret. Has promissiones effectus semper subsecuti sunt, cum per infidelitatem suam Hebræi obicem illis minime statuerunt.

℣. 5. QUORUM PATRES.] Hæc in præcipuis est He-
E bræorum prærogativis, quod majores suos jactitent Abraham, Isaac, Jacob, & Joseph. Summorum horum virorum exempla, merita, & preces nationi illi maxime profuerunt, amplissimum eidem premium, atque longissimam benedictionum affluentiam procurarunt. In Scripturis, Deus sæpe testatur, se in gratiam Abraho, & Jacob populo suo vel parcere, vel aliqua dona conferre.

Ex

1 Chrysost. Theophylact. Oecum. Grot. Hamm. Lud. de Dieu, alii non pauci.
2 Hieronym. ad Algasiam quæ. 9. & in Comment. in Zachar. 14. Peter. hic. Vide Num. 21. 2. Deut. 7. 26. Josue 6. 17. Zach. 14. 11.
3 Hugo, Victor, Var. Tolet. Paræ. Pisc. Est. Gomar. alii.
4 Tolet. Est. S. Chrys. tamen l. 4. de Sacerdotio, putat, illum optasse damnari pro fratribus suis.
5 Exod. 32. 32.
6 Joan. 10. 2. & 20. 15.
7 Ambrosiast. Hieron. Anselm. hic, Cajet.
8 Peter. Dispot. 3. Est. Paræ. hic.
9 Vide 1. Reg. 4. 21. 22. psalm. 25. 8. & 62. 2. Vide Grot. Tolet. Drus. alios.
10 Exod. 24.
11 Et ita Hier. Aug. Ambr. Cod. S. Germani G. L.
12 Gen. 17. 10.
13 Josue 24. 25.
14 Chrys. Ambrost. Anselm. hic: Ita & Hieron. ad Algas. q. 9. et alii quidam.
15 Act. 14. 15.

Ex quibus est Christus secundum carnem.] Temporalis Messiæ nativitas ex Judæorum sobole adeo præstat, ut nihil præclarius ea natio valeat ostentare, qua præ reliquis populis maxime commendetur. Hanc prærogativam nemo Judæis in dubium revocare potuit. Parum esset, si Messias hic Rex simplex esset, vel ac nobilis, sapiens Legislator; sed Christus *est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Messiæ divinitas palam eo hoc loco probatur.

Erasmus, & Grotius voluerunt, (qua vero mente non satis assequor,) postrema hæc verba, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, de æterno Patre, & non de Filio explicare; & quasdam rationes afferunt, ut in dubium revocent, utrum *Dei* nomen in vetustissimis S. Pauli exemplaribus adfuerit. Erasmus ait, nomen hoc a SS. Cypriano l. 2. ad Quirin. §. 6. & Hilario in Psal. 122. in textu suo minime lectum fuisse, & Grotius hoc ipsum de Syriaca versione contendit. S. Johannes Chrysostomus in Commentariis suis in hunc locum minime urget in hoc *Dei* nomine, quod profecto non omisisset, si illud in Græcis exemplaribus nactus fuisset. Alii nonnulli, qui textum immutent, punctum statuunt post *carnem*, & novum sensum ordiuntur ex his vocibus, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, hæc non ad Jesum Christum, sed ad Patrem referentes.

Sed omnia Græca, & Latina, antiqua, & nova S. Pauli exemplaria [1] simpliciter legunt, qui est Deus benedictus &c. Syriaca versio, Arabica, Cophta, Armenia hoc ipsum legunt. Verum est, quasdam S. Cypriani editiones in allato loco omittere nomen Dei; sed aliæ Editiones castigatiores, atque melioris notæ MSS. legunt, ut est in Vulgata, & alio etiam in loco idem S. Martyr dupliciter hunc locum ad Jesu Christi divinitatem probandam usurpat. Hoc S. etiam Hilarius [2] usus est, & ex sermonis illius decursu videtur, non aliter a nobis legisse. Sanctus quidem Chrysostomus hoc in loco minime usus est argumento, quod inde elicere poterat, ut Jesum Christum Deum esse probaret, ut hoc ille certe, uti nos, in pluribus operum suorum locis legit [3].

Denique omnes Græci Patres, atque Latini, tum qui ante Arii sæculum vixerunt; tum qui post illum secuti sunt [4], nullam hoc in textu diffidentium præsetulerunt, omnes constanter, uti nos, legerunt, eoque loco ad Jesu Christi divinitatem confirmandum usi sunt. Neque hunc illis negarunt hæretici; fatendum ergo est non solum textus integritas, verum etiam doctrinæ hujus veritas, quæ explicitu magis, quam in hoc S. Pauli loco, memorari non potest.

℣. 6. Non autem, quod exciderit Verbum Dei.] Quod de Judæorum prærogativis hactenus dixi, perinde quasi illæ eo hic omnibus excidisse viderentur, minime probat, promissiones Dei irritas fuisse, quemadmodum inferri posse videretur ex meo sermone; everterent quidquid superioribus capitibus retuli. Teneo, Dei promissiones ad unguem fuisse adimpletas, sed in alio populo, non in eo, qui secundum carnem ex Abraham originem duxit [5].

Græcus verti potest: *Impossibile est, Verbum Dei sine effectu permanere*. Licet ea, quæ retuli, adversa ei videantur, Dei verbum mentiri non potest. Judæorum obduratio, atque infidelitas, quin Domini promissiones evertant, illas imo magis magisque confirmabunt. Ea omnia, quæ prædicta fuerunt, oportet adimpleri, non autem eo modo, quo Judæi ea visuros sperabant.

Non enim omnes, qui ex Israel:] Esse vere Israelitam, ex S. Pauli sententia, est esse fidei, obedientiæ, pietatis Patriarchæ Jacob imitatorem. At constat, eos omnes, qui secundum carnem ex Israel descendunt, virtutis ejus imitatores non esse: sequitur ergo, neque esse veros Israelitas; & si promissiones factæ fuerunt, dumtaxat in gratiam Israelitarum eo in sensu, quo attulimus, plerosque Judæos earum participes esse non debere, ideoque eorumdem reprobationem veritati Verbi Dei ne minimum quidem officere.

℣. 7. Neque qui semen sunt Abrahæ.] Græcus [6]: *quod sunt ex semine Abraham, non ideo sunt omnes filii*, veri illius heredes; ad illos non pertinent promissiones, sed ad Isaac, *in quo vocabitur tibi semen*, qui filius tuus appellabitur. Non Ismael, non Cethuræ filii in filiorum Abraham numero recensentur. Deus enim illos non elegit, ut ex ipsis populum sibi efformaret; sed elegit Isaac, qui est filius promissionum, & objectum, in quo sibi complacet Deus; & eos omnes, qui ut illæ, pietatem, obedientiam, ac fidem Abraham imitabuntur. Judæi carnales frustra se filios Abrahæ gloriantur, cum a summi illius viri virtute se se degeneres præbeant. Aliud est semen Abrahæ, quod in eorum locum subibit; Ethnici videlicet ad fidem conversi. Pertinaces Judæi in Ismaele exhibentur, qui licet ex Abraham natus secundum carnem tamen rejicitur.

℣. 8. Non qui carnis, hi filii Dei.] Qui ex Abraham originem secundum carnem hauserunt, non ideo sunt filii Dei, a Deo dilecti. Carnalis nativitas ex Abrahæ semine deducta minime certum tribuit jus ad fidei hæreditatem, & adipiscendæ gratiam. Ex Gentilibus æque, ac ex Hebræis veros sibi Deus eligit adoratores, fideles filios, sedulos fidei Abraham imitatores [7].

℣. 9. Promissionis verbum hoc est.] Ut probentur veri Abrahæ filii esse filii correptionis, Scriptura dumtaxat aures præbenda sunt [8]. *Veniam ad te tempore isto vita comite, & habebit filium Sara uxor tua*. Filius promissus est Isaac, verus filius promissionis Dei, & fidei Abraham, non est ergo filius carnis; quoniam Israel etiam secundum carnem Abrahæ erat filius precibus Abrahæ concessus, filius gratiæ, & misericordiæ Domini. At omnes fideles ex quocumque sint semine, & ex quacumque regione hoc consensu sunt filii Abrahæ per gratuitam Dei electionem, atque per fidelitatem, qua Abraham Patrem suum imitantur.

℣. 10. Non solum autem illa, sed & Rebecca.] Quod hactenus de nativitate Isaac, atque Ismael dictum est, adimpletur etiam in nativitate Jacob, & Esau. Neque enim corporali nativitati adjecit Deus promissiones suas, ut pignora benevolentiæ suæ, verum suæ prædilectioni, & misericordiæ, non sine illius cooperatione, & fidelitate, cui has promissiones effecit Deus, atque suas gratias est elargitus. Dei promissiones, atque electio quodvis hominum meritum præcedit, sed illius promissiones nonnisi cum nostra cooperatione adimplentur. A nobis enim exigunt, ne obicem statuamus, ut omnem effectum suum parere valeant.

Ex uno concubitu [9] habens Isaac Patris nostri.] Exemplum Isaac, & Ismael, qui ex duplici Matre, quorum meritum, & conditio longe erat dispar, geniti erant, fidem adstruere potuisset, Matrum eorumdem qualitatem nonnihil profuisse, ut ulterius quidem filius eligeretur, ulterius vero reprobaretur. Prævertit S. Paulus hanc objectionem, atque affert exem-

[1] Vide Mill. in nov. Testam. hic. [2] In nova editione num. 7. legit: *qui est super omnia Deus*, & Editor super hoc nullam lectionum varietatem notat.

[3] Chrysostom. homil. 4. in Matt. & in. 23. edita a Coteler. t. 3. Monum. hom. 55. in Joan. hom. 29. in Rom. homil. 116. t. 5. & tract. de Trinit. t. 6. hom. 20. in epist. ad Corinth. & hom. 3. & 5. contra Anomæos.

[4] Iren. lib. 3. cap. 18. Tertull. contra Praxeam. Novatian. de Trinit. §. 13. 13. Origen. hic, PP. Synod. t. Antioch. epist. ad Paul. Samos. Dionys. Alex. epist. ad eumd. Athanas. ad Epictet. & Orat. 2. et 5. contra Arianos, et Hilar. l. 4. et 8. de Trin. alii. Vide Mill. hic.

[5] Vide Est. Menoch. Vatab. [6] Ita Tolet. Pagn. Grot. Putæ Bez. Mont.

[7] Vide Est. Tolet. Grot. [8] Genes. 18. 10. [9] Græc. *Ex uno concubitum habens*: vel, *ex uno viro genituram*. Putat Estius, in Vulgata positum fuisse *concubitum* pro *concubitu*.

exemplum duorum fratrum gemellorum ex eodem Patre, eademque matre genitorum, & eodem tempore in lucem editorum, quorum tamen alter electus fuit, alter reprobatus. Non ergo parentum merita, vel demerita; non conceptionis, vel nativitatis tempus, atque circumstantiæ; non bene, vel male facta præcedentia alteri quidem prædestinationis gratiam, alteri vero infelicissimæ reprobationis procuravit calamitatem [1]. Nam quemadmodum seq. ℣. Apostolus inquit: *cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali*, jam alterius electionis, alterius vero improbationis decretum emanaverat.

℣. 11. UT SECUNDUM ELECTIONEM PROPOSITUM DEI MANERET.] Jacob, & Esau ita geniti fuerunt ac destinati, alter quidem ad dominandum, alter vero ad serviendum, ut in eorum persona apertissimum certitudinis decretorum Dei nobis præberetur exemplum. Hoc enim præcipuum est S. Pauli in his omnibus argumentum. Quemadmodum libera, & gratuita electio, qua Deus Esau reprobato assumpsit Jacob, constans fuit, atque deinceps adimpleta est [2]; ita omnia illius decreta, omnesque absolutæ illius promissiones certissime adimplentur, quin aliquid illas in irritum projicere valeat.

Verum quodnam est objectum decretorum, de quibus hoc in loco verba facere vult S. Paulus, & quorum occasione nobis Jacobi, atque Esau exempla proponit? hac in re Patres, & Catholici Doctores dissentientes abeunt in diversa. Tenent alii, S. Paulum hic loqui dumtaxat de Prædestinatione ad gratiam, & de vocatione ad fidem; vel si de Prædestinatione ad gloriam verba facit, hæc obiter tantum fieri, & quatenus prædestinatio ad gratiam, tamquam ad finem suum, ad gloriam refertur. Alii vero contendunt, isthic directe de absolutis Dei decretis, & de Prædestinatione ad gloriam, sermonem haberi. Priores illi asserunt, cum ex mera misericordia sua, Deus Gentiles ad gratiam destinasset, eosque ad fidem accersere decrevisset, nihil prohibere potuisse, quominus hoc decretum adimpleretur. Putant alii, cum Deus electos absolute ad Cœli felicitatem prædestinaverit, efficax illius decretum antiquari minime posse, neque effectu suo viduari, sicut enim Salvator ipse loquitur, Joan. 18. 8. *quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*.

In hoc vero omnes consentiunt, decretum, de quo isthic agitur, mere esse gratuitum; neque apertius id S. Paulus poterat significare ℣. 12. *non ex operibus sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori*. Consentiunt etiam, vocationem ad fidem, & prædestinationem ad gratiam merum esse divinæ misericordiæ effectum [3]; alioquin enim gratia non esset gratia.

Omnis ergo difficultas ex eo pendet, utrum isthic S. Paulus de Prædestinatione ad gloriam loqui voluerit: quod si verum est, fatendum erit, hanc prædestinationem esse mere gratuitam, quemadmodum docuit S. Augustinus: an locutus simpliciter fuerit de vocatione ad gratiam, quo in casu hoc loco minime quidem uti posses ad directe probandum dogma de gratuita prædestinatione ad gloriam secundum S. Augustini doctrinam; verum nihil etiam contra ejusdem sententiam hanc posses eruere. At non hic locus est hujus rei funditus disentiendæ, quæ fusiorem sane tractatum exquireret. Illud vero certum est, S. Paulum isthic de electione prorsus gratuita, sive ad gratiam, & fidem; sive ad gloriam, æternamque salutem; sive ad utramque simul verba facere voluisse.

℣. 12. NON EX OPERIBUS.] Rebeccæ dixit Deus, antequam illos filios geminos eniteretur futurum, ut alter alteri serviret [4], major minori, Esau Jacob. Hæc vero promissio, neque præmium esse poterat meriti alterius, neque pœna alterius nequitiæ. Nihil aliud ergo erat, nisi merus effectus voluntatis, atque electionis Dei, Jacob minori, Esau majori præferre cupientis. Si dixeris, Deum prænovisse bona Jacob opera, illius obedientiam, atque fidelitatem, S. Pauli argumentum jam vires suas amittet; neque inde inferri poterit, Deum, quorum vult, misereri, & hoc minime pendere, vel ex volente, vel ex currente, sed ex uno Deo, quemadmodum Cardinalis Toletus [5], aliique plures post S. Augustinum [6] animadvertunt.

℣. 13. SICUT SCRIPTUM EST: JACOB DILEXI, ESAU AUTEM ODIO HABUI.] Jacob Israelitarum Pater, & Esau Pater Idumæorum figura sunt electorum, atque reproborum. Sensibiles gratuitæ electionis Jacob effectus sunt illius imperium in Esau; sobolis ejusdem magnitudo ac dignitas; terræ illius ubertas & copia; ejusdem prærogativæ ad Religionem, & promissiones Messiæ ex illius semine nascituri. Hæc omnia aperta erant, & aliud innuebant, videlicet prædestinationem Jacob ad gloriam, ac præterea electorum vocationem ad fidem, eorumque Prædestinationem ad æternam felicitatem. Non secus ac in tempore Jacob, vel posteri illius gavisi sunt iis omnibus, quæ sibi fuerant promissa, ante etiam quam ille nasceretur, ita fides, gratia, justificatio, & gloria electis dumtaxat destinata sunt, sive Judæi sint, sive Ethnici non ob præcedentia alicujus merita, sed ex mere gratuito divinæ misericordiæ effectu. Jacob ante nativitatem a Deo dilectus figura est Gentilium ad Christianam Religionem, æternamque beatitudinem evocatorum, antequam ad eas promerendas aliquid adniti potuerint: Esau vero odio habitus, hoc est minori amore, ac minoribus privilegiis [7], quam Jacob frater suus a Deo donatus, licet illo nihilo esset nocentior, figura est reproborum [8] cum eorum, qui velut Judæi ex proprio delectu oculos veritati obstruxerunt, tum eorum, qui ex justo, verum secreto, atque imperscrutabili judicio Dei in corruptionis massa relicti, atque a beatitudine exclusi fuerunt.

Inde inferri minime potest, Esau vere fuisse reprobatum quoad beatam æternitatem, neque reprobos certissime damnatos esse, quidquid faciant. Oseæ locus præsertim respicit temporalem, atque perfunctoriam submissionem posterorum Esau posteris Jacob, atque jacturam juris primogeniti, quod ex Esau in Jacob translatum est. Non abhorret a veritatis specie, Esau ad mortem usque in Religione vera perseverasse, & beatitudinis Sanctorum fuisse participem: potuit enim esse reproborum figura, quin ipse reprobus esset.

Quod ad reprobos spectat, omni caret dubitatione, adultos omnes qui damnantur, libere sponte & ex mero ipsorum defectu damnari. Illi semper in infidelitate, atque errore suo sunt inexcusabiles; ac semper verum est, illos, si vellent, salvos fieri posse, ac Deum, qui omnium hominum salutem desiderat, illis aptas præparasse vias, quibus uti si vellent, ad salutem possent pervenire. Verum si Deus illos gratia sua, quæ efficaciter eorum voluntatem ad bonum impellat, nequaquam prævertit, injusta prorsus est eorum querela. Illis injurius non est; neque enim in ipsis gratiæ suæ privationem, neque involuntariam inscitiam, sed eorum nequitiam, voluntariam ignorantiam, eorumque peccata persequitur [9].

℣. 14. QUID ERGO DICEMUS? NUMQUID INIQUITAS APUD DEUM.] Nonne apertissima est injustitia, ratione adeo dispari duos fratres nondum natos, & qui nondum vel mereri, vel demereri potuerunt, prosequi? Profecto gravissima censeretur iniquitas, si Judex ex. g. cum duos haberet reos, vel æque justos, vel æque

[1] Vide Tolet. Menoch. Est. Grot. et apud eum Pallun. de Allegoriis.
[2] Chrysostom. Ambrosiast. Augustin. Tolet. Est.   [3] Rom. 11. 6.
[4] Gen. 25. 23.   [5] Tolet. hic Annot. 12. 19.   [6] Aug. ep. olim 105. nunc 194. ad Sixtum, & ep. olim 106. nunc 186. ad Paulinum, & ep. olim 157. nunc 190. ad Optat. Alibi sæpius, ac Retract. l. 1. c. 23.
[7] Est. Men. Grot.   [8] Aug. pluribus locis, D. Thom. hic, Perer. Disp. 12. Est. hic. Petrus Lombar. l. 1. Sent. distinct. 41. & in hunc locum, Cajet. Lyran. hic, alii.
[9] Vide Aug. l. 3. de lib. arb. c. 19. *Recte enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret &c.* Vide etiam eumdem Patrem Tract. 89. in Joan.

quæ noxios, alterum quidem salutari littera recrearet, A alteri vero nigrum theta oppingeret. Hic tamen res aliter omnino se se habet: gratia, & misericordia Dei dona sunt mere gratuita, quæ nemini debentur. Si Deus eligit Jacob, non eligit Esau; nullam infert Esau injuriam, quod præferri minime meretur. Quod vero ad reprobationem pertinet, nequaquam iniquus est Deus, hoc supposito, quod omnes homines Adæ damnatio comprehenderit, atque omnes in eadem corruptionis massa [1] fuerint involuti. Citra injustitiam potest Deus, alios quidem illic relinquere, alios vero illinc eruere; hic justificari, illis non item. Hoc ostendit Apostolus sequentibus versiculis, & idipsum S. Augustinus pluribus in locis iteravit.

℣. 15. MOYSI ENIM DICIT: MISEREBOR, CUJUS MISEREOR.] Non ergo in recte factorum præmium nostri miseretur, ac nos eligit, honoris vasa futuros. B Miseretur, quorum vult, & quorum non vult non miseretur; vel quemadmodum ait ℣. 18. cujus vult miseretur, & quem vult, indurat. Si nos eligit, atque in prædestinatorum albo describit, hæc minime est justitiæ nostræ remuneratio, sed actus meri favoris, quem, cui vult, elargitur [2]; non secus ac nulla invenitur injustitia in electione, qua Deus Gentiles assumpsit, ut Ecclesiam suam constitueret, illos plerisque Judæorum, quos abjecerat, præferens.

S. Chrysostomus, Theodoretus, & alii, qui illum vulgo sequuntur, hoc intelligunt de venia, quam permisit Deus Hebræorum nonnullis, qui aureo vitulo thus adoleverant, cum interim Levitarum manu ea aliis severissimas pœnas poposcit. Re quidem vera ea C in occasione Moysi dixit Deus: *miserebor, cujus misereor &c.* & hoc innuit, reprobationis decretum semper inniti justitiæ, decretum vero prædestinationis misericordiæ.

℣. 16. IGITUR NON VOLENTIS, NEQUE CURRENTIS, SED MISERENTIS EST DEI.] Nostra ergo electio, vocatio, prædestinatio minime sunt conatuum, meritorumque nostrorum remuneratio; sed merum Dei misericordiæ donum. Si Gentiles electi fuerunt, ut Domini populum constituerent, si ad fidem evocati, atque ad gloriam destinati fuerant, ejectis Judæorum plerisque; hoc illi acceptum referre debent meræ Dei clementiæ, quæ in pari demeritorum æqualitate, quos vult, eligit, & rejicit, quos minime vult [1].

Hæc omnia tamen humanæ libertati, atque coopera- D tioni minime officiunt. Electi ad beatitudinem nonnisi per virtutum exercitationem, atque mandatorum Dei observantiam perveniunt; gratia, quæ illos prævertit, eisque opitulatur, ut bonum velint, illos minime cogit; Salvi fiunt tantummodo, quod volunt, & ideo tantum volunt, quod eorum voluntatem gratia prævertit, atque præparavit [4]. Reprobi etiam idem intereunt, quia volunt, reprobatio nullam ipsis peccandi necessitatem imponit; Deus in ipsis damnat duntaxat ea peccata, quæ patrarunt, abusum gratiarum, quas receperunt, legum suarum prævaricationem, atque nequissimum suæ libertatis, suæque cognitionis usum. Hoc in sensu nostra salus, nostrumque exitium, videlicet nostræ prædestinationis, vel reprobationis complementum ab homine pendet *volente, &* E *currente*: qui bene, aut male facere vult; qui ex mera voluntatis electione bonum, vel malum amplectitur [5].

℣. 17. IN HOC IPSUM EXCITAVI TE.] Ubi probavit, electionem, vel prædestinationem ad salutem Dei favorem esse prorsus gratuitum exemplo Jacob, & ex Moysis loco, ubi Deus ait, *miserebor cujus misereor*: illhic ostendit, reprobationem esse divinæ justitiæ effectum, ac justum humani peccati supplicium [6]; idque probat Pharaonis exemplo, quem suscitavit Deus, ut in ipso suam justitiam, atque omnipotentiam ostenderet. Pharao sibimetipsi traditus, justo, sed terribili judicio Dei in obdurationem decidit, ut que sit gravissimum exemplum hinc quidem infirmitatis, corruptionis, & nequitiæ humanæ; inde vero iræ, atque justitiæ Dei.

Cum dicitur Deus Pharaonem reprobasse, atque Scriptura asserit, a Deo illum induratum fuisse [7]; ne B putes, illum decrevisse calamitosi hujus Principis interitum, ita ut in infernum illum præcipitem daret, ubi antea in scelus atque obdurationem dedisset. Satis est, ut in illius gratiam nullum prædestinationis decretum efformet [8], neque illum suis misericordiæ oculis respiciat; sufficit, ut illud propriæ nequitiæ derelinquat [9]. Pharao in corrupta humani generis massa consideratus nequaquam nocentior erat aliis quampluribus, quos illinc ea mera misericordia eduxit Deus; verum satis erat nocens, ut jure sibimetipsi a Deo traderetur, ideoque efficacibus orbaretur auxiliis, quæ ipsi minime debebantur, & quorum vi pœnitentiam egisset, & cœlestem beatitudinem assecutus fuisset.

Nisi alia Deo suppeteret causa illum in corruptionis massa relinquendi, quam hæc, ut videlicet gloriam C suam procuraret, hæc una satis esset, superque [10], quemadmodum Moysis locus aperte significat: *quia in hoc ipsum excitavi eum, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Ope mea destitutus, sponte, atque libere in inobedientiam, atque obdurationem decides [11], atque mea justitia, & ultrix adversum te per sexcenta prodigia emicabit. Nequitiam tuam plagis, exterioribusque malis percutiam, quæ superbiam tuam irritabunt, atque pertinaciam augebunt: justo meæ ultionis effectu permittam, ut Magi fictis miraculis tibi fucum faciant. Moysis constantia, atque firmitas te irritet. Tenebræ cum aliis tenebris, ac scelera sua aliis sceleribus punientur [12]. Impunitas, quam ad breve tempus permittam, atque mea erga te indulgentia, non minimum obstinatio- D ni tuæ conferent [13].

℣. 18. ERGO, CUJUS VULT, MISERETUR, & QUEM VULT, INDURAT.] Hæc est totius sermonis conclusio: non ergo propter merita nostra, sed ex mera misericordia sua nos prædestinat, sin autem nos reprobat, quam injustitiam admittit? nonne in corruptionis massa sumus immersi, atque omni misericordia indigni, nobis vero metipsis traditi? nonne in interitum ruimus, misericordiis illius, & nostro libero arbitrio nequissime abutentes?

Non conquerarur ergo Israel, quasi Deus promissi fidem minime exsolverit, populum suum deserens, postquam eumdem fratribus suis se cumulaturum spopondit. Omnibus fœderis sui conditionibus satis fecit Deus, eligens sibi populum ex Abraham natum, non secundum E carnem, sed secundum promissiones; populum, quem ille fidelem, atque obedientem effecit; & alium rejiciens, qui natus quidem erat ex Abraham secundum carnem; sed qui ad illum minime pertinebat secundum spi-

1 Aug. ep. 186. nov. edit. c. 6. n. 26. & ep. 190. n. 9. *Merito ergo videretur injustum, quod fiunt vasa iræ ad perditionem &c.* 2 August. passim, Est. Tolet. Men. Perer. Pare. 3 Vide Tolet. Est. Perer. Man. ex Augustino passim. 4 Prov. 8. 35. secundum 70. *Præparatur voluntas a Domino.* 5 Vide Perer. hic, & Aug. pluribus locis. V. G. in Psal. 102. Serm. 2. n. 6. Vide & 2. Petri 1. 10. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* 6 Vide Tolet. Pare. alios quosdem. 7 Exod. 9. 12. & 10. 1. 20. &c. 8 D. Thom. 1. p. q. 23. ar. 23. Vide Oecum. hic. 9 Aug. de Gratia & lib. arb. c. 23. & quæst. 2. ad Simplician. et Oper. imperf. contra Julian. l. 1. c. 141. et Ep. 194. nov. edit. c. 3. n. 14. *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* Perer. Est. Chrysost. hom. 67. in Joan. 12. Vide et in Exposit. Psal. 117. et in c. 3. Isai. 10 Est. Vide D. Thom. hic, et August. de Grat. et lib. arb. c. 20. 21. etc 11 August. de Grat. et lib. arb. c. 23. 12 Tolet. Perer. Est. ex Aug. hic, et in Exod. q. 18. et ep. 149. nov. edit. et l. 1. Oper. Imperf. contra Julian. c. 141. et de Grat. et lib. arb. c. 20. 13 Origen. Philoc. c. 20. & Theodoret. hic, & Basil.

spiritum, & qui misericordiis ejus se indignum A præbuerat.

Neque dixeris, Ethnicos Hebræis ipsis fuisse nequiores: *Deus, cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat*. Sufficit voluisse Deum Ethnicorum misereri, ut tibi os obstruat. Tu vero cur quereris? Ostendi te divinæ clementia indignum esse. Numquid aliquid tibi debet Deus? At enim me in populum suum se conservaturum spoponderat. Verum quidem est, illum multa filiis Abrahæ, & Jacob promisisse: sed illis, qui secundum spiritum, non autem qui secundum carnem eorum filii haberentur. Tu vero secundum carnem dumtaxat filius es Abrahæ: promissiones erga ad te minime spectant. Ethnici quoque nullam pro se potiorem afferre possunt rationem: non nego, sed neque illos propter eorum merita elegit Deus; at gratis illos B prædestinavit, & in gratuito prædestinationis eorum decreto illud etiam continetur, videlicet per Dei gratiam illos futurum populum sanctum, atque æterna vita dignissimum [1]. Immo neque Israelitas omnes reprobat, sed ex eorum numero illos eligit, quos in rem magis censuerit. *Cujus vult, miseretur*.

℣. 19. DICIS ITAQUE MIHI: QUID ADHUC QUERITUR?] Hæc alia est objectio: Judæus antea Dominum injustitiæ, atque inconstantiæ, nunc vero eumdem crudelitatis redarguit. Si, cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat, cur ergo de nobis queritur? si pertinaces sumus, et reprobi, illius causa sumus. Possumus ne sine illius gratia fidem habere? quarum neutrum si nobis ille concedere dignatur, cur nos damnat, quod minime ea fecerimus, quæ sine illis co- C nari nobis integrum non est?

Qui hæc objiciunt, ea verba, *quem vult, indurat*, in primo accipiunt sensu, qui menti se se offert, quasi Deus directe, atque positive impios induraret, cum eos minime induret, nisi iisdem misericordiam suam minime elargiens; quemadmodum sæpius S. Augustinus [2] testatur. At Deus homini misericordiam hanc minime debet, & homines conqueri nequeunt, nisi hæc sibi misericordia tribuatur. Non possunt hinc inferre, Deum injuste de illorum nequitia, atque obduratione conqueri. Si peccant, liberrime peccant; nullam enim peccandi necessitatem Deus illis imponit. Deus ex illis id unum petit, quod jure ex illis efflagitare potest; idque tenuit illis, quod jure potest removere. Sapientissimis semper, atque justissimis erga D nos ille rationibus agitur; sed quæ toto cœlo nostrum captum excedunt [3]. Si obduratus Pharao Domino non obedit, quod in eo statu, ubi aderat, obedire non poterat, Deus nequaquam illi vitio vertit, quod supra vires illius positum erat; imputet illi tamen hanc obdurationem, qua per scelera, ac præcedentem infidelitatem suam se se dignum præbueret, quemadmodum ait S. Augustinus in Ep. ad Rom. ext. 62. *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperavit; quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat: sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priore infidelitate*. Scelera, quæ obdurati peccatores committunt, & quæ priorum eorumdem delictorum sunt pœna, illis verissime imputantur, ac verissima peccata sunt, quorum in æternum, non secus ac obdurationis E suæ pœnas luent, nisi conversi egerint pœnitentiam.

℣. 20. O HOMO, TU QUIS ES?] Marcionitæ, atque Manichæi asserebant, S. Paulum extrema hac objectione victum, cum illi respondere non posset, satis duxisse adversario silentium indicere, illi supremam Dei potestatem, cui nihil resistere valet, opponendo [4]: verum hoc est Marcionitarum commentum. Tria isthic S. Paulus respondet: primum, homini, cum coram Deo ille non aliud sit, quam peccatum, & pulvis, minime licere cum Deo decertare, neque ex eadem providentiæ ipsius rationem exposcere, nec altitudinem consiliorum Dei perscrutari. Homini satis esse debet, ut res ita se habeat, quemadmodum exposita fuit, atque Scripturarum auctoritate probatur. 2. Dominum esse veluti figulum quemdam ex luto suo a quodcumque sibi libuerit, effingentem [5]; quæ loquendi ratio ex Sacris Bibliis [6] desumpta est, ac sæpe a Prophetis usurpata. 3. denique nihil illum efficere, nisi ut potestatem, atque justitiam suam contra vasa iræ, vel misericordiam, & clementiam erga vasa misericordiæ manifestet [7].

℣. 21. NON HABET POTESTATEM FIGULUS LUTI.] Non secus ac licet figulo ubi libet, ex luto suo vasa, vel contumeliæ, vel honoris effingere, quin lutum conqueri possit: ita Deus de creaturis suis quodcumque utilius censuerit, potest efficere. Illas pro seipso, proque gloria sua creavit, easque destinavit, ut post peccatum Adæ in illos, vel ultionem, atque iram suam, vel clementiam, & misericordiam suam ostenderet. Mortales omnes, tamquam luti massa considerantur: Deus inde sumit, quos vult, ut in illis gratiæ suæ divitias ostendat, illos prædestinans, alios etiam, quos vult, sumit, ut in illis ostendat iram suam, eosdem reprobans [8]. Ideæ sane terribiles.

S. Johannes Chrysostomus hic, & alibi, aliique veteres, tum qui illum præcesserunt, tum qui eum subsecuti sunt, illas leoire contenderunt, dicentes, Deum nos prædestinare, vel reprobare, prævidentem, nos vel bene, vel perperam usuros nostra libertate, & gratiis ipsius. Credunt [9], hanc figuli, atque luti similitudinem nequaquam esse intelligendam, quasi non alia Deo superesset ratio hominum prædestinandorum, vel reprobandorum; sed hanc id unum ostendere, quod videlicet creaturæ nullum sit jus, ex Deo providentiæ, atque consiliorum ejus rationem exposcendi. Sed vix crediderim, hunc verum esse hoc in loco Apostoli sensum, cujus verba aliquid aliud innuere videntur [10]. Credidit S. Augustinus, Deum considerare omnem omnium hominum massam, tamquam originali peccato corruptam, ac deinde suum reprobationis, vel prædestinationis decretum efformare, atque citra hanc existimationem justitiam Dei servari posse minime putat [11]. Ecclesia in re tanti momenti nihil umquam absolute sancit, ideoque uti possumus, sed sobrie, & modeste ea libertate, quæ nobis tribuitur, alterutram ex iis sententiis amplectendi, quarum utram sequaris, semper tamen imperscrutabilis est hujus mysterii altitudo, quod erit semper scopulus humanæ ratiocinationis.

℣. 22. QUOD SI DEUS VOLENS OSTENDERE IRAM.] Quid conqueri potes, si Deus justitiam suam in reprobos ostendere cupiens, illos tamen hoc in mundo sustinet hac patientia clementiæ refertissima? Nonne posset ille efficere, ut repente in æternum ruerent interitum? verum ut omnis illis excusatio auferatur, eorum scelera suffert, illis plurimas gratias confert, illorum supplicia differt, eosque ad pœnitentiam invitat:

1 Augustin. de dono persev. cap. 14. num. 35. *Prædestinatio Sanctorum nihil aliud est nisi præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*. Idem ibid. cap. 19. Vide Peter. dispu. 8. & Est. in vers. 16. 2 Augustin. in Joan. Tract. 43. & de divers. quæst. ad Simplic. num. 15. *Ut obduratio Dei sit nolle misereri; ut non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum, quod sit melior, non irrogetur*. 3 Vide Est. & Pera. ad vers. 20.

4 Augustin. Enchir. cap. 99. & qu. 68. inter 83. Vide Peter. Est. Tolet. hic.

5 Vers. 20. 21. 6 Jerem. 18. 4. 6. Isai. 64. 8. &c.

7 Vide versiculos 22. 23. 8 Vide D. Thom. hic, & ad vers. 20. Est. Tolet. Para.

9 Ita Theodoret. Oecumen. Theophylact. Ambrosiast. Hieronym. ad Hedibiam Epist. 150. Method. apud Oecumen. alii. 10 Tolet. hic. 11 Augustin. Epist. 186. nov. edit. cap. 6. num. 18. olim 106. *Hæc massa si ita esset media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam*. Idem epist. olim 157. nunc 190. cap. 3. num. 9. *Merito autem videretur injustum, quod fiunt vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa universa in Adam damnata*.

vitat: ne dicant aliquando, Deum in illos ea usum fuisse severitate, quam minime meriti fuerint [1]. Si reprobationem meritus omnes, aut te meritus es infernum, quod tot scelera patrasti, ac toties luminibus, ac libertate tua abusus fuisti. Reprobatio enim nihil aufert potestati reproborum, quemadmodum Divus Thomas testatur [2].

SUSTINUIT IN MULTA PATIENTIA VASA IRÆ APTA IN INTERITUM.] Vasa, vel instrumenta iræ sunt reprobi vindictæ destinati. Mira illos patientia sustinet Deus, eorum supplicia differt, patitur, se ab illis indesinenter ludi, eorum peccata dissimulat; sed postmodum severissime in illos animadvertit, & tarditatem supplicii gravitate compensat. *Apta in interitum*: destinata quidem sunt perditioni ex immutabilibus Dei reprobantis decretis; sed ex semetipsis nequissimo vivendi genere in hunc interitum ruunt, atque sceleribus suis sese gravissima hac calamitate dignos efficiunt [3].

℣. 23. UT OSTENDERET DIVITIAS GLORIÆ SUÆ.] Græcus versiculi hujus initio conjunctionem legit; *Et ut ostenderet &c.* perinde ac innuere vellet, aliam reprobationis impiorum causam esse bonorum prædestinationem. Re quidem vera prædestinationis gratia tanta non videretur, si omnes homines essent prædestinati; atque justitiæ effectus ab effectibus divinæ misericordiæ non satis dignoscerentur, si nemo reprobaretur. Sed infinitum illud discrimen, quod inter reproborum, atque prædestinatorum cognitionem intercedit, duplex illud attributum Dei satis ostendit [4].

Ita etiam potest intelligi [5]; quamnam conquerendi causam homo habere potuit, si Deus alios quidem reprobat, & alios eligit; si Judæorum partem rejicit, atque in eorum locum Gentilium partem assumit? Primum quidem non tenetur Deus eorum, quæ agit, rationem alicui reddere. Secundo humani generis massa, peccato Adæ corrupta, nullam per se meretur misericordiam, & citra quamlibet injustitiam Deus ibi, quos voluerit, potest relinquere. Tertio reprobi per iniquitatem suam merentur interitum, ad quem sunt destinati; & patientia, quam erga illos exercet Deus, ipsos inexcusabiles efficit. Quarto, quod ad prædestinatos attinet, quis umquam jure conqueratur, quod in illis divina effulgeat misericordia? Hac gratia alicui ne infert injuriam? annne donorum suorum Deus dominus est? & hæc dona quibuscumque tribuantur sunt ne invidenda [6]? *obduratio impiorum utramque demonstrat, & quid timendum sit, ut quisquis pietate ad Deum convertatur: & quantæ agendæ sint gratiæ misericordiæ Dei, qui in alterum pœna, quid aliis donet, ostendit.*

℣. 24. VOCAVIT NOS.] Si Ethnicos dumtaxat in Ecclesiam suam vocasset Deus, justa quædam videretur futura fuisse Judæorum querela; & si Judæos tantum vocasset, Ethnici quoque conqueri potuissent. Sed indiscriminatim ex Gentilium numero, & ex Synagoga illos elegit Deus, quos magis idoneos censuit, ut ex illis vasa honoris, atque adoratores in Spiritu, & veritate faceret, ita ostendens, nullam esse personarum acceptionem, sed etiam se in electionibus suis omnino liberum esse, atque gratiarum suarum dominum.

℣. 25. VOCABO NON PLEBEM MEAM PLEBEM MEAM] Mea consilia vos fallere minime debuerunt; ea quippe jampridem vobis edixi per Oseam Prophetam [7], qui meis verbis protulit: *voca nomen ejus non populus meus, & ego non ero vester.* Ethnicos appellabo, eosque in populum meum adoptabo: *appellabo dilectam meam eam, quam non dilectam* [8]. Gentilitas erat, tamquam perdita mulier, omni libidinum generi tradita, eam perhorrui; Synagoga vero hactenus amoris, atque meæ benevolentiæ objectum fuit, nunc vero omnis immutabuntur; Gentilitatem, impudicam hanc mulierem, uxorem ducam; illa mihi erit dilecta conjux; Synagogæ vero libellum repudii tradam.

Oseas hoc jam dixerat, cum verba faceret de decem tribubus in captivitatem abducendis. Illas dispergam in gentibus, neque ultra populus Domini appellabuntur. Sed ubi certus annorum numerus exierit, Israelitarum posteros revocabo, & mihi populus erunt; fœdus cum illis percutiam, eosque bonis cumulabo. Profecto Cyro Babylone regnante, Juda, & Benjamin de captivitate reversi sunt, atque una cum illis non pauci Israelitæ, qui Domino magis, quam Parentes sui, fideles fuerant, & ab eodem majoribus gratiis donati. Israelitæ ab Assyriæ Regibus dispersi, & in captivitatem trans Euphratem adducti, erant figura Judæorum incredulorum, atque reprobatorum tempore Salvatoris nostri. Hi vero, qui Babylone redierunt, exhibebant vel Ethnicos, qui in JESUM CHRISTUM crediderunt [9], vel Judæos, qui fidem amplexi sunt, & qui eamdem sub sæculorum finem sunt amplexuri.

℣. 26. ET ERIT IN LOCO, UBI DICTUM EST.] Israelitæ de captivitate reversi, habebantur tamquam populus Domini, vocabantur dilecti filii eadem in regione, unde fuerant ejecti, & cum antea in illos invehererentur Prophetæ, eisque Dominus minitaretur, deinceps tamquam fidelis populus, & Deo jucundus benedictionibus cumulabuntur. Verum hoc non satis aperte adimpletum est, nisi in Gentilibus ad Christianam Religionem conversis, qui *Dei viventis filii* appellati fuerunt; & in Judæis fidelibus, qui JESU CHRISTO, ejusque Apostolis prædicantibus conversi sunt.

℣. 27. ISAJAS AUTEM CLAMAT PRO ISRAEL [10].] Superior Prophetia ad Gentiles præcipue spectabat ad Fidem conversos; quorum figura erant Israelitæ de captivitate reversi. Hæc vero directe magis pertinet ad Judæos, quorum Isajas cap. 10. 22. perpaucos salvos futuros portendit. Profecto ex innumerabili Judæorum numero, qui Domini nostri ævo degebant, quotusquisque Christianam Religionem amplexus est? Ex hoc Isajæ vaticinio tria S. Paulus infert: primum, non omnem Israel periturum; 2. exiguum ex Israel electorum, atque ad fidem evocatorum numerum futurum; tertio pro illis Ethnicos in Ecclesiam ingressuros, & eos, qui antea justitiam ne quærebant quidem, fidem esse amplexuros.

In litterali sensu Isajas hoc dixit in Judæorum gratiam, qui Ezechia imperante vivebant, & qui omnibus malis a Sennacherib illi regioni illatis, fuere superstites. Propheta ad Achaz loquens, quid sub Ezechia eventurum esset, illi prædixit. Regnum, Achaz illius prædecessore imperante, mirum in modum vexatum fuerat: Assyrii, quorum Princeps ille suppetias expetierat, quin illi opem ferrent, ejus libertatum opprimere adnisi sunt; verum per Isajam portendit Deus post has omnes calamitates, populum, qui superstes erit, ad Dominum se se conversurum, atque benedictionibus iri cumulatum, quod reipsa sub Ezechia filio, atque successore Achaz adimpletum est.

℣. 28. VERBUM ENIM CONSUMMATUM.] Sequitur Isajæ prophetia: minitatur Dominus, se de populo complurimos abscissurum esse, non secus ac Rex aliquis ex inutilibus copiis ingentem militum numerum abscindit. Populum suum ad exiguum numerum rediget, qui tamen electus erit, atque fidelis [11]. Hæc erat figura eorum, quæ Salvatoris nostri tempore erant eventura. Pauci fuerunt electi ex ea Judæorum multitu-

---

1 Vide Tolet. Est. Tir. Paræ. 2 D. Thom. 1. p. qu. 23. art. 3. ad 3.
3 Tolet. Menoch. Tir. Est. Græci, Augustin. qu. ad Simplic. num. 16.
4 Vide Est. Tolet. Grot. 5 Augustin. ad Simplic. num. 18. Zeger. hic.
6 Augustin. loco cit. 7 Osee 1. 9. 10. et. 24. 8 Quidam MSS. Græci, & S. Irenæus lib. 4. cap. 37. S. Hieronym. in Osee 1. legunt simpliciter: *vocabo objectum misericordia mea eam, erga quam misericordiam non exercui*; & non legunt, *dilectam, non dilectam.*
9 Vide Erasm. Grot. Est. Pisc. 10 Græc. *de Israel*, vel, *super Israel*, Isajas de Israele loquens, ait] &c.
11 Plura Exemplaria Græca, & Latina non legunt: *in æquitate, quia verbum abbreviatum.* Vide Mill.

etudine, qui Romanorom gladio pstietant, vel qui A novissimis calamitosissimo hojus nationis temporibus sub Vespesiaoo, Trajano, atque Adriaoo interierunt [1]. Hebræus legit: *faciet Dominus desolationem, atque caridinem magnum in medio terræ totius*. Tettam omnem late vastabit, atque pauciffimi effugient.

℣. 29. NISI DOMINUS SABAOTH RELIQUISSET NOBIS SEMAN.] In nullam teditus spem interiissemus. Taota fuere mala in Israel, & Juda, ut parum absfaeris, quomiens penitus de nobis ageratur. Isajas adhuc loquitur: sed lices calamitosissimus laerit Judææ status post bella adversus Ezechiam a Sennacherib bellata, adhuc florens haberi poterat, ubi conferratur cum iis, quæ post JESU CHRISTI mortem erans eventusa, non solum quoad sensibilia mala, quibus tunc Judæa vastata fuit, verom etiam quoad exiguum eorum B numerum, qui in JESU CHRISTI sacra transietant.

℣. 30. GENTES, QUÆ NON SECTABANTUR JUSTITIAM.] Quid autem ex hoc universo Isajæ loco inferemus? nisi ex ejusdam sententia Judaorum convertendorum numerum satis exilem fuisse, & magnificas promissiones, quæ de Regno Dei in Bibliis leguntur, ac eorum numerum, ex quibus Ecclesia illius erat constituenda, in Gentilium persona, qui fidem, atque justitiam amplexi fuerunt, qui videlicet in JESUM CHRISTUM crediderunt, fuisse adimplendum?

Ethnicas gentas triplici ex charactera designat. 1. *non sectabantur justitiam*, legem nan habebant [2]; neque gloriabantur se in justitia vivere, quemadmodum Judæi, qui justitiam suam in litterali Mosaicæ legis observantia constituebant. 2. *apprehenderunt justitiam*, C Christianæ Religioni initiatæ sunt, sacro Baptismate regeneratæ, & JESU CHRISTI Sanguine [3], ut ita dicam, ablutæ. 3. *justitiam autem, quæ est ex fide*. Minime confiderunt in operibus suis, ut Judæi: sed spem omnem in JESU CHRISTI fide, in ea fide, quam charitas fovebat, atque bonorum operum exercitatio subsequebatur, constituebant [4].

℣. 31. ISRAEL VERO SECTANDO LEGEM JUSTITIÆ [5].] Justitiam suam Israelitæ in Mosaicæ legis exercitatione invenire voluerunt, ideoque JESU CHRISTI fidem abjecerunt, rati, legem solum sufficere. Sed inanis eorum evanuit confidentia, caruerunt enim & ea, quæ ex lege est, justitia, & ea, quam per fidem in JESUM CHRISTUM acquirere potuissent. Post JESU CHRISTI mortem legales ceremoniæ inutiles factæ sunt, D atque fides in JESUM CHRISTUM unica via est, quæ nos ad justitiam, & beatitudinem deducere valeat.

Moysis legem *legem vocat justitiæ*; quoniam Deus Hebræis illam tradiderat, tamquam justitiæ normam: attamen illi hanc juxta litteræ corticem secuti, veram justitiæ legem assecuti non sunt: seu quod illam, ut par erat, minime observarunt; seu quod minime amplexari sunt Evangelium, quæ vera est lex justitiæ, quatenus nobis ostendit rationem, qua morales Moysis leges sunt observandæ, nobisque fidem, & gratiam impertit, sine quibus exteriores ceremoniæ ad salutem minime prosunt.

℣. 32. QUARE? QUIA NON EX FIDE.] En quænam in re Judæorum desit justitia. Religiosissimi ceremonialium legum observatores, nimium viribus suis, atque justitia sua fresi JESU CHRISTI Evangelium, ac fidem, inania prorsus esse censuerunt. *Nos scimus*, ajebat ille, Joann. 9. 29. *quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus, unde sit*: ita *ignorantes justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti* [6]. Summo zelo ferebantur in viam mandatorum; at parum caute ferebantur: *offenderunt enim in lapidem offensionis*, hoc est, in JESUM CHRISTUM, qui illis factus est lapis offensionis [7]. Illum abjecerunt, in illum non crediderunt, ideoque fidem, neque gratiam habuerunt, sine quibus opera nonnisi mortua, atque ad æternitatem inutilia esse possunt.

℣. 33. SICUT SCRIPTUM EST: ECCE PONO IN SION.] Lapsum, atque reprobationem vestram olim jam duplici in loco portendit Isajas, quorum utrumque simul cogit Apostulus, quod ad idem argumentum referuntur. Ita ille sæpe consuevit plurimos coacervare locos, qui suo consilio conducunt, eosque proferre tamquam ex uno, eodemque fonte depromptos. Scriptura universa unum videlicet corpus est, cujus partes omnes vicissim sibimetipsis facem præferunt. Primus Isajæ locus legit in authographo [8]: *ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum angularem* &c. Alter vero [9] legit: Dominus erit *in lapidem offensionis, & in petram scandali duobus domibus Israel*. Propheta loquebatur ad Israelitas temporibus Achaz. Si in Dominum confideritis, Dominus vos sanctificabit, atque tuebitur; verum si illum reliqueritis, ut ad alienam opem confugiatis, fiet vobis tamquam lapis offensionis, in quem impingitur, & super quem caditur.

Has minas transfert S. Paulus ad Judæos ævi sui, qui, quin ad Dominum confugerent, atque in JESUM CHRISTUM omnem spem suam transferrent, arbitrabantur se fide, & gratia illius non indigere, atque in litterali legis suæ observantia, quæ penitus iis caret subsidiis, de quibus locuti sumus, justitiam, atque salutem suam invenire cupiebant. Verum ille, quem abjecerunt, factus est illis lapis offensionis, atque in illum impingentes confracti sunt. Romani eorum urbem vallo circumdederunt, agros igni, ferroque vastarunt; propugnacula, ac Templum everterunt; gladio, ac fame quamplurimos occiderunt, ita ut vix umquam bellum adeo internecinum extiterit. Hic fuit infidelium, atque incredulorum Judæorum exitus.

At pauci illi, qui in JESUM CHRISTUM crediderunt, minime spe sua fraudati fuerunt, sed in illo salutem, atque sanctificationem suam cumulatissime invenerunt. Omnis, *qui credit in eum, non confundetur*. Deus illos miraculose protexit, cum eorum natio gravissimis calamitatibus urgeretur: illos maturato admonuit malorum Patriæ impendentium, atque in Herodis Regnum dilapsi sunt, quousque bellum minime pervasit.

---

1 Vide Est. Tolet. Vatab. Menoch. Titin. alios. 2 Est. Tolet. Menoch. 3 Apoc. 1. 5. 4 Est. Menoch. Tolet. Para. 5 Plura exemplaria Græca legunt simpliciter: *ad legem non pervenit*. 6 Rom. 10. 3. 7 Confer Luc. 2. 34. Matt. 21. 6. & 21. 42. & 1. Pet. 2. 7. 8. 8 Isai. 28. 16. 9 Isai. 8. 14.

CAPUT X.

Judæi propriam statuere justitiam cupientes, non assecuti sunt illam, quæ oritur ex fide, & quæ nobis per JESUM CHRISTUM communicatur. Non in operibus, sed in fide vera justitia consistit. Fides nonnisi ex prædicatione proficiscitur: omnes illam audiverunt, sed Ethnici solum eam receperunt.

1. FRatres, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. 2 Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei

habent

habent, sed non secundum scientiam. 3 Ignorantes enim justitiam Dei, & suam
quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. 4 Finis enim legis Christus,
ad justitiam omni credenti. 5 Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex
lege est, qui fecerit homo, vivet in ea. 6 Quæ autem ex fide est justitia, sic
dicit: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cœlum? id est, Christum dedu-
cere: 7 Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revoca-
re. 8 Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo:
hoc est verbum fidei, quod prædicamus. 9 Quia si confitearis in ore tuo Do-
minum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis,
salvus eris. 10 Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad sa-
lutem. 11 Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur.
12 Non enim est distinctio Judæi, & Græci; nam idem Dominus omnium, dives
in omnes, qui invocant illum. 13 Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini,
salvus erit. 14 Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo
credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? 15 Quo-
modo vero prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evange-
lizantium pacem, evangelizantium bona! 16 Sed non omnes obediunt Evangelio.
Isajas enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? 17 Ergo fides ex audi-
tu, auditus autem per verbum Christi. 18 Sed dico. Numquid non audierunt?
Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eo-
rum. 19 Sed dico; Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit; Ego
ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos
mittam: 20 Isajas autem audet, & dicit: Inventus sum a non quærentibus me:
palam apparui iis, qui me non interrogabant. 21 Ad Israel autem dicit; Tota
die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.

℣. 1. VOLUNTAS QUIDEM CORDIS MEI.] Quæcumque hactenus dixi, ut ostenderem, maximam Israel partem a Deo fuisse reprobatam, non ideo a me dicta fuerunt, ut illis illuderem, atque eorum calamitatem mihi in lætitiam, & gloriæ argumentum converterem. Malorum suorum misereor, eaque coram Deo lacrymis prosequor, & etiam atque etiam Dominum oro, ut illis oculos aperiat aliquando, ut veritatem intelligant. Verum minime licet mihi inani misericordiæ sensu dissimulare veritatem, atque hominum obduratorum, & incredulorum pertinaciæ assentari.

℣. 2. ÆMULATIONEM DEI HABENT.] Habent zelum propter Deum, vel zelum Dei, magnum videlicet, fervidumque; verum hic zelus non est *secundum scientiam*. Ego quidem testis sum zeli, quo erga legem, atque exteriores cæremonias succensi sunt, eorumque erga Moysem amorem vituperare minime possum: sed opus esset, ut hanc æmulationem fidei illustraret, ac regeret charitas: & illi Evangelicarum veritatum cognitionem, atque professionem Religionis JESU CHRISTI, cum hac adeo fideli, & sedula legum Moysis observantia conjungerent. Celerrime quidem currunt, at non eò, quo opus est. Legem sequuntur, sed finem illius ignorant. Peccant non per nequitiam, sed per ignorantiam, quod illos tamen minime excusat; eorum quippe tantummodo interest, oculos lumini, quod se se illis offert, aperire. Illos excusat Apostolus, & quasdam etiam laudes commiscet, ad eorum animos præparandos, ut æqui, bonique consulant, quidquid contra illos in capitis hujus decursu protulerit [1].

℣. 3. IGNORANTES JUSTITIAM DEI.] Quam per fidem, & JESU CHRISTI gratiam, per adoptionem, atque peccatorum veniam in baptismate nobis collatam acquirimus. Judæi hanc justitiam ignorarunt, in Ecclesiam ingredi abnuentes, ac mordicus legalibus cæremoniis inhærentes, rati, eas sufficere posse ad salutem suam, atque sanctitatem. *Ita justitiam suam quærentes statuere*, propriis viribus, ac solis legis operibus, *justitiæ Dei non sunt subjecti* per fidem charitate succensam [2]. Nihil dignius est odio Dei, quam superbia, atque in propriis viribus inanis confidentia. Hoc unum satis erat, ac super, ut fructus omnium bonorum operum in Judæis everteretur.

℣. 4. FINIS LEGIS CHRISTUS.] Judæi nequidquam in legalibus cæremoniis spem suam constituerant, cum interim JESUM CHRISTUM rejicerent. Lex desiit in JESU CHRISTO: per mortem ejus desiit obligatio, cæremonias a Moyse præscriptas observandi. Ante Messiæ adventum utiles quidem erant; nunc vero hæ cæremoniæ minimum prosunt. Erant illæ tamquam via ad liberatorem deducens: ex quo ad hunc finem pervenimus, lex inutilis facta est [3].

Aliter: JESUS CHRISTUS est complementum, & perfectio Legis [4]. Professus est, se ad illam non abrogandam, sed adimplendam, atque perficiendam [5] venisse. Eam quidem in vita, ac morte sua adimplevit, atque in persona sua explevit figuras omnes, quæ in lege exhibebantur; nobisque gratiam promeruit, ut, quemadmodum oportet, legem eamdem observaremus. Verbo, & exemplo nos docuit, quanam in re legis perfectio consistat; nobis veram ejusdem mentem contra nequissimas Pharisæorum explicationes aperuit.

Denique JESUS CHRISTUS est *finis legis*, scopus, quem illa sibi proponit, objectum, circa quod illa versatur [6]. Cæremoniæ illum exhibebant, ac pollicebantur; leges vero morales eumdem respiciebant, velut illum, qui efficere debebat per gratiam suam, ut perfectissime adimplerentur. Vetus testamentum ad tempus dumtaxat institutum fuerat, donec novum accederet. Judæi, qui veteri adhæserunt, neque Legislatoris consilium, neque Legis mentem assecuti sunt. Crediderunt primo, fœdus illud ad ipsos unice spectare, qua in re falsi sunt; etenim ad omnes homines spectat. 2. solam legem posse justificare, quæ tamen, nonnisi per fidem in JESUM CHRISTUM justificat: *in salutem omni credenti*.

Moy-

1 Theodoret. hic. 2 Vide Est. Menoch. Paræ. Tolet. Grot.
3 Vide Grot. Paræ. Cyrill. in Tolet. 4 Chrysostom. Erasm. Vatab. Tolet.
5 Matth. 5. 17. 6 Est. Tolet. Men. Tir. Paræ. alii.

ỳ. 5. Moyses enim scripsit.] Ut probet, legem solam non posse justitiam conferre; Moysam ipsum profert S. Paulus, dicentem, eum, qui legem observaverit, ibi vitam quidem inventurum, non autem vitam animæ, atque justitiæ; alioquin fides, & gratia inutiles essent: sed vitam corporis, prosperitatem, terrenamque felicitatem [1]. Hanc mercedem Lex observatoribus suis pollicebatur, prorsus aliam ab ea, quæ promittitur iis, qui Legem Evangelicam servant, atque fidei vitam vivunt. Huic explicationi scripti complures Interpretes subscribunt.

Sed S. S. Chrysostomus, Augustinus, aliique plures [2] tenent, Apostolum hic verba facere de vita animæ, vita æterna, quam homo per legis observantiam, ac solis naturæ viribus citra fidei lumen, & gratiæ opem nequit acquirere. Ad hæc remuneratio ista iis tantum promittitur, qui legem omnem perfecte observant [3]; at sine lege, & gratia fieri minime potest, ut omnino, ac perfecte observetur; fatendum est ergo, Jesum Christum legis finem esse, & complementum, ac nobis non eam, quæ ex nobis, sed illam, quæ ex Deo est, justitiam esse quærendam.

ỳ. 6. Quæ autem ex fide est justitia &c.] Hæc verba innuerent, vos credere, justificationem, quam per Baptismum in Jesu Christo recipitis, esse vel incertam, vel impossibilem. Velletis quodammodo, ut de Cœlo dilaberetur Deus, & promissionum suarum certos vos faceret. Vide locutionem fere similem Heb. 6. 6. Cum Jesus Christus de Cœlo descenderit, in terris obierit, atque de tumulo resurrexerit, nulla superesse debet dubitatio de promissionum ejus veritate, atque verbi ipsius certitudine. In fide in nomen ejus omnem spem nostram statuere debemus. Nihil facilius est, quam credere, amare, sperare in illum; neque aliquid ulterius requiritur, ut Dei favente gratia justificationem, æternamque felicitatem assequamur.

Hæc autem sunt propria Moysis verba, quæ de more protulit S. Paulus, potius tamquam paraphrastes, quam historicus; ea tantum depromens, quæ consilio suo conducunt, suumque ad finem transferens, quod Legislator de Legibus [4] dixerat. Ita vero loquitur Moyses, Deut. 30. 11. *mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque positum, nec in Cœlo situm, ut possis dicere, quis nostrum valet ad Cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? neque trans mare positum, ut causeris, & dicas, quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, & facere, quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Quæ omnia hoc unum significant, nullam Hebræis deinceps futuram excusationem, nisi Dei leges observaverint, quoniam illas cognoscunt, easque habent in corde, atque in ore.

S. Paulus, ut Judæis probet justitiæ viam, quam proponit, & sine qua asserit, ad salutem perveniri non posse, neque difficilem esse, neque impossibilem, neque supra eorum vires positam, iisdem ferme vocibus ac Moyses utitur. *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in Cœlum . . . . aut quis descendet in abyssum*, ut ibi hanc Fidem in Jesum Christum, & gratiam hanc, de qua loquor, inveniat? hoc idem est ac si diceres; descendat ad nos de Cœlo Christus Jesus, atque iterum e mortuis resurgat, & in illum credemus. Venit ille, mortuus est, resurrexit, vobis prædicatur, vos illum agnoscitis; vestrum igitur est gratia illius opitulante illum recipere, in illum credere, atque iis uti subsidiis, quæ vobis offert, ac præparat [5].

ỳ. 8. Prope est verbum in ore tuo.] Ne dixeris, quomodo credam, & a quo docebor, quid mihi credendum sit? Verbum Evangelii tibi cognitum est, tibi quotidie prædicatur. Hoc unum agitur, ut ex ore illud in animum transmittas, atque in exercitationem per Fidem, gratiam, & charitatem. Disce, crede, atque Fidei tuæ conformem vitam age. Talis est Fides, quam prædicamus, & Dei justitia, quæ tibi deest: *hoc est verbum fidei, quod prædicamus.*

ỳ. 9. Quia si confitearis &c.] Vitæ sanctitati, quam profiteris, & zelo Legis, quo animaris [6], adde fidem in Jesum Christum, *& salvus eris*: bona opera tua cum Fidei & charitatis spiritu exerce. Fatere, Jesum Christum Dominum esse, eumque resurrexisse, omnem confidentiam tuam in eodem constitue, ex illo uno salutem, atque sanctificationem tuam præstolare, neque spes tua in irritum cedet. Minime credendum est, S. Paulum sterilem tantum, atque theoreticam fidem exposcere: ad eos loquitur, qui extrinsecus quidem sanctissime vivebant, atque mordicus divinæ Legi adhærebant; qui ut perfectionem assequerentur, Fide, gratia, & charitate tantummodo indigebant. Si apud Ethnicos, & peccatores verba faceret, alia prorsus ab illis expeteret, perfectam videlicet conversionem, atque morum, sensuum, vitæque immutationem. Præcipuum Apostoli consilium est hoc in loco ostendere, se facilia petere [7], neque maria transfretanda, neque ad Cœlum ascendendum, neque in imam terræ partem esse descendendum: sed requiri solum, ut credat, & amet.

ỳ. 10. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.] Hæ duæ sunt ad salutem necessariæ conditiones, & duæ essentiales qualitates, ut fides sit meritoria; ex corde credere, & ore confiteri: quibus adde charitatem, & opera, sine quibus Fides mortua [8] est. Attamen S. Paulus hic de Fide tantum verba facit. Non sufficit, ex corde in Jesum Christum credere; Religio extrinsecus etiam profitenda est, atque ore, & operibus confitenda. Plurimi enim sunt, qui illam quidem ore fatentur, sed operibus eam minime præseferunt [9]; qui quidem infidelibus ipsis pejores sunt [10]. Docent Rabbini quidam, ore posse Religionem negari, dummodo servetur in corde. Mahometani etiam hoc ipsum sentire dicuntur; at Christiana Religio hujusmodi simulationes penitus perhorrescit.

ỳ. 11. Omnis, qui credit in illum, non confundetur.] Quicumque seu Judæus, seu Gentilis in Jesum Christum ea fide crediderit, quam nuper descripsimus, non confundetur, neque spe sua fraudabitur, in hac quidem vita justificabitur, in altera vero salvabitur. Vera Fides sine remuneratione permanere non potest.

ỳ. 12. Non enim est distinctio.] Deus ad salutem, ac Fidem Judæos æque, atque Ethnicos vocat. Deus omnium hominum Dominus est, atque creator, & in omnes invocantes se misericordiæ suæ divitias effundit: *dives in omnes*. Nequaquam est iis similis, quibus vel bona voluntas, vel opes desunt, quibus servos suos remunerentur; sed affluenter in eos omnes, qui in ipsum credere volunt, largitatis suæ opes effundit [11]; bonis cumulat *omnes, qui invocant illum*: non ore simpliciter, sed corde simul, & voluntate. *Dominum invocare* in Scripturis [12], illius Religionem profiteri, in illam credere, Leges illius sequi; verbo, omnia Religionis officia significat.

ỳ. 13. Quicumque invocaverit nomen Domini.] Nomen

---

1 Toler. Menoch. Tirin. Vatab. Hammon. Vide & Aug. l. 4. contra duas ep. Pelag. c. 5.
2 Aug. loco cit. & lib. de Spir. & litt. c. 16. Chrys. Oecum. Theoph. Estr. alii.
3 Deut. 27. 26. Galat. 3. 10. 4 Chrys. Theodoret. Toler. Hamm. Perer.
5 Vide Toler. Vatab. Grot. Hammon. Menoch. Ludov. de Dieu, Erasm. Perer.
6 Supra vers. 2. 7 Chrys. Grot. Est. 8 Jacob. 2. 20. *Fides sine operibus mortua est.*
9 Tit. 1. 16. *Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant.*
10 1. Tim. 5. 8. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet; fidem negavit, & est infideli deterior.* 11 Vide Rom. 2. 4. & 9. 23. Ephes. 1. 7. et 2. 7. etc. 12 Vide Gen. 4. 26. et 13. 4. et 21. 33. et 32. 20. 2. Reg. 22. 4. 7. Isai. 12. 4. et 43. 7. etc. etc.

Nomen Domini invocare eo in sensu, quem nuper proposuimus, omnia Religionis officia complectitur: credere, sperare, amare. Deus non invocatur, nisi cognoscatur, nisi ametur, nisi metuatur, nisi in illo confidatur, atque ab eo omnia bona expectentur. Et statim ac in illum creditur, ille metuitur, atque diligitur; fieri minime potest quin mandata illius exerceantur, & Legibus ipsius pareatur. At hæc omnia præstare certissima est salutis, atque justificationis via.

℣. 14. QUOMODO ERGO INVOCABUNT.] Hæc objectio est contra superius dicta de facilitate ad salutem per JESU CHRISTI Fidem perveniendi. Fateor quidem non esse difficile fidem habere, & eos, qui, uti opus est, crediderint, salvos fieri: verum quomodonam Judæi, atque Ethnici complures credent, qui de JESU CHRISTO numquam verba fieri audiverunt? Quomodo credent, nisi Evangelium ipsis aliquis prædicaverit? Et profecto quis umquam credidisset, duodecim egenos piscatores, & duos, ac Septuaginta discipulos inter adversa, atque pericula nullo præsidio, nulla scientia, nullis opibus, nulla eloquentia munitos, brevissimo temporis intervallo JESU CHRISTI Fidem in omnes terrarum plagas effundere posse? Haud spernenda quidem videtur oppositio. Testantur Prophetæ, Messiam in omnes terras regnaturum, omnesque nationes illius ingenio subjiciendas: at quomodonam hæ promissiones adimplebuntur, cum adeo paucos elegerit JESUS CHRISTUS, quos in universum terrarum orbem mitteret, nomen suum annunciaturos? Dicis, neminem salvum futurum, nisi in JESUM CHRISTUM crediderit: oportet ergo quamplurimos perire, quandoquidem minime possunt omnes illius nomen cognoscere ex prædicatione, quæ via est longa adeo, ac difficilis.

℣. 15. SICUT SCRIPTUM EST: QUAM SPECIOSI PEDES [1].] Isaias 52. 7. eos alloquebatur, qui Judæis liberationem ex Babylonis captivitate annuntiabant: *quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem.* Hæc verba transfert S. Paulus ad eos, qui pacis Evangelium, ac salutis felicitatem annuntiant, & hoc pacto probat, bonum Evangelii nuntium in omnes terras effundi; sed pernicius adhuc, atque felicius effundi posse, si illi, quibus annunciatur, illud reciperent, quemadmodum Babylonici captivi receperunt nuntium suæ liberationis: si clamarent, *quam pulchri pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion, regnabit Deus tuus.*

℣. 16. SED NON OMNES OBEDIUNT EVANGELIO.] At non omnibus cor aperuit Deus, neque omnibus felices tribuit dispositiones, quæ necessariæ sunt, ut præclare ea utatur gratia, quæ sibi offertur; non omnes parent Evangelio: hi quidem eos persequuntur, a quibus annuntiatur; illi frigide ipsum audiunt, alii in jocum convertunt. Ipso etiam ævo Isaiæ complures Prophetarum sermones contemnebant, atque eorum prædicationibus erant increduli [2], ideoque dicebant: *Domine, quis credidit auditui nostro?* Sed Isaias, aliique Prophetæ res omnino remotas annuntiant, cum Apostoli JESU CHRISTI præterita prædicent, & ea, quorum ipsi non secus, ac alii quamplurimi testes fuerunt.

℣. 17. ERGO FIDES EX AUDITU.] Fides ergo nequaquam difficile obtineri potest; in eo res posita est, ut Dei verbum audias, illud reverenter, attente excipias, eidem te docilem præbeas. Scio, Fidem donum esse Dei; illius esse, mentem nostram illustrare, & cor nostrum aperire: at nostrum est, divina favente gratia illius verbo, animum attentum præbere, erudiri, omnia præjudicia exuere, opem illius implorare. Nostrum est pro virili adniti, atque ea præstare quæ in nobis posita sunt; quæ vero in nobis posita non sunt hæc precibus impetrare, quemadmodum inquit Concilium Tridentinum [3].

℣. 18. SED DICO, NUMQUID NON AUDIERUNT?] Possunt dicere Judæi, se Fidem non habere, quod Evangelium prædicari minime audierint? *& quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Cum S. Paulus hanc epistolam scriberet, hoc est quatuor, & viginti annis post Salvatoris nostri Resurrectionem, nulla ferme aderat Romani Imperii Provincia, quo JESU CHRISTI Evangelium non pervasisset [4], & Judæi præsertim nullam hac in re excusationem afferre poterant, quandoquidem JESU CHRISTI personam atque vitam non poterant ignorare; & quamvis nationis proceres omnes nervos, viresque contenderint, ut Salvatoris doctrinæ, atque personæ labem offunderent; atque in Apostolos ejus contumelias projecerent [5]; qui veritatem scrutari voluerunt, & rem intus atque in cute cognoscere, utrum ea, quæ adversus illos ferebantur, vera essent: facili negotio errorem suum intelligere, & calumniam detegere potuerunt. Itaque quocumque se vertant, nullam satis legitimam excusationem possunt afferre.

Complures ℣. hunc ad Ethnicos referunt; nonne omnes terrarum populi Evangelii prædicationem audiverunt? Ipsorum ergo fuit credere, quoniam Apostolorum, atque præconum Evangelii vox in extremis usque terrarum oris fuit exaudita. Illud autem huic explicationi magis favet, quod sequenti versiculo explicite mentio fit prædicationis, quæ peculiariter ad Judæos habita fuit. Sed versiculus 19. intelligi potest, tamquam iterata ejusdem veritatis confirmatio; universum enim hoc caput ad Judæos præcipue spectat.

℣. 19. SED DICO NUMQUID ISRAEL.] Urget Apostolus, atque argumentis magis directis, explicitisque ostendit, Judæos Evangelium audivisse, & eorum interfuisse, Dei favente gratia se se convertere, & credere in JESUM CHRISTUM. Duabus rationibus utitur, quarum altera distincte probat Gentilium vocationem in ipsis Judæorum oculis, atque adspectu: altera vero eas curas ostendit, quibus Deus Judæos appellavit, & horum pertinaciam, qua illius vocationi restiterunt. Utraque ostendit, Hebræos satis cognovisse JESU CHRISTI adventum, & ex mero defectu suo non credidisse.

EGO AD ÆMULATIONEM VOS ADDUCAM IN NON GENTEM,] vel potius in gentem, quæ non est gens vestra; in populum, qui adeo humilis, & contemptibilis est, ut ne dignaremini quidem inter cæteros populos recensere. In populum insipientem, cui nulla est, vel Dei, vel Legum cognitio. Gratia mea hunc populum cumulabo, quem vos contemnitis [6], eumque dilectum mihi populum efficiam, illi adoptionis gratiam, quam contempsistis, & renuistis, concedam, & hæc omnia vobis inspectantibus efficiam, ut vobis invidia, atque rabies oboriatur [7]. Et sane numquam furor illi similis visus fuit, quo Judæi contra Gentiles conversos exarserunt. Persecutionum tempore nulli Christi Fidelium infensiores inimici fuerunt, quam Judæi. At si Gentiles ob oculos vestros appellati fuerunt, hinc necessario sequitur, vos Evangelium cognovisse, quod mihi erat demonstrandum.

Sunt [8] qui hoc ita explicent: *sed Israel non cognovit vocationem Gentilium ad Fidem?* illam ignorare non potuit, quandoquidem Moyses eam apertis adeo verbis prædixit: *ego ad æmulationem vos adducam in gentem &c.* quod perspicue Gentilium vocationem, Judæorumque reprobationem significat. Sed prior sensus ad mentem Apostoli propius accedere mihi videtur.

℣. 20. ISAJAS AUTEM AUDET.] Isaias clarius adhuc isthic Gentilium vocationem, & sequenti versiculo vo-

1 Tertul. l. 5. contra Marcion. c. 2. *Quam tempestivi.* Ibid. c. 5. *Quam maturi pedes.*
2 Vide Chrys. Theodor. Tolet. Est. Men.
3 Conc. Trid. Sess. 6. de justificatione c. 11.
4 Vide Rom. 1. 8. Act. 7. 6. Coloss. 1. 6. 23. *Quod prædicatum est in universa terra, quæ sub cælo est.* V. & Chrysost. Euthym. Theophyl. Gror. Est. alios.
5 Vide Euseb. & Hieron. in Isai. 18. 2. Justin. Dialog. p. 234. Origen. l. 6. contra Celsum.
6 Erasm. Grot. Pair. Est. Drus.
7 Vide Chrys. Theodoret. Est. Vatab. Hamm. Giot.
8 Toles. Menoch.

lo voluntariam Judæorum infidelitatem probat Dei verbis, dicens: *inventus sum a non quærentibus me*. Gentiles, qui me non noverant, & qui de me ne cogitaverant quidem, me invenerunt, & conversi sunt, ex quo Evangelii mei prædicationem audiverunt: palam apparui iis, qui me non interrogabant, hoc est, qui me cognoscere non quærebant; nam in novi Testamenti libris *interrogare*, sæpius pro quærere, orare, petere [1] usurpatur.

℣. 21. AD ISRAEL [2] AUTEM DICIT.] Hoc ostendit, nullam esse Israelitis incredulitatis suæ excusationem. Conqueritur Deus de illorum pertinacia, ac de- A fectione contra verbum suum. Addit, se ad illos brachia tota die, vel *quotidie* extendisse, se ad illos indesinenter locutum fuisse; sed ipsos nullo in discrimine, vel ipsius, vel Prophetarum ejus verba habuisse. Verum est, Isaiam de iis verba facere, quæ ævo suo accidebant, & quæ jam antea acciderant; sed innuebat etiam ea, quæ deinde erant eventura; atque jam satis constabat, Salvatorem nostrum, & Apostolos fere semper frustra in Judæa atque Jerusalem prædicasse, & paucissimos Judæos, si cum iis, qui in incredulitate mordicus permanserunt, conferantur, doctrina illius uti voluisse.

---

1 Vide Luc. 3. 5. & 7. 3. & 14. 18.
2 Πρὸς Ἰσραὴλ, verti potest, *Israeli*, *quoad Israel*, vel *contra Israel*.

CAPUT XI.

Deus aliquas Israel reliquias sibi asservavit, cum cæteri in pertinacia, & cæcitate permanerent. Ethnici sunt, tamquam oleaster, insiti in Judæis, qui sunt tamquam bona oliva. Futura Judæorum conversio. Altitudo Judiciorum, & sapientiæ Dei.

1. Dico ergo: Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam & ego
Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin. 2 Non repulit
Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis, in Elia quid dicit
Scriptura: quemadmodum interpellat Deum adversum Israel? 3 Domine, Prophetas
tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt
animam meam. 4 Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem
millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. 5 Sic ergo & in
hoc tempore, reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. 6 Si autem
gratia jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. 7 Quid
ergo? quod quærebat Israel, hoc non est consecutus, electio autem consecuta
est: cæteri vero excæcati sunt: 8 Sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum
compunctionis: oculos, ut non videant, & aures, ut non audiant, usque in
hodiernum diem. 9 Et David dicit: Fiat mensa eorum in laqueum: & in captionem,
& in scandalum, & in retributionem illis. 10 Obscurentur oculi eorum,
ne videant: & dorsum eorum semper incurva. 11 Dico ergo: Numquid
sic offenderunt, ut caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus est Gentibus, ut
illos æmulentur. 12 Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio
eorum divitiæ Gentium: quanto magis plenitudo eorum? 13 Vobis enim dico
Gentibus: Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo.
14 Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, & salvos
faciam aliquos ex illis. 15 Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi: quæ
assumptio, nisi vita ex mortuis? 16 Quod si delibatio sancta est, & massa: &
si radix sancta, & rami. 17 Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum
oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis, & pinguedinis olivæ factus
es, 18 Noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris: non tu radicem portas,
sed radix te. 19 Dices ergo: Fracti sunt rami, ut ego inserar. 20 Bene:
propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed timer.
21 Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat.
22 Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt,
severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin &
tu excideris. 23 Sed & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur:
potens est enim Deus iterum inserere illos. 24 Nam si tu ex naturali excisus es
oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam, quanto magis ii, qui
secundum naturam inserentur suæ olivæ? 25 Nolo enim vos ignorare, fratres,
myste-

mysterium hoc, (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte con-
tigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, 26 Et sic omnis Israel salvus
fieret, sicut scriptum est : Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem a
Jacob. 27 Et hoc illis a me testamentum : cum abstulero peccata eorum. 28
Secundum Evangelium quidem, inimici propter vos ; secundum electionem autem,
charissimi propter patres. 29 Sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei.
30 Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam
consecuti estis, propter incredulitatem illorum ; 31 Ita & isti nunc non credide-
runt in vestram misericordiam ut & ipsi misericordiam consequantur. 32 Con-
clusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. 33 O alti-
tudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt ju-
dicia ejus, & investigabiles viæ ejus! 34 Quis enim cognovit sensum Domi-
ni? Aut quis consiliarius ejus fuit? 35 Aut quis prior dedit illi, & retribue-
tur ei? 36 Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia : Ipsi glo-
ria in sæcula. Amen.

℣. 1. NUMQUID DEUS REPULIT POPULUM SUUM?] Hæc recens est objectio, quam sibi in Judæorum persona opponit Apostolus. Igitur Dominus omnino repulit Israel, cui olim magnifice tot tantaque spoponderat, & quem tot bonis cumulaverat? Ubinam ergo fidelitas est in verbis ejus, atque in consiliis constantia? Avertat Deus has a me cogitationes ; mea maxime interest, partes Israel tueri ; quoniam ego quoque sum Israelita, atque mihi persuasum est, ex eo populo Dominum sibi non paucos adoratores, fidelesque servos servasse. Ego ipse hujus rei argumento esse possum & exemplo [1].

℣. 2. NON REPULIT DOMINUS PLEBEM SUAM, QUAM PRÆSCIVIT,] quam sua præscientia cognovit, quam omnino gratis elegit [2], & quam præscientiæ, atque prædilectionis suæ effectu de reliquarum gentium medio separavit. Vel si præscientiam intelligere mavis, de simplici distinctionis & approbationis cognitione: scio, Dominum nequaquam penitus repulisse plebem suam, quam semper amore, atque misericordia est prosecutus [3].

AN NESCITIS IN ELIA QUID DICIT SCRIPTURA?] Numquid ignoratis, quid de Elia Scripturæ testentur [4]? Vel, quid Scriptura per os Eliæ dicat? vel denique, quid Scriptura in Elia dicat, hoc est in loco, ubi de Elia verba fecit? Rabbini, cum aliquem Scripturæ locum proferunt, dicere consueverunt: Scriptum est in Abraham, in Rege Saul, in locusta, ut innuant historiam Abrahæ, Saulis, & eam, quam de locustis Joel narrat &c. Ita in hoc loco S. Paulus C Scripturas in Elia citat ; hoc est, in historia Eliæ [5].

℣. 3. DOMINE PROPHETAS TUOS.] Elias vivebat, dum Achab, & Jezabel regnarent, iis videlicet temporibus, quæ in decem Tribuum Regno viris bonis fuere calamitosissima. Propheta hic zelo flagrans apud Deum conqueritur, quod Prophetæ interficiantur, altaria evertantur ; ubi plane loquitur de altaribus, quæ in nomine Domini a Prophetis in montis alicujus vertice erigebantur, ne exiguæ populi reliquiæ, quæ adhuc fideles Domino perstiterant, penitus Idololatriam sequerentur. Verum respondit illi Dominus, malum nequaquam tantum esse, quantum ab illo putatur ; illum nequaquam unum esse Domini cultorem, sed sibimet septem hominum millia reservasse, qui Baal genua minime flecterent. S. Paulus innuere vult hoc exemplo ; si Eliæ temporibus, cum Domini Reli- A gio in Israel oblivione penitus obruta videbatur, tot erant pii Israelitæ in abscondito, hodierna quoque die plurimos esse posse Judæos fideles, & prædestinatos, qui a mortalibus minime censeantur. Deum scire Electorum suorum numerum, & si pauci tunc erant, qui Christum sequerentur, Deum posse deinceps majorem in Ecclesiam suam Israelitarum numerum convocare.

Regnum Israel a Regno Juda sejunctum erat figura Judæorum reproborum, atque incredulorum, qui a Judæis electis, & fidelibus Salvatoris nostri tempore erant sejuncti. Decem tribus Israel ab hominum cultu recesserunt. Juda & Benjamin in eo perstiterunt. Hoc etiam similiter accidit S. Pauli ævo. Major Judæorum numerus vetustis ceremoniis suis mordicus adhæsit, repulit Messiam, ac Regnum Dei, quod sibi prædicabatur ; sed inter eos ipsos, qui tunc tamquam ge- B nus reproborum, atque pertinax ferebatur, poterat Deus electos complures animas recensere, quæ jam credebant, vel aliquando in JESUM CHRISTUM erant credituræ [6]. S. Paulus hæc ait, ne Judæos irritet, atque ut ostendat, se illis esse minime infensum.

℣. 5. SIC ERGO IN TEMPORE.] Græcus simpliciter legit [7] : *sic ergo & in hoc tempore non desunt reliquiæ quædam secundum electionem gratiæ*, quas tamen *salvas factas esse* non inquit. Exiguus Judæorum numerus, qui in JESUM CHRISTUM crediderunt, belle in illis exhibetur, qui Eliæ tempore Domino fideles permanserant. S. Paulus numquam recedit a primo argumento suo: ait explicite, has Israelitarum reliquias ex Dei electione mere gratuita fideles perstitisse. *Secundum electionem gratiæ*, ne gloriarentur quasi hoc per fidem suam, atque operum suorum meritum obtinuissent [8].

℣. 6. SI AUTEM GRATIA JAM NON EX OPERIBUS.] Nemo ergo glorietur, se operibus suis fuisse promeritum, ut a Deo ad Fidem vocaretur. Non secus ac septem virorum millia, qui Baal genua flectere noluerunt, gratis electa fuerunt: *reliqui mihi* ; ita illi, qui in JESUM CHRISTUM crediderunt, ex aliorum grege separati fuerunt, electione prorsus gratuita, *secundum electionem gratiæ*. Si ergo ex mera gratia electi, certe non ex operibus suis ; *alioquin gratia jam non esset gratia, sed debitum* [9].

Græcus addit : *Si ex operibus, jam non esset gratia* : Aliter ; *opus non esset amplius opus*. Si Deus illos elegit propter bona illorum opera, hæc non est amplius gratia ab eodem illis collata ; & si hæc gratia est, eorum opus jam non est opus, meritorium videlicet ; ita

1 Vide Theodor. 2 Deut. 7. 7. & Rom. 11. 6. & Tolet. hic, Est.
3 Vide Rom. 8. 29. 1. Petri 1. 20. Var. Vorst. 4 Ἐν Ἠλίᾳ, *de Elia*. Erasm. Illyr. Tig. Pago. Castal. Ludov. de Dieu, Olaf. 5 Vide Heins. Vorst. Camer. Est. Grot. Syr. Arab.
6 Theodoret. hic. 7 At Origenes, seu Rufinus in hunc locum, & Ambrosiaster legunt sicuti Vulgata. S. Augustinus pluribus in locis ea non legit, quod ansam conjectandi offert, ea verba ab amanuensibus addita fuisse. Brugens. Est. Mill. 8 Tolet. ex August. Theodor. Est. Men. Tir. Vorst. Farm. Vat.
9 Est. Tolet. Men. alii qui supra.

ita enim simul & meritum esset, & non meritum, gratia simul, & debitum; quod absurdum est, ac simul esse non potest. Sed hæc additio in vetustissimis MSS. puta in Alexandrino, in illis Claromontii, & S. Germani Pratensis Græco latinis, & in aliis nonnullis, qui magno habentur in pretio, minime invenitur. Immo neque legitur in ullo latino exemplari; neque illam agnoverunt Commentarii, qui sub S. Ambrosii nomine circumferuntur; neque Origenes, neque S. Chrysostomus, neque Theodoretus: quod conjecturam adstruit, hoc additamentum fuisse a Librario aliquo insertum [1].

QUID ERGO? QUOD QUÆREBAT ISRAEL.] Israel propriam quærens justitiam in litterali legis observantia, quemadmodum superius dixit Apostolus c. 10. ℣. 3. veram justitiam amisit, quæ in Fide, & gratia JESU CHRISTI tantummodo invenitur. Illi solum, qui a Deo fuerunt electi, & quos illius gratia prævertit, veram justitiam vel in Ecclesia, vel in Synagoga invenerunt [2]: reliqui vero in cæcitate sua persliterunt. Vide supra cap. 9. ℣. 31. 32.

B ELECTIO AUTEM CONSECUTA EST.] Anthographus ad litteram, *electio illos invenit*; Israelitas illos, qui vocationis donum receperunt, quos Deus per suam gratiam elegit, & vocavit ad Fidem, vel prædestinavit ad gloriam. *Cæteri vero excæcati sunt*. Græcus: *obdurati sunt*, in malo occalluerunt, atque JESUM CHRISTUM agnoscere renuerunt; ideoque tradidit illos Deus suo mentis errori, eorum lapsum, infidelitatem, & calamitatem permisit, non illis insidias struens, neque illis nequitiam immittens, sed C erga illos sua non utens misericordia.

℣. 8. DEDIT ILLIS DOMINUS SPIRITUM COMPUNCTIONIS;] hoc est soporis, atque stupiditatis, licet Vulgata oppositum innuere videatur, & Græcus hoc ipsum significet. Sed certum est, Hebræum Isaiæ textum soporem significare, vel etiam altissimum somnum, & non semel Septuaginta Græce voce *catanyxis* uti, ad somnum significandum [3]. Dominus ergo, ut ita dicam, Hebræis potum tribuit, qui illis ebrietatem afferret, eisque sensum omnem, & cognitionem adimeret: permisit, ut in quamdam ebrietatem deciderent, quia prohibuit, ne JESUM CHRISTUM cognoscerent, & quid sua vere interesset intelligerent. Deus in eorum errorem, atque infidelitatem minime concurrit [4]; D permisit solum errorem eorumdem, illum non prohibens. *Per compunctionis Spiritum*, S. Chrysostomus, atque Theodoretus pravissimum peccandi habitum intelligunt.

OCULOS, UT NON VIDEANT.] Oculos quidem illis tribuit Deus; sed illi minime usi sunt iisdem, ut viderent, atque propria officia cognoscerent, ex mero defectu suo in cæcitatem, atque stupiditatem ceciderunt; seu abjecerint & contempserint oblatas sibi a Domino gratias; seu æquissimo justitiæ suæ effectu Deus illis tunc negaverit gratias, quibus antea jam se indignos præbuerant; vel denique propter judiciorum suorum altitudinem eorumdem minime misertus, eos in ea corruptionis massa, in qua aderant, reliquerit. Vide supra caput 9. ℣℣. 18. 19. 20. 21. 22.

E Locus, quem explicamus, compositus est ex aliis pluribus locis hinc inde collectis; sed ad scopum eumdem collimantibus. Hæc verba: *oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque ad hodiernum diem*, in allato Isaiæ loco non extant, sed in Deuteronomio 29. 4. inveniuntur. S. Paulus illa de industria huc attrahit, ut ostenderet, Hebræos numquam cessasse, quomodo ii essent, qui semper fuerant, obdurati, & Domino rebelles; & licet eorum ejiciendorum non alia

A Deo suppeteret causa, quam illorum semper æque constans infidelitas; hanc satis legitimam futuram fuisse rationem, ut hoc pacto cum illis ageret.

℣. 9. FIAT MENSA EORUM IN LAQUEUM,] Psalmus 68. 23. unde hæc vota deprompta sunt, de illis explicatur, qui Judæos fideles persequebantur, & quibus propheta hæc mala portendit [5]. Judæorum fidelium inimici figura sunt Hebræorum reproborum, Christianos persequentium, & mala, quæ prioribus illis Psalmista minitatur, jure ad posteriores etiam possunt transferri. Fuerunt mihi tamquam fel, & acetum, quo saturarer, atque inebriarer. Hæ, quas mihi apposuerunt, epulæ, illis in venenum convertantur, cumque mensæ accumbere voluerint, inimicorum suorum insidiis excipiantur; decidant, & in lapidem B illisi confringantur.

Altare, ac Templum, in quo confidunt Judæi, fiant ipsis in laqueum, & in lapidem offensionis: oculi eorum tenebrarum caligine immergantur, eorumque cervix sit semper in terram incurva. Hoc reipsa accidit Judæis in novissimo contra Romanos bello; eorum civitas, Templum, altare illis quodammodo laquei fuerunt, quibus capti sunt. Mœnium vi, atque militum virtute freti, & confidentes, Deum numquam permissurum, ut Templum, altare, & Sanctuarium suum polluerentur, temere bellum inierunt, quo causa fuit, ut universa natio interierit. Execrationes, atque invidia, quibus contra Christianos flagrabant, hos ubique persecuti sunt, eorum nomini semper calumnias aspergebant, rati fortasse hoc pacto, præclare se de Deo C posse benemereri; neque sentientes, se ad cumulum usque sua peccata evocare, atque recentia in caput suum mala convertere [6].

℣. 11. NUMQUID SIC OFFENDERUNT, UT CADERENT?] Numquid nulla superest spes, futurum ut Judæi convertantur [7]; numquam illi ad Deum revertentur? vel ceciderunt illi ita, ut eorum lapsus generalis sit, ac sine exceptione [8]? vel denique lapsus eorum est nunc non solum sine medicina, verum etiam sine utilitate [9]? haud ita sane: *illorum delicto, salus est Gentilibus*; quomodo autem? *ut illos æmulentur*. Ut Judæis in fide non permanentibus Gentiles eorum locum usurpent, & Judæi indignantes, quod locum sibi debitum ab aliis occupari videbunt, properent in Ecclesiam ingredi, atque fidem amplecti. Apostolus hoc in D loco ad Moysis verba alludit, quæ superius protulit [10]: *ego ad æmulationem vos adducam in non gentem*. Fatentur Interpretes [11], si Judæi in infidelitatem minime cecidissent, & JESUM CHRISTUM non repulissent, Ethnicos non eo modo, neque eo tempore, quo in Ecclesiam ingressi sunt, fuisse ingressuros. Evangelium Judæis primo prædicatum fuisset; illi hoc arripuissent, eorumque plenitudo ad salutem pervenisset, antequam Gentiles converterentur: sed Judæis deficientibus oppositum penitus accidit. Ethnici primi ingressi sunt; Judæi vero tunc solum, cum Gentilium plenitudo salva facta fuerit [12], in Ecclesiam ingredientur. Eos autem omnes Judæos intelligo, qui sub sæculorum finem sunt convertendi, semper enim identidem in dies Judæorum quidam Religioni Christianæ initiantur.

E ℣. 12. QUOD SI DELICTUM ILLORUM.] Si Deus ex eorum infidelitate occasionem cepit copiosissimam, in omnes terras benedictionem effundendi, atque omnes Gentiles ad fidem vocandi; quid fiet, cum Judæi sub temporum finem ad JESUM CHRISTUM convertentur, omnesque in Ecclesiam coalescent [13]? quanta erit gratia, lætitia, consolatio, fervor, & pro Gentilibus olim conversis, & pro Judæis recens in Ecclesiam ingressis? quænam inter utrosque æmulatio, ut certatim suum

1 Erasm. Zeger. Est. Grot. Mill. 2 Vide Est. Menoch. Tirin.
3 Vide 70. in Psalm. 59. 3. Psalm. 75. 6. Levit. 10. 3. Isai. 47. 5. Vide & Eccli. 21. 21. & Psalm. 4. 5. Vide Ludov. Capell. Lud. de Dieu, Ham. Grot. Clericum hic. 4 Chrys. Theodoret.
5 Vide nostrum Comment. in hunc Psalm. 6 Vide Grot. Est. Brais.
7 Origen. Tolet. Est. Menoch. Erasm. Grot. Hammon. alii. 8 Vide Est. Ham. Vatab.
9 Vide Augustin. hic, & Zeger. 10 Rom. 10. 19. & Deuter. 32. 21.
11 Est. Tolet. hic; Med. in Apocal. 7. 4. &c. 12 Rom. 11. 25.
13 Vat. Est. Men. Tir. Grot. Pat.

suum erga Dominum amutem, suosque grati animi sensus pro vocationis beneficio restentur?

℣. 13. QUAMDIU QUIDEM EGO SUM GENTIUM APOSTOLUS.] Quod in Judeorum gratiam dixi vobis, invidiam minime ciere debet, Gentiles; quasi illos vobis præfetrem, esque vos nullo qoodammodo haberem in discrimine, quippe qui nonnisi illis renuentibus, atque deficientibus in Ecclesiam estis ingressi. Haud ita quidem vocationis vostræ gratiam detrerere ausim: mea maximopere interest eamdem potius extollere, quoniam hæc est mihi gloria, ut sim Apostolus Gentiom, cum a Deo ipso, & ab Ecclesia hoc mihi munus fuerit domandarum [1]. Numquam deero, qoominus Gentiles pro virili ad Ecclesiam evocem, eosque cohorter, ut se tali prorogativo per fidelitatem, atque animi grati sensum dignos exhibeant, ut ipsorum fides, fervor, vitæque sanctitas in Judæis salutarem, sanctamque pariant invidiam, qua impulsi illos æmolari veline, atque cum illis in JESU CHRISTI sacre transiro [2]. Hoc autem seq. ℣. dicuntur.

℣. 14. PROVOCUM CARNEM MEAM.] Videlicet Judæos; qoi sunt fratres mei; ea quippe Hebraica est locutio in veteris testamenti libris passim occurrens [3]: os caro mea, & os meom: scilices frater meus es, vel consanguineos.

℣. 15. SI AMISSIO EORUM RECONCILIATIO EST MUNDI.] Minime invideamus futuro Judaorum vocationi, & conversioni: ea qoippe nobis cedet ad gloriam, atque utilitatem. Erit illa quodam pro Ecclesia Resurrectionis, ac secondæ vitæ species. Cum ad JESUM CHRISTUM venerint, in omnibus fidelibus recens æmulatio in bonum, novusque erga perfectionem zelus suflorescet. Vel illorum redditus ad Deum erga fideles erit veluti bone amici valetudo, qui, cum de illius salute, ac vita penitus actum existimabamus, repente convaluit [4]. Denique, cum illi ad Dominum convertentur, non multo post generalis accidet Resurrectio, illudque signum erit proxime felicitatis, atque rerum omnium instaurationis [5].

℣. 16. QUOD SI DELIBATIO SANCTA EST.] Gentiles, qui in JESUM CHRISTUM creditis, cavete, ne Judæos conversos contemnatis, atque ab illis sejungi velitis [6]; neque contemnatis illos, qui needum in Ecclesiam ingressi sunt: hæc natio licet incredula, & licet penitus derelicta videatur, eas tamen servat adhuc qualitates, quæ aliquando summam illi conferent dignitatem. Hoc est veluti farinæ massa, ex qua Domino primitiæ jam oblatæ fuerunt; oblatio hujus exiguæ partis massam omnem sanctificat: ita parvi Judæi, qui in JESUM CHRISTUM crediderunt, fuet veluti nationis totius primitiæ, atque per exiguum hunc credentium numerum sanctificatus. Tempus aderit, cum & reliqua pars cum Domino conjungetur. Alludit Apostolus ad legem Moysis [7] præcipientis, ut farinæ, quæ depsebatur, primitiæ Domino offerrentur. Primitiæ autem illæ afferebantur ad Sacerdotes, aut Levitas eorum locorum, ubi panis depsebatur. Testis est Philo l. de Præm. Sacerd. hoc ævo suo religiosius fieri consuevisse; & ad hanc quoque diem Judæi ex massa farinæ modicam partem divellunt, eamque in ignem conjiciunt [8], ubi penitus comburatur. S. Hieronymus ad cap. 44. Ezech. ait, consuetudinem, atque traditionem statuisse, ut hujus oblationis quantitas neque sexagesimam massæ ejusdem excederet, neque quadragesima parte decederet.

ET SI RADIX SANCTA.] Judæi ex sancta radice orti sunt; ex sanctis viris, & Patriarchis originem duxerunt [9]. De eorum salute, atque reditu minime est desperandum: illi primi in vetus Domini fœdus ingressi sunt; sperandum est, illos ab æterno fœdere in æternum a Deo minime esse prohibendos. Neqoaquam

A oblitus est Deus eorum, quæ illis spopondit; volt ille potius ocyus easdem in eorum gratiam exequi. Sancti-tas Patrum suorum illis nequaquam imputatur; non sunt sancti reali, atque intrinseca sanctitate, quæ eorum sit propria: sed tantum sanctitate extrinseca, morali, & per analogiam. Hæc illis minime confert proximum jus ad Regnum Cælorum, sed jus solummodo remotum, & quod spei conversionis eorum innititur.

℣. 17. QUOD SI ALIQUI EX RAMIS FRACTI SUNT.] Si Judæorum aliqui in incredulitate permanserunt, & exciderunt promissionibus Patrum suorum, numquid ideo eorum natio contemnenda est? Si quidam arboris rami fracti sunt, asserere ne licet, arborem reprobatam esse, atque igni traditam? tu ipse, o Gentilis, *cum oleaster esses, insertus es in illis*, videlicet Judæis, qui

B fuet tamquam oliva ingenua. Omnia debes stipiti, cui insitus fuisti: ex illo enim succum, atque pinguedinem recipis. Sine Judæis numquam in Ecclesiam fuisses ingressus. Hi sunt, qui tibi Evangelium prædicarunt, qui tibi annuntiarunt JESUM CHRISTUM. Si eorum nemo ex promissionibus Patrum suorum excidisset, eamdem fortasse particeps non fuisses: disce ergo, atque intellige, quid illis debeas.

Adnotandum est, Sanctum Paulum hoc in loco similitudinem ducere ex ea re, quæ vulgo in agricultura fieri minime consuevit: nemo enim umquam sylvestrem arborem ingenuæ stipiti inserere visus est; sed e contra ingenuum surculum sylvestri trunco inserunt agricolæ, ut succus sylvestris trunci in ingenui surculi poros ingressus, ibi naturam immutet, atque fructus

C proferat, quales surculus insitus natura sua debet proferre.

Verum in hujusmodi similitudinibus quilibet ea decerpit, quæ suo conducunt argumento, neque enim ultra easdem proponentis mentem sunt explicandæ: sed sufficit ea fieri posse, quæ S. Paulus sequit. Verba facit solum de fructibus, quos ferunt Ethnici: hoc simpliciter urget, quod Ethnici in Judæis insiti sunt; & quo magis insesendi ratio, de qua loquitur, a rei consuetudine abhorret, eo major gratia videtur a Deo Ethnicis collata. Patriarchæ sunt truncus, Hebræi sunt rami; Apostoli, atque Judæi sunt feraces rami, qui trunco suo adhæserunt; rami vero fracti Judæi sunt, qui in infidelitatem ceciderunt. Germina autem in horum ramorum locum insita, sunt Gentiles

D conversi. Hæc tota est hujus similitudinis sententia [10].

SOCIUS RADICIS, ET PINGUEDINIS.] Factus es particeps promissionum, quæ Patriarchis factæ fuerunt, fidei eorum, cognitionis Dei, gratiarum, quas illis Deus communicavit. Eadem gratia, eadem fides, quæ veteris testamenti sanctos effecit, efficit etiam Sanctos novi.

℣. 18. NOLI GLORIARI.] Ne contempseris ramos, vel fractos, vel illos, qui trunco adhuc adhærent, nec Judæos conversos, nec alios. Primi ii sunt, per quos te Deus ad fidem vocavit, aliorum vero tu locum tenes. Horum salus minime desperanda est; hi minus absunt a salute, quam tu aberas, cum a Deo vocatus

E fuisti. *Non tu radicem portas, sed radix te.* Plurima debes Sanctis Patriarchis, atque Hebræis fidelibus; illi vero tibi nihil. Illi nihil a te, tu vero ab illis quamplurima accepisti [11].

℣. 19. FRACTI SUNT, UT EGO INSERAR.] Deus me illis pretulit, quoniam illos ejecit, ut me in suam Ecclesiam admitteret: eorum lapsum permisit, ut ego resurgerem [12]. Vel potius: hi rami fracti fuerunt, & Deus me in eorum locum inseruit [13]. Non contra radicem, sed contra ramos insurgo.

℣. 20. BENE: PROPTER INCREDULITATEM.] In Deo gloriari potes, eique gratias agere, quod tu in eorum locum statuerit. Eorum crudelitas illud meruit

1 Act. 9. 15. & 13. 2. Galat. 1. 7.
2 Vide Tolet. Est. Men. Tir. Varab. alios.
3 Gen. 29. 14. & 37. 27. Levit. 18. 12. 13. 17. &c.
4 Grot. Vatab. Vorst.
5 Chrysost. Theodor. Anselm. Tolet. hic.
6 Vide Grot. hic.
7 Num. 15. 20.
8 Leo Mutinen. par. 2. cap. 9. Cærem. Judaic.
9 Tolet. Vorst. Pare. Est. Men. alii.
10 Origen. Grot. Castal. Tolet. Est. Erasm. Menoch.
11 Tolet. Est. Grot. alii.
12 D. Thom. Est.
13 Tolet. Grot. Men.

supplicium, quo percussi fuerunt, *sed tu fide stas* [1]; constanter permanes per fidem tuam: time, ne cadas, atque in teipsum simile supplicium concites. Erant illi populus Domini, filii fœderis ejus; omnibus his prærogativis exorti sunt: hæc omnia tibi quoque possunt accidere; tu quoque in incredulitatem, pertinaciam, superbiam ruere potes: etsi constans permanes, neque per opera tua permanes, sed per fidem, quæ merum est divinæ largitatis munus. Neque fides, neque vocatio, neque gratia ea dona sunt, quæ amitti minime possunt [2]. Nimis a propria infirmitate hominis metuendum est, eique semper est in humilitate vivendum. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit*; cave, *ut forte nec tibi parcat*.

℣. 22. VIDE ERGO BONITATEM, ET SEVERITATEM DEI.] Illius erga te bonitatem, ejusque erga infideles Judæos severitatem, & cave, ne postquam in vocatione tua, ac fidei dono, quod assecutus es, quin illud mereretis, clementiam illius expertus es, experiaris etiam justitiæ ejusdem severitatem, in pœnam tuæ infidelitatis, superbiæ, atque ingratitudinis. Minime tibi debet Deus gratiam perseverantiæ, sine qua reliquæ omnes tibi inutiles essent [3].

℣. 23. SI NON PERMANSERINT IN INCREDULITATE.] Si se ad Dominum converterint, rursus poterunt inseri in radicem, atque pristinum locum rursus occupare; *potens est enim Deus iterum inserere illos*; Deus illis æque, ac tibi, cor carneum, ac fidei donum permittere potest; illos aliquando in misericordia sua respicere, quemadmodum eos nunc respicit in severitate [4].

℣. 24. NAM SI EX NATURALI EXCISUS ES OLEASTRO.] Ut insereris in bonam olivam, Deus potest etiam facili negotio olivam bonam super truncum ejusdem inserere, atque ramum divulsum in priori loco collocare. Hæc enim mutatio nequaquam major est illa, quæ tibi contigit: ergo si quod est difficilius, potest Deus, proculdubio poterit etiam, quod facilius.

℣. 25. NOLO VOS IGNORARE MYSTERIUM HOC.] Ne decipiamini perperam intelligentes, quæ superius dixi; eorum mysterium illud, quod fortasse non satis assecuti estis, aperiam. Dixi, a Deo ex mero misericordiæ illius effectu vos vocatos fuisse [5], & nihil prohibere potuisse effectus consiliorum ejus in vobis [6]; illos, quos vocaverat, fuisse etiam justificatos, & glorificatos [7]; & omnes, qui in JESUM CHRISTUM crediderint, salvos futuros [8]; ac tandem justum vivere ex fide [9]. Ex his omnibus inferre possetis, salutem vestram certissimam esse; cumque ex electorum numero sitis, periculum nullum esse, quod pereatis. At hic in te secretum adest, quod minime tenetis, & quod vobis aperiam. Quæ hactenus dixi, certissima quidem sunt; nemo prædestinatorum interire potest; sed plures sunt vocati, pauci vero electi [10]; plures enim fidei, justificationis, ac primæ gratiæ donum receperunt; qui tamen ad gloriam, æternamque salutem minime sunt prædestinati. Certam igitur facite salutem, atque vocationem vestram bonorum operum exercitatione, humilitate, atque erga Dei gratias fidelitate. Hæc autem fusius prosequitur Apostolus cap. 12.

Alterum vero mysterium, quod vos nosse oportet, illud est: partem videlicet Judæorum in infidelitatem cecidisse, ut Dei potentia, atque misericordia in vos primum, mox vero in illos etiam effulgerent. In vos quidem per vestram vocationem ad fidem; in illos vero sub finem sæculorum per eorum conversionem ad Deum. Eorum incredulitas fuit vestræ fidelitatis occasio [11]; A fides vestra causa erit aliquando, ut illi ad Deum revertantur. Deus semper erga progeniem Abrahæ, misericordiæ sensus fovet; si hodie inimici sunt, quod vos ipsorum locum occupastis, amici tamen sunt propter Patres suos, veteres illos Patriarchas [12], & quod illos elegit Deus, ut sibi populum constitueret. Ita ergo vitam vestram instituite, ut effectus iræ illius vobis subeundi non sint, quemadmodum illi subierunt.

℣. 26. ET SIC OMNIS ISRAEL SALVUS FIERET.] Lapsus Israel neque integer est, neque in nullam reditus spem. Illius pars jam credidit in Dominum, pars vero altera aliquando convertetur, & ingredietur in Ecclesiam [13]. At quandonam hoc eveniet? cum gentium plenitudo illuc jam fuerit ingressa sub omnium sæculorum finem [14], eo tempore, quod præter unum Deum exploratum est nemini. B Hæc verba: *omnis Israel salvus fieret*, de plerisque intelliguntur: licet alii credant, de morali totalitate esse explicanda, omnes ferme convertentur, eorumque numerus tantus erit, ut reliqui cum illo collati pro nihilo possint haberi [15].

℣. 27. ET HOC ILLIS A ME TESTAMENTUM.] Hoc fœdus est, quod cum illis percutiam, ubi eorum peccata delevero. Vel: hoc erit fœdus, quod cum illis iciam, eorum peccata delebo, illos mecum in gratiam redire patiar, auferam illis cor lapideum, & cor carneum tribuam.

℣. 28. SECUNDUM EVANGELIUM INIMICI.] Judæi, qui non credunt Evangelio, sunt inimici Dei propter vos, quoniam per misericordiam suam vos quidem vocare dignatus est, per justitiam vero illos in incredulitate reliquit [16]. C Vos igitur non sine pietate, atque miseratione eorum causam intueri debetis. Erant filii legitimi; Deus illos exhæredavit, ut vos adoptaret. Ne insultetis ergo eorum calamitati, atque modeste favore vestro utimini; recordamini, quod *secundum electionem charissimi sunt propter patres*. Cum Deus illos de omnibus nationibus elegerit, atque ex dilecto, & sancto germine prodierint; semper erga eos fovet clementiam [17], quæ tempore suo, quod infinita solummodo illius sapientia cognovit, suum nanciscetur effectum. Non permittet Deus, ut gens olim adeo dilecta in nullam spem reditus pereat; ubi in illos severitatem exercuerit, clementiæ locum relinquet.

℣. 29. SINE POENITENTIA ENIM SUNT DONA, & D VOCATIO DEI.] Dona, & vocatio Dei sunt immutabilia, neque eorum umquam pœnitet Deum. Deus numquam tamquam homines, qui ex odio in amorem, ex amore in odium transiliunt, inconstantes, infirmi, incerti consiliorum suorum, immutatur, Deus, qui elegit sibi in populum genus Abraham, qui illis solemniter spopondit, se eorum mercedem futurum, palinodiam canere non potest. Non ignorabat ille præsentem, ac futuram populi, cum quo feriebat fœdus, levitatem, atque infidelitatem, quod minime obfuit, quominus illi patrocinium suum polliceretur, ac se in æternum ipsius Deum futurum reciperet. Certissime ergo fidem suam præstabit, si minus in Israel universum, saltem in potiorem partem illius. Convertet Israelitas, eosque ad se revocabit, illis fidem, & E vocationis gratiam conferet. Probavit jam Apostolus supra cap. 8. nihil prohibere posse effectus beneficiorum, & consiliorum Dei in electos ejus: cap. vero 3. ℣. 3. 4. & cap. 9. promissiones Patriarchis factas effectibus suis minime esse carituras.

Locus hic in latiori etiam sensu intelligitur pro omnibus donis Dei. Absolutæ promissiones a conditionalibus distinguuntur; absolutæ quidem irrevocabiles sunt,

1 Tolet. Est. Men. Par. 2 Vide 1. Timoth. 1. 19. 11. 15. & 4. 17. & 1. Cor. 16. 13. 2. Petri 1. 10. 3 Vide Est. Tolet. Grot. alios. 4 Vide Estium hic, et Rom. 4. 21. & 14. 4. 2. Cor. 9. 8. & 2. Timoth. 1. 12. Hebr. 11. 19. 5 Rom. 9. 15. 16. 23.
6 Rom. 8. 1. 2. 7 Rom. 8. 30. 8 Rom. 9. 33.
9 Rom. 3. 28. 10 Matth. 20 16. 11 Vide mox vers. 32.
12 Mox vers. 28. 13 Est. Vorst. Tolet. Perer. Menoch. Par. alii. Ita & PP. passim.
14 Ita Origen. Ambros. Chrysostom. D. Thom. alii plures apud Estium hic.
15 Vide Perer. hic Disp. 1. Menoch. Par. 16 Ambros. Est. Menoch. Tolet. Vorst.
17 Origen. Tolet. Est. Menoch. Par. &c.

sunt, sed conditionales sotiquari possunt, saltem secundum nostram loquendi, atque intelligendi rationem [1]; pressius enim loquendo, nulla umquam in Deo est pœnitentia, nulla mutatio. Id genus erant promissiones erga Saul, Salomonem, & illæ, quibus populo suo pacem, atque fertilitatem se traditurum spoponderat Deus, dummodo fidelis, atque obediens esset. Ex quo hic conditionibus defuere, jam in ipsis divinæ largitatis effectus cessarunt. Sed promissiones & mittendi Messiam, & se semper verorum Israelitarum Deum futurum, atque super illos regnaturum, absolutæ sunt, neque eas umquam abrogabit Dominus, neque defuit umquam, quominus illas exequeretur; licet ea ratio, qua id præstat, non semper nostro conceptui, nostræque spei sit conformis.

Qui ad gloriam sunt prædestinati, decidere possunt de statu gratiæ, in quo a Deo constituti fuerunt, possunt in scelus ruere, atque divinam indignationem subire; sed in æternum perire non possunt: nam ab æterno Deus illis opem preparavit, qua certissime ad salutem pervenient [2]. Illi e contra, qui gratiam vocationis, vel fidei dumtaxat receperunt, possunt quidem esse gratiæ Dei participes, & satis diu in ejusdem amore, atque legum illius exercitatione versari; ut beatitudine minime perfruentur, & perseverantiæ donum, quod nemini debet Deus, numquam obtinebant.

℣. 30. SICUT ENIM ALIQUANDO & VOS.] Nullius salus est desperanda; olim a Deo tantopere abhorrebatis, ut nemo credidisset umquam futurum, ut Deus vestri misereretur; attamen per occasionem Judaicæ incredulitatis [3], misertus est vestri, Judæi vero, qui nos a Deo penitus derelictos arbitrabantur, in incredulitatem lapsi sunt, ut aliquando invidia moti, cum nos in Ecclesia viderint, resipiscant, atque animum appellant, ut in eamdem & ipsi ingrediantur [4]. Hoc pacto cum Judæi, atque Gentiles essent ad eamdem libellam, eodemque in loco; ac neutri in semetipsis gloriari possent, quandoquidem in se non aliud habebant, quam peccatum, & incredulitatem; Deus aliorum quidem misertus est, aliorum vero miserebitur; ne quis glorietur [5], atque ut mortales omnes sibi omnia Deo accepta referenda esse profiteantur.

Hic mea quidem sententia sensus est versiculorum 30. 31. 32. & hoc mysterium illud, quod S. Paulus Romanis versiculo 25. aperire cupiebat. Mysterium Justitiæ propter Judæos incredulos, atque superbos, qui rejecti sunt, Mysterium misericordiæ erga Judæos eosdem per humilitatem suam confitentes, & qui sub finem sæculorum sese convertere debent; Mysterium justitiæ simul, & misericordiæ in Gentilium conversione, ac Judæorum lapsu; in his enim omnibus mirum in modum effulgent gloria, sapientia, & scientia Dei, ita ut Apostolus ℣. 33. exclamet: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei &c.*

℣. 32. CONCLUSIT DEUS OMNIA IN INCREDULITATE.] Ne Judæi, aut Gentiles aliquid sibimet vicissim exprobrare possent, & si Judæi Gentilibus dicerent: vixistis in errore, & oblivione Dei; Gentiles respondere possent, vos reliquistis auctorem vitæ, atque liberatorem vestrum contempsistis [6]. Ita si nos in incredulitate viximus, vos hodie in eadem persistitis; & si Deus misericordiæ suæ effectu nos ad fidem vocavit, simili quoque effectu misericordiæ vos etiam est vocaturus. Ne invideritis ei, qua fruimur, felicitati: illam quidem mereri non fuimus: at ne quidem eam, quæ vobis præparata est, promeremini. Hæc fuit S. Pauli mens in universa hac Epistola [7], ut videlicet Judæis simul, atque Ethnicis ostenderet, illos debere Deo quidquid habeant, ut antipatiam, quæ inter illos obrepserat, auferret, ut Judæis superbiam, Gentilibus vero contemptum, quem contra Judæos conceperant, adimeret; ut utrosque humiliaret, atque solidæ pacis fundamenta jaceret inter utrumque populum, qui JESU CHRISTI Ecclesiam jam tunc componebant, atque deinceps erant composituri. Loquitur autem non de singulis Judæis, vel de singulis Ethnicis seorsim, sed de utroque populo universe sumpto. *Conclusit in incredulitate*, hoc est, illis ostendit, ipsos in incredulitate esse conclusos [8], eos incredulitatis redarguit [9].

℣. 33. O ALTITUDO DIVITIARUM.] Quænam est mysterii altitudo in iis omnibus, quæ hactenus vobis dixi de utriusque popul. reprobatione, ac prædestinatione; de electione, qua Deus Gentiles assumpsit, cum interim Judæos repulerit, de præsenti Gentilium conversione, ac dilatione conversionis Judæorum; de lapsu Judæorum, quem permittit, ut inde occasionem accipiat Ethnicos vocandi, & de utrorumque incredulitate, ex qua maxima fit Dei gloriæ accessio. Quis nam harum rerum omnium causas explicabit? quis providentiæ illius sapientia, & scientia, quæ hæc omnia scrutatur mysteria, assequetur? Ego quidem hoc aggredi minime ausim, mihique satis est humili silentio hæc omnia venerari.

Divitiæ sapientiæ, & scientiæ significant perfectam, atque infinitam Dei cognitionem, qua ea omnia explorata habet, quæ electis, & reprobis accidunt; & sapientiam, qua res quaslibet disponit, atque gubernat; peculiariter vero illam, quæ effulget in illius erga electos Providentia [10]. Consilia, quibus utitur, ut omnes ad suos fines deducat, auxilia, quæ iis præparat; fines, quos illis proponit; obices, quos prævertit, ac superat. Nemo est inter homines tanta scientia præditus, & cui tam acer spiritus sit, ac vis, ut distincte hæc omnia cognoscere valeat. Et hoc vero objectum erit nostra attentione, atque gratitudine dignum in beata æternitate. Prudentia, atque modestia S. Pauli in argumentis hujusmodi pudorem injicere debet illis, qui non ferenda superbia, neque Scripturarum auctoritati se se dedere, neque in silentio permanere volunt, cum res agitur adeo difficilis, & ardua. Si tanta cura vocationem, atque electionem nostram bonis operibus certam facere adniteremur, quanta hujusmodi quæstiones discutere gestimus; Ecclesia quidem melius esset ædificata, & paratiores essent Theologi.

℣. 34. QUIS ENIM COGNOVIT SENSUM DOMINI?] Quis audebit verba facere de hujusmodi mysteriis, quæ unice ab Omnipotentis voluntate dependent? Quis gloriari poterit, se Dei mentem assequi, atque altitudinem consiliorum ejus scrutari? quod si & hæc humana mens pertingere nequaquam potest; & operæ pretium minime existimavit Deus, ea nobis revelare, cur in humili silentio, atque timore coram eo non permanemus? cur in timore, atque tremore salutem nostram non operamur [11], quandoquidem utrum amore, an odio digni simus, nos latet [12]?

℣. 35. QUIS PRIOR DEDIT ILLI.] O homo quicumque es, ubinam est meritum tuum? num aliquid tibi debet Deus? quid illi dedisti? quid pro eo fecisti, quod facere minime tenearis. Si primi Parentis nostri peccato iram Dei offendimus, quis conqueri potest, si ille justo Judicio alios in massa corruptionis relinquit, cum interim alios misericordia prorsus gratuita dignetur educere [13]? Deus vos creavit, cum minime essetis; vos suis beneficiis prævertit; vobis gratiam suam, ut aliquid boni adniti possetis, quod alioquin minime potera-

1 Grot. Erasm. Vide & Theodoret. hic. 2 Augustin. contra Julian. lib. 5. cap. 6. & de Corrept. & Grat. cap. 7. & 9. & de Prædestin. SS. cap. 16. *Illorum nemo perit, quia omne quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quidquam &c.* Vide Est. Menoch. Tolet. Tirin. Paræ. Perer. Confer Joan. 6. 39. & 10. 28. & 17. 12. & 18. 9. Rom. 8. 28. 3 Erasm. Vorst. Grot. Pisc.
4 Chrysostom. Grot. Paræ. Est. 5 Ephes. 2. 8. 9. 10. 1. Cor. 4. 7.
6 Act. 3. 15. 7 Tolet. Est. 8 Zeges. Glass. Paræ.
9 Grot. Vorst. Chrysostom. Vide & Theodoret. hic. 10 Vide Tolet. Est. Perer.
11 Philip. 2. 12. 12 Eccle. 9. 1. 13 Est. Tirin. Vorst. Paræ.

tetatis, concessit [1]. Quid ergo habetis, quod ab illo non accepetitis? *quid dedimus Deo, quando totum quod sumus, & quod habemus boni, ab illo habemus?* ait S. Augustinus Serm. 16. de Verb. Apost. c. 2.

℣. 36. QUONIAM EX IPSO, & IN IPSO, & PER IPSUM SUNT OMNIA.] Nullam satis parem verborum vim Apostolus invenit, ut nobis significet, quid ille de infinito Divinitatis Imperio, & de nostra erga ipsum submissione concipiat. Creaturam quodammodo annichilat coram Deo suo; quid enim homini reliquum est, si omnia sunt Dei, in Deo, & per Deum. Si ille Creator est, conservator, principium, causa, & finis rerum omnium [2]? Si nonnisi in illo, per illum, & propter illum subsistimus, si in morali non secus, ac in physico statu ab illo pendemus? Ex eo proficiscitur initium, progressus, ac finis bonorum omnium, quibus afficimur. Nos illi primas æque ac novissimas gratias debemus: ab ipsa vocatione ad fidem, ad ipsam glorificationem, quæ in æternitate perficitur, omnia a Deo in nos emanant [3], & omnia ad eum sunt redituta: *ipsi gloria in sæcula. Amen.*

1 Tolet. Vide 1. Cor. 4. 7.
2 Vide Theodor. Basil. Tolet. Est. Menoch. Paræ. alios.
3 Rom. 8. 30.

CAPUT XII.

Morum præcepta. Vita novitas. Sumus omnes idem corpus ex pluribus membris compositum. Quicumque suis pro communi bono talentis utuntur. Mutuus amor. Iis etiam benefaciendum, qui de nobis male meriti sunt.

1. OBsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpo-
ra vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obse-
quium vestrum. 2 Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in
novitate sensus vestri: ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, &
perfecta. 3 Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter
vos: Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & unicui-
que, sicut Deus divisit mensuram fidei. 4 Sicut enim in uno corpore multa mem-
bra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: 5 Ita multi u-
num corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. 6 Habentes
autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes; sive prophe-
tiam secundum rationem fidei, 7 Sive ministerium in ministrando, sive qui docet
in doctrina, 8 Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præ-
est in solicitudine, qui miseretur in hilaritate. 9 Dilectio sine simulatione. Odien-
tes malum, adhærentes bono: 10 Charitate fraternitatis invicem diligentes: Ho-
nore invicem prævenientes: 11 Solicitudine non pigri: Spiritu ferventes: Domi-
no servientes: 12 Spe gaudentes: in tribulatione patientes: Orationi instantes:
13 Necessitatibus Sanctorum communicantes: Hospitalitatem sectantes. 14 Benedi-
cite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. 15 Gaudete cum gau-
dentibus: flete cum flentibus: 16 Idipsum invicem sentientes: Non alta sapien-
tes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. 17
Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantum coram Deo, sed
etiam coram omnibus hominibus. 18 Si fieri potest, quod ex vobis est, cum o-
mnibus hominibus pacem habentes: 19 Non vosmetipsos defendentes charissimi,
sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Do-
minus. 20 Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi,
hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. 21 Noli vinci a ma-
lo, sed vince in bono malum.

℣. 1. OBSECRO VOS PER MISERICORDIAM DEI.] Diximus jam in ℣. 25. cap. sup. mysterii partem, quod S. Paulus Fidelibus aperire cupiebat, hanc fuisse, quod licet vocati essent, atque a Deo gratiis cumulati, non ideo tamen se salutis suæ certos ducere debebant, nisi jugi attentione, ac vigilantia adlaborassent, ut talentum sibi creditum in lucro ponerent, & gratiis, quibus ornati fuerant, cooperarentur.

Cum autem vacaret enucleandis vocationis Gentilium, lapsus Judæorum, eorumque sub finem sæculorum futuræ ad Dominum conversionis, mysteriis, huc usque distulit sermonem, quo illis ostenderet viam, qua certam facerent vocationem suam & de iis virtutibus sermonem institueret, quæ in Christiano viro maxime requiruntur. Hæc autem ille præscoti in capite absolvit.

Primum quidem fideles obtestatur, *per misericordiam Dei*, per clementiam illius omnino gratuitam, qua illos ad fidem evocavit, cum interim tot alios in incredulitate, atque cæcitate relinqueret; eos obtestatur, inquam, ut exhibeant corpora sua *hostiam viventem*,

rem, Sanctam Deo placentem, videlicet non externa sacrificia, sed sacrificium proprii corporis viventis adhuc, atque uni Deo inserviendo vacantis. Cultum exigit non externum, & servilem, qualis erat Judæorum, sed liberum, rationabilem, spiritualem, quem charitas, atque Spiritus Sanctus animet. Spirituales corporalibus hostiis opponit; viventes hostias victimis jugulatis; victimam nostri corporis, Deo in spirituali sacrificio oblati, victimis Legis, quæ in ara cremabantur; hostiam Sanctam Deo placentem, pollutis, atque horrentibus sacrificiis, quæ Idolis suis Ethnici offerebant.

℣. 2. NOLITE CONFORMARI HUIC SÆCULO.] Ne illius præcepta sequamini, ne in ejus sententiam abeatis, ne illius vivendi rationem imitemini. Mundus nno aliud est, quam vanitas, error, nequitia; amatores B illius phylautia tument, superbi sunt, ambitiosi; voluptates dumtaxat, ac bona præsentia persequuntur. Cavete, ne illos imitemini: est vestrum, atque verax in Cœlum extollere, ea quæ Mundus in pretio habet, contemnite, ita ut qui vos viderit, vos de hoc Mundo non esse, sed illum flocci facere, atque nullo ejusdem amore teneri cognoscat.

SED REFORMAMINI IN NOVITATE SENSUS VESTRI.] Spiritus Sanctus in vobis inhabitans, vosmet ostendat prorsus alios ab illis, qui antea eratis. Qui antea voluptatum, spectaculorum, gloriæ cupiditate ducebantur, gaudium suum in humilitate, secessu, atque harum mundi vanitatum contemptu constituat. Animi vestri sensus, studia cordis vestri, vestræ actiones ceteræ prorsus novæ in oculis hominum videantur, cum C recentem nativitatem, novum spiritum, atque cor receperitis.

UT PROBETIS, QUÆ SIT VOLUNTAS DEI.] Renovatio, de qua verba feci, efficiat, ut scrutemini voluntatem Dei, quid bonum sit, quid jocundum in oculis ejus, quid perfectum. Ante hac temere abire consueveratis post ea omnia, quæ sensum, vel cupiditatem vestram illiciebant; quin cœlestium bonorum vos ullus amor haberet; hodie vero omne tempus, curamque vestram transmittere vos oportet, ad Dei voluntatem in singulis rebus agnoscendam, ad secernenda ea, quæ justa sunt, bona, Deo accepta, ab iis, quæ secus, & ad perfectiora a minus perfectis dignoscenda. Vita vestra frugi esse debet, sapiens, irreprehensibilis, neque satis est vitam sceleris puram, vel e- D tiam laudibus dignam in hominum oculis ducere; ad ulteriorem perfectionis gradum contendere vos oportet, quasi sub oculis Dei ambularetis.

℣. 3. DICO AUTEM PER GRATIAM.] Per auctoritatem Apostolatus, quam mihi concessit Deus [1], vel per Spiritus Sancti gratiam, quam mihi Deus communicavit, & qua me replevit [2], vos hortor, atque pro virili etiam, atque etiam obtestor: *non plus sapere, quam oportet sapere*. Hortor videlicet, ut in veræ, atque sinceræ humilitatis sensu subsistere velitis, æque a sordida vilitate, & ab inani jactantia remoti. *Non plus sapere, quam oportet sapere*; minime significat vos ad statum usque signum superbia intumescere posse; hoc quippe malum est nulla in circumstantia permissum; verum prohibet, ne vobis accepta referatis ea, quæ ad E vos minime pertinent. Ab eo accepistis, quidquid boni habetis. Deo igitur omnem gloriam referte, & nihil vobismetipsis tribuite, ne ulla vos meritorum vestrorum extollat jactantia, sed in perfecta humilitate subsistite, si æqui vultis esse vestrorum meritorum æstimatores.

SAPERE AD SOBRIETATEM.] Cum humilitate, & modestia supernaturalia dona servare, quæ per Fidem A in Baptismate recepistis; minime efferri superbia, quasi hæc dona vestrorum meritorum præmia forent. Ea quippe beneficia sunt, quæ uni clementiæ Dei accepta referre debetis; ideoque nihil putidius videretur, quam si eorum vobis honorem vindicare cuperetis [3].

Iis temporibus, quibus externa Spiritus Sancti dona communia erant in Ecclesia, monita hæc prorsus erant necessaria. Coactus fuerat S. Paulus aliquanto pridem de iisdem ferme rebus Corinthios admonere [4]. Dona hæc Sanctorum Justini Martyris [5], atque Irenæi [6] ævo, immo etiam satis diu post tempus illud fuere communia. Vide, quæ adnotavimus in Acta 2. 4. Hæc ille *dona fidei* vocat, quippe quæ a Deo fidelibus concedebantur, tamquam fidei præmium; vel saltem tamquam Baptismatis, & Christianæ Religionis effectus.

B ℣. 4. SICUT ENIM IN UNO CORPORE.] Eadem utitur similitudine, de re simili ad Corinthios verba faciens [7]; non secus ac in uno corpore singula membra sua habent officia, quæ citra aliorum membrorum invidiam exercent: ita in Ecclesia fideles omnes a Deo receperunt donum, quod sibi proprium est; neque aliis ea, quæ ipsi receperunt, debent invidere, sed in ea gratiæ mensura, quæ singulis concessa fuit, acquiescere. Charitas nobis communia efficere debet beneficia, quibus fratres nostri affecti fuerunt; neque invidere illis debemus, quemadmodum manus oculo videndi, pedibus vero ambulandi facultatem non invidet. ℣. 5. *Ita multi unum corpus sumus in* CHRISTO; *singuli autem alter alterius membra* [8].

℣. 6. HABENTES AUTEM DONATIONES SECUNDUM C GRATIAM.] Loquitur de externis iisdem donis, quæ ut plurimum primis fidelibus concedebantur post manuum impositionem, quæ Baptismum subsequebatur. Hujus rei complura in Actis Apostolorum vidimus exempla. Dona hæc erant Prophetia, donum linguarum, miraculorum, interpretandi Scripturas, aliæque gratiæ, quas tribuebat Deus, prout in rem maxime judicabat, & quas nonnumquam precibus eorum, qui recens Baptismate abluti fuerant, elargiebatur. Hinc S. Paulus Corinthios hortatur, ut a Deo petant ea dona, quæ utilissima sunt [9]; præsertim vero donum Prophetiæ [10]. Quæcumque igitur sint supernaturales gratiæ, quas a Deo recepistis; in vobis pacis, & concordiæ spiritum fovere, erga Deum vero spiritum modestiæ, obedientiæ, & humilitatis D servare.

SIVE PROPHETIAM SECUNDUM RATIONEM FIDEI.] Prophetia, de qua loquitur S. Paulus, non est solum rerum futurarum prævisio, quæ tunc satis erat communis [11]: verum etiam rerum absconditarum cognitio [12]. Donum hortandi, atque docendi; donum Scripturas interpretandi, scientia mysteriorum Religionis; hæc omnia Prophetiæ [13] nomine continebantur. Præcipit Apostolus, ut illi, qui hoc munere cumulati fuerunt, eodem in ædificationem Ecclesiæ, & *secundum rationem Fidei* utantur; ita videlicet, ut quidquid dixerint, atque docuerint, conforme sit, & consonum cum fide Ecclesiæ. Numquam inanis superbiæ, vel singularis fastus vitio nova ferere affectent, atque recentem doctrinam, & ab ea, quam ab Apostolis re- E ceperunt, diversam gestiant edocere. Sæpius enim in Prophetis affectatio quædam, superbia, atque invidia obrepere consueverat [14]. Hujus rei argumento esse possunt præcautiones illæ, quas isthic S. Paulus affert, & quas in priori ad Corinthios Epistola memorat. Spiritus Sanctus, qui mentem illorum illustrabat, non semper cor eorum fovebat, neque semper illorum actiones moderabatur. Exteriora fidei dona, & supernaturalia, de quibus loquimur, munera nequaquam

1 Grot. Tolet. Menoch. Est. Tirin. Vide Rom. 14. 13. Galat. 2. 9. Ephes. 3. 2.
2 Chrysostom. Theodor.
3 Vide infra vers. 6. 7. 8. Tolet. Est. Tit. Menoch. alios.
4 1. Cor. 4. 7. & 11. t. 2. & seq.
5 Justin. Dialog. cum Tryph.
6 Iren. lib. 5. cap. 6.
7 1. Cor. 12. 13. & seq.
8 Tertull. Apolog. §. 39. *Corpus sumus de conscientia Religionis, & disciplinæ unitate, & spei fœdere.*
9 1. Cor. 12. 31.
10 1. Cor. 14. 1. 39.
11 Vide Act. 13. 1. & 15. 31. & 1. Cor. 13. 28. & 14. 29. & Ephes. 3. 5. & 4. 11. &c.
12 Theodoret. hic.
13 Menoch. Tolet. Vat. alii.
14 Anfel. Tolet. Vatab. Est. Pater. Garak. alii.

quam ita adversantur spiritui superbiæ, aliisque mortalium vitiis, ut simul cum illis in eodem homine esse non possint.

At enim, quomodo fieri potest, ut qui Prophetiæ spiritu repleti sunt, possint loqui *non secundum rationem Fidei*? Si hoc verum esset, quam haberemus certitudinem de veritate Prophetiarum, vel etiam operum, quæ Spiritu Sancto afflante scripta fuerunt? Respondeo, Prophetiæ spiritum, de quo loquimur, minime extinguere peculiarem hominis spiritum. Prophetia fideliter secutus afflatum, atque supernaturale lumen, nec falli, neque fallere potest: verum si spiritu suo se rapi patitur, si superbia se se efferri sinit; tunc afferre poterit res fictas, novas, & a ratione fidei abhorrentes, atque tunc nos illum secuti in errorem impingemus. Hac igitur de re nos cautos hoc in loco cupit Apostolus, Prophetam adhortatus, ut semper secundum rationem fidei vaticinetur. Eodem vero tempore nos docet, nobis fidem nequaquam esse habendam iis omnibus, quæ secundum rationem fidei minime sunt. Profecto ut de Prophetiarum veritate, de Prophetarum, & Prædicatorum missione juste judicare possimus, ea vel præcipua ratio est, videre, utrum eorum doctrina Ecclesiasticæ conformis sit, & si quis nobis oppositum diceret iis, quæ in Ecclesia didicimus, licet Angelus esset de Cœlo dilapsus, illum anathema esse dicamus [1].

℣. 7. SIVE MINISTERIUM IN MINISTRANDO.] Ecclesiæ ministerium duplici in sensu potest intelligi, vel pro muneribus Sacrorum Ministrorum, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorumque [2]; vel pro extrinsecis officiis in eleemosynarum distributione, vel in cura, pauperibus, ægrotisque adhibita [3]. Quodcumque in Ecclesia munus exerceas, jubet S. Paulus, te eodem fideliter perfungi; at ne quis in aliquod ministerium irrepere studeat, nisi ad illud fuerit vocatus, ut Ecclesiæ ordini, atque tranquillitati consulatur [4].

SIVE QUI DOCET IN DOCTRINA.] Diximus jam, Prophetiæ nomine nonnumquam etiam docendi ministerium contineri: isthic vero docere peculiariter unum hoc ministerium significat. Quicumque eo munere perfungatur, quod Ecclesia operæ pretium duxit eidem imponere, vel cui a Spiritu Sancto fuit destinatus. Quilibet vocationem suam sequatur, atque talentum suum exerceat. Apostolus de *Doctoribus* sæpe verba facit [5], tamquam de peculiari ministrorum classe, classi Apostolorum subjecta.

℣. 8. QUI EXHORTATUR IN EXHORTANDO.] Græcus verti potest [6]; *qui consolatur*, vel *qui exhortatur*; in utroque sensu, qui a Deo munus accipit afflictos consolandi, vel exhortandi infirmos, & eos, qui animos jam desponderunt, hoc munere utatur oportet in Ecclesia in ejusdem ædificationem, non autem eodem abutatur, ut disciplinæ ordinem invertat.

QUI TRIBUIT IN SIMPLICITATE.] Hoc bifariam intelligitur, qui eleemosynam erogat ex bonis suis, illam summa cum simplicitate, mentis æquitate, bona fide [7] eroget, quin ullam personarum acceptionem admittat, & quin inde existimationis auram apud homines aucupentur. Secundo illis, quibus commissum est Ecclesiæ eleemosynas distribuere, hoc munere perfungatur in cordis simplicitate, & æquitate; vel secundum Græcorum Patrum interpretatione [8], cum liberalitate affluenter tribuens ea, quæ in manibus habet, quin conqueratur, quin precibus fatigari velit, quin denique propriam gloriam, atque utilitatem, sed alienam tantum inquirat [9]. In Scripturis simplicitas nonnumquam pro liberalitate usurpatur [10].

QUI PRÆEST, IN SOLLICITUDINE.] Vigilantia propria est virtus Pastorum: quilibet eam exercere debet juxta eum locum, quem obtinet, & eam gregis partem, quæ fuit sibi concredita. Plus ex illis petitur, quibus plus creditum fuit. Plerique credunt, isthic agi de secundo Pastorum ordine [11]. Græcus, qui vertitur, *in sollicitudine* [12], significat zelum, fervorem, diligentiam.

QUI MISERETUR, IN HILARITATE.] Creditur hoc ad eos præcipue spectare, qui ægrotorum ministerio præpositi sunt [13], & qui in Legibus Christianorum Imperatorum *Parabolani* vocantur. Hos cum hilaritate, alacritate, ac zelo inservire jubet Apostolus, quin vel pravum ægrotantium ingenium, vel ægritudinis diuturnitas, aut horror illos deterreat. Theodoretus in hunc locum putat, in lucro ponendas esse occasiones proxime inserviendi. Qui vero lucratur, semper cum gaudio, atque hilaritate lucratur.

℣. 9. DILECTIO SINE SIMULATIONE.] Hoc respicit omnes Ecclesiæ ministros, de quibus superius locutus est Apostolus, immo etiam omnes fideles singillatim. Veri Christiani character, charitas est, & concordia; eaque vera esse debet, & sincera, non simpliciter in verbis, atque extrinsecis officiis posita, 1. Jo. 3. 15.

℣. 10. CHARITATE FRATERNITATIS INVICEM DILIGENTES [14].] Charitas hæc Pastores ovibus, atque Pastoribus oves conjungat. Fideles intra se sincera, atque fraterno amore vinciantur. Hoc est vinculum pacis, & concordiæ, quod est Ecclesiæ, atque reliquarum omnium societatum decor, & ornamentum.

HONORE INVICEM PRÆVENIENTES.] Græcus [15]; *alios majori cum existimatione, quam vosmetipsos habentes*. Fratres vestros eo in pretio habere, ut omnibus in rebus, & qualibet in occasione eosdem vobismetipsis anteferendos esse censeatis. S. S. Paulus illud tantum commendasset, ut invicem nos extrinsecis honoris indiciis præverteremus, hæc mera fuisset urbanitas; verum exposcit etiam existimationem interiorem, quæ ex animi nostri persuasione proficiscatur, & quæ etiam in exteriora opera se se effundat. Quilibet in proximi sui persona, JESUM CHRISTUM esse putent, in illo Christiani characterem revereatur; illum colat, atque rebus in omnibus honorem illi se deferre gestiat. In vobis tantus sit obediendi, atque vosmet aliis submittendi ardor, quantus antea fuit imperandi, atque vosmet supra cæteros extollendi.

℣. 11. DOMINO SERVIENTES.] Cogitate, vos Domino inservire, atque hæc cogitatio vos cieat, ut ardentius, & majori cum zelo eidem famulemini, voluntatem ejus scrutemini, eique summa cum diligentia, quantum in vobis situm est, obtemperetis. Græcus typis editus legit [16]: *servientes tempori*; vosmet tempori, atque occasionibus aptantes. Vult sapientia, ut rite tempora, atque occasiones noverimus, ut illis vitæ nostræ rationem accommodemus. Licet enim semper hoc quærendum sit, ut bonum exerceamus, atque veritatem inculcemus; quidam tamen accidunt casus, qui nos tergiversari cogant, atque circumstantiis nosmet aptare; non ut malum aliquod faciamus, neque ut iis, quæ debemus, desimus; sed ut bonum differamus, vel ut illud alia quadam ratione faciamus, vel ne veritates quasdam dicamus, quæ alios male afficere possent, & ab aliis in sequiorem partem intelligi. Hoc innue-

1 Galat. 1. 8. *Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*
2 Act. 1. 17. Rom. 11. 13. 1. Corinth. 12. 5. Est. Menoch. Tirin.
3 Act. 6. 1. 1. Cor. 16. 1. Tim. 5. & passim. 4 Tolet. Menoch. Est. alii.
5 1. Cor. 12. 28. 29. & 14. 6 Ephes. 4. 11. Vide Act. 13. 1. 6 Εἴτε ὁ παρακαλῶν, ἐν τῇ παρακλήσει.
7 Ita Antiqui fere omnes. Tolet. Pasæ. Vat. 8 Chrysostom. Ita Theodoret. Grot. Tolet. Ludov. de Dieu, Est. 9 Theodoret. 10 Vide Jacobi 1. 5. & 2. Cor. 8. 2. 9. 11. 13.
11 Vide Grot. Tolet. Ham. Vorst. &c. 12 Ὁ προϊστάμενος ἐν σπουδῇ.
13 Tolet. Paræ. Vorst. Grot. 14 Τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι.
15 Τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι. 16 Græc. impress. Τῷ καιρῷ δουλεύοντες. Alii quamplurimi, Κυρίῳ δουλεύοντες. Alex. Vet. Vien. Lu. Petav. 1. Covar. 2. 3. 4. Cant. 3. Hunt. 1. &c. Codd. Latini omnes Syr. Arab. Æthiop. Clem. Alex. Pædagog. lib. 3. cap. 12. Chrysostom. Theod. Oecumen. Basil. Theophylact. Beda, Primas. Sedul. &c.

innuere cupiebat Salvator, cum ajebat Matth. 7. 6. *Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi disrumpant vos.* Hoc etiam jubebat Græcus ille sapiens [1]: *nosse tempora*; intentus esto, ut omnia temporibus suis exequaris, atque omnibus utaris occasionibus. Non desunt, qui ita explicent: tempori uti scias, & quaslibet benefaciendi occasiones scrutare: *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, S. Paulus ad Galat. 6. 10. inquit, & ad Ephes. 5. 16. *redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

Hæc loquendi ratio, quæ hodie in editis videtur, occurrit etiam apud veterem hujus Epistolæ Interpretem, qui S. Ambrosii nomine circumfertur; in S. Cypriano Ep. 5. & fortasse etiam in S. Ignatii Martyris ad S. Polycarpum Epistola in duobus veteribus MSS. Græco Latinis Claromontensi, & S. Germani Pratensis, in quibusdam MSS. Græcis, & in nonnullis vetustissimis Latinis, quorum meminit S. Hieronymus ad Marcel. in Beda, Sedulio, Primasio; Auctore Commentariorum in Epistolam S. Pauli ad Romanos sub S. Hieronymi nomine, & in Rufino in Versione Commentariorum Origenis in hunc locum. Hi omnes auctores noverunt lectionem hanc, *tempori servientes*; licet illam rejiciant, eique illam præferant; *Domino servientes*, quæ tunc vulgatior erat in Exemplaribus cum Græcis, tum Latinis. Lucas Brugensis ait, extare veteres quosdam Latinos MSS. qui servarunt epitomes capitum, quæ legebantur, antequam novum Testamentum a S. Hieronymo castigaretur; ubi in hunc locum titulus ille invenitur: *de tempori inserviendo.*

Hujusmodi rationes coegerunt Erasmum, & Dom. Millium, ut pro Græci typis editi lectione starent. Putant, quod quidem a veri specie non abhorret, librarium aliquem, ratum a S. Paulo hoc in loco præcipi aliquod, quod humanam politicam, & calliditatem saperet, substituisse *Kyrio* Domino pro *Kairo* tempori, quod statim in plurimis MSS. fuit adoptatum. Sunt etiam, qui putent, confusionem inde obortam fuisse, quod *Kyrio* brevitatis ergo [2] scriptum fuerit, *Ko*, ex quo sciolus aliquis fecerit *Kairo*. At Dominus Millius, qui fatetur, *Kyrio* sæpius brevitatis ergo scribi *Ko*, tenet *Kayro* numquam eodem modo scribi consuevisse, & librarios semper omnes illius literas exscripsisse. Error ergo potius ex præsumptione, quam ex ignorantia librariorum profectus est. Lectio, quæ habet, *Domino servientes*, in omnibus Latinis MSS. quos hodie novimus, & in plerisque Græcis invenitur. Syrus, Arabs, Æthiops, S. Clemens Alexandrinus, S. Basilius, S. Chrysostomus, Origenes, Theodoretus, Oecumenius, aliique sexcenti eam adoptarunt, eamque tandem Vulgatæ usus sacravit; cumque optimum astruat sensum, illam servari, & coli maxime decet, quin tamen omnino rejiciatur Græca lectio, quæ semper propter antiquitatem suam in honore est habenda.

℣. 12. Spe gaudentes.] Christiani hominis lætitia, & consolatio in spe consistit aliquando Deo suo in æterna beatitudine perfruendi: hæc illis cogitatio suavis efficit omnes ærumnas, afflictiones, & adversa, quæ in hoc mundo patitur.

℣. 13. Necessitatibus Sanctorum.] In Apostoli stylo *Sancti* plerumque fideles designant [3]. Vult, ut Christiani semetipsos invicem consolentur, atque liberaliter sibimet omnia communicent bona in alternis egestatibus suis; ita ut charitas inter illos communia quodammodo efficiat & bona, & mala; cum singuli participes fiant eorum, quæ fratribus in utramque partem acciderint.

Græca quædam exemplaria MSS. [4], & S. Johannes Chrysostomus in alteram ad Timotheum Epistolam [5], aliique plures legunt: *memoriis Sanctorum communicantes*. Charitatem etiam erga absentes pauperes exercentes, ne obliviscamini fidelium, qui procul sunt. Vel potius; vosmet imitatores præbete Sanctorum, quorum memoriam celebratis, & actiones percolitis.

Memoriis Sanctorum communicantes.] Alii hæc verba explicant de communione, quam fideles adhuc servant cum Sanctis, qui ante hos decesserunt; non solum per eamdem fidem, ac spem [7], sed etiam per charitatis, atque pietatis convivia, quæ prope illorum tumulos olim celebrabant, rati se hoc pacto cum Sanctis Martyribus communicare [8], & quodammodo cum ipsis conversari. Vetus hæc consuetudo ex omni antiquitate innotescit [8], & Patres complures locum, quem explicamus, hunc in sensum intellexerunt [9].

Hospitalitatem sectantes.] Erga pauperes, advenasque: sed citra fastum, ostentationem, ambitionem. Verba, quibus utitur Apostolus, innuunt, hospites quærendos esse, invitandos, cogendos, neque expectandum, donec veniant, ut nobis hospitalitatis officia quæsituri. Eorum modestiæ vis est inferenda, atque tamquam bonum aliquod, & lucrum visitationis hujus honor quærendus. Neque nimia curiositate investigandum est, quisnam recipiatur, ne quando bonum aliquem virum excludamus, æriti, ne malum admittamus: *In recipiendis hospitibus ignotis solemus dicere, multo esse melius malum hominem perpeti, quam forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cavemus, ne recipiatur malus*, S. Augustinus inquit Epist. 38. novæ edit. num. 2.

℣. 14. Benedicite.] De illis benedicite, pro illis preces effundite, illos benedictionibus cumulate, & cavete, ne dolore acti malum illis imprecemini, vel eos contumeliis proscindatis.

℣. 15. Gaudere cum gaudentibus.] Cum iis, qui adversa jactantur fortuna, compatimini; cum iis vero, qui prospera fruuntur, congaudete, omnes fratres vestros, tamquam amicos habete; cum voluptate eorum bona, cum dolore eorum mala adspicite [9], cum illis sine invidia, sine inimicitia, sine simulatione aliqua vivite.

℣. 16. Idipsum invicem sentientes.] Sine ulla animi, mentisque dissensione perfectissimam fovete concordiam; ne a fratribus vestris sententiarum, actionumve varietate distingui velitis: ubi enim sententiarum obrepserit varietas, facile & animi dissensio ingruit.

Non alta sapientes.] Ne alios in vestram sententiam cogere adnitamini [10]; ne alte de vobismetipsis sentiatis. Humilitatem, atque modestiam servate; neminem negligite, nec mundi hujus auram aucupemini. Superbia origo est omnium dissensionum, quæ in Ecclesia, in Republica, atque in omnibus societatibus accidunt.

Humilibus consentientes.] Græcus [11]: quærite ea, quæ humiliora videntur; illa festinanter perquirite, paupertatem, contemptum mundi, oblivionem diligite; ea omnia evitate, quæ vobis apud homines gloriam possunt comparare. Hæc via est pacis interioris, atque exterioris.

Ita etiam potest intelligi [12]; vosmet humilioribus accommodate. Quærite pauperes, ignaros, infirmos in fi-

[1] Pittac. apud Laert. lib. 1.
[2] Bez. Quidam apud Est. & Ambrosiaster.
[3] Κυρίῳ Kyrio. Καιρῷ Kairo. Κω. Κυρίῳ. Vide Bez. & Mill. hic.
[4] Act. 9. 13. 32. 41. 26. 10. Rom. 1. 8. 7. 27. & passim.
[5] Græc. impress. Ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες. Alii, Ταῖς μνείαις &c. Ita Clarom. & S. Germ. G. L. Borner. G. L. Rufin. seu Origen. in ep. ad Rom. Ambrosiast. Chrysolog. serm. 120. Optat. lib. 2. contra Donatist. pag. 38. & lib. 4. pag. 89. August. serm. olim 49. de Verb. Domini nunc 137. et alii. Hilar. lib. contra Constantium. Scholiast. sub Hieronymi nomine, Sedul. hic, apud Mill.
[6] Chrys. hom. 3. in ep. 2. ad Timoth. tom. 2. pag. 340. Ταῖς μνείαις. Verum hic legit: Ταῖς χρείαις.
[7] Euseb. Histor. Eccl. lib. 5. cap. 15. de sancto Polycarpo. Κοινωνῆσαι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ σαρκίῳ. Vide Not. Valesii in eum locum p. 72.
[8] Optatus l. 2. Hilar. l. contra Constant. ad finem.
[9] Theodoret. hic.
[10] Confer sup. vers. 3. & 11. an. Chrys. hic. Tolet. Est. Men. Tir.
[11] Τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι.
[12] Tolet. Est. Erasm. Var. Lud. de Dieu, alii plures.

in fide ; vosmet patriaiper quodammodo efficire eorum infelicitatis, & vosmet ad eorumdem infirmitatem demittite. Hujusmodi consiliis maxime erant muniendi primis illis Ecclesiæ temporibus pro illis, qui se se convertebant, cum vel sublimiori loco nati essent, vel secularis scientiæ laude florerent, vel etiam, quibus Deus supernaturalia bona supra ceteros liberalius concesserat. His jugis aderat tentatio contemnendi pauperes, ignaros, atque infirmos ; & semet sapientes in oculis suis existimandi [1].

℣. 17. NULLI MALUM PRO MALO REDDENTES.] Privatam ultionem damnat ; Ne oderitis eos, qui vos oderunt : ne calumniis proscindatis eos, qui vos lacessunt, cujuscumque regionis, Religionis, vel conditionis sint [2]. Verum gloriam vestram existimate, benefacere mortalibus omnibus, *non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* [3]. Quin inimicos vestros persequamini, illos beneficiis cumulate, non solum ut Deo hoc præcipienti obtemperetis, verum etiam ut fratribus vestris pietatis, charitatis, atque virtutum hujusmodi exempla præbeatis. Vide 1. Pet. 3. 16.

℣. 18. SI FIERI POTEST, QUOD EX VOBIS EST, &c.] Si dixisset: *cum omnibus hominibus pacem habete* ; nescio, utrum hoc præceptum observari potuisset. Complurimi enim mortales sunt, cum quibus pacem servare nequeas, nisi Dei legem infringens, vel veritati officiens, vel temere tradens iniquitati : Sed cum hoc pretio pax est redimenda, præstat potius bellum fovere ; amicitiam, concordiam, & societatem cum hujus viæ hominibus tollere. Primi fideles, ad quos S. Paulus hoc litterarum dabat, medii erant inter infideles, Idolorum cultores, JESU CHRISTI, atque Religionis ejus inimicos. Eis ergo commendat, ut pro virili, & quantum eorum conscientia, bonor, atque officium pati possunt, pacem cum his pacis inimicis conservent, ipsorumque bonorum, atque temporalium utilitatum, immo etiam famæ ipsius nonnumquam quibusdam in casibus jacturam avertant, ne umquam pacis Leges infringant, vel vim inferentes, vel saltem ulciscentes. Non prohibet tamen, te inimicis pacis, veritatis, pietatis, atque justitiæ [4] adversari, cum eas illi vel in nobis, vel in aliis priores impugnaverint. Salvator, qui est Princeps pacis, Isai. 9. 6. & qui Apostolis suis pacem relinquit, Joann. 14. 27. in Evangelio tamen Matth. 10. 34. profitetur, se venisse, ut in mundum non pacem, sed gladium afferret. Prænoscebat enim persecutiones, quibus servi sui futuri erant obnoxii. Sed tunc etiam, cum pacem tenemur infringere, ut justitiæ, & veritati consulamus, vel tunc etiam cum nobiscum pax infringitur, semper intrinsecus pacem, & charitatem fovere debemus erga eos, qui nos æque, vel inique lacessunt [5].

℣. 19. NON VOSMETIPSOS DEFENDENTES.] Verbum *defendere* crebro pro *ultionem expetere* usurpatur [6]. Prohibet Apostolus vindictam, & jubet *dari locum iræ*, atque eam præterire permitti, velut furens animal, cujus occursum effugimus [7]. Aliter : *date locum iræ*, significare potest, date tempus, ut subsidat, ac decidat [8] : seu intelligatur de ira illius, qui lacessitus est, & injuriam patitur [9], seu de illius, qui infert injuriam [10], atque furore abreptus alios lacessit. Ne irritetis hominem, dum illius ira fervet : relinquite illi tempus, ut animam revocet, ac resipiscat ; tunc sperare poteritis vel per vosmet, vel per alios iram illius deliniri posse, atque redigere, ut vobis etiam aliquo modo satisfaciat. Vel : ne sequamini primos iræ vestræ motus, sinite primum, furoris ignem prorumpere atque extingui : gaudebitis aliquando, quod aures minime præbueritis affectui, qui non satis intelligit, quid sit justitia, & moderatio.

Patres complures [11] hoc explicant de ira Dei : *date locum iræ Dei* ; ne illam prævertatis ; Deo tempus, & curam ultionis vestræ persequendæ relinquite ; ille vobis æquus erit Judex : attendite judicii ejusdem momenta. Quæ postrema explicatio fortasse melior est, eique maxime favent, quæ subsequuntur. Alio in loco S. Paulus hortatur eos, quibus aliqua oborta simultas est, ut ante solis occasum in gratiam redeant, neque locum diabolo præbeant [12], hoc est, ne illius nequitiæ, atque imperio se se tradant. Ne illi in corda vestra locum præbeatis per inimicitias, atque ultionis desideria ; quod ex adverso opponitur iis, quæ isthic dicuntur : *date locum iræ*, justæ iræ, atque ultioni Dei, pacis inimicos deserite. In Ecclesiastici libro [13], *dare locum alieno*, plerumque illum recipere, amare, illius existimationem fovere, eumque in pretio habere significat : *date locum medico* ; *date locum timori Altissimi* &c. Priores explicationes ad litteram magis videntur accedere.

℣. 20. SI ESURIERIT INIMICUS TUUS.] Per potum, & escam omnia humanitatis, & charitatis officia complectitur. Non solum jubeo, vos adversus inimicos minime irasci, & injuriam vobis illatam non persequi ; verum etiam præcipio, ut inimicis ipsis benefaciatis, illis potum, atque escam præbeatis : non secus ac optimi essent amici vestri. Hoc Christianam Religionem, atque JESU CHRISTI doctrinam supra quamvis Philosophorum sapientiam, atque Ethicæ præcepta commendat. Addit S. Paulus : *hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus*, ita in illo extinctam charitatem accendes, ex inimico amicum faciens, & tamquam in ardentia charitatis tuæ igne ferream cordis ejus duritiem mollies. Nequitia sua illum rubore suffundat, & ille ipse ad te revertetur [14]. *Nulla major ad amorem invitatio, quam prævenire amando*, ait S. Augustinus de cathechizand. rudib. c. 4.

D. Chrysostomus [15], Theodoretus, & alii, qui eos secuti sunt, aliter intelligunt ; *hoc faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*, ita in illum gravissimos iræ Dei effectus congeres, vel potius ipse sibi in caput suum ardentes carbones accumulabit. Ne prævertas iram Dei : expecta in pace tempus ultionis. Ne cesses illi benefacere : si se converterit, atque illum Domino lucratus fueris, hoc jam pro te, ac pro illo bonum est inæstimabile ; sed si te odisse, ac injuriis proscindere perseveraverit, ira Dei tandem in illum erumpet, eumque veluti ignis absumet. Postrema hæc sententia litteræ propior videtur. Viri boni neque vindictam, neque inimicorum suorum quærunt interitum : Hoc tamen non prohibet, quominus Deus illorum ultionem deposcat, & lætentur Sancti videntes Dei justitiam in tempore suo contra pertinaces, atque impœnitentes peccatores expleri.

℣. 21. NOLI VINCI A MALO.] Vel inimici tui nequitia.

---

1 Vide Isai. 5. Prov. 3. 7. 2 Μίλου αὐ ἰδλλ ἢ κα̉ς μαρὰς, κα̉ς ὅση ἂς. Chryſ. hic.

3 Græcus legit simpliciter : *coram omnibus hominibus*. At MS. Alexandr. S. Polycarpus, S. Clemens Alexan. Lucifer Calarit. Facundus, Origenes, Ambrosiast. S. August. S. Chrysostom. Sedulius, S. Hieronym. Vulgatæ consonant : *coram Deo, & coram hominibus*. Ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων.

4 Vide Tolet. Est. Pare. Grot. alios. 5 Gregor. Mag. l. 11. ep. nov. edit. p. 1091.

6 Judith 1. 12. 2. 1. 9. 2. 6. 13. Sap. 5. 17. &c. Græc. hic ; Μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες.

7 Ambros. Anselm. Vatab. Pare. Menoch. Tir. Drus. 8 Sy. Lud. de Dieu.

9 Ambros. Var. Arab. Lud. de Dieu. 10 Origen. Basil. Ambrosiast. Tolet. Var. Drus. alii.

11 Chrysost. Theodoret. Oecumen. Theophyl. hic. Aug. hic, & in Psalm. 78. & alibi : Sedul. Pelag. Primas. Beda, Cæzar. Ita & D. Thom. Toler. Est. Grot. Vorst. Camerar. & alibi plerique.

12 Ephes. 4. 27. 13 Eccli. 29. 18. 38. 11.

14 Hieronym. lib. 1. contra Pelag. cap. 9. Augustin. in Psalm. 78. & lib. 3. de Doctrin. Christ. cap. 16. &c. Tolet. Menoch. Piscat. Tirin. Vatab. Beda, Primas. Cæzar. alii apud Est. hic.

15 Chrysost. Theodoret. Theophyl. Photius apud Oecumen. Hieron. lib. 1. Dialog. contra Pelag. cap. 9. Grot. Lud. de Dieu, Camer. Zeger. alii : Confer 4. Esdr. ult.

quitia: Majus illi bonum confert, quam malum ipse tibi afferat. Te ille injuriis lacessit; illum supera beneficiis; hæc generosior est ratio semet ulciscendi; parcere, atque per patientiam, suavitatem, & clementiam inimicos nostros redigere, ut bene nobis velint, & faciant. *Noli vinci a malo*, ab ira, ab ultione; supera hanc animi perturbationem, atque de te- A met, atque hoste tuo pulcherrimam victoriam reportabis, quam si illum profligasses, atque misericordiam expetere coegisses [1]. Nemini est tam ferox ingenium, quem generosa, & constans suavitas non molliat, & vincat [2]. *Vincit malos pertinax bonitas, nec quisquam tam duri, infestique adversus diligenda animi est, ut etiam vi tractus bonas non amet.*

---

1 Ambros. l. 1. Offic. c. 36. *Vindicare se non est actus fortitudinis, sed abjectionis, & timiditatis; vincitur ab inimico, non vincit, qui se vindicat.* 2 Senec. lib. 7. cap. 31. de Beneficiis.

C A P U T XIII.

Principibus, & Magistratibus obtemperandum. Illis quod debetur persolvendum. Proximus diligendus; in hoc tota Lex consistit. Opera tenebrarum. Arma lucis: In JESU CHRISTO ambulandum.

1. OMnia anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim pote-
stas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. 2 Itaque qui
resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi
damnationem acquirunt: 3 Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali.
Vis autem non timere potestatem? Bonum fac; & habebis laudem ex illa: 4
Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim
sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum
agit. 5 Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam pro-
pter conscientiam. 6 Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in
hoc ipsum servientes. 7 Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum:
cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. 8 Ne-
mini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum,
legem implevit. 9 Nam: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non fal-
sum testimonium dices: Non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc
verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. 10 Dilectio proximi ma-
lum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. 11 Et hoc scientes tempus:
quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam
cum credidimus. 12 Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo o-
pera tenebrarum, & induamur arma lucis. 13 Sicut in die honeste ambulemus,
non in comessationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus, & impudicitiis; non in
contentione, & æmulatione: 14 Sed induimini Dominum Jesum Christum, & car-
nis curam ne feceritis in desideriis.

℣. 1. OMNIS ANIMA POTESTATIBUS.] Pergit isthic S. Paulus, fidelibus morum præcepta tribuere. Ea, quæ cap. sup. vidimus, eo tendebant, ut bonum ordinem, ac pacem in Ecclesia, atque inter fideles servarent. Hæc vero præsertim respiciunt obedientiam, quæ superioribus potestatibus debetur. Commendaverat Apostolus [1] libertatem Christianorum, eorumque ex Mosaicæ legis jugo liberationem: verum ne quis doctrina sua abuteretur, hoc in loco ostendit, quænam obedientia Regibus, ac Magistratibus debeatur. Hoc ipsum etiam, atque etiam primis Ecclesiæ discipulis Apostoli S. Petrus [2], & S. Jacobus [3] commendarunt; idque etiam S. Paulus in epistola sua ad Titum, seu ut in patientia contineat Christianos, qui undequaque persecutionibus agitabantur; seu ut auferat præjudicium, quod perceperat, JESU CHRISTI discipulos, A quorum plerique Galilæi erant, favere sententiæ Judæ Galilæi, atque Principum auctoritati resistere [4].

Omnis anima; omnis homo cujuscumque sit conditionis, & dignitatis; *potestatibus sublimioribus subdita sit*, Regibus, Principibus, Magistratibus: omni potestati legitimæ, sive absoluta sit, sive subordinata. Apostolus hic neque Sacerdotes excipit, neque Præsules, neque Cœnobitas, inquit Theodoretus [5], atque unus dumtaxat excipiendus est casus, videlicet, cum aliquid contra Dei legem præcipitur. Tunc ea, quam Deo debemus, obedientia illi, quæ hominibus debetur, est præferenda; sed in hoc etiam casu nequaquam licet arma capere, atque in illos insurgere. Illis obtemperare minime decet in iis, quæ justitiæ, ac legi Dei adversantur; in reliquis vero eisdem parendum est. Si præcipiunt, ut Idola veneremur, vel ju- B stitiam infringamus, proposito vitæ ipsius discrimine,

---

1 Rom. 6. 14. 15. & 7. 1. 2. & seq. 8. 2. &c. 2 1. Petri 3. 13. 14.
3 Jacobi 5. 6. 7. 8. 9. 4 Baron. Toles. Tirin. Est.
5 Theodoret. hic. Ita Erasm. Grot. Est. Tolet. alii.

vel bonorum omnium interitu, libenter vitæ, bonorumque jacturam sustine, hac in re illis minime pare, in reliquis vero eisdem obtempera.

NON EST ENIM POTESTAS, NISI A DEO.] Homo in ipsa creatione sua integra libertate donatus, non alteri creaturæ, sed uni Deo submissus. Si peccatum non ingressum fuisset in mundum cum inobedientia Adæ; homines hanc inter se æqualitatem servassent, ac nemo alteri obnoxius fuisset. Sed cum homines propria libertate fuerint abusi, damnati fuerunt, ut iis obedirent, quos Deus super eorum caput constituit, in pœnam superbiæ, qua Creatori suo æquales fieri affectaverant [1]. At enim nonne veteres complures Monarchiæ initium suum, atque incrementum ambitioni tantum debent, atque impotentiæ? Nembrod, ex. g. Ninus, Nabuchodonosor, aliique erant ne Principes a Deo constituti? Nonne veritati magis consonum videtur, coacta Imperia ex dominandi cupiditate originem duxisse? Imperia vero libera profecta esse ex hominum metu, qui cum se nimis infirmos senserint, ut contra aliorum conatus tuerentur, semet alicui capiti subjecerunt, atque sponte in alienigenæ alicujus viri manibus naturalem potestatem sibi a Deo concessam proprias injurias ulciscendi collocarunt? Quonam igitur in sensu docet Apostolus, omnem potestatem a Deo esse profectam, eumque auctorem esse omnis auctoritatis super terram institutæ?

Ipse earum author est, & causa, primum quod hominibus mentem injecit, ut validioribus sese submitterent, qui illos protegerent, atque tuerentur; Secundo quod potestates in terris constitutæ maximi sunt auxilii ad pacem, ordinem, Religionemque servandam. Sed omne bonum a Deo tamquam ab origine emanat. Tertio cum potestas, quam a Deo homines receperunt, ut semet defenderent contra eos, a quibus læderentur, & vitæ sui, aut bona impeterentur, & quam alicui Principi submiserunt, a Deo ipso ex origine proficiscatur, dici possunt Principes, qui eam ab hominibus obtinuerunt, eamdem a Dei manu etiam obtinuisse [2]; quam ob rem S. Petrus in 1. Ep. 2. 13. hanc *potestatem humanam* appellat; quæ a S. Paulo *potestas a Deo* constituta vocatur. Hoc ergo & divina simul est & humana respectu diversorum, quemadmodum nuper dictum est. Quare denique suprema auctoritas a Deo fluit, quoniam Deus illam probavit, postquam a Sapientibus hominibus fuerat instituta [3].

Nullus umquam populus sæcularibus potestatibus magis subjectus fuit, quam primi illi Christiani, qui JESU CHRISTI, Apostolorumque decreto edocti numquam restitere illis, quibus a providentia fuerant subjecti. Salvator discipulis suis nihil præter fugam reliquit [4]. S. Petrus ait, illum nobis præclarum patientiæ exemplum reliquisse, cum se injuriis, atque judicum suorum injustitiæ tradidit [5]. S. Paulus hic nos monet, quod *qui resistit, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Non alia injuriis, quibus impetimur, arma objiciemus præter patientiam, S. Cyprianus ait [6]: non enim ideo cedimus, quod adeo frequentes non sumus, at resistendo pares minime simus: sed a JESU CHRISTO didicimus omnia perpeti. *Cui bello non idonei, non prompti fuissemus*, Tertullianus in Apolog. ait, *etiam copiis impares, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Cum nefanda patimur*, Lactantius l. 5. inquit, *ne verbo quidem reluctamur, sed Deo remittimus ultionem. Coactus repugnare non novi*, S. Ambrosius ait, Orat. in Auxent. *dolere potero, potero flere, potero gemere: adversus arma, milites, Gothos quoque, lachrymæ meæ arma sunt. Aliter nec debeo, nec possum resistere.*

QUÆ AUTEM SUNT.] Ita verti posset [7]: *sed quæ sunt vero potestates*, ut a Latronum, Piratarumque potestatibus distinguantur, *a Deo sunt constitutæ*. Omnis legitima potestas a Deo venit. Reges filii sunt Jovis, quemadmodum Ethnicæ Religionis Sapientes tradidere; eorum potestas a Dei potestate emanat, eamque imitatur. *Cujus jussu homines nascuntur*, inquit S. Irenæus l. 5. c. 24. *hujus jussu, & Reges constituuntur, apti illis, qui illis temporibus ab ipsis regnantur*. Christiano sufficit, quod Princeps a Deo institutus fuerit, ut illum amet, colat, ejusque conversionem omnibus votis concupiscat (ait Tertullianus in Apolog.) *quem sciens a Deo suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat, & revereatur, & salvum velit.*

℣. 2. QUI RESISTIT POTESTATI, DEI ORDINATIONI RESISTIT.] Nisi, quemadmodum dictum est, qui in auctoritate constitutus est, potestate sua abutatur, justitiæ, ac Legi Dei opposita imperans. Esseni [8] in hanc sectam ingressi jurabant, se intemeratam omni Mundo, præcipue vero Principibus fidelitatem servaturos; illis enim persuasum erat, supremam potestatem Dei donum esse, ac neminem nisi divinitus in dignitate constitui.

Addit S. Paulus: *qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, vel in Magistratibus, & potestatibus, quæ eorum inobedientiam puniunt [9]; vel a Deo, qui illos damnat, & in quos nonnumquam insignibus suppliciis, qualia olim Core, Dathan, & Abiron acciderunt, severitatem justitiæ suæ ostendit; denique in semet damnationem, æternumque supplicium convertunt, justæ Providentiæ ordini adversantes. *Damnationis* loco, Græcus legit *judicium*; sed non aliud istbic, haud secus ac alibi parum significat [10].

℣. 3. PRINCIPES NON SUNT TIMORI &c.] Principes constituti non sunt, ut potestatem suam in illos, qui bene, sed qui male egerint, exerceant [11]. Non exercent legitimam auctoritatem suam, ut vos in malum cogant, sed ut prohibeant, ne malum operemini. Nequissimi etiam Principes malum sunt, minus adhuc perniciosum, quam flagitiorum impunitas, & ea libertas, qua ea in statu, ubi nullum caput, nulla auctoritas legitima adesset, impii perfruerentur. Abutuntur nonnumquam sua potestate Principes; at numquam adeo nequam sunt, ut improbis, ac perditis civibus quælibet audendi licentiam permittant; hoc enim sua minime interest [12]. Qui imperant ergo, ferendi sunt, quemadmodum procellas, atque sterilitatem patimur [13]. *Vis non timere potestatem? bonum fac; & habebis laudem ex illa.* Palam quidem dicent, vos Principis imperio esse rebelles, at secreto inquient; *bonus est vir Caius Seius, tantum quod Christianus* [14].

℣. 4. DEI ENIM MINISTER EST,] ut vos tueatur contra iniquorum sententiam, ut fidem publicamque tranquillitatem conservet, ut perditorum hominum conatus inhibeat. Sine Principum, & Magistratuum auctoritate quid fiet de Legibus, libertate, bona fide, negotiatione, imo & ipsa Religione?

NON SINE CAUSA GLADIUM PORTAT.] Gladius symbolum est potestatis vitæ, atque mortis. Princeps jus habet gladium educendi, tum ut improbos puniat, tum ut bonos viros defendat. Talmudistæ sæpius Regem vocant eum, *qui gladium portat*: Gladii vero nomine intelligi possunt omnia publicæ severitatis, atque

1 Gen. 3. 5. 2 Tolet. Est. Paræ.
3 Vide Grot. de Jure Belli & Pac. lib. 1. cap. 4. n. 7. 4 Matth. 10. 23.
5 1. Petri 4. 12. 23. 6 Cyprian. *Quamvis nimius & copiosus noster populus, non tamen adversus violentiam se ulciscitur, patitur.* 7 [illegible]
8 Vide Joseph. de Bello, lib. 2. cap. 12. pag. 786. 9 Chrysost. alii Græci D. Thom. Est. Tirin. Vorst. Hammond. &c. 10 Chrysost. Est. Tolet. alii.
11 Ε᾽αυτοῖς κρίμα λήψονται [illegible]. 12 Vide Luc. 23. 40. 1. Cor. 6. 7. Act. 24. 25. Rom. 2. 2. Hebr. 6. 2. 2. Petri 2. 3. &c Vide Hamm. 13 Tacit. *Quomodo sterilitas, aut imbres & cætera naturæ mala; ita luxus vel avaritia dominantium toleranda.* 14 Tertull. Apolog.

quæ obtionis instrumenta ignis, rota, funis, carcer.

℣. 5. IDEO NECESSITATE SUBDITI ESTOTE [1].] Quoniam divinæ Leges, & humanæ, quoniam vestra quoque utilitas, atque gravissimorum suppliciorum metus vos cogunt, *subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Nam Lex, quæ vos cogit principibus parere, nequaquam civilis, atque pœnalis lex est, quæ in exteriori tantum obliget foro, sed Lex, quæ in conscientia, & sub æterni pœna obligat, nimirum Legi naturali, atque divinæ [2], imperanti, ut superioribus erga nos Dei locum obtinentibus pareamus. Leges, quæ a Principibus irrogantur, cum nihil habent justitiæ ac divinæ Legi non consentaneum, & ipsæ conscientiam obligant; quoniam legitima hæc est exercitatio potestatis, quam Reges a Domino receperunt [3].

℣. 6. IDEO & TRIBUTA PRÆSTATIS,] quippe qui Principibus subditi estis, eisque parere tenemini, non solum propter suppliciorum metum, verum etiam ex ipso conscientiæ officio. Tributorum nomine isthic intelligi possunt omnia onera publica, quæ Principes subditis imponunt. Hæc illis persolvuntur tamquam debitum, vel quædam remunerationis species pro jugi Principum cura, qua publicis negotiis invigilant [4], ut possint sustinere onera cum hac suprema dignitate conjuncta, ut victum suum, atque domesticorum suorum inde recipere, oppida præsidiis munire, exercitus conscribere, & sexcenta alia, quæ privati viri facultatem excedunt, efficere valeant [5]. Tertullianus [6], & S. Justinus Martyr [7], testimonium perhibent fidelitati, qua primi illi Christiani tributa sua Imperatoribus persolvebant.

℣. 7. REDDITE ERGO OMNIBUS DEBITA.] Reddite quidquid debetur omnibus potestatibus cujuscumque generis sint, seu Imperatori, seu Magistratibus, vel Prætoribus, aut justitiæ Præfectis, & generatim iis omnibus, qui in munere, & dignitate sunt constituti: *cui tributum, tributum*. Tributum impositum est subditorum bonis, vel personæ inflicta: *Vectigal* mercibus inditum est [8]. Timor [9] significat curam, quam habere tenemur, ne Principes, eorumque ministros offendamus, & obedientiam, quæ ad eorum mandata adimplenda requiritur: *Honor* denique Principibus, atque ministris licet indignis debetur propter dignitatis eorum altitudinem. Hæc omnia S. Pauli præcepta ex adverso principiis Judæ Galilæi opponuntur, de quibus in Actis c. 5. 37. & in Josepho de Bello l. 2. c. 12. sermo habetur.

℣. 8. NEMINI QUIDQUAM DEBEATIS, NISI UT INVICEM DILIGATIS.] Hoc nequaquam significat quasi cæteris officiis nobis defungendum non esset præter hoc charitatis; immo e contra ante cætera hoc munere defungi debemus. Innuit autem, solum nobis charitatem nostram augendam esse, fratres diligendo, quos quo magis diligimus, eo magis debitum eorumdem diligendorum percipimus [10]. Æs quidem alienum dissolvimus, reliqua etiam debita tolluntur, at debitum charitatis æternum manet: *semper debes charitatem, quæ sola etiam reddita semper detinet debitorem*, ait S. Augustinus [11]. Charitas non est similis aliis bonis, quæ pereunt effunduntur, decrescunt: hoc enim quo magis aliis erogatur, semper augetur: *etiam cum redditur ab homine crescit in homine, & tanto major acquiritur, quanto pluribus redditur. Non ergo sic impenditur Charitas ut pecunia . . . impendendo illa diminuitur, hæc augetur*. Numquam igitur dicere potes: charitate erga proximum defunctus sum [12].

Græcum nonnulli vertunt [13]: *nihil illi debetis, nisi ut invicem diligamini*. JESUS CHRISTUS perfectam vobis libertatem comparavit, vobis adoptionis gratiam conferens; verumtamen vos minime absolvit, ne proximum vestrum diligeretis. Hoc ille vobis officium imposuit, cæteris quodammodo erga homines vos exsolvens: ita ergo hoc perfungimini, & jam omnem Legem explestis: *qui enim diligit proximum, legem implevit*. Omnem legem intelligit, quatenus nostra erga proximum respicit officia; non autem officia nostra erga Deum, quæ alterius generis sunt [14], nisi cum SS. Augustino [15], Thoma [16], aliisque plurimis asserere velis, amorem proximi in Dei amore contineri; quatenus præcipit Deus, ut proximum nostrum quemadmodum nos metipsos diligamus. *Hominem diligere non novit, quisquam eum non diligit, qui hominem fecit* [17]. Proximos nequaquam diligimus, uti oportet, nisi ex toto corde diligamus Deum; cum ergo proximum nostrum diligimus, Deum diligimus. Verum hoc subtilius fortasse videbitur.

℣. 9. NAM NON ADULTERABIS,] & alia huic similia præcepta per compendium in hoc verbo continentur: *diliges proximum sicut teipsum*. Minime velles te fallaci teste decipi [18], et contumeliis affici, tibi vitam auferri, conjugi tuæ inferri dedecus: nihil ergo simile proximo tuo facere debes [19].

℣. 10. DILECTIO PROXIMI MALUM NON OPERATUR;] immo e contra nos impellit, ut operemur bonum [20]. Statim ac proximo non benefacimus, jam illum minime amamus. Græcus ita vertitur [21]: *dilectio proximum non efficis mala*, quod a Vulgata non abhorret.

PLENITUDO ERGO LEGIS EST DILECTIO.] Charitas, qua proximum nostrum prosequimur, consummata est, & perfecta Legis observantia in iis, quæ ad nostra erga homines pertinent officia, quemadmodum vidimus ℣. 8. Hæc prohibet, ne illis injuriam efficiamus, & impellit, ut pro virili de illis bene mereamur [22]; idemque cum Sancto Gregorio Magno dicere possumus [23], omnia Legis præcepta in una charitate versari: *omne mandatum de sola dilectione est, & omnia unum præceptum sunt, quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur*.

℣. 11. ET HOC SCIENTES TEMPUS, QUIA HORA EST.] Scimus advenisse tempus, charitatem erga omnes homines exercendi, & nos ad id multo magis quam antea post Evangelium teneri [24]. Hæ vero contumeliæ, quibus in singulos dies propter JESUM CHRISTUM sumus obnoxii, alia adhuc ratione magis peculiari nos erga ipsos inimicos etiam ad eamdem charitatem exercendam impellunt.

Textus verti etiam potest: *scimus tempus urgere, & advenisse horam, ut evigilemus*. Hoc non est amplius dormiendi, sed vigilandi tempus [25]. Majus nobis imminet ab hostibus periculum, & a JESU CHRISTO proxima est salus; quæ duæ rationes eo nobis jugem vigi-

Tom. VIII. K 2 lan-

1 Græc. impress. Ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι. Quid. Codd. ὑποτάσσεσθε omiss. ἀνάγκη. Ita Complut. Clarom. & S. Germ. G. L. Iren. Ambros. Quidam Latini: *Necessitate subditi estote*. Vide Mill.

2 Vide Matth. 22. 21. Marc. 12. 16. 17. Luc. 20. 24. 3 Perer. hic. Est. Paræ.

4 *Ministri Dei sunt in hoc ipsum servientes*. Gr. Λειτουργοὶ γὰρ Θεοῦ εἰσιν εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες. *In hoc ipsum incumbentes*. 5 Vide Paræ. Grot. Tolet. 6 Tertull. Apologet. *Cætera vectigalia gratias Christianis agunt ex fide pendentibus, qui alieno fraudando abstinemus*. 7 Justin. Apolog. 2.

8 Vide Theodoret. hic. 9 Φόβος. Oecumen. αἰδῶ, εὐλάβειαν.

10 Aug. Ep. 192. nov. edit. 11 Theodoret. hic. 12 Tolet. Grot. Paræ. Erasm.

13 Μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε. Ita Arab. Lud. de Dieu. 14 Est. Cajet. Tolet. 15 Aug. Ep. olim 95. nunc 177. n. 10. & Ep. olim 130. nunc 258. n. 2. 16 D. Thom. in hunc locum.

17 August. Ep. 258. n. 2. 18 Plura MSS. non leguut hic: Οὐ ψευδομαρτυρήσεις. *Non falsum testimonium dices*. Ita Alex. Clarom. & Germ. G. L. Syr. Theod. Basil. Ambros. alii plures. Vide Mill.

19 Vide Theodoret. hic. 20 Vide Est. Paræ. Grot. 21 Ἡ ἀγάπη τῷ πλησίον κακὸν οὐκ ἐργάζεται. Quid. τῷ πλησίον. Ita Steph. a. Velez. Vulg. August. Ambros. 22 Vide Grot. Tolet.

23 Greg. Magn. Homil. 27. in Evangel. 24 Erasm. Tolet. Tirin.

25 Καὶ τότε εἰδότες τὸν καιρὸν, ὅτι ὥρα ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι. Theodoret.

lantiam exposcant. Milites coram hoste, atque ob A imperatoris sui oculos numquam somno se se dedunt [1]; nobis undequaque cum visibiles, cum invisibiles circumstant inimici; JESUS CHRISTUS est in medio nostri, nos ad prælium atque vigilantiam hortetur, impendet Domini adventus: *nunc propior est nostra salus, quam cum credidimus*; quo magis progredimur, eo magis redemptio, atque liberatio nostra prope fiunt. JESU CHRISTI adventus, de quo sermo est, vel est tempus mortis ejus, vel tempus extremi judicii [2]. Novissimi judicii dies longe aberat ab illis, ad quos ille loquebatur; sed peculiaris judicii dies, quo de singulorum futuro statu judicandum erat, non aberat longe. Novissimum enim non aliud efficiet, quam ratum facere, & confirmare quidquid primum decreverit.

B ℣. 12. NOX PRÆCESSIT;] vel processit. *Nox* significat ignorantiæ tempus, *dies* tempus Evangelii [3]. S. Paulus Ethnicos alloquitur. Ante conversionem vestram in tenebrarum caligine vivebatis; at hoc abiit tempus, ecce dies. Evangelium idololatriæ, ignorantiæ, peccati tenebras dissipavit. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis* [4]. Evitemus peccatum, quod lucem odit, & latebras quærit [5]; arripiamus arma fulgentia [6], videlicet clypeum fidei, thoracem justitiæ, cassidem salutis, gladium Spiritus.

Credunt nonnulli [7], *arma lucis* isthic significare *fulgentes vestes*, quæ nos cooperiunt, atque contra invisibilium hostium incursus tuentur: hæ igitur vestes eædem sunt pro ratione, & in morali, & in spiritua- C li sensu ac *arma lucis*, hoc est vita honesta, sancta, gravis, modesta, ædificans, & cujus, ubi diei fulgor eccefferit, nos minime pudeat: *sicut in die honeste ambulemus*.

℣. 13. NON IN COMESSATIONIBUS.] Ne vosmet libidinibus, & comporationibus abdatis: vel hoc cum superioribus connectendo; *ambulemus in honestate, atque urbanitate, quemadmodum interdiu ambulatur, non autem in ganeis, & lustris* [8]: hæc sunt opera tenebrarum, de quibus supra erat sermo: illas avitemos tamquam actiones diei, atque luminis, in quo vivimus, indignas; ambulemus tamquam filii lucis, quasi semper coram Domino nostro, qui nos videt, atque illuminat versaremur.

NON IN CUBILIBUS, & IMPUDICITIIS.] Duplici hac voce omnia impudice facta, & quidquid libidinem concomitatur, amplectitur. Alterum orthographi vocabulum actiones turpes, & naturæ oppositas significare videtur [9].

NON IN CONTENTIONE, & ÆMULATIONE.] Non in dicteriis, & invidiæ, quæ cum contentionibus conjuncta esse consueverunt [10]; vel, non in certaminibus, atque zelotypia, quæ plerumque turpia facta, atque flagitiosam amorem subsequuntur.

B ℣. 14. SED INDUIMINI DOMINUM JESUM CHRISTUM.] Hæc locutio Sancti etiam Johannis Chrysostomi ævo communis erat, atque significabat, alicujus negotia assumere, sensibus imbui, cum illo intrinsecus esse conjunctum. Christiani JESU CHRISTO hoc in sensu debent indui, illum amare, imitari, eidem hærere, in seipsis vestigia, & lineamenta divini hujus prototypi exhibere, non secus, ac nostra indumenta corporum nostrorum, atque figuram repræsentant.

CARNIS CURAM NE FECERITIS.] Ne impudicitiam vestram explere satagatis. Græci ad litteram [11]: *ne curam geratis carnis in desideriis suis*. In id attendite, ut salutem vestram tueamini, & corpori vestro C necessaria tribuatis [12]; verum incompositas voluptates minime sequamini. Si dixisset, carnis curam habendam non esse, verba illius in sequiorem partem arripi fortasse potuissent; sed ubi addit *in desideriis ejus*, hoc innuit, carnis curam justam, & æquam haberi posse, ubi nimia illius commoda, atque blandimenta evitantur. Caro enim perniciosissimus fit hostis, statim ac ejus vota explere contendimus [13]. Hominibus præcipiendum non est ut carnem suam ament, sed illud præcipiendum est, ne nimis ament; *nemo carnem suam odio habuit*. Ephes. 5. 29.

---

1 Vide Grot. 2 Vide Theodoret. & 1. Petri 4. 7. Jacobi 5. 8.
3 Vide Hamm. hic. 4 Theodoret. 5 Joan. 3. 20. *Qui male agit, odit lucem; & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* 6 Ephes. 6. 13.
7 Est. Tolet. Paræ. Vatab. 8 Vide Grot. Hammon. Erasm. alios.
9 Μὴ κοίταις καὶ ἀσελγείαις. Vide Tolet. Grot. 10 Μὴ ἔριδι καὶ ζήλῳ.
11 Καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίας. *Carnis providentiam ne feceritis.* Origen. Aug. Erasm.
12 Ephes. 5. 29. *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam.*
13 Vide Erasm. Grot. Vat. Tolet. Est. Theodoret.

CAPUT XIV.

Qui sunt fortes in Fide, infirmos sustinere debent; qui vero infirmi, fortes damnare non debent. Ne vicissim damnemini. JESUS CHRISTUS est omnium Judex. Scandalum evitate. Quidquid fit sine fide, peccatum est.

1. INfirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. 2
Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet. 3 Is, qui manducat, non manducantem non spernat; & qui non
manducat, manducantem non judicet; Deus enim illum assumpsit. 4 Tu quis
es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit: stabit autem; potens est enim Deus statuere illum. 5 Nam alius judicat diem inter diem: alius
autem judicat omnem diem: unusquisque in suo sensu abundet. 6 Qui sapit
diem, Domino sapit. Et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit
Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. 7 Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur. 8 Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur,

mur; Domini sumus. 9 In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit: ut
& mortuorum, & vivorum dominetur. 10 Tu autem quid judicas fratrem tuum?
aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.
11 Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne
genu: & omnis lingua confitebitur Deo. 12 Itaque unusquisque nostrum pro se
rationem reddet Deo. 13 Non ergo amplius invicem judicemus: sed hoc judi-
cate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. 14 Scio, & confi-
do in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid
commune esse, illi commune est. 15 Si enim propter cibum frater tuus contri-
statur: jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro
quo Christus mortuus est. 16 Non ergo blasphemetur bonum nostrum. 17
Non est enim regnum Dei esca, & potus: sed justitia, & pax, & gaudium in
Spiritu sancto. 18 Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, & probatus
est hominibus. 19 Itaque quæ pacis sunt, sectemur; & quæ ædificationis sunt,
in invicem custodiamus. 20 Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia qui-
dem sunt munda; sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. 21
Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater
tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. 22 Tu fidem habes? penes
temetipsum habe coram Deo: Beatus, qui non judicat semetipsum in eo, quod
probat. 23 Qui autem discernit: si manducaverit, damnatus est: quia non ex
fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

℣. 1. INFIRMUM IN FIDE ASSUMITE.] Christiana Ecclesia ex Gentilibus simul, & Judæis conversis erat conflata. Judæi semper Legis cæremonias observare quærentes, asserebant, abstinendum esse ab usu quarumdam carnium, quas Moyses immundas esse dixit. Gentiles autem conversi, rati sibi utendum esse ea libertate, quam conferebat Evangelium, indiscriminatim quovis escæ genere utebantur. Hæc sententiarum morumque varietas perniciosissimos pepetisset effectus, nisi S. Pauli prudentia consuluisset, atque hominum mentes cohibuisset, illos adhortatur, ut se se mutuo tolerarent, quin seipsos vicissim damnarent, & alii ab aliis sejungerentur [1].

INFIRMUM IN FIDE ASSUMITE.] Cum charitate recipite, tamquam manu tenete, fulcite [2] illum, qui B adhuc in fide infirmus est, qui non novit adhuc Legalium cæremoniarum inutilitatem, cujus conscientia infirma est, ac ultra æquum religiosa; erudite illum, vel saltem illum tolerate, non abjicite, vel contemptibili sermone vestro illi scandalum non ingerite. Ethnicos conversos alloquitur: ne contemnatis Judæos, qui antiqua præjudicia sua prorsus abjicere non valent [3].

NON IN DISCEPTATIONIBUS COGITATIONUM.] Quæstiones nimium vehementes, & acres, quin veritatem in lucem afferant, sæpius caliginem offundunt; cum enim animi perturbatio accesserit, non semper medium, uti oportet, servatur. Judæi conversi necessitatem, vel saltem utilitatem legalium cæremoniarum mordicus asserent. Gentilis conversus illas in ju- C dicium convertet, & fratrem suum irritabit. Hujusmodi rebus præstat quiescere, & pacate veritatis detegendæ occasionem præstolari, cum præjudicium in iis, qui eodem imbuti fuerunt, vel ceciderit, vel fuerit imminutum. Aliis in occasionibus, ubi de veritatibus, & essentialibus officiis agitur, neque justum esset, neque prudens consilium non disceptandi, neque eorum, qui errant, pacem turbandi. Tunc clamare oportet, & zelo contra nequitiam, atque mendacium flagrare.

A Charitas sapientiæ lumine illustrata omnium actionum nostrarum dux esse debet.

Græca verti potest [4]: *ne judicetis de eorum cogitationibus*. Illos cum miseratione respicite, eos cum suavitate excipite; ac sinite, ut secundum conscientiam suam vivant, quin velitis de intimis eorum sententiis judicium ferre. Sed sensus, quem primum attulimus, pluribus Interpretum suffragiis probatur.

℣. 2. QUI AUTEM INFIRMUS EST, OLUS MANDUCET [5].] Quicumque conscientiam suam sequatur; qui in fide fortis est, qui novit, quid sibi liceat, citra ullam religionem ea utatur libertate, quam ipsi JESUS CHRISTUS comparavit: sed qui rudis est, & cujus nimis est religiosa conscientia, non omnem sibi promiscue carnis usum audet permittere, olus manducet, neque aliter vivat, donec conscientia sua satis illustrata non est; alioquin enim contra propriæ conscientiæ lumina agens animam suam læderet, ac Deo displiceret.

Græcus simpliciter legit [6]; *qui infirmus est, manducat olus*, cum ille, qui satis novit, promiscue quovis escæ genere utitur: qui infirmus est, leguminibus duntaxat vescitur: quorsum vero? S. Johannes Chrysostomus [7], atque Theodoretus inquiunt, Judæos conversos, cum illos puderet sese cum Gentilibus, qui erant in Ecclesia, conjungere, non suilla tantum carne, & aliis etiam vetitis abstinuisse, sed leguminibus solum uti consuevisse, jejunare, atque mortificationem exercere simulantes, atque cupientes potius sibi quodvis carnis genus interdicere, quam ab aliis tamquam superstitiosos, & infirmos haberi.

Putant alii [8], illos sibi præcaventes hujusmodi epulis abstinuisse, veritos, ne pollutum aliquid cum permissis carnibus mixtum comederent; eadem ferme ratione, qua Daniel, qui cum in aula Nabuchodonosor se mundum servare vellet [9], leguminibus tantum vesci maluit, quam subire periculum se se polluendi, si ea manducasset, quæ de Regia mensa sibi afferebantur. Alii denique [10] putant, non deesse hoc in loco exaggerationis speciem, & S. Paulum *olerum* usum memorasse

1 Theodoret. ad finem, cap. 13. Est. Tolet. Gint. hic. 2 Τὸν δὲ ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβάνεσθε. Theodoret. 3 Theodoret. hic. Grot. alii. 4 Μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. Vide Lud. de Dieu. 5 Λάχανα ἐσθιέτω. Ita Germ. & Clarom. G. L. Boerner. G. L. Vulg. Arab. Æth. Rufin. 6 Ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει. *Qui infirmus est, olus manducat*. Ita Origen. Ambros. in Psal. 36. Hieronym. Tertull. 7 Quid. apud Theodoret. hic. 8 Vat. Tolet. 9 Dan. 1. 12. 10 Vide Tolet. hic. Est.

pro abstinentia ab iis omnibus, quæ vitam habent, vel simpliciter, quæ in Moysis Lege prohibentur.

Cæterum S. Paulus voluntariam hanc abstinentiam non damnat, nisi quatenus est cum scrupulo, vel superstitione conjuncta; vel quatenus ex conscientiæ infirmitate, quæ semper defectus est, proficiscitur. Verum quovis tempore in Ecclesia pii floruerunt homines, qui mortificatione, ac pœnitentia ducti ultro sibimet cujuslibet carnis, vel solum terrestrium animalium usum interdixerunt: cujus rei in sanctiori antiquitate, & in Apostolorum ipsorum persona suppetunt exempla [1]. Ecclesia non solum non improbavit eos, qui ejusmodi regulas præscriberent, immo eos laudibus celebrandos censuit; dummodo hoc agerent cum subordinatione ad auctoritatem suam, & legitimos Pastores; atque superstitionem, erroneosque illius ab Apostolis, & Patribus damnatos evitarent. Hoc satis belle in hunc locum Grotius ostendit, ubi refellere voluisse videtur illos, qui novissimis sæculis damnarunt pœnitentiæ exercitia ab Ecclesia sancita, & quæ ab Ecclesiæ Romanæ, & Catholicæ religiosis viris, & Cœnobitis observantur.

℣. 3. IS, QUI MANDUCAT, NON MANDUCANTEM NON SPERNAT.] Nemo proximum suum judicet, damnet, contemnat. Qui credit, sibi licere quacumque esca vesci, in corde suo non contemnat eum, qui in eadem sententia non versatur [2]. Ethnicus conversus Judæum adhuc infirmum, ac parum in Fide illustratum non aspernetur; & vicissim Judæus nimia Religiosus, ac cæremoniis suis deditus *ne condemnet* [3] proximum suum, qui ullos sequitur usus, alios fovet sensus; neque hunc tamquam helluonem, & commessatorem aliquem putet. Ne vobis hoc licere apud fratres vestros existimetis; illi ad Deum pertinent; huic rationem reddunt vitæ suæ; hujus est in illos judicium exercere: *Deus enim illum assumpsit* [4]; Deus in Ecclesiam suam illum recepit; ejus remisit flagitia, cum in familia sua patitur; cur ergo hunc vos pati non vultis?

℣. 4. TU QUIS ES, QUI JUDICAS.] Servus est bonum Domini; hujus interest illum judicare, damnare aut absolvere; si ille perit, domino perit; si vivit, domino vivit; neque alteri copia ejus est, illius vivendi rationem judicare, damnare, censuria nota perstringere. S. Paulus hoc ex veteri jure affert, quod Dominis absolutam in servos suos conferebat auctoritatem [5]. JESUS CHRISTUS nos sanguinis sui pretio redemit, nos illius sumus; si perimus, si vivimus, hoc illius interest. *Suo domino stat, aut cadit*; vel, domini est, illum damnare, si in scelus aliquod ruat, vel absolvere, si benefecerit. Illo domini sui judicio relinquendus est [6].

STABIT AUTEM.] Sperandum est, Dominum suum, qui Omnipotens est, non permissurum, ut pereat, atque ruat in scelera. Hæ superstitiones, atque conscientiæ infirmitas minime prohibebunt, quominus Dominus ejus illum servet, si fidelis permanserit, & si reliquum vitæ suæ spatium ad unguem Christiani viri qualitati responderit; vel illum illuminabit, atque efficiet, ut opinionis suæ errorem cognoscat, vel hanc illi infirmitatem in gratiam fidelitatis ipsius condonabit.

℣. 5. ALIUS JUDICAT DIEM INTER DIEM.] Festos præ ceteris dies distinguit; Sabbatum, Neomenias, aliosque dies festos Israel observat [7]: fermentato abstinet ex. g. per octiduum Paschatis; religiosius jejunat diebus in Synagoga institutis. Deus ex nobis istud non postulat; hoc nobis jugum abstulit JESUS CHRISTUS; sed qui uti scit Christiana libertate; & qui merito putat, quoscumque dies æquales esse, *judicat omnem diem*, ne superbia intumescat, & ne damnet eos, qui superstitiosiores sunt, & qui Deum se lædere arbitrarentur, si ab iis moribus recederent, in quibus innutriti fuerunt. Hic quidem timor rectus non est, ac objectum illius saltem haud dignum est. S. Paulus omni procul dubio isthic minime damnat sanctissimum in Ecclesia morem institutum, dies quosdam distinguendi, & alios quidem abstinentiæ, mortificationi, pœnitentiæ, alios vero lætitiæ spirituali, & singulari Domini cultui destinandi. Improbat solum superstitionem, & pertinaciam, quæ in hujusmodi consuetudine adesse possunt, & usum, quo privatus quilibet, marte, ut ita dicam, suo, atque sine ulla Ecclesiæ auctoritate dies quosdam præ aliis posset destinare: at quod a legitimis Pastoribus mandatum atque probatum est, non solum damnari minime potest, verum etiam singuli huic tenentur tamquam divinæ voluntati parere. Ecclesia Spiritu Sancto afflata ea determinat tempora, quæ JESUS CHRISTUS, & Apostoli generatim tantummodo declararunt, & quæ a nobis vel in spiritualem lætitiam, vel in pœnitentiam essent transmittenda. Commendat illa, quod Spiritus Sanctus quibusdam fidelium inspiravit, ut communibus pœnitentiæ diebus alios etiam supererogationis adderent ob majoris perfectionis studium: verum semper æque absolute, ut foveret, hinc quidem inanes superstitiones, cultus peculiares, & sacra auctoritate non probatos; inde vero pravam eorum licentiam, qui Leges infringunt atque aspernantur, vel qui alias sibi proprio marte concinnant [8].

UNUSQUISQUE IN SUO SENSU ABUNDET [9].] hoc est, unusquisque liberrime sententiæ suæ hæreat [10]; vel quilibet stet in opinione sua. Si rationibus persuaderi minime potest, consuetudini, & cogitationi suæ relinquatur. Qui arbitratur, nullius escæ usum sibi esse interdictum, hac libertate uti perseveret: qui vero putat, hoc se perficere minime posse, radicibus, si mavult, atque oleribus vescatur, sequatur quilibet conscientiam suam. Verum hæc libertas non in omnibus locum habere potest; eadem quippe palam abuterentur, qui illam extendere vellent ad Fidei dogmata, quæ necessario credenda sunt; vel etiam ad ea, quæ præcepta sunt, atque inferunt necessitatem. Hic locum habet in iis solum, quæ nulli subjacent Legi, quæ ex se met licita sunt, & quibus vel uti potes, vel abstinere pro voluntate [11].

℣. 6. QUI SAPIT DIEM, DOMINO SAPIT.] Græca addit [12]: *& qui non distinguit dies, illos Domino non distinguit*. Verum hæc additio non legitur in plerisque veteribus MSS. Græcis, & Latinis. S. Paulus utrorumque facta æqui, bonique consulit, cum eorum, qui carnes omnes æque sibi licere putant, tum eorum, qui ex infirmitate conscientiæ earum quasdam pollutas esse arbitrantur: quod effectus est sapientiæ, atque indulgentiæ illius: uterque enim, *gratias agit Deo*, sive abstineat, sive manducet; hoc est Deo gratias agit, alter quidem omnibus liberrime utens; alter vero utens oleribus, aliisque cibis, qui permittuntur in Lege.

℣. 7. NEMO ENIM NOSTRUM SIBI VIVIT.] Seu vivamus, seu moriamur, seu manducemus, seu abstineamus, seu ea utamur libertate, quam nobis Christiana contulit Religio, seu non utamur eadem, semper propter Deum agimus, vel agendum est nobis; atque ita ob majorem illius gloriam, & eo consilio, ut eidem placeamus, agentes in rebus hujusmodi, quæ esse-

---

1 Vide Clement. Alex. Pædag. lib. 2. de sancto Matthæo. August. lib. 20. cap. 20. contra Faustum, de sancto Jacobo fratre Domini. Can. Apostol. 20. Origen. lib. 4. contra Cels. Tertull. lib. 2. de Cultu fœmin. Euseb. Hist. l. 5. c. 3.   2 Μὴ ἐξουθενείτω. Chrysost.   3 Μὴ κρινέτω. Chrysost.
4 Chrysost.   5 Vide Theodoret. hic. Ita Toles.   6 Vorst. Est. Menoc. Tir.
7 Hieronym. Est. Grot. Paræ.   8 Toles. Menoc. Tir.
9 Ita PP. & Interpp. passim.   10 Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ πληροφορείσθω. Verbum πληροφορεῖσθαι, in S. Paulo accipitur, pro plena persuasione. Vide Coloss. 2. 2. 1. Thessal. 1. 5. Hebr. 6. 11. Rom. 4. 21. 14. 5. 2. Timot. 4. 5. c. 17. Ambrosiast. *Suo quisque consilio remittatur.*   11 Theodoret. hic. Vide Est. hic.
12 Καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν, τῷ Κυρίῳ οὐ φρονεῖ. Sed hæc desunt in Alex. Clarom. & S. Germ. G. L. Bornet. G. L. Barberin. 1. Cophr. Æth. Amb. Rufin. Vide Mill. Erasm. Zeger.

exſemet nulli adjacent peccato, minime poſſumus illius vel juſtitiam, vel clementiam offendere.

Aliter [1], nemo noſtrum ſui juris eſt, ſed JESU CHRISTI. Seu vivamus, ſeu moriamur, illius ſervi ſumus. Uni illi rationem reddere debemus vitæ noſtræ, ipſe unus noſter eſt Judex; ideo nemo proximum ſuum cenſoria gravitate audeat notare. Hoc ipſum eſt, ac illud ℣. 4. c. 2. *domino ſuo ſtat, aut cadit*. Hoc Domini illius intereſt, bene vivat, an male, mortem ſibi peccato conſciſcat, an gratiæ vitam vivat. Hoc nullam poteſt auctoritatem iis afferre, qui in Eccleſiam inferre vellent illud libertatis genus, ut nemo alicui ſibi obtemperandum eſſe cenſeret. S. Pauli conſilium locum habet tantummodo in rebus ejuſdem viæ ac illis, de quibus hic loquitur; & menti illius adverſaretur, qui ejus verba ultra argumentum, de quo agitur, conaretur extendere.

℣. 9. IN HOC ENIM CHRISTUS MORTUUS EST, ET RESURREXIT [2].] JESUS CHRISTUS quatenus Deus abſolutum in omnes creaturas dominium exercuit, ſed quatenus homo poſt mortem, & Reſurrectionem ſuam illud tandem exercere cœpit [3]. Mors ſua eſt valoris pretium, quo omnes homines acquiſivit. Reſurrectio ſua eſt tamquam Imperii ſui titulus. Nos ergo & in vita, & in morte JESU CHRISTI ſumus; nos ad illum pertinemus, quocumque in ſtatu ſimus, juſti an peccatores, fortes an infirmi. Qui ergo jus proximum ſuum judicandi vindicare ſibi vult, Domini jus ſibi vendicet; & hæc libertas illi infert injuriam. Vide Rom. 2. ℣. 1. 2. 3. &c.

℣. 10. TU AUTEM] o Judæe, ſuperſtitioſe, cur tuum fratrem condemnas? tu vero Gentilis ad Dominum converſe, cur Fidelem Hebraizantem, atque infirmum contemnis? cur prævertitis judicium JESU CHRISTI Judicis veſtri, ante cujus tribunal ſtabimus omnes? Apoſtolus nobis hic detegit cauſam, quæ illum coegit, ut ea omnia ſcriberet, quæ in hoc capite legimus: videlicet, ut coerceret Judæorum audaciam, damnantium tamquam divinæ Legis prævaricatores Ethnicos converſos, qui indiſcriminatim quolibet carnis genere veſcebantur; & ad inhibendam Gentilium converſorum temeritatem, Judæos tamquam mentis exiguæ, atque erroneæ conſcientiæ contemnentium. Utroſque ad JESU CHRISTI Tribunal, qui homines judicaturus eſt, appellat Apoſtolus.

Neque dixeris, S. Paulum iſthic abſolute quodlibet judicium damnare: minime prohibentur Chriſtiani damnare malum, quod manifeſtum eſt, atque omnibus agnitum; licet etiam Eccleſiæ capitibus jure ſuo judicare, & damnare fideles, qui pernicioſos fovent ſenſus, vel qui ſanctæ Religionis Leges infringunt. Permittit JESUS CHRISTUS, ut ad Eccleſiam provocemus [4], cum illi, a quibus laceſſiti fuimus, nobis aures non præbent. Hoc igitur in loco prohibet dumtaxat Apoſtolus, eos fidelium judicari, damnari, contemni, qui vel exercent, vel minime exercent res quaſdam ex ſemetipſis permiſſas, & quarum uſus, neque imperatur, neque prohibetur. Damnat ſuperbiam, originem videlicet omnium judiciorum, quæ temere effundimus, eaque coercet, cauſam afferens omnium validiſſimam, & maximam, quas nobis Religio ſuppeditet. Hæc autem eſt, primo quod omnes homines ad JESUM CHRISTUM pertinent, ideoque nemini jus eſt in alterius conſcientiam; 2. quod omnes prodituri ſumus ante tribunal CHRISTI, ideoque nemo ſupremi illius Judicii ſententiam prævertere debet.

VIVO EGO, DICIT DOMINUS.] Probat S. Paulus, quod nuper attulit, omnes videlicet homines a JESU CHRISTO eſſe judicandos; idque Iſaiæ verbis dicentis c. 45. 23. *vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur*

A *omne genu*. Omnes divinitatem, potentiam, abſolutum in omnes creaturas imperium confitebuntur: *& omnis lingua confitebitur Deo*: confitebitur ſcilicet, Deum Dominum eſſe, ac Judicem omnium hominum [5].

Univerſus hic locus notandus eſt ſedulo pro JESU CHRISTI divinitate. Non poterat Apoſtolus apertius loqui; ita ℣. 12. *unuſquiſque noſtrum pro ſe, rationem reddet Deo* ſui ipſius, non autem aliorum [6]: Niſi quatenus provincia eos regendi ſibi fuerit concredita, vel quatenus ad aliorum interitum, vel ſalutem aliquid contulerit. In hoc caſu noſtrum quilibet indirecte in proximi ſui judicium ingredietur, & abſolvetur, vel damnabitur, juxta bonum, aut malum, quod jure ſibi poterit imputari propter eos, quos ſcandalizaverit, vel ædificaverit, erudierit, vel in errore reliquerit.

B ℣. 13. NON ERGO AMPLIUS INVICEM JUDICEMUS.] Quoniam JESUS CHRISTUS ſupremus eſt *Judex* noſter, nemo noſtrum fratrem ſuum judicare audeat, condemnare, contemnere. Verum hoc vobis ſolum perſuaſum ſit, vobis nequaquam licere, fratri veſtro lapſus, & ſcandali occaſionem tribuere. En quid vobis permiſſum eſt, ut credatis, & judicetis. En, quam in rem debetis incumbere: videlicet, ne ſcandalum alii contingeratis: *ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri*. At vos Judæi, damnando Gentiles, qui ad fidem venire poſſent, & vos Ethnici, Judæos converſos contemnendo, quod Moyſis cæremonias ſequantur, eos deterretis, qui Judaicam ſuperſtitionem relinquere cuperent, ac JESUM CHRISTUM amplecterentur; ita leviſſimum defectum in maximum negotium convertitis, & pro re exiguæ momenti Eccleſiæ univerſæ mirum in modum officitis. Vos Gentiles quidem temere Judaicam rationem damnantes, vos autem Judæi cæremonias veſtras audacter omnibus tueri cupientes. Aliquibus carnibus veſci, vel ſecus, parum intereſt; at fratri lapſus occaſionem præbere hoc vero intereſt quam maxime [7].

Inutile eſt hoc in loco ſcrutari velle diſcrimen inter *offendiculum*, & *ſcandalum*, quæ voces perpetuo confunduntur. Scandalum ingerere ad litteram proprie ſignificat, in via lapidem, lignum, vel aliquid ſimile objicere, ut in illud impingeat aliquis, decidat. In morali vero ſenſu de actionibus dicitur, quæ proximum noſtrum in peccatum poſſunt impellere. Sunt cetera ſunt, quæ licet minime prohibeantur, vel imperentur, tamen exercenda ſunt, vel omittenda, cum ſcimus, nos illa omittentes, aut facientes alteri ſcandalum allaturos: alia vero ſunt, quæ numquam facere non licet, quamvis intelligeremus futurum, ut inde ſcandalum oboriretur; cujuſmodi ſunt, quæ nobis imperata fuerunt, & quæ omittere nobis integrum non eſt. In eo caſu, de quo loquitur S. Paulus, ſi intelligimus nos promiſcue omni carnium genere veſcentes ſcandalum fratribus noſtris allaturos, abſtinere debemus, vel ſaltem factum noſtrum probare, ejuſque rationem oſtendere illis coram quibus agere tenemur. Qui ſi rationibus noſtris non acquieſcunt, charitas jubet, nos ab illis omnibus abſtinere, quæ illis ſcandalum poſſent inferre [8], & non parcere eorum infirmitati, qui perperam factum noſtrum in ſequiorem partem convertunt; hæc vero eorum ſuperſtitio, non nequitiæ, & pertinaciæ, ſed conſcientiæ infirmitati eſt referenda.

E ℣. 14. SCIO & CONFIDO IN DOMINO JESU, QUIA NIHIL COMMUNE PER IPSUM.] Scio ſecundum JESU CHRISTI doctrinam [9], nihil in ſeipſo immundum eſſe. Vel, ſcio in JESU CHRISTI Eccleſia, & ſub novo Teſtamento [10], *nihil ex ſeipſo immundum eſſe* [11]. Alii vertunt: nihil immundum eſt *per ipſum* per JESUM CHRISTUM, vel per Legem Evangelicam, ſub Evangelii Lege omnia ſunt munda. Salvator nobis libertatem promeruit hac in re Legem abrogans, qua car-

1 Vide Toler. Paræ.   2 In Græca Καὶ ἀνέστη, καὶ ἀνέζησεν. Revixit. At MSS. in hunc locum differunt, alii ſolum legunt ἔζησε, alii rurſum ἀνέζησε. Vide Mill. & Bit.
3 Tolet. Menoch. Tirin. Eſt. Grot.   4 Matth. 18. 17. *Si non audierit eos, dic Eccleſiæ*.
5 Vide Eſt. Vorſt. Menoch, alios.   6 Vide Tolet. Eſt. Menoch. &c.
7 Matth. 18. 7.   8 Vide verſ. 15.   9 Tolet. Theodoret. Eſt.
10 Galat. 5. 6. Pæſs.   11 Ὅτι οὐδὲν κοινὸν δι' αὐτοῦ, *Per ſe, ex natura ſua*. Ita plerique alii: δι' αὐτοῦ. Alii: δι' αὐτοῦ. *Per ſeipſum*.

carnium usus prohibebatur. Sed ea versio, quæ legit nihil immundum est *ex seipso*, ex natura sua, melior est propter ea, quæ sequuntur: *qui existimat, quid commune esse, illi commune est*; hoc est, nihil immundum est, nisi illi, qui immundus est. Oppositio inter hæc duo membra non satis belle nitet in altera explicatione: *omnia munda mundis*, ait ille alio in loco [1]: *coinquinatis enim, & infidelibus nihil est mundum*. Eorum præjudicium licet fallax, eorumque conscientia licet erronea, ita eos obligant, quasi res esset per se mala & vetita [2]. Deus enim in illis damnat peccandi voluntatem, quæ æque in hac actione indifferenti, & in alia qualibet criminosa invenitur.

℣. 15. SI ENIM PROPTER CIBUM.] Si manducans aliquid in semet indifferens, quod tamen a fratre suo veluti immundum, atque vetitum habetur, illi scandalum infers, seu putet se a te contemni, vel a te Moysis Legem infringi: denique, si illum tua resistentia irritas, si illi tua libertate scandalum ingeris: *jam non secundum charitatem ambulas*. Non satis fratrem tuum diligis [3], quoniam illud manducare persistis, quo carere posses; licet scias, hoc vel fratrem tuum in periculum adducere posse, ut Deum lædat, vel ut in te, immo etiam indirecte contra Evangelium, sobirascator, cujus præfefers auctoritatem, ad factum tuum confirmandum. Jubet charitas non solum nos infirmos tolerare, verum etiam pro bono pacis nos quædam, quæ licita sunt, nobis denegare, ut infirmorum scandalum evitamus pro viribus, atque pacem, & consensum foveamus.

NOLI CIBO TUO ILLUM PERDERE, PRO QUO CHRISTUS MORTUUS EST.] Non aliam hac validiorem, fortioremque causam afferre poterat præter has, primum quidem interitum animæ fratris tui, secundo infinitum amorem, quem pro illo testatus est JESUS CHRISTUS. Ne credideris, animam fratris tui exiguum aliquid esse: est enim pretium Sanguinis JESU CHRISTI: neque duxeris, factum tuum modicum esse malum, vel actionem aliquam vitio tibi minime vertendam in ea, de qua loquor, circumstantia: periculum subjisti, ut fratris tui animam occideres. Quorsum autem? efficiens, ut charitatem amitteret, eumque in periculum adducens contemnendi Evangelium, abdicandi JESUM CHRISTUM, & de Ecclesia egrediendi, vel talrem contra conscientiam suam agendi, eam carnem manducando, quam sibi vetitam, atque immundam arbitratus [4]. Confer 1. Cor. 8. 11. *Et peribit in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est*.

℣. 16. NON ERGO BLASPHEMETUR BONUM NOSTRUM [5].] Græcus typis editus legit, *bonum nostrum* pro *bono vestro*, quod reipsa nihil sensum immutat; semper enim agitur de bono Ecclesiæ, Fidei, Evangelii, quod ille unum quærere debet [6]. Alii [7] vertunt *bonum vestrum*, bonum, quod facimus; bonæ actiones nostræ nequaquam objiciantur obtrectationi propter vestram imprudentiam. Ethnici videntes domestica dissidia nostra, non irrideant nobis, & in JESUM CHRISTUM blasphemias evomant. Denique: *bonum nostrum* significare potest nostram libertatem. Libertas, qua fruimur, non sit alienigenis scandali occasio, neque religionem contemptui objiciat [8]. In hoc fere sensu S. Paulus inquit 1. Cor. 10. 29. *ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia? . . . . quid blasphemor pro eo, quod gratias ago?* & ad Galat. 5. 13. *vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis*.

℣. 17. NON EST REGNUM DEI ESCA, & POTUS.] Per hæc Cœlum non merebimini. Non libertas, quam vobismet servare studetis, promiscue ex omni epularum genere manducandi, neque litteralis Legum Moysis, quibus certæ quædam prohibentur, observantia, sed virtus, fides, charitas, æternam vobis comparabunt felicitatem. Aliter: neque hæc libertas, cujus seduli adeo amatores estis, neque Judaicæ cæremoniæ merentur, ut illis mordicus hæreatis: hæ quippe neque Christianum efficiunt, neque nos Deo reddunt acceptos. Hoc ipsum ille ait aliis verbis 1. ad Corinthios 8. 8. *esca autem nos non commendat Deo*. Vel manduces, ex quovis carnium genere, hoc ad salutem minime confert: ideoque opus non est, ut hac in re sis Religiosus [9], neque aliquid minus inveniri potest, quod paci, atque charitati sacrificer.

SED JUSTITIA, & PAX ET GAUDIUM.] In hoc Dei Regnum consistit. Hæc ea sunt, quæ Christianus summa ope perquirere debet; hæc illi Cœlum merebuntur; hi sunt fructus Evangelii; *Justitia*, gratia reconciliationis, innocentia, operum justitiæ exercitatio; *pax*, unio cum Deo, & cum proximo nostro, cordis tranquillitas, pax conscientiæ: *gaudium in Spiritu Sancto*; gaudium spirituale, quod pignus est, atque effectus præsentiæ Spiritus Sancti. Hoc gaudium in quadam animæ serenitate consistit, in perfecta mandatis providentiæ obedientia, in sancto fervore, quo rapimur ad explenda cum voluptate ea, quæ Deus a nobis exposcit: hæc proprie illa est vera devotio, quam a Deo petit Ecclesia in verbis: *fac tibi semper, & devotam gerere voluntatem, & majestati tuæ sincero corde servire*. ℣. 18. *qui enim in hoc servit Christo in justitia, pace, & gaudio Spiritus Sancti* [10], *placet Deo, & probatus est hominibus*. Sed neque Deo, neque hominibus negotium facesse, quocumque cibi genere utaris.

℣. 19. ITAQUE QUÆ PACIS SUNT, SECTEMUR.] Deponamus hoc dissidii, atque contentionis studium, atque in id animum convertamus, ut inter nos pacem, & concordiam servemus. Quin nobismetipsis obtrectemus, atque invicem censoria nota perstringamus, alii alios mutuo ædificemus vitæ perfectioris exemplo. Cur S. Pauli verba in imo omnium Christianorum corde insculpta non sunt? Vitam transigimus, discordiæ ignem foventes contentionibus, quæ nullum inveniunt finem; cum interim pax, charitas, patientia, & opera justitiæ negligantur, & quadam veluti oblivionis caligine obruantur.

℣. 20. NOLI PROPTER ESCAM DESTRUERE OPUS DEI.] Ne destruas fidem, charitatem, pacem, justitiam, quam Spiritus Sanctus in fratris tui corde inseruit, inanibus de carnium varietate altercationibus [11]. Opus Dei significare etiam potest Christianum, ex quo Deus sibi Templum, atque habitaculum fecit, & quem JESUS CHRISTUS per gratiam suam, atque bonorum operum exercitationem, novam veluti creaturam constituit [12].

OMNIA QUIDEM SUNT MUNDA.] Sed homo, qui scandalum ingeris fratri suo, hujusmodi carnibus vescens, illas malas efficit, propter quod illis abutitur, & malum operatur, scandalum afferens proximo suo; licet esca alioquin promissa utatur.

℣. 21. BONUM EST NON MANDUCARE CARNEM.] Melius est carnibus non vesci, quam fratri peccandi occasionem tribuere [13]. Præstaret potius, si necesse esset, a quovis carnium genere abstinere, quam ex una

1 Tit. 1. 5. 2 D. Thom. Grot. Perer. Est. Menoch. alii.
3 Vatab. Tolet. Grot. 4 Vide Grot. Vorst. Est. Menoch. &c.
5 Μὴ βλασφημείσθω ὑμῶν τὸ ἀγαθόν. Alii: ἡμῶν τὸ ἀγαθόν. Ita Vulg. Syr. Copt. Amb. Augustin. Clem. Alex. Pædag. lib. 2. cap. 1. alii. 6 Origen. Ambrosiast. Theodoret. aliis plures.
7 Vide Grot. hic. 8 Tolet. Est. Grot. Hammond. Vorst. alii.
9 Clem. Alex. 10 Vatabl. Tolet. Est. Paræ. Menoch. alii.
11 Tolet. Menoch. Paræ. 12 2. Cor. 5. 17. Galat. 6. 15. Jacobi 1. 18. Ephes. 2. 10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis*. Vide Est. Grot. Pisc.
13 Græc. [illegible] [illegible]. At MS. Alex. Syr. Æthiop. Copht. Orig. S. Augustin. non leguat duo hæc postrema verba: *Aut scandalizatur, aut infirmatur*.

ona dumtaxat carnis specie cum pusillorum scandalo manducare. Charitas, & pacis amor servetur, ut ista majorem pretium pro fratribus nostris, si opus esset, sacrificium faciamus: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*, inquit Apostolus 1. Cor. 8. 13.

℣. 22. Tu fidem habes.] Plane tenes quid liceat, quidve non; quousque pateat libertas, quam Ecclesiæ suæ Jesus Christus reliquit; quid judicandum sit de Legibus cæremonialibus, quas abrogavit Evangelium, & moralibus, quas Salvator confirmavit, atque perfecit? Si hanc fidem, & hæc habes lumina, *penes temetipsum habe coram Deo*. Ne perperam extrinsecus jactes hanc fidem, & hanc libertatem; eadem modeste utere; & si vereris, ne hinc frater scandalum arripiat, numquam curam illa utaris [1]. Nequaquam everto, quidquid superius dixi, omnia scilicet esse munda fidem habenti; sed hortor, ne tua libertate abutaris, ut conscientiæ fratrum tuorum negotium facessas.

Beatus, qui non judicat semetipsum in eo, quod probat. Beatus homo, cujus conscientia illuminata est, & qui in vita sua nihil contra propriam conscientiam aggreditur. Beatus es, si recenseris in numero borum virorum, qui tuto sciunt, quid sibi faciendum est; at parce illis, quos conscientia infirma, atque parum illustrata jugi inquietudine, atque perpetuis exagitat scrupulis, & cave, ne illis scandalum inferas. Verti etiam potest [2]: *Beatus, qui in eo, quod approbat, seipsum non condemnat*, qui se scandali reum non præbet, & qui non lædit charitatem, utens libertate sua, & promiscue omnibus vescens carnibus ob oculos fratrum suorum, qui in fide non satis fortes sunt; & qui usum hunc illicitum esse arbitrantur.

℣. 23. Qui autem discernit [3],] Judæus, qui carnium distinctioni a Moyse institutæ mordicus adhæret, si contra conscientiæ suæ lumina iisdem vescatur, seipsum damnat; *quia non ex fide* operatur, neque putat, id, quod operatur, sibi licere. Igitur contra conscientiæ monita agendum non est in iis etiam rebus, quibus peccatum non adjacet. Quidquid contra conscientiam fit, *quod non est ex Fide, peccatum est*. Si ambigens, utrum aliquid liceat, nec ne, tamen illud agis, ultro temet peccato objicis [4], ideoque peccas: *Bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, æquum sit, an iniquum: æquitas enim lucet ipsa per se, dubitatio autem cogitationem significat injuriæ*, Ethnicus quidam ajebat [5].

S. S. Augustinus [6], Prosper [7], Fulgentius [8], aliique post illos locum hunc: *omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*, perinde intellexerunt, quasi innueret Apostolus, quidquid sine Christiana fide peragitur, peccatum esse, ita ut omnes infidelium actiones coram Deo noxiæ haberentur. Sed hæc explicatio litteralis non est. S. Paulus hoc in loco non loquitur de fide, quæ nos Christianos efficit, sed de confidentia, qua suffulti citra quamlibet anxietatem, & Religionem agimus, cum nobis persuasum sit, nos scire ea, quæ facimus, vel licere, vel saltem minime vetita esse. Quod vero spectat ad quæstionem de actionibus Infidelium, adi, si lubet, Pererium in hunc locum, atque Theologos, qui hac de re fusius pertractarunt.

Ad hujus capitis calcem in plerisque Græcis MSS. [9] in S. Chrysostomo, Theodoreto, Oecumenio, Theophylacto, Theodulo, aliisque pluribus hæc inveniuntur verba, quæ in Vulgatis nostris editionibus in fine cap. 16. Epistolæ hujus leguntur. *Gloria sit ei, qui potens est vos confirmare; juxta Evangelium meum, & prædicationem JESU CHRISTI, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti (quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis gentibus cogniti soli Sapienti Deo, per JESUM CHRISTUM, cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen*. Marcion additionem hanc rejiciebat cum toto cap. 15. & 16. hujus Epistolæ [10], hæc omnia supposititia esse contendens. Exemplaria, quæ isthic tres hosce versiculos legunt, illos ad finem cap. 16. minime reperiunt.

Quæritur, undenam hunc in locum additio ista proficisci potuit? Grotius, aliique nonnulli [11] credunt, Apostolum primum isthic Epistulæ suæ finem composuisse, atque addidisse ea verba, quæ modo legimus, ut eidem finem imponeret. Sed cum mox opera pretium censuisset aliquid subnectere ad majorem eorum, quæ antea dixerat, perspicuitatem, addidisse duo postrema capita usque ad ℣. 24. cap. 16. ubi desinit additio. Versiculi 23. 24. 25. cap. ejusdem quoddam sunt veluti postscriptum, quale in plerisque epistolis legitur, ubi plurimis salus dicitur, vel nomine plurimorum; hoc autem epistolæ antea jam scriptæ addidit S. Paulus, vel qui illi aderat a secretis, Tertius. Denique Ecclesia, vel librarii addiderunt ℣℣. 25. 26. 27. qui jam in fine cap. 16. inveniebantur [12].

Hæc quidem sententia non omni prorsus caret probabilitate: at pro certo asseri minime potest, hanc genuinam esse hujus varietatis rationem. Non desunt, qui credant [13], quidquid isthic in Græco additum invenitur, profectum esse ex quibusdam exemplaribus a Marcione mutilatis, qui ut melius occultaret posteriorum hujus Epistolæ duorum capitum abscissionem, ejus discipuli ad finem cap. 14. tres hosce versiculos addiderunt, qui in fine cap. 16. dumtaxat legendi sunt. Nemo unus negat isthic profecto esse intempestivos, atque sermonis Apostoli sensum abrumpere.

---

1 Vatab. Est. Tolet. Menoch. Pisc. alii. 2 Ὁ μὴ κρίνων ἑαυτὸν ἐν ᾧ δοκιμάζει.
3 Ὁ δὲ διακρινόμενος. Verti potest: *at qui dubitat*, hæsitat, qui nescit, an ei permissum sit comedere promiscue quodcumque carnis genus. 4 Vide Chrysostom. Theodoret. Oecumen. Theophylact. Est. Peter. Tolet. Menoch. alios. Vide & Ambrosiast. Hugo. &c.
5 Cicero lib. 1. de Officiis. *Bene præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites æquum sit an iniquum: æquitas enim lucet per se, dubitatio autem cogitationem significat injuriæ.*
6 Augustin. lib. 4. contra Julian. cap. 3. lib. de Gratia Christi cap. 26. lib. 1. de Adulter. conjug. cap. 18. Epist. olim 105. ad Sixt. nunc 194. 7 Prosper. lib. 3. de Vita Contemplat. cap. 1. contra Collator. cap. 22. & 28. & Epist. ad Rufin. 8 Fulgent. lib. 2. de Remissione cap. 1.
9 Ita Sch. omnes Alex. Magd. 1. 2. Lin. cant. 2. 3. alii plures, Lectionarii Græci. Codd. aliqui, teste Origen. seu Rufino in Epist. ad Roman. 16. Vide Mill.
10 Origen. in cap. 16. ad finem. 11 Adnotarat ea in MS. Alex. tantum reperi.
12 Quidam apud Mill. hic, & Mill. ipse.
13 Beza hic, & Est. ad cap. 16. 25.

CAPUT

CAPUT XV.

Mutua Indulgentia, & Charitas. JESUS CHRISTUS Judæis promissus, & per gratiam Gentilibus annunciatus. S. Paulus Romanis promittit, se illos conventurum. Evangelii progressus ex illius prædicationibus.

1. DEbemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. 2 Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. 3 Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. 4 Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus. 5 Deus autem patientiæ, & solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum: 6 Ut unanimes uno ore honorificetis Deum, & patrem Domini nostri Jesu Christi. 7 Propter quod suscipite invicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. 8 Dico enim, Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum: 9 Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine, & nomini tuo cantabo. 10 Et iterum dicit: Lætamini Gentes cum plebe ejus. 11 Et iterum: Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi. 12 Et rursus Isajas ait: Erit radix Jesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt. 13 Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: ut abundetis in spe, & virtute Spiritus sancti. 14 Certus sum autem, fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere. 15 Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data est mihi a Deo, 16 Ut sim minister Christi Iesu in Gentibus: sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto. 17 Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. 18 Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium verbo, & factis: 19 In virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti: ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. 20 Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus: ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est: 21 Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent. 22 Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc. 23 Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis: 24 Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero. 25 Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis. 26 Probaverunt enim Macedonia, & Achaja, collationem aliquam facere, in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem. 27 Placuit enim eis: & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent & in carnalibus ministrare illis. 28 Hoc igitur cum consummavero, & assignavero eis fructum hunc: per vos proficiscar in Hispaniam. 29 Scio autem, quoniam veniens ad vos, in abundantiam benedictionis Evangelii Christi veniam. 30 Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, 31 Ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa, & obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis, 32 Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum. 33 Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

DEBEMUS

℣. 1. DEBEMUS AUTEM NOS FIRMIORES.] Pergit erudire Gentiles conversos, eosque exhortari, ut indulgentia, & charitate erga Judæos uti valint, qui in JESU CHRISTI castra transierant. Vos, qui in fide firmiores estis, atque ea, quæ ad Religionem pertinent, magis agnoscitis, cum charitate ferre debetis fratrum vestrorum infirmitates. Aliquid de jure vestro remittite, neque utamini ea libertate, quam vobis confert Evangelium promiscue, ea omni carnium genere manducandi. *Debemus non nobis placere* in re exigui adeo momenti.

Græcus [1] : *ut vobis placeatis in vobismetipsis*, vel hæc vestra libertas, & lumina vobis ne nimium placeant; ne fantantiæ vestræ mordicus hæreatis, atque vestra philautia ne efficiat, ut periculum, scandalum, interitum fratrum vestrorum flocci faciatis [3] : ne comedatis coram illis carnes, quæ ab iisdem immundæ habentur, vel saltem, ne cum illis superbe, & per contemptum agere velitis.

A precet hortationibus addit, cum sibi persuasum sit, hunc spiritum pacis, & charitatis Divinæ, clementiæ, & gratiæ donum esse: cumque non desit quædam sensuum, & affectuum concordia perniciosa, quæ videlicet in impudico Creaturæ amore versatur, addit S. Paulus *secundum JESUM CHRISTUM*, secundum doctrinam, Evangelium, exempla illius [8]. Charitate edocti indulgentes estote erga fratres vestros, ut illis salutem procuretis, eorumque lapsum, & scandalum evitetis.

℣. 6. UT UNANIMES UNO ORE HONORIFICETIS DEUM, ET PATREM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI [9].] Deum Patrem Creatorem, & conservatorem omnium, qui Deus est Domini nostri JESU CHRISTI secundum hujus humanitatem, & Pater ejus secundum Divinitatem. Juxta ea, quæ Salvator dixit

B in Evangelio [10]: *ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*. Alii ita legunt, ut honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri; nam Deus Omnipotens est Pater Salvatoris nostri JESU CHRISTI, quem ante omnia sæcula genuit [11].

℣. 7. PROPTER QUOD SUSCIPITE INVICEM [12].] Mutuo erga vos ipsos eamdem indulgentiam habete, quam erga vos habuit JESUS CHRISTUS. Ille dignatus est se ita ad vos usque demittere, ut vosmet usque ad seipsum attolleret: vobiscum quodammodo balbutire non abnuit, ut ad captum vestrum se se submitteret; vos quoque cum fratribus vestris similiter agite, si infirmi sunt, si non satis eruditi, si incommodi censores, illos sustinete, erudite, illis parcite.

Græcus verti potest [13]: illos recipite, quemadmo-

℣. 2. PROXIMO SUO PLACEAT IN BONUM.] Nostrum quilibet [1] pro virili adnitatur, ut proximo suo, iis placeat in rebus, quæ bona sunt, & quæ illius ædificationi prodesse queunt. Proximo placere possumus, & cum ipsius, & cum nostro detrimento. Jubet ergo S. Paulus nos adniti, ut illi placeamus pro ejusdem utilitate, & salute, & simul pro nostra [4], *ut illum in bonum ad justitiam*, atque pietatem adducamus. Quædam est complacentia noxia, quæ peccatori in malo adulatur, & quædam Christiana, atque cum charitate conjuncta, quæ proximo scandalum ingerere evitat,

C quam posteriorem fidelibus commendat Apostolus.

C dum JESUS CHRISTUS vos recepit. Cavete, ne ab illis recedatis, atque mutuam infringatis concordiam, eorum occursum, & societatem evitantes; cum illis vivite, consuescite, comedite, quemadmodum JESUS CHRISTUS nobiscum vivere, manducare, & versari dignatus est. Periculum, quod in hujusmodi dissensionibus S. Paulus verebatur, illud erat, ne charitas primum, & mox communio perfringeretur. Quælibet utilitas, quælibet repugnantia desiderio procurandæ gloriæ Dei, *in honorem Dei* concedere debent.

℣. 3. ETENIM CHRISTUS NON SIBI PLACUIT.] In hac vita commoda sua, suamque utilitatem minime quæsivit. Ille contempsit honores, voluptates mundi, gloriam; & id unum quæsivit, ut nos erudiremur, atque ad salutem perveniremus. Omnia passus est, ut Deo placeret; omnibus vitæ hujus commodis carere voluit, ut nobis præberet exemplum mortificationis, atque doceret, quomodo nihil proprium hoc in mundo sit possidendum. In horto Olivarum Patri suo doloris, cruciatuum, voluntatis suæ optimum obtulit sacrificium. A vobis illud modo tantum non exigit; oportet solum, ut pro bono pacis, atque fratrum vestrorum salute vobismetipsis levem interdicatis voluptatem [5], atque exiguæ hujus voluntatis usum abdicetis.

℣. 8. DICO ENIM: CHRISTUM JESUM MINISTRUM FUISSE CIRCUMCISIONIS.] Nemo Ethnicorum supra Judæos, vel Judæus supra Ethnicos, qui Christianam Religionem tenent, se se extollat. In Ecclesia omnes perfecte æquales estis: JESUS CHRISTUS ea mera mi-

D sericordia sua vos utrosque gratuito appellavit. Judæi quidam appellati fuerunt propter promissiones, quæ majoribus eorum factæ fuerunt, non autem in gratiam meritorum suorum: Gentiles vero fideles facti sunt secundum Prophetarum prædictiones. Utrique in Ecclesia vocationis suæ promissiones inveniunt, at nemo inde merita sua probare poterit. Hæc quidem, mea sententia, est S. Pauli argumentatio a ℣. 8. usque ad 12.

D ℣. 4. QUÆCUMQUE ENIM SCRIPTA SUNT EXEMPLA [6].] Prophetarum, qui JESU CHRISTI erant figura, scripta fuerunt ad nostram doctrinam, & sanctificationem. Itaque cum Prophetas affero, atque figuras transfero ad JESUM CHRISTUM, nonnisi secundum Dei spiritum, ac mentem illius, qui Scripturarum est auctor, ago. Salvator ibi in singulis paginis exhibetur: *ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus*. Christiani vita spes in invisibilibus bonis, quæ nobis in Scriptura promittuntur. Hoc nobis inter adversa, & calamitates patientiam communit; hoc inter ærumnas nobis solatio est: Si tentamur, affligimur, urgemur; in Sanctis Scripturis perfectæ patientiæ exempla consolationis, & lætitiæ argumentum invenimus, ubi Sanctorum exempla, & Domini promissiones intuemur [7].

Ait, JESUM CHRISTUM fuisse *circumcisionis ministrum*, qui videlicet Judæos appellavit [14], illis Evangelium & prædicavit, & prædicari jussit, inter eosdem versatus est, atque in medio terræ Mundi salutem operatus [15]. Nemo nescit, S. Paulum *circumcisionis* nomine sæpe Judæos ipsos innuere [16]. Hæ quidam prærogativæ Hebræis præstantissimam conferunt dignita-

E tem, quæ illos evehit supra Gentiles, qui JESUM CHRISTUM neque viderunt, neque audiverunt; cum Salvator missionem suam ad eas tantum oves, quæ de domo Israel erraverant [17], coarctaverit; & id ad confirmandas promissiones Patrum: quod alterum est privilegium, quo Gentiles minime perfruuntur; tandem enim promissiones Israel vetustiores sunt, apertiores, ampliores que, quam quæ Gentilibus factæ fuerunt,

℣. 5. DEUS AUTEM PATIENTIÆ.] Auctor, & objectum. Deus, qui ad patientiam nos hortatur, ejusque nobis causas suppeditat, qui nos lætitia, & solatio cumulat. *Det vobis idipsum sapere in alterutrum*; gratiam vobis conferat, ut semper sensu, & affectu unanimes sitis. Ubi fideles ad concordiam hortatus est, &

1 Καὶ μὴ ἑαυτοῖς ἀρέσκειν. 2 Vide Est. Toler. Menoch. alios, & Theodoret. hic.
3 Græc. Impress. Ἕκαστος γὰρ ἡμῶν. *Nam quilibet nostrum*. At plures optimi MSS. Græci Vulgatæ conformes sunt. Vide Mill. 4 Theodoret. 5 Vide Theodoret. Est. Grot. &c.
6 Ὅσα γὰρ προεγράφη. *Quæcumque antea scripta sunt*. Vult veteris Testamenti Scripturas innuere.
7 Chrysostom. hic. Vide & Theodoret. Tolet. Est. alios. 8 Theodoret. Grot. Toler. Est.
9 Δοξάζητε τὸν Θεὸν, καὶ πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Vide Theophyl.
10 Joann. 20. 17. Vide Ephes. 1. 17. 11 Theodoret. Theophylact. alii.
12 Toler. Est. Men. 13 Διὸ προσλαμβάνεσθε. 14 Var. Erasm. Grot. Toler. Est. alii.
15 Psal. 73. 12. 16 Rom. 3. 30. 4. 9. 12. Galat. 2. 9. 17 Matt. 15. 24.

fuerint, etiam Gentiles nonnisi Judæis renuentibus quodammodo in Ecclesiam fuerint ingressi [1].

℣. 9. GENTES AUTEM SUPER MISERICORDIA.] Judæi, æque ac Gentiles, ad fidem per Dei misericordiam vocantur: sed Judæi pro se habebant Patrum suorum promissiones, quibus ab Ethnicis distinguebantur, & quæ sibi præ Gentilibus quamdam juris speciem erga Messiam conferebant. Ethnici nihil simile proferre possunt, & gratias tantum agere debent meræ Dei misericordiæ, quæ illos vocavit [2]. Cum dico, illos promissiones non habere, promissiones intelligo Hebræorum promissionibus similes: nam Deus Gentilium vocationem, & conversionem sexcentis in Prophetarum locis annuntiavit, quemadmodum S. Paulus ostensurus est, quosdam ea hujusmodi locis referens. Promissiones Gentilium magis erant generales, minus apertæ, & minus antiquæ, quam quæ a Deo Patriarchis in Hebræorum gratiam factæ fuerunt. Illæ ipsæ, quæ ad Gentiles spectabant, non Gentilibus, sed Hebræis concreditæ fuerant. Hæc quidem Gentilium erant jura, sed in alienis manibus posita. Judæi semper primi sunt in donis, & prærogativis. Gentiles vero in fœdus nonnisi tamquam subsidia, ut ita dicam, ingrediuntur, quod veri heredes deficiunt, & Judæi ingredi renuunt.

CONFITEBOR TIBI IN GENTIBUS.] Per hæc verba innuebat Psalmista, Gentiles aliquando in cœtu populi Dei futuros, atque canticorum concentum audituros, quod satis perspicue eorum conversionem innuebat; alienigenæ enim vulgo in Templum, aliosque Religionis Hebræorum conventus minime ingrediebantur. Duo loci, qui in ℣. ℣. 10. & 11. afferuntur, hoc ipsum significant: *Lætamini Gentes cum plebe ejus* [3]: participes estote festivitatum, & lætitiæ populi Dei: *Laudate omnes Gentes Dominum*, voces vestras cum populi mei vocibus conjungite, Deum, quem ille veneratur, veneramini.

℣. 12. ERIT RADIX JESSE.] Jesse pater erat David; germen Jesse est Messias Davidi promissus: huic germini Isajas 11. 10. promittit imperium in Gentibus, quod proprie, & ad litteram in Gentilium conversione adimpletum est. Hebræus [4] innuere potest germen Jesse extollendum, tamquam signum aliquod ad Gentes congregandas: ubi alludit ad Imperatorum consuetudinem, qui signum attollunt, ut simul suas copias cogant, eisque diem prælii significent.

℣. 13. DEUS AUTEM SPEI REPLEAT VOS.] Deus spei est Dominus, qui Judæis, atque Gentilibus pollicitus est, se illos in Ecclesiam suam evocaturum, & qui ad unguem promissionum suarum fidem præstitit: hæc vocatio, aliorum bonorum, quæ nobis in Cœlo promittit [5], est pignus. Vel, Dominus dicitur *Deus spei*, quod auctor est, causa, objectum spei nostræ [6]. In verbo illius speramus, ipse ille est, quo nos aliquando credimus perfruituros. Deus hic *repleat vos omni gaudio, & pace in credendo*; corda, animosque vestros in eadem sententia conjungat, ut hæc perfecta conjunctio lætitia vos repleat. Omnia dissidia, omnemque simultatem auferte; quilibet in pace vivat, atque alternis sibi indulgeat, Judæus quidem Ethnico, Ethnicus vero Judæo, ut in Ecclesia videatur pacis imago, quam attulit JESUS CHRISTUS super terram: hæc enim ratio est, qua assici possit, ut *abundetis in spe, & virtute Spiritus Sancti*, qui in vobis se se copiosius effundet, prout in vobis charitas, atque concordia perfectius regnabunt.

℣. 14. CERTUS SUM, QUONIAM PLENI ESTIS DI-

A LECTIONE.] Græcus [7], *bonitate*: Minime oportet, me vos ad charitatem, & concordiam hortari: scio, has vobis minime deesse, & vos paratos esse, ut quidquid dixerim, expleatis, ad Ecclesiæ unionem servandam, atque infirmorum scandalum evitandum: & vos monitis meis prorsus carere potuisse, quoniam estis *repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere*. Hæc modesta est S. Pauli explicatio. Sequitur etiam seq. ℣. *audacius scripsi vobis fratres ex parte*, non ut tamquam præceptor vos erudirem, quasi de scientia, atque recta voluntate vestra dubitarem; sed *tamquam in memoriam vos reducens* ea, quæ jam sciebatis. Ad id autem me teneri arbitratus sum, quatenus Apostolus Gentilium, & ex mea vocatione ad Apostolatum [8]; *propter gratiam, quæ data est mihi a Deo*, ex mera ipsius misericordia, *ut sim minister Jesu Christi in Gentibus*.

B ℣. 16. SANCTIFICANS EVANGELIUM DEI.] Hoc est, exercens Sacerdotium Evangelii Dei, qui loci hujus est sensus, quemadmodum ex Græco [9], & ex sequentibus patet: *ut fiat oblatio Gentium accepta, & sanctificata in Spiritu Sancto*: eoque in sensu Patres, atque Interpretes [10] id intellexerunt. Alludit ille inter Sacerdotes veteris Legis, & novæ. Hebræi Sacerdotes cruenta dumtaxat Deo sacrificia offerebant, sacrificulorum benedictione, & oblatione, quæ ex illis Domino fiebat tantummodo sanctificata. Apostoli JESU CHRISTI, qui sunt novi Testamenti Sacerdotes, Deo sacrificium offerunt prædicationis suæ, suorumque laborum; ad eum adducunt tamquam hostias sine macula, atque suavissimi odoris populos conversos, corda

C dolore contrita, charitate animata, Sacro repleta Spiritu, per Baptismum regenerata, per effusionem gratiæ confirmata, verbo Dei innutrita, Corpore, & Sanguine Filii ipsius saginata. Hoc illud est discrimen, quod veteres inter, novosque Sacerdotes intercedit.

℣. 17. HABEO IGITUR GLORIAM IN CHRISTO.] At quid habet, unde glorietur, *ad Deum*, hoc est, quod Dei opus, Gentilium conversio, eorum ardor, fides, atque concordia sibi præclare cesserint. Non gloriatur autem de scientia sua, atque præstantissimis virtutibus, propter quas tamquam præcipuus Evangelii præco habebatur: de iis gloriatur, quæ in Dei gloriam cedunt, immo de his non in semetipso, sed in JESU CHRISTO gloriatur, qui auctor est vocationis suæ, Apostolatus, gratiæ, & cujus ope prædicatio

D illius egregium adeo finem invenit.

℣. 18. NON ENIM AUDEO ALIQUID.] Loqui eorum, quæ per me efficit CHRISTUS. At licet Græca, & Vulgata negationem legant *per me non efficit*, tamen sine negatione intelligendum est. Minime gloriabor de iis, quæ vera non sunt. Scio, vos satis ea quærere, quæ Dei gloriam, & Evangelii progressum respiciunt, ita ut minime oblectemini, nova audientes. Libenter vos distinerem, nisi nimis grave onus incumberet. Minime ignoratis, quem fructum hoc in munere mihi tribuerit Deus: dicere erubesco, verum omnis gloria ad Deum tandem referenda. Non ego, sed Dei gratia opera mea tot nationes in Ecclesiam induxit ℣. 19. *In virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti*. Mea vero pars, vel minima est. Cum Sanctus

E Paulus aliquid refletur adferre, quod sibi in gloriam cedat; hoc semper iis vocibus præstat, quæ sincerissima humilitate, atque modestia redundant.

℣. 19. ITA UT AB JERUSALEM.] Non in Jerosalem tantum; in Judæa, finitimisque Provinciis prædicavi, verum omnes peragravi Provincias, quæ ab Jerusalem sunt usque in Illyricum, Syriam, Phœniciam, Arabiam,

1 Vide Luc. 14. 15. 19. 20. & Rom. 9. 10. 11. 2 Vide Tolet. Est. &c.

3 ℣. 10. Εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. Ex Deuter. 32. 43. Juxta 70. in Hebr. Est. הרנינו גוים עמו *Laudate, Gentes, populum ejus*: vel, *Laudate, Gentes, populus ejus*: vel, *Laudate Gentem cum populo ejus*.

4 עמד לנס עמים 70 Καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν. 5 Vide Theodoret. hic.

6 Grot. Vat. Est. Tolet. Men. alii. 7 Μεστοί ἐστε ἀγαθωσύνης. *Pleni estis bonitate*. Sed Clar. & S. Germ. G. L. in Latino, *Dilectione*. In Gr. Ἀγαθωσύνης. Velez. & Boern. G. L. Ἀγάπης. Theoph. ἀγαθωσύνης, ἀγαθογνώμονες καὶ ἐπιεικεῖς. 8 Tolet. Grot. Vorst. Tir. Est. alii. 9 Ἱερουργοῦντα τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος. Aug. *Conservans Evangelium*.

10 Chrysost. Origen. Theodoret. alii Græci. Est. Grot. Pare. Ludov. de Dieu.

bism, Ciliciam, Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam, Galatiam, Pontum, Paphlagoniam, Phrygiam, Troadem, Asiam, Cariam, Lyciam, Joniam, Lydiam, Cypri, & Cretæ Insulas, aliasque minus insignes, Thraciam, Macedoniam, Thessaliam, Achajam: hæc enim de itineribus S. Pauli, & Provinciis, ubi ille prædicavit, nobis comperta sunt [1], sed non omnia ejus itinera nobis sunt explorata. Vide Tabulam Geographicam Actis Apostolorum præpositam.

S. Clemens Papa in Epist. ad Corinth. §. 5. testatur, S. hunc virum cum in Oriente, atque Occidente prædicasset, gloriam, atque nomen Apostoli, & Magistri totius terrarum orbis reportasse. S. Johannes Chrysostomus tom. 5. hom. 45. narrat, illum intra annorum triginta spatium ad veritatem adduxisse Romanos, Persas, Indos, Scythas, Æthiopes, Sarmatas, Parthos, Medos, Saracenos; verbo nationes omnes, quæ inter homines sunt. Attamen ex illius epistulis, atque ex Apostolorum Actis non satis liquet, Apostolum ultra Romanum Imperium lucem Evangelii attulisse; ita fidei consonum videtur, S. Johannem Chrysostomum innuere voluisse fructum, quem S. Paulus, non solum dum viveret, sed etiam post mortem, retulerat per Epistolas suas, quæ celerrime effusæ sunt in omnes eas regiones, de quibus loquitur, & quæ illuc attulere lumen, quo omnes sunt refertissimæ.

℣. 20. SI AUTEM PRÆDICAVI.] Hoc minime pressius intelligendum est. S. Paulus pro virili eos locos quærebat, ubi JESUS CHRISTUS prædicatus non fuerat [2]; sed minime opem suam renuebat illis, ad quos Evangelii cognitio aliunde pervenerat. Loquitur solum de iis, quæ generatim ferme operatus est, & quæ ab illius potestate minime pendebant. Illius hæc erat cura, ut latius, quoad posset, JESU CHRISTI Imperium extenderet, & novas Ecclesias institueret: *Ne super alienum fundamentum ædificarem* [3], nolens sibi alieni laboris fructum vendicare, nec Pseudo-Apostolos imitari, qui propriæ dumtaxat gloriæ, atque otio, utilitati studebant, Ecclesiam circumeuntes, Doctorum, atque Censorum personam induentes, Evangelii prædicationem in quæstum convertentes, & omni nisu evitantes, quid in hoc sacro munere, vel alea, vel laboris plenum est, ne quod inde utilitatis, & jucunditatis perciperent, amittant.

℣. 21. QUIBUS NON EST ANNUNCIATUM.] Gentiles, de iis enim præcipue intelligit Isajas c. 52. 15. hi populi, qui nondum de Deo verba fieri audierant, & quibus JESUS CHRISTUS annunciatus non fuerat, tunc ejus lumen viderunt, & audierunt verbum ejus [4]. Ipsi etiam Judæi in plerisque Civitatibus, ubi S. Paulus prædicavit, confusius dumtaxat aliquid de JESU CHRISTI persona cognoverant; alii vero mirum in modum hujus odio flagrabant. Sacerdotes enim, atque Seniores Jerusalem statim summo studio iniquos de Salvatoris doctrina, vita, & Apostolis ejus rumores, orbique sparsere studuerant.

℣. 22. PROPTER QUOD, & IMPEDIEBAR.] Superius cap. 1. 11. Romanis dixerat, se jampridem eos videndi cupiditate flagrasse, ut apud illos etiam, non secus ac apud alias nationes aliquem fructum posset efficere. Isthic vero se prohibitum fuisse testatus, fortasse intentum gravioribus curis, cum Deus illis significasset, se ex eo in præsentiarum aliud potius exquirere, quam iter illud, quod in aliud tempus differebat.

℣. 23. NUNC VERO ULTERIUS LOCUM NON HABENS.] Nunc cum nulla mihi hac in regione permanendi causa supersit: vel potius [5], cum non habeam *locum* vacuum, nullum locum, ubi Evangelium [6] prædicatum non fuerit, cum me satis liberum hac in regione, atque expeditum cognoscam, ut Italiæ iter aggredi possim, Romam cogito. S. Paulus profecto post aliquot annos illud iter suscepit [7], non tamen ea ratione, quam sibi proposuerat: eo enim tamquam captivus adductus fuit, cum ad Cæsaris Tribunal appellasset [8].

℣. 24. CUM IN HISPANIAM PROFICISCI COEPERO.] Græcus aliquam dubitationem complecti videtur: *Si quando in Hispaniam proficiscar*, spero, me ex itinere ad vos concessurum. Sed præstat hoc absolute intelligere, quem sensum luculente Græcus admittit. Quæritur, utrum S. Paulus vere in Hispaniam adnavigaverit. Patres quidam [9] hoc aperte affirmant, alii [10] vero minus explicite de hoc itinere verba faciunt. Pelagius hæresiarca [11] tenet, iter hoc dubitatione minime carere: & Papa Gelasius haud dubie ait [12], Apostolum nequaquam explesse consilium suum in Hispaniam eundi, & Innocentius primus ait, S. Petrum unicum esse Apostolum, qui in occidente prædicaverit [13]. Nullum in Hispaniam superest monumentum, nullum satis certum vestigium, quod probet, S. Paulum ibi aliquam Ecclesiam instituisse. S. Clemens Papa, quo non alium hac in re certiorem testem afferri posse existimo, quippe S. Pauli coævum, testatur, Apostolum in extremam usque occidentis partem fuisse profectum, quod de Hispania, vel de altero Pauli itinere Romam versus potest intelligi. Estius ducit probabilius, illum numquam Hispaniam vidisse; Grotius neutram partem audet amplecti; Tillemontius [14] fatetur, rem minime impossibilem esse, verum neque esse certam. Hispani quidem illam certissimam putant, verum, quæ afferunt, argumenta laborant. Baronius, & Pererius in utramque partem rationes afferunt, & affirmativam sententiam sectantur; cum S. Thomas, & Scotus pro negativa contendant.

A VOBIS DEDUCAR ILLUC.] Ut vos mihi socios aliquos tribuatis, qui me deducant, mihique comites adsint in hoc itinere; quemadmodum illi acciderat Jerosolymis; ubi socios quosdam acceperat, a quibus Athenas deductus fuit [15]. Græcus textus [16] significare simpliciter potest, ipsum honoris ergo, atque officii gratia a Romanis deductum iri usque extra urbis portas; quemadmodum sæpius accidit [17], cum S. Paulus de iis urbibus egrederetur, ubi aliquandiu permanserat, & ubi cognoscebatur. Fideles nonnumquam ad satis longum itineris intervallum, una cum uxoribus, & filiis suis eum comitabantur; ægre enim ipsum a se divelli ferebant.

℣. 25. IN JERUSALEM MINISTRARE SANCTIS.] *Sanctos* appellat primos fideles Jerusalem, qui propter zelum, atque fidei suæ magnitudinem omnibus se se bonis exuerant [18], atque voluntariam paupertatem subierant. Ut eorum egestati ferret opem, S. Paulus provinciam inierat eleemosynarum, ubicumque prædicasset, pro illis congerendarum, atque non semel Jerosolymam profectus est, ut quidquid congesserat, ad illos afferret. Hoc autem ministerium appellat [19]: *ministrare Sanctis*; nam revera hoc munus erat, quod ipse libenter ex Apostolorum commendatione subierat, quemadmodum

1 Confer hist. Actorum, & quod ait in Ep. ad Galat. cap. 2. 2 Est. Menoch. Grot.
3 Vide 1. Cor. 5. 10. Ephes. 2. 20. 4 Vide Tolet. Est. Grot. &c.
5 Νυνὶ δὲ μηκέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλίμασι τούτοις. 6 Erasm. Tolet. Menoch.
7 Anno J. C. 60. Hæc Epistola scripta est anno 58. 8 Act. 25. 10. 11. 12.
9 Ὡς ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν. Alii plures, εἰς τὴν Ἱσπανίαν. Vide Mill. hic, & Grot.
10 Epiphan. hæres. 27. Chrysostom. Præf. in Epist. ad Hebr. Hieronym. in Isai. 11. vers. 14. Theodoret. in 2. Timoth. 4. 17. & in Philipp. 1. 26. Greg. in Job. lib. 31. cap. 22. Vide Baron. an. 61. §. 3. 4.
11 Athanas. ad Dracont. pag. 956. Cyrill. Cath. 17.
12 Gelas. tom. 4. Concil. pag. 1251. e. tract. 3. advers. Pelag. hæres.
13 Epist. ad Corinth. paragr. 5. 14 Tillemont tom. 1. pag. 63. & 514. & Not. 73. in S. Paul.
15 Act. 17. 15. 16 Καὶ ὑφ᾽ ὑμῶν προπεμφθῆναι ἐκεῖ.
17 Act. 20. 38. 21. 5. Joan. ad Cajum vers. 6. Tit. 3. 13. 18 Act. 4. 32. 34.
19 Διακονῶν τοῖς ἁγίοις. Vide Act. 6. 2. & 1. Cor. 16. 15. 2. Cor. 8. 4. 9. 13.

ex Apostolorum Actis innotescit [1]. Iter illud, de quo S. Paulus verba facit, novissimum est, quod ad hanc rem suscepit in Jerusalem. Ibi comprehensus fuit, atque biennio Cæsareæ in carcere detentus, atque inde missus Romam a Cæsare judicandus.

℣. 26. PROBAVERUNT ENIM MACEDONIA [2], & ACHAJA.] Præsertim vero Ecclesiæ Corinthi, Thessalonicæ, & Philipporum ex mera liberalitate sua aliquam bonorum suorum partem, cum fidelibus Jerosolymæ communicare. S. Paulus tacite illthic Romanos invitat, ut Græcarum Ecclesiarum charitatem, atque liberalitatem imitentur [5].

℣. 27. DEBITORES SUNT EORUM.] Gentiles ex Achaja, & Macedonia conversi plurimum Judæis debent, & nonnisi exiguam partem eorum, quæ illis debent, dissolvunt, cum bonorum suorum participes efficiendo. Quid autem illis debent? omnia spiritualia bona, quibus fruuntur, quæ toto Cœlo quæcumque hujus Mundi superant bona. Hoc minime intelligendum est de debito legitime contracto, sed de quadam morali compensatione. Hebræi filii erant fœderis, promissionum hæredes, genus sanctum, primi vocati. Gentiles vero erant alieni a fœdere, promissionibus, hæreditate. Per fidem, atque Evangelium participes facti sunt omnium spiritualium bonorum, quibus Hebræi erant perfruituri; nonne igitur æquum est, ut & ipsi vicissim illis bonorum suorum temporalium partem communicent? Vide eamdem argumentationem, 1. Cor. vers. 11.

℣. 28. HOC CUM CONSUMMAVERO, & ASSIGNAVERO.] Græcus [4]; *cum perfecero, & signavero fructum hunc*. Cum perfecero, & distribuero hanc eleemosynam, quæ laborum meorum, atque fraternæ charitatis est fructus. Dicit, se illam *signaturum*, vel signatam missurum [5]; quemadmodum rerum pretiosarum fasciculus, vel magni momenti litteræ alio mittuntur. Aliter, si verbum signandi pro perficere intelligas, quemadmodum sæpe in Scripturis usurpatur [6]: ubi perfecero, atque ad finem redegero hanc pecuniæ collectam; illam Jerosolymam attulero, atque Apostolis tradidero, pauperibus distribuendam.

℣. 29. VENIENS AD VOS IN ABUNDANTIA BENEDICTIONIS EVANGELII.] Spero Deum opera mea gratiarum, atque benedictionum affluentissimam copiam vobis communicaturum: atque me vos participes facturum spiritualium gratiarum, quam mihi conferre dignatus est; ac vobis daturum, atque mutuo a vobis in eximiam consolationem accepturum [7] per Fidem, & Evangelium, quod utrique profitemur. Aliter, in Domino confido futurum, ut vos abundanti benedictione, atque omni gratiarum genere refertissimos inveniam [8]. Theodoretus hic attendit ad ea, quæ reipsa subsecuta sunt Paulinum iter Romam; atque hanc benedictionem abundantiam intelligit de laboribus, atque periculis, quæ Jerusolymæ, atque in itinere suo perpessus est.

℣. 30. OBSECRO VOS,] ut mecum precibus vestris decertetis [9]. Preces prælium vocat, nam quodammodo contra Deum precibus pugnamus, ut iram illius superemus, ejusque justitiam flectamus. Prælii vox innuit conatum, ardorem, attentionem, quæ preces nostras comitari debent. Certamen Jacob cum Angelo [10], figura est conatus, quem precibus nostris exercere debemus, ut Dei opem, atque benedictionem obtineamus. Apostolus Romanos obtestatur, ut secum pugnent precibus suis, non enim sufficit opem alienarum precum exposcere, nisi & nostras addiderimus, atque & ipsi pro virili adlaboraverimus.

℣. 31. AB INFIDELIBUS, QUI SUNT IN JUDÆA.] Præsentiebat quodammodo periculum, quod subiturus erat, in Judæam proficiscens, & in reliquo itinere suo: immo Spiritus Sanctus ipsum pluribus in locis vinculorum, quæ illum manebant, admonuit [11]. Ipse etiam cum a fidelibus Mileti discederet, eis dixit futurum, ut illum in Asia non amplius viderent, Act. 20. 38.

ET OBSEQUII MEI OBLATIO.] Officium videlicet illud, quod ipsis præstiturus sum, vel oblatio, quam illis facturus, vel eleemosyna, quam ad ipsos allaturus, accepta fiat in Jerusalem Sanctis. Vidimus jam vers. 25. & alibi etiam passim [12], *ministerii nomen* pro eleemosynis usurpari, quas S. Paulus Jerosolymitanis fidelibus procurabat. At quid ille metuere poterat, ne munus tantum pauperibus allatum, tot laboribus collectum, tanto cum periculo congestum, illis acceptum non esset? Sed Sanctus Paulus Judæorum ingenium noverat; minime ignorabat, quin illis suspicio oborietur propter ingentem ipsius erga Ethnicos charitatem, quos in Evangelii prædicatione, Judæis ipsis quodammodo præferre videbatur: vel saltem hoc nomine accusabatur [13]. Metuere igitur debebat, ne illi per indignationem hujusmodi eleemosynas respuerent, tanquam a suspecto viro allatas, atque a Gentilibus missas. Credunt alii, S. Paulum Romæ fideles rogare, ut Deo preces effundant, ut illum ex omnibus insidiis, omnibusque itineris periculis eripiat, ut collectæ eleemosynæ citra quodvis discrimen, omnemque jacturam Jerosolymam perveniant; non enim ignorabat, sibi insidias strui, & Judæos consilium iniisse eum interimendi [14]; quod ipsum coegit, ut per Macedoniam iter inflecteret.

℣. 33. DEUS AUTEM PACIS.] Ad pacem præcipue, & charitatem enixius hortatur, quod quemadmodum vidimus, in Fidelibus quædam jacta erant turbæ, atque dissidii semina propter carnium distinctionem, & Legales quasdam cæremonias, quas Ethnici tanquam inutiles contemnebant, & quibus Judæi fideles mordicus adhærebant. Eos igitur ad pacem hortatur, & Deum pacis, charitatis, & concordiæ auctorem rogat, ut cum illis permanere, iisque suum unionis Spiritum dignetur immittere. Vide cap. subsequ. ℣. 20.

1 Act. 11. 30. 12. 25. Galat. 2. 10. 2 Est. Grot.
3 Τοῦτο οὖν ἐπιτελέσας καὶ σφραγισάμενος αὐτοῖς τὸν καρπὸν τοῦτον.
4 Erasm. Vatab. Est. Menoch. Paræ. alii. 5 Vide Dan. 9. 24. Ezech. 28. 12. 2. Cor. 1. 6. Galat. 3. 3. 4. Reg. 22. 4. Ludov. de Dieu hic. 6 MSS. plures omittunt τοῦ Εὐαγγελίου. Vide Mill. hic.
7 Vide Rom. 1. 11. Vide Origen. Anselm. Ambrosiast. Tolet. Grot.
8 Vide Chrysostom. Est. 9 Συναγωνίσασθαί μοι ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν Θεόν.
10 Genes. 32. 24. 25. &c. 11 Act. 20. 23. *Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens; quoniam vincula, & tribulationes Jerosolymis me manent.* Act. 21. 11.
12 Vide Act. 6. 1. Rom. 12. 7. 1. Cor. 16. 3. 2. Cor. 8. 4. 9. 1. 2.
13 Act. 21. 20. 21. Vide Est. hic. & Theodoret. 14 Tolet. Vatabl.

CAPUT

CAPUT XVI.

Sanctus Paulus Fidelibus Romæ commendat Phœbem Christianam mulierem, cui Epistolam suam deferendam tradiderat, Nonnullos nominatim salutat, atque illis plurium etiam nomine salutem dicit. Eos ad omnia dissidia evitanda adhortatur, eisque JESU CHRISTI Domini nostri pacem precatur.

1. COmmendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio
Ecclesiæ, quæ est in Cenchris: 2 Ut eam suscipiatis in Domino digne
sanctis: & assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit: etenim
ipsa quoque astitit multis, & mihi ipsi. 3 Salutate Priscam, & Aquilam adju-
tores meos in Christo Jesu, 4 (Qui pro anima mea suas cervices supposue-
runt: quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium) 5 Et
domesticam Ecclesiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primiti-
vus Asiæ in Christo. 6 Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. 7
Salutate Andronicum, & Juniam, cognatos, & concaptivos meos: qui sunt nobi-
les in Apostolis, & qui ante me fuerunt in Christo. 8 Salutate Ampliatum di-
lectissimum mihi in Domino. 9 Salutate Urbanum adjutorem nostrum in Christo
Jesu, & Stachyn dilectum meum. 10 Salutate Apellem probum in Christo. 11
Salutate eos, qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum.
Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino. 12 Salutate Try-
phænam, & Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidem charissimam,
quæ multum laboravit in Domino. 13 Salutate Rufum electum in Domino, &
matrem ejus, & meam. 14 Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Pa-
trobam, Hermen; & qui cum eis sunt, fratres. 15 Salutate Philologum,
& Juliam, Nereum, & sororem ejus, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis
sunt, sanctos. 16 Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Eccle-
siæ Christi. 17 Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones,
& offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis.
18 Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: & per
dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium. 19 Vestra enim
obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapien-
tes esse in bono, & simplices in malo. 20 Deus autem pacis conterat Satanam sub
pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. 21 Salutat vos
Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Jason, & Sosipater, cognati mei. 22 Salu-
to vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino. 23 Salutat vos Cajus hospes
meus, & universa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius civitatis, & Quartus, frater.
24 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. 25 Ei autem, qui
potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicationem Jesu Christi, se-
cundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti, 26 (Quod nunc patefa-
ctum est per Scripturas Prophetarum secundum præceptum æterni Dei, ad obeditio-
nem fidei) in cunctis Gentibus cogniti, 27 Solo sapienti Deo, per Jesum Christum,
cui honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

℣. 1. COMMENDO AUTEM VOBIS PHOEBEN SOROREM.] Ubi ea omnia absolvit, quæ Spiritus Sanctus illi inspiravit, ut ad Romanorum eruditionem, atque ædificationem conscriberet, literis suis finem imponit quibusdam salutationibus, atque officiis tum suis, tum nomine Ecclesiæ Corinthiacæ, unde scribebat [1]. Hæc ipsa officia ab ipso Sancto Spiritu proficiscuntur, qui totius Epistolæ auctor est. Et nihil hoc charitatis, & pacis spiritu dignius est, quam hujusmodi urbanitatis A muneri, quæ animorum, & mentium concordiam mirifice fovent.

Phœbes, de qua S. Paulus hic loquitur, Religiosa erat mulier, & Diaconissa Ecclesiæ, quæ erat in Cenchris. Cenchræ autem vicus erat, qui tanquam Corinthi portus ferebatur in mari Hellespontico, atque Asiam versus. S. Paulus apud mulierem hanc aliquandiu commoratus est [2], cumque illa Romam cogitaret, ob quædam negotia, eidem commisit Epistolam, quam modo legimus [2]. Diaconissæ nomen significare potest,

1 Theodoret. in hunc loc.

2 Hic vers. 1. 2. Anselm. seu Hervæus. Erasm. Tolet. hic.

potest, eam se se devovisse, ut pauperes ægrotos, atque peregrinos ope sua recrearet [1]; & fortasse etiam Ecclesia, quæ erat in Cenchris, Sanctam mulierem ad hoc munus elegerat ob meritum, virtutem, & charitatem ejusdem compertam, exploratamque. S. Chrysostomus, atque Interpretes nonnulli putant, Ecclesiasticum aliquod ministerium illius sexui, & qualitati par eidem fuisse demandatum; puta, Christianas mulieres edocendi, illis eleemosynas erogandi, eisque ægrotantibus inserviendi [2] Ecclesia diu, in Oriente vero præsertim, Diaconissas habuit, atque antiquitus non sine solemnitate, & per manuum impositionem hæc illis dignitas deferebatur [3]. Recentiores quidam crediderunt, Phœben S. Pauli uxorem fuisse, sed nemo antiquorum aliquid attulit simile [4].

℣. 2. DIGNE SANCTIS.] Ut illam suscipiatis ea ratione, quæ & vos ipsos, & illam maxime decet. Illam suscipite summo cordis affectu, qui Christianos viros decet; ea autem observantia, & charitate, quæ Sanctæ mulieri, atque Dei ministerio devotæ in primis convenit; *Assistatis ei in quocumque negotio vestri indigueris; etenim ipsa quoque adstitit multis, & mihi ipsi.* Græcus [5] proprie significat, illam plurimorum Patronam fuisse, atque subsidium. Vertunt alii; *quemadmodum ipsa hospes fuit plurimorum*, & advenas domi suæ religiosissima accepit humanitate, quemadmodum [6] & ipse exceptus sum. Creditur S. Paulus, apud illam diversatus fuisse, donec in Cenchris permansit.

℣. 3. SALUTATE PRISCAM, & AQUILAM.] Græcus vulgo legit *Priscillam, & Aquilam*; atque Theodoretus animadvertit, ævo suo Græca exemplaria jam variasse, & alibi *Priscam*, alibi *Priscillam* lectum fuisse. MSS. non pauci Priscam legunt. De Prisca vero, & Aquila jam verba fecimus in Actis c. 18. 2. Hi fuerant primi hospites S. Pauli Corinthi, unde hanc Epistolam scribit. Sed Romæ tunc erant; mox in Asiam reversi sunt, ibique aderant, cum S. Paulus alteram ad Timotheum dares Epistulam [7], ubi eum rogat, ut illi verbis suis salutem dicat. Permanserunt illi in Oriente ad obitum usque; Martyrologia enim ibi eorum festivitatem constituunt die Julii octava. Aquila non secus, ac S. Paulus erat artis scenofactoriæ.

℣. 4. PRO ANIMA MEA SUAS CERVICES SUPPOSUERUNT.] Non satis liquido patet, quanam in occasione hoc illi præstiterint officium, Corinthi ne, an Ephesi. Credidit Origenes hic, S. Paulum illorum opera ex Judæorum insidiis evasisse. Putant alii, eos pro S. Paulo se se objecisse seditioni, quæ contra eumdem Corinthi fuerat excitata, Act. 18. 12. vel illi, in qua maximum eidem periculum impendit Ephesi Act. 19. propter aurifices. Quod vero *& cunctæ Ecclesiæ gentium* illis deberent, credunt inde accidisse præcipue propter hospitalitatem, quam erga fideles omnes exercebant [8]; qua in re domestici ipsorum se se illis præbebant non degeneres; quandoquidem adeo frugi erant, ut eam domum S. Paulus Ecclesiam appellet.

℣. 5. ET DOMESTICAM ECCLESIAM EORUM.] Hoc nomine etiam vocat domum Priscæ, & Aquilæ in prima ad Corinthios epistola c. 16. 19. ex quo conjicere licet, Corinthi, Romæ, vel Ephesi domum Priscæ, & Aquilæ locum fuisse, quo Sancti confugerent, & ubi Religiosis conventus haberentur [9]; & demum eorum familiam æque bene moratam, atque sanctam fuisse, ac Ecclesiam [10]; illosque minime usos fuisse domesticis, qui alterius essent Religionis. S. Paulus ad Coloss. 4. 15. salutat Ecclesiam, quæ erat in domo Nymphæ; & in epistula ad Philemonem ℣. 2. & 2. salutat Ecclesiam, quæ erat in domo illius; quod eorum sententiam confirmat, qui putant, in eorum domo habitum fuisse Christianorum conventum, vel saltem ibi cogi consuevisse partem Christianorum loci illius: *ubi tres, Ecclesia est, licet laici*, ait Tertullianus. Si S. Paulus de domesticis tantum loqui voluisset, aliter locuturus fuisse videretur.

SALUTATE EPÆNETUM DILECTUM MIHI, QUI EST PRIMITIVUS ASIÆ IN CHRISTO.] Græcus legit [11] *qui est Achajæ primitiæ*, fortasse, qui primus fuit ex Gentilibus in Achaia conversis. Inde vero hoc in loco difficultas oboritur, quod S. Paulus, 1. Cor. 16. 15. Stephanam *Achaiæ primitias* appellat. Sed respondent nonnulli [12], Epænetum fortasse Stephanæ filium fuisse; atque ita cum uterque eodem tempore credidisset, utrumque *Achaiæ primitias* vocari. Portasse etiam, quin ullo cognationis vinculo se se attingerent, ambo, vel plures simul crediderunt, & in communi nomen primitiarum Achaiæ mereri sunt. Complures Græci MSS. [13] non secus ac omnes Latini legunt *primitias Asiæ*, neque a veri specie abhorret, librarios isthic legisse *primitias Achaiæ*, pro *Asiæ primitiis*, quod in priori ad Corinthios Epistola capite 16. ℣. 15. *primitias Achaiæ* legebant. S. Epæneti festivitas a Græcis tertio Kalendas Sextiles una cum SS. Crescentii, & Andronici festivitate celebratur; qui omnes in pace animam efflasse dicuntur, postquam fidem in Chalcedonia, Gallia, aliisque terrarum partibus prædicassent [14].

℣. 6. SALUTATE MARIAM.] Credunt nonnulli [15], S. Paulum nonnisi ex fama mulierem hanc cognovisse; sed a fide non abhorret, quod illam in Judæa, vel Asia, vel tandem in Græcia cognoverit, quæ cum Romam profecta esset, ex vulgi sermone didicit, quid pro Romanis illa fecisset suis curis, sua doctrina, sua eleemosynis [16]. Græci complures MSS. [17], Syrus, Arabs, Æthiops, S. Chrysostomus, Theodoretus, vetus Interpres, qui S. Ambrosii nomine circumfertur, cum Vulgata legit *in vobis*: sed Græcus typis editus, & alia non pauca exemplaria legunt *in nobis*, quod innueret, mulierem hanc Christianam fuisse, & fortasse Judæam ex nativitate, quemadmodum ejus nomen indiguat, eamque Apostolo opem tulisse in laboribus Apostolicis in Græcia, atque Asia, & tunc forte Romæ fuisse. Recentiores quidam [18] crediderunt, hanc esse Mariam Cassobolitam, ad quam dicunt, S. Ignatium epistolam quamdam conscripsisse: sed & illa Epistola apocrypha est [19], & Maria Cassobolita fortasse supposititia persona est.

℣. 7. ANDRONICUM, & JUNIAM.] Exemplaria quædam [20] legunt *Juliam* pro *Junia*. Non satis liquet, utrum legendum sit *Julias*, an *Junias*, quasi virilia essent nomina, vel *Iulia*, an *Iunia* tamquam muliebria. Andronicus, & Junia consanguinei erant Apostoli, & una cum illo fidem fuerant amplexi. Quod ille ait, *qui sunt nobiles in Apostolis*, judicium edstruit, illos fuisse ex numero Septuaginta Discipulorum Domini nostri [21]. Recentiorum plerique putant, Andronicum, & Jo-

1 Vide Grot. Hamm. Capell. Est. Vatab. 2 Vide Plin. lib. 10. Ep. 97. Constit. Apost. lib. 3. cap. 15. 19. Grot. Tolet. Est. Menoch. 3 Concil. Laodic. c. 11.
4 Vide Tolet. hic. 5 Καὶ γὰρ αὐτὴ προστάτις. *Patrona*. Grot. Strig. Lud. de Dieu.
6 Pagn. Pisc. Bez. Lud. de Dieu, Theodoret. 7 2. Timot. 4. 19. 8 Origen. Theophyl. Est. alii hic.
9 Grot. Paræ. Med. de Eccles. lib. 2. pag. 412. 10 Est. Tolet. Menoch. Paræ.
11 Ὅς ἐστιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας εἰς Χριστόν. Ita Chrysost. Theodoret. alii.
12 Scol. Syrus, & Lud. de Dieu. 13 Ἀπαρχὴ τῆς Ἀσίας. Steph. a. Alexand. Clarom. & Germ. & Boraer. G. L. Cophr. Æth. Ambrosiast. Hieronymiast. Origen. hic. & homil. 21. in Num.
14 Menæa, pag. 299. Vide Tillemont tom. 1. S. Paul, art. 25. pag. 255.
15 Vide Paræ. 16 Theodoret. Theophyl. alii.
17 S. Germ. & Clarom. & Borner. G. L. Alex. alii apud Mill. Εἰς ὑμᾶς, vel ἐν ὑμῖν, Impress. & Theophyl. ἐν ἡμῖν. 18 Apud Tolet. hic, & Est. 19 Du Pin, Tillemont. alii.
20 Velez, Copht. Origen. Ambrosiast. hic.
21 Origen. hic. Græci. Chronic. Alex.

Juniam duos viros fuisse [1]; tantos S. Pauli eos fine hujus consanguineos masculino genere appellet [2]; sed Patres, pura D. Chrysostomus, & qui eum secuti sunt [3], & Græci in officiis fuit, & plures denique eruditi Interpretes Andronicum quidem virum fuisse putant, Juniam vero mulierem, & fortasse ejus uxorem. Admirator S. Chrysostomus, quod mulier particeps esse potuerit & meritorum, & dignitatis Apostolorum. A

Eorum diem festum celebrant Græci decimo sexto Kalendas Junii, & dicunt, Andronicum omnem terrarum orbem ad JESUM CHRISTUM prædicandum peregrasse, errorem dissipasse, Templa ædificasse, idola evertisse, atque infinita miracula [4] operatum fuisse. Latini quidem eadem die eorum festivitatem concelebrant, & Andronicum primum Illyrii Episcopum vocant. Sed quæ de illis ferunt recentiores, nullam fidem merentur. Apostolus quidem isthic satis superque ait, quod sublimem Sanctorum horum ideam nobis adstruat. Critici quidem [5] credunt, a S. Paulo *cognatos suos* appellari, quoniam & ipsi Judæi erant, vel etiam ex eadem Tribu Benjamin. B

℣. 8. SALUTATE AMPLIATUM [6].] Hinc inferri potest, S. Ampliatum de Christiana Religione perquam bene fuisse promeritum, quoniam S. Paulus eumdem sibi dilectissimum in Domino appellat. Cum enim Apostolus adeo sapiens esset, atque divino lumine illustratus, minime in amicorum suorum numerum Ampliatum recensere potuisset, nisi vere vir bonus fuisset, & Sanctus. Ejus historia prorsus nos fallit. Græci [7] festum ejus diem celebrant pridie Kalendas Novembris, eique Apostoli dignitatem, Martyris coronam, plurimorum miraculorum fulgorem, tribuunt, eumque a S. Andrea Episcopum creatum fuisse putant Oddyssopoli in Misia; immo & ejus reliquias Constantinopoli se habere ferebant. C

℣. 9. URBANUM ADJUTOREM NOSTRUM.] Græcus editus [8], *Urbanum socium laborum nostrorum*; sed MSS. quidam, & D. Chrysostomus *laborum nostrum*. De S. hoc viro nihil peculiare didicimus, nisi quod isthic a S. Paulo afferatur. Græci eum colunt pridie Kalendas Novembris, eumque Macedoniæ Episcopum fuisse dicunt a S. Andrea constitutum, & putant, hunc fuisse ex numero duorum, & Septuaginta JESU CHRISTI discipulorum.

STACHYS] ex Græcorum sententia primus fuit Byzantinus Episcopus; eum Apostolum vocant, atque ex numero duorum & septuaginta discipulorum recensent. Festivitas ejus memoratur pridie Kalendas Novembris [9]. D

℣. 10. APELLEM PROBUM IN CHRISTO.] Græcus [10]: *virum in JESU CHRISTO probatum*. Dubitarunt nonnulli [11], utrum hic *Apelles* idem esset, ac *Apollo* vir ille in actis Apostolorum [12], ut in prima ad Corinthios epistola, adeo celebris [13]. Verum si hic esset Apollo, videretur plura Apostolus de eodem isthic fuisse dicturus. Græci Apellem in Septuaginta duorum discipulorum albo enumerant, cujus honoris admodum liberales sunt, & quem plurimis Sanctis viris deferunt. Hunc Heracleensem Episcopum fuisse putant, ejusque diem Festum pridie Kalendas Novembris recolunt [14].

℣. 11. EOS, QUI SUNT EX ARISTOBULI DOMO.] E Græci recentiores [15] credunt, S. Aristobulum, de quo hoc in loco S. Paulus verba facit, S. Barnabæ fratrem fuisse, ex numero duorum, & Septuaginta discipulorum, a S. Paulo, vel etiam ab ipso S. Barnaba Episcopum ordinatum, eumque fuisse in Angliam missum fuisse, ubi plurima perpessus est, ac vitam beato fine conclusit; postquam ingentes ibi conversiones pepegisset. Ejus festivitatem Idibus, vel postridie Idus Martias celebrant; sed universa hæc historia apocrypha est [16]. S. Paulus *Aristobuli domum* salutat; quod Author, qui Sancti Ambrosii nomine circumfertur, in hunc locum intelligit de Christianorum Ecclesia, quæ erat in domo illius. Dubitat Paræus, utrum Aristobulus Christianus esset, quoniam S. Paulus non illi, sed domui illius salutem dicit. Grotius tamen credere mavult, Aristobulum tunc, vel abfuisse, vel ad plures abiisse. S. enim Paulus iisdem verbis loquitur de domo Onesiphori post ejusdem obitum 2. Timoth. 1. 16.

SALUTATE HERODIONEM COGNATUM NOSTRUM.] Non desunt, qui hanc S. Pauli, ac Herodionis cognationem intelligant, quemadmodum dictum est de Andronico, & Junia; hoc est, illos simpliciter Judæos fuisse, quemadmodum erat S. Paulus, & fortasse etiam ejusdem contribules, atque concives: sed cum optimis Interpretibus hoc simpliciter ad litteram intelligere malim; nulla enim nos cogit necessitas, ut ad alios sensus confugiamus. Græci recentiores [17] de hoc Sancto Herodione mira narrant: illum intra duos, atque Septuaginta discipulos, & Apostolos recensent, & dicunt, illum humilitatis spiritu semper se se tamquam omnium Apostolorum servum præbuisse. Hic deinde Sacerdos ordinatus fuit, & mox Episcopus novæ urbis Patrarum, fortasse in Achaia. Hic idem plane videtur esse Herodion ille, quem Rodionem vocant [18], & quem dicunt subsecutum fuisse Romam usque S. Petrum una cum S. Olympiade, & ubi uterque capite damnatus fuit eo die, quo S. Petrus fuit Cruci confixus. Sed de hoc Rhodione historiam vendirant longe aliam ab illa Herodionis: quod satis ostendit, illos nequaquam distincte, atque perfecte hos Sanctos cognovisse, & ea, quæ afferunt, esse prorsus incerta [19].

QUI SUNT EX NARCISSI DOMO, QUI SUNT IN DOMINO,] quam distinctionem addit, quod in Narcissi domo aderant quidam non Christiani [20]. Minime certum est, Narcissum fuisse conversum, quidquid dicant, qui vertunt, *Narcissum, & omnem domum ejus* [21]. Ambrosiaster in hunc locum testatur, Narcissum in exemplaribus quibusdam Sacerdotem vocari, quem si S. Paulus minime salutat, ideo hoc ille prætermisit, quod Narcissus fortasse tunc aberat, ad ministerium suum exercendum alio profectus. Græci atque Latini [22] S. hunc virum tamquam Martyrem colunt pridie Kalendas Novembris, & quidem illum Atheniensem, alii vero Patrensem in Achaja Episcopum fuisse contendunt. Græci eum Apostoli nomine decorant, & in numero duorum & Septuaginta discipulorum conscribunt. Crediderunt Interpretes quidam, Narcissum fuisse celebrem Claudii libertum, qui profecto Christianus non fuit. Tunc Baronius, Narcissum jam ultima fuisse passum, cum S. Paulus scriberet ad Romanos: quod Tillemontius inficiari non audet: sed credit, celebris hujus liberti domesticos adhuc appellari potuisse *Domum Narcissi*.

℣. 12. TRYPHÆNAM, & TRYPHOSAM.] Duæ hæ Sanctæ Mulieres in S. Theclæ vita memorantur: verum cum hæc nullius plane sint authoritatis, nihil pro-

1 Plerique in Est. Menoc. Tirin. Hammon. Vide & Theodoret.
2 Ἀσπάσασθε καὶ Ἰουνίαν τοὺς συγγενεῖς μου, καὶ συναιχμαλώτους μου, οἵ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν Χριστῷ.
3 Chrysost. Theophyl. Grot. Mald. &c. 4 Menæa, pag. 141.
5 Est. Men. Cornel. a Lapid. 6 Ἀμπλίαν. Alii. Ἀμπλιᾶτον. Alexand. Vechel. Origen. seu Rufin. Bornet. G. L. Æthiop. Copht. Hieronymiast. hic. 7 Menæa, pag. 393. 396. &c.
8 Græc. impress. Οὐρβανὸν τὸν συνεργὸν ἡμῶν. Alii; Τὸν συνεργόν μου. Ita Cov. 3. Clarom. G. L. Chrysost.
9 Menæa, pag. 396. Baron. Mart. Ugell. Nicephor. Chron. 10 Τὸν δόκιμον ἐν Χριστῷ. Theodor. hic.
11 Origen. Grot. 12 Act. 18. 24. 19. 1 13 1. Cor. 1. 12. 3. 4. &c.
14 Menæa, pag. 394. 15 Doroth. in Synopsi. Menæ. pag. 308. Vide Baron. 15. Mart. Bolland. ibid.
16 Tillem. N. 7. in S. Barnabam. 17 Menæ. 8. April. Bolland. ibid.
18 Menæ. pag. 147. 150. 155. Sur. 20. Jun. 19 Tillem. Not. 83. in S. Paul.
20 Origen. Theodoret. Est. Men. Grot. 21 Τοὺς ἐκ τῶν Ναρκίσσου. Vide Est. hic, & ad hæc verba: *Qui sunt de Aristobuli domo*. 22 Vide Tillemont. Not. 48. in S. Paul.

desse potest historiæ Sanctarum Tryphænæ & Tryphosæ. Romanum Martyrologium earum festivitatem memorat quarto Idus Novembris; at nihil de Sanctis his mulieribus scimus præter ea, quæ S. Paulus inquit, eas videlicet *in Domino laborasse*. Hoc ipsum ille ait de *Perside*, quæ nihilo notior est, & quæ a nulla Ecclesia, quam sciamus, colitur.

ỳ. 13. RUFUM ELECTUM IN DOMINO.] Rufi matrem eum quidem genuerat, & S. Paulo ea præstiterat officia, ut ab ipso Matris loco haberetur; vel fortasse S. Paulus tamquam matrem illam colebat, tantummodo propter meritum, ac virtutem ejusdem [1]. S. Polycarpus in Epistola ad Philippenses [2] scripta anno 107. aliis proponit Sanctos Ignatium, & Rufum tamquam patientiæ exemplaria. S. Marcus de Simone loquens, qui Salvatorem nostrum Crucem ferentem adjuvat [3] testatur, cum Alexandri & Rufi parentem fuisse. Antiqua Martyrologia quædam S. Rufi diem festum statuunt decimo quinto Kalendas Januarii.

ỳ. 14. ASYNCRITUM.] Nihil de hujus vita didicimus. Græci Hyrcaniæ Episcopum fuisse dicunt, ejusque festivitatem recolunt sexto Idus Aprilis.

PHLEGON NOS FALLIT.] Recentiores Græci eum Marathonia in Attica Episcopum faciunt, ejusque festivitatem memorant sexto Idus Aprilis.

HERMAS.] Origenes in hunc locum, & post illum veteres nonnulli crediderunt [4], hunc illum esse, cujus extat opus sub Pastoris nomine, quod olim magnam in Ecclesia authoritatem obtinuit. Hæc sententia adhuc apud Interpretes communis est [5], & nihil occurrit, propter quod sit desereuda. Pastoris liber Romæ, vel non procul scriptus fuit sub annum JESU CHRISTI 92. ante Domitiani persecutionem [6]. Ado, Usuardus, & Martyrologium Romanum Hermæ festivitatem memorant septimo Idus Maii; Græci vero octavo Idus Martii, & item tertio nonas Octobris, ubi illum inter Apostolos, atque duos & Septuaginta discipulos recensent. Addunt, hunc Episcopum fuisse, vel Philippensem in Macedonia, vel Philippopolitanum in Thracia; & non ambigunt, quominus hic ille sit, quem S. Paulus hoc in loco salutat.

PATROBS] vel *Patrobe*, ex Græcorum sententia [7], Episcopus erat Puteolanus in Italia, vel Neapolitanus. De vita illius nihil constat: in Græca & Latina Ecclesia colitur pridie nonas Novembris. Credidit Origenes, illum una cum aliis, quos S. Paulus hoc ỳ. memorat apud Asyncritum permansisse.

HERMES] fuisse dicitur ex numero discipulorum duorum & Septuaginta. Græci illum Episcopum in Dalmatia fuisse putant; ejus festivitas colitur sexto Idus Aprilis [8].

PHILOLOGUS,] a Græcis fuisse putatur Episcopus Synopis in Ponto; ejusque festivitas ab illis pridie nonas Novembris [9] celebratur. Credidit Origenes, Philologum fortasse virum fuisse Juliæ; & Neream, & sororem ejus, & Olympadem illius fuisse domesticos [10]. Dubitant alii [11], utrum *Juliae* vir potius fuerit, an fœmina.

NEREUS.] Ex Origenis sententia domesticus erat Philologi: dubitant alii [12], utrum hic idem sit, ac ille S. Nereus, cujus cum Achilleo Martyre festivitas celebratur quarto Idus Maii; cui sententiæ illud maxime adversatur, quod Martyrium S. S. Nerei, & Achillei sub Trajano refertur post hanc epistolam scriptam annos circiter quinquaginta.

OLYMPIADEM.] Olympias, vel Olympiades; nam utroque pacto nomen ejus scriptum reperitur [13], ignoratur in historia: immo neque constat, utrum vir fuerit, an fœmina.

ỳ. 16. SALUTATE INVICEM IN OSCULO SANCTO.] Oscula hilaritatis, pacis, amoris fraterni. Ea tunc vigebat consuetudo, ut oscula salutem ultro, citroque & dicerent, & redderent [14]. Christiani eodem pacto se se in Ecclesiis salutabant; verum modeste, & verecunde [15]; eaque consuetudo diutius viguit in Ecclesia. Homines quidem hominibus, mulieres vero mulieribus oscula dabant; cujus consuetudinis reliquum illud est, quod in solemni Missa magnis in Ecclesiis usuvenit, ubi altaris Ministri osculum pacis sibi alternis tribuunt; subdiaconus vero illud ad clericos defert.

SALUTANT VOS OMNES ECCLESIÆ.] Græciæ, & Asiæ, quas nuper invisi; quibus cum dixissem, me ad vos esse scripturum, rogarunt me, ut verbis suis vobis salutem dicerem, atque se summam erga vos existimationem fovere, atque maxima charitate flagrare testarer. Testis fuerat S. Paulus eorum, quæ Christiani de fidelium Romæ virtute cogitabant, atque dicebant. Cum autem Romanos propter absentiam, & locorum longinquitatem osculari minime possent, eos hortatus est, ut sibimet ipsis mutuo pacis osculum darent, atque omnium totius orbis Ecclesiarum nomine celeberrimam hanc salutat Civitatem, quæ toto in mundo imperabat, ait Theodoretus. Veteres quidam Manuscripti [16] novissima hæc ỳ. 16. omittunt verba; *salutant vos omnes Ecclesiæ CHRISTI*. Græcus non legit, *omnes*.

ỳ. 17 ROGO VOS [17], UT OBSERVETIS EOS.] Sanctus Paulus ad articulum hunc sæpius redit; præcipua vero res illi est, & cum Judæis conversis, qui legales cæremonias, atque dierum, & carnium distinctionem cum Evangelii observatione commiscebant; & cum Gentilibus, qui in Christiana castra transierant, & qui ut libertatem suam quodammodo ostentarent, indiscriminatim rebus omnibus etiam coram Judæis, quibus scandali occasionem præbebant, & quos a se contemni ostendebant, vescebantur. Vide supra capita 14. 15. Præcipue vero cum Pseudo-Apostolis Judæis, qui recens conversorum conscientiam turbabant: quæ hominum genera diligenter jubet considerari, qui licet ab Apostolis edocti fuerint, tamen in Ecclesia pacem servare nolebant. Præcipit, ut illorum societas evitetur, atque habeantur, tamquam excommunicati, neque cum illis aliquis versetur, manducet, nosque salutet.

Hoc addit S. Paulus, postquam prolixam salutationum seriem retulit, atque fidelibus commendavit, ut pacis osculo se se mutuo complecterentur; quasi innuere vellet, neque salutationes, neque pacis osculum ad eos spectare, qui morum suorum varietate scandalis, atque dissensionum cupiditate turbant Ecclesiam. ỳ. 18. *Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri.* Neque Judæi, qui tanto cæremoniarum suarum [19] zelo flagrare videntur, neque hujusmodi Pseudo-Apostoli, qui vos judaizare vellent, JESU CHRISTI gloriam, & Evangelii progressum perquirunt; non alius ob illorum mentem finis obversatur, quam ut suo abdomini serviant [20].

ỳ. 19. VESTRA ENIM OBEDIENTIA IN OMNEM LOCUM DIVULGATA EST.] Græcus [21]: *pervenit ad* cognitionem *Mundi totius*. Quæro igitur, ne aures præbeatis hujusmodi Pseudo-Apostolis, qui pacem vestram

1 Theodoret. 2 Apud Coteler. pag. 100. 3 Marc. 15. 21.
4 Vide Eufeb. lib. 5. cap. 3. Histor. Eccles. Hieronym. de viris illustr. cap. 10.
5 Vide Est. Gror. Bez. Drus. 6 Vide Tillemont. tom. 2. pag. 121. 7 Menæa, pag. 78.
8 Vide Bolland. 8. April. pag. 742. 9 Menæa, pag. 78. Vide Oecum. hic.
10 Origen. in hunc loc. 11 Estius hic. 12 Vide Est. in hunc locum.
13 Vide Var. Lect. Mill. hic. 14 Vide Sveton. in Tiber. c. 34. *Quotidiana oscula prohibuit edicto.*
15 Vide 1. Cor. 16. 20. 2. Cor. 13. 12. 1. Thess. 5. 26. 1. Petri 5. 14. Justin. Apolog. 2. Theodoret. hic. Vide & Clem. Alex & Tertull. Apud Grot. hic. 16 Ambrosiast. Origen. Grot. alii.
17 Omittunt Clarom. S. German. Boerner. G. L. 18 Παρακαλῶ. *Vos hortor.*
19 Theodoret. Oecumen. Theophylact. Est. alii. 20 Confer Philipp. 3. 18. 19. Galat. 5. 1. 6. 12.
21 Græc. Εἰς πάντας ἀφίκετο.

stam perturbare gestient, & ne hoc pacto labem offundatis integritati fidei vestræ, & plenitudini obedientiæ vestræ, quæ ubique celebratur. Huic autem periculo eo magis estis obnoxii, quo magis Romæ magnitudo, & obedientiæ vestræ fama huc quamplurimos advenas attrahunt [1], inter quos inveniuntur perniciosi hujusmodi prædicatores, homines famelici, atque ventri nati, qui id unum quærunt, ut vobis illud jugum imponant, quod ipsi ferre non valent. De pravis hujusmodi Ministris sæpe conqueritur [2]. Addit: *volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo*; vel potius [3]: *sapientes pro bono, & simplices pro malo*; ita in Evangelio, Matth. 10. 16. Luc. 10. 3. præcipit Salvator, ut prudentes simus sicut serpentes, & simplices sicut columbæ; & S. Paulus 1. Cor. 14. 20. *nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote*. Ne boni specie falli sinatis; mordicus hæreta doctrinæ illi, quam recepistis; sapienter omnem novitatem evitate; omnia probate, ac bonum non deserite, 1. Thessal. 5. 21.

℣. 20. Deus autem pacis conterat Sathanam [4] sub pedibus vestris.] Dominus auctor, & amator pacis, & charitatis conterat Sathanæ caput, & auctorem dissensionis, atque discordiæ; profliget eos omnes, qui hac in re Sathanæ ministri sunt. Dæmonis vim, & nequitiam dissipet, & efficiat, ut omnes astus, ac dolos inimicorum, & Pseudo-Apostolorum, de quibus modo sermo fuit, agnoscatis [5]: *qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium* [6].

Gratia Domini.] Dominus gratia sua vos cumulet; efficiat, ut in oculis suis gratiam inveniatis, vos suis præveniat benedictionibus. Videtur Apostolus isthic epistolam suam concludere voluisse; sed cum hæc non adeo celeriter missa fuerit, aliquid adhuc adjecit deinde, quemadmodum in hujusmodi scriptis assolet [7]. MSS. quidam antiquitatem maxime colendam præseferentes [8] ea omittunt verba: *Gratia Domini nostri vobiscum*; quæ in vigesimo quarto dumtaxat versiculo legunt. Syrus hic quidem ea legit, sed vers. 24. illa omittit.

℣. 21. Salutat vos Timotheus.] Hic ille Timotheus est, ad quem S. Paulus duas scripsit Epistolas, & de quo jam verba fecimus in Actis 16. 1. De hoc iterum loquemur ante epistolas ad ipsum conscriptas.

Lucius [9].] Credunt quidam, hunc esse Sanctum Lucam Evangelistam; alii vero illum cum *Lucio Cyrenensi* confuderunt, de quo in Actis 13. 1. est sermo: sed prior sententia longe probabilior videtur.

Jason.] Hospes fuit S. Pauli Thessalonicæ [10], qui etiam se pro illo objecit, cum seditio quædam in illa Urbe fuisset oborta [11]. Hic erat S. Pauli cognatus, quemadmodum isthinc innotescit. Græci memoriam illius recolunt quarto, vel tertio Kalendas Maii. Illum Tharsensem Episcopum fuisse dicunt, & Apostolum appellant, hoc est, inter præcipuos primorum Apostolorum discipulos numerant. Credunt nonnulli [12], Jasonem Judæum esse Alexandrinum conversum, qui & alium Judæum nomine Papiscum ad Christianam fidem adduxit: verum hæc sententia nulli satis certo innititur argumento.

Sosipater.] Erat ex Berea [13], & de hoc locuti sumus in Actis. Appellatur etiam *Sopater*, & textus Latinus Actorum, illum Pyrrhi filium dicit fuisse. Hic Apostolum de Græcia in Judæam subsecutus est, & mox cum eodem in Asiam usque reversus est. Erat hic S. Pauli affinis, licet fortasse ex origine Gentilis [14] esset; nam Hebrææ mulieres nonnumquam Ethnicis viris nubebant, quemadmodum liquet ex Matris S. Timothei exemplo [15]: Verum fortasse cognati nomen hoc in loco, quemadmodum in aliis pluribus, non aliud significat, quam nationis ejusdem Judæum ex nativitate, qualis erat S. Paulus [16]. S. Sosipatri diem festum celebrant Græci quarto, vel tertio Kalendas Maii; Latini vero septimo Kalendas Julii.

℣. 22. Saluto vos ego Tertius.] Tertius in hac occasione adfuit S. Paulo a secretis; Apostolus hanc illi epistolam dictavit [17], vel fortasse Tertius eamdem ex Apostoli chirographo exscripsit [18]. Putant quidam [19], hunc eumdem esse, ac *Silam*, qui comes fuit S. Pauli in parte itinerum ejus [20]. Hebraice *Silas* idem significat, ac Latine Tertius. Græci S. Tertii festum agunt quarto Idus Novembris; & nonnulli eum Terentium appellant [21].

℣. 23. Cajus hospes meus.] Plures in Ecclesia ejus temporis Cajos novimus; at S. Paulus hunc designat ex qualitate hospitii sui, quam suum Corinthi exercebat. S. Lucas Act. 19. 29. verba facit de quodam Cajo Macedone, qui, cum Ephesum venisset una cum Apostolo, simul cum eodem subiit gravissimam tempestatem, quam in illos aurifex Demetrius excivit. Nequaquam fieri non potest, ut hic idem ille sit, de quo isthic loquitur Apostolus. Origenis ævo [22] vigebat traditio, ipsum fuisse Thessalonicæ Episcopum, & fortasse etiam Civem. Docet S. Paulus in prima ad Corinthios 16. 17. sua manu sua Cajum baptizasse, cum esset Corinthi. Dies festus Caii quarto nonas Octobris peragitur.

Et universa Ecclesia.] Corinthi vos salutat. Græcus: *Cajus hospes, & meus, & Ecclesiæ totius salutat vos*. Cajus domi suæ Christianos omnes advenas recipiebat [23], quibus non aliud erat hospitium.

Erastus Arcarius Civitatis.] Græcus [24]: *Erastus Civitatis Oeconomus*. Sed Græcum nomen *Oeconomos*, fere latino respondet *quæstor*, qui Thesauri custodem significat, eum videlicet, cui erat cura publicas pecunias & promere, & condere. De hoc sermo jam fuit in Actis. S. Paulus illum secum adduxit Corinthum, & Ephesum, & inde illum misit in Macedoniam; sed tandem illum Corinthi subsistere jussit [25]: Hæc itinera in eam nos impellunt sententiam, actu Erastum quæstorem amplius non fuisse, licet quæstor olim jam fuerit, & adhuc nominis dignitatem servasse [26]. Animadvertit S. Chrysostomus, jam tunc Deum ad Fidem vocasse homines in Mundo spectabiles, ut ostenderet, neque dignitates, neque divitias obesse, quominus homo salvus fiat, ubi humilitatem, atque vigilantiam in vita velit præseferre. Supponere autem videtur ea, quæ nuper diximus, Erastum adhuc munus suum servasse.

Et quartus frater.] Non satis liquet, cujusnam hic esset frater, neque cujus ratione *Quartus* dicatur. Alii eum Erasti fratrem fuisse dicunt, alii vero Tertii, qui hanc scripsit epistolam: alii vero putant, fratris nomen simpliciter innuere Christiani qualitatem: nam tunc Christiani se se invicem fratres vocabant [27]. Græci dicunt Quartum *Beryti* fuisse Episcopum, eumque in numero duorum, & septuaginta discipulorum [28] describunt. Ejus festivitas a Græcis colitur quarto Idus

1 Tolet. Castal. Grot. alii. 2 Ephes. 1. 18. 3. 2. 18. 19. Galat. 6. 12. 2. Cor. 11. 13. &c.
3 Græc. Σόφους μὲν εἶναι εἰς τὸ ἀγαθόν, ἀκεραίους δὲ εἰς τὸ κακόν.
4 Græc. Συντρίψει, conteret. Alii: Συντρίψαι, conterat. Ita Alex. Syr. Æthiop. Theod.
5 Chrysost. Theodoret. Grot. alii. 6 Supra vers. 18. 7 Vide Grot. Bez.
8 S. Germ. & Clarom. & Borner. G L. 9 Origen. Est. Ligfoot. alii plerique.
10 Act. 17. 7. Vide Origen. & Chrysost. & alios hic. 11 Act. 17. 7. &c.
12 Cyprian. pag. 565. 567. 13 Act. 20. 4. 14 Origen. in Rom. 16. lib. 10. pag. 652.
15 Act. 16. 1. 16 Vide sup. vers. 7. Grot. Est. Men. 17 Tolet. Est. Tir. Theodor.
18 Grot. Tolet. Bez. 19 Ligfoot. Chorog. pag. 123. 20 Act. 15. 40. 16. 19. 17. 4. &c.
21 Erasmi edit. 1. & Ald. & Theodul. Comment. 22 Origen. hic. 23 Vide Ambrosiast. Primas. hic. Est. Tolet. alios hic. Beda in Joan. 5. 24 Ἔραστος ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως.
25 Act. 19. 22. &c. 2. Timoth. 4. 20. 26 Pelag. Est. Tillemont.
27 Vide Est. hic. 28 Menæa, pag. 350.

Idus Novembris, a Latinis vero tertio Nonas mensis A ejusdem.

℣. 24. GRATIA DOMINI NOSTRI.] Nunc iterum, vel tertio [1] illis vale dicit, atque omnem gratiæ affluentiam eisdem desiderat. Non deest quædam veritatis species, quod ubi hæc verba Tertio dictasset, ipse illa nunc propria manu de more scripserit. Vide 1. 16. & 2. Thessal. 3. 17. 18. [2] Hic versiculus isthic in Syro, & plerisque optimis MSS. non extat [3].

℣. 25. EI AUTEM, QUI POTENS EST.] Epistolæ suæ finem imponit, Dominum orans, ut fideles in fide confirmet, atque Deo gratias agens, quod illis Evangelii mysterium detexerit, quod per tot sæcula absconditum fuerat. Marcion non hæc postrema solum verba, quemadmodum Origenes docet, verum etiam universa capita 15. & 16. ex hoc opere expungebat. B

SECUNDUM EVANGELIUM MEUM.] JESU CHRISTI Evangelium, Evangelium suum appellat, quod illud ubique prædicabat. Deum obtestatur, ut Romanos in hoc Evangelio confirmet, quamquam illud nondum ex ipsius ore audivissent: persuasum enim erat illi, hoc idem esse, ac illud, quod ipsis a primis Apostolis fuerat prædicatum, & ea, quæ hactenus ad eos scripserat, propterea suum esse Evangelium, atque suam doctrinam. Evangelium autem mysterium appellat omnibus sæculis ignotum [4]; ne enim ipsa Dei Filius hactenus sublimia non manifestaverat mysteria; & Judæi parum omnino cognoverant ea, quæ ad Incarnationem, Æterni Verbi Generationem, ejusque Divinitatem, atque Trinitatem spectabant. Evangelium abstulit velum, quo tegebantur plurimæ veritates, atque officia, quæ vel ignorabantur, vel imperfectissime C cognoscebantur, antequam Evangelium prædicaretur.

℣. 26. PER SCRIPTURAS PROPHETARUM.] Prophetia, & Evangelium facem sibimetipsis mutuo præferunt. Evangelium Prophetis lucem adfert, eorum complementum ostendens; vicissim etiam Evangelium non modicam ex Prophetis accipit lucem, & vim: ex ea rerum conformitate, quæ maxima elucet inter illa, quæ in Evangelio docentur, & quæ in antiquis Prophetarum oraculis continentur. Si enim Evangelium novum est quoad manifestationem, vetustissimum est, quoad Dei destinationem, qui illud ab initio destinaverat, & in Prophetis quodammodo incluserat, atque per diuturnum tot sæculorum intervallum involverat. Denique, *venit ad omnium populorum*, cum Judæorum, tum Gentilium *cognitionem*, *ut Fidei obedirent*, ut in JESUM CHRISTUM crederent, atque fidei suæ vitam ipsam conformarent.

℣. 27. SOLI SAPIENTI DEO.] Infinitæ Dei Sapientiæ gratias agamus, qui inscrutabili consiliorum suorum altitudine, ex mera misericordia ita sanctarum veritatum manifestationem disposuit, ut Evangelii sui B cognitio, atque mysteriorum ejus fides reservata fuerint diebus nostris, & ad nos usque pervenerint. *Soli sapienti Deo per Jesum Christum* [1] *honor, & gloria*. Agnoscatur JESUS CHRISTUS, laudetur, & ab omnibus mortalibus adoretur: inde maxima & Patri, atque toti Sanctissimæ Trinitati cedit gloria [6]. Christiana tantum Religio Deo dedit veros adoratores Patris in Spiritu, & veritate [7]. Quicumque in Veteri Testamento, ac sub Lege natura Deo placuerunt, ad novum Testamentum per fidem suam, charitatem, atque opera spectaverunt.

Ad calcem Græcorum exemplarium typis editorum hæc verba leguntur. *Epistola ad Romanos Corintho scripta fuit a Phœbe Diaconissa Ecclesiæ, quæ est in Cenchris, eaque congrarda, & viginti versiculos habet*. At MSS. C variant in hunc locum; quorum alii hanc subscriptionem prorsus omittunt, alii vero partem illius duntaxat apponunt [8]. Omnes consentiunt, has additiones, quæ sub finem epistolarum S. Pauli leguntur, neque vetustas esse, neque probatas, ita ut minime illas sequi audeamus: sæpius etiam mendosæ sunt. In Præfatione ad examen vocarimus, quidquid pertinet ad tempus, ubi scripta, & locum, quo missa fuit.

---

1 Vide alt. vers. cap. 15. 2 Vide Est. & Grot. 3 Alexand. Stephan. 8. Origen. Ambrosiast. Copht. Colb. 7. Codd. Constantinop. apud Erasm. 4 Confer Ephes. 1. 9. 6. 19. Coloss. 1. 26. 2. 2. & 1. Petri 1. 12. 5 Μόνῳ σοφῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα. Alii: Αὐτῷ ἡ δόξα. 6 Vide Est. Tolet. Men. 7 Joan. 4. 23. 8 Vide Mill. Var. Lect. Est. Grot. hic.

Finis Epistolæ S. Pauli Apostoli ad Romanos.

IN PRIMAM EPISTOLAM
AD CORINTHIOS
PRÆFATIO.

Corinthus Achajæ celeberrima, & opulentissima Civitas, cui ipsa sui loci inter Ægæum ad Orientem, & mare Jonium ad Occasum constitutio, ad negotiationis commodum, & ad opum incrementum quàm maximè consulit, superbiæ, epulis, voluptati, & cæteris, quæ commercium & divitiarum copiam comitantur, vitiis se ita dediderat, ut cultui, & religioni impudicitia haberetur; meretrices enim adhiberi ad publicas preces canendas consueverant, Venerique à quibusdam dicabantur recens prostitutæ, quarum copia ea erat, ut proverbio nomen effecerit.

Anno circiter Christi 52. Apostolus Corinthum profectus, Servatoris multum in ea Urbe sibi populum selegisse testantis visione confirmatus (1), duodeviginti menses ibidem egit, quibus & Judæorum & Ethnicorum plurimos Deo quidem peperit, sed plures etiam calamitates exhausit; ab Judæis (2) præsertim ægrè ferentibus, quòd Evangelium Ethnicis annunciaret. Quare incredulos obstinationi suæ reliquit, eisdemque discedens, vestibus ipsiùs excussis, ità est minitatus Act. 18. 6.; *Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego ex hoc ad Gentes vadam.*

Corintho Paulus Ephesum venit, ubi tribus annis concionandi muneri incubuit. Apollo interim, & fortè S. Petrus, seu quis ex Petri Discipulis Corinthum profecti, quosdam sibi asseclas adsciverunt. Corinthii diversis, quæ Græciam invaserant, Philosophorum sectis assueti, eumdem & à Catholicis servari morem, & à Paulo ea propter, Petro, Apolline, cæterisque Evangelii Præconibus totidem sectas constitui arbitrantes, eorum cuilibet proprios, qui Præceptoris nomine initiarentur, asseclas adhærere sibi suaserant. Christiana præterea, quæ mundis omnia munda esse docet, fideles quidam libertate abutentes, & nonnullas propositiones veras alioqui ad errorem distrahentes, idola verbi gratia nihil esse, iisque oblata ab iisdem neque sacra fieri posse, neque turpia, cibis promiscue omnibus, iis etiam, qui Idolis oblati fuerant, nulla religione absterriti vescebantur; quod vel Hebræis recens fidei addictis, fratribusque conscientiæ inbecillioris, vel Ethnicis eam temeritatem demirantibus, pravitatis exemplum exhibebat.

Fœdissimis alii non modò non coercitis, verùm etiam cultu probatis impudicitiis assueti, prava consuetudine difficilè nimiùm se abdicabant; quare & Fidelium unus Novercæ, Patris sui uxoris, incestu polllui ausus est. Aderant præterea, qui lites ad Laicorum Tribunalia deferrent; quique Eloquentiæ atque Philosophiæ plus nimio addicti, mortuos resurrecturos inficiarentur. Cùm verò una convenirent, seu concionibus, seu mysteriis sacris, divites cœnam in Templum minimè deferentes, ne in pauperes quidquam erogarent, domi accumbebant, vel si accumberent in Templo, ab egenis seorsùm vescebantur.

Alterum ambitio abusum invexerat: qui enim exterorum idiomatum, prophetiæ, & concionis ad populos habendæ dono divinitus ditati fuerant, eodem una tempore dicebant singuli, & aliena, licèt auditorum nemo ea perciperet, idiomata ostentabant. Mulieres ipsæ nudo capite Templum ingressæ, populos edocturæ publicè verba facere idcirco audebant, quod præcipuo loquendi munere à Spiritu Sancto donatas sese jactarent. Quædam denique de statu Virginum, de Matrimonio, deque Conjugatorum obligationibus difficultates irrepserant, quibus in diversas sententias Corinthi Ecclesia distrahebatur.

S. Paulus Ephesi immorans, hæc omnia accepit vel à Stephana, Fortunato, & Achaico, qui Corintho ad se invisendum perrexerant (3); vel ab Epistolis, quas Paulo reddendas Chloes domestici eisdem tradiderint (4); vel ab Ecclesiæ Corinthi Principibus viris, qui ad eum literas dederint (5); vel denique ab horum singulis, quorum alter de hoc, de illo alter monitum fecerint. Ephesi igitur (6) non verò Philippis, ut probat inscriptio ad calcem Græcorum Exemplarium, hanc Epistolam Apostolus exaravit, qui Ecclesiæ Asiæ nomine, & præsertim Aquilæ & Priscillæ (7), quos Ephesi commoratos certò scimus (8), Corinthi Ecclesiæ salutem dicit, & ejusdem Epistolæ capite 16. 8. se usque ad Pentecosten Ephesi moram ducturum testatur; ubi sanè & tunc eum scriberet, domicilium ibidem habuisse satis constat. Latina, pleraque etiam Græca Exemplaria Ephesi scriptam ostendunt; subscriptionem verò, qua Philippis exarata fertur, neque in Manuscripto Alexandrino, neque in Græco & Latino Claramontano, neque in Græco S. Germani (quamvis in Latino ejusdem manuscripto legatur) neque in præclarissimis aliis minimè est reperire. Singula hæc, de quibus agit Paulus in hac Epistola, prosequi sigillatim supervacaneum arbitramur; videnda enim singula exhibentur ab eadem Epistola, quæ, si tot tantaque, de quibus agit, perpendantur, brevissima habenda est: nec non maximè commendanda occurrent Apostoli sapientia, scientia, vis, zelus, charitas, & animi moderatio.

Missam ad Romanos hæc ad Corinthios Epistola præcessit; hanc enim Apostolus anno Christi 56. illam verò anno 58. dedit. Abusus verò quos tollere nititur Apostolus, omnino tamen exscindere reipsa non valuit. Pontifex enim Clemens, S. Petri Discipulos, aliquot post annis eosdem Corinthios ambi-

(1) Act. 18. 10. (2) Vid. 1. Thessal. 2. 15. & 2. Cor. 11. 9. & 1. Cor. 2. 3. (3) Vid. 1. Corinth. 16. 15. &c. & Chrysost. & Theodoret. ibid. (4) 1. Cor. 1. 11. (5) Vide Chrysost. hom. 44. & 1. Cor. 7. 1. &c. (6) Chrysost. Theodoret. Athanas. in Synops. Oecumen. Syrus Tremell. Arab. Latinæ inscriptiones ad capit. hujus Epist. Capell. Grot. Ham. alii passim. (7) 1. Cor. 16. 19. (8) Act. 18. 19. &c.

ambitionis, superbiæ, contentionum, litium, & dissensionum coarguit.

Ante hanc ad Corinthios, alteram ab Apostolo ad eosdem datam, sed modo deperditam, nonnulli opinati sunt (1), eo ducti, quòd ejusdem Epistolæ capite 5. v. 9. Paulus dixerit: *Scripsi vobis in Epistola, ne commisceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi . . . . alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, ... cum ejusmodi nec cibum sumere.* Hæc tamen facile ad ea referentur, quæ superius Paulus enunciaverat (2) v. g. cap. 5. 2. *Non luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus* (incestum) *fecit.* Et versic. 6. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Præterea nullam, duas præter quæ extant, Epistolam Veteres agnoverunt. Hanc verò iidem Stephanas, Fortunatus, Achaicus, qui Ephesum profecti Corintho delatas Epistolas S. Paulo tradiderant, ab eodem Apostolo acceptam ad Corinthios detulerunt.

(1) Ep. Justin. Bez. Par. Lightfoot. Grot. Lud. de Dieu.
(2) Chrysost. Theodoret. Hieronym. Est. Tir. in 1. Cor. 5. 9. Glass. Lud. Capell.

DISSERTATIO
DE BAPTISMATE PRO MORTUIS,
ad 1. Corinth. 15. 29.

Quamvis Mortuorum Resurrectionis dogma optimis Fidelibus solatium semper attulerit, atque explicitam orthodoxæ Religionis Fidem sibi semper comparaverit, inter Ethnicos non modò; sed ipsos inter Fideles, sæpissimè nihilominus adversarios offendit. Vel ante Christi adventum quædam Judæorum secta se Resurrectioni præsertim infensam profitebatur. Sui resurrectionem, cæterosque ad vitam homines postrema sæculorum die reversuros, in omnium animos præ cæteris inducere Servator studuit; cujus equidem resurrectio Catholicæ stabiliendæ Religionis maximum, atque Fidelium ad vitam revocandorum certius erat argumentum. Apostoli etiam, dum conciones habebant, de Christi Resurrectione potissimum in Auditorum animis inducenda satagebant. Dæmon verò hæresibus, quas primò in Ecclesiam invexit, vel Resurrectioni prorsus eliminandæ, vel eidem in incertum saltem adducendæ vehementer incubuit.

S. Paulus 1. ad Corinthios, 15. 12. ab eorum quibusdam Resurrectioni Fidem minimè adhiberi conqueritur: *Quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Timotheo etiam per Epistolam nunciavit, *Hymenæum & Philetum à veritate excidisse, dicentes resurrectionem esse jam factam* 2. Tim. 2. 18 Nos verò, Simonis Magi Discipulos (1), Nicolaitas (2), Gnosticos (3), Arconticos (4), Cerinthianos quosdam (5), Valentinianos (6), Marcionitas (7), Marcosianos (8), Caianitas (9), Saturninum (10), Basilidem (11), Apellem (12), Bardesanem (13), Menandrum (14), denique omnes fere Hæreticos, qui duobus, seu tribus prioribus sæculis in Ecclesiam invaserant, corporum resurrectioni adversatos scimus, eamque tantummodo fassos esse resurrectionem, qua Baptismate abluti per justificantem gratiam reviviscunt. Harum hæresium plurimæ vel Pauli ætate jam irrepserunt: quare Apostolus in suis Epistolis Resurrectionis omnium argumentis eas sæpè refellit, suosque instruit Discipulos, ne à Pseudo Doctoribus orbem, ut errores evulgent, circumeuntibus intercipiantur.

Prioris ad Corinthios Epistolæ capite 15. Resurrectioni, infensos validissimè oppugnat; quando pro-

A præterea 1. Scripturis, & de resurrectione agentibus Prophetiis: 2. Apostolorum, qui Jesum redivivum viderant, suique ipsius, cui se Dominus prope Damascum exhibuerat Act. 9. 6. 7., testimonio firmat. 3. Ex Christi resurrectione homines ad vitam reversuros colligit: *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* 4. Si Christus non resurrexit, inanes Apostolorum conciones, ipsosque Apostolos subdolos atque mendaces. 5. Catholicorum Fidem à veritate alienam, eosque per Baptismum à peccatis minimè liberatos: 6 nostram spem vanam: nosque 7. quòd calamitatibus semper obruamur, omnium miserrimos enunciat. Scribit denique 1. Cor. 15. 29.
B *Quid facient: qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? aut quid & baptizantur pro illis?*

Hæc præcipua S. Pauli de resurrectione argumenta: quorum profectò prima validissima, & satis probantia; postremum verò quibusdam obvolvitur difficultatibus, quas hac Dissertatione explanandas assumimus. Nova quidem hic non promittimus, aliter hujusmodi quæstio silentio prætereunda esset, de qua latè adeo actum est, ut fusius fortè nihil. Cùm verò nostri intersit ea referre, quæ Authores præcipui de Scripturæ locis edisserunt, nostri etiam erit diversas hujus loci interpretationes, argumenta pariter, atque sententias recensere; nostramque demum ea de re mentem aperiemus.

C I. Putant vetustiores Interpretes, Apostolum hic meminisse quorumdam, qui *pro mortuis*, seu mortuorum vice, *baptismate* idcirco abluebantur, quòd ante baptisma morte correptos, sacri lavacri, quo eorum seu amici, seu cognati perfunderentur, virtute levari, atque peccatis omnibus liberari, sibi suaderent. Sicuti & nos precibus, & eleemosynis Deo pro defunctis oblatis, peccatorum, quibus minimè, dum viverent, satis fecissent, pœnas adimi, atque etiam omnino absorberi, fide tenemus. Hanc sanè sententiam Textûs prima verba videntur innuere: cui etiam præ Latino Græcus favet, qui propriè sonat *baptisma pro mortuis*, seu mortuorum
D beneficio; quomodo pluribus in locis *pro hominibus*, seu propter hominum salutem Christus mortuus à Scriptura annunciatur. Utrumque igitur eodem modo explicandum.

Eos Corinthios, qui Resurrectioni adversabantur, argumento, quod *ad hominem* vocant, Apostolus

(1) Epiph. hæref. 21. August. hæref. 1. (2) August. hæref. [illegible] (3) Epiph. hæref. 25. c. 15. (4) Epiph. hæref. 40. c. 2. (5) Epiph. hæref. 28. c. 6. (6) Tertul. Præscript. c. 33. (7) Iren. l. 1. c. 29. (8) Epiph. hær. 34. (9) August. hæref. 18. (10) Tertull. Præscript. c. 48 (11) Tertull. Præscript. c. 46. (12) Epiph. hæref. 44. (13) Epiph. hæref. 56. (14) Tertull. Præscript. c. 46. & Iren. l. 1. c. 21.

stolus hic urgere quibusdam videtur. Corinthios redarguenda quadam pietate pro mortuis baptisma te ablui sciens, Deus avertat, inquit, ut consuetudinem vestram, seu laudem, seu comprobem: at si mortui, ut asseritis, non resurgunt, cuinam utilitati sacro fonte pro ipsis lustrari conducit? Cerinthianos, & Marcionitas Resurrectioni infensos baptismalibus aquis pro mortuis perfundi solitos certò scimus.

Qui planè Hæretici per vitam justificantis gratiæ, qua in baptismate donamur, resurrectionem tantummodo fieri sibi suadentes, non ineptè ratiocinantur (1). Cum enim Christus defunctos resurrecturos fuerit pollicitus, inde statim facilè ducunt, posse mortuos justificante gratia ditari, adeòque & baptismate, cujus virtute gratia acquiritur, peccata deleantur (2). Cum verò sacro fonte per se ipsos ablui defuncti minimè possint, superstites de eorum salute solliciti, ut ipsi hac resurrectione gaudeant, jure pro iisdem baptismo expiantur, sicuti filii æs alienum, quo genitores tenentur, exsolvunt.

S. Paulus à Fide alienum dogma eversurus in hoc eodem capite (3), mortuos postrema judicii die resurrecturos dilucidè ostendit; ut verò iisdem eorum armis adversarios oppugnet, inanem, & risu dignum, nisi mortui resurgant, eorum morem appellat; quem tamen minimè approbat, si mortui resurgant; sed iis minimè resurgentibus absurdum prorsus irridet. Cur enim mortale, quod nunquam resurrectione fruetur, corpus abluitis pro cadavere jam tabido, quod è mortuis nullatenus revocabitur? Qua utilitate alterutrum baptismus afficiat? Si justificationem, innocentiam, restaurationem vitæ, & veteris hominis expoliationem, hanc tantummodo resurrectionem agnoscitis, quoniam ista modo hominem mortuum afficere valent, qui ad baptismum, quò vos abluimini, neque per corpus, neque per fidem, neque per voluntatem accedit? Si & vos de vera mortuorum resurrectione nobiscum conveniretis, vobis utique in promptu esset responsum: vos nempe Baptismate elui, ut incolumen mortuis resurrectionem asseratis, eo sanè modo, quo triticum terræ commissum irrigatis, ut aliquando florescat (4), & per resurrectionem reviviscat; quod adhuc argumentum ut omnino convinceret, ipsummet triticum, non aliud irrigandum foret. At pro altero, quem resurgere nunquam continget, expiari baptismo, insanum profectò, & prorsus inane est.

Nihil hac de re difficilius, quàm ut Pauli ætate Hæreticos resurrectioni adversos, & pro mortuis baptismo ablui solitos extitisse dilucidè exhibeamus. Nos hic unà cùm præstantissimis Authoribus, ad Corinthios, de qua agimus, Epistolam Neronis anno 2. à Christi adventu 56. à Servatoris resurrectione 23. exaratam fuisse, certò arbitramur: cujus datæ argumenta apud præclarissimos nostros Chronologistas Usserium, Pearsonium, Tillemontium. & alios videnda relinquimus. Illis sanè temporibus Simoniani, Gnostici, & Nicolaitæ, resurrectioni omnes infensi; & Cerinthiani, homines pro mortuis baptismo expiare consueti, jam Ecclesiam invaserant. Marcionitas verò, qui eundem exercentes morem, suos à Gnosticis errores exhauserant, cùm Paulus hanc epistolam scriberet, jam extitisse omnes fatentur.

Marcionitas baptismate pro mortuis ablui consuevisse, Tertullianus satis ostendit, cùm neque eum morem inductum ab Apostolo, confirmatum affirmat (5): *Noli Apostolum novum Authorem, aut confirmatorem ejus denotare:* additque Paulum eorum, qui baptismo pro mortuis perfundebantur, idcirco meminisse, ut ipsos eorum armis oppugnaret, & mortuorum resurrectionem dilucidè comprobaret. *Ut tanto magis sisteret carnis resurrectionem, tanto illi, qui vane pro mortuis baptizarentur, fide resurrectionis hoc facerent.* Præterea in libro de Carnis resurrectione c. 48., Pauli ætate quosdam extitisse asserit, qui secundum baptisma pro mortuis idcirco suscipiebant, quod illis ad resurrectionem profuturum arbitrarentur: *Certe illa præsumptione hoc eos instituisse contendit, quia alii etiam carni ut vicarium baptisma profuturum existimarent ad spem resurrectionis.*

Refert Chrysostomus hom. 40. in 1. Corinth. Marcionitas, statim ac quis ex eorum Cathecumenis decesserit, viventem aliquem sub ejus lecto recondere, & cadaveri accedentes, an baptismum appetat, postulare: quibus illo nil referente, qui sub lecto prosternitur, baptismum admodum cupere, pro defuncto respondet: quare illum theatro potiùs, quàm sanctissimo Mysterio actione digna, mortui loco baptizant.

Addit Epiphanius hæres. 42., Marcionitas eosdem, non modo semel, sed bis, & quoties collibitum esset, baptismali fonte consuevisse perfundi. Ad morem eundem Tertullianus l. 5. contr. Marcion. cap. 10. alludit; cùm enim de Marcionitis pro mortuis baptismate se abluentibus sermonem habuissent, eam Baptismorum pluralitatem à Paulo jam improbatam enunciat: *Habemus illum alicubi unius Baptismi definitorem.*

Quoad Cerinthianos, S. Epiphanius hæres. 28. c. 6. apertè docet, eorum plurimos mortuorum resurrectioni adversatos esse, eosque oppugnandos ab Apostolo sibi proponi, cùm resurrectionem in sua epistola strenue tuetur. Et in hos ipsos fortè Polycarpus Epist. ad Philippens. insurgens, Antichristos appellat, quod Christi Domini Incarnationem Judicium, & Resurrectionem oppugnarent. Epiphanius denique hæres. 28. c. 6. se traditione accepisse ait, Cerinthianos baptizari solitos eorum nomine, qui de suis sine baptismo decesserant. Cerinthianos imperante Domitiano propriè tantum extitisse, ab Authoribus plurimis accepimus: nihilominus refert Epiphanius loco cit. Cerinthum Christianæ Fidei nomen dedisse ea ætate, qua Cornelius baptismate est initiatus. Eusebius verò l. 3 c. 28. Hist. Eccles., S. Polycarpus, S. Irenæus l. 3 c. 3 ex Polycarp., Philastrius, & S. Hieronymus de Viris Illustr. cap. 9., cum florerent Apostoli, eundem in vivis egisse asseverant. Esto tamen florente adhuc S. Joanne Evangelista sub Domitiano vixerit, nostram nihilominus tuemur hypothesim, si Cerinthianorum hæreses diu ante à Nicolaitis, qui de omnium sententia sub Ecclesiæ initium extitere, evulgatas fuisse, unà cum Irenæo l. 3. c. 11. asseramus.

Nec hæreses illæ in obscuro quodam loco ingloriè jacuerunt; quin potiùs sese latè diffuderant. Etenim Pseudo Apostoli, quos & hæretici, Ecclesiæ Catholicæ instar, sibi constituerant, quosque sæpissimè in suis Epistolis Paulus oppugnat, ex Simonianis, seu Gnosticis, seu Cerinthianis erant, qui Provincias discurrentes ea Catholicarum rerum pernicie venenum effundebant, ut Paulus vel ex suis Discipulis quosdam dira labe infectos Resurrectionis fidem amisisse ingemat & queratur 1. Cor. 15. 12. & 2. Timoth. 2. 18 Quare ad Corinthios scribens, inter quos & hæreses irrepere cœperant, & pro mortuis baptismo quidam lustrabantur, mirum minimè fuerit, si eo utatur argumento: *Si mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis?*

Hanc, ut diximus, sententiam vetustiores, qui hunc locum explanant, Patres tuentur, Tertullianus de Resurrect. carnis c. 48., Hilarius Diaconus in 1. ad Cor. 15. 29., Syriacus Interpres, Arabs, Haimo Alberstadensis, Valafridus Strabo de Ritib. Eccl., S. Anselmus, seu Author Commentarii ejus nomine editus, Petrus Abbas Cluniacensis, Theophylactus, S. Thomas, Glossa ordinaria,

(1) Epiph. hær. 28 Iren. l. 1. c. 10. (2) Matth. 28. 12. Mar. 26. 16. (3) 1. Cor 15. 4. 13. 14. &c.
(4) Epiph hæres. 28. n. 6. (5) Tertull. contr. Marcion. l. 5. c. 10. & Chrysost. in 1. Cor. hom. 40. p. 450.

dinaria, Recentiores plures tam ex Catholicis, quam ex Protestantibus in primam ad Corinthios epistolam, veluti Clarius, Zegerus, Erasmus, Titelmannus, D. Godeau, Grotius, Tremellius, Diodati, Sultetus, Calovius, Danhaver, Camero, Schligtingius: aliique etiam, ut Bochartus Dilcitat singular. t. 2. Geograph. p. 1026., Justellus, not. ad Can. 12. Neocæsar., Dallæus l. 1. de Satisfactione, Isaacus Casaubonus, Joseph Scaliger, Pelicanus, Musculus, &c.

Ambrosiaster (1) seu Hilarius Diaconus, Tertullianus, Venerabilis Petrus Abbas Cluniacensis (2) in sua adversus Petrobrusianos Epistola, Joseph Scaliger in sua in hunc locum Dissertatione non modo hos hæreticos, sed & Catholicos quosdam idcircò baptizari solitos sentiunt, quòd Baptisma, eorum saluti qui repente, quin baptizari possent, decesserant, admodum conferre pia simplicitate arbitrarentur. Quare Apostolus, ait Petrus venerabilis, rectà mente eundem morem exercentium voluntatem commendat, morem verò minimè approbat. Februarii Kalendas huic baptismati potissimùm destinatas refert Tertull. in Marc. l. 5. c. 10. *Viderit institutio ista, Kalenda si forte Februaria respondebunt illi, pro mortuis petere.* Ea de causa hanc diem selectam Joseph Scaliger opinatur, quòd Christum Dominum eadem die baptismate perfusum aliquot annis putaverint. Neque nobis permirum nimis accidere debet, sub Ecclesiæ initium mentis quadam simplicitate, & pietate animi, ad rationis normam non omninò composita, fideles quosdam huic superstitioso mori adhæsisse, cùm temporibus clariori lumine jam perfusis ipsos interdum mortuos baptizare consueverint; quam quidem consuetudinem pluribus in locis Concilium Africanum memorat, Concil. Carthag. c. 18. seu 19. & Conc. III. can 6. atque omninò interdicit. Alibi etiam vel in mortuorum ore Sacram Eucharistiam recondere, vel super eorum pectora (3) componere solitos Fideles comperimus. Quæ omnia mirificè quidem resurrectionem probant: eos tamen mores nunquam Ecclesia comprobavit.

II. S. Chrysostomus, Oecumenius, Photius, Theophylactus, Harmenopulus de hæresi. Marcion, Zonara, & Balsamon ad Can. 18. Concil. Carthag. Petrus Martyr, Forbesius Institut. Theolog. l. 13. c. 13 Hammondus, aliique S. Paulum ei consuetudini allusisse putarunt, cùm alias Cathecumenus, antequam baptismo ablueretur, Fidei professionem enunciabat, qua peccatorum remissionem, mortuorumque resurrectionem se credere testaretur; veluti hujusmodi esset Apostoli ratiocinium: Ad resurrectionis futuræ spem designandam Fidem profiteri, & aqua immergi, ruinam conducit, si mortui minimè resurgant? Nonne hæc Theatri vanissima actio? Quid ei, quod nunquam eveniet, fidem adhiberi compellimus? Hoc itaque loco *pro mortuis baptizari* idem sonat, ac *baptizari pro nostris corporibus mortalibus*, ut futuram eorumdem resurrectionem solemniter profiteamur.

Sed hujus sententiæ vitio vertitur nimia textus distractio, & maximè omnium implexæ difficultates. Cum enim verba sonent: *Ut quid pro mortuis baptizari?* eo torquenda sunt, ut significent: *Ut quid baptizari pro corpore morti obnoxio, quod resurre-*

A *ctionis spe baptizatur?* Præterea S. Chrysostomus rei nimium incertæ innititur, quòd nempe D. Pauli ætate ii, qui baptizabantur, expressè & solemniter remissionis peccatorum, & mortuorum resurrectionis fidem profiteri cogerentur.

III. Idem Chrysostomus, Theodoretus, Zonara, Balsamon, Caietanus, aliique (4) explanatione non longè alia a superiori hunc etiam locum interpretantur; sentiunt enim *baptizari pro mortuis* idem sonare, *ac baptizari pro operibus mortuis, nempe peccato:* in baptismi aquas descendere, veluti si mortui essent, in quoddam sepulchrum, ut quadam resurrectionis specie, quæ postrema judicii

B die reverà futuram præsignat, à peccatis abluti inde egrediantur. Consueto loquendi more usurpamus: deseri velut mortuum, veluti alterum reputari, velut omni vitæ spe destitutum relinqui: quare eadem prope phrasi dici posset: *baptizari pro mortuis*, seu veluti mortuos, eorum, qui mortui sunt, speciem referentes, & Christi Domini mortem, & sepulturam exhibentes, cùm baptismatis aquis immergimur.

Veremur tamen, ne hæ loquendi formulæ, idiomati nostro satis accommodæ, à Græco nimis abhorreant. Græca propositio *hyper* ut plurimùm sonat *pro*, seu ad alterius utilitatem; quare & apud Evangelistas, & apud D. Paulum Christus *hyper*

C *emon*, pro nobis, mortuus sæpissimè memoratur. Ad id verò innuendum, quòd vellet hìc detorqueri, nempè *baptizari pro mortuis*, veluti si mortuus esset, eamdem phrasim usurpari nullibi reperimus. His præterea verbis, *baptizari pro mortuis*, nequit naturaliter indui, baptizari ad peccatum, quod est animæ mors, abolendum, seu ad opera mortua, peccata nempè expianda, seu ad mortuorum resurrectionem referenda, seu denique ad moriendum homini veteri. Hæ omnes interpretationes ad sensum moralem faciunt, ad literam non faciunt.

IV. S. Isidorus Pelusiota l. 1. Epist. 221 & Author Commentarii in Pauli Epistolas, quem D.

D Hieronymo tribuunt (5), Apostoli mentem fuisse putant, ut mortuorum nomine mortalia nostra corpora designaret, nosque baptismate elutos iisdem immortalitate comparare. Quid baptismo carnem lustramus, si nunquam resurget? Quid corpus morti obnoxium abluimus, si à morte nunquam emerget? *Carnem nostram* Apostolus *mortem appellat, quoniam hac morte anima non moritur.* Hæc tamen *mortuorum* interpretatio ad nostra mortalia corpora denotanda, obscura nimis est atque detorta, quam Apostolus ad Catholicam tanti ponderis veritatem comprobandam minimè adhibuisset.

V. S. Epiphanius (6), quem plures sequuti sunt (7), hunc Pauli locum ita vertunt: *Quid fiet*

E *de his, qui baptizantur imminente morte?* qui nempè dum graviùs ægrotant, & omni incolumitatis spe destituti, jam propè mortui decumbunt, de resurrectione, vitaque feliciori sperantes baptismate expiantur in lecto? Christianorum plurimos, quos per ludum Clinicos appellabant, in postremis vitæ finibus baptizari alias consuevisse nemo ignorat. Quamvis Ecclesia hanc baptismi consuetudinem nunquam omnino repulerit, attamen de eorum incuria, qui baptismum ad mortis angustias protrahebant, quodam mœrore affectam semper se exhibuit, eosque, qui fortè incolumitati restituerentur, à Clero rejiciebat. Cui

(1) Ambrosiast. ad 1. Cor. 15. 29. *In tantum stabilem & ratam vult ostendere resurrectionem mortuorum, ut exemplum det, eorum, qui tam securi erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur, si quem mors prævenisset, timentes ne aut male, aut non resurgeret, qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur; unde & subjecit: quid baptizarentur pro illis? Exemplo hoc non factum illorum probat, sed fixam fidem in resurrectione ostendit.* (2) Petrus Cluniacensis Epist. contra Petrobrusianos. Baptizatos *tunc temporis quosdam usque bona quidem, sed non sana voluntate, pro mortuis non baptizatis, existimantes Baptismum, quod viventes non perceperunt, si pro illis vivi baptizarentur mortuis prodesse. Quod Apostolus sic de hoc eorum opere loquens temperat, ut Baptismum talem non approbet, & Baptizatorum voluntatem collaudet.* (3) Concil Carthag. can. 18. & Concil. in Trullo. an. 83 & l. 2. Dialog. S Greg papæ cap 24. (4) Primas. Sedul. Haymo, & Thom. Lyr. Rigalt. not. in Tertull. Molinæus in aquis Siloe, Cornel. a Lapid Chamier. t. 3 lib. 26 cap. 19. n. 7. Episcopius in hunc locum. Knatchbull. (5) Hieronymaster in 1. Cor. 15. 29. (6) Epiph. hæres. 28 c. 6. (7) Jacob. Capell. Calvin Petr. Martyr. Hyperius. Vide & Estium, & Hesselium 1. Petr. 4. & Galen. Catech. 3. & Fromond. hic.

Cui sententiæ adversatur 1. ipsa textûs versio, quæ dura nimis, atque obscura fuerit, si *mortui mortem* interpretemur; & *baptizari pro mortuis* reddatur, *baptizari imminente periculo mortis*. 2. Pauli ratiocinium imbecille sanè foret, neque vi resurrectionis fidem profectò ab incredulis exorqueret; qui enim in extremis baptizabantur, eo tantum respicere poterant, ut æterna supplicia evitaturi, à peccatis abluerentur, quin de resurrectione cogitarent.

VI. Ex Protestantibus (1) Commentatoribus plurimi cujusdam veteris Ecclesiæ moris Apostolum hic meminisse tuentur, quo super Martyrum sepulchra baptismo initiabantur. Originalis Græci phrasis optimè sanè verti potest: *baptizari super mortuos*, super illustrium mortuorum sepulcra, in Christi fidelium Cœmeteriis. Cujus tamen baptismi consuetudo, licèt secundo, tertio, & quarto sæculo frequens, ætate illa Pauli, florere planè non poterat. Quę enim tunc apud Corinthios Martyrum sepulchra, quæ sacella, quæve Christi fidelibus tantummodò destinata cœmeteria?

VII. Heinsius Exercit. sacr. in hunc loc. 1. Cor. 15. hunc locum vertit: *Quid facient, qui mortuorum gratia baptizantur?* Etenim ei consuetudini Apostolum allusisse putat, qua alicujus seu ex veteri, seu ex novo Testamento spectatæ sanctitatis viri nomine in baptismate insigniri solebant.

Si verò ea fuisset Apostoli mens, versionis duritie, & S. Pauli ratiocinii imbecillitate prætermissis, ad resurrectionem probandam duo necessariò postularentur. 1 Ut suo semper nomine insignirentur in baptismate, quod vix de infantibus impleri posset, qui perraro ea ætate baptismo initiari consueverant. 2. Ut sola defunctorum nomina in baptismate tribuerentur. Eo sanè, quod collibitum erat, seu Patris, seu Avi, seu Compatris nomine vocabantur: quam utique consuetudinem vel dum floreret Chrysostomus (2) adhibitam, nos etiam in præsentia retinemus. Cùm verò baptizarentur adulti, eodem, quo ante, tametsi à Christifidelibus satis alieno, nomine sæpissimè appellabant; cujusmodi erant Diodotus, Diotrephes, Apollo, Apollodorus, Aphrodisius, Hermes, Posidonius &c. quibus Ethnicorum Idola memorabantur.

VIII. Ludovicus de Dieu ideò viventes *pro mortuis* baptizari putat, quòd resurrectionem mortuis promissam, quam ipsi mortui omninò adimpleri opperiuntur, baptismatis susceptione confirment.

Quæ quidem interpretatio subtilis est nimùm, & detorta. Qui Deo in cælis jam perfruuntur, eorum, qui baptizantur, testimonio ad resurrectionem sperandam nullatenus indigent. Eorum præterea multi, qui baptismo initiantur, minimè profectò cogitant de resurrectione iis probanda, qui non amplius lumine fidei, sed dilucida Dei visione eamdem futuram & sciunt, & expectant.

IX. Arias Montanus *Baptisma pro mortuis*, seu *ad mortuorum resurrectionem probandam* illud esse tuetur, quo abluebantur ii, quos ante baptismum Spiritus Sanctus perfuderat, quique deinde baptismalibus aquis tantummodò lustrabantur, ut resurrectioni futuræ, cujus symbolum exhibebat baptismus, se Fidem adhibere publicè profiterentur.

Tamen 1. neque Cornelius, neque S. Paulus, neque cæteri ante Baptismum Spiritu Sancto perfusi, ab aquarum suscipiendo baptismate exempti sunt. 2. Si is animus fuisset Apostolo, suam utique mentem clariùs patefecisset. 3. Pauli ratiocinium imbecille nimis esset ad resurrectionem probandam; qui enim ita baptizabantur, alia multa sibi potuissent proponere, quin de resurrectione probanda minimum cogitarent.

X. *Pro mortuis baptizari*, ait Joannes Cloppenburgius Syntagm. Selectar. disp. 6. idem sonat, ac mortuorum, Martyrum præsertim, à quibus Catechumeni fidem hauserant, memoriæ & obsequio baptizari. Quare ut eorum memoriam colerent, & sectarentur exempla, baptismate perfundebantur.

Quid verò hæc ad futuram mortuorum resurrectionem argumentis evincendam? Nimiis præterea angustiis eorum, qui baptizabantur, mentem circumscribimus si ut mortuorum memoriam commendarent, & vestigiis inhærerent, baptismate se abluisse velimus.

XI. D. Spanhemius ita hunc locum explanat (3): *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Qui nempe seu martyrum, seu Christifidelium constantiam, atque hilaritatem, quam imminente morte de resurrectione sperantes exhibebant, admirantes, ut eamdem sibi felicitatem facerent, ad baptismum adducebantur.

Verùm hæc interpretatio Pauli phrasim nimiùm distrahit, atque detorquet, si per eam induci volumus: quid fiet iis, qui ea, quam spe resurrectionis morientes exhibent, constantia ducti ad baptismum accedunt?

XII. P. Harduinus (4) fusiùs rem explicat: *Quid proderit iis, qui mortuorum occasione postulant, & suscipiunt baptismum, si mortui non resurgunt?* Iis nempe, qui morientium inter Corinthios frequentiam intuiti, ad baptisma festinabant, ne, si fortè ante illud intercíperentur à morte, calamitatibus obnoxii fierent. & ab immortalitate, & resurrectione excluderentur; iis, inquam, quid ea proderit ad baptismum festinatio, si mortui non reviviscant? Sanè igitur alteram post resurrectionem vitam opperiuntur, cùm temporalem mortem baptismus minimè avertat.

Harduinus quidem Corinthiorum plurimos, eos potissimùm, qui ad Sacramenta indignè accedebant, à Deo morte correptos ipsius Apostoli testimonio dilucidè ostendit (5): *Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*. Ostendit præterea ex pluribus Patrum, & Ecclesiasticæ Historiæ locis, cum publicum calamitates obruerent, hominum frequentiam ad baptismum sæpissime festinasse, sibi consulentibus singulis, ne sine baptismate è vivis egrederentur.

Quæ tamen interpretatio corruit, si ea, de qua Paulus, mortuorum multitudine Christi fideles tantummodo, qui indignè sacra gerebant, laborasse animadvertamus: quæ quidem calamitas longè alia est ab iis publicis ærumnis, quarum meminere historiæ, quæque populos festinanter ad baptismum impellebant. Ab hac itaque improborum, solummodò fidelium animadversione, Judæi, Ethnici, & ipsi Cathecumeni avertendi potiùs videbantur, quàm ad baptismum impellendi: quid enim, quis fortè dixisset, ad Sacramenta properemus, quæ tot homines calamitate conficiunt? Satiùs profectò nobis consultum fuerit, si ad postremas vitæ angustias baptismum rejiciamus.

XIII Beza, post quem & alii (6), Apostolum ei consuetudini hic allusisse ferunt, qua Judæi, qui mortuum tetigissent, septem diebus habebantur impuri, & cæremoniis, lotionibusque à Lege præscriptis Num. 19. 11. ablui cogebantur; quem Ecclesiasticus 34. 30. morem *à mortuo baptizari* appellat. Hæc verò ablutio resurrectionis, ut ajunt, symbolum censebatur. Revera quo alio consilio hujusmodi con-

(1) Luther. Hammond. Balduin. Meisner. Hutter. Chemnit. Gerhard. Jon. Voss. disput. 2. de Resurrect. Amyrald. in 1. Cor. 15. 29. Glass. Gram. 3. p. 1. 3. c. 14. alii plures. (2) Chrysost. Hom. 21. in Genes. 6.

(3) Frideric. Spanhem. Exercit. in 1. Cor. 15. 29. tom. 3. novissim. edition. Operum ejus, sect. 5.

(4) Harduin de Triplici Baptismo, pag. 257. nov. edit. Amstel. 1709. (5) 1. Cor. 11. 30.

(6) Ligfoot Hor. Hebr. in 1. Cor. 15. & Vasquez 3. p. t. 2. q. 69. d. 157. c. 3. n. 48. 51. C. Bertram. Lucubrat. Francofurt. cap. 18. Jo. Coccius in Hebr. 9. 13. 14. Francisc Burman Chamier. Panstratia Catholica tom. 3. l. 26. c. 19. n. 35. Alii apud Nebrissensem, Spanhem.

consuetudo induceretur? Si fortè ad sensibilem, & corporalem turpitudinem detergendam post cadaveris tactum ablui consueverant, quare septem post diebus fiebat ablutio?

XIV. Nonnulli (1) Apostolum veteris moris hic meminisse volunt, quo non Hebræi modò, sed omnes propè Infideles mortuorum cadavera priusquam vel sepulchro, vel flammis committerent, abluebant. Quid itaque mortuorum corpora detergunt, si minimè resurgunt? Nonne satius illa horroris & corruptionis argumenta vel humi conderent, vel flammis absumerent? Honorem sanè mortuis exhibitum vel idcirco tribuebant, quòd dum in vivis agerent, meriti fuerint, vel quòd fortè resurrecturos arbitrarentur. Cadavera apud Veteres ablui, & sæpè oleo, & a plurimis etiam opobalsamo perfundi solita, latè ostendere prætermittimus: vetusti & recentiores Historici consulantur.

Utraque tamen ex duabus hisce sententiis satis refellitur; quòd dura nimis fuerit interpretatio, si *baptizari pro mortuis* seu *super mortuos* vertatur: *ablui post mortui contactum* seu *corpus mortuum detergere*. 2. Quod neque Ethnici, neque Judæi, qui seu aqua, seu oleo, sive opobalsamo perfundebant cadavera, de docenda resurrectione minimè cogitarent. Ethnici enim ei fidem nullam præstabant; Judæi verò si in eandem animum intendebant, eùm, ut Rabbinorum (2) nonnulli tuentur, hujusmodi ritus resurrectionem spectaret, hunc ea tantùm de re institutum, & ab Hæbræis ad resurrectionem insinuandam adhibitum fuisse, inducere minimè possumus; ii quippe Hebræorum, qui resurrectioni adversabantur, & populi qui eidem fidem minimè adhibebant, eadem, qua cæteri pietate, mortuis abluendis, & servandis cadaveribus incumbebant. 3. Quod imbecille nimis foret Apostoli argumentum: dicenti enim: *Quid faciant Judæi, qui abluunt mortuos, si non resurgunt?* illicò respondere potuisset: quid facient Ethnici, qui eosdem detergunt? An illi Judæorum & Christifidelium instar, mortuorum resurrectionem opperiuntur?

XV. Sebastianus Schmid (3), qui huic loco explicando expressè operam suam navavit, eidem post mortui contactum abluendi consuetudini Apostolum allusisse sentit, cujus tamen lotionis aliam exhibet causam. Cùm, inquit, quorumdam in mortuos populorum impietatem Moyses animadvertisset, qui cadavera sordium instar, in sterquilinium, seu in cloacas canibus, vulturibus, aliisque id genus animalibus pabulum projiciebant; adeò reverenter eadem tractari jussit, ut ab eorumdem contactu labes referretur, non alia ab ea, qua ii afficiebantur, qui alicui impuritati obnoxii res sacras tetigissent: quos idcirco, sicuti eos, qui immunda tetigerant, Lex à Sanctis arcebat.

Tangi autem mortuos, addit Schmid, Moyses ideò interdixit, quòd resurrecturos fide certum tenerentur; cùm verò quis post mortui contactum sese abstergeret, Deum, tacitè saltem, exorabat, ne sibi id vitio tribueret, non enim per contemptum tetigerat cadaver; postulabatque, ut quemadmodum legalem ad labem detergendam eluebatur exteriùs, ab occultis etiam sordibus, & à peccatis interiùs expiaretur.

Hæc verò sententia iisdem, quibus superiores ferè omnes, difficultatibus obvolvitur. 1. Quin probet, eam Moysis fuisse mentem affirmat, ut ab impietate, & sævitia, quibus populi quidam mortuos excipiebant, Judæos averteret. Ægyptii, inter quos diu vixerant, nimio potiùs cultu mortuos prosequebantur;

A Patriarchas verò, quorum progenies erant, in mortuis sepeliendis curam omnem, & cognitionem impendisse constat. Imò ipsi Judæi, vel ante Legem, maximum cadaveribus cultum adhibuere. 2. Si Moyses de probanda resurrectione cogitabat, quare eadem lege non modò ab hominis mortui, sed a bestiarum etiam contactu labem referri decrevit? An fortè & has immortales, & resurrecturas æstimabat? 3. Denique etiamsi eumdem, quem Authores nonnulli, huic textui sensum tribueremus, adhuc Apostoli ratiocinium Judæos quidem, minimè verò Ethnicos convinceret. Paulus autem ad omnes pertinenti argumento exhibendo animum
B suum intenderat. Novimus profectò quosdam (4) Ethnicorum populos, qui labem aliquam à mortui contactu referri sibi suadebant, quare quamdam ad se detergendos, Judæorum instar, lotionem invexerant, qui nihil tamen de futura resurrectione cogitabant.

XVI. Estius (5) aliique ferunt, si fortè Judæorum quis alicui impuritati obnoxius, antequam purificationis dies absolveret, migrasset è vivis, eorum alterum loco illius sese juxta legem abluere consuevisse; quem quidem morem idcirco induxerant, quòd eam lotionem mortuo conferre arbitrarentur, & de animæ immortalitate, & corporis resurrectione optimè sentirent.

C Cujus quidem opinionis nullum hucusque argumentum, neque ullum Authoris Judæi textum agnovimus. Esto tamen, fautoribus minimè destituta fuerit, Judæos tantummodo, quorum plerique resurrectionem minimè inficiabantur; Apostolus suo illo ratiocinio convinceret; Corinthios verò Fidei recens adscriptos, quorum plurimi ab idololatria ad Ecclesiæ sacra transierant, nulla vi urgeret.

XVII. Dionysius Carthusianus, Catharinus, Gagnæus, Cardinalis Hugo, Turrianus, Stapletonius, Becanus, Bellarminus, aliique (6) metaphoricè hunc locum explicant, baptismi nomine ærumnas, afflictationes, crucem, & martyrium interpretantes. Quo quidem sensu & Dominus interdum hanc phrasim adhibuit: *Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari* (Marc. 10. 38.) Potestis nempe
D calamitatum fluctibus, mei instar, obrui, & dolorum & lacrymarum undis demergi? Quid proderit pro mortuis vos baptizari, si mortui non resurgunt? Cui bono, eleemosynis, jejuniis, lacrymis, precibus spontaneisque pœnis animas, quæ in Purgatorio torquentur, juvare nitimini, si mortui nunquam reviviscant?

Quidquid de Purgatorio docet Catholica Ecclesia, nostrasque preces ad mortuorum utilitatem conferre, & certò scimus, & religiosissimè profitemur. Hujus verò loci eam, quam modò retulimus, veram interpretationem minimè credimus. 1. Conveniunt omnes ad metaphoricam explicationem tunc esse tantummodò confugiendum, vel
E cum literali & obvio sensu destituimur, seu à fide alienum offendimus: quæ omnia hic longissimè absunt. 2. Verbum *baptizari*, seu baptismum suscipere, in Scriptura spontaneas pœnas, seu pœnitentiæ opera nunquam sonat.

XVIII. Maldonatus in Matth. 20. 22. & Luc. 12. 50. Guillaudus in hunc locum, Gagnæus, Beneius hic, Tilenus, Tarnovius, Ligfootus, Sclaterus, Vorstius eumdem Apostoli locum ita interpretantur: *Quid fiet iis qui proprio sanguine*, nempe per Martyrium, *baptizantur, ad resurrectionis fidem tuendam, seu in fide resurrectionis*, si mortui non resurgunt? Vana utique eorum tolerantia, & spes inanis.

XIX.

(1) Pareus, & Bullinger, hic. (2) Rabb. Bechai & Ibn Zonar, citati a Ligfoot Hor. Hebr. in hunc locum. (3) Sebast. Schmid Disput. in 1. Cor. 15. 29. Argentor. an. 1656. (4) Vide Priorem not. in l. 5. Tertull. contr. Marcion. aliot. (5) Estius hic, & quidam apud Hugon. Cardinal. Vid. & Salmer. & Justinian. & Turrian. l. 4. pro Epist. Pont. c. 14. (6) Vallemburgens. Fratres de unitate Eccles. 12. c. de Purg. n. 84. Tirin. Justinian. Salmeron, Sa, Henriquez, Taner, Bail, Fevardent. Costet. & alii. Vide Henric. Muller. Dissert. in hunc loc. pag. 16.

XIX. Alexander Morus ita legit (1): *Quid facient qui baptizantur pro mortuo?* nempe pro Jesu Christo, si Christus non resurrexit, & si mortui non resurgunt? Si enim mortui non reviviscunt, neque Christus resurrexisse dicendus est. Licèt autem in Græco *pro mortuis* legatur, ibi tamen pluralem pro singulari numero positum volunt.

XX. Domina Schurmam (2), singulari eruditionis fama celeberrima, hanc in quadam Epistola explanationem affert: *Quid facient; qui baptizantur pro mortuis?* qui videlicet plurima quotidie sustinent *pro mortuis*, nempe pro fidelibus, qui quodammodo jam mortui reputantur, si nulla eos manet resurrectio? Eo sanè Ecclesiæ nascentis exordio Christifidelium vita nonne mortem referebat? Quam verò de calamitatibus voluptatem illi percepissent, nisi de immortalitate, & resurrectione sperassent?

Duobus absurdis hæ tres sententiæ laborant. 1. A' literali & obvio Pauli sensu longè recedunt, cùm Baptismum interpretentur pœnas, & sine necessitate ad metaphoricam, & symbolicam explanationem confugiant. 2. Hanc vocem *mortui* nova quadam interpretatione exponunt; nempe ad *spem resurrectionis mortuorum*, seu *Christum Dominum*, seu *Christi Fideles morti expositos* detorquent. Quæ mens si fuisset Apostolo, is profectò reconditas adeo, atque prorsus obscuras phrases non adhibuisset.

XXI. Franciscus Junius, & alii (3), Apostoli ratiocinium ita exhibent: Si mortuorum resurrectio nulla, quare in dies ultro occurrimus pœnarum, calamitatum, persecutionum, & martyrii baptismo pro mortuis (4)? pro Christifidelibus nempe, qui è vivis emigrarunt? cur in tuenda eorum fide plurimùm laboramus? Cur tam incerta spe ducti atque inani periculis omnibus nos exhibemus?

Hæc quoque sententia Baptismum metaphoricè interpretatur. Videantur, quæ in articulos 18. 19. 20 paulò ante disseruimus.

XXII. D. Clericus Not. in Hammond. & in hunc loc., qui pro *mortuis baptizabantur*, eos fuisse censet, qui quotidie Ecclesiæ accedentes, baptismate expiabantur, ut fidelibus, qui in dies decedebant, sufficerentur. In hujus Epistolæ capite 15. ubi sententia Apostoli, quam in hac Dissertatione versamus, eorum singulos, qui Ecclesiæ addicebantur, de resurrectione ambiguos non fuisse Paulus ostendit; cum enim eos, qui decedebant, miserrimè, quantum ad mundi speciem, occubuisse cernerent ad baptismum nihilominus accedebant, ut mortuis succedentes, eadem infelici vita viverent, & miserrima morte interirent. Quare Apostolus resurrectionem directè probandam hic non assumit, sed tantum eam esse totius Ecclesiæ, omniumque Christifidelium fidem ostendit, ut eadem destituti omnium infelicissimi reputari potuerint 1. Cor. 15. 16.

Cum hac interpretatione, omnium, quas retulimus, subtilissima potest Græca phrasis (5) cohærere; quamvis ejus syntaxis à consueto longè discedat, neque similem usquehuc in novo Testamento noverimus. Id tamen illi adversatur, quòd Pauli ratiocinium ita detorquet, ut à communi totius Ecclesiæ consuetudine argumentum suum Apostolus repetere cogatur; cùm potiùs peculiari quorumdam more, apud Fideles communiter non obtinente, deducat. Si enim Christifidelium singuli Resurrectionis Fide, ut præfertur, ad baptismum accedebant, Pauli ratiocinatio minimè concludit: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis? Si mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis?* Dicendum ei latiùs fuisset: *Quid vos, seu quid nos omnes & singuli baptismum suscipimus pro mortuis*, & ut iis Christifidelibus, qui decesserunt, succedamus?

XXIII. Putat Brochmandus (6), Apostolum per ea verba: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* idem scripsisse ad Corinthios, quod & ad Thessalonicenses: *Nolumus vos .... ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent* (7). Nimiam, ait Brochmandus, de cognatorum morte tristitiam Baptismum quemdam Paulus appellat, sic ratiocinatus: Quid dicemus iis, qui propter cognatorum interitum prorsùs consolationem respuunt, si mortui non reviviscunt? Quomodò afflictos à mœrore animos erigemus, si nulla post mortem resurrectio?

Si vox *baptizare* sine addito interdum in Scriptura pœnarum & lacrymarum baptismum sonaret, fortè huic interpretationi subscribi posset: verum eo sensu nunquam adhibitam invenimus; vel si invenimus, altera voce, seu phrasi adjuncta ad metaphoricam significationem deflectitur. Hæc præterea explanationis distractio S. Pauli argumentum saltem infirmat; cùm enim scripserit: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* scripsisse cogitur: *Quid faciemus*, seu quid nos dicemus iis, qui nimio de cognatorum morte mœrore tenentur?

XXIV. Henricus Mullerus, qui ea de re Dissertationem anno 1656 Rostochii vulgavit, postquam septemdecim diversas in hunc locum sententias recensuit, perpendit, & improbavit; suam denique sic proponit: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* videlicet, pro mortuorum defensione, pro fulcienda resurrectione, de qua sperantes occubuerant? Ita ergo ratiocinatur Apostolus: Si nullam resurrectioni fidem vos adhiberis, quare per baptismi susceptionem eorum sententiam tuemini, qui resurrectionis fidem confirmarunt? baptismum enim & vos idcirco suscepistis, ut resurrectionem, de qua mortui speraverunt, vobis promereamini.

Hæc explanatio ad sententiam Ludovici de Dieu & Cloppenburgii numero 8. & 10. relatam, satis accedit. Nimis verò Apostoli phrasis detorqueatur oportet, ut ejus animus cum horum mente cohæreat. Etenim *baptizari pro mortuis*, vel si lubet, *pro defensione mortuorum*, pro fide & resurrectionis promissione tuendis baptizari, nullatenus sonat. Hæc prætereà sententia Pauli argumentum infringit, atque infirmat: *Quid facient, qui baptizantur pro fulcienda fide, quam resurrectioni mortui adhibuerunt?* Hoc planè non satis urget.

Postquam diu immorati sumus in diversis plurimorum sententiis recensendis, quarum quædam à veritate deficiunt, quod impropriè, mysticè, & violenter Baptismi nomen usurpent; quædam verò, quod vocem *mortui* vi adhuc majori detorqueant; quædam pariter, quod ambiguis factis rebusque difficultatibus quam maximè obnoxiis innitantur; quædam denique, quòd textum Græcum methodo ab hoc idiomate longè aliena interpretentur: nostram tandem pandimus, & Tertulliani, & Hilarii Diaconi sententiam, cui celeberrimi ætatis nostræ Critici adhærent, veriorem, firmioribusque innisam argumentis arbitramur.

1. Enim de Textus perspicuitate, qui ab omnibus, quemadmodum à nobis, legitur, ambigi nullatenus potest: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* gratia nempe, seu mortuorum beneficio, ad pec-

(1) Rivet. & Alex. Morus in hunc loc. (2) Anna Maria Schurman, Epist. Responsoria ad Jacob. L. dium.
(3) Francis. Juni. in Bellarmin. Contr. 6. de Purgat.
(4) Rambourt. Profess. Sedan. apud Boch Differt. in hunc locum pa. 1028. Tarnov. Exercit. Bibl. pag. 609. Tileu. par. 2. disp. 65. apud Henric. Mull. Differt. singul. in hunc loc. Not. in Hammond. & in hunc loc.
(5) 1. Cor. 15. 25. Baptizuntai yper ton necron. Dionys. Halicarn. l. 8. pag. 553. yper tun apotha nuntun en to pros Antiatas polemo stratioton exioun exterous catagraphein. *Visum est novos conscribere milites pro iis, qui in bello Antiatico interierant*. (6) Brochmand. P. 3. System. Theol. art. de mort. c. 2. Apud Henr. Muller. Differt. in hunc loc. Huic subscribit Jub. Tobias Major orat. pro defunct. contr. Got. c. 2. (7) 1. Thessal. 4. 13.

ad peccatorum absolutionem mortuis comparandam? Si nihil in ea interpretatione absonum suspicati fuissent, Scriptores omnes plané victas illi manus dedissent. Cùm de interpretationibus agitur, quæ primum Lectoribus occurrit, si generatim loquamur, cæteris anteferenda est, præsertim cùm argumentis aliis ad eam improbandam non adigamur.

2. Omnem argumenti vim hæc explanatio tuetur, sive cum Tertulliano, Hilario Diacono, Petro Venerabili, Scaligero, aliisque plurimis Christifideles etiam, licet non sine quodam abusu, pro mortuis baptizari crebro consuevisse velimus; sive eam consuetudinem ab Hæreticis Resurrectioni infensis tantummodó exercitam arbitremur, quos Apostolus argumento *ad hominem* sic oppugnet: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt?* Quonam modo hoc viventium baptisma mortuis conducat, si de resurrectione omnino desperent? Si per hujusmodi baptismum gratiam vivens susciperet, eamdemne in mortuum referre valeret? Qua itaque mente hæc induci potuit baptismi consuetudo, nisi ut resurrectionis spes referatur, & à Domino id impetretur, ut quemadmodum viventia corpora per baptismum renascuntur, & quodam modo reviviscunt, ita qui decesserunt, aliquando resurgant?

3. Id verò, cui hæc interpretatio innititur, superiùs satis superque probavimus; Hæreticorum enim plerosque, qui Pauli ætate in vivis agebant, fuisse resurrectioni infensos, & eorumdem quosdam pro mortuis baptizari consuetos ostendimus. Quam baptismi consuetudinem & apud Fideles obtinuisse, minimé probari posse ultro admitto; veteres tamen, & recentiores, quos attulimus, Authores id evenisse nullatenus improbant: quod sané magis de illis persuademur, quám de Africæ fidelibus, quos quarto adhuc sæculo ipsos mortuos, baptismo abluere consuevisse legimus.

4. Absurda verò, quibus hæc interpretatio notatur, quæque Commentatores ab eadem avertunt, difficultatem superficie tenus præferunt, & si seriò pendantur, vim omnem amittunt. Apostolus, ajunt, baptismi pro mortuis consuetudinem probare videretur, non enim credendus foret inde futuræ resurrectionis argumentum deduxisse, ubi pravitatem, & superstitionem agnovisset. Ita enim vel Fidelibus, si vere apud eorum quosdam mos ille invaluerat, ad eumdem retinendum animum adjecisset, vel Hæreticorum consuetudini favisset, qui resurrectioni inficiantes, eodem baptismate expiabantur. Præterea neque Hæreticos resurrectioni infensos, neque Christifideles eamdem profitentes, neque baptismum pro mortuis suscipientes, neque eidem non adhærentes Pauli ratiocinatio convinceret.

Cerinthiani & Marcionitæ, qui baptismate pro mortuis eluebantur, Apostolo sic ratiocinanti: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non resurgunt, utquid & baptizantur pro illis?* respondissent: Baptisma, quo abluimur, idcirco mortuis conducit, quod eidem peccatorum solutionem consequatur, veram nempe resurrectionem, sicuti & à Christo appellatur; cujus in tuis Epistolis sæpiùs ipsemet meminisli, cùm Baptismi dignitatem extolleres, atque eumdem cum Servatoris resurrectione conferres. Anne Deus, cujus cordi omnium hominum est incolumitas, antequam baptismo abluerentur, repenté morte interceptos iis destitueret, quæ eorum saluti maximé conducerent? Quid porrò eorum saluti opportunius, quàm quòd institui voluerit, ut eorum beneficio regenerationis Sacramentum susciperetur?

Neque majori vi Christifideles, quibus forté resurrectio in dubium, incertumque venisset, Apostoli argumentum urgeret. Qua propter respondissent: Quidquid seu Hæretici, seu quis ex Fidelibus simplicioribus egerint, ad nos nihil pertinet. Ex te ipso unam esse Ecclesiam, unumque baptisma didicimus: alia igitur, ut nos convincas, tibi via incedendum. Etenim quæ sunt fidei Catholicæ, per absurdos & nugatorios mores minimé comprobantur; alias nil prohiberet, quin aliquibus Ecclesiæ dogmatibus Fidem præstitisse Ethnici diceerentur, si ex plurimis superstitiosis, quibus inhærent, ritibus eorum fides colligi valeret. Ex Hæreticorum denique pro mortuis baptismate neque probè omnino, neque proprié resurrectio concluditur, quamvis eorum de animæ immortalitate opinio ritè possit induci. Immortalitatem verò animæ à corporis resurrectione longé aliam esse quis ignoret?

Quibus omnibus reponimus, S. Paulum neque Hæreticorum, neque eorum Fidelium, qui simplicitate nimia pro mortuis baptizarentur, morem suo argumento comprobasse, sed adversus eosdem *ad hominem*, ut diximus, ratiocinatum esse. Probos Christifideles, & lumine Fidei optimé instructos minimé hic Paulus alloquitur; illi enim neque resurrectioni adversabantur, neque in eorum, qui pro mortuis baptizabantur, consuetudinem iverunt. Sed adversùs Hæreticos, & rudes, atque superstitiosos Fideles validissimé probat, ab ipsa eorum consuetudine argumentum optimé deduci, quò sibi de resurrectione persuadeant. Utique enim inanem prorsùs de mortuis curam assumerent, si ad vitam nunquam revocarentur, vel hinc ablati alibi non viverent. Quod si, quod anima immortalitate donetur, alibi vivunt, facilè satis hominum resurrectio concluditur. Alienum quippe ab justitia foret, nisi corpus, quod veluti pars operam suam vel benè, vel malè gestis contulit, aut pœna afficeretur, aut præmio. Deus verò, si animæ tantummodò vel pœnam infligeret, vel præmium persolveret, solius partis aut innocentiam, aut pravitatem remetiretur. Hæretícos itaque suo illo pro mortuis baptismate indirecté saltem ad resurrectionis fidem tenendam Apostolus adigit.

COM-

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN PRIMAM
SANCTI PAULI APOSTOLI
AD CORINTHIOS EPISTOLAM.

CAPUT PRIMUM.

Sanctus Paulus Deo gratias agit ob ea, quæ Corinthiis supernaturalia contulit beneficia: hos vero ad dissidia evitanda adhortatur. Carnis sapientia a JESU CHRISTI Cruce damnatur; quæ Judæis quidem scandalum est, Gentibus vero stultitia. Deus simplicium opera prudentes confundit.

1. PAulus vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Sosthenes frater, 2 Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum, & nostro. 3 Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo. 4 Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu. 5 Quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia: 6 Sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: 7 Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi. 8 Qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi. 9 Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu Christi Domini nostri. 10 Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi: ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. 11 Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. 12 Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Christi. 13 Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? 14 Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum, & Cajum: 15 Ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis. 16 Baptizavi autem & Stephanæ domum: cæterum nescio, si quem alium baptizaverim. 17 Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare: non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. 18 Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. 19 Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. 20 Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? 21 Nam quia in Dei sapientia non co-

gnovit mundus per sapientiam Deum : placuit Deo, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes [1]. 22 Quoniam & Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt : 23 Nos autem prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam ; 24 Ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam : 25 Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus : & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. 26 Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles : 27 Sed, quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes : & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : 28 Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret : 29 Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. 30 Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio : 31 Ut quemadmodum scriptum est ; Qui gloriatur, in Domino glorietur.

℣. 1. PAULUS VOCATUS APOSTOLUS [1].] Sanctus Paulus omnium primus ad Corinthios prædicaverat, atque diu apud illos versatus fuerat, ut eosdem erudiret, & confirmaret in fide. Post discessum Apostoli, inter fideles Corinthios discordia oborta est propter novos quosdam Doctores, qui illuc accesserant. Apostolus eam sibi, qua indigebat ad tantum mali tollendum, auctoritatem conciliaturus, statim seipsum vocat, *Apostolum* JESU CHRISTI, *vocatum per voluntatem Dei*. Licet minime sim ex numero duodecim Apostolorum, quos Salvator adhuc vivens elegit, illis tamen inferior non sum, quandoquidem & ipse Apostolus sum per Dei electionem, atque voluntatem : quam authoritatem licet alii in dubium revocare vellent, vos tamen eamdem mihi abnuere minime potestis, ipse enim vos peperi in Evangelio. *Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum : nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino*. 1. Cor. 9. 2.

A

ET SOSTHENES FRATER.] *Novimus Sosthenem* caput Synagogæ Corinthiacæ, qui Corinthi ante Gallionis Achajæ Proconsulis Tribunal vapulavit [2]. Scimus etiam, eodem tempore Sanctum Paulum ad Proconsulem eumdem productum, & accusatum fuisse : verum non constat, utrum Sosthenes propter fidem loris cæsus fuerit. Divus Chrisostomus hom. 39. in Acta credit, illum a Judæis verberibus affectum fuisse, quod Christianam Religionem profiteretur [3] ; & Eusebius hist. Eccles. l. 1. c. 12. ait, Sosthenem, de quo hic sermo, ex numero Septuaginta Discipulorum fuisse ; quod cum Archisynagogo Corinthi nullatenus convenit. Verum ea probatior est sententia, Sosthenem pro fide Corinthi passum fuisse, & S. Paulum hoc in loco nomen illius memorare, tamquam ejus viri, qui summa nominis celebritate Corinthi florebat ; vel honoris gratia, vel ut Epistolæ suæ aliquid auctoritatis magis accedat. Non desunt [4], qui putent, Sosthenem ea in occasione S. Paulo a secretis adfuisse. Græci quidem S. Sosthenem colunt sexto idus Decembris, atque nomen illius aliis pluribus ex septuaginta Discipulis, quos ea die colunt, anteferunt, eumque primum Colophonis Episcopum fuisse arbitrantur. Latini vero in Martyrologiis suis Sancti ejusdem viri meminerunt quarto Kalendas Decembris, ubi illum S. Pauli, vel Apostolorum Discipulum vocant.

B

℣. 2. ECCLESIÆ DEI, . . . VOCATIS SANCTIS.] Fidelibus scilicet, quos vocatio sua Sanctos effecit, vel qui Sancti sunt ex vocatione Dei : qui Christianam Religionem profitentur : quæ quidem sanctissima professio est ; vel qui ad sanctitatem & perfectionem vocati sunt [5].

C

QUI INVOCANT NOMEN DOMINI &c.] Græcus [6], atque Latinus textus ita sunt ordinandi : *qui in omni loco invocant nomen Domini Nostri* JESU CHRISTI (qui est Dominus) *ipsorum, & noster*. Omnes, qui JESU CHRISTI nomen invocant, hoc in loco ii sunt, qui Religionem illius profitentur, qui illum Dominum, ac Deum suum colunt [7], qui se JESU CHRISTI servos, atque discipulos vocant.

℣. 3. GRATIA VOBIS, & PAX.] Vobis ille sua lumina, suam gratiam, atque benedictionem impertiat ; utinam inveniatis gratiam in oculis ejus, & suavissimis bonitatis ejus effectibus repleamini. Vobis pacis, & concordiæ Spiritum tribuat, atque de medio vestri omne dissidium, omnemque dissensionis spiritum auferat. Liquet, tunc temporis Corinthios in duas partes discessisse ; atque præcipuum hujus Epistolæ argumentum illud est, ut ibi pax restorescat.

℣. 4. IN GRATIA DEI, QUÆ DATA EST VOBIS,] propter vocationem ad Christianam fidem, aliaque supernaturalia dona, quibus vos Deus cumulavit, scientiæ videlicet, miraculorum, linguarum, prophetiæ &c. [8]. Quænam autem hæc sint dona, de quibus loquitur, sequenti versiculo explicat.

℣. 5. IN OMNI VERBO, & IN OMNI SCIENTIA.] Donum verbi non eloquentiam solum, vel donum facile, & diserte loquendi, verum etiam linguarum, prophetiæ, atque interpretationis Scripturarum dona complectitur : scientia vero continet Religionis mysteria, Scripturarum cognitionem, atque scientias alias, quæ ad Religionem, atque salutem referuntur. S. Clemens Papa I. ad Corinthios scribens, eorum scientiam gratulatur : *Quis apud vos diversatus est, qui vobiscum gratulatus non fuerit propter scientiam vestram certam adeo, atque perfectam*.

℣. 6. SICUT TESTIMONIUM CHRISTI [9].] Evangelium, quod vobis annunciatum fuit, in vobis confirmatum est super naturalibus donis, quibus cumulati fuistis. Cœlestia dona testata sunt veritatem meæ apud vos prædicationis, atque certissimo sunt argumento, vos veros esse JESU CHRISTI discipulos. Idem S. Clemens, quem superius memoravimus, ad Corinthios ait, illos affluenter Sancti Spiritus effusionem recepisse.

NIHIL

1 Κλητὸς Ἀπόστολος. *Vocatione Apostolus*, vel *vocatitius Apostolus*. Est. Pagn. alii. Deest vox κλητὸς, in MS. Alexand. Claram. O. L. & S. Germ. G. L. 2 Act. 18. 12. . . . 26.
3 Vide Aug. Ep. 93. n. 7. nov. edit. Beda, Grot. Tillemont. Not. 33. in S. Paul.
4 Estius. 5 Erasm. Est. Justinian.
6 Σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐν παντὶ τόπῳ, αὐτῶν τε, καὶ ἡμῶν. Id est ex Photio apud Oecumen. Κοινὸς ἁπάντων Κύριος, καὶ οὐ μόνον ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν πανταχοῦ. Ita Chrysost. Theodoret. alii. 7 Vide Act. 9. 14. 21. 22. 16. 2. Timoth. 2. 22. &c.
8 Theodoret. Hieronym. Primas. Justinian. Alii.
9 Τὸ μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ. Τουτέστι τὸ κήρυγμα. Chrysost. Theodoret. Theophyl. Oecumen. Ita alii passim.

℣. 7. NIHIL VOBIS DESIT IN ULLA GRATIA &c.] Vos Evangelium recipientes, quovis spiritualium bonorum genere cumulati fuistis; at cavete, ne per errorem vestrum tanti boni jacturam patiamini. Cum timore, atque tremore terribilem alterius adventus Filii Dei diem expectate [1], atque inter vos metipsos charitatis, & pacis spiritum fovete, ne hæc dona, quibus ille vos locupletavit, vobis ad interitum cedant, & damnationem.

℣. 8. SINE CRIMINE, IN DIE ADVENTUS DOMINI.] Confido in Domino futurum, ut ea, quam vobis timeo, calamitas non accidat, & Deus det vobis perseverantiæ donum, quod cætera coronet, atque efficiat, ut sine crimine ad eum usque terribilem Judicii diem perveniatis. Non vult Apostolus, illos ab omni scelere excusare: videbimus deinceps non unum in Corinthiis vitium fuisse corripiendum; verum ne illi animus despondeant, atque ipse testetur, se de illorum conversione nequaquam desperare, illis dicit, se sancta repletum esse confidentia, futurum, ut illi beatum finem consequantur.

℣. 9. FIDELIS DEUS.] Ecce cui mea innititur confidentia; illius nempe fidelitati, qui vos evocavit ad Fidem. Ille vos non deserat, & promissi fidem præstabit [2]. Ille vos sua gratia fulciet, neque permittet, ut in scelus ruatis, & quidquid vestrum est, obliviscamini. Ita sapiens hic medicus Corinthiorum præparat animos, ut æqui bonique faciant ea monita, quæ illis est traditurus.

℣. 10. UT IDIPSUM DICATIS OMNES &c.] *Idipsum dicere*, unam linguam habere hoc in loco, eosdem servare sensus significat; alterum enim alterius effectus est [3]. E Corinthiis alius quidem dicebat: ego sum discipulus Pauli, alius, ego Cephæ; alius, ego Apollinis. Tollite hanc linguam, quæ in vobis discordiam obrepsisse testatur; in hoc uno consentite, dicentes: nos sumus Christiani; discipuli sumus JESU CHRISTI.

℣. 11. AB IIS, QUI SUNT CHLOES.] Chloe Christiana mulier erat Corinthi, cujus filii, vel domestici certiorem fecerant S. Paulum, qui tunc Ephesi morabatur, inter Corinthi fideles dissensiones obortas. Fidei consonum videtur, familiares Chloes hæc omnia S. Paulo scripsisse [4], atque Epistolam tradidisse Stephanæ, Fortunato, & Achaico, qui Ephesum venerant, ut S. Paulum convenirent [5]. Notandum est, a S. Paulo minime singillatim memorari eos, qui sibi scripserant, ne in illos Corinthiorum simultas aliqua oriretur.

℣. 12. EGO QUIDEM SUM PAULI.] Patres nonnulli [6] crediderunt, S. Paulum isthic suum, Cephæ, & Apollinis nomen simpliciter exempli causa attulisse; non autem, quod Corinthii revera propter illos dissentirent; sed quod varios sibi Magistros elegerant, & quilibet eum anteferre conabantur, cujus erant discipuli; in Ecclesiam eamdem invehere studentes consuetudinem, quæ Athenis, & in aliis Græciæ Civitatibus vigebat, ubi omnes aliquam Philosophiæ sectam amplectebantur, & dicebant: ego Platonis sum, ego Aristotelis, ego Zenonis, ego Epicuri. Hujus autem opinionis illud præcipuum extitit fundamentum, quod inferius c. 4. ℣. 6. dicitur: *hæc transfiguravi in me, & Apollo propter vos &c.*

Tenent alii [7], Corinthios vere dissensisse propter SS. Paulum, Petrum, & Apollinem, qui subinde ea in Civitate prædicaverant: illos vero, qui inter Corinthios majori sapientia præstabant, cum harum dissensionum participes esse minime vellent, se JESU CHRISTI discipulos tantummodo appellasse: quam sententiam ea, quæ sequuntur, adstruere potius videntur. Credit S. Hieronymus in Ep. ad Tit. c. 3. dolore, quo S. Apollo affectus fuit, videns dissidium illud, quod Corinthi ex ipsius occasione fuerat obortum, adactum fuisse, ut in Cretam Insulam secederet, cum Zena Legis doctore, qui & ipse evangelicæ prædicationi vacabat: ea vero dissensione sublata, per Epistolam, quam ad Corinthios hac de re S. Paulus conscripsit, & quam modo explicamus, Apollinem tandem illuc rediisse, atque ibi veluti Urbis ejus Episcopum permansisse.

De Apolline fusius verba fecimus in Acta c. 18. 24. & 19. 1. Theodoretus apud Oecumenium ait, illum primum fuisse Corinthiorum Episcopum. Ex hoc loco videretur S. Petrus Corinthi prædicasse, aut illuc discipulorum suorum aliquem misisse. Animadvertit hoc in loco Theodoretus errorem Corinthiorum, qui Pauli, Cephæ, & Apollinis nomina, cum nomine JESU CHRISTI commiscebant. Credunt nonnulli [8], postremos hosce ex iis fuisse, qui JESUM CHRISTUM in Judæa viderant, quem cum prædicantem audivissent, hoc sibi gloriæ vertebant, neque alium Discipulorum Domini tamquam Magistrum agnoscebant. Ligfoot putat hos fortasse, cum S. Johannis Baptistæ tantum baptismata fuissent abluti, simpliciter in Messiam credidisse, quin distinctius scirent, utrum JESUS esset CHRISTUS. Verum longe probabilius est, S. Paulum his verbis innuere velle, Corinthios, qui præ ceteris sapientiæ laude florebant, & qui cum in aliorum partes discedere noluissent, se JESU CHRISTI dumtaxat discipulos esse profitebantur.

℣. 13. DIVISUS EST CHRISTUS?] Numquid plures sunt Christianorum sectæ? vel: numquid plures sunt CHRISTI; alius Petri; alius Pauli; alius Apollinis? numquid diversa Evangelia prædicamus? JESUS CHRISTUS nonne unus est? Doctrina, Ecclesia, Religio illius nonne unica est, & quæ dividi minime possit? vel, si textum dempta interrogatione legas [9]: ita JESUS CHRISTUS divisus est in contemptionibus vestris, atque dissidiis, quæ demonstrantur in vobis. Prior explicatio plures jactat Sectatores.

NUMQUID PAULUS CRUCIFIXUS EST PRO VOBIS?] Potest quidem homo pro amico vitam impendere; potuisset quidem S. Paulus pro Corinthiis mortem subire; at unius JESU CHRISTI mors nostra delet peccata [10]; illi uni ergo nos hærere opus est, vel aliis etiam, sed pro illo tantum, & in illo.

℣. 14. GRATIAS AGO DEO.] Quod secreto providentiæ suæ consilio permiserit, ut Corinthi Crispum dumtaxat, & Cajum baptizaverim; minus enim mihi imputari potest causa schismatis, quod in vobis grassatur. Ii solum, quos baptizavi, in meis partibus sunt; hæ quidem partes non sunt adeo magnæ, atque statim cum aliis coalescunt; nam hoc partium studium mihi minime placet. *Crispus* erat caput Synagogæ Corinthiacæ, de quo in Actis 18. 8. sermo est, & qui a S. Paulo sacro fuit ablutus baptismate: *Cajus* vero satis diu hospes fuerat Apostoli, cum eadem in Urbe versaretur, Rom. 16. 23.

℣. 15. NE QUIS DICAT, QUOD IN NOMINE MEO BAPTIZATI ESTIS.] Atque ideo schismati occasionem præbuerim, quod plurimos baptizaverim, eorumque spiritualis Pater factus fuerim; ut mihi adhærerent, & ex nomine meo Paulistæ appellarentur. Nihil enixius effugi, quam ne seditionis caput fierem. Animadvertit Theodoretus, S. Paulum isthic innuere, quosdam nomen ex iis desumpsisse, a quibus fuerant baptizati. Græcus legit [11]: *ne quis dicat, me baptizasse in*

---

1 Theodoret. Justin. Est. alii. 2 Est. Menoch. Tirin. Justin. alii.
3 Erasm. Est. 4 1. Cor. 16. 15. 17. 5 Chrysost. Theodoret. hic. alii.
6 Chrysost. Theodoret. Ambrosiast. Hieronymiast. alii. 7 Est. Grot. Ita & Clem. Rom. *Epist.* ad Corinth. Vide August. de Baptismo, cap. 5. 8 Grot. hic.
9 Quid. in Theodoret. Oecumen. in Epist. Ambrosiast. in Justiniano, Theophyl. Ita & Codd. Quidd. in Mill.
10 August. in Joan. tract. 84. *Etsi fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius sanguis Martyris funditur.* Vide & Leon. Magnum, serm. 12. de Passione Domini & Ep. 83. & 97. Est. hic. 11 Ὅτι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα.

se in nomine meo ; sed complures antiqui Patres [1] e Vulgatæ lectione haud recedunt.

℣. 16. BAPTIZAVI, & STEPHANÆ DOMUM.] Docet Apostolus infra cap. 16. ℣. 15. *Stephanam* primitias Achajæ fuisse; ipsum, ac domum illius, omnium primos Corinthi ad Dominum fuisse conversos. Stephanus cum Fortunato, & Achaico [2], Ephesum profectus est ad S. Paulum aliquanto, antequam Apostolus hoc litterarum daret, ubi præclarum illis perhibet testimonium, quod Sanctorum, atque Ecclesiæ servitio seipsos devoverint. Græci [3] credunt, Stephanam fuisse Custodem carcerum Philippis in Macedonia, qui cum sese convertisset, atque a S. Paulo baptizatus fuisset, hunc Corinthi convenit, Act. 16. 27.

℣. 17. NON ENIM MISIT ME CHRISTUS BAPTIZARE.] Primum CHRISTI me ad Apostolatum vocantis consilium nequaquam fuit, ut me mitteret ad baptizandum [4]. Nonnisi per occasionem baptizo, sed primum, atque præcipuum munus meum est prædicare, quod quidem baptizandi munere longe præstantius est. Sacerdos quilibet, quivis fidelis, imo & mulier ipsa, ubi necessitas urget, baptismum conferre possunt, sed prædicare, hoc vero proprium est munus Apostoli. Post sacrificii oblationem nihil majus habet Religio, quam verbi distributionem [5].

NON IN SAPIENTIA VERBI.] Non in elaboratis sermonibus, neque profana eruditione repletis; nam pleramque Græcorum, atque præsertim Corinthiorum ingenia Philosophiæ prorsus humanæ sapore erant corrupta; neque aliud in pretio habere consueverant, quam quod eloquentiæ floribus, Philosophiæ acuminibus, Rethoricisque schematibus elaboratam cognoverant. Ostendit S. Paulus, se omnes hasce humanas artes contempsisse, JESUM CHRISTUM annunciaturus; ut intelligant, quo in loco ab illis etiam habenda sint. Ita sensim ad argumentum suum viam aperit, ut nimirum scientiæ, & eloquentiæ nimium amorem in illis coarguat, eosque corripiat, quod in Christianam Religionem, non secus ac apud Ethnicos Philosophos quamdam sectarum varietatem invehere velle videbantur.

UT NON EVACUETUR.] Si Apostoli usi fuissent argumentationum vi, humanæ scientia, fucataque eloquentia in Evangelii prædicatione, credidisset fortasse aliquis, JESU CHRISTI religionem hujusmodi artibus sua primordia, atque incrementa debere. Profitetur ergo Apostolus, se iisdem uti minime voluisse, ne JESU CHRISTI Crux evacuaretur; hoc est, ne detrimenti aliquid pateretur, ne eloquentiæ, non autem virtuti Crucis accepta referretur victoria, quam de errore, atque idolorum cultu refertissimam reportaverat [6]. Videtur S. Paulo in deliciis fuisse verbum [7] *evacuare*, ut significaret, vanum se inutilem reddere.

℣. 18. VERBUM CRUCIS.] Stultitia est infidelibus, atque incredulis, qui nostros sermones tamquam fabellas existimant. Profecto juxta inania humanæ sapientiæ lumina, quid magis ridiculum fingi potest, quam salutem sperare ab eo, qui crucifixus fuit, ab eo, quem inimicorum odium, & nequitia per exquisitissimos cruciatus occidit? quid magis insipiens, quam Religionem illam sectari, quæ ea te credere cogit, quæ mente assequi non vales, & quæ invisibilia tantum bona promittit, quibus post mortem denique perfruiturus sis; & quæ adeo supra carnem, & sensum assurgunt, ut eorum vix aliquam ideam animo concipere possis: eam denique Religionem, quæ ærumnas tantum, sui ipsius abdicationem, passiones loquitur, & Cruces? hæc ea sunt, quæ in Religione Christiana carnalis sapientia lacerat, & propter quæ ab eadem stultitia ducitur.

IIS AUTEM, QUI SALVI SUNT, IDEST NOBIS, DEI VIRTUS EST.] Potenter salutem operatur in nobis, & efficaciter nos ad eam, quam speramus, felicitatem deducit. Nos illa convertit, mentem illustrat, cor movet, nos justificat, atque in voluntatum Dei exercitationibus, atque in passionibus, quas pro nominis ejus gloria perferimus, ineffabili nos voluptate perfundit. Denique jure censemus, Christianam Religionem virtute Crucis, & sine auctoritatis, sapientiæ, & humanæ eloquentiæ adminiculo constitutam esse, tamquam aliquod insigne Divinæ potestatis, atque virtutis miraculum: *Dei virtus est*.

℣. 19. PERDAM SAPIENTIAM.] Falsos videlicet sæculi sapientes [8], ostendam, universam commentitiam illorum sapientiam non aliud esse, quam stultitiam; & omnem illorum scientiam non aliud, quam vanitatem, & ignorantiam. Re quidem vera Christiana Religio maximas nobis veritates, Philosophiæ ignotas, aperuit, easque in tantam lucem produxit, earumque exercitationem eousque protulit, ut omnis Philosophia, si cum eadem conferatur, non aliud sit, quam ignorantia, ac vanitas, & Philosophi cum Apostolis, Martyribus, ac simplicibus Fidelibus, qui quolibet sæculo Evangelii præcepta secuti sunt, collati vana potius virtutis phantasmata videantur.

℣. 20. UBI SAPIENS, UBI SCRIBA, UBI CONQUISITOR HUJUS SÆCULI?] Locus hic desumptus est ex Isaje 33. 18. sed in sensu ab illo Propheta longe remoto. Loquebatur Isajas de Ducibus exercitus, vel Sennacherib, vel Ezechiæ Regis Juda. Cogitur Sennacherib fugam arripere, exercitu suo, occidione deleto. Ubinam modo sunt Duces illi, & Præfecti, qui militum habent nomenclaturam, illi, qui dies recensent? S. Paulus hæc verba ad Ethnicos sapientes convertit: gloriabatur Philosophia, omnes ad virtutem formari, atque ex errore revocari non posse, nisi per ipsam: quinam ergo ille est, qui vos convertit, vos erudit, vobis viam salutis aperuit? sunt ne Philosophi Gentilium, sapientes Judæorum, conquisitores curiosi, & *politici* [9], an sapientes, & *Physici* [10], vel denique Allegoristæ, atque sciti Scripturarum Interpretes, qui omnes illarum sensus scrutantur, atque perquirunt [11]? Hi enim omnes sensus tribuuntur verbis illis, *conquisitor hujus sæculi*. Politica, Physice, studium diversorum Scripturarum sensuum, vobis ad salutem minime profuit; sed profuit dumtaxat Crucis JESU CHRISTI Evangelium.

℣. 21. IN DEI SAPIENTIA NON COGNOVIT MUNDUS.] Deo placuit, per Crucis stultitiam mortales salvos facere. Videns Deus conatus inanes, quos sæculi sapientia conterebat, ut hominum mentem illustraret, atque formaret animum, operæ pretium duxit, eidem obsistere, & eos, qui in se crederent, non per sapientiam, sed per stultitiam salvare. Quam stultitiam? stultitiam Crucis, quæ nos docet maxime sublimem sapientiam, & eam perfectionem, qua non altius niti mortalis queat. Universum Philosophorum studium eousque minime pervenit, ut Deum in sapientiæ, ac potentiæ ipsius operibus cognoscerent [12]: vel si illum cognovit, eum tamen, uti opus erat, minime glorificavit [13]. Sed Evangelium, quod stultitia videtur [14], quoniam Deum crucifixum annunciat, ac vobis in hac vita pœnas dumtaxat promittit, hoc vos de erroribus vestris revocavit, atque ad beatam æternitatem adduxit.

JUDÆI

1 Chrysostom. Euthal. Ambrosiast. Hieronymiast. Coph. alii.
2 1. Cor. 16. 17.
3 Græci apud Grot. hic.
4 Vide Est. Menoch. Grot.
5 Theodoret. Justin. Est. Grot.
6 Vide Oecumen. Theodoret. ex Chrysostom. alios passim.
7 Græc. Καταργεῖν. Vide Rom. 4. 14. 1. Corinth. 9. 15. 2. Corinth. 9. 3. Philipp. 2. 1. Item. [illegible] 1. Corinth. 15. 10. 14. 1. Thessal. 2. 1. 3. 15.
8 Ignat. ad Ephes. Τῶν λεγομένων συνετῶν. Clem. Alexandr. Strom. 5. [illegible]
9 Paræus, Vatabl.
10 Grot. Drus. Bez. Justin. Menoch.
11 Fuller. Miscellan. Ludov. de Dieu, Ligfoot. Hammond.
12 Chrysostom. [illegible] Grot. Est. Justin. Vet. alii.
13 Rom. 1. 19. 20. 21.
14 Vatab. Grot. Tirin. Justin. alii.

℣. 22. JUDÆI SIGNA PETUNT.] Miracula [1] duplex est via, qua homines persuaderi possint; auctoritas, & ratio. Judæus auctoritati concedit; expetit miracula. Ab initio assuetus huic viæ [2], atque in Prophetis edoctus, CHRISTUM venturum esse potestatem, atque sapientiam indutum, prodigia petit, ut se dedat illi, qui sibi annunciatur. *Græci sapientiam quærunt*, & argumentationem. Philosophiæ argumentis assueti Gentiles, quidquid rationibus non probatur, suspicione carere non putant, atque sola rei evidentia vincuntur. Ad Judæos ergo, & Gentiles convertendos, quid faciet Dominus? adhibet sapientiam, & miracula: ita tamen, ut Philosophi sapientiam stultitiæ loco habeant, & Judæi increduli ibi lapidem offensionis inveniant. ℣. 23. *Nos autem prædicamus Christum Crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*:

℣. 24. CHRISTUM DEI VIRTUTEM, & DEI SAPIENTIAM.] Qui a Deo interiorem, atque efficacem vocationem acceperunt, quibus Deus cor aperuit [3], & qui ad vitam sunt prædestinati [4]; hi quidem seu Judæi seu Gentiles, Evangelium, & Dominicæ Crucis prædicationem, tamquam virtutem, & sapientiam Dei receperunt, eaque apud Judæos fideles maximorum prodigiorum, apud Gentiles vero acutissimarum argumentationum locum obtinuit [5]. Utrique simul in JESU CHRISTO crucifixo, in illius miraculis, vita, ac morte, fidei argumenta, exempla, & documenta invenerunt, quibus omnino se se victos dederunt.

℣. 25. QUOD STULTUM EST DEI.] Crucis mysterium [6], Evangelii prædicatio, JESUS CHRISTUS crucifixus mortalibus stultitia videtur, sed hæc stultitia quavis Philosophorum sapientia sapientior est: plures effectus peperit, plures errores abstulit, plures peccatores convertit, ac majorem moribus sanctitatem intra decem annos intulit, quam intra decem sæcula conata fuerit philosophia: vel ut melius dicam, cum philosophia, sectatores suos superbos, vel hypocritas effecerit; Evangelium homines vere sapientes, ac religiosos produxit. Atque similiter: *quod infirmum Dei est, fortius est hominibus*: quod in Deo infimum videtur, fortius est omnibus mortalium viribus: Jesus CHRISTUS nostris indutus infirmitatibus majora edidit miracula, quam ipsi Prophetæ umquam fuerint operati. Evangelii prædicatio, & Dominicæ Crucis virtus longe plurimos converterunt; atque hæc conversio per paucos piscatores omnino rudes, atque illiteratos nulla æstimatione, nulla auctoritate pollentes peracta miraculum est, miraculorum omnium maximum. Omnes terrarum Imperatores cum copiis suis, sapientes omnes cum doctrina, atque sermonibus suis; Oratores omnes cum eloquentia sua nihil umquam simile conati sunt.

℣. 26. VIDETE VOCATIONEM VESTRAM [7].] Numerum eorum, qui Evangelio paruerunt, & quibus concessit Deus gratiam efficaciter audiendi verbum salutis, cum illis conferte, qui in ignorantiæ tenebris, vel infidelitatis caligine permanserunt; & intelligetis, quam pauci sapientes secundum carnem; quam pauci potentes, neque nobiles secundum Mundum appellati sunt, si conferantur cum illis, qui in viis Mundi, atque umbra mortis persisterunt. Non dicit tamen, neminem sapientem, neminem nobilem, sed paucos, quemadmodum Theodoretus animadvertit. Potest Deus vocare quoscumque vult; suprema potestate sua obduratissimorum hominum animos, atque voluntates infringere potest. Quo majores sunt obices, eo infrequentiores sunt conversiones. Mundi sapientia, ingentia bona, voluptates, atque mundi hujus dignitates magno profecto ad virtutem, atque salutem sunt impedimento. Videtur apud Corinthios aliqua non defuisse dissensio, ex varia Fidelium ejus Urbis conditione oborta. Vide Grotium hic.

℣. 27. QUÆ STULTA SUNT MUNDI ELEGIT DEUS [8].] Elegit Deus sibi in discipulos, atque Apostolos eos omnes, qui ad ingentia illius consilia adimplenda minus idonei videbantur. Verum hoc ipsum maxime profuit: ut magis, magisque Domini Sapientia, atque Omnipotentia effulgerent. Post hæc enim homini accepta referri minime poterit gloria felicissimi eventus, quem nacta est Evangelica prædicatio.

℣. 28. IGNOBILIA MUNDI.] Christianæ Religionis initio, Christifidelibus probro vertebatur, quod omnes essent ex populi fæce, Ancillæ, Eunuchi, Nutrices. Julianus Imperator hoc illis exprobrat, & Divus Chrysostomus hoc ævo quoque suo objici consuevisse testatur [9].

ET EA, QUÆ NON SUNT, UT EA QUÆ SUNT DESTRUERET.] Ecclesiam suam ex nihilo [10], ut ita dicam, eduxit, ut Ethnicam Religionem, idolorum cultum, peccatum, errorem, dæmonis regnum ante tot sæcula in Mundo constitutum, everteret. Primitus fideles adeo pauci erant; Apostoli vero cum ejus rei, quam aggrediebantur, magnitudine comparati impares adeo videbantur, ut isthmum quodammodo perfodere velle viderentur, id aggressi solum, quod felicissime consummarunt.

℣. 29. UT NON GLORIETUR OMNIS CARO.] Voluit, ut omnibus sæculis exploratum, atque compertum esset, Ecclesiæ suæ institutionem suum opus esse, non hominum. Vult quodammodo, hominem in nihilum suum reverti, ut illos, quos debet, humilitatis sensus concipiat.

℣. 30. EX IPSO AUTEM VOS ESTIS IN CHRISTO.] Unus igitur Deus ex mera misericordia sua, vos ex tot aliorum grege vocavit, & elegit; cui illi gratias immortales, & agere, & habere vos decet, eo quod estis in JESU CHRISTO, & in ejus Ecclesia recensemini. Salvator vobis a Deo datus est, ut esset sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio vestra. Ipse JESUS CHRISTUS veram sapientiam, justitiam, sanctitatem, salutem, æternamque felicitatem comparavit. Deus Pater nos in JESU CHRISTO adoptavit, & in numero filiorum, atque amicorum suorum recensuit [11]. JESUS CHRISTUS nos redemit, nos justificavit, nobisque veræ sapientiæ in Evangelio præcepta, & in semetipso exempla suppeditavit, ita ut cum nulla nobis suppetat gloriandi causa, gloriam omnem in Deo collocare debeamus: *qui gloriatur, in Domino glorietur*.

---

1 Græc. impress. [illegible]. *Signum petunt*. Sed Alex. Clarom. S. Germ. & Borner. GG. LL. Syr. Clem. Alex. Chrysostom. Theodoret. Tertull. Cyprian. Ambros. Alii: *signa petunt*. [illegible].
2 Est. Menoch. Tirin. alii.
3 Act. 16. 14.
4 Act. 13. 48.
5 Est. Erasm.
6 Theodoret. Justinian. Est. Menoch.
7 [illegible]. Verti potest: *videtis vocationem vestram*: seu: *videte e vobis illos, qui vocati sunt*. *Vocatio* usurpari potest pro *vocatis*, sicut sæpe ac *circumcisio* pro *circumcisis*.
8 Tertullianus passim legit: *Ut confundat sapientiam*, lib. 1. de Carne Christi cap. 4. contra Prax. cap. 10. de Resurrect. cap. 57. lib. 5. contra Marc. cap. 5.
9 Chrysostom. ad cap. 1. primæ ad Corinth. Grot. hic.
10 Clement. Epist. 2. ad Corinth. Et Chrysostom.
11 Theodoret. Est. Vatab. Grot. alii.

CAPUT

CAPUT II.

S. Paulus dicit, se Corinthiis non aliud prædicasse, quam JESUM CHRISTUM Crucifixum; se simplicibus tantum verbis usum fuisse: se illis sapientiam hominibus tantum ignotam, & Divino Spiritui tantummodo cognitam; & quam carnalis homo assequi non valet, annunciasse.

1. ET ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis,
aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. 2 Non enim judica-
vi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.
3 Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos; 4 Et sermo
meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in
ostensione spiritus, & virtutis: 5 Ut fides vestra non sit in sapientia hominum,
sed in virtute Dei. 6 Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam vero
non hujus sæculi, qui destruuntur: 7 Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio,
quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, 8
Quam nemo principum hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, numquam Do-
minum gloriæ crucifixissent. 9 Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit,
nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui di-
ligunt illum: 10 Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum. Spiritus enim
omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 11 Quis enim hominum scit, quæ sunt ho-
minis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cogno-
vit, nisi spiritus Dei. 12 Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed
spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis: 13 Quæ
& loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spi-
ritualibus spiritualia comparantes. 14 Animalis autem homo non percipit ea, quæ
sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spirituali-
ter examinatur. 15 Spiritualis autem judicat omnia: & ipse a nemine judicatur.
16 Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum
Christi habemus.

℣. 1. CUM VENISSEM AD VOS.] Exemplo suo pergit ostendere, non humanam sapientiam, neque philosophiam, neque eloquentiam eas artes esse, quibus usus est Deus, ut populos ad fidem converteret. Vos ipsi, vos inquam, o Corinthii, Philosophicis argumentationibus, vel eloquentiæ vi ad fidem fuistis perducti? numquid ad vos accessi in ornatus dicendi lenociniis, aut illo argumentorum pondere, quod animos ciere, ac mentes movere valent? S. Paulus eloquens erat proculdubio, atque eruditus, ratiocinationis vi, atque vehementia pollebat: verum ejus eruditio Theologica potius erat, quam Philosophica; didicerat ipse Judæorum leges, & Religionem, Sacras Scripturas, atque Prophetas; verum non satis tenebat illa Philosophiæ scita, quæ a Græcis summo in honore habebantur; neque illius eloquentia cum affluenti dicendi copia, qua Oratores, & Philosophi in Græcia valebant, erat conferenda. Ille tamen Corinthios converterat, eosque & miraculis, & sermonum suorum vi adegerat, ut reciperent *testimonium Christi*; vel cum Græco textu [1], *testimonium Dei*, vel *mysterium Dei*, hoc est E- A vangelium [2], quod jam superiori capite ℣. 6. hoc nomine designavit.

℣. 2. NON ENIM JUDICAVI.] Si quid apud vos sciebam, hoc nihil esse putavi; scientiam meam, ut ita dicam, seposui, atque abscondi [3], ut vobiscum de uno tantum JESU CHRISTO verba facerem. En ad quid redactus fuerim, ad id videlicet, ut vos de JESU CHRISTI cruce erudirem. Aliter [4]: non credidi, opus esse, me aliud scire apud vos, quam JESUM CHRISTUM Crucifixum. Duxi hoc satis esse, superque, ut & in cruciatibus meis solatium aliquod invenirem, & vos his rudimentis imbuerem, cum minime pares fitis ad majora discenda. Vide infra ℣. 6. vel [5]: credidi, vos a me nequaquam de alia re esse edocendos: satis esse putavi, si hoc unum sciretis, JESUM videlicet B Crucifixum. Græcus non legit, *me scire*; sed tantum, *scire* [6].

℣. 3. IN INFIRMITATE, ET TIMORE.] Quamdiu Corinthi permansi, jugibus contumeliis, atque incommodis obnoxius fui [7], mihique patuit semper copia ea exercendi præcepta, quæ JESUS CHRISTUS in sua Passione reliquit. Perpetuæ oppositiones, quæ in me insur-

1 Μαρτύριον τοῦ Θεοῦ. Alii non pauci, μυστήριον τοῦ Θεοῦ. Ita Syr. Copht. Ambr. Alii Quid. Codd.
2 Theodoret. in textu, Grot. Est. Menoch. Vorst. 3 Est. Tir. Castal. Men. Justin.
4 Vide Ludov. de Dieu, Pagn. Grot. 5 Cnatchbull.
6 Οὐ γὰρ ἔκρινα τοῦ εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν. Plures omittunt τοῦ. Vide Mill. 7 Theodoret. hic. Grot. ad vers. 2 Justin. ita Chrysost.

insurgebant, cogebant me, ut ad alia prorsus, quam ad sermones eloquentes, fucatosque animum adverterem, atque in sermonibus, & colloquiis meis Philosophicam scientiam, atque profanam literaturam præ me ferrem. Ad id redactus fui, ut labore manuum mearum victum mihi compararem [1]. Judæorum [2], atque Gentilium opprobria pertuli; ad provinciæ Præsidem raptus fui [3], ac tandem inde abscedere coactus, ut infestissimorum inimicorum vim evitarem. Intelligunt alii verba hæc de statu humilitatis, modestiæ, paupertatis, ad quem S. Paulus se se Corinthi redegerat; nec non de assiduo timore, atque sollicitudine, ne vel aliquis pseudo-Apostolus illos in errorem induceret, vel illi ipsi fidem relinquerent, quam fuerant amplexi.

℣. 4. IN OSTENSIONE SPIRITUS, ET VIRTUTIS.] Hæc Dei virtus, non autem humana mea sapientia, aut eloquentia vos ad fidem convertit. *Ostensio Spiritus*, vel sensibiles Spiritus Sancti effectus sunt, vel supernaturalia Sancti Spiritus dona illis concessa, qui sacro regenerati fuerant Baptismate, vel S. Pauli zelus, vel prorsus Divina Spiritus Sancti virtus per illum eo loquentis, & persuadentis eos, ad quos loquebatur Apostolus: vel tandem veteris testamenti Prophetiæ, quas in JESU CHRISTI persona ad unguem adimpletas fuisse Paulus ostendebat [4]. Dei *virtus* significat miracula, quæ Corinthi S. Paulus operatus est ad ea, quæ prædicabat, confirmanda [5]. Non desunt [6], qui *ostensionem Spiritus, & virtutis* ita explicent, quasi legeremus: *ostensionem virtutis spiritualis*; cum ego probarem ea, quæ dicebam, factis prorsus mirabilibus, atque supernaturalibus effectibus.

℣. 5. UT FIDES VESTRA.] Si eloquentiæ suæ, & rationum vi, atque acumine usi fuissemus, credidisset fortasse quispiam, vos in errorem inductos fuisse; atque dolo, & calliditate in fidem illectos. At nihil tale afferri potest; fides vestra uni tantum veritatis vi, atque virtuti Spiritus Sancti innititur, qui luce sua quidem mentes vestras illustravit, igne vero vestra corda succendit [7].

℣. 6. SAPIENTIAM AUTEM LOQUIMUR INTER PERFECTOS.] Cum primum apud vos accessimus, minime pares eratis magnitudinis mysteriorum, quæ vobis detegere potuissemus; idcirco satis, superque duximus, si JESUM CHRISTUM crucifixum tantummodo vobis traderemus. Itaque ne arbitremini nos Philosophorum argumentis, atque Rhetorum præcepta minime uti, quod iisdem uti minime soleamus; etenim neque illud indiscriminatim vobis aperimus, quod sublimius, & gravius de hac Religione didicimus. Prudentiæ præcepta ducimur, atque nosmet ad captum auditorum nostrorum submittere novimus [8].

Græci Patres [9] hoc simpliciter de Evangelii prædicatione, & JESU CHRISTI Cruce intelligunt. Gentiles Evangelicam doctrinam, stultitiam esse putant; sed *perfecti* fideles, ii, qui sacris JESU CHRISTI mysteriis initiati sunt, hanc sapientiam, imo & perfectissimam sapientiam, arbitrantur. Alii [10] ita vertunt [11]: *sapientiam proponimus* in perfectissimis rebus. Apostolus hoc in capite hactenus de sue tantum doctrinæ loquitur, non autem de illorum, quibus prædicabat; de qua verba facit capite subsequenti, ubi ait, illos pueros adhuc esse in JESU CHRISTO. Ethnici hac eadem voce, quæ isthic occurrit, *perfecti*, Græce *Teleioi*, utebantur ad eos innuendos, qui abditissimis religionis suæ mysteriis, atque cæremoniis erant initiati; atque de industria ad eorum imitationem hac utitur voce S. Paulus, ut altissima nostra mysteria significet.

NON HUJUS SÆCULI, NEQUE PRINCIPUM HUJUS SÆCULI.] Hujus Mundi sapientia est politica, humana prudentia, Philosophia, eloquentia; sapientia vero *Principum hujus sæculi*, non alia prorsus est. Sapientes Philosophi, hujus Mundi nobiles [12] omnem gloriam suam in illa constituunt, & ad eam perdiscendam omne tempus, operamque transmittunt. Sunt [13], qui Principum hujus sæculi nomine, Dæmones intelligant; & sane Jesus in Evangelio non semel dæmonem hujus Mundi principem vocat [14]. Mundi sapientia, curiosæ artes, Philosophia quatenus vanis duntaxat detinetur objectis, atque humanæ tantum vanitati inservit, jure sapientia dæmonis principis hujus Mundi vocatur.

℣. 7. SED LOQUIMUR DEI SAPIENTIAM.] Sapientia, quam prædicamus, non est sapientia hujus sæculi, neque humanum inventum; sed Dei ipsius sapientia, ab æterno in mysterio ante abscondita, & diebus nostris per JESUM CHRISTUM manifestata, quam Deus mera largitatis suæ effectu nobis ante omnia sæcula prædestinavit, ac tandem aperuit, ut beati essemus, & nobis gloriam cum in hoc, tum in futuro sæculo adipisceremur. In hac quidem sapientia, non autem in vana mundi jactantia omnis gloria nostræ a nobis est constituenda.

℣. 8. QUAM NEMO PRINCIPUM HUJUS SÆCULI.] Hoc in loco *Principes hujus sæculi* ex Græcorum Patrum sententia [15], significant Pilatum, Herodem, Annam, Caipham, & alios, qui Dominicæ mortis fuere participes. Sed ex Latinorum [16] ac plurimorum Interpretum [17] auctoritate indigitant dæmones, qui fuerunt auctores mortis Domini nostri, quemadmodum non semel docet Evangelium [18]. Non dæmones, non Judæorum Principes, non Herodes, & Pilatus JESU CHRISTI Divinitatem cognoverunt, ubi illi mortem inflixerunt; licet enim summa eorum esset insania, minime fidei consonum est, futurum fuisse, ut eousque procederet, ut *Deum gloriæ* crucifigerent; hoc est JESUM CHRISTUM auctorem omnia gloriæ Sanctorum, & in hac vita, atque in æternitate, & qui per turpissimam Crucis suæ mortem maximam sibi, & verissimam gloriam comparavit, & nomen adeptus est, quod est super omne nomen [19]. Ex quibusdam locis Evangelii [20] videntur dæmonas non omnino ignorasse, JESUM CHRISTUM esse vere Dei Filium: tamen non constat, hoc illis prorsus compertum fuisse, ita ut omni penitus dubitatione caruerint. Hæc potius illis erat suspicio, non vera scientia.

℣. 9. SED SICUT SCRIPTUM EST: QUOD OCULUS NON VIDIT.] Locus ab Apostolo allatus legitur in Isaja 64. 4. ubi Propheta de ea loquens beatitudine, quam populo suo, qui Antiochi Epiphanis persecutionibus superstes fuisset, præparaverat Deus, hæc ait: *oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te*. Sed Apostolus huic loco non nihil addidit, atque ab Hebræo, & a Septuaginta textu recessit: quantum postremi legunt: *a mundi initio aures nostræ non audierunt, & oculi nostri non viderunt alium Deum præter te, & præter opera tua, quæ facis in eorum gratiam, qui tuam misericordiam expectant*. Hinc profectum est, ut Græci Patres, qui in Bibliis suis nuspiam

1 Act. 18. 3. 2 Act. 18. 6. 3 Ibid. vers. 12.
4 Origen. lib. 1. contra Cels. 5 Theodoret. alii. 6 Cast. Est. Pagnin.
7 Vide Est. Grot. Vatab. Men. Tir. &c. 8 Vide infra 3. 1. 13. 13. 14. 20. Heb. 5. 14. Est. Justin. Tirin. alii. 9 Vide Chrysostom. Theodoret. Theophylact. &c.
10 Castalio hic. 11 Σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις. 12 Chrys. Theodoret. & alii Græci.
13 Ambrosiast. Est. Men. alii passim. 14 Joan. 12. 31. 14. 30. 16. 11.
15 Origen. Homil. 2. in cant. Chrysostom. Theodoret. Vide & Tertull. lib. 5. cap. 6. contra Marcion. Vide & Grot. Vorst. Justin. Cornel. Selater. alios. 16 Ambrosiast. Hieronymiast. Leo Magn. serm. 9. 11. & 18. Innoc. 3. serm. fer. 5. post Dominic. 1. Quadrag. Div. Thom.
17 Cajet. Est. Haymo, Hervæus. 18 Luc. 22. 53. Joan. 8. 44. 13. 2. 14. 30.
19 Ita Interpp. Græci. 20 Marc. 3. 7. Matt. 8. 28. Marc. 1. 24. &c.

piam legebant hunc locum, quemadmodum a S. Paulo affertur, crediderunt ex apocryphis quibusdam libris [1], vel scriptis aliis, quæ interierant, fuisse desumptum; vel tandem Apostolum ex peculiari revelatione illud protulisse. Verum enim vero juxta Hebraici textus sententiam illum attulit S. Paulus, quin tamen mordicus hæreret Isajæ verbis, ad litteram legentis: *a sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te.*

℣. 10. NOBIS AUTEM REVELAVIT.] Non sensus, neque ratio nobis Christianæ Religionis mysteria detexit, sed Spiritus Sanctus ea nobis revelavit, qui de JESU CHRISTO dixit, Joann. 16. 13. *cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Spiritus enim omnia scrutatur [2], penetrat omnia, omnia novit. Non autem scrutatur, quasi aliquid ignoret [3], sed mysteria magis abscondita videt, cognoscit, intelligit [4], & non solum ea detegit, & per infinitam scientiam, atque Divinitatis suæ lumen cognoscit: sed illa etiam nobis aperit, nobisque revelat, atque nos ad eorum studium impellit; quemadmodum alio in loco dictum est [5]; *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem*; hoc est efficientem, ut clametis, *Abba Pater.*

℣. 11. QUIS ENIM HOMINUM SCIT?] Non secus ac humanum cor nemo scrutari potest, nisi ille, qui ibi cogitationes concipit, atque desideria; ita nemo Dei mysteria cognoscit, nisi Spiritus Dei, qui est in Deo, qui & ipse Deus est, quia Patre, & Filio procedit; & qui est consubstantialis [6] utrique.

Hic est ille Spiritus Sanctus, qui nos erudit, qui fidei mysteria aperit, qui bonorum supernaturalium cognitionem, atque amorem infundit. Ita Salvator ait in Evangelio, Matth. 11. 27. *nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.*

℣. 12. NOS AUTEM NON SPIRITUM HUJUS MUNDI [7].] Ego vero certus sum ejus veritatis, quam vobis dico, quoniam recepi spiritum Dei, Spiritum veritatis, qui nobis secretissima quælibet, atque altissima detegit. Non loquimur per Spiritum hujus mundi [8], spiritum erroris, mendacii, vanitatis, nequitiæ, neque per proprii Spiritus nostri motum, neque tandem per cognitionem mere humanam, studio, vel naturali lumine acquisitam. Quæcumque dixi, ea Divino, Prophetico, & supernaturali lumine afflatus dixi: cumque certo scirem mihi adesse Omnipotentem hunc Spiritum; non laboravi, ut aliquid expolitum industria, atque ingenio perfectum afferrem. Spiritus Sanctus recta ad cor permeat, atque omnibus hilem breviores sibi aperit vias; quandoquidem mente, animoque nostro potitur, inspirationum lumine; atque præceptorum suorum virtute. ℣. 13. *Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus* [9].

℣. 13. SPIRITUALIBUS SPIRITUALIA COMPARANTES.] Spiritualia spirituali ratione tractantes; vel, spiritualia spiritualibus hominibus explicantes. Apostoli, Apostolicique viri Dei spiritu repleti sese submittunt ad captum eorum, quos alloquuntur, iisque veritates, quas capere possunt, & quibus indigent, apte distribuunt. Videtur S. Paulus objectionem prævertere, quæ sibi a Corinthiis effici poterat. Si Dei Spiritu repletus es, qualem te fers; atque altissima quævis mysteria scrutaris, cur igitur hæc adeo sublimia non aperis mysteria; & cur prædicas nobis tantummodo JESUM CHRISTUM Crucifixum? hoc facio, inquit Apostolus, quia spiritualia spiritualibus hominibus aptare novi. Græcus verti potest [10]; *spiritualibus spiritualia explicantes*; quod a nuper proposito sensu minime abludit. Alii vertunt: *spiritualia cum aliis spiritualibus rebus conferentes*. Comparantes ea, quæ Prophetæ portenderunt cum iis, quæ JESUS CHRISTUS in terris, & dixit, & fecit; ostendentes in JESU CHRISTO promissiones, atque prædictiones esse perfecte adimpletas [11]. Aliter [12]; spiritualia tractantes eo modo, qui maxime illorum naturæ par sit; & iis verbis, quæ illa maxime decent. Sensus, quem primum attulimus, melior videtur.

℣. 14. ANIMALIS HOMO NON PERCIPIT.] Superiori versiculo dixit, se se ad auditorum suorum captum submittere, ut illos erudiat, eisque religionis detegat mysteria. Nunc vero facti hujus rationem reddit: quod videlicet homo, qui spiritualis non est, & qui nondum Divini Spiritus unctionem recepit, par esse minime potest iis veritatibus intelligendis, quæ sublimiores ipsi possent aperiri. Cibus hic nimis solidus est, atque stomachum ejus opprimeret, potius quam nutriret; quod ipsum & sequenti capite ostendit. Igitur *animalis homo* hoc in loco ille est, qui naturalis tantum luminis, vel humanam rationem consulit [13]; longe alius ab eo, qui alibi *carnalis homo* vocatur [14]; qui carnis affectibus sese mancipat, & qui in vitæ suæ ratione carnem sequitur dumtaxat, & sanguinem. Fatendum est tamen, sæpius *animalem hominem*, & *hominem carnalem* ipsum significare. S. Judas in Epistola sua ℣. 19. animalem hominem illum appellat, qui caret Spiritu Sancto: *animales spiritum non habentes*; quod hoc in loco a S. Pauli sententia non abhorret.

℣. 15. SPIRITUALIS AUTEM JUDICAT OMNIA.] Qui Spiritum Sanctum recepit, qui novit Dei eiae, de omnibus judicat, summorum mysteriorum, sublimiorumque veritatum cognitionem assequitur. Nihil est, de quo loqui minime possit, quoniam ille satis sapientiæ obtinet, ut ea, quæ sibi proponuntur, intelligat; *& ipse a nemine judicatur*, a nemine reprehendi, & damnari potest; neque illius mores carpi, neque sententiæ redargui possunt, quia positæ sunt extra captum hominum carnalium, & necessario a spiritualibus hominibus approbantur [15]. Nullus est in judiciis ejus error, nulla in moribus labes; certus est in judiciis suis, constans in consiliis, neque hominum opinioni adhæret, neque illorum libidinem sequitur. Græcus verti potest [16]; *spiritualis de omnibus judicat, & de nullo judicatur*; omnia judicio illius subjecta sunt; ipse vero nulli est judicio subjectus. Alios erudit, non eruditur ab aliis; nisi alter hic, a quo eruditur, fuerit spiritualis: nihil enim obest, quominus homo spiritua-

---

1 Hieronym. in Isai. 64. 4. Theodoret. hic, & Chrysost. Origenes, & alii quidam veteres crediderunt, id depromptum ex libro apocrypho, cui titulus: Apocalypsis Eliæ. Putat Grotius, id accepisse S. Paulum e scriptis Rabbinorum: qui illud per veterem traditionem habebant. Sed evidens est Isaiæ 64. locum respexisse.
2 Τὸ γὰρ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ. 3 Theodoret. Justin. Est. Menoch.
4 Vide Estium hic. 5 Galat. 4. 6. Rom. 8. 15. 6 Vide Theodoret. hic, Tertull. advers. Hermogen. cap. 18. & contra Praxeam, cap. 18. 7 Ἡμεῖς δὲ οὐ τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου ἐλάβομεν. Ita Syr. & Cold. Quid. Latini, omisso hujus: Sed Clar. & S. Germ. GG. LL. Borner. G L. Ambros. Copht. cum Vulg. legunt: hujus, etc. 8 Vide 1. Joan. 4. 4. 5. 6. & 5. 19. & 2. Reg. 22. 28. Joan. 8. 45.
9 Græc. Οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου. *Non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctis Spiritus sancti*, (supple *verbis*). Id est eo *sermone, quem docuit Spiritus sanctus*. Quidam: Ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος. Quam plurimi omittunt ἁγίου. Vide Mill.
10 Πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες. Grot. & Hrins. συγκρίνειν, ponitur pro explicare, Genes. 40. 8. 16. 22. & 41. 12. 13. 15. & Dan. 5. 13. 17. 11 Ita Chrysost. Theodoret. Alii Græci.
12 Est. Menoc. Justin. Bez. Vorst. Tir. alii.
13 Vide Grot. hic. & Est. & Theodoret. ex Chrysost. August. plurib. locis.
14 Vide Rom. 7. 14. & 1. Petri 2. 11. 15 Aug. Justini. Grot. Est. Vat. alii.
16 Ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται.

ritualis alterum hominem, & ipsum spiritualem judicet [a]; nam in hoc statu plures sunt gradus spiritualitatis, atque perfectionis.

℣. 16. QUIS ENIM COGNOVIT SENSUM DOMINI?] Adfert rationem eorum, quæ nuper dixit, spiritualem videlicet hominem a nemine judicari. Ille Domini Spiritu repletus est, illius arcana scrutatus est, quis vero audeat cum illo ingredi in judicium; ejusque vias, & sensus corripere? qui eas redarguere velit, illas agnoscet, oportet: at *quis cognovit sensum Domini, qui* A *instruat eum?* Hæc desumpta sunt ex Isaja [a]. Addit Apostolus: *nos autem sensum Christi habemus*. Ita putamus, nos esse homines spirituales, religionis mysteria nosse, eadem scrutari posse, & scire, quando, quomodo, & quibus illa sint detegenda. Scimus, quid deceat illos, qui erudiuntur a nobis; quid illi capiant, & cujus egeant; ita uni tantum Deo rationem reddere tenemur modi illius, quo alios erudimus, & aliis veritates detegimus.

---

1 Chrysostom. Theophylact. Vide & Theodoret.

a Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου, ὃς συμβιβάσει αὐτόν. *Quis novit sensum Domini, qui instruat, vel convincat, vel ad consensum deducat eum?* Isai. 40. 13. Τίς ἔγνω νοῦν Κυρίου, καὶ τίς αὐτοῦ σύμβουλος ἐγένετο.

C A P U T III.

Corinthii adhuc carnales spiritualia, atque sublimia documenta recipere non potuerunt. Contentiones apud illos obortæ. JESUS CHRISTUS unicum est fundamentum. Ædificium, quod super illud extruitur, igni probabitur. Non est violandum Dei Templum, quod in nobis est. Hujus mundi sapientia aufe- retur. Gloria in hominibus ponenda non est.

1 ET ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo, 2 Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. 3 Cum enim sit inter vos zelus, & contentio: nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? 4 Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli: alius autem, Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? 5 Ministri ejus, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. 6 Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit. 7 Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus. 8 Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 9 Dei enim sumus adjutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. 10 Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Unusquisque autem videat, quomodo superædificet. 11 Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. 12 Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, 13 Uniuscujusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. 14 Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. 15 Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 16 Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? 17 Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. 18 Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. 19 Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. 20 Et iterum: Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. 21 Nemo itaque glorietur in hominibus. 22 Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt: 23 Vos autem Christi: Christus autem Dei.

℣. 1. NON POTUI LOQUI VOBIS QUASI SPIRITUALIBUS.] Pergit S. Paulus Corinthiis rationem reddere viæ illius, cui institit, illis Evangelium annuncians. A Si statim magis sublimes Christianæ religionis veritates vobis minime aperui, atque JESUM CHRISTUM Crucifixum tantummodo vobis prædicavi, ne arbitremini, me sublimiora vobis mysteria annuntiare non

potuisse; sed vos illis pares nondum eratis: vestræ infirmitati parcebam, & perperam pseudo-Apostoli ex mei nominis detrimento famam sibi aucupantur. Illis minime inferior sum: & si vobiscum memet submisi; id intendi, ut captui vestro accomodarer, tempus expectans, quo in fide magis confirmati essetis, atque majori Spiritus Sancti lumine donati. Passi estis, novos quosdam Prædicatores vobis os sublinire; magnitudo mysteriorum, quæ vobis annunciarunt, vos perculit, atque illi nimium festinarunt, rati, vos satis esse spirituales: sed docuit eventus, vos adhuc omnino carnales esse; nam inde inter vos oborta sunt dissidia, & contentiones.

TAMQUAM PARVULIS IN CHRISTO.] Neophytis, hominibus adhuc imperfectis, atque in iis, quæ ad Deum pertinent, rudibus [1]. Lacte, non solidis escis nutriendi eratis; simplicibus, communibus, atque familiaribus præceptis: non autem sublimibus, ac nimis spiritualibus veritatibus indigebatis. Sæpius hac utitur similitudine [2]. Qualitas hæc *parvulorum in Jesu Christo*, Corinthiorum merito, atque pietati non derogat; quos ille *divites in Christo* alibi esse fatetur cap. 1. ℣. 5. Ita S. Ignatius scribens ad Trallianos, illos adhue Dei parvulos in Jesu Christo appellat, & nihilo minus tamquam Deo dignos, & summæ pietatis viros commendat.

℣. 2. LAC POTUM VOBIS DEDI, NON ESCAM:] communes videlicet veritates atque idoneas captui novorum, qui minus profecerunt; easque rudi & pingui, ut ajunt, minerva vobis proposui, ut me ad infirmiorum, atque tenuiorum captum submitterem. Majores veritates in aliud tempus, in provectiorem ætatem, in statum perfectiorem reservo [3]; sed ex iis contentionibus, quæ inter vos obrepserunt, intelligo, vos adhuc admodum infirmos esse, neque esse pares, ut fructum feraris ea iis, quæ magis sublimia vobis dicere possem. Olim nutrices mandebant, quæ deinde alumnis suis traderent manducanda [4], ab ubere jam depulsis.

℣. 3. ADHUC ENIM CARNALES ESTIS.] Nondum repleti estis Spiritu Sancto, neque mundati, quemadmodum oporteret, ut spiritualia intelligeretis. Inde vero probantur, quæ dico, quod *est inter vos zelus & contentio* [5]: contentiones enim opera sunt carnis; & humani Spiritus, non Divini. Illi, in quibus charitas, & cordis, atque mentis regnat integritas, nihil umquam simile audebunt. *Carnalis* hoc in loco idem significat, ac *animalis* cap. 2. ℣. 14.

℣. 4. NONNE HOMINES ESTIS?] nonne homo, carno, humani sensus, vigent in vobis? Græcus [6]: *nonne carnales estis?* oportet, vos nondum in Christianæ religionis perfectione profecisse, hæc enim audiuntur inter vos: *ego quidem sum Pauli, ego Apollo*, quasi Paulus [6], & Apollo vestri essent Magistri, & capita vestra. Hi sermones profecto ex summa inscitia vestra, atque philautia proficiscuntur.

℣. 5. MINISTRI EJUS, CUI CREDIDISTIS [7].] Illi ne umquam extiterunt homines, qui summis cumulati beneficiis a Principe aliquo, vel amico, illius obliviscentur, a quo beneficia receperunt, atque putarent de se optime meritum esse aliquem ex servis illius, qui gratificatus est? Apollo & ego non aliud sumus, quam instrumenta, quibus usus est, ut vos ad fidem perduceret. Græcus [8]: *hi sunt Ministri, quorum opera credidistis*.

℣. 6. EGO PLANTAVI:] ego primus Corinthi prædicavi: *Apollo rigavit*, hic venit post me, & ea, quæ plantaveram, irrigavit: sed neque illo, neque ego effecimus, ut in cordibus vestris fides oriretur, mentem vestram non illustravimus, voluntatem vestram non movimus; sed Deus suam in labores nostros benedictionem effudit, & vos ad fidem efficaciter appellavit [9]. Possumus quidem ad aures cordis vestri loqui, atque mentis vestræ superficiem ciere. Possumus etiam persuadere; sed efficere, ut eo modo credatis quo æternam vitam promereamini; vobis ardentem fidem, atque charitatis igne succensam injicere; efficere, ut Idolorum cultum, atque omnia vitæ flagitia deseratis, hoc quidem Dei unius opus est [10].

℣. 8. QUI PLANTAT, & QUI RIGAT UNUM SUNT.] Quoad ministerium uterque sunt æque servi Dei; neuter vos convertit; neuter cor vestrum movet; sed instrumenta sunt, quibus utitur Deus, ut vobis opituletur, & vos erudiat; cum ipse ad cor vobis loquatur, atque gratiæ suæ illecebris ad se vos trahat [11].

SECUNDUM SUUM LABOREM.] Deus servis suis nequaquam remuneratur secundum laborum ipsorum effectum; effectus enim ab illo uno pendet: sed illis remuneratur secundum laborem, licet etiam labor minime felix extiterit. Exteriores operis eventus nequaquam meritum actionis imminuit [12] coram Deo; & licet cum Prædicatoris vel Apostoli alicujus labores coronat, propria coronet dona, & gratias a se illis collatas; mavult tamen rationem habere laboris, quod illa impenderit, ut & gratiæ cooperaretur, & Divini Spiritus impulsum sequeretur. Illæ enim actiones, quæ coram Deo fiunt, & quæ charitate animatæ sunt, æternam felicitatem solæ merentur [13].

℣. 9. DEI ENIM SUMUS ADJUTORES [14]:] non quod Deus nostro indigeat auxilio, & quod sine nobis nihil facere possit [15]: nobis solum, tamquam liberis, atque animatis instrumentis, uti dignatur. Sine illius ope nihil adniti possumus, quod vel nobis, vel aliis proficiat. Malis sæpe utitur Ministris Deus, ut electorum suorum consulat felicitati. Non igitur semper argumento esse potest, nos a Deo probari, cum nobis utitur Deus; neque certi esse possumus, nos illum remuneraturum, cum insignes eventus labores nostros excipiunt. Gloriæ suæ mercedem iis tantum actionibus conferet, quæ per Spiritum ipsius fuerint productæ.

DEI AGRICULTURA ESTIS.] Prædicatores, & Apostoli sunt veluti servi, quibus utitur Deus ad agrum suum colendum, exercendumque; ad lapides ædificii sui cædendos, eosque in ordinem collocandos. Ideoque neque Petrus, neque Paulus, neque Cephas, neque Apollo gloriæ sibi vertere debent, vel messis lætissimam copiam, vel pulcherrimam ædificii structuram: sed omnis Agricolæ, omnis Architecto gloria debetur.

℣. 10. SECUNDUM GRATIAM DEI.] Superiori versiculo dixit, Deum Architectum esse, qui ædificat, vel

1 Clem. Alex. Pedag. lib. 1. cap. 6. 2 Vide sup. 2. 6. 15. 16. Ephes. 4. 13. Hebr. 5. 14.
3 Origen. lib. 3. contra Cels. 4 Theophrast. Caract.
5 Græc. Ζῆλος, καὶ ἔρις, καὶ διχοστασίαι. *Æmulatio, contentio & dissensiones*. Verum neque MS. Alexand. neque Coph. Æthiop. & Clemens Alexand. pluresque Auctores legunt vocem, διχοστασίαι, *dissensiones*.
6 Galat. 5. 20. 7 Οὐχὶ σαρκικοί ἐστε. Sed MSS. Alexan. Clarom. & S. Germ. GG. LL. Borner. G. L. Barber. 1. Copht. Æthiop. August. Ambros. *Homines estis*, ἄνθρωποι ἐστε.
8 Ἀλλ' ἢ διάκονοι δι' ὧν ἐπιστεύσατε. Sed Clarom. & S. Germ. Lat. Ambrosiast. Hieronymiast. August. Vulg. *Ejus cui credidistis*. Velez. αὐτῷ ᾧ ἐπιστεύσατε. 9 Vide August. contra 2. Epist. Petil. cap. 54. & tract. 20. in Joan. & tract. 7. in Epist. 1. Joan. *Ministeria forinsecus adjutoria sunt, & admonitiones; cathedram tamen in cælo habet, qui corda docet. Sic sunt hæc verba quæ forinsecus dicimus, quomodo est agricola ad arborem. Forinsecus enim agricola operatur, sed tamen poma non format*. Ita D. Thom. Est. Justin. alii.
10 Clem. Alex. Theodoret. Est. Men. alii. 11 August. lib. de Grat. Christi Pelag. & Celest. cap. 25. n. 38. *An credat aliquod adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ, atque luminosissimæ charitatis*. 12 Vide Chrysost. hic. & Theodoret. & alios.
13 D. Thom. Dionys. Carth. Est.
14 Συνεργοί. Cooperatores, operis adjutores. 15 Theodoret. Est. Isai. 40. 13. *Quis adjuvit Spiritum Domini?* Greg. Magn. lib. 3. 17. Moral. in Job. cap. 11.

vel qui ædificantibus præest: hic vero se ipsum & scitum Architectum esse profitetur: *ut sapiens Architectus fundamentum posui*. Sed hanc sibi constat qualitatem, dicens, se Architectum esse ex mera Dei gratia; atque ita Deo uni omnem laboris sui gloriam refert acceptam [1]. Ego jeci spiritualis vestri ædificii fundamenta: sed jussu Dei, & cum ejus auxilio. Ille me ad Apostolatum vocavit, ille me ad prædicandum misit, ille super labores meos suas benedictiones effudit.

ALIUS AUTEM SUPERÆDIFICAT.] Apollo, aliique Evangelii præcones post me venerunt, & super fundamentum a me positum ædificarunt: *unusquisque autem videat, quomodo superædificet*, quænam sit doctrina, & fides sua, quænam sententiæ suæ, quænam vivendi ratio [2]. Fundamentum quidem inconcussum est: ego certus sum ejus fidei, quam vobis prædicavi, atque ejus vivendi rationis, quam vobis imposui: verum de aliorum prædicatorum doctrina vobis rationem reddere meum non est; Dei est, de eadem judicium ferre. Si pro lapidibus solidis, atque marmoreis ligna fœnum, stipulas, lutumque male compactum adhibuerint, quamprimum eorum corruet ædificium; vel statim flammis assumetur. Si pro doctrina sana, atque ex puris Scripturarum fontibus hausta vanam scientiam, atque Philosophiam prorsus profanam effuderint; si quin loquantur Spiritus Sancti lumina afflari, se vanitate atque dominandi desiderio & curiositate abripi passi fuerint; quamprimum omnes labores sui auferentur, atque ædificium subvertetur. Veteres quamplures [3], & recentiores nonnulli pro hoc ædificio, quod super fundamentum jam positum superstruitur, intelligunt bonas actiones, quas singuli proferunt post fidem acceptam, & post baptismatis regenerationem. Sed mihi magis arridet prior explicatio, quæ hoc de doctrina interpretatur.

℣. 11. FUNDAMENTUM ALIUD NEMO POTEST PONERE.] *Non potest*, hoc in loco significat *non debet*, non secus hat ℣. 1. *non potui vobis loqui quasi spiritualibus*; hoc est, minime debui: & 1. Cor. 10. 21. *non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum*; hoc est Domini cultus cum Dæmonis cultu vobis permiscendus non est. Significat ergo Apostolus, Prædicatores, qui post illum venerunt, non aliam debuisse doctrinam docere, nec alia lingua loqui; JESUM CHRISTUM fundamentum esse a se positum, & futurum ut ædificium minime vigeat, si ab illis aliud fuerit prædicatum.

℣. 12. SI QUIS SUPERÆDIFICAT.] Variæ sunt hoc in loco interpretum sententiæ, quemadmodum ℣. 10. innuimus. Græci Patres [4] hoc vulgo de bonis pravisque actionibus explicant, quæ post acceptum baptisma, & post Christianæ Religionis professionem efficimus. Sed Latini Patres [5], & post illos non pauci Interpretes de bona, vel mala intelligunt doctrina, quæ infunditur illis, qui fidei rudimenta ex Apostolorum, vel Apostolicorum virorum prædicatione acceperunt. Hoc vel maximum erat malum, primis illis Ecclesiæ temporibus, cum pseudo-Apostolorum multitudo, qui ex Synagoga exstiterant, se se inferre cupiebant quocumque; ac præcipue ad Gentiles conversos sequi cupiebant, asserentes, sine Mosaycæ legis observantia cætera quævis minime profutura. Adversus hos in plerisque Epistolis suis pugnat Apostolus, & hi illi sunt, quos dicit super fundamentum a se positum ligna, stipulas, ac paleas superædificare. Sancti Augustinus [6], & Gregorius magnus [7]: *auri, argenti, & lapidum pretiosorum*, nomine bona intelligunt opera, quæ æternam nobis salutem promerentur; nomine vero *lignorum fœni, & stipulæ*, venialia peccata, atque terrenarum rerum amorem.

℣. 13. DIES ENIM DOMINI [8] DECLARABIT.] Dies Domini est dies judicii [9]. Ignis, quo vorabuntur ea omnia, quæ terram obambiunt, & qui terribilem eum diem præcedet, deteget, quæcumque super hoc fundamentum ædificata fuerint, non autem ea se; ignis enim non aget directe in spiritus, & conscientias, ut quod ignorant, intelligant; sed illum statim subsequetur universale judicium, in quo libri omnes patebunt, & Deus abditissimos sensus, & secretissimas veritates aperiat. Tunc bonus a malo Prædicatore secernetur; verus fidelis, qui fortiter fundamento, ac veritati adhæsit, ab eo, qui omni vento doctrinæ circumferri passus est, & qui nimia cum facilitate in corde suo lolium cum tritico admisit.

Alii [10] hunc diem explicant de afflictionis, persecutionis, atque tentationis die. Ubi hujusmodi urget occasio, justus ab hypocrita secernitur; verus Apostolus a tenebrione; ovis vera a Lupo, ovina pelle contecto [11]. Alii [12] omnino simpliciter ita explicant: tempus ostendet, quid illi fiat. Veritas, ut est in adagio, temporis est filia: Tempus omnia, licet abditissima, profert in apricum. Alii [13] hoc explicant de ultione Dei contra Judæos, atque fictos primi Sæculi Christianos exercenda, qui nequitia sua apud Gentiles Christianæ Religioni odium conflabant. Non desunt denique [14], qui hoc intelligant de Spiritu Sancto, vel de lumine Verbi Dei, quod in Ecclesia effulget, & efficit, ut temporis decursu diligentius ad examen vocentur doctorum sententiæ, & si quæ a veritate, & a fide aberraverint, explodantur. Profecto hodie quamplurimæ ablatæ sunt fallaces opiniones, quæ passim primis Ecclesiæ Sæculis percrebuerant.

Probatior, atque aptior ea videtur opinio, quæ Diem Domini de novissimo explicat Judicio, & ignem, quo ligna, stipula, & fœnum sunt absumenda, de flammis intelligit, quæ ante novissimum diem in terris ardebunt. Hic ignis omnes iniquitates assumet, omnes peccati sordes, quæ reliquæ erunt, expiabit [15], ita ut post illud tempus Purgatorium jam desinat, & Justi omnes beatitudine perfruantur. Patres, atque Theologi abeunt in diversa, explicantes hunc ignem, quo animæ post mortem sunt expiandæ. Credunt quidam, omnes animas, illas etiam Sanctissimorum virorum, ubi de hoc Mundo egrediuntur, per hunc ignem traduci, antequam ad Cœlum perveniant: alii vero [16] id explicant de igne Purgatorii, quo plerique eorum etiam, qui in justitia vixerunt, peccatorum suorum reliquias expiare censentur. Divus Chrysostomus, Theophylactus, aliique Græci hoc explicant de igne inferni, quo reprobi torquentur, atque æternum torquebuntur.

℣. 14. SI CUJUS OPUS MANSERIT; Si super fundamentum ædificaverit aurum, argentum, lapidesque pretiosos; hoc permanebit, & ille mercedem recipiet. Si Doctor est bonus, atque fidelis; si doctrina ejus pura est, sana, atque integra; Deus rationem habebit labo-

1 Chrysost. Theodoret. Est. Grot. Justin. alii.
2 Vide Primas. D. Thom. Ambrosiast. Herva. Est. Grot. Justinian.
3 Chrysost. Theodoret. alii Græci antiqui & recentiores. 4 Chrysost. Theodoret. Theophyl. & alii.
5 Ambrosiast. Sedul. Hervæus, D. Thom. Lyran. Carthus. Cajet. Est. Menoch. Justinian. alii.
6 August. lib. de Fide & operib. cap. 16. Enchirid. cap. 28. in Psalm. 37. & 80.
7 Greg. Magn. lib. 4. Dialog. c. 39. 8 Græc. Ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει. *Dies enim declarabit*; non legit, *Domini*, neque occurrit in vetustioribus MSS. Græcis, neque in pluribus Latinis.
9 Ita Chrysost. Theodoret. Alii Græci. Aug. Enchirid. cap. 68. Greg. lib. 4. Dialog. Sedul. Haymo, Hervæus, Carthus. Est. alii plures. 10 August. & Greg. Magn. locis citatis.
11 Joan. 10. 12. 12 Grot. Vorst. Sclater. Calv. 13 Hamm. Ligfoot.
14 Calv. Paræ. Vorst. Pisc. Sclater. Le Clerc.
15 Origen. in Luc. homil. 14. Hilar. in Psal. 117. litt. 3. n. 12. Ambros. in Psal. 36. & in Psal. 118. serm. 3. & 20. Lactant. lib. 7. cap. 21. Basil. in Isai. 4. Rupert. lib. 2. in Genes. cap. 32. Eucher. homil. 3. de Epiph. Domini. Alcuin. lib. 3. Trinit. cap. 21. 16 Concil. Florentin. Ambros. Theodoret. D. Thom. alii, quos vide apud Bellarm. de Purgatorio, & Salmeron. hic.

laboris sui, eumque egregie remunerabitur.

℣. 15. Si cujus opus arserit.] Si quis super bonum fundamentum ædificans stipulas tantum, ac fœnum congesserit; hoc est, si humanam tantum, inanem, vacuamque doctrinam prædicaverit, *detrimentum patietur*; opus suum non vigebit, neque ille laborum suorum mercedem ullam inveniet: *ipse tamen salvus erit; sic tamen quasi per ignem*: Non secus ac homo ambustus, qui per incendium aufugit, id unum quærens, ut per flammas viam sibi aperiat, nihil eorum curans, quæ in domo relinquit [1]. Aufugere per ignem, adagialis est loquendi ratio; cujus exempla cum apud sacros, tum apud profanos auctores reperies. Amos c. 4. 2. & Zacharias c. 3. ita loquuntur: *facti estis, ut torris raptus ex incendio*. Et S. Judas ℣. 23. *& hos quidem arguite judicatos, illos vero salvate de igne rapientes*. Apud Titum Livium l. 22. c. 40. Paulus Æmilius se ait *populari incendio priore consulatu semiustum effugisse*. Cicero de vita humana disserens ait, melius fore, si nati non essemus, nam ubi quis natus est, si quamprimum ex hac vita fuerit ereptus, atque ex manibus Fortunæ tamquam ex incendio elapsus, præclare sibi factum debet existimare [2]: *tamquam ex incendio aufugere Fortunæ*. Eadem etiam cogitatione proposita ad mortis contemptum S. Cyprianus ep. 66. hortatur: *exeundum est velociter de incendio fortuna, priusquam flammis supervenientibus concrememur; nemo diu tutus est periculo proximus*.

Ignis, de quo S. Paulus loquitur, ex Patrum, atque Theologorum Catholicorum sententia ignis est Purgatorii. Mali doctores, hypocritæ, nebulones, lupi, qui ovile ingrediuntur, ut mactent, jugulent, occidant; in infernum præcipites dabuntur, ibi æternum cremandi; nam quum aliquid super bonum fundamentum ædificarent, quantum in ipsis fuit, illud ipsum everterunt, atque stirpitus convulserunt. Vide infra ℣. 17. At alii Prædicatores, qui per infirmitatem, vel nimiam scientiæ, aut humanæ eloquentiæ suæ existimationem super illud fundamentum stipulas fœnumque congesserunt, salvi erunt, *sic tamen quasi per ignem*; judicium, ac debitam sibi pœnam minime effugient; sed eorum infirmitati Deus condonabit. Hæc omnia in altera vita fiunt per ignem Purgatorii, post mortem singulorum; & fient etiam sub finem sæculorum ante generalem resurrectionem per ignem illum, de quo ℣. 13. loquuti sumus [3].

℣. 16. Nescitis, quia Templum Dei estis?] Hactenus de Templi fundamento, atque ædificio verba fecit: Jesus Christus est fundamentum, Apostoli sunt ædificatores, Ecclesia ædificium, & fideles singuli tamquam lapides in Templi hujus ædificatione adhibentur [4]. Omnes simul, & singuli seorsim Templum sunt Dei, quoniam Spiritus Sanctus in illis inhabitat. Cum superius ædificantium genera exposuerit, eorum isthic exponit officia, qui Templa sunt Domini viventia. Vos autem Fratres mei, qui Templum Dei estis, ædificatum super fundamentum Prophetarum, Apostolorum, & Jesu Christi [5]; fidei puritatem atque morum integritatem servate. Effugite hos pseudo Apostolos, quorum alii quidem evertere tantum quærunt, alii vero fœnum, ligna, atque stipulas dumtaxat super fundamentum congerunt. Vos inquam constantes estote in ea fide, quam recepistis ex nobis, neque omni vento doctrinæ circumferri patiamini [6].

Spiritus Dei habitat in vobis.] Per gratiam, per spiritualia sua dona, per seipsum. Cap. 6. 19. ait, Fideles repletos esse Spiritu Sancto; ergo Spiritus

A Sanctus est Deus [7]; quoniam cum simus Templa Spiritus Sancti, Dei Templa sumus. Arca fœderis in Templo Jerusalem quoddam erat veluti pignus præsentiæ Dei: at Spiritus Sanctus, qui nos animat, qui nos regit, qui nos sanctificat, non solum pignus est atque nota præsentiæ Dei in nobis; sed est ipse Deus habitans in cordibus nostris.

℣. 17. Si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus [8].] Spirituale Ecclesiæ Templum violatur perversis, atque perniciosis doctrinis, quæ ædificium subvertunt, atque ipsa fundamenta concutiunt; violatur, cum prava invehuntur exempla, atque periculosa præcepta: violatur, cum tumultus, atque dissidia feruntur, & scandala præbentur. Quilibet tandem interius Templum suum violat,
B ejusque sanctitatem corrumpit depravatis moribus, atque flagitiosa vivendi ratione. Hujusmodi vero homines nequaquam salvi fient, quasi per flammas transeuntes; sed æternum peribunt. *Disperdet illum Deus*.

℣. 18. Nemo se seducat.] Postquam illos contra falsos Doctores præmonuit, eosdem hortatur, ut caveant a semetipsis, a curiositate, superbia, philautia. Corinthii sapientiæ, vel philosophiæ, eloquentiæ, atque difficilium scientiarum laudem sibi maxime vendicabant: illis ergo detegit Apostolus ea pericula, quæ in hoc laudis amore, qui tantam præseferre videtur integritatem, delitescunt. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo; stultus fiat, ut sit sapiens*. Si litteraturam, philosophiam, eloquentiam, & ea quæ mortales habent in pretio, jactitatis, omnia hæc
C inania studia relinquite, ut veram sapientiam, videlicet sapientiam Crucis Jesu Christi amplectamini. Scientias nauci ducendas esse existimate, ubi cum scientia salutis atque Evangelii comparentur. Si mundus hanc stultitiam appellat, ne vos pudeat, mundo in hoc sensu stultos videri.

℣. 19. Sapientia enim hujus mundi.] Si Crucis sapientia stultitia est in oculis hominum; vicissim & Mundi sapientia stultitia est in oculis Dei. Hoc unum agitur, ut nempe videamus, utet Deus ne, an mundus in judicio suo falli possit; duo enim contraria adeo opposita, utraque vera simul esse non possunt. Scriptura sane Deo litem adjudicat: *comprehendam sapientes in astutia eorum*. Ostendam, omnem illorum prudentiam errorem esse, atque cæcitatem. Principes Sa-
D cerdotum futurum crediderunt, ut ablato Jesu Christo illius Ecclesiam auferrent: quæ res immo eamdem constituit. Censuerunt Imperatores, a Republica esse, veterem Religionem tueri, Christianam vero omnibus viribus, & conatibus persequi: sed persecutiones Ethnicam quidem Religionem deleverunt; Ecclesiam vero magis magisque confirmarunt. Philosophi omnem eloquentiæ vim, argumentorum robur, eruditionum supellectilem, nominis sui authoritatem impenderunt, ut sententias, quas afferebant, probarent: sed votis suis exciderant: Jesus Christus hæc omnia humana adminicula contempsit, atque in ipsa Idololatriæ, Philosophiæ, atque diabolici regni ruina, suam Ecclesiam constituit.

℣. 20. Dominus novit cogitationes sapien-
E tium.] Psalmus 94. 21. ad litteram legit: *cogitationes hominum*: sed Textus, aliæque circumstantiæ satis ostendunt, ibi præsertim agi de cogitationibus, consiliis hominum secundum carnem prudentium.

℣. 21. Nemo itaque glorietur.] Nemo dicat amplius, ego sum Pauli, ego Apollinis; nemo magistrum suum super cæteros extollat, neque in Ecclesiam,

1 Vide Hamm. hic. 2 Cicero de Consolatione. 3 August. lib. 21. de Civ. cap. 13. & 16. & Est. hic. 4 1. Petr. 2. 4. 5. *Et vos tamquam lapides vivi superædificamini*.

5 Ephes. 2. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. 6 Ephes. 4. 14. *Et circumferamur omni vento doctrinæ*.

7 August. lib. 3. contra Maximin. cap. 21. 8 Εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει, φθερεῖ τοῦτον ὁ Θεός. *Si quis Templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus*. *Quod verbum metuentes multi Latini Interpretes, noluerunt dicere corrumpet, sed disperdet illum Deus. Et non devitantes a reipsa offensionem vocabuli devitarunt*. August. contra Epist. fundamenti, cap. 39. Tertull. de Pudicitia, cap. 16. & alibi. *Si quis templum Dei vitiaverit, vitiabit illum Deus*.

sum, Sectarum varietatem inferat, uti est apud Philosophos, ubi alii Platonici, alii Stoici, alii Peripatetici, aliisque nominibus dicebantur [1].

℣. 22. OMNIA ENIM VESTRA SUNT.] Omnia pro vobis ad vestram doctrinam, & sanctificationem Deus destinavit [2]: *omnia sustineo propter electos*, ajebat S. Paulus 2. Tim. 2. 10. *ut & ipsi salutem consequantur*. Paulus, Cephas, Apollo instrumenta tantummodo sunt, quibus utitur Deus, ut vos ad æternam adducat felicitatem. Doctores pro vobis sunt, sed vos non estis pro illis. Ne turbetis ergo ordinem Dei, existimantes finem vestrum, ac præcipuum objectum illud esse, quod medium dumtaxat est, ut ad finem vestrum perveniatis.

℣. 23. VOS AUTEM CHRISTI.] Hic est essentialis ordo a Deo in Terris institutus. Deus unicum est objectum, finis unicus rerum omnium; ad illum omnia referenda sunt, quæcumque sunt in Cœlo, & in Terra. Ipse etiam JESUS CHRISTUS in universa temporalis vitæ suæ œconomia non aliud, quam Patris sui gloriam, quæsivit [3]. Apostoli, aliique Evangelii Præcones ob id unum prædicant, ut animas ad Dei cognitionem, atque amorem perducant. Denique Fideles singuli illuc tantum contendere debent, ut Domini gloriam procurent, salutem suam cum timore, & charitate operantes. Itaque licet in Mundo omnia susque deque perturbata videantur, Deus est vere Deus in rebus omnibus: *ut sit Deus omnia in omnibus*, 1. Cor. 15. 28. Omnia facit pro se ipso, & impii etiam, licet inviti, ad ejus gloriam conferunt [4]. Ad Deum igitur omnia referte, in illo, & per illum vivite, atque gloriam vestram in uno illo collocate.

1 Vide Grot. Vorst. 2 Rom. 8. 28. *Omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* 3 Joan. 7. 18. 14. 28. 1. Cor. 11. 3. 4 Prov. 16. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, quoque impium ad diem malum.*

CAPUT IV.

Judicium de Prædicatoribus faciendum. Ante tempus non judicandum. Non gloriandum in donis Dei. Apostolorum conditio laboriosa, & in oculis Mundi contemptibilis. S. Paulus quamprimum Corinthum est profecturus.

1. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum
Dei. 2 Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.
3 Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die:
sed neque meipsum judico. 4 Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc
justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est. 5 Itaque nolite ante tem-
pus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebra-
rum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo. 6
Hæc autem, fratres, transfiguravi in me, & Apollo, propter vos: ut in nobis
discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. 7
Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepi-
sti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 8 Jam saturati estis, jam divites facti
estis: sine nobis regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus.
9 Puto enim, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti de-
stinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. 10
Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos
autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. 11 Usque in hanc horam &
esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus.
12 Et laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: perse-
cutionem patimur, & sustinemus. 13 Blasphemamur, & obsecramus: tamquam
purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. 14 Non
ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. 15 Nam
si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam
in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. 16 Rogo ergo vos, imitatores
mei estote, sicut & ego Christi. 17 Ideo misi ad vos Timotheum, qui est fi-
lius meus charissimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas,
quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo. 18 Tamquam
non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. 19 Veniam autem ad vos ci-
to, si Dominus voluerit: & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt,
sed virtutem. 20 Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 21
Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?

℣. 1. SIC NOS EXISTIMET HOMO.] Corinthii bifariam peccabant in conceptu, quam de Apostolis suis animo imbiberant. Alios quidem nimium colebant, alios vero non satis digne existimabant. Philosophiæ, eloquentiæ, humanarumque scientiarum amatores ad Cœlum usque eos attollebant, qui hæc studia cum Evangelii prædicatione conjungerent; eos vero contemnebant, qui JESUM CHRISTUM simplici ratione, atque nullo artis fuco annunciarent. Alii S. Paulo, Cephæ, & Apollini hærebant adeo, ut se eorum Sectatores, ac Discipulos palam profiterentur; cum alii interim novos Doctores quærerent, qui studiis suis obsequerentur. Apostolus ergo, ut doceat quamnam Magistrorum ideam concipere deceat, quæ æque sit, atque rationabilis; ait [1], Doctores simpliciter considerandos esse, B tamquam *Ministros CHRISTI, & dispensatores mysteriorum Dei*. Si hac ratione eosdem respexeritis, eo, qua par est, observantia illos excipietis, neque nimium amorem erga illos fovebitis, quoniam in eorum persona Deum solummodo considerabitis.

℣. 2. HIC JAM QUÆRITUR [2] INTER DISPENSATORES.] Apostoli omnes, & Evangelii Præcones sunt Ministri Dei, & dispensatores mysteriorum, atque abditarum veritatum ejus, sed non omnes fideles sunt, neque omnes eamdem existimationem merentur. Qui Domini sui bona contra ejusdem mentem distribuit, infidelis est dispensator; Minister Ecclesiæ, qui currit, quia mercatur; qui prædicat, quia hæc sibi provincia demandetur, infidelis est dispensator. Qui super solidum JESU CHRISTI fundamentum fœnum, C stipulasque superædificat, infidelis est dispensator. Discite ergo, o Corinthii, eos, qui vobis JESUM CHRISTUM annunciant, dignoscere; non enim omnes hoc præstant, quemadmodum opus est, neque merentur, ut illis cures, atque fidem præbeatis.

℣. 3. MIHI AUTEM PRO MINIMO EST, UT A VOBIS JUDICER, AUT AB HUMANO DIE [3].] Hoc est a quovis homine, in humano judicio [4]. Credit S. Hieronymus, hanc locutionem esse Cilicum propriam, quam S. Paulus ex Patrio sermone servaverit. Alii vero Hebraismum esse putant. *Dies Domini* sæpe judicium, atque ultionem Dei significat [5]; & Jeremias hominis diem dixit pro hominis judicio [6]: *diem hominis non desideravi, tu scis*. Theodoretus, per diem hominis humanæ vitæ brevitatem intelligit; Theophylactus, ju- D dicium hominis dignitate constituti; nam Scriptura, inquit ille, hominis dignitatem, diem hominis vocare consuevit. Ambrosiaster vero de Legibus in Mundo constitutis interpretatur; sed prior passim sensus ab Interpretibus probatur.

S. Paulus id occupat, quod sibi objici posse videbat; eis, Prædicatores non aliud esse, quam dispensatores mysteriorum Dei, & eos omnes fideles esse; quomodo igitur fideles ab infidelibus sunt distinguendi? numquid tu eorum dispensator fidelis? de me credite quodcumque vobis lubet, reddit ille: hominum judicia mihi negotium non facessunt, neque meipsum judico; vereor enim, ne mei amore decipiar, sed Dominus est, qui judicat. Etiam, atque etiam vos moneo, ut judicio vestro abstineatis iis in rebus, quæ palam pravæ E non sunt, & ne supremi Judicis sententiam prævertere audeatis, sed persistatis in simplicitate, atque humilitate, quia imprudenter hominibus alicui adhæreatis, atque contra fratres vestros superbia elati insurgetis. Hoc A sunt, quæ Apostolus ait vers. 4. 5. 6.

℣. 4. NIHIL MIHI CONSCIUS SUM.] Licet minime sciam, ullam mihi in munere persolvendo fidelitatem, aut diligentiam defuisse; affirmare tamen non ausim, me coram Deo innocentem esse, atque ad unguem omnibus ministerii mei officiis fuisse defunctum. Deus in me videre potest defectus, quos ego non novi [7]; semper mihi metuendæ sunt, & mea ignorantiæ peccata, & aliena, quibus forte esse præbui occasionem; igitur supremi Judicis judicium præstolabor. Tanta hæc Summi Apostoli humilitas audaciam nostram compescere debet, qua judicare non ambigimus de proximis nostris, & eorum sensus damnare, quos sæpe non satis intelligimus; neque minus adversatur eorum menti, qui putant, singulos fideles justificatos esse, ubi constanter sibi persuaserint de propria justificatione, quam sententiam jure Tridentinum Concilium Sess. 6. can. 14. proscripsit.

℣. 5. NOLITE ANTE TEMPUS JUDICARE.] Non is mihi est animus, ut velim Dei judicium de aliis Prædicatoribus prævertere, neque vos impellere, ut causa non cognita eosdem damnetis. Dei judicium expectemus, *qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo*. Tunc videbimus, quales sunt illi ex operibus, quæ produxerint. Si opus eorum tamquam aurum igni probatum, resistit; illis justam, quam merentur, laudem conferemus; sin autem, illos damnabimus, postquam summus Judex suum judicium protulerit. Non vetat S. Paulus, nos tunc judicare, cum malum manifestum est; ut enim illud fugiamus a nobis cognoscendum est: at cavet, ne iniquo de proximo nostro judicemus, quin illius crimen certissime nobis sit exploratum.

℣. 6. HÆC AUTEM TRANSFIGURAVI IN ME, & APOLLO.] Crediderunt quidam veteres [8] in hunc locum, S. Paulum se ipsum cum Apolline proposuisse, tamquam simulatum dissensionis exemplum, qua Corinthii distinebantur; ne afferret eorum nomina, qui vere dissensioni occasionem præbuerant. Sed ex omnibus, quæ hactenus vidimus, satis probant, S. Paulum, & Apollinem, & fortasse Cepham, aliosque etiam nonnullos, quos minime nominet, Corinthiacæ dissensionis objectum fuisse: verum innuit, se Paulum, Apollinem, & Cepham appellasse, ne probrum inferre D videretur, & Corinthiis, qui per summam animi infirmitatem levissime in eam dissensionem abierant [9], & eorum magistris, qui hoc dissidium pertulerant, quin illud auferre aniterentur; vel etiam, qui fortasse oleum camino addiderant.

UT IN NOBIS DISCATIS.] Humilis de vobismetipsis fovere sensus, neque præcipiti festinatione judicia proferre, neque leviter proximo vestro crimen tetra affingere: *ne supra quam scriptum est*; ut discatis videlicet hærere fortiter regulæ, quam modo vobis præscripsi, & illi, quam superius vobis tradidi cap. 1. ℣. 31. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, & ℣. ult. cap. 3. *nemo glorietur in hominibus* [10]. Sunt [11], qui hæc verba: *ne supra quam scriptum est*, de Sacris Bibliis generatim intelligant. Nemo vestrum superbia intumescat, neque præsumat ultra ea, quæ in Sacris Scri- E pturis dicuntur [12]. Magistri, & discipuli discite, in uno Deo gloriandum esse; ob vestras ingenii vires superbiendum non esse, neque temere, & audacter de proximo vestro judicandum.

Nr

---

1. Vide Theodoret. Grot. alios.
2. Græc. Ὃ δὲ λοιπὸν ζητεῖται. *Quod reliquum est, quæritur, &c.* Quidam Codd. ὧδε λοιπόν. *hic jam, &c.* Quid. ζητεῖτε, *quæritis, vel quærite*, pro ζητεῖται, *quæritur*, Steph. 3. Alex. Lin. Cac. 3. Quid. apud Oecum.
3. Ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας.
4. Hieronym. Epist. ad Algas. qu. 10 Est. Raban. Hug. S. Thom. Erasm. Grot. Menoch. Justin. alii.
5. Job. 24. 1. Isai. 13. 8. 9. 34. 8. 61. 2. Joel. 2. 11. 31. 3. 14. Amos 5. 8. &c.
6. Jerem. 17. 16.
7. Theodoret. hic. Vide & Chrysostom. & Theophylact. & alios; maxime Grotium, qui post allata Chrysostomi, Hieronymi, Ignatii, Clem. Polidis de Augustino testimonia concludit: *hæc verissima hujus loci explicatio, nec quærenda est alia*. Confer Psal. 18. 12. 13 *Delicta, qui intelligit &c.*
8. Chrysostom. Theodoret. Ambrosiast. alii. Vide & Est. Quid. apud Menoch. & Vat. Hieronym. in Tit. 3. 3.
9. Oecumen. Vide Grotium.
10. Vat. Menoch. Vorst. Justin. Est. alii.
11. Cajet. Grot.
12. Grotius putat, S. Paulum alludere ad hunc locum Deut. 17. 20 *Ne elevetur cor ejus in superbiam*. Moyses loquitur de Rege: Si superbia illi adeo vetita est, potiori jure omnibus aliis.

NE ... UNUS ADVERSUS ALIUM INFLETUR PRO ALIO.] Ne abutatur aliquis Magistri sui merito, atque scientia, ut alium contemnat. Hæc vere causa erat dissensionis Corinthiorum, qui se aliis præstare putabant, quod illi, a quibus fuerant baptizati, Doctoribus aliis anteferebant; quasi Pauli baptismus, e. g. melior esset baptismo Apollinis, atque gloriosius esset ad veritatis cognitionem pervenisse per hujus, quam per alterius prædicationem.

℣. 7. QUIS ENIM TE DISCERNIT?] Qua de causa teipsum cæteris præfers, qua in re meritum tuum ponis? numquid meliora præcepta accepisti, an in illis melius profecisti? Perfectius ne credidisti, an simpliciter Magistrum sapientiorem, & majori in dignitate constitutum habuisti? quasi hæc omnia minime forent dona Dei tibi gratuito concessa, & quæ bonis operibus tuis mereri potuisses. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Sed plerique [1] hoc ad Corinthiorum Doctores referunt. Vos, qui in hoc populo per vanitatem vestram discordias gignitis, atque fovetis, quid præ cæteris afferre potestis, unde præ aliis vobis fiat gloriæ, & dignitatis accessio? quænam vobis est mens, quod consilium, ut in Ecclesia ab aliis sectam sejunctam efficiatis? *Quid habes, quod non accepisti?* numquid jactas scientiam tuam, vocationem ad fidem, dona linguarum, Prophetiæ, & miraculorum? at hæc omnia in te ab uno Deo profecta sunt. Cur ergo omnem illi gloriam acceptam minime refers, & quin per vanitatem tuam Ecclesiam discerpsis, eam potius iterum coalescere non studes, populos ad illud unum adorationum, observantiæ, & cultus sui objectum revocans? sed vers. qui subsequitur, priori explicationi, hoc de fidelibus Corinthiis intelligendi, potius favere mihi videtur.

℣. 8. JAM SATURATI ESTIS.] Loquitur ad Corinthios, qui quodammodo obliti primam vocationem suam, & modestiam, quam illis verbo, & exemplo S. Paulus suaserat, jam jam superbia intumescebant, atque alii aliis præstare affectabant in iis, quæ mere extrinseca erant, videlicet in Magistrorum suorum merito, aut dignitate, suæ ad fidem vocationis antiquitate, aliisque etiam putidioribus nugis. Apostolus igitur, ut eorum jactantiam compescat, non sine quadam ironiæ specie, ait illis: *jam saturati estis*, & recalcitrare cœpistis, ad ea Moysis Deut. 32. 15. verba alludens; *incrassatus est, & recalcitravit*; jam divites facti estis; saltem jam factos vos divites creditis, & nullius egere putatis [2]; priores Magistros contemnitis, sed Rhetoricos, Philosophos profanæ litteraturæ imbutos viros, Oratoresque sequimini. Evangelii doctrina vobis nimis simplex videtur: *sine nobis regnatis*, vosmet tamquam Reges existimatis, nulli subditos, atque supra communes Leges positos: *& utinam regnetis*, atque adeo perfecti essetis, ac monitis nostris minime indigeretis, sed multum interest, utrum regnetis, an regnare credatis. Si regnaretis, mira nobis etiam ex vestra felicitate accederet gratulatio; & nos ipsi vobiscum regnaremus: tandem enim vos estis corona, & gaudium nostrum in Domino. Videtur indirecte pseudo-Apostolos perstringere, quamdam dominationis speciem in fideles Corinthi exercere quærentes.

℣. 9. DEUS NOS APOSTOLOS NOVISSIMOS OSTENDIT.] Cum vos affluentia, atque spiritualium divitiarum copia perfruamini, nos Apostoli omnibus mundi hujus malis sumus obnoxii, tamquam homines destinati, ut omnino nudi in arena feris objiciamur, jucundum populo spectaculum futuri. Græca vox: *Eschatos*, quam Vulgata vertit *novissimos*, proprie eos homines significat, qui substituebantur gladiatoribus, vel illis, qui primum cum bestiis in arena decertaverant; primis illis athletis alii substituebantur, qui utaut morti destinati [3], ad quos isthic alludit Apostolus. Tertullianus [4] pro *morti destinatos*, legebat *Bestiarios*, bestiis expositos, vel contra bestias depræliantes.

SPECTACULUM FACTI SUMUS [5] MUNDO, ET ANGELIS, ET HOMINIBUS.] Nemo ignorat, S. Paulum, aliosque Apostolos sæpius spectaculum factos fuisse Mundo, & hominibus; cum videlicet subinde varias persecutiones perferre debuerunt. Quæritur solum, quo in sensu Angelis spectaculo fuerint? præsertim vero, si nomen hoc in eo intelligas sensu, ut significet oblectationis spectaculum, quod inimicis exhibebatur, veluti cum Apostoli feris objiciebantur ob oculos Gentilium, ipsos persequentium. S. Chrysostomus [6], Theodoretus, aliique plures hoc de bonis Angelis intellexerunt, qui lætantur, ubi vident Sanctorum labores, quos tamquam beatitudinis eorum causas cognoscunt. Alii tamen [7] hoc explicare malunt de Angelis nequam, qui hoc pacto imperii sui eversionem se ulcisci arbitrantur.

℣. 10. STULTI PROPTER CHRISTUM.] Nos in hoc mondo, tamquam dementes habemur [8], & doctrina nostra stultitia appellatur. *Vos autem prudentes in Christo*, ironice dictum: hujusmodi irrisionibus vosmet non objicitis, haberi vultis sapientes in oculis Mundi, Philosophiam, eloquentiam, & prudentiam jactitatis, idque in JESU CHRISTO, & in Ecclesia: in quam spiritum superbiæ, vanitatis, curiositatis, dissensionis invehere studetis [9]. *Nos infirmi*, plurimis inimicorum probris obnoxii, sine ullo præsidio, humiliati, afflicti; *vos autem fortes*; vosmet invictus ducitis, atque extra jactum omnium calamitatum, atque malorum positos existimatis. In Urbe vestra pecati, ea tantum, quæ nova sunt, & curiosa, sectamini.

℣. 11. USQUE IN HANC DIEM ET ESURIMUS.] Profecto stulti sumus nos Apostoli, qui frustra tantum laboris pondus subimus, cum interim vos pace, atque securitate fruamini. Si Cœlorum via, atque Christianæ Religionis professio nullam in se habuit difficultatem: nos quidem de sana mente dejecti sumus, qui nosmet nequicquam adeo torquemur. Cur non potius Corinthios imitamus, qui in rerum omnium affluentia commode vivunt, & qui vacant audiendis Philosophis, & Oratoribus, a quibus magnifica, & exquisitis verbis steriles, & vacuæ veritates sibi prædicantur. Hæc quidem amarissima est Ironia.

℣. 13. TAMQUAM PURGAMENTA HUJUS MUNDI [10].] Putant [11], voces, quibus hoc in loco Apostolus utitur, eos calamitosos homines designare, quos Ethnici arripiebant, ut essent piaculares victimæ pro tota Civitate, vel omni Populo, dum vel lues grassaretur, vel aliæ publicæ calamitates impenderent; quam consuetudinem viguisse novimus apud veteres Gallos [12], Romanos, Athenienses, aliosque plures populos Orientis. Postquam funestæ hæ victimæ aliquamdiu publica saginatæ fuerant, mortis earumdem die, floribus, frondibusque exornatæ, ac redimitæ per Urbes, & locos expiandos circumferebantur; Populo interim quodlibet imprecationis genus in eas evomente, atque Deos orante, ut in caput earum omnes iræ suæ effectus converte-

1 Chrysost. Theodoret. Grot. Est. Varab. Justin. alii. 2 Chrysost. hic.

3 Vide Selden. de Diis Syris Præfat. Ludov. de Dieu hic, Heins. Exercit. p. 354. 355. Scaliger. not. in Manil. lib. 5. Quistorp. Grot. 4 Tertull. de Pudicit. cap. 14. Bestiarios. Gr. Ἐπιθανατίους.

5 Ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν. 6 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Hieronymiast. Zeges. Justin. Cornel. alii. 7 Var. Est. 8 Theodoret. Est. Grot. Mon. 9 Est. Grot. Men. alii.

10 Ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα ἕως ἄρτι.

11 Vide Grot. Erasm. Strigel. Saubert. de Sacrific. cap. 3. art. 21. Dougt. Analect. S. Thom. 1. Excurs. 72. Pearson. vendic. Ignat. p. 2. p. 208. aug. G. H. Ursin. Analect. sacr. l. 1. cap. 39. Et Quæst. Bibl. 3. cap. 12. Hospin. de Festis Ethnic. pag. 118. 168. Outram. de Sacrif. lib 1. cap. 22. Heins. Exercit. pag. 355. Le Moine Var. sacr. t. 2. p. 179. Le Cene, p. 608. 12 Vide Jul. Cæsar. Comment. l. 6. Serv. ad illud Virgil. *Auri sacra fames*. Papinian. Thebaid. 10. & Scholiast. Item Scholiast. in Plutum. Aristophan. pag. 24.

verterent, eosque ab urbe sua deflectere dignarentur. Postmodum illæ fustis cædebantur, viventes adhuc comburebantur, earumque cineres in mare projiciebantur, cum interim hæc proferrentur verba [1]: *esto expiatio nostra, vel redemptio nostra*. Nonnumquam etiam homo adhuc vivens in mare demersus, tamquam Neptuno sacer jaciebatur. Itaque sic S. Pauli locus verti posset: *habemur tamquam humanæ victimæ, quæ pro publicis sceleribus immolantur, tamquam ii, qui necantur ad omnium hominum scelera expianda*.

℣. 14. NON UT CONFUNDAM VOS.] Corinthios quidem lædere potuissent hæc S. Pauli verba; sed eorum acrimoniam moderatur, dicens, non hanc sibi esse mentem, ut eos velit in risum traducere, atque pudore suffundere; sed arbitrari suum esse, illos tamquam filios, atque discipulos suos ipsorum officii admonere. Citra dolorem videre non possum tantam vos vestrum ipsorum oblivionem cepisse.

℣. 15. DECEM MILLIA PÆDAGOGORUM.] Pædagogus est præceptor constitutus, ut adolescentulum ubiquem comitetur euntem, eumque erudiat [2]. Hujusmodi Magistri majorem semper habent severitatem, quam Patres, quorum vices subeunt. Aliis quidem pædagogi nomen relinquam, ut nemini Patris nomen cedam; vos amo, vos diligo, tamquam filios meos; in CHRISTO JESU *per Evangelium vos genui*. Ita filii mei ℣. 16. *imitatores mei estote* in modestia [3], humilitate, laboribus, humanæ gloriæ *contemptu*; *sicut & ego Christi*, sicut & ego hac in re JESUM CHRISTUM Magistrum meum imitari contendo [4]. Græcus typis editus novissima hæc verba non legit; sed habet solum; *imitatores mei estote*.

℣. 17. IDEO MISI AD VOS TIMOTHEUM.] Ut apud vos restituerem ordinem illum, qui jam turbatus est; ut vobis mentem meam aperirem, pacem redderem, abusus tollerem, vosque laborum meorum certiores facerem; ad vos misi Timotheum fidelem discipulum meum, mihique in Domino carissimum. *Ille vos commonefaciet vias meas*, vobis meam doctrinam, laboresque narrabit [5]: *sicut ubique in omni Ecclesia doceo*. Ex illo intelligetis, me nihil a vobis petere, quod a cæteris Ecclesiis non expetam, & nihil in vobis corripere, quod ab omnibus Ecclesiis auferre non studeam. S. Timotheus Corinthum venit, sed illuc non attulit has litteras, quemadmodum credidit S. Chrysostomus [6]. Illuc fortasse accessit aliquanto post, ex quo Epistola illuc pervenerat: primum enim per Macedoniam [7] iter suscepturus erat, atque inde Corinthum venturus. Credidit Origenes in Rom. 16. Timotheum esse S. Pauli consanguineum, qui illum isthic, & alibi [8] etiam filium suum carissimum vocat; verum hæ denominationes carnis cognationem non probant.

℣. 18. TAMQUAM NON VENTURUS SIM AD VOS.] Corinthii quidam existimantes, S. Paulum ad se rursus minime rediturum, superbis efferri inceperant, atque contemnere ea, quæ ab illo in Ecclesia fuerant instituta. Quidam etiam Doctores ejusdem absentia abutentes, eam sibi vendicabant auctoritatem, quæ ad illos minime spectabat [9]. Apostolus tamen in animis eorum satis auctoritatis servaverat, ut si ibi adesset, omnes eos malos affectus compesceret. Pollicetur ergo, se quamprimum ad illos venturum, ut eos, qui magis superbia intumuerint, injecto fræno coerceat. *Veniam ad vos cito*. Illuc profecto accessit, sed post biennium dumtaxat. Cum enim hæ litteræ optimos peperissent effectus, & Ecclesia Corinthi ad frugem rediisset; iter suum distulit, & antequam eo concederet, alteram etiam ad Corinthios scripsit epistolam.

COGNOSCAM NON SERMONEM EORUM, SED VIRTUTEM.] Tunc non erit quæstio de feriis, concinnisque sermonibus, neque de inani eruditione, sed de virtutum actionibus, atque effectibus. Videbimus, quid profuerint Ecclesiæ, JESU CHRISTO, fidelium ædificationi, illi, qui hodie se Magistros, atque Doctores haberi volunt, qui in Ecclesia dominari, & ordinem in illa a nobis institutum immutare contendunt. *Non enim* ℣. 20. *in sermone est Regnum Dei, sed in virtute*. Ecclesiæ regimen, Christianæ Religionis perfectio, salus animarum, Evangelii professio, conversio cordium non sunt eloquentiæ, vel industriæ mortalis effectus; sed virtutis Spiritus Sancti, & Omnipotentiæ Dei. Ille mentem illuminat, ille cor movet, ille efficit, ut veritatem cognoscamus, & diligamus. Apostolorum miracula, non eloquentia, mundum converterunt, & condiderunt Ecclesiam [10].

℣. 21. IN VIRGA VENIAM AD VOS, AN IN CHARITATE;] Græci isthinc cap. 5. & 6. ordiuntur, & profecto hoc illius veluti proœmium est. Voltis ne, ut ad vos veniam ad Magistri severitatem, an vero Patris amorem exercendum? vobis optionem do. Adventum meum, meæque severitatis effectus prævertere potestis, auferentes abusus, & corrigentes mala, quæ in vobis grassantur. Hæc si vos impune reliqueritis, uti cogar auctoritate, quam mihi tradidit Deus. Hæc autem mala erant incestæ nuptiæ, atque contentiones inter fratres obortæ. Virga, quam illis minitatur, sunt vel censuræ, vel excommunicatio, vel etiam morbi, aut mors ad noxios puniendos immissa [11]: quemadmodum S. Petrus morte Ananiam, & Saphiram [12], & S. Paulus Elymam cæcitate percussit [13].

1 Περίψημα ἡμῶν γένου. Suidas. 2 Grot. Est. Vatab. 3 Theodoret. hic.
4 Græc. Μιμηταί μου γίνεσθε. Sed Stephan. ια. Chrysostom. Cov. 2. Hieronymiuster. Velez. Vulg. Καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ. Ex 1. Cor. 11. 1. 5 Chrysost. hic. 6 Chrys. Argument. in hanc Epist. Ita & Græci Codd. subscript. ad calcem hujus epist. 7 Act. 19. 22.
8 1. Timoth. 1. 2. 18. 2. Timot. 1. 2. & 2. 1. 9 Chrys. Theoph. Justinian. Grot. Est. 10 Chrysostom.
11 Ita Theodoret. hic. 12 Act. 5. 3. 5. 13 Act. 13. 8. 9. &c.

CAPUT V.

Incestus Corinthi, quem S. Paulus Satanæ tradit. Jubet, Christianos cum palam criminosis non commisceri.

1. OMnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. 2 Et vos inflati estis; & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. 3 Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est, 4 In nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, 5 Tradere hujusmo-

hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Je-
su Christi. 6 Non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quia modicum fermentum
totam massam corrumpit? 7 Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio,
sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. 8 Itaque epu-
lemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ: sed in
azymis sinceritatis, & veritatis. 9 Scripsi vobis in in epistola: Ne commiscea-
mini fornicariis, 10 Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapaci-
bus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. 11 Nunc
autem scripsi vobis non commisceri; si is, qui frater nominatur, est fornicator,
aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum e-
jusmodi nec cibum sumere. 12 Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?
Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis? 13 Nam eos, qui foris sunt, De-
us judicabit, Auferte malum ex vobis ipsis.

℣. 1. OMNINO AUDITUR INTER VOS FORNICATIO. A] Hæc superioribus subnectenda sunt; quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? et quomodo nam venire potero, quin istic meam severitatem exerceam: quandoquidem constat, atque hucusque certissimus rumor pervasit, in vobis incestum esse virum, ita ut apud Gentiles portentum simile vix reperiatur. Gravissimum malum est, in Ecclesia scelus adesse, at maxima fit eidem malo accessio ex fama, quæ quaecumque emanavit, & scandalo, quod peperit [1]. Cum addit S. Paulus, scelus hujusmodi Gentilibus etiam ignotum esse: *qualis inter Gentes*, hyperbolice dictum intelligendum est. Hujusmodi libido pluribus in locis tolerabatur [2], sed per quam raro accidebat; & cum accidisset, eam omnes perhor- B rescebant [3]; præsertim vero Nationes cultæ, Romani, & Græci, qui tunc præ cæteris magis cognoscebantur, & quorum leges, & mores ubique ferme dominabantur. Oportet, incestum eum hominem minime accusatum fuisse coram Provinciæ Præside, vel Magistratibus; alioquin enim secundum Romanas leges mulctatus fuisset [4].

ITA UT UXOREM PATRIS.] Qui abutitur noverca sua, patre adhuc vivente, mulieris hujus viro, quod facti turpitudinem auget, juxta Legem Domini [5] una cum muliere morte damnandus est. Dixi autem, mulieris hujus virum adhuc vixisse, ex plurimorum Interpretum sententia [6], quemadmodum in altera ad Corinthios Epistolae 7. 12. satis explicite innuere videtur Apostolus, cum ait: *& si scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est &c.* C At qui injuriam passus est, non alius esse poterat, quam Pater. Crediderunt nonnulli [7], hominem hunc uxorem duxisse mulierem, quæ erat noverca sua; sed plerique [8] credunt, illum simpliciter ea abusum fuisse, quod gravissimum scelus est; quippe quod incestum cum adulterio conjungit.

S. Chrysostomus hic, atque Theodoretus præf. in Ep. 1. ad Cor. credunt, incestum hunc virum aliquem fuisse ex principibus seditionis, vel schismatis, quod inter Corinthios obrepserat. Hic erat, inquiunt, vir summa facundia, & eloquentiæ flumine præditus, cujus sermonibus illecti Corinthii ejusdem sceleris, licet publicum dissimulabant, atque eloquentiam illius tantummodo admirabantur. Hac de causa Apostolus post- D quam Corinthiorum fastum corripuit, eisque humanarum scientiarum vanitatem ostendit; libidinosum hunc hominem aggreditur, omnemque sceleris ejusdem fœdissimam turpitudinem ob oculos ponit. Sed quod ajunt Patres de hujus hominis eloquentia, satis certum non est.

℣. 2. ET VOS INFLATI ESTIS.] Quin in id unum consilia vestra intendatis, ut de medio vestri tantum scandalum auferatis; curiositatem, & vanitatem sequimini; eloquentiam, atque Philosophiam deperitis: agitur inter vos, utrum aliquis sit Pauli, an Petri, an Apollinis; perinde quasi Ecclesia Civium cœtus esset, ubi singuli aliquod caput, atque peculiarem sectam sequerentur; quarum una a reliquis sententia discreparet.

ET NON MAGIS LUCTUM HABUISTIS.] Ecclesia neminem nonnisi summo cum dolore ex suo sinu divellit [9]. Licet deforme, tabidumque sit aliquod nostri corporis membrum, nonnisi ægerrime illud abscindi patimur. Christiani tamquam mortuos, atque perditos deplorant illos, quos e se rejicere, atque separare tenentur, inquit Origenes l. 3. contra Celsum: Non secus ac Pythagorici funebri pompa cœnotaphium extruebant illis, qui eorum sectam relinquerent.

Quærunt, quid sibi velint ea verba: *ut tollatur de medio vestrum*, quæ nonnulli [10] de mortis corpore intelligunt. Et profecto mortem meritus fuerat secundum Legem Moysis Lev. 20. 11. incestus ille adulter, sed fideles illum minime enecare potuissent, nisi coram sæculari Magistratu eumdem accusassent; quam S. Pauli fuisse mentem, vix crediderim. Plerique [11] illa de excommunicatione interpretantur: Hebræi enim, quidquid Seldenus de Syned. l. 1. c. 8. comminiscatur, & ipsi excommunicationem habebant, qua profani etiam sæpe contra gravissimorum scelerum auctores utebantur [12], & quam Christiani omnibus subinde sæculis dubio procul exercuerunt. Crimen, atque pertinacia hujus hominis hoc supplicium sane merebantur, & omnis orationis decursus, de hoc agi satis ostendit.

℣. 3. EGO QUIDEM ABSENS CORPORE.] Illum jam excommunicavi, atque ab Ecclesia divulsi. Apostoli, & Ecclesiæ Præsules, qui illorum auctoritatem subinde receperunt, judicium ferre possunt, atque damnare nocuos non solum, qui adsunt, verum etiam, qui absunt, ubi eorum scelus publicum fit, atque manifestum, quale hoc, de quo agitur [13]. Hac tamen in occasione videtur Apostolus consilium dumtaxat injisse hominis excommunicandi, sed nondum explicite in illum excommunicationis fulmen ejaculatum fuisse [14]: quod ex sequentibus, præsertim vero ex secunda Epistola ad Corinthios innotescit.

℣. 4. IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI.] Incestua

1 Theodoret. Vide & Grot. 2 Vide Justinianum hic. 3 Est. Grot. Jacob. Capell. 4 Vide Grot. ad vers. 2.
5 Levit. 20. 11. *Qui dormierit cum Noverca sua, & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo.*
6 Vide Est. Bertræum, Jacob. Capell. Ligfoot. alios plerosque.
7 Erasm. Grot. Vorst. 8 Est. Justinian. alii. 9 Constit. Apost. lib. cap. 41.
10 Vide Tertull. cap. de Pudicitia. Ligfoot. 11 Est. Justin. Menoch. Cornel. Grot. Beze. Hamm. Pisc. alii. 12 Vide Justinian. hic. 13 Chrysostom. Theodoret. Est. Justinian.
14 Est. Cajetan.

ctus hic vir Sathanæ tradatur. Traditus ergo nondum fuerat; at si ille in sua impudicitia perstitisset, S. Paulus in spiritu suo cum Ecclesia Corinthi conjungit, ut illum in JESU CHRISTI nomine, atque auctoritate Sathanæ tradat [1]. Græca quædam exemplaria hunc & superiorem versiculum ita legebant, atque interpungebant: *judicavi tamquam præsens, illum, qui hoc fecerit in nomine Domini JESU CHRISTI*, hoc est illum, qui hanc labem aspergerit nomini JESU CHRISTI, tantum in Ecclesia scelus committens, mereri, ut Sathanæ tradatur [2]. At sensus, quem nos attulimus, æquior videtur. Rei hujusmodi in fidelium cœtibus nonnisi post invocatum JESU CHRISTI nomen fieri debet. Apostolus, ejusque spiritus invisibili ratione præest capitibus Ecclesiæ Corinthiacæ: verbo hoc formale esse debet Ecclesiasticum judicium. B

℣. 5. TRADERE HUJUSMODI SATHANÆ.] Græci Patres, credunt [3], tradi Sathanæ significare, vel realem Dæmonis obsessionem, vel saltem ægritudinem aliquam ab illo illatam, ita ut corpus mortificetur, & humilietur; anima vero hujusmodi afflictionibus expiata salva fieri possit in die Judicii JESU CHRISTI Domini nostri. Vidimus jam [4], atque deinceps etiam videbimus [5], eos, qui in gravia labebantur facinora, sæpius in primitiva Ecclesia *morte*, aut morbo, aut Dæmonis obsessione fuisse percussos; sive hic communis fuerit effectus excommunicationis, & imprecationum, quæ eamdem subsequebantur, seu virtutis, atque potestatis, Ecclesiæ eorum temporum concessæ, morbos scilicet inferendi, non secus ac dono miraculorum eisdem bonam valetudinem restituebat.

Sed censent plerique [6], tradi Sathanæ, non aliud esse, quam ab Ecclesiæ communione divelli, quam Hebræi vocabant *Cherem*, quod est anathema, vel major excommunicatio; vel *Schammata*, quæ excommunicatio est ad mensem; vel denique *Niddui*, qua levissima est separatio, atque præ cæteris minus diuturna. Rei magnitudo, & ratio, qua Apostolus hic loquitur, adstruunt fidem, ipsum de anathemate verba facere. Hoc autem *tradi Sathanæ* dicitur; Mundus enim extra Ecclesiam, tamquam Dæmonis imperium consideratur; & illi, in quos hujusmodi excommunicatio contorquetur, viduantur precibus, suffragiis, Sacramentis, aliisque communibus, publicisque subsidiis, quæ nobis ab Ecclesia suppeditantur, ut Sathanæ consistamus. Hic est tamquam fugitivus miles, qui in D fugæ suæ pœnam nudus, atque inermis hostium furori objicitur [7]. Videbimus infra ad vers. 9. 11. &c. eos, qui hoc anathemate erant percussi, apud cæteros Christianos in horrore fuisse. Omnes fugiebant, omnes eorum occursum evitabant, nihil ab illis recipiebant, neque cum illis convescebantur.

IN INTERITUM CARNIS.] Animadvertimus jam, quamplurimos Patres credidisse, quod excommunicati morbo, vel morte percutiebantur, ut in hoc mundo pœnas luerent, ne in altero æternis suppliciis damnarentur. S. Augustinus [8] alicubi priorem hanc explicationem sequitur, sed alibi [9] hoc intelligit de *morte carnis*, de concupiscentiæ mortificatione, quæ in homine spiritus vitam producit. Patres quidam [10] hæc verba: *ut spiritus salvus sit in die Domini*, de Spiritu E Sancto intelligunt, persistente in illo, qui ita morbo affectus est. Afflictio, ægritudo, mortificatio exterior, quam patitur, efficiunt, ut Spiritus Sancti gratia illum non deserat, sed hoc simplicius explicatur de hominis anima [11], quæ humiliata, afflicta, & salubri rubore per excommunicationem suffusa, ubi pœnitentia ducatur, mereatur invenire gratiam coram oculis Dei, atque novissimi Judicii die æternam pœnam evitare.

℣. 6. NON EST BONA GLORIATIO VESTRA.] Vobis quidem non est, cur glorjemini; immo potius est, cur vos pudeat, quin superbia extollamini, quasi nullo in discrimine tantum facinus haberetis. Opinantur Interpretes Græci [12], quemadmodum dictum est, incestum hunc hominem aliquem fuisse ex novis Corinthiorum Magistris, in quibus tantopere sibi complacebant. Vetera quædam exemplaria [13] non legebant olim negationem: *est bona gloriatio vestra?* quod a vulgatæ sensu non abhorret.

NESCITIS, QUIA MODICUM FERMENTUM TOTAM MASSAM CORRUMPIT.] Græcus typis editus [14]: *totam massam fermentat*. Sed fidei consonum est, vetus exemplar autographum legisse *corrumpit*, cujus rei in vetustissimis manuscriptis [15] adhuc vestigia supersunt. Apostolus eodem utitur proverbio in Epistola ad Galatas 5. 9. & Salvator ad illud videtur alludere, ubi Discipulos hortatur Matth. 16. 6. ut sibi caveant a fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. Judæi omnem massam pollutam censebant, licet parum fermenti eidem esset commixtum intra Paschatis octiduum, quod in proverbium abierat, ut innuerent, sanctissimas etiam sodalitates existimationis suæ jacturam penitus subire, atque periculum adesse, ut quamprimum in illis flagitia grassarentur, statim ac impune abire sinerent pravos homines, & qui cæteris scandalum inferebant. Cæteroquin fermentum non solum massam non corrumpit, imo eam perficit. Hoc igitur coarctandum est ad Paschatis tempus, quemadmodum sermonis decursus ostendit.

℣. 7. EXPURGATE VETUS FERMENTUM.] Alludit ad ea, quæ ante diem Paschatis fiebant. In omnibus Hebræorum domibus diligentissime quodvis fermentum, & quidquid aliquam cum eo rationem habere poterat, conquirebatur. Cerealia instrumenta emundabantur, atque sedulo in omnibus angulis quærebatur, ut ex domibus, quemadmodum ipsi loquuntur, omne fermentum exterminaretur. Ita vos Ecclesiam emundare debetis, & de medio vestri auferre quidquid immundum est, & unde sordes potestis contrahere. Debetis incestum hunc hominem, qui dedecori est societati vestræ [16], a vobis sejungere; ita fietis *nova conspersio* illi similis, ex qua in Paschatis festivitate azymi fiunt. Nam postquam *Pascha nostrum immolatus est Christus* in Cruce, *jam estis azymi*, panes mundi, & sine fermento.

℣. 8. ITAQUE EPULEMUR NON IN FERMENTO VETERI.] Christianum Pascha celebremus, Eucharistiam, verum Paschalem Agnum comedentes, *non in fermento veteri*, non cum iis studiis, quæ fovebatis, antequam fidem amplecteremini, atque exueretis veterem hominem, ut novum indueretis [17]; *neque in fermento malitiæ, & nequitiæ*, hypocrisis, & impudicitiæ, *sed in azymis sinceritatis, & veritatis*. Verbo, malum auferte de medio vestri, ut in cœtibus vestris puritas, since-

1 D. Thom. Menoch. Est. Justin. Tirin. Vorst. 2 Ita Codd. nonnulli apud Chrysostom. hic.
3 Chrysostom. Theodoret. alii Græci Interpp. Grot. Alii apud Selden. lib. 1. de Synedr. cap. 8. Ligfoot. Horæ Talm. Hammond. Vide & August. lib. 1. cap. 20. de serm. Domini in monte, & lib. 3. contra Ep. Parmen. cap. 1. 4 1. Cor. 4. 11. Act. 5. 3. 5. 13. 8. 9. &c. 5 1. Cor. 9. 30. *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*. 6 Ambrosiast. Est. Justin. Menoch. Scalig. Sclater. Hamm. alii.
7 Vide Chrysostom. ad 1. Timoth. 1. 8 Augustin. lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 20. n. 65.
9 Idem advers. Parmen. lib. 3. cap. 1. Ita Est. Grot. alii.
10 Theodoret. Oecumen. Ambrosiast. 11 Est. Menoch. Pisc. Grot. Cornel. Ita August. lib. de Serm. Domini in monte cap. 20. num. 65. & lib. 3. cap. 1. contra Parmen. num. 3.
12 Chrysostom. Theophylact. Vide Grot. & Est. 13 Calarit. Ambrosiast. Codd. aliqui Latini apud Augustin. lib. 3. cap. 2. contra Parmenian. *Bona gloriatio vestra*; sic enim nonnulli, & maxime Latini codices habent. 14 Ὅτι μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ.
15 Clarom. δολοῖ *corrumpit*, alii δολοῖ, alii φθείρει. Antiqui Latini, *corrumpit*, ut Vulg. ex δολοῖ. Vide Mill. Nov. hic, bene & fuse. 16 Zeger. Est. Menoch. Tir. Sclater.
17 Justin. Dialog. pag. 179.

sinceritas, æquitas, integritas, veritas efflorescant. Quævis immunditia, superbia, philautia, inanis curiositas procul exterminentur. A

℣. 9. SCRIPSI VOBIS IN EPISTOLA.] Non in alia superiori, sed in hac ipsa [1] supra vers. 2. cum vobis imperavi, *ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit*, & vers. 6. *nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit*. Tenent alii [2], S. Paulum aliam antea ad Corinthios Epistolam scripsisse, quæ non secus ac aliæ plures exciderint. Fieri profecto potuit, ut et ipse Apostolus aliam ante hanc Epistolam scripserit, & textus nos in hanc sententiam compellit; sed pro certo hoc affirmare minime ausim; imo textus facillime explicatur, quemadmodum nuper fecimus, quin illi vis inferatur.

℣. 10. NON UTIQUE FORNICARIIS HUJUS MUNDI.] B Ethnicis videlicet [3], quos Scriptura sæpius fornicarios appellat, neque amatoribus hujus mundi, qui terrenarum harum rerum amore flagrantes polluuntur. *Mundum* vocat quidquid extra Ecclesiam, & veram Religionem. Non dico, vobis opus esse, ut generatim secedatis a societate omnium avarorum, ut eorum, qui aliena bona rapiunt, qui per fas, & nefas ditescunt, qui Idola venerantur: *alioquin debueratis de hoc mundo exiisse*; nam extra Ecclesiam non aliud ferme, quam hujusmodi virorum genus invenitur. Omnia ibi corrupta sunt, omnia sordescunt. Optandum esset, ut procul ab eorum societate vitam possetis traducere, sed quoniam hoc fieri minime potest, curate saltem, ut eorum effugiatis occursum, qui sceleribus suis JESU CHRISTI nomen dedecorant. Ita Gentiles ad fidem alC licere poteritis, quibus incedet admiratio vestrum vivendi genus, vestramque morum integritatem intuitis [4]; & frater vester rubore suffusus resipiscet, ad Deum revertetur, pœnitentiam aget, ac veniam merebitur.

℣. 11. SI IS QUI FRATER NOMINATUR, EST FORNICATOR.] Græcus ita verti potest [5]; *Si frater aliquis agnoscitur, vel nominatur fornicator, aut avarus &c.* vel cum Vulgata, & pluribus veteribus, tum Græcis, tum Latinis Patribus [6], Syriaca versione, atque optimis MSS. *Si quis ex iis, qui fratres nominantur, fornicator est, aut avarus*. Discrimen omne in unius litteræ accentu consistit, quæ uno modo interpuncta *vel*, altero vero *si* potest significare. Vertunt quidam [7]; *Si Frater aliquis insignis est fornicator, & ab omnibus cognitus, vel avarus &c.* Nos evitari jubet D Apostolus, ne cum illis initus consuetudo totius Ecclesiæ dedecus inferat, quasi hujusmodi flagitia ab illa permitterentur, aut probarentur.

AUT IDOLIS SERVIENS.] Facile quidem intelligis CHRISTI fidelem in stuprum, avaritiam, obtrectationem decidere posse, verum quomodo nam esse potest Idololatra, quin CHRISTI fidem abjiciat? Respondemus, 1. hoc omnia crimina, æque ac Idolorum cultum Christianæ professioni adversari. 2. CHRISTI fidelem infirmum posse clam amorem aliquem erga Idololatriam fovere; posse per animi infirmitatem, aut voluptatem Ethnicorum festivitatibus, religionis conviviis, & profanis eorum ceremoniis interesse. Neque enim credas oportet in Ecclesia futurum fuisse, ut E cognitus Idolorum cultor toleraretur, quemadmodum neque avaritia, neque fornicatio, neque ebrietas, neque manifesta, & jugis obtrectatio perferebatur. Verum prohiberi minime poterat, quominus homines ex Ethnica religione conversi aliquando per infirmitatem in ea ruerent flagitia, quorum habitum adeo diuturnum contraxerant.

AUT EBRIOSUS.] Non intelligit solum eos, qui immodice se mero proluunt eo usque, ut rationis usum amittant; sed eos etiam, qui bibendi habitum contrahunt, qui intemperate bibunt, licet non adeo infirmo sint capite, ut inebrientur [8]. Abusus Creaturæ Dei, periculum, cui objiciunt eos, cum quibus compotantur, ebrietatis peccatum est. *Væ*, ajebat Isajas 5. 22. *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*. Vinum semper est metuendus hostis; si rationis usum caligine illam involvens non aufert, noxias tamen animi perturbationes parit; pater est impudicitiæ, iræ, discordiæ, malorumque omnium, cum publicorum, tum privatorum. Quid enim homo, ubi mero incaluerit, non audet? Vide Prov. cap. 23. ℣℣. 29. 30. 31. 32. 33. 34.

CUM HUJUSMODI NEC CIBUM SUMERE.] Homines hujusmodi adeo horrete, ut ne convesci quidem cum illis dignemini; neque hoc solum in sacra mensa [9]; tales enim indigni sunt, qui ad illam accedant, donec in eo statu perstiterint: verum neque domi tuæ illos convivio excipias; ut aliquando pudore suffusi de vitæ genere immutando cogitent; & ne flagitiosorum horum hominum consuetudine, tamquam lue quadam tu quoque inficiaris. Cum vero prohibet Apostolus, *nec cibum sumere*; hoc verbo cætera vitæ civilis officia complectitur, ita ut intelligas cum eo familiariter vivendum non esse, domum illius crebro non adeundam, nullum Epistolarum commercium habendum, neque cum illo iter suscipiendum. Memento nihilominus, hunc esse Fratrem tuum; & cave, ne odium peccati in hominis odium migret. Ne habeas illum tamquam inimicum; sed veluti fratrem corrige [10].

℣. 12. QUID ENIM MIHI DE IIS, QUI FORIS SUNT JUDICARE?] Qui videlicet sunt extra Ecclesiam [11]? Cur præcipiam, ut eorum consuetudinem vitetis? numquid eorum Judex sum; numquid illos damnare, & quodammodo per hanc secessionem excommunicare valeo? Quid illis prodesset hæc absentia? Nonne satis norunt, vos Idololatriam, & flagitia sua perhorrescere? An metuendum est mihi, ut vos, ubi semel ea abdicaveritis, iterum in eadem prorueatis? Mihi quidem hæc non satis valida esset ratio, ut vobis omnem cum illis necessitudinem interdicendam censerem, sed præter quam quod in eo statu, in quo res sunt, fieri non posset, ut sine illis essetis omnino, maxime prodest, ut cum iisdem consuescatis, ita enim fortasse sermonibus, atque exemplis eos ad fidem suaviter pertrahere poteritis.

NONNE DE IIS, QUI INTUS SUNT, VOS JUDICATIS?] Nonne judicium meum prævertere debuissetis, atque de medio vestri illum ejicere, qui per incestum suum Ecclesiæ turpitudinis notam inussit? Numquid hoc faciendi jus vobis deerat? cavete ergo, ne cum iis ex fratribus vestris, qui scandalum afferunt, versemini: alios vero, qui sunt extra Ecclesiam Domini judicio relinquite. ℣. 13. *Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit*. Ligfoot in Hor. Hebr. itu hunc, & superiorem versiculum vertit: *cur mihi datum fuit, ut judicarem eos, qui sunt extra Ecclesiam? vos nonne judicatis eos, qui intra sunt? illos enim, qui sunt extra, Deus judicabit*. S. Paulus ait, sibi a Deo potestatem traditam fuisse judicandi, & puniendi eos, qui sunt extra Ecclesiam; qua etiam auctoritate erga Elymam usus est. Fidelibus vero jus est dumtaxat, fratres suos judicandi,

---

1 Chrysostom. Theophylact. Theodoret. Hieronymiast. Tirin. Sclater. Glass. Hamm. Vorst.
2 Est. Justin. Grot. Paræ. Bez. Ligfoot. Ludov. Capell. 3 Chrysostom.
4 Augustin. contra Parmen. lib. 3. cap. 2. *Opus vestrum in hoc mundo illud est, ut peccatores Christo ad salutem lucremini, quod fieri non poterit, si eorum colloquia convictumque fugiatis.*
5 Ἐάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος ᾖ πόρνος, ἢ πλεονέκτης. 6 Chrysostom. Theodoret. & Phot. hic. Iren. lib. 4. cap. 46. Tertull. de Pudicitia cap. 14. Hieronym. in Helvid. Ambros. Calarit. Oecumen. Clarom. & S. Germ. G. L. Ὀνομαζόμενος ᾖ. 7 Nicephor. Constantinop. cap. 37. apud Coteler. vol. 3. Mon. Eccl. Gr. pag. 450. 8 Estius hic. 9 Theodoret. Vorst. Vide & Cleric. ad Hamm.
10 2. Thessal. 3. 15. *Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.*
11 Est. Justin. Menoch. alii plerique.

candi, id vero neque indiscriminatim, nec singulis. Ecclesiæ Principum interest noxios juridice condemnare; simplicium vero fidelium, eorum sententiæ se se submittere.

Quidam [1] Græcum textum [2] aliter interpungebant: *tandem enim quidnam juris mihi adjacet, ut eos judicem, qui sunt extra Ecclesiam? nihil sane. Vos autem judicatis eos, qui sunt in Ecclesia; il vero, qui foris sunt, a Deo judicabuntur*. Ne judicemus Ethnicos; non enim jus nobis est eosdem judicandi: nobisque sufficiat in eos judicium ferre, qui ex fratribus no- A stris in turpe aliquod facinus ceciderint.

℣. 13. AUFERTE MALUM EX VOBIS IPSIS.] Apostolus alludit ad ea verba in Moyse toties reperta [5]: *auferes malum de medio tui*. Exemplaria Græca typis edita legunt: *abscindes impium de medio tui* [4], quam lectionem Interpretes nonnulli sequuti sunt, ac Vulgatæ sensus melior videtur. Auferte hoc scelus, delete, si fieri potest, de medio vestri memoriam illius; ac si diutius illud pertuleritis, timete, ne Deus gravissima quadam calamitate vos ipsos percutiat.

---

1 Chateboll, Hamm. Le Cene. 2 Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; οὐχί. Τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε. Sic aliqui Codd. apud Theophylact. 3 Deut. 13. 5 17. 7 21. 21. 22. 21. 22. 24. 24. 7.
4 Καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. Alii ἐξάρατε, vel ἐξαρεῖτε τὸ πονηρόν. Theodoret. Ald. Theophylact. Vide Hamm. Grot. Calmet.

CAPUT VI.

Lites damnantur, Peccata, quæ Cœli aditum intercludunt. Corpora nostra sunt JESU CHRISTI membra, atque templa Spiritus Sancti. Hæc vero ab impudicitia polluuntur, & profanantur.

1. AUdet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud sanctos? 2 An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? 3 Nescitis, quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? 4 Sæcularia igitur judicia si habueritis: contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. 5 Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? 6 Sed frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles? 7 Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? 8 Sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. 9 An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, 10 Neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. 11 Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. 12 Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. 13 Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori. 14 Deus vero & Dominum suscitavit: & nos suscitabit per virtutem suam. 15 Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. 16 An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. 17 Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. 18 Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. 19 An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri? 20 Empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.

℣. 1. AUDET ALIQUIS VESTRUM,] Apud Judæos erat consuetudo, quæ quasi vim Legis obtinuerat, ne quis coram Ethnicis judicibus, causam ageret [1], quippe qui Judæorum Leges non satis callerent. Cum Judæa A in Provinciam redacta est, Præsides integram reliquerunt Judicibus Populi earum causarum cognitionem, quæ circa Hebraicas leges versabantur, servato sibi dumtaxat jure eas cognoscendi causas, quæ essent de capite, atque vel morte & damnandi, vel absolvendi eos, quo-

---

1 Diuf. Grot. Ligfoot.

quorum vitæ in discrimen adduceretur. In ipsa etiam A captivitate, atque dispersione Hebræi libentissime eorum judicia subibant, quos non sine Principum facultate ex Fratrum suorum numero arbitros, aut Judices eligebant. Primi Christiani eorum exemplum sequuti sunt [1], & S. Paulus præstantissima hac de re eisdem tradit documenta. Non pudet, Christianos & Sanctos inter se dissidia, litesque fovere, atque ultro citroque sibi dicam intendere; id vero præsertim *apud iniquos*, Ethnicos, infideles [2]? Apostolus hoc minime damnat absolute, veluti nefas. Cum enim Christiani nullos haberent Judices publice constitutos, atque legitima authoritate suffultos, opus erat, ut si quando in illis lites oborirentur, ad eorum locorum, ubi aderant, Magistratus confugerent, vel saltem, qui ad illum forum traducebantur, facere non poterant, quin vadimonium sisterent. Itaque illos solum exprobrat Paulus B tamquam de re, quæ ipsis dedecus inferret; quasi inter fideles, nemo ea præditus esset sapientia, ut illos judicare possit: vel quasi non satis mutuo sibimet ipsis confiderent; ideoque sapientiorum judicium refugerent, quos arbitros cooptarent; quandoquidem solemnes Judices esse non poterant ex jurisdictionis defectu.

Deinde vero cum Christiana religio sub Christianis Imperatoribus satis constituta fuit, Episcopi ordinarii Judices fuerunt in sæcularibus etiam eorum negotiis, qui in Diœcesi sua versabantur. Hoc vero munere tanta diligentia, æquitate, ac pietate, Possidio teste [3], S. Augustinus perfungebatur, ut plures etiam alterius communionis ad illum accederent, qui lites eorum di- C judicaret: & S. idem Doctor [4] testatur, maximum sibi negotium peperisse hunc sæcularium, externarumque causarum, quibus obrutus erat, tumultum. Deum testem vocat, se cœnobii sui requiem potius amare, ubi studium, & Oratio manuum labori succedunt, quam ea officia, quibus augebatur implicitas difficilesque causas disceptare, atque ad finem perducere: onus quidem maximi laboris atque aleæ plenum. *Quibus nos molestiis affixit Apostolus*, inquit ille de se; *non utique suo, sed ejus, qui in eo loquebatur, arbitrio*. Extat apud Gratianum [5] Theodosii lex, permittens, ut qui litem agunt coram Ecclesiastico Judice, eandem transigant tunc etiam, cum apud laicum Judicem causa esset instituta: quam Theodosii legem Carolus Magnus instauravit, eamque in Imperio suo pristinæ con- D suetudini reddidit.

ỳ. 2. AN NESCITIS, QUONIAM SANCTI DE HOC MUNDO JUDICABUNT?] juxta eam Salvatoris promissionem Matth. 19. 28. *Amen dico vobis, quod vos, qui sequuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*. At quomodo eum judicabunt? Quidam Patres credunt [6], eos judicaturos per manifestam oppositionem, quæ inter sanctorum, & Apostolorum integerrimam vitam, atque nequissima impiorum, & infidelium scelera late emicabit. Hac antithesi impios damnabit, quemadmodum in eodem capite Salvator ait, a Ninivitis, & Regina Saba in die judicii Judæos esse damnandos [7], eo quod, Ninivitæ quidem Jona prædicante crediderunt, Regina vero de extremis terrarum partibus venit, ut Salomonem videret, atque audiret; cum Judæi minime A audire vellent JESUM CHRISTUM Dei filium, & Messiam suum, qui Jona quidem major erat, Salomone vero sapientior.

Tenent alii [8], illos judicaturos, divinam sententiam approbando; quemadmodum in Regis aula Consiliarii, & Judicum Assessores una cum Præside sententiam proferente, & judicare, & sententiam proferre censentur. Omnes homines coram JESU CHRISTI tribunali peribunt [9], Hirci quidem ad lævam, Agni vero ad dexteram [10]. Apostoli, Sancti, & fideles supremi Judicis judicium subibunt; deinde vero laudabunt, atque approbabunt damnationis sententiam, quam ille contra reprobos proferet. *Judicare* enim hoc in loco pro *condemnare* usurpatur ex Patrum, atque Interpretum sententia. Censet Ligfoot [11], S. Paulum B isthic innuere, Sanctos CHRISTI Fideles aliquando totius terræ judices & mundi Dominos futuros. Hæc autem Apostoli est argumentatio, ut ille putat: nescitis, Sanctos aliquando mundo dominaturos [12]? ne credatis ergo indignum esse, ut illi inter vos sæculares judicent negotia. Sed hæc explicatio nimis violenta videtur. Sensus vero in S. Paulo maxime naturalis est: nescitis, Sanctos Mundi Judices futuros? at si Mundum Sancti judicaturi sunt, numquid minime digni sunt, qui lites dirimant, quæ inter vos subinde oboriuntur?

ỳ. 3. NESCITIS QUONIAM ANGELOS JUDICABIMUS?] Angelos bonos vix judicare possumus, Dei judicium celebrantes, quo illi honore affecti fuerunt; & justam fidelitatis suæ remunerationem approbantes [13]. Nobis enim Angeli semper superiores erunt C propter naturam suam, & Dei Filius in Evangelio nequaquam nobis pollicetur Sanctorum, & Angelorum; sed dumtaxat dæmonum, ac reproborum judicium. Patres etiam atque Interpretes hoc in loco malos Angelos intelligunt [14]. Credunt quidam, Angelorum nomine isthic pravos Sacerdotes indigitari [15]; sed communis sententia est, de pravis Angelis agi; de iis Angelis, *quibus in lavacro renuntiavimus*, ut Tertullianus de cultu Fœminar. p. 171. edit. Rigaltii.

QUANTO MAGIS SÆCULARIA.] Græcus [16] *vitæ hujus negotia*, ea, quæ ad vitam, bona, & victum pertinent; verbo, omnia temporalia negotia [17].

ỳ. 4. SÆCULARIA IGITUR JUDICIA SI HABUERITIS, CONTEMPTIBILES [18] QUI SUNT IN ECCLESIA, ILLOS CONSTITUITE AD JUDICANDUM.] Etenim qui magis contemptibiles sunt in Ecclesia, vel Fidelium D minimi meliores sunt, quam Ethnicorum optimi [19]: At ne credas, Apostolum serio velle, ut Judices eligantur, qui minimi sunt in Ecclesia: quæ sequuntur, satis ostendunt, hanc illius mentem non esse: innuit solum futurum, ut si urgeret necessitas, ut maxime rudibus Fidelibus uteremini, præstaret iisdem uti, quam Gentilium doctissimos eligere. Assumite Judices de medio vestri, ex vobis autem sapientissimum & prudentissimum quemvis judicem constituite. Cavete, ne coram Gentilibus litem agatis; sed litem agite potius, si opus est, coram iis, qui in Ecclesia minimi habentur. Hic est ille sensus, quem Patres, atque Interpretes [20] vulgo huic loco appingunt.

Credit Ligfoot, S. Paulum alludere ad diversa tri- E bunalia, quibus Judæi consueverant, apud quos quetoos erant probata, videlicet magnum Sanhedrin: consilium Judicum trium atque viginti, & Consilium Judicum

1 Constit. Apost. lib. 2. cap. 46. 2 Est. Men. alii passim. Vide Gal. 2. 15. ubi vox *peccatores*, posita est veluti synonymi *Gentiles*. 3 Polid. de Vita August. cap. 19.
4 August. de Opere Monach. cap. 29. 5 Gratian. 2. qu. 1. cap. *quicumque*, &c. *volumus*.
6 Chrysost. Theodoret. Theophyl. Ambrosiast. Hieronymiast. Photius in Biblioth.
7 Matth. 19. 41. 42. 8 Est. Justinian. Erasm. Grot. Paræ. alii. Vide Dionys. Alexandrin. Apud Euseb. lib. 6. cap. 42. Hist. & Eulog. Alex. lib. 5. adversus Novatianos.
9 2. Cor. 5. 10. 10 Matth. 25. 32. 11 Ligfoot. Horæ. Hebr. & Talmud.
12 Dan. 7. 18. 27. Apoc. 20. 4. 13 Ambrosiaster & alii Patres, ita Men. Tirin. Cornel.
14 Chrysost. hic. Theod. Theoph. Tertull. de Pœnit. cap. 7. *Dolet diabolus quod ipsum & Angelos ejus Christi servus ille peccator judicaturus est*. Justinian. Menoc. Grot. alii passim.
15 Chrysost. hic. 16 Μετὰ βιωτικά. 17 Erasm. Est. Grot. alii.
18 Τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. 19 Theodoret.
20 Chrysost. hic. Ita Theodoret. Theophyl. alii Græci & Latini. Est. Vat. Grot. Sclat. Erasm. Menoc. Tir. Ludov. de Dieu.

dicum trium; atque præterea quartum, quod Rabbini *probatum Consilium* appellant. Quintum etiam agnoscunt, quod *non probatum* dicitur [1]; & hoc erat arbitrorum, quos singuli eligere poterant ex partium consensu, ad lites suas dirimendas: & quos, ex auctoris hujus sententia, S. Paulus *Ecclesiæ contemptibiles* vocat. Alii [2] hoc nomine intelligunt Ethnicos: & vertunt. *Si lites sunt in vobis, cur committitis earum judicium viris, quos Ecclesia summopere contemnit?* Cnaebullus alium etiam his verbis sensum tribuit, interpunctionem, & ordinem verborum textus immutans [3]. *Instituite ergo Tribunalia, ut Civilia judicetis negotia, si hos homines, infideles, indignos censetis, a quibus judicemini.* At sensus, qui passim Vulgatæ tribuitur, simplicior est. S. Gregorius Papa [4] jubet, eos Judices constitui, minus videlicet aptos, qui spiritualibus muneribus prædicando atque docendo operam vacent: *ut ipsi videlicet dispensationibus terrenis inserviant, quos bona spiritualia non exornant.*

℣. 5. AD VESTRAM VERECUNDIAM DICO.] His verbis ostendit, ad litteram sumenda non esse ea, quæ dixit. Non cupio quidem, a vobis judices eligi eos, qui in Ecclesia minimi sunt; verum si eo res esset deducta; hoc quidem facere præstaret, quam ad Ethnicos Judices confugere. *Sic non est inter vos Sapiens quisquam, qui possit Judicare inter Fratrem suum?*

℣. 7. JAM QUIDEM OMNINO DELICTUM EST.] Hic textus aperte quamcumque inter Christianos litem condemnat; & S. Paulus statim objectionem prævertit, quæ sibi fieri potuisset. *Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Ne dicatis ergo, vobis calumniam inferri, bona vestra diripi, vos contumeliis proscindi; præstat hæc omnia pati, quam litem contendere. Salvator Matth. 5. 38. non vult nos contra tendere, ubi aliquod malum nobis infertur: *audistis, quia dictum est: oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium &c.* & S. Lucas 6. 30. *qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.* Lites fere necessario infinita secum mala trahunt, charitatis jacturam, iram, temporis detrimentum, dolos, jurgia. Minime licet Christiano viro his se se periculis objicere. Bonorum, atque existimationis detrimentum exiguum malum est, si cum integritatis atque innocentiæ detrimento conferatur. S. Augustinus [5] ad litteram non semel intelligit ea, quæ S. Paulus hic ait, peccatum jam esse contra Fratrem litem intendere, & ipse etiam S. Paulus 2. Timot. 2. 24. palam docet: *Servum Dei non oportet litigare.*

At nullam ne exceptionem hæc regula patitur, numquid hi omnes qui lite agunt, damnandi sunt? numquid injustum est, ea quæ ad nos pertinent, reposcere, jus nostrum tueri, improborum audaciam infringere, bona nostra, existimationem, honorem, atque nostræ familiæ, nostrorumque Fratrum famam defendere? si Lites peccata sunt, quare S. Paulus illas absolute non prohibet; sed hortatur, ut non coram Ethnicis, sed coram Fidelibus, atque Ecclesiasticis Judicibus transigantur? Textus illinc non ait explicite, E Litem jam esse delictum, sed charitatis imminutionem, defectum, imperfectionem; hæc enim proprie est Græci textus significatio [6]. S. Chrysostomus hic, litium mala in eo collocare videtur, quod Christiani per illas religionem suam objiciebant Ethnicorum obtrectationibus, qua in re, tum qui litem infert, tum

A qui eamdem propellit, æque peccant, ait Pater ille. Theophylactus asserit, litem esse damnandam, quia turpis est. Theodoretus inquit, rem odiis plenissimam esse litigare, & longe majoris perfectionis esse id, quod addit Apostolus: *quare non magis injuriam accipitis &c.*

S. Augustinus tenet [7], hoc esse malum ab Apostolo damnatum, atque improbatum, & ob fidelium infirmitatem tunc solum toleratum, ubi coram Judicibus in Ecclesia constitutis decertes; *hoc ipsum habere inter se judicia & lites de sæcularibus rebus, delictum esse dicit: quod tamen ferendum esse admonet, si vel Ecclesiastico judicio lites hujusmodi finiantur.* Ex mera indulgentia lites omnino non damnari, & numquam sine aliquo peccato, veniali saltem, lites haberi; pro quo B ad Dominum tota die clamare tenemur; *dimitte nobis debita nostra.* Haud quidem injustitia est ea petere, quæ nobis debentur, sed malum est, ut illa obtineas, litem agere. Licet ea, quæ nostra sunt, reposcere; sed si qui illa retinet, jam consilium iniit eadem in judicio etiam negandi; hæc jam illi sunt relinquenda, ait S. Augustinus l. 2. de Serm. Dom. in Monte c. 8. *ubi necesse est omni pecunioso debitori dimittere debitum, sed ei, qui reddere noluerit in tantum, ut velit etiam litigare.* At minime decet Dei servum litem decertare, dicit Apostolus 2. Tim 2. 24. Numquam pro terrenis rebus litem instruimus, nisi illa magno amore complectimur; & qui in Christiana religionis perfectione profecerunt, omnia potius perferent, quam litem amplectantur [8].

C Estsunt quasdam hic affert exceptiones, quæ justæ quidem videntur: cum non proprium dumtaxat bonum, vel privatus honor, sed communitatis, vel societatis alicujus existimatio defenditur: cum id fit ea obedientia, sine ira, sine festinatione nimia, & quin charitati officiatur; cum rectum jus defenditur, cum pauperum, viduarum, & pupillorum bona repetuntur; cum Pater familias uxoris suæ, atque filiorum jura tuetur; vel cum illorum bona ab aliis per vim usurpata repetit; vel cum alii eadem conantur eripere, tunc vero præsertim, cum hæc eadem bona eorum victui sunt necessaria; cum homo propriam vitam defendit, præsertim cum vel utilis est, vel plurimorum bono necessaria, quemadmodum egit S. Paulus Cæsarem appellans, ut ex Judæorum calumniis, atque im- D potentia elaberetur. Charitatis etiam nonnumquam interest improborum conatus infringere, ubi ex tua patientia, & ex impunitate, audaciæ, atque temeritatis major illis fieret accessio. Præter hos casus fieri ferme non potest, ut citra peccatum lite contendas; & iis etiam in casibus, ubi justitia magis aperta videtur, difficillimum est pactum illud servare temperamentum, quod prohibet, ne leges Evangelii, ne patientia, integritas, æquitas, & Charitas Christiana lædantur.

℣. 8. SED VOS INJURIAM FACITIS.] S. Chrysostomus hom. 16. in hunc loc. in Corinthiis quatuor errata deprehendit, primum, quod injuriae non perferant; alterum quod aliis inferant; tertium quod judicium ad alienos transferant; quartum quod fratribus suis litem intendant.

℣. 9. AN NESCITIS, QUIA INIQUI.] Iniqui, de quibus isthic loquitur S. Paulus, illi sunt, quorum scelera deinceps narrat; fornicarii, idololatræ, adulteri &c. Illis, qui in hæc scelera ceciderint, regnum Cœli sperandum non est amplius, nisi per seriam pœnitentiam illa expiaverint. Hæc mala non semper æque gra-

---

1 בר שטיגן חיימין Ligfoot. Hor. Talm.
2 Vorst. Castal. Quid. in Cames. Medes. alii.
3 Βιωτικὰ μὲν οὖν κριτήρια, (ἐὰν ἔχητε τοὺς ἐξουθενημένους ἐν ἐκκλησίᾳ τούτους), καθίζετε.
4 Greg. Magn. Pastoral. Curæ parte 2. cap. 7. Idem lib. 19. Moral. cap. 21. *Qui minoris sunt meriti in Ecclesia, & nullis magnarum virtutum meritis pollent, ipsi de terrenis negotiis judicent; Quatenus per quos magna nequeunt, bona minora suppleantur.*
5 Vide August. lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 8. in Psalm. 80. n. 21. & serm. 351. nov. Edit. n. 5. Enchirid. c. 78. & alibi.
6 Ἤδη μὲν οὖν ὅλως ἥττημα ὑμῖν ἐστι. *Defectus, minoratio, diminutio.*
7 August. serm. 351. n. 5. pag. 1355. Idem Enchirid. de Fide, spe, &c. *Tamen cum sinit in Ecclesia talia judicia finiri, ... manifestum est etiam hic quid secundum veniam concedatur infirmis.*
8 Constit. Apostol. lib. 2. cap. 45.

gravia sunt ; quidam enim furtus, quædam obtrectationes venialium criminum fines non excedunt ; sed cum eo usque procedunt, ut gratiæ jacturam faciamus, & animæ nostræ mortem inferamus [1], hæc jam nobis beatæ æternitati aditum intercludunt ; nisi illa, quemadmodum dictum est, per pœnitentiam deleverimus.

℣. 10. NEQUE MOLLES.] Mollitiei scelus bifariam intelligitur, vel de eo, qui ultro ex semetipso se corrumpit [2], vel de eo, qui corpus suum alteri prostituit in teterrimam impudicitiam [3]; non vero, quæ sequitur, *masculorum Concubitores* ea indigitat, qui turpissimam hanc libidinem contra naturam exercent.

MALEDICI.] Græcus [4], qui aliis contumeliosi sunt, eosque injuriis proscindunt, sive adsint, sive absint illi, de quibus obtrectant.

RAPTORES.] Quidam hoc intelligunt de illis, qui mulierem, vel puellam rapiunt [5]; sed plerique hoc de aliorum bonorum raptoribus explicant [2].

℣. 11. ET HÆC QUIDAM FUISTIS.] Quidam ex iis præsertim, qui ex Ethnica religione conversi fuerant, in hujusmodi flagitia ante suam conversionem se abdiderant. S. Paulus hoc fidelibus tantum exprobrat; sed inter Ethnicos pauci ab hujusmodi sceleribus fuerant immunes. Plura Latina exemplaria legunt : *&* *hæc quidem fuistis* : sed vera lectio est : *& hæc quidam fuistis*, quemadmodum ex Græco patet [7].

SED ABLUTI ESTIS.] In baptismate non tantum remissionem peccatorum vestrorum solum recepistis, verum etiam gratiam sanctificantem, & justitiam per meritum JESU CHRISTI, & per Spiritus Sancti virtutem.

℣. 12. OMNIA MIHI LICENT, SED OMNIA NON EXPEDIUNT.] Non satis constat, quem nexum hæc habeant cum reliqua parte sermonum S. Pauli ; & vix vel cum præcedentibus, vel cum sequentibus possunt conjungi. Hæ autem præcipue sunt explicationes, quæ afferuntur. Loquutus est nuper de iis rebus, quæ cœlestis regni aditum intercludunt: hic vero de iis rebus loquitur, quæ in neutram partem vergunt, seu bonam, seu malam, puta bibendi, & manducandi usu, & de iis, quæ Ethnici sibi licere, putabant, videlicet de fornicatione &c. Priores illas, ait, adhuc licere, at minime expedire, iisdem se se mancipare. Primo quod qui immodice cibo, & potu abutitur [8], ejusdem servus fit : *ego sub nullius redigar potestate*. II. quod hæc sunt peritura, brevi duratura, & a Deo quam primum tollenda ; ideoque minime merentur, ut anima æternitati creata illis adhærescat.

Quoad fornicationem, quam Ethnici nullo habebant in discrimine, ostendis, criminosam esse, atque damnatam ; nos per impudicitiam corpora nostra polluere ; hoc scelus eidem JESU CHRISTO contumeliam inferre ; quoniam corpora nostra illius membra sunt, & quod per scortationes membra nostra efficiuntur membra meretricis. Hæc mihi quidem simplicissima hujus loci explicandi ratio videtur.

Nonnulli [9] hoc referunt ad lites, de quibus supra sermo fuit. At enim non licet uti jure meo, & injuriarum mihi illatarum reparationem persequi? utique jure vestro uti potestis, sed non expedit vobis litem instituere, quoniam lites vos tradent in Judicum, atque Oratorum Ethnicorum potestatem, quam servituti subire profecto non expedit. Alii [10]: mihi quidem licebat non secus ac ceteris, ex vobis victum & subsidium, quo indigebam, exigere ; sed malui eo carere, & manuum mearum labore victum mihi comparare.

EGO SUB NULLIUS REDIGAR POTESTATE.] Non patiar, ullam bibendi, vel manducandi cupiditatem

A mihi dominari. Carnibus, & cibo ea utar cum libertate, quam mihi Deus tradidit, & JESUS CHRISTUS mihi acquisivit : sed illa non eo usque abutar, ut indigne hujus cupiditati inserviam [11]. Qui hoc explicant de ea libertate, quam S. Paulus servavit, nihil a Corinthiis recipiens, putans, illum, si a Corinthiis victum recipere voluisset, futurum fuisse ut eisdem quodammodo obnoxius esset ; neque integrum ipsi deinceps esset eos liberrime coarguere.

℣. 13. ESCA VENTRI.] Deus escas creavit, quibus nutriremur, & ventrem, quo illæ concoquerentur. Ad id naturaliter & esca, & venter destinati fuerunt ; sed statim ac immodice nosmet cibo replemus, peccatum adjacet, puta, cum ex sola voluptate, & citra necessitatem, vel utilitatem manducamus ; tunc enim

B esca nocet potius, quam nostræ saluti proficiat. *Deus autem & hunc, & has destruet*, ventrem simul, & escas. Igitur nolite sensibili escæ & gustus voluptati tamquam fini vestro adhærere. Hæc nimis vana sunt, atque brevissimæ diuturnitatis ; neque merentur, ut illis nosmet mancipemus. Illis quidem utiminor tamquam adminiculo ad vitam ducendam necessario : verum, ne illas tamquam beatitudinis vestræ objectum perquiratis. Cum mors aderit, & venter, & esca, & compotatio, & gustus voluptas, ut ita dicam, destruentur [12]; ubi vero resurgemus, induemus quidem corpus, uti nunc, elaboratum, sed venter, & corpus esca non amplius indigebunt. *Erimus velut Angeli Dei*, Matth. 22. 30.

CORPUS NON FORNICATIONI SED DOMINO.] Fornicatio

C nequaquam indifferens est veluti potus, & esca, sed justitiæ adversatur ; corpora nostra Dei sunt tamquam Creatoris, & JESU CHRISTI tamquam Salvatoris : nostris ergo membris nonnisi ad majorem illius gloriam, & servitutem utendum est. At fornicatio non solum non honorat Deum, verum etiam dedecorat JESUM CHRISTUM, cujus facti sumus membra per Baptismum, & qui corpora nostra resuscitaturus est, quemadmodum ipse per virtutem Patris resurrexit. Qui adhæret meretrici, fit quodammodo unum corpus cum illa. At quodnam sacrilegium est, quæ injustitia, ex JESU CHRISTI membris, membra facere meretricis, & criminosa impudicitia corrumpere corpus resurrectioni, æternæque gloriæ destinatum? nihil profecto solidius, atque sublimius his rationibus afferri

D potest, ut integerrimam corporis & cordis puritatem servemus.

℣. 15. CORPORA VESTRA MEMBRA SUNT CHRISTI.] Insiti sumus quodammodo in JESU CHRISTI corpus per baptismum, & adoptionis gratiam, quæ non animæ solum, verum etiam corpori CHRISTI fidelium communicata est ; quoniam corpus est animæ instrumentum, & post resurrectionem cum eadem iterum conjungendum est, simul cum ipsa æterna beatitudine perfruiturum.

℣. 16. UNUM CORPUS EFFICITUR ;] per sexuum unionem. S. Paulus ad criminosum viri cum meretrice concubitum ea transfert, quæ ab initio dixit Deus de viri, & uxoris conjunctione. Gen. 2. 24. *& erunt duo in carne una* : quippe naturalem dumtaxat actionem

E considerat, non autem moralem deformitatem, quæ fornicationem a licito conjugii usu distinguit [13].

℣. 17. QUI ADHÆRET DOMINO, UNUS SPIRITUS EST.] Christiani viri anima est quodammodo JESU CHRISTI Sponsa ; illi vinculis fidei, charitatis, & baptismatis adhæret ; eaque unio est omnino spiritualis. Vulgo Conjuges in una, eademque carne conjunguntur : in hoc vero spirituali conjugio JESUS CHRI-

1 August. Oper. imperfecti contra Julian. lib. 2. cap. 97. Et lib. de Perfect. justit. cap. 4. lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 22. de Correptione & grat. cap. 12. 2 Syr. Grot. Tir.
3 Grot. Men. Theophyl. D. Thom. Vide maxime Grot. 4 Λοίδοροι, *Conviciatores*.
5 Hamm. Le Clerc. 6 Tertull. lib. de Pudicitia, cap. 16. Cyprian. ad Quirin. cap. 3. §. 65. Iren. lib. 4. cap. 46. 72. lib. 5. cap. 11. August. lib. 12. de Pœnit. Hæc aliquando, &c. Clarom. S. Germ. Lat. Quidem. Sed Gr. τινές. Edit. Sixt. V. Quidam, & alii innumeri.
7 Καὶ ταῦτά τινες ἦτε. 8 Vide Chrysost. hic.
9 Est. Tirin. Menoch. Vide & Anselm. seu Hervæum, D. Thom. Cornel.
10 Ambrosiast. D. Thom. 11 Chrysost. hic. homil. cap. 7. 12 Vide Est. Grot. Menoch. Patres. 13 D. Thom. Est. Tirin. &c.

stus ejusque Fideles conjunguntur in eodem Spiritu : *unus Spiritus est*. Debemus vivere de Spiritu Jesu Christi, de illius gratia, & amore, & unum tantum in illu cor, unam voluntatem habere nos decet : quos qui in animo affectus foverit, ne illæ quidem ab omni libidine & carnis desiderio abhorrebit.

℣. 18. Fugite fornicationem.] Quædam peccata sunt, quibus nos reluctari oportet, & quorum vim vi propulsare debemus : sed ubi periculum est, ne pudicitia labefactetur, fuga corripienda est [1], occasiones omnes evitandæ, & omnia semovenda a nobis objecta, quæ impuri amoris ignem possint accendere. Sensibus nostris invigilare debemus; cum oculis, auribusque pacisci, ne videamus, ne audiamus aliquid, quod concupiscentiam nostram possit pellicere. Mens, animusque optimis sententiis, sanctissimisque cogitationibus replendi sunt, quæ nobis sint tamquam antidota quædam adversus illud studium, quo interius ad voluptatem pertrahimur : corpus mortificandum est, atque in servitutem redigendum, ne contra spiritum insurgat; hoc vocatur, fugere fornicationem. Hic hostis est, qui nos summa calliditate persequitur; illum pro virili fugite [2].

Qui autem fornicatur,] in corpus suum peccat. Furtum, violentia, ebrietas, & pleraque scelera, non secus ac libidinosæ actiones corporis opera committuntur; sed alia crimina non eandem corpori contumeliam inferunt, quam impudicitia. Hoc illa non polluunt, neque adeo turpem notam illi inurunt [3]. S. Chrysostomus, Theodoretus, & Oecumenius testantur, illos, qui ad meretricem accessissent, statim ad balneum se se conferre consuevisse, tamquam ad eluendas sordes, quas ex immundi corporis attactu contraxerant. Credunt quidam, S. Paulum ad morbos, atque obscænos libidinis effectus alludere. Qui scortatus fuerit, peccat in corpus suum, illud offendit, dedecorat, & quodammodo destruit.

℣. 19. Membra vestra [4] templum sunt Spiritus Sancti.] Superius dixit, Corpus Christiani esse membrum Jesu Christi : hic vero ait, Illud ipsum esse templum Spiritus Sancti. Nihil profecto hoc amplius, nihil gloriosius Christiano viro dici potest; & simul nihil proponi potest fortius, ut cogatur, corpus suum revereri, ne illud impuris, fœdis, atque indignis sanctitate Filii Dei, & Spiritus Sancti, actionibus polluat [5]. Templa sumus Spiritus Sancti, in nobis per gratiam, amorem, justitiam, inhabitantis.

℣. 20. Empti enim estis pretio magno.] Græcus non legit, *magno* [6], sed tantum *empti estis pretio*. Latini quidam Patres [7] eam vocem omittunt : sed alii [8] eam legunt, Pretio sanguinis sui nos Jesus Christus redemit : Itaque ad illum pertinemus, non secus ac Servus Domino, qui pro illo certum pretium erogavit. Non sumus amplius nostri juris, non debemus vivere, & agere, nisi ut gloriam illius procuremus : *glorificate, & portate Deum in corpore vestro*. Vosmet considerate, tamquam supremum Dominum in medio vestri ferentes; vos estis tamquam illius Arca, atque Templum. Corpus igitur vestrum summa colite observantia propter eum, qui ibi inhabitare dignatur. Perpendite, qua reverentia Sacerdotes fœderis Arcam deferrent, cum Israelitarum agmen ageretur. Vos aliquid sanctius atque terribilius adhuc defertis; quandoquidem geritis ipsum Jesum Christum, atque Sanctum Spiritum illius. Qua igitur integritate, qua innocentia, vitam traducatis oportet?

Græcus [9], *glorificate Deum in corpore vestro, & in Spiritu vestro, qui ad Deum pertinent*; sed Latini Patres, & Divus Chrysostomus [10], Vulgatæ conformes sunt, & illa omittunt verba : *& in spiritu vestro, qui pertinent ad Deum*, quæ neque in vetustissimis, optimisque Manuscriptis leguntur. Corinthii in Urbe, Græciæ totius corruptissima, vivebant : ibi Veneris Templum erat; ubi sexcentæ & ultra mulieres in numinis illius honorem se se prostituebant [11] : ideoque Apostolus hanc sæpius tundit incudem, & Corinthiis fidelibus adeo valida argumenta proponit, ut illos a libidine avertat.

1 Chrysost. hic, homil. 18. 2 Theodoret. hic.
3 Nyssen. Justinian. Est. Menoch. Tirin. Sclater. &c. 4 Græc. Ἢ οὐκ οἴδατε ὅτι τὸ σῶμα ὑμῶν ναὸς τοῦ ἐν ὑμῖν ἁγίου πνεύματός ἐστιν. Alii τὰ σώματα. *Corpus vestrum*, vel, *corpora vestra*. Plerique antiqui Patres Latini legunt: *Corpora*. Ambros. Hieronym. August. Vide Mill. & Est.
5 Tertull. l. 2. de Cultu fœminar. *Cum omnes templa simus Dei, illato in nos & consecrato Spiritu Sancto, ejus templi æditua & antistita pudicitia est, quæ nihil immundum ac profanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.* 6 Ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς.
7 Tertull. de Pudicit. cap. 16. & ad Uxor. lib. 2. cap. 3. & Ambros. l. 2. de Cain & Abel, cap. 3. & Epist. lib. 2. ep. 3. 8 Tertull. de Carne Christi, cap. 4. contra Marcion. lib. 5. cap. 7. & lib. de Pudicit. cap. 6. Cyprian. ad Quirin. paragraf. 11. Hilar. in Psal. 135. Ambrosiast. Augustin. Optat. alii.
9 Δοξάσατε δὴ τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν, καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ.
10 Vide Mill. hic. & Chrysost. in edit. Veron. & Savil. Δοξάσατε δή, ἄρατε τὸν Θεόν.
11 Strabo, lib. 8. alii.

CAPUT VII.

Documenta nuptis tradita pro usu Conjugii. Quid Fidelibus agendum cum Uxoribus infidelibus; vel e contra. Elogium Virginitatis, quæ conjugali statui est præferenda. Vidua alium virum habere potest; at melius erit, si sine viro permaneat.

1. De quibus autem scripsistis mihi : Bonum est homini mulierem non tange-
re : 2 Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat,
& unaquæque suum virum habeat. 3 Uxori vir debitum reddat : similiter
autem & uxor viro. 4 Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Simili-
ter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. 5 Nolite frau-
dare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi : & iterum re-
vertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. 6
Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. 7 Volo enim

omnes

omnes vos esse sicut meipsum : sed unusquisque proprium donum habet ex Deo :
alius quidem sic , alius vero sic . 8 Dico autem non nuptis , & viduis : bonum
est illis , si sic permaneant , sicut & ego . 9 Quod si non se continent , nubant . Me-
lius est enim nubere , quam uri . 10 Iis autem , qui matrimonio juncti sunt , præ-
cipio non ego , sed Dominus , uxorem a viro non discedere . 11 Quod si discesse-
rit , manere innuptam , aut viro suo reconciliari . Et vir uxorem non dimittat . 12
Nam cæteris ego dico , non Dominus . Si quis frater uxorem habet infidelem , & hæc
consentit habitare cum illo , non dimittat illam . 13 Et si qua mulier fidelis habet
virum infidelem , & hic consentit habitare cum illa , non dimittat virum : 14 San-
ctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem , & sanctificata est mulier infidelis
per virum fidelem : alioquin filii vestri immundi essent , nunc autem sancti sunt . 15
Quod si infidelis discedit , discedat : non enim servituti subjectus est frater , aut soror
in hujusmodi : in pace autem vocavit nos Deus . 16 Unde enim scis , mulier , si vi-
rum salvum facies ? aut unde scis vir , si mulierem salvam facies ? 17 Nisi unicui-
que sicut divisit Dominus , unumquemque sicut vocavit Deus , ita ambulet , & sicut
in omnibus ecclesiis doceo . 18 Circumcisus aliquis vocatus est ? non adducat præ-
putium . In præputio aliquis vocatus est ? non circumcidatur . 19 Circumcisio nihil
est , præputium nihil est : sed observatio mandatorum Dei . 20 Unusquisque , in
qua vocatione vocatus est , in ea permaneat . 21 Servus vocatus es ? non sit tibi
curæ : sed & si potes fieri liber , magis utere . 22 Qui enim in Domino vocatus est
servus , libertus est Domini : similiter qui liber vocatus est , servus est Christi . 23
Pretio empti estis , nolite fieri servi hominum . 24 Unusquisque in quo vocatus est ,
fratres , in hoc permaneat apud Deum . 25 De virginibus autem præceptum Domini
non habeo : consilium autem do , tamquam misericordiam consecutus a Domino , ut
sim fidelis . 26 Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem , quo-
niam bonum est homini sic esse . 27 Alligatus es uxori ? noli quærere solutionem .
Solutus es ab uxore ? noli quærere uxorem . 28 Si autem acceperis uxorem , non
peccasti . Et si nupserit virgo , non peccavit : tribulationem tamen carnis habebunt
hujusmodi . Ego autem vobis parco . 29 Hoc itaque dico , fratres : Tempus breve
est : reliquum est , ut & qui habent uxores , tamquam non habentes sint : 30 Et
qui flent , tamquam non flentes : & qui gaudent , tamquam non gaudentes : & qui e-
munt , tamquam non possidentes : 31 Et qui utuntur hoc mundo , tamquam non u-
tantur : præterit enim figura hujus mundi . 32 Volo autem vos sine solicitudine esse .
Qui sine uxore est , sollicitus est , quæ Domini sunt , quomodo placeat Deo . 33
Qui autem cum uxore est , sollicitus est , quæ sunt mundi , quomodo placeat uxori ,
& divisus est . 34 Et mulier innupta , & virgo cogitat , quæ Domini sunt ; ut sit
sancta corpore , & spiritu . Quæ autem nupta est , cogitat , quæ sunt mundi , quo-
modo placeat viro . 35 Porro hoc ad utilitatem vestram dico : non ut laqueum vo-
bis injiciam , sed ad id , quod honestum est , & quod facultatem præbeat sine impedi-
mento Dominum obsecrandi . 36 Si quis autem turpem se videri existimat super vir-
gine sua , quod sit superadulta , & ita oportet fieri : quod vult faciat : non peccat ,
si nubat . 37 Nam qui statuit in corde suo firmus , non habens necessitatem , pote-
statem autem habens suæ voluntatis , & hoc judicavit in corde suo , servare virginem
suam , bene facit . 38 Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam , bene facit : &
qui non jungit , melius facit . 39 Mulier alligata est legi , quanto tempore vir ejus
vivit : quod si dormierit vir ejus , liberata est : cui vult nubat : tantum in Domino .
40 Beatior autem erit , si sic permanserit secundum meum consilium : puto autem
quod & ego Spiritum Dei habeam .

§.1. DE QUIBUS AUTEM SCRIPSISTIS MIHI .] Ecclesiæ Corinthiacæ capita scripserant S. Paulo , per Fortunatum , Stephanum , & Achaicum , & ex illo quæsi- A. verant , qua via sibi insistendum esset in usu conjugii ; & utrum expediret uxorem ducere , an virginitatem [1] servare . Quæstionem hanc Ethnici sæpius agitaverant [2], & fidei propius videtur , Fideles Corinthi , qui magno-

1 Chrysost. Theodoret. alii. 2 Musonius & Hierocles apud Stobæum. Alii apud Grot. hic. Metellus Numidic. in oratione , quam Censor habuit : *Si sine uxore possemus , Quirites , esse , omnes ea molestia careremus ; sed quoniam ita natura tradidit , ut nec cum illis satis commode , nec sine illis ullo modo vivi possit , saluti perpetuæ potius , quam brevi voluptati consulendum .*

laboris sui, eumque egregie remunerabitur.

℣. 15. SI CUJUS OPUS ARSERIT.] Si quis super bonum fundamentum ædificans stipulas tantum, ac fœnum congesserit; hoc est, si humanam tantum, inanem, vacuamque doctrinam prædicaverit, *detrimentum patietur*; opus suum non vigebit, neque ille laborum suorum mercedem ullam inveniet: *ipse tamen salvus erit; sic tamen quasi per ignem*: Non secus ac homo ambustus, qui per incendium aufugit, id unum quærens, ut per flammas viam sibi aperiat, nihil eorum curans, quæ in domo relinquit [1]. Aufugere per ignem, adagialis est loquendi ratio; cujus exempla cum apud sacros, cum apud profanos auctores reperiuntur. Amos c. 4. 2. & Zacharias c. 3. ita loquuntur; *facti estis, ut torris raptus ex incendio*. Et S. Judas ℣. 23. *& hos quidem arguite judicatos, illos vero salvate de igne rapientes*. Apud Titum Livium l. 22. c. 40. Paulus Æmilius se ait *populare incendium priore consulatu semiustum effugisse*. Cicero de vita humana disserens ait, melius fore, si nati non essemus, nam ubi quis natus est, si quamprimum ex hac vita fuerit ereptus, atque ex manibus Fortunæ tamquam ex incendio elapsus, præclare sibi factum debet existimare [2]; *tamquam ex incendio aufugere Fortunæ*. Eadem etiam cogitatione proposita ad mortis contemptum S. Cyprianus ep. 66. hortatur: *exeunda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis supervenientibus concremetur; nemo diu tutus est periculo proximus*.

Ignis, de quo S. Paulus loquitur, ex Patrum, atque Theologorum Catholicorum sententia ignis est Purgatorii. Mali doctores, hypocritæ, nebulones, lupi, qui ovile ingrediuntur, ut mactent, jugulent, occidant; in inferorum præcipites dabuntur, ibi æternum cremandi; nam non aliquid super bonum fundamentum ædificarent, quantum in ipsis fuit, illud ipsum everterunt, atque stirpitus convulserunt. Vide infra ℣. 17. At alii Prædicatores, qui per infirmitatem, vel nimiam scientiæ, aut humanæ eloquentiæ suæ existimationem super illud fundamentum stipulas fœnumque congesserunt, salvi erunt, *sic tamen quasi per ignem*; judicium, ac debitam sibi pœnam minime effugient; sed eorum infirmitati Deus condonabit. Hæc omnia in altera vita fiunt per ignem Purgatorii, post mortem singulorum; & fiet etiam sub finem sæculorum ante generalem resurrectionem per ignem illum, de quo ℣. 13. loquuti sumus [3].

℣. 16. NESCITIS, QUIA TEMPLUM DEI ESTIS.] Hactenus de Templi fundamento, atque ædificio verba fecit: JESUS CHRISTUS est fundamentum, Apostoli sunt ædificatores, Ecclesia ædificium, & fideles singuli tamquam lapides in Templi hujus ædificatione adhibentur [4]. Omnes simul, & singuli seorsim Templum sunt Dei, quoniam Spiritus Sanctus in illis inhabitat. Cum superius ædificantium genera exposuerit, eorum isthic exponit officia, qui Templa sunt Domini viventis. Vos autem Fratres mei, qui Templum Dei estis, ædificatum super fundamentum Prophetarum, Apostolorum, & JESU CHRISTI [5]; fidei puritatem atque morum integritatem servate. Effugite hos pseudo Apostolos, quorum alii quidem evertere tantum quærunt, alii vero fœnum, ligna, atque stipulas duntaxat super fundamentum congerunt. Vos inquam constantes estote in ea fide, quam recepistis ex nobis, neque omni vento doctrinæ circumferri patiamini [6].

SPIRITUS DEI HABITAT IN VOBIS.] Per gratiam, per spiritualia sua dona, per seipsum. Cap. 6. 19. ait, Fideles repletos esse Spiritu Sancto: ergo Spiritus Sanctus est Deus [7]; quoniam cum simus Templa Spiritus Sancti, Dei Templa sumus. Arca fœderis in Templo Jerusalem quoddam erat veluti pignus præsentiæ Dei: at Spiritus Sanctus, qui nos animat, qui nos regit, qui nos sanctificat, non solum pignus est atque nota præsentiæ Dei in nobis; sed est ipse Deus habitans in cordibus nostris.

℣. 17. SI QUIS AUTEM TEMPLUM DEI VIOLAVERIT, DISPERDET ILLUM DEUS [8].] Spirituale Ecclesiæ Templum violatur perversis, atque perniciosis doctrinis, quæ ædificium subvertunt, atque ipsa fundamenta concutiunt; violatur, cum prava invehuntur exempla, atque periculosa præcepta: violatur, cum tumultus, atque dissidia seruntur, & scandala præbentur. Quilibet tandem interius Templum suum violat, ejusque sanctitatem corrumpit depravatis moribus, atque flagitiosa vivendi ratione. Hujusmodi vero homines nequaquam salvi fient, quasi per flammas transeuntes; sed æternum peribunt. *Disperdet illum Deus*.

℣. 18. NEMO SE SEDUCAT.] Postquam illos contra falsos Doctores præmonuit, eosdem hortatur, ut caveant a semetipsis, a curiositate, superbia, philautia. Corinthii sapientiæ, vel philosophiæ, eloquentiæ, atque difficilium scientiarum laudem sibi maxime vendicabant: illis ergo detegit Apostolus ea pericula, quæ in hoc laudis amore, qui tantam præseferre videtur integritatem, delitescunt. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo; stultus fiat, ut sit sapiens*. Si litteraturam, philosophiam, eloquentiam, & ea, quæ mortales habent in pretio, jactitatis; omnia hæc inanis studia relinquite, ut veram sapientiam, videlicet sapientiam Crucis JESU CHRISTI amplectamini. Scientias nauci ducendas esse existimate, ubi cum scientia salutis atque Evangelii comparentur. Si mundus hanc stultitiam appellat, ne vos pudeat, mundo in hoc sensu stultos videri.

℣. 19. SAPIENTIA ENIM HUJUS MUNDI.] Si Crucis sapientia stultitia est in oculis hominum; vicissim & Mundi sapientia stultitia est in oculis Dei. Hoc unum agitur, ut nempe videamus, uter Deus ne, an mundus in judicio suo falli possit; duo enim contraria adeo opposita, utraque vera simul esse non possunt. Scriptura sane Deo litem adjudicat: *comprehendam sapientes in astutia eorum*. Ostendam, omnem illorum prudentiam errorem esse, atque cæcitatem. Principes Sacerdotum futurum crediderunt, ut ablato JESU CHRISTO illius Ecclesiam auferrent: quæ res immo eamdem constituit. Censuerunt Imperatores, e Republica esse, veterem Religionem tueri, Christianam vero omnibus viribus, & conatibus persequi: sed persecutiones Ethnicam quidem Religionem deleverunt; Ecclesiam vero magis magisque confirmarunt. Philosophi omnem eloquentiæ vim, argumentorum robur, eruditionum supellectilem, nominis sui authoritatem impenderunt, ut sententias, quas afferebant, probarent: sed votis suis exciderunt: JESUS CHRISTUS hæc omnia humana adminicula contempsit, neque in ipsa Idololatriæ, Philosophiæ, atque diabolici regni ruina, suam Ecclesiam constituit.

℣. 20. DOMINUS NOVIT COGITATIONES SAPIENTIUM.] Psalmus 94. 11. ad litteram legit: *cogitationes hominum*: sed Textus, atque circumstantiæ satis ostendunt, ibi præsertim agi de cogitationibus, consiliis hominum secundum carnem prudentium.

℣. 21. NEMO ITAQUE GLORIETUR.] Nemo dicat amplius, ego sum Pauli, ego Apollinis; nemo magistrum suum super cæteros extollat, neque in Ecclesiam,

---

1 Vide Hamm. hic, & Estr. hic. 2 Cicero de Consolatione. 3 August. lib. 21. de Civ. cap. 13. & 16. 4 1. Petr. 2. 4. 5. *Et vos tamquam lapides vivi superædificamini*.

5 Ephes. 2. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. 6 Ephes. 4. 14. *Et circumferamur omni vento doctrinæ*.

7 August. lib. 3. contra Maximin. cap. 11. 8 Εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει, φθερεῖ τοῦτον ὁ Θεός. *Si quis Templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus. Quod verbum metuentes multi Latini Interpretes, noluerunt dicere corrumpet, sed disperdet illum Deus. Et non devitantes a reipsa offensionem vocabuli devitarunt*. August. contra Epist. fundamenti, cap. 39. Tertull. de Pudicitia, cap. 16. & alibi. *Si quis templum Dei violaverit, vitiabit illum Deus*.

ſiam, Sectarum varietatem inferat, uti eſt apud Philoſophos, ubi alii Platonici, alii Stoici, alii Peripatetici, aliique nominibus dicebantur [1]. A

℣. 22. OMNIA ENIM VESTRA SUNT.] Omnia pro vobis ad veſtram doctrinam, & ſanctificationem Deus deſtinavit [2]: *omnia ſuſtineo propter electos*, ajebat S. Paulus 2. Tim. 2. 10. *ut & ipſi ſalutem conſequantur*. Paulus, Cephas, Apollo inſtrumenta tantummodo ſunt, quibus utitur Deus, ut vos ad æternam adducat felicitatem. Doctores pro vobis ſunt, ſed vos non eſtis pro illis. Ne turbetis ergo ordinem Dei, exiſtimantes finem veſtrum, ac præcipuum objectum illud eſſe, quod medium dumtaxat eſt, ut ad finem veſtram perveniatis.

℣. 23. VOS AUTEM CHRISTI.] Hic eſt eſſentialis ordo a Deo in Terris inſtitutus. Deus unicum eſt objectum, finis unicus rerum omnium; ad illum omnia referenda ſunt, quæcumque ſunt in Cœlo, & in Terra. Ipſe etiam JESUS CHRISTUS in univerſa temporalis vitæ ſuæ œconomia non aliud, quam Patris ſui gloriam, quæſivit [3]. Apoſtoli, aliique Evangelii Præcones ob id unum prædicant, ut animas ad Dei cognitionem, atque amorem perducant. Denique Fideles ſinguli illuc tantum contendere debent, ut Domini gloriam procurent, ſalutem ſuam cum timore, & charitate operantes. Itaque licet in Mundo omnia ſuſque deque perturbata videantur, Deus eſt vere Deus in rebus omnibus: *ut ſit Deus omnia in omnibus*, 1. Cor. 15. 28. Omnia facit pro ſe ipſo, & impii etiam, licet inviti, ad ejus gloriam conferunt [4]. Ad Deum igitur omnia referte, in illo, & per illum vivite, atque gloriam veſtram in uno illo collocate.

---

1 Vide Grot. Vorſt. 2 Rom. 8. 28. *Omnia cooperantur in bonum his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* 3 Joan. 7. 18. 14. 28. 1. Cor. 11. 3. 4 Prov. 16. 4. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, quoque impium ad diem malum.*

C A P U T IV.

Judicium de Prædicatoribus faciendum. Ante tempus non judicandum. Non gloriandum in donis Dei. Apoſtolorum conditio laborioſa, & in oculis Mundi contemptibilis. S. Paulus quamprimum Corinthum eſt profecturus.

1. SIc nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum
Dei. 2 Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.
3 Mihi autem pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die:
ſed neque meipſum judico. 4 Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc
juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt. 5 Itaque nolite ante tempus
judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum,
& manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo. 6
Hæc autem, fratres, transfiguravi in me, & Apollo, propter vos: ut in nobis
diſcatis, ne ſupra quam ſcriptum eſt, unus adverſus alterum infletur pro alio. 7
Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti,
quid gloriaris, quaſi non acceperis? 8 Jam ſaturati eſtis, jam divites facti
eſtis: ſine nobis regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiſcum regnemus.
9 Puto enim, quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tamquam morti deſtinatos:
quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. 10
Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos
autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. 11 Uſque in hanc horam &
eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus.
12 Et laboramus operantes manibus noſtris: maledicimur, & benedicimus: perſecutionem
patimur, & ſuſtinemus. 13 Blaſphemamur, & obſecramus: tamquam
purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc. 14 Non
ut confundam vos, hæc ſcribo, ſed ut filios meos chariſſimos moneo. 15 Nam
ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. Nam
in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui. 16 Rogo ergo vos, imitatores
mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. 17 Ideo miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius
meus chariſſimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas,
quæ ſunt in Chriſto Jeſu, ſicut ubique in omni Eccleſia doceo. 18 Tamquam
non venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt quidam. 19 Veniam autem ad vos cito,
ſi Dominus voluerit: & cognoſcam non ſermonem eorum, qui inflati ſunt,
ſed virtutem. 20 Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. 21
Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?

℣. 1. SIC NOS EXISTIMET HOMO.] Corinthii bifariam peccabant eo in conceptu, quem de Apostolis suis animo imbiberant. Alios quidem nimium colebant, alios vero non satis digne existimabant. Philosophiæ, eloquentiæ, humanarumque scientiarum amatores ad Cœlum usque eos attollebant, qui hæc studia cum Evangelii prædicatione conjungerent; eos vero contemnebant, qui JESUM CHRISTUM simplici ratione, atque nullo artis fuco annunciarunt. Alii S. Paulo, Cephæ, & Apollini hærebant adeo, ut se eorum Sectatores, ac Discipulos palam profiterentur; cum alii interim novos Doctores quærerent, qui studiis suis obsequerentur. Apostolus ergo, ut doceat quamnam Magistrorum ideam concipere deceat, quæ æqua sit, atque rationabilis; ait [1], Doctores simpliciter considerandos esse, tamquam *Ministros CHRISTI, & dispensatores mysteriorum Dei*. Si hac ratione eosdem respexeritis, ea, qua par est, observantia illos excipietis, neque nimium amorem erga illos fovebitis, quoniam in eorum persona Deum solummodo considerabitis.

℣. 2. HIC JAM QUÆRITUR [2] INTER DISPENSATORES.] Apostoli omnes, & Evangelii Præcones sunt Ministri Dei, & dispensatores mysteriorum, atque abditarum veritatum ejus, sed non omnes fideles sunt, neque omnes eamdem existimationem merentur. Qui Domini sui bona contra ejusdem mentem distribuit, infidelis est dispensator; Minister Ecclesiæ, qui currit, quin mittatur; qui prædicat, quin hæc sibi provincia demandetur, infidelis est dispensator. Qui super solidum JESU CHRISTI fundamentum fœnum, stipulasque superædificat, infidelis est dispensator. Discite ergo, o Corinthii, eos, qui vobis JESUM CHRISTUM annunciant, dignoscere; non enim omnes hoc præstant, quemadmodum opus est, neque merentur, ut illis cures, atque fidem præbeatis.

℣. 3. MIHI AUTEM PRO MINIMO EST, UT A VOBIS JUDICER, AUT AB HUMANO DIE [3].] Hoc est a quovis homine, in humano judicio [4]. Credit S. Hieronymus, hanc locutionem esse Cilicum propriam, quam S. Paulus ex Patrio sermone servaverit. Alii vero Hebraismum esse putant. *Dies Domini* sæpe judicium, atque ultionem Dei significat [5]; & Jeremias hominis diem dixit pro hominis judicio [6]: *diem hominis non desideravi, tu scis*. Theodoretus, per diem hominis humanæ vitæ brevitatem intelligit, Theophylactus, judicium hominis digonere constituit; nam Scriptura, inquit ille, hominis dignitatem, diem hominis vocare consuevit. Ambrosiaster vero de Legibus in Mundo constitutis interpretatur; sed prior passim sensus ab Interpretibus probatur.

S. Paulus id occupat, quod sibi objici posse videbat; ais, Prædicatores non aliud esse, quam dispensatores mysteriorum Dei, & non omnes fideles esse; quomodo igitur fideles ab infidelibus sunt distinguendi? numquid tu unus es dispensator fidelis? de me credite quodcumque vobis lubet, reddit ille; hominum judicia mihi negotium non facessunt, neque meipsum judico; vereor enim, ne mei amore decipiar, sed Dominus est, qui judicat. Etiam, atque etiam vos moneo, ut judicio vestro abstineatis iis in rebus, quæ palam prava non sunt, & ne supremi Judicis sententiam prævertere audeatis, sed persistatis in simplicitate, atque humilitate, quin imprudenter homini alicui adhæreatis, atque contra fratres vestros superbia elati insurgatis. Hæc sunt, quæ Apostolus ait vers. 4. 5. 6.

℣. 4. NIHIL MIHI CONSCIUS SUM.] Licet minime sciam, ullam mihi in munere perfungendo fidelitatem, aut diligentiam defuisse; affirmare tamen non ausim, me coram Deo innocentem esse, atque ad unguem omnibus ministerii mei officiis fuisse defunctum. Deus in me videre potest defectus, quos ego non novi [7]; semper mihi metuenda sunt, & mea ignorantiæ peccata, & aliena, quibus fortasse præbui occasionem; igitur supremi Judicis judicium præstolabor. Tanta hæc Summi Apostoli humilitas audaciam nostram compescere debet, qua judicare non ambigimus de proximis nostris, & eorum sensus damnare, quos sæpe non satis intelligimus; neque minus adversatur eorum menti, qui putant, singulos fideles justificatos esse, ubi constanter sibi persuaserint de propria justificatione, quam sententiam jure Tridentinum Concilium Sess. 6. can. 14. proscripsit.

℣. 5. NOLITE ANTE TEMPUS JUDICARE.] Non is mihi est animus, ut velim Dei judicium de aliis Prædicatoribus prævertere, neque vos impellere, ut causa non cognita eosdem damnetis. Dei judicium expectemus, *qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo*. Tunc videbimus, quales sint illi ex operibus, quæ produxerint. Si opus eorum tamquam aurum igni probatum, resistit; illis justam, quam merentur, laudem conferemus; sin autem, illos damnabimus, postquam summus Judex suum judicium protulerit. Non vetat S. Paulus, nos tunc judicare, cum malum manifestum est; ut enim illud fugiamus a nobis cognoscendum est: at cavet, ne inique de proximo nostro judicemus, quin illius crimen certissime nobis sit exploratum.

℣. 6. HÆC AUTEM TRANSFIGURAVI IN ME, & APOLLO.] Crediderunt quidam veteres [8] in hunc locum, S. Paulum se ipsum cum Apolline proposuisse, tamquam simulatum dissensionis exemplum, qua Corinthii distinebantur; ne afferret eorum nomina, qui vere dissensioni occasionem præbuerant. Sed ea omnia, quæ hactenus vidimus, satis probant, S. Paulum, & Apollinem, & fortasse Cephem, aliosque etiam nonnullos, quos minime nominat, Corinthiacæ dissensionis objectum fuisse; verum inquit, se Paulum, Apollinem, & Cepham appellasse, ne probrum inferre videretur, & Corinthiis, qui per summam animi infirmitatem levissime in eam dissensionem abierant [9], & eorum magistris, qui hoc dissidium pepulerant, quin illud auferre adniterentur; vel etiam, qui fortasse oleum camino addiderant.

UT IN NOBIS DISCATIS.] Humilis de vobismetipsis fovere sensus, neque præcipiti festinatione judicia proferre, neque leviter proximo vestro nigrum terba affingere: *ne supra quam scriptum est*; ut discatis videlicet hærere fortiter regulæ, quam modo vobis præscripsi, & illi, quam superius vobis tradidi cap. 1. ℣. 31. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, & ℣. ut. cap. 3. *nemo glorietur in hominibus* [10]. Sunt [11], qui hæc verba: *ne supra quam scriptum est*, de Sacris Bibliis generatim intelligant. Nemo vestrum superbia intumescat, neque præsumat ultra ea, quæ in Sacris Scripturis dicuntur [12]. Magistri, & discipuli discite, in uno Deo gloriandum esse; ob vestras ingenii vires superbiendum non esse, neque temere, & audacter de proximo vestro judicandum.

Ne

1 Vide Theodoret. Grot. alios.
2 Græc. Ὁ δὲ λοιπὸν ζητεῖται. *Quod reliquum est, quæritur, &c.* Quidam Codd. ὧδε λοιπὸν. *hic jam, &c.* Quid. ζητεῖτε, *quæritis, vel quærite*, pro ζητεῖται, *quæritur*, Steph. 3. Alex. Lin. Can. 3. Quid. apud. Oecum.
3 Ἡ ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας.
4 Hieronym. Epist. ad Algas. qu. 10 Est. Roban. Hug. S. Thom. Erasm. Grot. Menoch. Justin. alii.
5 Job. 24. 1. Isai. 13. 6. 9. 34. 8. 61. 2. Joel. 2. 11. 31. 3. 14. Amos 5. 8. &c.
6 Jerem. 17. 16.
7 Theodoret. hic. Vide & Chrysostom. & Theophylact. & alios; maxime Grotium, qui post allata Chrysostomi, Hieronymi, Ignatii, Clem. Polidis de Augustino testimonia concludit: *hæc verissima hujus loci explicatio, nec quærenda est alia*. Confer Psal. 18. 12. 13 *Delicta, quis intelligit &c.*
8 Chrysostom. Theodoret. Ambrosiast. alii. Vide & Est. Quid. apud Menoch. & Vat. Hieronym. in Tit. 3. 3.
9 Oecumen. Vide Grotium.
10 Vat. Menoch. Vossi. Justin. Est. alii.
11 Cajet. Grot.
12 Grotius putat, S. Paulum alludere ad hunc locum Deut. 17. 20 *Ne elevetur cor ejus in superbiam*. Moyses loquitur de Rege; Si superbia illi adeo vetita est, potiori jure omnibus aliis.

NE . . . . . UNUS ADVERSUS ALIUM INFLETUR PRO ALIO.] Ne abutatur aliquis Magistri sui merito, atque scientia, ut alium contemnat. Hæc vere causa erat dissensionis Corinthiorum, qui se aliis præstare putabant, quod illi, a quibus fuerant baptizati, Doctoribus aliis anteferebant; quasi Pauli baptismus, e. g. melior esset baptismo Apollinis, atque gloriosius esset ad veritatis cognitionem pervenisse per hujus, quam per alterius prædicationem.

℣. 7. QUIS ENIM TE DISCERNIT?] Qua de causa teipsum ceteris præfers, qua in re meritum tuum ponis? numquid meliora præcepta accepisti, an in illis melius profecisti? Perfectius ne credidisti, an simpliciter Magistrum sapientiorem, & majori in dignitate constitutum habuisti? quasi hæc omnia minime forent dona Dei sibi gratuito concessa, & quæ bonis operibus suis mereri potuisses. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Sed plerique [1] hoc ad Corinthiorum Doctores referunt. Vos, qui in hoc populo per vanitatem vestram discordias gignitis, atque fovetis, quid præ ceteris afferre potestis, unde præ aliis vobis fiat gloriæ, & dignitatis accessio? quænam vobis est mens, quod consilium, ut in Ecclesia ab aliis sectam sejunctam efficiatis? *Quid habes, quod non accepisti?* numquid jactas scientiam suam, vocationem ad fidem, dona linguarum, Prophetiæ, & miraculorum? at hæc omnia in te ab uno Deo profecta sunt. Cur ergo omnem illi gloriam acceptam minime refers, & quin per vanitatem tuam Ecclesiam discerpas, eam potius iterum coalescere non studes, populos ad illud unum adorationem, observantiæ, & cultus sui objectum revocans? sed vers. qui subsequitur, priori explicationi, hoc de fidelibus Corinthiis intelligenti, potius favere mihi videtur.

℣. 8. JAM SATURATI ESTIS.] Loquitur ad Corinthios, qui quodammodo obliti primam vocationem suam, & modestiam, quam illis verbo, & exemplo S. Paulus suaserat, jam jam superbia intumescebant, atque alii aliis præstare affectabant in iis, quæ mere extrinseca erant, videlicet in Magistrorum suorum merito, aut dignitate, suæ ad fidem vocationis antiquitate, aliisque etiam putidioribus nugis. Apostolus igitur, ut eorum jactantiam compescat, non sine quadam ironiæ specie, ait illis: *jam saturati estis*, & recalcitrare cœpistis, ad ea Moysis Deut. 32. 15. verba alludens; *incrassatus est, & recalcitravit*; jam divites facti estis; saltem jam factos vos divites creditis, & nullius egere putatis [2]; priores Magistros contemnitis, sed Rethoricos, Philosophos profanæ litteraturæ imbutos viros, Oratoresque sequimini. Evangelii doctrina vobis nimis simplex videtur; *sine nobis regnatis*, vosmet tamquam Reges existimatis, nulli subditos, atque supra communes Leges positos: *& utinam regnetis*, atque adeo perfecti essetis, ut monitis nostris minime indigeretis, sed multum interest, utrum regnetis, an regnare credatis. Si regnaretis, mira nobis etiam ex vestra felicitate accederet gratulatio; & nos ipsi vobiscum regnaremus: tandem enim vos estis corona, & gaudium nostrum in Domino. Videtur indirecte pseudo-Apostolos perstringere, quamdam dominationis speciem in fideles Corinthi exercere quærentes.

℣. 9. DEUS NOS APOSTOLOS NOVISSIMOS OSTENDIT.] Cum vos affluentia, atque spiritualium divitiarum copia perfruamini, nos Apostoli omnibus mundi

A hujus malis sumus obnoxii, tamquam homines destinati, ut omnino nudi in arena feris objiciamur, jucundum populo spectaculum futuri. Græca vox: *Eschatos*, quam Vulgata vertit *novissimos*, proprie eos homines significat, qui substituebantur gladiatoribus, vel illis, qui primum cum bestiis in arena decertaverant; primis illis athletis alii substituebantur, qui erant morti destinati [3], ad quos isthic alludit Apostolus. Tertullianus [4] pro *morti destinatos*, legebat *Bestiarios*, bestiis expositos, vel contra bestias depræliantes.

SPECTACULUM FACTI SUMUS [5] MUNDO, ET ANGELIS, ET HOMINIBUS.] Nemo ignorat, S. Paulum, aliosque Apostolos sæpius spectaculum factos fuisse Mundo, & hominibus; cum videlicet subinde varias persecutiones perferre debuerunt. Quæritur solum, B. quo in sensu Angelis spectaculo fuerint? præsertim vero, si nomen hoc in eo intelligas sensu, ut significet oblectationis spectaculum, quod inimicis exhibebatur, veluti cum Apostoli feris objiciebantur ob oculos Gentilium, ipsos persequentium. S. Chrysostomus [6], Theodoretus, aliique plures hoc de bonis Angelis intellexerunt, qui lætantur, ubi vident Sanctorum labores, quos tamquam beatitudinis eorum causas cognoscunt. Alii tamen [7] hoc explicare malunt de Angelis nequam, qui hoc pacto imperii sui eversionem se ulcisci arbitrantur.

℣. 10. STULTI PROPTER CHRISTUM.] Nos in hoc mundo, tamquam dementes habemur [8], & doctrina nostra stultitia appellatur. *Vos autem prudentes in Christo*, ironice dictum: hujusmodi irrisionibus vosmet nos C objicitis, haberi vultis sapientes in oculis Mundi, Philosophiam, eloquentiam, & prudentiam jactitatis, idque in JESU CHRISTO, & in Ecclesia: in quam spiritum superbiæ, vanitatis, curiositatis, dissensionis invehere studetis [9]. *Nos infirmi*, plurimis inimicorum probris obnoxii, sine ullo præsidio, humiliati, afflicti; *vos autem fortes*; vosmet invictos ducitis, atque extra jactum omnium calamitatum, usque malorum positos existimatis. In Urbe vestra pacati, ea tantum, quæ nova sunt, & curiosa, sectamini.

℣. 11. USQUE IN HANC HORAM ET ESURIMUS.] Profecto stulti sumus nos Apostoli, qui frustra tantum laboris pondus subimus, cum interim vos pace, atque securitate fruamini. Si Cœlorum via, atque Christianæ Religionis professio nullam in se habent difficultatem: D nos quidem de sana mente dejecti sumus, qui nosmet nequicquam adeo torquemus. Cur non potius Corinthios imitamur, qui in rerum omnium affluentia commode vivunt, & qui vacant audiendis Philosophis, & Oratoribus, a quibus magnificis, & exquisitis verbis steriles, & vacuæ veritates sibi prædicantur. Hæc quidem amarissima est Ironia.

℣. 13. TAMQUAM PURGAMENTA HUJUS MUNDI &c.] Putant [11], voces, quibus hoc in loco Apostolus utitur, eos calamitosos homines designare, quos Ethnici arripiebant, ut essent piaculares victimæ pro tota Civitate, vel omni Populo, dum vel lues grassaretur, vel aliæ publicæ calamitates impenderent; quam consuetudinem viguisse novimus apud veteres Gallos [12], Romanos, Athenienses, aliosque plures populos Ori- E entis. Postquam funestæ hæ victimæ aliquamdiu publicis saginatæ fuerant, mortis earumdem die, floribus, frondibusque exornatæ, ac redimitæ per Urbes, & locos expiandos circumferebantur; Populo interim quodlibet imprecationis genus in eas evomente, atque Deos orante, ut in caput earum omnes iræ suæ effectus converte-

1 Chrysost. Theodoret. Grot. Est. Vatab. Justin. alii. 2 Chrysost. hic.
3 Vide Selden. de Diis Syris Præfat. Ludov. de Dieu hic, Heins. Exercit. p. 354. 355. Scaliger. not. in Manil. lib. 5. Quistorp. Grot. 4 Tertull. de Pudicit. cap. 14. Bestiarios. Gr. Ἐσχάτους,
5 Ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν. 6 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Hieronymiast. Zeger. Justin. Cornel. alii. 7 Vat. Est. 8 Theodoret. Est. Grot. Mon. 9 Est. Grot. Men. alii.
10 Ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα ἕως ἄρτι.
11 Vide Grot. Erasm. Strigel. Saubert. de Sacrific. cap. 3. art. 21. Dougt. Analect. S. Thom. t. Excurs. 72. Pearson. vindic. Ignat. p. 2. p. 208, 209. G. H. Ursin. Analect. sacr. l. 1. cap. 29. Et Quæst. Bibl. 3. cap. 12. Hospin. de Festis Ethnic. pag. 118. 168. Outram. de Sacrif. lib 1. cap. 22. Heins. Exercit. pag. 355. Le Moine Var. sacr. t. 2. p. 570. Le Cene, p. 608. 12 Vide Jul. Cæsar. Comment. l. 6. Serv. ad illud Virgil. *Auri sacra fames*. Papinian. Thebaid. 10. & Scholiast. Item Scholiast. in Plutum. Aristophan. pag. 24.

verterent, eosque ab urbe sua deflectere dignarentur. Postmodum illæ fustis cædebantur, viventes adhuc comburebantur, earumque cineres in mare projiciebantur, cum interim hæc proferrentur verba [1]: *esto expiatio nostra, vel redemptio nostra*. Nonnumquam etiam homo adhuc vivens in mare dumtaxat, tamquam Neptuno sacer jaciebatur. Itaque sic S. Pauli locus verti posset: *habemur tamquam homines victimæ, quæ pro publicis sceleribus immolantur, tamquam ii, qui necantur ad omnium hominum scelera expianda*.

℣. 14. NON UT CONFUNDAM VOS.] Corinthios quidem lædere potuissent hæc S. Pauli verba; sed eorum acrimoniam moderatur, dicens, non hanc sibi esse mentem, ut eos velit in risum traducere, atque pudore suffundere; sed arbitrari suum esse, illos tamquam filios, atque discipulos suos ipsorum officiis admonere. Circa dolorem videre non possum tantam vos vestrum ipsorum oblivionem cepisse.

℣. 15. DECEM MILLIA PÆDAGOGORUM.] Pædagogos est præceptor constitutus, ut adolescentulum aliquem comitetur eumque eumque erudiat [2]. Hujusmodi Magistri majorem semper habent severitatem, quam Patres, quorum vices subeunt. Aliis quidem pædagogi nomen relinquam, at nemini Patris nomen cedam: vos amo, vos diligo, tamquam filios meos; in CHRISTO JESU *per Evangelium vos genui*. Ita filii mei ℣. 16. *imitatores mei estote* in modestia [3], humilitate, laboribus, humanæ gloriæ contemptu; *sicut & ego Christi*, sicut & ego hac in re JESUM CHRISTUM Magistrum meum imitari contendo [4]. Græcus typis editus novissima hæc verba non legit; sed habet solum: *imitatores mei estote*.

℣. 17. IDEO MISI AD VOS TIMOTHEUM.] Ut apud vos restituerem ordinem illum, qui jam turbatus est; ut vobis mentem meam aperirem, pacem redderem, abusus tollerem, vosque laborum meorum certiores facerem; ad vos misi Timotheum fidelem discipulum meum, mihique in Domino carissimum. *Ille vos commonefaciet vias meas*, vobis meam doctrinam, laboresque narrabit [5]: *sicut ubique in omni Ecclesia doceo*. Ex illo intelligetis, me nihil a vobis petere, quod a ceteris Ecclesiis non exeperam, & nihil in vobis corripere, quod ex omnibus Ecclesiis auferre non studeam. S. Timotheus Corinthum venit, sed illuc non attulit has litteras, quemadmodum credidit S. Chrysostomus [6]. Illuc fortasse accessit aliquanto post, ex quo Epistola illuc pervenerat: primum enim per Macedoniam [7] iter suscepturus erat, atque inde Corinthum venturus. Credidit Origenes in Rom. 16. Timotheum esse S. Pauli consanguineum, qui illum isthic, & alibi [8] etiam filium suum carissimum vocat; verum hæ denominationes carnis cognationem non probant.

℣. 18. TAMQUAM NON VENTURUS SIM AD VOS.] Corinthii quidam existimantes, S. Paulum ad se rursus minime rediturum, superbia efferri incœperant, atque contemnere ea, quæ ab illo in Ecclesia fuerant instituta. Quidam etiam Doctores ejusdem absentia abutentes, eam sibi vendicabant auctoritatem, quæ ad illos minime spectabat [9]. Apostolus tamen in animis eorum satis auctoritatis servaverat, ut si ibi adesset, omnes eos malos effectus compesceret. Pollicetur ergo, se quamprimum ad illos venturum, ut eos, qui magis superbia intumuerint, injecto fræno coerceat. *Veniam ad vos cito*. Illuc profecto accessit, sed post biennium dumtaxat. Cum enim hæ litteræ optimos peperissent effectus, & Ecclesia Corinthi ad frugem cedisset; iter suum distulit, & antequam eo concederet, alteram etiam ad Corinthios scripsit epistolam.

COGNOSCAM NON SERMONEM EORUM, SED VIRTUTEM.] Tunc non erit quæstio de scitis, concinnisque sermonibus, neque de inani eruditione, sed de virtutum actionibus, atque effectibus. Videbimus, quid profuerint Ecclesiæ, JESU CHRISTO, fidelium ædificationi, illi, qui hodie se Magistros, atque Doctores haberi volunt, qui in Ecclesia dominari, & ordinem in illa a nobis institutum immutare contendunt. *Non enim* ℣. 20. *in sermone est Regnum Dei, sed in virtute*. Ecclesiæ regimen, Christianæ Religionis perfectio, salus animarum, Evangelii professio, conversio cordium non sunt eloquentiæ, vel industriæ mortalis effectus; sed virtutis Spiritus Sancti, & Omnipotentiæ Dei. Ille mentem illuminat, ille cor movet, ille efficit, ut veritatem cognoscamus, & diligamus. Apostolorum miracula, non eloquentia, mundum converterunt, & condiderunt Ecclesiam [10].

℣. 21. IN VIRGA VENIAM AD VOS, AN IN CHARITATE?] Græci isthinc cap. 5. & 6. ordiuntur, & profecto hoc illius veluti prœmium est. Vultis ne, ut ad vos veniam ad Magistri severitatem, an vero Patris amorem exercendum? vobis optionem do. Adventum meum, meæque severitatis effectus prævertere potestis, auferentes abusus, & corrigentes mala, quæ in vobis grassantur. Hæc si vos impune reliqueritis, uti cogar auctoritate, quam mihi tradidit Deus. Hæc autem mala erant incestæ nuptiæ, atque contentiones inter fratres obortæ. Virga, quam illis minitatur, sunt vel censuræ, vel excommunicatio, vel etiam morbi, aut mors ad noxios puniendos immissa [11]: quemadmodum S. Petrus morte Ananiam, & Saphiram [12], & S. Paulus Elymam cæcitate percussit [13].

---

1 Περίψημα ἡμῶν γένου. Suidas. 2 Grot. Est. Vatab. 3 Theodoret. hic.
4 Græc. Μιμηταί μου γίνεσθε. Sed Stephan. ια. Chrysostom. Cov. a. Hieronymiaster. Veter. Vulg. Καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ. Ex 1. Cor. 11. 1. 5 Chrysost. hic. 6 Chrys. Argument. in hanc Epist. Ita & Græci Codd. subscript. ad calcem hujus epist. 7 Act. 19. 22.
8 1. Timoth. 1. 2. 18. 2. Timot. 1. 2. & 2. 1. 9 Chrys. Theoph. Justinian. Grot. Est. 10 Chrysostom.
11 Ita Theodoret. hic. 12 Act. 5. 3. 5. 13 Act. 13. 8. 9. &c.

CAPUT V.

Incestus Corinthi, quem S. Paulus Satanæ tradit. Jubet, Christianos cum palam criminosis non commisceri.

1. OMnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. 2 Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. 3 Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est, 4 In nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, 5 Tradere hujusmo-

hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Je-
su Christi. 6 Non est bona gloriatio vestra, Nescitis, quia modicum fermentum
totam massam corrumpit? 7 Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio,
sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. 8 Itaque epu-
lemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitię: sed in
azymis sinceritatis, & veritatis. 9 Scripsi vobis in in epistola: Ne commiscea-
mini fornicariis, 10 Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapaci-
bus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. 11 Nunc
autem scripsi vobis non commisceri; si is, qui frater nominatur, est fornicator,
aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; cum e-
jusmodi nec cibum sumere. 12 Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?
Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis? 13 Nam eos, qui foris sunt, De-
us judicabit, Auferte malum ex vobis ipsis.

℣. 1. OMNINO AUDITUR INTER VOS FORNICATIO.] Hæc superioribus subnectenda sunt; quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? at quomodo nam venire potero, quin istic meam severitatem exerceam: quandoquidem constat, atque huc usque certissimus rumor pervasit, in vobis incestum esse visum, ita ut apud Gentiles portentum simile vix reperiatur. Gravissimum malum est, in Ecclesia scelus adesse, at maxima sit eidem malo accessio ex fama, quæ quacumque emanavit, & scandalo, quod pepetit [1]. Cum addit S. Paulus, scelus hujusmodi Gentilibus etiam ignotum esse: *qualis inter Gentes*, hyperbolice dictum intelligendum est. Hujusmodi libido pluribus in locis tolerabatur [2], sed per quam raro accidebat; & cum accidisset, eam omnes perhorrescebant [3]; præsertim vero Nationes cultæ, Romani, & Græci, qui tunc præ cæteris magis cognoscebantur, & quorum leges, & mores ubique ferme dominabantur. Oportet, incestum eum hominem minime accusatum fuisse coram Provinciæ Præside, vel Magistratibus; alioquin enim secundum Romanas leges mulctatus fuisset [4].

ITA UT UXOREM PATRIS.] Qui abutitur noverca sua, patre adhuc vivente, mulieris hujus viro, quod facti turpitudinem auget, juxta Legem Domini [5] una cum muliere morte damnandus est. Dixi autem, mulieris hujus virum adhuc vixisse, ex plurimorum Interpretum sententia [6], quemadmodum in altera ad Corinthios Epistola c. 7. 12. satis explicite innuere videtur Apostolus, cum ait: *& si scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est &c.* At qui injuriam passus est, non alius esse poterat, quam Pater. Crediderunt nonnulli [7], hominem hunc uxorem duxisse mulierem, quæ erat noverca sua; sed plerique [8] credunt, illum simpliciter ea abusum fuisse, quod gravissimum scelus est; quippe quod incestum cum adulterio conjungit.

S. Chrysostomus hic, atque Theodoretus præf. in Ep. 1. ad Cor. credunt, incestum hunc virum aliquem fuisse ex principibus seditionis, vel schismatis, quod inter Corinthios obrepserat. Hic erat, inquiunt, vir summa facundia, & eloquentiæ flumine præditus, cujus sermonibus illecti Corinthii ejusdem scelus, licet publicum dissimulabant, atque eloquentiam illius tantummodo admirabantur. Hac de causa Apostolus postquam Corinthiorum fastum corripuit, eisque humanarum scientiarum vanitatem ostendit; libidinosum hunc hominem aggreditur, omnemque sceleris ejusdem fœdissimam turpitudinem ob oculos ponit. Sed quod ajunt Patres de hujus hominis eloquentia, satis certum non est.

℣. 2. ET VOS INFLATI ESTIS.] Quin in id unum consilia vestra intendatis, ut de medio vestri tantum scandalum auferatis; curiositatem, & vanitatem sequimini; eloquentiam, atque Philosophiam deperitis: agitur inter vos, utrum aliquis sit Pauli, an Petri, an Apollinis; perinde quasi Ecclesia Civium cœtus esset, ubi singuli aliquod caput, atque peculiarem sectam sequerentur; quarum una a reliquis sententia dissiperaret.

ET NON MAGIS LUCTUM HABUISTIS.] Ecclesia neminem nonnisi summo cum dolore ex suo sinu divellit [9]. Licet deforme, tabidumque sit aliquod nostri corporis membrum, nonnisi ægerrime illud abscindi patimur. Christiani tamquam mortuos, atque perditos deplorant illos, quos a se rejicere, atque separare tenentur, inquit Origenes l. 3. contra Celsum: Non secus ac Pythagorici funebri pompa cœnotaphium extruebant illis, qui eorum sectam relinquerent.

Quærunt, quid sibi velint ea verba: *ut tollatur de medio vestrum*, quæ nonnulli [10] de mortis corporis intelligunt. Et profecto mortem meritus fuerat secundum Legem Moysis Lev. 20. 1. incestus ille adulter, sed fideles illum minime enecare potuissent, nisi coram sæculari Magistratu eumdem accusassent; quam S. Pauli fuisse mentem, vix crediderim. Plerique [11] illa de excommunicatione interpretantur: Hebræi enim, quidquid Seldenus de Syned. l. 1. c. 8. comminiscatur, & ipsi excommunicationem habebant, qua profani etiam sæpe contra gravissimorum scelerum auctores utebantur [12], & quam Christiani omnibus subinde sæculis dubio procul exercuerunt. Crimen, atque pertinacia hujus hominis hoc supplicium sane merebantur, & omnis orationis decursus, de hoc agi satis ostendit.

℣. 3. EGO QUIDEM ABSENS CORPORE.] Illum jam excommunicavi, atque ab Ecclesia divulsi. Apostoli, & Ecclesiæ Præsules, qui illorum auctoritatem subinde receperunt, judicium ferre possunt, atque damnare noxios non solum, qui adsunt, verum etiam, qui absunt, ubi eorum scelus publicum sit, atque manifestum, quale hoc, de quo agitur [13]. Hac tamen in occasione videtur Apostolus consilium dumtaxat iniisse hominis excommunicandi, sed nondum explicite in illum excommunicationis fulmen ejaculatum fuisse [14]: quod ex sequentibus, præsertim vero ex secunda Epistola ad Corinthios innotescit.

℣. 4. IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI.] Incestus

1 Theodoret. Vide & Grot. 2 Vide Justinianum hic.
3 Est. Grot. Jacob. Capell. 4 Vide Grot. ad vers. 2.
5 Levit. 20. 11. *Qui dormierit cum Noverca sua, & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo.*
6 Vide Est. Hervæum, Jacob. Capell. Ligfoot. alios plerosque.
7 Erasm. Grot. Vorst. 8 Est. Justinian. alii. 9 Constit. Apost. lib. cap. 41.
10 Vide Tertull. cap. de Pudicitia. Ligfoot. 11 Est. Justin. Menoch. Cornel. Grot. Beza. Hamm. Pisc. alii. 12 Vide Justinian. hic. 13 Chrysostom. Theodoret. Est. Justinian.
14 Est. Cajetan.

stur hic vir Sathanæ tradatur. Traditus ergo nondum fuerat; et si ille in sua impudicitia perstitisset, S. Paulus in spiritu se se cum Ecclesia Corinthi conjungit, ut illum in JESU CHRISTI nomine, ejusque auctoritate Sathanæ tradat [1]. Græca quædam exemplaria hunc & superiorem versiculum ita legebant, atque interpungebant: *judicavi tamquam præsens, illum, qui hoc fecerit in nomine Domini JESU CHRISTI*, hoc est illum, qui hanc labem adspersetit nomini JESU CHRISTI, tantum in Ecclesia scelus committens, mereri, ut Sathanæ tradatur [2]. At sensus, quem nos attulimus, æquior videtur. Rei hujusmodi in fidelium cœtibus nonnisi post invocatum JESU CHRISTI nomen fieri debet. Apostolus, ejusque spiritus invisibili ratione præest capitibus Ecclesiæ Corinthiacæ: verbo hoc formale esse debet Ecclesiasticum judicium.

℣. 5. TRADERE HUJUSMODI SATHANÆ.] Græci Patres, credunt [3], tradi Sathanæ significare, vel realem Dæmonis obsessionem, vel saltem ægritudinem aliquam ab illo illatam, ita ut corpus mortificetur, & humilietur, anima vero hujusmodi afflictionibus capiata salva fieri possit in die Judicii JESU CHRISTI Domini nostri. Vidimus jam [4], atque deinceps etiam videbimus [5], eos, qui in gravia labebantur facinora, sæpius in primitiva Ecclesia *morte*, aut morbo, aut Dæmonis obsessione fuisse percussos; sive hic communis fuerit effectus excommunicationis, & imprecationum, quæ eamdem subsequebantur, seu virtutis, atque potestatis, Ecclesiæ eorum temporum concessæ, morbos scilicet inferendi, non secus ac dono miraculorum eisdem bonam valetudinem restituebat.

Sed censent plerique [6], tradi Sathanæ, non aliud esse, quam ab Ecclesiæ communione divelli, quam Hebræi vocabant *Cherem*, quod est anathema, vel major excommunicatio; vel *Schammata*, quæ excommunicatio est ad mensem; vel denique *Niddui*, quæ levissima est separatio, atque præ cæteris minus diuturna. Rei magnitudo, & ratio, qua Apostolus hic loquitur, adstruunt fidem, ipsum de anathemate verba facere. Hoc autem *tradi Sathanæ* dicitur; Mundus enim extra Ecclesiam, tamquam Dæmonis imperium consideratur; & illi, in quos hujusmodi excommunicatio contorquetur, viduantur precibus, suffragiis, Sacramentis, aliisque communibus, publicisque subsidiis, quæ nobis ab Ecclesia suppeditantur, ut Sathanæ resistimus. Hic est tamquam fugitivus miles, qui in fugæ suæ pœnam nudus, atque inermis hostium furori objicitur [7]. Videbimur infra ad vers. 9. 11. &c. eos, qui hoc anathemate erant percussi, apud cæteros Christianos in horrore fuisse. Omnes fugiebant, omnes eorum occursum evitabant, nihil ab illis recipiebant, neque cum illis convescebantur.

IN INTERITUM CARNIS.] Animadvertimus jam, quamplurimos Patres credidisse, quod excommunicati morbo, vel morte percutiebantur, ut in hoc mundo pœnas luerent, ne in altero æternis suppliciis damnarentur. S. Augustinus [8] alicubi priorem hanc explicationem sequitur, sed alibi [9] hoc intelligit de *morte carnis*, de concupiscentiæ mortificatione, quæ in homine spiritus vitam producit. Patres quidam [10] hæc verba: *ut spiritus salvus sit in die Domini*, de Spiritu Sancto intelligunt, persistente in illo, qui ita morbo affectus est. Afflictio, ægritudo, mortificatio exterior, quam patitur, efficient, ut Spiritus Sancti gratia illum non deserat, sed hoc simplicius explicatur de hominis anima [11], quæ humiliata, afflicta, & salubri rubore per excommunicationem suffusa, ubi pœnitentia ducatur, meretur invenire gratiam coram oculis Dei, atque novissimi Judicii die æternam pœnam evitare.

℣. 6. NON EST BONA GLORIATIO VESTRA.] Vobis quidem non est, cur gloriemini; immo potius est, cur vos pudeat, quin superbie extollamini, quasi nullo in discrimine tantum facinus haberetis. Opinantur Interpretes Græci [12], quemadmodum dictum est, incestum hunc hominem aliquem fuisse ex novis Corinthiorum Magistris, in quibus tantopere sibi complacebant. Vetera quædam exemplaria [13] non legebant olim negationem: *est bona gloriatio vestra?* quod a vulgato sensu non abhorret.

NESCITIS, QUIA MODICUM FERMENTUM TOTAM MASSAM CORRUMPIT.] Græcus typis editus [14]: *totam massam fermentat*. Sed fidei consonum est, vetus exemplar orthographum legisse *corrumpit*, cujus rei in vetustissimis manuscriptis [15] adhuc vestigia supersunt. Apostolus eodem utitur proverbio in Epistola ad Galatas 5. 9. & Salvator ad illud videtur alludere, ubi Discipulos hortatur Matth. 16. 6. ut sibi caveant a fermento Pharisæorum, & Saducæorum. Judæi omnem massam pollutam censebant, licet parum fermenti eidem esset commixtum intra Paschatis octiduum, quod in proverbium abierat, ut moneretur, sanctissimas etiam sodalitates existimationis suæ jacturam penitus subire, atque periculum adesse, ut quamprimum in illis flagitia grassarentur, statim ac impune abire sinerent pravos homines, & qui cæteris scandalum inferebant. Cæteroquin fermentum non solum massam non corrumpit, imo eam perficit. Hoc igitur coarctandum est ad Paschatis tempus, quemadmodum sermonis decursus ostendit.

℣. 7. EXPURGATE VETUS FERMENTUM.] Alludit ad ea, quæ ante diem Paschatis fiebant. In omnibus Hebræorum domibus diligentissime quodvis fermentum, & quidquid aliquam cum eo rationem habere poterat, conquirebatur. Cerealia instrumenta emundabantur, atque sedulo in omnibus angulis quærebatur, ut ex domibus, quemadmodum ipsi loquuntur, omne fermentum exterminaretur. Ita vos Ecclesiam emundare debetis, & de medio vestri auferre quidquid immundum est, & unde sordes potestis contrahere. Debetis incestum hunc hominem, qui dedecori est societati vestræ [16], a vobis sejungere; ita fieret *nova conspersio* illi similis, ex qua in Paschatis festivitate azymi fiunt. Nam postquam *Pascha nostrum immolatus est Christus* in Cruce, jam *estis azymi*, panes mundi, & sine fermento.

℣. 8. ITAQUE EPULEMUR NON IN FERMENTO VETERI.] Christianum Pascha celebremus, Eucharistiam, verum Paschalem Agnum comedentes, *non in fermento veteri*, non cum iis studiis, quæ fovebatis, antequam fidem amplecteremini, atque exueretis veterem hominem, ut novum induceretis [17]; *neque in fermento malitiæ, & nequitiæ*, hypocrisis, & impudicitiæ, *sed in azymis sinceritatis, & veritatis*. Verbo, malum auferte de medio vestri, ut in cœtibus vestris pacifice, sincer-

1 D. Thom. Menoch. Est. Justin. Titin. Vorst.

2 Ita Codd. nonnulli apud Chrysostom. hic.

3 Chrysostom. Theodoret. alii Græci Interpp. Grot. Alii apud Selden. lib. 1. de Synedr. cap. 8. Ligfoot. Horæ Talm. Hammond. Vide & August. lib. 1. cap. 20. de Serm. Domini in monte, & lib. 3. contra Ep. Parmen. cap. 1.

4 1. Cor. 4. 21. Act. 5. 1. 5. 13. 8. 9. &c.

5 1. Cor. 9. 30. *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.*

6 Ambrosiast. Est. Justin. Menoch. Scalig. Sclater. Hamm. alii.

7 Vide Chrysostom. ad 1. Timoth. 1.

8 Augustin. lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 20. n. 65.

9 Idem advers. Parmen. lib. 3. cap. 1. Ita Est. Grot. alii.

10 Theodoret. Oecumen. Ambrosiast.

11 Est. Menoch. Pisc. Gror. Cornel. Ita August. lib. de Serm. Domini in monte cap. 20. num. 65. & lib. 3. cap. 1. contra Parmen. num. 1.

12 Chrysostom. Theophylact. Vide Grot. & Est.

13 Calarit. Ambrosiast. Codd. aliqui Latini apud Augustin. lib. 3. cap. 2. contra Parmenian. *Bona gloriatio vestra*; sic etiam nonnulli, & maxime Latini codices habent.

14 Ὅτι μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ.

15 Clarom. δολοῖ *corrumpit*, alii δολοῖ, alii ζυμοῖ. Antiqui Latini, *corrumpit*, ut Vulg. ex δολοῖ. Vide Mill. Not. hic, bene & fuse.

16 Zeger. Est. Menoch. Tir. Sclater.

17 Justin. Dialog. pag. 179.

sinceritas, æquitas, integritas, veritas efflorescunt. A Quævis immunditia, superbia, philautia, inanis curiositas procul ea terminentur.

℣. 9. SCRIPSI VOBIS IN EPISTOLA.] Non in alia superiori, sed in hac ipsa [1]; supra vers. 2. cum vobis imperavi, *ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit*, & vers. 6. *nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit*. Tenent alii [2], S. Paulum aliam antea ad Corinthios Epistolam scripsisse, quæ non secus ac aliæ plures exciderint. Fieri profecto potuit, ut ipse Apostolus aliam ante hanc Epistolam scripserit, & textus nos in hanc sententiam compellit; sed pro certo hoc affirmare minime ausim; imo textus facillime explicatur, quemadmodum nuper fecimus, quin illi vis inferatur.

℣. 10. NON UTIQUE FORNICARIIS HUJUS MUNDI.] B Ethnicis videlicet [3], quos Scriptura sæpius fornicarios appellat, neque avaritiæ hujus mundi, qui terrenarum harum rerum amore flagrantes polluuntur, *Mundum* vocat quidquid extra Ecclesiam, & veram Religionem. Non dico, vobis opus esse, ut generatim secedatis a societate omnium avarorum, ut eorum, qui aliena bona rapiunt, qui per fas, & nefas ditescunt, qui Idola venerantur: *alioquin debueratis de hoc mundo exiisse*; nam extra Ecclesiam non aliud ferme, quam hujusmodi virorum genus invenitur. Omnia ibi corrupta sunt, omnia sordescunt. Optandum esset, ut procul ab eorum societate vitam possetis traducere, sed quoniam hoc fieri minime potest, curate saltem, ut eorum effugiatis occursum, qui sceleribus suis JESU CHRISTI nomen dedecorant. Ita Gentiles ad fidem al- C licere poteritis, quibus incedet admiratio vestrum vivendi genus, vestramque morum integritatem intuentis [4]; & frater vester rubore suffusus resipiscet, ad Deum revertetur, pœnitentiam aget, ac veniam merebitur.

℣. 11. SI IS QUI FRATER NOMINATUR, EST FORNICATOR:.] Græcus ita verti potest [5]; *Si frater aliquis agnoscitur, vel nominatur fornicator, aut avarus &c.* vel cum Vulgata, & pluribus veteribus, cum Græcis, tum Latinis Patribus [6], Syriaca versione, atque optimis MSS. *Si quis ex iis, qui fratres nominantur, fornicator est, aut avarus*, Discrimen omne in unius litteræ accentu consistit, quæ uno modo interpuncta *vel*, altero vero *sit* potest significare. Vertunt quidam [7]; *Si frater aliquis insignis est fornicator, & ab* D *omnibus cognitus, vel avarus &c.* Hos evitari jubet Apostolus, ne cum illis inita consuetudo totius Ecclesiæ dedecus inferas, quasi hujusmodi flagitia ab illa permitterentur, aut probarentur.

AUT IDOLIS SERVIENS.] Facile quidem intelligit CHRISTI fidelem in stuprum, avaritiam, obtrectationem decidere posse, verum quomodo nam esse potest Idololatra, quin CHRISTI fidem abjiciat? Respondemus, 1. hæc omnia crimina, æque ac Idolorum cultum Christianæ professioni adversari. 2. CHRISTI fidelem infirmum posse clam amorem aliquem erga Idololatriam fovere; posse per animi infirmitatem, aut voluptatem Ethnicorum festivitatibus, religionis convivi*s*, & profanis eorum cæremoniis interesse. Neque enim credas oportet in Ecclesia futurum fuisse, ut E cognitus Idolorum cultor toleraretur, quemadmodum neque avaritia, neque fornicatio, neque ebrietas, neque manifesta, & jugis obtrectatio perferebatur. Verum prohiberi minime poterat, quominus homines ex Ethnica religione conversi aliquando per infirmitatem in ea ruerent flagitia, quorum habitum adeo diuturnum contraxerant.

AUT EBRIOSUS.] Non intelligit solum eos, qui immodice se mero proluunt eo usque, ut rationis usum omittant; sed eos etiam, qui bibendi habitum contrahunt, qui intemperate bibunt, licet non adeo infirmo sint capite, ut inebrientur [8]. Abusus Creaturæ Dei, periculum, cui objiciunt eos, cum quibus compotantur, ebrietatis peccatum est. *Væ*, ajebat Isajas 5. 22. *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*. Vinum semper est metuendus hostis; si rationis usum caligine illam involvens non aufert, noxias tamen animi perturbationes parit; pater est impudicitiæ, iræ, discordiæ, malorumque omnium, cum publicorum, tum privatorum. B Quid enim homo, ubi mero incaluerit, non audet? Vide Prov. cap. 23. ℣℣. 29. 30. 31. 32. 33. 34.

CUM HUJUSMODI NEC CIBUM SUMERE.] Homines hujusmodi adeo horrete, ut ne convesci quidem cum illis dignemini; neque hoc solum in sacra mensa [9]; tales enim indigni sunt, qui ad illam accedant, donec in eo statu perstiterint: verum neque domi tuæ illos convivio excipias; ut aliquando pudore suffusi de vitæ genere immutando cogitent; & ne flagitiosorum horum hominum consuetudine, tamquam lue quadam te quoque inficiatis. Cum vero prohibet Apostolus, *nec cibum sumere*; hoc verbo cætera vitæ civilis officia complectitur, ita ut intelligas cum eo familiariter vivendum non esse, domum illius crebro non adeandam; nullum Epistolarum commercium habendum, neque C cum illo iter suscipiendum. Memento nihilominus, hunc esse Fratrem tuum; & cave, ne odium peccati in hominis odium migret. Ne habeas illum tamquam inimicum; sed veluti fratrem corrige [10].

℣. 12. QUID ENIM MIHI DE IIS, QUI FORIS SUNT JUDICARE?] Qui videlicet sunt extra Ecclesiam [11]? Cur præcipiam, ut eorum consuetudinem evitetis? numquid eorum Judex sum; numquid illos damnare, & quodammodo per hanc secessionem excommunicare valeo? Quid illis prodesset hæc absentia? Nonne satis norunt, vos Idololatriam, & flagitia sua perhorrescere? An metuendum est mihi, ut vos, ubi semel ea abdicaveritis, iterum in eadem proruatis? Mihi quidem hæc non satis valida esset ratio, ut vobis omnem cum illis necessitudinem interdicendam censerem, sed præ- D ter quam quod in eo statu, in quo res sunt, fieri non posset, ut sine illis essetis omnino, maxime prodest, ut cum iisdem consuescatis, ita enim fortasse sermonibus, atque exemplis eos ad fidem suaviter pertrahere poteritis.

NONNE DE IIS, QUI INTUS SUNT, VOS JUDICATIS?] Nonne judicium meum prævertere debuissetis, atque de medio vestri illum ejicere, qui per incestum suum Ecclesiæ turpitudinis notam inussit? Numquid hoc faciendi jus vobis deerat? cavete ergo, ne cum iis ex fratribus vestris, qui scandalum afferunt, versemini: alios vero, qui sunt extra Ecclesiam Domini judicio relinquite. ℣. 13. *Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit*. Ligfoot in Hor. Hebr. ita hunc, & superiorem versiculum vertit: *cur mihi datum fuit, ut judicarem eos, qui sunt extra Ecclesiam? vos nonne judicatis eos, qui intra sunt? illos enim, qui sunt extra, Deus* E *judicabit*. S. Paulus ait, sibi a Deo potestatem traditam fuisse judicandi, & puniendi eos, qui sunt extra Ecclesiam; qua etiam auctoritate erga Elymam usus est. Fidelibus vero jus est dumtaxat, fratres suos judicandi,

1 Chrysostom. Theophylact. Theodoret. Hieronymiast. Tirin. Sclurer. Glass. Hamm. Vorst.
2 Est. Justin. Grot. Parq. Bez. Ligfoot. Ludor. Capell, 3 Chrysostom.
4 Augustin. contra Parmen. lib. 3. cap. 2. *Opus vestrum in hoc mundo illud est, ut peccatores Christo ad salutem lucremini, quod fieri non poterit, si eorum colloquia convictumque fugiatis.*
5 Ἐάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος ᾖ πόρνος, ἢ πλεονέκτης. 6 Chrysostom. Theodoret. & Phot. hic. Iren. lib. 4. cap. 46. Tertull. de Pudicitia cap. 18. Hieronym. in Helvid. Ambros. Calaris. Oecumen. Clarom. & S. Germ. G. L. Ὀνομαζόμενος ᾖ. 7 Nicephor. Constantinop. cap. 37. apud Cotelet. vol. 3. Mon. Eccl. Gr. pag. 450. 8 Estius hic. 9 Theodoret. Vorst. Vide & Cleric. ad Hamm.
10 2. Thessal. 3. 15. *Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.*
11 Est. Justin. Menoch. alii plerique.

candi; id vero neque indiscriminatim, nec singulis. Ecclesiæ Principum interest noxios juridice condemnare; simplicium vero fidelium, eorum sententiæ se se submittere.

Quidam [1] Græcum textum [2] aliter interpungebant: *tandem enim quidnam juris mihi adjacet, ut eos judicem, qui sunt extra Ecclesiam? nihil sane. Vos autem judicatis eos, qui sunt in Ecclesia; il vero, qui foris sunt, a Deo iudicabuntur*. Ne judicemus Ethnicos; non enim jus nobis est eosdem judicandi: nobisque sufficiat in eos judicium ferre, qui ex fratribus no- A stris in culpe aliquod facinus ceciderint.

℣. 13. AUFERTE MALUM EX VOBIS IPSIS.] Apostolus alludit ad ea verba in Moyse toties repetita [3]: *auferes malum de medio tui*. Exemplaria Græca typis edita legunt: *abscindes impium de medio tui*. [4], quam lectionem Interpretes nonnulli sequuti sunt, ac Vulgatæ sensus melior videtur. Auferte hoc scelus, delete, & fieri potest, de medio vestri memoriam illius; ac si diutius illud pertuleritis, timete, ne Deus gravissima quadam calamitate vos ipsos percutiat.

1 Cuatebull. Hamm. Le Cene. 2 Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; οὐχί. Τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε. Sic aliqui Codd. apud Theophylact. 3 Deut. 13. 5. 17. 7. 21. 21. 22. 21. 22. 24. 24. 7.
4 Καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. Alii ἐξαίρετε, vel ἐξάρατε τὸ πονηρόν. Theodoret. Ald. Theophylact. Vide Hamm. Grot. Cuatcb.

CAPUT VI.

Lites damnantur, Peccata, quæ Cœli aditum intercludunt. Corpora nostra sunt JESU CHRISTI membra, atque templa Spiritus Sancti. Hæc vero ab impudicitia polluuntur, & profanantur.

1. Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud sanctos? 2 An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? 3 Nescitis, quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? 4 Sæcularia igitur judicia si habueritis: contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. 5 Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? 6 Sed frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles? 7 Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? 8 Sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. 9 An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, 10 Neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. 11 Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. 12 Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. 13 Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori. 14 Deus vero & Dominum suscitavit: & nos suscitabit per virtutem suam. 15 Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. 16 An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. 17 Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. 18 Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. 19 An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri? 20 Empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.

℣. 1. AUDET ALIQUIS VESTRUM,] Apud Judæos erat consuetudo, quæ quasi vim Legis obtinuerat, ne quis coram Ethnicis judicibus, causam ageret [1], quippe qui Judæorum Leges non satis callerent. Cum Judæa A in Provinciam redacta est, Præsides integram reliquerunt Judicibus Populi earum causarum cognitionem, quæ circa Hebraicas leges versabantur, servato sibi dumtaxat jure eas cognoscendi causas, quæ essent de capite, atque vel morte & damnandi, vel absolvendi eos, quo-

1 Drus. Grot. Ligfoot.

quorum vita in discrimen adduceretur. In ipsa etiam captivitate, atque dispersione Hebraei libentissime eorum judicia subibant, quos non sine Principum facultate ex Fratrum suorum numero arbitros, aut Judices eligebant. Primi Christiani eorum exemplum sequuti sunt [1], & S. Paulus praestantissima hac de re nobis tradit documenta. Non pudet, Christianos & Sanctos inter se dissidia, litesque fovere, atque ultro citroque sibi dicam intendere; id vero praesertim apud iniquos, Ethnicos, infideles [2]? Apostolus hoc minime damnat absolute, veluti ostendit. Cum enim Christiani nullos haberent Judices publice constitutos, atque legitima authoritate suffultos, opus erat, ut si quando in illis lites oborirentur, ad eorum locorum, ubi aderant, Magistratus confugerent, vel saltem, qui ad illum forum traducebantur, facere non poterant, quin vadimonium sisterent. Itaque illos solum reprobat Paulus tamquam de re, quae ipsis dedecus inferret; quasi inter fideles, nemo ea praeditus esset sapientia, ut illas judicare possent; vel quasi non satis mutuo sibimet ipsis considerent; ideoque sapientiorum judicium refugerent, quos arbitros cooptarent; quandoquidem solemnes Judices esse non poterant ex jurisdictionis defectu.

Deinde vero cum Christiana religio sub Christianis Imperatoribus satis constituta fuit, Episcopi ordinarii Judices fuerunt in saecularibus etiam eorum negotiis, qui in Dioecesi sua versabantur. Hoc vero munere tanta diligentia, aequitate, ac pietate, Possidio teste [3], S. Augustinus perfungebatur, ut plures etiam alterius communionis ad illum accederent, qui lites eorum dijudicaret: & S. idem Doctor [4] testatur, maximum sibi negotium peperisse hunc saecularium, externarumque causarum, quibus obrutus erat, tumultum. Deum testem vocat, se coenobii sui requiem potius amare, ubi studium, & Oratio manuum labori succedunt, quam ea officia, quibus cogebatur implicitas difficilesque causas disceptare, atque ad finem perducere: onus quidem maximi laboris atque alea plenum. *Quibus nos molestiis affixit Apostolus*, inquit ille de se: *non utique suo, sed eius, qui in eo loquebatur, arbitrio.* Extat apud Gratianum [5] Theodosii lex, permittens, ut qui litem agunt coram Ecclesiastico Judice, eandem transigant tunc etiam, cum apud laicum Judicem causa esset instituta: quam Theodosii legem Carolus Magnus instauravit, eamque in Imperio suo pristinae consuetudini reddidit.

℣. 2. AN NESCITIS, QUONIAM SANCTI DE HOC MUNDO JUDICABUNT?] juxta eam Salvatoris promissionem Matth. 19. 28. *Amen dico vobis, quod vos, qui sequuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* At quomodo eam judicabunt? Quidam Patres credunt [6], eos judicaturos per manifestam oppositionem, quae inter sanctorum, & Apostolorum integerrimam vitam, atque nequissima impiorum, & infidelium scelera late emicabit. Haec antithesis impios damnabit, quemadmodum in eodem capite Salvator ait, a Ninivitis, & Regina Saba in die judicii Judaeos esse damnandos [7], eo quod Ninivitae quidem Jona praedicante crediderunt, Regina vero de extremis terrarum partibus venit, ut Salomonem videret, atque audiret; cum Judaei minime

A audire vellent JESUM CHRISTUM Dei filium, & Messiam suum, qui Jona quidem major erat, Salomone vero sapientior.

Tenent alii [8], illos judicaturos, divinam sententiam approbando; quemadmodum in Regis aula Consiliarii, & Judicum Assessores una cum Praeside sententiam proferente, & judicare, & sententiam proferre censentur. Omnes homines coram JESU CHRISTI tribunali parebunt [9], Hirci quidem ad laevam, Agni vero ad dexteram [10]. Apostoli, Sancti, & fideles supremi Judicis judicium subibunt; deinde vero laudabunt, atque approbabunt damnationis sententiam, quam ille contra reprobos proferet. *Judicare* enim hoc in loco pro *condemnare* usurpatur ex Patrum, atque Interpretum sententia. Censet Ligfoot [11], S. Paulum

B isthic innuere, Sanctos CHRISTI Fideles aliquando totius terrae judices & mundi Dominos futuros. Haec autem Apostoli est argumentatio, ut ille putat: nescitis, Sanctos aliquando mundo dominaturos [12]? ne credatis ergo indignum esse, ut illi inter vos saecularia judicent negotia. Sed haec explicatio nimis violenta videtur. Sensus vero in S. Paulo maxime naturalis est: nescitis, Sanctos Mundi Judices futuros? ut si Mundum Sancti judicaturi sunt, numquid minime digni sunt, qui lites dirimant, quae inter vos subinde oboriuntur?

℣. 3. NESCITIS QUONIAM ANGELOS JUDICABIMUS?] Angelos bonos eo judicare possumus, Dei judicium celebrantes, quo illi honore affecti fuerunt; & justam fidelitatis suae remunerationem approbantes [13]. Nobis enim Angeli semper superiores erunt

C propter naturam suam, & Dei Filius in Evangelio nequaquam nobis pollicetur Sanctorum, & Angelorum; sed dumtaxat daemonum, ac reproborum judicium. Patres etiam atque Interpretes hoc in loco malos Angelos intelligunt [14]. Credunt quidam, Angelorum nomine isthic pravos Sacerdotes indigitari [15]; sed communis sententia est, de pravis Angelis agi; de iis Angelis, *quibus in lavacro renuntiamus*, ait Tertullianus de cultu Foeminar. p. 171. edit. Rigaltii.

QUANTO MAGIS SAECULARIA.] Graece [16] *vitae hujus negotia*, ea, quae ad vitam, bona, & victum pertinent; verbo, omnia temporalia negotia [17].

℣. 4. SAECULARIA IGITUR JUDICIA SI HABUERITIS, CONTEMPTIBILES [18] QUI SUNT IN ECCLESIA, ILLOS CONSTITUITE AD JUDICANDUM.] Etenim qui

D magis contemptibiles sunt in Ecclesia, vel Fidelium minimi meliores sunt, quam Ethnicorum optimi [19]: At ne credas, Apostolum serio velle, ut Judices eligantur, qui minimi sunt in Ecclesia: quae sequuntur, satis ostendunt, hanc illius mentem non esse: innuit solum futurum, ut si urgeret necessitas, ut maxime rudibus Fidelibus uteremini, praestaret iisdem uti, quam Gentilium doctissimos eligere. Assumite Judices de medio vestri, ex vobis autem sapientissimum & prudentissimum quemvis judicem constituite. Caetera, ne coram Gentilibus litem agatis; sed litem agite potius, si opus est, coram iis, qui in Ecclesia minimi habentur. Hic est ille sensus, quem Patres, atque Interpretes [20] vulgo huic loco appingunt.

Credit Ligfoot, S. Paulum alludere ad diversa tri-

E bunalia, quibus Judaei consueverant, apud quos quatuor erant probata, videlicet magnum Sanhedrin; consilium Judicum trium atque viginti, & Consilium Ju-

1 Constit. Apost. lib. 2. cap. 46. 2 Est. Men. alii passim. Vide Gal. 2. 15. ubi vox *peccatores*, posita est veluti synonymi *Gentiles*. 3 Posid. de Vita August. cap. 19.
4 August. de Opere Monach. cap. 29. 5 Gratian. 2. qu. 1. cap. *quicumque*, &c. *volumus*.
6 Chrysost. Theodoret. Theophyl. Ambrosiast. Hieronymiast. Photius in Biblioth.
7 Matth. 12. 41. 42. 8 Est. Justinian. Erasm. Grot. Parae. alii. Vide Dionys. Alexandrin. Apud Euseb. lib. 6. cap. 42. Hist. & Euseb. Alex. lib. 5. adverf. Novatianos.
9 2. Cor. 5. 10. 10 Matth. 25. 32. 11 Ligfoot. Horae. Hebr. & Talmud.
12 Dan. 7. 18. 27. Apoc. 20. 4. 13 Ambrosiaster & alii Patres, ita Men. Tirin. Cornel.
14 Chrysost. hic. Theod. Theoph. Tertull. de Poenit. cap. 7. *Dolet diabolus quod ipsum & Angelos ejus Christi servus ille peccator judicaturus est.* Justinian. Menoc. Grot. alii passim.
15 Chrysost. hic. 16 [illegible] 17 Erasm. Est. Grot. alii.
17 [illegible] 18 Theodoret.
20 Chrysost. hic. Ita Theodoret. Theophyl. alii Graeci & Latini. Est. Vat. Grot. Sclat. Erasm. Menoc. Tir. Ludov. de Dieu.

dicam trium; atque præterea quartum, quod Rabbini *probatum Consilium* appellant. Quintum etiam agnoscunt, quod *non probatum* dicitur [1]; & hoc erat arbitratum, quos singuli eligere poterant ex partium consensu, ad lites suas dirimendas: & quos, ex auctoris hujus sententia, S. Paulus *Ecclesiæ contemptibiles* vocat. Alii [2] hoc nomine intelligunt Ethnicos: & vertunt. *Si lites sunt in vobis, cur committitis earum judicium viris, quos Ecclesia summopere contemnit?* Castellus alium etiam his verbis sensum tribuit, interpunctionem, & ordinem verborum textus immutans [3], *Instituite erga Tribunalia, ut Civilia judicent negotia, si hos homines*, infideles, *indignos censetis, a quibus judicemini*. At sensus, qui passim Vulgatæ tribuitur, simplicior est. S. Gregorius Papa [4] jubet, eos Judices institui, minus videlicet aptos, qui spiritualibus muneribus prædicando atque docendo operam vacent: *ne ipsi videlicet dispensationibus terrenis inserviant, quos bona spiritualia non exornant*.

℣. 5. AD VESTRAM VERECUNDIAM DICO.] His verbis ostendit, ad litteram sumenda non esse ea, quæ dixit. Non cupio quidem, a vobis Judices eligi eos, qui in Ecclesia minimi sunt; verum si eo res esset redacta; hoc quidem facere præstaret, quam ad Ethnicos Judices confugere. *Sic non est inter vos Sapiens quisquam; qui possit Judicare inter Fratrem suum?*

℣. 7. JAM QUIDEM OMNINO DELICTUM EST,] Hic textus aperte quamcumque inter Christianos litem condemnat; & S. Paulus statim objectionem prævertit, quæ sibi fieri potuisset. *Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Ne dicatis ergo, vobis calumniam inferri, bona vestra diripi, vos contumeliis proscindi; præstat hæc omnia pati, quam lite contendere. Salvator Matth. 5. 38. non vult nos contra tendere, ubi aliquod malum nobis inferatur; *audistis, quia dictum est: oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium &c.* & S. Lucas 6. 30. *qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.* Lites fere necessario infinita secum mala trahunt, charitatis jacturam, iram, temporis detrimentum, dolos, jurgia. Minime licet Christiano viro his se se periculis objicere. Bonorum, atque existimationis detrimentum exiguum malum est, si cum integritatis, atque innocentiæ detrimento conferatur. S. Augustinus [5] ad litteram non semel intelligit ea, quæ S. Paulus hic ait, peccatum jam esse contra Fratres litem intendere, & ipse etiam S. Paulus 2. Timot. 2. 24. palam docet: *Servum Dei non oportet litigare.*

At nullam ne exceptionem hæc regula patitur, numquid hi omnes qui lite agunt, damnandi sunt? numquid injustum est, ea quæ ad nos pertinent, reposcere, jus nostrum tueri, improborum audaciam infringere, bona nostra, existimationem, honorem, atque nostræ familiæ, nostrorumque Fratrum famam defendere? si Lites peccata sunt, quare S. Paulus illas absolute non prohibet; sed hortatur, ut non coram Ethnicis, sed coram Fidelibus, atque Ecclesiasticis Judicibus transigantur? Textus illius non ait explicite, Litem jam esse delictum, sed charitatis imminutionem, defectum, imperfectionem; hæc enim proprie est Græci textus significatio [6]. S. Chrysostomus hic, litium mala in eo collocare videtur, quod Christiani per illas religionem suam objiciebant Ethnicorum obtrectationibus, qua in re, tum qui litem infert, tum

A qui eamdem propellit, æque peccant, ait Pater ille. Theophylactus asserit, litem esse damnandam, quia turpis est. Theodoretus loquit, rem odiis plenissimam esse litigare, & longe majoris perfectionis esse id, quod addit Apostolus: *quare non magis injuriam accipitis &c.*

S. Augustinus tenet [7], hoc esse malum ab Apostolo damnatum, atque improbatum, & ob fidelium infirmitatem tunc solum toleratum, ubi coram Judicibus in Ecclesia constitutis decertet; *hoc ipsum habere inter se judicia & lites de sæcularibus rebus, delictum esse dicit: quod tamen ferendum esse admonet, si vel Ecclesiastico judicio lites hujusmodi finiantur*. Ex mera indulgentia lites omnino non damnari, & numquam sine aliquo peccato, veniali saltem, lites haberi; pro quo
B ad Dominum tota die clamare tenemur: *dimitte nobis debita nostra*. Haud quidem injustitia est ea petere, quæ nobis debentur, sed malum est, ut illa obtineas, litem agere. Licet ea, quæ nostra sunt, reposcere; sed si qui illa retinet, jam consilium iniit eadem in judicio etiam negandi; hæc jam illi sunt relinquenda, ait S. Augustinus l. 2. de Serm. Dom. in Monte c. 8. *nec ibi necesse est omni pecuniario debitori dimittere debitum, sed ei, qui reddere noluerit in tantum, ut velit etiam litigare*. At minime decet Dei servum lite decertare, dicit Apostolus 2. Tim. 2. 24. Numquam enim pro terrenis rebus litem instruimus, nisi illa magno amore complectimur; & qui in Christianæ religionis perfectione profecerunt, omnia potius perferent, quam litem amplectantur [8].
C Estius quasdam hic affert exceptiones, quæ justæ quidem videntur: cum non proprium dumtaxat bonum, vel privatus honor, sed communitatis, vel societatis alicujus existimatio defenditur: cum id fit ex obedientia, sine ira, sine festinatione omnia, & quin charitati officiatur; cum rectum jus defenditur, cum pauperum, viduarum, & pupillorum bona repetuntur; cum Pater familias uxoris suæ, atque filiorum jura tuetur; vel cum illorum bona ab aliis per vim usurpata reperit; vel cum alii eadem conantur eripere, tunc vero præsertim, cum hæc eadem bona eorum victui sunt necessaria; cum homo propriam vitam defendit, præsertim cum vel utilis est, vel plurimorum bono necessaria, quemadmodum egit S. Paulus Cæsarem appellans, ut ex Judæorum calumniis, atque im-
D potentia elaberetur. Charitatis etiam nonnumquam interest improborum conatus infringere, ubi ex tua patientia, & ex impunitate, audaciæ, atque temeritatis major illis fieret accessio. Præter hos casus fieri ferme non potest, ut citra peccatum lite contendas; & iis etiam in casibus, ubi justitia magis aperta videtur, difficillimum est justum illud servare temperamentum, quod prohibet, ne leges Evangelii, ne patientia, integritas, æquitas, & Charitas Christiana lædantur.

℣. 8. SED VOS INJURIAM FACITIS.] S. Chrysostomus hom. 16. in hunc loc. in Corinthiis quatuor errata deprehendit, primum, quod injurias non perferant; alterum quod aliis inferant; tertium quod judicium ad alienos transferant; quartum quod fratribus suis litem intendant.

℣. 9. AN NESCITIS, QUIA INIQUI.] Iniqui, de quibus isthic loquitur S. Paulus, illi sunt, quorum scelera deinceps narrat; fornicarii, idololatræ, adulteri &c. Illis, qui in hæc scelera ceciderint, regnum Cœli sperandum non est amplius, nisi per seriam pœnitentiam illa expiaverint. Hæc mala non semper æqua gra-

1 בר שאינן חמומחין Ligfoot. Hor. Talm.   2 Vorst. Castal. Quid. in Cames. Medus. alii.
3 Βιωτικὰ μὲν ἂν κριτήρια, (ἐὰν ἔχετε τοὺς ἐξουθενημένους ἐν ἐκκλησίᾳ τούτους), καθίζετε.
4 Greg. Magn. Pastoral. Curæ parte 2. cap. 8. Idem lib. 19. Moral. cap. 11. *Qui minoris sunt meriti in Ecclesia, & nullis magnarum virtutum meritis pollent, ipsi de terrenis negotiis judicent; Quatenus per quos magna nequeunt, bona minora suppleantur.*   5 Vide August. lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 8. in Psalm. 80. n. 21. & serm. 351. nuv. Edit. n. 5. Enchirid. c. 78. & alibi.
6 Ἤδη μὲν οὖν ὅλως ἥττημα ὑμῖν ἐστι. *Defectus, minoratio, diminutio.*
7 August. serm. 351. n. 5. pag. 1355. Idem Enchirid. de Fide, spe, &c. *Tamen cum fieri in Ecclesia talia judicia jubet ... manifestum est etiam hic quid secundum veniam concedatur infirmis.*
8 Constit. Apostol. lib. 2. cap. 45.

gravia sunt ; quidam enim furtus, quædam obtrectationes venialium criminum fines non excedunt ; sed cum eo usque procedunt, ut gratiæ jacturam faciamus, & animæ nostræ mortem inferamus [1], hæc jam nobis beatæ æternitatis aditum intercludunt ; nisi illa, quemadmodum dictum est, per pœnitentiam delaverimus.

℣. 10. NEQUE MOLLES.] Mollitiei scelus bifariam intelligitur, vel de eo, qui ulcro se semetipso se corrumpit [2], vel de eo, qui corpus suum alteri prostituit in teterrimam impudicitiam [3] ; vox vero, quæ sequitur, *masculorum Concubitores* eos indigitat, qui turpissimam hanc libidinem contra naturam exercent.

MALEDICI.] Græcus [4], qui aliis contumeliosi sunt, eosque injuriis proscindunt, sive adsint, sive absint illi, de quibus obtrectant.

RAPTORES.] Quidam hoc intelligunt de illis, qui mulierem, vel puellam rapiunt [5] ; sed plerique hoc de aliorum bonorum raptoribus explicant [6].

℣. 11. ET HÆC QUIDAM FUISTIS.] Quidam ex iis præsertim, qui ex Ethnica religione converti fuerant, in hujusmodi flagitia ante suam conversionem se abdiderant. S. Paulus hoc fidelibus tantum exprobrat; sed inter Ethnicos pauci ab hujusmodi sceleribus fuerant immunes. Plura Latina exemplaria legunt : *& hæc quidem fuistis* ; sed vera lectio est : *& hæc quidam fuistis*, quemadmodum ex Græco patet [7].

SED ABLUTI ESTIS.] In baptismate non remissionem peccatorum vestrorum solum recepistis, verum etiam gratiam sanctificantem, & justitiam per meritum JESU CHRISTI, & per Spiritus Sancti virtutem.

℣. 12. OMNIA MIHI LICENT, SED OMNIA NON EXPEDIUNT.] Non satis constat, quem nexum hæc habeant cum reliqua parte sermonum S. Pauli ; & vix vel cum præcedentibus, vel cum sequentibus possunt conjungi. Hæ autem præcipue sunt applicationes, quæ afferantur. Loquutus est nuper de iis rebus, quæ cœlestis regni aditum intercludant: hic vero de iis rebus loquitur, quæ in neutram partem vergunt, seu bonam, seu malam, puta bibendi, & manducandi usu, & de iis, quæ Ethnici sibi licere, putabant, videlicet de fornicatione &c. Priores illas, ait, adhuc licere, at minime expedire, iisdem se se mancipare. Primo quod qui immodice cibo, & potu abutitur [8], ejusdem servus fit : *ego sub nullius redigar potestate*. II. quod hæc sane peritura, brevi duratura, & a Deo quam primum tollenda ; ideoque minime merentur, ut anima æternitati creata illis adhærescat.

II Quoad fornicationem, quam Ethnici nullo habebant in discrimine, ostendit, criminosam esse, atque damnatam ; nos per impudicitiam corpora nostra polluere ; hoc scelus eidem JESU CHRISTO contumeliam inferre ; quoniam corpora nostra illius membra sunt, & quod per scortationes membra nostra efficiuntur membra meretricis. Hæc mihi quidem simplicissima hujus loci applicandi ratio videtur.

Nonnulli [9] hoc referunt ad lites, de quibus supra sermo fuit. At enim non licet uti jure meo, & injuriarum mihi illatarum reparationem persequi? utique jure vestro uti potestis, sed non expedit vobis litem instituere, quoniam licet vos tradent in Judicum, atque Oratorum Ethnicorum potestatem, quam servitutem subire profecto non expedit. Alii [10] : mihi quidem licebat non secus ac cæteris, ea vobis victum & subsidium, quo indigebam, exigere ; sed malui eo carere, & manuum mearum labore victum mihi comparare.

EGO SUB NULLIUS REDIGAR POTESTATE.] Non patiar, ullam bibendi, vel manducandi cupiditatem

A mihi dominari. Carnibus, & cibo ea utar cum libertate, quam mihi Deus tradidit ; & JESUS CHRISTUS mihi acquisivit : sed illa non eo usque abutar, ut indigne hujus cupiditati inserviam [11]. Qui hoc explicant de ea libertate, quam S. Paulus servavit, nihil a Corinthiis recipiens, putant, illum, si a Corinthiis victum recipere voluisset, futurum fuisse ut eisdem quodammodo obnoxius esset ; neque integrum ipsi deinceps esset eos liberrime coarguere.

℣. 13. ESCA VENTRI.] Deus escas creavit, quibus nutriremur, & ventrem, quo illæ excoquerentur. Ad id naturaliter & esca, & venter destinata fuerunt ; sed statim ac immodice nosmet cibo replemus, peccatum adjacet, puta, cum ex sola voluptate, & citra necessitatem, vel utilitatem manducamus ; tunc enim

B esca nocet potius, quam nostræ saluti proficiat. *Deus autem & hunc, & has destruet*, ventrem simul, & escas. Igitur nolite sensibilis escæ & gustus voluptati tamquam fini vestro adhærere. Hæc nimis vana sunt, atque brevissime duraturitatis ; neque merentur, ut illis nosmet mancipemus. Illis quidem utimur tamquam adminiculo ad vitam ducendam necessario : verum, ne illas tamquam beatitudinis vestræ objectum perquiratis. Cum mors aderit, & venter, & esca, & comestatio, & gustus voluptas, ut ita dicam, destruentur [12] ; ubi vero resurgemus, induemur quidem corpus, uti nunc, elaboratum, sed venter, & corpus esca non amplius indigebunt. *Erimus velut Angeli Dei*, Matth. 22. 30.

CORPUS NON FORNICATIONI SED DOMINO.] Fornicatio nequaquam indifferens est veluti potus, & esca, sed justitiæ adversatur ; corpora nostra Dei sunt tamquam Creatoris, & JESU CHRISTI tamquam Salvatoris : nostris ergo membris nonnisi ad majorem illius gloriam, & servitutem utendum est. At fornicatio non solum non honorat Deum, verum etiam dedecorat JESUM CHRISTUM, cujus facti sumus membra per Baptismum, & qui corpora nostra resuscitaturus est, quemadmodum ipse per virtutem Patris resurrexit. Qui adhæret meretrici, fit quodammodo unum corpus cum illa. At quodnam sacrilegium est, quæ injustitia, ex JESU CHRISTI membris, membra facere meretricis, & criminosa impudicitia corrumpere corpus resurrectioni, æternæque gloriæ destinatum? nihil profecto solidius, atque sublimius his rationibus afferri

D potest, ut integerrimam corporis & cordis puritatem servemus.

℣. 15. CORPORA VESTRA MEMBRA SUNT CHRISTI.] Insiti sumus quodammodo in JESU CHRISTI corpus per baptismum, & adoptionis gratiam, quæ non animæ solum, verum etiam corpori Christi fidelium communicata est ; quoniam corpus est animæ instrumentum, & post resurrectionem cum eadem iterum conjungendum est, simul cum ipsa æterna beatitudine perfruiturum.

℣. 16. UNUM CORPUS EFFICITUR.] per sexuum unionem. S. Paulus ad criminosum viri cum meretrice concubitum ea transfert, quæ ab initio dicit Deus de viri, & uxoris conjunctione. Gen. 2. 24. *& erunt duo in carne una* : quippe naturalem duntaxat actionem

E considerat, non autem moralem deformitatem, quæ fornicationem a licito conjugii usu distinguit [13].

℣. 17. QUI ADHÆRET DOMINO, UNUS SPIRITUS EST.] Christiani viri anima est quodammodo JESU CHRISTI Sponsa ; illi vinculis fidei, charitatis, & baptismatis adhæret ; eaque unio est omnino spiritualis. Vulgo Conjuges in una, eademque carne conjunguntur : in hoc vero spirituali conjugio JESUS CHRI-

1 August. Oper. imperfecti contra Julian. lib. 2. cap. 97. Et lib. de Perfect. justit. cap. 4. lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 22. de Correptione & grat. cap. 12. 2 Syr. Grot. Tir.
3 Grot. Men. Theophyl. D. Thom. Vide maxime Grot. 4 Λοίδοροι, Convicìatores.
5 Hamm. Le Clerc. 6 Tertull. lib. de Pudicitia, cap. 16. Cyprian. ad Quirin. cap. 3. §. 63. Item lib. 4. cap. 46. 72. lib. 5. cap. 11. August. lib. 11. de Pœnit. Hæc aliquando, &c. Clarom. S. Germ. Lat. Quidem. Sed Gr. τινές. Edit. Sixt. V. Quidam, & alii innumeri.
7 Καὶ ταῦτά τινες ἦτε. 8 Vide Chrysost. hic.
9 Est. Tirin. Menoch. Vide & Anselm. seu Hervæum, D. Thom. Cornel.
10 Ambrosiast. D. Thom. 11 Chrysost. hic. homil. cap. 7. 12 Vide Est. Grot. Menoch. Patres. 13 D. Thom. Est. Tirin. &c.

omnes vos esse sicut meipsum : sed unusquisque proprium donum habet ex Deo :
alius quidem sic, alius vero sic. 8 Dico autem non nuptis, & viduis : bonum
est illis, si sic permaneant, sicut & ego. 9 Quod si non se continent, nubant. Me-
lius est enim nubere, quam uri. 10 Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præ-
cipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. 11 Quod si discesse-
rit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. 12
Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc
consentit habitare cum illo, non dimittat illam. 13 Et si qua mulier fidelis habet
virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum : 14 San-
ctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis
per virum fidelem : alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. 15
Quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater, aut soror
in hujusmodi : in pace autem vocavit nos Deus. 16 Unde enim scis, mulier, si vi-
rum salvum facies ? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies ? 17 Nisi unicui-
que sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, & sicut
in omnibus ecclesiis doceo. 18 Circumcisus aliquis vocatus est ? non adducat præ-
putium. In præputio aliquis vocatus est ? non circumcidatur. 19 Circumcisio nihil
est, præputium nihil est : sed observatio mandatorum Dei. 20 Unusquisque, in
qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 21 Servus vocatus es ? non sit tibi
curæ : sed & si potes fieri liber, magis utere. 22 Qui enim in Domino vocatus est
servus, libertus est Domini : similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. 23
Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. 24 Unusquisque in quo vocatus est,
fratres, in hoc permaneat apud Deum. 25 De virginibus autem præceptum Domini
non habeo : consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut
sim fidelis. 26 Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quo-
niam bonum est homini sic esse. 27 Alligatus es uxori ? noli quærere solutionem.
Solutus es ab uxore ? noli quærere uxorem. 28 Si autem acceperis uxorem, non
peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit : tribulationem tamen carnis habebunt
hujusmodi. Ego autem vobis parco. 29 Hoc itaque dico, fratres : Tempus breve
est : reliquum est, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint : 30 Et
qui flent, tamquam non flentes : & qui gaudent, tamquam non gaudentes : & qui e-
munt, tamquam non possidentes : 31 Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non u-
tantur : præterit enim figura hujus mundi. 32 Volo autem vos sine solicitudine esse.
Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. 33
Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori,
& divisus est : 34 Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt ; ut sit
sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quo-
modo placeat viro. 35 Porro hoc ad utilitatem vestram dico : non ut laqueum vo-
bis injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedi-
mento Dominum obsecrandi. 36 Si quis autem turpem se videri existimat super vir-
gine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri : quod vult faciat : non peccat,
si nubat. 37 Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, pote-
statem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo, servare virginem
suam, bene facit. 38 Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit : &
qui non jungit, melius facit. 39 Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus
vivit : quod si dormierit vir ejus, liberata est : cui vult nubat : tantum in Domino.
40 Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium : puto autem
quod & ego Spiritum Dei habeam.

℣. 1. DE QUIBUS AUTEM SCRIPSISTIS MIHI.] A Ecclesiæ Corinthiacæ capita scripserant S. Paulo, per Fortunatum, Stephanum, & Achaicum, & ex illo quæsiverant, qua via sibi insistendum esset in usu conjugii; & utrum expediret uxorem ducere, an virginitatem [1] servare. Quæstionem hanc Ethnici sæpius agitaverant [2], & fidei propius videtur, Fideles Corinthi, qui magno-

---

1 Chrysost. Theodoret. alii. 2 Musonius & Hierocles apud Stobæum. Alii apud Grot. hic. Metellus Numidic. in oratione, quam Censor habuit : *Si sine uxore possemus, Quirites, esse, omnes ea molestia careremus ; sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, saluti perpetuæ potius, quam brevi voluptati consulendum.*

magnopere Philosophiam in honore habebant, & qui plerraque ad religionem spectantia Philosophorum more tractabant, sæpius hac de re inter se se fuisse colloquutos, antequam ad Apostolum scriberent.

BONUM EST HOMINI MULIEREM NON TANGERE.] Expediret, ut omnes homines possent continentiam servare, & conjugium auferri posset. Hic enim status tot in se se pœnas complectitur, tot periculis, atque incommodis obnoxius est, tot in se continet officia, tantam sollicitudinem, atque curam exposcit, ut hominum plerique, si animi requiem, atque vivendi suavitatem existimarent, ab illo prorsus abhorrerent. Religio quoque ab eodem dissuadere debere videretur; conjugium enim mentem, animumque dividit, atque adducit hominem in nimis frequentia lapsus pericula. Hæc omnia perpendens incommoda, S. Paulus ait, utile futurum, si nemo neque in conjugio, neque extra conjugium mulierem ullam attingeret.

Verum eum alio intuitu res ipsa inspicitur, vere dici potest, quemadmodum Dominus protulit ab initio Gen. 2. 18 non expedire hominem esse solum: *Non est bonum esse hominem solum*. Utilissimum est hominem, uxoremque conjungi ad Dei gloriam, ad rerum publicarum, atque societatum subsidium, ad humani generis propagationem, ad familias, populosque, cognationis, & amicitiæ vinculis invicem conjungendos. Necesse est præterea, ut complures exerceant conjugia, eaque prima fuit Creatoris mens, hominem, atque mulierem creantis, & utrumque sanctissimis, atque non temerandis matrimonii vinculis conjungentis. Non attingit S. Paulus hoc in loco rationes hujusmodi, quæ communes sunt, & cuiquam obviæ; sed aliam affert sublimiorem, & quæ respicit æternitatem. ℣. 2. *Propter fornicationem*, ad hanc scilicet evitandam, *unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*. Quemadmodum non omnes a Deo continentiæ donum acceperunt; qui conjugem duxerunt, cum eadem permaneant; qui vero non ita, ab eadem abstineant, si Deus ipsis vim tribuit, continentiam servandi; alioquin uxorem ducant. Hæc generalia sunt monita. Conjugium quodammodo non aliud est, quam contra intemperantiam medicina [1]. S. Chrysostomus testatur, nonnullos hæc verba: *bonum est homini mulierem non tangere*, intellexisse, tanquam Sacerdotibus tantummodo dicta, sed fidelibus omnibus dicta fuisse, ostendit.

℣. 3. UXORI VIR DEBITUM REDDAT.] Et vicissim uxor viro. Vir, & uxor quemadmodum infra dicitur in alterius corpus mutuam obtinent potestatem, ideoque debent conjugale debitum sibi mutuo non denegare, veluti actum justitiæ. Quidam hoc debitum ad ea omnia extendunt officia, quæ conjuges ultro, citroque sibi debent, fidelitatem, opem, & reciprocam servitutem, sed ex Orationis decursu, hæc Apostoli mens esse videtur, ut ea solum conjugum officia tegere velit, quæ ad conjugale debitum pressius sumptum pertinent [2]. Græcus [3] legit: *vir reddat uxori benevolentiam, quam debet*; quæ honesta loquutio est ad conjugale debitum innuendum. Moyses eodem ferme pacto illud exprimit in Exodo 21. 10. & profani etiam hujusmodi loquutionibus in eodem casu uti consueverunt [4]. Sed vetustissimi Græci MSS. [5], & Patres [6] E cum Vulgata legerunt, *debitum reddat*; quam veram

A esse textus S. Pauli lectionem eruditissimi Critici [7] crediderunt.

NOLITE FRAUDARE INVICEM [8].] Ne alter alteri hoc debitum deneget, tamquam alieno ære obstrictos, qui creditorem suum fraudat [9], illi ea negans, quæ debet, vel fidem infringens. Vir ab invita muliere non recedat; neque illi conjugala debitum neget. Et vicissim uxor erga virum suum: *nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis Orationi*, majori cum mentis libertate, atque attentione. Hebræi conjugii usu abstinebant in luctu, jejuniis, & diebus, quibus se ad majores festivitates præparabant. Græcus pro his verbis, *ut vacetis Orationi*, legit [10], *ut vacetis jejunio, & Orationi*. Sed præstantissimi MSS. Æthiops, Cophtus, S. Clemens Alexandrinus, Origenes, D. Chrysostomus, B aliique Græci, & Latini Patres legunt simpliciter: *ut vacetis Orationi*.

ITERUM REVERTIMINI IN IDIPSUM.] Minime fraudet conjugium, ut diu ultro seorsim vivant etiam precibus vacaturi; ne forte illos tentet Diabolus, atque vincantur tentatione pravi alicujus desiderii, aut voluntariæ in seipsis, vel in aliis libidinis [11]; quoniam non satis adhuc in continentiæ virtute versati sunt, ut diutius extra periculum in eadem permaneant; *propter incontinentiam vestram*. Græcus [12] significat potius *intemperantiam*, neque aliter veteres quidam legerunt. [13] Corinthii indigebant, ut S. Paulus ipsis se se indulgentem probaret, atque discretum continentiæ suasorem. Nullus ferme locus erat, ubi continentia minus cognosceretur.

C ℣. 6. HOC AUTEM DICO SECUNDUM INDULGENTIAM [14].] Cum vos hortor, ut simul revertamini, ut antea, postquam aliquandiu secessistis Orationi vacaturi; hoc non impero, sed simpliciter, vel potius permitto; quippe vestræ indulgeo infirmitati [15]. Conjugalis actus, qui non fit hoc uno intuitu liberos suscipiendi, sed dumtaxat fornicationem evitandi, atque majora mala avertendi, peccato minime caret saltem veniali, ex plurimorum Ecclesiæ Patrum [16] sententia. Hoc remedium est incontinentiæ, non autem actus laude dignus, & præscriptus. Sunt [17], qui Apostoli verba referant ad ea, quæ capitis initio dicit; *Unusquisque suam uxorem habeat*: hoc dico secundum indulgentiam, non autem præcipio; alii vero [18] hoc D referunt ad ea, quæ sequuntur de continentia. Cuperem, ut vestrum singuli mei similes essent, hoc est liberi, & continentes; verum hoc non ab omnibus exigo. Prior explicatio mihi magis arridet: *indulgens, non præcipiens ita fieri*, ait Tertullianus de Monogam. cap. 11.

℣. 7. VOLO VOS OMNES ESSE SICUT MEIPSUM.] Hoc est, vos omnes in continentia persistere [19]. Nemo dubitat, quo minus S. Apostolus, post vocationem suam integerrimam, atque perfectissimam continentiam fuerit professus; sed ambigitur, utrum uxorem habuerit, quod alios credidisse, alios negasse dicit Origenes in Rom. 1. ℣. 1. rem in ambiguo relinquens. Videtur Tertullianus de Monog. c. 3. eumdem Virginem, & continentem credidisse, quod ipsum S. Epiphanius hæres. 58. cap. 4 videtur asserere; neque sibi suadere potest D. Chrysostomus in Philip. hom. 13. E illum de uxore sua verba facere in Epistola ad Philippenses

1 Chrysost. hic homil. 19.
2 Ita Patres, & Interpp. passim.
3 Τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω.
4 Vide Grot. & Garak. hic.
5 Alexand. Clarom. Sancti Germ. GG. LL. Barber. 1. Steph. Æthiop. &c. ὀφειλήν. *debitum*.
6 Clem. Alex. Strom. 3. Origen. Περὶ εὐχῆς. Et in Matth. Tertull. de Pudicit. cap. 16. Cyprian. ad Quirin. lib. 3. Hieronym. contra Jovin. lib. 1. cap. 4. August. Ambros. Fulg. alii.
7 Zeger. Erasm. Grot. Mill.
8 Μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους.
9 Chrysostom. Theodoret. Est. Erasm. Menoch.
10 Ἵνα σχολάζητε τῇ νηστείᾳ, καὶ προσευχῇ.
11 Clem. Alexand.
12 Διὰ τὴν ἀκρασίαν ὑμῶν.
13 Augustin. lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 14. Ambros. cap. 14.
14 Κατὰ συγγνώμην. Quid. Codd. Κατὰ γνώμην.
15 Est. Justin. Menoch.
16 August. de Peccato Originali cap. 38. *Evidenter dum tribuit veniam, denotat culpam*. Et Enchirid. c. 78. *Quis esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus Apostolica auctoritas fateatur*. Vide & de Bono Conjug. cap. 10. & alibi frequenter Greg. Magn. lib. 32. Moral. in Job. cap. 20. Auth. 1. Oper. imperfecti in Matth. homil. 1.
17 Grot. Bez. alii.
18 Jacob. Capell. hic.
19 Chrysostom. hic. Ὡς ἐμαυτὸν, ἐν ἐγκρατείᾳ. Ita Theod. Augustin. de Opere Monach. cap. 32. Clem. Alex. Strom. 3.

penses. S. Hieronymus Ep. 22. eorum confutat opinionem, qui illum virginitatem coluisse inficiantur. Credit S. Augustinus de Grat. & lib. arb. cap. 4. illum perfectam servasse continentiam, atque Theodoretus hic ad ℣. 8. explicite eum uxorem numquam duxisse testatur. At S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 3. uxorem habuisse ait, cum scriberet ad Corinthios, & Philippenses. Eusebius hist. Eccles. l. 3. c. 30. ejus verba profert, tamquam eadem probaturus. Dicit S. Methodius in conviv. Virg. illum in cœlibatu, & continentia vixisse, & S. Chrysostomus de Virg. cap. 8. illum ex numero virginum videtur excludere, cum ait, Sanctos Joannem Baptistam, & Johannem Evangelistam virginitatis, Sanctos vero Petrum, & Paulum continentiæ laude floruisse. In Epistola S. Ignatii locus extat, qui palam S. Paulum uxorem duxisse testatur [1]: sed locus ille corruptus est, atque interpolatus. Recentioribus eadem ferme ac veteribus est sententiarum varietas: at plerique fatentur, tunc S. Paulum in cœlibatu, atque continentia vixisse [2].

UNUSQUISQUE PROPRIUM DONUM HABET.] Alii a Deo virginitatis, atque perfectæ continentiæ donum receperunt, alii donum continentiæ in cœlibatu, alii denique castitatis conjugalis: quorum postremum forsasse nequaquam minus est dono perfectæ [3] continentiæ. Ita nemo pro aliis glorietur; unusquisque enim a Deo recepit quidquid habet [4]. Verum etiam, qui non habet continentiæ donum, minime credat, se ad eam servandam non teneri, si in conjugio non vivit, vel si ejusdem voto obstrictus non est. A Deo petere debet, quod non habet; atque pro virili adniti, ut illud obtineat, mortificationem exercens, occasiones fugiens, propria studia subigens, vel denique si liber est, conjugem ducens, quod remedium est a Deo contra continentiam institutum. Vide S. Gregorium Magnum *Pastoral. part. 3. ad monit. 28.*

℣. 8. DICO AUTEM NON NUPTIS, & VIDUIS.] Has hortor, ut in hoc statu perseverent. Græcus [4] innuere videtur viros, atque mulieres viduas, quibus suadet S. Paulus, ut in cœlibatu permaneant. Alteras nuptias non damnat, sed illis viduitatis, vel continentiæ statum anteponit, atque auctor, & *suasor* illis est, ut in ea, in qua versantur, tranquillitate, & Domino serviendi libertate, persistant.

℣. 9. QUOD SI NON SE CONTINENT.] Si continentiæ donum non receperunt, integrum illis est uxorem ducere; nullam enim cœlibatus necessitatem illis imponit Ecclesia. Non dicit etiam, si continentiam servare non possunt; homini quippe, ubi gratiæ subsidium accesserit, nihil est difficile; sed ait, *si non se continent*, si bona voluntas, & continentiæ servandæ consilium illis deest; si se periculosis objiciunt tentationibus, ita ut in continentia persistere nequeant, sine magno salutis suæ periculo, ad conjugii medicinam confugiant. *Admonendi sunt cœlibes*, inquit S. Gregorius Papa [5], *ut si tentationum procellae cum difficultate salutis tolerant, conjugii portum petant: si tamen necdum meliora voverunt; nam quisquis bonum magis facere proposuit, bonum minus, quod licuit, sibi illicitum fecit.* Vide etiam Trident. Concil. Sess. 24. can. 9.

MELIUS EST NUBERE, QUAM URI.] Hoc est, ut ait S. Augustinus de Virg. cap. 14. quam *arcuisse flamma concupiscentiæ vastari*. Impuras amor jure comparatur igni, atque incendio, animam nostram miserrime vastanti. *Uri* hoc in loco non simpliciter significat agitari concupiscentiæ motibus, & profani amoris ardore tentari; sed huic assentiri, eidem se se dedere, eodem incendi, atque consumi [6]. Melius est permissis pharmacis uti, quam in ipso morbo interire. Continentia bonum est, quod ad salutem non parum potest conferre. Conjugium licitum quidem est, sed æternæ felicitati difficiles obices statuit. *Uri* concupiscentiæ flamma, superari, ac impuro amori se se tradere, hoc utique certum est excidium, ac via damnationis. Non dubitandum igitur est, utrum ad conjugium confugias, ubi continentiæ donum non habeas, atque periculum immineat, ut uraris [7]. Hæc omnia illos tantum respiciunt, qui votis, aliisve obligationibus, vel ad continentiam, vel ad conjugalem castitatem servandam obstricti non sunt; e. g. vir absente uxore, aut uxor absente viro [8]. Nonnulli [9] de Inferni flammis, ad quas impuræ actiones deducunt, verbum illud *uri* interpretantur, sed hic sensus litteralis non est.

℣. 10. PRÆCIPIO NON EGO, SED DOMINUS, MULIEREM A VIRO NON DISCEDERE:] Hoc non est consilium, neque præceptum, quod ultro ipse ex meipso, & tamquam JESU CHRISTI Apostolus irrogem; sed ipse JESUS CHRISTUS, Deus ipse Pater, vobis hoc mecum præcepit. Dominus in ipsis Mundi primordiis dixit Gen. 2. 24. *relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; quod JESUS CHRISTUS Matth. 5. 32. & 19. 9. de insolubili conjugis vinculo explicavit. Ita qui conjugem duxerunt, eam non deserant. Judæi uxoribus suis sine causa libellum repudii tradebant, Deut. 24. 1. hac vero in re Ethnici erant adhuc liberiores. Ostendit JESUS CHRISTUS, unum dumtaxat liciti divortii esse casum, videlicet alterutrius partis adulterium; sed ita tamen, ut neque pars, quæ contumelia fuerat effecta, neque illa, quæ divortii occasionem attulerat, ante partis alterius obitum rursus vel uxorem ducere, vel nubere possit. Hoc autem ℣. 11. adseritur.

℣. 11. QUOD SI DISCESSERIT.] Hoc de divortio cum plerisque explicamus; sed alii [10] intelligunt de quadam secessione ad tempus, quæ ob aliquam simultatem acciderit, ut crebro assolet in familiis, ubi hujusmodi casus ingruerit, neque parti, quæ secessit, neque illi, quæ relicta est, fas est iterum aliud inire conjugium; hujusmodi enim secessiones conjugii vinculum minime infringunt. S. Paulus hortatur, ubi talis adsit occasio, partes in gratiam redeant, atque simul permaneant; vel, ut postquam secesserint, statim reconciliantur, sive ea secessio verum divortium sit, adulterii causa ortum, seu libera separatio, & ex simultate quadam profecta. Illud vero hac in re singulare videtur, quod S. Paulus æquum statuit jus in viro æque, & uxore, sive ad secessionem, sive ad reditum; quamvis leges civiles viris magis, quam uxoribus indulgeant; & ipsa Moysis quoque lex hominibus favere potissimum videatur. Non liquet ex Moyse, Judæam mulierem divortium facere potuisse cum viro suo, etiam si adulterii causa adesset; multo minus vero minoribus de causis, quemadmodum divortium in viro tolerabatur [11].

℣. 12. NON CÆTERIS [12].] Quæ aliam Epistolæ vestræ partem constituunt, vel quæ spectant ad conjuges, quorum alter fidelis est, alter infidelis, hæc ea sunt, quæ vobis dicere possum, juxta lumen illud, quod mihi concessit Deus: quandoquidem hac de re nihil omnino edixit Dominus; & lex in hujusmodi conjugiis nihil præcepit explicite. Moyses quidem vetat, ne Hebræi cum alienigenis misceant conjugia; at nihil ait de uxoratio viro, qui in Judæorum sacra transiverit, quin uxor etiam converti voluerit: cum vero JESUS CHRISTUS in terris prædicabat nondum cœptum erat Gentilibus Evangelium prædicari; ideoque casus, de

qua

1 Oecum. Theophylact. Sedul. Est. Menoch. Tirin. Vorst. Casial. Zeger. Bez.
2 Vide Theodoret. hic. 3 Clemens. ad Corinth. parag. 33.
4 Λέγω δὲ τοῖς ἀγάμοις, καὶ ταῖς χήραις. 5 Gregor. Magn. Pastoral. parte 3. cap. 28. Vide, si lubet, Est. hic, & Patres ab eo citatos. 6 Theodoret. hic.
7 Vide Ambros. ad Virgin. Lapsam cap. 5. Augustin. de Sancta Virgin. cap. 74. Ambrosiast. alios hic.
8 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Ambros. loco citato. Hieronym. lib. 1. contra Jovinian. Augustin. lib. 1. de Adulter. conjug. cap. 15. Ephræm. tract. de hac re singulari.
9 Vide Sedul. Primas. Fabr. in Comment. 10 Vide Grot. Par. Est.
11 Vide Theodoret. ad vers. 1. hujus Capitis. Ambros. in Luc. 16. & lib. de Abraham.
12 Τοῖς δὲ λοιποῖς ἐγὼ λέγω, &c.

quo agitur, neque veteris legis auctoritate, neque novæ legis dispositione poterat explicari. Hic igitur omnino recens casus erat, quem Apostoli sapientia secundum leges charitatis, & Spiritus Sancti lumina interpretetur [1]. Putat Tertullianus [2], nonnullos ex fidelibus, qui ex Ethnica religione fuerant conversi, credidisse, nefas esse sibi, ulterius versari cum infidelibus uxoribus suis, atque uti conjugio, simul ac fidem amplexati fuissent; atque credit, S. Paulum hoc in loco eorum ambiguitati satisfacere. Illis ergo permittit, ut simul commorentur, dummodo pars infidelis consenserit; neque permittit eamdem dimitti, si simul permanere voluerit.

S. Augustinus [3], quem alii plures sequuntur [4], credidit, per hæc verba: *Ego dico, non Dominus*, innuere velle, Apostolum se in hac re simplex præbere consilium; et magis fidei consonum est, ipsum Apostolica auctoritate novum irrogare præceptum. Dixerat Dominus, quid faciendum esset in casu divortii propter adulterium: at non dixerat, quid faciendum in causa secessionis propter infidelitatem; igitur S. Paulus hoc supplet.

℣. 14. SANCTIFICATUS EST ENIM VIR INFIDELIS.] Quorsum autem? & qua in re hæc sanctificatio consistit? hæc non est sanctitas proprie dicta, sed uxor fidelis sensim virum suum ad conversionem disponit, illi pietatis, ac timoris Dei sensus inspirat; eidem viam salutis ostendit, hunc exemplo suo a multis flagitiis avertit, precibus suis Deum fatigat, ut viro conversionis gratiam obtineat [6]. Potest ergo sine ulla religione accedere ad infidelem virum, ideoque pollutum: quippe Religio docet, quomodo omnes actiones suas purificet, & sequatur ea præcepta, quæ ab omnibus sordibus eamdem removeant [7]. In eodem etiam usu conjugii viro sanctificare potest filiorum procreatio, atque institutio [8]; quare addit: *alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*. Si cum infideli viro non permaneret, quid fieret de filiis suis? permanerent, non secus ac pater, in infidelitate: at ipsa saltem eos docet quomodo ab Idololatria fugere debeant, illis Dei cognitionem, & Religionis amorem infundit [9], & in hoc casu sancti sunt, atque præparati, ut in Ecclesiam ingrediantur: *quasi designati sanctitatis, ac per hoc etiam salutis*, quemadmodum loquitur Tertullianus [10].

℣. 15. QUOD SI INFIDELIS DISCEDIT.] Uxor illum invitum retinere non debet, neque eumdem in infidelitatem sequi; postmodum vero illi integrum est, vel nubere, vel continentiam servare. Non est amplius subjecta legi viri sui: neque conjugii vinculum ulterius subsistere censetur [11]. S. Paulus non petit, ut pars fidelis ab infideli recedat, immo neque hoc suadet: sed si infidelis fidelem reliquerit, huic licere ait, si velit rursus vel nubere, vel aliam ducere uxorem. Non præcipit Christiana Religio, ut adhæreas illi, qui alterius est Religionis, ideoque in jugi turba, ac dissensione verseris; *in pace enim vocavit nos Deus*.

℣. 16. UNDE ENIM SCIS MULIER.] Hoc superioribus subnecti potest: *in pace vocavit nos Deus*; scilicet ut in pace viveremus; ideoque cum infideli viro, quoad poteris, permane, neque illi occasionem præbe, ut recedat a te; conare illum morum tuorum suavitate lucrari; nescis enim, utrum Deus illum opera tua velit convertere [12]. Ita etiam explicari potest [13]: cur permanes cum infideli viro, qui Religionem tuam ferre non potest? numquid certe confidis, te illum JESU CHRISTO esse lucraturam, & futurum, ut opera tua convertatur? Prior sensus probatior est.

℣. 17. NISI UNICUIQUE SICUT DIVISIT DOMINUS.] Hoc generale præceptum est, quod in omnibus Ecclesiis docui; videlicet, ut singuli ambulent secundum peculiare donum, quod a Deo receperunt; & quoad fieri potest, eo permaneant in statu, in quem Deus illos vocavit, seu continentiæ, seu virginitatis, seu conjugii; gratiæ, atque Divinæ voluntatis illecebras sequantur, vel ut post secessionem hanc in cœlibatu permaneant, vel ut libertate, quem adepti sunt, perfruantur. Hæc est exceptio præcepti superius traditi. Quidquid vobis dixi, subordinatum est peculiaribus donis, quæ singuli a Deo recepistis. Præcepta hæc sequi potestis, nisi aliud a vobis exquirat Deus per ea peculiaria dona, quibus vos cumulavit.

Quidam Græcum duorum versiculorum 16. 17. textum ita conjungunt [14]: *unde scis vir, utrum uxorem salvam facies? ambulet unusquisque secundum dona, quæ a Deo recepit*. Sed Vulgata lectio probatior est, ac plurimis arridet.

℣. 18. CIRCUMCISUS ALIQUIS VOCATUS EST?] Ex Judaica Religione ad Evangelii fidem migravit? *non adducat præputium*. Ex Macchabæorum libris novimus [15], veteribus non defuisse artem celandi in hominibus notam circumcisionis, quod Judæi apostatæ facere consueverant. Celsus Medicus l. 7. cap. 25. docet, quomodo hoc fieret volsellis quibusdam de industria ad cutem producendam, atque extendendam elaboratis. Judæorum libri hac de re pluribus in locis loquuntur [16], ubi docent, illos, qui circumcisionis notam in se hoc pacto deleverint, circumcisionem iterum subeundam esse, alioquin futuri sæculi participes non futuros. Non deerant fortasse Judæi quidam ad Christianam Religionem conversi, qui, ut ostenderent, se Judaicam fidem perhorrescere, ipsi etiam antiqua ejusdem vestigia in corporibus suis delere adnitebantur [17].

℣. 19. CIRCUMCISIO NIHIL EST.] Circumcisus esse, vel secus, hoc ad salutem minime prodest: maxime vero prodest *observatio mandatorum Dei*, & vita ad Christianæ Religionis leges conformata. Circumcisio Abrahæ tradita fuit, tamquam signum fœderis, quod Deus cum illo percutiebat [18], ut illum ab Ethnicis, & infidelibus distingueret [19], vel etiam ut origina-

1 Vide Grot. Erasm. Est. alios. 2 Tertull. de Monogamia, cap. 11. *Ostendit Apostolus fuisse qui in matrimonio a fide deprehensi, verebantur, ne non liceret eis matrimonio suo exinde uti, quia in carnem sanctam Christi credidissent*. 3 Augustin. lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 16. & lib. 1. de Adulter. conjug. cap. 13. 17. &c. 4 Gloss. Interlin. Herv. D. Thom. Lyr. Carthus. alii.

5 Theoph. Oecumen. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. c. 5. 6. Haymo. Cajet. Gagnæ. Grot. Parr.

6 Chrysostom. Ita Theodoret. Est. Grot. Menoch. alii. Hieronym. ad Lætam. *Sancta, & fidelis domus virum sanctificat infidelem: jam candidatus est fidei, quem filiorum, & nepotum credens turba circumdat*.

7 Vide Chrysost. hic. Tertull. lib. 2. ad uxorem. *Non ut prius sanctos officia sexus cum honore ipsius necessitatis, tamquam sub oculis Dei modeste, & moderate transigatur*. Grot. Men. Tirin.

8 1. Timoth. 2. 15. *Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide*.

9 Theodoret. Grot. Est. Menoch. Tirin. 10 Tertull. de Anima, cap. 39. Hieronym. ad Quæsita Paulini, ep. 153 *Sanctos dici fidelium filios, quod quasi candidati sint fidei, & nullis idololatriæ sordibus polluantur*.

11 Est. Grot. Tirin. Parr. Piscat. Sclater. Vide & Ambros. in Luc. 16. & Ambrosiast. hic, & Canon. 28. q. 2. cap. Si infidel. & extra de Divortiis, cap. Quanto, &c. Gaudemus. Et Chrysostom. Theophylact. Oecumen. Phot. Gloss. Div. Thom. Lyran. Carthus. alios.

12 Est. Grot. Par. Piscat. Ita & August. lib. 1. De adulter. & conjug. cap. 13.

13 Lyr. Gagn. Tir. Menoch. alii quid.

14 Ἢ τί οἶδας, ἀνὴρ, εἰ τὴν γυναῖκα σώσεις ἢ μή; Ἑκάστῳ ὡς ἐμέρισεν ὁ Θεός. Vide Oecumen. & Theophyl. & Severian. Vide Erasm. Hammon. Mill. 15 1. Macch. 16. *Fecerunt sibi præputia*. Vide & Joseph. Antiq. l. 12. cap. 6. 16 Bereschit. Rabb. fol. 46. Jerosolymit. Jevamoth. fol. 9. &c. Vide Ligfoot. Hor. Heb. Cartwright. Millesic. l. 3. c. 2. Synops. hic. Buxtorf. Lexic. in משך relis dicebatur, משוך attractus, ἐπισπασθείς.

17 Cunæ. de Rep. Hebr. l. 3. cap. 5. Hammond. hic. 18 Rom. 4. 11. 19 Justin. Dialog. cum Tryphone. Iren. l. 4. c. 30. Tertull. adversus Judæos, & alii plures.

ginalis peccati remissionem pueris conferret [1]; sed post JESU CHRISTI mortem fœdus antiquum abrogatum est, ac novum illi successit; ideoque ablata est Judæi, atque Gentilis distinctio per JESU CHRISTI fidem, cumque Salvator facilem, ac recentem medicinam instituerit ad peccati originalis veniam in baptismate conferendam, vetus medicina, quæ violenta erat, & cum dolore conjuncta, prorsus inutilis facta est.

℣. 20. UNUSQUISQUE IN QUA VOCATIONE VOCATUS EST.] Hoc præceptum non est, sed consilium; immo coarctandum etiam est ad eos status, qui cum Christianæ Religionis statu nihil habent oppositum [2]. Nam si aliquis turpem, & criminosam artem profiteretur, vel in eo statu versaretur, qui illum peccatis objiceret, in eo certe permanere non posset. Hoc igitur intelligendum est de statu conjugii, vel servitutis, vel circumcisionis, aut similium, qui Divinæ legi minime adversantur.

℣. 21. SERVUS VOCATUS ES?] Hoc tibi minime displiceat. Servi quidam Christiani libertatem quamdam temere jactantes, vel dominos suos contemnebant, vel fatigabant Ecclesiam, atque fideles in gravissimos sumptus pertrahebant, ut ab his redimerentur [3]. Apostolus ergo vetat, ne glorientur ea libertate, quam illis JESUS CHRISTUS acquisivit, neque nimis sollicitudine fideles fatigent, ut in libertatem vindicentur. Christiana libertas humanæ servituti non adversatur, sed in eo consistit, ne quis peccato, propriisque affectibus serviat.

SED SI POTES LIBER FIERI.] Si dominus tuus tibi offert libertatem, vel aliquis te redimere cupit, eorum utere bona voluntate [4], ut facilius, & commodius Deo vales servire. Alii [5] hoc aliter omnino intelligunt; tunc etiam cum libertatis acquirendæ viam inveneris, præfer servitutem. Quorsum autem? quod servitus Christianæ professioni non solum non obest, verum etiam maxime prodest, inquit Divus Chrysostomus. Nam quemadmodum statim infra subdit Apostolus: *qui in Domino vocatus est servus, libertus est Domini*. Posterior hic sensus plurimorum suffragio probatur, sed prior mihi aptior videtur.

℣. 22. QUI A DOMINO VOCATUS EST SERVUS.] Ne doleas ergo, si servus es; ex quo Deus te ad fidem advocavit, de peccati servitute te liberavit, & vere factus es liber libertate spiritus; inferior non es fidelibus aliis, qui nati sunt liberi, & qui majori libertate fruuntur; illi etiam, non secus ac tu, captivi sunt, & servi JESU CHRISTI. Iis vero, qui sunt extra Ecclesiam, libertatem invidere non debes; hæc enim vera servitus est [5].

℣. 23. PRETIO EMPTI ESTIS.] Sanguine videlicet JESU CHRISTI. Vos illius estis multo potiori jure, quam servus sit domini sui; hic argento emptus fuit, at JESUS CHRISTUS sanguinem, vitamque suam pro vobis effudit. Diligenter ergo eam servate libertatem, quam vobis adeptus est; & fideliter illi famulamini; numquam enim perfectius liberi eritis, quam cum arctius eidem adhærebitis, & humilius subditi eritis. Nulli hominum vosmet subjicite in servitutem, ut facilius Deo Domino nostro serviatis: sin autem in servitutis squalore versamini, maximo in pretio habete cordis, atque spiritus libertatem, neque peccato serviatis, neque affectus vestros vobis dominari permittatis.

℣. 25. DE VIRGINIBUS AUTEM.] Neque Dominus in lege Moysis, neque in Evangelio JESUS CHRISTUS de virginitate præceperat aliquid. Salvator simpliciter dixerat non defuisse, qui propter regnum Cœlorum Eunuchos se fecerant [7]; & non omnibus datum esse, ut in cœlibatu vivere possint. Immo ille generatim virginitatem omnibus non præceperat, sed neque suaserat. Dicit ergo Apostolus hac in re, cum nullum adsit mandatum, arbitrari satis esse consilium præbere, *tamquam misericordiam consequutus a Domino, ut sim fidelis* [8]; hoc est tamquam fidelis Domini minister, & per illius misericordiam ad Apostolatum vocatus.

℣. 26. HOC BONUM ESSE PROPTER INSTANTEM NECESSITATEM.] Videlicet, puto expedire in virginitatis, atque cœlibatus statu permanere [9], idque propter vitæ hujus molestias, & conjugii incommoda [10], ac denique propter vitæ hujus brevitatem, & mala, quibus obnoxia est. Facilius est, ut vir, qui solus vivit, ex ingruentibus vitæ hujus calamitatibus emergat, quam cum familiæ præest, & conjugii vinculis adstringitur [11].

℣. 28. SI AUTEM ACCEPERIS UXOREM, NON PECCASTI.] Conjugium in se ipso malum non est: ita cum vos hortor, ne uxorem ducatis, ne credatis, hoc a me prohiberi, tamquam peccatum, & malum; id unum dico, magis expedire virginitatem, eamque majoris esse perfectionis.

TRIBULATIONEM TAMEN CARNIS.] Hæ carnis tribulationes sunt conjugii effectus, qui evitari non possunt; mutua viri, & mulieris submissio, qui vicissim infirmitatem suam pati debent; onera conjugii; filiorum institutio, parientium pericula, & cura, qua undique obsidetur Paterfamilias, ne quid detrimenti sua domus patiatur. Hæc omnia *tribulationem carnis* appellat, quatenus nomen carnis exteriorem hominem, ac vitam præsentem rebus spiritualibus oppositam significat. *Ego autem vobis parco*, addit ille; Non idso hoc vobis vitio verto; quinimo misereus malorum, quibus vosmet objicitis, conjugii statum ineuntes [12]. Vellem, hæc mala effugeretis, & suaderem vobis, ne umquam uxorem duceretis [13], at nimis multa dicere vereor, & timeo, ne credatis, me infirmitati vestræ laqueum struere, nimis aperte status hujus incommoda vobis ob oculos exhibentem [14]. Et profecto nihil veræ sapientiæ magis oppositum esset, quam conjugii vinculis semet irretire, nisi majus malum, incontinentiæ videlicet metueretur, ait S. Augustinus [15]: *istam tribulationem carnis suscipere tolerandam perstultum esset, nisi metueretur incontinentibus, ne tentante Satana, in peccata damnabilia laberentur*.

℣. 29. HOC ITAQUE DICO, FRATRES: TEMPUS BREVE EST [16].] Vita brevis est, & quamprimum mors hominem ab uxore, & uxorem a viro separabit: itaque moneo, ut conjugio si non adeo hæreatis affectu, serio vosmet ad Domini adventum præparetis, atque maturato exuatis, quidquid vos huic mundo adstrictos tenet. Græcus ita verti potest [17]: *illud autem vos moneo, Fratres (quoniam tempus vitæ, quod vobis reliquum, breve est) ut in conjugio viventes, quasi conjugem minime duxeritis*.

℣. 30. QUI FLENT, TAMQUAM NON FLENTES.] Ne lacrymis, atque mœrori ita vosmet tradatis, quasi mala vestra æternum essent duratura; & similiter ne nimis gaudio exultetis: quasi vestra felicitate semper

effetis

1 Aug. l. 2. de Peccato Origin. c. 30. & alibi. 2 Vide Aug. Exposit. ep. ad Galat. 11. 3 Ignatii Ep. ad Polycarp. Vide Grot. hic. 4 Grot. Bez. Men. Cornel. 5 Est. Grot. Menoch. Ludov. de Dieu. Zegeri Cameras. Vide Chrysostom. Ita & Theodoret. & alii Græci, & D. Thom. & Syr. 6 Tertull. de Corona Militis. *Omnia imaginaria in sæculo, & nihil veri. Nam & tunc liber hominis eras redemptus a Christo, & nunc servus es Christi, licet manumissus ab homine.* 7 Matth. 19. 12. 8 Γνώμην δὲ δίδωμι ὡς ἠλεημένος ὑπὸ Κυρίου πιστὸς εἶναι. 9 Chrys. Theodoret. Grot. Est. Men. alii. 10 Ita fere Græci, & Latini. Est. Tir. 11 Vide Grot. & Ligfoot. 12 Oecumen. 13 Ambrosiast. Theodoret. Theoph. alii. 14 August. de sancta Virginit. c. 6. Primas. alii. 15 Aug. loco cit. 16 Græc. Ὁ καιρὸς συνεσταλμένος. *Tempus contractum.* Tertull. l. 1. advers. Marcion. c. 7. & Hier. l. 1. advers. Jovin. c. 35. *Tempus in collecto est.* Hieron. in Eccle. 3. *Tempus in angusto est.* 17 Τοῦτο δέ φημι, ἀδελφοί, (ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν ἐστιν), ἵνα καὶ οἱ ἔχοντες γυναῖκας, ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι. Ita legunt Codd. plures Basil. Theodoret. Theoph. Oecum. Ambros.

essetis perfrui tuel. Omnia in hoc mundo prætereunt, nihil in eodem statu permanet. ℣. 31. *Præterit enim figura hujus mundi*. Universus hic mundus est quædam veluti scæna, in qua actores brevi apparent, & mox evanescunt [1]. Alii Græcum vertunt [2]: *figura hujus mundi fallit*, eos seducit, qui eam sectantur [3]. Vel, *efficit, ut a recta via deflectamus* [4], nos in errorem impellit.

℣. 32. VOLO, VOS SINE SOLLICITUDINE ESSE.] Ideo sensim ab hujus mundi rebus, ab uxoribus, filiis, & negotiis animum divellere debetis, ut illum ad eam rem appellatis, quæ unice necessaria est, vestram videlicet salutem; ad Christianæ Religionis perfectionem nonnisi per abnegationes pervenire potestis. Non exigit S. Paulus ex CHRISTI fidelibus vitam ab omni cura, & sollicitudine vacuam; neque petit, ut in neutram partem inclinent; sed vult, ut amorem, zelum, & curam suam ad ea convertant objecta, quæ hanc mereantur, beatam videlicet æternitatem.

℣. 33. QUOMODO PLACEAT UXORI, ET DIVISUS EST.] Græca quædam exemplaria [5] Vulgatæ sunt conformia; sed typis edita, aliaque non pauca [6] ea verba, & *divisus est*, sequenti versiculo ita conjungunt: *quærit, quomodo placeat uxori; magnum discrimen est inter mulierem, & virginem, quæ non nupsit*. Hæc lectionis varietas magni momenti non est, quoniam viget adhuc Apostoli sententia. Innuit, eos, qui uxorem duxerunt, sexcentis curis esse distractos, licet id solum quæreret, ut vir uxori, uxor viro mutuo placerent: cum interim vidua, vel virgo, quæ nullis hujusmodi curis distrahuntur, quærant dumtaxat, quomodo placeant Domino; qua in re omnino differunt ab ea, *quæ nupta est; sollicita enim, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*. Vulgatæ sensus magis complexus est, atque magis perspicuus.

℣. 35. NON UT LAQUEUM VOBIS INJICIAM, SED AD ID, QUOD HONESTUM EST &c. [7]] Hoc est sanctitas, & *quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi*. Græcus [8]: *sed ut vos hortor, ut jugiter, vel constanter Domino adhæreatis, quin aliquid vos inde abstrahere possit, vel sine distractione*, & sine sollicitudine. Minime vobis injicere contendo necessitatem in cœlibatu permanendi; neque continentiæ jugum vobis imponere studeo; non ut *laqueum vobis injiciam*; quasi cervicibus vestris vinculum injiciens tamquam jumentis, quæ subiguntur, atque sub jugum mittenda sunt. Plerique Gallici Interpretes, injicere laqueum, tamquam struere insidias, intelligunt; at non hic profecto authographi sensus est, quemadmodum eruditi viri animadverserunt [9].

℣. 36. SI QUIS AUTEM TURPEM SE VIDERI EXISTIMAT.] Quod filia sua ætatis suæ florem transigat, quin illam nuptui tradat alicui. Hoc suspicionum ingerit, quod vel pater erga filiam crudelis fuerit, vel filia defectos aliquos habuerit, propter quos minime nuptui

A erit, antequam ætatis flos præteriret. Flos ætatis intra annos quinque, & viginti constitutus fuisse videtur. Leges enim puellis ultra hanc ætatem permittunt, ut sine patris consensu nubere valeant.

ET ITA OPORTET FIERI.] Et censet, se illam in matrimonium collocare debere, vel propter sui ipsius, atque filiæ suæ honorem, vel ad evitandum periculum, cui obnoxia est nubilis filia: vel etiam, ne vis inferatur voluntati filiæ, quæ continentiæ studio non facis teneatur; hi cum adsint casus, optime pater filiam nuptui tradit.

℣. 37. NAM QUI STATUIT IN CORDE SUO FIRMUS &c.] Qui nullis hujusmodi rationibus adducere potest filiam suam, ut nubat; qui hominum judicia, ac sermones evitat, vel qui in virgine filia amorem virgini-

B tatis invenit; & qui nulla cogitur causa, ut eamdem collocet in matrimonium, hic quidem optime facit, si eamdem in virginitate relinquit.

POTESTATEM HABENS SUÆ VOLUNTATIS.] Si pater omnino liber est tum ex parte mundi, tum ex parte familiæ suæ; si consilio suo nullum obicem vel in filia, vel in cognatione, vel in conditione sua animadvertitur: sexcentæ enim in rebus hujusmodi perpendendæ sunt circumstantiæ, quæ auferunt, vel minuunt patris libertatem, ubi filiam suam, vel nuptiis, vel aliter velit destinare. Apostolus prudentissime æquas omnes affert exceptiones, quæ requiruntur, ne sibi imputetur, quod alicui invito continentiæ jugum velit imponere.

℣. 38. QUI MATRIMONIO JUNGIT VIRGINEM SUAM [10].]

C Qui eam matrimonio jungit, ubi ex adsint causæ, de quibus loquuti sumus, bene facit; boni parentis officium explet; filiæ suæ honorem, atque existimationem in tuto ponit; denique bonum opus facit, quoniam conjugium ex natura sua bonum est. *Trade filiam, & grande opus feceris*, inquit auctor Ecclesiastici c. 7. 25. hoc vel maximum est parentis officium. Sed qui in virgine filia continentiæ amorem invenit, & ipse consilii certus est, ut eamdem virginitati devoveat, melius adhuc operatur; actio illius perfectior est, atque meriti sublimioris.

℣. 39. MULIER ALLIGATA EST LEGI [11].] Neque virum relinquere potest, neque illo invito continentiam servare, neque alteri viro nubere, si vir suus ipsam dimiserit. Nullum illi vel corporis, vel liberta-

D tis suæ jus est; at simul ac vir ejus obierit, jam libertatem nacta est, & cuicumque volet, nubere poterit, tamen viro fideli dumtaxat: *tantum in Domino* [12]. Ex hac doctrina duo inferuntur: primum, conjugium solvi non posse: alterum, secundas nuptias licere. Sunt, qui [13] ita explicent hæc verba, *In Domino*: in Christiana Religione permaneat, non abutatur libertate sua, ut ad Idolorum cultum redeat, vel ut Idololatræ viro nubat. Nubat quidem, sed cum timore Dei, & juxta temperantiæ præcepta, dumtaxat, ut incontinentie

c Ita Grot. Estius. 2 Παράγει γὰρ τὸ σχῆμα. 4 Budæus, Bez.
3 Cajet. Gagnæ. Alciat. Jac. Fab. Stapul. Sclater.
5 Complut. Alexand. Æthiop. Cypr. Ambrof. Augustin. Fulgent. Primas. Hieronym. contra Helvid. in fine, & ep. ad Eustoch. de servanda Virginit. & quid. Codd. Græci apud Mill. hic.
6 Latini Codd. ante Hieronym. Clarom. & S. Germ. G. L. Syr. Arab. Tertull. de veland. Virgin. cap. 4 Sedul. Chrysostom. Basil. Theodoret. Theophylact. Oecumen. August. non semel. Codd. Græci plerique, μεμέρισται ἡ γυνὴ, καὶ ἡ παρθένος. Discreta sunt hæc duo, mulier, & virgo. Plurimum distat inter utramque. Pagn. Piscat. Erasm. Grot. Syr. Tigur. Bez. alii. Oecumen.
7 Οὐχ ἵνα βρόχον ὑμῖν ἐπιβάλω, ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον, καὶ εὐπάρεδρον τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως. Alii plures, εὐπρόσεδρον τῷ Κυρίῳ. Alii quidam, ἀπερισπάστως. Suidas, ἀπερισπάστως Interpretatur: Κενῶς τεταμένος, καὶ ἑδραῖος. Constans, stabilis, immobilis. S. Hieronymus lib. 1. contra Jovin. cap. 7. ait, hæc verba, *ad id, quod honestum est*, & reliquum versiculum in veteribus Latinis Exemplaribus non occurrisse. Ea non legit Ambrosiaster. neque Pelagius, & quidam alii. 8 Ἀπερισπάστως. Hesych. Ἀμερίμνως, ἀπερίττως, ἡσύχως.
9 Oecumen. Theodoret. Theophylact. Grot. Est. Menoch. Tir. alii plures.
10 Ὁ ἐκγαμίζων καλῶς ποιεῖ. Plures addunt, ἐκγαμίζων τὴν ἑαυτοῦ παρθένον. Ita Alexand. Clarom. S. Germ. Barber. Colb. alii. Vulgat. Syr. Æthiop. Ambrof. Hieronym. Optat.
11 Γυνὴ δέδεται νόμῳ. Deest νόμῳ, in plerisque. Alex. Clarom. S. Germ. G. L. Copht. Æthiop. Clem. Alex. Basil. Origen. Tertull. Cyprian. Hier. Aug. Ambrof. Sedul. Primas. &c. Vide Mill.
12 Ἐν Κυρίῳ. Τουτέστι σωφρόνως, σεμνῶς, εὐσεβῶς. Theodoret. Ita & alii Patres passim. Tertull. ad Uxorem. lib. 2. cap. 1. 2. de Monogam. cap. 7 & contra Marcion. l. 5. c. 7. Cyprian. l. 3. c. 5. Testim. c. 62. Hieron. l. 1. c. 5. contra Jovin. Ambrosiast. Pelag. Sedul. Haymo, Recentiores passim.
13 August. de Adult. Conjug. c. 25. Vat. Vorst. Ita & Chrys. & Theoph. & Theodoret.

tiæ periculum evitet, atque ut filios in Domini servitute, & cognitione enutriat.

℣. 40 SI SIC PERMANSERIT.] Vidua, quin rursus nubere velit, beatior erit, pacatior, & aptior serviendo Deo, dummodo ab hoc continentiæ donum receperit, vel satis constans sit, ut reliquum vitæ spatium in cœlibatu traducat. *Puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam*. Diceres, hoc esse tantum consilium: verum est, me non uti auctoritate mea, ut vobis A præcipiam, neque ut absolute aliquid faciam: veruntamen iccirco, oportet, me ex Spiritu Dei loqui, & vobis non, qui ego sum, sed qui per os meum loquatur, esse perpendendum [1]. Reor equidem, me nihilo inferiorem esse aliis Apostolis, qui vobis summo cum auctoritate, quæ tamen illos minime decet, loquuntur. Hæc amara est ironiæ species contra nimiam Corinthiorum erga hujusmodi recentes Doctores indulgentiam.

1 Origen. in Matth. Vide Est. & alios.

CAPUT VIII.

Scientia inflat, charitas ædificat. Idolum nihil est. Non vescendum carnibus, quæ Idolis oblata fuerint, vel repugnante conscientia, vel infirmis scandali occasionem arripientibus.

1. DE iis autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habe-
mus. Scientia inflat, charitas vero ædificat. 2 Si quis autem se existi-
mat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum sci-
re. 3 Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. 4 De escis autem,
quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est
Deus, nisi unus. 5 Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in ter-
ra (siquidem sunt dii multi, & domini multi) 6 Nobis tamen unus Deus Pater,
ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem om-
nia, & nos per ipsum. 7 Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum
conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorum
cum sit infirma, polluitur. 8 Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim
si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deficiemus. 9
Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. 10 Si enim
quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia
ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? 11 Et peribit
infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est? 12 Sic au-
tem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Chri-
stum peccatis. 13 Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo
carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

℣. 1. DE IIS, QUÆ IDOLIS SACRIFICANTUR.] Ex hoc verborum circuitu videntur Corinthii Apostolum consuluisse, utrum liceret carnibus, quæ Idolis immolatæ fuerant, vesci, atque Ethnicorum conviviis interesse. Vulgo cum Idolis sacrificatum fuerat, aliqua victimæ pars servabatur, ex qua vel familiæ, vel amicis, vel in templo ipso, vel domi convivium instruebatur. Quidam Corinthii fideles nimis Philosophice argumentes, ex Idolorum vanitate, & nihilo, inferebant, citra quamlibet religionem hujusmodi festivitatibus interesse, & Idolothytis vesci, nefas non esse; cum alii infirmiores inde scandali occasionem arriperent; rati, eum, qui hujusmodi sacrificiis adesset, eorumque particeps esset, tacito quodam consensu Idololatriam probare, atque inanem Ethnicorum cultum confirmare. B S. Paulus hac in re ait, Idolum profecto nihil esse, & carnes illi oblatas, neque pollutas esse, neque sacras; iis tamen minime utendum, si hoc vel infirmis scandalo, vel Ethnicis argumento esset futurum. Trypho [1] Christianos exprobrat, quod eorum plerique promiscue A manducent carnes Idolis immolatas, cui respondet S. Justinus, hoc quorumdam fidelium factum toti Ecclesiæ imputari non posse; bonos fideles officiis suis diligenter hærere; aliorum vero malam libertatem non aliud esse, quam spiritum seductionis. Hæc erat idea, quam de hujusmodi conviviis primi illi Christiani conceperant.

SCIMUS, QUIA OMNES SCIENTIAM HABEMUS.] Non deest ironia [2], Semidocti homines illi se gloriantur scire, quid de Idolis, & carnibus eisdem immolatis censendum sit. Scimus æque ac illi; nemo unus ignorat, Idolum nihil esse: *sed scientia inflat, charitas vero ædificat*. Non agitur, ut nunc credas isti docti sciententia; sed potius charitatis leges, quam Philosophiæ argumentationes sunt consulendæ. Si tantum fratres B suos amarent, quantum se theoretice intelligere credunt, ne illi quidem melius viderent, quid consilii in hujusmodi occasionibus capiendum esset.

SCIENTIA INFLAT.] Non vera, & solida scientia, immo nihil e contra aptius est ad humilitatis sensus homini immittendos, & efficiendum, ut in seipso nemo con-

1 Justin. Dialog. cum Tryphon.   2 Theodoret. Bez. Ligfoot.

confidat, & caute sententiam proferat, ac de rebus omnibus disceptet, quam vera, & perfecta magnarum religionis veritatem, Ethicæ Philosophiæ, humanarumque etiam scientiarum cognitio, ubi charitas comes accesserit. Sed inanis, atque superficialis scientia, & ea præsertim, quæ in prophanis, curiosis, ac mere philosophicis rebus versatur, & quæ non est cum charitate conjuncta; hæc ut plurimum inflat, atque superbiam parit [1]: non quidem per se, sed propter prava eorum studia, qui vacant eidem. E contra vero *charitas ædificat* semper, atque in bono, & humilitate non eum solum confirmat, qui illam possidet, sed proximum etiam; illum regit, illi solatio est, atque in pietatis, & religionis sententiam confirmat. *Ædificare* oppositum significat, quam scandalum ingerere, evertere, diruere; Christiani vita sæpius ædificio comparatur [2]. Justus, & sapiens, doctus, & charitate repletus, vitam hominis ædificat; impius vero, superbus, & qui se scire præsumit, eamdem evertit. Quæramus ergo veram scientiam, quæ proficiat, ut charitatis ædificium extollamus. *Sic itaque adhibeatur scientia, tanquam machina quædam, per quam structura charitatis assurgat, quæ manet in æternum, etiam cum scientia destruetur* [3]. Præstat magis, minus scire quid illam, quæ inflat, dum non offendatur illa, quæ ædificat [4].

Ỳ. 2. SI QUIS SE EXISTIMAT SCIRE ALIQUID.] Si scientiæ suæ nimia confidit, si putat, se satis scire, ita ut nullius monitis egeat, si ob cognitiones suas intumescit: *nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire*. Ostendit neque veram scientiam habere [5]; se nescire uti luminibus suis, neque illa ad eum, quem oportet, finem referre; quoniam neque ad propriam, neque ad fratrum suorum ædificationem iisdem utitur. Græcus [6]: *nondum scit aliquid, quemadmodum oportet.*

Ỳ. 3. SI QUIS AUTEM DILIGIT DEUM, HIC COGNITUS EST AB EO.] Deum affective, & practice cognoscere simul est nota, atque effectus amoris, quo nos complectitur Deus. Quomodo illum diligere possemus, nisi ille prior nos dilexisset [7]? Quomodo illum amaremus, nisi eum cognosceremus? tandem vero, quomodo illum cognosceremus, uti dictum est, nisi mentem nostram ipse illustrasset, & cor nostrum per *inspirationem flagrantissimæ, & luminosissimæ claritatis*, quemadmodum ait S. Augustinus, nos prævertisset [8]? *Cognoscere* in Deo sæpius pro amare usurpatur, non secus ac *non cognoscere* pro odisse, objicere, nullo in discrimine habere. Supremus Judex novissimo die reprobis dicet [9], non novi vos.

Quidam [10] Græcum [11] ita vertunt: *si quis Deum cognoscit; huic Deus cognoscendum se tradit*. Ad unum Deum tantum boni referendum est; nemo hujusmodi cognitione debet abuti: nam corrumpi nonnumquam possumus etiam per eas cognitiones, quæ maxime claræ sunt, atque sublimes; & sine charitate, ipsa etiam revelatio fieri potest non inutilis solum, verum etiam funesta [12].

SCIMUS, QUIA NIHIL EST IDOLUM IN MUNDO.] Nihil novi nos doces; nos quoque scimus, Idolum nihil esse, hoc est nullum habere meritum, nullam bonitatem, nullam qualitatem, quæ mereatur, ut illud colamus, veneremur, existimemus. Ita 1. Cor. 8. 17. sic circumcisionem nihil esse, 1. Cor. 13. 2. sine charitate se nihil esse, & in Prophetis legimus, Idolum nihil esse [13]; quod minime significat, Idoli materiam nihil in se reale habere; metallum quippe est, lignum, lapis, nonnumquam vero animal, homo, astrum aliquod. Verbo, Ethnici cultus objectum quodcumque esset, erat ens existens: at non hæc Apostoli in hoc loco sententia, qui innuit solum, Idola inania esse simulacra rerum, quæ divino nomine indigna sunt, ideoque habenda, tamquam nihilum, & veluti summo contemptu dignissima. Nullam eorum habendam esse rationem, atque carnes illis immolatas eadem cum libertate manducari posse, ac si pro communi populi consuetudine in lanio emptæ fuissent [14]. Videtur Apostolus hoc in loco alludere ad Græcam vocem *Idôlon* [15], quæ in propria sua significatione vanam significat imaginem, qualia sunt phantasmata, quæ nonnumquam noctu apparere dicuntur.

Umbra tenues, simulacraque luce carentum.

Ỳ. 5. NAM ET SI SUNT QUI DICANTUR DEI.] Quemadmodum re vera sunt, seu in Cœlo, puta Juppiter, Juno, Sol, Luna, Sydera; seu in terra, veluti Heroes in Deorum album relati, Dæmones, Fluvii, Elementa, & Animalia quædam, quibus divinus honor delatus fuit [16]; irridenda sane, ac puerilia nomina, quæ hanc dignitatem in errore tantum, & vano hominum conceptu obtinuerunt; negari tamen non potest, quin hoc in sensu, & per abusum minime sint plures Dii, ac Domini, qui falso hoc nomine appellantur. Sed Ỳ. 6. *Nobis tamen unus Deus*: unum Deum confitemur rerum omnium auctorem, atque Creatorem: *& unus Dominus* JESUS CHRISTUS, *per quem omnia, & nos per ipsum*. Vel cum Græco textu [17]: *unus tantum est Deus Pater, per quem omnia* existunt, *& pro quo sumus*, quod sumus. Ad illum tendere debemus, ille noster finis est, nostra felicitas: *unus tantum est Dominus, qui est* JESUS CHRISTUS, *per quem omnia*, creata fuerunt, *& nos per illum*. Ille nos redemit, ille nobis aditum ad Patris Cœlestis Thronum aperuit.

Ỳ. 7. SED NON IN OMNIBUS EST SCIENTIA.] Non omnes ea, qua vos, scientia præstant, qui tam bella de Idolorum vanitate loquimini. Non desunt in vobis infirmæ, ac pavidæ animæ, quæ credere non possunt, Idolum nihil esse, & saltem esse putant Dæmonem aliquem, vel Herois animam, immundum spiritum, ideoque minime licere arbitrantur vesci carnibus, quæ in illius honorem immolatæ fuerant; quin illi cultus aliquis exhibeatur, & religionis ipsius quodammodo particeps fiat.

Ỳ. 8. ESCA AUTEM NOS NON COMMENDAT [18] DEO.] Hoc aliis verbis jam dixit Apostolus in Epistola ad Romanos 14. 17. *non est regnum Dei esca, & potus*. Dei regnum minime positum est in esca, & potu, sed in pace. Idolothyta vesci, vel abstinere in se Deo neque placet, neque displicet: sed fratri scandalum injicere, atque occasionem præbere, ut Deum in suo corde offendat, hoc vere Deo maxime displicet. Ita qui ex vobis præ ceteris scientia magis se illustratos existimant, ne sibi merito vertant hanc scientiam, & libertatem, quam sibi vendicant: ideo enim nihil, vel accedit, vel decedit eorum magnitudini in oculis Domini.

1 Vide Augustin. tract. 27. in Joan. lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 19. & alibi. Leo Papa, & alii apud Est. hic. 2 Vide Grot. Est. Le Clerc. &c. Act. 9. 31. 20. 32. 1. Cor. 10. 23. 14. 4. 1. Thessal. 5. 11. Rom. 14. 19. & passim. 3 Augustin. Epist. 55. num. 39. nov. edit.

4 Idem Epist. 73. num. 9. 5 Theodoret. Vide Grot. Menoch. Tirin. &c. Vide Bern. serm. 36. in Cant.

6 Οὐδέπω οὐδὲν ἔγνωκε καθὼς δεῖ γνῶναι. Plures omittunt οὐδέν. Vide Mill.

7 1. Joan. 4. 10. *Non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam prior ipse dilexit nos.*

8 Augustin. de Gratia Christi cap. 35. num. 38. 9 Matth. 7. 23. Vide Joan. 17. 3. Rom. 7. 15. 8. 29. 11. 2. & 1. Thess. 5. 12. 13. & 2. Timoth. 2. 19. &c. Psalm. 1. 6. Prov. 8. 17.

10 Pagn. Parx. Bez. Jun. &c. 11 Εἰ δέ τις ἀγαπᾷ τὸν Θεὸν, οὗτος ἔγνωσται ὑπ' αὐτοῦ.

12 Vide 2. Cor. 12. 7. & 1. Cor. 13. 1. & Est. ad vers. 1. 2. &c.

13 Isai. 10. 10. 41. 29. 1. 12. Jerem. 14. 14. 16. 1. Psalm. 94. 5. &c.

14 Vatab. Est. Grot. Menoch. Tirin. Hamm. 15 Homer. sæpius; Νεκύων εἴδωλα καμόντων. Virgil. *Tenues sine corpore vitas*. Vide Cleric. ad Hamm. hic. 16 Chrysostom.

17 Vide Theodoret. hic, & Theophylact. Ἐξ οὗ τὰ πάντα, ἡμεῖς δὲ ... Epiphan. hæres. 25. num. 6. Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 7. *Omnia nobis*.

18 Παρίστησι. *Commendat*. Alii plures, παραστήσει, *commendabit*. Vide Mill.

℣. 10. IN IDOLIO RECUMBENTEM.] *Idolium* significat vel Templum Idolis dicatum, vel convivium, quod in eorum honorem instruitur, vel locus ubi sternitur. Ethnici profana sacrificia, & convivia sua peragere consueverant, vel in Templi vestibulo, vel in Templo eodem, vel in porticibus, vel in lucis, quibus undique Templa ambiebantur, vel denique domi suæ. Plerique hoc de Idolorum Templo intelligunt [1].

NONNE ÆDIFICABITUR AD COMEDENDUM IDOLOTHYTA [2].] Non inducetur, excitabitur, confirmabitur, ut vos imitetur, & vobiscum idolothytis vescatur? cum vero conscientiæ stimulis agitetur illum monentis, se iisdem uti non posse, quin honorem adferat Idolis, quæ non aliud, quam Dæmones sunt, contra conscientiæ suæ lumina peccabit, & vos eritis prima causa, vel saltem præcipua peccati ejusdem occasio.

℣. 11. *Et peribit infirmus in tua scientia [3] frater, propter quem Christus mortuus est.* Quod imprudenter tua uteris scientia ac libertate, mortem infers fratri tuo, quem Dei filius eousque dilexit, ut pro salute ipsius suam vitam effunderet. Vide eamdem argumentationem in Epistola ad Romanos cap. 14. ℣. 15. His subnecti possunt ea, quæ Salvator ait de illis, qui infirmis scandalum præbent, Matth. 18. vers. 6. Marc. 9. vers. 41.

℣. 12. PERCUTIENTES CONSCIENTIAM EORUM IN CHRISTUM PECCATIS.] Eorum conscientiam vulnerantes, ad litteram [4] *tundentes*, ut cadat, eamdem sollicitantes, male habentes, JESUM CHRISTUM offenditis, qui hunc fratrem dilexit, & sanguinis sui pretio redemit. Injuriam infligitis uni ex membris Salvatoris vestri, charitatis legem violatis, quæ inter vos, atque infirmum hunc fratrem est constituta. Usus S. Pauli est ingentes religionis ideas adstruere, præstantes, ac superiores rationes proponere, sive hortetur, sive corripiat.

℣. 13. NON MANDUCABO.] Ne fratri meo scandalum inferam. Ostendit, quomodo affectus sit, & affecti esse deberent omnes Christiani vicissim, ut potius rerum earum, quæ maxime licent, usum sibimet interdicerent, quam charitatem vulnerarent, ac fratribus lapsus occasionem præberent.

---

1 Εἰδωλεῖον, *Templum idoli*. 1. Macchab. 1. 50. 10. 83. Ἀσταρτεῖον, *Templum Astartæ*. 1. Reg. 31. 10. Ἀταργατεῖον. 2. Macchab. 12. 26. Ποσειδώνιον. *Templum Neptuni*, Μουσεῖον, *Templum Musarum &c.* Vide Grot. Drus. alios.
2 *Οὐχὶ οἰκοδομηθήσεται εἰς τὸ τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν.*
3 Ἐπὶ τῇ γνώσει. Chrysostom. Ἐπὶ τῇ σῇ γνώσει, Vide in hunc locum.
4 *Καὶ τύπτοντες αὐτῶν τὴν συνείδησιν.*

C A P U T IX.

S. Paulus cum a Corinthiis petere posset, ut victui suo sibi necessaria præberent, abstinuit tamen, ne illis gravis esset. Omnia patitur, ut fides proficiat. Omnes in stadio currimus, atque ad currendum suo nos exemplo hortatur Apostolus.

1. NOn sum liber? Non sum Apostolus? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino? 2 Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum: nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino. 3 Mea defensio apud eos, qui me interrogant, hæc est. 4 Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi? 5 Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? 6 Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi? 7 Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? 8 Numquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? 9 Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? 10 An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. 11 Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? 12 Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? sed non usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. 13 Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deserviunt, cum altari participant? 14 Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. 15 Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. 16 Nam si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizavero. 17 Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est. 18 Quæ est ergo merces mea? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio. 19 Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me ser-

vum feci, ut plures lucri facerem: 20 Et factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Ju-
dæos lucrarer: 21 Iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem
sub lege) ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem: iis, qui sine lege essem (cum
sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos, qui sine le-
ge erant. 22 Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus o-
mnia factus sum, ut omnes facerem salvos. 23 Omnia autem facio propter Evan-
gelium: ut particeps ejus efficiar. 24 Nescitis quod ii, qui in stadio currunt,
omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis:
25 Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem,
ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. 26 Ego igitur sic
curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans: 27 Sed castigo
corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse re-
probus efficiar.

ỳ. 1. NON SUM LIBER [1]?] Pergit eos corripere, qui Evangelica libertate abutebantur, & qui sibi minime cavebant, quo minus fratri suo scandalum inferrent. Nonne æque liber sum ac vos? quis prohibere posset, ne uterer jure meo, atque tamquam Apostolus haberi vellem? hoc igitur si minime feci, & malui manuum mearum labore victum mihi comparare, potiori jure a carnium Idolis immolatarum esu vobis est abstinendum? Nemo scandalum arripere potuisset, neque mihi obtrectare, cum a vobis ea recepissem, quæ victui meo erant necessaria, neque aliud fecissem, quam quod mihi Deus facere permittit. Vos autem ultro fratris vestri animam vulneratis, atque imprudenti exemplo vestro illum adducitis, ut Deum offendat [2].

NONNE CHRISTUM JESUM VIDI.] Quanam in re reliquis Apostolis inferior sum [3]? nonne & ipse, ut illi, JESUM CHRISTUM conspexi? illum quidem adhuc viventem non vidi, sed ille mihi post suam resurrectionem apparuit, & vidi illum in conversione mea, atque in Cœlis, quo raptus fui [4].

NONNE OPUS MEUM VOS?] In hoc, & in sequenti versiculo se Apostolum esse probat; deinde vero probabit sibi licere multa facere, quæ expedire minime credidit. Vos ipsi apertissima estis Apostolatus mei monumenta; conversio vestra, Dei primum, mox opus meum est, ipse vos genui per Evangelium. ỳ. 2. *Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum: nam signaculum*, monumentum, ac testimonium *Apostolatus mei vos estis in Domino*: apud vos omni Apostolatus munere defunctus sum, & Ecclesia vestra fructus est laborum meorum; ego illam institui.

ỳ. 3. MEA DEFENSIO.] Hoc pacto probare possum, me liberum esse, atque non secus ac commentitios sapienter vestros, nosse, quænam sit Evangelii libertas, quid illa permittat, & quid per illam liceat. Quamplures [5] hæc verba referunt ad ea, quæ præcedunt. Defensio mea contra illos, qui obtrectant Apostolatui meo, sunt Ecclesiæ a me constitutæ, & ingens numerus eorum, quos ad fidem converti; vos vero præsertim, quorum me doctorem esse, & Apostolum nemo potest inficiari. Sensus hic mihi magis arridet.

ỳ. 4. POTESTATEM MANDUCANDI, & BIBENDI.] Juxta illud JESU CHRISTI verbum in Evangelio Lucæ 10. 7. *in eadem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua.* Hac facultate non utebatur S. Paulus, sed manuum suarum labore victum sibi quæritabat [6].

ỳ. 5. MULIEREM SOROREM CIRCUMDUCENDI.] Quæ nobis ministret, quemadmodum JESU CHRISTO etiam piæ ministrabant fœminæ, quæ & victui necessaria ei comparabant, & eorum, quæ ad vitam necessaria forent, curam gerebant [7]. Hic mos apud Judæos communis erat, S. Hieronymo teste [8], apud quos videbantur mulieres, prædicatoribus, atque doctoribus famulari, & illos quocumque sequi; quin aliquis tamen inde scandali occasionem arriperet. Apostoli hac in re Magistrum suum imitati sunt. S. Petrus, aliique non respuebant subsidium piarum mulierum, quæ eos in itineribus subsequebantur [9]. Unus dumtaxat S. Paulus, & Barnabas ultro hoc auxilio carebant, ne aliis graves essent, & ne minimam quidem Gentilibus suspicionem, vel scandali occasionem præberent.

Non desunt tamen Interpretes [10] quidam, qui putent, S. Paulum isthic verba facere de uxore sua, quam secus adducere potuisset, quemadmodum alii Apostoli consueverant, præsertim vero S. Petrus. Tenent illi, S. Paulum uxorem duxisse, S. Clementis Alexandrini Strom. l. 3. sententiam sequuti; ac noluisse hac uti facultate, qua cæteri Apostoli utebantur, secum Conjuges suas adducendi, easque tamen non uxorum loco, sed sororum habendi. Græcus ad litteram legit [11]: *Circumducendi Sororem Conjugem*; quod illi ajunt explicari non posse, nisi de S. Pauli uxore ad JESUM CHRISTUM conversa; & quæ in hoc sensu soror illius facta fuerit: verum enim rationes non satis probant. Vidimus, plerosque veterum Patrum hoc simpliciter de Christiana muliere intellexisse, pietatis, & religionis vinculis cum illis conjuncta: & complures antiqui [12] pro *mulierem sororem*, vel *sororem mulierem* plurali numero legebant: *mulieres*, vel *sorores mulieres*, quod probat eorum sententiam, qui tenent, Apostolos, non uxores suas, sed Christianas tantum, ac pias fœminas secum duxisse, quarum ministerio utebantur. Vide supra cap. 7. vers. 7. & 8. quid diximus de ea quæstione, utrum S. Paulus uxorem habuerit.

ỳ. 6. NON HABEMUS POTESTATEM HOC OPERANDI.] Atque eadem utendi libertate, ac cæteri Apostoli? Græcus [13] e contra legit; *Nonne nobis facultas esset non laborandi*, & eorum sumptibus, quibus Evan-

[1] Græci impress. Οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος; οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος. Verum plures veteres MSS. & Patres legunt, ut Vulgate: Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος. [2] Chrysostom. Theodoret. alii.
[3] Theodoret. alii. [4] Act. 9. 5. 6. 17. 22. 14. 17. 18. & 2. Cor. 12. 1. 2.
[5] Vatab. Est. Menoch. Tirin. Theodoret. Theophylact. &c.
[6] Act. 20. 34. 1. Thessal. 2. 9. & 2. Thessal. 3. 8. [7] Luc. 8. 2. 3.
[8] Hieronym. in Matth. 27. & lib. 1. contra Jovinian. cap. 14. [9] Vide Theodoret. hic. Oecumen. Theophylact. Augustin. de Opere Monach. cap. 4. & 5. Hieronym. lib. 1. contra Jovinian. cap. 14. Tertullian. de Monogam. cap. 8. Ambrosiast. Sedul. Primas. Ita alii plerique e recentioribus.
[10] Beza, Grot. Carreg. Sclater. Pisc. Quid apud Chrysostom. & Theodoret. in Philipp. 4. 3. Ita & Erasm. Capel. Cathar. Zanch. ibidem. [11] Μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν.
[12] Tertull. de Monogam. cap. 8. & de Pudicitia cap. 14. Hieronym. in Matth. 27. *Sorores mulieres*. Ambrosiaster. Sedul. Hieronymianus hic. Hieronym. lib. 1. contra Jovinian. cap. 14. ad Eustoch. de custod. Virgin. cap. 8. & lib. contra Helvid. cap. 6. tract. de singularit. Cleric. &c. *Mulieres* Cod. Bœrner. G. L. γυναῖκας, *mulieres*. [13] Οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι. Ita Syr. et Augustin. lib. de Opere Monach. cap. 7.

vangelium prædicamus, vivendi? sed quemplures veteres Latini Patres Vulgatæ similes sunt [1]. Græcus meliorem sensum videtur adstruere, eumque quemplures eruditi sequuntur Interpretes. Non abhorret a fide, jampridem Librarium aliquem pro *hoc* scripsisse *non* in Latino texto; quæ lectio alioquin est vetustissima.

℣. 7. SUIS STIPENDIIS.] Græca vox [2] significat escam, quæ militibus distribuebatur. Illis autem in singulos vel dies vel menses stata commeatuum copia tradebatur.

℣. 8. NUMQUID SECUNDUM HOMINEM HÆC DICO?] numquid hic humanus est sermo, vulgaris argumentatio, & rationes prorsus officiosæ? *an & lex hæc non dicit?* non ratio solum, & æquitas, mos, & omnium populorum consuetudo exposcit, ut singuli de laboribus suis vivant; sed lex etiam hoc præcipit.

℣. 9. NON ALLIGABIS OS BOVI TRITURANTI.] In Palæstina, non secus ac alibi passim in regionibus calidis segetes jumentorum boumque pedibus terebantur. Hi simul nectebantur atque super aristas ita compactas ut spica sursum spectaret circum arborem & in æquatu area agebantur. Qui magis erant avari, bobus camum quemdam alligabant, ne triturantes [4] vel comederent, vel comedentes cursum inhiberent. Narrat Maimonides [5], quosdam in ora boum non nihil acaleatum imposuisse, ne frugibus vescerentur: Alii coriis obtegebant messem in area; atque supra illa inducebant boves: alii vero diutius eisdem potum negabant, ne præ nimia siti comederent. Alii denique vitulos adhuc lactentes agebant post Matres eorum, vel Leonem statuebant prope locum ubi triticum terebatur ad vitulorum, vel boum coercendam aviditatem. Duritiem hanc populo suo interdixerat Deus, atque integrum reliqui jubebat bobus, ut paleis vel frugibus quas triturabant, possent saturari: quam legem S. Paulus hic transfert ad eos, qui Evangelium prædicant, ac populos erudiunt. Vide commentarios nostros *in Deuter.* 25. 4.

℣. 10. ET QUI TRITURAT, IN SPE FRUCTUS PERCIPIENDI [6].] Si tantam Deus boum, atque jumentorum curam suscepit; profecto oblitus non est hominum, messorum, & eorum, qui fruges tundunt in areis; sed præcepit, ut omnes ea suis laboribus vivant. Apostoli vero, & Evangelii præcones, qui peculiariter missi sunt, ut illis inserviant, illi non laborum suorum fructu carebunt? Si vos curis anguntur, ut spiritualia bona vobis suppeditent, æquum ne est, ut temporalium bonorum vestrorum participes minime fiant?

℣. 12. SI ALII POTESTATIS VESTRÆ PARTICIPES SUNT [7].] *Potestatis* videlicet *quam in vos cum consensu vestro exercent*. Illi vobis dominantur, ait Divus Chrysostomus hic, illi vobis utuntur tamquam famulis suis, non solum participes sunt bonorum vestrorum, verum etiam superbe ea e vobis deposcunt. Quidam [8] Græcum ita vertunt: *si alii participes sunt bonorum vestrorum, cur non & nos æque ac illi participes non erimus?* in novi testamenti libris Græca vox *exousia* sæpius imperium significat, quod Domini, & Principes in servos ac subditos suos exercent [9]: hic vero ea iis quæ præcedunt ℣. ℣. 4. 5. 6. videtur innuere potestatem exigendi ea, quæ ad victum sunt necessaria.

A OMNIA SUSTINEMUS [10], NE QUOD OFFENDICULUM.] Omnium malorum genus perferimus; penus, famem, sitim, laborem, nuditatem, ærumnas, quæ a longis laboribus sejungi minime possunt; hæc autem omnia, ne statuamus obicem progressui Evangelico, ne populis graves simus, & ne aliis locum præbeamus credendi, quod lucri cupidi simus, & nostræ potius utilitati, quam eorum saluti studeamus.

℣. 13. QUI IN SACRARIO OPERANTUR.] In Templo plures erant ministrorum ordines, sed omnes a summo Sacerdote ad novissimum Levitarum, ipsi etiam servi, quorum opus erat aquam, & ligna in domum Domini inferre; omnes Templi sumptibus alebantur; non sine tamen quodam discrimine: *quoniam qui Altari deserviunt, cum Altari participant*, non autem de Altari participare possunt Levitæ simplices, qui Sacer- B dotes non sunt. Levitæ quidem decimis, primitiis, oblationibus, quæ in Templo fiunt, nutriuntur: Sacerdotes vero comedunt partes victimarum, quæ seu illis tantum reservat [11], ita ut iisdem minime liceat vesci extra Templum, & in domo sua; nisi forte quædam essent partes victimarum pacificarum [12], quæ explicite excipiuntur in lege.

℣. 14. DOMINUS ORDINAVIT.] JESUS CHRISTUS mittens discipulos suos ad Evangelium prædicandum, vetuerat, ne aliquid secum assumerent, pollicitus nihil illis defuturum, eisque suaserat, ut manducarent, quidquid invenirent in domo, ubi erant; quippe dignus est operarius mercede sua [13].

℣. 15. BONUM EST ENIM MIHI MAGIS MORI, QUAM C UT GLORIAM MEAM QUIS EVACUET] quam quis evertat gloriam, quam meritus sum, Evangelium gratis ubique prædicans [14]. Non patiar, ut pseudo-Apostoli me eripiant, quasi in sidui prædicatione lucrum quæsiverim, & illos imitatus fuerim, exigens importune ea, quæ ad victum meum sunt necessaria.

℣. 16. SI EVANGELIZAVERO, NON EST MIHI GLORIA.] Parum mihi prodesset Evangelium tantummodo prædicare; hac in re non esset profecto, unde gloriarer, quoniam id facerem solum, quod a me expetit Deus, & quod mei muneris est, quo rite perfunctus me inutilem servum jure vocare possem [15]. Sed gloriari possum, quod nemini gravis sum, quod Apostolatus mei curis circumseptus, labore manuum mearum victum mihi comparo. Hoc quidem non parum D confert gloriæ Domini mei, atque me attollit supra pseudo-Doctores, quorum sedactet avaritiam & turpem lucri cupiditatem condemno.

VÆ ENIM MIHI EST, SI NON EVANGELIZAVERO;] Ita enim minime obtemperarem Magistro meo; talentum mihi creditum humi defoderem [16], sub modio absconderem lucem, quam ille in Mundum attulit, ut ob oculos eorum omnium, qui in domo versantur [17], effulgeat: subirem inutilis servi damnationem [18], qui in tenebras exteriores projicitur; memet objicerem periculo Jonæ, qui Tharsum aufugere conatus, cum sibi Niniven eundum esset, causa fuit, ut gravissima pelago incumberet procella; atque meri- E tus fuit, ut in mare projiceretur [19]: denique Dei spiritui resisterem, & quantum in me est, verbi sui lumen extinguerem.

℣. 17. SI ENIM VOLENS HOC AGO.] Si timore

ductus,

1 Ambrof. Tertull. Augustin. 2 Τοῖς ὀψωνίοις ἰδίοις στρατεύεται ποτέ. 3 Vide Rom. 3. 6. 6. 19. Galat. 3. 15. 4 Hic Proverbium. Βοῦς ἐν τοῖς; quod dicitur: Ἐπὶ τῶν ἀλοώντων, καὶ διὰ φιμῶ οὐδαμῶς κωλυομένων. 5 Maimon. tract. Schechiroth. apud Bochart. de Animal. sacr. parte 1. lib. 2. cap. 40. 6 Græc. impress. Ὁ ἀλοῶν τῆς ἐλπίδος μετέχειν ἐπ' ἐλπίδι. Alii plures: Ὁ ἀλοῶν ἐπ' ἐλπίδι τοῦ μετέχειν. Sic MSS. plures Origen. Ambrof. Vulg. Vide Mill.

7 Εἰ ἄλλοι τῆς ἐξουσίας ὑμῶν μετέχουσι; perinde ac haberetur, τῆς ἐξουσίας ἐπὶ ὑμᾶς; non secus ac in S. Joan. 17. 2. Ἐξουσίαν πάσης σαρκός. 8 Ἐξουσίας ὑμῶν, quasi haberetur, οὐσίας ὑμῶν. Capell. Piscat. Castal. Vorstius ait, quædam Exemplaria legisse, οὐσίας. At Millius nullam in hunc locum varietatem notat.

9 Luc. 4. 6. 7. 8. 23. 7. Joan. 18. 8. Rom. 13. 1. 2. 3.

10 Πάντα στέγομεν. Ταῦτ' ἐστὶ, ὑπομένομεν, καρτεροῦμεν. Theodoret. *Omnia sustinemus; patimur, capimus, continemus, quasi vas capacissimum.* 11 Levit. 7. 6. 7. 14. 15.

12 Levit. 10. 14. Vide etiam 22. 11. 12. 13. 13 Matth. 10. 10. Luc. 10. 8.

14 Theodoret. Est. Vatab. Men. Tirin. alii. Vide & August. lib. 2. de Serm. Domini in monte, cap. 16.

15 Luc. 17. 10. 16 Matth. 25. 18. 17 Matth. 5. 15. 18 Matth. 25. 30.

19 Jonas c. 2. 3. 4.

ductus, & veluti mercenarius prædico solum, ut Domini iram effugiam, vel ut mercedem feram; quodnam est meritum meum, & quid mihi e Deo est expectandum? nihil magis, quam servo, qui serviliter Domini sui imperata fecerit. Hic munus suum explet, & nihil præterea. Dominus illi nullum emeritæ, neque honoris debet monumentum [1]: *dispensatio mihi credita est* [2]. De me simpliciter dicent; explevit, quod illi imperatum fuit; vel, creditæ sibi Provinciæ rationem reddere tenetur. Hoc munus suum erat, a quo secum dispensare non poterat. At si hilariter non ægre, neque gravate munere meo perfungor, si ad majorem Dei gloriam aliquid ultra debitum aggredior ex. gr. si Evangelium gratis prædico, atque unice propter Dei mei amorem omnes ministerii hujus molestias patior, sperandi mihi locus est futurum, ut ille me suis favoribus cumulet.

℣. 18. QUÆ EST ERGO MERCES MEA?] Græcus verti potest [3] sine interrogatione: *aliquam ergo spem habes*, si Evangelium gratis prædico, quin aliquid ab allo recipiam.

UT NON ABUTAR POTESTATE MEA.] Omnes Apostoli, atque Evangelii Præcones victum ab illis recipere possunt, quibus Evangelium annuntiant, quemadmodum S. Paulus nuper ostendit. Hoc igitur ab illo minime vocatur *abuti potestate sua* in Evangelii prædicatione: sed abusus hic in eo positus est, ut quis promiscue hanc opem, ubique recipiat, quin attendat ad scandalum, quod suboriri potest, & malos effectus, quos in animis populorum hæ non satis integræ operandi rationes parere possunt: & in eo consistit, ut aliquis hanc sibi mercedem, tamquam laborum suorum finem & objectum proponat. De hoc abusu loquitur S. Paulus, in quem ne caderent, diligentissime cavebant, & ipse, & cæteri Apostoli; pseudo-Apostolos igitur tantum perstringit, qui turpis lucelli spe agebantur, & qui Evangelium venumdare velle videbantur, cum gratis prædicare debuissent [4].

℣. 19. CUM LIBER ESSEM EX OMNIBUS.] Redit ad ea, quæ superius dixerat ℣. 1. *Non sum liber?* cum perfectam erga omnes homines libertatem obtineam, & nulla mihi sit obligatio Evangelii gratis prædicandi, neque abstinendi ab ea ope, quæ Evangelicis præconibus debetur; malui tamen omnes subire pœnas, ærumnas, labores, qui ab ea vita, quam vivo, sejungi minime possunt; ut me utilem præberem plurimis, atque ut plures animas ad JESUM CHRISTUM converterem: *ut plures lucrifacerem*.

℣. 20. FACTUS SUM JUDÆIS TAMQUAM JUDÆUS.] Cum illis Judaizavi; memet submisi legalibus cæremoniis, quarum sciebam inutilitatem, & quas alibi antiquatas esse prædicabam; id vero, ne illos irritarem, sed leniter ad fidem perducerem. Per hanc sapientem dispensationem Timotheum circumcidit [5], & cum esset Jerosolymæ, Nazaræatum vovit, ac se semet subjecit, ut illum secundum legem expleret. Act. 21. 23.

℣. 21. IIS QUI SUNT SUB LEGE.] Hæc est repetitio eorum, quæ superius dicta sunt: Vixi tamquam Judæus cum Judæis. Credunt quidem [6], illum isthæc verba facere de Proselytis, qui sub lege vivebant, quamvis Judæi non essent ab origine; vel de Judæis ad JESU CHRISTI fidem conversis, qui Moysis legem adhuc observabant [7]. Alii [8] hoc de Samaritanis intelligunt, qui quinque legis libros recipiebant. At prime sensus simplicior mihi videtur, atque probabilior.

CUM IPSE NON ESSEM SUB LEGE.] Hæc verba non leguntur in Græco typis edito, neque in Syriaca versione: sed extant in præstantissimis manuscriptis [9] in Divo Chrysostomo, S. Augustino, Hilario Diacono.

IIS, QUI SINE LEGE ERANT,] quibus vel nulla omnino Lex erat, vel potius quibus lex scripta, lex Moysis non erat. Cum Ethnicis vixi, quasi Judæus non fuissem; cum illis cæremoniales leges non servavi, neque eos coegi ad earum observantiam, ut illos Deo lucrifacerem. Cavi, ne hoc jugo eosdem superonerarem, atque hunc obicem eorum conversioni statueram. Ita apud illos vivebam, quasi legem non haberem [10]; *cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem* CHRISTI: scilicet cum vere essem sub lege Dei, non in Scribarum, & Pharisæorum sensu; sed secundum spiritum & explicationem JESU CHRISTI vivens non sub legis scriptæ servitute, sed sub Evangelii libertate.

℣. 22. FACTUS SUM INFIRMIS, INFIRMUS; Christianis adhuc infirmis in fide, & qui non satis noverant, quousque pateret, libertatem, quam JESUS CHRISTUS illis acquisiverat. Cum illis per quam caute vivebam, ubi carnes essent eligendæ, Idolothitis utendum, Ethnicorum cœtibus interveniendum; quippe sciebam, hoc illis scandalo futurum. Me tamquam medicum præbui, qui apud ægros se quoque ægrum simulat, ut eorum sibi confidentiam conciliet, eosque ad bonam valetudinem revocet. Denique *omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* [11]; quin tamen impiis me conformarem, scelus dissimularem, injustitiam probarem, veritatem absconderem, atque criminibus patrocinarer. Omnibus omnia factus sum, ubi indulgentia mea neque veritati nocere posset, neque officere religioni. *Omnibus omnia factus sum*, inquit S. Augustinus ep. olim 9. nunc 40. n. 6. *compassione misericordiæ, non simulatione fallaciæ*: & alibi [12]: *non simulantis astu, sed commiserantis affectu*.

℣. 23. OMNIA [13] AUTEM FACIO PROPTER EVANGELIUM.] Ut Evangelium cum fructu prædicetur, & audiatur. Hæc omnia facio ad majorem Evangelii progressum, *& ut particeps ejus efficiar*; particeps videlicet eorum, quæ promittit, vitæ æternæ, quæ merces illorum est, qui ut oportet, illud adimplent. Omnes quidem Evangelium recepimus, omnem eamdem mercedem præstolamur, omnes in eodem stadio currimus.

℣. 24. QUI IN STADIO CURRUNT.] Christiana vita similis est stadio, ubi Fideles omnes currunt, bravium relaturi. Omnes quidem currimus: at non satis est currere; illud magnum est negotium, præmium reportare. Hac eadem similitudine inferius utitur Philip. 3. ℣. 14. Nihil olim in Græcia celebrius erat, quam ludi publici, in quibus Athletæ variis modis exercebantur: præmium propositum erat pro cursu, lucta, cæstu, disco, telo [14]. Apostolus de cursu hic loquitur. Cursores ergo omnes ab iisdem carceribus, eodemque tempore, ubi signum datum esset, cursum arripiebant, & ad certum usque spatium in arena descriptum, quod plerumque stadii unius erat, vel passuum centum, & viginti quinque, currebant [15].

Qui

1 Vide Theodoret. Est. Men. Tir. Hamm. alii passim. 2 Οἰκονομίαν πεπίστευμαι.

3 Τίς οὖν μοί ἐστιν ὁ μισθός; ἵνα εὐαγγελιζόμενος ἀδάπανον, &c.

4 Vide S. Augustin. lib. de Opere Monach. cap. 11. 12. 5 Act. 16. 3.

6 Chrysost. Theophyl. 7 Theodoret. hic.

8 Ambrosiast. & alii quidam. 9 Alexandrin. Cod. S. Germ. & Clarom. & Borner. GG. LL. Steph. 10. Barb. 1. Colb. 7. alii. 10 Μὴ ὢν ἄνομος Θεοῦ, ἀλλ' ἔννομος Χριστοῦ. Alii plures: Μὴ ὢν ἄνομος Θεῷ, ἀλλ' ἔννομος Χριστῷ. *Non existens exlex Deo, sed sublex Christo.* 11 Græc. impress. Τοῖς πᾶσι γέγονα τὰ πάντα. Sed MS. plures ut Clarom. & S. Germ. G. L. Borner. G. L. Clem. Alex. Æthiop. Syr. Ambrosiast. Tertull. August. πάντας, omnes. 12 Epist. olim 19. nunc 82. Vide & lib. de Opere Monach. cap. 12. n. 13. *Quod non simulandi versutia faciebat, sed compatiendi misericordia.* 13 Græc. Τοῦτο δὲ ποιῶ διὰ τὸ Εὐαγγέλιον. Sed Alexand. Clarom. S. Germ. Borner. GG. LL. Ambrosiast. Chrysost. alii quid. ut Vulgata, *Omnia facio*: πάντα ποιῶ. 14 Πάλη, πυγμή, δίσκος, ἅλμα, δρόμος; quæ sic exprimit Epigr. Antholog.

Ἴσθμια καὶ Πύθια Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα,
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

15 Scholiastes Pindari, olymp. ode 13. 300. cubitos illi tribuit.

Qui prior metam attingeret, coronam, quæ ibi pendebat, celeritatis suæ monumentum referebat [1]. Non deerant etiam alia spectacula apud Romanos æque, ac Græcos insignia, ubi & equi, & curriculi certarent cursu: sed S. Paulus de pedestri cursu hic verba facit.

℣. 25. OMNIS AUTEM, QUI IN AGONE CONTENDIT.] Qui Præceptoribus se se submittit, ut ludos perdiscat, atque cum publici ludi celebrantur in arenam descendat, diligentissimam disciplinam servare debet [2], atque frugi vitam ducere, non commessari, neque compotari, sed præstitutis horis se se exercere, ita ut & algeat & sudet; verbo, ludi Magistro tamquam Medico parere debet, qui & victum & omnem vivendi rationem moderatur [3].

Qui studet optatam cursu contingere metam
Multa tulit, fecitque puer: sudavit, & alsit,
Abstinuit Venere, & Baccho.

Hoc illorum ostendit errorem, qui credunt, corporis robur, atque vires comparari copioso cibi, atque vini usu; immo illis nihil magis officere potest. Unica ratio bene valendi, diu vivendi, ac robur, & nervos corporis firmandi, vita est frugi, summa temperantia, voluptatum odium, labor, & corporis exercitatio. Ita sane vivebant olim, qui magis valetudine, viribusque indigebant.

Scio equidem, nonnullos [4] asseruisse, Athletas insignes helluones fuisse. Aristoteles Polit. l. 8. c. 3. ait, illos invitos etiam coactos fuisse, ut manducarent; Galenus vitam eorum bene saginatam fuisse testatur, eosque neque satis diu vivere, neque bene valere potuisse. Lucianus Mercurium dicentem inducit, Damasiam, fatiscentem in Charontis cymbam non ingressurum, quod nimio corporis pondere præstaret. Imperator Julianus de laud. Constant. Orat. 1. ait, Principem virum non decere Athletæ pinguedinem, & latos humeros. Hujusmodi rationes Interpretes quosdam impulerunt, ut S. Paulum ita verterent: *Athletæ super cætera continentiam servant*: eadem Græca vox, quæ *temperantiam* significat, nonnumquam etiam pro *continentia* usurpatur, quæ virtus est temperantiæ subordinata.

Sed inutile est alium sensum scrutari præter illum, quem Græco & Vulgatæ tradidimus: veterum allati loci vel perperam allati sunt, vel in alieno sensu explicati. Non dicit Aristoteles cogi Athletas, ut licet inviti manducent, sed tantum eos ad id vivendi genus redigi, ut omnis eisdem auferatur libertas manducandi quod vellent & quando vellent: atque adeo abhorret a fide, ut Athletæ obesi nimium, ac nimis saginati fierent, ut veter adolescentes hujusmodi exercitationibus ante septemdecim annorum exercitationem admoveri [5] … nam ante hanc ætatem cibi percitas, quam observare tenentur, & conatus, quos exercere debent, eorum corporis habitum corrumpunt, & viribus officiunt. Julianus etiam Imperator non inquit, Athletas immodice cibis repleri, sed tantum cibum eorum præstitutum esse, & statis horis, atque præfinita in copia ab illis assumi; quod observare minime potest Imperator tanta negotiorum turba circumseptus, ubi præsertim iter faciat. Athleta Damasias, quem Mercurius in Charontis cymba imponere metuit, homo quidem bene innutritus erat, atque corporis magnitudine præstans, ita tamen ut neque corporis magnitudo, neque pinguedo ejusdem robori, & pernicitati officerent. Plerique eorum, qui in arenam descendebant, robusti erant, atque præstanti corporis habitu a natura donati. Galenus quoque, ut alii, fatentur, Athletarum vitam austeram esse, & maxime frugi. Utrum vero salubris esset, hæc alia est quæstio; violentæ quippe exercitationes, quibus vacabant, aliquid de illorum vivendi diuturnitate detergere poterant.

Belle quidem S. Paulus hoc transfert ad exercitationem Spiritus, & molesta prædicationis officia. Si Athletæ voluptatibus abstinent, & parce adeo, & frugi vivunt, ut corruptibilem coronam consequantur, quid nos ferre, & pati æquum est, ut Cœli beatitudinem nobis præparatam assequamur? Primum quidem loquutus fuerat de Athletis, qui pedum cursu præstabant: hic vero, & subsequenti versiculo verba facit de illis, quorum unus contra alterum decertabant, de luctatoribus, aliisque Athletis. Eorum coronam *corruptibilem* vocat, quoniam Olympicorum ludorum, qui in Græcia olim celebres adeo ferebantur, præmium aliud non erat, quam corona oleagena, quercea, picea, laurea, vel ex alia quapiam planta confecta, puta ex Appio. Eorum tamen victoria in Patria sua majores, atque magis durature prærogativas illis conferebat; at constat, coronam eorum, neque divitem fuisse, neque solidam, neque pretiosam, neque duraturam.

℣. 26. SIC CURRO, NON QUASI IN INCERTUM [6].] In ludis multis semper erant Athletæ, qui ad præmium consequendum currebant: ii vero incertissimi erant victoriæ, quam ab uno tantum referendam esse intelligebant. Se non ita incertum esse, ait S. Paulus; quoniam ad certam victoriam currit, & ad eam coronam, quæ a pluribus possidetur, quin per hanc divisionem ullam præmii imminutionem patiatur; nam bonum illud, quod quærunt, infinitum est.

NON QUASI AEREM VERBERANS,] veluti rudes Athletæ, quorum ictus in ventum effunduntur, & qui nonnumquam decidunt in terram. Virgil. Æneid. 5.

En ictibus vires in ventum effudit, & ultro
Ipse gravis, graviterque ad terram pondere vasto
Concidit.

Credunt alii [7], Apostolum alludere ad Athletarum morem, qui ante prælium brachia sua jactantes, atque aerem verberantes, exercebantur: Virgilius Æneid. 5.

. . . . *alternaque jactat*
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

Suspicor autem, S. Paulum hoc in loco fortasse alludere ad quorumdam Athletarum prælia, qui clausis oculis, & velamine quodam obductis, vel etiam in tenebris præliabantur. S. Pauli verba huic favent conjecturæ: *sic curro*, ait ille, *non quasi in incertum*, quasi *non perspicue*, vel non manifeste: *sic pugno; non quasi aerem verberans*. Nequaquam sum similis *Andabatis*, quo nomine ii vocabantur Athletæ, qui clausis oculis decertabant.

Tel qu'est l'andabate armé de son poignard,
Combattant à l'aveugle, & vainquant au hazard.

S. Hieronymus ad hæc Andabatarum prælia alludit; ait E. G. Helvidium colligere acervum locorum Scripturæ, quibus utitur Andabatarum more pugnantium in tenebris; *more Andabatarum in tenebris gladium ventilans*. Et alibi contra Jovinianum scribens ait: *melius est clausis, quod dicitur, oculis Andabatarum more pugnare, quam directa spicula clypeo non repellere veritatis*. Alibi [8] loquens de Dialogo Origenis, & Candidi, qui Valentini hæresim tuebatur, inquit: *duos Andabatas digladiantes inter se, spectasse me fateor*.

Igitur S. Paulus Corinthiis dicit, se ad metam currere cum plena, perfectaque cognitione, se contra visibiles, atque invisibiles hostes medium in luminis claritate pugnare, se videre illos, ac ferire, atque Dei sui ope favente victoriæ certissimum esse.

℣. 27. SED CASTIGO CORPUS MEUM.] Græcus [9]: *Corpus meum vibicibus signatur, neque illud in captivitatem*

Tom. VIII. P 3

1 Vide Justinianum hic. 2 Epictet. cap. 51. 3 Horat. de Arte Poetica, v. 412. Vide Ælian. Var. hist. lib. 11. cap. 3. Grot. Hammon. Le Clerc hic. 4 Vide Justin. & Hammon. hic. Heins. H. Ursin. qu. Bibl. lib. 6. c. 6. 5 Aristot. lib. 8. Politic. cap. 4. initio. 6 Οὐκ ὡς ἀδήλως. 7 Grot. Hamm. Men. Tirin. 8 Apolog. 2. contra Rufin.

9 Ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα, δουλαγωγῶ. Theophyl. ὑπωπιάζω τουτέστι ... πρὸς τὸ σῶμα, ... Codd. Clarom. S. Germ. Lat. *Lividum facio*. Alii legunt: ὑπωπιάζω, *dejectum opprimo*, vel juxta Theophyl. Λιμῷ ..., fame crucio. *Sed impressi consentiunt*. Codd. plurimi. Alex. Æth. Iren. Epiphan. Basil. Chrysost. Nyss. Hesych. alii plerique.

tem redigo; tamquam miles, qui adversarium suum arripit, & redigit in servitutem, ubi illum domuerit, atque se victum fateri coegerit. Græca quædam exemplaria legunt: *prosterno corpus meum*, vel dejectum sub me opprimo, veluti luctator, qui Antagonistam suum jam prostravit; vel illud fame crucio. Sed prior lectio probatior est [1]. Igitur S. Paulus hic ait, se corpus suum tamquam inimicum putare, illud rationi, atque spiritui submittere; verberibus, laboribus, jejuniis, vigiliis [2] coercere, atque illi id unum permittere, quod negare non potest; ac tandem ipsum eo in statu cohibere, ne in victorem insurgens victoriam in dubium valeat revocare.

NE FORTE CUM ALIIS PRÆDICAVERIM, IPSE REPROBUS EFFICIAR.] Et ea mercede caream, quam aliis propono; cœlesti videlicet gloria, ad quam per B Evangelii prædicationem illos invito. Ego ipse in stadio curro, & luctor in arena; ne dum summus Judex coronas distribuit, me rejiciat, & mihi deneget præmia, quæ minime debentur simplici præconi clamanti, Athletas vocanti, hortanti, erudienti; sed illis, qui cucurrerunt, qui certarunt, & qui præmium retulerunt. Non agitur hoc in loco de æterna reprobatione, neque de prædestinatione ad Cœli beatitudinem, perinde ac ille, qui prædestinatus est, reprobari possit, & e contra: sed de eo sermo est, qui postquam Evangelium prædicaverit, æterna gloria fraudatur, vel quod secundum leges Evangelii minime vixerit, vel quod ad finem usque non perseveraverit [1]. Non agitur de æterno, atque immutabili Dei prædestinantis, vel reprobantis decreto, sed de hujus decreti executione. Exemplo S. Pauli doceri debemus, quo tremore, & humilitate [4], qua vigilantia, & cura salutem nostram operari, & vocationem, atque electionem nostram certam facere nos deceat [5]. Israelitarum exemplum, de quo sequenti capite loquitur, qui cum in Ægypto, atque in deserto tot Dei beneficiis fuerint cumulati, tamen morte percussi fuerunt, eisque aditus in terram promissam fuit interclusus, magno quidam documento est, ut quæ dicta sunt cum metu, & tremore audiamus, & in via Dei quamdiligentissime ambulemus.

1 Vide Erasm. Grot. Strigol. Vorst. Men. alios.

2 2. Cor. 6. 4. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, &c.*

3 Vide Est. & Cornel. a Lapide hic.

4 Philipp. 2. 12. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.*

5 2. Petri 1. 10. *Magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

C A P U T X.

Judæi ingrati, & murmurantes a Deo in deserto percussi. Quidquid illis accidit eorum quæ bonis, & impiis eveniunt est figura. Deus, cum tentamur, nobis fert opem. Idololatria, & scandalum proximi evitandum. Omnia ad Dei gloriam, fratrumque nostrorum ædificationem facienda.

1. NOlo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube
fuerunt, & omnes mare transierunt: 2 Et omnes in Moyse baptizati
sunt, in nube, & in mari; 3 Et omnes eamdem escam spiritalem man-
ducaverunt, 4 Et omnes eumdem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de
spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus. 5 Sed non in plu-
ribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. 6 Hæc autem
in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi
concupierunt. 7 Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmo-
dum scriptum est: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.
8 Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die
viginti tria millia. 9 Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentaverunt,
& a serpentibus perierunt. 10 Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum mur-
muraverunt, & perierunt ab exterminatore. 11 Hæc autem omnia in figura con-
tingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæcu-
lorum devenerunt. 12 Itaque, qui se existimat stare, videat ne cadat. 13
Tentatio vos non apprehendat nisi humana, fidelis autem Deus est, qui non pa-
tietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione pro-
ventum, ut possitis sustinere: 14 Propter quod charissimi mihi, fugite ab idolo-
rum cultura. 15 Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate, quod dico. 16
Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?
& panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? 17 Quoniam
unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.
18 Videte Israel secundum carnem: nonne, qui edunt hostias, participes sunt al-
taris? 19 Quid ergo? dico, quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod ido-
lum sit aliquid? 20 Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo.

Nolo

Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum : non potestis calicem Domini bibere, &
calicem dæmoniorum ; 21 Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ
dæmoniorum. 22 An æmulamur Dominum ? Numquid fortiores illo sumus ? Om-
nia mihi licent, sed non omnia expediunt. 23 Omnia mihi licent, sed non om-
nia ædificant. 24 Nemo, quod suum est, quærat, sed quod alterius. 25 Om-
ne, quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.
26 Domini est terra, & plenitudo ejus. 27 Si quis vocat vos infidelium, &
vultis ire ; omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter
conscientiam. 28 Si quis autem dixerit : Hoc immolatum est idolis : nolite man-
ducare, propter illum qui judicavit, & propter conscientiam : 29 Conscientiam
autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab alie-
na conscientia ? 30 Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo, quod
gratias ago ? 31 Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliquid facitis : omnia
in gloriam Dei facite. 32 Sine offensione estote Judæis, & Gentilibus, & Eccle-
siæ Dei ; 33 Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi
utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

℣. 1. NOLO ENIM VOS IGNORARE [?].] Nequaquam gloriari debemus, Fratres mei, quod Deus nos ad fidem evocare, veniam peccatorum nostrorum per baptismum concedere, in Ecclesia sua nobis suum præsidium polliceri, supernaturalibus donis nos cumulare, imo etiam ad Apostolatus apicem accersere dignatus fuerit. Possumus nihilominus non esse ex numero prædestinatorum, & eam beatitudinem, quo tendimus, non assequi. Perpendite profectu Hebræos sub Moyse duce: Quot prodigiorum fulgore Deus illos de Ægypto eduxit? quomodo illos per mare rubrum traduxit? quomodo illos sua nube protexit? dedit illis mannam, qua vescerentur, & de petra elicuit aquam, ut sitim eorum recrearet. Attamen quotus quisque ex tanto eo numero Domino placuit? quidquid illis accidit, figura est eorum, quæ nobis possunt contingere. Transitus maris rubri figura est baptismatis; nubes, quæ operiebantur, Dei præsidium significat, quo in Ecclesia perfruimur; manna erat symbolum Eucharistiæ, & aqua ex rupe fluens, erat figura doctrinæ JESU CHRISTI. Hæc est S. Pauli argumentatio in prioribus sex hujus capitis versiculis, atque ita caput hoc cum superioribus est subnectendum [2].

℣. 2. OMNES IN MOYSE BAPTIZATI SUNT.] Facile intelligimus, Erythræi maris transitum figuram fuisse baptismatis a JESU CHRISTO instituti, & Israelitas sicco pede per maris hujus alveum traductos, a Moyse [a] duce, & capite ipsorum fuisse, quodammodo baptizatos: at non æque perspicuum est, nubem, quæ illos interdiu cooperiebat, eisque noctu facem præferebat, baptismatis ejusdem symbolum fuisse; nisi dixeris, quemadmodum Hebræi ex mare egressi nubis præsidium invenerunt, ita Christianos in Ecclesia sub JESU CHRISTI præsidio positos esse, qui illos ab omnibus invisibilibus inimicis defendit. *Mare*, inquit Theodoretus, sacrum referebat lavacrum, quo baptizandi ingrediuntur, *nubes* gratiam Spiritus Sancti; *Moyses* Sacerdotem baptizantem; *virga* hujus legislatoris, JESU CHRISTI Crucem, *Israelitæ* in mari, Christianos, qui baptizantur, *Ægyptii* demersi, & dux eorum *Pharao*, dæmones de imperio, quod in nos exercebant, dejectos. Vide etiam Tertullianum lib. de *Baptismo*.

℣. 3. EAMDEM ESCAM SPIRITALEM.] Manna figura est JESU CHRISTI, quemadmodum ipse testatur in Evangelio Joann. 6. 51. *Ego sum panis vivus, qui de* A *Cælo descendi. [?]. non sicut Patres vestri manducaverunt manna, & mortui sunt; qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hebræi eumdem ac nos cibum manducaverunt, illi quidem in figura, nos autem re ta [3]. Hic nobis est spiritualis, Hebræis erat sensibilis, & corporeus. Manna tribuebatur Angelorum ministerio, uti liquet ex Biblis [4]: JESUS CHRISTUS in Eucharistia panis est vitæ, qui per seipsum offertur Patri propter salutem hominum. Philo ait, mannam repræsentasse Verbum Dei.

℣. 4. OMNES EUMDEM POTUM SPIRITALEM BIBEBANT.] Hebræi omnes aquam bibebant, quam Moyses de petra elicuit, & hæc aqua eadem est, quam Christiani spirituali ratione bibunt in doctrina Magistri sui, qui comparatur fonti, in æternam usque vitam B salienti [5]. Aqua a Moyse Domini jussu ex rupe educta figura erat vel doctrinæ Evangelicæ [a], vel Sanguinis JESU CHRISTI. Aquam hanc, quam Israelitæ bibebant, aquam spiritualem vocat Apostolus, vel quod miraculosa erat, & supernaturali modo producta, vel quod repræsentabat aliam aquam naturæ prorsus divinæ, ac spiritualis, quemadmodum nuperrime dictum est.

BIBEBANT AUTEM DE SPIRITALI CONSEQUENTE EOS PETRA [7].] Aqua petræ a Moyse percussæ in deserto castrorum Raphidim [8] sequebatur Israelitas, quod hæc illos in omni itinere deserti eosdem comitaretur, ita ut rivus ex illa confectus eosdem in omnia castra subsequeretur [9]. Verum si res ita se habuit, quorsum murmurarunt in Cades propter aquæ inopiam, ita ut Moyses debuerit aliam petram percutere ad a- C quam aliam, qua eorum sitis extingueretur, eliciendam [10]? Victus hac ratione Theodoretus tenet, nec petræ aquam, nec petram ipsam illos in itinere fuisse subsequutam, sed tantum illi semper misericordiam Dei adstitisse, non permittentia, ut aliquid illis deesset [11]. Credunt alii, Hebræos sequutos fuisse rivulum aquæ ex petra emanantis, atque toto eo tempore; quo secus eumdem, vel non procul permanserunt, potum illis non defuisse; at cum deinde nimia recessissent, ad Cades iterum aquæ inopia laborasse.

Putant alii, aquam de petra emanantem sequutam fuisse Hebræorum agmen eodem ferme pacto, quo Ælianus Var. hist. l. 1a c. 4a inquit Choaspia aquam sem- D per secutam fuisse Regem Persidis, quod semper in itineribus ipsius deferebatur. Ita Hebræi, donec non longe a fluviolo Horeb recesserant, aqua eadem usi sunt, ut ipsi biberent, atque jumentis suis potum præ-

2 Theodoret. ad finem cap. 9. Est. hic. ad vers. 5. a Ἐν τῷ Μωσῇ [illegible], seu [illegible].
3 August. tract. 26. in Johan. Rupert. D. Thom. Petr. Lombard. Est. Justin. Vorst. alii.
4 Psalm. 77. 25. Sap. 16. 20. 5 Joan. 4. 14. *Aquam, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* 6 Vide ad Joann. 4. 14. 7 Ita Chrysostom. & alii Græci.
8 Exod. 17. 16. 9 Vide Interpp. ad Exod. 17. & Rabb.
10 Num. 20. 8. . . . . 10. &c. 11 Vide Theodoret. Grot. Vat. Glass.

præberent ; cum vero inde procul abessent, atque in aridis locis castra metarentur, secum magnam ejus aquæ vim afferebant ; sed cum in irriguis, uberibusque agris tendebant, iis utebantur aquis, quas ibi inveniebant. Nihil ulterius profecto requiri potest ad Sancti Pauli verba probanda ; neque ulla cogimur necessitate, ut ad miraculum confugiamus, cujus non meminit Moyses. Scio quidem, petræ illius aquam ex Rabbinorum commentis [1] fideliter adeo subsequutam fuisse Judæos, ut montes ascenderet, per arenas deflueret, cursum inhiberet eo in loco, ubi exercitus castra poneret, ibique immania efficeret stagna, ut multitudini indigenti opem adferret. At hujusmodi miracula non ita leviter sunt admittenda, ne improbis hominibus occasio tribuatur in dubium, & jocum ea etiam convertendi, quæ vera sunt, & manifesta.

PETRA AUTEM ERAT CHRISTUS.] Petra Horeb, & inde emanans aqua JESUM CHRISTUM [2], doctrinam, sanguinem, Sacramenta illius significabat. Hæc ea est petra, supra quam ædificata est Ecclesia : hæc origo est bonorum omnium, quibus cumulati fuerunt Israelitæ, & quibus nos jugiter cumulamur. Aqua de petra fluens sequebatur Israelitas ; JESU CHRISTI gratia nos non deserit, nisi deseratur a nobis ; fons est semper præsens, atque omnibus patens, & quicumque, cui opus est, ex eodem petit aquam, hanc affluentissime recipit.

℣. 5. SED NON IN PLURIBUS EORUM.] Tot beneficia, quibus Hebræos in deserto replevit Deus, nequaquam probant, populum universum illi acceptum fuisse. Ex ingenti eo Israelitarum numero Caleb tantum, & Josue promissam terram ingressi sunt [3]. Ita ob gratias, quas in Ecclesia vobis impertitus est Deus, ne superbia extollamini ; veremini potius, ne vos iis muneribus privet, quæ ex mera illius largitate accepistis.

℣. 6. HÆC IN FIGURA [4].] Hæc omnia non aliud sunt, quam ejus rationis figura, qua nobiscum acturus est Deus. Si Hebræorum murmurationes, infidelitatem, ingrati animi vitium, inobedientiam fuerimus imitati, illæ ipsæ nos manebunt pœnæ, quas Deus illis inflixit.

UT NON SIMUS CONCUPISCENTES MALORUM [5].] Desideriorum, vel rerum vetitarum. Judæi a Deo carnes petierunt, questi mannæ levitatem, atque exilem saporem [6] : at Dominus in ira sua coturnices ad eos demisit, quæ adhuc erant in ore eorum, cum ira Dei in ipsos detonuit. Ne imitemini prava eorum desideria ; ne Gentilium sacrificiis interesse velitis, ne Deus in iram exardeat, & vos hostibus vestris derelinquat.

℣. 7. NEQUE IDOLOLATRÆ.] Velut Israelitæ, qui aureum vitulum venerati sunt [7], qui corde suo in Ægyptum reversi sunt, & petierunt Deos, e quibus regerentur. Aaron illis vitulum conflavit, qui imaginem referebat bovis Apis idoli Ægyptiorum ; populus huic victimas obtulit, & ex reliquiis earundem eo idolo convivium instructum fuit. Cumque jam bibissent, & manducassent, surrexerunt, ut luderent, atque choreas agerent : *sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*. Cavete, ne imitatores sitis hujus populi, neque illius Idololatriam, & impudicitiem sectemini. Ne revertemini ad errorem, quem abjecistis, neque participes estote sacrificiorum impiorum, vel idolothytis vescentes, vel ad idololatrarum convivia accedentes.

℣. 8. NEQUE FORNICEMUR.] Quemadmodum Israelitæ cum filiabus Moab fornicati sunt [8], e quibus ad sacrificia fuerant invitati. Timete, ne libertas, quam vobismet vendicatis, Ethnicorum adeundi convivia, in turpe aliquod scelus vos adigat ; quippe in hujusmodi conviviis summa erat impudicitia. Dominus populi sui peccato irritatus, die uno *viginti tria millia* morte percussit. Moyses Num. 25. 9. ait quatuor & viginti millia cæsa fuisse : Æthiops vero hoc in loco duo tantum, & viginti millia recenset. Neque Sanctus Paulus, neque Moyses fortasse signanter, & exacta, sed circiter mortuorum numerum retulerunt. Cæsi autem fuerunt plusquam tria, & viginti millia, minus vero quam quatuor, & viginti : ubi S. Paulus minorem, Moyses vero majorem numerum usurpavit, quemadmodum passim usuvenit in Vulgaris sermonibus, ac narrationibus, ubi certus, atque determinatus numerus, pro numero incerto, atque indefinito usurpatur [9]. Credunt alii, Moysem in quatuor, & viginti millium numero non eos tantum comprehendisse, qui plaga a Deo immissa ceciderunt, sed eos etiam, qui a Moyse suspendio, a Phinees, sociisque ejus gladio fuerunt interfecti [10]. Hoc notandum est, a S. Paulo eos tantum recenseri, qui *una die* perierunt ; Moysem vero de iis omnibus verba fecisse, qui in universa illa occasione interierunt.

℣. 9. NEQUE TENTEMUS CHRISTUM.] Quemadmodum Hebræi Deum tentarunt in deserto, cum itineris laborem, & longitudinem pertæsi in Deum, & Moysem murmurarunt, dicentes Num. 21. 5. *cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine ? deest panis, non sunt aquæ : anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Quam ob rem misit Dominus in populum ignitos serpentes*, a quibus demorsi plurimi occiderunt. S. Paulus hoc Hebræorum murmur *tentationem* appellat ; re enim vera tunc Deum tentarunt, ac se in ejus potestate, & bonitate nequaquam confidere ostenderunt. Græca exemplaria typis edita omnia Vulgatæ similia sunt, & legunt [11] : *neque tentemus Christum* : sed S. Epiphanius hæres. 42. tenet, Marcionem *Christum* pro Domino apposuisse : atque Theodoretus, & manuscripti complures adhuc legunt *Dominum* pro *Christo*. Alii vero [12] ; *ne tentemus Deum*. Sed vetustissimi Patres [13], antiquissimi, iique optimi manuscripti, & omnia ferme, cum vetera, cum recentiora monumenta omnino sunt Vulgatæ similia, ita ut nulla adsit ratio alias lectiones quærendi.

Hebræi Deum tentantes, tentarunt etiam JESUM CHRISTUM, qui vere Deus est, eumque tentarunt, tamquam Ducem, & caput suum. Prohibet S. Paulus, ne Christiani Dominum tentent, se se periculo objicientes eumdem lædendi [14], atque Ethnicorum festis diebus, vel in Idololatriam, vel in impudicitiem decidendi, aut infirmis fratribus scandalum ingerentes, aut denique in propria scientia [15], propriisque viribus nimium confidentes. Exterminator Angelus, vel dæmon est, vel generatim Divinæ ultionis minister ; sæpius enim bonis Angelis usus est Deus, ut in impios animadverteret.

℣. 10. NEQUE MURMURAVERITIS.] Quemadmodum illi murmurarant, cum exploratores de terra promissa reversi sunt [16] : tunc enim in ira sua juravit Dominus, neminem ex iis, qui murmuraverant, in terram promissam ingressurum. Addit Moyses Num. 14. 37. eos omnes, qui missi fuerant ad eam regionem lustrandam, *mortuos esse, atque percussos in conspectu*

Domi

1 Vide, si placet, Ligfoot. Hor. Hebr.
2 August. lib. 2. contra advers. Leg. & Prophet. cap. 6. *Petra significabat Christum*. Vide Ambrosiast. Chrysost. Oecumen. August. in Joann. tract. 26. n. 12. *Petra, Christus in signo*.
3 Num. 14. 23.
4 Τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν. Alii : Τύποι ἡμῖν. *Figuræ nobis*, vel *figuræ nostræ*, seu *in figuram nostri*. Quidam : Εἰς τύπον ἡμῶν. Vide Mill. & Est. hic.
5 Μὴ εἶναι ἡμᾶς ἐπιθυμητὰς κακῶν.
6 Num. 11. 4. 5. 6.
7 Exod. 32.
8 Num. 25. 9.
9 Vide Oecumen. D. Thom. Est. &c.
10 Vide Cathar. Jun. Scleter. Est. Grot. Ligfoot. alios.
11 Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστόν.
12 Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Θεόν. Ita Alex. Æthiop. Cod. Basileens. Ita legendum contendit Grot.
13 Ita Irenæ. Theod. in Ἐπιτομαῖς. Alii passim.
14 Clerom. & S. Germ. G. L. alii passim.
15 Vide Est. Vorst. Paræ. alios.
16 Num. 14. 1. & seq.

Domini ; quod concordat cum versiculo 12. capitis ejusdem Numerorum, ubi minitatur Deus, se illos *pestefecturum*. Hoc forsasse isthic a S. Paulo dicitur, *periit ab exterminatore* [1].

Tenent alii [2], Apostolum innuere velle id, quod accidit, cum Israelitæ in Moysem, & Aaron insurrexerunt [3], post defectionem, atque pœnam Core, Dathan, & Abiron. Tunc iratus Dominus misit ignem, qui magnam castrorum partem absumpsit, & qui eadem penitus absumpsisset, nisi Aaron aceeram manibus gestam adstitisset tamquam paries medius inter flammas ad earum vim, & cursum inhibendum. Judith c. 8. 25. de hoc facto loquens, iisdem nominibus utitur; *Angelus exterminator*, & auctor libri Sapientiæ 18 ult. ait, cum Aaron se se obtulisset sacris ornatus vestibus, atque thuribulum deferens, exterminatoris vastitatem cessisse ; *his autem cessit, qui exterminabat, & extinguit*. Postrema hæc sententia priore mihi probatior videtur.

Poterant murmurare Corinthii propter severitatem, aut libertatem, quam alii idolothytis vesci tenuebant, vel secus. Denique poterant docti viri de infirmis conqueri, qui vellent eorum libertatem perstringere, eosque impellere, ut exemplum suum sectarentur. Apostolus, utpote qui sapiens est Magister, illis pacem commendat, murmorationem interdicit, eisque, si murmuraverint, Dei iram minitatur.

℣. 11. OMNIA IN FIGURA CONTINGEBANT ILLIS [4].] Ea omnia, quæ illis accidebant, erant figura eorum, quæ nobismetipsis sunt eventura. Gratiæ, quibus a Deo cumulabantur; pœnæ, quibus affligebantur; peccata, in quæ decidebant; singula in se figuram, atque documentum complectebantur; in iis quippe annuntiabat nobis Deus, quid pro nobis facturus esset, & quæ justa nos manerent supplicia, si flocci gratiam illius faceremus. *Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt* ; sæculorum videlicet, quæ Prophetæ prædicebant, quibus Messias figuras omnes adimpleturus erat, quibus omnes prædictiones, atque promissiones finem invenient, & nova lex veteri succedere debet [5]. Profecto si rem propius notare velimus, veteris testamenti Prophetæ, postquam adventum, passionem, mortem Messiæ, & Christianæ Ecclesiæ institutionem prædixerunt, reliquis in rebus altissimum servant silentium.

℣. 12. QUI SE EXISTIMAT STARE, VIDEAT, NE CADAT.] Hic respicit Doctores, atque scitos viros, qui apud Corinthios jactitantes scientiam suam, & libertatem, quam Christianæ Religionis professione fuerant adepti, nullam infirmorum rationem habebant; & viribus suis nimiam freti, libere idololatriæ periculo se se objiciebant. Timete, ne Deus pernicioso aliquo lapsu vestram puniat superbiam, utque deserat vos eo in periculo, cui nimis audacter vosmet objecistis [6].

℣. 13. TENTATIO VOS NON APPREHENDAT, NISI HUMANA [7].] Communis, consueta. Cavete, ne in vehementes tentationes decidatis, & Deus hostibus vestris laxet habenas, ut omni vi, atque impetu vos adoriantur. Deum obsecro, ne umquam permittat, ut hujus vitæ calamitates, & mala tanta sint, ut iisdem superemini. Dignetur ille auxilii sui magnitudinem vi tentationis accommodare [8]. Omnis tentatio naturæ vires superat, ubi hæc ope gratiæ destituatur; quoniam ex Conciliorum auctoritate [9] homo in se non aliud habet, quam peccatum, atque mendacium; sed aliæ aliis longe sunt vehementiores. S. Paulus, ut salubrem Corinthiis timorem immittat, eorumque superbiam frangat, in mentem revocat ipsorum infirmitatem, & perenne periculum, cui sunt obnoxii, nisi Deus illis sua misericordia fuerit opitulatus. Complura Vulgatæ exemplaria veluti Complutensia, atque Antuerpiana, & plurimi Latini Patres [10] legerunt : *tentatio vos non apprehendat, nisi humana*, quod Græco textui conforme est [11]. Nondum gravioribus, & majoribus tentationibus, quæ hominis infirmitatem, atque superbiæ eorumdem vanitatem ostendunt, fuistis obnoxii. *Nondum restitistis usque ad sanguinem*, Hebr. 12. 4. sedulo omnia pericula, & omnes lapsus occasiones evitate; qui amat periculum, peribit in illo Eccli. 3. 27. cavete, ne Deus vos hostibus vestris derelinquat.

At quasi metueret, se nimis multa dixisse, seipsum corrigit : *fidelis Deus est ; qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Spero, ipsum non permissurum, ut superemini, sed gratiam suam vestræ necessitati accomodaturum, *fidelis est*, promisit, se vos in tribulationibus vestris exauditurum; gratiam vobis concedet, ubi hanc ex ipso petieritis. Græcus [12] verti potest : *faciet cum tentationem evasionem*. Faciet, ut ex tentatione emergatis, viam vobis aperiet, qua illi resistere valeatis. Vel, *Faciet ex tentatione exitum*. Faciet, ut ex tentatione vestra fructum feratis, atque victores ope gratiæ suæ inde evadatis.

Notandum est, S. Paulum isthic loqui apud viros justos licet imperfectos, vel saltem apud eos, qui se justos ferebant; nam eorum gratia hæc dicit; Deum non permissurum, ut supra vires tententur. Atque cum Tridentinum Concilium sess. 6. de Justific. can. 18. protulit anathema in eos, qui tenent, mandata Dei esse impossibilia homini justificato, atque in gratiæ statu; cumque Ecclesia priorem Jansenii propositionem proscripsit, dicentis, quædam mandata Dei justis esse impossibilia, tunc etiam cum volunt, ac omnes intendunt vires, quas eo in statu, in quo versantur, habent; ubi gratia, quæ eadem illis possibilia debet efficere, ipsis defuerit; Ecclesia semper de Justis loqui voluit, quemadmodum explicite etiam declaravit.

Patres, qui S. Pauli locum hunc explicuerunt, illi etiam de Justis solum, atque prædestinatis intellexerunt [13]; nam ii, qui improbi sunt, & reprobi, sæpe permittit Deus, ut tentationibus superentur, ac illis vires necessariæ ad resistendum desint, seu quod eas Deo illas petere negligant, seu quod illas non satis fideliter servent, seu denique quod ad finem usque non perseverent, tentationi resistentes. Neque inde inferendum est, illos ergo necessario peccare; non enim peccant, nisi quod volunt : tentationi non succumbunt, nisi quod eidem resistere abnuunt, neque a Deo gratiam, quæ ipsis est necessaria, petere volunt. Denique illis semper integrum est assensum præbere, vel secus, tentationi; se victos tradere, vel non item; & si Deus illis opem suam denegat, hanc illis negat, quod per ingrati animi vitium, & opis ejusdem contemptum, vel alias ob causas Divinæ justitiæ compertas se se ope eadem præbuerunt indignos.

℣. 14. FUGITE AB IDOLORUM CULTURA.] Et ab iis omnibus, quæ aliquam cum idolis rationem habent, Ido-

---

1 Vide pariter Judith. 8. 24. 2 Est. Menoch. Piscat.
3 Num. 16. 41. 42. 46 4 Ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις. Alii : Τυπικῶς συνέβαινον, &c. Mill. 5 Vide Grot. hic, & ad Matth. 1. 22. 6 Vide Chrysostom. hic. Augustin. de dono perseverant. cap. 8. Leo Magn. serm. 5. de Quadragesim. Est. alios.
7 Chrysostom. Ita Theodoret. & alii passim. 8 Menoch. Tir. Varab. Est.
9 Concil. Arausic. 2. can. 22. & Concil. Trident. Et Augustin. tract. 5. in Joann. num. 1. & serm. 254. nov. edit. num. 7. & serm. 257. & Prolog. in lib. 1. de Doctrina Christiana.
10 Ambrosiaster. Primas. August. lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 9. Author. Quæst. V. & N. T. q. 9. Sedulius : *Apostoli testimonium non intelligentes, quidam posuerunt pro indicativo optativum modum*. Ita & Cassian. ipsissimis verbis, lib. 5. cap. 16. Cyprian. lib. 3. Testim. cap. 91. *Tentatio vos non occupavit nisi humana*. 11 Πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν εἰ μὴ ἀνθρώπινος. Et ita Græci Patres passim.
12 Καὶ ποιήσει σὺν τῷ πειρασμῷ, καὶ τὴν ἔκβασιν τοῦ δύνασθαι ὑμᾶς ὑπενεγκεῖν.
13 Vide Augustin. Ambrosiaster. Leon. Gregor. alios apud Est. hic. Vide & Fromond. & Corn. a Lapide.

Idololatrarum societatem effugite, ad eorum conviviis non accedite, carnes idolis immolatas non manducate [1].

℣. 15. UT PRUDENTIBUS LOQUOR.] Corinthii, ad quos loquebatur, scientia, atque sapientia se prædito jactitabant; quemadmodum vidimus supra. Utiminor luminibus vestris, ut videatis justitiam, quam Deus exigit ex vobis. Metuite periculum, occasiones effugite, viribus vestris diffidite, tentationi resistite, & quidquid in peccatum vos impellere potest, velit, remisque avitate. Neque viribus, neque libertati, neque scientiæ vestræ confidite.

℣. 16. CALIX BENEDICTIONIS.] Hæc recens ratio est, ac superioribus longe perfectior, quæ Corinthios ab Ethnicorum mensa, & Gentilium sacrificiis absterret. Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI, quæ in sacra mensa recepimus, nonne efficere debent, ut profanas, impias, atque sacrilegas eas mensas perhorreamus, ubi carnes Idolis mactatæ comeduntur? Sacrum Dominici Sanguinis Calicem, *Calicem benedictionis* appellat; quoniam Salvator illum tradidit Discipulis suis, postquam eumdem consecrasset, & benedixisset. Et quod Sacerdos illum benedicit, & consecrat, ac super illum nomen Dei invocat, & omnipotentem virtutem ejus, antequam illum offerat fidelibus [2], qui cum gratiarum actione, & benedictionibus ipsum recipiunt [3]. Hebræi in solemnibus conviviis suis, quæ diebus Paschatis, aliisque in festivitatibus celebrant, rite benedicunt panem, & vinum, ab universo cœtu manducandum, atque bibendum [4]. JESUS CHRISTUS in ultima Cœna cum Discipulis suis, nationis suæ consuetudini paruit: sed omnino recentem cæremoniam, atque benedictionem impendit, ubi corporis, sanguinisque sui Sacramentum instituit.

℣. 17. UNUS PANIS, UNUM CORPUS, MULTI SUMUS.] Quod cum participes simus Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI, quæ realiter, atque substantialiter Corpus, & Sanguis illius sunt; simul omnes quodammodo unum Corpus, idemque Sanguis efficimur: quippe qui una, eademque substantia, una, eademque carne, & sanguine innutrimur [5]. Et non secus ac panis ex plurimis granis contritis, atque in unam, eamdemque panis massam compactis, subactisque compositus est, ita omnes in JESU CHRISTO coalescimus ad mysticum illius Corpus conficiendum, ut unum dumtaxat cum illo, per voluntatum unionem, gratiæ, amoris, & Spiritus ejusdem communicationem efficiamur. At cum intima adeo, atque perfecta ratione cum JESU CHRISTO [6] conjungamur; numquid possumus adhuc participes esse mensæ Gentilium, & carnium Idolis immolatarum? *nos sumus unus panis, unum corpus*; ita enim legunt Græci [7]: & S. Augustinus, fine conjunctione: *Sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum charitatis! qui vult vivere, habet, ubi vivat; habet, unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, & vivificetur. Non abhorreat a compage membrorum, non sit putre membrum, quod resecari mereatur, non sit distortum, de quo erubescatur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum: hæreat corpori, vivat Deo de Deo: Nunc laboret in terra, ut postea regnet in Cælo* [8].

℣. 18. VIDETE ISRAEL SECUNDUM CARNEM.] Judæos incredulos, qui in JESUM CHRISTUM non crediderunt: videte, quanta cura illi, qui immolatæ Domino victimæ carnem gustare debent, antea sese excipiant, & quanta diligentia prohibeant, ne sacrificiorum participes fiant, qui vel immundi sunt, vel a suo fœdere alieni? putant sacrilegium esse, si quis in sordibus suis gustaverit carnem victimæ super Ara oblatæ: quippe ipsi Altari dedecus inferri putant ab iis, qui indigne carnes illic oblatas manducant, quo potiori jure vos ab Idolothytis abstineri æquum est, quandoquidem iis vesci minime potestis, quin videamini profanum Altare, & fictum Numen, quod ibi colitur, venerari? Cæterum vos ita animæ, corporisque vestri, quæ per JESU CHRISTI baptismum expiata sunt, & in sacro Mensa Corporis, & Sanguinis ejusdem participatione contrita, sanctitatem turpiter coinquinasis.

℣. 19. QUID ERGO? DICO QUOD IDOLIS IMMOLATUM SIT ALIQUID, AUT QUOD IDOLUM SIT ALIQUID.] Hoc est, quod alterutram virtutem habeat, vel polluendi, vel expiandi, & ad aliquid prodesse possit, vel obesse? absit. Scio quidem Idolum nihil esse, & nullam ejus esse virtutem. Græca exemplaria typis edita, ita legunt: *Quid igitur dico? Idolum esse aliquid, & quod illi offertur, esse aliquid?* At S. Augustinus, Tertullianus, Hilarius Diaconus, veteres MSS. Græci, & Latini Claromontii, & S. Germani Pratensis Vulgatæ consimiles sunt.

℣. 20. QUÆ IMMOLANT GENTES [9], DÆMONIIS IMMOLANT.] Ethnicis quidem sacrificantibus esse mens non erat, ut Dæmonibus litarent; verum nihilominus est, Deos, quos venerabantur, vulgo Dæmones fuisse, vel reprobos: & Idola, delubra, lucos, mysteria, profana oracula a Dæmonibus occupata, & obsessa fuisse. Ibi præsertim hic Mundi Princeps tyrannicum suum exercebat imperium. Septuaginta in Psalmo 95. vers. 5. ajunt; *Omnia Ethnicorum Numina esse dæmonia*; ubi Hebræus; *Deos nihili*, fictos Deos appellat. In aliis etiam Scripturarum locis, ubi Idola *hirci* vocantur, Septuaginta vertunt Dæmonia [10]. Veteres Patres fusius ostendunt, Ethnicorum simulacra non aliud esse, quam mortuorum hominum imagines, & pleraque insignia illorum delubra super summorum virorum monumenta fuisse ædificata. Videri potest S. Clemens Alexandrinus, Eusebius, Tertullianus &c.

Satis est, Ethnicorum sacrificia Dæmonibus esse oblata, ut vos iisdem interesse minime debeatis: *nolo vos socios fieri dæmoniorum*; neque vos participes fieri mensæ eorum: *non potestis Calicem Domini bibere, & Calicem Dæmoniorum*; hoc enim neque expedit, neque licet. Duo hæc nimis inter se opposita habentur; & alterum alteri nimis adversatur. *Calix Dæmoniorum* vinum est, quod in profanis conviviis, in eorum honorem institutis, perpotatur: ibi Dii invocabantur, atque in eorum honorem vini libationes fiebant. *Mensa Dæmoniorum*, vel Ara est, ubi hostiæ in honorem ipsorum immolantur, vel mensa, ubi carnes illis immolatæ manducantur.

℣. 22. AN ÆMULAMUR DOMINUM.] Numquid zelotypiam in Domino ciere desideramus? cupimus ne illum in nos ipsos irritare, atque in nos effectus iræ suæ pertrahere [11], illum, ut ita dicam, cum Dæmone conferentes, atque cultum illius cum Idolorum cultu consociare conantes [12]: sacram illius mensam relinquentes, ut inimici ejusdem mensæ accombamus? quomodo ille hanc sibi illatam contumeliam ulcisceretur? in Scripturis sæpe Deus zelotes dicitur, & qui æmulum non patitur [13].

E OMNIA MIHI LICENT.] Hoc jam dictum fuit superius cap. 6. versic. 12. Ego scio, quod immolatis carnibus vesci, in se peccatum non est; scio Idolum nihil esse, neque immundum efficere posse, quod ipsi offertur: at minime expedit, neque boni exempli esse potest, mensis Ethnicorum accumbere. Hoc est Christianæ religioni injuriam, & infirmis scandalum inferre; hoc est ultro sese Idololatriæ periculo of-

1 Theodoret. Zeger. & Cornel. a Lapide.
2 Vide Est. Lyran. From. Cornel. alios.
3 Chrysostom. Theophylact. Erasm.
4 Vide Ligfoot. Horæ. Hamm. hic. Buxtorf. Synag. Jud. c. 13.
5 Græcus non legit, *& de uno calice*, occurrit tamen in vetustissimis MSS.
6 Augustin. tract. 26. in Joan. num. 17. Est. Glossa, Menoch. alii.
7 Ἓς ἄρτος, ἓν σῶμα, οἱ πολλοί ἐσμεν.
8 Augustin tract. 26. in Joan. num. 13.
9 Plures veteres omittunt *Gentes*. Clarom. S. Germ. Boerner. Tertull. Epiph. Ambros. alii.
10 Tertull. de Spectaculis. *Scimus nihil esse nisi nomina mortuorum, sicut nec simulacra eorum: sed non ignoramus, qui sub istis nominibus, & institutis operentur gaudeant, & divinitatem mentiantur, neque spiritus, scilicet Dæmones.*
11 Deut. 32. 17. יזבחו לשדים 70. Ἔθυσαν δαιμονίοις. Levit. 17. 7. לא יזבחו עוד לשעירים Οὐ θύσουσι τοῖς ματαίοις. Vulg. *Dæmonibus*. Hebr. *hircis*.
12 Chrysostom.
13 Exod. 20. 5. 34. 14. Joel. 2. 18. Deut. 32. 16. 19. 21.

lo offerre. Theodoretus legit cum interrogatione: *Omnia mihi licent? sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent? sed non omnia ædificant.* A

℣. 24. NEMO, QUOD SUUM EST, QUÆRAT.] Ne dicatis, me vestram libertatem evertere, vobisque nimis grave jugum imponere. Æquum est, ut aliquid proximi nostri charitati sacrificemus, ejusque potius utilitatem, quam nostram quæramus [1]: præsertim vero cum agitur, ut exiguæ libertatis jacturam subeamus, quæ reipsa perniciosissimos, atque molestissimos effectus gignere potest.

℣. 25. OMNE, QUOD IN MACELLO VÆNIT, MANDUCATE.] Seu caro, quæ ibi prostat, Lege Moysis prohibeatur, sive secus; vel alicui Idolo fuerit oblata. Persecutores enim nonnumquam de industria polluebant carnes, quæ vendebantur a Lanio, illas Idolo alicui offerentes, ne eas comedere Christifideles auderent [2]. Omnis esca in se munda est; oblatio, quæ illius Idolo fit, nihil realiter in illa potest immutare. At si nosceris, carnem hanc Idolis fuisse mactatam; atque intelligis fratri tuo scandalum oboriri, quod promiscue vesceris carnibus, quas lex immundas declarat; præcipit charitas, ut iisdem abstineas. Tertullianus de jejunio ait, quod S. Paulus *claves macelli nobis tradidit, permittens esui omnia, ad constituendam Idolothytorum exceptionem.* B

℣. 26. OMNE QUOD APPONITUR VOBIS, MANDUCATE.] Si invitatis simpliciter tamquam vulgari cœnæ, atque inter amicos, quin nulla sacrificii mentio habeatur, adi si copis, & comede quæcumque apponentur tibi, quin quæras, unde veniant. At si aliquis conviva, vel Christianus infirmus, vel Gentilis, ut te ab esu deterreat, dixerit, hæc caro Idolis immolata est, ne vescaris ex illa, ne vulneres conscientiam illius, qui te monitum voluit, ratus, carnis ejusdem usum tibi esse interdictum. Si enim Gentilis te admonuerit, & mox te iis carnibus vesci viderit; credit, te religionem tuam violare, eamdem contemnet, atque perhorrescet: sin autem Christianus infirmus, vel exemplo tuo ductus contra conscientiam suam ex illis carnibus manducabit, vel inter se facinus tuum condemnabit [3]. C

℣. 29. UT QUID ENIM LIBERTAS MEA JUDICATUR AB ALIENA CONSCIENTIA?] Cur scandali occasionem præbeam huic Fratri, vel Gentili, libertatem damnanti, qua promiscue omnium carnium genere vescor? nonne ego reus essem peccati illius, si citra necessitatem illud auderem, unde ipse peccandi occasionem arrepturum sciD rem [4]? licet ne mihi uti libertate mea cum periculo perdendi fratrem meum? pro *aliena conscientia*, veteres quidam [5] legunt: *ab infideli conscientia*, quasi *alienus* hoc in loco, quemadmodum alibi non raro, pro *infideli* usurpatur. At verus sensus ille est, quem explicuimus: cur adducam libertatem meam in periculum, ut damnetur a conscientia alterius, sive Christifidelis sit, sive infidelis?

℣. 30. SI EGO CUM GRATIA PARTICIPO [6].] Si cum gratiarum actione illud recipio, quod comedo; vel si comedo cum gratia, & misericordia Dei; vel, si comedo secundum libertatem, quam a Deo accepi. Tres hi sensus huic loco maxime congruunt. Numquid per imprudentiam exprobrationem mereri, & Fratri meo scandalum inferre debeo eo facto, quod prorsus voluntarium est, & in quo cum gratiarum actione ea utor libertate, quam mihi tradidit Deus? numquid expedit, ut eadem non utar, & ad breve tempus relinquam eam libertatem, quæ tantam conscientiæ Fratris mei jacturam potest inferre? *quid blasphemor?* numquid efficiam, ut de me quisque obloquatur, me tamquam helluonem, & gurgitem, vel tamquam imprudentem accuset, quasi Idololatris faveam, & me immundarum carnium usu coinquinem?

℣. 31. SIVE ERGO MANDUCATIS . . . . OMNIA IN GLORIAM DEI FACITE.] Hæc est conclusio eorum omnium, quæ de carnium usu, vel de abstinentia dicta sunt. Sive illis utaris, sive abstineas; omnia ad majorem Dei gloriam dirige. Si prænoscis futurum, ut Ethnici alicujus, vel fratris tui conscientia, vel etiam ipsa religio detrimenti aliquid passura sit propter libertatem tuam, abstine. Cum vero nullum tale periculum imminet, illis utere cum actione gratiarum. Si metuis, vel ambigis, ne hæc actio alicui scandalum afferat; cave ne feceris; nulla Deo cedere potest gloria ex ea libertate, quæ scandalum injiciat, vel quæ imprudens sit, aut importuna. Vide Coloss. 3. ℣. 17. & 1. Petr. 4. ℣. 11.

℣. 33. SICUT EGO PER OMNIA OMNIBUS PLACEO.] Et neminem lædere, nemini negotium facessere, aut scandalum inferre conor [7]. In iis omnibus, quibus minime tenear, & quæ explicite a lege Dei non præcipiuntur, inde ut ea vel faciam, vel minime faciam adducor, quod ante perpendo utrum Deo gloria cessura sit, & proximus possit ædificari. Si enim timeo, ne periculum adsit, ut Deus lædatur, vel ut proximo scandalum inferatur, abstineo, & ea in circumstantia meam abdico libertatem.

1 Vide infra 33. *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis.* Et 13. 5. *Charitas non quærit, quæ sua sunt.* Et Philip. 2. 4. *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum, &c.*
2 Theodoret. Hist. Eccles. lib. 3. cap. 11. Vide & cap. 13.
3 Vide Est. Menoch. &c.
4 Vide Theodoret. Theophylact. Est. Menoch. Tirin. Pisc. alii.
5 Hieronym. Epist. ad Ageruchiam. Author. tract. de singularit. Cleric. inter Opera Cyprian. Sedulius hic, & Primas. Codd. Sancti Claron. in Latino.
6 Ambrosiast. Sedul. Auth. de singularit. Cleric. *Gratiæ particeps sum.* Antioch. in homil. χάριτι μετέχω. Græc. impress. χάριτι μετέχω.
7 Vide Theodoret. Theophylact. Est. Menoch. Tir. Grot. alios.

CAPUT XI.

Vir aperto, mulier autem velato capite orare debent. S. Paulus Corinthios corripit, quod non satis rite cœnam Domini celebrent. Narrat Eucharistiæ institutionem: & eos objurgat, qui ad eam accedunt indigne.

1. IMitatores mei estote, sicut & ego Christi. 2 Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 3 Volo autem vos scire, quod omnis viri caput, Christus est; caput autem mulieris, vir: caput vero Christi, Deus. 4 Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum 5 Omnis autem mulier orans, aut

pro-

prophetans non velato capite, deturpat caput suum: unum enim est, ac si decalvetur. 6 Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum. 7 Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago, & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. 8 Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. 9 Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. 10 Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos. 11 Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino. 12 Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo. 13 Vos ipsi judicate: decet mulierem non velatam orare Deum? 14 Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi: 15 Mulier vero si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. 16 Si quis autem videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 17 Hoc autem præcipio: non laudans, quod non in melius, sed in deterius convenitis. 18 Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo. 19 Nam oportet, & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. 20 Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. 21 Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. 22 Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. 23 Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, 24 Et gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. 25 Similiter & calicem, postquam cœnavit dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescumque biberis, in meam commemorationem. 26 Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. 27 Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne: reus erit corporis, & sanguinis Domini. 28 Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. 29 Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit: non dijudicans corpus Domini. 30 Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. 31 Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 32 Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. 33 Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. 34 Si quis esurit, domi manducet: ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cum venero, disponam.

℣. 1. IMITATORES MEI ESTOTE.] Hoc subnectendum est versiculo superiori: *Imitatores mei estote*; aliis complacere quærentes, *sicut ego per omnia omnibus placeo*, ad imitationem JESU CHRISTI [1], qui *non sibi placuit*, sed qui omnibus contumeliis se se objecit, ut Patris sui justitiæ satisfaceret, injuriam, qua ille fuerat affectus, repararet, & mortalium scelera expiaret. Imitatores mei estote, humiliter de vobismetipsis sentientes, foventes spiritum pacis, quæ in vobis regnare debet, & mutuo vobismetipsis indulgentes. Vobiscum vicissim vivite, quemadmodum scitis, me cum omnibus vivere, & quemadmodum JESUS CHRISTUS se se accommodavit ad eorum omnium captum, ad quos loquebatur, & cum quibus vivebat, ut omnes lucrifaceret [2]. A

℣. 2. LAUDO VOS, FRATRES.] Videtur S. Paulus B in hac responsione sua Corinthiorum articulos ordinatim sequutum fuisse, atque sigillatim illis respondisse. Testabantur illi fortasse, jugiter in ipsis vigere præceptorum ejus memoriam, & se cum voluptate illius recordari. Eis igitur gratias agit, quod memores sui fuerint; quod vero attinet ad eas, quas ipse apud illos constituerat, traditiones, atque præcepta, quæ illis irrogaverat, illorum quidem in iis observandis fidelitatem commendat: sed abusus aliquot, qui obrepserant, corripit. Inter hos autem vel præcipuus erat, quod mulieres nonnullæ sua fretæ eloquentia, & fortasse etiam scientia [3], facultatem sibi vendicabant docendi in Ecclesia; & quod aliæ, quin verecundiæ, quæ propria sexus sui est, satis consulerent, sine velamine in Ecclesia videbantur, atque ita sub virorum oculis preces suas effundebant. Secundus vero abusus versabatur circa convivia charitatis, quæ in Ecclesia fiebant, & eam rationem, qua Corinthii ad sanctam Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI communionem accedebant.

ET SICUT TRADIDI VOBIS PRÆCEPTA MEA TENETIS [4].] Quod scilicet servatis traditiones, atque præcepta, quæ vobis dedi. *Traditionum* nomine intelligenda sunt dogmata, vel instituta ad disciplinam perti-

1 Rom. 15. 3. 2 Vide Theodoret. Chrys. Est. Men. 3 Theodoret.
4 Græc. impress. Καὶ καθὼς παρέδωκα ὑμῖν τὰς παραδόσεις κατέχετε. Plures, τὰς παραδόσεις μου κατέχετε. Ita Clarom. & Borner. G. L. Ambrosiast. Arab. Hierosymiast. Vulg.

pertinentia, quæ Apostoli viva voce docebant, & quæ neque in Evangelio legebantur, neque ab Apostolis scripta erant; sed quæ in populorum memoria, vel in Ecclesiarum consuetudine servabantur. Plurima sunt id genus, quæ nonnisi multo post ævum Apostolorum scripta fuerunt, & quorum usus, traditionum vi in Ecclesia perpetuo vixit. Hujusmodi erant omnes Sacramentorum cæremoniæ, atque cœtuum Ecclesiasticorum habendorum ordo, tempus, & ratio [1].

℣. 3. OMNIS VIRI CAPUT CHRISTUS EST.] Ad ostendendam eam subordinationem, quæ esse debet in Ecclesia, ait, JESUM CHRISTUM esse mortalium omnium caput, non Christianorum dumtaxat, verum etiam infidelium, quatenus Deus & Dominus est [2]. *Caput autem mulieris vir*, non solum autem illius, quæ sibi matrimonii vinculis conjuncta est, sed generatim B homo sexus sui privilegio supra fœminam est. Denique: *caput Christi Deus*, non quod filius alterius sit naturæ a Patre, & illi inferior; sed quod quatenus homo, mediator, & redemptor, voluit Patri se se submittere, & obtemperare, & servi formam induere; licet omnino non solum similis, sed idem sit substantialiter cum Patre [3].

℣. 4. OMNIS VIR PROPHETANS.] Prophetare hoc in loco significat, vel legere publice Scripturas, vel illas explicare, vel docere, vel prædicare, vel canere in Ecclesia, vel denique ibi sacrum illum præseferre enthusiasmum, quem primis Ecclesiæ temporibus fideles plurimi vulgo consueverant. Ergo omnis homo, solemniter orans, vel infidelium cœtu prophetans *velato capite deturpat caput suum*. Caput vel apertum habere, vel opertum C in semet nullum habet discrimen; non desunt populi, & regiones, ubi caput tegere observantiæ nota est, cum interim alibi prorsus oppositum consueverit. Græci veteres nonnisi detecto capite sacrificabant [4], ut majorem Numinis reverentiam testarentur; Romani vero e contra capite involuto facris operabantur [5]. Hebræi Sacerdotes in Templis suis [6], & ad hanc diem Judæi in Synagogis caput contegunt. Hujusmodi observantiæ signa arbitraria sunt, atque pendens ex conceptu, quem populi de externis quibusdam actionibus faciendum esse duxerunt.

S. Paulus scribens ad Corinthios, qui Græci erant, decernit, homines orantes, docentes, vel prophetantes, aperto capite esse debere [7]; & ait, quod qui secus fecerit, *deturpat caput suum*, hoc est JESUM CHRI- D STUM [8], qui *omnis viri caput est*, quemadmodum dixit ℣. 2. vel proprium caput suum coinquinat [9]; quippe quodammodo de gradu cedit, in femina submissionis notam assumens, suæque sui superioritati, & libertati suæ conditionis oppositam. Usus, quem Corinthiis præscribit Apostolus, fere semper generatim in Ecclesia servatus est. Tertullianus in Apolog. *Nos Christiani*, inquit, *manibus expansis*, *quia innocui*; *capite nudo*, *quia non erubescimus*; *denique sine monitore*, *quia de pectore oramus*; ubi ad Ethnicorum morem alludit, apud quos Sacerdotes in solemnibus precibus oranti populo verbis præibant.

℣. 5. OMNIS AUTEM MULIER ORANS, AUT PROPHETANS NON VELATO CAPITE DETURPAT CAPUT SUUM.] Primis Ecclesiæ temporibus homines passim,

A atque mulieres indiscriminatim prophetiæ dono, et congregaria Scripturas explicandi videbantur afflati, juxta Joelis 2. 28. promissionem a JESU CHRISTO confirmatam, Joan. 7. 38. *prophetabunt filii vestri*, *& filiæ vestræ*. Corinthiaca Ecclesia affluenter universa hæc spiritualia dona acceperat; eorumque mulieres etiam erant participes. Verum quemadmodum optimis quibusque rebus abutimur nonnumquam, cum superbia, & vanitas illis immiscentur; his donis afflatæ mulieres in Ecclesiam prodibant, ibique publice docere volebant [10]. Sed Apostolus illis hoc quidem in loco declarat, mulieri dedecus esse aperto capite in Ecclesiam venire, non secus ac probro illis verteretur, si omnino essent abrasæ. Inferius vero cap. 14. ℣. 35. probibet, ne omnino mulieres in Ecclesia loquantur.

B Apud Græcos consuetudo, qua mulieres in publicum egredi, atque cœtibus interesse debebant, non satis erat uniformis: at plerumque honestæ mulieres, præsertim vero innuptæ virgines, verecunde, ac facie modestè cooperta prodibant: quamquam apud Hebræos [11], & Orientales saverior erat disciplina. Mulieres numquam aperto capite, vel in viis, vel in cœtibus, vel in Templis videbantur, raro domo efferebant pedem, & semper capite velato. In Synagogis Judææ mulieres extra hominum conspectum ponuntur, cancellis quibusdam separatæ, per quos videre possunt, quin videantur [12]. Cupit S. Paulus, ut apud Corinthios mulieres eamdem ferme consuetudinem servent, quæ apud Hebræos observabatur [13], & quæ satis diu viguit in Oriente. In Occidente vero majori cum libertate mu- C lieres incedunt, atque asserere possumus hodie in Ecclesiis nostris illas prorsus abhorrere non solum ab Apostoli præceptis, verum etiam e spiritu ipsius propter vestium suarum immodestiam, propter humerorum, & colli nuditatem, & propter eos locos, quos in cœtibus Religionis audacter sibi vendicant.

DETURPAT CAPUT SUUM.] Seipsam, quod agit contra pudorem, atque modestiam, quæ suo sexui conveniunt; contra mandatum Dei, qui illam homini subjacit, & imperavit, ut in submissionis notam velamine caput obnuberet [14]. Vide infra ℣. 10. *Debet mulier potestatem habere supra caput*. Quemadmodum illi turpe esset sine capillis, & abraso capite incedere; ita modestiæ ejus minime convenit in Ecclesia detecta facie, & aperto capite videri. Hebræi, aliique plures D populi in luctu omnes tum homines, tum mulieres, capillos sibi secabant, quod ex Scriptura [15], & Homero satis liquet. Minitatur Isaias futurum, ut filiarum Sion abradantur capita in vanitatis, atque cincinnorum eamdem punitionem [16]. Apud Michæam 1. 6. jubet Dominus, Matres Israel capillos sibi tondere, læsum filiorum suorum factoras: *Decalvare*, *& tondere super filios deliciarum tuarum*, *dilata calvitium tuum sicut Aquila*. In festis Adonidis, quæ tamquam mortui alicujus exequiæ celebrabantur, capillos sibi abradebant [17]: & testis est Svetonius in Caligula, mortuo Caligula *regulos quosdam barbam posuisse*, *& uxorum capita rasisse ad indicium maximi luctus*. Germani veteres adulteras uxores suas puniebant, eisdem capillos secantes, easque de virorum suorum domo ejicientes [18].

Virgines Christianæ, quæ peculiari pietatis motu,

et

1 Ambrosiast. Justinian. Est. Grot. & Theophylact.
2 Rom. 14. 9. & 1. Cor. 15. 27. Est. hic.
3 Vide Ambros. lib. 4. de Fide ad Gratian. Theodoret. hic. Est. alios.
4 Macrob. lib. 1. cap. 8. Saturnal. *Illic Græco ritu, capite aperto res divina fit*. Et ibid. cap. 10. *Hinc est quod instituto peregrino huic Deo (Saturno) sacrum aperto capite facimus*. Vide & lib. 3. cap. 6. *Varro ait Græcum hunc esse morem, nempe, ut omnes aperto capite sacra faciant*.
5 Virg. Æneid. 3. v. 405.

Purpureo velare comas adopertus amictu . . . .
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipsa teneto:
Hac casti maneant in Religione nepotes.

Vide Servium ad eund. lib. & Macrob. lib. 3. cap. 6.
6 Vide Exod. 28. 4. 29. 9. Levit. 8. 13.
7 Vide Theodoret. & Theophylact. & Grot. ad vers. 2.
8 Vat. Cajet. Est. Pisc. &c.
9 Grot. Est. Menoch. Sclater. Vorst. Theophylact. Oecumen.
10 Vide infra 1. Cor. 14. 34.
11 Tertull. de Corona militis cap. 4. *Apud Judæos tam solemne est feminis eorum velamen capitis, ut inde noscantur.*
12 Vide Grot. Lightfoot. Capell. Leon. Mutinens.
13 Constit. Apostol.
14 Est. Menoch. Tirin.
15 Isai. 15. 23. 22. 12. Jerem. 16. 6. 48. 39. &c.
16 Isai. 3. 24. *Pro crispanti crine calvitium.*
17 Vide Lucian. de Dea Syra. Deut. 14. 1.
18 Tacit. de Morib. German. *Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit.*

ut magis se se ab hoc mundo abhorrere testentur, capillos sibi abradunt, nihil contra Apostoli mentem operantur. Earum actio neque irregularis est, neque turpis; quandoquidem hoc præstant, ut cutius, & perfectius Apostoli observent consilia, virginitatem suam tueantur [1], & majorem servent modestiam; ea ut ita dicam, abjicientes, quæ natura illis ad capitis ornatum large donavit. Si quibusdam peculiaribus in casibus vetuit Ecclesia, ne sub pietatis specie mulieres sibi capillos tonderent [2], hoc interdicto minime subjecit virgines, quæ Deo voventur, atque eidem non sine Ecclesiæ, atque Antistitum, eamdem regentium consensu, & benedictione consecrantur.

℣. 7. VIR IMAGO, & GLORIA DEI EST: MULIER AUTEM GLORIA VIRI EST.] Hanc affert rationem Apostolus, ut ostendat, hominem caput suum in Ecclesia aperire debere, mulierem vero e contra suum cooperire. Ita argumentatur: Cum Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam effinxerit, quemdam Majestatis suæ radium, & auctoritatis suæ fulgorem in facie ejus impressit, qui illum effecit cæterorum animantium dominum, & quemadmodum Divinæ in terris auctoritatis sequestrem [3]. Non debet igitur velato capite prodire, neque faciem suam abscondere; quod esset velut eclypsim offundere ei lumini, quo Deus ipse humanam faciem afflavit. Mulier quidem hujus honoris particeps est, namque & ipsa ad imaginem Creatoris efformata est [4]; verum fulgor, de quo loquuti sumus, in facie ejus non emicat, nisi quatenus ex viri facie reflectitur; quoniam de viri substantia efformata est [5]. Itaque ea ratio, propter quam homo faciem suam cooperire non debet, pro fœmina non subsistit amplius, & alia existit urbanitatis, rectique ordinis ratio, quæ obest, ne mulier coram hominibus nonnisi velato capite videatur: primum videlicet pudor, & modestia, sexus illius propria; mox vero submissio, qua Deus illam homini subjecit.

Cum dicitur homo esse *imago*, & *gloria Dei*, hoc trifariam potest intelligi: 1. quatenus Deus gloriam suam procuravit, creans hominem, qui ex visibilibus, a Deo creatis rebus, pulcherrimus est, atque præstantissimus. 2. quatenus homo locum habet gloriandi in Deo, quippe qui immediate ab illius manibus effictus fuit, & ab uno illo in terris dependet: non secus ac illi, qui regem dumtaxat supra se positum reverentur, in regno cæteris gloria, & dignitate præstare videntur. 3. denique *imago*, & *gloria Dei* significare simpliciter possunt, *gloriosam imaginem*, quatenus homo in facie sua defert characterem imperii, & potestatis, quam Deus illi in creatione ipsius communicavit: qui postremus sensus æquior, & aptior videtur. Deus in nulla re creata in terris fulgidius, atque perfectius, quam in homine suam magnitudinem, majestatem, atque potestatem ostendit.

℣. 8. NON VIR EX MULIERE.] Nova ratio, propter quam homo mulieri superior est; quod scilicet mulier efformata est ex carne viri, vel ex costa, quam de Adam eduxit Deus, Gen. 2. 21.

℣. 9. VIR PROPTER MULIEREM.] Deus videns Adam solum, inquit Gen. 2. 18. *faciamus ei adjutorium simile sibi*: quæ tertia est ratio, propter quam mulier subjecta est viro, quod videlicet creata est, ut illi inserviat, opituletur, atque cum illo ad speciei propagationem concurrat.

℣. 10. IDEO DEBET MULIER POTESTATEM HABERE SUPRA CAPUT PROPTER ANGELOS.] Ad litteram [6]: *debet ferre super caput suum potestatem*, quod veteres, & recentiores Interpretes [7], de velo intelligunt, quo significatur potestas, quam homo super mulierem, & vir præsertim habet super uxorem. Hebræi *Redid* [8] vocant velum, quo Sponsa obnubitur, quæ vox e doctorum virorum sententia ex origine fluit, quæ *dominari* significat, & quæ belle respondet *potestati*, quam vocem Apostolus hoc in loco usurpavit. Cnactbullus, & Heinsius putant, authographum textum ita esse vertendum: *Debet mulier agnoscere potestatem in capite*, in viro suo, *propter Angelos*. Subdita esse debet viro suo, qui illius caput est, quemadmodum dictum est ℣. 3. Alibi etiam Apostolus ait oportere, ut mulieres viris suis subditæ sint [9], *quoniam vir caput est mulieris, sicut CHRISTUS caput est Ecclesiæ*: & ad Timotheum scribens [10] præcipit, ut mulier humiliter discat; namque ait ille, *docere mulieri non permitto, neque dominari in virum*. Quod idem ferme est ac illud, quod mulieri post peccatum ejus dixit Deus, Gen. 3. 16. *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*. Verbum Græcum, quod *habere* significat [11] pro *fateri*, *cognoscere* etiam usurpatur.

Verum hæc explicatio nimis aperte huic loco vim facit, & numquam in Novo Testamento invenietur loquendi ratio huic similis, quæ innuat, alterius in nos potestatem fateri. Prior explicatio melius in modum Apostoli mentem assequitur; atque veteres omnes in hoc sensu id intellexerunt. Velum mulieris, illius jugum est, ait Tertullianus de velandis Virgin. *velamen jugum illarum est*. Apostolus nonnumquam ludere gestit in verbis. Superius loquutus est de viri potestate in mulierem; hic vero concludit, *mulierem* habita ratione viri, *non aliam habere potestatem, quam velum supra caput suum deferendi*. En qua in re universa illius posita sit auctoritas, ut videlicet super se hanc submissionis suæ notam, hoc velum deferat, cum orat, vel cum in cœtu prophetat. Latina quædam Exemplaria, veluti editio Sixti V. legunt: *debet mulier velamen habere*, S. Irenæus l. 1. c. 1. adv. hæres. similiter legebat: sed vera lectio MSS. atque editis antiquis, & recentioribus probata [12], ea est, quam Vulgata præfert: *debet mulier potestatem habere*.

Addit Apostolus, mulieri hoc velum gestandum esse *propter Angelos* videlicet, vel ob reverentiam erga Angelos, qui invisibiliter fidelium cœtibus præsunt; vel propter Ecclesiæ capita, Episcopum, Sacerdotes, Ministros, atque Prophetas, qui nonnumquam Angeli Domini appellantur: quo nomine si Biblia, Sacerdotes, atque Prophetas Veteris Testamenti nuncupant [13], possunt etiam eodem Novi Testamenti Sacerdotes vocari. Quidam [14] Angelorum nomine intelligunt Dæmones. Christianæ mulieres caput opertum habere debent, ne ex earum forma Dæmon occasionem arripiat insidias struendi illis, a quibus videbuntur; vel

---

1 1. Cor. 7. 25. 26. & seq. 2 Concil. Gangr. cap. 17.
3 Theodoret. Menoch. Tirin. Sclater. 4 Basil. homil. 10. in Hexaemer. Ambros. lib. 6. Hexaemer. cap. 6. August. lib. 12. de Trin. cap. 7. 5 Theodoret. Vorst. alii.
6 Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς Ἀγγέλους. Velum. περιβόλαιον. Volamen. Iren. lib. 1. cap. 1. κάλυμμα, in Græc. Epiphanianis. 7 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Ita Photius Ep. 210. Tertull. de veland. Virginib. cap. 7. & alibi passim legit, potestatem, Ita Est. Erasm. Vatab. Grot. Menoch. Tirin. alii passim. 8 רדיד, a רדה *Dominari*. Vide Cant. 5. 7. Isai. 3. 23. Vide Capell. Hammond. hic. & Cleric. ad Genes. 24. 64. 9 Ephes. 5. 22. 23. 24.
10 1. Timoth. 2. 12. 13. 11 Ἔχω. *Agnosco, æstimo, teneo*. Matth. 14. 5. Ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον. Ita 21. 26. Πάντες γὰρ ἔχουσι τὸν Ἰωάννην ὡς προφήτην. Ita vers. 46. Marc. 11. 32. Luc. 14. 18. Ἔχε με παρῃτημένον, &c.
12 Ita Ambros. D. Thom. Heræeut. 13 Vide Agg. 1. 13. *Dixit Aggæus nuncius, (vel Angelus) Domini, de nunciis Domini*. Malach. 3. 1. *Ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*, *&c*. Zacch. 2. 7. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*. Eccle. 5. 5. *Ne dicas coram Angelo: non est providentia*. Vide Apocal. 1.
14 Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 8. & de velandis Virginib. cap. 7. de Corona cap. 14. de cultu fœminarum cap. 5. de Habitu mulierum cap. 2.

vel ne Dæmones, qui ex plurimorum veterum sententia [1], mulieres olim deperierunt ante Diluvium, erga illos turpissimo amore iterum minime flagrent. Hæc est Tertulliani sententia, quæ uni illi principio innititur de corpore Angelorum, quam hodie universa Ecclesia omnino deseruit. Angelorum nomen Dæmonibus nonnumquam tribuitur; & S. Paulus eodem illos supra appellavit cap. 6. ℣. 3. at non inde sequitur, eum esse hujus loci sensum.

Putat Ligfoot, Angelos hoc in loco non alios esse, quam lenones, qui conjugia consociant, atque ultro citroque voluntatem eorum indicant, qui mulierem, vel nuptui tradere cupiunt, vel ducere in uxorem. Rabbini homines hujusmodi Angelos Conjugiorum vocant; quoniam eorum sunt veluti nuncii. Jubet ergo Apostolus, mulierem *potestatem habere super caput*, hoc est apparere posse sine velamine coram Paranymphis, vel *Angelis*, de quibus sermo fuit, ut hi illis, a quibus mittuntur, testari possint virginis in uxorem expetitæ formam, & pulchritudinem: in Oriente enim sæpius ineuntur conjugia, quin Sponsi se se umquam viderint. Sed interpositis quibusdam hominibus virginis videndæ copia fit [2], ut illius speciem eam requirenti valeant describere. Hæc sententia omnino singularis est, & huic loco sensum appingit, qui longe ab aliorum Interpretum mente recedit.

Cnatchbullus innui vult, *mulierem facere Dominium*, & potestatem *capitis*, hoc est viri sui super se *propter Angelos*, vel potius propter legem, quam illi Deus Angelorum ministerio irrogaverit, ut viro suo subdita esset: *sub viri potestate eris*, Dominus ait [3]: *& ipse dominabitur tui*. Ex Apostolo scimus, Legem veterem Angelorum ministerio fuisse hominibus traditam. Prior explicatio, quæ Angelorum nomine bonos intelligit Angelos, & quæ putat, Apostolum [4] mulieribus commendare modestiam in Ecclesia propter observantiam, quæ debetur Angelis ibi adsistentibus, Patribus [5], & plerisque Interpretibus [6] arridet. Hebræi non ambigebant, quominus Angeli Templi curæ essent præpositi, & reciperent preces eorum, qui ibi aderant, ut illas coram Domino statuerent; qui sensus in eorum libris [7], & in Apocalypsi 8. 3. invenitur. Libri Hebræorum, & Ecclesiæ Patres verba faciunt de Angelis constitutis, ut offerant Deo preces nostras [8]. Nostrum singuli suum habent custodem Angelum [9]. Veteres etiam tribuebant Angelos Provinciis, & Urbibus, Oppidis, Aris, Ecclesiis.

℣. 11. VERUMTAMEN NEQUE VIR SINE MULIERE [10].] Quasi vereatur Apostolus, ne aliquid mali inferretur ex iis, quæ dicta erant de submissione, quam mulier erga virum habere debet, nunc quodammodo se se corrigit, & ait; si mulier homo subjacet, hominem quoque multa debere mulieri, quoniam sine illa, neque producere, neque educare posset similem sibi, & Deum sapientiæ, atque providentiæ suæ effectu, voluisse, ut alterius uterque indigeret auxilii, ut inter utrumque arctus ordo, atque consensus servaretur; hoc autem *in Domino*, propter pietatem, religionem, & submissionem voluntati, atque imperio Dei, qui mulierem ex hominis substantia creavit; sed qui efficit, ut homo de muliere nascatur ad majorem nexum, perfectioremque charitatem inter illos instituendam, quæ tandem in Deo auctore, & hominis simul & fœminæ creatore perficiatur, quod ℣. 12. dicitur.

℣. 14. QUOD SI VIR COMAM NUTRIAT.] Quemadmodum capillos alunt mulieres, quin illos umquam attondeant. Licet, & decet hominem capillos suos gerere, & naturæ illi crines tradentis haud sane ea mens fuit, ut ille eos sibi attonderet, & caput suum abraderet; sed *natura*, videlicet sensus bonus, recta ratio, species quædam juris naturalis, & communis omnium populorum consuetudinis [11] voluit, ut homines minime nutrirent comam, mulierum more prolixam; bene cincinnatam, calamistris compositam, atque comptam; ita ut capitis sit operimentum, atque ornamentum [12]. Oris habitus, nimium exquisita ornamenta, cincinni, aliaque inania capitis decora hominem prorsus dedecent, & illius conditioni, atque naturæ adversantur: *Ignominia est illi*. E contra decet, mulierem promissos habere cincinnos, eique natura hunc ornatum concessit, quo oris speciem commendaret; eique crines oblongos dedit, ut innueret, illi super caput velamen esse deferendum [13]: *quoniam capilli pro velamine ei dati sunt* ℣. 15. Velum gestans naturæ mentem assequitur, & explet; illi oblongos crines tribuit, quibus se cooperiret.

℣. 16. SI QUIS AUTEM VIDETUR CONTENTIOSUS ESSE.] Si hujusmodi rationibus se victum non dediderit, & si hæc argumenta illum minime persuaserint; sciat, quod *nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei* [14], ut contentiosi esse velimus, atque quæstiones serere amemus [15]. In discipulis nostris docilitatem, atque obedientiam requirimus. Evangelium non est simile Philosophicis quæstionibus, ubi exercitationis gratia, atque, ut mentis acumen effulgeat, in utramque partem argumenta afferuntur. Si hæ rationes illi minime sufficiunt, nullæ sufficient. S. Clemens Papa [16] Corinthios exprobrat, quod contentiosi essent in rebus, quæ ad salutem minime spectarent.

Intelligi etiam potest [17]: si quis contentiosos esse vult, unam dumtaxat rationem habeo, quam illi afferam; hoc est, mulieres apud nos numquam in Ecclesia loqui consuevisse, neque aperto capite umquam prodiisse; hominibus vero numquam capite cooperto in Templum esse ingrediendum. Hæc illis consuetudo legis loco esse debet: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt*, ait Sanctus Augustinus [18]. Credendum est, ea, quæ instituta sunt, & quæ in Scriptura non inveniuntur, esse omnia ex traditione profecta: *hanc si nulla Scriptura determinavit, certe consuetudo roboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est* [19]? Plurima sunt in Ecclesia, quorum non alia afferri potest ratio præter consuetudinem, atque traditionem. *Harum disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix*.

℣. 17. HOC AUTEM PRÆCIPIO NON LAUDANS.] Nam cœtus vestri, qui vobis prodesse deberent, obsunt saluti vestræ [20]. Quin semper in bonum progrediamini, retroceditis; conventus vestri, qui vobis esse deberent fons benedictionis, vobis sunt occasio dissidii, & confusionis. Malum, quod isthic reprehendit Sanctus Paulus, in hoc potissimum positus erat, quod fideles Corinthii, qui primum simul in Ecclesia vesce-

1 Vide Clement. Justin. & alios ad Genes. 6. 2 Vide Chardin. tom. 1. pag. 165.
3 Gen. 3. 16. 4 Act. 7. 53. Galat. 3. 19. Hebr. 2. 2.
5 Chrysostom. Theodoret. alii Græci. Aug. l. 12. de Trinit. c. 7. Hieron. in Matt. 18.
6 D. Thom. Herv. Est. Men. Tir. Grot. Piscat. alii passim.
7 Psal. 137. 1. Joseph. de Bello, lib. 2. cap. 28. Philo de Humanitate. Alii apud Grot. hic.
8 Tertull. de Oratione. Ambros. in Luc. 1. Greg. l. 4. Dialog. c. 58. Bernard. serm. de Angelis.
9 Matt. 18. 10 Ἐν Κυρίῳ. Alii, ἐν κόσμῳ. *In mundo*. Theodoret. Quid. apud Est. Favent Græcorum scholia. 11 Vide, si placet, Salmas. de Coma, & Synops. Critic. hic. Tertull. de Corona. *Quæris igitur Dei Legem? Habes communem istam in publico mundi, & in naturalibus tabulis, ad quas & Apostolus soles provocare, ut cum in velamine facit*. 12 Est. Men. Tir. Salmas. Vossius, &c.
13 Ambrosiast. Est. Sclat. Bez. & alii. 14 Græc. Οὐδὲ αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Θεοῦ. Alii plures. Ἡ ἐκκλησία.
15 Grot. Est. Pisc. Chrys. hic. Theodoret. Theoph. 16 Clemens. ep. ad Cor. Patagr. 45.
17 Chrys. Ambros. Est. Grot. Pisc. Voss. alii. 18 Aug. ep. olim 86. nunc 36. n. 2. p. 68.
19 Tertull. de Corona, c. 3. 4. 20 Chrys. alii Græci. Grot. Est. Erasm. alii.

bantur, vel ea in domo, quæ cœtibus, atque communioni simul recipiendæ erat destinata, ibi charitatis convivia celebrabant sine ullo divitis, pauperisque discrimine. Hoc tamen deinceps labi cœpit, ita ut divites in cœtum exquisitas, plurimasque afferrent epulas, easque comederent, quin pauperes invitarent, eosque obsonii sui participes facerent. S. Paulus igitur ait, se facinus hoc probare non posse: hoc enim Ecclesiæ infert injuriam, & pauperes rubore suffundit.

℣. 18. AUDIO, SCISSURAS ESSE INTER VOS.] Varias apud vos esse sententias de usu carnium; de ea ratione, qua hominibus, & mulieribus in Ecclesia prodeundum est, de ordine, atque dispositione conviviorum charitatis. Aderat denique inter illos dissensio per Doctorum occasionem oborta, cum alii Paulo, alii Apollini, alii aliis hærerent [1]. Fortasse etiam charitas frigescere incipiebat, & quædam contemptus semina divites inter, & pauperes inter illos, qui libertatem audacter præ se ferebant, & qui magis erant infirmi, atque minori lumine donati, serebantur. Hæc autem dissidia proprie versabantur in iis, quæ ad consuetudinem, & disciplinam; non autem, quæ ad fidem pertinerent.

℣. 19. NAM OPORTET, ET HÆRESES ESSE.] Optandum quidem esset, nullas umquam hujusmodi pestes existerent, sed eo modo, quo homines facti sunt, & quo Deus electos ad eorum finem perducit, opus est, ut in Ecclesia scandala, dissensiones, schismata, hæreses oboriantur. Hæc mala, quæ necessaria vocari possunt, magnum utique bonum pariunt; quod ostendunt, quinam inter fideles virtutis sint explorata. Hæc necessitas neque fatalis est, neque fortuita, neque coacta, neque absoluta [2]. Hæretici, & schismatici Ecclesiam liberrime laniant; sed providentia Dei prava illorum voluntate, ambitione, inconstantia, & ad majorem sui nominis gloriam utitur, & ad electorum suorum salutem. Hæresis majus malum est, quam schisma; Schisma ab Ecclesiæ communione tantum divellit; Hæresis vero addit errorem in sententiis, & in errore pertinaciam.

Nulla mihi incedit admiratio, quod inter vos domestica obrepserint dissidia ob eas res, quæ minimi sunt momenti; Deus enim permittit, ut in Ecclesia hæreses sint [3], *ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*. Ut hoc in loco minime significat propositum sibi finem: sed id, quod est eventurum [4]. S. Joannes Chrysostomus, Theodoretus, & alii plures Interpretes [5] credunt, hæresis nomen hoc in versiculo non significare sententiarum varietatem in doctrina, sed simplices dumtaxat quæstiones. Hoc certe liquet, hæresis nomen non semper infensum haberi, quoniam ipse etiam S. Paulus Felici Judææ Præsidi testatur, se esse en Christianorum secta, vel *hæresi* [6], nam Græce *heresis* non aliud, quam Latine *secta* significat.

℣. 20. CONVENIENTIBUS VOBIS IN UNUM.] Non amplius, ut olim, eodem in spiritu, atque in perfecta charitate convenitis; hoc non amplius est charitatis convivium, ad illius exemplar habitum, quod a JESU CHRISTO cum Apostolis suis nocte, quæ mortem ipsius præcessit, fuit institutum. In hoc prophanæ dumtaxat cœnæ, in qua charitas omnis exulat, characteres videntur. In cœtibus primorum Christi fidelium, postquam Sanctorum Bibliorum lectio peracta fuerat, & preces effusæ singuli Dominici Corporis, Sanguinisque fiebant participes; deinde vero in communi charitatis convivium celebrabatur, quod Græci *Agape* vocant. Divus Chrysostomus [7], quique illum sequuti sunt, hunc explicat locum juxta nationis suæ consuetudinem; sed aliis in regionibus, puta in Africa, & in Ægypto [8] feria quinta majoris hebdomadæ [9] vulgo manducare poterant, antequam Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI reciperent [10]; quod magis conforme videbatur, Dominicæ institutioni: quippe Divinum hoc Sacramentum post cœnam Paschatis fuerat institutum, & exemplo Apostolorum, qui non jejuni sancta mysteria celebrarunt [11]. Attamen S. Augustinus [12] ævo suo testatur, communem Ecclesiæ totius consuetudinem fuisse, ut jejuni communicarentur, excepta majoris hebdomadæ feria quinta, qua die permittebatur adhuc, ut ante communionem manducaretur. *Liquido apparet, quando primum acceperunt Discipuli Corpus, & Sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos: numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? ex hoc enim semper placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur*.

Credidit S. Augustinus, *Dominicam cœnam* hoc in loco significare cœnam Eucharisticam pressius sumptam; quam sententiam alii etiam sequuti sunt [13]: quasi S. Paulus Corinthios redargueret, quod in conviviis suis vulgo Sacra Eucharistiæ mysteria commiscerent, vel quod Agape suum celebrantes non imitarentur charitatem, & qualitatem, quæ in Sancta communione servantur, ubi dives, & pauper, summus, & imus æque Dominico Sanguine, & Corpore nutriuntur, cum e contra in conviviis suis divites rerum omnium affluentia lætentur, interim pauperibus rerum omnium inopia indigentibus: sed hæc sententia nimis arctata est; ea vero quam primum proposuimus, plures habet suffragatores, & aptior videtur.

℣. 21. UNUSQUISQUE ENIM SUAM CŒNAM.] Varii huic textui sensus tribuuntur. Credunt quidam [14], divites ex numero fidelium, qui erant Corinthi, primum domi suæ manducasse, ac deinde in Ecclesiam venisse, ut communione sacra reficerentur, quin cœnam suam in cœtum adferrent, ut ejusdem pauperes participes fierent.

Alii putant [15], illos in Ecclesia quidem, sed solos, & quin pauperes invitarent, cœnasse. Manducabant, antequam pauperes venirent, ita ut illis nihil relinquerent præter mensæ reliquias, postquam cætera absumpserant. Vide infra ℣. 33. ita cum divites jam saturati essent, pauperes esuriebant; *alius quidem esurit, alius autem ebrius est*.

Postremum hoc, *ebrius est*, non est pressius intelligendum. Si Corinthii in cœtibus suis, & eo tempore, quo ad sacrum JESU CHRISTI Corpus recipiendum convenerant, ad ebrietatem vino se se ingurgitassent, non ita se illis indulgentem præbuisset Apostolus, & aliter sane in nefarium hoc scelus insurrexisset. Ebrium esse in Hebræorum lingua sæpe significat bibere ad voluntatem, & vinum affluenter habere [16]. Vide Genes. 43. ult. Cant. 5. 1. Agg. 1. 6. Joann. 2. 10. Castellio ita torum versiculum legit. *Quilibet primum manducat cœnam suam, & cum manducandum est* Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI, *alius quidem iam satur est, & alius esurit*. Sed hæc versio Vulgatæ interpunctioni, immo etiam Græci textus Syntaxi adversatur [17].

NUM-

1 1. Cor. 1. 12. 2 Theodoret. 3 Chrys. Erasm. Grot. Est. alii.
4 Chrysostom. 5 Theodoret. Ita Chrysost. Theophyl. Vorst. Men. Tir. &c.
6 Act. 24. 14. 7 Chrys. hic, hom. 27. initio Theodoret. ad ver. 35. Theoph. ibidem.
8 Aug. ep. 54. nov. edit. ad Januar. n. 8. & Concil. Carthag. 3. c. 29. *Ut sacramenta altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur.*
9 Socrates Histor. Eccles. apud Grot. ad Matth. 26. 26.
10 Vide Pelag. Primas. Sedul. Herv. Hammond. Div. Thom. Lyran. alii;
11 Act. 2. 46. 20. 7. 11. 12 August. Ep. 54. ad Januar. num. 8.
13 August. ibid. Ambrosiast. Pelag. Gloss. Lombard. Herv. D. Thom. Carthus. Sclater. Pare. &c. Theodoret. Ita Oecum. 14 Vatabl. 15 Grot. Est. Erasm. Menoch. 16 Grot. Ligfoot. Est.
17 Ἕκαστος γὰρ τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει ἐν τῷ φαγεῖν, καὶ ὃς μὲν πεινᾷ, ὃς δὲ μεθύει. Alii frequentes punctum habent post, ἐν τῷ φαγεῖν.

℣. 22. NUMQUID DOMOS NON HABETIS AD MANDUCANDUM?] Cur ergo in Ecclesiam ad manducandum venitis? num ideo venitis, ut Pauperes rubore suffundatis, atque luxu, & crapulis vestris eorum egestati quodammodo insultetis? Si soli manducare vultis, quin fratres ad cœnam vocetis, domi vestræ remanere potestis, quin veniatis in Ecclesiam [1]. *Ecclesiam Dei contemnitis?* locum sanctum, ubi convenitis; hæc enim semper fuit Christi fidelium consuetudo, ut Ecclesiæ nomine eum vocarent locum, ubi fideles congregabantur, sive simplex esset aula, vel privatæ domus, aut locus magis amplus, & magnificus, quales sequentibus sæculis ædificari consueverunt [2]. Ecclesia hoc in loco significare etiam potest fideles simul congregatos [3]: ita ne fideles contemnitis, præsertim vero pauperes, qui una cum vobis conveniunt? *quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo.* Alii textum aliter interpungunt: *quid dicam vobis? laudo vos in hoc? non laudo.* Vulgata ad litteram conformis est plurimis, iisque optimis, & vetustissimis manuscriptis [4]. Hujusmodi varietates sensum non mutant.

℣. 23. EGO ENIM ACCEPI A DOMINO.] Apostolus tollere cupiens abusum, qui in Corinthiorum cœtus pervaserat, ultius refert illis Eucharistiæ institutionem, ut inde percipiant, qua modestia, cura, attentione, observantia ad Sacrum illud mysterium oporteat accedere [5]: simul etiam efficit, ut intelligant, quantopere a JESU CHRISTI mente abhorreant excludentes a mensa sua pauperes, quoniam Salvator sine ullo discrimine personarum omnibus discipulis sese præbuit in cibum [6]. Dicit autem, *se accepisse a Domino* ea, quæ dicturus est, & quæ alias jam dixit, innuens, se illa ex revelatione didicisse [7]; quemadmodum ad Galat. 1. 11. se Evangelium non humana opera, sed peculiari JESU CHRISTI revelatione accepisse testatur. Putant nonnulli [8] hujusmodi locutiones simpliciter innuere, se ea, quæ dicturus est, audisse, vel ab Anania Damasci, vel ab aliis discipulis: sed verborum circuitus, quo utitur, priori explicationi magis suffragatur. Notandum est, illum isthic iisdem uti verbis, quibus S. Lucas usus est, Sanctæ Eucharistiæ institutionem enarrans. Confer *Luc.* 22. ℣. 17. & seq. Hic Evangelista Evangelium suum scripsit sub idem fere tempus, quo hæc Epistola missa fuit; eoque in opere crediderunt veteres, S. Pauli non exiguam partem [9] fuisse.

℣. 24. HOC EST CORPUS MEUM, QUOD PRO VOBIS TRADETUR.] Græcus typis editus [10]: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur*, quasi innuere vellet: non secus ac panis, quem manibus suis tenebat, & ex quo omnipotenti virtute sua corpus suum efficiebat, confringendus erat atque minutatim cædendus, ut fieret esca spiritualis Apostolorum suorum: ita Corpus suum torquendum esse, laniandum, necandumque in passione sua, quæ imminebat omnino [11].

℣. 25. SIMILITER & CALICEM, POSTQUAM COENAVIT.] Animadvertant, S. Paulum non adnotasse tempus *postquam cœnavit*, nisi ubi de Calice loquutus est, non autem ubi verba fecit de pane, quem JESUS CHRISTUS in Corpus suum consecravit. Notæ melioris Interpretes [12] putant hoc dictum, ut Calix Sanguinis JESU CHRISTI ab alio Calice distinguatur, de quo loquitur S. Lucas 22. ℣. 17. qui Paschalis est Calix, quem Salvator in Cœna discipulis suis propinavit juxta Judæorum ritum, & omnino alius a Calice Sanguinis sui, quem illis tradidit post Cœnam, de quo isthic S. Paulus, & S. Lucas cap. 22. ℣. 20 loquuntur. At certum est, circumstantiam hanc, *post quam Cœnavit*, non minus panis, quam Calicis consecrationem respicere; utrumque enim post Cœnam Dominus consecravit.

HIC CALIX NOVUM TESTAMENTUM EST.] Non secus ac vetus testamentum vitulorum, atque taurorum sanguine confirmatum est [13]; ita novum Salvatoris Sanguine signatum est. Nullum in testamento veteri solemne fœdus sine Sacrificio, & Sanguinis effusione fiebat [14]. Vult JESUS CHRISTUS, ut fœdus, quod cum recenti populo icit, a veteri hac in re minime discrepet, nisi quatenus cruor, quo ad hoc ratum faciendum utitur, est sanguis hominis Dei, fœdus idem ferientis: cui non satis est Sanguinem suum affundere super Corpus, aut vestes eorum, cum quibus paciscitur; sed vult etiam, ut hi comedant Corpus suum, & suum Sanguinem bibant, ut cum illo majorem, atque maxime intimam, quæ fingi unquam possit, unionem obtineant. Non satis est amori illius, si cruentæ victimæ Deo fœderum tuti atque pejerantium vindici offerantur; seipsum offert in Sacrificium Æterno Patri in expiationem peccatorum servorum suorum, quos hoc pacto in filiorum, amicorumque numerum recipit.

Novum denique Testamentum tantum veteri præstat, & circumstantiis, & ritibus, & promissionibus, atque mutuis utriusque partibus officiis; quantum res ipsa figuram, & corpus umbram superat.

HOC FACITE QUOTIESCUMQUE BIBETIS IN MEAM COMMEMORATIONEM.] Fœdus, quod vobiscum ferio, æternum fœdus est, quod toties iterabitis, quoties id, quod modo feci, repetetis. Accipietis panem, & vinum, ex quibus verborum meorum virtute, atque mea potentia efficietis Corpus, & Sanguinem meum, quæ inter vos distribuetis in memoriam mei, & fœderis, quod simul juravimus. Hæc non est simplex præteritæ actionis commemoratio, quæ arbitrariis signis, & de quibus jam convenerit, exhibeatur; neque est nuda atque inutilis repetitio facti prorsus remoti; sed realis actio consecrationis Corporis, Sanguinisque mei, quæ efficaciter, atque realiter instauratur. Hoc ita volui, & præcepi; atque hanc in rem virtutem auctoritatemque meam ad Ministros meos transtuli.

℣. 26. MORTEM DOMINI ANNUNTIABITIS, DONEC VENIAT.] usque in diem novissimi adventus mei, cum apparebo, viventes & mortuos judicaturus [15], hoc mysterium sine intermissione usque ad finem sæculorum in Ecclesia celebrabitur, & illud celebrantes mortis & passionis Dominicæ reminiscemini. Salvatoris Corpus, panis; Sanguis vero, vini speciebus involutus realiter, atque efficaciter nobis JESU CHRISTI mortem repræsentat. Sacramentum Corporis sui fractum, in particulas comminutum, mansum, dentibus attritum, ad vivum exhibet omnes cruciatus, quos Salvator est in sua passione perpessus. Sanguis vero in Calice seorsim a Corpore ipsius positus, jam nobis cruentam, atque violentam illius mortem ob oculos ponit.

℣. 27. QUICUMQUE MANDUCAVERIT . . . . INDIGNE [16] REUS ERIT &c.] Qui ad hoc Sacramentum impure, sine reverentia, sine charitate, sine innocentia accesserit: quicumque ad illud venerit, conscientiam habens sceleribus gravem, atque peccati morta-

1 Est. Grot. Men. 2 Grot. Med. Tir. Feller. 3 Est. Menoc. Tir.
4 Clarom. & S. Germ. Lat. Ambrosiast. Hieronymiast. Boerner. Barb. 1. εκείνω.
5 Estius in hunc loc. 6 Vide Chrysost. hic. Theodoret. Theophyl. alios Græcos.
7 Græci Est. alii. 8 Beza. Grot. Vorst. Sclarer. 9 Vide Præfationem in S. Lucam.
10 Græc. impress. Τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. Alexand. omittit κλώμενον. Clarom. Græc. θρυπτόμενον. Latin. *Quod pro vobis frangitur*. Ita S. Germ. Lat. & alii Grot. Velez. παραδιδόμενον. Ita Copht. Vulg. Hieronymiast. sed Ambrosiast. hic. in antiquis. Codd. & Beda in Luc. 22. & Syr. & Litur. Basil. & alii *Quod pro vobis frangitur*, 11 Vide Cajet. Anselm. seu Herv. & Est. hic. & Cornel. a Lapide.
12 Vide Hieronym. & Grot. in Matth. 26. Bedam & Theophyl. & Cajet. & Brug. in Luc. 22.
13 Exod. 24. 8. *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum*.
14 Hebr. 9. 18. 19. 20. 15 Chrysost. Theodoret. D. Thom. Est. Men. alii.
16 Quidam legunt: Ἀναξίως τοῦ Κυρίου. *Indigne Domini*. Ita Codd. Stephan. 3. Et alii nonnulli. Basil. Oecumen. Ambrosiast. August. aliquoties. Vide Mill.

lis lebe pollutam, se reum statuit mortis dominicæ. Ducimus, scelerum omnium esse cumulum illud Judæorum facinus, qui JESUM CHRISTUM Cruci affixerunt; & sane fatendum est, nihil gravius posse excogitari: sed peccatum eorum, qui vita Sacramentum polluunt, quique ad illud sine religione, sine pietate, sine observantia accedunt, quodam in sensu gravius est. Judæi JESUM CHRISTUM non noverant: hic servi formam induerat; & gloria illius nondum enituerat: sed mali Christiani illum injuria lacessunt, quippe illum agnoscunt, eumque in Cœlis gloriosum esse fatentur [1]. *Proh scelus! Semel Judæi CHRISTO manus intulerunt; isti quotidie Corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ* [2]!

℣. 28. PROBET AUTEM SEIPSUM HOMO,] & scrutetur, utrum dignus sit, qui ad Sacram mensam accedat. Serio utatur adminiculis, quæ Deus illi aperuit, ut innocentiam suam rursus acquirat, & justitiæ Dei sui satisfaciat. Concilium Tridentinum [3] edixit, probationem hanc in eo præcipue consistere, ut ad pœnitentiæ Sacramentum accedamus, & ne quis ad Sacrum Altare alli peccato mortali obnoxius accedere debeat, quin prius sua per sacram exomologesim peccata expieverit, nisi urgente necessitate Confessarii copia omnino defuerit. Vox, quam Apostolus adhibet, proprie significat [4], *approbare cum electione*. Homo igitur seipsum ad examen vocet, atque approbet; vel potius divina approbatione dignum se præbeat; pro viribus adnitatur, ut inveniat gratiam in oculis ejus, atque tunc demum ad sacram mensam accedat. Hic panis est vitæ, & cibus filiorum, & amicorum Dei: nemo igitur in statu mortis, atque Deo suo infensus accedat. Ita accessit Judas, & quin vitam hauriret, mortem nactus est. Eucharistia illi fuit mortale virus, non cibus salutaris.

℣. 29. NON DIJUDICANS [5] CORPUS DOMINI;] hoc a cæteris escis non distinguens; eodem tamquam vulgari pane vescens, quin illum consideret tamquam Corpus JESU CHRISTI, atque realiter in Corporis & Sanguinis Dominici substantiam mutatum. *Panem hunc & vinum minime recipimus*, ait S. Justinus Martyr Apolog 2. *tamquam communem escam: sed non secus ac JESUS CHRISTUS Salvator noster per Verbum Dei in sua incarnatione factus est homo, atque propter amorem nostrum Carnem induit, & Sanguinem: ita scimus hunc cibum, super quo prolatæ fuerunt gratiarum actiones, & quo nostram carnem, nostrumque Sanguinem nutrimus, esse Carnem, esse illius Sanguinem, qui pro nobis incarnatus est*. Per hanc Divini Mysterii communionem, JESU CHRISTI membra, & Corpus efficimur, quemadmodum inquiunt S.S Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, & Leo; *in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transimus*.

℣. 30. IDEO INTER VOS MULTI INFIRMI, & IMBECILLES.] Indignæ communiones vestræ, atque inobservantia illa, qua Sanctam excipitis Eucharistiam, causæ sunt, ut complures in morbos, languores, ipsam denique mortem decidant: præmaturam enim mortem isthic significare vult verbo *dormiendi*; quippe somnus passim in Scriptura [6] pro morte usurpatur. Primis illis Ecclesiæ temporibus Deus aperte, ac palam illos sæpe puniebat, qui indigne ad Sacram mensam accederent. Plura S. Cyprianus Serm. de Lapsis exempla refert suppliciorum exemplarium, quibus indigne communicantes puniti sunt. Quidam cum ad Eucharistiam accessisset, postquam idolothyta gustasset, mutus factus est: alius linguam sibi dentibus dilaniavit; puer, cui oblata fuerat comedenda hæc cœlestia esca, illam summa vi, atque conatu evomuit, & testis est Divus Chrysostomus hom. 5. in 2. ad Timoth. quod Eucharistia indigne accepta plures e Dæmone agitati fuerunt. *Dormiunt multi*. Græcus [7]: *satis magnus numerus dormit*: quod quidam [8] ita intelligunt: satis multi morte plectuntur, ut aliis exemplo sint, atque illis terrorem immittant. Deus illos in hoc Mundo punit, ut illis in altero parcat: eos percutit, ut ubi resipuerint, eorum possit misereri [9]. Vide infra ℣. 32.

℣. 31. QUOD SI NOSMETIPSOS DIJUDICAREMUS.] Si nos, uti oportet, probaremus, atque per pœnitentiam, & charitatem conscientiam nostram expiaremus, in hæc profecto mala minime caderemus. Nisi e Deo judicari vis, teipsum judica, teipsum puni, ac per pœnitentiam ejus judicium præverte.

℣. 32. UT NON CUM HOC MUNDO DAMNEMUR] cum impiis videlicet, quibus mundus scatet, & qui perniciosos illius mores sectantur. Deus in hac vita nos plectit, ut æterna mala effugiamus.

℣. 33. INVICEM EXPECTATE.] Cum simul convenitis ad Sacram mensam manducaturi, & in Ecclesia Charitatis convivia celebraturi, alii alios vicissim præstolamini. Non festinent divites vesci, antequam pauperes pervenient ℣. 21. Vicissim expectate, ut simul charitatis convivia ineatis, atque ut deinde uno & eodem spiritu, atque perfecta charitate ad Corpus, & Sanguinem Salvatoris accedatis.

℣. 34. SI QUIS ESURIT, DOMI MANDUCET;] non veniat in locum cœtus, ut ibi comedat, antequam cæteri adveniant. Non deest hoc in loco ironiæ species [10]: si fames vos urget, ita ut communis cœnæ horam expectare minime possitis, quis prohibet, ne domi vestræ comedatis? saltem fratribus vestris scandalum, atque invidiæ occasionem minime præberetis, neque *in judicium conveniretis*, scilicet ad vestram damnationem, quemadmodum convenitis.

CÆTERA AUTEM, CUM VENERO, DISPONAM.] S. Paulus aliquanto post hanc Epistolam Corinthum etiam adnavigaturus, quo accessit sub finem subsequentis anni 57. JESU CHRISTI. Apostoli Fideles viva voce erudiebant, atque plurima præcipiebant ad certum ordinem, Liturgiæ tempus, & cæremonias, & alia quammulta ad Ecclesiæ rectum ordinem & disciplinam spectantia. Ad hæc referuntur *constitutiones* cunctorum Apostolorum, quæ quidem Apostolorum opus non sunt, sed multa post scriptis mandatæ, sed quæ disciplinam ab Apostolis in Ecclesiis constitutam amplectuntur.

1 Vide Chrysost. homil. 60. ad popul. Antioch. & 83. in Matth. & Theodoret. hic. & Theophyl.
2 Tertull. de Idololatr. cap. 7. 3 Trident. sess. 13. cap. 7. *Ecclesiastica consuetudo declarat eam probationem, necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati; quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod a Christianis omnibus, etiam Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Sacerdotis.* 4 Δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος ἑαυτόν. Vide Rom. 2. 18. 12. 2. 1. Cor. 3. 13. 16. 3. Galat. 6. 4. Ephes. 5. 10. &c. 5 Μὴ διακρίνων. Ambrosiast. non discernens.
6 Matth. 27. 52. Joan. 11. 11. Act. 7. 60. 1. Cor. 7. 39. Act. 13. 36. 1. Cor. 15. 6. 20. 1. Thessal. 4. 13. 14. 15. 2. Petri 3. 4. 7 Κοιμῶνται ἱκανοί. 8 Vide Oecumen. hic, & August. serm. alim 10. de Diversis nunc 148. n. 1. *Dormiunt sufficientes, id est, quantum sufficeret ad disciplinam imponendam.*
9 August. loco citato. Grot. hic. 10 Vide Grot. hic.

CAPUT

CAPUT XII.

Variæ sunt Spiritus Sancti dona, sed idem Spiritus illa, pro ut vult, ad utilitatem Ecclesiæ distribuit. Non secus ac Corpus ex multis artubus coalescit, quorum singuli munera sua habent, ita inter fideles quilibet ad communem utilitatem laborare oportet.

1. DE spiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres. 2 Scitis, quoniam
cum Gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini euntes. 3 Ideo
notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema
Jesu. Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. 4 Divisio-
nes vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; 5 Et divisiones ministrationum
sunt, idem autem Dominus: 6 Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus,
qui operatur omnia in omnibus. 7 Unicuique autem datur manifestatio Spiritus
ad utilitatem. 8 Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem ser-
mo scientiæ secundum eumdem Spiritum: 9 Alteri fides in eodem Spiritu: alii
gratia sanitatum in uno Spiritu: 10 Alii operatio virtutum, alii prophetia, alii
discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. 11 Hæc
autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.
12 Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra
corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus. 13 Etenim
in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gen-
tiles, sive servi, sive liberi: & omnes in uno Spiritu potati sumus. 14 Nam, &
corpus non est unum membrum, sed multa. 15 Si dixerit pes: Quoniam non
sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? 16 Et si dixe-
rit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de
corpore? 17 Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si totum auditus: ubi odo-
ratus? 18 Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore si-
cut voluit. 19 Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? 20 Nunc
autem multa quidem membra, unum autem corpus. 21 Non potest autem oculus
dicere manui: Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus: Non estis mihi
necessarii. 22 Sed multo magis, quæ videntur membra corporis infirmiora esse,
necessariora sunt: 23 Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his ho-
norem abundantiorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem
honestatem habent. 24 Honesta autem nostra nullius egent; sed Deus temperavit
corpus ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, 25 Ut non sit schis-
ma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. 26 Et si quid pa-
titur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum,
congaudent omnia membra. 27 Vos autem estis corpus Christi, & membra de
membro. 28 Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos,
secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum,
opitulationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. 29 Numquid omnes
Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores? 30 Numquid
omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes lin-
guis loquuntur? numquid omnes interpretantur? 31 Æmulamini autem charismata
meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

℣. 1. DE SPIRITUALIBUS AUTEM &c. [1]] Corinthii S. Paulo scripserant, ut ex eo cognoscerent, qui usus, & quod pretium faciendum esset spiritualium donorum, A quæ Spiritus Sanctus tunc in Ecclesiam effundebat. Plurimi quidem egregie illis utebantur ad Gentilium conversionem, atque fidelium ædificationem, & doctrinam: sed alii iisdem abutebantur, ut vanitatem suam fove-

1 Περὶ δὲ τῶν πνευματικῶν. Grotius *De iis, qui Spiritu afflantur, sive impuro, sive sancto.* Sic infra habes nomen masculinum, πνευματικὸς, cap. 14. 37.

fierent, atque in ostentationis suæ argumentum converterent. Qui variis linguis loquebantur, alii aliorum sermonem intercidebant, & nonnumquam tres, vel quatuor simul loquebantur. Aliquando etiam omnes variis loquebantur linguis, quin aliquis interpretaretur, quod illi dicebant in cœtu. Qui vero majora, atque præstantiora dona assequuti fuerant, superbia efferebantur, atque alios contemnebant; & qui e contra minora acceperant, non sine quadam invidia eos ferebant, qui majoribus fuerant donati: ita et quod illis in ædificationem datum fuerat, eisdem cederet in interitum. Præsentem hunc abusum præsenti in capite aggreditur S. Paulus.

℣. 2. SCITIS [1], QUONIAM CUM GENTES ESSETIS.] Nexus hujus versiculi cum superiori & subsequentibus non satis percipitur. Apostolus, ut Corinthi fideles præparet ad illa audienda, quæ de supernaturalibus Spiritus Sancti donis illis dicturus est, eisdem ostendit, hasce gratias, & prærogativas esse JESU CHRISTI Ecclesiæ reservatas, Ethnicis vero atque Judæis prorsus ignotas. Quod ad Ethnicos spectat, vos ipsi testes estis; scitis, vos olim ad idola adduci consuevisse, quemadmodum jumenta ratione carentia, quocumque jubet, aguntur. Quod vero pertinet ad Judæos ℣. 3. scitis, illos dicere anathema JESU CHRISTO. At neque in JESUM CHRISTUM anathema proferre, neque idola venerari potest, qui JESUM CHRISTUM recepit; ergo si alterutrum horum fecistis, vos profecto Spiritus Sancti dona assequuti minime eratis.

℣. 3. NEMO IN SPIRITU DEI LOQUENS DICIT ANATHEMA JESU [2].] Judæi omnes dicebant anathema JESU CHRISTO, & sectatoribus ejus [3]; ergo Spiritu Sancto repleti non erant. Quicumque illos imitatur, nonnisi Spiritu nequam plenus esse potest. Ita omnes Ethnici, magi, arioli, qui futura prædicunt, seu ex syderum aspectu, seu extorum inspectione, aut supernaturali inspiratione, hi profecto Spiritu Sancto afflati non sunt [4]. Hæc generalis est nota, qua Dei Spiritus a Spiritu dæmonis dignoscitur. Sed videtur Apostolus hoc in loco præcipue Judæos petere; quos certum est ab ipso Christianæ religionis exordio, atque deinceps diu maledictis proscindere consuevisse ter in die in Synagogis suis, & JESUM CHRISTUM, & ejus fideles [5]; imo post Domini resurrectionem in universum terrarum orbem misisse homines, qui religioni Christianæ omnem fidem abrogarent; quippe quæ atheismum doceret, omnesque leges everteret [6]. Dicuntur etiam ad hanc quoque diem in Synagogis suis nomine Goim, vel Gentilium, vel Idumæorum Christianos detestari [7].

℣. 4. DIVISIONES VERO GRATIARUM SUNT.] Oportet sane spiritualia hæc dona, tunc satis frequentia fuisse, quandoquidem S. Paulus tenetur fidelibus ea præbere monita, eaque irrogare præcepta, quæ in hoc capite leguntur. S. Justinus Martyr in Dialog. S. Irenæus l. 2. c. 58. Origenes contra Cels. l. 7. hoc ævo suo adhuc consuevisse testantur. Immo post illos etiam ea viguit consuetudo, quemadmodum liquet ex S. Hilario, & Eusebio Cæsariensi, quos in Actis cap. 2. ℣. 4. memoravimus. Apostolus ad inanem eorum jactantiam infringendam, qui gloriabantur ob spiritualia dona, quæ receperant; & ad eos consolandos, qui iisdem donati non fuerant [8], ostendit, eumdem Spiritum Sanctum esse omnium gratiarum auctorem, illas, prout vult, singulis distribuere; omnia officia in Ecclesia honesta esse, & omnia ad communem fidelium utilitatem, & Domini gloriam esse referenda.

℣. 5. DIVISIONES MINISTRATIONUM SUNT.] Ecclesiasticorum munerum, & officiorum in Ecclesia magna est varietas. Alii Episcopi fuere, alii Sacerdotes, alii Diaconi, aliis concredita est pauperum cura, aliis prædicationis munus; quæcumque singulis secundum ingenium & officium cujusque. Qui aliis superior est, ne superbiat; qui inferior, ne doleat. Omnes sunt Domini ejusdem Ministri; omnes ad eumdem Dominum pertinent; omnes eadem in domo famulantur; omnes ad eumdem finem, quisque pro modulo suo, concurrent.

℣. 6. DIVISIONES OPERATIONUM SUNT.] Nostrum singuli virtutem, captum, peculiare talentum, seu naturale, seu supernaturale habent; sed hæc omnia emanant a Deo, qui cum hac admirabili varietate Ecclesiam suam ædificat, & sustinet. Græca vox [illegible] quæ vertitur *operationum*, proprie significat efficaciam, vim, virtutem agendi, quæ singulorum est propria secundum talentum cujusque, atque naturales, vel supernaturales ejusdem dispositiones. Notat Estius *charismata* ℣. 4. Spiritu Sancto attribui; *ministrationes* ℣. 5. Filio tamquam Domino & capiti Ecclesiæ; *operationes* denique ℣. 6. Patri, tamquam primo rerum omnium principio.

℣. 7. UNICUIQUE AUTEM DATUR MANIFESTATIO SPIRITUS AD UTILITATEM [10].] Spiritus Sancti dona, quæ se se extrinsecus produnt, atque sensibilia sunt, singulis conceduntur ad eorum utilitatem, non ad ostentationem, neque ad Ecclesiæ interitum, atque divisionem. Gratiæ, quas in Baptismo recipimus, maxime quidem reales sunt; at sensibiles non sunt [11]; e contra vero illæ, quæ post Baptismum recipiuntur, & quæ sunt ad communem Ecclesiæ, & fidelium utilitatem, sensibiles sunt, atque accommodatæ egestatibus, & dispositionibus, & nonnumquam etiam meritis eorum, a quibus recipiuntur [12].

℣. 8. ALII DATUR SERMO SAPIENTIÆ.] Sapientiæ donum, de quo S. Paulus verba facit, in eo præcipue positum est, ut aliquis diserte, magnifice, ornate, atque cum gravibus sententiis de rebus ad religionem spectantibus loquatur, cum dignitate, & gravitate sensus suos promat; illos perspicue, prudenter, & juxta captum auditorum suorum explicet; hoc vere per virtutem Spiritus Sancti, & per infusam, atque supernaturalem sapientiam.

SERMO SCIENTIÆ.] Hoc in loco neque naturalis qualitas est, neque acquisita; sed gratia supernaturalis, donum Spiritus Sancti, efficiens, ut perspicue, atque ad persuadendum apposite rationis, atque humanarum scientiarum adminiculo, Religionis veritates explicentur; quemadmodum accidit in Theologorum schola, ubi de fide disseritur, & ubi acutissimæ illationes, atque scita Theologica deducuntur. Acceperant Apostoli a Spiritu Sancto supremo in gradu sapientiæ, & scientiæ dona [13]; quoniam repente se scire intellexerunt eas res, quibus numquam studuerant, & quæ a sua vitæ ratione longissime abhorrebant.

℣. 9. FIDES HÆC.] Non est fides justificans, & quæ nos Christianos efficit, per quam id credimus, quod nobis Deus in Ecclesia sua revelavit; sed confidentia est in Deo, & virtus miraculorum, propter quam in nomine Dei haud hæsitantes supernaturales & miraculosæ operationes suscipiuntur [14].

Gra-

1 Græc. impress. Οἴδατε ὅτι ἔθνη ἦτε, *Nostis, quia gentes fuistis*. Alii: Οἴδατε ὅτι ὅτε ἔθνη ἦτε, *Scitis quoniam cum gentes essetis*. Alii: Οἴδατε ὅτι ὅτε ἔθνη ἦτε, *Scitis quoniam cum gentes essetis*, ut Vulg. Ita Steph. e. 3. c. Alex. Clarom. Græc. Alii plures. Adi Mill. qui primam lectionem præfert.

2 Cyrill. Alexand. plurib. locis. 3 Act. 19. 9. *Cum quidam (Judæi) indurarentur maledicentes viam Domini coram multitudine*, &c. Et Joan. 9. 22. *Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret*. 4 Grot. Titin.

5 Vide Justin. Dialog. cum Tryphon. pag. 234. & 235. Origen. Græc. in Jerem. homil. 18. Hier. in Isai.

6 Euseb. in Isai. 18. Hieronym. ibidem. 7 Vide Buxtorf. Synag. Jud. c. 5. pag. 160. 164. 165. & 23. p. 114. &c. 8 Vide Theodoret. Grot. &c. 9 *Διαιρέσεις ἐνεργημάτων εἰσί*.

10 Πρὸς τὸ συμφέρον. *Ad id quod confert, quod expedit, quod utile est*.

11 Vide Theodoret. hic. 12 Justin. Dialog. cum Tryphon.

13 Vide Theodoret. hic. 14 Chrysost. Theodoret. Vatab. Est. Titin. Grot. alii.

GRATIA SANITATUM [1].] Hæc effectus est doni fidei, & miraculorum, de quo nuperrime sermo fuit. Donum hoc primis Ecclesiæ temporibus satis erat commune.

℣. 10. OPERATIO VIRTUTUM [2].] Ad superiorum distinctionem hoc intelligitur de maximis, atque præstantissimis miraculis [3]; vel donum impios puniendi insignibus prodigiis, quemadmodum olim S. Paulus Elymam excæcavit [4], vel S. Petrus Ananiam, & Saphiram morte percussit, Act. 5. 5.

PROPHETIÆ.] Hoc bonum satis intelligitur; continet autem dona cognoscendi, atque prædicendi futura, Scripturas interpretandi, verbum Dei prædicandi, solemniter illud in Ecclesia laudandi, & ibi ex Divini Spiritus afflatu loquendi.

B DISCRETIO SPIRITUUM [5].] In eo consistit, ut dignoscantur ii, qui vere Divino Spiritu afflati sunt, ab iis, qui non item [6], ut bonum a malo spiritu, angelus lucis ab angelo tenebrarum, verus Apostolus a falso, justus ab hypocrita, lupus ovina pelle contectus, ab eo, qui vere Agnus est, distinguatur, & inspirationes, quæ a Spiritu Sancto emanant, ab illis, qui ex phileucie, vel spiritu nequam proficiscuntur; qui vere vocati sunt, ab illis, qui fallere quærunt. Hoc donum in paucis necessarium est illis, quibus Deus Ecclesiam suam, atque regimen animarum commisit. Vide 1. Joann. 4. 1. *Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.*

GENERA LINGUARUM, ET INTERPRETATIO SERMONUM.] In hoc differunt, quod per primum donum unam, vel plures alienas linguas loquebantur, & C nonnumquam minime loquebantur ejus populi linguam, ad quem erat prædicandum. Ita aliquis, e. g. donum receperat, ut Syriace, vel Hebraice, vel Scytharum linguam loqueretur: cum interim Græce ignoraret, ita ut illi ad Græcos loquenti opus esset, ut alius, qui interpretandi donum obtinueret, in cœtu adesset, Interpretis loco [7]. Vide infra cap. 14. ℣. 13. *& ideo qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur.*

℣. 11. DIVIDENS SINGULIS [8], PROUT VULT.] Spiritus Sanctus donorum suorum est Dominus, eaque, & quibus vult, & quomodo vult, impertitur. Qui illa recepit, ne intumescat: nihil habet, quod Dominicæ largitati non debeat; qui vero ea non recepit, ne queratur; hæc enim dona illi nequaquam debentur.

℣. 12. SICUT CORPUS UNUM EST . . . . ITA ET CHRISTUS.] Ut omnia corporis nostri membra singula usibus suis singillatim destinata, unum dumtaxat corpus efficiunt; ita in mystico JESU CHRISTI Corpore fideles, qui varia sunt membra, quælibet peculiare suum munus, officium, donum habentia, simul omnes unum tantummodo corpus, unum regnum, cœtum unum constituunt. JESUS CHRISTUS hoc in loco [9] non secus ac in epistolæ ad Romanos 9. 3. *optabam ipse anathema esse a Christo*, ponitur pro Ecclesia CHRISTI; optabam anathema esse ab Ecclesia. Vide infra ℣. 27. & 28.

℣. 13. IN UNO SPIRITU OMNES NOS &c.] Declaravit in Evangelio S. Johannes [10], hoc inter suum, & JESU CHRISTI Baptismum interesse discrimen, quod Salvator baptizabat per Spiritum Sanctum, cum ipse E baptismum in aqua solum conferret. Et JESUS CHRI-

A STUS, antequam ad Cœlos ascenderet, Apostolis suis pollicitus est, se illis Spiritus Sancti Baptismum traditurum [11], quod Pentecostes die adimpletum est. S. Paulus hic ait, Christianos omnes, cujuscumque nationis, vel conditionis sint, in eodem Spiritu fuisse baptizatos, omnes ejusdem gratiæ justificantis fuisse participes, & singulos recepisse mensuram supernaturalium donorum suorum, ut unum cum JESU CHRISTO Corpus efficerent, & unam, eamdemque Ecclesiam fidei, atque charitatis vinculis conjunctam componerent.

IN UNO SPIRITU POTATI SUMUS [12].] *Unum potum potavimus*. JESUS CHRISTUS Joann. 7. 37. divinam suam doctrinam describit, illam exhibens, tamquam potum aliquem, aut aquam, qua Discipulos suos inebriat: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*; & Joann. 4. 10. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Omnes igitur CHRISTI fideles spiritualem hunc potum gustarunt, & quodam in sensu facti sunt unum corpus, tamquam eodem succo nutriti, atque eodem Spiritu animati. Alii [13] spiritualem hunc potum explicant de eo, quem in Sacra mensa recipimus, & de Corporis, Sanguinisque JESU CHRISTI communione: qui profecto sensus priori minime decedit.

℣. 15. SI DIXERIT PES: QUONIAM NON SUM MANUS.] Omnia corporis membra invicem alieno indigent auxilio; mutuo se amore prosequi, atque alternis firmari debent auxiliis. Non omnia idem munus habere possunt: ea, quæ infirmiora sunt, ac minus honesta, hæc diligentius cooperimus. Ita o Corinthii mutuam vicissim inter vos charitatem foveatis, oportet: nemo gratiis fratris sui debet invidere, neque dolere, si minoribus ipse fuerit cumulatus. Per charitatem, fidem, unionem, quæ est inter vos, omnia hæc dona, vobis communia efficitis. Unum dumtaxat corpus componitis, cujus mysticum caput est JESUS CHRISTUS. Hic sensus est totius argumentationis S. Pauli in ℣. ℣. 15. 16. 17. & in sequentibus usque ad capitis finem.

℣. 21. NON POTEST OCULUS DICERE MANUI.] Cum plebs Romana a Senatu secessisset [14], propterea quod Urbis principes omnibus honoribus decorarentur, D omnesque illis cederent utilitates, cum interim populus omnia ferret onera, ad illam accessit Menenius Agrippa, eique dixit: corporis membra olim contra ventrem conjurasse, quod ille unus iners, & otiosus esset, ac quæcumque ab aliis membris tot laboribus quærebantur, absumeret. Sed cum non multo post venter munere suo non perfungeretur, quod esca illi minime suppeditabatur, corpus universum repente elanguit, non sine mortis periculo: atque tunc tandem errorem suum cætera intellexere membra: sine ventre videlicet se neque laborare posse, neque vigere. S. Paulus hoc in loco eadem ferme utitur similitudine, ut fidelibus Corinthiis ostendat eam unionem, & charitatem, quæ inter illos regnare debent.

℣. 22. QUÆ VIDENTUR MEMBRA INFIRMIORA ESSE.] E Quæ videntur minus labori apta, puta, venter, cor, viscera, exta; quæ magis tenuia sunt, atque fragilia,

1 Græc. impress. *Χαρίσματα ἰαμάτων*, Vulg. *Gratia curationum*. Ita Clarom. & Sanct. Germ. Lat. Ambrosiaster. Hieronymiast. Tertull. *Donum curationum* lib. 5. contra Marcion. cap. 8.

2 Græc. impress. *Ἐνεργήματα δυνάμεων*. Alii; *Ἐνέργημα δυνάμεων*. Ita Clarom. & Sanct. Germ. G. L. Börner. G. L. Ambros. Hieronym. Hilar. *operatio*, seu *efficientia*.
3 Est. Tir. Sclater.

4 Act. 13. 11.
5 *Διακρίσεις πνευμάτων*. Alii; *διακρίσεις*. Ita Tertull. Ambros. Hilar. Clem. Alex. Clarom. S. Germ. Borner. alii.
6 Scol. Manus. ex Bibliot. Medic. apud Price. *Δοκιμάσαι τοὺς ἀληθῶς*, & *ψευδῶς προφητεύοντας*. Vide & Chrys. hic, & infra c. 14. 29. & Theodoret. ibidem.

7 Theodoret. hic, Est. Grot. Chrysostom. hic.

8 *Διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται*. *Dividens privatim unicuique prout vult*, August. lib. de Trinit. & unit. Dei, cap. 8. Hieronym. Dialog. 1. contra Pelag. cap. 6. *Propria unicuique*. Alii omittunt, *ἰδίᾳ*, seu *propria*. Vide Mill.
9 August. ex Tichonio lib. 3. de Doctrin. Christ. cap. 30. 31. Gloss. ord. Est. Grot. alii. Theodoret. hic.
10 Matth. 3. 11. Marc. 1. 8. Luc. 3. 16. Joann. 1. 33.

11 Act. 1. 5.
12 *Εἰς ἓν πόμα ἐποτίσθημεν*. Alii: *Ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν*. Alii: *Ἓν σῶμα ἐποτίσθημεν*, vel *εἰς ἓν σῶμα*. *Unum potum potavimus*. Vide Mill. & Est.
13 Chrysostom. Cajet. Est. Tirin. Grot. &c.
14 Livius l. 2.

gilia, velut oculos; hæc vitæ, aliisque membris servandis maxime sunt necessaria.

℣. 23. QUÆ PUTAMUS IGNOBILIORA.] Veluti pedes, & manus, hæc majoribus ornamentis teguntur; pedes quidem sandaliis, & soleis, iisque sæpe pretiosis; manus vero annulis summi pretii exornantur [1]: *& quæ inhonesta sunt nostra* [2] *abundantiorem honestatem habent*. Partes, quas pudor celari jubet, *minus honestæ* dicuntur propter concupiscentiæ legem, quæ ibi præsertim regnat [3], & quæ rationis, & justitiæ legi adversatur. Adam, & Eva post patratum facinus ex arborum foliis fecerunt sibi perizomata, quibus verenda contegerent [4].

℣. 24. DEUS TEMPERAVIT CORPUS.] Ante peccatum, & antequam caro contra Spiritum deficeret, in corpore nullæ partes erant, quæ indecoræ haberentur; omnia honesta habebantur, & nihil erat celandum: sed post primi hominis lapsum, ratio, & urbanitas exigunt, ut accuratius partes quædam obtegantur, ubi concupiscentia magis se se prodit; & aliæ, quæ magis displicent, & in quibus præcipue videntur hominis corruptio, & mortalitas, per secretionem partium cibi inutilium, quibus se se exonerat alvus. Apostolus hoc in loco ait, Deum has partes ita temperasse, ut præ cæteris magis in honore haberentur; quippe Deus auctor est rationis, & studii, quo impellimur, ut easdem celemus. Verum etiam est ad litteræ apicem, quemadmodum Philosophi ipsi animadverterunt [5], quod *natura, quæ formam nostram, atque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu; quæ partes autem corporis ad naturæ necessitatem data, aspectum essent deformem habituræ, atque turpem, eas contexit, atque abdidit*.

℣. 26. SI QUID PATITUR UNUM MEMBRUM &c.] Hoc in natura semper verum est; in morali vero non item. Frequentissime accidit, ut in eadem societate, familia, Ecclesia, membra minime patiantur, & aliorum vicem doleant: attamen [6] *nescio, quomodo minus est, quod patitur unum membrum, si compatiantur alia membra*.

℣. 27. VOS ESTIS CORPUS CHRISTI, ET MEMBRA DE MEMBRO.] JESUS CHRISTUS vestrum Caput est, & vos simul omnes ejus Ecclesiam componitis, quæ mysticum Corpus ejus est. Quævis peculiaris Ecclesia membrum est Ecclesiæ universalis; & vestrum singuli membrum Ecclesiæ vestræ: ita estis *membra de membro* [7]: vel; *membra partis*, vos invicem estis alter alterius ratione, tamquam corporis ejusdem membra. Græcos [8]; *estis Corpus Jesu Christi, & membra ejus in parte*, quilibet vestrum mystici hujus corporis membrum est: quilibet officium suum, atque peculiare munus habet: sed veteres Manuscripti Græci [9], S. Epiphanius [10], aliique Græci nonnulli, S. Augustinus, Ambrosiaster, & Scholiastes, qui S. Hieronymi nomine circumfertur, cum Vulgata legunt: *membra de membro*.

℣. 28. PRIMUM APOSTOLOS.] Apostoli quidem jure primum obtinent locum inter Ecclesiæ membra; illius capita sunt sub JESU CHRISTO; hi eam plantarunt & irrigarunt; JESUS CHRISTUS vero illi dedit incrementum. Hi sunt Principes, & columnæ, institutores, & Patres sub jussu, & imperio Salvatoris, a quo missi fuerunt. Apostolorum nomine non duodecim solum a JESU CHRISTO electi intelliguntur, verum etiam ii omnes, qui & ipsi in Ecclesiarum institutione adlaborarunt, quemadmodum duo & septuaginta discipuli, utque tot alii, qui post primorum Apostolorum mortem Evangelium gentibus prædicarunt.

Post Apostolos locum obtinent novi Testamenti *Prophetæ* [11]; de antiquis enim isthic sermo non est; horum præcipue donum erat futura portendendi, atque inter illos fuit Agabus, aliique plures in ipsis Ecclesiæ primordiis. Hoc nomine intelligi etiam ii possunt, qui donum obtinuerant ex peculiari Spiritus Sancti revelatione, Sacra Biblia publice interpretandi. Hi autem haberi possunt tamquam oculi in corpore Ecclesiæ.

DOCTORES] illi sunt, qui a Deo receperunt donum populos erudiendi, & religionis mysteria explicandi. Isti in Ecclesia linguæ locum obtinebant. Hoc vero supernaturale donum nequaquam excludebat studium, & lectionem; quemadmodum liquet ex S. Pauli 1. ad Timotheum 4. 13. *dum venio attende lectioni, exhortationi, doctrinæ: noli negligere gratiam, quæ in te est*.

VIRTUTES.] Qui miracula operantur. Hoc donum erat Christianæ Religionis initio necessarium ad Gentiles, Judæosque incredulos evincendos. Intelligi etiam potest de illis, qui suam potestatem exercent ad impios puniendos, non secus ac ℣. 10. quoniam differunt ab illis, qui *gratias curationum* obtinuerunt, de quibus infra statim est sermo.

OPITULATIONES, GUBERNATIONES,] qui scilicet donum habent fratribus suis opitulandi, eosque regendi. Hi illis spiritualem, vel temporalem opem deferunt, eorum consulunt necessitati iis eleemosynis, quas vel colligunt, vel illis procurant; ægros invisunt, & afflictos consolantur. Hoc olim erat peculiare Diaconorum, aliorumque Ecclesiæ Ministrorum munus; quamquam Apostoli ipsi, & Episcopi hoc se officio nequaquam immunes censerent, quemadmodum in S. Paulo deprehenditur. Donum *gubernationis*, animarumque regendarum, non ita facile est, neque ab humana pendet prudentia: quin immo donum est Spiritus Sancti, ars artium, & scientia scientiarum.

INTERPRETATIONES SERMONUM.] Donum videlicet cognita linguæ explicandi quod ignota Prophetæ loquuntur. Verba hæc in Græco communi non adsunt, sed leguntur in editione Vechelli [12], in S. S. Augustino, Ambrosio, & Gregorio Nazianzeno.

℣. 31. ÆMULAMINI CHARISMATA MELIORA.] Quidam [13] cum interrogatione legunt: numquid perfectiora dona perquiritis? sublimiorem viam vobis ostendam. Sed Vulgatæ lectio melior est, atque probatior. Apostolus Corinthios hortatur, ut a Deo exoptent dona, non ea, quæ præstantiora sunt, & ampliora [14], sed quæ ad Ecclesiæ ædificationem, atque proprium sanctificationem utiliora. Capitis duodecimi initio illos hortatur, ut præsertim Prophetiæ donum requirant. *Æmulamini spiritualia: magis autem ut prophetetis*. 1. Cor. 14. 1.

ADHUC EXCELLENTIOREM VIAM VOBIS DEMONSTRO.] Magno in pretio supernaturalia dona habetis, & jure; pleraque enim maximi æstimanda sunt in seipsis, & propter Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem, & vestram perfectionem; sed excellentiorem viam, donum perfectius, iter ad salutem expeditius vobis ostendam [15]; amorem videlicet Dei, & proximi, de quo sequenti capite locuturus est.

---

1 Vide Chrys. Est. Men. Grot. 2 Τὰ ἀσχήμονα, indecora, immodesta, verenda, inhonesta.
3 August. lib. 2. Retract. cap. 7. & lib. 4. contra Julianum Pelagian.
4 Gen. 3. 7. 5 Cicero l. 1. de Officiis. 6 Aug. ep. 99. nov. edit. olim 121.
7 Ὑμεῖς ἐστὲ σῶμα Χριστοῦ, καὶ μέλη ἐκ μέρους. 8 Vide Chrys. Theophyl. Oecumen. alii.
9 Codd. Sanct. German. & Claram. & alius apud Curcel. & Velez.
10 Epiphan. hæres. Manichæ. & Proclus tom. 4. Concil. pag. 725. Cyrill. Alexand.
11 Ephes. 3. 5. 4. 11. 12 Ἑρμηνείαν γλωσσῶν. 13 Quid. apud Theodoret. Photius apud Oecumen. 14 Quædam exemplaria legunt: Χαρίσματα μείζονα. Ita Steph. 3. 2. 10. Alex. Barber. alii quidam. At meliora legunt: Χαρίσματα κρείττονα, uti Vulgata. Vide Chrys.
15 Chrys. Theoph. alii passim.

CAPUT XIII.

Charitatis necessitas, effectus, perpetuitas, prærogativa.

1. SI linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam,
factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. 2 Et si habuero
prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si ha-
buero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero,
nihil sum. 3 Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si
tradidero corpus meum, ita ut ardeam: charitatem autem non habuero, nihil
mihi prodest. 4 Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur,
non agit perperam, non inflatur, 5 Non est ambitiosa, non quærit quæ sua
sunt, non irritatur, non cogitat malum, 6 Non gaudet super iniquitate: con-
gaudet autem veritati: 7 Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia
sustinet. 8 Charitas numquam excidit: sive prophetiæ evacuabuntur, sive lin-
guæ cessabunt, sive scientia destruetur: 9 Ex parte enim cognoscimus, & ex
parte prophetamus. 10 Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur,
quod ex parte est. 11 Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam
ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi
quæ erant parvuli. 12 Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem
facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cogni-
tus sum. 13 Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc: major
autem horum est charitas.

℣. 1. SI LINGUIS HOMINUM LOQUAR.] Donum A linguarum a vobis præ cæteris majori habetur in pretio; illud tamen sine charitate nihil prodest. Hinc judicare, quantopere excellat charitas, & superet cætera dona, quæ adeo æstimatis, & quæ tanta sollicitudine quæritis. *Lingua Angelorum* minime sensibilis est, neque sensus per verba articulata profert, uti nos. Quemadmodum beati hi Spiritus, neque os habeant, nec linguam; corporeis auribus & sensibili ratione audiri minime possunt. Attamen cum in Scripturis exhibeantur tamquam laudantes Deum [1], inter se colloquentes [2], Domini jussa facientes, eique respondentes; potuit jure suo linguam illis tribuere Apostolus; sed linguam penitus intellectualem [3], qua Deo, hominibus, atque sibimetipsis invicem quid cogitent, quidve desiderent, exprimant. Vel, hæc est hyperbole illi simillima, qua frequens utimur, cum ex. gr. ad præstantissimam pulchritudinem innuendam, eam Angelicam dicimus; ita etiam ad linguam omnium, quas noverimus disertissimam, & perfectissimam indigitandam, linguam Angelicam vocamus [4]. Si Angeli loqui possent, melius non loquerentur. B

Origenes hom. 11. in Num. & Rabbini [5] Angelis tribuunt inventionem linguarum, quæ post Babylonicam confusionem usum in terris obtinuerunt. Vide *Genes.* 11. ℣. 7. 9. Illi Angelis etiam cum antiquorum plerisque corpora tribuunt: juxta quam hypothesim absurdum non est, asserere, illos inter se quamdam linguæ speciem habere, quemadmodum in Cœlo post resurrectionem Beatorum corpora animabus suis reddita communem inter se linguam habebunt ab omnibus cognitam, qua voce uniformi Deum celebrabunt. De hac fortasse lingua istbic loquitur S. Paulus [6]. C

Psellus [7] ait: cum singulis Provinciis constitutus sit Angelus, qui easdem regat, & protegat, singulis Angelis discendam esse nationis sibi concreditæ linguam; quo factum fuit, inquit ille, ut in Græcia Græce, in Chaldæa Chaldaice, oracula proferrent. Hæ rationes aliquod pondus habere possent, si commercium inter Angelos, atque homines per verba fieret: sed quemadmodum omnino spirituale est, non conceditur necessarium esse, ut Angeli noverint eorum populorum, quos regunt, linguam. Et quamvis in apparitionibus eorum lingua loquantur, quibus apparent, nequaquam credendum est, illos, uti nos, laborem impendere ad linguam, quæ nobis ignota est, perdiscendam. Eorum quippe ingenii vis, & acumen summa cum facilitate iis supplet, quæ nos jugi studio consequimur. At hoc in loco agitur solum de lingua, qua inter se Angeli utuntur; quos certissime constat, neque prolatis sermonibus, neque sensibilibus signis indigere, ut ab aliis audiantur.

FACTUS SUM VELUT ÆS SONANS, AUT CYMBALUM TINNIENS.] Coram Deo nullum majus meritum jactare possum, quam æneum instrumentum sonum emittens, aut cymbalum tinniens; verbo, hæc omnia nihilum prosunt. Cymbalum instrumentum est veteris musicæ in æneı rotundi pilei formam elaboratum; horum singula in singulas manus inserebantur, atque vicissim inter se ea ex parte, qua cava est, collidebantur. Videri potest Dissertatio nostra de Musicis Hebræorum instrumentis, Psalmorum libro præposita, & Clericos in Hammondium hoc in loco.

℣. 2. SI HABUERO PROPHETIAM.] Apostolus omnia supernaturalia dona percurrit, Prophetiam, sapientiam, vel mysteriorum cognitionem, sublimiorem scientiam, fidem firmiorem, donum miraculo-
tum

a Isai. 6. 3. 2 Dan. 4. 11. 8. 16. Apoc. 14. 18. & passim.
5 Theodoret. hic, & Chrysost. Oecumen. 4 Estr. Tir. Men. Pisc. Sclater. alii.
5 Targum Jerosol. & Rabb. passim. 6 Bochart. Phaleg. lib. 1. c. 15. pag. 52.
7 Psell. de Operationib. Dæmonum.

rum ; hæc omnia sine Dei, & proximi charitate mihi nihil prosunt. Indirecte oppugnat invidiam, dissensionem, discordiam, quæ inter illos passim grassabantur, & quæ exterminabant, vel saltem non modice lædebant charitatem, cum eam, quæ efficit, ut Deum diligamus, ejusque gloriam quæramus, tum eam, quæ in proximorum utilitate versatur.

OMNEM FIDEM [1], ITA UT MONTES TRANSFERAM.] Alludit ad ea JESU CHRISTI verba in Evangelio Matt. 17. 19. *Si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit ; & nihil impossibile erit vobis*. Videtur autem hoc adagii loco fuisse, atque ad rem, quæ naturaliter fieri minime potest, innuendam, dici consuevisse, *montes transferre* [2]. Hoc innuebat maxima quæque prodigia, & mirabiles fidei effectus. Rarum est, ut tanta fides sine charitate inveniatur ; sed tandem hoc minime impossibile est ; & si accideret, certum est, illum, qui sine charitate montes transferret, Deo jucundum minime, neque salutis suæ certum [3] futurum.

℣. 3. SI TRADIDERO CORPUS MEUM, ITA UT ARDEAM [4].] Martyrium ipsum sine Dei, & proximi charitate perlatum nihil prodest ad æternitatem. Nihil prodest eam extra Ecclesiam, in hæresi, in schismate, odio proximi sui, amore peccati, sine contritione, sine dolore aliquis illud subit, neque salutem procurare potest subeunti [5]. Denique martyrium solum prodest, quatenus est effectus amoris Dei, & proximi ; justitiæ, ac veritatis. Non sufficit pati, & pati pro bona causa ; sed patiendum est, uti oportet, propter eum finem, & ea mente, quam exigit Deus. Nonne Philosophi, milites, imo & Latrones ipsi nonnumquam pericula, atque mortem ipsam subiere, & sævissimos quoslibet cruciatus perpessi sunt ob meram jactantiam, ut nominis sui famam acquirerent, vel ut ignominiæ notam effugerent?

S. Hieronymus in Isai. 57. in quibusdam exemplaribus legebat : *Si tradidero Corpus meum, ut glorier* : quæ lectio in Græco manuscripto Alexandrino [6] in Vechelli editione, in Cophto invenitur ; quæ licet a S. Hieronymo probetur, ab aliis tamen omnibus Interpretibus deseritur ; & Græcis, Latinisque testibus exemplarium S. Pauli, cæterorumque Patrum lectioni adversatur.

℣. 4. CHARITAS PATIENS EST :] Injurias perfert, quin irritetur ; mala patitur, quin conqueratur, animoque despondeat. *Benigna est*, & benefica ; id unum quærit, ut de proximo suo bene mereatur, nique gratificetur [7] : longe diversa ab illa philautia, quæ apud vos dominatur, & propter quam tanto studio, quod vobis utile est, quæritis, & sententiam vestram mordicus retinetis. *Non æmulatur* alienæ felicitati, nec bono, quo proximum suum cumulari intuetur.

NON AGIT PERPERAM [8].] Alii vertunt [9] : illa, quæ ad se spectant, non immiscetur. S. Chrysostomus hic, Theophylactus, & plerique hoc intelligunt de temeritate, atque præcipiti consilio, quod gravitati, prudentiæ, constantiæ oppositum est. Impurus amor mobilis est, levis, præceps ; charitas vero penitus alia. Vox illa *perperam* apud Latinos auctores passim occurrit ; sed Græca *perpereuomai* apud veteres Græcos non invenitur, quod conjecturam adstruit, illam ex Latino sermone esse profectam. Apud Latinos vero, *agere perperam* significat, temere, inconsulto, sine ratione operari ; sed Græca vox latiorem obtinet significationem, atque innuit gloriari, superbia efferri, inanem eloquentiæ, & scientiæ ostentationem præseferre [10] : atque hic verus est hujus loci sensus. Charitas famam non aucupatur, nec, si quid boni operatur, ostentat.

℣. 5. NON EST AMBITIOSA.] Hæc lectio invenitur in S. Ambrosio, in S. Augustino, in veteribus Latinis manuscriptis S. Germani, & Claromontii [11] : sed Græcus, cum in editis, tum in manuscriptis legit [12] : *Non dedignatur* ; nihil infra se positum ducit, libenter se contemni patitur, & humillima quæque munera amplectitur [13]. Aliter [14], nihil indignum, turpe, assentatorium facit. Alii [15], nihil aggreditur, *quod dedecorat*, quod inhonestum sit ; Cynicorum impudentiam non imitatur, modesta est, cauta, pudibunda : quod opponitur eorum ambitioni, qui superbia intumescunt, in cœtibus dominari volunt, ibique turbas gignunt. Vide cap. 14. ℣. 40.

NON QUÆRIT QUÆ SUA SUNT.] Non quærit utilitatem suam cum fratrum detrimento. Gloriam Dei, & proximi utilitatem respicit. Mavult bonum suum, pacem, utilitatem amittere, quam cum aliena jactura servare.

NON IRRITATUR [16].] Ita se corripi non ita facile sinit ; affectus suos coercet, eorumdem impetum frænat, non diu iram fovet, & nunquam pravam ejus libidinem explet.

NON COGITAT MALUM [17].] Nihil perperam suspicatur, vel simpliciter nefarias cogitationes non alit, prava consilia non fovet. Omnia in bonum interpretatur ; & malum quod in aliis videt, pro viribus accusat [18]. Nullam simultatem, nullum odium nutrit in fratres suos [19].

℣. 6. NON GAUDET SUPER INIQUITATE.] Ægre, & graviter fert injustitiam fratri suo illatam ; ac dulce pauperem opprimi videns. Illius condolet malis, vel tandem mœrore conficitur, ubi illum in scelus ruere cognoscit [20]. *Congaudet veritati*, summa cum lætitia spiritualem aliorum considerat progressum in justitia, veritate, charitate [21], & summo perfunditur gaudio, ubi rectum ordinem, veritatem, æquitatem regnare intuetur. Hæc profecto maxima est justorum in hoc Mundo [22], & Angelorum in Cœlo [23] lætitiæ causa.

℣. 7. OMNIA SUFFERT.] Vel potius in Græco textu [24], dissimulat, excusat [25]. Omnia æqui, bonique facit ; & aliorum errata, ubi excusare, & dissimulare nequit, non damnat.

OMNIA CREDIT.] Perfectio non est, omnia citra examen ac temere credere, ac jam perfectio est, si rectus sis, sincerus, & simplex, non suspiciosus, neque diffidens, velut ii, qui nihil umquam credunt, & qui fucum sibi semper fieri velle arbitrantur [26]. Viri boni facile credunt, præsertim vero, ubi aliorum laudes audiunt. Cum nequeant ipsi mentiri, & fallere, cæteros sibi similes esse arbitrantur.

OMNIA

1 *Omnis fides*, id est, *perfecta fides*. Vide 2. Cor. 1. 3. Ephes. 2. 3. 8. Coloss. 1. 9. 1. Timot. 1. 15. &c.
2 Grot. Glass. Ligf. 3 Vide Est. in hunc locum, & PP. ab eo citatos & Theodoret. ad vers. 3.
4 Plerique Veterum legunt : *Si tradidero corpus meum ut ardeam*, omittendo ita. Græc. Ἐὰν παραδῶ τὸ σῶμά μου ἵνα καυθήσωμαι. 5 Vide August. serm. olim. 50. de Verbis Domini, nunc 138. cap. 2. Hieron. Comment. ad Gal. 5. 6 Ἵνα καυχήσωμαι, pro, ἵνα καυθήσωμαι.
7 Χρηστεύεται. Theophyl. 8 Ἡ ἀγάπη οὐ περπερεύεται. Theophyl. 9 Theodoret.
10 Vide Hammond. Le Clerc, Casaubon, Vatab. Lud. de Dieu. Hesych. Περπερεύεται, κατεπαίρεται. Basil. in definition. Tull. lib. 1. Ep. 13. ad Attic. *Ego autem ipse, Dii boni! quomodo ἐνεπερπερευσάμην, novo auditori Pompejo!* Tertull. *Non proterviam sapit*. 11 Οὐ ἀσχημονεῖ. August. *Non dehonestatur*. Tertull. *Non protervit*. 12 Chrysost. 13 Vat. Erasm. Zeger. Sclater. Theodoret.
14 Ambrosiast. Men. 15 August. Hammond. Grot. Est.
16 Οὐ παροξύνεται. Tertull. *Non incitatur*. Alii : *Non exacerbatur*. 17 Οὐ λογίζεται τὸ κακόν.
18 Theodoret. hic. 19 Est. Men. &c. 20 Est. Men. Tirin. Gont.
21 Est. Men. Grot. Ham. alii. 22 2. Joan. vers. 4. 23 Luc. 15. 10.
24 Πάντα στέγει. Cyprian. ad Quir. lib. 3. cap. 3. & de Unit. Eccl. §. 3. *Omnia diligit*, ex corrupto Græco, πάντα στέργει. 25 Est. Menoch. Tir. Grot. Hammond.
26 Ita Græci & Latini plerique.

OMNIA SPERAT.] De conversione, & salute proximi non desperat, & quemadmodum eos omnes, qui a Dei charitate longissime absunt, ad illum sperat reversurus, ita non secundum id, quod sunt, sed quod aliquando futuri sunt, amat. *Omnia sustinet*; mala, quæ sibi fiunt, injurias [1]; calumnias; prava suorum fratrum ingenia. Sed neque scelera, neque blasphemias in Deum patitur; illas per ignavam indulgentiam nequaquam dissimulat, sed quantum in ipsa est, corripit, atque castigat. Quidam [1] referunt ad Deum tres postremos articulos, quos modo explicuimus. Charitas *credit omnia*, quæ sibi a Deo revelantur; *sperat omnia*, quæ sibi ab eodem promittuntur: *omnia sustinet*, vel patitur *expectat omnia* ab illius largitate, neque defatigatur umquam ea, quæ sibi promissa fuerunt, præstolando. Sed prior explicatio Apostoli argumento magis conformis videtur.

℣. 8. CHARITAS NUMQUAM EXCIDIT [2].] Supernaturalia, de quibus sermo fuit, dona nequaquam certam habent diuturnitatem; ut summum, ad extremum usque hujus vitæ spatium extenduntur. In Cœlo nulla amplius est Prophetia, nullum scientiæ, miraculorum, linguarum donum; sed charitas ibi æternum viget, ibique tunc perfectionem suam assequetur. In Cœlo præsertim ex toto corde, ex tota anima, omnibusque viribus amabimus Deum. Sapientia, & scientia tunc adeo erunt diversæ ab illis, quæ hodie sunt, & magnitudine, & eminenti perfectione, atque extensione, ut has quodam in sensu delendas esse, dicere possimus [3]. Nulla amplius erit in cognitionibus nostris dubitatio, infirmitas nulla, nullus in sapientia nostra timor [4]. Effectus in causa sua nobis erunt explorati; omnia videbimus in Deo, omnia lumine suo penetrabimus: non ipsi radiis sapientiæ illius penetrabimur. Utiles cognitiones, quas adepti fuerimus [5] in hoc Mundo, secundum omnem perfectionem suam sine ulla imperfectionis umbra subsistent.

℣. 9. EX PARTE ENIM COGNOSCIMUS.] Scientia, & Prophetia in nobis est imperfectissima. Pauci hæc supernaturalia dona assequuti sunt, & qui receperunt ille, minime secundum omnem earum perfectionem possident. Vide quæ diximus in versiculum superiorem.

℣. 11. CUM ESSEM PARVULUS.] Antequam Deus me fidei lumine illustrasset, ut vos, de rerum præstantia judicabam ex eo fulgore, qui in illis emicat, & utilitate, quæ ex ipsis emanat, sed postquam mihi Deus lumen suum tribuit, omnino aliter judicare cœpi. Prophetia, donum linguarum, & miraculorum eximia quidem sunt procul dubio; sed charitas majori est in pretio habenda. Aliter: in hac vita erga ea, quæ ad Deum spectant, plerumque sumus puerorum instar sine captu, & sine cognitione. Sed in altera vita res cognoscemus, quales sunt; genuinum earum pretium, verumque meritum intelligemus [6].

℣. 12. VIDEMUS NUNC PER SPECULUM [7].] Duplicem isthic cognitionum nostrarum defectum indigitat. Speculum earum inconstantiam, & ænigma earum designat obscuritatem. Speculum nobis rerum non exhibet realitatem, sed imaginem solum, eamque perfunctoriam, atque abituram. Ænigma vero caliginæ, atque dubitationibus involutum est; talis est in hoc Mundo scientia nostra, sed in altera videbimus facie ad faciem, perspicue, solide, perfecte. Tunc cognoscemus non solum Deum [8], primum, ac præcipuum nostrarum cognitionum, nostræque felicitatis objectum: verum etiam videbimus omnia mysteria, & quidquid in hoc Sole luminis, & in hoc fonte existentiæ, & activitatis omnium creaturarum potest videri.

Alludit Apostolus ad ea, quæ dixit Deus de Moyse loquens Num. 12. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Ea ratio, qua in altera vita videbimus Deum, ubi confertur cum illa, qua eumdem in hac vita cognoscimus, illi similis est, qua Moyses videbat Deum, & cum eo loquebatur, si comparatur cum ea, qua cæteri Prophetæ Deum videbant, & vocem ejus audiebant.

℣. 13. NUNC AUTEM MANENT FIDES, SPES, CHARITAS.] Hæc in vita [9] tria habemus Dei dona, quæ certa sunt, & permanentia: fidem scilicet, spem, charitatem. Hæ virtutes sunt ad salutem omnino necessariæ, longe dissimiles ab aliis supernaturalibus donis, quæ neque necessaria sunt, neque certa, neque permanentia. Credunt alii [10], nunc non significare tempus, sed tantum oppositionem cum iis, quæ modo dicta sunt: quo in sensu ea particula in Novi Testamenti libris sæpe usurpatur [11]. Prophetiæ, donum linguarum, & scientia aliquando antiquabuntur: sed fides, spes, & charitas vigebunt semper: quomodo autem vigebunt? per effectus suos. Videbimus id, quod fidei nostræ objectum est, perfruemur iis, quæ speravimus, atque perfectissima charitate eum diligemus, quem in terris amare cœpimus.

Prior explicatio melior videtur: nam in altera vita fides non vigebit amplius, quoniam clara Dei visione perfruemur; neque spes, quoniam id, quod speravimus, jam possidebimus; charitas denique ad cumulum usque perveniet, ubi gaudebimus objecto, quod tantopere, ac tandiu concupivimus [12]. Charitas, fide, ac spe longe præstantior est: primum quidem propter utilitatem suam, quoniam & possidenti se, & aliis utilis est: secundo propter extensionem suam, quoniam in omnes se se effundit, ac omnibus se se communicat; tertio propter diuturnitatem, quoniam in altera vita, atque in æternitate subsistit. Quarto propter effectus, quoniam fidei, & spei meritum, atque perfectionem impertit. Sine charitate fides mortua est, spes vero est inanis præsumptio.

---

1 Hervæ. Petr. Lombard. Vide Est.
2 Ἐκπίπτει. Theophylact. διαλύεται, ἀναιρεῖται, καταργεῖται. Tertull. Cyprian. Ambrosiaster, *excidet*.
3 Vide D. Thom. & Est. hic, & Augustin. de Civit. lib. 22. c. 29. num. 4. 5. 6.
4 Sap. 9. 14. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.*
5 Hieronym. ad Paulinam. *Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in cœlis.*
6 Est. Grot. Tirin. 7. Quidd. Codd. Ὡς διὰ ἐσόπτρου . . . . ὡς ἐν αἰνίγματι.
8 Theophylact. Oecumen. 9 Erasm. Est. Vorst. Sclater.
10 Iren. lib. 2. cap. 47. & lib. 4. cap. 25. Tertull. lib. de Patient. cap. 12. Phot. apud Oecumen. Grot. hic.
11 Joan. 9. 41. Act. 7. 34. 52. 15. 10. 20. 22. 25. 22. 26. & passim. Rom. 3. 21. 7. 17. &c.
12 Clem. Alexandr. Vide & Theodoret.

CAPUT XIV.

Prophetiæ donum melius est dono linguarum ; & donum linguarum, si desit donum interpretationis, minime prodest. Quomodo utendum sit his donis in Ecclesia, ubi mulieres silere jubentur.

1. SEctamini charitatem, æmulamini spiritalia : magis autem ut prophetetis. 2 Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo : nemo enim audit. Spiritus autem loquitur mysteria. 3 Nam qui prophetat, hominibus loquitur in ædificationem, & exhortationem, & consolationem. 4 Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat : qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. 5 Volo autem omnes vos loqui linguis : magis autem prophetare. Nam major est, qui prophetat, quam qui loquitur linguis : nisi forte interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat. 6 Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina ? 7 Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint ; quomodo scietur id, quod canitur, aut quod citharizatur ? 8 Etenim si incertam vocem det tuba ; quis parabit se ad bellum ? 9 Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis ; quomodo scietur id, quod dicitur ? eritis enim in aera loquentes. 10 Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo : & nihil sine voce est. 11 Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, qui loquor, barbarus : & qui loquitur mihi barbarus. 12 Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite, ut abundetis. 13 Et ideo, qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur. 14 Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. 15 Quid ergo est ? Orabo spiritu, orabo & mente : psallam spiritu, psallam & mente. 16 Cæterum si benedixeris spiritu : qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem ? quoniam quid dicas, nescit. 17 Nam tu quidem bene gratias agis : sed alter non ædificatur. 18 Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor. 19 Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios instruam : quam decem millia verborum in lingua. 20 Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote ; sensibus autem perfecti estote. 21 In lege scriptum est : Quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic : & nec sic audient me, dicit Dominus. 22 Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus : prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. 23 Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles : nonne dicent, quod insanitis ? 24 Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. 25 Occulta cordis ejus manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit. 26 Quid ergo est, fratres ? cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet : omnia ad ædificationem fiant. 27 Sive lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur. 28 Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur, & Deo : 29 Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri dijudicent. 30 Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat. 31 Potestis enim omnes per singulos prophetare : ut omnes discant, & omnes exhortentur. 32 Et spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt. 33 Non enim est dissensionis Deus, sed pacis : sicut & in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo. 34 Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. 35 Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. 36 An a vobis verbum Dei processit ? aut in vos solos pervenit ? 37 Si quis videtur

detur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat, quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. 38 Si quis autem ignorat, ignorabitur. 39 Itaque, fratres, æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere. 40 Omnia autem honeste, & secundum ordinem fiant.

℣. 1. SECTAMINI CHARITATEM.] Hoc subnectendum est fini capitis superioris. Quandoquidem charitas tantopere superat non supernaturalia solum, & sensibilia Spiritus Sancti dona, verum etiam fidem, & spem; hanc summo ardore complectimini. Quoad vero cætera dona, de quibus supra loquutus sum: Deum præsertim flagitate, ut Prophetiæ donum vobis concedat; quod quidem maximum est eorum omnium, quæ fidelibus erogat. Corinthii linguarum donum majori habebant in pretio [a], sed S. Paulus aliter sentit; & Prophetiæ donum censet esse præferendum. Vox hæc non futura tantum portendere, verum etiam legem explicare, palam concionari, populum ad virtutem adhortari, atque sancto correptum enthusiasmo Dei laudes concinere significat. At quorsum præfert Prophetiam cæteris Spiritus Sancti muneribus? hac fortasse de causa, quia aptior erat, ut populum evinceret; Ethnicos, & Judæos converteret; ædificaret fideles, eosque in fide confirmaret [2]. Jubet autem, eos supernaturalium donorum præstantiam ex publica, & privata auctoritate ex illis emanante, non autem ex illorum exteriori fulgore metiri.

℣. 2. QUI ENIM LOQUITUR LINGUA.] Linguarum donum in hoc positum erat, ut quis alienam, ignotamque linguam loqueretur, quam non didicerat, & quam vel ipse etiam non intelligebat, vel saltem quam aliis patria lingua interpretari non poterat [3]. Loquebatur aliquis Arabum, Syrorum, Scytharum, Phœnicum lingua apud Græcos, quin illis Græce explicari posset, quod dixerat, quamvis Græca lingua ipsius esset materna. Hinc fit, ut S. Paulus optet, quod cum aliquis adest in cœtu, linguarum donum habens, eodem minime utatur, nisi habeat alium, cui donum sit interpretandi ea, quæ ipse ignota lingua protulerit, 1. *Cor.* 14. 26.

Donum linguarum non erat habitus permanens, quo indiscriminatim, ubi vellent, uti possent; eodem utebantur, dum actu Spiritu Sancto afflarentur, qui afflatus cum cessasset, non nisi patria lingua loqui poterant. E contra vero donum interpretandi linguas certum erat, & permanens. Qui receperat illud, poterat semper interpretari, quod diversa lingua prolatum audiverat; ipse vero ea lingua loqui non poterat. Loquitur tamen Apostolus de iis, quæ passim consueverant: nonnumquam enim accidebat ex peculiari Dei gratia, ut qui donum haberet linguarum, reciperet etiam donum interpretandi, velut Apostoli, qui Pentecostes die eminenter utrumque receperunt. Hortatur Apostolus, ut qui primum obtinuit, & alterum petat [4]. Redarguit vero abusum quemdam, qui in Ecclesia Corinthi inoleverat, ubi non sine quadam ostentationis specie fideles quidam linguis loquebantur in cœtu, licet nemo illos intelligeret; & nemo eorum sensus ad Ecclesiæ ædificationem explicaret. Credit Ligfoot, *loqui lingua* hoc in loco significare Hebraice loqui, ratus, Judæos conversos affectasse, ut palam loquentes hac lingua uterentur, quam nemo intelligebat; & quæ in cœtu confusionem gignebat. At hæc sententia non satis probabilis videtur.

Dicit autem, eos *non hominibus loqui, sed Deo*; quia nemo illos intelligit, & Deus unus testis est affectuum cordis, & sensuum mentis eorum, & quia frustra abdita deteguut mysteria, cum a nemine intelligantur. Potestis quidem eximias proferre preces, atque sublimia aperire mysteria: sed cui bono? quoniam Deus unus vos audit. *Spiritu loquitur mysteria* [5]. Spiritu Sancto afflatus est: sed penitus ignota loquitur [6]. Aliter: *Spiritu loquitur*; idem esset, ac si non loqueretur, & cogitaret solum, atque in se ipso retineret ea, quæ extrinsecus profert [7].

℣. 3. QUI PROPHETAT, HOMINIBUS LOQUITUR.] Qui palam loquitur ea lingua, quam omnes intelligunt, & qui Scripturas explicat, vel qui fideles hortatur, vel demum qui illis occulta aperit, eos consolatur, ædificat, hortatur, ad virtutem ciet; hic sermonis sui fructum refert: at qui ignota lingua loquitur, nemini prodest. *Semetipsum ædificat* vers. 4. Nihil vero aliud magis assequitur.

℣. 5. VOLO, OMNES VOS LOQUI LINGUIS.] Ne credatis, me linguarum donum isthic deprimere: quin immo optarem, ut vestrum singuli hoc donati essetis: at si optio daretur, mallem potius, ut prophetiæ donum consequeremini, quod ad Ecclesiæ ædificationem longe est utilius. Felicitatis summæ esset utrumque possidere, & cum dono linguarum donum interpretationis conjungere.

℣. 6. QUID VOBIS PRODERO &c.] Si homo mihi similis aliena lingua vobis prædicaret, ad quid ejus prædicatio vobis prodesset? Si non explicat, quod ait; vel si alia quadam ratione per prophetiam, scientiam, vel doctrinam vos non erudit? hæc tria vel Spiritus Sancti varia significant dona (vide supra cap. 12. vers. 7. & 8.) vel unum, & idem variis vocabulis expressum.

℣. 7. TAMEN, QUÆ SINE ANIMA SUNT, VOCEM DANTIA.] Nisi varios sonos ediderint, non potest intelligi, quid sibi velint; ita si vos ea lingua loquuti fueritis, quæ a nemine intelligatur; nemo quid dicere velitis, assequetur. Quod varius sonos, & harmonia in instrumentis efficiunt; hoc in humano sermone interpretatio, atque intelligentia. Confusius buccina clange, temere, atque inordinate quodcumque cupis musicum instrumentum pulsa, strepitum edis, nihil ultra: nemo enim, quid sones intelligit. Hoc ipsum accidit in sermonibus, qui aliena lingua fiunt, & coram illis, qui eosdem minime intelligunt: hoc enim est frustra aerem ferire. Hæc inquit Apostolus versic. 8. & 9.

℣. 10. TAM MULTA GENERA LINGUARUM.] Græcus verti posset [a]: *ita fortasse in mundo sunt linguarum genera, quot gentes; nulla enim harum sine voce est*. Cum vero omnes hæ gentes aliarum linguam non intelligant, mutæ sunt, tamquam barbaræ, atque inter se nullam habere possunt necessitudinem. Ita in Ecclesia, si vestrum singuli variis loquerentur linguis, congregato populo ignotis, essetis tamquam barbari apud eos, ad quos loqueremini. Hoc idem esset, ac si apud Græcos Scytha, vel Græcus apud Scythas verba faceret. Ovidius:

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor illis.

℣. 12. SIC ET VOS [9].] Quandoquidem spiritualia

a Chrysostom. Theodoret. & sup. 12. 10. 30. 13. 1. &c.
a Vide Grot. hic. & Chrys. hom. 35.
3 Chrysost. Theodoret. Ambrosiast. Primas. Theophylact. Est. Cajet.
4 Infra vers. 13.
5 Quædam exemplaria legunt: *Spiritus loquitur mysteria*; at mendum est. Græc. Πνεύματι λαλεῖ μυστήρια. Vide Mill.
6 Est. Gro. Vors.
7 Cajetan. Martianay.
8 Τοσαῦτα, εἰ τύχοι, γένη φωνῶν ἔστιν ἐν κόσμῳ, καὶ οὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον. *Nulla earum (gentium) sine voce est.* Vulg. *Et nihil sine voce est.* Quod consonat cum plusibus Græcis Exemplaribus simpliciter legentibus: Καὶ οὐδὲν ἄφωνον ἐστι. Vide Alexandr. Clarom. S. Germ. Buener. Vechel. Barb. alii.
9 Quidam, juxta Theodoretum hæc verba addunt præcedentibus: *ero ei, cui loquor barbarus; sic et vos. Quoniam vero æmulatores &c.* Sensus hic est valde commodus.

hæc dona tempore diligitis, ea cupite, quæ utilia sunt, & quæ Ecclesiæ ædificationi possunt inservire. A Deo petite, non linguarum donum, quod parum ecdeo prodest, verum donum interpretationis, prædicationis, scientiæ, quæ pro aliis, atque pro vobismetipsis summæ possunt esse utilitatis. Credit Theodoretus [1], S. Paulum isthic nonnihil ironiæ ad Corinthiorum jactantiam infringendam commiscere.

℣. 13. QUI LOQUITUR LINGUA, ORET, UT INTERPRETETUR.] Ut Ecclesiæ majorem afferat utilitatem: sæpius enim Deus hæc permittebat dona eorum precibus, qui eadem, uti opus est, efflagitabant. Ex quorumdam Martyrum Actis liquet, illos dum e sacro Baptismatis lavacro emergerent, ea petiisse dona, quæ vel sibi, vel aliis magis profutura arbitrabantur, & plerumque eadem recepisse. Recentiores quidam [2] Græcum ita vertunt [3]: *qui alienam loquitur linguam, Deum oret in Ecclesia, sed ita ut explicet*, vel ipse, vel alius, quæ ipse dicit: qui sensus belle cum sequentibus connectitur.

℣. 14. SI OREM LINGUA, SPIRITUS MEUS ORAT.] Spiritus hoc in loco, vel de corde, vel de actu respirandi, motu labiorum, vel linguæ verbum efformante, vel de Spiritu Sancto, afflatu suo hominem animante, vel de mentali affectu, & voluntate intelligitur. Si Deum elata voce precor in fidelium cœtu, lingua aliena, & ignota; Spiritus quidem, qui me animat, qui cor meum calefacit, & qui orat in me, efficit, ut orationem Deo acceptam effundam; sed *mens mea sine fructu est*: neque ipse intelligo sensum verborum, quæ profero, neque illum aliis possum tradere intelligendum [4]. Vel *mens* significat sensum eorum, quæ dicuntur, cogitatio mea aliis minime prodest, quoniam ab aliis ignoratur. Nequeunt illi assequi sensum, & cogitationem meam. Vel aliter [5]: *si ignota lingua loquor, orat Spiritus meus, sed quod ego intelligo, inutile est*. Pro me tantum oro; cogitatio mea id, quod in mente mea versatur, & quod verbis meis profero, minime prodest audientibus me. Ut prodesset, oporteret, ut explicare possem lingua mortalibus omnibus comperta, quidquid dico in oratione mea. Vide ℣. 16.

℣. 15. ORABO SPIRITU, ORABO ET MENTE.] Non sufficiet mihi orare spiritu, atque me unum intelligere, quid dicam Deo: conabor etiam hoc aliis in eorum ædificationem significare. Vel aliter, si supponas cum plurimis Interpretibus, eos, qui aliena linguis loquebantur, ea minime intellexisse, orabo per Spiritum Sanctum me inspirantem, & ut mentem aperientem. Sed orabo etiam vel per me ipsum, vel per Interpretem aliam, preces meas explicans [6].

℣. 16. QUI SUPPLET LOCUM IDIOTÆ.] *Idiotes* Græce, quem Vulgata vertit *Idiotam*, plerumque privatum hominem significat, quatenus principibus, & Magistratibus opponitur; hic vero simplicem Laicum, nullum in Ecclesia ordinem, nullum munus habentem indigitat [7]. Hi fortasse subsellia habebant in inferiori loco Episcoporum, atque Pastorum Cathedris; & illi ex Laicorum numero, qui prophetiæ spiritu afflabantur, ut populo prædicarent, altiorem arripiebant locum, ut possent in cœtu videri. Apud Judæos prædicatio e precibus incipiebat, quibus populus respondebat *Amen* [8]. Erat nihilominus traditio, quæ hoc in Templo Jerusalem minime consuevisse testatur; sed asserit, absolutis precibus omnes respondisse: *Benedictus sit Deus gloriæ, nomen ejus æternum regnet*. Hebræi magnam collocabant confidentiam in hac voce *Amen*,

A quæ enixius in fine precum respondebatur [9]: inquiunt, *Cæli portas apertas esse illi, qui omnibus viribus respondet Amen*: & item: *qui respondet Amen, major est proferente benedictionem*.

Christiana Ecclesia a Synagoga accepit consuetudinem respondendi *Amen* in fine precum publicarum. In majoribus Ecclesiis, ubi non omnis populus audire poterat vocem illius, qui proferebat preces, sudariolo signum remotioribus dabatur, ubi tempus esset vocem extollendi, ut responderent *Amen*; & sæpe etiam in iis precibus, quæ submissa voce dicebantur, *Amen* voce proferebatur elata. Eusebius de S. Polycarpi martyrio loquens hoc innuere videtur; & Acta Martyrii S. Pionii integrum non relinquunt, ut hac de re dubitemus. S. Hieronymus [10] ait, strepitum, qui Romæ

B fiebat, ubi in fine precum respondebatur *Amen*, simile fuisse tonitrui. *In similitudinem cælestis tonitrui Amen reboat*. Laicus, qui respondet *Amen* in fine precum solemnium, ait Theodoretus in 1. Cor. 2. 20. nihilo secius particeps est meritorum orationis, quam qui illam profert in Ecclesia.

℣. 17. TU QUIDEM BENE GRATIAS AGIS.] Sed alii non ædificantur. Ex hoc loco, & iis omnibus, quæ dicta sunt, hæc S. Pauli mens fuisse videtur, ut in publicis precibus lingua ab omnibus cognita quisque uteretur: & sane Ecclesia primis illis temporibus non alia in officio suo lingua usa est, quam quæ singulis in regionibus maxime intelligebatur [11]. In omni ferme Occidente Latina, & in Oriente Græca lingua adhibebatur; tunc enim hæ duæ linguæ generatim ferme

C in duabus illis Terrarum partibus intelligebantur. Neque ideo dixerim in Africa, & in Gallia, e. g. & alibi, præsertim vero in agris non fuisse quamplurimos, qui Latinam linguam non intelligerent, & in Ægypto, Africa, & alibi non defuisse, qui Græcam minime exploratam haberent: peculiaribus tamen pastoribus erat curæ, ut ubi Populos erudirent, eorum captui, atque necessitati se se submitterent. Hodie vero cum linguæ veteres immutatæ sint, atque paucis sint cognitæ, ita ut lingua Latina, e. g. qua olim volgo in Italia, Hispania, Gallia, & majori Africæ parte loquebantur, non intelligitur amplius ab illis, qui peculiari cura eamdem in scholis minime edidiscunt; Ecclesia veritus adhuc veteribus linguis in publico Officio; sed permittit, ut privatim quilibet in vernacula lingua pre-

D ces legant; atque Pastores hortatur, ut eas populo explicent.

Credidit hoc pacto, se abunde Apostolicæ menti satisfacere [12], neque operæ pretium censuit veterem linguam relinquere, ubi primævæ linguæ immutatæ sunt. Alioquin enim nimis frequentibus immutationibus fuisset obnoxia, & fortasse etiam sacra mysteria, & ipsa Religio in jocum fuisset traducta propter varietatem, & inconstantiam linguarum vernacularum, quæ ex veteribus linguis efformatæ sunt. Unitatis amor, atque dissensionum periculum illam deterruerunt, ne aliquid in lingua sua innovaret; ne fideles inde occasionem arriperent in res ipsas inferendi varietatem. Denique ad populos in eadem communione servandos maximi interest, illos in ejusdem linguæ usu contineri in

E iis, quæ ad Religionem pertinent, & in publico Officio.

℣. 18. OMNIUM VESTRUM LINGUA LOQUOR.] In Ecclesia Corinthii plures erant fideles, qui linguarum donum obtinuerant: alii quidem hujus, alii alterius, alii plurimarum simul. S. Paulus ait, se per gratiam Dei

---

1 Vide Est. Men. Tit. alios. 2 Laur. Vall. Cnatchbull. Pisc. Vorst. Cene, Grot.
3 Ὁ λαλῶν γλώσσῃ, προσευχέσθω ἵνα διερμηνεύῃ. 4 Est. Lyr. Cajet. Carthus. Zeger &c.
5 Vide Grot. J. Capell. Cnatchbull. Laur. Vall. Men. Tir. alios. Vide & Theodoret.
6 Theodoret. hic. Vide Grot. J. Capell. Menoc. Tir. alios supra citatos.
7 Theodoret. 8 Vide 1. Par. 16. 36. 2. Esdr. 8. 5. Ps. 106. ult. Deut. 27. 15. 16. & seq. &c.
9 Vide Ligfoot. & Lud. de Dieu. 10 Hieronym. Præfat. l. 2. in Ep. ad Galat.
11 Origen. lib. 8. contra Cels. 12 Concil. Trident. sess. 22. cap. 8. *Etsi missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur . . . . Mandat sancta Synodus singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quæ in missa leguntur, aliquid exponant.*

Dei omnibus linguis loqui posse [1]; sed diligenter cautum, ne ad ostentationem illis utatur, & si in fidelium cœtu aliena lingua loquutus fuerit, eodem tempore curatutum, ut quæ dixerit, vel ipsa explicet, vel explicentur ab aliis. ℣. 18. *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios instruam, quam decem millia verborum lingua ignota.*

Græcus parum distat [2]: *gratias ago Deo, quod pluribus linguis loquor, quam vos omnes simul.* Vel cum aliis: possideo linguas omnium gentium, quæ sunt inter vos, & quæ Ecclesiam vestram componunt [3].

℣. 19. IN ECCLESIA VOLO QUINQUE VERBA SENSU MEO LOQUI.] Et ea uti lingua, quam ego ipse intelligam, & ab omnibus intelligatur, potius quam ignota, alienaque lingua prolixos habere sermones [4]. Explodit Corinthiorum vanitatem, linguarum donum ostentantium. *Pro sensu meo* Græcus legit [5] *pro sensu meo*: alii [6] *per legem meam*, qui manifestus est error.

℣. 20. NOLITE PUERI EFFICI SENSIBUS.] Puerorum quidem innocentiam, non autem simplicitatem habete; prudentes estote, cauti; sed mites, innocentes sine nequitia. Confert ea, quæ Discipulis suis dixit JESUS CHRISTUS, Matth. 18. 3. *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum Cœlorum.* Ne immutetis rectum ordinem; ait Theodoretus hic: ne imitemini ignorantiam, sed innocentiam puerorum; virorum autem prudentiam, non autem nequitiam habete. Vide Rom. 16. ℣. 19. *Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.*

℣. 21. IN LEGE SCRIPTUM EST.] Scripturam generatim *legem* appellat, juxta consuetudinem Auctorum Novi Testamenti, & ipsius etiam JESU CHRISTI, qui nonnunquam hoc nomine omnes sacros libros intellexit [7]. Rabbini quoque quibusdam in occasionibus hoc facere consueverunt, quemadmodum ostendit Lightfoot. Locus, quem hic adfert Apostolus, desumptus est ex Isaja 28. vers. 11. ubi Propheta verbis Dei minitatur, se imposterum apud populum Juda ignota lingua loquuturum, ac se illos missurum ad discendum eam in regionem, ubi linguam non intelligent. Apostolus in hoc non secutus est versionem Septuaginta; sed more suo sensum attulit, quin Prophetæ verbis levi modo hæreret. Addit: *& nec sic exaudient me*, quod in Isaja nonnisi ad finem vers. 12. cap. ejusdem invenitur.

℣. 22. LINGUÆ IN SIGNUM SUNT NON FIDELIBUS &c.] Donum linguarum miraculum est a Deo pro infidelium conversione institutum, non autem, ut eodem in fidelium cœtibus uteremur. Fidelis, qui videt aliquem omnis litteraturæ penitus rudem, ignota loqui lingua, & explicare mysteria, ipsis etiam doctioribus viris abscondita, admiratione percellitur; miraculis evidentia, atque rationum vi, se victum dedit. Sed in fidelium cœtu, quid profert linguarum donum, nisi accesserit explicatio? *Prophetia autem non infidelibus, sed fidelibus*; si in Ecclesiis sacra explicantur Biblia; si sanctissima recolebantur mysteria; si Dei laudes recinuntur, atque ad eas recinandas fratres suadentur; hoc nihil prodest ad infidelium conversionem. Supponitis veritates, quas infidelis in dubium revocat: ea lingua loquimini, quam ille non audit, cæterum illum in conventu vestro indiscriminatim minime admittitis. Fidelis e contra in his omnibus invenit, unde ædificetur, erudiatur, in bono confirmetur. Ne avertas igitur ordinem a providentia constitutum, neque jactes donum linguarum in cœtu fratrum tuorum, sed ad Prophetiam potius, vel explicationem incumbe.

℣. 23. INTRENT AUTEM IDIOTÆ, & INFIDELES.] *Idiotæ* nomen, quemadmodum jam vidimus, varios sensus admittit. Quidam [8] hoc de Catechumenis intelligunt; alii [9] de Gentilibus, qui curiositatis ergo Christianorum Ecclesias ingrediebantur. Alii denique potiori jure de iis explicant, qui ex fidelium numero cum rudes sint [10], ubi in cœtum ingrediantur, ac videant plures confusius loqui linguis, cœtui universo ignotis, facere non possunt, quin dicant hos homines furere, vel de sanæ mentis usu dejectos esse. Hi etiam, qui in Ecclesia simplicissimi sunt, norunt, fideles quosdam linguarum donum obtinuisse: hoc illi non admirantur, sed hæc incomposita loquendi ratio illis admirationem, atque scandalum infert.

℣. 24. SI AUTEM OMNES PROPHETENT.] *Prophetare* hoc in loco aliud significat, ac Prophetia ℣. 22. Istic enim usurpatur pro futura portendere, cordium penitiora scrutari, abdita quælibet revelare; ibi vero non aliud innuebat, quam Scripturarum explicationem, vel interpretationem sermonum, qui ignota lingua fuerant prolati. Prophetia postremo hoc in sensu utilis esse potest iis solum, qui jam fideles sunt, quemadmodum dixit Apostolus ℣. 22. prophetia, ubi futura prædicere, vel cordis latebras scrutari significat, signum est, atque prodigium ad infideles convertendos idoneum, quemadmodum istic ostendit Apostolus: *Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus Prophetis*, qui illius errorem atque infidelitatem revelant, eique detegunt, quidquid abditissimum putat, eumque rubore suffundunt, ea illi aperientes scelera, quæ æternæ oblivionis caligine insepulta arbitratus. Tunc ℣. 25. *Occulta cordis ejus manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.* Docet S. Irenæus l. 5. c. 6. ævo suo fideles non defuisse, quibus aperiebat Deus, quidquid in cordibus hominum magis latebat.

℣. 26. CUM CONVENITIS, UNUSQUISQUE VESTRUM PSALMUM HABET.] Fideles non omnes supernaturalia dona habebant, atque inter eos, qui illa obtinuerant, mira prorsus erat varietas: alii enim hoc pacto, alii alio erant afflati. Jubet S. Paulus, in cœtibus quemlibet adeo sapienter, ac modeste se gerere, ut omne scandalum, atque omnis perturbatio tollatur; omnes loqui in ordine suo, & omnes admiti, ut communem fidelium ædificationem procurent. *Psalmum habet*, se se adactum sentit, ut sacrum Scripturæ canticum concinat, vel illud recitet, quod ipse elucubratus est, vel denique repente stans pede in uno sacro correptus enthusiasmo recentem effundat *Apocalypsim*. Si recepit donum, futura, vel abdita Religionis mysteria detegendi, vel obscurum aliquem Scripturæ locum explicandi.

℣. 27. SECUNDUM DUO AUT TRES, & PER PARTES.] Quemadmodum inter illos complures esse poterant, qui linguarum donum haberent, imperat, ut in singulis cœtibus duo, vel tres ad summum loquantur; iique etiam alius post alium, & semper adsit, qui, quæ illi dixerint, interpretetur. Ita versiculus hic passim explicatur, sed Græcus alium potest sensum admittere [11]: *Si quis aliena lingua loquitur, loquatur ad summum duplici, vel triplici lingua, hac primum, & deinde alia* [12].

1 Hieronym. ad Hedibiam qu. 9. *Gratias agit Deo quod cunctis Apostolis magis linguis loquatur: qui enim multis gentibus annunciaturus erat, multarum linguarum acceperat gratiam.* Ita D. Thom. Hervæ. Est. alii.

2 Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου, πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶν. Ita Syr. & Græci PP. Hieronym. ad Hedib. loco supra citato. Sed illud μᾶλλον, magis omittunt Æthiop. Ambrosiast. Hieronymiast. alii.

3 Vide Menoch. Est. &c. 4 Ambrosiast. *Utilius dicit paucis verbis in apertione sermonis loqui, quod omnes intelligant, quam prolixam orationem habere in obscuro.*

5 Græc. impress. Διὰ τοῦ νοός μου λαλῆσαι. Alii: Τῷ νοΐ μου. 6 Marcion. apud Epiphan. hæres. 42. Διὰ τοῦ νόμου. Ambrosiast. *per legem*. Paulin. Ep. 4. *in lege*.

7 Joan. 10. 34. 15. 25. Vide Rom. 3. 19. 8 Theodoret. Sevarian. Gagnæ.

9 Grot. Menoch. 10 Erasm. Vatabl. Est. alii.

11 Εἴτε γλώσσῃ τις λαλεῖ, κατὰ δύο, ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς, καὶ ἀνὰ μέρος. Æthiop. γλώσσαις.

12 Cnatchbull. Cene projes de traduction. pag. 876.

℣. 28. SIBI LOQUATUR, & DEO.] Vel loquatur elata voce, sed interiosecus, & secrete coram Deo verba faciat de iis, quæ illi suggeret Spiritus S.

℣. 29. CÆTERI DIJUDICENT.] De iis, quæ Prophetæ dicunt in Ecclesia. Ubi aliquis assurgebat in Ecclesia ad prophetandum, prædicandum, docendum, Scripturas interpretandas, cœtus judicabat, utrum ille vere Divino Spiritu afflatus esset [1]. Tunc enim jam aderant Pseudoprophetæ, atque tenebriones, qui populorum credulitate, & simplicitate abutebantur [2]. At Deus vulgo aliquibus donum spirituum cognoscendorum tribuebat, ut ille, qui vere inspiratus esset, ab eo, qui secus, distingueretur.

℣. 30. QUOD SI ALII REVELATUM FUERIT PRIOR TACEAT.] Eumque loqui sinat. Accidebat nonnunquam, ut cum Propheta concionaretur, Spiritus Sanctus se se alteri communicaret, eumque ad loquendum alteri inspiraret. Jubet Apostolus [3], ne ulla inter illos contentio, nulla obrepat invidia, ubi aliquis recentet afflatus assurrexerit, priorem humiliter, & modeste silere, quin eum, qui posterior loquutus fuerit, interpelles. Spiritus Sanctus pro hoc decidit, quoniam hunc actu ad loquendum impellit.

℣. 31. UT OMNES DISCANT, & EXHORTENTUR.] *Exhortentur*, & in activo sensu, & in passivo potest sumi; qui illum in sensu passivo assumunt, explicant de exhortatione, quam omnis recipit Ecclesia, cum Prophetæ, vel Evangelii præcones, alii post alios loquuntur; hi quidem de hoc, alii vero de alio argumento, prout a Spiritu Sancto afflantur, verba facientes. Qui vero in activo sensu verbum illud explicans [4], de Prophetia intelligunt, qui in cœtu alii post alios loquuntur, atque per vicem fideles hortantur. Theodoretus hic animadvertit, hanc ævo quoque suo fuisse Ecclesiæ consuetudinem, ut Prædicatores alternis concionarentur; hic quidem in hoc cœtu, alius in subsequenti. Sensus passivus Apostoli argumento magis conformis videtur [5]. Græcus verti potest, *ut omnes erudiantur, & omnes consolationem recipiant*.

℣. 32. SPIRITUS PROPHETARUM, PROPHETIS SUBJECTI SUNT.] Græci, & Latini Patres [6], atque non pauci notæ melioris Interpretes [7], hoc ita intelligunt: jubet, Prophetas sibi invicem rationem habere, non omnes simul loqui, & primum silere, ubi alter fuerit afflatus: verum numquid resistere valeo afflatui, quo animor, atque enthusiasmo, quo rapior? utique respondit Apostolus; nam Prophetæ spiritus Prophetis subjectus est. In verorum Prophetarum inspiratione non accidit idem, quod in ariolorum, atque Pseudo-prophetarum Dæmonis enthusiasmo. Hi quidem licet inviti loquuntur; conatus, quos exerunt, ut Dæmonis jugum excutiant, inanes sunt [8], loquuntur veluti furentes, quin illud sciant, quod dicunt: sed Prophetæ Domini pacate, ac sine perturbatione prophetabant, atque tempus tranquille præstolabantur, quo a prudentia sua admonerentur, Prophetias suas esse edendas.

A Hinc Jonas, cum Ninivem ire debuisset, Tharsum confugit [9]; & Dominus in Jeremia 23. de suis Prophetis conqueritur, ob timorem non edocentibus ea, quæ populo annunciare jubebantur. Ecclesia, & Patres [10], Montanistarum errorem proscripserunt, docentium, veros Prophetas extra se rapi, non secus ac Apollinis Sacerdotes, atque Sybillas, ubi furebant.

Alii [11] hunc locum omnino aliter explicant: *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*, hoc est Prophetæ vere Dei lumine afflati cognoscunt, atque dijudicant, utrum ii, qui se Prophetas dicunt, vere sint Prophetæ; an utrum in eorum inspiratione adsit illusio, ad quod proderat donum *discretionis Spirituum*, de quo S. Paulus alicubi loquitur [12]. Alii denique [13] alium iis verbis sensum appingunt; Prophetæ ne simul omnes B confusius, atque perturbatius loquantur; sed alii aliis cedant, & primi taceant, ubi alius afflatus erit, ut loquatur. Hæc explicatio cum præcedentibus, & subsequentibus belle cohæret, & fortasse omnium optima est, & ad litteram magis accedit. Vide versiculos 28. 29. 30. 33. 39. 40. &c. Theodoretus hoc explicat de Prophetis, qui nonnumquam aliis Prophetis subjecti sunt, ut olim Josue Moysi, Elisæus Eliæ, Prophetæ Juda Elisæo; & S. Paulo, Titus, atque Timotheus.

℣. 33. NON EST DISSENSIONIS DEUS,] Ita curate, ut in vobis sit justa subordinatio, & Prophetæ sibi invicem cum humilitate, & charitate cedant. Hic est Spiritus Christianæ Religionis, *hoc in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo*. Juxta vero Patrum ex- C plicationem docentium, Spiritus Prophetis esse subjectos, ita ut nonnisi ubi velint, prophetent; ita intelligitur: Dominus Deus pacis est, & non perturbationis. Quæ autem esset perturbatio, si in eodem cœtu Spiritus idem plures afflaret, ut simul omnes confuse loquerentur? Græcus [14] differt a Vulgata: *Deus enim non est Deus confusionis, sed pacis, quemadmodum in omnibus Ecclesiis*. Verbum *doceo* in hoc textu non legitur, uti neque in pluribus veteribus MSS. legitur tamen in aliis plerisque, in S. Chrysostomo, Theodoreto, & Ambrosiastro.

℣. 34. MULIERES IN ECCLESIIS TACEANT.] Versiculus hic, & subsequens, in veteribus nonnullis MSS. alium obtinent locum [15], & post quadragesimum versiculum leguntur. Præcipit S. Paulus, ut mulieres si- D leant in Ecclesia, neque ibi prædicare, docere, variis linguis loqui audeant. Item, *docere mulierem non permitto*, ait 1. Timoth. 2. 12. Hoc cum præcedentibus connectendum est; adimplete ea, quæ in omnibus Ecclesiis doceo; ut mulieres in cœtu non loquantur. Græcus typis editus legit [16]: *uxores vestræ*, sed plurima Exemplaria legunt simpliciter: *mulieres sileant*. Hebræi eamdem in Synagoga sua consuetudinem servabant neque in publico mulieres legebant observantiæ causa erga eos, qui convenerant [17]. Silentium præcipuus est Mulierum ornatus. Docere autem auctorita-

tis

---

1 Chrysostom. Grot. Est. Menoch. 2 Theodoret. Menoch. Est. &c. 3 2. Cor. 11. 3. 13. Galat. 1. 7. & 3. 1. 5. 7. 8. &c. 4 Ita Sedul. Haimo, Lombard. alii e Latinis. 5 Ἵνα πάντες μανθάνωσι, καὶ πάντες παρακαλῶνται. 6 Chrysost. Theophyl. Oecumen. Origen. ad Rom. 3. Hieronym. Prolog. in Isai. 7 D. Thom. Lombard. Hervæ. Grot. Est. Strig. alii. 8 Virgil. Æneid. 6.

At Phœbi nondum patiens immanis in antro,
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum fera corda domans, &c.

Lucan. lib. 5.

. . . . Bacchatur demens aliena per antrum
Colla ferens vittasque Dei, Phœbeaque serta
Erectis discussa comis, per inania templi.
Ancipiti cervice rotat, spargitque vaganti
Obstantes tripodas, magno vaestuas igne
Iratum te, Phœbe ferens.

9 Jonæ 1. & 2. 10 Vide Hieronym. Præfat. in Isai. in Nahum. in Abac. Origen. c. 6. in Joan. & lib. 7. contra Cels. Chrysostom. & Basil. in Psalm. 44. 2. &c. 11 Calv. Bez. Paræ. 12 1. Cor. 12. 10. & 1. Thessal. 5. 21. & 1. Joan. 4. 1. 13 Camero. Ludov. de Dieu, Heild. Ligfoot. 14 Ὡς ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις τῶν ἁγίων. Ita Clarom. & S. Germ. & alii plures, etiam ex Latinis. Est. 15 Clarom. S. Germ. Borner. & Ambrosiast. 16 Αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν. 17 Maimonid. Capell. Ligfoot.

tis signum est, quæ illas minime decet : Oportet *subditas esse, sicut & lex dicit*, quæ habet : *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, Gen. 3. 16. A

℣. 35. DOMI VIROS SUOS INTERROGENT.] Non solum non permittit, ut mulieres in Ecclesia loquentur, verum etiam prohibet, ne viris quæstiones proponant, atque petant, ut si quid dubium ipsis fuerit hoc sibi explicari in Ecclesia deposcant. Id modestiæ oppositum est, neque mulierem decet [1] : sufficit illis docentis vocem audire, & vel secreto, vel palam una cum aliis fidelibus orare. Si habent, quod interrogent, domi suæ privatim viros suos interrogent, quibus si non adsit hæc scientia, hi Pastores suos consulere possunt. Præstat autem hoc per viros fieri, quam per mulieres ad omnes confabulationes, atque malas suspiciones evitandas. Capite 11. ℣. 5. Apostolus jam mulieres B corripuit, quæ in Ecclesiam aperto capite accedebant, & quæ in eo statu fundebant preces ; dixitque, hoc illis turpe esse, atque idem esse, ac si ebrasis crinibus, & non velata facie prodirent.

℣. 36. AN A VOBIS VERBUM PROCESSIT ?] Numquid omnibus Ecclesiis legem imponere vultis, eaque vobis mens est, ut ad vos tamquam ad Evangelii originem, & primam, atque vetustissimam Ecclesiarum omnium accedant, ut ritus alibi servandos addiscant? Figura hæc acrior est, atque ad infringendam Corinthiorum superbiam aptissima, quorum Ecclesia cum aliis plurimis esset recentior, ab aliis pendere abnuebat, atque novos ritus studebat invehere. Vestrum est, aliis Ecclesiis vosmet accommodare, non autem illis irrogare Legem.

A ℣. 37. SI QUIS VIDETUR PROPHETA ESSE SPIRITUALIS.] Non deest ironiæ aculeus sub his verbis : *Si quis videtur Propheta esse*, vel spiritualis. Corinthiorum jactantiæ has cogitationes merebatur : non negat, apud illos esse Prophetas, & *Spirituales*, hoc est homines Spiritus Sancti donis ornatos esse ; verum ait : si quis ob hæc munera gloriatur, *cognoscat, quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata* [2], & quia non temere loquor, neque ex spiritu meo. Hoc validissimum est, quod adferri possit, ad eos evincendos, argumentum.

℣. 38 SI QUIS AUTEM IGNORAT, IGNORABITUR.] JESUS CHRISTUS huic dicet [3] aliquando *nescio vos*, & inter reprobos adnumerabitur. Hoc ostendit, quænam sit Apostolorum auctoritas, & qua observantia eorum decisiones sint recipiendæ. Quidam Græcum B textum ita legunt [4] ; *Si quis autem ignorat, ignoret*. Cum illo non contendo, permaneat in ignorantia sua. Hoc illi oberit [5] ; ignorantia illum in judicio Dei non excusabit ; eumdem satis admonui.

℣. 39. ÆMULAMINI PROPHETARE.] Non suadeo, ut linguarum donum negligatis ; scio, quid illud prosit, præsertim vero ad Gentilium conversionem [6] : verum Prophetia, & donum Scripturarum explicandarum multo magis æstimandum est. Vel æstimate donum linguarum, neque prohibete, variis linguis aliquem in cœtu vestro loqui [7], dummodo non desit Interpres, qui quod ille dixerit, explicet : verum semper præferte Prophetiæ donum, & curate, ut in cœtibus vestris vers. 40. omnia honeste, & secundum ordinem transigantur. Hæc est hujus articuli conclusio, ad disciplinam in cœtibus servandam spectantis.

1 *Turpe est enim, mulierem loqui in Ecclesia*. Id est : *Non decet, inverecundum est*, &c. Grot. Est. Menoch.
2 Plura Exemplaria Græca, & Latina omittunt *Mandata*, ἐντολαί. S. Oecum. & Clarom. Boerner. Ambrosiast.
3 Matth. 25. 12. 4 Εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω. Ita Græc. impress. Alii : ἀγνοηθήσεται. *Ignorabitur*. Ita Vulg. Frob. Ambrosiast. Hieronymiast. alii, *Ignoratur*. Ita Clarom. & S. Germ. forte, *ignorator*. Mill.
5 Est. Grot. Menoch. Tirin. 6 Supra vers. 22. 23. Vide Chrysost. Theod. alios.
7 Grot. Le Clerc.

CAPUT XV.

Probat futuram mortuorum resurrectionem exemplo resurrectionis Dominicæ, quam plurimis testimoniis confirmat, Ordo, ratio, forma, qualitates corporum resuscitandorum : Integrum mortis excidium.

1. NOtum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis,
quod & accepistis, in quo & statis, 2 Per quod & salvamini : qua
ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. 3 Tra-
didi enim vobis in primis, quod & accepi : quoniam Christus mortuus est pro
peccatis nostris secundum Scripturas. 4 Et quia sepultus est, & quia resurrexit
tertia die secundum Scripturas. 5 Et quia visus est Cephæ, & post hoc unde-
cim : 6 Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul : ex quibus multi
manent usque adhuc, quidam autem dormierunt : 7 Deinde visus est Jacobo, de-
inde Apostolis omnibus : 8 Novissime autem omnium tamquam abortivo visus est
& mihi. 9 Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apo-
stolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei : 10 Gratia autem Dei sum id,
quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus la-
boravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum : 11 Sive enim ego, sive illi ;
sic prædicamus, & sic credidistis. 12 Si autem Christus prædicatur, quod resurre-
xit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum
non est ? 13 Si autem resurrectio mortuorum non est : neque Christus resurrexit :
14 Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est
fides vestra : 15 Invenimur autem & falsi testes Dei : quoniam testimonium dixi-
mus

mus adversus Deum, quod suscitaverit Christum: quem non suscitavit, si mortui
non resurgunt. 16 Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. 17
Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in pec-
catis vestris. 18 Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. 19 Si in hac
vita tantum in Christo sperantes sumus omnibus hominibus. 20 Nunc autem Chri-
stus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium: 21 Quoniam quidem per homi-
nem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. 22 Et sicut in Adam omnes
moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. 23 Unusquisque autem in suo
ordine, primitiæ Christus: deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu ejus cre-
diderunt. 24 Deinde finis: cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum evacua-
verit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. 25 Oportet autem illum
regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. 26 Novissima autem ini-
mica destruetur mors: Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat:
27 Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia. 28
Cum autem subjecta fuerint illi omnia: tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui
subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. 29 Alioquin quid facient,
qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur
pro illis? 30 Ut quid & nos periclitamur omni hora? 31 Quotidie morior per ve-
stram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro. 32 Si (se-
cundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non
resurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. 33 Nolite seduci:
Corrumpunt mores bonos colloquia mala. 34 Evigilate justi, & nolite peccare:
ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor. 35 Sed di-
cet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient? 36 Insipiens,
tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. 37 Et quod seminas, non
corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut ali-
cujus cæterorum. 38 Deus autem dat illi corpus, sicut vult: & unicuique semi-
num proprium corpus. 39 Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem homi-
num, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. 40 Et corpora
cœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem ter-
restrium. 41 Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum.
Stella enim differt a stella in claritate: 42 Sic & resurrectio mortuorum. Semi-
natur in corruptione, surget in incorruptione: 43 Seminatur in ignobilitate, sur-
get in gloria: Seminatur in infirmitate, surget in virtute: 44 Seminatur corpus a-
nimale, surget corpus spiritale. Si est corpus animale, est & spiritale, sicut scri-
ptum est: 45 Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus A-
dam in spiritum vivificantem. 46 Sed non prius, quod spiritale est, sed quod
animale: deinde quod spiritale. 47 Primus homo de terra, terrenus: secundus
homo de cœlo, cœlestis. 48 Qualis terrenus, tales terreni: & qualis cœlestis,
tales & cœlestes. 49 Igitur, sicut portavimus imaginem terreni: portemus & ima-
ginem cœlestis. 50 Hoc autem dico, fratres: quia caro, & sanguis regnum Dei
possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit. 51 Ecce myste-
rium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 52
In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, & mortui re-
surgent incorrupti: & nos immutabimur. 53 Oportet enim, corruptibile hoc in-
duere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. 54 Cum autem
mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta
est mors in victoria. 55 Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?
56 Stimulus autem mortis peccatum est: virtus vero peccati lex. 57 Deo autem
gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. 58 Ita-
que fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles: abundantes in opere Domini
semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.

ỳ. 1. NOTUM AUTEM VOBIS FACIO.] Inter A mortuorum resurrectionem negantes [1]. Quinam illi Christianos quidam erant seductores, essent, & quę eorum rationes, non satis liquet, sed videntur

[1] Vide infra vers. 12. & S. Chrysost. Theodoret. & Grotium in hunc versiculum.

tur fuisse Philosophi, qui resurrectionis doctrinam figurare, atque allegorice explicabant, dicentes, resurrectionem jam factam esse, tamquam solum in regeneratione baptismi, & in vitæ immutatione consistere. Hujusmodi autem erant Hymenæus, & Philetus, de quibus in altera ad Timotheum Epistola verba fecit; *qui a veritate exciderunt, dicentes, resurrectionem esse jam factam* [1]. Ex Patribus alterius seculi constat, plurimos fuisse malos Christianos, atque Hæreticos, qui Philosophiæ præceptis imbuti hunc fidei nostræ articulum in dubium vocabant. Judæi non secus ac nos corporum resurrectionem credebant, ideoque de illis hoc in loco Apostolus verba minime fecit.

℣. 2. QUA RATIONE PRÆDICAVERIM VOBIS, SI TENETIS.] Græcus [2]: *Quo verbo Evangelium vobis annunciaverim si nostis*, vel *si meministis*. Quidem [3] auferunt particulam *si*. *Nostis*, vel *scire debetis, quibus sermonibus vobis Evangelium prædicaverim*. Credunt, Apostolum isthic in mentem revocare velle Corinthiis ea verba, quibus illis mortuorum resurrectionem annuntiaverat, & quibus Domini verba explicuerat, longe alia ab illis, quæ sibi recentiores Doctores conabantur appingere. Haeccine vos docui? Hiccine verborum meorum sensus est? *Si meministis*, species est Ironiæ, perinde ac tanti momenti præceptum ex eorum memoria excidere debuisset.

NISI FRUSTRA CREDIDISTIS:] Nisi jam obliti estis eorum, quæ dixi vobis, & nequicquam credidistis, atque omnis labor meus modo in irritum cessit. Profecto si obliti estis, & prædicationis meæ, & præcipuorum fidei vestræ articulorum, inutilis facta est fides vestra; nequicquam Christiani vocamini. Græcus verti potest [4]: *nisi temere credidistis*, inaniter, sine ratione, sine examine, velut qui omnibus aures præbent, & qui eadem leviter fidem relinquunt, qua illam receperant.

℣. 3. TRADIDI ENIM VOBIS.] Isaias 53. 5. *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & livore ejus sanati sumus*. Resurrectio JESU CHRISTI ex præcipuis est sanctissimæ Religionis nostræ fundamentis, & merito Apostolus de eadem verba facit tamquam de aliquo deposito, quod ipse Corinthiis tradiderit: Sacro quidem atque inviolabili deposito, quod præcipuum est fidei, speique nostræ fundamentum.

℣. 4. ET QUIA RESURREXIT TERTIA DIE SECUNDUM SCRIPTURAS.] JESU CHRISTI resurrectio enuntiata est, & figurata in pluribus locis Scripturarum veteris Testamenti [5]; sed trium dierum numerus nullibi adeo perspicue exhibetur ac in Jonæ historia [6], ad quam Salvator de futura sua resurrectione verba faciens alludit [7].

℣. 5. ET QUIA VISUS EST CEPHÆ,] vel S. Petro. Non affert isthic omnes JESU CHRISTI apparitiones; sed eas solum, quæ magis idoneas censet, ad animum Corinthiorum movendum. JESU CHRISTI ad S. Petrum apparitio a S. Luca memoratur c. 24. 34. idque obiter solum refertur; postquam narrasset duorum discipulorum in Emmaus euntium historiam, eorumque reditum Jerosolymam, postquam Salvatorem agnovissent, ait Evangelista, illos convenisse undecim Apostolos congregatos, a quibus audierunt, JESUM resurrexisse, atque Simoni apparuisse.

POST HOC UNDECIM.] Hoc accidit eodem tempore, quo duo discipuli ex Emmaus reversi narrabant Apostolis, quid sibi accidisset in via [8]. Græcus typis editus legit: *duodecim* Apostolos; sed veteres complures Vulgatæ conformes sunt: *undecim* [9]. S. Lucas undecim memorat, licet tunc non amplius esset Judas, & S. Thomas abesset. S. Paulus hoc in loco duodecim fuisse dicit, quamvis re ipsa decem essent tantummodo. Quæ omnia negotium nobis facessere non debent: S. Lucas enim attendit ad numerum Apostolorum, qui tunc Apostolicum Collegium constituebant; & S. Paulus veterem, & communem eorum numerum ante Judæ apostasiam considerat. Consule, si vacat, S. Augustinum, *libro 3. de Consens. cap. 33.*

℣. 6. PLUSQUAM QUINGENTIS FRATRIBUS SIMUL.] Cum JESUS CHRISTUS discipulis imperasset, ut in Galilæam super quemdam montem ab ipso designatum se conferrent [10]; omnibus illis se se videndum præbuit, atque ibi ab iisdem fuit adoratus. Illic missionem eis tradidit, ut abirent ad Evangelium in omnes gentes prædicandum, & baptizandum in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Quidam Græcum [11] ita vertunt, *Post hæc visus est supernus a quingentis fratribus simul*, quasi Salvator post ascensionem suam de summo Cœlo plusquam quingentis fratribus se se ostendisset. Hæc sententia refertur a Divo Chrysostomo, Theophylacto, & Oecumenio tamquam nonnullorum, quam ipsi non improbant. Addit Apostolus, eorum quosdam, qui huic apparitioni interfuerant, adhuc vivere, ut si vellent, de narrationis suæ veritate possent fieri certiores.

℣. 7. DEINDE VISUS EST JACOBO.] Evangelium non loquitur de hac apparitione: sed Patres docent ex veteri traditione, Salvatorem S. Jacobo minori Episcopo Jerosolymitano, qui Justus, & frater Domini vocabatur, apparuisse. S. Hieronymus [12] in Evangelio Nazaræorum, vel secundum Hebræos hæc haberi asseret: *Dominus autem cum dedisset sindonem servo Sacerdotis, ivit ad Jacobum, & apparuit ei. Juraverat enim Jacobus, se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a mortuis. Rursusque post paululum: Afferte, ait Dominus, mensam, & panem: Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Jacobo justo, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis a dormientibus.*

Juxta hunc locum dicendus esset Salvator S. Jacobo apparuisse eadem dominicæ resurrectionis die, quod conciliari nequit cum iis, quæ isthic S. Paulus ait, ipsum videlicet Jacobo apparuisse, postquam in Galilæa plusquam quingentis fratribus simul se videndum præbuerat. S. Jacobus tunc vivebat adhuc, atque martyrium perpessus est post septem circiter annos, ex quo scripta fuit hæc Epistola.

In hac apparitione, vel in ea, quæ omnibus simul Apostolis sese ostendit, Dominus curam tradidit S. Jacobo Sponsæ suæ [13], hoc est Jerosolymitanæ Ecclesiæ, quam ipse formaverat, & quam ipse illi reliquit, non secus ac secundum legem vir, qui fato concedit, moriens conjugem suam fratri suo relinquit, ut per illam etiam post mortem filios obtineat. Verbo, Salvator ipse illum Jerosolymæ constituit Episcopum [14]. Sed alii [15] tenent, eam illi Ecclesiam Apostolorum suffragiis fuisse delatam, non abhorrentibus a voluntate JESU CHRISTI, qui hanc illi Provinciam decreverat.

DEIN-

---

1 2. Timoth. 2. 18. Vide & Act. 17. 18. *Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse, quia Jesum & resurrectionem annuntiabat eis.* 2 Τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, εἰ κατέχετε.

3 Syr. Clarom. Ὀφείλετε κατέχειν. *Debetis tenere.* Sic Ambrosiast. S. Germ. *Debetis sustinere.* Boerner. G. L. *Debetis tenere.* 4 Ἐκτὸς εἰ μὴ εἰκῇ ἐπιστεύσατε.

5 Vide Isai. 53. 9. Psal. 2. 7. 15. 8. 9. 10. Osee. 6. 2. &c. 6 Jonas 1. 17.

7 Matth. 12. 40. Luc. 11. 29. 8 Luc. 24. 36. Joan. 20. 19. 9 Ita Clarom. & S. Germ. G. L. Boerner. G. L. Ambrosiast. Hieronymiast. Hieronym. ad Fabiol. mans. 6. Quid. Codd. apud August. lib. 3. de Consens. cap. 33. 10 Matth. 28. 16. 11 Ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ.

12 Hieronym. Catalog. Script. Eccles. in Jacobo. Vide & Sedul. Scot. hic.

13 Vide Hieronym. in Epist. ad Gelat. Epiphan. hæres. 78. cap. 7. Bernard. lib. 1. de Consid. cap. 8.

14 Euseb. lib. 7. Histor. Eccl. cap. 19. Chrysost. hic. homil. 38. Epiphan. Hieronym. Theophyl. Procl. homil. 22. 15 Clem. Alex. apud Euseb. lib. 2. hist. cap. 1. Athan. in Synops. Hieronym. de Viris Illustr. Ambrosiast. in Galat. 1.

DEINDE APOSTOLIS OMNIBUS.] Jerosolymæ congregatis, ut Ascensionis Dominicæ testes essent [1], Apostolorum nomine non intelliguntur solum duodecim, verum duo etiam & septuaginta discipuli, qui sæpe vocentur Apostoli [2].

℣. 8. NOVISSIME OMNIUM TAMQUAM ABORTIVO, VISUS EST & MIHI.] Abortivum humilitatis ergo se nominat, quippe qui venerat extra ordinem, atque tempus a Domino ad Apostolos eligendos constitutum. Ego post reliquos omnes Apostolos veni, extraordinario quodam modo vocatus, natus, ut ita dicam ante tempus, factus Prædicator Evangelii, quod ignorabam, quod persequebar, atque non sine conatu, & contra morem ex utero Synagogæ meæ Matris erumpens [3]. Alii abortivi nomen [4] explicant pro omnium miserrimo, Apostolorum indignissimo, qui hoc nomine vocari non meretur, qui neque meritum, neque virtutem obtinet Apostoli. S. Paulus primum quidem Dominum vidit in conversione sua, dum Damascum se se conferret [5], atque iterum etiam ipsum intuitus est, cum esset in Templo, quemadmodum ipse ad Judæos loquens testatur, Act. 22. 17.

℣. 9. EGO ENIM SUM MINIMUS APOSTOLORUM.] Quomodo nam hoc dicere potest, quin officiat veritati? cum 2. Cor. 11. 5. dixerit: *Existimo, nihil me minus fecisse a magnis Apostolis*: & 1. Cor. 9. 1. *Non sum Apostolus? nonne CHRISTUM JESUM Dominum Nostrum vidi?* & demum Galat. 1. 1. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per JESUM CHRISTUM, & Deum Patrem &c.* Respondemus, illum non negare se Apostolum esse, sed se dicere minimum Apostolorum. Quorsum autem? quod Ecclesiam Dei persecutus est. Animum advertat ad id, quod ipse erat ante conversionem suam, & se cum aliis Apostolis comparat: cæterum in Apostolatu suo magis, quam alius quispiam adlaboravit [6]; sed antequam ad Apostolatum evocaretur, ipse Ecclesiam persequebatur.

℣. 10. GRATIA AUTEM DEI SUM ID, QUOD SUM.] Cum adeo indignus sim Apostolatu, nonnisi ex gratia prorsus gratuita, & peculiari Dei largitate Apostolus sum [7]. Non vitæ meæ, neque meritorum meorum rationem habuit Dominus, quando vocavit me; hæc mera est ipsius misericordia, ei gratias ago, quod vocatio ipsius in me irrita non fuerit, quod in laboribus meis mihi fuerit auxilio, & quod mecum semper adfuerit gratia ipsius, ita ut præ alio quovis laboraverim in opus illud, ad quod ipse me destinaverat. Vocationem suam, labores, atque felices eorumdem eventus gratiæ Dei refert acceptos: fatetur tamen voluntatis cooperationem, atque liberi arbitrii virtutem. *Quomodo solent Medici potentiam suæ artis in desperatis ostendere*, inquit S. Augustinus in Psal. 130. n. 7. *sic Dominus JESUS CHRISTUS Medicus, & Salvator noster, in desperato, qui persecutor Ecclesiæ fuit, ostendit magnitudinem artis suæ.*

Græca exemplaria [8] pro iis verbis, *& gratia ejus in me vacua non fuit*: legunt; *& gratia ejus, quæ est in me, non fuit inanis*. Vetera quædam Latina, immo & Græca exemplaria [9]: *gratia ejus in me parva non fuit.*

ABUNDANTIUS ILLIS OMNIBUS LABORAVI,] vel potius abundantius laboravi, quam alius quispiam Apostolorum. Nihil est hic hyperbolicum sit. Nescimus profecto quales fuerint aliorum Apostolorum labores: sed vix fieri potuit, ut majores S. Pauli laboribus fuerint, seu consideres numerum Ecclesiarum, quas ipse instituit, vel regionum, quas ipse lustravit, ubi ipse zelo suo, labore, verbis, factis, & scriptis Dei gloriam procuravit. Ille de semetipso ait [10], se ubique ab Jerusalem in Illyrium usque Evangelium disseminasse, & iis tantum in locis prædicasse, ubi JESU CHRISTI nomen ignorabatur, ne super aliorum fundamentum ædificaret. Addit etiam, non se, sed gratiam Dei secum laborasse [11]; non ego solus, neque gratia sola, sed ego cum gratia, & gratia mecum operata est. Gratia præcipuum est agens, ego vero ago gratiæ cooperans: *præsumens, se non solum operis esse ministrum per factum, sed operantis quodammodo socium per consensum*, inquit S. Bernardus [12].

℣. 11. SIC PRÆDICAMUS,] alii scilicet Apostoli; & ego JESUM CHRISTUM resurrexisse, & nos etiam esse resuscitandos.

℣. 12. SI CHRISTUS RESURREXIT,] quomodo nam inter vos aliquis invenitur qui dicat, mortuos non resurrecturos? homines hujusmodi fortasse erant, quemadmodum in primo versiculo dictum est, Philosophi, præceptis suis nimium hærentes. S. Pauli ratiocinatio supponit, ut JESU CHRISTI resurrectione tamquam articulo fidei semel admissa, non amplius ambigendum sit, de futura eorum, qui mortui sunt, resurrectione. Ita vero hoc argumentum proponi potest. Primo, si JESUS CHRISTUS resurrexit, ergo mortuorum resurrectio impossibilis non est: sed dubitandum non est, JESUM CHRISTUM resurrexisse, igitur &c. Secundo, JESU CHRISTI resurrectio non solum exemplar, verum etiam causa est meritoria nostræ resurrectionis: at JESUS CHRISTUS resurrexit, nobisque eamdem gratiam promeruit; nihil magis igitur de futura nostra, ac de præterita ipsius resurrectione nobis est dubitandum. Tertio, JESUS CHRISTUS caput est Ecclesiæ, nostrum singuli membrum sumus mystici Corporis illius: igitur, si ille resurrexit, nos quoque resurgemus. Scio quidem, mystici Corporis resurrectionem ex resurrectione corporis naturalis prorsus inferri non posse: sed cum JESUS CHRISTUS resurrectionem suam tradiderit tamquam pignus & arrham resurrectionis membrorum, cumque non pro se tantum, verum etiam pro servis suis mortem devicerit; inferri potest, mortem illius, neque integram futuram, neque voluntatem ejus adimpletum iri, nisi fideles resurgerent.

Adde his argumentorum omnium Achillem, quod ex eodem fonte deducitur. JESU CHRISTI resurrectio certissimum est missionis, divinitatis, & veritatis promissionum ejus argumentum: at ille suis promisit futurum, ut ipsos resuscitet [13]; illos ergo certissime resuscitabit. Hæc argumentatio non solum fortunam Fidelium, & electorum, verum etiam impiorum resurrectionem probat; quoniam JESUS CHRISTUS nos docuit generalis resurrectionis die, utrosque ante tribunal suum prodituros [14], & eum qui male egerint, eum qui bene, resuscitandos esse; hos quidem ut coronæ gloriam accipiant, illos vero, ut judicentur atque æternis suppliciis addicantur, Joan. 5. 29.

℣. 13. SI AUTEM RESURRECTIO MORTUORUM NON EST.] Si resurrectio possibilis non est, jam *neque CHRISTUS resurrexit*. Si JESU CHRISTI resurrectio in ambiguo est, nostra quoque est incerta [15].

℣. 14. INANIS EST ERGO PRÆDICATIO NOSTRA.] Nos sumus vel mendaces, & pseudo-Apostoli, vel insipientes, & in errorem inducti, & vos nocentes estis, qui leviter nimis, ac temere eam rem credidistis, quæ incerta erat, neque satis probata. At dici minime possumus nebulones; satis enim certa missionis, atque doctrinæ nostræ argumenta præbuimus: accusari igitur minime potestis nomine levitatis, & simplicitatis,

1 Lyr. Est. Men. alii. 2 Chrysost. hic. Ita & Theodoret. & Hieron. ad Fabiol. mansione 6. Cajet. Zegr. Est. 3 Chrysost. Theodoret. Ambrosiast. Tir. Grot. Sclater. Vorst. alii. 4 Vide Est. Vat. Menoch. alii. 5 Act. 9. 3. 4. 17. & seq. Infra 22. 6. 26. 16. 6 1. Cor. 15. 10. *Abundantius illis omnibus laboravi*. 7 Est. Grot. Men. 8 Καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμὲ, οὐ κενὴ ἐγενήθη. 9 Clarom. & Boerner. Καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ εἰς ἐμὲ πτωχὴ οὐκ ἐγενήθη. Clarom. S. Germ. Ambrosiast. *Gratia ejus in me paupera* (sic) *non fuit*. Ambrosiast. *Pauper*. 10 Rom. 15. 19. 20. 11 Græc. *Gratia Dei, quæ mecum est*: Ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί, omittunt ultimum, ἡ, Germ. Clarom. Born. Ambrosiast. 12 Bernard. de Grat. & lib. Arbitr. Vide Est. hic. & D. Thom. 13 Matth. 22. 13. 28. 30. Luc. 14. 14. Joan. 5. 29. Matth. 19. 28. 14 Matth. 19. 28. 31. 32. 33. 15 Vide Theodoret. Est. Grot. Men.

tatis, quasi temere nobis credideritis. Igitur JESUS CHRISTUS resurrexit, & nos quoque, ut ille, resurgemus.

℣. 15. INVENIMUR AUTEM & FALSI TESTES DEI.] Abusi sumus Dei nomine, atque auctoritate, verbis illius afferentes vobis, JESUM CHRISTUM resurrexisse, & promittentes, vos quoque resuscitandos. At ulla ne vobis umquam suboriri posset suspicio, quod palam adeo polluere voluerimus nomen Dei, & sacrum illius ministerium coinquinare? numquid locum vobis præbuimus, ut aliquid simile nobis exprobraretis? hæc verba, *si mortui non resurgunt*, in veteribus non paucis minime inveniuntur [1].

℣. 17. ADHUC ESTIS IN PECCATIS VESTRIS,] a quibus vos expiatos fuisse creditis in baptismo, qui figura est Dominicæ resurrectionis, & qui ex JESU CHRISTI resurrectione & morte virtutem omnem & meritum haurit [2].

℣. 18. QUI DORMIERUNT IN CHRISTO, PERIERUNT.] Qui in Christianæ religionis professione, in fide, spe resurrectionis obierunt [3]; Martyres [4], qui pro JESU CHRISTO vitam suam effuderunt, numquid in nullam reditus spem interierunt? utitur verbo *dormiendi* ad mortem significandam; constans enim resurrectionis futuræ fides apud Fideles ejus verbi usum invenerat, quod Apostolus frequentissime in sensu [5] eodem usurpat.

℣. 19. SI IN HAC VITA TANTUM IN CHRISTO &c.] Apostoli, Martyres, Sancti viri hoc in Mundo fere crucibus, contemptibus, ærumnis, laboribus sunt obnoxii. Si post hanc vitam, alia non superest; næ illi quidam omnium hominum sunt calamitosissimi; atqui Deus injustus esset, si illi, qui sanctitate, atque justitia maxime floruerunt, essent cæterorum miserrimi: alia igitur superest vita, & mortui resurgent; alioquin eorum beatitudo imperfecta esset dumtaxat, si Corpus, qui laborum particeps fuit, non esset etiam remunerationis.

Porphyrius [6] ajebat, Apostolos omnem terrarum orbem lustrasse, ut lucrum facient; eos calamitosos fuisse homines, quorum intererat recentem annuntiare doctrinam, quod illis honorem conferebat, atque opem ex iis procurabat, qui in JESUM CHRISTUM credebant. Eorum miracula Magiæ affectus esse; alios etiam similia fuisse operatos, puta Ægyptios magos, & post eumdem JESUM CHRISTUM, Apollonium Thyaneum, & Apulejum; Apostolos arte magica miracula operatos fuisse, ut fucum facerent mulierculis, quæ illos sequebantur, & quæ illis bonorum suorum possessionem relinquebant. Esto quidem, respondet Auctor commentariorum in Psalmos, qui sub S. Hieronymi nomine circumfertur, Apostoli fuerint Magi, miracula operati sint, ut ditescerent: Cur autem se crucifigi passi sunt? cur subjerunt tot cruciatus, ipsamque mortem? numquid & hoc illis proderat? numquid ultro, & sponte pro mortuo mortem aliquis subit, & pro Crucifixo patitur se crucifigi? sciebant illi, JESUM CHRISTUM in Cruce animam efflasse, & miracula operabantur, ut ejus doctrinam probarent, atque Divinitatem: quæ dementia! alia igitur illis erat spes extra hanc vitam: æterna videlicet præmia prestolabantur.

℣. 20. NUNC [7] AUTEM CHRISTUS RESURREXIT.] Non dubitatis de Salvatoris resurrectione, & nemo vestrum illam in dubium revocat; ipsa ratione aliorum mortuorum habita idem est, ac primitiæ ratione acervi totius: illæ hunc sanctificant, & quodammodo Domino consecrant. Ita cum JESUS CHRISTUS resurrexerit, omnes justi pignus habent propriæ resurrectionis [8]: ille est *primogenitus mortuorum*; fratres illius hac in re ejusdem sunt conditionis: ergo resurrectionis ejus erunt participes. Impii quoque resurgent, sed resurrectio illis neque felicitas est, neque prærogativa. Hoc illis non debetur, nisi quatenus membra sunt, & fratres JESU CHRISTI. Ex superaffluenti magnificentia sua, & superabundanti mortis suæ merito novit JESUS CHRISTUS eruere gloriam suam, cum ex justorum beatitudine, tum ex impiorum suppliciis [9].

℣. 21. PER HOMINEM MORS, & PER HOMINEM RESURRECTIO MORTUORUM.] Quemadmodum scelus Adæ mortem posteris omnibus inflixit [10]; æquum est, ut JESU CHRISTI resurrectio illis resurrectionis beatitudinem mereatur; & JESU CHRISTI mors nihilo minus nobis ad salutem profuit, quam Adæ peccatum obfuerat. Resurrectio illis debetur, qui in JESUM CHRISTUM crediderunt, & quibus hanc ille promisit. Debetur omnibus aliis, impiis etiam, atque infidelibus ex abundantia bonitatis Dei; sed sine justitiæ ipsius præjudicio, scelera in corpus simul, & in animam punientis, quod utrumque corruptum ad ea confluxerunt.

℣. 22. SICUT IN ADAM OMNES MORIUNTUR.] Omnes homines in Adam æque in corpore & anima moriuntur; in anima quidem propter originale peccatum; in corpore vero propter naturalem mortem, quibus omnes justi simul & improbi citra exceptionem quamvis sumus obnoxii. Omnes homines quodam in sensu in JESU CHRISTO reviviscent; omnes enim sine ulla exceptione resurrectionis illius participes erunt; justi quidem resurgent, æterna gloria perfruituri, impii vero æterna pœna afficiendi. Ad auferendam eam difficultatem, quæ hinc oritur ex interitu puerorum, qui sine baptismo ad plures abierunt, & reproborum, qui JESU CHRISTI remunerationum participes non sunt, S. S. Augustinus [11], Leo [12], aliique nonnulli Interpretes [13], Apostoli verba ad hunc sensum coarctant; non secus ac omnes, qui pereunt, pereunt per Adam, ita omnes qui salvi fiunt, & vivificantur, per JESUM CHRISTUM vivificantur. Vel, quemadmodum illi omnes, qui ad Adam pertinent, hoc est omnes homines, moriuntur in Adam; ita illi omnes, qui pertinent ad JESUM CHRISTUM, omnes electi ejus, in ipso resuscitabuntur ad gloriam.

℣. 23. UNUSQUISQUE IN SUO ORDINE.] Omnes homines sub finem sæculorum resurgent, at non omnes simul, & confuse. Alii quidem ante alios resurgent. SS. Patriarchæ, Justi Legis antiquæ, Martyres, electi ante impios, reprobosque resurgent. JESUS CHRISTUS est tamquam primogenitus, atque primitiæ eorum omnium, qui resurgent ad gloriam. Ille prior resurrexit, ejusque resurrectio nostra pignus est, atque arrha. Cum illo resurrexerunt Sancti quidam Veteris Testamenti, quemadmodum narrat Evangelium Matt. 27. 53. sed primi illi suscitati, iterum obdormierunt in Domino; perfunctoria eorum resurrectio erat quædam veluti figura, atque generalis resurrectionis prægustatio. Tandem novissimo die omnes homines simul, eodemque tempore, & in ictu oculi resurgent [14]: sed electi resurgent primi, quemadmodum inquit S. Paulus 1. ad Thessalonicenses 4. 16. hoc est, resurgent, antequam coram JESU CHRISTO in nubibus appareant, illi soli coram Domino suo prodibunt, cum interim reprobi in terris subsistent, & adventum Judicis præstolabuntur. In hoc vero Justorum agmine, in hac affluentia non deerit ordo: veteres Patriarchæ, Sancti

1 Ambrosiast. Iren. lib. 5. c. 13. Tertull. Syr. Theodoret. Codd. Germ. Clarom. G. L.
2 Rom. 6. 4. Vide Theodoret. hic. 3 Est. Men. 4 Theodoret. Grot.
5 Act. 7. 60. 1. Cor. 7. 39. 11. 30. 15. 6. 1. Thessal. 4. 13. 14. 15. &c.
6 Porphyr. apud Hieronymiast. in Psalm. 81. ad finem. 7 Nunc est positum hic pro *et*. Vide Rom. 3. 12. 7. 10. 1. Cor. 5. 11. 7. 14. 12. 20. 14. 6. 8 Est. Par. Piscat. Sclater. Vorst. Theodoret. hic. Chrysost. Vide & Clem. in Epist. 9 Coloss. 1. 18. Apocal. 1. 5. 10 Vide Rom. 5. 14. 15. 16. 17. &c.
11 August. lib. 13. de Civit. cap. 23. & Ep. olim 28. nunc 166. & Ep. olim 157. nunc 190. Vide & Bedam, & D. Thom. 12 Leo Magn. Ep. 23. & serm. 15. de Passione Domini.
13 Est. Hervæus, Tir. alii. 14 1. Cor. 15. 52.

Martyres, Apostoli, & qui æternam gloriam meriti fuerint, electos, atque Christianos præcedent, qui adventum ejus crediderunt [1].

Græcus legit simpliciter [2]: quoniam ii, qui sunt CHRISTI, *coram illo*, vel *in adventu ejus*. Qui sunt JESU CHRISTI, illius servi, & electi, resurgent, judicii novissimi, vel adventus illius die [3]. Eorum nomine, qui sunt JESU CHRISTI, continentur etiam Justi veteres, qui in illum crediderunt, & speraverunt, antequam veniret in Mundum, quemadmodum Theodoretus animadvertit [4].

℣. 24. DEINDE FINIS.] Post hanc resurrectionem nulla amplius expectanda est immutatio: jam assecuti erimus eum statum, in quo in omnem æternitatem eramus permansuri [5]. Credunt quidam [6], tunc solum impios, ac reprobos esse resuscitandos: at S. Paulus B de illorum resurrectione, nonnisi indirecte verba facit, dicens, quemlibet in ordine suo esse resuscitandum.

CUM TRADIDERIT REGNUM DEO, ET PATRI.] JESUS CHRISTUS quatenus homo recepit a Patre suo regimen Ecclesiæ, *quam acquisivit, & redemit sanguine suo* [7]. In fine vero sæculorum Patri restituet imperium ab illo acceptum, atque sub pedibus illius eos omnes subjiciet, quos ille acquisiverit, & ad salutem perduxerit. Tunc omne imperium, omnis dominatio, omnis temporalis potestas evertetur, & omnes inimici Domini erunt tamquam scabellum Throni illius. Hujusmodi locutiones ex Scripturis desumptæ innuunt solum imperium dæmonis, impietatis, erroris, atque terrenas potestates esse antiquandas; & Deum ab Angelis, & hominibus bonis simul, & nequam pro unico C universorum Domino habendum. Hæc imperia dividebant quodammodo supremam illius potestatem, & ab illa emanabant. In Mundi fine nulla erit amplius divisio, neque auctoritatis participatio.

℣. 25. OPORTET ILLUM REGNARE, DONEC PONAT &c.] Ostendit nobis superius, JESUM CHRISTUM omne imperium Patri suo subjicientem: hic vero ait, Filium quatenus Hominem-Deum in Ecclesiam suam, & quatenus Deum in omnia creata per omnem æternitatem regnaturum, *donec* Pater ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Non quod ad illud usque tempus minime regnaverit, & judicii die novissimo tunc tandem regnare incipiat: sed quod tunc perfectius regnabit, cum dæmon, atque impii illi perfecte erunt subjecti [8]. *Donec* non semper finitum, atque deter- D minatum, sed sæpe indefinitum tempus significat; e. gr. in Psalmo 109. unde S. Paulus hæc verba mutuatus est: *sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; numquid innuit, Dominum post hoc tempus minime esse regnaturum, neque amplius ad Patris sui dexteram sessurum? & Isajas 22. 14. *si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini*, hoc est, occidam vos, ut in vobis hanc puniam iniquitatem. Et in Evangelio Matth. 1. 25. Joseph *non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*: numquam enim Joseph Mariam cognovit, vel ante, vel postquam JESUS CHRISTUS nasceretur.

℣. 26. NOVISSIMA INIMICA DESTRUETUR MORS [9].] JESUS CHRISTUS in omnes inimicos suos dominabitur. Mors quidem ex præcipuis est illius inimicis, ergo ip- E sa etiam cum aliis destruetur? At destrui minime posset, nisi per resurrectionem; erit ergo corporum resurrectio [10], eaque generalis, alioquin mors minime superaretur, & jam aliquis esset inimicus ad Salvatoris pedes minime prostratus.

℣. 27. SINE DUBIO PRÆTER EUM, QUI SUBJECIT EI OMNIA.] Ex numero earum rerum, quæ illi subjicientur, excipiendus procul dubio est Deus Pater, qui ei omnia subjecit. Creditur [11] S. Paulus hanc exceptionem addidisse, ne exprobraretur, quasi JESUM CHRISTUM Patri ipsi præferret; vel ne crederent Ethnici, ipsum innuere velle regnum illi simile, quod Gentiles tribuebant Jovi, qui in Cœlis tunc tandem regnavit, ubi de solio Saturnum deturbavit, eumque extorrem in Fortunatas Insulas relegavit.

℣. 28. CUM SUBJECTA FUERINT ILLI OMNIA, B TUNC ET IPSE &c.] Cum per resurrectionem omnes inimici Filii deleti fuerint, Filius ipse Patri subjectus erit. Quorsum autem? quandoquidem illi æqualis est, & consubstantialis [12]? *Ego, & Pater unum sumus*. Illi subjectus est, vel per unionem ineffabilem, quæ adest inter ipsos, & quæ efficit, ut Filius sit in Deo, & Deus in Filio; quin tamen Filius cesset eum Patris loco habere: & hoc in sensu, quodammodo illi subjectum esse, quod ejus æqualitatem, potentiam, infinitam majestatem minime evertit [13]: vel Patri subjectus est, quatenus Ecclesia, quæ mysticum est Corpus illius, illi perfectissime subjecta est [14]; vel denique quatenus humana natura ipsius, licet hypostatice cum Verbo conjuncta, semper est per se ipsam toto Cœlo Divinitati inferior, ideoque Patri subjecta [15].

C UT SIT DEUS OMNIA IN OMNIBUS.] Et omne genu flectatur coram illo; & quidquid hactenus Dei nomen usurpaverit, deleatur, & auferatur, & creata quælibet in Cœlo, & in Inferno infinitam illius Divinitatem, atque superioritatem confiteantur; ipse etiam Filius eo in sensu, quem modo explicuimus, illi subjectus sit, & nihil infinitum, absolutum, æternum, universale hoc imperium perturbet.

℣. 29. ALIOQUIN QUID FACIENT, QUI BAPTIZANTUR PRO MORTUIS?] Si mortui non resurgunt, & si nulla illis reliqua spes est post hanc vitam, ad quid proderit Baptismus, qui pro mortuis recipitur? numquid ablutiones, quibus utuntur, postquam funeribus interfuerunt? putant, ablutiones has profuisse ad sordes expiandas, ac symbolum fuisse resurrectionis [16]. D Credunt alii [17], tunc consuetudinem viguisse, ut aliquis baptizaretur in nomine illius, qui, cum mors illum, velut ex insidiis, esset adorta, obiret, antequam ipse Sacramentum Baptismi posset recipere. At versiculum hunc peculiari in Dissertatione fusius ad examen vocabimus.

℣. 30. UT QUID PERICLITAMUR OMNI HORA?] Si post hanc vitam nihil nobis est expectandum, si nulla expectanda est resurrectio, cur nosmet tot periculis subjicimus? verum Cœli beatitudo nonne tanta est, ut earum rerum omnium, quæ patimur, pretio redimi mereatur? licet JESUS CHRISTUS resurrectionem nobis pollicitus non fuisset, numquid cætera bona, quæ Religio nobis pollicetur, non mererentur, ut quælibet pericula subiremus ad ea comparanda? verum quidem est. At numquid eorum particeps esse posset corpus? quæ ratio nos impelleret, ut illud tot, tantis-

que

1 Vide Tertull. de Resurrect. carnis. *Unusquisque in suo ordine, scilicet quia & in suo corpore. Ordo enim non aliud quam meritorum dispositor*. Est. Grot. Tir. Men. Vide & Apocal. 20. 5.

2 Ἔπειτα οἱ Χριστοῦ, ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ. Ita Syr. Ambros. Hieronym. August. Primas. Codd. aliqui Latini. Vide Mill. & Est. 3 Theophylact. Est. Vide 1. Thessalon. 4. 15.

4 Theodoret. hic. 5 Chrysostom. Est. Menoc. 6 Theoph. Oecumen. Theodoret.

7 Aug. lib. de Trinit. cap. 8. Hilar. lib. 11. de Trinit. Victor. Est. Tir. hic.

8 Theoph. Oecumen. D. Thom. Est. 9 Ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος. *Ultimus inimicus destruetur mors*. Ita legunt Tertull. de Resurrect. carn. c. 58. Hieron. in Isai. 24. & 27.

10 Est. Tir. alii. 11 Theophylact. Theodoret. alii.

12 Joann. 10. 30. 13 Chrysostom. hic. Theophylact. Oecumen. Ambrosiast.

14 Athanas. lib. de Humana Nat. a verbo suscepta; Theodoret. hic. Gregor. Nazianz. apud Theophylact. August. quæst. 29. inter 83. 15 Hieronym. lib. 1. Dialog. advers. Pelagg. cap. 2. August. lib. 3. contra Maxim. cap. 18. & lib. contra serm. Arian. cap. 37. quæst. 69. inter 83.

16 Vide Ligfoot. hic. 17 Grot. hic. Vide ibidem Tertull. de Resurrect. carnis, & contra Marcion. & Ambrosiast. &c.

que laboribus exerceremus, nisi esset in remunerationis partem venturum. Quisnam vitam suam, valetudinem, requiem in periculum vellet adducere, & subjicere corpus suum frigori, calori, fami, atque cruciatibus propter ea bona, quæ ad ipsum minime pertinerent?

℣. 31. QUOTIDIE MORIOR PER VESTRAM GLORIAM FRATRES.] S. Paulus jurat per gloriam, quam Corinthiorum conversio sibi coram Deo promerebatur: Vos estis filii mei in Jesu CHRISTO, corona mea, gaudium meum, gloria mea, totius amoris, ac studii mei objectum. Quemadmodum verum est, vos a me summopere amari, ita verum est, me quotidie mori, vel saltem me paratum esse quotidie, ut moriar; adeo mihi de futura resurrectione persuasum est, & parvo adeo in discrimine vitam meam habeo [1]. Græca quædam exemplaria [2] legunt, *per nostram gloriam*, per gloriam, quæ ex fide nostra nobis redundat. Sed Vulgatæ B versio maxima manuscriptorum frequentia, & Græcorum, Latinorumque Patrum auctoritate probatur [3]. Alia Latina exemplaria [4] legunt: *propter vestram gloriam*; alia: *pro vestra gloria*, qui bipalmaris est error. Probat S. Augustinus [5] ex hoc loco, jusjurandum absolute illicitum non esse, quandoquidem S. Paulus juravit per gloriam, quam vitæ Corinthiorum sanctitas sibi procurabat.

℣. 32. SI SECUNDUM HOMINEM AD BESTIAS PUGNAVI EPHESI.] Si ingenium illud, quo omnes ferimur ad vitæ nostræ incolumitatem servandam, consulo, & si non resurgimus, quid umquam me coegit, ut Ephesi cum bestiis pugnarem? Cur memet hujusmodi periculis objeci propter inanem alterius vitæ spem? profecto si quod nobis promisit JESUS CHRISTUS, futurum ut resurgeremus, falsum est; reliquæ ejusdem C promissiones nihilo magis veræ sunt.

De hac S. Pauli ad bestias Ephesi pugna in diversa abeunt Interpretes; aliis quidem [6] credentibus, ipsum re ipsa damnatum fuisse, ut cum bestiis pugnaret, idcirco in arena fuisse expositum, licet hujus rei in Actis S. Lucas non meminerit; aliis vero [7] ex Sancti Lucæ silentio inferentibus, pugnam a S. Paulo Ephesi perlatam, non aliam fuisse ab ea, quam subiit contra aurifices, qui Dianæ Ephesiæ ædiculas quasdam, vel numismata efficiebant [8]. Has illæ bestias appellat eodem in sensu, quo S. Ignatius Martyr *pardos* vocat milites, a quo deducebantur; & idem Apostulus [9] *Leonem* nuncupat Neronem Imperatorem. Sed postrema hæc sententia probari minime potest, quoad hanc circumstan- D tiam; Epistola enim, quam explicamus, scripta fuit eo anno, qui aurificum Ephesiorum seditionem contra S. Paulum præcessit. Putat etiam Scaliger, Græcum [10] ita esse legendum: *pugnavi ad bestias contra homines Ephesi*. Sed Auctoris hujus lectio nullius Græci exemplaris, vel typis editi, vel manuscripti auctoritate probatur. Pro bestiis S. Hieronymus [11] dæmones intelligit; qui in Apostolum maximam inimicorum turbas concivere, ita ut procul abfuerit, quominus periret.

Sed simplicior, atque aptior hæc est sententia, S. Paulum in arena Ephesia bestiis fuisse objectum, antequam hanc scriberet Epistolam; sed illinc a Deo per

Omnipotentem providentiæ suæ effectum ereptum fuisse. Si S. Lucas in Actis, & S. Paulus ipse facti hujus alibi expliciti verba non facit, ubi in altera ad Corinthios Epistola 11. 24. recenset labores, eaque pericula, quæ subiit; inde factum est, quod cum divinitus periculum illud evanuerit, ore non censuerunt, ipsum verbis extollere. Hoc certe liquet, hujus loci textum apertissime significare, ad bestias realiter objici, quo in sensu illum intellexerunt Divus Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosiaster, S. S. Cyprianus ep. 6. atque Hilarius in Auxent. Nicephorus etiam l. 2. c. 25. hist. Eccles. ex libro, cui titulus, *Itinera S. Pauli*, prolixam rei hujus affert historiam.

S. Paulus in carcerem conjectus fuit, atque bestiis expositus a Præside Urbis Ephesi, cui nomen Hieronymus. Cum esset in vinculis, ad eum accesserunt duæ mulieres, cui nomen Tabulla, & Artemilla, petentes, ut ab eo baptizarentur. Ille vincula excussit, & de carcere egressus ad maris littus accessit, ubi illas sacro expiavit Baptismate, & mox in carcerem rediit, atque vinculis semet constrinxit, quin aliquis hoc intelligeret. Cum autem in arena expositus fuit, in illum ferocissimus Leo emissus ad pedes ejus procubuit; & aliæ plures deinde feræ in eumdem productæ eidem minime nocuerunt: quo eodem tempore tanta repente grandinis copia cecidit, ut spectatorum plurimi interierint. Hieronymus ipse se se convertit, atque Baptismum poposcit, & ita S. Paulus ex tanto periculo evasit. Vetus hæc est historia; et ideo nihilo minus fabulosa.

MANDUCEMUS, ET BIBAMUS; CRAS ENIM MORIEMUR.] Hoc familiare proverbium erat apud Lacedæmonios [12], & sæpius etiam ab Epicureis usurpatum. Si nihil in altera vita expectare debemus, cur in hac minime gaudendum est nobis, quid frustra inanibus laboribus fatigemur? Septuaginta in Isaja cap. 22. 13. eodem modo legunt, quo Sanctus Paulus; quod conjecturam adstruit, Apostolum hoc inde potius, quam ex Epicureis desumpsisse. Probat autem sententiam suam de resurrectione ex iis absurdis, quæ ex opposita sententia proveniunt.

℣. 33. NOLITE SEDUCI: CORRUMPUNT BONOS MORES COLLOQUIA MALA [13].] Postrema hæc verba desumpta sunt, vel ex Euripide, quemadmodum Socrates Historicus l. 3. cap. 14. & Nicephorus l. 10. c. 26. putant; vel potius ex Menandro, quemadmodum Auctores plerique arbitrantur [14]. S. Paulus [15] profert nonnumquam prophanos Auctores. O Corinthii, ne vos falli patiamini; ne audiatis perniciosos hos homines resurrectionem negantes: illos horrete tamquam pestem, quæ cor, animumque vestrum corrumpere valeat; sed cum illis serpentis prudentiam habete; omnia enim simplicitas nimis obnoxia est periculo apud hujus vitæ viros. *Bonos mores* [16]: Græcos, mores simplices, faciles, commodos, imprudentes.

℣. 34. EVIGILATE JUSTI.] Fugite hos corruptos homines, *ignorantiam enim Dei habent*, Epicureorum more vivunt, resurrectionem negant, & omni scelerum generi se se mancipant. Græcum [17] habet: *Evigilate juste, & nolite peccare*. Vel: *Evigilate ex ebrietate*

1 Vide Grot. Est. 2 Καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω, νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν. Ita impressi Codd.
3 Ita Steph. Codd. 4. Clarom. & S. Germ. Bomer. Syr. Arab. PP. Græci, & Latini passim. Vide Mill. & Est.
4 Ita edit. Sixti V. & quidam alii Vulg. libri. Vide Est. hic.
5 August. l. 1. de sermone Domini cap. 17. & lib. de Verbis Apostoli, c. 28. & ep. 89. nunc 157. n. 40.
6 Ambrosiast. & Chrysostom. Theodoret. hic. Pisc. Cornel. alii.
7 Theoph. Primas. Hervæ. Baron. Grot. Hamm. Est. Vide Tertull. de Resurr. carn. c. 48.
8 Act. 19. 29. 30. 9 2. Timoth. 4. 17. 10 Εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ: pro, κατὰ ἀνθρώπων. *Secundum hominem*. 11 Hieron. Præfat. in l. 3. Exposit. ep. ad Ephes.
12 Valla. Erasm. & Mss. quoddam 11. sæculi, apud D. Bernard. de Montfaucon, Diar. Ital. pag. 212. Anonymi in ἀρχαίᾳ παροιμίᾳ. Et alii Codd. apud Mill. hic habent ad marginem.
13 Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. Cyprian. ep. 55. & lib. 3. Testim. *Corrumpunt ingenia bona, confabulationes pessimæ*. 14 Ex Menandri Thaide. Grot. Est. alii. Hieronym. expresse ep. 84. ad Magnum, & ad Demetriad. ep. 8. & quid. Codd. hic, ad marginem. Vide Mill.
15 Vide Act. 17. 28. & Tit. 1. 16 Χρηστά. Chrysost. Εὐεξαπάτητα. Theodoret. Κοῦφα, *Levia*.
17 Ἐκνήψατε δικαίως, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε. Ἀγνωσίαν γὰρ Θεοῦ τινες ἔχουσι. Alii: Ἐκνήψατε: δίκαιοι. Ita Clarom. & S. Germ. Latin. *Evigilate, justi*. August. Ambrosiaster, & Hieronymiaster; Sed alii Latini Codices plurimi habent *Juste*, & ipse Ambros. in Psal. 118.

tuis vestro justi, vere, sincere, atque imposterum in justitiæ, & pietatis exercitatione vivite [1]. Ebrietatem, ignorantiam, somnum, Divinæ justitiæ oblivionem vocat, statum eorum, qui negant resurrectionem: profecto nemo adeo scelestus est, nisi per ebrietatem affectuum, & somnum ignorantiæ, vel inertiæ, vel denique eum omnino oblitus est promissionum, & justitiæ Dei, qui iis, qui sibi fideles permanserint, æterna bona spopondit. Immortalitas animæ, resurrectio, & remuneratio justorum in altera vita, itemque idea Divinæ justitiæ cohæret, ut harum veritatum alteram negari minime possit, quin altera labefactetur.

℣. 35. QUOMODO RESURGUNT MORTUI?] Constituta resurrectionis doctrina, quibusdam objectionibus contra eamdem ingestis occurrit: *Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient?* hoc neque concipi potest, neque fieri: corpora nostra jampridem sunt in cineres erunt resoluta; & si corpus in eo statu reviaxerit, in quo hodie est; rursus igitur iisdem, quibus nunc, obnoxii erimus necessitatibus? quæ si vera sunt, ubi ea est felicitas, quæ nobis promittitur?

℣. 36. QUOD SEMINAS, NON VIVIFICATUR, NISI PRIUS MORIATUR.] Corporibus nostris idem accidit, quod semini in terram projecto; semen quidem primum computrescit, mox æra germen, quod ibi continetur, se paulatim evolvit, adolescit, calamum suum, florem, ac tandem suum fructum producit. Ita corpora nostra terræ sinu excipiuntur, ibi contabescunt, ibi diu morantur; sed tandem Deus illa rursus conjungit cum animabus, a quibus olim animata fuerunt, eisque formam, & vitam restituit. Rabbini antiqui [2] libenter hac utuntur similitudine ad mortuorum resurrectionem probandam, eamque Salvator ipse apud S. Johannem usurpat 12. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

℣. 37. QUOD SEMINAS NON CORPUS, QUOD FUTURUM EST, SEMINAS.] Seris granum tritici, atque unus, aut plures inde prodeunt calami, unam plerisve aristas granis repletas habentes. Ita humi conditur corpus, infirmum, corruptibile, & per resurrectionem inde evadet immortale, gloriosum, incorruptibile: *Seminas nudum granum*, ait Tertullianus de Resurrect. carn. c. 52. *sine folliculi veste, sine fundamento spica, sine munimento aristæ, sine superbia culmi, exurgit autem copia feneratum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu munitum, & usquequaque vestitum.*

℣. 38. DEUS DAT ILLI CORPUS, SICUT VULT [3].] Deus in ipsis Mundi primordiis semini cujusque plantæ indidit virtutem semet reproducendi, & multiplicandi, ubi terræ sinu exceptum computruisset. Ejus potestas, atque voluntas ad hanc quoque diem operantur, quemadmodum tunc in plantas, omnesque naturæ productiones, operatæ fuerunt. Marcionitæ in exemplaribus suis legebant [4]: *Deus dat illi spiritum, sicut vult. seminatur corpus animale, & resurgit corpus spiritale: seminatur in corruptione, & in incorruptione resurgit*, quod non sine quodam discrimine legitur vers. 43. & 44.

℣. 39. NON OMNIS CARO EADEM CARO.] Dicitis: si in carne, uti sumus, resurgemus, iterum ne mortales, & corruptibiles erimus? haud ita omnis caro non est essentialiter corruptibilis, quemadmodum hæ carnes, quas videmus in terris. Omnes quidem sunt carnes, sed non omnes eadem sunt: Hinc ex eo, quod caro, qua induti sumus, mortalis est; non sequitur, carnem, in qua resurgemus, mortalem futuram. In resurrectione ea corruptionis principia, quæ modo sunt in corporibus nostris, ibi non erunt amplius; maledictio, qua Adam percussus fuit, amplius non subsistet; neque humanarum contrariorum immixtio, & pugna aderit amplius; caro illa munda erit, gloriosa, atque incorruptibilis.

Aliter; non secus ac in natura maxima est varietas carnium animantium; ita in resurrectione inter Electorum, atque Beatorum corpora magnum erit discrimen, ratione gloriæ, fulgoris, & pulchritudinis, quibus singula emicabunt [5]; idque potiori jure inter corpora electorum, atque reproborum [6].

℣. 41. ET CORPORA COELESTIA.] Versiculus hic, & qui subsequitur, probant eamdem rem, quam nuper diximus: quemadmodum plurimum discrimen est in natura inter corpus, & corpus; ita in resurrectione etiam plurimum erit [7]. Hoc autem ex varietate meritorum gloriæ, & beatitudinis delumetur: etenim *in domo Patris mei mansiones multæ sunt*, Joan. 14. 2.

℣. 42. SEMINATUR IN CORRUPTIONE.] Corpus animale multifariam potest intelligi; sed Patres [8], & notæ melioris Interpretes [9], hoc in loco *de mortali corpore* intelligunt, quatenus opponitur *Corpori Spirituali*, quod est immortale. Anima in Scripturis sæpe vitam significat [10], vel id quod sensitivam, & vegetativam animam vocamus, ab anima rationali diversam. Corpus hominis eo in statu, in quo sumus, est igitur corpus animale; & quando mortuum est, atque terræ insepultum, corpus est animale, quod seminatur, non quod sit adhuc vivens, & *corpus animale*, sed quod fuit, & quod adhuc in eo jus remanet. Post resurrectionem vero corpus dicitur spirituale, non quod talis sit quoad substantiam, sed quod collatum cum animali corpore, quod nunc animamus, agilius erit, subtilius, & levius, immortale, se penetrans, & iis omnibus exolutum, quæ illud corruptibile, grave, & mortale constituunt. Anima ibi sine labore, atque obice munera sua exercebit. Non sentiet amplius pondus affectuum suorum, & concupiscentiæ, quo ad terram detrahitur [11], atque versus sensibilia objecta inclinatur: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*, Sap. 9. 15.

SI EST CORPUS ANIMALE.] Hæc verba in nonnullis exemplaribus desunt [12]. Græcus typis editus simpliciter legit: *adest corpus animale, & adest corpus spiritale*. Sed quamplura Græca Exemplaria, & Patres quidam cum Vulgata legunt: *Si est corpus animale &c.*

℣. 45. FACTUS EST PRIMUS HOMO ADAM.] Adam primus homo creatus est cum anima vivente. Vel, primus Adam creatus est animatus, & vivens, Deus illi spiritum, & vitam tribuit, & omnes homines, qui ex eodem originem duxere, atque animati sunt, & viventes; corpus habent animale, atque mortale. Sed JESUS CHRISTUS [13], novissimus Adam, *Spiritu vivificante repletus est*. Resurrexit, atque fidelibus omnibus corpus spirituale in resurrectione promisit. Quicumque in ipso nati sunt per baptismum, & fidem, si in amore illius perseveraverint, gloriæ illius participes erunt. Primus Adam mortales tantum, atque peccatores genuit; secundus vero Adam Sanctos, & immortales filios produxit, Spiritus vivificans, quem nobis

1 Erasm. Grot. Est. Theodoret. Theophylact.

2 Rabb. Meir. in Gemar. de Synedrio, & Rab. Hya. Vide Grot.

3 Græc. impress. Καθὼς ἠθέλησε, *sicut voluit*. Ita & plures Latini.

4 Apud Author. Dialog. contra Marcion. sect. 5. p. 144. Ὁ Θεὸς δίδωσιν αὐτῷ πνεῦμα καθὼς θέλει, (pro σῶμα) σπείρεται σῶμα ψυχικὸν, ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν. Σπείρεται ἐν φθορᾷ, ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσίᾳ.

5 Vide Est. Menoch. ex Augustin. Beda, Lombard. Hervæ.

6 Tertullian. de Resurrect. carn. cap. 52. *Alia caro hominis, id est, servi Dei; alia jumenti, id est, Ethnici. Alia volucrum, id est, Martyrum: Alia piscium, id est, quibus aqua Baptismi sufficit.*

7 Vide Tertull. loc. cit. Ambrosiast. Est. alios.

8 Augustin. Enchirid. cap. 91. lib. 12. de Genesi ad Litter. cap. 7. & lib. 13. de Civit. cap. 20. & PP. Græci.

9 Est. Grot. Tir. D. Thom. Cajet. Menoch. alii.

10 Genes. 1. 20. 24. 30. 11. 7. 2. 4. 5. Levit. 17. 11. 14.

11 Horat. lib. 2. sat. 2.

12 Millius, & Erasmus putant verba hæc inepiè addita.

13 Ita PP. & Interp. passim. Rom. 5. 15. 16. 17.

nobis communicat, est vel Spiritus Sanctus [1] nos resuscitans, nobisque tribuens immortalitatem; vel ipsa animæ, qua in hac vita animamur [2], & quæ iterum in suum corpus reversa, illi tribuet vitam omnino recentem, ac toto Cœlo prima perfectiorem.

℣. 46. NON PRIUS QUOD SPIRITALE EST.] Adam apparuit ante JESUM CHRISTUM, peccatum ante gratiam, mors ante resurrectionem. In natura res omnimè ex eo incipiunt, quod perfectissimum est, sed per gradus, Deus illas ad perfectionem adducit. Ita in ordine gratiæ, lex minus est perfecta, quam Evangelium. Post priores gratias aliæ præstantiores subsequuntur; Deo famulari incipimus per metum, cui comes adsit amor inchoatus; desinimus vero per amorem longe perfectissimam. Primus homo Pater est corporis animalis; JESUS CHRISTUS corporis spiritualis. Corpus animale in terra seritur; Corpus spirituale resurgit, atque beata immortalitate perfruitur.

℣. 47. PRIMUS HOMO DE TERRA TERRENUS [3].] Cum Adam de terra fuerit efformatus, terrestris est, corruptibilis, mortalis; secundus Adam, videlicet JESUS CHRISTUS, cum genitus sit a Patre ab æterno, cumque naturam nostram induerit, atque resurrexerit, Cœlestis est, æternus, Omnipotens, immortalis. Philo omnullam eorum, quæ isthic a S. Paulo dicuntur, ideam conceperat. *Duo sunt*, inquit ille lib. de Alleg. *hominum genera, alii Cœlestes sunt, alii terreni, Cœlestis efformatus est ad imaginem Dei, & nihil habet materiale, & corruptibile, sed terrenus compactus est ex divisibili materia, quam Moyses pulverem appellavit.*

℣. 48. QUALIS TERRENUS, TALES & TERRENI.] Qualis fuit Adam mortalis, infirmus, sexcentis laboribus obnoxius, tales sunt præsentis vitæ filii. Ita quemadmodum secundus Adam Cœlestis est, ejus quoque filii sunt cœlestes, immortales, resuscitati, ac vitam prorsus recentem viventes. Ac debet ille corpori nostro, licet adeo in se abjectum sit, recentem formam tribuere, ita ut illum glorioso Corpori suo similem quodammodo efficiat. Addit ℣. 49. *sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem Cœlestis.* Vel cum Græco [4] textu; *quemadmodum portavimus imaginem terreni, portemus etiam Cœlestis.* Quemadmodum omnes in Adam morimur, omnes in JESU CHRISTO resurgamus. Plerique Patres, atque plurimi MSS. [5] Vulgatæ conformes sunt; imitemur alterum Adam in obedientia sua, in sancta vita sua, ut Resurrectionis, & promissionum suarum participes esse possimus. Sequens Versiculus prorsus huic explicationi suffragatur.

℣. 50. CARO, & SANGUIS REGNUM DEI POSSIDERE NON POSSUNT.] Carnalis homo, donec permanet in hoc statu, Resurrectionis, & Regni JESU CHRISTI particeps esse non potest. Donec præsenti vita vivimus, atque mortale hoc gerimus corpus, resurgere non possumus [6]. Oportet primum, ut semen hoc seminetur, atque humi crescat, antequam germinet [7] & fructum afferat. Vel, si hoc in morali sensu intelligas, & cum ℣. 49. secundum Vulgatam conjunges *Caro, & sanguis*, actiones carnis, & sanguinis, oppositæ actionibus spiritus, rationis, & pietatis, numquam Regno Dei perfruentur [8], nisi antea spiritus succedat carni, virtus, & pietas, fides & charitas, iis carnis operibus, de quibus S. Paulus ad Galatas 5. 19. verba facit: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum servitus, veneficia &c. & his similia, quæ prædico vobis, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.*

℣. 51. ECCE MYSTERIUM DICO VOBIS: OMNES QUIDEM RESURGEMUS, SED NON OMNES IMMUTABIMUR.] Boni atque, & mali Resurrectionis participes erunt; at illi nequaquam experientur felicem eam immutationem, quæ electis accidet. Regnum Cœleste non possidebunt, gloria non induentur, neque in partem vocabuntur illius felicitatis, qua Beati in Cœlo fruentur [9]. *Ita ut corruptio omnium resurgentium sit, gloria autem, atque mutatio propria Sanctorum*, ait Dydimus apud S. Hieronymum. Resurrectio illis non est optabile bonum, immo gravissimum eorum est infortunium, quoniam major illos manet pœna, atque gravior confusio. Hæc Vulgatæ lectio, quam modo explicuimus, in optimis MSS. [10] & in pluribus antiquis Patribus [11] invenitur, & videtur hæc communior fuisse, & quæ fere sola in Romana Ecclesia obtinuerit.

Alii legunt [12]: *omnes dormiemus*, vel *omnes moriemur; sed non omnes immutabimur*, quod non difficile explicueris juxta eum sensum, quem nuper attulimus: omnes quidem homines morientur, at non omnes ad gloriam, æternamque beatitudinem resurgent.

Denique Græcus typis editus, plerique veterum MSS. Patrum, atque Interpretum legunt [13]: *non dormiemus*, vel non omnes moriemur; *sed omnes immutabimur*. Cum JESUS CHRISTUS novissimi Judicii die in terras venerit, ibi viventes adhuc homines inveniet. Homines illi non morientur, vel saltem non redigentur in pulverem, neque computrescent, velut qui jam diu mortui fuerunt; *sed omnes immutabuntur*, & gloria induentur, si digni habiti fuerint. Ad immortalitatis statum minime transibunt, cum hoc corpore adeo naturæ nostræ infirmitatibus subdito; immutabuntur, & glorificabuntur, velut hi, qui ex ipso e sepulchri pulvere, atque tabo resurgent. Hoc a S. Paulo mysterium vocatur. Hæc omnia apertam habent rationem cum iis, quæ inquit Apostolus, & ℣. 52. capitis hujus, & ℣. 15. cap. 4. prioris Epistolæ ad Thessalonicenses: novissimo videlicet Judicii die non defunctos pios homines adhuc viventes, qui non gustata morte, sed tantum felicem, de qua loquitur, immutationem, experti, coram JESU CHRISTO supremo Judice prodibunt [14].

At quomodo nam id conciliari potest, quod Apostolus

1 Chrysostom. Theophylact. Method. Oecumen. Tertull. de Resurrect. carn. 55. Ambrosiast. hic.
2 Augustin. Beda, Herve, alii Latini, D. Thom. Est. Cajet.
3 Græc. impress. Ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Sed plerique MSS. & PP. non legunt, ὁ Κύριος.
4 Καὶ καθὼς ἐφορέσαμεν τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ, φορέσωμεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου.
5 Vide Var. Lect. Mill. hic. 6 Est. Grot. Menoch. Tirin. Hammon. Vorst. Sclater.
7 Vide Augustin. Ep. olim 146. nunc 205. ad Consentium. Est. alios passim, utrumque sensum exponentes.
8 Vide Rom. 8. 13. *Si enim secundum carnem vixeritis moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, Galat. 5. 16. 9 Diodor. Tharsen. Apollinar. Origen. Dydimus, apud Hieronym. Est. ad Minervium, & Alexand. Vide & August. lib. 20. de Civit. cap. 20. Tertull. lib. de Resurrect. carnis. Alii Latini.
10 Claromont. S. German. Velez. S. Cyrill. teste Gago.
11 Tertull. de Resurrect. carn. cap. 42. Hilar. in Psalm. 118. Ambrosiaster hic. Ambros. in Hexaemer. lib. 4. cap. 4. & lib. 5. cap. 23. Hieronymiest. hic & Hieron. Ep. ad Miner. ad finem. August. plurib. locis, qui in plerisque Latinis haberi dicit qu. 3. ad Dulcit. Fulgent. Rufin. Bede, Gennad. Philo. Carpat. Vide Mill. hic.
12 Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, ἀλλ᾽ οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα. Ita Alex. Colb. 7. Boerner. G. L. Codd. Græci aliquot, Totib. Oecumen. Hieronymiest. hic. Hieronym. Ep. ad Minervium. Codd. Latini aliqui teste August. lib. 20. de Civit. cap. 20. qui & Epist. olim 146. nunc 205. notat eam lectionem fuisse Codd. Græc. Æthiop. Didym. apud Hieronym. Epist. ad Minervium & Alexand.
13 Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Ita Codd. aliqui Gr. teste Oecumen. Hieronymiest. Hieronym. Acacio Codd. aliqui Latini teste Didymo, MSS. plerique omnes Græci. Syr. Arab. Origen. Theod. Heracl. Apollinar. Didym. Diodor. Tharf. Author. ad orthodox. qu. 11. & 109. Theodor. Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Oecumen. Author. Dialog. contra Marcionit. apud Phot. Hieronym. in Isai. 52. Vide Mill. hic.
14 Vide Erasm. Zeger. Est. Grot. Drus. Vorst. Pisc. alii plures.

sos erit, *nonnem omnes moriemur*, cum eo, quod toties in Scripturis iteratum est [1], mortuis videlicet sententiam in omnes homines generatim esse prolatam. Tertullianus de Resur. carn. c. 41. D. Chrysostomus, & Theodoretus hic, S. Hieronymus Ep. ad Marcellum, Theodorus Heracleensis, & Apollinarius a S. Hieronymo in Epistula sua ad Minervium, & Alexandrum citati, & Cajetanus tenent, non omnes, quos tacitus, quem explicemus, litteram esse morituros. Sed aliorum plerique [2] putant, omnes ad breve momentum obituros, ut statim post resurgant. Mors non erit nisi levis somnus, atque brevissimus, longe diversus a vulgari morte, quæ in corruptionis, atque horroris statum nos redigit.

℣. 52. IN MOMENTO, IN ICTU OCULI .... &c. IMMUTABIMUR.] Vel ad breve momentum dormiemus, deinde vero resurgemus, quemadmodum dictum est. Vel, quia moriamur repente, atque in momento ex statu mortalitatis ad immortalitatis statum ex Græcorum Patrum sententia transibimus. Hactenus enim Ecclesia nihil in hac re statuit, & integrum est cuicumque utram voluerit, sententiam amplecti.

Quoad tubæ sonitum, quem Apostolus isthic, & in 1. Epistola ad Thessalonicenses 4. 15. in universo terrarum orbe exaudirum iri dicit, ut mortui ex tumulis suis excitentur, hic fortasse vehemens erit, acutusque sonitus illi similis, qui in monte Sinai auditus fuit, cum ibi apparuit Dominus, Moysi Legem traditurus [3], vel similis tonitrui sonum nitidiorem habenti, qui signum erit Dominici Imperii; ac tamquam vox illius omnes ad judicium convocantis; ita de sepulchro Lazarum evocavit, cum illum resuscitavit, Joan. 11. 43.

℣. 53. OPORTET ENIM, CORRUPTIBILE HOC INDUERE INCORRUPTIONEM.] Loquitur de corpore hoc, veluti cutem suam attingens, eamque ostendens [4]. Hoc corpus, hoc idem corpus hodie mortale, atque corruptibile, aliquando immortalitatem induet: naturam, ut ita dicam, immutare debet, antequam in cœlestem gloriam admittatur; ex mortali, & corruptibili, fieri oportet, incorruptibile, & immortale.

℣. 54. ABSORPTA EST MORS IN VICTORIA. 55. UBI EST MORS VICTORIA TUA?] Ubi resuscitati fuerimus, vel immutati, quemadmodum ait ℣. 51. tunc mortis imperium omnino delebitur, atque Scripturæ illud vaticinium adimplebitur: *absorpta est mors in victoria &c.* locus hic desumptus est ex Isaja 25. 8. in cujus Hebraico textu legimus: *absorbuit mortem in æternum*: vel juxta Septuaginta; *mors victrix deglutivit*; quam versionem cum argumento suo S. Paulus accommodare non posset, locum hunc ipse vertit, non autem ad litteram, sed qui tamen a sensu recederet [5].

℣. 55. UBI EST MORS VICTORIA TUA?] Locus hic ex Osee 13. 14. desumptus est Hebraice legente: *ego excidium tuum ero o mors; ego morsus tuus ero o sepulchrum*. Sed Septuaginta, Syrus, & Arabs S. Paulo conformes sunt [6]: *ubi est lis tua, o mors? ubi stimulus tuus, o sepulchrum?* Aquila, & quinta Editio: *ubi sermones tui o mors? ubi stimulus tuus &c.* Syrus; *ubi est mors victoria tua?* Arabs: *ubi est pœna tua &c.* Græca S. Pauli exemplaria loci hujus ordinem invertunt [8]: *ubi est mors stimulus tuus, ubi victoria tua sepulchrum?* non semel jam adnotavimus, S. Paulum Scripturas afferre, quin tamen proprie textus verbis adhæreat, Dei Filius pro nobis cumulatissimam de his rebus victoriam reportavit.

℣. 56. STIMULUS AUTEM MORTIS PECCATUM EST.] Mortem exhibet veluti serpentem, vel hostem, aculeo armatum. Aculeus iste peccatum est. Adam per inobedientiam suam morti contra seipsum arma suppeditavit, quibus lacessitur, atque confossus fuit. At vis, improbitas, potestas, virtus, peccati in Lege consistit. Quorsum autem? quia lex, atque interdictum Dei occasionem præbet prævaricationi, pravam hominis voluntatem irritans, atque malum ostendens, quod antea non noverat; quin simul illi vires ad illud evitandum, atque vincendum suppeditat [9]. Videnda sunt, quæ Apostolus ait in Epistola ad Romanos 3. 20. & 5. 13. & 7. 8. Gratia in hac vita sola est contra peccati mortem animæ inferentis conatus medicina; in altera vero vita Resurrectio in æternum a morte, omnibusque effectibus ejus nos liberabit.

℣. 57. DEO AUTEM GRATIAS.] Omnes homines redacti erant sub peccati, atque mortis servitute; sed Deus inde per JESUM CHRISTUM illos liberavit. Mortuus est, ut nobis omnibus gratias ad salutem necessarias compararet; resurrexit vero, ut beatitudinem, & Resurrectionis gloriam nobis promereretur.

℣. 58. ESTOTE & IMMOBILES, ABUNDANTES IN OPERE DOMINI.] Constantes estote, atque immobiles in fide Resurrectionis, atque indesinenter attendite, ut vosmet perficiatis, atque omnia Christianæ Religionis officia expleatis, quandoquidem nuper vobis ostendi, laborem vestrum irritum non futurum, & vos aliquando in Cœlis gloriam adepturos.

---

1 Genes. 3. 19. Rom. 5. 12. Heb. 9. 27. *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* hic. vers. 22.
2 Vide, si placet, August. lib. 20. de Civit. cap. 20. Oecumen. hic. Alios maxime a Latinis apud Est. hic.
3 Exod. 19. 16.
4 Tertull. de Resurr. carnis. *Cum dicit, istud corruptivum, & istud mortale, carnem ipsam tenens dicit tertio, istud, nisi de subjecto, nisi de comparenti pronunciasse non potuit.* Ita & Theodoret. &c.
5 Vide Chald. Syr. Arab. & Interpp. in eum locum.
6 70. Ποῦ ἡ δίκη σου, θάνατε, ποῦ τὸ κέντρον σου, ᾅδη.
7 Ποῦ εἰσιν οἱ λόγοι σου.
8 Ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, ᾅδη, (alii θάνατε) τὸ νῖκος, pro, *Ubi est mors, victoria tua?* Plerea Antiqui legunt: *Ubi est mors, contentio tua?* Legebant νεῖκος, pro νῖκος. Vide Est.
9 Est. Menoch. Tir. Vorst. Grot. alii.

CAPUT XVI.

Corinthiis commendat curam pauperum Palæstinæ, eisque pollicetur, se ad eos venturum. Excusat Apollinem, quod illuc non venerit. Timotheum illis commendat, ac Stephanæ domum; & Epistolam suam salutationibus concludit.

1. DE collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavit Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. 2 Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non, cum venero, tunc collectæ fiant. 3 Cum autem præsens fuero: quos probaveritis per epistolas, hos mittam

tam perferre gratiam vestram in Jerusalem. 4 Quod si dignum fuerit, ut & ego eam, mecum ibunt. 5 Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo. 6 Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hyemabo: ut vos me deducatis, quocumque iero. 7 Nolo enim vos modo in transitu videre, spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. 8 Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecostem. 9 Ostium enim mihi apertum est magnum, & evidens: & adversarii multi. 10 Si autem venerit Timotheus, videte, ut sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut & ego. 11 Ne quis ergo illum spernat: deducite autem illum in pace, ut veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus. 12 De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus: & utique non fuit voluntas, ut nunc veniret: veniet autem, cum ei vacuum fuerit. 13 Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini. 14 Omnia vestra in charitate fiant. 15 Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniam sunt primitiæ Achajæ, & in ministerium Sanctorum ordinaverunt seipsos. 16 Ut & vos subditi sitis ejusmodi, & omni cooperanti, & laboranti. 17 Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam id, quod vobis deerat, ipsi suppleverunt: 18 Refecerunt enim & meum spiritum, & vestrum. Cognoscite ergo, qui hujusmodi sunt. 19 Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum Aquila, & Priscilla cum domestica sua Ecclesia: apud quos & hospitor. 20 Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto. 21 Salutatin mea, manu Pauli. 22 Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran-Atha. 23 Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. 24 Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen.

℣. 1. DE COLLECTIS AUTEM [1] QUÆ FIUNT IN SANCTOS.] Apostoli Jerosolymitani Concilii S. Paulo Prosiociam demandaverant, ut pro pauperibus Palæstinæ eleemosynas quasdam congregaret [2]: euque munere summa cura fuerat perfunctus. Alias quidem in Galatia, alias in Macedonia collegerat, & ipse etiam commissurus erat illos, qui easdem deferrent Jerosolymam. Explevit ille munus suum, atque eo in itinere fuit a Judæis comprehensus [3]. Proponit Apostolus Corinthiis exemplum fidelium Galatiæ, ut eorum zelum, & charitatem excitet erga Jerosolymitanos fratres, qui a Judæis obduratis, atque JESU CHRISTI infensissimis hostibus multa pertulerant. A

℣. 2. PER UNAM SABBATHI [4].] Quilibet vestrum prima die Sabbathi aliquid seponat, quod malueris in eleemosynas erogare. Primus hebdomadæ dies Dominicus est, qui semper fuit dies devotionis, atque cœtus apud Christianos in Dominicæ resurrectionis memoriam, quæ illa die accidit [5]. Tertullianus perspicue loquitur de eleemosynis, quas quilibet singulis Hebdomadis, vel mensibus in Ecclesiæ thesauros inferebat pro pauperibus, pupillis, & senibus, atque ut impenderentur mortuis tumulandis, & solatio quodam reficiendis martyribus in exilium conjectis, atque ad metalla condemnatis [6]. *Modicam unusquisque stipem menstrua die vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt.* Eleemosynæ, de quibus S. Paulus verba facit, in cujuslibet fidelis domo seponebantur, fortasse quod nulla adhuc erat communis Ecclesia, ubi omnes semper congregarentur. B C

℣. 3. QUOS PROBAVERITIS PER EPISTOLAS, HOS MITTAM,] ad eleemosynas vestras Jerosolymam deferendas. Hoc est, nisi Corinthum venero, ad me scribetis, ubicumque fuero, quinam a vobis electi fuerint, eosque nomine vestro simul, & meo in Jerusalem mittam. Vel interpunctione variata [7]: *missam cum Epistolis meis eos, quos vos ipsi probaveritis*. Vel denique illos cum vestris, atque meis Epistolis illuc mittam. Tunc enim in more positum erat, ut credentiales Litteræ fidelibus traderentur pro aliis eorum locorum fidelibus, quo proficiscebantur. Postremus hic sensus magis naturalis videtur.

℣. 4. SI DIGNUM FUERIT,] si eleemosynarum summa merebitur, ut eas ego ipse una cum illis Jerosolymam adducam [8].

℣. 5. VENIAM AD VOS.] S. Paulus in altera ad Corinthios Epistola c. 16. docet, sibi primum mentem fuisse Corinthum versus adnavigandi, ubi Ephesо egrederetur; Corintho vero in Macedoniam iter vertendi, ac tandem de Macedonia Corinthum redeundi, atque illinc in Judæam proficiscendi. At consilium immutavit, ac noluit statim Corinthios invisere, ut illis tempus præberet ea omnia auferendi, quæ si nactos esset, ubi illuc venisset, ipsi maxime displicuissent. Neque illum sua spes fefellit. Cum Titus Corinthum venisset, ibi summo cum honore, atque observantia receptus fuit, qui cum mox convenisset S. Paulum, qui Ephesо in Macedoniam venerat sub finem Maii anni 57. rationem illi reddidit status illius, in quo Corinthiaca Ecclesia se haberet. Tunc S. Paulus alteram ad Corinthios scripsit Epistolam, quam ad eosdem per Titum misit; atque tandem & ipse Cosiotham venit sub

1 Περὶ δὲ τῆς λογίας, &c. Theodoret. Λογίαν λέγει τὴν συλλογὴν τῶν χρημάτων. S. Paulus passim utitur vocabulo λογία, ad has eleemosynas innuendas. At MSS. & editi constanter sic legunt, λογία.
2 Galat. 2. 10. 3 Act. 24. 17. 4 *Una sabbathi*, positum est pro, *prima sabbathi*. *Sabbathum* in stylo Hebræorum pro tota hebdomada usurpatur.
5 Κατὰ μίαν σαββάτων. Chrysost. Vide Justin. Apolog. 2. Tertull. Apologet. cap. 39. Ambrosiast. Theodoret. hic. Apoc. 1. 10. *Dies Dominica*. 4 Tertull. Apologet.
7 Οὓς ἐὰν δοκιμάσητε, δι' ἐπιστολῶν τούτους πέμψω. Ita Chrysost. Theodoret. Syr. Arab. Æsh. Grot. Men. Haymo, &c. 5 Theodoret. Est. Menoch. Grot.

sub finem anni 57. [1] post annum circiter, ex quo priorem hanc Epistolam dederat.

℣. 6. APUD VOS AUTEM FORSITAN MANEBO.] S. Paulus cum Corinthum venisset sub anni finem, tres ibi menses permansit, vel ea in civitate, vel in oppidis eidem finitimis; unde tandem discessit sub Paschatis festivitatem, quæ anno illo contigit die quinta supra vigesimam Martii. Diem hunc festum celebravit Philippis, quæ Macedoniæ Civitas est [2]. Ita Corinthi hyemem transegit, quam *forsitan* apud illos se transacturum scribit; quod innuit, ipsum ignorasse, utrum consilium suum posset explere [3]. Prophetæ enim non semper divinitus afflati sunt.

℣. 8. PERMANEBO AUTEM EPHESI USQUE AD PENTECOSTEM.] Ex hac Urbe excedere coactus fuit propter Demetrii Ephesii Aurificis seditionem, qui Populum in eumdem excitavit, ita ut procul abfuerit, quo minus interiret [4]: inde autem egressus est sub mensem Maii anni 57. JESU CHRISTI, paulo post Pentecosten [5].

℣. 9. OSTIUM ENIM MIHI APERTUM EST MAGNUM, & EVIDENS [6].] Ephesi atque in finibus ejus miram nanciscor in hominum cordibus ad Evangelium recipiendum dispositionem. Efficit Deus, ut admirabilem in populis facilitatem invenirem [7]: licet insurgant in me *adversarii multi* cum ab Judæis invidentibus, quod Evangelium apud Gentiles adeo progrediatur, tum a complurimis Ethnicis, qui veritati adversantur. Verum hæc adversa me non absterrent; ac nullo ea in discrimine habeo, dummodo JESUS CHRISTUS prædicetur, cum alioquin dociles, atque bene paratos auditores inveniam.

℣. 10. SI VENERIT TIMOTHEUS, VIDETE, UT SINE TIMORE SIT APUD VOS.] S. Paulus antequam ex Asia decederet, Timotheum discipulum suum cum Erasto miserat in Macedoniam [8], cumque jusserat Corinthum accedere, atque deinde ad se Ephesum reverti, illum fortasse mittebat, ut curaret, eleemosynas præparari, quæ Jerosolymam erant mittendæ. Isthic igitur Corinthiis commendat, ut illum cum honore excipiant, atque agant cum eo, ut sine timore, & sollicitudine in eorum Urbe versetur, cum ab alienigenis, tum a domesticis, qui ex illius adolescentia occasionem arripere possent ejus contemnendi, vel non satis confidentiæ, atque amoris & existimationis eidem testandi [9]. ℣. 11. *Ne quis illum spernat.*

℣. 11. DEDUCITE AUTEM ILLUM IN PACE.] Humanissime illum excipite [10], & cum inde reverti voluerit, illum in pace concomitamini; eum ad portum cum honore deducite, atque omnia amicitiæ officia illi probete [11]. Metuere videtur S. Paulus, ne dissensiones, quæ tunc in Corinthiaca Ecclesia versabantur, & ea ratio, qua ad illos scripserat, aliquam fortasse discipulo suo invidiam, vel contemptum conflarent, ita ut non satis humaniter a Corinthiis exciperetur.

℣. 12. DE APOLLO AUTEM.] Scimus, Apollinem Corinthi prædicasse, ibique irrigasse ea, quæ S. Paulus plantaverat [12]: inde mox Ephesum venisse, atque cum S. Paulo arctissimis amicitiæ vinculis conjunctum fuisse, neque inde abfuisse, cum Epistolam hanc scripsit Apostolus. Potuisset ille quidem procul dubio aspectu suo non parum conferre ad pacem illius Ecclesiæ statuendam. S. Paulus igitur etiam, atque etiam illum oravit, at exorare non potuit: fortasse quod eum dissensiones, quæ ibi tunc dominabantur, partim ex eodem occasionem accipoissent, illum ne rediret, deterruerunt: *non fuit voluntas, ut nunc veniret*. Nonnulli [13] hoc intelligunt, quasi S. Paulus innueret, noluisse Deum, ut illuc Apollo accederet: sed veritati propius videtur, ipsum Apollinem suis actum fuisse rationibus, ne iter illud susciperet [14].

Addit Apostolus, *veniet autem, cum ei vacuum fuerit*. Credunt nonnulli [15], Apollinem alterum fuisse ex duobus, quos S. Paulus paulo post sub dimidium anni 57. Corinthum cum Tito misit, & quos Apostolos, vel Ecclesiæ legatos, & JESU CHRISTI gloriam appellat [16]. De altero loquens ait, illius zelum, summamque vigilantiam pluribus in locis sibi fuisse exploratissimam. Credit S. Hieronymus in Tit. 3. Apollinem Corinthum rediisse, ubi audiit, turbam per ejus occasionem obortam jam subsedisse.

℣. 13. VIGILATE, STATE IN FIDE &c.] Vigilate, neque sinite fucum vobis fieri a seductoribus, falsisque Doctoribus: constantes estote in fide, quam a nobis recepistis, neque omni vento doctrinæ vos circumferri permittite.

℣. 14. OMNIA VESTRA IN CHARITATE FIANT.] Procul abjicite omnes dissensiones, atque jurgia [17]; vobis unum sit cor, & anima una in JESU CHRISTO Domino nostro. Qui fortes sunt, patiantur infirmos, & quilibet pro virili fratres ædificare, & ad virtutem excitare contendat.

℣. 15. NOSTIS DOMUM STEPHANÆ, & FORTUNATI, & ACHAICI.] Tres hi viri Ephesum venerant, ut S. Paulum inviserent; illis autem Corinthum redeuntibus has litteras tradidit, & Corinthiis commendat, ut eos homines observent, & colant tamquam Achajæ primitias, & qui *in ministerium Sanctorum ordinaverunt seipsos*. Quidam Græcum ita vertunt [18]: *Cognoscite domum Stephanæ*; illius, uti par est, rationem habete; quam versionem versiculus 18. confirmat. Græcus editus de *Stephana* tantum loquitur; sed Manuscripti plures addunt [19], *Fortunatum*, & alii etiam [20] *Achaicum*, quod desumptum est ex ℣. 17. hujus capitis. *Stephanas* cum familia sua erant Achajæ primitiæ: nescio vero, utrum hoc ipsum dici queat de Fortunato, & Achaico.

℣. 16. UT & VOS SUBDITI SITIS EJUSMODI:] ut illos colatis, in honore habeatis, eis aures præbeatis, illos imitemini. Zelo, atque bona vivendi ratione merentur, ut erga illos æquissimam existimationem habeatis. Metuere videtur, ne illis redeuntibus Corinthii imputent quidquid in hac Epistola vehementius dictum est, eosque habeant tamquam homines, qui nequiter ad Pauli aures attulerint, quidquid in eorum Ecclesia [21] contigerat.

℣. 17 ID, QUOD VOBIS DEERAT, SUPPLEVERUNT.] Mihi officia sua præstiterunt, me consolati sunt, mihi testatissimam fecerunt amicitiam, qua me complectimini, mihique visus sum quodammodo vos omnes in eorum persona intueri. Grotius Græcum ita vertit [22]: *Admonuerunt me de vestris defectibus*; ostenderunt mihi abusus, qui in Ecclesiam vestram obrepserunt; illi me de iis rebus erudierunt, quæ vos ipsi monere debueratis. Confer 2. *Cor* 9. 12.

℣. 18. REFECERUNT & MEUM SPIRITUM, & VESTRUM

---

1 Act. 20. 1. 2. &c. 2 Act. 20. 3. Chrysost. homil. 41. Tillemont. ad S. Paul. art. 34. 3 Theophyl. 4 Act. 19. 25. & seq. 5 Tillemont. Not. 48. ad S. Paul.

6 Θύρα μεγάλη καὶ ἐνεργής. *Ostium magnum & efficax*. Alii: Μεγάλη, καὶ ἐναργής. *Magnum & evidens*. Ita Clarom. S. Germ. Borner. in Lat. Ambrosiast. August. Hieronymiast. hic Sed Codd. omnes Græci & Patres. Etiam Codd. S. Germ. & Clarom. in Græco ἐνεργής. Mill. hic. 7 Chrysost. bis, homil. 63.

8 Act. 19. 22. & 1 Cor. 4. 17. 9 Vide 1. Timoth. 4. 12. *Nemo adolescentiam tuam contemnat*.

10 Theodoret. 11 Confer Act. 20. 38. *Deducebant eum ad navem*, & Act. 21. 5.

12 1. Cor 3. 5. 6. 13 Theodoret. Theophyl. Oecumen. Cod. Epist. Bibl. Bodl. Θέλημα Θεοῦ.

14 Est. Grot. Men. Tir. 15 Theodoret. in 2. Cor. 8. 16 2. Cor. 8. 22. 23.

17 Vide sup. 3. 1. 11. 1. & seq. 14. 1. &c. Grot. Men. Tir. Theodoret. 18 Οἴδατε τὴν οἰκίαν Στεφανᾶ. Quod æquivalet ἐπιγινώσκετε οὖν τοὺς τοιούτους, ℣. 18. 19 Alexand. Clarom. S. Germ. in. Copht. Theodor. alii. 20 Ambrosiast. Hieronymiast. Borner. G. L. 21 Theodoret. ad vers. 18. Theophyl. & Chrysost. 22 Ὅτι τὸ ὑμῶν ὑστέρημα οὗτοι ἀνεπλήρωσαν.

STRUM [1].] Me consolati sunt narrantes quomodo vosmet haberetis, mihique occasionem præbuerunt, ut ad vos scriberem, & vos erudirem. Aliter, consolati sunt spiritum meum, qui idem est ac vester, quoniam charitatis ejusdem vinculis conjuncti sumus, & eodem Spiritu Sancto animamur. Vide Estium, & Tirinum.

Ý. 19. SALUTANT VOS ECCLESIÆ ASIÆ.] Ephesini vero præsertim, ubi tunc erat Apostolus, & unde hoc litterarum dabat. Adesse fortasse in eadem Urbe homines ex Ecclesiis Galatiæ, Lycaoniæ, Phrygiæ, vel aliis quibusdam, quorum nomine S. Paulus salutem dicit Corinthiis.

AQUILA & PRISCILLA] apud quos hospitor, quoniam & ipsi sunt artis scenofactoriæ [3]. Apud eosdem Corinthi jam commoratus fuerat S. Paulus, cumque Aquila & Priscilla eumdem subsequuti fuerint Ephesum, probabile videtur, ut apud illos hospitio fuerit receptus. Attamen haud carere dubitatione id posse videtur; quoniam Græcæ editus, & veteres complures manuscripti, & Græci Patres hanc circumstantiam non afferunt, quæ tamen legitur in Manuscriptis Claromontii, & S. Germani Pratensis [1], apud Ambrosiastrum, atque Interpretem, qui S. Hieronymi nomine circumfertur, & in plerisque latinis exemplaribus. Addit S. Paulus, *Ecclesiam domesticam* illis salutem dicere; sive hoc intelligatur de Aquilæ familia, quæ tota Christiana erat [4], sive explicetur de fidelibus, qui illuc se se recipiebant, atque plerumque ibi congregabantur, Dei verbum audituri. Illuc Fideles vulgo congregari consuevisse videntur, ut S. Paulum, vel ipsum Aquilam audirent.

Ý. 20. SALUTATE INVICEM IN OSCULO SANCTO.] Hoc fieri consueverat in cœtibus primorum CHRISTI fidelium, in amoris, & charitatis signum; quod tribuit occasionem calumniis Ethnicorum, & commentitiis incestibus, aliisque flagitiis, quibus labem Ecclesiæ adspergebant. Vide *Rom.* 16. 16. & 2. *Cor.* 13. 12. Post orationem [5], & ante Sacrorum mysteriorum Communionem osculum invicem deferebant [6], quod Tertullianus lib. de Orat. Symbolum Orationis appellat, pignus charitatis, & unionis, quæ Orationem concomitari debet.

Ý. 21. SALUTATIO MEA, MANU PAULI.] Reliquam quidem Epistolam dictavi; at salutationem hoc est Ý. 19. & 22. & reliquum Epistolæ mea manu scripsi [7]. Eodem pacto Epistolam ad Colossenses, & alteram ad Thessalonicenses concludit.

Ý. 22. SI QUIS NON AMAT DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM, SIT ANATHEMA, MARAN-ATHA.] Postrema hæc vox Syriaca est, & significat: *Dominus accedit*, vel *Dominus accessit*. Hoc maximum omnium Anathematum dicitur fuisse [8], quo homo aliquis extremo devovebatur excidio, eique Domini adventus, & judicium imprecabatur; quasi diceret: in æternum exterminetur, & veniat Dominus quamprimum, ut ex eo ultionem deposcat. *Maran-Atha* idem est, ex Drusii & Grotii sententia, ac *Schamata*, vel *Schem-Atha*; Nomen venit, hoc est, *venit Deus*. *Schamata*, gravissima est apud Judæos excommunicatio; sed Ligfoot atque Seldenus tenent [9], nullam in hoc sensu apud Rabbinos mentionem inveniri *Maran Atha*; & fidei consonum videtur, hoc in loco id unum significare: *quicumque non amat Dominum Nostrum, Anathema sit, Dominus accessit*. Venit supremus Dominus, & liberator Israel, quem incredoli Judæi probris vexant, & maledictis, una cum iis, qui eumdem Messiæ loco non habent, proscindunt: sed illi ipsi sint Anathemata. Videtur autem hoc præcipue in Judæos dictum [10], qui non solum non diligebant Dominum, sed qui eumdem in Synagogis suis injuriis, atque imprecationibus obruebant [11]. Innuere potest etiam Auctores dissensionis, quæ Corinthi Ecclesiam turbabat; incestos homines, & eos qui inanem libertatem prætexentes fratribus suis scandalum inferre non verebantur.

Ý. 23. GRATIA DOMINI.] Utinam gratiam inveniatis in oculis ejus, & omnium benedictionum genere cumulemini: quæ consueta est ratio, qua S. Paulus suas concludit Epistolas.

Ý. 24. CHARITAS MEA CUM OMNIBUS VOBIS.] Vos sincera charitate complector: vel, vera vos charitate utinam complectar; vel denique, utinam vos me sincera charitate complectamini. Tanta me dilectione prosequamini, quanta vos prosequor.

Græca exemplaria [12] isthic legunt, hanc Epistolam Philippis in Macedonia fuisse conscriptam: sed in præfatione ostendimus, eamdem Epheso missam fuisse. Græcæ subscriptiones in plerisque S. Pauli Epistolis sunt falsæ, atque nullius in Ecclesia auctoritatis. Illud vero occasionem tribuere potuit eorum errori, qui hanc Philippis scriptam crediderunt, quod S. Paulus Ý. 5. ait [13]: *Veniam ad vos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransiero*. Sed legendum *pertransea*, pro *pertransibo*: profecto enim Macedoniam Apostolus insequenti anno Corinthum veniens pertransiit.

1 Ambrosiaster. & Commentarium nomine S. Hieronymi in hunc locum addunt, *charitate*.
2 Act. 18. 2. 3. 3 Ἀκύλας, ἡ Πρίσκιλλα [illegible].
4 Est. Grot. Erasm. Hamm. Men. &c. 5 Origen. hic, lib. 10. pag. 415.
6 Cyrill. Catechesi Mystag. 5. 7 Est. Grot. Men. 8 Vide Grot. hic. & ad Luc. 6. 22. Drus. ad Joan. 9. 22. & alibi, Marianam hic. Ita Hieronym. Ep. 137. Chrysost. Theodoret. Theophyl. Sedulius. Alii passim. 9 Vide Selden, de Synedriis, lib. 1. c. 8. 10 Lyran. Ligfoot. Est. Marianay.
11 Hieronym. in Isai. Epiphan. alii. 12 Πρὸς Κορινθίους πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Φιλίππων διὰ Στεφανᾶ καὶ Φουρτουνάτου, καὶ Ἀχαϊκοῦ, καὶ Τιμοθέου. Plures omittunt hanc subscriptionem. Alii legunt: Ἀπὸ Ἐφέσου. Ita Selden. Arab. Syr. Tremell. Chrysost. Theodoret. Oecumen. Athan. 13 Vers. 5. cap. 16. Ἐλεύσομαι δὲ πρὸς ὑμᾶς ὅταν Μακεδονίαν διέλθω, (Μακεδονίαν γὰρ διέρχομαι.) Vide Capell. & Ligf.

Finis Epistolæ Primæ S. Pauli ad Corinthios.

ARGU-

ARGUMENTUM

II. EPISTOLÆ S. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS.

Incertus Apostolus, quem Corinthiis sensum sua illa Epistola induxisset, Titum, cui & Discipulum comitem nobis adhuc ignotum adjecit [1], ad eos misit, ut per illos totius rei eventum addisceret. Ejus vero Epistola Corinthios adeo concusserat, & ad Apostoli amorem una & reverentiam ita excitaverat, ut, ubi Titus Corinthum pervenit, officioli & pavidi eumdem exceperint. Interea Ephesius quidam, quem Demetrium vocant, Aurificum seditionem concitaverat; quare Paulus Epheso egredi coactus, per Hellesponti oram Troadem venit, si forte Titum Corintho regredientem offenderet: quem cum obvium minime habuisset, tametsi de suæ Epistolæ eventu sollicitus, ne aliquo fructu Evangelium prohiberet, ab incepto itinere non abstinuit, & in Macedoniam [2], quæ plurima ei perferenda objecit, trajecto mari pervenit.

Verum Deo humiles, & doloribus obrutos animos solari consueto, maximam Paulus de Titi adventu lætitiam percepit; a quo Christifideles a fornicario jam disjunctos, amotis etiam, vel saltem seditiosorum cæteris cohibitis, ab ipso Apostolo veniam poscere, eleemosynas Jerusalem erogandas rursum congerere [3], res denique Corinthi Ecclesiæ optime cedere, quam maximo animo solatio accepit. Dolorem tamen satis etiam idcirco exhausit, quod eorum quidam ab impudicitiis omnino non destitissent [4]: quod præterea Pseudo Apostoli ab Judæis egressi ea, quæ ipse ædificaverat, evertentes, Moysis Legi obtemperandum docerent, ipsumque Paulum Legis eversorem, hominem neque a Christo, neque a primis Apostolis missum, & Apostolatus munere non decoratum, appellarent [5].

Quibus malis ut Paulus confestim occurreret, hanc secundam Epistolam dedit, quam Tito, duobus fratribus, quos & laudibus quam maxime attollit [6], eidem sociis adjectis, deferendam commendavit. His literis primo ea, qua spoponderat, celeritate se Corinthum non contulisse fatetur, ne in eorum quosdam, ægre quidem, sed gravissime animadvertere cogeretur [7]. Eos laudat, quod optime cum fornicario se gesserint, cui illorum gratia veniam indulget [8]. Adversus Pseudo-Apostolos ea sapientia, eaque modestia sui Apologiam instruit, ut socios suos potius, suumque ministerium, quam se ipsum efferre videatur. Corinthios ut eleemosynas [9] in Jerusolymitanos pauperes erogandas conferant, nihil ad illos suadendos omittens, hortatur [10]. Ad sui apologiam demum regressus, Pseudodoctorum nequitiam detegit, & impulsu atque prorsus Apostolica libertate eos, qui iisdem fidem adhibebant, nimiæ credulitatis arcessit. Ut ea dilueret, quæ in ipsum conjecerant, de se præclare loqui coactus, id ita præstat, ut vim, quam humilitati suæ inferebat, satis exhibeat.

Philippis in Macedonia Apostolus hanc Epistolam scripsisse creditur, ut Exemplarium Græcorum pleraque ostendunt. Exemplaria vero Latina Troade in Asia minore datam præferunt. Certo tamen in Macedonia exaratam scimus [11], quamvis an Philippis, an in altera ejusdem regionis Urbe, minime constet. Subscriptiones Epistolis S. Pauli appositæ inter se differunt, & authoritatem fidemque non præferunt [12]. Quædam vetustissima MSS. iis omnino carent; quædam a Tito, & S. Luca; alia solummodo a Tito; alia a Tito & Timotheo; alia denique a Tito, Barnaba & Luca hanc Epistolam delatam ostendunt. Duos discipulos laudibus quam maxime cumulatos, quorum alterum Timotheum credimus, alterum penitus ignoramus, itineris comites Tito fuisse exploratum habemus.

Dimidio circiter anni a Christi adventu quinquagesimi septimi, integro fere anno postquam primam scripserat, hanc secundam Epistolam ad Corinthios Apostolus dedit.

---

1 2. Cor. 12. 18. 2 2. Cor. 7. 5. 3 2. Cor. 8. 6. & 9. 12. 4 2. Cor. 12. 21. 5 2. Cor. 11. 21. 22.
6 2. Cor. 8. 18. 22. 7 2. Cor. 1. 15. 23. 8 2. Cor. 2. 13. 9 1. Cor. 7. 2. 6. 10 2. Cor. 8. & 9.
11 2. Cor. 7. 5. 6. & 8. 1. 3. 8. 11. 12 Vide Variet. Lection. D. Millii.

COM-

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN SECUNDAM
SANCTI PAULI APOSTOLI
AD CORINTHIOS EPISTOLAM.

CAPUT PRIMUM.

Mala, quæ S. Paulus in Asia perpessus est. Hæc omnia ad Corinthiorum consolationem conferunt. Apostolus se se excusat, quod illos non convenerit. Immutabilis Evangelii veritas.

1. PAulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater,
Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus Sanctis, qui sunt in uni-
versa Achaja. 2 Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino
Jesu Christo. 3 Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pa-
ter misericordiarum, & Deus totius consolationis, 4 Qui consolatur nos in omni
tribulatione nostra: ut possimus, & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt,
per exhortationem, qua exhortamur & ipsi a Deo. 5 Quoniam sicut abundant
passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra. 6 Si-
ve autem tribulamur pro vestra exhortatione, & salute, sive consolamur pro ve-
stra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione, & salute, quæ opera-
tur tolerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur: 7 Ut spes nostra fir-
ma sit pro vobis: scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis & consola-
tionis. 8 Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ
facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæ-
deret nos etiam vivere. 9 Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus,
ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos: 10 Qui de
tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eri-
piet; 11 Adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis; ut ex multorum personis,
ejus, quæ in vobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. 12 Nam
gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis,
& sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati su-
mus in hoc mundo; abundantius autem ad vos. 13 Non enim alia scribimus vo-
bis, quam quæ legistis, & cognovistis. Spero autem, quod usque in finem co-
gnoscetis, 14 Sicut & cognovistis nos ex parte, quod gloria vestra sumus, sicut
& vos nostra, in die Domini nostri Jesu Christi. 15 Et hac confidentia volui
prius venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis: 16 Et per vos transire in
Macedoniam, & iterum a Macedonia venire ad vos, & a vobis deduci in Judæam.
17 Cum ergo hoc voluissem, numquid levitate usus sum? Aut quæ cogito, secun-
dum carnem cogito, ut sit apud me EST, & NON? 18 Fidelis autem Deus,

quia

quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo EST, & NON. 19 Dei
enim filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Sil-
vanum, & Timotheum, non fuit EST, & NON, sed EST in illo fuit. 20 Quot-
quot enim promissiones Dei sunt, in illo EST: ideo & per ipsum Amen Deo in
gloriam nostram. 21 Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit
nos Deus; 22 Qui & signavit nos, & dedit pignus in cordibus nostris. 23 Ego
autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni ul-
tra Corinthum: non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii ve-
stri: nam fide statis.

℣. 1. PAULUS APOSTOLUS, ET TIMOTHEUS ECCLESIÆ, QUÆ EST CORINTHI, ET OMNIBUS SANCTIS.] Titus Corintho cum in Macedoniam venisset, rationem reddidit Apostolo optimi effectus, quem in Corinthiorum animis prior ad ipsos conscripta Epistola pepererat; quapropter S. Paulus alterius scribendæ consilium iniit ad eosdem, quam per Timotheum, atque Titum ad illos misit [1]. De Timotheo tantum loquitur in Epistolæ initio: at constat, eum eodem fuisse & Titum, quemadmodum in Præfatione vidimus, una cum alio fratre, quos Ecclesiæ ad fidelium eleemosynas colligendas illis consociaverant. Voluit fortasse Apostolus, ut Timotheus legationis hujus caput haberetur, quem *Fratrem* suum appellat, ut illi majorem existimationem conciliet apud Corinthios, ad quos anno superiori missus fuerat, & quo nonnisi post priorem epistolam pervenerat [2]. Hæc autem non ad Corinthi solum, verum ad totius Achajæ, cujus Corinthus caput erat, fideles mittitur epistola, ut varia ejusdem exemplaria ibi disseminarentur, atque fratribus omnibus communicarentur. Vide Estium, & Grotium.

℣. 3. BENEDICTUS DEUS, ET PATER DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI [3].] Græcum Vulgata ad litteram expressit: sed Theodoretus, Oecumenius, atque Theophylactus legi vellent: *Benedictus sit Deus, & Pater Domini nostri*. Tertullianus vero l. 5. contra Marcionem cap. 11. *Benedictus Deus Domini Nostri*, omisso *Patre*: sed Vulgata nullum complectitur periculum. Dominus Deus est JESU CHRISTI, quatenus hominis, & secundum humanitatem; illius vero Pater est secundum Divinitatem.

℣. 4. UT POSSIMUS ET IPSI CONSOLARI.] Noverat S. Paulus, priorem epistolam Corinthios mœrore affecisse, quos idem consolatur, & quibus ait, se a Deo consolationis spirituali gaudio fuisse cumulatum, ut alios consolari posset; innuens, se illis impertiru omne solatium, quod acceperat a Deo, quasi ob id illud accepisset, ut illis communicaret. Hoc sane magnam benevolentiam, & satis perfectam, probatamque charitatem indigitat.

PER EXHORTATIONEM, QUA EXHORTAMUR ET IPSI A DEO.] Græcus [4] verti etiam potest; *per eamdem consolationem, qua nos ipsos Deus est consolatus*.

℣. 5. SICUT ABUNDANT PASSIONES CHRISTI.] Ita & consolationes ejus augentur. Aptat Deus consolationes suas doloribus, quibus afficimur [5] pro illo [6] & gratias confert pares tentationibus, quibus nos patitur agitari [6].

℣. 6. SIVE TRIBULAMUR PRO VESTRA EXHORTATIONE, ET SALUTE.] Quidquid nobis accidit, in vestram cedit utilitatem; afflictio, consolatio, adversa, læta omnia vestræ saluti conferunt. Textum Græci, & Latini nonnihil varietatis patiuntur. Græcus typis editus legit [7]: *Sive tribulamur, hoc accidit pro vestra eruditione, & salute; quæ perficitur per eamdem passionem, quam nos ipsi perferimus; sive solatio afficimur, hoc accidit propter vestram consolationem, atque salutem*. Sed plurimi Græci manuscripti legunt: *Sive tribulamur, tribulamur pro vestra conditione* (vel exhortatione, aut consolatione) *& pro vestra salute in passione eorumdem malorum, quæ perferimus, & constantem habemus pro vobis confidentiam. Sive consolamur, consolamur pro vestra consolatione, & pro vestra salute*.

Non desunt tandem, qui Vulgata ipsa, aliisque exemplaribus Græcis brevius legant: *Seu solatio afficimur, hoc accidit ad vestram consolationem, quæ operatur in patientia eorumdem malorum, quæ perferimus, atque integra est pro vobis nostra confidentia*: quæ novissima lectio fortasse potior est [8]. Hæc Apostoli mens est; sive mala patiatur, sive solatio afficiatur; omnia ad Corinthiorum consolationem, & felicitatem cederent, qui pœnis, quas ille patitur, compatiuntur.

℣. 7. UT SPES NOSTRA FIRMA SIT PRO VOBIS.] Quoniam vos ipsi, non secus ac nos patimini, constanter spero, Deum in corda vestra, non secus ac in nostra consolationis suæ dulcedinem effusurum, & vos, quemadmodum passionum, ita & consolationum participes futuros. Vel potius; quoniam malis nostris ut estis compassi, spero, & in nostræ felicitatis partem vos venturos, & quemadmodum mœrore affecti estis ex malis nostris, vos etiam lætitia affectum iri, ubi nos consolatione repletos audiveritis [9].

DE TRIBULATIONE NOSTRA.] Tribulatio, quæ nobis accidit in Asia, tanta fuit, ut vitæ ipsius nos jam tæderet. Divus Chrysostomus, atque Theophylactus credunt, ipsum verba facere de iisdem adversariis, de quibus non nihil attigit in epistola superiori cap. 16. 9. *Ostium enim mihi apertum est magnum, & evidens: & adversarii multi*, quod Theodoretus de seditione a Demetrio excitata interpretatur [10]: & S. Chrysostomus in Acta hom. 41. ad eamdem refert ea, quæ a S. Paulo hoc in loco dicuntur. Alii hoc generatim de omnibus pœnis, & persecutionibus intelligunt, quas eo triennio perpessus est, quo Ephesi, & in finibus ejus permansit [11]. Dicit Apostolus, mala hæc tanta fuisse, ut vires suas excederent: *supra modum, supra virtutem*: non quidem supra vires supernaturales: quoniam ipse 1. Cor. 10. 13. testatur, Deum non pati, nos tentari supra id, quod possumus, sed supra vires naturales; atque addit, *ita ut tæderet nos etiam vivere*, vel cum Græco textu [12]; *ita ut quodammodo de vita*

1 Vide 2. Cor. 7. 8. 6. 16. 17. 9. 3. 5. 2 1. Cor. 4. 17. 16. 10.
3 Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς καὶ πατήρ. Alii: Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, καὶ πατὴρ, &c.
4 Διὰ τῆς παρακλήσεως ἧς παρακαλούμεθα αὐτοὶ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ.
5 Psalm. 93. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*. 6 1. Cor. 10. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam proventum, ut possitis sustinere*. 7 Εἴτε δὲ θλιβόμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας, τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ τῶν αὐτῶν παθημάτων, ὧν καὶ ἡμεῖς πάσχομεν. Εἴτε παρακαλούμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας. Vide Mill. in hunc locum. 8 Vide Est. Brug. & Mill. & confer editiones Sixti V. & Clementis VIII. 9 Vide Grot. & Est. & Theodoret. Theophylact. hic.
10 Act. 19. 24. 11 Act. 20. 18. 19. *Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Deo cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus*.
12 Ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν. Ambrosiast. *Ita ut desperaremus nos etiam vivere*.

de vita nostra desperaremus. Vix credebam, me ex tot periculis emergere posse.

℣. 9. IN NOBISMETIPSIS RESPONSUM MORTIS HABUIMUS.] Intelleximus, quodammodo mortis nostræ sententiam proferri [1]. Vertunt alii [2]: *intra nosmetipsos mortem præsensimus* [3]. Tenet Heinsius in Exercit. sacr. vertendum esse: *habuimus in nobismetipsis sanctionem mortis*, quæ nobis respondebat, nos minime morituros: quod idem significare videtur, ac *responsum mortis*, quod est in Vulgata. At priores, quas tradidimus, versiones multo probatiores sunt. Recepimus responsionem mortis, velut ægri, quibus edicitur, ut domui suæ disponant; velut captivi, quibus nuntium affertur, in ipsos mortis sententiam fuisse statutam.

℣. 10. QUI DE TANTIS PERICULIS NOS ERIPUIT.] Græcus [4]: *de tanta morte*, de tanto periculo mortis. Mors in Scripturis passim pro imminenti periculo usurpatur [5].

℣. 11. ADJUVANTIBUS ET VOBIS IN ORATIONE PRO NOBIS.] Ut ex tot malis emergeremus. Græcus [6]: Vos omnes auxilium pro virili afferetis precibus, quas pro nobis effundetis; vos ipsi cooperabimini, ut liberemur.

UT EX MULTORUM PERSONIS [7].] Quædam legunt exemplaria: *multi gratias agent pro vobis*, qui bonum hoc precibus vestris mihi procurastis; sed Vulgatæ sensus optimus est, ubi si qua inest difficultas, ita potest explicari: Ut gratia, quam recepimus ex multorum personis, inveniat actiones gratiarum, quas plurimi agent pro nobis. Quo plures erunt, qui incolumitati meæ studebunt, eo majorem assequetur Deus gloriam, ubi illi gratias agent ob meam liberationem.

℣. 12. NAM GLORIA NOSTRA HÆC EST, TESTIMONIUM CONSCIENTIÆ NOSTRÆ.] Quod semper conversati sumus *in simplicitate, & sinceritate Dei* [8]: hoc est, summa cum æquitate, & perfectissima sinceritate. Dei nomen exaggerat, & amplificat has virtutes, non secus ac in aliis plurimis Scripturarum exemplis. Non operati sumus *in carnali sapientia*, & secundum humanæ prudentiæ lumina; neque juxta perniciosæ politicæ præcepta, nec tandem in nequitia, calliditate, dolo, sed *in gratia Dei*: Adnisi sumus, ut Deo primum, mox etiam vobis essemus jucundi. Vel; non sæculi sapientia, neque humana prudentia aditum nobis aperuerunt in corda vestra, verum gratia Dei, internæ, ac validæ ejus illecebræ Spiritus Sancti afflatus una cum supernaturalibus donis, quibus nos cumulate dignatus est Deus [9]. Indirecte perstringit falsos Doctores, atque tenebriones, qui vias omnino alias sequuti erant, ut in animum Corinthiorum pervaderent [10].

℣. 13. NON ALIA SCRIBIMUS VOBIS.] Hæc eadem in priori Epistola vobis scripsi, neque dissentire poteritis a veritate, quam vobis dico. Ipse plane alludit ad ea epistolæ superioris verba cap. 2. 1. *Cum venissem ad vos, Fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ annuntians vobis testimonium Christi: non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.*

A Græcus [11]: *non aliud scribimus ad vos, quam quod nostis, & legistis*; videtis, atque cognoscitis in Epistolis meis veritatem earum rerum, de quibus alias ad vos verba feci. Vel; in omni præterita vitæ meæ actione intuemini veritatem eorum, quæ hodie vobis dico [12]. Audeo vos ipsos vocare testes de veritate sermonum eorum, & de meæ rationis æquitate: *spero autem, quod usque in finem cognoscetis*. Me cognovistis eo tempore, quo fui ad vos; testes vos ipsos habere velim vitæ meæ, ac spero, futurum ut aliquando, cum melius me cognoveritis, magis præclarum mihi justitiæ testimonium præbeatis. Græcus hoc sequenti versiculo adnectit [13]: *spero vos ad finem me perfecte cognituros, quemadmodum hactenus ex parte cognovistis.*

℣. 14. SICUT ET COGNOVISTIS NOS EX PARTE.]
B Constanter spero, aliquando ea in vobis delenda esse præjudicia, quæ de pseudo Doctoribus, qui inter vos obrepserunt, concepistis [14]; & futurum ut fateamini, vos olim non satis me cognovisse: *& quod gloria vestra sumus, sicut & vos nostra*. Vobis gloriæ vertetis, quod me Magistrum habueritis, quemadmodum & ipse gloriot, quod vos habuerim Discipulos: at hoc non accidet perfecte, nisi *in die Domini nostri Jesu Christi*, in die videlicet adventus ipsius; tunc singuli videbuntur, quid sint: tunc vanitas, hypocrisis, calliditas detegentur, & ibi mutuo illud, quod debemus, testimonium perhibere cogemur.

℣. 15. ET HAC CONFIDENTIA VOLUI PRIUS VENIRE AD VOS.] Hac refertus confidentia, de qua modo loquutus sum, Corinthum cogitabam, ut memo-
C riam mei, atque amicitiam vobiscum instaurarem. Hoc in priori epistola me receperam facturum [15], & fecissem utique; ut *secundam gratiam haberetis* præsentiæ meæ, post priorem illam epistolæ meæ [16]: vel cupiebam nunc secundo vobis gratificari, vos ipse conveniens post priorem gratiam, quam ex me in prædicatione recepistis. Vel denique in hoc eodem itinere duplicem vobis conferre gratiam meditabar, primum quidem veniens ad vos, mox in Macedoniam traducens; ac demum ad vos ipsos ex Macedonia revertens. Vide sequentem versiculum. At quædam mihi repente acciderunt, quibus consilium meum explere prohibitus sum.

℣. 16. PER VOS TRANSIRE IN MACEDONIAM.] Primum igitur S. Pauli consilium erat, directe Epheso
D Corinthum adnavigandi [17], & Corintho in Macedoniam traducendi, ad ibi congregatas eleemosynas colligendas, atque inde Corinthum revertendi, ut ibi conscenderet navem, Jerusolymam versus iter suscepturus. Hanc tamen mentem suam in epistola superiori minime expresserat; illis pollicitus erat simpliciter, se ad eos venturum, ubi Macedoniam peragrasset, quod re ipsa adimplevit [18]. Putant quidam, hoc a S. Paulo Corinthiis in alia epistola, quæ interiit, fuisse promissum, vel eumdem Corinthiis Titi opera hoc pollicitum fuisse; vel tandem illum cogitasse, ut plusquam illis spoponderat, præstaret [19].

Quomodocumque sit, quin Epheso recta Corinthum tende-

---

1 Chrysostom. Theophylact. Theodoret. Grot. Erasm. Alii plures. Confer 1. Corint. 15. 32. *ad bestias pugnavi Ephesi*. 2 Vatab. Est. Tir. Menoch. 3 Ἀλλ' αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου ἐσχήκαμεν. Theuph. Μέχρι τῆς ψυχῆς ... τὸ θανάτου προσδοκία.

4 Ὃς ἐκ τηλικούτου θανάτου ἐρρύσατο ἡμᾶς. Alii; Ἐκ τηλικούτων θανάτων. *Ex tantis mortibus*. Ita Chrysost. Theodoret, Clarom. & Sancti Germani Lat. Ambros. 5 Exod. 10. 17. 4. Reg. 4. 40. Psalm. 30. 15. 16. 6. 7. Isai. 26. 19. Matth. 5. 18. 2. Cor. 11. 23. 6 Συνυπουργούντων καὶ ὑμῶν ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει.

7 Veteres Latinæ editiones, editio quoque Sixti V. legebant; *Ex multarum personis facierum*. At Vulgata impressa Græco consonat; Ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν. *Ut a multis personis, vel faciebus, de gratia in nos collata, gratiæ habeantur*.

8 Græc. Ἐν ἁπλότητι, εἰλικρινείᾳ Θεοῦ. Alii; Ἐν ἁγιότητι καὶ εἰλικρινείᾳ. *In sanctitate, & sinceritate Dei*. Ita Alexand. Clem. Alex. Copht. Origen. Vide Mill. Confer infra 2. Cor. 2. 17.

9 Vide Est. Grot. Menoch. Tirin. Theophylact. 10 Theodoret.

11 Οὐ γὰρ ἄλλα γράφομεν ὑμῖν, ἀλλ' ἢ ἃ ἀναγινώσκετε, ἢ καὶ ἐπιγινώσκετε.

12 Vide Syr. Grot. Est. Menoch. 13 Ἐλπίζω ὅτι καὶ ἕως τέλους ἐπιγνώσεσθε, καθὼς καὶ ἐπέγνωτε ἡμᾶς ἀπὸ μέρους. 14 Chrysostom. Theophylact. Theodoret. Est. Menoch.

15 1. Cor. 16. 5. & seq. *Veniam autem ad vos cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo; apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo &c.*

16 Chrysostom. Ita & alii Græci. 17 Vide 1. Cor. 16. 5. & seq.

18 D. Thom. Lyran. 19 Chrys. Theoph. Theodoret. Oecumen.

tenderet, inde Troadem venit, atque isthinc in Macedoniam. Hæc immutatio Corinthiis alterutram ex hisce suspicionibus ingerere potuisset, S. Paulum, vel in illos non satis æquum animum induisse, vel in consiliis suis levem esse, atque inconstantem. Utramque igitur hanc aufert suspicionem, asserens primo, se primum quidem cogitasse, ut illos conveniret: secundo vero se ab eadem charitate, qua succensus eorum invisendorum desiderio flagraverat, fuisse prohibitum, ne in peccatores severius, quam vellet, agere cogeretur.

℣. 17. CUM ERGO HOC VOLUISSEM [1], NUMQUID LEVITATE USUS SUM?] Numquid temere aliquid me facturum promitto, quin ex animo illud exequi cupiam? Numquid ex illis sum, qui ineunt consilia *secundum carnem*, qui non aliam actionum, & consiliorum suorum legem habent, quam carnem, & sanguinem, animi affectus, utilitatem, & voluptatem? numquid officiosa tantum ea erat promissio, iis similis, quarum explendarum nulla tenemur cupiditate? denique; numquid *est apud me Est, & non*? num mendax sum, inconstans, duplex, hypocrita, ealex? Græca exemplaria legunt [2]: *Ita ut apud me habeam est est, & non non*: quod innuere videtur, apud se non aliud habere, quam est, vel non, quemadmodum Jesus Christus Discipulis suis præcipit in Evangelio Matt. 5. 37. videlicet se res tantum asserere, neque aliis præcautionibus uti ad fidem sibi conciliandam, quam sinceritate, & veritate. Sed Vulgatæ lectio quibusdam Manuscriptis probatur [3], & profecto verum Apostoli in hoc loco sensum exhibet. Sin autem sequaris communem Græci textus lectionem, quam omnes fere Manuscripti, Patres, atque versiones Orientales probant, hoc in sensu erit explicanda: *numquid est apud me, est & non*, de re eadem?

℣. 18. FIDELIS DEUS.] Deus mihi testis est, apud me non esse est, & non, in iis, quæ dixi vobis. Deum testem vocat [4] ad promissionum suarum sinceritatem probandam. Aliter; quemadmodum Deus fidelis est in verbis suis, ita quod dixi vobis, verum, & sincerum est [5]. Latinus textus confusius legit; *sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo est, & non*; cui exemplaria quædam addunt: *sed est in illo est*. At Græcus [6] brevior est, atque magis perspicuus: *sermo noster, qui fuit ad vos, non fuit est & non*, videlicet in sermone meo non invenetis simul est & non.

℣. 19. DEI FILIUS, QUI PER NOS PRÆDICATUS EST . . . NON FUIT EST ET NON.] Evangelium, quod vobis annuntiavimus, non est doctrina ambigua, inconstans, & ubi inveniatur est, & non [7]: non hoc modo diximus, & modo aliud: Ea ratio, qua hac in re vobiscum egimus, vobis probare debet, & quid simus, & certum esse, quod dicimus. Memorat autem Sylvanum, atque Timotheum tamquam coadjutores, & Coapostolos in Evangelii prædicatione: re enim vera Sylvanus, qui alio nomine *Silas*, eum subsequutus fuerat in plerisque itineribus, & Timotheus jam pridem illi adhæserat; & cupiebat Apostolus, ut in hoc maxime Corinthii confiderent. Silas, atque Timotheus Apostolum convenerant, dum esset Corinthi [8],

A ac non parum eidem opitulati fuerant in laboribus prædicationis eas in Civitate, & in universa Achaja.

℣. 20. QUOTQUOT ENIM PROMISSIONES DEI SUNT, IN ILLO EST.] Græcus ad litteram [9]: *in hoc est, & in hoc Amen innituntur omnes promissiones Dei, ut Deo gloria per vos tribuatur*: quod sensum satis apertum adfert: sed manuscripti quidam cum Vulgata legunt [10]: *In illo est; ideo & per ipsum Amen* &c. Quidquid nobis de JESU CHRISTO pollicitus est Deus, in JESU CHRISTO adimpletur; *ideo per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram dicimus*. Dicentes *amen*, fatemur, in JESU CHRISTO promissiones, & prophetias omnes esse adimpletas, & gloriam Patri deferimus, qui hæc promittere, & eorum ad unguem fidem præstare dignatus est.

℣. 21. QUI AUTEM CONFIRMAT NOS VOBISCUM.]
B Ne quis arbitretur, S. Paulum se ipsum velle extollere in iis, quæ modo dixit de prædicationis veritate; Deo isthic gratias agit, & profitetur, si Jesum Christum prædicavit, atque in nomine illius miracula operatus est, uni Deo gloriam esse referendam [11]; ab hoc se in fide fuisse confirmatum, ab eodem Spiritus Sancti, & Divinæ gratiæ unctionem [12] recepisse, sine qua nihil esset.

℣. 22. QUI ET SIGNAVIT NOS, ET DEDIT PIGNUS SPIRITUS.] Deus ex mero suæ bonitatis effectu signaculum justitiæ, & gratiæ in baptismate nobis impressit, nobisque dedit Spiritum suum, cum supernaturalibus bonis, tamquam pignus cœlestis beatitudinis, quam nobis spopondit. Qui rei pignus, & arrham tenet, rem ipsam non possidet; & qui promissionem habet bene signatam, & ratam, nondum gaudet iis, quæ
C sibi promissa fuerunt; verum non deest justissima ratio, & spes, hunc earum aliquando possessionem aditurum [13].

℣. 23. TESTEM DEUM INVOCO.] Nam si vos convenissem, cum eo in statu res ita se haberent, facere minime potuissem, quin auctoritate, & severitate mea in illos uterer, quorum flagitia in superiori epistola exaggeravi [14]. Cum autem ad vos ita loquor, ne putetis, *quia dominamur fidei vestræ*, ne putetis, inquam recentia vobis præcepta, vel alia ad credendum vobis proponere velle, quam quæ nos docuit Jesus Christus [15]. Vel, me Magistrum minime appellaverit, quod Deus ministerio meo vos ad fidem evocaverit [16]; E contra vero me unice existimo *adjutorem gaudii vestri*, atque vestræ felicitatis, quoniam *fide statis*. Non abu-
D tar umquam vestra fide, ut in vos eam auctoritatem usurpem, quæ vobis negotium facessere valeat: in id unum incumbam, ut vobis solidas, & legitimas consolationes præbeam in JESU CHRISTO gaudendi; quod me in priori epistola præstitisse puto, quæ nonnisi ad breve momentum vobis mœrorem injecit, ut mox solida consolatione vos repleret, ubi, qui a recta rationis via aberraverant, ad frugem revocarentur, atque ut vos in fide magis, magisque confirmaremini. *Nam fide statis*; vel hoc addito, cum iis, quæ præcedunt, *dominari fidei vestræ*. Minime contendo in vos, Apostolicam nostram auctoritatem exercere, quoniam fide fortiter hæretis: participes sumus gaudii vestri, atque cum vobis ipsis lætamur. *Sed adjutores sumus gaudii vestri*.

---

1 Græc. impress. Τοῦτο οὖν βουλόμενος. Alii: βουλευόμενος. *Hoc igitur volens*.
2 Ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ, ναὶ, καὶ τὸ οὒ, οὔ. 3 Ita Cod. Vat. Bez. Velez. Vechel. Hieronymiast.
4 Vat. Bez. Menoch. Tir. 5 Vat. Vide Est. 6 Ὁ λόγος ἡμῶν ὁ πρὸς ὑμᾶς, οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ. 7 Theodoret. hic. 8 Act. 18. 5. 6.
9 Ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι Θεοῦ, ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ, καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμὴν, τῷ Θεῷ πρὸς δόξαν δι' ἡμῶν.
10 Alii: Ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ, διὸ καὶ δι' αὐτοῦ τὸ ἀμήν. Ita Alex. Steph. 10. Lin. Barber. 1. Copht. 7. Bern. G. L. alii. 11 Chrysostom. 12 1. Joann. 2. 20. 27. Rom. 1. 5. 1. 2. Cor. 15. 10.
13 Vide Chrysostom. Theodoret. 14 Chrys. Theodoret. alii. 15 Grot. Bez. Sclater.
16 Theodoret. Photius, apud Oecumen. Est. Men. Erasm. Gagn.

CAPUT II.

S. Paulus Corinthum non venit, ne Ecclesiæ illius fideles affligeret. Incestis parcit. Titi reditum maxime concupivit. Odor vitæ, odor mortis. Falsi Doctores.

1 STatui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos. 2
Si enim ego contristo vos: & quis est, qui me lætificet, nisi qui contri-
statur ex me? 3 Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non cum venero, tristi-
tiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in om-
nibus vobis, quia meum gaudium, omnium vestrum est. 4 Nam ex multa tribu-
latione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas: non ut contristemi-
ni, sed ut sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis. 5 Si quis
autem contristavit, non me contristavit; sed ex parte, ut non onerem omnes vos.
6 Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus. 7 Ita ut e
contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur,
qui ejusmodi est. 8 Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charita-
tem. 9 Ideo enim & scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus
obedientes sitis. 10 Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod do-
navi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, 11 Ut non circumvenia-
mur a Sathana: non enim ignoramus cogitationes ejus. 12 Cum venissem autem
Troadem propter Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino,
13 Non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum,
sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam. 14 Deo autem gratias, qui
semper triumphat nos in Christo Jesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in
omni loco. 15 Quia Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt, & in
iis, qui pereunt: 16 Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vi-
tæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? 17 Non enim sumus sicut plurimi,
adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in
Christo loquimur.

℣. 1. STATUI, NE ITERUM IN TRISTITIA VENIREM AD VOS.] Porgit se se excusare S. Paulus, quod Corinthios minime convenerit, quemadmodum pollicitus fuerat. In superioris capitis fine dixit, se minime in illos dominari velle, quod fideles essent, sed in id unum toto pectore incumbere, ut gaudium eorum, si possit, adjuvet; quoniam illi a Deo gratiam obtinuerant, ut fortes in fide persisterent. Hic vero profitetur, se eosdem invisere noluisse, donec in illis aliquid superesset castigandum, ne adventus suus recentem illi tristitiam adferret post eam, qua Epistola superiori fuerant affecti.

℣. 2. SI EGO CONTRISTO VOS, QUIS EST, QUI ME LÆTIFICET?] Si vos convenissem, ut mœrorem vobis adferrem [1], quanam lætitia ego ipse affici potuissem, quandoquidem vos soli estis, qui ibi me recipere, mihique aliquam voluptatem efferre valeatis? Igitur cum hujusmodi in circumstantiis Corinthi apud vos esse deberem, mihi quidem omnino injucundum iter ad vos suscepissem.

ET HOC IPSUM SCRIPSI VOBIS [2].] Ea ratio, quam modo vobis scripsi, vere me prohibuit, ne vos convenirem. Vel, ut flagitiosus tolleretis, atque hujusmodi flagitia puniretis, priorem ad vos Epistolam misi [3] ut quando venirem ad vos, neque mœrore conficeret, neque severius in vos animadvertere cogeret.

℣. 4. EX MULTA TRIBULATIONE SCRIPSI VOBIS.] Priorem Epistolam summo cum dolore scripsi ad vos, ubi si loquutionibus aliquot duriusculis usus sum; næ illæ quidem non ex irato animo, sed vestri amantissimo processerunt; neque eas protuli, ut vos mœrore conficerem, sed ut corrigerem.

℣. 5. NON ME CONTRISTAVIT [4], SED EX PARTE.] Fateor quidem, cum ad vos scriberem, me doluisse propter incesti hominis scelus [5]; verum dolorem meum leniebat reliquæ Ecclesiæ cogitatio, quæ in fide, atque virtute constans perstiterat. Unius crimen haud equidem omnibus imputaverim. Grotius hoc pacto intelligit: non omnis Ecclesia Corinthi, sed unus privatus me affecit tristitia, quod dico, ne credatis, me ob hanc rem velle vobis probrum inferre. Hammondius: ille non me unum, sed vos omnes, aliqua saltem in re afflixit; quod ajo, ne illum recentibus probris obruam, vel ne ad vos omnes hanc exprobrationem extendam.

℣. 6. SUFFICIT ILLI OBJURGATIO.] Satis est, incestum hominem ab omni Ecclesia correptum, & objurgatum fuisse, quin recentes ejus dolori exprobrationes addantur [6]. Alii Græcum ita vertunt [7]. Sufficit illi

1 Ἐλθεῖν ἐν λύπῃ. Chrysost. Πλὴν ὑμεῖς μόνοι, ἀγαπητοί, ἀναπαύσατε.
2 Græc. impress. Ἵνα μὴ ἐλθὼν λύπην ἔχω. *Ut non tristitiam habeam*. Alii λύπην ἐπὶ λύπῃ. *Tristitiam super tristitiam*. Ita plures apud Mill. 3 Est. Grot. Menoch. Tirin.
4 Edit. Sixti V. *Si quis contristavit me*. 5 Origen. homil. 1. Psalm. 37. Pacian. Ep. 3. ad Sympron. Ambros. & lib. 1. de Pœnit. cap. ult. Greg. lib. 33. Moral. cap. 8. Augustin. lib. 3. contra Epist. Parmen. cap. 1. & Interp. passim. 6 Theodoret. Bez. Erasm. 7 Ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ ἡ ἐπιτιμία αὕτη ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων

illi ea fuisse perpessum, quæ hactenus passus est, sive hoc de excommunicatione intelligatur [1], quasi diceret; satis diu ab Ecclesia separatus fuit, tandem jam communioni reddatur: sive de illius morbo explicetur: satis pœnas sui sceleris luit eo morbo, quo percussus est [2]; nunc a Deo illi valetudo petenda.

℣. 7. Ut magis donetis.] Illi indulgeatis, parcatis. Loquitur ad Ecclesiæ capita, & simul ad eos fideles, qui se cum illis conjunxerant, ut excommunicationi pondus accederet, vel saltem, ut Principum objurgationes magis valerent. Redeat in communionem, eumque consolamini spe veniæ, ne ille immodica confectus tristitia desperet. Theodoretus hoc in loco S. Pauli eloquentiam admiratur. Hic tabernaculorum Artifex animos, & corda eo usque commoverat, ac perturbaverat, ut modo ipse Corinthios consolari cogatur, eosque rogare, ut erga peccatorem indulgentiores se præbeant, ne desperatione abripiatur.

℣. 8. Ut confirmetis in illum charitatem.] Eumdem consolantes, pro illo orantes, illum in communionem recipientes, atque cum eo imposterum, tamquam cum fratre perfecta in charitate viventes.

℣. 9. Ut cognoscam experimentum vestrum.] Ratio altera, quæ me adegit, ut superiores ad vos litteras mitterem, ea fuit, ut fidei, atque obedientiæ vestræ periculum facerem, atque certo scirem, utrum incesti hominis pœnam probaretis, & utrum sententiarum dissensio, quæ in vobis erat, pietati vestræ obfuisset. Alii hoc ita explicant: alteram hanc ad vos Epistolam scribo, ut experiar obedientiam vestram, atque intelligam, utrum æque mihi obtemperaturi sitis suadenti, ut incestum virum in communione vestra iterum recipiatis, quemadmodum obtemperastis præcipienti, ut eumdem a vobis procul amoveretis [3].

℣. 10. Cui aliquid donastis, & ego.] Corinthii per Titum, qui Corinthum venerat, aliquanto postquam superior Epistola pervenisset, S. Paulum rogaverant, ut indulgentia uteretur in illum, quem Sathanæ tradiderat [4]; hic vero respondet, se libentissime veniam illi concedere, cui ipsi pepercissent, & eum recipere, pro quo deprecarentur. Addit etiam, se huic viro parcere *propter illos*, *& in persona*, nomine, auctoritate Jesu Christi. Hac in re ago tamquam Jesu Christi Minister, & Apostolus [5], & in gratiam vestri non renuo uti mea potestate, ut parcam illi.

℣. 11. Ut non circumveniamur a Sathana.] Concordi animo uti nos oportet indulgentia in illos, qui ceciderunt, & pœnitentiam egerunt, ne Dæmon nos circumveniat. Vos quidem impellentes nos, ne immodica severitate utamur, atque peccatores in desperationem agentes; nos vero operam dantes [6], ne medicina, qua utimur, Sathanæ triumphi præbeat occasionem; *ne remedium nostrum fiat Sathanæ triumphus*, inquit S. Ambrosius [7]. Græcus verti potest [8]: *Ne comprehendamur a Sathana*, tamquam ab injusto, & violento Domino. Aliter, ne a Sathana vincamur, & subigamur. Ex his omnibus liquet, Ecclesiam universam ad incesti hominis supplicium concurrisse, & S. Paulum voluisse, ut eadem in illius restitutionem, & reconciliationem concurreret. Illa utriusque particeps fuerat per obedientiam, preces, intercessionem suam apud Apostolum: illa a noxio viro secesserat, illa ejus vicem doluerat, illa tantum malum fuerat deprecata, atque obtinuerat, ut Sanctus Paulus se le- illi præberet indulgentiorem.

Cum venissem Troadem.] S. Paulus post seditionem a Demetrio Aurifice conflatam, Epheso egressus, venit Troadem, Phrygiæ urbem, ut ibi navem conscenderet, inde in Macedoniam traducturus, quemadmodum in Actis 20. 1. legimus. Putabat, se ibi inventurum Titum, quem Corinthum miserat, & ex quo audire cupiebat, quem fructum prior Epistola peperisset; ideoque non sine eodem in Macedoniam vela dare voluisset. Dedit tamen, quamvis Deus illi satis amplum in Phrygia ad Evangelii prædicationem aditum aperuisset: *& ostium mihi apertum est in Domino*. Deus tot benedictionibus primos labores meos cumulaverat, ut omnis mihi sperandi locus esset, me ea in regione non parum esse profecturum [9]. Aperuerat Deus horum populorum corda, eosque mirum in modum paratos invenerant, ut me audirent [10].

℣. 13. Eo quod non invenerim Titum.] Quem Corinthu expectabam, & ex quo non nihil de vobis me auditurum sperabam, cum maxime intelligere cuperem, quomodo priorem Epistolam meam recepissetis. Credidit S. Hieronymus Epist. 150. qu. 11. cum S. Titus esset S. Pauli Interpres, Apostolum ægre sine illo iter suscepisse, & quippe qui prænoverat, se illius ope in Macedonia indigere posse, non sine quadam sollicitudine illius absentiam tulisse. At non satis video, quomodo Apostolus Interprete indigeret. Credunt quidam, linguarum donum in Apostolis non fuisse perpetuum: alii, S. Paulum, quamvis Græcam linguam noverat, Græce tamen loqui non consuevisse: & alii putant, cum Apostoli in frequenti cœtu, ex variis populis, varias linguas habentibus, conflato prædicabant, eorum Interpretem Latine, v. g. explicuisse, quod Apostolus Græce; vel Græce, quod Latina ille docebat. Nec desunt, qui arbitrentur, horum Interpretum munus fuisse magis perspicue explicandi mysteria, quæ ab Apostolis sublimiori stylo proferebantur.

Verum Estius fusius ostendit, nullam harum rationum satis probare; atque nullam esse veritatis speciem, quod S. Paulus habuerit Interpretem. Ille enim de semetipso ait, nullum fuisse linguarum genus, quo minime loqueretur [11]: 1. cum solis Græca, & Syriaca linguis, quas citra miraculum noverat, in omni ferme Oriente, atque Occidente loqui poterat; cum Latina vero sola in omni ferme Occidente. 2. in Macedonia, & in Græcia, quo ille tendebat, nullo indigebat Interprete: quippe Tharsensis ipse erat, & Græcam linguam ab ipsis usque incunabulis didicerat. 3. Hujus vero linguæ leporem, atque pronunciationis venustatem ipse numquam perquisivisse profitetur ipso, se venisse, non cum Oratorum eloquentia, & Philosophorum acumine [12], sed ut cum simplicitate, atque humilitate Evangelica loqueretur. 4 Denique Apostoli tanta cum sapientia prædicabant, ut præcepta, sermonesque sensim ad captum auditorum suorum aptare conarentur [13], & si qua mysteria apertius essent detegenda, eadem ipsi explicabant, quin alia Interpretum opera adjuvarentur.

℣. 14. Qui semper triumphat nos in Christo Jesu.] Semper Jesu Christi ope nobis de inimicis nostris victoriam est elargitus: qui [14] subjecit sub pedibus nostris, & Judæos, & Gentiles, ut illos Evangelio fideles redderet; vel ut robore suffulciret eos, qui in infidelitate, atque pertinacia sua perstiterunt. Alii [15] hoc ad litteram explicant: *triumphat nos*, vel de nobis; nos feliciter fidei subjecit, atque tamquam inimicos

1 Est. Menoch. alii. 2 Vide 1. Cor. 5. 4. *Tradere hujusmodi sathanæ in interitum carnis*. Vide Grot. Hammond. 3 Theodoret. Est. 4 Vide Theodoret. Tirin.
5 Matth. 16. 19. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum in cælis, &c.* Theophylact. & Theodoret.
6 Est. Menoch. Tirin. alii. 7 Ambros. lib. 1. de Pœnitent. cap. ult.
8 Ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν ὑπὸ τοῦ σατανᾶ. Vide Bez. & Ludov. de Dieu.
9 Hieronym. Ep. 150. qu. 11. & seq. D. Thom. Primas. Sedul. Esti. hic.
10 Primas. Sedul. Arias Montan. Est. alii. 11 1. Cor. 14. 18. *Omnium vestrum linguis loquor*.
12 1. Cor. 2. 1. & seqq. 13 1. Cor. 3. 1. & seq.
14 Ambrosiast. *Qui triumphat per nos*. Est. Grot. Menoch. Tirin. & Græci.
15 Est. Drus. Ludov. de Dieu. Τῷ θριαμβεύοντι ἡμᾶς ἐν τῷ Χριστῷ.

micus spiritûs, & gratiæ suæ virtute captos nos in triumphum adducit.

A Odorem notitiæ suæ manifestat per nos.] Bonus odor, bonam famam [1], non secus ac malus odor sequiorem famam significat [2]. Apostoli erant bonus odor Jesu Christi, quia ubique illius Religionem, præcepta, Vitam, Resurrectionem, divinitatem annunciabant, & quod vita sua, atque doctrina, & miraculorum suorum fulgore vitam, ut ita dicam mortuis reddebant, illos ab infidelitatis tenebris educentes, atque ad mirabile fidei lumen adducentes; sed habita ratione incredulorum, atque infidelium erant *odor mortis* ℣. 16. quia illi Evangelium audientes dumtaxat, ut illud impugnarent, ex defectu suo interibant, atque sponte in morte permanentes, se nocentiores adhuc exhibebant, propter contemptum veritatis, quæ ipsis annunciabatur [3]. Non desunt odores quidam, qui animum revocant, & eos recreant, qui eosdem perceperint; at non desunt alii perniciosi qui capiti maxime officiunt, & qui mortem possunt inferre. Ad hos alludit Apostolus.

℣. 16. Et ad hæc quis tam [4] idoneus.] Quis potest Evangelium prædicare, & esse improbis quidem odor mortis, bonis vero odor vitæ? Si Deus ex misericordia sua nos ad hoc munus minime elegisset, neque eas nobis gratias contulisset, quibus, uti oportet, munere nostro perfungeremur, quomodonam illius explere potuissemus officia? Non enim nosmet obtrudere conati sumus: ℣. 17. *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei*. Evangelii prædicatio haud ita quidem magnum esset negotium, si hoc efficeremus, quod nonnulli, qui illud corrumpunt, ejus veritates infirmant, ejus officia dissimulant, & verbo Dei propria adinventa [5] commiscent: velut, qui vinum aqua diluunt, ut pro mero vendant [6]. Alii Græcum vertunt [7]: *qui negotiantur*, qui ex Dei verbo lucrum facere quærunt. Pseudo-Apostolos perstringit, qui Evangelium prædicabant, ut commodius viverent, & qui ad evitandas persecutiones, Christianam veritatem adulterinis explicationibus vitiabant.

B ℣. 17. Sed ex sinceritate.] Integritatem, rectitudinem, veritatem, prædicationis suæ socias, opponit hypocrisi, calliditati, quæstus cupiditati, quæ omnia Pseudo-Apostolorum characterem constituunt, contra quos pluribus in locis invehitur.

---

1 Jer. 48. 11. Osee. 14. 7. 2 Gen. 34. 30. Exod. 5. 21. 3 Vide Chrys. Theodor. Theoph. Est. Men. alios.
4 *Tam* non legitur in Græc. Syr. Ambrosiast. Sedul. &c. Sed legunt S. Germ. & Claromont. Lat. Hieronymiast. Vide Est. & Mill. 5 Chrysost. Ita Theodoret. & alii plures.
6 Isai. 1. 22. 7 Vide Est. Tirin. Menoch. Καπηλεύω, Hesych. Παραχαράττω, Confer 1. Timoth. 6. 5. Tit. 1. 11. 2. Petri 2. 3.

CAPUT III.

S. Paulus commendatitiis non indiget Epistolis, quippe qui Corinthiorum conversione satis commendatur. Novum testamentum veteri præstantius. Velum super Moysis legem obtentum; quod ab illis aufertur, qui credunt Evangelio.

1. INcipimus iterum nosmetipsos commendare? aut numquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? 2 Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur, & legitur ab omnibus hominibus: 3 Manifestati, quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. 4 Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: 5 Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est: 6 Qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera, sed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat. 7 Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria: ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: 8 Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? 9 Nam si ministratio damnationis gloria est: multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria. 10 Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. 11 Si enim quod evacuatur, per gloriam est: multo magis quod manet, in gloria est. 12 Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur. 13 Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur, 14 Sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur.) 15 Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. 16 Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. 17 Dominus autem Spiritus est: Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. 18 Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.

℣. 1. INCIPIMUS ITERUM NOSMETIPSOS COMMENDARE.] S. Paulus, ut ministerii sui dignitatem tueatur contra Pseudo-Apostolos, atque pseudo-Doctores [1] eamdem deprimentes, ejusque auctoritatem deterere quærentes, pluribus in locis prioris Epistolæ [2], nonnihil in laudem suam adferre conatus fuerat. Cogitur iterum hic etiam muneris sui præstantiam extollere, atque Evangelium Moysis Legi præferre. Hac in re occupat Corinthios, testatus, se nonnisi necessitate actum isthæc afferre.

AUT EGEMUS [3], SICUT QUIDAM COMMENDATITIIS EPISTOLIS.] Pseudo-Apostoli, ut sibi existimationem conciliarent, atque ut in Ecclesiis melius exciperentur, commendatitias petebant Epistolas ex iis locis, unde egrediebantur, ut sibi hospitium, aliaque ad victum necessaria suppeditarentur, atque ut in se, tamquam in probatis, exploratisque viris confidentia haberetur. S. Paulus, & veri Apostoli hujusmodi commendatitiis Epistolis minime indigebant: prodigia, ac Spiritus Sancti dona, quæ illis ubique adhærebant, satis præclarum eorum prædicationi ac merito testimonium perhibebant. Non deest quædam hoc in loco ironiæ species.

℣. 2. EPISTOLA NOSTRA VOS ESTIS.] Dicamus satis est, nos esse Corinthiorum Apostolos, atque nos Ecclesiam hanc instituisse, ut satis cognoscamus. Vestra religio, pietas, virtus, celebres sunt, ubique terrarum [4]; hæc nobis sunt præclara testimonia. Epistola hæc scripta est, non extrinsecus, sed *in tabulis cordis*; non eo modo, quo legi, atque intelligi posset in oculis omnium mortalium; cum enim scripta sit in corde meo, quomodonam ab omnibus hominibus legi potest? licet verbum non facerem, ejusque cognitionem intra me ipsum continerem, effectus jam loquerentur. Omnibus mortalibus explorata est Corinthiacæ Ecclesiæ conversio, & me illius Apostolum fuisse nemo ignorat: ideoque commendatitiis Epistolis vestris non egeo.

℣. 3. MANIFESTATI, QUOD EPISTOLÆ ESTIS CHRISTI.] S. Paulus nonnisi minorem sibi vendicat partem hujus Epistolæ, quæ tanto illi cessit honori, videlicet conversionis Corinthiorum. Non ait, hanc a se scriptam, sed tantum præparatam fuisse, atque dispositam; *ministrata a nobis*: scriptam vero ab eodem Spiritu Sancto: *scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi*. Non aliud fecimus, quam quod Moyses in tabulis legis: illas ex latomia eduxit, illas lævigavit, illas disposuit [5]: sed ibi digitus Dei decem mandata legis insculpsit.

℣. 4. FIDUCIAM TALEM HABEMUS.] Humillime fateor, me indignum esse eo munere, quo perfungor; & fidei vestræ, atque meæ prædicationis effectus, Evangelii propagationem, & vestrum in eodem progressum vires meas maxime excedere [6]; ideoque omnem gloriam Deo acceptam refero, atque fateor per JESUM CHRISTUM, me loqui audere, quemadmodum loquor. Si vos estis signaculum prædicationis meæ [7] in Epistola commendatitia mihi; hic merus est bonitatis JESU CHRISTI, atque Dei Patris effectus.

℣. 5. NON QUOD SUFFICIENTES SIMUS COGITARE ALIQUID A NOBIS.] Quomodo non potuissemus animos, & corda vestra aperire, ut salutis verbum reciperetis, quandoquidem ea nobismetipsis, atque per vires nostras nequaquam valemus sanctum aliquod consilium inire; neque bonam cogitationem, quæ Deo sit accepta, & ex eo supernaturalem remunerationem promereri possit, fovere [8]? Hæc est ejusdem veritatis sententia, ac illa, qua sine Deo nihil boni nos conari posse dicimur [9]: *Sine me nihil potestis facere*. Sine JESU CHRISTI gratia, sine fide, hoc supernaturali Dei auxilio nos habita ratione boni, moralis, & meritorii idem sumus, ac palmes habita ratione vitis, a qua abdivulsus fuerit, jam inutilia est [10]. Verum, *qui ex nobis, tamquam ex nobis nihil possumus; eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus*, ait Concilium Tridentinum [11], & ipse etiam Apostolus Philip. 4. 13. *omnia possum in eo, qui me confortat*.

Cum dicimus isthic nullam bonam cogitationem inire nos posse, hoc intelligendum est de cogitationibus sanctis, & meritoriis, quæ nos ad fidem, salutem, & conversionem adducunt; non autem de Theoreticis, atque communibus cogitationibus, quarum finis est bonum ordinis ejusdem, atque naturæ. Hujusmodi fuerunt bonæ veterum Philosophorum cogitationes, & illæ populorum, qui JESUM CHRISTUM, veramque Religionem minime noscunt, vel eorum, qui illam cognoscentes iis veritatibus, quas ab eadem docentur, tantummodo vacant, ut mentes suas, vel suam potius pascant vanitatem [12].

℣. 6. SUFFICIENTIA NOSTRA EX DEO, QUI & IDONEOS NOS FECIT.] Hoc refertur ad ea, quæ superius c. 2. 16 dicta sunt: *& ad hæc quis idoneus?* quia par est huic ministerio? nos quidem ea nobismetipsis, atque per nos eidem impares sumus, at Deus unus nos pares facit, quippe lumina, gratiam, ac vim tribuit, ut e voto res cedat. Injuste divisero, ajebat D. Chrysostomus, alteram boni partem Deo referens acceptam, alteram mihi vendicans. Fateor, me ab illo uno omnia accepisse [13].

NON LITTERA, SED SPIRITU.] Apostoli Ministri sunt novi fœderis, Evangelii, Regni Dei: *non litteræ*, non Legis Mosaicæ lapideis tabulis insculptæ: *sed spiritus*, novæque Legis, quæ nobis confert Spiritum Sanctum, & gratiam, ut ea, quæ jubemur, adimplere possimus. Lex Moysis bonum, & malum docebat; at vim minime suppeditabat, ut alterum fieret, & alterum evitaretur. Lex JESU CHRISTI perfecte docet, quid faciendum sit, & quid evitandum; atque valida nobis suggerit adminicula, ut his muneribus perfungamur [14].

LITTERA ENIM OCCIDIT, SPIRITUS AUTEM VIVIFICAT.] Littera, vel Lex Moysis morte damnabat eos, qui præcipua mandata sua perfregissent [15], puta, qui Sabbathum violassent, qui adulterium patrassent, qui homines occidissent &c. sed spiritus, vel nova Lex vitam animæ, & gratiam per Baptismum illis impertit, qui eamdem profitentur. Oppositio, quæ adest inter vitam spiritus, quam nova Lex nobis comparat, & mortem, quam Lex antiqua nobis minitatur, conjecturam adstruit, hoc in loco agi de morte animæ. At quomodonam Lex animæ mortem infligit? hoc nequaquam accidit directe, atque ex mente Dei, qui ejusdem auctor, vel Moysis, qui illius præco fuit; sed per occasionem, vel per accidens, eo quod concupiscentiam irritat, quæ suopte ingenio in vetitum ruit [16]; quod facem præfert, ut malum cognoscamus, quin tamen neces-

1 Chrysost. Theodoret. 2 Vide 1. Cor. 1. 11. 23. & seq. & 2. 5. 6. 9. 1. 2. 14. 18. 37.
3 Εἰ μὴ χρῄζομεν. *Nisi egeamus*. Alii: ἢ μὴ χρῄζομεν. *Aut an indigemus?* Ita Steph. 1, S. Germ. & Clarom. G. L. Syr. Arab. Theod. Ambrosiast. 4 Theodoret. hic.
5 Deut. 10. 1. 3. *Dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, & scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his, quas ante confregisti*. 6 Vide supr. 2. Cor. 2. 16.
7 1. Cor. 9. 2. *Signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino*. 8 Vide Augustin. de Dono persever. Concil. Arausic. 2. can. 7. 9 Joan. 15. 5. 10 Joan. 15. 4.
11 Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. *Qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus; eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus*. 12 Est. Menoch. Augustin. loco citato, & alibi sæpius.
13 Chrysostom. homil. 6. in 2. Cor. hic. 14 Vide Rom. 7. 7. 8. 9. & seq. Et Augustin. passim. lib. de Spiritu & littera, & contra advers. Legis, & Prophet. & lib. 3. contra duas Epist. Pelag. cap. 7. &c.
15 Chrysostom. hic. Ita & Theodoret & Theophylact. & Vatabl. Zeger. Grot.
16 Vide Rom. 7. 8. 9. 10. & seq. & Rom. 4. 15. *Ubi non est Lex, nec prævaricatio*, Et 5. 13. *Peccatum non imputabatur cum Lex non esset*. 20. *Lex subintravit, ut abundaret delictum*.

necessarias suppeditet gratias, ut resistamus cupiditati, & iis rite perfungamur officiis, quæ ipsu nobis imponit [1].

In hoc etiam sensu potest intelligi: *littera occidit*; Scriptura ad litteram sumpta nonnumquam in errorem adducit, atque Lectori non satis docto nocet [2]; *sed spiritus vivificat*; Scripturæ eædem in vero sensu, atque secundum Ecclesiæ spiritum, & fidei analogiam sumptæ animæ vitam tribuunt, illam ædificant, eamque in fide, atque in pietate confirmant; quod idem ferme est, ac illud, quod in Evangelio, Joan. 6. 64. ait JESUS CHRISTUS: *Spiritus est, qui vivificat: caro autem non prodest quidquam*. Verum hujusmodi explicationes hoc in loco litterales haberi non possunt.

ꝟ. 7. QUOD SI MINISTRATIO MORTIS LITTERIS DEFORMATA.] Si Dei Lex a *Moyse* promulgata, atque in lapideis tabulis insculpta, quæ per seipsam nonnisi mortem inferre potuit, eo in sensu, quem nuper diximus; si hæc lex inquam tanta fuit gloriæ fulgore circumsepta, ut coactus fuerit Moyses faciei suæ velum prætendere [3]; quid dicendum erit *de ministratione Spiritus* ꝟ. 8. & de egregio munere Apostolatus? quanam esse debet gloria nostra; & quis nostrum ad omnia illius officia explenda se parem crediderit? *ad hæc quis idoneus?* Ita fratres mei, si ministerii nostri præstantiam commendo, ne credideritis, me gloriam aliquam inde vendicare. Pateor, me illud munus minime fuisse promeritum, imo eodem prorsus indignum fuisse, & vos etiam fateamini opus est, hanc cum Moysis ministratione conferentes, toto Cœlo illas excedere laudes, quibus eamdem valeam cumulare.

QUÆ EVACUATUR.] Fulgor faciei Moysis ad tempus dumtaxat emicaturus erat, atque in morte illius evanescere debebat: ille enim perfunctorius gloriæ splendor erat figura Mosaicæ Legis, cujus cæremonialia præcepta aliquando erant abroganda: hanc tamen perfunctoriam Legem Evangelium excepturum erat, cujus lumen permanet in æternum.

ꝟ. 10. NAM NEC GLORIFICATUM EST, QUOD CLARUIT IN HAC PARTE.] Hæc ipsa Legis gloria, vera gloria non est, si cum gloria Evangelii conferatur [4]. Quidquid in Moyse gloriosissimum est, nihil est, si comparetur cum iis, quæ in nova Lege, atque in JESU CHRISTI Apostolis emicant. At quanam in re consistit Evangelii supra Legem præstantia? in hoc, quod gratia ibi copiosissima est, eximia Spiritus Sancti dona, sublimia præcepta, & præmia maxima, atque magnificentissima.

ꝟ. 12. HABENTES IGITUR TALEM SPEM.] Hoc referunt ad versiculum quartum, ubi dictum est: *fiduciam talem habemus per CHRISTUM ad Deum*. Hoc nobis confidentiam præbet, ita ministerium nostrum extollendi, atque hoc pacto loquendi de Lege veteri, ubi cum recenti confertur. Neque hæc est inanis præsumptio, sed certitudo, verbo JESU CHRISTI, & promissionibus Patris innixa. Hæ laudes ad me nequaquam pertinent, sed earum objectum quidem est gloria Domini; veritas autem fundamentum.

ꝟ. 13. UT NON INTENDERENT FILII ISRAEL IN FACIEM EJUS, QUOD EVACUATUR.] Ne viderent filii Israel perfunctoriam lucem de Moysis facie emanantem. Textus hic satis est perspicuus, sed Græcus [5], & antiqui complures Latini Patres [6] legunt: *Ut non intenderent filii Israel in finem, quod evacuatur*: quæ melior lectio videtur. Innuit Apostolus, Evangelicæ Legis Ministros fidenter, atque sine velamine loqui, ubi hominibus Religionis detegunt mysteria hactenus incognita; cum Moyses Hebræis velata facie loqueretur; ne videre possent, quid ea in Lege infirmum esset, & quam brevi ea esset duratura, quod significabat perfunctorium illud lumen aliquando cessurorum, & velum, quo Moyses tegebatur. S. Paulus hoc in loco tribuit allegoricam explicationem veli, & fulgoris ex facie Moysis emanantis, eorumque finem, & veram causam ostendit [7]. Cum ait; *ut non intenderent oculos in finem hujus Legis, quæ erat abroganda*; non intelligit hanc veram fuisse, ac primam intentionem [8]; sed tantum eventum ostendisse, hoc accidisse non sine mysterio, atque sine superiori consilio Dei, qui hujusmodi circumstantias disposuerat, ut ad eam veritatem, quam Apostolus istic evolvit, animum adverteremus.

ꝟ. 14. SED OBTUSI SUNT SENSUS EORUM.] Judæi res nonnisi per densissimum velum intuentur: Lex illis est tamquam signatus liber; illius corpus habent, quin possideant spiritum; illius litteram legunt, quin sensum intelligant. Velum, quo Moysis facies tegebatur, usque in præsentem diem obtentum fuit super eorum corda, quoniam non habentes JESUM CHRISTUM, neque habent Prophetarum clavem, neque Legum moralium veram cognitionem, neque genuinam Sacrorum Bibliorum scientiam. Ultro se ipsos excæcant; incredulitas sua velum est, quo oculi eorum obteguntur [9]. Prophetæ, JESUS CHRISTUS, & Apostoli, sæpe Judæis eorum cæcitatem, & duritiam cordis exprobrarunt [10].

ꝟ. 16. CUM AUTEM CONVERSUS FUERIT AD DOMINUM [11], AUFERETUR VELAMEN.] Nominativum verbi *conversus fuerit*, vel Israel est, vel cor populi, vel Moyses, vel Lex, sed quomodocumque sit, idem ferme sensus habetur. Cum Deus sub sæculorum finem Israelitas de errore, atque obduratione sua revocabit, auferet illis hoc velamen, quod ante illorum corda obtentum est [12]; vel cum illis aperiet verum Moysis, vel Legis sensum, tunc velamen auferet, quod prohibuit, ne adhuc illum perfecte cognoscerent. Videtur autem dicendum fuisse, velum ablatum iri, antequam Judæi converterentur; namque obices primum amovendi sunt, antequam sequatur effectus; sed in vulgari sermone non semper adeo seduli sumus, ac diligentes; præsertim vero, ubi sermo est de iis rebus, quæ eodem tempore occurrunt, & quæ simul ad eumdem effectum confluunt.

ꝟ. 17. DOMINUS AUTEM SPIRITUS EST: UBI AUTEM SPIRITUS DOMINI, IBI LIBERTAS.] Ad memoriam revocanda sunt, quæ superius dixit: *Litteram occidere, & Spiritum vivificare*; legem esse litteram, & Evangelium esse spiritum; Moysem legis, & Apostolos Spiritus esse Ministros. Hic autem innuere vult, Deum esse hunc spiritum litteræ oppositum; illum esse auctorem libertatis filiorum Evangelii; ipsum Judæorum corda convertere, ipsum velamen oculis eorum obtentum auferre, & in cor carneum immutare cor lapideum, quod erat in illo. Verbo, in Christiana religione inveniri veros in Spiritu, & veritate cultores, Dei filios, vere liberos, quatenus libertas spiritui servitutis opponitur, quo Judæi animabantur. Spiritus qui vivificat, opponitur litteræ, quæ occidit: Moyses erat veluti corpus, JESUS CHRISTUS est tamquam Spiritus [13].

Græci Patres, atque Latini Catholici vulgo hoc utuntur loco ad Spiritus Sancti divinitatem proban-

1 Vide August. de Spir. & litter. cap. 4. & seq. & lib. 15. contra Faust. cap. 8. & alibi sæpius. Est. hic.
2 August. lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 5. 6. 7. & alibi non raro.
3 Exod. 34. 30. 4 Chrysostom. hic. 5 Πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου. Sed Alex. Vulg. aliqui Græci: Εἰς τὸ πρόσωπον.
6 Augustin. contra adverf. Leg. & Propher. lib. de Spiritu & litt. cap. 17. & aliis locis a Beda collectis. Ambrosiast. Hieronymiast. Sedul. Primas. Græci plerique omnes. S. Germ. & Clarom. Latin.
7 Vatabl. Est. Grot. 8 Vorst. Glass. Sclater. alii.
9 Vide Justin. Dialog. cum Tryphone. Origen. homil. 14. in Jerem. & homil. 12. in Exod. Theodoret. hic.
10 Vide Isai. 6. 10. Matth. 13. 14. Marc. 4. 12. Joan. 9. 39. 12. 40. Act. 28. 27. Rom. 11. 7. 8. &c.
11 Ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς Κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα. 12 Rom. 11. 26. *Donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret.* 13 Vide Erasm. Menoch. Tirin. Est.

dam. *Dominus Spiritus est*, vel est Spiritus Dei viventis [1], qui nobis in baptismate communicatur, qui fuper corda nostra effunditur, qui nos inspirat, & efficit, ut clamemus: Abba, Pater. Hic ille est Spiritus Sanctus, qui novum fœdus a veteri distinguit. Israel se convertit ad Dominum, & CHRISTI fidelis ad Spiritum Sanctum: uterque vero convertitur ad Deum; nam Spiritus Sanctus est Deus. Israel servus est, donec sub lege permaneat; Christi fidelis est liber, statim ac subest Spiritui; nam, *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*.

Dominus Graverol Anglicanæ Ecclesiæ Sacerdos [2] putat, communem hujus loci lectionem mendosam esse, atque ita esse restituendam: *ubi est Dominus, ibi est Spiritus* [3]; pro *Dominus est Spiritus*. Hæc autem fere illius sunt argumenta. Primo, superior versiculus ostendit, pro *Domino* JESUM CHRISTUM esse intelligendum. At nullus est Scripturæ locus, qui dicat, illum esse Spiritum, & multo minus hunc Spiritum, hoc est Spiritum Sanctum, tertiam SS. Trinitatis personam; & ex omnibus locis, quæ in oppositum afferuntur [4], nullus est, ex illius sententia, qui probet, Filium vocari Spiritum. II. licet JESUS CHRISTUS appellari posset Spiritus Sanctus, Spiritus Divinus, Spiritus lucis, sententia, quam proponit, nihilo minus esset vera. Satis est, in S. Pauli textum oculos conjicere: *Cum conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus est: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas*. Quænam ratio esse potest inter hæc verba; *Cum conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen*; & ea: *Dominus autem Spiritus est*? at in illius versione sensus omnino perspicuus est: *cum Israel conversus fuerit ad Dominum, velamen auferetur, ubi autem Dominus est, ibi est Spiritus; & ubi Spiritus, ibi libertas*. Auctor nihil immutat in textu; sumit simpliciter pronomen ὃ, hoc pro particula οὗ, *ubi*. Veteres, atque Lacedæmones præsertim sæpius litteram O, pro ου usurpabant [5].

Una fuit tantum, qua respondere Lacones
Littera, & irato Regi placuere negantes.

℣. 18. REVELATA FACIE GLORIAM DOMINI SPECULANTES.] Judæi in Legis umbra nonnisi per velamen vident, atque pascuntur solum littera, quæ occidit, cum interim nos Sanctas veritates aperte consideremus, atque per unctionem Spiritus Sancti edocemur abditissima mysteria, quæ istbic *gloria Domini* appellantur [6]. Græcus verti potest [7]: *considerantes tamquam in speculo, & detecta facie, Domini gloriam*; vel secundum Græcos Patres [8] exprimimus, *repræsentamus tamquam in speculo gloriam Domini*. Ministri Dei, Sancti Apostoli, omnes Christi fideles, sunt veluti tot specula, in quibus JESUS CHRISTUS exhibetur; ejus charitas, modestia, patientia, humilitas, mansuetudo in nobis debent effulgere: *glorificate, & portate Deum in corpore vestro*, 1. Cor. 6. 20.

IN EAMDEM IMAGINEM TRANSFORMAMUR.] sive simus veluti specula, in quibus JESUS CHRISTUS exhibeatur, sive detecta facie, & veluti in speculo gloriam ejus intueamur. Transformamur in illo, illius Imago in nobis effulget, nos illam in nobismetipsis, & super nosmetipsos per imitationem virtutum, & perfectionum ejus quantum Creaturæ licet, deferimus; & progredimur *a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu* illustrati. Claritate sancta humanitatis JESU CHRISTI, & gloria Patris, quæ effulget in illo, in nos emicante, quemadmodum olim gloria præsentiæ Dei in Moysis facie enitebat, fiemus gloriosi, atque nitentes, & de claritate progrediemur in claritatem; de claritate Dei in nostram; illa in nos pertransibit; humiles erimus, modesti, patientes, mansueti, qualis ipse est; & cum ille Cœlestis sit, nos quoque Cœlestes erimus [9]. Si participes erimus passionum illius, gloriæ quoque, & Regni ejusdem erimus consortes [10]. *Si sustinebimus, & regnabimus*. Hoc autem in nobis agitur *tamquam a Domini Spiritu*, hoc est per Spiritus Sancti illuminationem, qui nos in JESUM CHRISTUM transformat, & nos induit ea claritate, & gloria, de qua loqui sumus; quæ cum in hoc mundo cœperit per similitudinem, quam cum JESU CHRISTO habemus, in altero perficitur, atque absolvitur, ubi immortalitate induimur, atque æterna gloria coronamur.

Pro his verbis; *tamquam a Domini Spiritu*, plures cum Græco legunt [11]; *tamquam a Domino Spiritu*. Hæc extraordinaria Syntaxis non rationibus caret in Apostolo confirmantes ea, quæ obiter dicit ℣. 17. *Dominus Spiritus est*. Sed Vulgata versio, quam Patres, atque Latini Interpretes sequuntur, Græco non adversatur, & eumdem sensum re ipsa adfert, quoniam Spiritus Sanctus, tertia S.S. Trinitatis persona, quæ nos sanctificat, atque per gratiam suam in JESUM CHRISTUM transformat, proculdubio Deus est, non secus ac Pater, & Filius.

Tertullianus legit [12]: *tamquam a Domini Spirituum*, quod non abludit a quorumdam Interpretum lectione, *a Domino Spiritus*. Nam re ipsa Spiritus Sanctus Dominus est supernaturalium donorum, quæ quomodo vult, & quibus vult, secundum suæ sapientiæ, atque providentiæ leges communicat.

---

1 Ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμα ἐστιν. Vide infra vers. 18. *A claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu*.
2 Tom. 9. Biblioth. Univers. pag. 203. 3 Legit: Οὗ δὲ Κύριος, τὸ πνεῦμα ἐστι: pro, ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμα ἐστι. 4 Vide Marc. 2. 8. Rom. 1. 3. 4. & 1. Timoth. 3. 16. Hebr. 9. 14. 1. Petri 3. 18. 19. ac. Joan. 6. 63. collat. cum vers. 6.
5 Auson. Vide Scalig. in eumdem Joan. Gerard. Voss. Aristarch. lib. 1. cap. 13. Salmas. not. ad consecrat. templi in Agon. Herod. Attic. pag. 37. & in Addend. pag. 217. & de transubstant. contra Grot. pag. 31.
6 Est. Tirin. alii. 7 Ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ κατοπτριζόμενοι.
8 Chrysost. homil. 7. Theodoret. hic. 9 1. Cor. 15. 48. 10 2. Timoth. 2. 12.
11 Ἀπὸ Κυρίου πνεύματος. Ita Chrysost. Theodoret. Theophyl. hic. Basil. lib. de Spiritu Sancto, cap. 21. Bez. Valla. Est. Glass. Erasm. 12 Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 11.

CAPUT IV.

Evangelicum ministerium, quod Apostoli inter ipsas persecutiones exercent. Reproborum incredulitas, Apostolorum in persecutionibus fortitudo. Pro vita hujus laboribus, qui adeo breves sunt, æterna remuneratio.

1. IDeo habentes administrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus. 2 Sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendan-

danres nofmetipfos ad omnem confcientiam hominum coram Deo . 3 Quod fi eti-
am opertum eft Evangelium noftrum ; in iis , qui pereunt , eft opertum . 4 In
quibus Deus hujus fæculi excæcavit mentes infidelium , ut non fulgeat illis illumi-
natio Evangelii gloriæ Chrifti , qui eft imago Dei , 5 Non enim nofmetipfos præ-
dicamus , fed Jefum Chriftum Dominum noftrum ; nos autem fervos veftros per
Jefum : 6 Quoniam Deus , qui dixit de tenebris lucem fplendefcere , ipfe illuxit
in cordibus noftris , ad illuminationem fcientiæ claritatis Dei , in facie Chrifti Je-
fu . 7 Habemus autem thefaurum iftum in vafis fictilibus : ut fublimitas fit virtu-
tis Dei , & non ex nobis . 8 In omnibus tribulationem patimur , fed non angu-
ftiamur : aporiamur , fed non deftituimur ; 9 Perfecutionem patimur , fed non de-
relinquimur : dejicimur , fed non perimus : 10 Semper mortificationem Jefu in
corpore noftro circumferentes , ut & vita Iefu manifeftetur in corporibus noftris .
11 Semper enim nos , qui vivimus , in mortem tradimur propter Jefum : ut & vi-
ta Jefu manifeftetur in carne noftra mortali . 12 Ergo mors in nobis operatur ,
vita autem in vobis . 13 Habentes autem eumdem fpiritum fidei , ficut fcriptum
eft ; Credidi propter quod locutus fum ; & nos credimus , propter quod & lo-
quimur : 14 Scientes , quoniam qui fufcitavit Jefum , & nos cum Jefu fufcitabit ,
& conftituet vobifcum . 15 Omnia enim propter vos ; ut gratia abundans , per
multos in gratiarum actione , abundet in gloriam Dei . 16 Propter quod non de-
ficimus : fed licet is , qui foris eft , nofter homo corrumpatur ; tamen is , qui in-
tus eft , renovatur de die in diem . 17 Id enim , quod in præfenti eft momenta-
neum , & leve tribulationis noftræ , fupra modum in fublimitate æternum gloriæ
pondus operatur in nobis , 18 Non contemplantibus nobis , quæ videntur , fed
quæ non videntur . Quæ enim videntur , temporalia funt , quæ autem non videntur,
æterna funt ,

℣. 1. HABENTES ADMINISTRATIONEM [1] JUXTA QUOD MISERICORDIAM CONSEQUUTI SUMUS .] Cum fuperiori capite Sacrum Evangelii minifterium commendaverit, illudque legi præftare oftenderit, ifthic Corinthiis narraturus eft eos labores , quos eft in prædicatione perpeffus , & fortitudinem , qua Deus inter graviffimas tribulationes illum donavit . In his omnibus a fcopo non aberras , fcilicet everrendi eam exiftimationem , quam pfeudo-Apoftoli fibi apud Corinthios comparaverant , & præmonendi fideles , ne fucum fibi fieri patiantur a perniciofis Doctoribus , evertentibus quidquid tanto ftudio S. Paulus ædificaverat , atque docentibus , legis cæremonias ad falutem neceffario perquiri, Ne vobis incedat admiratio, audientibus, nos adeo fidenter loqui ; neque nobis ambitioni , aut vanitati vertendum eft elogium , quo minifterium noftrum commendamus ; cujus magnitudinem nos ipfi cognovimus, & ad quod certi fumus a Deo nos evocatos fuiffe , qui fuper labores noftros tantam benedictionis copiam effudit . Hoc nos fortitudine , atque conftantia replet inter ea , quibus obruimur , mala . At pfeudo-Apoftoli unde nam miffionem fuam obtinuerunt ? quænam ab illis Ecclefiæ conftitutæ fuerunt ? quas illi perfecutiones perpeffi funt ?

NON DEFICIMUS .] Non cedimus ærumnis , quibus afficimur ; vel cum quibufdam Interpretibus [2] ; *non fegnefcimus* , non fugimus periculum tamquam mali miniftri , qui Evangelii prædicationem in lucro ponunt , atque ibi temporalia fua commoda tantum perquirunt .

℣. 2. SED ABDICAMUS OCCULTA DEDECORIS.] Hoc adverfus pfeudo-Prophetas dictum putatur [3] , qui non fatis integre Evangelium prædicabant , ut ibi lucellum aliquod , atque terrenam utilitatem invenirent [4] , vel etiam qui extrinfecus frugi , atque compofiti , turpes , abditafque in fe ipfis cogitationes fovebant [5].

NON AMBULANTES IN ASTUTIA .] Veluti prædicatores ii nequam , de quibus loquutus fum , qui inani pietatis fpecie fimplicibus fucum faciunt , atque *Dei verbum adulterant* , proprias ibi cogitationes immifcentes [6] ; qui fanctas veritates fuco obliniunt , atque infirmant , ad perfecutiones evitandas ; quæ profecto evitari non poffunt , ubi cum zelo , ac vi tollendi funt abufus , errores , & pravi carnalium hominum affectus [7] , Nullis humanis artibus uti audemus , ut nobismet auctoritatem conciliemus , neque eorum exemplo commendatitias emendicamus Epiftolas apud eorum locorum fideles , quo prædicaturi concedimus [8] . Non aliam apud homines commendationem perquirimus , quam rectitudinem , fınceritatem , & prædicationis noftræ veritatem . *In manifeftationem veritatis commendantes nofmetipfos ad omnem confcientiam hominum coram Deo* . Hypocrifis, fimulatio , fucus, aftus, ferius , ocyus aliquando deteguntur . Veritas , fapientia , æquitudo nec temporum diuturnitate , neque humanorum judiciorum inconftantia deteruntur . S. Paulus provocat *ad confcientiam hominum coram Deo* , apud quem judicari defiderat ; ubi non ftudium , non odium , non metus , non ulla humana ratio vim habet , aut locum .

℣. 3. QUOD SI ETIAM OPERTUM EST EVANGELIUM .] Dixit nuper certiffimum miffionis fuæ argumentum , & veritatis effe manifeftationem , & fuæ præ-

1 *Διὰ τοῦτο ἔχοντες τὴν διακονίαν ταύτην , Habentes igitur hanc adminiftrationem .*
2 Οὐκ ἐκκακοῦμεν . *Non fegnefcimus* . Grot. Bez. Pag. Pifc. 3 Theodoret. Grot. Eft. Menoc.
4 1. Petr. 5. 2. & Tit. 1. 11. *Docentes quæ non oportet turpis lucri gratia .*
5 Ephef. 5. 12. *Quæ enim in occulto fiunt ab ipfis , turpe eft & dicere .*
6 2. Cor. 11. 17. *Non enim fumus ficut plerique adulterantes verbum Dei* , Græc. Καπηλεύοντες , hic , δολοῦντες . *Falfantes , dolo tractantes .* 7 Vide Philipp. 3. 18. *Multi enim ambulant , quos fæpe dicebam vobis , nunc autem & flens dico , inimicos crucis Chrifti , quorum finis interitus , quorum Deus venter eft .*
8 2. Cor. 3. 1.

prædicationis eventum : isthic vero id occupat, quod sibi objici posse videbat. Hæc veritatis manifestatio efficere quidem potest, ut ibi agnoscaris, ubi fuit prædicata : at quomodo testimonium tibi perhibere potest, ubi prædicata non fuit? esto quidem commendatitias non accipias Epistolas ad eos locus, ubi Ecclesias instituisti : at quomodo iisdem carere poteris pro iis locis, ubi nomquam fuisti? Respondet S. Paulus, Evangelium illis tantum ignotum esse, qui ultro in incredulitate persistunt : & profecto nulla tunc temporis erat Romani Imperii Provincia, quo Evangelium nondum fuisset allatum. Ubicumque erant Judæi, insignis erat JESU CHRISTI historia; Apostoli, vel eorum discipuli in omnes terrarum plagas se se effuderant ; ibi veri, & antiqui Apostoli cognoscebantur, nominis quorum celebritas quocumque pervaserat. Si tantum cupiditatis hominibus esset ad veritatem discendam, & audiendum Evangelium ; quantum curæ nos impendimos ad illud annontiandum ; jam pridem nulli essent amplios increduli, & infideles [1]. Hæc omnia de Judæis præcipue sunt intelligenda, ex quorum numero erant pseudo-Apostoli, de quibus verba facit S. Paulus.

℣. 4. IN QUIBUS DEUS HUJUS SÆCULI EXCÆCAVIT.] Hi tantum sunt, quibus Evangelium adhuc velatum est ; pertinaces videlicet Judæi, quorum cæcitatem portenderunt Prophetæ, dicentes [2] : *Vade, & dices populo huic : audite audientes, & nolite intelligere : & videte visionem, & nolite agnoscere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava : & oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* Deus nequaquam causa fuit eorum obdurationis ; eam minime præcepit, approbavit, voluit ; sed illam secreto Justitiæ, atque altissimæ sapientiæ suæ consilio permisit [3].

Quidam [4] pro *Deo sæculi*, intelligunt Dæmonem *excæcantem mentem infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii*. Dæmon quidem sæpe in Scripturis [5], *mundi hujus Princeps* vocatur, & ipse Regnorum omnium, omniumque divitiarum se Dominum jactat [6] ; atque pluribus sæculis complures populi thura illi adoleverunt. Exercet ille in impios, infideles, incredulos imperium suum ; ipse auctor est, ac approbator sceleris, idololatriæ, erroris. Seorsus hic plures habet Sectatores : & Patres [7] priori explicationi suffragati sunt, hunc locum intelligentes, quasi legeremus : *Deus excæcavit mentes infidelium hujus sæculi*, pro, *Deus hujus sæculi excæcavit* &c. vel addito commate post eam vocem *Deus*, ut a patrio casu *hujus sæculi* sejungatur.

ILLUMINATIO EVANGELII GLORIÆ CHRISTI, QUI EST IMAGO DEI.] Permisit Deus, ut Judæi in obdurationem, atque incredulitatem deciderent, atque ultro oculos clauderent Evangelio JESU CHRISTI, qui gloria est, atque imago Patris [8]. Vel : abjecerunt Evangelium, quod est JESU CHRISTI gloria, quoniam continet historiam, miracula, doctrinam, atque mortem Divini hujus Salvatoris, qui est *Imago Dei*, quatenus Dei Filius, genitus ab æterno, & illi consubstantialis, a quo ante omnia sæcola genitus fuit, illi virtute, potestate, atque sapientia æqualis. Imago etiam est Patris, quatenus Homo-Deus, & mediator ; quoniam in illo Patrem cognoscimus, tamquam in pulcherrima atque perfectissima imagine ipsius [9], quæ mirum in modum omnes Divinas illius perfectiones repræsentat. Hebræi Messiam vocant, *Imaginem Dei* [10].

℣. 5. NON ENIM NOSMETIPSOS PRÆDICAMUS.] Non nominis nostri celebritatem quærimus, neque per prædicationem nostram, vel observantiam nobis conciliare, vel utilitatem quærere cupimus, eorum more, de quibus supra loquuti sumus. Satis semper ubique cognitus, atque acceptus sum, dummodo annuntietur JESUS CHRISTUS, & ejus Evangelium ita fructum ferat in locis, ubi adsum : *nos autem servos vestros propter JESUM* [11] ; ego quidem nimis felix mihi videbor, si laboribus meis aliquid, & gloriæ illius, & vestræ sanctificationi prodero.

℣. 6. DEUS, QUI DIXIT, DE TENEBRIS LUCEM SPLENDESCERE.] Deus idem, qui in ipsis rerum primordiis præcepit, ut lux de tenebris emergeret, sua claritate corda nostra perfudit ; quemadmodum gratis donum fidei recepimus, ita gratis eamdem prædicare debemus. Deus, qui in mundo sensibile lumen creavit, crevit quoque in cordibus nostris lumen fidei ; & quemadmodum oriri fecit Solem suum promiscue super bonos, & malos ; nos quoque exemplo suo ubicumque debemus effondere *illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie* CHRISTI JESU ; hoc est vitam, miracula, doctrinam, quæ in JESU CHRISTI persona enituerunt [12] ; vel mysteria, & perfectiones Dei, quemadmodum eas nobis JESUS CHRISTUS aperuit ; vel tandem prædicamus potestatem, & gloriam Dei *in persona Christi*, illius nomine, atque auctoritate, cujus legati sumus, atque Ministri [13] ; & cujus gloriam unice nos perquirere oportet.

℣. 7. HABEMUS THESAURUM ISTUM IN VASIS FICTILIBUS.] Quidquid dixi in Evangelici ministerii laudem, nullam in me superbiæ cogitationem debet immittere. Fateor enim, me munere adeo præclaro esse prorsus indignum [14] : *& ad hæc quis idoneus?* Thesaurus est, sed thesaurus in fictili testa positus ; *ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis* ; ut scilicet fateamur, quodcumque in nobis eximium fulget, a Deo, non autem a nobis proficisci [15]. Ne credatis ergo, me ista loqui, ut nominis celebritatem aucuper : Ideo ministerium meum commendo, ut ad Deum gloria referatur, atque ut rubore suffundantur pseudo-Apostoli, qui nequissima vivendi ratione illud coinquinant.

℣. 8. IN OMNIBUS PERSECUTIONEM PATIMUR, SED NON ANGUSTIAMUR.] Hæc Hebræorum propria locutio est, qui in angustiis esse dicunt, ut periculum, mœrorem, atque tristitiam significent. Apostolus hoc in loco ea recenset mala, quæ pro JESU CHRISTO patitur, non ut glorietur, sed ut pseudo-Apostolorum vanitatem perstringat, atque commendet virtutem ac potestatem Dei, qui ipsum inter tot persecutiones, & mala confirmat.

APORIAMUR, SED NON DESTITUIMUR.] Gravissimis undique urgemur difficultatibus, sed illis non cedimus. Græcus ad litteram [16] : *in ambiguo sumus, at* oni-

1 Vide Theodoret. Est. Menoch. Tirin.
2 Isai. 6. 9. 10.
3 Chrysost. Theodoret. Ambros. Primas. Sedolius, &c.
4 Erasm. Est. Grot. Menoc. Tirin. Zeget. Bez. Camerat. alii. Vide & August. lib. 21. contra Faust. cap. 9.
5 Joan. 12. 31. 14. 30. 1. Joan. 5. 19. Ephes. 6. 12.
6 Matth. 4. 8. 9.
7 Vide Patres supra citatos, & Iren. lib. 3. cap. 7. & lib. 4. cap. 48. Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 11. Aug. lib. 21. contra Faust. cap. 2. & contra advers. Legis & Prophet. lib. 2. cap. 7. 8. apud Est. hic.
8 Vide Coloss. 1. 15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*. Et Hebr. 1. 3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*, &c.
9 Joan. 1. 18. *Deum nemo vidit unquam ; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Vide & 1. Timoth. 3. 16.
10 צלם אל In Zachar. &c.
11 Διὰ Ἰησοῦν, *propter Jesum*.
12 Grot. Men. Tirin.
13 Est. Primas. Sedul. alii.
14 2. Cor. 2. 16 3. 6.
15 [Greek illegible] *Ut sublimitas, excellentia, excessus virtutis, sit Domini, & non ex nobis*. Ita legunt Veterum Patrum Græcorum plerique. At Tertullianus & Latini Vulgatæ conformes sunt. Vide Estium.
16 [Greek illegible] Theodoret.

animo non deficimus. Sæpius iis obnoxii sumus periculis, ex quibus vix emergere posse videmus: sed non deserit nos Deus eo usque, ut in desperationem ruere permittat, atque omnino suam nobis opem deneget.

℣. 10. SEMPER MORTIFICATIONEM JESU IN CORPORE NOSTRO [1] CIRCUMFERENTES.] Exhibemus in nobismetipsis imaginem cruciatuum, & Crucis JESU CHRISTI; quotidie ut ita dicam cum illo, & pro illo morimur, *ut & vita JESU manifestetur in corporibus nostris*, & quemadmodum passionis ejusdem participes fuimus, ita gloriæ, & resurrectionis simus etiam consortes [2]. *Si sustinebimus, & conregnabimus.*

℣. 12. ERGO MORS IN NOBIS OPERATUR.] Evangelii prædicatio, quam integerrime suscipimus, atque per tot pericula exercemus, nobis igitur mortis causa est, & vobis vitæ. Sexcentas nobis conflat calamitates; vobis autem omnia bonorum genera procurat. Vos quidem pacate laborum nostrorum fructu gaudetis; sed huic vestræ felicitati minime invidemus; speramus enim, aliquando remunerationem laboribus nostris promissam nos consecuturos. Hoc ille ait ℣. 14.

℣. 13. HABENTES AUTEM EUMDEM SPIRITUM FIDEI.] At quemadmodum idem Spiritus Sanctus, qui vobis fidem tribuit, nos etiam afflat & animat, *sicut scriptum est, credidi propter quod locutus sum*, putamus vobis sanctas veritates annunciasse, & ad finem usque depositum fidei servasse. ℣. 14. *Qui suscitavit JESUM, & nos cum JESU suscitabit* [3], *& constituet vobiscum* coram Deo in beata, atque æterna vita, ut ibi simul omnes laborum nostrorum, fideique nostræ præmium recipiamus [4].

℣. 15. OMNIA ENIM PROPTER VOS.] *Sive* prædicemus, sive patiamur, sive persecutiones perferamus, sive de inimicis victoriam reportemus, sive eorum conatibus cedere videamur, hæc omnia ad vestram utilitatem, atque salutem conducunt [5]. Conducunt quoque ad gloriam Dei; quoniam *gratia abundans per multos in gratiarum actione, abundat in gloria Dei* [6], videlicet quod quo abundantius sese divina effundit gratia, eo major Deo cedit gloria; propterea quod majores illi gratiæ a mortalibus aguntur, atque habentur. Itaque cum & pro Deo, & pro vobis laboraverimus, sperandi locus est, labores nostros non inutiles futuros, & eorumdem a Deo in judicio suo habendam esse rationem. Græco textui hic sensus tribui potest [7]; *libenter omnia sustineo propter amorem vestri, ut Evangelii gratia magis magisque ad plures populos cum gratiarum actionibus, & pro Dei gloria effundatur.*

℣. 16. PROPTER QUOD NON DEFICIMUS.] Spes æternæ remunerationis, & confidentia, qua freti sumus futurum, ut populorum conversionibus Dominus super labores nostros suas benedictiones effundat, efficiunt, ut alacriter omnia patiamur; ita ut *licet is qui foris est*, hoc mortale corpus [8], *corrumpatur, tamen is, qui intus est*, anima, spiritus, ea nostrum pars, quæ cognoscere potest, atque beatitudinis meriti atque demeriti particeps fieri, *renovetur de die in diem*, & per passiones recentes semper vires novamque fortitudinem acquirat; atque se ipsum renovet per fidem vividiorem, spem, constantiam, & charitatem ardentiorem [9].

℣. 17. ID ENIM QUOD IN PRÆSENTI EST [10].] S. Pauli zelus & ardor inertissimo cuique fortitudinem potest immittere. Vivendi genus crucibus, laboribus, persecutionibus, ærumnis cumulatissimum, illi non aliud est, quam unum afflictionis momentum, quod in altera vita præclaram mercedem inventurum est, videlicet æternum gloriæ pondus. Hæ voces magnificæ sunt, & satis ostendunt sublimem ideam, quam ille conceperat de ea beatitudine, quam ipsi Dominus præparaverat. Immensum æternæ gloriæ pondus cum momento levis tribulationis compositum, hoc in loco plurimum valet. In Hebræorum, & Chaldæorum lingua vox eadem, quæ pondus, gloriam etiam significat; & apud Sacros Auctores *grave* illud significat, quod abundans est, frequens, potens, locuples.

℣. 18. NON CONTEMPLANTIBUS NOBIS.] Inde terrena vitæ hujus mala cum æternis collata suppliciis nihilum, vel minimum aliquod nobis videntur, quoniam mentis oculos non ad sensibilia, & perfunctoria, verum ad ea, quæ sunt invisibilia, atque æterna, attollimus [11]. *Terrena substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita.*

---

1 Græcus non legit *nostro*. Τὴν νέκρωσιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες. At Patrum plerique, Syrus, Arabs, Æthiops, Veteres, MSS. Clarom. & S. Germani legunt, *nostro*, ἡμῶν.

2 2. Timoth. 2. 12. Vide & Rom. 8. 17. 3 Rom. 8. 11. *Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit J. C. a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, &c.*

4 Vide Est. Menoch. Tirin. Gont. Zeger.

5 2. Cor. 1. 6. *Sive autem tribulamur, pro vestra exhortatione & salute: sive consolamur, pro vestra consolatione, &c.* Et 2. Timoth. 2. 10. *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur.*

6 Confer hunc locum cum 2. Cor. 1. 11. *Ut ex multorum personis, ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.* 7 Τὰ γὰρ πάντα δι' ὑμᾶς, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα, διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν περισσεύσῃ εἰς τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ. 8 Vide Rom. 7. 22. 24. 8, 10. Ephes. 4. 22. 24. Coloss. 3. 9. 10.

9 Chrysost. 10 Græc. impress. Τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως. Sed S. Germ. Clarom. & Boerner. G. L. sic; τὸ γὰρ παραυτίκα πρόσκαιρον καὶ ἐλαφρόν. Et ita Vulg. August. Tertull. Ambros. alii.

11 Gregor. Magn. homil. 17. in Evangel.

CAPUT V.

Spes Beatitudinis æternæ efficit, ut vitam hanc contemnamus. Nos acceptos JESU CHRISTO tamquam Judici nostro præbeamus oportet. Propter illum dumtaxat nobis vivendum est. Apostoli sunt ejus Legati. Per illum cum Deo Patre in gratiam revertimur.

1 SCimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2 Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes. 3 Si tamen vestiti, non nudi inveniamur.

inur, 4 Nam qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolu-
mus expoliari, sed supervestiri: ut absorbeatur, quod mortale est a vita. 5 Qui
autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. 6 Au-
dentes igitur semper, scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a
Domino: 7 (Per fidem enim ambulamus, & non per speciem) 8 Audemus au-
tem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes es-
se ad Dominum. 9 Et ideo contendimus, sive absentes, sive præsentes placere illi.
10 Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquis-
que propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 11 Scientes ergo
timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem,
& in conscientiis vestris manifestos nos esse. 12 Non iterum commendamus nos
vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut habeatis ad eos, qui
in facie gloriantur, & non in corde. 13 Sive enim mente excedimus, Deo: si-
ve sobrii sumus, vobis. 14 Charitas enim Christi urget nos: æstimantes hoc,
quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. 15 Et pro
omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui
pro ipsis mortuus est, & resurrexit. 16 Itaque nos ex hoc neminem novimus se-
cundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum: sed nunc jam non
novimus. 17 Si qua ergo in Christo nova creatura: vetera transierunt: ecce fa-
cta sunt omnia nova. 18 Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per
Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis. 19 Quoniam quidem Deus
erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, &
posuit in nobis verbum reconciliationis. 20 Pro Christo ergo legatione fungimur,
tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, & reconciliamini Deo.
21 Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficere-
mur justitia Dei in ipso.

℣. 1. SCIMUS ENIM, QUONIAM SI TERRESTRIS DOMUS NOSTRA.] Pergit S. Paulus hoc etiam in capite ea enarrare, quæ sibi adstruunt confidentiam inter vitæ hujus calamitates; atque in persona sua nobis perfecti Christiani delineat exemplar, quem in hoc Mundo tenet ea solum necessitas, quam in illis imposuit Deus isthic permanendi, ut ad propriam sanctificationem, & Creatoris sui gloriam adlaboret; ab omni quidem Creaturæ amore expeditus, ad æternam dumtaxat beatitudinem anhelans; in id unum intentus, ut Judici suo placeat, atque pro illo tantummodo vivat. *Terrestris domus*, de qua loquitur, est mortale corpus: *domus manufacta æterna in Cœlis* est corpus resuscitatum [1], vel Beatorum sedes in Cœlo [2], de qua scriptum est Joan. 14. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Græcus pro *terrestri domo hujus habitationis* legit [3]: *si terrestris domus nostra hujus tabernaculi dissolvatur*, vel prosternatur: ut innuat, Corpora nostra non aliud esse quam tabernacula quædam, quæ momento quidem evertuntur, & quorum ne vestigium quidem deinde reliquum est [4]. Videtur autem præsenti in capite eos ex Corinthiis respicere, qui resurrectionem inficiabantur. Vide 1. *Cor.* 15. 12. & seq. & hic ℣. 6. 7.

℣. 2. NAM ET IN HOC INGEMISCIMUS.] Utitur verbo *superindui* [5]; nam corpus immortale nequaquam essentialiter differt ab eo, quod gerimus, corpore; hoc idem corpus est, cui addita est forma gloriæ, atque immortalitatis; quæ sunt tamquam vestes superadditæ corpori. *Oportet enim*, quemadmodum 1. Cor. 15. 53. ait, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*.

℣. 3. SI TAMEN VESTITI NONNULLI INVENIAMUR.] Ut participes fieri possimus beatæ immortalitatis, atque resurrectionis Sanctorum, non sufficit ex hac vita decessisse, atque corruptibilis hujus corporis sedem reliquisse; oportet etiam, meritis locupletem esse, atque charitatis, bonorumque operum veste indui [6]; alioquin resurget quidem corpus, sed in nuditate sua permanebit, neque gloriæ, & beatitudinis filiorum Dei esse poterit [7]: & ejus immortalitas erit causa æternæ ipsius infelicitatis, atque desperationis.

Sunt [8], qui hoc aliter explicent: induemur cœlesti domo nostra, quin mortem subeamus; *dummodo judicii die fuerimus ex numero eorum, qui adhuc induti erunt* corporibus suis; non autem *ex eorum numero, qui nudi erunt*, atque per naturalem mortem corporibus suis exuti. Putant, S. Paulum isthic alludere ad ea, quæ dixit in priori ad Corinthios Epistola 15. 51. eos, qui vixerint adhuc, ubi iterum JESUS CHRISTUS advenerit, non morituros, neque resuscitandos esse cum iis, qui in tumulis computruerunt; verumtamen esse immutandos: *& nos immutabimur*. Quod idem valet, ac illud, quod ab Apostolo hoc in loco *superindui immortalitate* vocatur. Vellent alii [9], versiculum hunc intra parenthesim, & veluti cum quadam adspirationis specie legere. O utinam tunc bene vestiti simus, & bonis operibus repleti, non autem virtutibus omnino exuti! vel potius: Utinam ea die possimus indui immortalitate, neque omnino nudi inveniamur, velut qui resurgent, æternum damnandi.

Denique nonnulli Manuscripti Græci, & Latini veteres [10], & Patres quidam, puta Tertullianus [11], S. Paulinus ep. 5. ad Sever. Primasius, aliique legunt aliter

1 Tertull. de Resurr. carnis cap. 41. Cajet. Menoch. Est. Vorst. alii. Vide 1. Cor. 15. 44. 46. 48. 49.
2 Photius apud Oecumen. Herv. D. Thom. Titin. 3 Ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ. Tertull. *Hujus tabernaculi*. 4 Chrysost. Theodoret. Hieronymiast. Oiot. alii.
5 Theodoret. hic. 6 Coloss. 3. 12. Apoc. 19. 8.
7 Theodoret. 8 Cajet. Grot. Menoch. Est. Piscat. Sclater.
9 Vide Knatchbull. 10 Claromont. G. L. S. German. Boruer. ἐκδυσάμενοι, *expoliati*. Codd. aliqui Græci testib. Chrysostom. & Oecumen. & quidd. Latin. teste Ambrosiastro.
11 Tertullian. de Resurrect. carnis, cap. 42. lib. 5. contra Marcion. cap. 22.

aliter a Vulgata per S. Hieronymum castigata [1] : *Si tamen exuti essemus, non ideo tamen essemus nudi*; quod optimum sensum adstruit, si cum superioribus, & subsequentibus connectatur. ℣. 4. *Ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de Cœlo est superindui cupientes*, & quæ est tamquam vestis quodam, qua corpus hoc indui debet. Cupimus non mori; sed vivere usque in adventum Domini, ut non gustata mortis amaritudine, & sepulchri putredinem non experti, immortalitatis veste induamur, atque repente a mortali vita ad immortalem gradum faciamus. Hæc est votorum nostrorum summa: sed ℣. 3. *Licet etiam exueremur* hoc nostro corpore, atque redigeremur ad statum eorum, qui in sepulchri pulvere dormiunt, hoc tamen tristitiam nobis afferre minime posset; quoniam non ideo *prorsus nudi erimus*. Deus nos resuscitabit, atque immortalitate, & clamyde beatitudinis æterne nos induet. ℣. 4. Nunc autem cum simus in hoc corpore, *sub pondere illius gemimus, quia non eodem exui, sed superindui cupimus, ita ut vita absorbeat quidquid in nobis mortale est*. Sensum, quem attulimus, Dicens Chrysostomus proposuit, ac Millius tenet, lectionem, quæ in illatis manuscriptis habetur, esse genuinam.

℣. 4. EO QUOD NOLUMUS EXPOLIARI, SED SUPERVESTIRI.] Perfectissimus quisque CHRISTI fidelis gloriam cupit, atque immortalitatem; sed mortem etiam timet, quam natura tamquam maximum malum perhorrescit. Inter duplicem hunc motum, alterum quidem timoris, amoris alterum brevi momento de mortalitatis, atque infirmitatis statu ad immortalitatem, & gloriam traduci cuperemus [2]; & beatissimam illam experiri transmutationem, de qua in priori ad Corinthios Epistola S. Paulus loquutus est [3]; & quam experientur justi, qui alterius adventus JESU CHRISTI die vivent. Hæc omnia perspicue probans, novissima judicii die resuscitandum esse hoc ipsum corpus, quod animamus, & in quo, tamquam in tabernaculo, inhabitamus [4].

℣. 5. QUI AUTEM EFFICIT NOS IN HOC IPSUM DEUS.] Deus nos ad beatitudinem, immortalitatem, resurrectionem creavit. Ne quæras igitur, cur, & quomodo accidat resurrectio; Deus illam pollicetur, illam exequitur. *Ille nobis dedit pignus Spiritus*; veluti hujus immortalitatis arrham tribuit, Spiritum Sanctum. Supernaturalia dona, quæ in nos effundit; lumina, & gratias, quibus replet; prodigia, quæ in fidelibus operatur, hæc omnia veritatem promissionum Domini, futuræque resurrectionis confirmant [5].

℣. 6. AUDENTES IGITUR.] Ubi tales promissiones, & tantam spem habeamus, futurum ut aliquando resuscitemur, & immortalitate induamur, numquid pericula, aut persecutiones expavescere debemus [6]? in hoc Mundo, tamquam in exilio quodam esse putamus, corpus carceris loco nobis esse ducimus, ingemiscimus; quod procul simus a Deo, qui universam spem, atque felicitatem nostram constituit; post hæc aliquid ne erit nobis metuendum, vel adhuc ne vitæ hujus bona haberimus?

℣. 7. PER FIDEM ENIM AMBULAMUS, ET NON PER SPECIEM.] Hæc ea est ratio, quam superius attulit, quod videlicet procul a Deo, procul a Patria nostra versamur: *peregrinamur a Domino*. Illuc tendimus, quin tamen eam corporeis oculis intueamur: illam oculis fidei tantum consideramus.

℣. 8. AUDEMUS AUTEM ... MAGIS PEREGRINARI A CORPORE.] Freti, futurum ut aliquando immortalitate induamur, atque cœlestem Patriam nostram re-

A petamus, mortem vitæ præferimus, & contemnimus, quidquid in Mundo nos allicere, vel perterrere potest, quibus persuasum est, omnia illius mala, vel bona nihilum esse, ubi conferentur cum iis remunerationibus, quæ in beata æternitate nos manent.

℣. 9. ET IDEO CONTENDIMUS.] In hac vita unum dumtaxat nobis objectum est, ut videlicet Deo placeamus, atque bonis operibus resurrectionis, beatæque immortalitatis gloriam promereamur, seu de hoc mundo nos educere, seu ibi nos relinquere velit; in vita, in morte; in prosperis, in adversis; in pace, in persecutionibus illius sumus, & toto pectore incumbimus, ut illi placeamus: *contendimus sive absentes, sive præsentes placere illi*.

℣. 10. OMNES ENIM NOS MANIFESTARI OPORTET
B ANTE TRIBUNAL CHRISTI.] Rationem affert eorum, quæ dixit, nobis videlicet adnitendum, ut seu in vita, seu in morte, *sive absentes, sive præsentes*, Domino placeamus. Quorsum autem? quòd post mortem nostram prodire debemus ante JESU CHRISTI tribunal, ibi de omnibus vitæ nostræ actionibus rationem reddituri; ibique vel felicissimam, vel funestissimam sententiam subituri, vel bonorum operum præmium, vel peccatorum nostrorum pœnam recepturi. Hæc veritas in universa Scriptura effusa est [7]. *Propria corporis* [8] ea significans, quæ quisque fecit, dum adhuc corpore indueretur, non autem corporeas tantum actiones, actionibus animæ exclusis.

℣. 11. SCIENTES ERGO TIMOREM DOMINI.] Cum nobis persuasum sit de terribilibus iis veritatibus, quas
C vobis dixi de judicio, quod omnes subituri sumus, illas hominibus inspirare adnitimur, & Deus sensuum cordis nostri testis est. Aliter: scientes, in quo religio vera consistat, quam Scriptura passim *Domini timorem* appellat, alios erudire conamur [9]; testis est Deus rectæ voluntatis nostræ. Ita denique intelligi potest: haud ignorantes, quantopere terribilis sit Dominus in judiciis suis, hominibus innocentiam nostram probare adnitimur: at novit Deus penitiora cordium nostrorum: *spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse*. Hic sensus omnium optimus [10] videtur. Videmus sequenti versiculo, Apostolum causam suam probare, atque se se tueri contra pseudo-Apostolos, qui illum deprimere conabantur, ut ipsi excrescerent. Hoc eumdem coegit, ut hactenus Apostolatus sui gloriam
D celebraret, & de se cum laude quadam loqueretur, quamvis hoc ille ita præstiterit, ut invitus, atque mera compulsus necessitate hoc fecisse videatur.

℣. 12. NON ITERUM COMMENDAMUS NOS VOBIS.] Credetis forcasse, me adhuc laudes meas quærere, atque mihi apud vos auctoritatem conciliare. Nequaquam vero: non aliud cupio, quam *occasionem* præbere vobis *gloriandi pro nobis*, ut Apostolum, ac primum præceptorem vestrum cum ferentibus hujusmodi Doctoribus, qui cum Epistolis commendatitiis veniunt ad vos, conferentes, respondere possitis *adeos, qui in facie gloriantur, & non in corde*. Hæc verba designant pseudo-Apostolos, qui Corinthum venerant, & qui auctoritatem suam constituere cupiebant cum detrimento nominis S. Pauli, & qui evertere studebant ea, quæ
E ille in Ecclesia eadem instituerat, recentes usus, alienamque doctrinam invehentes.

Hæc orationis figura, ideo nosmet laudare tenemur, ut præbeamus *occasionem vobis gloriandi pro nobis*, scita quidem est, atque eximia: vobis suppeditare volo, quomodo causam meam peroraré valeatis; novi, me a vobis amari: non ego quidem, et apud vos causam

meam

1 Εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι, οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα. 2 Vide Est. Grot. Men. Castal. alios.
3 1. Cor. 15. 51. 52. 4 Chrysostom. Theophylact. alii.
5 Confer 2. Cor. 1. 22. *Signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*.
6 Chrysostom. hic. 7 Matth. 25. 32. Rom. 14. 10. 12. Act. 10. 42. 17. 31. Job 34. 21. Psalm. 61. 13. Eccle. 12. 14. Jerem. 17. 10. 20. 12. 59. &c. 8 Græca impressa, Τὰ διὰ τοῦ σώματος. At Origen. hom. 10 in Jerem. Ambros. in Psalm. 1. Cyprian. lib. 2. & 3. Testim. ad Quirin. Theodoret. serm. 12. de virtute activa. Fulgent. de Fide ad Petrum cap. 3. Calaritan. Rufin. Gennad. Hieronymiast. Ambrosiast. Clarom. Sancti Germ. Borner. Lat. *Propria corporis*. Edit. Complut. Τὰ ἴδια τοῦ σώματος.
9 Grot. Menoch. &c. 10 Est. Zeger. Hamm. Confer Galat. 1. 10. *Modo enim hominibus suadeo, an Deo?* Vide S. Chrysostomum in hunc locum, & in laudatum ad Galatas.

meam agam : sed ego, ut vos pro me illam agatis. **A** Illis ergo, qui auctoritatem meam detrerere studeut, dicite, vobis satis esse compertum Apostolum vestrum, eumque virum esse irreprehensibilem : *ut habeatis adversus eos* ; ut habeatis, quomodo causam meam probare possitis, vel unde respondeatis, vel immo etiam unde gloriemini coram novis hisce Doctoribus [1].

℣. 13. SIVE ENIM MENTE EXCEDIMUS, DEO.] Prophetæ, atque Apostoli, cum in extasim rapiebantur, & actu Spiritu Sancto afflabantur, extra se quodammodo rapi, & veluti alii homines esse videbantur: eorum corporis habitus, facies, oculi, vox omnino a se ipsis discrepabant, si conferrentur cum aliis temporibus, ubi non afflati, sed sui compotes erant. Sanctus Paulus, ut illud excuset, quod Corinthiis dicere coactus fuerat ad laudem suam, duo isthic innuit. 1. **B** hoc se fecisse quadam extaseos specie correptum, atque Spiritus Divini afflatu percitum. 2. vero, se id fecisse, ut gloriam Dei procuraret, atque prohiberet, ne ipsi pseudo-Apostolis verba sibi dari permitterent [2]. Seu igitur nosmet præter modum commendare videamur, hoc propter Deum unice facimus : *sive sobrii sumus vobis* ; seu caute, ac parce de nobis ipsis verba faciamus, seu cum laude loquamur ; non aliud, quam Dei honorem, aut spiritualem vestram utilitatem spectamus. Vel, seu nosmet ad captum vestrum demittamus, & humana tantum ratione loquamur ; seu extollamur, & potiora, atque sublimiora vobis detegamus mysteria [3], semper Dei gloriam, & vestram utilitatem perquirimus.

℣. 14. CHARITAS ENIM CHRISTI URGET NOS.] **C** Amor, quo JESUM CHRISTUM prosequimur, nos cogit, & urget, ut loquamur, atque agamus hoc pacto; modo nosmet non sine quadam excessus specie attollentes, & modo nosmet infra omnes homines deprimentes : modo gravissima quælibet pericula provocantes, & modo humiliter superiori virtuti cedentes ; modo veritatis hostibus reluctantes, modo ad mortalium omnium pedes nosmet submittentes. Charitas multiplici hac nos induit persona.

ÆSTIMANTES HOC, QUOD SI [4] UNUS PRO OMNIBUS MORTUUS EST.] Si JESUS mortuus est pro omnibus ; omnes ergo mortui erant ; non enim pro iis mortem oppetiisset, qui incolumes essent, atque viventes [5] : ideo Charitas CHRISTI urget nos, ut omnium salutem **D** quæramus, atque ad singulorum necessitatem nosmet submittamus, vel suavitatis, aut severitatis vias inquirentes, vel nosmet deprimentes, vel attollentes.

Aliter, si JESUS CHRISTUS mortuus est pro nobis omnibus, ergo omnes homines sibimetipsis mori debent; homini veteri, peccato, ut imposterum nonnisi JESU CHRISTI vitam, vitam justitiæ, & gratiæ vivant [6]. *Nemo nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur*, ait ille in Epistola ad Romanos 14. 7. *Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur : sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit : ut mortuorum, & vivorum dominetur*. Et 6. 4. *consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem ; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ* **E** *ambulemus* &c. Hujus loci decursus huic explicationi maxime suffragatur, ℣. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*.

Porro ita potest intelligi S. Pauli argumentatio. Dei gloria, & proximi utilitas unicum est actionum nostrarum objectum ; charitas, qua repleti sumus ; & Spiritus Sanctus, quo animamur, nos cogit, ut nosmet aptemus variis personarum generibus, cum quibus versamur, ut omnes JESU CHRISTO lucremur. Cum divinus hic Salvator pro omnibus hominibus mortuus sit, æquum est, ut omnes cum illo moriantur peccato, & injustitiæ, ac imposterum vita gratiæ tantummodo vivant, hoc est, illi suos sensus, mentem, cor, atque actiones devoveant.

℣. 16. ITAQUE NOS EX HOC NEMINEM NOVIMUS SECUNDUM CARNEM.] Existimamus nos, tamquam homines in JESU CHRISTO mortuos, atque in eodem resuscitatos, qui non sunt amplius de hoc mundo, atque ibi neminem amplius secundum carnem cognoscunt, alius sensus, alia consilia, alia studia, quam olim induimus ; unum JESUM CHRISTUM amamus, gloriam ejus tantummodo quærimus, illius Imperium in omnium mortalium animos portendere cupimus. Caro, sanguis, favor, calamitas ; prospera, adversa ne minimum quidem nos tangunt, nisi quatenus ad Evangelii progressum, & ad Domini gloriam, vel prodesse possunt, vel obesse [7].

ET SI COGNOVIMUS SECUNDUM CARNEM CHRISTUM.] Antequam Deus effectu gratiæ suæ nos ad fidem vocaret, non secus ac plerique Judæorum in errore circa Messiam versabamur [8]. Illum secundum carnem tantummodo noveramus ; expectabamus illum, tamquam Heroem, vel Monarcham, qui Nationes omnes esset superaturus, atque Imperium Israel in eum statum restituturus, qui plusquam antea floreret ; sed illum non ita cognovimus ; sublimiores, æquiores, & graviores de illo ideas animo concepimus.

Aliter [9] ; licet olim JESUM CHRISTUM secundum carnem cognovissemus, cum viveret, & mortalis esset; nunc illum hoc modo non amplius cognosceremus. Eumdem tamquam Deum nostrum adoramus, scimus, illum resurrexisse ad gloriam ; omnes ætatis, atque industriæ nervos contendimus, ut eumdem imitemur, vitam omnino recentem vivamus, ubicumque honorem illius procuremus. Videtur hoc in loco S. Paulus indirecte refellere pseudo Apostolos, qui se JESUM CHRISTUM in carne vidisse gloriabantur : cum S. Paulus illum minime agnovisset [10] : eisque responderet, licet illum in vita mortali vidisset, conaturum fuisse, ut recordationem hanc oblivione deleret, ne imposterum illum nonnisi veluti in Cœlo regnantem cognosceret ; atque pro virili adniteretur, ut in se ipso Divini hujus Salvatoris virtutem exprimeret.

℣. 17. SI QUA ERGO IN CHRISTO NOVA CREATURA.] Si quis ergo ad Jesum Christum pertinet per fidem, atque regenerationem, jam factus est nova creatura ; non amplius est homo ille carnalis, corruptus, superbus, sed homo prorsus novus : *vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova* : novas cognitiones, nova studia, nova consilia. Non vivit amplius nisi in JESU CHRISTO, & per JESUM CHRISTUM. Christiana Religio quodammodo est nova creatio. Baptismus species est resurrectionis [11], atque talis in Christianis omnibus videri deberet. *Si quis in Christo est, nova creatura est, non natura novitate formatur, sed gratia*, inquit S. Ambrosius Ep. 8 ad Faus. & hæc recens creatio [12] magis miraculosa est, atque difficilis, quam si rursus cœlum, & terra crearentur. *Quod majus opus est, ut ex impio justus fiat, quam creare Cœlum, & Terram*.

℣. 18. OMNIA AUTEM EX DEO.] Ne quis crederet, illum aliquid sibi velle de iis vendicare, quæ hactenus

---

1 Oecumen. Chrysostom. Vide & Theodoret. &c.
2 Vide Aug. tr. 7. in Joann. l. 12. contra Faust. c. 26. in Psal. 30. conc. 1. Beda, Hervæ. alii.
4 Plures MSS. omittunt *Si* ; Ὅτι εἰ, ὅτι εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν. *Quoniam unus pro omnibus mortuus est*. Vide Mill. Var. Lect.
5 Ita plerique in Est. Zeger. Vat. Men.
7 August. lib. 11. contra Faust. cap. 7. S. Leon. Magn. serm. 1. de Resurrect. Domini. D. Thom. Lombard. Vide Est. Vat. Grot. Menoch. alios.
9 Chrysostom. Vide 2. Cor. 11. 1. 18. 12. 21.
6 Ita D. Thom. Lyr. Est. Grot. Zegeri
8 Cajet. Sclater. Dickson. Martianæ.
3 Grot. Vatabl. Le Clerc.
10 S. Paulus Jesum Christum viderat post ejus resurrectionem, ut de seipso ait 1. Cor. 15. 8. & 9. 1. Ei apparuerat, dum Damascum pergeret. Vide Act. 9. 3. 17. & 18. 9. & 22. 14. & 23. 11. & 26. 16. Sed inter homines degentem non agnoverat.
11 Theodoret.
12 Aug. in Joan. tract. 72.

suis in ministerii sui laudem, & ad Christianæ Religionis gloriam dixit, profitetur, omnia ex Deo proficisci, nos per illius misericordiam novam fieri creaturam in JESU CHRISTO: non amplius secundum carnem, sed secundum spiritum vivere; omnes injustitiæ, atque impietati mortuos esse. Quidquid in nobis bonum est, a Deo emanare, eique uni gloriam, honorem, & gratiarum actionem in omnia secula esse referendam. Ille nos redemit, sibi nos per JESUM CHRISTUM reconciliavit, atque ad Apostolatum vocavit: *& dedit nobis ministerium reconciliationis*.

℣. 19. QUONIAM QUIDEM DEUS ERAT IN CHRISTO, MUNDUM RECONCILIANS SIBI.] Deus, Mundum sibi in JESU CHRISTO reconciliavit, vel per JESUM CHRISTUM, ita enim cum Theodoreto vertendum est [1], commate post, *Deus erat*, apposito. B Sequi tamen possumus Vulgatam ad litteram, dicentes, & Deum in JESU CHRISTO fuisse, & JESUM CHRISTUM fuisse in Deo [2], in toto Incarnationis, atque Redemptionis nostræ Mysterio. Pater nobis tradidit Filium suum, a quo redimeremur: *sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*, Joan. 3. 16. Illum numquam reliquit; cum eo semper fuit, cum eodem operatus est: *Pater in me manens ipse facit opera*, Joan. 14. 10. Ille Mundum sibi per JESUM CHRISTUM reconciliavit, *non reputans illis delicta ipsorum*, eis parcens, dummodo in se crederent, atque ea adminicula, quæ ipse illis suppeditavit, ut salvi fierent, amplecterentur[3]. Hæc enim est hujus reconciliationis conditio, quemadmodum nos docuerunt Apostoli, in quibus Deus *posuit verbum reconciliationis*; quibus præcepit, C ut illam prædicarent, ejusdem vias, causam, & effectus explicarent; & quibus credidit facultatem cum Deo reconciliandi eos, qui ad ipsum redirent, & crederent in JESUM CHRISTUM [4].

A ℣. 20. PRO CHRISTO ERGO LEGATIONE FUNGIMUR.] His verbis ministerium suum commendat, atque ostendit, quomodo subjectus sit JESU CHRISTO, a quo missus est. Quoniam igitur ad vos loquimur nomine, & auctoritate JESU CHRISTI, qui misit nos, quemadmodum ille ipse a Patre suo missus fuit; nos summa cum reverentia debetis audire, atque eos dimittere, qui ab illo easdem credentiales, ut ajunt, litteras non obtinuerunt, neque præ se ferunt characteres eosdem veritatis, quos in nobis animadvertere debuistis. Revertimini ergo in gratiam cum Deo, scelerum vestrorum agite pœnitentiam, sectamini justitiam ejus. Ad id per os nostrum vos Deus ipse adhortatur, & nos in JESU CHRISTI nomine obtestamur, & obsecramus.

B ℣. 21. EUM, QUI NON NOVERAT PECCATUM, PRO NOBIS PECCATUM FECIT.] Propter amorem nostri, tamquam peccatorem percussit, vel piacularem victimam effecit illum, qui peccatum non noverat, ut in illo justi fieremus, *Justitia Dei*. JESUS CHRISTUS, qui eadem sanctitas est, atque integritas, habitus fuit tamquam scelestus [4], Cruci suffixus, & contumeliis, atque probris Judæorum expositus; ille, qui expiationis erat victima pro totius Mundi peccatis [5], Agnus sine macula ab ipso seculorum initio immolatus [6], qui nos omnes lavit in sanguine suo, & qui in seipso omnium nostrum iniquitates assumpsit, ut nos populum mundum, sanctum, & Deo acceptum efficeret: *ut nos efficeremur Justitia Dei in ipso*: ut per ipsum nobis justitia communicaretur, & in oculis Dei, justi, atque C innocentes haberemur. Liquet in Scriptura, *peccatum* sæpe expiationis victimam significare [7], & *non nosse peccatum*, illud numquam patrasse, improbare, damnare, integrum vitæ scelerisque purum esse. Hæ communes sunt Hebræorum locutiones.

---

1 Ὥς εἶναι θεὸν, ἐν Χριστῷ αὐτῷ καταλλάσσοντα ἑαυτῷ. Ita Theod. 2 Joan. 1. 1. & 10. 38. 14. 10.
3 Vide Est. Grot. Menoch. Castal. 4 Chrysostom. Theodoret. Vide Oecumen. Grot. alios passim.
5 Ambrosiast. Sedul. Primas. Haymo, Augustin. pluribus locis, Est. Menoch. Tirin. Vatabl. Erasm. alii passim. 6 Apocal. 13. 8. 7 Levit. 4. 3. 25. 29. 5. 6. 7. 2. &c. Psalm. 39. 7. Rom. 8. 3. Hebr. 10. 6. 13. 11.

CAPUT VI.

Gratia Dei in vacuum minime recipienda. S. Paulus egregie munere suo perfunctus est. Probibet Fidelium cum infidelibus conjugia. Christiani sunt Templum, Populus, & Filii Dei.

1. ADjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2
Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te.
Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. 3 Nemini dantes
ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. 4 Sed in omnibus
exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus,
in necessitatibus, in angustiis, 5 In plagis, in carceribus, in seditionibus,
in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, 6 In castitate, in scientia, in
longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, 7 In
verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris, & a sinistris. 8
Per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam: ut seductores,
& veraces; sicut qui ignoti, & cogniti: 9 Quasi morientes, & ecce vivimus:
ut castigati, & non mortificati: 10 Quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut
egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia
possidentes. 11 Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum
est. 12 Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris:
13 Eamdem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico, dilatamini &

vos. 14 Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? 15 Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? 16 Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. 17 Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: 18 Et ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens.

ỳ. 1. ADJUVANTES AUTEM EXHORTAMUR [1].] A Cum simus cooperatores Dei, ejusque Legati, quemadmodum dixit in fine capitis superioris, legationis nostræ munere perfungimur, obsecrantes vos, ut præclare utamini ea gratia, qua Deus vos cumulavit, eo tempore, quod vobis ad vestram sanctificationem, atque salutem tribuit, & luminibus Evangelii, atque præceptis, quæ recepistis. Omnibus hisce rebus utimini, neque eas per negligentiam, atque inertiam vestram inutiles jacere permittite. *Gratia* hoc in loco non tantum actualem, vel habitualem gratiam significat, quam Spiritus Sanctus in animas nostras effundit [2]: quantum redemptionis gratiam, atque cætera subsidia, quæ nobis Deus ad salutem suppeditat. Veteres complures [3] ita hunc versiculum intelligunt: *Nos qui sumus* B *cooperatores vestri, exhortamur vos*. At sensus, quem sequuti sumus, est melior. Vide 1. *Corinth.* 3. 9. *Dei enim sumus adjutores.*

ỳ. 2. AIT ENIM: TEMPORE ACCEPTO EXAUDIVI TE.] Locus hic ex Isaja depromptus est [4]. Tempus acceptum est, vel tempus hujus vitæ, ubi per bona opera possumus æternam felicitatem mereri, vel tempus Evangelicæ prædicationis, cum Ethnici erroris, vel etiam Legis, antequam JESUS CHRISTUS in mundum venisset, tempore colletum. Græcus verti posset [5]: *Tempus jucundum*, quod melius Hebraici textus vim exprimeret. Quemadmodum in captivitate Babylonica, Judæis jucundius nihil accidere poterat, quam nuntium liberationis suæ, atque reditus in Patriam, ita nihil majus solatium afferre potuit hominibus, qui C eo usque temporis in umbra mortis, atque ignorantiæ tenebris vixerant, quam felix salutis suæ, suæque per JESUM CHRISTUM redemptionis nuntium. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

ỳ. 3. NEMINI DANTES ULLAM OFFENSIONEM.] Græcus [6]: *nemini lapsus occasionem præbemus*, neminem aut verbo, aut facto lædimus, nullum scandalum exhibemus, neque ego, neque Timotheus, neque illi, qui mecum in Evangelii opus laborent: ne quid exprobratione dignum operemur, quo mox in ministerium nostrum relabatur: *Ut non vituperetur ministerium nostrum*. Nihil æque religionis sanctitatem magis coinquinare potest, quam eorum nequitia, qui eamdem annunciant, ejusque Ministri sunt. Si quod prædicant, verum esset, viverent, quemadmodum vivunt? ita D imbecilles, atque flagitiosi loquuntur.

ỳ. 4. IN OMNIBUS EXHIBEAMUS NOSMETIPSOS, SICUT DEI MINISTROS.] Græcus [7] hoc ad Apostolum, ejusque Evangelicæ prædicationis socios coarctat: *præbentes nos in omnibus*: vel, exhibentes in omnibus nos commendabiles, quales esse debent Ministri Dei. Ea quæ sequuntur, ostendunt hæc de Corinthiis nequaquam intelligi.

ỳ. 5. IN SEDITIONIBUS.] Quibus obnoxii fuimus Antiochiæ in Pisidia Act. 13. 50. Iconii Act. 14. 5. Thessalonicæ Act. 17. 5. Corinthi Act. 18. 12. Ephesi Act. 19. 28. Græcus [8] significat mobilitatem, necessitatem habitationis sæpius immutandæ, & de loco in locum fugiendi, cui patent, qui persecutionem patiuntur, & qui secundum Domini consilium, Matth. 10. 23. de una in aliam Urbem aufugiunt, ut ea conquirentium inimicorum manibus elabantur.

IN LABORIBUS.] Qui in prædicatione semper occurrunt, præsertim vero, cum urget paupertas, & cum doctrina nova, invisa prædicatur, & cum pœnitentia, atque integritatis spiritu ea respuuntur, quæ ad vitam suavius transigendam essent necessaria. Labori itinerum, atque prædicationum, S. Paulus adjecit opus manuum suarum, ut sibi victum compararet [9].

ỳ. 6. IN CASTITATE.] Non sedulam tantum castitatem servabat Apostolus, verum etiam ab omni incontinentiæ suspicione procul aberat, sibi ea etiam interdicens, quæ Salvator [10], aliique Apostoli [11] sibi licere ducebant, secum pias aliquot fœminas ducentes, quæ egestatibus suis consulerent. Mortificabat corpus suum, atque illud in servitutem redigebat [12], sub concupiscentiæ pondere ingemiscens, cujus tamquam homo vim & sentiebat, & retundebat [13].

Græci Patres [14] hoc intelligunt etiam de S. Pauli integritate, qui non solum ab omni turpi quæstu abhorrebat, sed qui neque ea, quæ sibi aderant necessaria, a Corinthiis accipere voluit. Authographi nomen generatim significat puritatem, seu corporis, & animum, seu manuum, hoc est integritatem, atque divitiarum contemptum.

IN SCIENTIA.] Nihil Evangelico præconi æque necessarium est, quam rerum divinarum, atque mysteriorum religionis scientia. Haud ægre fatetur S. Paulus, scientiam sibi non defuisse [15], quod licet minime dixisset, illius scripta satis ostenderent. Ædificantem charitatem cum scientia conjungebat, ejusque gloriam quidem ad Deum, utilitatem vero ad proximum referebat, eamdem summo cum zelo ubique effundens.

IN SPIRITU SANCTO [16].] Per horum spiritualium donorum effluentiam, qua Deus nos cumulare dignatus est, qualia sunt dona Prophetiæ, linguarum, miraculorum, scientiæ, discretionis spirituum; quin loquamur de intrinsecis gratiæ donis, de justitia, innocentia, charitate, suavitate, modestia, quæ virtutes necessario in Apostolo requiruntur.

ỳ. 8. IN VERBO VERITATIS.] Quin mentiamur um-

---

1 Græc. Συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν. Plures omittunt Καί. Ambrosiast. Claromont. German. Lat. MSS. 6. Lovan. retinent. Iterum plures legunt παρακαλοῦντες, pro παρακαλοῦμεν; *Adjuvantes autem, & exhortantes*. Ita Germ. Claromont. Boern. Lat. & alii ex Latinis.
2 Cajet. Erasm. Est. Ottor. alii.
3 Ita Latini veteres plerique.
4 Isai. 49. 8.
5 Καιρῷ δεκτῷ. בעת רצון
6 Μηδεμίαν ἐν μηδενὶ διδόντες προσκοπήν; Sed Vulg. Syr. Ambrosiast. Hieronymiast. *Nemini*. Claromont. & S. Germen. *In nullo*.
7 Ἐν παντὶ συνιστῶντες ἑαυτοὺς ὡς Θεοῦ διάκονοι.
8 Ἐν ἀκαταστασίαις. Theophylact. Ita Chrysostom. Oecumen.
9 Chrysostom. Theodoret.
10 Matth. 27. 55. Luc. 24. 22.
11 1. Cor. 9. 5.
12 1. Cor. 9. 27.
13 2. Cor. 12. 7. 8. 9.
14 Theodoret. Ita Chrysost. & Theophylact. Est.
15 2. Cor. 11. 6. *Etsi imperitus sermone, sed non scientia.*
16 Ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Chrysost. Ἐν τοῖς πνευματικοῖς χαρίσμασι.

umquam, falleremus, veritatem obtegeremus, puritatem, atque sanctitatem Verbi Dei corrumperemus [1]: *non adulterantes Verbum Dei*, quemadmodum supra c. 17. inquit.

In virtute Dei per arma justitiæ.] Evangelicus Prædicator armatus esse debet virtute Dei, fortitudine prorsus divina, atque supernaturali; ejus arma esse debent justitia, æquitas, sinceritas; dextera quidem gestare debet æquitatis gladium, sinistra vero clypeum virtutis: gladium, quo lacessat, clypeum, quo se tueatur. Lacessere autem debet impietatem, iniquitatem, scelus, errorem; tueri vero veritatem, justitiam, innocentiam cum ipso vitæ suæ discrimine. Deus hac de causa illi arma tribuit in utramque, & ad impugnandum, & ad propugnandum: *a dextris, & a sinistris*. Dextera prosperitatem, sinistra significat adversitatem. Quocumque in statu simus, immobiles permanere debemus in justitiæ amore, atque exercitatione [2].

℣. 8. Per gloriam, & ignobilitatem.] Munus Ministrorum Jesu Christi explemus, cum in adversis, tum in prosperis; cum in ignominia, tum in honore, cum in bona fama, tum in sequiori; sive æquis auribus audiamur, sive indigne excipiamur, seu tamquam nebulones, & sycophantæ habeamur, seu nostra rectitudo, atque sinceritas probetur, seu respuatur. *Ut seductores, & veraces*. Judæi Jesum, ejusque Apostolos seductores esse dicebant [3].

Sicut qui ignoti, & cogniti.] Tamquam ignotos homines, contemptibiles, ingloriosa, & sine nomine nos putant: sed notissimi sumus illis, qui scire volunt, qui simus. Tot in locis versati sumus, cognoscere hic potuerit, quænam sit nostra vivendi ratio, quænam conversiones a nobis perfectæ fuerint in omnibus civitatibus, quas ipsi lustravimus. Miracula, quæ nos ubique comitantur, præclarum nobis perhibent testimonium; & ignoti iis tantum sumus, qui nos cognoscere respuunt. Pseudo-Apostoli, qui nos ignotos dicunt, haud ita, si sinceri essent, loquerentur.

℣. 9. Quasi morientes, & ecce vivimus.] Jugiter gravissimis obnoxii periculis, mortem ob oculos nostros semper, ut ita dicam, videntes tamquam criminosi extremis addicti suppliciis, qui momentum illud præstolentur, quo Cruci suffigantur. Hebræi mortis nomine gravia pericula, summasque calamitates appellant. Deus potentiæ suæ tot tentationibus nos eruit. Quodammodo nos resuscitat, & de mortis manu liberat.

Ut castigati, & non mortificati [4].] Ut castigati quidem, non ita tamen ad cædem. Supplicio objicimur, tamquam scelesti plectimur; verum non permittit Deus, ut morte damnemur [5]. S. Paulus sæpe expertus est, quod ait; flagellis cæsus, lapidibus obrutus, catenis vinctus, & ad Magistratus raptus, & fortasse bestiis etiam in arena Ephesi productus. Vide 1. *Cor.* 15. 32.

℣. 10. Sicut egentes, multos autem locupletantes.] Non inquit, habemur tamquam pauperes, licet divites simus; nemo ignorabat, ipsum re ipsa pauperem fuisse, atque nullum in terris bonum possedisse; sed ait: *sicut egentes, multos autem locupletantes*: re enim vera, & ad litteram plurimos pauperes fideles locupletabat iis eleemosynis, quas pro illis colligebat, atque illis distribuebat admirabili cum integritate [6]. Sed plerique [7] hoc explicant de supernaturalibus divitiis, fide, gratia, Evangelio, spiritualibus Spiritus Sancti donis [8], quorum Apostoli erant quodammodo dispensatores, atque ministri.

Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.] Nullum temporale bonum habemus, ultro omnia abdicavimus, ut ad Jesu Christi exemplum voluntariam paupertatem amplecteremur; sed hæc ipsa paupertas nostras opes constituit. Copiam, atque voluptatem nanciscimur, in omnium divitiarum contemptu, atque voluptatem interiori, quæ efficit, ut nihil peritorum desideremus [9]. Denique permittit Deus, ut licet rebus omnibus careamus, nihil tamen desideremus: illius enim providentia egestatibus nostris abunde consulit.

℣. 11. Os nostrum patet ad vos.] Silentium servare nequeo, neque in me continere ea, quæ sentio. Dilatatur cor meum, cum ad vos loquor; & secreta voluptate perfundor, ubi ea narro, quæ ad majorem Dei gloriam operatus sum; ratus, & vos ipsos mecum hæc intelligentes affici gaudio. Alacriter, atque fidenter effundo cor meum in vestrum. Ipse quoque experior, verba ipsa mihi facilius, & uberius fluere, quoniam loquor ex cordis abundantia.

℣. 12. Non angustiamini in nobis.] Viscera mea non rediguntur ad angustias pro vobis; sed vestra pro me rediguntur. Vel, in corde meo nequaquam angustum obtinetis locum, sed cor vestrum mihi est angustum. Vulgo, qui multum amant, se non satis amari arbitrantur, quemadmodum amor vividus est, ardens, atque ut ita dicam, inexplebilis, in illis, quos amas invenire velles amorem, vel parem tuo, vel etiam majorem. S. Paulus enixius diligebat Corinthios, ideoque conqueritur, sibi parem charitatem minime rependi. Quasi diceret: quantumvis latum sit cor vestrum, & ardens amor vester pro me, non exæquabit umquam eum amorem, quo vos complector: De cordis mei latitudine hinc judicium ferte, quod vos omnes comprehendit, cum singula vestra corda vix me unum contineant. Si de aliquibus Corinthiorum conqueri debebat S. Paulus, hoc de illis erat, qui nimium faciles Pseudo-Apostolis aures præbebant. Hos similiter exprobrat etiam inferius [10], *licet plus vos diligens, minus diligar*.

℣. 13. Eamdem autem habentes remunerationem [11].] Mihi par pari reponite; dilatate corda vestra, ut ibi eumdem locum obtineam, quem vos in corde meo. Hæc superioribus connecti possunt: *Corda vestra pro me angustiantur: ex vobis tamquam filiis meis æquam amoris remunerationem expeto* [12]. Vel: *perjustam remunerationem* (*vos alloquor tamquam filios meos*) *& vos corda vestra dilatate* [13].

℣. 14. Nolite jugum ducere cum infidelibus.] Plurimi hoc de conjugii jugo intelligunt [14] ne cum infidelibus nuptias commisceretis. Hæc est repetitio Legum a Moyse hac de re irrogatarum [15], & præceptorum, quæ S. Paulus tradidit in superiori ad Corinthios Epistola, ubi de Fidelium cum Ethnicis conjugio loqueretur. Ibi illis, qui jugum illud subierint, permittit, ut sub eodem persistant [16]; isthic vero iis, qui uxores minime duxerint, præcepit, ne alterius Religionis mulieres ducant. Alii [17] hoc generatim explicant de vinculis consuetudinis, amicitiæ, hospitii, mensæ, & generatim earum rerum omnium, quæ

1 Chrysostom. 2 Vide Theodoret. Grot. Est. Menoch. Jac. Capell. alios.
3 Vide Justin. Dialog. cum Tryphon. Origen. contra Cels. lib. 1. lib. 3. & lib. 6. &c.
4 Ὡς παιδευόμενοι, καὶ μὴ θανατούμενοι. Bornet. G. L. Ὡς [illegible], καὶ μὴ [illegible]. Ambrosiaster. *Ut emendati, &c.* 5 Est. Menoch. Tirin. Cajet.
6 Ita Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Est. alii. 7 Ita Patres, Est. Grot. Menoch. Tir. alii.
8 1. Cor. 1. 4. 5. *Gratias ago Deo meo, quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia.* 9 Vide Chrysostom. Theophylact. Theodoret. Grot. & Philipp. 4. 18. *Habeo autem omnia, & abundo.* 10 2. Cor. 12. 15. 11 Græc. non legit: *Habentes*. Τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν, ὡς τέκνοις λέγω. Ita & Claromont. & S. German. Lat. Ambrosiast. legit. *habentes*, sed jungit præcedentibus.
12 Ita Chrysostom. alii Græci Ambrosiast. 13 Vide Syr. Arab. Grot. Cantabull.
14 Est. hic, & Cornel. Hieronym. lib. 1. contra Jovinian. Cleric. his. Tirin. Erasm.
15 Deuter. 7. 3. Exod. 34. 15. 16. &c. 16 1. Cor. 7. 12. 13.
17 Vide Grot. Est. Hamond. alios passim.

infirmis occasionem præbere possunt scandali; ita ut vel eorum pietas tepescat, vel in scelus, atque Apostasiam decidant. Hac de re sapientissimas præceptiones constituit, in priori Epistola verba faciens de conviviis, quæ apud infideles fiebant, & de carnibus, quæ Idolis fuerant immolatæ. Alludere videtur ad symbolica Moysis interdicta, quibus prohibet, ne animantia diversæ speciei conjungantur, ne ager variis seminibus conseratur, ne tunica ex lino, & lana contexta induatur: ne cum bove, & asino ager vertatur [1].

℣. 15. QUÆ CONVENTIO CHRISTI AD BELIAL?] Nomen *Belial* dicitur generatim de eo, qui impius est, flagitiosus, & exlex. Juxta vocis Ethymon, *Belial* significat hominem, jugi impatientem, vel ad omnia ineptum. Hujusmodi sunt impii, infideles, idololatræ; id genus homines nullam habent cum JESU CHRISTO partem, atque Salvatoris Discipuli illos habere nequeunt, nisi Magistri sui inimicos, atque nullam cum ipsis inire necessitudinem debent, nisi ut eos de errorum caligine eripiant, & Deo lucrentur. Nomine *Belial* intelligitur etiam Dæmon, mendacii Pater, Princeps reproborum, atque impiorum, & credunt Interpretes [2], aptissimum hujus loci sensum hunc esse; *quæ conventio CHRISTI cum Dæmone?*

℣. 16 TEMPLO DEI CUM IDOLIS] Attingit ejusmodi consuetudinem, quam Corinthii cum Gentilibus habebant, a quibus nonnumquam invitabantur ad Religionis epulas, ubi carnes Idolis immolatæ manducabantur, quæ quidem fidelibus, atque Gentilibus etiam scandali erat occasio [3]. Ut illos ab hujusmodi prophanis conviviis absterreat, rationem illis proponit maxime sublimem: vos estis Templum Dei per Spiritum Sanctum in vobis inhabitantem; quomodo autem audetis in Idolorum Templum ingredi? quomodo Idolothytorum participes fieri: quomodonam eo ore, quo Corpus, & Sanguinem Domini sumitis, pollutas etiam, atque sacrilegas carnes manducare potestis? *nescitis quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* [4]. Et 1. Cor. 6. 19. *An nescitis, quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri.*

℣. 17. EXITE DE MEDIO EORUM &c.] Hæc verba, & quæ præcedunt, ex variis Scripturæ locis [5] deprompta sunt, & a S. Paulo ad argumentum suum translata; qui, quin propria Sacri Auctoris afferat verba, eorum tamen sensum fideliter affert. Corinthiis præcipit, non ut de medio impiorum egrediantur; alioquin illis de Mundo exeundum esset, quemadmodum ille etiam fatetur [6]; sed imperat, ut de cœtu eorum divellantur, qui peccati causam præbere possunt, vel quorum sermones, atque societas in periculum illos adducunt, ut in fide naufragium patiantur. Hujusmodi sunt irreligiosi viri quidam, & illi, quos Scriptura vocat irrisores [7], qui nequissime sanctissimum quodque in risum inducentes, Religionis vel contemptum, vel dubitationem injiciunt. Hujusmodi homines multo magis metuendi sunt, quam qui plane sunt impii, & qui ab omnibus flagitiosissimi habentur, atque vocantur. Videtur Sanctus Paulus hoc in loco præsertim innuere velle Pseudo-Apostolos, qui Corinthios in errorem inducere cupiebant, & illos ex fidelibus, qui Philosophiam religioni commiscentes Resurrectionem negabant, atque de religionis mysteriis nimis ratiocinabantur. *Separamini, & immundum ne tetigeritis.* Hæc omnia in eodem sensu, quem attulimus, intelligenda sunt: ab eorum cœtu separamini, sermones eorum non audite, ratiocinationibus eorum aures non præbete, neque opera illorum imitemini.

℣. 18. ET EGO RECIPIAM VOS: ET ERO VOBIS IN PATREM.] Egredimini de medio impiorum, atque vosmet inter ulnas meas conjicite; recipiam vos, quemadmodum Pater filios a persequenti inimico fugientes. Hæc verba: *ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, ait Dominus Omnipotens*, nullibi satis explicite in veteri testamento leguntur, seu aliquid non procul abhorrens invenitur in Jeremia 30. 1. 9. *quia factus sum Israeli Pater, & Ephraim primogenitus meus est*: & in secundo Regum 7. 14. *Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium*. Et in Isaja 43. 6. *affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ*. S. Johannes in Apocalypsi 21. 7. ad hunc eumdem locum videtur alludere: *Ero illi Deus, & ipse erit mihi filius*. Credit S. Thomas, S. Paulum hæc verba sumpsisse ex Propheticis scriptis, quæ non extant amplius. Grotius vero ex aliquo cantico apud Hebræos insigni fuisse desumpta arbitratur.

1 Levit. 19. 19. Deut. 22. 10.
2 Syr. Est. Drus. Pisc. Vorst. alii, ut Chrysost. & PP. passim.
3 1. Cor. 10. 18. 19. 20. & seq.
4 1. Cor. 3. 16. 17.
5 Levit. 26. 12. Ezech. 37. 27. Isai. 52. 10.
6 1. Cor. 5. 10.
7 Psalm. 1. 1. Prov. 1. 22. 3. 34. 9. 8. 2. 7. 8. 13. 1. 14. 6. &c.

CAPUT VII.

S. Paulus Corinthiis declarat amorem, quo illos complectitur, & se ab illis amari fatetur; Gaudium, quo ab illis affectus fuit. Lætatur ob tristitiam, quam superior Epistola illis attulerat propter bonos effectus, quos peperit. Illis gratias agit, quod Titum cum honore receperint.

1. HAs ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. 2 Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. 3 Non ad condemnationem vestram dico: prædiximus enim, quod in cordibus nostris estis, ad commoriendum, & ad convivendum. 4 Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 5 Nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores. 6 Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. 7 Non solum autem in adventu ejus, sed etiam

in con-

in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium;
vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem. 8 Quo-
niam etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet: & si pœniteret, videns,
quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit; 9 Nunc gaudeo: non quia
contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis
secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. 10 Quæ enim se-
cundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi au-
tem tristitia mortem operatur. 11 Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum con-
tristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem: sed defensionem, sed indi-
gnationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam, in
omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio. 12 Igitur, etsi scripsi vo-
bis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est: sed
ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis 13 Coram
Deo; ideo consolati sumus. In consolatione autem nostra, abundantius magis ga-
visi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis. 14
Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus: sed sicut omnia
vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas
facta est, 15 Et viscera ejus abundantius in vobis sunt: reminiscentis omnium ve-
strum obedientiam, quomodo cum timore, & tremore excepistis illum. 16 Gau-
deo, quod in omnibus confido in vobis.

℣. 1. HAS HABENTES PROMISSIONES, MUNDEMUS NOS.] Quandoquidem ergo pollicetur Deus, se nos recepturum, atque in filiorum suorum albo descripturum, si secesserimus ab illis, qui nos fallere, atque in errorem inducere student; *mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & Spiritus*, ab omni impudicitia, quod Corinthiis nimium commune vitium erat, & ab omni errore, sive mentis, qualis erat eorum, qui resurrectionem negabant; sive cordis, ut eorum, qui dissidium in Ecclesia fovebant, & qui fratribus suis scandalum injiciebant, libertime cum Ethnicis manducantes, atque idolothytis vescentes. *Perficientes sanctificationem in timore Dei*, nosmet puros, & Sanctos in timore, atque religioso Domini cultu servantes. Opus nostræ sanctificationis in baptismate incœpimus, illud a nobis perficiendum est viventibus in innocentia, sanctitate, & ea morum puritate, quæ Templi Spiritus Sancti decet. Veteres quidam ¹ aliam interpunctionem sequuti ita vertunt; *emundemus nos ab iis omnibus, quæ polluunt corpus, perficientes sanctificationem Spiritus in timore Dei*. B

℣. 2. CAPITE NOS: NEMINEM LÆSIMUS.] Excipite nos in cordibus vestris: dilatate cor vestrum ad nos recipiendos ². Aliter: *recipite nos* tamquam Apostolos, & amicos vestros: ne aures præbeatis illis, qui nobis obtrectant; ne audiatis pseudo-Apostolos, qui nobis apud vos student officere: *neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus*; nullius bonum usurpavimus, vel neminem oppressimus, quemadmodum illi nos accusare vellent; & nos e contra jure optimo hoc illis vitio vertere possemus ³. Græcus verti potest ⁴: Attendite ad ea, quæ dicturus sum; *percipite ea quæ dico; neminem fefellimus*. Profecto hoc in loco non deest quædam species ænigmatis, ubi pseudo-Apostolos lacessit, atque perstringit illos, qui nomini suo labem conabantur offundere. C

℣. 3. NON AD CONDEMNATIONEM VESTRAM DICO ⁵,] quasi suspicarer, vos de me ista sentire, vel quasi vos accusarem, quod me tenebrionem, dolosum, avarum, & lucri cupidum crederetis; adversus pseudo-Apostolos mihi res est ⁶, *vos autem in cordibus nostris estis ad commoriendum, & ad convivendum*; nulla me vestri capiet unquam oblivio; nihil efficere poterit, ut de mea erga vos charitate vel tantillum depereat. Hic veros est eximii Pastoris character. A

℣. 4. MULTA MIHI FIDUCIA APUD VOS.] Fidenter ad vos loquor tamquam Pater ad filios, amicissimus ad amicos: *multa mihi gloriatio pro vobis*. Glorior, si possum, me a vobis amari, atque meam utilitatem atque doctrinam a vobis diligi: ideoque *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. Illud me consolatur, lætitiaque afficit, quod in vobis fideles discipulos, constantes amicos, observantissimos, atque amantissimos filios invenio.

℣. 5. NAM & CUM VENISSEMUS IN MACEDONIAM.] S. Paulus cum Ephesо discessisset, aliquandiu Troade permanserat, ubi cum navem conscendisset, in Macedoniam venit, unde hoc dedit literarum. Ait igitur, se, cum hanc in regionem pervenisset, quin ullum de Corinthiis nuntium auribus suis accidisset, mirum in modum sollicitum fuisse, atque incertum, quem priori Epistola effectum peperisset, & quomodo fuisset accepta. Cum his curis anxius turbaret; forte Titus advenit, mihique nunciavit, quomodo vestri animos erga me se haberet.

FORIS PUGNÆ, INTUS TIMORES.] Exterius quidem ab Ethnicis, Judæis, & falsis fratribus lacessitos, intrinsecus vero eo metu agitatos, de quo sermo fuit. Epistola numquid nimis vehemens atque acrior fortasse fuit? Incestus excommunicationi, atque censuræ semet subjecit? falsi Doctores numquid everterunt, quidquid in Ecclesia ædificavi? numquid Epistola mea hominum mentes potius avertit? hujusmodi erant timores mei ⁷.

℣. 6. SED CONSOLATUS EST NOS DEUS IN ADVENTU TITI,] qui felix de Ecclesiæ vestræ statu mihi nuntium attulit, & qui vestrum erga me animum, atque felicem, quam Epistola pepererat, immutationem mihi testatus est.

℣. 7. NON SOLUM AUTEM IN ADVENTU TITI &c.] Non solum ejus præsentia nos lætitia affecit, licet post-

1 Ambrosiast. hic. Vide & August. lib. 3. de Doctrin. Christ. c. 2. *Et sic interpungunt* Bibl. Vatic. Sixti V. an. 1590. Item Clem. VIII. ano. 1592. 1593. 1598. & Plantin. 1603. & Paris. 1618. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem*. Alii vero passim: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes*, &c. 2 Ita Theodoret. Chrysost. Ita Grot. Est. alii plerique.
3 Vide Chrysost. Theod. Theophyl. & Est. Erasm. Menoc. alii. 4 Χωρήσατε ἡμᾶς. Confer Matth. 19. 11.
5 Alii: *Non ad condemnationem dico*. Et ita Græci, οὐ πρὸς κατάκρισιν λέγω. Et ita Quidd. Lat. Est.
6 Ita PP. Græc. Est. Cajet. Cathar. Men. alii. 7 Chrysost. Ita alii passim.

postquam ille diutius abfuit, summa voluptate illum vidimus; sed præsertim ob ea, quæ ipse nobis vestro nomine nunciavit, superabundanti gaudio cumulati sumus, videntes, quo solatio ipse repletus esset post officia, quæ a vobis humanissime accepit, & cum audivimus Epistolam, quin vestrum erga nos affectum imminueret, illum magis, magisque confirmasse, ita ut adventum nostrum summopere expectaretis, præsertim vero, ex quo spopondi, me vos esse conventurum. Narravit etiam lacrymas a vobis effusas propter incesti hominis scelus, & ob peccatorum vestrorum verissimam pœnitentiam, & eas, quibus non pepercistis, ubi laborum meorum & exantlatas persecutiones meas audivistis. A

℣. 8. ET SI CONTRISTAVI VOS IN EPISTOLA, NON ME PÆNITET.] Licet antea pænituerit; vel [1] & quamvis antea me pænituisset, me jam non pæniteret, videntem optimum effectum, qui inde profectus est. E contra vero mihi metipsi plaudo, quod oppositum ab eo, quod verebar, acciderit. B

℣. 9. CONTRISTATI ENIM ESTIS SECUNDUM DEUM.] ita ut dolor vobis allatus nequaquam inutilis fuerit; vel; ita ut nullum a nobis incommodum receperitis. Nihil mihi solatio esse posset, si Epistola mea vobis dolorem citra utilitatem attulisset: sed quoniam illa vos ad pœnitentiam adduxit, & sanctam, atque saluberrimam attulit tristitiam, maxime lætor, & gaudeo. Videtur semper in S. Paulo boni parentis exemplar non aliud, quam spiritualium filiorum suorum progressum quærentis.

℣. 10. SÆCULI AUTEM TRISTITIA, MORTEM OPERATUR.] Quænam est hæc sæculi tristitia? illa, Patres [2] inquiunt, quæ bonorum jacturam, amicorum mortem, eorum absentiam, contemptum, & injurias nobis illatas subsequitur. Hæc tristitia saluti prodesse non potest, sed vitæ nostræ incolumitati obest potius; mortem animæ infert, ubi immodica est, & voluntaria, & cum oritur ex nimia creatæ rei dilectione. E contra vero, *quæ secundum Deum tristitia est*, peccatorum dolor, mœror, quo afficimur, fratres sceleribus additos intuiti; mala, quæ perferimus, ut Dei gloriam quæramus, & peccatum evitemus: hæc omnia *pœnitentiam in salutem stabilem operantur*, vel pœnitentiam stabilem pro salute; vel cum Græco textu [3], *pœnitentiam ad salutem, cujus nos nunquam pœniteat*; illa dolore levi, & cujus nulla unquam pœnitentia nos capit, felicitatem comparat sempiternam. Pœnitentium lacrymæ suaves sunt, & nemo eorum, quibus Deus tetigit præcordia, lacrymas suas pro inanibus mundi voluptatibus immutaret. *Dulciores sunt lacrymæ orantium, quam gaudia theatrorum*, inquit S. Augustinus in Psal. 127. n. 10. *Ipsæ lacrymæ contribulatorum* [4], *mustum sunt animantium*. Vox illa *stabilem*, vel *non pœnitendam* ad salutem quoque referri potest. Nobis infinitam confert supra omnes labores nostros felicitatem. C D

℣. 11. QUANTAM SOLICITUDINEM: SED DEFENSIONEM &c.] Quantam curam, atque vigilantiam hæc tristitia peperit, ut vestræ saluti adlaboraretis, ut justitiæ Dei satisfaceretis, ut Ecclesiæ vestræ abusus tolleretis? *sed defensionem*; ad litteram [5] *Apologiam*, justificationem. Quantopere vestrum singuli adlaborarunt, ut factum suum probarent, atque ostenderent, se nequaquam esse participes sceleris incesti, quod vel ignorassent, vel damnassent; vel se se excusantes, quod non satis zeli habuissent ad illud corripiendum? *quantam indignationem* contra scelestissimum hunc hominem, & contra eos, qui in Ecclesia Corinthi serebant, foverantque dissidia? *Quantum timorem* Justitiæ Dei in vobis non excivit justa severitas mea, exprobrationis meæ vehementia, & censuræ contra incestum hominem prolatæ exemplum? *quod desiderium* in posterum cautius vivendi, atque iterum videndi mei? *quam æmulationem* pro Dei gloria, pro existimatione Pauli, ad scandali reparationem, ad morum correctionem? *quam vindictam*, ut Dei, atque Ecclesiæ honorem eo incestu lacessitum, & Pauli existimationem a pseudo-Prophetis læsam ulcisceremini. E A

℣. 12. NON PROPTER EUM QUI FECIT INJURIAM:] non solum ut salubri rubore suffunderetur, qui incestum cum noverca Patris sui uxore patraverat; *nec propter eum, qui passus est*, videlicet propter Patrem, cui filius tantam intulit contumeliam [6]. Insignis semper erat injuria, seu Pater in vivis adhuc esset, seu decessisset, sive huic connubio assensum præstitisset, sive secus. Justitia mortuorum æque ac vivorum injurias persequitur, & quodammodo acrius etiam injurias mortuorum, quam aliorum; quoniam illi ex se pœnas exposcere non possunt. *Sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis coram Deo.* Ad id me non impulit, vel privatum studium, vel simultas aliqua contra hunc hominem, vel erga patrem illius benevolentia; sed potissima ratio ea fuit, ut vobis ostenderem, quanto me gaudio afficiat sanctificatio vestra, & quantopere propter flagitia, & scandala, quæ in vobis audio, mœrore conficiar. B

℣. 13. IDEO CONSOLATI SUMUS] videntes, quomodo hæc in re vosmet gesseritis, & felicem eventum, quem Epistolæ nostræ concessit Deus. Illud vero lætitiæ meæ cumulum addidit, quod Titi *refectus est Spiritus ab omnibus vobis*, cum illi tot benevolentiæ, atque amoris indicia præbueritis, eumdem tamquam Angelum de Cœlo recipientes, atque tantum erga me amorem præ vosmet ferentes &c. C

℣. 14. ET QUID APUD ILLUM.] Mihi non fuit, unde erubescerem, atque me pœniteret: vos enim illi probastis ea, quæ eidem de vobis dixeram. Invenit ille Corinthi pietatem, bonam voluntatem, charitatem, de qua apud illum verba feceram, non sine quadam jactantiæ specie in vobismetipsis, vel in me propter vos. Vos adimplestis testimonium illud, quod præclarum de vobis illi perhibueram. *Ita & gloriatio nostra, veritas facta est.*

℣. 15. VISCERA EJUS ABUNDANTIUS IN VOBIS SUNT.] Illius erga vos benevolentia magis magisque excrescit, viscera illius commoventur, atque flectuntur, cum meminit obedientiæ vestræ, seu quam mandatis meis præstitistis, seu quam præstitistis sibimetipsi, summa cum observantia ea omnia adimplentes, quæ verbis vel suis, vel meis vobis præcepit. *Quomodo* non solum cum benevolentia, atque omni existimationis nota, verum etiam *cum timore, atque tremore* summi cum honoris officiis [7], non solum tamquam Patrem, verum etiam tamquam Præceptorem, & Dominum *excepistis illum* [8]. D

℣. 16. GAUDEO, QUOD IN OMNIBUS CONFIDO IN VOBIS.] Lætor, quod in vobis penitus confidere possum: post hujusmodi charitatis, atque dilectionis vestræ signa, vos corripere possum, & castigare; vos hortari, & de vobis gloriari, quin verear, ne castigationes meæ animum vestrum avertant, & ne laudes meæ fallaces, inanis confidentia mea deprehendatur. Eo vos in loco habere possum, quasi mihi omnino essetis devoti, & vestra erga me benevolentia, & fides numquam esset defutura [9].

---

1 *Et si pœniteret*, vel *pœnituisset*. Οὐ μεταμέλομαι, εἰ καὶ μετεμελόμην. Vide Chrysost. hic.
2 Chrysost. Vide & Theodoret. &c.
3 Μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται. Quidam, ἀμεταμέλητον; non pœnitendam. Alii; Ἀμετανόητον, *Stabilem*. Ita Vetez. Clarom. S. German. Latin. Ambrosiast. Aug.
4 Augustin. in Psal. 83. n. 10.
5 Ἀλλὰ ἀπολογίαν.
6 Theodoret. hic. Ita & alii plerique.
7 Chrysost.
8 Theodoret. alii.
9 Theodoret. Vide Grot. Est. Men. Tirin. alios.

CAPUT

CAPUT VIII.

Sanctus Paulus Corinthios hortatur, ut pauperibus Jerosolymitanis eleemosynam erogent, Macedoniæ exemplum sequuti, quæ hoc ipsum affluenter præstitit. Bona eorum voluntati testimonium perhibet, & eos commendat, quos mittit illuc ad eleemosynas colligendas.

1. NOtam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ec-
clesiis Macedoniæ: 2 Quod in multo experimento tribulationis, & abun-
dantia gaudii ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum abundavit in di-
vitias simplicitatis eorum; 3 Quia secundum virtutis testimonium illis reddo, &
supra virtutem voluntarii fuerunt. 4 Cum multa exhortatione obsecrantes nos gra-
tiam, & communicationem ministerii, quod fit in Sanctos. 5 Et non sicut spera-
vimus, sed semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei;
6 Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis e-
tiam gratiam istam. 7 Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scien-
tia, & omni solicitudine, insuper & charitate vestra in nos, ut & in hac gra-
tia abundetis. 8 Non quasi imperans dico: sed per aliorum solicitudinem, etiam
vestræ charitatis ingenium bonum comprobans. 9 Scitis enim gratiam Domini no-
stri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut il-
lius inopia vos divites essetis: 10 Et consilium in hoc do: hoc enim vobis u-
tile est, qui non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore: 11 Nunc
vero & facto perficite: ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit
& perficiendi ex eo quod habetis. 12 Si enim voluntas prompta est, secundum
id quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet, 13 Non enim
ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. 14 In præsenti
tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: ut & illorum abundantia ve-
stræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est: 15 Qui mul-
tum, non abundavit: & qui modicum, non minoravit. 16 Gratias autem Deo,
qui dedit eamdem solicitudinem pro vobis in corde Titi, 17 Quoniam exhorta-
tionem quidem suscepit; sed cum solicitior esset, sua voluntate profectus est ad
vos, 18 Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes
Ecclesias, 19 Non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes pere-
grinationis nostræ, in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam,
& destinatam voluntatem nostram. 20 Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in
hac plenitudine, quæ ministratur a nobis. 21 Providemus enim bona non solum
coram Deo, sed etiam coram hominibus: 22 Misimus autem cum illis & fratrem
nostrum, quem probavimus in multis sæpe solicitum esse: nunc autem multo solici-
tiorem, confidentia multa in vos, 23 Sive pro Tito, qui est socius meus, & in
vos adjutor, sive fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi: 24 Osten-
sionem ergo, quæ est charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro vobis, in illos osten-
dite in faciem Ecclesiarum.

℣. 1. GRATIAM DEI QUÆ DATA EST IN ECCLESIIS MACEDONIÆ.] Postquam Corinthiorum animos præparavit iis laudibus, quibus illorum charitatem, zelum, atque benevolentiam erga se ipsum commendavit; gradum facit ad eleemosynas ab ipsis pro Jerosolymitanis fidelibus erogandas, atque ad id exemplo fidelium Macedoniæ illos hortatur. *Gratia Dei* hoc in loco significat charitatem, copiosam eleemosynam, quam Ecclesia Macedoniæ contulerat; quo eodem in sensu A *gratiæ* vox in versiculis 4. 6. 7. 19. hujus capitis usurpatur; cui *Dei* nomen additur ad eas eleemosynas amplificandas, quemadmodum alibi cedri Dei, montes Dei, tumultus Dei, zelus Dei appellantur [1].

℣. 2. IN MULTO EXPERIMENTO TRIBULATIONIS.] Gaudium, quo affecti fuerunt ad Christianam religionem evocati, par est iis malis, quæ ob id passi sunt; quo plura pro Dei gloria patiuntur, eo majus vocationis suæ beneficium existimant. Liquet ex *Actis* [2], fideles Philippenses, atque Thessalonicenses in Macedonia

1 Cuatebull. Est. D. Thom. Tirin. Menoch. Vorst. Sclater. alios.
2 Act. 16. 20 21. &c. 17. 5. & seq.

dooia cum a Judæis, tum ab Ethnicis persecutionem A pessos fuisse. Addit S. Paulus; *Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum* [1], hoc est affluenter effudit sinceræ suæ charitatis divitias. *Simplicitas* enim hic pro *liberalitate* usurpatur [2]; eleemosyna enim Deo accepta non est, nisi ex humili, atque sincero corde processerit; & ille, qui invitus, & mœrens, vel cum jactantia, atque superbia, & ex meræ utilitatis intuitu stipem erogat, liberalis nomen profecto non meretur; sed potius mercator, duplex corde, atque hypocrita est appellandus. Extrema Macedonum paupertas se ipsam vicit, ut summam erga Jerosolymitanos pauperes liberalitatem ostenderet.

℣. 3. SUPRA VIRTUTEM VOLUNTARII FUERUNT.] Minime præstolati sunt, donec eleemosynam ex ipsis peteremus, & ad eandem illos hortaremur. Illi ex B mera liberalitate sese obtularunt, polliciti, se plura, quam pro viribus collaturos; hoc est plura, quam ab illis sperare ausi fuissemus, si bona eorum æstimassemus. *Voluntarius* significat etiam *liberalem*, & eum, qui aliquid supererogationis offert, aut vovet. Hoc nomen concionatum fuit juxta Hebraicæ linguæ consuetudinem [3].

℣. 4 GRATIAM, & COMMUNICATIONEM MINISTERII, QUOD FIT IN SANCTOS.] *Gratia* hoc in loco, non secus ac ℣. 1. & 6. 7. significat eleemosynas. *Sancti*, de quibus hic verba facit Apostolus, sunt Jerosolymitani Fideles, qui cum initio conversionis suæ omnia bona sua abdicassent, eaque in commune retulissent, deinde summa laborarunt inopia. Cum enim post S. Stephani mortem Judæi illos persequuti in alias concedere terras coegissent, cumque eorum charitas nullum eleemosynis suis finem statuisset, fundi, qui ex his bonis simul collectis extiterunt, quamprimum exhausti sunt. Ecclesiæ Macedoniæ S. Paulum rogarunt, ut ipse has eleemosynas Jerosolymam transferret, atque pauperibus ibi erogare dignaretur: quod profecto adimpletum est, quemadmodum inferius liquet ℣. 19. & in Actis Apostolorum [4].

℣. 5. SEMETIPSOS DEDERUNT PRIMUM DOMINO, DEINDE NOBIS, PER VOLUNTATEM DEI.] Sese providentiæ tradiderunt, illi uni temporalium bonorum suorum curam relinquentes, atque charitati nostræ penitus semet subjecerunt pro earum rerum, quas habebant, distributione; integrum nobis relinquentes, ut juxta mentem nostram, & voluntatem Dei, de rebus omnibus disponeremus: ipsi ubique providentiæ semet submittentibus. *Per voluntatem Dei* illthic signifi- D care potest liberalitatem [5], vel bonam voluntatem prorsus inauditam. Vidimus nuper *voluntarium* pro liberali usurpatum; & Dei nomen voluntati additum, illius magnitudinem, atque eximiam præstantiam significat.

℣. 6. ITA UT ROGAREMUS TITUM &c.] hic etiam *gratia* [6] liberalitatem, eleemosynas innuit. Videns Macedonum largitatem, oravi Titum, ut Corinthum veniret, vos exemplo fratrum vestrorum eleemosynas Jerusalem mittentium cohortaturus, ut Macedonibus nihilo deteriores sitis; ℣. 7. *sed sicut in omnibus abundatis, fide, & sermone, & scientia, & omni sollicitudine insuper, & charitate vestra in nos, & in hac gratia abundetis*. Alibi jam S. Paulus Corinthiis hanc laudem minime denegavit, dicens, ipsos cumulatos esse o- E mni genere spiritualium divitiarum, ita ut nihil ab illis sit desiderandum [7]: *in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia, . . . ita ut nihil vobis desit in omni gratia*.

℣. 8. NON QUASI IMPERANS DICO.] Charitas præceptum est, sed ratio, & mensura Charitatis externæ erga fratres exercendæ in lege non præscribitur. Satis jubet Deus, cum jubet, fratres, tamquam nosmet amare [8], atque cum iis agi, quod nobiscum fieri cuperemus. S. Paulus Corinthiis Fidelium Macedoniæ exemplum proponens edicit, non eam sibi mentem esse, ut ullam inferre velit necessitatem, eleemosynæ effusius erogandæ, quemadmodum illi fecerunt: sed illis proponit exemplar, quod charitatem suam conformare possunt, atque de se ipsis judicare, sa enim aliis comparantes.

℣. 9. QUONIAM PROPTER VOS EGENUS FACTUS EST.] JESU CHRISTI paupertas omnino voluntaria simul est & documentum, & exemplar nostræ: Propter amorem illius omnia vitæ hujus bona nobis sunt contemnenda, atque ea, quæ nobis providentia elargita est, cum pauperibus dividenda, ut participes fieri possimus meritorum Dominicæ paupertatis, atque spiritualium divitiarum, quas pauperibus spiritu ille in æternitate spopondit [9], & earum, quas eisdem in hac vita tribuit per gratiam suam, & spiritualia dona, quæ illis communicat [10].

℣. 10. HOC ENIM VOBIS UTILE EST.] Ut eleemosynas erogetis, atque Macedonum charitatem imitemini, non solum propter supernaturalem felicitatem, & meritum, quod inde ad cœlestem gloriam assequemini, ubi thesaurum non deficientem vobismetipsis congeritis; sed in hoc mundo etiam propter exemplum eximium, quod aliis præbetis, & propter præclaram ai- C stimationem, quam inter fideles acquiritis. Hoc pacto testimonium illud probatis, quod egregium vestræ charitati perhibuimus.

NON SOLUM FACERE, SED ET VELLE COEPISTIS AB ANNO PRIORE.] Quin aliquis vos hortaretur. Non satis vobis fuit consilium inire, sed hoc ipsum exequi anno superiore incœpistis: perficite ergo ea, quæ adeo præclare inchoastis. Forasse cum acceperunt priorem Epistolam anno transacto ad se ab Apostolo missam, hoc ceperunt consilii, ut eleemosynas pro pauperibus Jerusalem conferrent; qua de re in Epistolæ superioris calce verbum aliquod addiderat Apostolus 1. Cor. 16. ℣. 1. 2. 3. idque vero ea cœperunt ratione, quæ Macedonibus ipsis esse posset exemplo. Si posteriores isti zelo, atque liberalitate vos superarunt; Vos eosdem vicistis, quoniam id primi efficere incœpistis: Hinc ait capite sequenti ℣. 2. *Scio, promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones: quoniam & Achaja*, cujus Corinthus caput est, *parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio provocavit multos*.

℣. 11. NUNC VERO ET FACTO PERFICITE.] Videtur illos negligentiæ quodammodo insimulare, quod nondum perfecerint, quod superiori anno jam cœptum erat. Hortatur autem, ut conferant *ex eo, quod habent* [11], vel id, quod possunt, singuli pro viribus suis, atque bonorum copia.

℣. 12. SI ENIM VOLUNTAS PROMPTA EST, SECUNDUM ID, QUOD HABET, ACCEPTA EST.] Deus in eleemosynis duo spectat, primum zelum, & bonam voluntatem, alterum copiam pro bonorum ratione majorem. Si parum habes, & parum tribuis summa cum pietate; hoc parum tibi imputatur, quasi ingentem auri vim erogasses; Si habes multa, & multa erogas, verum zelus, & charitas tibi deest, Deus nullam eleemosynæ tuæ rationem habet. Metitur Deus & parum, & multum ex ratione bonorum majorum, vel minorum, quæ possides, & ex eo, quod vel magis, vel minus

1 Ε'ις τὸν Πλοῦτον τῆς ἁπλότητος αὐτῶν. Theodoret. 2 Ita Theodoret. Theophyl. Est. Groe. Zeger. Erasm. Menoc. Tirin. &c. Confer 2. Cor. 9. 11. 12. 13. Rom. 12. 8. &c.
3 נדיב *Liberalis; qui sponte affert; Princeps*. Exod. 25. 2. 35. 5. 21. 22. & passim in Psalmis.
4 Act. 20. 22. & 24. 17. & infra 2. Cor. 9. 1. 13. & 1 Cor. 16. 15.
5 נדבה *Liberalitas, spontaneitas, devotio*. Levit. 7. 16. 22. 18. 21. 23. 28. Num. 29. 39.
6 Theodoret. ad vers. 4. 5. 7 1. Coloss. 1. 5. 6. 7.
8 Levit. 19. 18. Matth. 5. 43. 9 Matth. 5. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum*. 10 Chrysost. homil. 17. hic.
11 Ἐκ τοῦ ἔχειν.

minus potest conferre, sed charitatis, atque bonæ voluntatis mensuram, hanc æque ex omnibus petit; quo quo major est in te, eo magis mereris; illa enim reliquis omnibus meritum tribuit [1].

℣. 13. NON ENIM UT ALIIS SIT REMISSIO.] Non cupio, vos uberes eo usque eleemosynas conferre, ut ad alios locupletandos vosmet ad paupertatem redigatis; hæc divisio nimis esset inæqualis. Non petit Deus, ut bonis omnibus exuamur; suadet solum, & hanc viam perfectiorem esse ostendit: avertat Deus, quod hoc jugum omnibus imponere studeamus. Date ea, quibus carere potestis [2], & ea, quæ sine gravi incommodo potestis tribuere; ita ut in vobis quædam æqualitas inveniatur. ℣. 14. Pauper, & vos, ea habeatis, quæ necessaria sunt; saltem quemadmodum vos ad summam necessitatem redacti non estis, ita neque pauper redigatur. *Ut fiat æqualitas*: ut copia vestra illius suppleat egestati. *Ut illorum abundantia* cœlestium videlicet bonorum *vestra inopia* bonorum scilicet spiritualium *sit supplemento*. Vos illis peritura tribuitis, illi vobis æterna, atque immutabilia conferent; & pro eo, quod parum illi dederitis, infinitam vobis remunerationem procurabunt. *Ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplemento*.

℣. 15. QUI MULTUM NON ABUNDAVIT.] Cum Dominus de cœlo mannam demisisset in deserto, Israelitis præcepit, ut singuli *gomer* unum in capita ex ea colligerent. Populus tamen avidus, atque festinans, quo plus poterat, eo magis collegit, quin mensura a Moyse præscripta illi negotium facesseret [3]. Verum permisit Deus, ut qui plus collegerat, non abundaret, & illi, qui minus, manna non deficeret, sed omnes ad æqualem mensuram [4] redigerentur. Ita in usu bonorum hujus mundi præcipit Deus, ut singuli moderate, atque prout indigent, iisdem utantur; eorum aviditatem condemnans, quibus nihil unquam satis est.

S. Paulus hunc locum afferens [5], sequutus est Septuaginta, qui videntur innuere, ea in occasione minime defuisse quamdam miraculi speciem, quæ efficit, ut qui majorem mannæ copiam collegerant, in urna sua non invenirent plus, quam qui collegerant minus, Deo eorum aviditatem puniente, imminuta palam ea mannæ copia, quam simul coegesserant. Hoc ita Patres nonnulli, & plurimi Interpretes intellexerunt [6]; sed Hebræus [7] hanc miraculi ideam nobis non adstruit. Habet enim, Hebræos, *cum mannam collegissent, alii plus, alii minus, eamque mensi essent in Gomor, illum, qui plus collegerat non sumpsisse* ultra hanc mensuram, *& illi, qui minus collegerat, non defuisse*: quoniam ex eo, quod alii nimium coegesserant, supplebant ei, quod aliis deerat. Huic facto innititur allegorica S. Pauli hoc in loco explicatio.

℣. 16. QUI DEDIT EAMDEM SOLICITUDINEM PRO VOBIS IN CORDE TITI.] Deus excivit in Tito eamdem cupiditatem vos ad eleemosynas erogandas cohortandi [8], qua ego ipse flagrabam; Vel, qua ego ipse Macedones hortatus sum. *Eadem solicitudo pro vobis* innuit, S. Paulum, atque Titum credidisse, de Corinthiis se perquam optime mereri, eosdem ad eleemosynas conferendas adhortando. Qui rem intus perpendere velit, qui eleemosynas tribuit, non qui accipit, majorem ex iisdem recipit utilitatem. Hoc pium quodammodo fœnus [9] est. *Si vis fœnerator esse, apud me esto: dicit tibi Deus, mihi da; ego cum usuris restituo*. Cum pauperibus stipem erogamus, nihil illis de nostro elargimur, verum de bonis Dei liberalitatem exercemus [10]. *Habuisti me largitorem, fac me debitorem: habeam te fœneratorem, pauca mihi das, plura reddam*. Pauperes a nobis essent quærendi, ac summo studio occasio de fratribus nostris benemerendi investiganda [11]: *Quære, cui des. Beatus, qui præoccupat vocem petituri*.

℣. 17. QUI CUM SOLICITIOR ESSET.] Non opus fuit, ut Titum urgeremus, ut ad vos veniret ad eas properandas eleemosynas, de quibus loquutus sum; ipse ultro venit, & vota nostra quodammodo prævertit; nactus sum illum paratissimum, ut libentissime veniret ad vos.

℣. 18. MISIMUS ETIAM CUM ILLO FRATREM, CUJUS LAUS EST IN EVANGELIO.] Quisnam his verbis ab Apostolo designatur, Lucasne, Barnabas, Silas, an Apollo? hoc certe affirmari non potest: neque enim hac in re Patres, atque Interpretes consentiunt. S. Joannes Chrysostomus, atque Theophylactus dicunt, credidisse plures, hunc esse S. Lucam, vel S. Barnabam [12]. Sed alibi S. idem Chrysostomus [13], & S. Hieronymus de viris illustr. cap. 7 cum recentioribus complurimis credunt, hunc esse S. Lucam, Evangelii, quod nomen illius gerit, & quo S. Paulus passim utebatur, Auctorem. Theodoretus hic de S. Barnaba putat intelligendum.

Recentiores nonnulli credunt [14], hunc Silam fuisse. Ligfoot Chron. p. 118. opinatur, fuisse Joannem Marcum, qui ab Ecclesiis Jerosolymitana [15], atque Antiochena [16], una cum S. S. Paulo, & Barnaba destinatus fuerat, ut eleemosynarum colligendarum onus subiret. Verum est, Joannem Marcum a S. Paulo secessisse [17], sed jam redierat in gratiam cum Apostolo. Verum plerique [18] de S. Luca hic verba fieri putant, eorumque sententia probabilior videtur. Hanc cum S. S. Chrysostomo, & Hieronymo, Origenes hom. 1. in Luc. attulerat. Characteres, quibus a S. Paulo vir iste describitur, mirum in modum sancto Lucæ conveniunt, cujus nomen in omnibus Ecclesiis propter Evangelium late percrebuerat, sive Evangelii nomine Evangelium ab ipso conscriptum, sive Evangelii prædicatio intelligatur. Quidam enim ambigunt, utrum tunc temporis ille Evangelium suum scripserit, & fatendum est, ex textus hujus Paulini verbis non satis illud aperte probari. In *Evangelio* significare potest simpliciter Evangelium, quod ipse pluribus in Ecclesiis prædicavit.

℣. 19. ORDINATUS EST COMES PEREGRINATIONIS NOSTRÆ.] Legimus, S. Barnabam ab Ecclesiis Antiochena [19], & Jerosolymitana destinatum fuisse [20] S. Pauli socium in itineribus, atque eleemosynarum colligendarum munere: at nihil obest, quominus Ecclesiæ hanc eamdem provinciam S. Lucæ contulerint, licet nihil hac de re explicitum legatur in Actis: scimus enim, S. virum Apostolo in itineribus diutius hæsisse.

ET DESTINATAM VOLUNTATEM NOSTRAM.] Ut voluntatem nostram, & cupiditatem, qua flagramus opem Jerosolymitanis fratribus comparandi, pro viribus adjuvet. Græcus typis editus [21] legit: *Voluntatem vestram*.

1 Theodoret. 2 Theodoret. Vide Est. Men. Tir. Vorst. alios passim.
3 Exod. 16. 18. 4 Vide Theodoret. Chrysostom. Theophyl. Men. Tirin.
5 Exod. 16. 18. Juxta 70. Οὐκ ἐπλεόνασεν ὁ τὸ πολὺ, καὶ ὁ τὸ ὀλίγον οὐκ ἠλαττόνησε.
6 Vide Philon. lib. 2. de Allegor. pag. 90. 91. Chrysostom. Theodoret. Theophylact. hic. Rabb. Salom. in Exod. 16. 18. Cornel. hic, & in Exod.
7 וילקטו המרבה והממעיט וימדו בעמר ולא העדיף המרבה והממעיט לא החסיר
8 Τὴν αὐτὴν σπουδὴν ὑπὲρ ὑμῶν, ἐν τῇ καρδίᾳ Τίτου. 9 August. serm. 38. de Verbis Eccli. 2. cap. 6. num. 8. pag. 197. nov. edit. & serm. 390. num. 2. 10 August. 123. num. 5.
11 August. in Psalm. 103. serm. 3. n. 10. pag. 1157. 12 Chrysost. & Theophyl. hic.
13 Chrysost. homil. 10. in 2. Timoth. & in Acta homil. 1. 14 Est. & apud illum Græci.
15 Act. 12. 25. 16 Act. 13. 5. 17 Act. 15. 39.
18 Hieronym. loco citato, & Præfat. Comment. in Matth. & in Epist. ad Philem. Primas. Cajetan. Faber. Drus. Grot. Zeger. Tillemont. tom. 1. & not. 47. in S. Paulum. 19 Act. 11. 20. 30. 12. 25. 13. 1. 2. 3.
20 Act. 15. Galat. 2. 10. 21 Καὶ προθυμίαν ὑμῶν. Alii: Προθυμίαν ἡμῶν. Ita Vulg. Syr. Arab. Æthiop. August. Ambros. Theodoret. Clarom. S. Germ. Borner. alii plures.

versam. Sed plurimi veteres manoscripti, atque plerique Patrum textus Vulgatæ conformes sunt.

℣. 20. DEVITANTES HOC, NE QUIS NOS VITUPERET.] Putant, hanc Hebræorum [1] in eleemosynarum distributione fuisse consuetudinem, ut tres probati viri eligerentur, quibus ea cura committeretur. S. Paulus hoc præcavet apud fideles Macedoniæ, & Corinthi, ut quidquid de hujusmodi eleemosynis evenisset, nihil sibi vitio verti posset. Non satis est, Apostolum innocentem esse, atque irreprehensibilem: procul etiam ab illo quævis malæ fidei, & avaritiæ suspicio debet abesse. Nitendum illi est ℣. 21. ut bonum a se factum *non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* probetur [2], juxta illud Salvatoris monitum, Matth. 5. 16. *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est*.

℣. 22. MISIMUS ET FRATREM.] Credunt plerique [3], fratrem hunc a S. Paulo Corinthum missum, S. Apollinem fuisse: at non satis fidei consonum videtur, Apostolum hoc pacto verba facturum fuisse de eo, qui Corinthi celeberrimus erat. Putant alii, hunc fuisse *Epenetum*, qui memoratur in Epistola ad Rom. 16. 5. vel Zenam, vel Sylam, vel Sosthenem, vel S. Lucam: & ut verbo me expediam, singuli pro libidine eum, quem potius amant, fingunt [4].

CONFIDENTIA MULTA IN VOS.] Confidimus, hunc a vobis benigne exceptum iri [5], & futurum, ut vestram liberalitatem, atque charitatem admiretur. Vel, maxime in vobis confidit propter ea, quæ de vobis a Tito audiit.

℣. 23. SIVE PRO TITO, QUI EST SOCIUS MEUS, ... SIVE FRATRES NOSTRI APOSTOLI ECCLESIARUM.] Dicendum fuisset [6]: sive pro Tito, *sive pro fratribus nostris Apostolis*, sed Paulus argumento suo occupatus syntaxeos præcepta neglexit. Textus vero illius, qui admodum strictus est, ita suppleri potest [7]: *seu agatur de Tito, vel de aliis, qui sunt fratres nostri, & ab Ecclesiis ad hoc munus electi*. Vel, *illos recipite propter amorem Titi, vel in gratiam Apostolorum &c.* Vel denique; *quo ad Titum aliosque ad vos missos* [8], in vobis confidimus, & a vobis humanissime exceptum iri speramus: hæc novissima versio fortasse melior est.

Apostoli hoc in loco significant proprie Legatos, viros probatæ fidei, quibus pecuniæ publicæ committebantur; hoc nomine ex. gr. a Judæis ii vocabantur, qui Levitis decumas, atque alia ad ipsos pertinentia dividebant [9]: & illi, quibus hujusmodi collectarum, quas in manibus Patriarchæ sui remittebant, onus impositum erat. S. Paulus illos JESU CHRISTI *gloriam appellat*: re enim vera instrumenta erant gloriæ Dei per suam prædicationem, fidem, pietatem, scientiam. Vetusta quædam Latina exemplaria legunt: *Apostoli Ecclesiarum, quæ sunt gloria Christi*, hoc ad Ecclesias, non ad Apostolos referentes. Christiana Ecclesia profecto est Salvatoris gloria, & amoris ejusdem objectum: sed nihilominus prior lectio præstare videtur.

℣. 24. OSTENSIONEM ERGO, QUÆ EST CHARITATIS VESTRÆ.] Excipite illos eo modo, qui eorum merita maxime decet; & omnes Ecclesiæ charitatis atque liberalitatis vestræ sint testes. Græcus hoc in sensu verti potest [10]: præbete illis, atque Ecclesiis omnibus specimen illius amoris, quo me prosequimini; atque probate earum laudum, quibus vos cumulavimus, veritatem.

---

1 Vide Grot. ad vers. 18. Maimon. tom. 3. fol. 85. 2 Vide Theodoret. hic, Tir. Men. alios.
3 Vide Theodoret. hic D. Thom. Lyr. Tir. 4 Vide Est. Tir. Men.
5 Est. Men. alii. 6 Εἴτε ὑπὲρ Τίτου κοινωνὸς ἐμὸς . . εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν, Ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν δόξα Χριστοῦ. *Gloria Christi*. Alii: *Gloriæ Christi*. Ita Ambrosiast. & Hieronymiast. & plures antiqui Libri Lat. vitiose.
7 Pagn. Piscat. Grot. Vatabl. Erasm. ex Græcis. 8 Menoch. Tirin. alii.
9 Vide Talmud. & Cod. Theodos. & Grot. ad Matth. 10. 1. & hic.
10 Τὴν οὖν ἔνδειξιν τῆς ἀγάπης ὑμῶν, καὶ ἡμῶν καυχήσεως ὑπὲρ ὑμῶν, εἰς αὐτοὺς ἐνδείξασθε, καὶ εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν.

CAPUT IX.

Quomodo eroganda sit eleemosyna; videlicet haud hæsitanter, affluenter, & alacriter.

1. NAm de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. 2 Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaja parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio provocavit plurimos. 3 Misi autem fratres: ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati sitis: 4 Ne cum venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubescamus nos (ut non dicamus vos) in hac substantia. 5 Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tamquam avaritiam. 6 Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 7 Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. 8 Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. 9 Sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. 10 Qui autem administrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum ju-

gum justitiæ vestræ: 11 Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. 12 Quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea, quæ desunt Sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino. 13 Per probationem ministerii hujus, glorificantem Deum in obedientia confessionis vestræ, in Evangelium Christi, & simplicitate communicationis in illos, & in omnes, 14 Et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. 15 Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.

℣. 1. EX ABUNDANTI EST MIHI SCRIBERE VOBIS.] Supervacaneum esset scribere ad vos de hoc ministerio, atque eleemosynis erogandis post ea, quæ superius dixi, & quæ mihi de vestris in hanc rem studiis mihi sunt explorata: nam ℣. 2. *Scio promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones, quoniam & Achaja*, cujus Corinthus caput est, *parata est ab anno præterito; & vestra æmulatio provocavit plurimos*. Cum igitur ait supervacaneum esse, Corinthios adhortari ad eleemosynam erogandam, minime putat, Theodoretus hic ait, hanc rem esse prorsus inutilem. Hæc sermonis est figura, ad eos vehementius adhuc animandos instituta. Admireris hic oportet sedulam Apostoli charitatem, & Macedonum exemplo ad Corinthios, & vicissim Corinthiorum ad Macedones excitandos utentis.

℣. 3. MISI FRATRES, NE QUOD GLORIAMUR DE VOBIS EVACUETUR.] Cavet Corinthios ex honoris ipsorum intuitu esset, ne quod ipse nomine eorum promiserat, effectu careret. Misi ad vos Titum cum duobus sociis, ne testimonium, quod charitati vestræ perhibui, fallax inveniretur. Vestrum est, eam, quæ de vobis fama percrebuit, servare, neque efficere, ut mendax habeatur.

℣. 4. NE ERUBESCAMUS IN HAC SUBSTANTIA.] Ne hæc vestra cunctatio, atque non satis solicita cura in iis explendis, quæ nomine vestro pollicitus sum, me simul, & vos pudore suffundat. Græcus [1]: *ne erubescamus ob hoc, de quo gloriati fumus*; cumque ostentare sedulitatem vestram voluerimus, qui ad vos mittuntur, oppositum prorsus inveniant. Sed veterum plerique cum Vulgata legerunt: *in hac substantia*, quin adderent, *in qua gloriati sumus* [2].

℣. 5. NECESSARIUM EXISTIMAVI FRATRES ROGARE,] ut vos convenirent ante adventum meum, ut ubi ego advenerim, omnia parata inveniam; ita tamen, ut hoc videatur quasi donum a charitate oblatum, non ex avaritia divulsum: *sic quasi benedictionem, non tamquam avaritiam*. Avarus donorsi ægre, cunctanter, cum mœrore, ac metu dat, idque minus, quam potest. At vos oro fratres, ut videamini occasionem hanc respicere, tamquam benedictionem, & beneficium Dei. Notandum est, Apostolum hac in Epistola nusquam uti nomine muneris, vel doni ad eleemosynam innuendam; sed charitatis, gratiæ, communicationis, benedictionis, simplicitatis, justitiæ, ut ostendat, eleemosynam pauperibus deberi [4], & qui illam erogat, beneficium potius recipere, quam conferre.

℣. 6. QUI PARCE SEMINAT, PARCE & METET,] qui vero multum seminaverit, metet affluenter. Stipes, quam erogas, non interit; verum semen est in uberi solo satum. Si lætam referre messem cupis, multum seminis effunde; illius enim centuplum recipies. Semen, & uberem messem appellat, Benedictionem, liberalitatem, abundantiam. Hæc abundantia æstimatur pro magnitudine substantiæ, atque voluntatis illius, qui erogat eleemosynam, cujus messis nos manet in æternitate; tunc enim [5] *mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*.

℣. 7. UNUSQUISQUE PROUT DESTINAVIT IN CORDE SUO.] Non legem, non mensuram, neque necessitatem impono, cuique integrum erit, quantum maluerit, conferre: *non ex tristitia*, ut avari, *aut ex necessitate*, quemadmodum ex subjectis populis vectigalia exiguntur: sed cum gaudio, bona, & alacri voluntate: *hilarem enim datorem diligit Deus*. Nihil ille petit, quod tuum sit: quodcumque habes, ille sibi tradidit: redde Illi saltem partem bonorum suorum, eamque non ægre, non gravate, sed hilariter redde [6].

℣. 8. POTENS EST AUTEM DEUS] vos supernaturalibus, atque exterioribus donis, vel etiam interioribus gratiis in charitatis vestræ remunerationem vos cumulare. Sed cum hac in Epistola gratia nomen sæpius eleemosynam significet, ita verti potest: Deus potest multiplicare eleemosynas vestras, vobis viam aperiens, ut copiosius liberales esse possitis, & vos bonis cumulans, postquam eleemosynas erogaveritis. Ne metuatis igitur futurum, ut quod fratribus vestris largiemini, vobis pereat: *non solo egeant tribuendo, quia thesauros cælestis certius possidetur* [7]. Si opem tuam non negasti pauperi, in nomine Dei petenti, non negabit tibi Deus dona sua, ubi hæc ex ipso in nomine illius petieris. Græcus verti potest [8]: *ut in omnibus rebus contenti sis, quæ naturæ sufficiunt, semper possitis de aliis benemereri*. Sensus hic concionus est, neque abhorret a littera. Illos hortatur, ut frugi vitam ducant, & sapientem œconomiam instituant, ut majores erogare eleemosynas valeant [9].

℣. 9. JUSTITIA EJUS MANET IN SÆCULUM SÆCULI [10].] Justitia hoc in loco, non secus ac alibi passim in sacris Bibliis, pro misericordia, & eleemosyna usurpatur [11]. Justus liberaliter suas erogat eleemosynas: *dispersit*. Memoria boni illius, quod operatus est, æternum permanet; fructus charitatis sunt immortales; in Cœlo infinitam mercedem inveniet, atque in terris sempiterna nominis celebritate florebit.

℣. 10. QUI AUTEM ADMINISTRAT SEMEN SEMINANTI, ... MULTIPLICABIT SEMEN VESTRUM.] Græcus [12] non sine quadam voti, vel precationis forma conceptus est: *qui administrat semen seminanti, &*

panem

1 Μὴ καταισχυνθῶμεν . . . ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως.
2 Omittunt καυχήσεως. S. Germ. & Clarom. & Boern. Lat. Ambrosiast. Hieronymiast. August. alii.
3 Παρακαλέσαι. *Exhortari*. Chrysost. Theophyl. Προεπηγγελμένην, *Præmittere*.
4 August. in Psalm. 95. n. 15. *Si de tuo dares, largitio esset: Cum de illius das, redditio est*.
5 Luc. 6. 8. 6 Eccli. 35. 11. *In omni dato hilarem fac vultum tuum; & in exultatione sanctifica decimas tuas*. Et Rom. 12. 8. *Qui miseretur, in hilaritate*.
7 August. in Psalm. 111. n. 4. 8 Ἵνα ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν. 9 Grot. Est. Menoch. Tirin.
10 Vide Psalm. 111. 8.
11 Vide 70. in Deut. 6. 25. 1. Reg. 12. 7. Psalm. 23. 6. 35. 11. 50. 16. Prov. 10. 2. 11. 4. &c.
12 Ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι, καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν χορηγήσαι, καὶ πληθύναι τὸν σπόρον ὑμῶν.

panem ad manducandum, multiplicet semen illius. Videtur Apostolus ad eum Isaiæ locum alludere juxta versionem Septuaginta [1], ubi habemus: *dat Deus semen serenti, & panem comedenti*. Cæterum Vulgata lectio in hoc S. Pauli loco conformis est vetustissimis, optimisque manuscriptis [2], Syriacæ versioni, atque Æthiopicæ. S. Cyprianus, S. Augustinus, & Ambrosiaster, aliique plures legunt: *præstabit, & multiplicabit &c. fructus justitiæ vestræ*; videlicet fructus eleemosynarum vestrarum. In altera quidem vita æternam vobis conferet mercedem, in hac vero gratia sua, & si in rem censuerit, terrenis etiam divitiis vos cumulabit. Vide ℣. sequ.

℣. 11. UT IN OMNIBUS LOCUPLETATI.] Abunde charitatem vestram remunerabitur Deus, atque in hoc etiam mundo facultatem præbebit, ut eleemosynas jugiter erogare possitis. Profecto in hac etiam vita Deus centuplum illis tradidit, qui propter amorem ipsius, large eleemosynas suas in sinum pauperum effuderunt; cujus rei plurima extant exempla. Græcus hoc præcedentibus addit. Multiplicet Dominus fructus justitiæ vestræ [3]; *& rebus in omnibus locupletati summa cum liberalitate eleemosynas conferre perstitaris*; *propter quod maximas Deo gratias agere tenemur*. Vel, quod pauperi, qui largitatis effectu perfruitur, & iis omnibus, qui eamdem cognoscunt, occasionem tribuis Deo gratias agendi, atque illum laudibus celebrandi propter ea bona, quæ per nos, atque charitatem nostram ipse operatur: *quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo*.

℣. 12. SED ETIAM ABUNDAT PER MULTAS GRATIARUM ACTIONES IN DOMINO.] Charitas vestra non pauperes solum, verum etiam Deum ipsum, si dicere fas est, locupletat; quoniam efficit, ut undequaque illi laudes, & gratiarum actiones concrepant, tum apud illos, quibus benefeceritis, tum apud illos, ad quorum aures largitas vestra pervenerit. Dominum laudant, quod in animo tuo sensus hujusmodi inseruerit, ac tibi affluentium adeo eleemosynarum dispergendarum facultatem, atque voluntatem tribuerit.

℣. 13. IN OBEDIENTIA CONFESSIONIS.] Charitas enim, atque CHRISTI fidelium eleemosynæ innituntur amori Dei, & fidei erga ea, quæ JESUS CHRISTUS in Evangelio spopondit. Ita dicere possumus, eleemosynam esse Christianæ religionis professionem: *in simplicitate communicationis*. Non semel jam charitas, eleemosyna, liberalitas ab Apostolo vocata fuit, *simplicitas, & communicatio*. Hic autem [4] *simplicitas communicationis*, *simplicem communicationem*, affluentem eleemosynam significat.

℣. 14. DESIDERANTIUM VOS PROPTER EMINENTEM GRATIAM DEI IN VOBIS.] Interpretes non pauci [5] animadvertunt, hoc in loco *desiderare* pro *amare* usurpari. In vobis Dei donum diligunt; vos tamquam eximia charitate repletos reverentur. Videtis, qualis Deo gloriæ fiat accessio, & quomodo proximus ædificetur iis eleemosynis, quas large, effuseque dispergitis. Alii [6] vertunt: *cupiunt videre vos propter ea dona, quæ Deus collocavit in vobis*. Prior sensus ad litteram magis accedit.

℣. 15. GRATIAS DEO SUPER INENARRABILI DONO EJUS.] Hæc est conclusio eorum omnium, quæ de eleemosyna hucusque dixit Apostolus; sequenti enim capite alterum argumentum pertractat. Æterna sit Deo Omnipotenti gloria, qui in cordibus vestris perfectam adeo charitatem succendit. Divus Chrysostomus, Theophylactus, aliique plures [7] per hoc inenarrabile donum a Deo nobis collatum intelligunt JESU CHRISTI incarnationem, & gratias, quæ illam consequutæ sunt, ejusque effectus fuerunt. Generatim dona Dei in seipsis ineffabilia sunt, infinita, incomprehensibilia, quemadmodum ipse infinitus est, atque incomprehensibilis. Ille quidem minime tantum boni quantum posset, sed quantum nos recipere possumus, nobis impertit, inquit Philo de Mundi opificio; maximum enim discrimen est inter Domini largitatem, & captum eorum, quibus elargitur. Vel potius, ut castigatius loquar; non confert nobis eas omnes gratias, quas ille conferre posset, & quas nos possemus recipere; ipse enim Dominus est donorum suorum, eaque, quibuscumque vult, juxta sapientiæ, misericordiæ, & justitiæ suæ consilia distribuit.

1 Isai. 55. 10. juxta 70. Καὶ δῷ σπέρμα τῷ σπείροντι, καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν. Vulg. *Det panem serenti, & panem comedenti*. 2 Stephan. ια. Χορηγήσαι, καὶ πληθύναι τὸν σπόρον ὑμῶν, καὶ αὐξήσαι. Clarom. & S. German. G. L. elii. 3 Ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι εἰς πᾶσαν ἁπλότητα. Quidam ἵνα ἐν παντί. Ita Chrysostom. Borner. G. L. Velez. Vulg.
4 Ἐν ἁπλότητι κοινωνίας. Quid. Ἐν ἁπλότητι διακονίας. *In simplicitate ministerii*, &c.
5 Ἐπιποθούντων. *Amant*. Vide Psal. 118. 31. Grot. hic. Pago. Piscat. Bez. Martian. Le Clerc.
6 Erasm. Vat. Est. Menoc. Vide Rom. 1. 11. *Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar gratiæ spiritalis, &c.*
7 Sclater. Piscat. &c.

C A P U T X.

Perstringit Sanctus Paulus pseudo-Apostolos ministerium, atque auctoritatem suam deterere cupientes. Profitetur, se, vel absit, vel adsit, æque fortem esse, atque se metiri dumtaxat ex laboris sui magnitudine; se in aliorum partem non venire, & cuilibet ab uno Deo veram laudem esse expectandam.

1. IPse autem ego Paulus obsecro vos, per mansuetudinem, & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis. 2 Rogo autem vos ne præsens audeam, per eam confidentiam, qua existimor audere, in quosdam, qui arbitrantur nos, tamquam secundum carnem ambulemus. 3 In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. 4 Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, 5 Et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi,

6 Et

6 Et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra
obedientia. 7 Quæ secundum faciem sunt, videte. Si quis confidit sibi, Christi
se esse, hoc cogitet iterum apud se: quia sicut ipse Christi est, ita & nos. 8
Nam, & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis
Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram: non erubescam. 9 Ut
autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas: 10 Quoniam quidem epi-
stolæ, inquiunt, graves sunt, & fortes: præsentia autem corporis infirma, & ser-
mo contemptibilis: 11 Hoc cogitet, qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo
per epistolas absentes, tales & præsentes in facto. 12 Non enim audemus insere-
re, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant: sed ipsi in nobis nos-
metipsos metientes, & comparantes nosmetipsos nobis. 13 Nos autem non in im-
mensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus,
mensuram pertingendi usque ad vos. 14 Non enim quasi non pertingentes ad vos
superextendimus nos: usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi. 15
Non in immensum gloriantes in alienis laboribus: spem autem habentes crescentis fi-
dei vestræ, in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam. 16
Etiam in illa quæ ultra vos sunt, evangelizare, non in aliena regula in iis, quæ
præparata sunt, gloriari: 17 Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. 18
Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.

℣. 1. IPSE AUTEM EGO PAULUS.] Caput hoc, & duo, quæ subsequuntur, continent S. Pauli Apologiam adversus pseudo-Apostolos, qui doctrinam illius imminuere adnitebantur, ut dominarentur Ecclesiis, quas ille instituerat, atque ut omnem earum œconomiam, & disciplinam everterent. Hi Doctores nequam Judæi erant, qui Legis ceremonias observandas esse asserebant [1], ideoque S. Paulum prævaricationis accusabant, veluti docentem, legales ceremonias observandas non esse. Ipsi vero in Ecclesiam novos ritus, Pharisaicas traditiones, sensus illis oppositos, qui primum fidelibus prædicati fuerant, studebant invehere. Contemnebant Paolum, quod non eo præstaret eloquio, quo ipsi pollebant; tunc enim non deerant Judæi, veluti Josephus, & Philo, qui Græcam eruditionem, atque eloquentiam jactarent. Denique viri hujusmodi ad propriam dumtaxat gloriam, atque utilitatem adlaborabant. Eorum imaginem vivis adeo coloribus in triplici hoc capite describit Apostolus, ut non satis commendabilem illorum nobis astruat ideam. Addi etiam ea possunt, quæ de iisdem dicit Apostolus in Epistolis ad Galatas, & Philippenses; nam ibi quoque contra hos eosdem verba facit.

Primum quidem Corinthios obsecrat, atque obtestatur *per mansuetudinem, & modestiam CHRISTI*, ut sibi loquendi æquas aures præbeant, & animum nullis præjudiciis occupatum. Hæc enim quæstio non est de sæcularibus bonis, neque præ animi livore, atque indignatione loquendum est. Audite me in suavitate, & mansuetudine JESU CHRISTI. Equidem scio, non defuisse, qui vos prævertere voluerint adversus defensionem meam [a], dicentes, *quod in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis*, atque auctoritatem audacter mihi vendico. Vos probe me nostis: Paulus vester Apostolus ad vos loquitur: mementote eorum, quæ in me vidistis, & cognovistis. Idem semper sum, & longe alius ab illo, quem vobis ipsimet obtrudere conati sunt, doctrinæ meæ obtrectantes. *In facie*, hoc est *in præsentia* [3].

℣. 2. ROGO AUTEM, NE PRÆSENS AUDIAM.] Rogo inquam, ne præsens teneat confidenter uti ea auctoritate, quam quatenus Apostolus vester obtineo, & quam falsi Doctores calumniis suis mihi vellent auferre.

A Vos igitur obsecro, ne causam meam audire velitis, ne utar ea auctoritate, qua me abusum fuisse, atque injuste in vos usurpasse [4] redarguunt. Non deest hac in re quædam ironiæ species, & contra Corinthios, qui faciles nimium præbuerunt aures iis, qui Apostoli nomini obtrectabant, & contra eosdem Pseudo-Apostolos, qui adnitebantur, ut Paulus apud Discipulos suos existimationis detrimentum faceret.

IN QUOSDAM, QUI ARBITRANTUR NOS TAMQUAM SECUNDUM CARNEM AMBULEMUS.] Pseudo-Apostoli [5], S. Paulum accusabant, quasi hypocritam, atque sycophantam aliquem, qui auctoritatem aucuparetur, & quoddam in Discipulos suos imperium exercere studeret; verbo, *quod secundum carnem ambularet*. Quidam fortasse Corinthii hujusmodi contumeliis animum B nimis facilem adjecerant, ideoque S. Paulus obtestatur, ne ipsum adducere velint in eam necessitatem, ut potestate sua utatur adversus homines hujusmodi, vel potius adversus pseudo-Doctores [a] a quibus accusabatur, quod secundum carnem operaretur [8]; hoc est, quod Evangelium prædicaret, actus dumtaxat utilitatis suæ, vanitatis, philautiæ, consilio. Existimat Theodoretus, *quod ambulare secundum carnem*, hoc in loco Mosaicæ Legis cæremonias sequi significet.

IN CARNE ENIM AMBULANTES, NON SECUNDUM CARNEM MILITAMUS.] Nam quamvis vivimus in carne infirma, mortali, & sexcentis pœnis, atque laboribus obnoxia [7]; attamen Dei favente gratia non infirme, & imbecilliter decertamus [8], sed militiam prorsus spiritualem exercemus, & eos conatus exerimus, qui C quodammodo super hominem sunt. Apostolatus labores militiæ comparat, quæ illi sententia familiaris fuit [9].

℣. 4. ARMA MILITIÆ NOSTRÆ NON CARNALIA SUNT, SED POTENTIA DEO.] Hoc est mirum in modum potentia, potestate prorsus divina, atque miraculosa. Dei nomen exaggerat, & supplet quodammodo vices superlativi, quod in Hebræorum lingua desiderатur. Licet in carne fragili, atque mortali, gerimus tamen arma potentia, atque invicta; nempe Divinum Verbum, donum miraculorum [10], scientiam supernaturalem, qua nos Deus replet, virtutem, quam nostræ prædicationi tribuit, zelum, quem in nobis accendit,

e Vide Theodoret. & Est. hic. a Græci. Grot. Est. Camer. alii.
3 Κατὰ πρόσωπον. *Coram præsens*. Grot. Erasm. Est. Menoch. Tirin. alios.
4 Est. Menoch. Tirin. 5 Oecumen. hic. 8 Chrysostom. Theophylact.
7 Vide Galat. 4. 13. Hebr. 2. 14. 5. 7. & 1. Joan. 4. 2. Grot. hic. 5 Vide Grot. Hamm. Le Clerc.
9 Vide 1. Timoth. 1. 18. 2. Timoth. 2. 3. & 1. Cor. 9. 7. 2. Cor. 11. 8.
10 Theodoret. Est. alii.

constantiam, quam tribuit, et impiis resistamus, & conteramus eos, qui contra veritatem insurgunt; *ad destructionem munitionum, consilia destruentes*. Hæ munitiones non aliud sunt, quam obices, quos dæmon, ejusque Ministri opponunt veritati, atque prædicationi; eloquentia, & scientia humana, sæcularis potentia, nequitia, invidia, calumniæ. Impii appellantur *munitiones hostiles*, quæ in re opponuntur viris bonis, qui Templa Spiritus Sancti vocantur [1].

℣. 5. CONSILIA DESTRUENTES, & OMNEM ALTITUDINEM EXTOLLENTEM SE.] Arma, quibus induti sumus, facili negotio omnes Philosophorum ratiocinationes, & sophismata [2], atque totam eam doctrinæ, eloquentiæ, scientiæ, pompam evertunt, quam ipsi ostentant, & qua ambitionem suam nutriunt, se se *contra scientiam Dei*, contra Evangelium, ac fidem in JESUM CHRISTUM extollentes. Profecto omne acumen, & omnia Philosophorum scientia numquam resistere potuit perspicuitati miraculorum, quæ Apostoli operabantur, virtuti gratiæ JESU CHRISTI, integritati Doctrinæ Christianæ, & Verbi Divini auctoritati. Dæmon postquam in Idolis, atque Idolorum Templis, in fabulis, & religione Ethnicorum suam vim ostentasset, credidit Philosophorum existimatione, atque argumentis obtrectare posse Religioni Dei, Poeticam, historiam, & Gentilium Theogoniam invehens in terras; sed Verbum, & virtus Dei omnes illius propugnacula everterunt, atque hostis ad extrema redactus brevi, atque leviter Christianæ fidei vires sustinuit. Evangelii Præcones *redegerunt in captivitatem omnem intellectum in obsequium CHRISTI*.

℣. 6. IN PROMPTU HABENTES ULCISCI OMNEM INOBEDIENTIAM.] Deus potestatem nobis tribuit non solum persuadendi, atque incredulis veritatem probandi; verum etiam puniendi eos, qui veritati adversantur: qua potestate Paulus quidem in Elymam, cum cæcitate percutiens [3], & S. Petrus in Simonem Magum, & Ananiam, atque Saphiram exercuerant. Hanc etiam ille nuper contra incestum Corinthi exercuerat. Quis prohibet, ne hac eadem utar potestate contra Pseudo-Apostolos, & illos ex vobis, qui eosdem auscultant?

CUM IMPLETA FUERIT VESTRA OBEDIENTIA.] Avertat Deus, me indiscriminatim uti gladio, quin prius vias suavitatis experiar. Præstolabor, donec vos ad officium redieritis, atque a pseudo-Apostolis secesseritis, & qui ex vobis illos sequuti sunt, criminis egerint pœnitentiam; postmodum vero in hujusmodi pseudo-Doctores, justam quam merentur, ultionem exercebo [4]. Vel: si quis in impœnitentia, atque pertinacia perstiterit, exeram adversus illum arma, quæ mihi tradidit Deus [5]. Bonus Pastor nonnisi ægre, & gravate gravissima adhibet remedia: hortatur, minitatur, plorat, diu preces effundit, antequam ab Ecclesiæ communione divellat. Sapiens Pater familias servis suis non permittit, ut indiscriminatim lolium auferant, ne simul eodem tempore convellant & triticum; sed ubi triticum jam adoleverit, & lolium satis cognitum fuerit, tunc disciplinæ severitas excitetur, oportet [6].

℣. 7. QUÆ SECUNDUM FACIEM SUNT, VIDETE.] Saltem judicium ferte de rebus ex earumdem specie, ne fucum vobis fieri patiamini ab hujusmodi veteratoribus: ad eorum vivendi rationem attendite, eamque cum nostra comparate [7]. Numquid ex hoc uno concipere poteritis legitima adversus illos præjudicia, & nonne procul recederis ab iis hominibus, quorum doctrina, sensus, & vita ab iis, quæ a nobis edocti fuistis, & ab eodem JESU CHRISTI Evangelio tantopere abhorrent? alii Græcum vertunt [8]: *nos nonnisi secundum faciem judicatis*, eloquentia, audacia, illecebræ sermonum pseudo Apostolorum vos in errorem impulerunt: numquam scrutati estis, quanta sit eorum nequitia, & nostrarum eorum calliditatis ambages non perspexistis. Quidam cum interrogatione legunt: *De rebus judicium fertis secundum speciem?* numquid hominum existimationem concipitis ex eo, quod extrinsecus videtur? numquid illos suspicitis propter ostentationem, fastum, impotentiam, qua gloriantur, & aliis calumnias adspergunt? ostendam, me hujusmodi mortalibus, quibus adeo leviter existimationem vestram impendistis, nihilo esse inferiorem.

SI QUIS CONFIDIT SIBI, CHRISTI SE ESSE [9].] Apostolum, se ab eodem missum, doctrina, & spiritu illius esse repletum; hic sciat, nos quoque esse JESU CHRISTI, non secus ac ipsum. Pseudo-Doctores gloriabantur fortasse, quod in terris JESUM CHRISTUM vidERANT; & se immediate ex ore ipsius sua præcepta, suamque missionem recepisse ferebant, atque deprimebant S. Paulum, cui hoc minime acciderat: non enim semel in Epistolis ejus videmus hoc illis ab inimicis fuisse exprobratum [10].

℣. 8. NAM ET SI ALIQUID AMPLIUS GLORIATUS FUERO.] Nihil falsum adferam, & nihil dicam, quod famam possit conflare mihi thrasonis alicujus, & qui nominis celebritatem velit aucupari [11]. Auctoritas, quam a JESU CHRISTO recepi, nec ambigua est, nec æquivoca; cujus rei vos ipsi effectus estis interiti, recentia ejusdem argumenta possum tribuere: at absit, me eadem contra vos uti velle, nisi gravissimis rationibus adigar. Fateor, mihi a Deo potestatem hanc fuisse collatam *in ædificationem, & non in destructionem vestram*. Hoc sibi Ecclesiæ Pastores in auctoritatis suæ exercitatione semper proposuerunt, seu præciperent, seu prohiberent; seu dispensarent, seu cogerent, seu solvarent, seu ligarent; qui eadem uti debent, quemadmodum JESUS CHRISTUS usus est ad animarum salutem, non ad interitum.

℣. 9. UT NON EXISTIMER TAMQUAM TERRERE VOS PER EPISTOLAS.] Hæc enim altera est accusatio, qua Apostoli meum nomen proscindunt. Isthic quidem non ostendam potestatem meam, ejusdem sublimem vobis ideam adstruens, minis utens, vel ea, quæ possem exaggerans: namque vos hæc omnia tamquam inanis jactantiæ effectus existimare possetis, quæ cum nihil per se efficere valeat, inania tantum effutiat verba ℣. 11. Ubi apud vos erimus, vobis esse ostendemus eosdem per effectus præsentes, qui absentes sumus per Epistolas.

℣. 10. QUONIAM QUIDEM EPISTOLÆ, INQUIUNT [12], GRAVES SUNT.] Hoc pseudo-Doctores ajebant ad S. Pauli auctoritatem imminuendam; verum nihil aliud requiritur ad laudes illius celebrandas. Si humilis erat, & contemptibilis ob oculos discipulorum suorum; hoc inde proficiscebatur, quod altru modestiam, simplicitatem, atque humilitatem præseferebat, ut Salvatorem suum imitaretur, qui inter homines, tamquam novissimus hominum, servus, atque peccator videri maluerat. Cupiebat Apostolus, perfectum se præbere humilitatis, & suavitatis JESU CHRISTI exemplar; omnibus omnia fieri studebat, ut omnes JESU CHRISTO lucraretur. Si illius præsentia adeo contemptibilis fuisset, cur pseudo-Apostoli dogmata sua tunc serere præstolabantur, cum ille aberat? cur illo præsente prodire non audebant? *Epistolæ graves, & fortes*. Severæ sunt, vehementes, minaces; assurgit ille, tonat, prosternit [13]. Verebantur illi Epistolarum S. Pauli effectus, eosque calumniis suis prævertere voluissent.

Quoad corporis habitum, Nicephorus l. 2. cap. 37. Menæa S. Paulum describunt pusillum forma, curvatum, facie alba oblonga, & rugosa, capite calvo, ocu-

1 Theodoret. hic ad vers. 5. 2 Λογισμούς. Theophylact. Vide Grot. Pagn. Bez. Pisc. Est. Menoch. Tir.
3 Act. 13. 8. 4 Chrysostom. hic Theophylact.
5 Vide Est. Justini. Grot. 6 August. lib. 3. contra Parmen. cap. 2. num. 12. 13. 14.
7 Vide Est. Menoch Tirin. &c. 8 Τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπετε, vel, κατὰ πρόσωπον βλέπετε? Vide Theodoret. Grot. Erasm. Est. Zeg. 9 Χριστοῦ εἶναι. Alii: Χριστοῦ δοῦλος εἶναι. Ita Clarom. & S. Germ. Lat. Borner G. L. Ambrosiast. 10 2. Cor. 9. 1. 15. 8. 11 Chrysost. Vide sup. c. 7. 14. Grot. hic. 12 Αἱ μὲν ἐπιστολαί, φησί, inquit. Alii: φασί, inquiunt. Vulg. Syr. Borner. Lat. Syr. Hieronymiast. 13 Chrysost.

ecolis igne suffusis, & gratia repletis, barba oblonga, & densa, & subcanescentibus crinibus, non secus ac capillis capitis, immista. Vetus quidam Græcus, cujus sermo inter S. Chrysostomi sermones invenitur [1], illum tribus cubitis minorem fuisse dicit, qui tamen Cœlum attingebat. Lucianus in Philopatr. Triphonem quemdam, qui sua a S. Paulo baptizatum fuisse ferebat, dicentem inducit, Apostolum hunc fuisse calvum, & oblongas nares habuisse.

℣. 11. HOC COGITET, QUI EJUSMODI EST.] Qui in hac sententia versatur, sciat, quemadmodum absentes per Epistolas vehementes sumus, & fortes; similiter, & præsentes apud vos futuros. Ip me ubi opportuerit, tantum severitatis, & constantiæ invenietis, quantum in Epistolis meis reperitis.

℣. 12. NON ENIM AUDEMUS INSERERE.] Hæc ironia est adversus pseudo-Apostolos: non ausim me comparare cum hujusmodi viris, qui vobis prædicant JESUM CHRISTUM; mihi neque eorum captus est, neque eloquentia, neque oris majestas, neque totalis sublimes prærogativæ, quas jactant, & quæ non sinunt, se id in aliis videre, quod toto Cœlo superat, quidquid ipsi gloriantur. Ego quidem me cum memetipso metior; nemini superiorem me judico. Si de me loquor, vera loquor; quemadmodum ex effectibus, & operibus innotescit [2]: hæc est mensura mea. Eloquio potens non sum; sed Divina favente gratia plures converti populos, plures Ecclesias institui, quam alius quilibet; decentis forma non sum, neque corporis magnitudine præsto; sed populus omnes, & vi sermonum meorum, & magnitudine miraculorum, quæ per me Deus operatus est, perterrui.

Græcus textus [3] hoc aliter explicat: *Non audemus nos metiri, vel comparare cum quibusdam, qui se ipsos laudant: quibus tamen desit intellectus, metientibus se, & se sibimetipsis comparantibus.* Profecto nihil magis ridiculum excogitari potest, quam se ipsus sibimet conferendo de se vellu judicium ferre. Mensura alia semper esse debet ab ea re, quam metimur. Pygmeos, qui se sibimetipsi comparans mortalium hominum se maximum arbitraretur; næ ille quidem dementissimus haberetur. Hoc accidit in hujusmodi pseudo-Apostolis, qui seipsos tantum jactitabant, ac se primos mortalium censebant, ea tantum de causa, quod hanc ideam animo imbiberant [4]. Cum S. Paulus, juxta Vulgatam, ac plurimorum veterum Manuscriptorum lectionem [5] ait, se secum metipso metiri, aliud prorsus significat; videlicet, se neminem aspernari, se nemini præponere, ac de seipso loqui tantum secundum veritatem, & effectus, qui in universo Mundo cogniti erant. Sermonis decursus, & sequens versiculus Græcorum favent explicationi.

℣. 13. NOS AUTEM [6] NON IN IMMENSUM GLORIAMUR.] Hoc ad litteram sumptum indigitat, superiorum versiculum ad pseudo-Apostolos pertinere, quemadmodum secundum Græcorum textum explicuimus. Apostolus igitur ait, nolle se ultra modum gloriari, quemadmodum Doctores illi consueverant [7]. Non dicam, me universum terrarum Orbem peragrasse, ut Evangelium prædicarem, me plures hominum myriades convertisse, sexcenta pericula evitasse, plurima operatum fuisse miracula &c. Subsistam intra *mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos.* Quilibet nostrum suam partem [8], mensuram, hæreditatem in agro Domini colendam accepit. Minime glorior, sicuti falsi hi Doctores, quod Evangelii lucem in omnes terras attulerim; verum scio, me super aliena fundamenta nunquam ædificasse [9], neque falcem in agrum proximi mei extendisse, quod hujusmodi opifices iniquitatis fecerunt. Pluribus lustratis Provinciis *ad vos usque perveni* [10]; nemo inficiari potest, quin minus sim Apostolus vester; quorsum igitur destruere conantur ea, quæ ipse ædificavi? Subsistat quilibet in parte sua; ego quidem in eorum agros non migrabo, turbas excitaturus. Vetus Ecclesiæ consuetudo ab ipsis usque Apostolorum temporibus ad hunc diem servata hæc est, ut singulis prædicatoribus ea relinquatur Provincia, populum, cui primus quisque Evangelium annuntiaverit, regendi; atque ita Diœceses, atque Ecclesiasticæ Provinciæ distributæ fuerunt. Jubent Canones, singulos Episcopos intra Diœcesim suam, non autem extra, munere suo perfungi.

℣. 14. NON ENIM QUASI NON PERTINGENTES.] Minime ultra quam decet nosmet extendimus, cum ad vos usque pertingimus. Nemo negare potest, quo minus ego prior vobis Evangelium prædicaverim, & mihi jus sit in vos, tanquam in hæreditatem meam secundum spiritum. Corinthi prædicans in messem alienam manum non intuli; & qui illuc post me accesserunt, minime debuerunt eam sibi vendicare auctoritatem, quæ ad ipsos minime pertinebat.

℣. 15. NON IN IMMENSUM GLORIANTES IN ALIENIS LABORIBUS.] Quemadmodum efficiunt hujusmodi calumniatores, qui laborem subire nolunt iis in locis prædicandi, quibus Evangelii lux nondum affulsit, & qui non audent periculis, & laboribus harum missionum se objicere inter Gentes, quæ JESUM CHRISTUM ignorant [11], sed impudentissime in Ecclesias jam institutas obrepunt, ibi perfruuntur fructibus laborum Apostolicorum; & quasi hoc parum esset, imminuere conantur auctoritatem eorum, a quibus illæ institutæ fuerunt, eorumque nomini apud ipsos illorum discipulos labem conantur affundere. Hoc nequissimum est, atque indignissimum facinus.

SPEM HABENTES CRESCENTIS FIDEI VESTRÆ IN VOBIS MAGNIFICARI.] Speramus, futurum ut fide vestra quotidie in vobis crescente, nos hæreditatem nostram longius simus producturi. Vel [12] *spem habentes, ut crescente fide vestra per vos multo magis accrescamus in funiculo nostro.* Finitimi vestri, & alieni vestram fidem, atque Religionem intuiti semper ad Evangelium recipiendum erunt paratiores [13]. Aliter [14]; spero, ut in singulos dies fide vestra majorem amplitudinem obtinente, nobis laudum recentia præbeatis argumenta iis in locis, ubi Evangelium a nobis fuit prædicatum. *Secundum regulam nostram*; in nostra hæreditate, quæ per labores vestros magis, magisque fines suos protendet, ℣. 16. *In illa, quæ ultra vos sunt, evangelizare.*

℣. 16. NON IN ALIENA REGULA, IN IIS, QUÆ PARATA SUNT, GLORIARI.] Nomen regula in universo hoc capite partem significat; ad litteram, lineam, funiculum, Agrimensoris mensuram. S. Paulus non vult in aliena hæreditate gloriari. Scribens ad Rom. cap. 15. ait, se in iis tantum locis prædicasse profitetur, ubi JESUS CHRISTUS annuntiatus non fuerat, ne exprobraretur, quod super alienum fundamentum ædi-

1 Chrysostom. tom. 6. homil. 30. p. 265. 6.
2 Vide Phot. Est. Tir. Men. Ambrosiast.
3 Οὐ γὰρ τολμῶμεν ἐγκρῖναι, ἢ συγκρῖναι ἑαυτούς τισι τῶν ἑαυτοὺς συνιστανόντων. Ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες, καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, οὐ συνιοῦσι.
4 Ita fere Græci. Grot. Bez. Vorst. Vatabl. Sclater. alii.
5 Vide Ambrosiast. S. German. & Clarom. & Borner. G. L. Syr. Hieronymiast.
6 *Nos autem*: ἡμεῖς δὲ omittunt German. & Clarom. & Borner. & Ambrosiast.
7 Chrysostom. Vide Est. Menoch. Tir. Grot. alios.
8 Τὸ μέτρον τοῦ κανόνος; κανὼν autem est fabri lignarii funis, vel mensura. Grot. Bez. Capell. &c.
9 Infra vers. 15. *Non in immensum gloriantes in alienis laboribus.* Rom 15. 20. *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.*
10 Est. Menoch. Grot. alii.
11 Theodoret.
12 Ἐλπίδα δὲ ἔχοντες αὐξανομένης τῆς πίστεως ὑμῶν, ἐν ὑμῖν μεγαλυνθῆναι κατὰ τὸν κανόνα ἡμῶν, εἰς περισσείαν. Verti potest: *Spem habentes, ut, crescente fide vestra, per vos multo magis accrescamus in funiculo nostro.*
13 Chrysost. hic. Ita Grot. Men. Tirin.
14 Vatab. Est.

ædificasset : *prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est CHRISTUS, ne super alienum fundamentum ædificarem*.

℣. 17. QUI AUTEM GLORIATUR, IN DOMINO GLORIETUR.] Cœterum neque hujusmodi hominibus, qui venerunt ad vos, neque nobis, qui primi prædicavimus, jus est in nobismetipsis gloriandi, sed in Deo, a quo utrique, quidquid boni habemus, recepimus. Hoc etiam dictum est contra pseudo-Apostolos, qui immodice gloriabantur, & omnes alios contemnebant, quin ullam rationem haberent ℣. 18. *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*. Ipse noster est Judex, ac Dominus : novarit ille bonum servum ab inutili secernere : ad illius Tribunal provoco. Ita etiam intelligi potest; *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, in hoc omnem suam gloriam constituat, quod JESUM CHRISTUM cognoscit, amat, eique famulatur ; *non enim qui seipsum commendat, ille probatus est*, atque utilis servus Domino suo ; *sed quem Deus commendat*, cui ille præclarum perhibet testimonium, in labores illius benedictionem effundens, & prædicationi ejus felicem eventum concedans. De pseudo-Apostolis, & me non ex sermonibus, sed ex operibus judicate ; judicate ex iis, quæ vobis dictura sum.

CAPUT XI.

Tenetur Sanctus Paulus seipsum laudare, ut suos calumniatores rubore suffundat. Illius humilitas, & amor erga Corinthios. Suam auctoritatem, atque Apostolatum defendit, & propter labores suos præcipuis etiam se Apostolis comparat.

1. UTinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me ;
2 Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. 3 Timeo autem, ne sicut serpens Hevam
seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ
est in Christo. 4 Nam si is, qui venit, alium Christum prædicat, quem non
prædicavimus ; aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis, aut aliud Evangelium, quod non recepistis ; recte pateremini. 5 Existimo enim nihil me minus
fecisse a magnis Apostolis. 6 Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia : in
omnibus autem manifestati sumus vobis. 7 Aut numquid peccatum feci, me ipsum humilians, ut vos exaltemini ? quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi
vobis ? 8 Alias Ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.
9 Et cum essem apud vos, & egerem ; nulli onerosus fui : nam quod mihi deerat,
suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia, & in omnibus sine onere me vobis servavi, & servabo. 10 Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non
infringetur in me in regionibus Achaiæ. 11 Quare ? Quia non diligo vos ? Deus
scit. 12 Quod autem facio, & faciam : ut amputem occasionem eorum, qui volunt
occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut & nos. 13 Nam ejusmodi
pseudo-Apostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. 14
Et non mirum ; ipse enim sathanas transfigurat se in Angelum lucis. 15 Non est
ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ : quorum finis
erit secundum opera ipsorum. 16 Iterum dico (ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier) 17
Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ. 18 Quoniam multi gloriantur secundum carnem : & ego gloriabor.
19 Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis sapientes. 20 Sustinetis enim, si
quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. 21 Secundum ignobilitatem dico, quasi nos
infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo &
ego : 22 Hebræi sunt, & ego : Israelitæ sunt, & ego : Semen Abrahæ sunt, &
ego : 23 Ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico) plus ego : in laboribus
plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. 24 A Judæis quinquies, quadragenas una minus, accepi. 25 Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui. 26 In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis
ex genere, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus :
27 In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & siti, in jejuniis multis,

in fri-

in frigore, & nuditate; 28 Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. 29 Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? 30 Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. 31 Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit, quod non mentior: 32 Damasci præpositus Gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet. 33 Et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus ejus.

℣. 1. UTINAM SUSTINERETIS MODICUM QUID INSIPIENTIÆ MEÆ.] Hoc superiori capiti subnectendum est: testimonium minime a nobis metipsis, sed a Deo perhibendum est. Numquam fiet, ut ad existimationem, & observantiam captandam, aliusve deprimendos, me ipsum laudibus celebrem. Scio equidem, hoc insipientis esse: sed quoniam me cogunt inimici, ad eorum calumniam propulsandam permittite, ut me ipsum defendam, & ad breve momentum insipientis personam induam, me ipsum laudibus exornans.

SED ET SUPPORTATE ME.] Licet vobis insipiens videri possim, meas laudes ostentans, Græcus verti potest [1]: *sed supportatis me*; scio, vos mihi judices æquos fore, neque me damnaturos; nostis enim, quantopere e potidis hujusmodi laudibus abhorream: verum etiam intelligitis, quæ me necessitas urgeat, causam meam perorandi.

℣. 2. ÆMULOR ENIM VOS DEI ÆMULATIONE [2].] Æmulatione videlicet maxima, ea zelotypia, qua amantissimus Sponsus flagrare potest. Nomen Dei significat rei, de qua agitur, magnitudinem. Aliter: Vos amo amore zelotypiæ propter Deum; veluti amicus, cui amicus alter Sponsæ curam tradidit, & qui omnes hujus gressus propius scrutatur, quam ipsius conjugis fox facta perpendat. Ego internuncius fui, atque mediator fœderis, a vobis cum Deo initi [3]; vestras promissiones recepi, & quodammodo cœlesti huic Sponso vosmet despondi; per me amoris ipsius arrhas, & prima ejusdem munera accepistis. Ego spopondi, me oblaturum vos tamquam *Virginem castam* illi, atque pudoris vestri incolumitati esse invigilaturum. Veteres quidam legunt [4]: *Æmulans vobis vos, Deo æmulor*. Zelotypia amor, quo vos diligo, nisi e propter Deum est. Ecclesia est JESU CHRISTI Sponsa, & fidelis quilibet dignitatis hujus est particeps.

℣. 3. TIMEO AUTEM, NE SICUT SERPENS.] Ne pseudo-Apostoli in animos vestros obrepant, eos vobis subliniant, atque efficiant, ut jacturam patiamini simplicitatis, & puritatis cordis vestri, quam a vobis exposcit Deus. *Simplicitas* hoc in loco morum integritatem, fidei puritatem, Christianam sinceritatem, humilem docilitatem significat, quæ simplicium fidelium characterem constituit. Falsi Doctores illis infundebant rerum novarum studium, amorem eloquentiæ humanarum scientiarum, atque sterilium cognitionum, a quibus olim Apostolus illos abesse voluerat [5]. Hæc verba, *& excidant*, neque in Græco typis edito, neque in Latinis quibusdam antiquis exemplaribus [6], pura Claromontani, & S. Germani, & illis, quibus S. S. Augustinus, & Ambrosius usi sunt, legebantur. Ita etiam pro *simplicitate* Veteres quidam legunt, *a castitate*; & alii nonnulli [7] utrumque connectunt: *a castitate, & simplicitate*.

℣. 4. NAM SI IS, QUI VENIT, ALIUM CHRISTUM PRÆDICAT.] Quomodonam hoc potest conciliari cum iis, quæ inquit Apostolus ad Galat. 1. 8. *sed licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*? Græci Patres [8] hoc ita explicant: Si novi hi Prædicatores vobis Messiam annuntiarent, quem nos vobis annunciare debuissemus, neque vobis annuntiavissemus; vel docerent vos utilia, aut necessaria, quæ vos docere noluissemus, quædam vobis ratio esset illos audiendi. At numquid duo sunt Messiæ? ulterane adest salutis via præter eam, quam vobis ostendimus? numquid aliæ sunt essentiales ad salutem veritates ab iis, quas vobis tradidimus? nuperi Doctores isti recentiusne Spiritus Sancti dona vobis tribuerunt? igitur, si nihil novi attulerunt, cur tanta facilitate eos recepistis?

Alii [9] hoc tanquam ironice dictum intelligunt. *Si quis alium vobis Christum prædicaret ab eo, quem vobis prædicavimus, vel alium reciperetis Spiritum ab eo, quem recepistis . . . vos quidem profecto præclarum aliquid efficeretis, illos ferentes*. Hoc est; e contra vos eosdem recipientes, stultissimos esse ostenderetis.

℣. 5. EXISTIMO ENIM, NIHIL ME MINUS FECISSE A MAGNIS APOSTOLIS.] Quales fuerunt Petrus, Jacobus, & Joannes, qui tamquam Ecclesiæ columnæ habebantur [10], & quos JESUS CHRISTUS benignitatis, & confidentiæ peculiaribus notis distinxerat. Quidam hæc verba: *a magnis Apostolis*, in sensu ironico interpretentur. Non reor, me ulla in re inferiorem fuisse hominibus istis, qui se maximos ex Apostolis dicunt; hoc nomine designans [11] pseudo-Apostolos, qui præ ceteris majorem prædicationis gloriam aucupabantur. Prior sensus melior videtur. S. Paulus refellere voluisse videtur eos, qui se discipulos, & missos a Petro, Jacobo, & præcipuis Apostolis ferebant. At nihilo inferior sum illis, a quibus vos missos, & quorum vos discipulos esse gloriamini.

℣. 6. ET SI IMPERITUS SERMONE, SED NON SCIENTIA.] Non deest S. Paulo vis, majestas, dignitas, aliæve qualitates, aptæ ad permovendum, persuadendum, imo etiam oblectandum in Epistolis [12]. Credi potest, ipsum in sermonibus suis, non minori vi, & gratia loqui consuevisse, quandoquidem Lystrii illum Mercurium esse dicebant, eique sacrificia offerre volebant [13]. Non habebat tamen magnificam illam, armonicamque Græcorum Oratorum eloquentiam; operam non transmittebat in verborum oratione, & distributione; in periodorum numero & mensura; in sermonis lepore, atque ornatu, omnibusque ad rethorem lucernam concinnandis: quod illius tantum obfuisset consilio, & magnitudinem, atque majestatem rerum earum, quas prædicabat, decrevisset. Hinc in seose fatetur ille se *imperitum sermone*.

Cæterum Divus Chrysostomus l. 4. de Sacerdotio c. 7. docet, ipsum fuisse eloquentissimum, ejusque Epistolas Judæorum & Gentilium admirationem illi conciliasse.

1 Ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου. *Toleratis me*. Pagn. Erasm. Vatabl. Tigur. Græci.
2 Ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς Θεοῦ ζήλῳ. Theophylact. *Non ut mihi prosit, sed ne vos damnum patiamini*.
3 Theodoret. 4 Calaritan. Ambrosiast. Sanct. Germ. & Clarom. Lat.
5 Vide 1. Corinth. 1. 17. 18. 19. & sequ. & 2. 1. 4. 5. 6. 2. & sequent.
6 Calaritan. August. *Haud semel*. Gaudent. Ambrosiast. 7 Clarom. S. Germ. G. L. Colb. 7. Boreel. G. L. Epiphan. κατὰ αἱρέσ. 3. 8. August. lib. 22. contra Faust. cap. 49. *Simplicitate, & castitate*. ἁγνότητος καὶ ἁπλότητος. 8 Chrysost. Photius apud Oecumen. Vide & Theophylact. & alios.
9 Vide Erasm. Jacob. Capell. Cnatchbull. Calomies. Καλῶς ἀνείχεσθε. Confer Marc. 7. 9. Καλῶς ἀθετεῖτε. *Pulchre rejicitis*. 10 Vide Chrys. & alios. Erasm. Est. Men. Tirin. Grot. Zeg.
11 Bez. Sclater. alii quidam. 12 Ἰδιώτης λόγῳ. *Idiota locutione*, vel utens *stylo idiotico, familiari, & infra sermonem Rhetoricum, & politicum*. Vide Cleric. hic. ad Hammond. 13 Act. 14. 11. 12.

ciliasse, atque multo magis fidelium, quorum delitiæ erant, atque solatium. Iidem hujus Apostoli inimici [1] fatebantur, ejus Epistolas vi, atque virtute esse cumulatissimas. Alio vero in loco S. idem Chrysostomus hom. 4. in 2. Timot. 3. S. Paulum, dicit, pauperem fuisse Cilicem, coriarium artificem, hoc est tabernaculorum structorem, quæ tunc temporis plerumque ex coriis conficiebantur; penitus rudem, omnisque litteraturæ, Philosophiæ, artiumque liberalium expertem, & qui nihil noverat præter Hebraicam linguam, quæ apud Romanos una omnium maxime contemptibilis erat. Ecce qualis erat vir ille, qui olim terrorem Neroni incussit, & quem hodie universus terrarum orbis celebrat, atque admiratur. Verum quæ Pater hic ait, licet alioquin insignis esset S. Pauli admirator, Apostolum Hebraicam tantummodo linguam novisse, & antequam converteretur, omnes Græcorum scientias penitus ignorasse, non satis probari potest. S. Paulus pro ut Judæus satis superque Poetas, atque Dialecticam noverat, neque fidei consonum est, prophanæ eruditionis vestigia, quæ in illius Epistolis, & in Apostolorum Actis deprehenduntur, ex cœlesti afflatu ipsum didicisse, & hoc Spiritus Sancti supernaturale munus fuisse.

Credit S. Hieronymus [2], Apostolum hoc in loco innuere solum contemptum, quo humanam eloquentiam flocci faciebat, vel per humilitatem eam rem, in qua re ipsa maxime præstabat, dissimulare; constat enim, illum vere disertum, & eloquentem fuisse; *quem quotiescumque lego*, ajebat ille, *videor mihi non verba audire, sed tonitrua*. Lege Epistolam ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios: satis id innotescet, quod dico. Quæ ars, quæ prudentia, quæ industria, ubi inimicos suos lacessit argumentis ex veteri Testamento depromptis? Qui illum audit, putat, eum nescire, quid sibi velit, argumentis in sententiam suam cogere adversarium: sed ubi propius eum ad examen revocas, *quæcumque vesperseris, fulmina sunt*. Alibi [3] eum *flumen eloquentiæ Christianæ* vocat. Sed scribens ad Aglasiam ep. 51. dolere videtur, quidquid in hujus Apostoli laudem dixerat: assero, inquit ille, quod alibi sæpe dixi, non humilitatis ergo, sed quod rem ita se habere sentiebat, Paulum se imperitum vocasse; eumque vere neque Græca eruditum fuisse, nec eloquentem. Ad Hedibiam vero scribens addit, ipsum secum semper Titum adduxisse, Græci sermonis peritum. Ad S. Hieronymum ergo sibimet conciliandum dicere oportet, S. Paulum cum Demosthene, Isocrate, Lysandro, Platone, Aristotele comparatum, minime fuisse eloquentem; at eloquentissimum fuisse, si eloquentia in dicendi vi, atque vehementia ad permovendum, atque persuadendum aptissima, vel etiam in suavitate ad alliciendum idonea collocetur. Nemo Orator profecto eorum, ad quos loquebatur, animo, ac menti ita dominatus est, quemadmodum S. Paulus eorum, ad quos scribebat.

S. Augustinus [4] qui, ubi agitur de eloquentia, judex habendus est nihilo melior, quam Divus Chrysostomus, & S. Hieronymus, & ipse summam S. Pauli eloquentiam concelebrat. Invenit in Epistolis ejus omnia Rhetoricæ artis schemata, & ornamenta: & si fatetur, Apostolum Rhetorum præcepta nequaquam fuisse sequutum; asserit tamen, eloquentiam ultro sese comitem addidisse illius prorsus Divinæ Sapientiæ. *Sicut ergo Apostolum præcepta eloquentiæ sequutum fuisse non dicimus, ita quod ejus sapientiam sequuta sit eloquentia, non negamus*. Demum ait, S. Paulum in hoc, quem explicamus, loco videri adversariis suis concessisse per eam figuram, quam Rhetores concessionem appellant, se minime disertum esse: non quod illi re ipsa persuasum fuisset, quod per ministerio suo sibi deesset eloquentia [5]. Ea scientia, sine qua Gentilium Apostolus esse non poterat, S. Paulus tenet, se æque, ac aliam quemlibet præditum esse, quemadmodum satis illius Epistolæ probant. Habebat ille non solum eam scientiam, quam sibi studio comparaverat [6], verum etiam altissimorum mysteriorum cognitionem, quam in Cœlo hauserat, quo divinitus raptus fuerat [7]. Doctrinæ illius celebritas apud Ethnicos quoque percrebuerat [8]; *Insanis, Paule: multæ te litteræ ad insaniam convertunt*, ajebat illi Festus Præses Judææ.

℣. 7. AUT NUMQUID PECCATUM FECI?] Videntur pseudo-Apostoli conati fuisse, S. Paulum in contemptum adducere [9], quod modeste nimis atque humiliter apud Corinthios versatus fuisset, manuum suarum labore victum sibi comparans, & gratis prædicans; quæ res imo majorem illi existimationem, atque observantiam conciliare debuissent. Hic abjectus est homo, ajebant illi, qui turpi vilitate sua Apostolico muneri contemptum conflat, & qui suam infirmitatem intelligens, a populis, apud quos prædicat Evangelium, non audet ea, quæ sibi necessaria sunt expetere; quoniam minime missus est a præcipuis JESU CHRISTI Apostolis, quemadmodum nos missi sumus, neque eam habet, quam nos, auctoritatem: at S. Paulus respondet: numquid peccatum est, se se humiliare, atque se rebus necessariis nudare ad vos extollendos, locupletandos, omnemque vobis rerum affluentiam comparandam? per quem Evangelium, & Spiritus Sancti dona recepistis? nonne opera mea? per quam in virtute confirmati fuistis? nonne exemplo, humilitate, integritate mea.

℣. 8. ALIAS ECCLESIAS EXPLORAVI,] ab illis ea recipiens, quæ ad victum mihi erant necessaria, ne vobis gravis essem. Loquitur de Philippensi Ecclesia in Macedonia [10], quæ abunde omnia S. Pauli necessitatibus suppeditaverat. Hanc autem abundantiam innuere videtur, dicens, se illam *expoliasse*, vel forte hoc verbo gravi, atque infenso utitur, ut Corinthiis ostendat, penes illos injuriam esse [11].

ACCIPIENS STIPENDIUM AD MINISTERIUM VESTRUM [12].] Munus suum tamquam militiam considerat; & quemadmodum novum atque inauditum est, ut miles stipendium ab alio referat, quam ex eo, cui sese sacramento adstrinxit; non poterat magis Corinthiorum injuriam exaggerare, quam hac loqutione usus. Stipendium mihi persolvebant Macedones eo tempore, quo pro vobis militabam. Grotius hoc aliter intelligit: ab aliis victum recepi, *ut pauperes vestros alerem*. Ea vox, quæ isthic narratur, *ministerium vestrum*, in hac Epistola non semel pro ope pauperibus erogata usurpatur [13]; at nollem a Vulgata interpretatione, quæ videtur æquissima, vel latum quidem unguem recedere.

℣. 9. CUM EGEREM, NULLI ONEROSUS FUI.] Hic sensus admodum perspicuus est, neque aliter potest intelligi. Sed Græcus [14] alium sensum admittit. Credit S. Hieronymus ad Algas. qu. 10. vocem authographi ex Cilicum lingua depromptam esse, quæ patria erat S. Pauli lingua; atque significare: *nemini onerosus fui*. Ad litteram *pro nullo obstupui*; velut qui propter morbum, vel somnum obstupescens alteri, cui incumbit, est onerosus. Languor meus nulli gravis fuit. Vel, inertiæ me non tradidi, & nihil intentatum reliqui eorum,

1 2. Cor. 10. 10. 2 Hieronym. advers. Rufin. pag. 301. *Ille Hebræis litteris eruditus, & ad pedes doctus Gamalielis, quem non erubescit jam Apostolicæ dignitatis magistrum dicere, Græcam facundiam contemnebat, vel certe, quod erat humilitatis, dissimulabat*.

3 Hieronymus ad Pammach. Ep. 81. 4 August. lib. 4. de Doctrina Christ. cap. 7. n. 11.

5 Idem ibid. n. 15. *Videtur quasi concedendo obtrectatoribus sic locutus, non tamquam id verum agnosceret confitendo*. 6 Act. 22. 3. 7 2. Cor. 12. 2. 4. 8 Act. 26. 24.

9 Vide Theodoret. hic. Chrysostom. Oecumen. Theophyl. Est. Grot. alios.

10 Philipp. 4. 15. 11 Theophyl. 12 Λαβὼν ὀψώνιον πρὸς τὴν ὑμῶν διακονίαν.

13 Vide 2. Cor. 6. 2. 8. 4. 9. 1. 12. 13. 14 Οὐ κατενάρκησα οὐδενός.

eorum, quæ ad progressum vastum, & ministerii mei officium pertinant. Sensus, qui exprimitur in Vulgata, melior est.

SUPPLEVERUNT FRATRES, QUI VENERUNT A MACEDONIA.] Philippenses abunde S. Pauli egestatibus supplevarunt [1]. Ad eos ita loquitur in Epistola, quam post quintum, vel sextum ab hoc annum ad eos misit; *Scitis, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati, & accepti, nisi vos soli*. Apostolus quidem manuum suarum labore Corinthi victum sibi comparabat [2]; hoc non obstabat tamen, quo minus eam reciparet opem, quam Ecclesiæ nonnullæ ultro ad illum mittebant. Putat Grotius, ipsum in eleemosynas impendisse, quidquid aliunde recipiebat, satis victui suo esse putans, quæ manuum suarum labore compararat.

℣. 10. EST VERITAS CHRISTI IN ME.] Hoc est quoddam juramenti genus, quo pollicetur, se ubique, præsertim vero Corinthi, & in Achaja, eadem qua olim, integritate prædicaturum; *hæc gloriatio non infringetur in me in Regionibus Achajæ*. Græcus [3]; *hæc gloria non erit clausa*, vel signare *mihi in omni Achaja*. Hæc effundetur, & hac de se gloriari pergam; nemo mihi os poterit hac in re obstruere [4].

℣. 12. UT AMPUTEM OCCASIONEM.] Duplex huic loco sensus atribuitur; profitetur S. Paulus, se nihil ab illis recepturum, ad quos prædicat, ne possint pseudo-Apostoli integritatem suam ostentare. Nolo hac in re ab illis superari; si gratis prædicant, nolo hac in re iisdem cedere [5]. Aliter; numquam aliquid accipiam ab Ecclesiis, ubi prædico; ne exemplo meo ansam tribuere videar novis Doctoribus, qui in prædicationis ministerio illud unum quærunt, quod sibi afferat utilitatem. Posterior hic sensus alteri est præferendus [6]; liquet enim, pseudo-Apostolos victum suum recepisse, immo etiam illum coegisse ab iis, ad quos loquebantur [7].

℣. 13. PSEUDO-APOSTOLI SUNT OPERARII SUBDOLI,] sine missione vel a Jesu CHRISTO, vel a præcipuis Apostolis obtenta. *Operarii subdoli*, qui pro sana perversam doctrinam tradunt; Evangelium avertunt, ut legales cæremonias constituant; Domini vineam convellunt, qui eam colere deberent: laborant quidem, sed mala fide; exterioscecus veri Pastoris faciem affumentes, cum intrinsecus sint Lupi rapaces.

℣. 14. IPSE SATHANAS TRANSFIGURAT SE.] Si dæmon, Angelus tenebrarum, inimicus omnis justitiæ, & veritatis, nonnumquam speciem induit Angeli lucis, S. Angeli, ac Ministri voluntatum justitiæ, & veritatis Dei; mirum esse videbitur, quod homines corrupti, insipientes, abdomini nati, Apostolicorum virorum speciem induant, ita ut zelo, & charitate flagrare videantur? Docet vera religio, dæmones sæpe hominibus suggerere sensus, qui pietate refertissimi videntur, & quorum finis is est, ut qui levitar nimis verba sibi dari passi sunt, in scelus atque in interitum decidant. Ethnici quoque asserabant, Spiritus nequam Deorum formam nonnumquam assumere; modo tamquam mortuorum manes apparere; aliquando ad terrorem incutiendum terribiles formas induere; nunc scelus, nunc actiones, quæ virtutis speciem præferebant, sed quæ re ipsa ad excidium sternunt viam [8], suadere.

℣. 15. QUORUM FINIS.] Æternum peribunt propter hypocrisim, & flagitia sua [9]; vel eorum finis aperiet, qui tandem sint; quamprimum pseudo-Apostoli esse cognoscentur, & fallax de eorum virtute conceptus illico evanescet [10].

℣. 16. ITERUM DICO.] Patimini meam dementiam, ac permittite, ut me ipsum commendem. Vel, iterum laudas meas præferam, ne hoc mihi damnotis tribuatis: ad id enim cogor, ut meam causam parorem. Non vanitas, sed veritatis amor, atque salutis vestræ cupiditas in id me impellunt.

℣. 17. QUOD LOQUOR, NON LOQUOR SECUNDUM DEUM;] JESU CHRISTI enim Discipulus modestiam, atque humilitatem tantummodo præferre debet. Hic loquor secundum hominem, non secundum Deum; vos utique me damnaretis, si verba mea tantum attenderetis. Sed cogitate etiam, si vobis lubet, eam necessitatem, qua nia ipsum tueri cogor adversus eos, qui & me, & ministerium meum contumeliis proscindunt [11]. Ea verba *in substantia gloriæ* cum istis conjungo, *quod loquor, non loquor secundum Deum*. Græcus ita verti potest: *Quod hoc in loco dico de gloriæ meæ substantia, non secundum Deum hoc dico*. Vel; *cum de hac gloria dispute, non loquor secundum Deum*.

℣. 18. QUONIAM MULTI GLORIANTUR.] Quandoquidem pseudo-Apostoli extrinseca ostentant privilegia, quæ ex ipsa nativitate, legis observantia, & Scripturarum cognitione percipiunt, mihi quidem fas est iisdem de causis laudes meas celebrare [12].

℣. 19. LIBENTER ENIM SUFFERTIS INSIPIENTES &c.] Non deest Ironia. Confido futurum, ut me quidem ferre velitis, quandoquidem licet adeo sapientes estis, toleratis alios, qui me nihilo sapientiores sunt; & si dementis est, se ipsum laudibus efferre, quoniam pseudo-Apostolis pepercistis, hanc mihi quoque veniam dare poteritis.

℣. 20. SUSTINETIS ENIM.] Hæc omnia semper contra falsos Doctores dicuntur. Permittitis, ab aliis jugum legis vobis imponi; illos bona vestra diripere; subsidium, & victum ex vobis petentes ultra illud, quod par est, in vobis superbe, atque impotenter dominari; faciem vestram cædere, atque cum contumeliis, & contemptu vos ipsos excipere. Videmini ad hæc omnia ferenda esse parati: quandoquidem tanta levitate vosmet recentibus istis Apostolis mancipastis, Quare locus mihi est sperandi, futurum, ut saltem in me eam patiamini dementiam, qua me ipsum coram vobis commendo.

℣. 21. SECUNDUM IGNOBILITATEM DICO.] Mihi met ipsi nimiam facilitatem exprobro, & fateor, me injuria, tanta cum modestia, atque humilitate vobiscum egisse. Debebam ego ipse, non secus ac hi novi Apostoli, auctoritatem in vos usurpare, quam ipsi usurpatunt; atque superbe, & imperiose [13] vobis dominari. Aliter: *hoc dico, ut vos pudeat*: per summam indignitatem permittitis, ut hujusmodi opifices iniquitatis vobis dominentur; nos vero nimiam vobiscum castati sumus infirmitatem, cum humilitate, atque modestia apud vos agentes, quin & ipsi imperare, atque dominari cuperemus. Grotius ita Græcum [14] vertit: *si de ignominiis est sermo, nos majores pertulimus*. Hæc verba, *in hac parte*, in Græco typis edito non extant. Oecumenius hoc præcedentibus addit: *per contumelias in faciem vos cædi*, non quod re ipsa facies vestra cædatur; *sed quia ad ignominiam tanta vobis infertur contumelia*, quanta si vere facies vestra cæderetur [15].

℣. 22. HEBRÆI SUNT? ET EGO.] Legi etiam potest

---

1 Vide Theophyl. Oecum. Grot. Vorst. Schind. Camer. alii. 2 Philipp. 4. 15. 16.
3 Ο'υ φραγήσεται εἰς ἐμέ. Alii : Ο'υ σφραγίσεται. 4 Theodoret. Vide Grot. Heins. J. Capell.
5 Erasm. Vatab. Grot. alii plerique. Theodoret.
6 Est. Menoch. Gagn. Cajet. August. lib. 2. de Serm. Domini in monte, cap. 16.
7 Vide infra vers. 20. & 1. Cor. 9. 4. 6. 7. Philipp. 3. 19. Rom. 16. 17. 18.
8 Porphyr. lib. 2. de Abstin. Jamblich. de Myster. lib. 3. cap. 32. & lib. 4. cap. 17.
9 Philipp. 3. 19. *Quorum finis interitus*, 10 Grot. Men. 11 Est. Tirin. Zeger. Menoch. alii passim. 12 D. Thom. Theodoret. Est. Chrysost. Vide Philipp. 3. 3. 4. *Non in carne fiduciam habentes; quamquam ego habeam fiduciam in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, &c.*
13 Vide Men. Tirin. Ver. J. Capell. 14 Κατὰ ἀτιμίαν λέγω, ὡς ὅτι ἡμεῖς ἠσθενήσαμεν. Quidam addunt ἐν τούτῳ τῷ μέρει. *In hac parte*. Clarom. G. L. Germ. Lat. Ambrosiast. Hieronymiast. Vulg. 15 Oecumen.

A eest dempta interrogatione. Inutile est, discrimen fecutetis inter *Hebræos Israelitas, & Semen Abrahæ*: hæc omnia enim significent, atque nonnisi amplificationis ergo, & ut argumentum magis urgeat, afferuntur.

MINISTRI CHRISTI SUNT? PLUS EGO.] Pro Jesu CHRISTO ego unus plura feci, & plura passus sum, quam illi omnes simul. *In mortibus frequenter*; ego mortem mihi jam jam impendere sæpius vidi. Mors crebro pro gravissimis periculis usurpatur [1].

A JUDÆIS QUINQUIES QUADRAGENAS, UNA MINUS ACCEPI.] Judæis tunc temporis non erat amplius potestas vitæ, ac necis in sontes; Verumtamen Romani illis integrum permiserant, ut in cœtibus suis eos flagris cæderent, qui peculiares ipsorum leges infringerent [2]. Propterea noxios undequadraginta verberibus, non ultra, afficiebant; ne Legem Moysi prævaricarentur [3], B præcipientis, ne quadraginte plagarum numerum excedant.

ỳ. 25. TER VIRGIS CÆSUS SUM.] Hoc alia pœne est a flagellis, quæ ex corio fiebant, & quibus nudata percutiebentur terga, cum virgis homo cæderetur in terram stratus, vel super nudatos humeros, vel super pedes sursum elevatos, & paxillo cuidam alligatos. Vide nostram de suppliciis Hebræorum dissertationem. Tribunus, qui Romano præerat præsidio Jerosolymæ, posteriori hoc supplicio fortasse apud Romanos maxime familiari afficere volebat S. Paulum, cum illum extendi jussit funibus, ut virgis eumdem torqueret, Act. 16. 22.

SEMEL LAPIDATUS SUM.] Supplicium hoc passim in populi tumultu, & sine Judicum imperio exercebatur. C S. Paulus lapidatus fuit, & pro mortuo relictus Lystræ in Lycaonia [4] ab eodem populo, qui paulo ante eidem, tamquam Deo sacrificia offerre voluerat [5].

TER NAUFRAGIUM FECI.] Unum dumtaxat S. Pauli naufragium novimus prope Melitam Insulam [6]; atque illud ipsum satis diu post hanc scriptam Epistolam accidit. Ubinam, & quando tria hæc naufragia S. Paulus pertulerit, non satis liquet.

NOCTE, & DIE IN PROFUNDO MARIS FUI.] Triplex huic loco explicatio tribuitur. 1. re ipse fui in maris imo una die ac nocte, quin submersus fuerim; quippe Deus sub aquis miraculose me [7], ut olim Jonam in ventre ceti servavit. 2. die ac nocte in teterrimo carcere positus fui, qui propter horrorem maris profundum appellabatur [8]; ajunt autem, carcerem hunc Cyzici fuisse [9], ubi S. Paulum prædicasse contendunt. D 3. die, ac nocte in alto mari fui post naufragium toto tempore, vel innatans, vel alicui fracto navis ligno incumbens, contra fluctus, ventos, ipsamque mortem deprælians. Postremus hic sensus auctores habet, & sectatores S. Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium, Ambrosiastrum, S. Thomam, & plurimos recentiores; & profecto magis præ ceteris probabilis mihi videtur. Theophylactus ait, *profundum maris* a nonnullis explicari de prælato puteo, qui *Bythos*, vel *profundum* vocetur, ubi Apostolus post extremum periculum, quod Lystræ subiit, ubi lapidibus obrutus, & pro mortuo relictus fuit [10], delituerat. Maldonatus in notis MSS. apud Cornelium a Lapide. Tanti adeo procella agitatus fui, ut diem, noctemque unam me in maris profundo demersum arbitrarer. Græcus legit simpliciter: *nocte ac die in pro*E *fundo fui*. Sed hæc vox plerumque vel de profundo [11],

A vel de alto mari [12] explicatur. Syrus: nocte & die fui sine navi in mari, vel super mare.

ỳ. 26. PERICULIS IN MARI.] Hilarius Diaconus hoc explicat de periculo, quod S. Paulus subiit, cum milites in navi, quæ Julium Centurionem Romam ducebat, captivos omnes occidere decreverunt [13]. Sed altera hæc ad Corinthios Epistola scripta fuit aliquot annos ante hoc S. Pauli iter, Romam.

IN FALSIS FRATRIBUS.] Improbis Christianis, qui per odium, & invidiam, vel utilitatis spe se cum Apostolorum hostibus conjungebant, eisque secreto struebant insidias. Hujusmodi erant illi, de quibus verba fecit in Epistola ad Galatas 2. 4. qui illum sequebantur, ut ejus facta explorarent, & occasionem arriperent, existimationem ejus lædandi.

B ỳ. 27. JEJUNIIS.] Hæc non sunt involuntaria jejunia: de illis enim loquutus est ea nomine famis, ac sitis; sed hæc ille sibi pœnitentiæ, ac mortificationis spiritu ultro imponebat.

IN FRIGORE, & NUDITATE.] Frigori, & aeris injuriis expositus, quod mihi non suppeteret, unde satis commode cooperirer. *Nudus*, male vestitum significat.

ỳ. 28. PRÆTER ILLA, QUÆ EXTRINSECUS SUNT, INSTANTIA MEA.] Præter hæc mala, quæ quidem extrinseca tantum sunt, cura, quæ mihi omnium Ecclesiarum impendet, ingentem mihi negotiorum turbam conflavit. Græco textui alius potest sensus affingi [14], quo hactenus dixi ad me ipsum pertinent; sed longe plura ea sunt, quibus extrinsecus vaco; tot negotioC rum turba, & omnium Ecclesiarum sollicitudo, mihi majus afferunt onus, quam ea quæcumque hactenus dixi. Quidam [15] vertunt: præter mala, quæ mihi oboriuntur ab Ethnicis, qui sunt extra Ecclesiam. Vel: ut quin loquar de iis seditionibus, quas in me cient Ethnici; vel denique, ne cetera memorem, quæ prætereo [16]. Prior versio mihi magis arridet.

ỳ. 29. QUIS INFIRMATUR, & EGO NON INFIRMOR?] Vel miseratione, ac benevolentia ductus, vel timens, ne a tentatione vincatur [17]. Infirmitas hoc in loco afflictionem, dolorem, mentis angustias, conscientiæ scrupulos significat.

QUIS SCANDALIZATUR, & EGO NON UROR?] Si Frater meus labescit, & scandalum patitur; ego dolore conficior, & ardeo cupiditate, illum, qui cecidit, relevandi, scandali progressum inhibendi, & eum fulciendi, qui jam jam casurus videtur.

D ỳ. 30. QUÆ INFIRMITATIS MEÆ SUNT, GLORIABOR.] Non quidem de meis vitiis, aut imperfectionibus, sed de ærumnis, & malis, quæ sum perpessus. Malo equidem, quoniam gloriari cœpi, malo, inquam, ærumnas, & dolores meos vobis enarrare, quam efferre insignes laborum meorum fructus, vel felicem eventum, quem laboribus meis tribuere dignatus est Deus.

ỳ. 31. DEUS, & PATER DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.] Hoc affert jusjurandum, ut Corinthiorum fidem sibi conciliet in re maximi negotii [18]. Hoc autem juramento confirmat, & ea, quæ hactenus dixit, & ea, quæ de se ipso mox dicturus est. Vertendum non est: *Deus, & Pater Domini &c.* sed: Deus, qui est Pater Domini Nostri JESU CHRISTI [19].

ỳ. 32. DAMASCI PRÆPOSITUS GENTIS ARETÆ E REGIS.] Hæc historia in Actis 9. 23. refertur. *Aretas* erat Rex Arabiæ, & Socer Herodis Antipæ Tetrar-

1 Exod. 10. 7. 4. Reg. 4. 40. Psalm. 30. 13. Isai. 26. 19. Matth. 5. 18.
2 Vide Ligfoot. & Grot. hic, & Matth. 10. 17. *In Synagogis suis flagellabunt vos*.
3 Deut. 25. 3. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus; ita dumtaxat ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus*. Vide & Joseph. Antiqu. lib. 4 cap. 8. & alios ad Deut. 25. 3.
4 Act. 14. 18. 19.
5 Ibidem vers. 10. 11.
6 Act. 27.
7 Est. Erasm. Hervæus, Haymo. From. & hæc est, ait Haymo, traditio PP.
8 Quidam apud Baron. anno Christi 58. Vide & Hammond. hic.
9 Beza ex Theodoro Archiep. Gentis Angl. L. Quæst. q. 3. art. 8.
10 Act. 14. 18.
11 Vide Exod. 15. 5. Psalm. 67. 24. 68. 2. 19.
12 Vide Psalm. 106. 24.
13 Act. 27. 42.
14 Χωρὶς τῶν παρεκτὸς, ἡ ἐπισύστασίς μου ἡ καθ' ἡμέραν, ἡ μέριμνα πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν.
15 Vatabl.
16 Chrysostom. Theodoret. Theophylact.
17 1. Cor. 9. 22. *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem*. Vide Chrysost.
18 Augustin. Chrysost. alii.
19 Theodoret.

trarchæ: *Præpositus Gentis*. Græcè [1] dicitur *Ethnarca*, quod nomen est dignitatis apud Josephum, Strabonem, & Machabæorum libris commune, ad innuendum Provinciæ, vel Nationis alicujus Præsidem. Civitas Damasci vulgo Syriæ tribuitur, sed tunc temporis Aretæ Regi parebat, & nonnumquam apud Geo- A graphos Arabiæ tribuitur. S. Paulus ea in occasione Salvatoris ad Discipulos suos monitum exercuit: *cum persequentur vos in Civitate ista, fugite in aliam*, Matth. 10. 23. Ananiæ, qui S. Paulum baptizaverat, tunc credita fuerat Fidelium Damasci regendorum Provincia.

1 Ἐθνάρχης. *Ethnarcha*.

CAPUT XII.

S. Pauli visiones. Stimulus carnis, quo urgetur; ejus erga Corinthios benevolentia. Quid ipse illis præstiterit.

1. SI gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones, & re-
velationes Domini. 2 Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim
(sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit) raptum
hujusmodi usque ad tertium cœlum. 3 Et scio hujusmodi hominem (sive in
corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) 4 Quoniam raptus est in Pa-
radisum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. 5 Pro hujusmo-
di gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. 6 Nam,
& si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autem;
ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me.
7 Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ
angelus satanæ, qui me colaphizet. 8 Propter quod ter Dominum rogavi, ut
discederet a me. 9 Et dixi mihi. Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infir-
mitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in
me virtus Christi. 10 Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in con-
tumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: Cum
enim infirmor, tunc potens sum. 11 Factus sum insipiens, vos me coegistis.
Ego enim a vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab iis, qui sunt su-
pra modum Apostoli; tametsi nihil sum: 12 Signa tamen Apostolatus mei facta
sunt super vos, in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus. 13
Quid est enim, quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse
non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam. 14 Ecce, tertio hoc paratus sum
venire ad vos: & non ero gravis vobis. Non enim quæro, quæ vestra sunt:
sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. 15
Ego autem libentissime impendam: & superimpendar ipse pro animabus vestris:
licet plus vos diligens, minus diligar. 16 Sed esto: ego vos non gravavi: sed
cum essem astutus, dolo vos cepi. 17 Numquid per aliquem eorum, quos misi
ad vos, circumveni vos? 18 Rogavi Titum, & misi cum illo fratrem. Num-
quid Titus vos circumvenit? nonne eodem Spiritu ambulavimus? nonne iisdem ve-
stigiis? 19 Olim putatis, quod excusemus nos apud vos? Coram Deo in Chri-
sto loquimur: omnes autem charissimi propter ædificationem vestram. 20 Timeo
enim, ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos, & ego inveniar
a vobis, qualem non vultis: ne forte contentiones, æmulationes, animositates,
dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos:
21 Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex
iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & for-
nicatione, & impudicitia, quam gesserunt.

ỳ. 1. SI GLORIARI OPORTET.] S. Paulus in toto hoc sermone sæpius ostendit, se ægre laudes suas afferre, verum hoc facere invitum, & dumtaxat ob Corinthiorum utilitatem. A Græcus typis editus [1]; *non expedit profecto mihi gloriari; nam veniam ad visiones, & revelationes*. Alii: *oportet me gloriari, & hoc mihi nequaquam prodest*. Alii denique Vulgatam sequuntur, & hic textus meliorem

1 Καυχᾶσθαι δὴ οὐ συμφέρει μοι. Ἐλεύσομαι γὰρ εἰς ὀπτασίας, &c. Alii plures: Καυχᾶσθαι δεῖ, οὐ συμφέρει μοι. Alii: Εἰ καυχᾶσθαι δεῖ, οὐ συμφέρει μοι. Ita Vulg. & editiones Latinæ. Vide Mill. hic.

rem videtur sensum adstruere. Intelligo equidem non expedire mihi, ut glorier: sed ego cogor necessitate, me ipsum contra eos, qui mihi obtrectant, defendendi.

℣. 2. SCIO HOMINEM IN CHRISTO.] Christianum [1] hominem in JESU CHRISTO regeneratum, & Religionis ejusdem, cujus ego, & vos sumus. Modestiæ causa se ipsum non nominat.

ANTE ANNOS QUATUORDECIM.] Epistola, quam explicamus, missa fuit ad Corinthios anno Æræ Vulgaris quinto supra vigesimum, unde retrocedentes invenimus annum decimum quartum in eum incidere, quo Sanctus Paulus de Tharsis Ciliciæ Antiochiam venit, quo a S. Barnaba adductus fuit [2]. Paulo post Jerosolymam venit [3], ut illuc fidelium [4] Antiochenorum eleemosynas ferret, quo tempore præcepit per Prophetas Spiritus Sanctus, ut Paulus, & Barnabas secernerentur ad opus, in quod illos destinaverat. Igitur jejunia, & preces habitæ fuerunt, eisque manus impositæ [5], ut Episcopali dignitate insignirentur. Ergo vel eo in itinere, quo Jerosolymam, anno JESU CHRISTI 43. profectus est, vel immediate postquam ordinatus fuit anno 43 accidit raptus ille, de quo hic verba facit S. Paulus. Hactenus favorem hunc celaverat, & ea solum necessitas, quæ illum urgebat ut seipsum defenderet, eum impulit ad ejusdem manifestationem. Fuit igitur *raptus usque ad tertium Cælum, & in Paradisum*. Seu eadem res duplici hoc nomine intelligatur, quod est magis probabile, seu primum ad tertium usque Cœlum raptus fuerit, ac deinde in Paradisum [6], quæ est Beatorum sedes. Ad hæc Apostoli verba intelligenda supponendum est, Hebræos in Cœlo nequaquam varios orbes distinguere, juxta Græcorum Astronomorum doctrinam; illi enim tres tantummodo Cœlos norant [7]; Cœlum aereum, ubi sunt nubes, ubi aves volant, & pluviæ concrescunt. Alterum Cœlum, ubi sunt sydera. Tertium Cœlum, ubi sunt Angeli, & ipse Deus. Primum illud in Scripturis *Cælum* simpliciter appellatur, alterum *Firmamentum*; tertium vero *Cælum Cælorum*.

SIVE IN CORPORE, SIVE EXTRA CORPUS, NESCIO.] Non satis affirmare possum, utrum anima mea tunc omnino a corpore esset per realem absentiam, & quodammodo per mortem perfunctoriam, sejuncta: an utrum supra sensus, atque res sensibiles, & corporeas simpliciter in extasim rapta [8]: an denique in corpore simul & anima illuc fuerint assumptus. Hoc neque dicere audet, neque fas est, hac de re nobis judicium ferre. Illud certum est, neque corporeis oculis illum vidisse, neque corporeis auribus audivisse mysteria, de quibus deinceps loquitur: & quæ audire potuit in extasi, & supernaturali raptu quodam, qualis Prophetis accidit; certum & illud est, in illa extasi, quæcumque fuerit, rationis usum, corporis sui præsentiam, & judicii libertatem servasse, quin redigeretur ad statum meræ passionis ac privationis cognitionum, & libertatis, ad quem redactos fuisse Prophetas asserebant Manichæi, eo tempore, quo divinitus erant afflati [9].

℣. 3. RAPTUS EST IN PARADISUM.] Græci Patres [10], & quidam etiam etiam Latini [11], Paradisum a tertio Cœlo distinguunt; & Grotius animadvertit, Hebræos etiam Paradisum a Beatorum Cœlo distinguisse. Paradisus, inquiunt illi, locus erat quietis, ubi Justorum animæ resurrectionem præstolabantur; Cœlum vero locus erat sublimior, ubi Justi resuscitati gloria perfruebantur. Verum S. Augustinus [12], S. Thomas in hunc locum, & recentiorum plerique [13] credunt passim, tertium Cœlum, & Paradisum hoc in loco unum, & idem esse. S. Epiphanius [14] ratus est, hunc esse Paradisum Terrestrem: sed omnes Interpretes hoc de Paradiso intelligunt, videlicet de Justorum, Beatorumque habitatione. Paradisi nomen in novo Testamento tribus dumtaxat in locis invenio: Isthic, in Apocalypsi, ubi in allegorico sensu usurpatur [15], & apud S. Lucam 23. 43. ubi Dominus noster bono Latroni ait: *hodie mecum eris in Paradiso*; quod Beatorum sedem significat.

℣. 4. AUDIVI ARCANA VERBA, QUÆ NON LICET HOMINI LOQUI.] *Verbum* sæpius pro re usurpatur. Non eit rem, hanc in se ipsa absolute ineffabilem esse [16], verum ait, minime licere eamdem narrare. Non permittit mihi Deus, ut eam vobis narrem; hæc fortasse vobis inutilis esset, ac me objiceret plurimis vanitatis periculis coram hominibus. Deus illi sutrasse revelaverat, vel gloriam ipsi destinatam, vel alias res, quæ fidelium utilitati, atque saluti minime proderant; sed quæ S. Paulo solatium inter adversa, & pericula poterant afferre; vel Corinthi nondum satis profecerant, ut intelligere possent ea, quæ de revelationibus suis illis dixisset.

Credunt tamen Patres, atque complures Interpretes, quæ S. Paulus audiit, ante fuisse inenarrabilia, neque hominis linguam adeo fuisse disertam, ut satis dignam earum rerum posset adstruere ideam, & profecto, si verum est, quod Apostolus viderit essentiam Dei [17], & Deus illi aperuerit abditissima Christianæ Religionis mysteria, quod veritati maxime consentaneum videtur; nemo negare potest, quin res hujusmodi captum, & loquutionem excedant, non solum hominum, quales vulgo sunt; verum illorum etiam, qui majori intellectus acumine pollent. Ad eas enim intelligendas revelatio penitus supernaturalis requiritur.

℣. 5. PRO HUJUSMODI [18] GLORIABOR.] Possem quidem de tali viro loquens gloriari, ac præstantes illius virtutes celebrare. Ego vero nisi in *infirmitatibus*, ærumnis, & doloribus meis gloriabor: hoc enim infirmitatis nomine isthic intelligit [19]. Res hujusmodi minus aptæ sunt ad vanitatem mihi ciendam: potius enim humiles de me ipso sensus injicient, & aliquam fortasse apud vos mihi existimationem conciliabunt, ubi conferre velitis ea, quæ passus sum, cum iis, quæ fecerunt, vel passi fuerunt pseudo-Apostoli.

℣. 6. ET SI VOLUERO GLORIARI] Propter hujusmodi revelationes, & aliquid vobis de illis narrare, nemo onus me insimulare poterit, quasi nequicquam glorier, quandoquidem ea, quæ vera sunt, dicam. Neque magis impudentiæ, atque insaniæ hac in re accusare me poterunt, quoniam de hoc agitur, ut veritas confirmetur, probetur justitia; atque existimatio mea injustissime lacessita, & Religio vestra ab hujusmodi sycophantis concussa firmetur: *Parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me*. Me alium ab eo, qui sum, possent existimare, hominem Divinum, atque ultra mortalium conditionem majoribus privilegiis donatum.

---

1 Vatabl. Est. Menoch. Tirin. Grot. alii. 2 Act. 11. 25.
3 Act. 11. 30. 4 Act. 12. 25. 5 Act. 13. 1. 2. 3. 4.
6 Vide Augustin. de Genesi ad Litter. lib. 12. cap. 34. & Epist. olim 112. nunc 147. cap. 13. num. 31.
7 Vide nostram Dissertationem de Systemate Mundi veterum Hebræorum art. 5. Grot. Est. Drus. in hunc locum. 8 Augustin. lib. 12. cap. 27. de Genes. ad Litter. & Chrysostom. hic.
9 Vide Athanas. in Origen. orat. 4. Euseb. Hist. Eccles. lib. 5. cap. 17. Hieronym. in Epist. ad Ephes. lib. 5.
10 Vide Chrysostom. Oecumen. Theophylact. 11 Ambrosiaster hic, Gregor. Magn. lib. 19. Moral. cap. 5. Primas. hic, Haymo, Anselm. seu Hervæus hic. Vide Grot. Est. Drus. alios.
12 Augustin. de Genes. ad Litter. 12. cap. 34. 13 Est. Fromond. Hamm. Camer. alii plerique.
14 Epiphan. Epist. ad Joan. Jerosolymitan. inter opera Hieronym.
15 Apoc. 2. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in medio Paradisi*.
16 Clem. Strom. lib. 5. Ita Theophylact. Oecumen. Augustin. D. Thom. alii passim.
17 Augustin. lib. 12. de Genesi ad Lit. & Ep. 147. & D. Thom. hic. Beda, Hervæ.
18 Τῶν τε τούτῳ καυχήσομαι. 19 Vide sup. cap. 11. 30. Est. Menoch. Vatabl. Grot. Sclater. &c. *Afflictio, humiliatio* אֳנִי *infirmitas*. Ἀσθένειᾳ, θλίψει, διώγμοῖς, Theophylact.

natum : Si Lycaones illum Deum esse existimarunt propter ea miracula, quæ apud illos operatus est [1], & si Melitenses eumdem veluti Numen aliquod suspexerunt, ubi serpentis morsum eidem nihil officisse agnoverunt [2]: quid umquam dixissent, si ipsa illis detexisset mysteria, & revelationes, quas ad tertium usque Cœlum raptus didicerat [3]? Grotius ita Græcum textum vertit : *nolo alios de me sensus haberi præter eos, qui concipi possunt, ubi ea, quæ facio, & quæ doceo, videntur.* Mihi satis est loqui de iis, quæ facio; præterita omnia silentio involvo.

V. 7. NE MAGNITUDO REVELATIONUM EXTOLLAT ME.] S. enim Paulus homo erat, & quamvis in gratia confirmatus esset, superbia tamen efferri, atque intumescere poterat ob supernaturalia dona, quibus a Deo fuerat cumulatus. Ad hos sensus nimis humanos, qui in ipso oboriri potuissent, coercendos [4] permisit Deus, ut sentiret stimulum in carne sua, qui est Angelus Sathanæ, qui eum colaphizet. Græcus [5]: *Scolops* spinam significat, mucronem, aculeum; proprie minutissimas spinarum cuspides, vel eas assulas, quæ carnem ingrediuntur, & quæ ibi gravissimos dolores gignunt. Quidam hoc de flagello intelligunt, alii de paxillo, aut vallo in acumen acuto, de *Sude* [6]: sed hæ rectæ possumus priori, quam tradidimus, explicationi. *Angelus Sathanæ*, Nuntius, minister Dæmonis. In Scriptura nobis exhibetur Dæmon Princeps tenebrarum, tamquam imperium suum in alios Dæmones subditos, Angelos suos exercens : *qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus* [7]. Angelus Sathanæ est igitur Dæmon a Lucifero, vel Beelzebub missus : hic *colaphizat* Apostolum, summo contemptu, atque gravissima indignitate eumdem exagitat.

Quæritur hoc in loco; 1. utrum *stimulus*, quem Apostolus in carne sua sentiebat, & *Angelus Sathanæ* unum sint, & idem; 2. quid proprie sit uterque; quandoquidem constat, hoc in loco Apostoli verba esse figurata. Plerique veterum [8] ac recentiorum [9] credunt, duplici hoc verbo S. Paulum non aliud innuere voluisse, nisi corporis ægritudinem, quam illi Dæmon injecerat; verum quænam hæc esset, non satis constat; utrum ille laboraret ex capite [10], an ex auribus, an ex visceribus [11], an ex chiragra [12], an generatim nento aliquo morbo, an simplici langoure, an jugi infirmitate. Dæmon tormenti hujus auctor erat, & minister, quemadmodum Scriptura illi tribuit pleraque mala, quæ nostris accidunt corporibus; v. g. morbum Job, mortem primogenitorum Ægypti, cædem exercitus Sennacherib, & alia sexcenta, de quibus in veteri, ac novo Testamento sermo est; quæ fere omnia exhibentur, tamquam supplicia, quæ Deus quidem præscribit, Dæmon vero exercet.

Credunt alii [13], Apostolum his verbis innuere voluisse adversarios, quos permittebat Deus, ut in ipsum insurgerent, & ejus consiliis, atque Evangelii progressui adversarentur. Hujusmodi fuerunt pseudo-Apostoli, quos hoc in loco oppugnat, Judæi increduli, Alexander Faber ferrarius, Hymeneus, & Philetes, de quibus loquitur in epistula prima ad Timotheum [14], & Demetrius aurifex, qui Ephesi in illum seditionem excivit, Act. 19. 24.

Plures denique [15] potiori jure tenent, stimulum carnis, & angelum Sathanæ hoc in loco unum, & idem significare, videlicet concupiscentiæ motus, quos S. Paulus in carne sua, licet invitus, experiebatur. Hoc ipsum ille innuit in prima ad Corinthios Epistula 9. 27. cum ait : *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo;* & alibi ad Rom. 7. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Hic stimulus carnis aptissimus est ad hominis superbiam infringendam; nihil enim fœdius esse potest homini, secundum spiritum vivere cupienti, quam impuris concupiscentiæ facibus agitari, a quibus cogitur jugiter invigilare, & continenter certare. Eum vero jure suo *Angelum Sathanæ* appellat, sive enim hos concupiscentiæ motus consideret, tamquam Dæmonis effectus, vel eos esse putet, tamquam instrumentum, quo Dæmon utitur ad imperium suum in hominibus vel instituendum, vel latius protendendum. Hoc autem ex Dei permissione accidit [16], quemadmodum Apostolus inquit hoc in loco, & deinceps, ut ea humilitas, quam ciebat in ipso motus ille, quem licet invitus in carne sentiebat, virtutem illius servaret, & superbiam procul averteret, quæ efficere potuisset, ut omnium meritorum suorum jacturam pateretur [17]. *Paulo datus est ad premendam superbiam, ut in curru Triumphali, Triumphanti datur monitor suggerens : hominem te esse memento.*

Verum huic sententiæ duo opponuntur; primum quidem, turpes hos motus indignos esse sanctitate Sancti Pauli, eosque neque provectiorem illius ætatem, neque corpus ejusdem vigiliis, itineribus, jugibusque laboribus confectum decere. Alterum; Apostolum numquam ex semet Corinthiis hanc infirmitatem fuisse detecturum, præsertim vero cum ageretur, ut contra pseudo-Apostolos existimationem suam confirmaret, & sublimem sui ipsius ideam adstrueret Discipulis suis, apud quos nomini ejus officere conati fuerant adversarii: alioquin ille contra utilitatem, atque primam mentem suam operatus fuisset.

Respondemus primo [18], nihil certi afferri de S. Pauli ætate. Si supponas, ipsum annos octo, & sexaginta vixisse, quod testatur ille sermo, qui in sexto operum S. Chrysostomi volumine invenitur [19], & illum ex humanis decessisse anno JESU CHRISTI 66. quemadmodum accuratiores putant Chronologi, dicendus esset sexto supra quinquagesimum anno fuisse natum, cum alteram hanc ad Corinthios scripsit Epistolam; quæ ætas procul dubio non est extra jactum earum tentationum, de quibus loquitur S. Paulus. 2. mortificationes quidem, & adversa concupiscentiæ effectus imminuunt, sed non extinguunt. 3. Sanctitas ipsa eadem immunia non est, eaque magis, quam alii, torquentur Sancti, cui tamen illi egregie resistunt; imo hoc illorum haud in postremis meritum habendum est. 4. Sanctus Paulus minime sibi apud Corinthios inane meritum jactitare vult, sed confitetur sibi quoque infirmitates inesse, atque turpes concupiscentiæ motus in semet experiri; nemo enim sanæ mentis est, & cui aliquis pietatis, & Religionis sensus inest, qui non maximam fovæat existimationem pro eo viro, qui, quemadmodum Sanctus Paulus, ad tertium usque cœlum fuerat avectus, qui tot, tantisque favoribus a Deo fuerat cumulatus, & qui post hæc humiliter fateretur, se a Deo humiliari, ut se hominem esse cognoscat ex iis tentationibus, quibus lacessitur, & contra quas Divina favente gratia se ipsum tuetur. Hoc humilitas toto

1 Act. 14. 2 Act. 28. 3 Ita Chrysostom. & alii Græci Est.
4 Μή τις εἰς ἐμὲ λογίσηται ὑπὲρ ὃ βλέπει με, ἢ ἀκούει τι ἐξ ἐμοῦ.
5 Theophyl. Est. 6 Ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκί, ἄγγελος σατᾶν ἵνα με κολαφίζῃ.
7 Tertull. lib. de Fuga in persecut. cap. 2. 8 Matth. 25. 41. Vide & 2. Reg. 24. 1. & 1. Paral. 21. 1. 9 Basil. Regul. Fus. cap. ult. Augustin. in Psalm. 130. Quid. apud Chrysostom. & Theoph. Hieronym. in Galat. 4. 13. Beda, Sedul. Herveæ. hic, Div. Thom.
10 Erasm. Grot. alii. 11 Quid. apud Chrysostom. hic. Κεφαλαλγίας. Hieronym. loco citato.
12 Quid. apud D. Thom. hic. 13 Nicetas in orationem 30. Nazianzeni.
14 Chrysostom. hic. Theodoret. Theophylact. Oecumen. Ambrosiast. Primas.
15 1. Timoth. 1. 20. Vide & 2. Timoth. 4. 14. 16 August. Conc. 2. in Psalm. 58. & lib. 3. a. 7. contra 2. Epist. Pelag. Hieronym. ad Eustoch. de custodia Virginit. Salvian. serm. de Circumcis. Haymo. Beda, Lyr. Herveæ. D. Thom. Bellarm. Est. Cornel. Hugo Card. Men. Tirin. Cornel. alii passim.
17 Vide Augustin. de Nat. & Grat. cap. 27. Beda, & Est. hic. 18 Hieronym. Epist. 25. ad Paulam. 19 Chrys. tom. 6. hom. 30. p. 227.

soro cœlo majori in pretio habenda est, atque majorem gloriam affert, quam actiones qualibet sublimiores, & magis insignia Dei beneficia.

Crediderunt quidam [1], Apostolum eo in loco, quem explicamus, innuere velle, ipsum male habitum fuisse, percussum, colaphis cæsum, exagitatum, tentatum, afflictum ab angelo Sathanæ, qui sensus magis ad litteram videtur accedere. Scimus, a Dæmone Job variis rationibus fuisse percussum; narrat S. Athanasius varia prœlia, quæ ille humani generis hostis S. Antonio inflixit. Stimuli, quibus Apostolum pupugit, fuerunt fortasse pœnæ corpori inflictæ, afflictiones, ærumnæ, tentationes cujuslibet generis. Denique [2] non desunt, qui per hoc nomen intelligant conscientiæ stimulos, quibus Sanctus Paulus torquebatur, cum anima repeteret ea, quæ fecerat, antequam converteretur. Nos tamen eam sententiam amplectimur, quæ hoc explicat de fœdis concupiscentiæ motibus, quippe quæ ea videtur hodie apud Interpretes probatissima.

℣. 8. TER DOMINUM ROGAVI, UT DISCEDERET A ME.] Ter illum rogavi, inquiunt Patres, atque Interpretes [3]. Numerus ternarius hoc in loco pro pluribus vicibus usurpatur; positus pro indefinito. Credunt [4] alii, illum ter enixius, quam aliis vicibus preces suas effudisse; sed cum illi respondisset Deus, gratiam eidem sufficere; atque virtutem inter ærumnas augeri; ipsum in silentio perstitisse, atque humiliter providentiæ mandatis sese subjecisse.

℣. 9. SUFFICIT TIBI GRATIA MEA; NAM VIRTUS IN INFIRMITATE PERFICITUR.] Hoc est in adversis, atque tribulationibus; pro infirmitate intelligendo pœnam, tentationem, afflictionem, quemadmodum non semel vidimus in hac Epistola. *Virtutis nomen* apud Latinos æquivocum est; modo enim significat virtutem moralem, habitus, vel actiones virtutum, puta humilitatis, castitatis, patientiæ; & nonnumquam vim corporis, atque spiritus. Isthic intelligendum est de vi, quemadmodum ex Græco textu liquet [5]; verum non inde liquet, utrum hoc in loco agatur de potentia, vi Dei, vel JESU CHRISTI, vel etiam S. Pauli. Dixit Dominus mihi: sufficit gratia mea; acquiescere debes, & polliceor numquam tibi gratiam meam defuturam; magis perfectus fies, majoresque vires acquires ea ope, quam tibi conferam, ubi adversis agitaberis. Vel potius: sufficit tibi gratia mea ad stimulum carnis superandum, & Angelum Sathanæ vincendum; nam mea vis, & virtus gratiæ meæ magis inter afflictiones effulget. In hujusmodi pœnis, tentationibus, persecutionibus, concupiscentiæ motibus magis enitescit potestas mea, tibi victoriam impertiens [6]. Cum hujusmodi occasiones adsunt, vis gratiæ meæ, meæque omnipotentiæ magis emicant.

Qui Græcum textum non consuluerunt locum hunc de virtute morali sæpius explicuerunt [7], quæ quidem in adversitate, atque in tentationibus perficitur: & hoc in sensu textus locum tribuit gravissimis sententiis, quæ neque ipsos Ethnicos fugerunt, confitentes nos numquam esse meliores, quam cum infirmiores sumus [8], vel ægri; & adversa crebro virtuti occasionem præbuisse, ut niteret, & cognosceretur. *Calamitas virtutis occasio est*, ait Seneca, *& virtus agitata crescit*.

LIBENTER IGITUR GLORIABOR.] Non loquar igitur de extasibus, revelationibus, & supernaturalibus cognitionibus meis; hoc enim aliquam mihi ingerere posset vanitatem: sed gloriabor in infirmitatibus, & ærumnis meis, quia ibi humilitatis dumtaxat occasionem invenio, & si quid recte cesserit, omnis gloria, atque victoria, ad Deum est referenda. Fateor quidem: multa pro JESU CHRISTO passus sum, & si minime superatus fui ab iis persecutionibus, quæ in me excitatæ fuerunt, gratiæ agendæ sunt Deo, & omnis gloria illius potestati tribuenda; ipse unus me sustinuit, atque protexit, & virtus illius in me resedit: *ut inhabitet in me virtus Christi*. Sæpius hoc expertus sum, sæpe illa enituit in me, & spero futurum, ut ad finem usque eniteat.

℣. 10. PLACEO MIHI IN INFIRMITATIBUS MEIS.] Vel potius in adversis, & afflictionibus, quibus agitor; quorsum autem? quia *cum infirmor, tunc potens sum*. Quo magis pro JESU CHRISTO patior, eo magis Omnipotentis gratiæ me sustinentis, illustrantis, confirmantis effectus experior: eo magis in me gloria Domini effulget.

℣. 11. FACTUS SUM INSIPIENS: VOS ME COEGISTIS.] Per imprudentiam me ipsum commendo; sed hoc ægre ferre non debetis; vos enim mihi hujus ruboris causam attulistis, recipientes pseudo-Apostolos, atque adeo facile aures præbentes sermonibus nequam, qui contra me habiti sunt [9]. Quoniam inimici mei vobis os subleverunt, fidemque vestram sibi conciliarunt, inanibus laudibus sese celebrantes; credidi opus esse, ut veras laudes meas proferrem, ne diutius vos in errore, & salus vestra in periculo versaretur [10].

NIHIL MINUS FUI AB IIS, QUI SUNT SUPRA MODUM APOSTOLI.] Hoc intelligitur de veris Apostolis, de Petro, Jacobo, & Joanne, qui Dominum viderant, & qui tamquam Ecclesiæ columnæ habebantur. Adversarii quippe dixerant, Sanctum Paulum illis omnino esse inferiorem, quippe qui JESUM CHRISTUM non viderat, neque ab eodem immediate missus fuerat. At S. Paulus, quin verba faciat de absoluta, vel respectiva superioritate, qui sermo infensus fuisset, & scandalum gignere potuisset, dicit solum, *se nihil minus fuisse ab iis* quoad laborem Apostolatus, gratias, quas JESUS CHRISTUS Apostolis concesserat, & benedictionem, quam super ipsius prædicationem effuderat.

Quidam [11] hoc ironice dictum putant, licet nihilo inferior sim magnis illis Apostolis, Apostolis, qui primas tenent, *supra modum Apostolis*, qui ad vos venerunt, ut glorientur in laboribus suis, merito, scientia, atque se præstare dicerent iis omnibus, qui Evangelicæ vacant prædicationi: ego tamen me illis præponere non ausim: quamvis reor, illis inferiorem non esse.

℣. 12. SIGNA APOSTOLATUS MEI FACTA SUNT SUPER VOS IN OMNI PATIENTIA.] *Omnis patientia* significat patientiam maximam, admirabilem [12]; *omnimodam patientiam*. Apostolatus mei ratio apud vos dubitationi ulli obnoxia esse non potest: vidistis prodigia, quæ divinitus coram vobis operatus fuerim, & fructus, quos cum Domini benedictione mea peperit prædicatio; patientiam, quam inter adversa mihi contulit Deus, & victoriam, quam per illam de inimicis meis reportavi. Vide ℣. 10.

℣. 13. QUID ENIM MINUS HABUISTIS?] Numquid minores gratias, præcepta, dona supernaturalia vos recepistis, quam receperint aliæ Ecclesiæ, vel ab aliis Apostolis, vel a nobis institutæ? Si quid interest inter vos, & illas discriminis, hoc illud est, quod vobiscum suavius, quam cum aliis, actum est. Hanc mihi legem irrogavi, ut pro victu meo nihil a vobis reciperem; aliæ Ecclesiæ hunc mihi suppeditarunt, & ego ipse manuum mearum labore supplevi. Si hanc vobis injuriam illatam doletis; fateor quidem me, illam vobis intulisse; sed veniam deposco. *Non enim* ℣. 14. *quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii Parentibus thesaurizare, sed Parentes filiis*. Meum est donare vobis, at vestrum non est me locupletare. Non ait

---

1 Vide Calvin. Bez. Hamm. Camerar. Le Clerc. 2 Sclater. Quid. in Strigell.
3 Chrysost. alii Græci. Tirin. Est. Camer. Bez. alii. 4 D. Thom. hic.
5 Ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου· ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται.
6 Vide Chrysostom. Theodoret. Oecumen. Theophylact. alios passim. 7 Vide Augustin. lib. 2. contra duas Epistol. Pelagg. cap. 7. Div. Thom. alii ex Latinis. Bernard. sæpe.
8 Plin. lib. 7. Ep. 26. *Optimi sumus, dum infirmi sumus*. 9 Theodoret.
10 Theophyl. 11 Est. Erasm. Sclater. 12 Vide 2. Cor. 6. 5. 2. Timoth. 4. 2.

ait Apostolus, filios Parentibus suis, & discipulos suis institutoribus nihil debere: sed quod vulgo eorum moris, neque Parenti, neque Praeceptori aliquid conferre studeot, donec hi nullius rei indigent, nihil cupiunt, & nihil recipere volunt, quo in casu Corinthi erga S. Paulum inveniebantur.

℣. 14. TERTIO HOC PARATUS SUM VENIRE AD VOS.] S. Paulus Corinthum venit primum quidem anno 52. JESU CHRISTI, ibique [1] menses 18. permansit; secundo rediit eodem anno 55. sed brevi inde Ephesum discessit [2], quam ob rem de altero hoc itinere non meminit S. Lucas in Actis; denique tertio illuc rediturus erat, quemadmodum re vera eo rediit sub finem anni 57. quo haec Epistola conscripta fuit. S. Paulus etiam perspicue verba facit de hoc altero itinere, quo Corinthum venit, & quod in Actis non memoratur, capite sequenti ℣. 2. [3].

℣. 15. EGO ENIM LIBENTISSIME IMPENDAM [4].] Adeo abest, me quidquam a vobis expetere, ut libentissime me ipsum, bona, vitam, sanguinemque meum pro vobis effunderem, licet vos par pari, quomodo vellem, minime referatis: *licet plus vos diligens, minus diligar*. Me autem a vobis non satis amari ostendistis, cum pseudo-Apostolos aliquo cum honore excepistis.

℣. 16. SED ESTO: EGO VOS NON ONERAVI [5].] Praevertit, quod sibi objici posse videbat, quod videlicet pro Judaeis pauperibus eleemosynas ipse petierat. Frustra hanc jactitas integritatem; scimus, te meo astu nihil per te ipsum poposcisse: verum satis per alios petiisti. Misisti Titum, & cum illo alium etiam discipulum, ut sub alio colore eleemosynam erogaremus [6]. Verum facile iis respondet. Vestras ipsas conscientias testes appello. Numquid Timotheus, aut Titus, aut alius Frater ille, quem ad vos Corinthum misi, aliquid suo, vel meo nomine ex vobis petierunt? ℣. 17. *Numquid per aliquem eorum, quos misi, circumveni vos?* Graecum verbum [7], quod isthic, & sequenti versiculo vertitur, *Circumveni*, hoc in loco significat subdole alicui argentum elicere, sordidum lucrum exercere, vectigal imponere. Si quid vel per me, vel per alios a vobis pro pauperibus petii, numquid inde aliqua mihi cessit utilitas?

℣. 18. NONNE EODEM SPIRITU AMBULAVIMUS?] Titus, & ego? numquid eamdem in ipso, quam in me, integritatem invenistis? ille apud vos permansit, quin vobis gravis esset?

℣. 19. OLIM PUTATIS [8], QUOD EXCUSEMUS NOS.] Ne putetis prolixum hunc sermonem esse, tamquam Apologiam quamdam longo concinnatam studio, ut me ab omni avaritiae suspicione purgarem, vel ut diluerem ea criminationum capita, quibus pseudo-Apostoli nomen meum proscindere conati sunt. Haud ita quidem; Deus mihi testis est: *coram Deo in Christo*, Christiano loquor, & summa cum sinceritate [9]. Numquam nisi ad vestram aedificationem loquutus sum: *omnia propter aedificationem vestram*. Quidquid dici, vel ut vos humiliarem, vel ut corriperem, vel ut laudarem; hoc feci ad vestram sanctificationem, atque ut vos ad Deum adducerem.

℣. 20. TIMEO ENIM, CUM VENERO.] Timeo, ne adhuc in vobis plurima inveniam, quae corrigenda sint, & exprobranda; ego vero *inveniar a vobis, qualem non vultis*. Vereor, ne cogar uti auctoritate mea, ut puniam, & corripiam: ut separem, atque abscindam [10], quod fiet procul dubio, si forte invenero *contentiones, aemulationes, animositates* &c.

℣. 21. NE ITERUM HUMILIET ME DEUS APUD VOS.] Ne dolore, & afflictione conficiat, atque ad extremam redigat humiliationem, me coactum videns, ut eos certius puniam, & persequar, qui jampridem expiati, & deleti esse debuissent [11]. Hic verus est veri Pastoris, ac veri Parentis character, qui gemit, qui lacrymas effundit, dolet, moeret, cum scelera persequi, ac praesertim excommunicationem jaculari tenetur. Hujusmodi cum adsit occasio, non Pastor tantum, verum omnes etiam fideles moerere debent, tamquam propter fratris interitum [12].

QUI NON EGERUNT POENITENTIAM SUPER IMMUNDITIA, ET FORNICATIONE, ET IMPUDICITIA [13].] Ex hoc loco conjicere est, in Ecclesia Corinthi magnos, vel tunc, vel pridem abusus fuisse, quos Apostolus adhuc esse metuebat, vel quos non satis digna poenitentia expiatos, ac recenti alia genere reparatos credebat. Dici minime potest, ipsum verba facere de incesto: superius enim vidimus [14], Apostolum voti compotem fuisse, cum illius poenitentiam, atque Corinthiorum factum audivisset. Corinthus Civitas erat in paucis libidini addictissima: & hujusmodi flagitia plerumque nonnisi summa cum difficultate corriguntur, ubi eorum habitus diu in animis inoleverit.

1 Act. 18. 1. & seq. 2 Vide 1. Cor. 16. 7. Et Tillemont. in S. Paul. art. 29. & Not. 41.
3 Cap. 13. 2. *Praedico ut praesens & nunc absens*. Graec. Προλέγω ὡς παρὼν τὸ δεύτερον, καὶ ἀπὼν νῦν &c.
4 Ambrosiast. & S. Germ. & Clarom. Lat. *Libentissime impendam & superimpendam, & ipse impendar*.
5 Graec. Οὐ κατεβάρησα ὑμᾶς. Quidam: Οὐ κατενάρκησα ὑμᾶς. Chrysostom. in Laud. 2. Boiner. Mss. Bibl. Bodl.
6 Vide Chrysostom. 7 Ἐπλεονέκτησα. Vide 2. Corinth. 7. 2. 1. Thessal. 4. 6.
8 Πάλαι δοκεῖτε. Vulg. legit, πάλιν. Et ita Alexand. Borner. Clarom. & S. Germ. olim, ut Vulg.
9 Theodoret. Est. Menoch. Tirin. Le Clerc. 10 Confer. 1. Cor. 4. 21. 2. Cor. 10. 6. Oecumen. Τιμωρήσω τοὺς ἀνίατα νοσοῦντας. 11 Chrysostom. in novo Testamento, *humiliare*, ταπεινοῦν; & *humiliatio*, & ταπείνωσις passim ponuntur pro *affligere*. Vide 2. Cor. 8. 6. 11. 7. Luc. 1. 48. Act. 8. 33.
12 Vide 1. Cor. 5. 2. 13 Graec. Τῇ ἀκαθαρσίᾳ, καὶ πορνείᾳ, καὶ ἀσελγείᾳ.
14 2. Cor. 7. 10. 11. 12. & seq.

C A P U T XIII.

Minitatur S. Paulus, severissime se percussurum eos, qui peccatorum suorum poenitentiam non egerint. Illos ad pacem hortatur, eisque salutem dicit.

1. ECce tertio hoc venio ad vos: In ore duorum, vel trium testium stabit
omne verbum. 2 Praedixi, & praedico, ut praesens, & nunc absens,
iis, qui ante peccaverunt, & caeteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. 3 An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Chri-
stus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? 4 Nam etsi cruci-

fixus est ex infirmitate : sed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in illo : sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis. 5 Vosmetipsos tentate, si estis in fide : ipsi vos probate. At non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est ? nisi forte reprobi estis. 6 Spero autem, quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi. 7 Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos, quod bonum est, faciatis : nos autem ut reprobi simus. 8 Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. 9 Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc & oramus vestram consummationem. 10 Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem. 11 De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum. 12 Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. 13 Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

℣. 1. ECCE TERTIO HOC VENIO AD VOS.] Vide ℣. 14. cap. superioris. S. Paulus dixerat jam, se bis Corinthum venisse, quemadmodum vidimus. Nunc alludit ad duo illa itinera, & ad tertium, quod illac suscepturus erat, dicens : *in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum*, quod ex Moysis Lege Deut. 17. 6. desumptum est, prohibente, ne unius testis authoritati judicium innitatur ; sed exigente, ut duo saltem, vel tres ad aliquid affirmandum testes adsint. Priora duo itinera mea jam sunt tamquam duo testes, qui contra illos ex vobis, qui ab officio suo recesserunt, testati sunt. Tertium hoc iter erit veluti testis tertius [1] ; tunc proferam judicium, & severissime in eos animadvertam, qui pœnitentiam non egerint. Innuere etiam videtur duplicem, vel triplicem monitionem, quæ in Canonicis, & Ecclesiasticis judiciis adhibentur, antequam censuræ, & præsertim excommunicatio proferatur. Salvator in Evangelio Matth. 18. 15. jubet, peccatorem antea secreto admoneri ; deinde coram duobus, vel tribus testibus ; atque tandem in cœtu Ecclesiastico : qui si non resipuerit, tunc tamquam Ethnicus & Publicanus habendus est.

Credunt nonnulli [2], Apostolum isthic innuere velle, se juridice processurum contra eos, qui deliquerint ; & nonnisi post duorum, vel trium testium auctoritatem illos esse damnaturum. Sed prior sensus, quem attulimus, melior videtur.

℣. 2. PRÆDIXI ET PRÆDICO, UT PRÆSENS, ET NUNC ABSENS.] Græcus habet [3] : *hoc jam vobis dixi, & iterum vobis dico, quemadmodum dixi vobis, cum secundo veni ad vos* (vel *quemadmodum vobis dico antequam redeam quamprimum ad vos*) *& nunc absens ad vos scribo* futurum, ut nemini parcam. Vel : *jam dixi vobis, & iterum nunc secundo vobis dico, tamquam si adessem* [4], *& nunc cum absim, ad vos scribo &c.* Hæ tres vertendi rationes probari possunt, atque Græco textui innituntur. Apostolus tria isthic innuere vult : Primum, se illis in altero itinere minitatum fuisse futurum, ut severissime animadverteret in eos, qui sontes invenirentur : Alterum, se licet absentem minas easdem iterare ; Tertium, se hoc illis scribere, ne ignorantiam prætexerent.

NON PARCAM.] Quidam hoc explicant de censuris, vel de excommunicatione [5] ; alii vero de corporalibus pœnis [6] : verum tunc temporis alterum illud pœnæ genus ab altero minime sejungebatur ; Deus enim sensibili ratione ut plurimum plectebat eos, qui sceleribus suis Ecclesiæ scandalum injecerant, atque coegerant Pastores, ut spirituali gladio uterentur.

℣. 3. AN EXPERIMENTUM QUÆRITIS ?] Adhuc ne de mea potestate ambigitis, atque me periculum facere vultis, morbis percutientem, vel dæmoni tradentem eos, qui meriti fuerint ? Corinthii de Apostoli auctoritate ambigere non poterant, sed his verbis potestatem suam illis revocat in mentem. Hæc monitandi species est.

QUI IN VOBIS NON INFIRMATUR, SED POTENS EST IN VOBIS.] Vidistis jam inter vos, quanta sit JESU CHRISTI potestas. Nos usi sumus ea facultate, quam nobis tradidit, & vos meminisse debetis. Loquitur forsasse de pœna, quam incesto Corinthi inflixerat. 1. Cor. 5. 2.

℣. 4. NAM ET SI CRUCIFIXUS EST EX INFIRMITATE.] JESUS CHRISTUS, qui nos misit, & qui nobis suam consulit potestatem, ejusdam detrimentum per mortem suam passus non est. Post resurrectionem suam eamdem exercet Omnipotentiam, quam, dum viveret, exercuit. Nunc quoque punit, quemadmodum tunc puniit impios, & hodie per nos id facit, quod tunc per se ipsum faciebat. Nam si *& nos infirmi sumus in illo* propter afflictiones, mala, persecutiones, mortem, quam pro illo subimus : *vivemus*, vel etiam *vivimus* [7] *cum eo ex virtute Dei in vobis* : nomine illius eam exercemus potestatem [8], propter quam habemur tamquam homines resuscitati, ac vitam prorsus cœlestem, atque supernaturalem viventes.

℣. 5. VOSMETIPSOS TENTATE, SI ESTIS IN FIDE,] si fidem habetis. Vosmet colligite, vestram fidem excitate, atque animum advertite ad ea, quæ ipse olim feci. *An non cognoscitis vosmetipsos, quia CHRISTUS JESUS in vobis est*, atque per ministerium nostrum utitur potestate percutiendi, atque sanandi [9] ; vitam, vel mortem conferendi, quam a Patre obtinuit ? *nisi forte reprobi estis*, & jam amisistis omnem timoris sensum, atque potestatis suæ memoriam, & fidem in verbis, & comminationibus ejus. Hoc si verum est, jam non recenseo vos amplius inter Christi fideles, non enumero vos in albo electorum, sed in gregem alienorum, infidelium, & reproborum rejicio [10] : *nisi forte reprobi estis*. Vertunt quidam [11] hæc novissima verba ; *nisi ulla vobis adsit probatio*, & obliti sitis eorum documentorum, quæ olim de Apostolatu, ac potestate mea tradidi vobis. Vide ℣. 3. sed ℣. 6. *Spero, quod*

---

1 Ambros. Græci. Est. Grot. 2 Menoch. Tirin.

3 Προείρηκα, καὶ προλέγω ὡς παρὼν τὸ δεύτερον, καὶ ἀπὼν νῦν γράφω. Vox secundo, τὸ δεύτερον, desideratur in Vulgata, quam tamen legerunt Græcus, & Veteres. S. Thomas, aliique legunt : *Ut præsens bis*. Vide Estium. Alii : *Præsens vobis*. Ita edit. Sixt. V. 4 Est. Menoch. Bez.

5 Est. Menoch. Camer. 6 Theodoret. alii. 7 *Vivimus*. Ita Syr. & Codd. Lat. multi & Sixti V. Velez. ζῶμεν. 8 Est. Menoc. Tirin. Vide & Theodoret. versib. sequ.

9 Confer Exod. 17. 7. *Est ne Dominus in nobis, an non ?* Vide Hamm. hic. Est. Menoc.

10 Grot. Men. Hamm. 11 Vatab. Coarrbull. Vide Theodoret. ad versus sequentes.

quod cognoscetis quia nos non sumus reprobi ; & ℣. 7. Cupio, vos ita vitam ducere, ut necessitate nequaquam compellamur, vobis potestatem nostram ostendendi ; *nos autem ut reprobi simus*.

℣. 6. SPERO QUOD COGNOSCETIS, QUIA NON SUMUS REPROBI,] & Dei gratia juvante perseveravimus in timore, fide, & amore Domini ; & exercemus adhuc illius ministerium & collata nobis utimur potestate. Vobis Apostulatus, atque ministerii mei documenta suppeditabo, hoc supposito, quod perseveretis in fide [1].

℣. 7. NON UT PROBATI APPAREAMUS.] Non cupio in vobis invenire peccata, propter quæ tenear uti adversum vos mea potestate, atque ancipitem gladium adhibere. Vellem quidem hac in re nullam habere auctoritatem, vel saltem eadem nunquam uti : sed vota nuncupo, ut eam vitam instituatis, quæ & Dei, & Ministrorum ejus approbatione sit digna ; ut nunquam probaturi sitis eam potestatem, quam Deus nobis tradidit, ut impios puniremus : *nos autem, ut reprobi simus* [2]. *Reprobus* in his tribus, vel quatuor versiculis nequaquam intelligendus est de reprobatione ad æternam salutem, & de Gloriæ privatione.

℣. 8. NON ENIM POSSUMUS ALIQUID ADVERSUS VERITATEM.] *Non possumus* isthic pro non debemus positum est. Avertat Deus, quod nostram potestatem exerceamus ad *veritatem*, justitiam, rectum vivendi genus, innocentiam, puniendam. Nobis collata fuit hæc potestas propter *veritatem* dumtaxat, ut illam probaremus, illi opitularemur, eam confirmaremus : qua qui aliter uteretur, eadem abuteretur contra mentem illius, a quo illam obtinuit, atque se reum prævaricationis staueret in oculis ejus [3].

℣. 9. GAUDEMUS AUTEM, QUONIAM INFIRMI SUMUS.] Græcus legit [4] : *lætamur cum infirmi sumus, & vos estis fortes* ; hoc est cum S. Chrysostomo, lætamur, cum videmur infirmi in oculis impiorum, & inimicorum nostrorum ; & nondum illis nostram potestatem ostendimus eosdem puniendo : sed lætitia perfundimur, cum ita vivitis, ut nullam nobis præbeatis occasionem vos corripiendi, & ultricem nostram in vos potestatem exercendi.

HOC ET ORAMUS VESTRAM CONSUMMATIONEM.] Græcus ita verti posset [5] : *Deum rogamus, ut perfecte valeatis*. Sequitur adhuc incœptam allegoriam de homine sano, & ægro. Gaudemus, quod videmur infirmi, & quod vos fortes estis, & bene valeatis, & a Deo enixe petimus, ut perfectam valetudinem vestram tueatur. Vel, ut vobis perfectam, atque validam salutem vobis restituat : ut per pœnitentiam reparetis ea scelera, quæ patrastis ; neque cogamur adversum vos nostra uti severitate.

℣. 10. IDEO HÆC ABSENS SCRIBO.] Absens adhuc vos cohortor, ut pœnitentiam agatis, atque in vobis metipsis scelera vestra emendetis, ne cum venero ad vos, *præsens durius agam secundum potestatem ; quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem*. Et supra capite 10. ℣. 8. testatur similiter, potestatem suam esse *in ædificationem, & non in destructionem*.

Non ut violentam, atque injustam in bonos dominationem exerceam, sed ut confirmem, ædificem, consoler, justos, atque fideles ; eosdem ab illis secernens, qui per nequitiam suam illis scandalum afferunt, vel per dissidia sua in eor turbas injiciunt : ita ut Ecclesia ædificetur, & augeatur, & non deleatur, & minuatur per exercitationem potestatis, quam nobis credidit Deus. Si disciplinæ severitas poscit nonnunquam, ut tabidum, corruptumque membrum abscindatur, Ecclesia majus lucrum refert, quam detrimentum [6]. Si hoc membrum convaluerit, & ad officium redierit, de eo dici potest, quod S. Joannes ait, de malis Christianis verba faciens [7] : *ex nobis prodierunt ; sed non erant ex nobis ; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*.

℣. 11. DE COETERO FRATRES, GAUDETE.] Verti etiam posset : *cæterum Fratres mei valete* [8]. Græci enim Epistolas suas hoc verbo concludebant *gaudete*, quemadmodum apud Latinos finis Epistolarum erat *Vale*. Græci Patres hoc explicant, quasi S. Paulus solatium vellet afferre Corinthiis, ad quos superioribus capitibus severius fuerat loquutus.

PERFECTI ESTOTE,] vel vos perfectæ sanitati reddat Deus [9] ; in bono confirmamini ; per sinceram pœnitentiam, & jugem virtutis exercitationem pristinæ innocentiæ decorem acquirite.

EXHORTAMINI.] Vel [10] *invicem consolamini*, mutuo in adversis solatium vobis afferte ; vel denique consolamini, neque vos mœrore confici sinatis.

℣. 12. SALUTATE INVICEM.] Vide, quid dictum sit de hac consuetudine *Rom. 16. ℣. 16. Omnes Sancti*, omnes Christi fideles ejus Ecclesiæ, in qua sumus, fideles videlicet Ecclesiæ Macedoniæ vobis salutem dicunt.

℣. 13. GRATIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.] Hic suo lumine, & eo cælesti dono vos cumulet, quo illustrati bonum cognoscimus, diligimus, & exercemus. *Charitas Dei*, amor ille, quo ante omnia sæcula vos in JESU CHRISTO dilexit, & per quem vos adoptavit, & in numero filiorum suorum recepit. *Communicatio Sancti Spiritus*, per quam super nos sua dona suasque gratias effundit, *sit cum omnibus vobis. Amen*.

Exemplaria græca hic legunt : *secunda ad Corinthios Epistola missa fuit Philippis urbe Macedoniæ per Titum, & Lucam*. Alia : *per Titum, Barnabam, & Lucam*. Alia vero S. Lucam omittunt, & quamplura nullam afferunt inscriptionem [11]. Vide Præfationem. Certum tamen videtur, hanc in Macedonia, & fortasse Philippis fuisse conscriptam.

1 Chrysost. hic. Theodoret. Vide & Grot. Est. Men. alios.
2 Chrysost. hic. Vide & Theodoret. & alios.
3 Chrysost. hic. Ἀλλὰ οὐ ἀναχωρήσομεν πάλιν, ἢ συμπράξει ὁ Θεός, εἰς τοῦτο γὰρ ἡμῖν ἔδωκε τὴν δύναμιν, ὥστε ἀληθῆ φέρειν τὴν ψῆφον, καὶ δικαίαν, καὶ οὐχ ὑπεναντίαν τῇ ἀληθείᾳ. Ita & Theodoret. Est. Grot. Men. Tir. alii.
4 Χαίρομεν γὰρ ὅταν ἡμεῖς ἀσθενῶμεν, ὑμεῖς δὲ δυνατοὶ ἦτε. Alii : Χαίρομεν ὅτι, &c. Ita Barber. Velez. Vulg.
5 Τοῦτο καὶ εὐχόμεθα, τὴν ὑμῶν κατάρτισιν. 6 Theodoret.
7 1. Joan. 2. 19. *Ex nobis prodierunt ; sed non erant ex nobis ; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. 8 Erasm. Pagn. Grot. Bez. alii.
9 Καταρτίζεσθε. *Redintegramini, instauramini, roboramini*. 10 Παρακαλεῖσθε.
11 Alex. Colb. 7. 8. Germ. Clarom. Boerner. G. L.

Finis Commentariorum in Secundam S. Pauli ad Corinthios Epistolam.

PRÆFATIO.
IN EPISTOLAM S. PAULI
AD GALATAS.

EX Galliis originem Galatæ trahunt. Gallorum manus in Græciam, deinde, Brenno duce, in Asiam Minorem effusa, Cappadociam inter & Phrygiam, in Provincia, quam suo nomine Galatiam appellarunt, sedes sibi tandem statuere [1]. Ad eus non semel de Evangelio dixit Apostolus [2], florentissima Ecclesia ibidem constituta. At primum Galatiam venit, quamvis tum vel corporis ægritudine forte laborans [3], vel exantlatis persecutionibus elisus, tristi admodum, macilentaque facie, veluti Dei Angelus, aut ipsemet Christus exceptus est [4]. Facile omnium primus ibi Fidem Ethnicis nunciavit [5]: quamquam ante illum S. Petrus Judæos edocuisse videtur, uti ex ipsius Epistola *ad Judæos dispersionis, Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ*, colligimus [6]; quibus tamen Fidem, nonnisi Ecclesia Antiochiæ jam constituta, antequam primo Romam conferretur, a Petro nunciatam non ambigimus [7].

Hos fortasse Judæos a S. Petro edoctos, incentores expertus est Apostolus seditionis contra se, inter Fideles ex Gentibus excitatæ, cujus occasione hanc ad eos epistolam dedit. Qui sane novi Doctores non aliunde valuisse videntur, quam quod cæremonias legales enixe tuentes, & Paulum quam maxime Petro posthabendum dictitantes, ejusdem Petri authoritate abuterentur, ut eidem Paulo, quem Apostolatu minime decoratum præferebant, detraherent: quo præterea Circumcisioni, & Moysis Legi ita necessario obtemperandum docerent, ut Petrus ipse, & Apostolorum cæteri eisdem obsequerentur. Paulum denique [8] a cæteris secerni, ab eoque doctrina a Deo prorsus aliena Ecclesiam erudiri spargebant in vulgus. Galatarum plurimi, utpote simplices & rudes, his sermonibus capti, partim circumcisi sunt, partim Circumcisionem decreverant. Plurimi vero ei novitati adversantes, Paulum Ephesi tunc forte commorantem admonuere. Quare Galatis sibi invicem discrepantibus, hi ab illis omnino discesserant, de qua Ecclesiæ disjunctione sub Epistolæ finem Paulus conqueritur [9].

Quibus irruentibus malis ut viam Apostolus intercluderet, ad Galatas, recens ab Idololatria ad Fidem traductos, Epistolam tanti ponderis, quanti res tanta exposcebat, exaratam misit, qua Apostolatui suo, ab ipsomet Christo sibi commisso, validissime stabiliendo incumbit; admirandam sui conversionem exhibet; suamque missionem a cæterorum Apostolorum potestate immunem ostendit: præterea S. Petrum non modo suæ prædicationi non esse adversatum, neque in sua doctrina quidquam a recto absonum reperisse; verum etiam eamdem laudibus extulisse, in Jerosolymitano Concilio una cum Apostolis approbasse, eademque ipsum Petrum promiscue cum Ethnicis discumbentem usum esse. Quam quidem cum Ethnicis consuetudinem caute & clanculum, ne Judæis admirationem crearet, a Petro adhibitam ultro fatetur. Cum vero die quadam Antiochiæ in quamdam dissimulationem incidisset, se eidem nimiam infirmitatem exprobrasse testatur. Quæ omnia percurrit, ut ora tandem obstrueret Petri Discipulis, præpostero quodam zelo in se obtrectantibus, qui Principis Apostolorum nomine, & dignitate, ut Paulo detraherent, abutebantur.

Ad quæstionem deinde tractandam accedens, an nempe Circumcisio, & Legalia saluti necessario conducerent, pluribus ex Scriptura argumentis ostendit, & Circumcisionem & Legem Moysis inanes esse; benedictiones Abrahamo promissas ad eos, qui in Christi Fide perstitissent, pertinere. Servatorem, ejusque Discipulos veros Abrahami filios, & benedictionum hæredes appellari; Judæos carnales in Agar, & Ismaele, Christifideles vero in Sara, & Isaaco exprimi; in libertatem Filiorum Dei per Fidem nos esse assertos; Hebræos semper servos extitisse, iisque, ut a peccatis continerentur, Legem constitutam; eosque singulos, qui sub Lege vivebant, maledicto fuisse obnoxios, a quo Christus per suæ Crucis supplicium nos vindicavit. Meminit demum, non per legem, sed per Fidem eos Spiritu Sancto donatos: quo quidem argumento, apud illos validissimo, nullam Legis ad justificationem necessitatem demonstrat.

Postquam Apostolus ita suam apologiam texuit, pluribus ad mores recte instituendos congestis, & ne Evangelii libertate ad concupiscentiæ desideria abutantur, iisdem instructis. A spiritu & a carne, a concupiscentia, & a ratione per gratiam lumine perfusa opera nostra egredi docet; & quæ a spiritu, quæve a carne dimanant, fusius enumerat. Monitos deinde, ut mutua benevolentia sibi respondeant, utque delinquentibus misericordiam indulgeant, ad sumptus pro magistris & Doctoribus munifice conferendos, hortatur. Neque Circumcisionem denique neque Incircumcisionem, sed in Christo novum hominem, novamque creaturam, saluti & sanctitati acquirendæ conducere ostendit.

Inter-

1 Vide Liv. lib. 38. Justin. lib. 25. Usser. ad an. M. 3728. & 4430. Period. Julian.
2 Primo An. Chr. 51. Act. 16. 2. deinde An. 54. Act. 17. 23.
3 Ad Galat. 4. 13. 14.
4 Vide Hieronym. & Theodoret. in eum loc.
5 Theod. hic. Prolog.
6 1. Petr. 1. 1.
7 Vide Euseb. l. 3. c. 1. & Tillemont. t. 1. art. 28. de S. Petro, & not. 26.
8 Galat. 5. 7. 10.
9 Galat. 5. & 6.

Interdum ita Galatas alloquitur, ut quondam Judæi fuiſſe videantur [1]: *Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?* Alibi etiam [2]: *State, & nolite iterum juga ſervitutis contineri.* Cætera vero ejuſdem Epiſtolæ ab Idololatria ad Fidem traductos ſatis perhibent. Paulus enim eodem [3], quo ſupra, capite, *Tunc*, ait, *ignorantes Deum, iis, qui natura non ſunt Dii, ſerviebatis.* Alibi vero [4], ſi Circumciſioni ſubderentur, toti Legi iis fore obtemperandum denunciat. Quæ quidem verba neque ione, neque alias unquam Circumciſioni obnoxios fuiſſe oſtendit.

Pſeudo-Apoſtolos, in quos Paulus hic validiſſime inſurgit, non Judæos, ſed exteros, quorum Princeps Cerinthus, in Judæa degentes, fuiſſe Grotius autumavit [5]: additque, ab iis, non ut Religioni inſervirent, Legem ſervandam tunc doceri; ſed ut ab Judæis honores ſibi extorquerent; atque iis, quibus Chriſtifideles, utpote novam ſectam Judæis & Ethnicis æque adverſam conſtituentes, oppugnari incipiebant, perſecutionibus eriperentur. Quam quidem ſententiam, cui Commentatores cæteri adverſantur, ipſo Apoſtoli Textu ſatis improbatam arbitramur.

Maximum de tempore, quo ſcripta, & de loco, unde Epiſtola miſſa fuerit, diſcrimen. Magnus Gregorius Moral. in Job. l. 30. c. 8. Lodovicus Capellus Hiſt. Apoſtol. Uſſerius ad an. 58. Pearſonius Annal. Paul. p. 15. aliique plures, Epheſi exaratam ferunt [6]. Quorum omnium ſententiæ, quam veroſimiliorem ducimus, Latinæ inſcriptiones, Eſtio teſte, reſpondent. Ea capite primo v. 6. paulo poſt, tribus nempe, ſeu quatuor, poſtquam Galatæ Fidei ſe addixerant, annis exarata præfertur. Ait enim Apoſtolus: *Miror, quod ſic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium.* Itaque poſt annos ſupra decem Apoſtolus eam dediſſet, ſi ab eo Romæ in carcere adhuc detento datam velimus. Chryſoſtomus ad Romanos Epiſtolam hac poſteriorem putat [7]; quare Romæ minime exaratam cenſet, cum Paulus aliquot tantum annis, poſtquam ad Romanos ſcripſerat, eo perrexerit.

Græcorum exemplarium ſubſcriptiones Romæ datam perhibent. S. Hieronymus in Gal. 6. 11. a Paulo in vinculis ſcriptam refert. Theodoretus in Paul Proleg. pag. 5. datam primam omnium, quos Apoſtolus Romæ ſcripſerit, tuetur. Inde factum eſt, ut Paulum inter vincula eam dediſſe crederetur, quod dixerit Galat. 6. 17. *Nemo mihi moleſtus ſit; ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.* Sed ille Chriſti Crucem in ſemetipſo nonne ſemper exhibuit [8]? nonne verbera, vexationes, vulnera pluries pertulit, & pericula ſæpiſſime exhauſit? Præclariores Interpretes ſubſcriptiones hujus Epiſtolæ Græcas, authenticas non eſſe conveniunt, quæ neque in S. Germani, Claramontano, & aliis Vetuſtiſſimis Mſſ. reperiuntur. Eam denique anno a Chriſti adventu 55. Epheſo ad Galatas miſſam & nos arbitramur, quod validioribus argumentis hæc opinio innitatur.

1 Galat. 4. 8. &c. 2 Galat. 5. 1. 3 Gal. 4. 8. 4 Gal. 5. 2. 5 Grot. Prolog. in Epiſt. ad Galat. Ita & Hamm. 6 Tillemont. in S. Paul. [illegible] 29. Mill. not. in ſubſcript. hujus Epiſt. alii. 7 Chryſoſt. in Rom. Prolog. 8 1. Cor. 4. 10.

DISSERTATIO

An Cephas, quem Paulus Antiochiæ redarguit, alius fuerit a S. Petro, Galat. 2. 11.

Vetuſtiſſimam difficultatem perpendendam aſſumimus, quæ ad priorum ætatem ſpectatiſſimos Authores, qui utramque ſententiam tuentur, in contraria diſtraxit. Hæc ſane quæſtio Petri, & Pauli, totiuſque Catholicæ Eccleſiæ per magni intereſt; hinc enim noſtræ Fidei hoſtes Petrum prævaricatorem, Paulum vero zelotypum, & audacem fuiſſe, noſtram vero Religionem ambiguam, atque incertam collegerunt. Quæſtionem facti primum hic ſtatuere oportet, videlicet, an is, quem Paulus Antiochiæ redarguit, Petrus fuerit necne. Quæſtionem deinde juris, & cæteras ejus conſecutiones perpendemus.

In Epiſtola, quam Paulus ad Galatas dedit, hæc legenda occurrunt [1]: *Poſt annos quatuordecim*, ex quo Jeruſalem ſe contulerat, tribus poſt annis a ſui converſione [2], ſeu tantummodo in itinere, quod *quatuordecim poſt annis* a ſui converſione inſtituit [3], *iterum aſcendi Jeroſolymam. Aſcendi autem*, inquit Apoſtolus, *ſecundum revelationem, & contuli cum Apoſtolis Evangelium, quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe, ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem. Qui cum vidiſſent, quod creditum* A *eſt mihi Evangelium præputii, ſicut Petro Circumciſionis, (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum Circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes), & cum cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, ut nos in Gentes, ipſi autem in Circumciſione .... Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat .... Dixi Cephæ coram omnibus &c.*

Mentio, qua brevibus his verborum finibus bis nomen *Petri*, verſu nempe 7. & 8. ter nomen *Cephæ*, verſu 9. 11. & 14. invehitur, Interpretibus ambiguitatem creavit. Quidam enim utrumque nomen Petro commune fuiſſe ſibi ſuadentes, Paulum Petro exprobraſſe tuen- B tur. Quidam vero ſubſcribentes oppoſito, Cepham, cui Paulus exprobravit, alium omnino a Petro aſſeverarunt. Hæc autem ſententia paucos nacta eſt fautores; illi vero omnes prope non modo veteres, ſed & recentiores Patres, & Interpretes adhæſerunt.

Sunt, ait S. Hieronymus in Galat. 2. 11. qui Cepham, cui in faciem Paulus reſtitiſſe ſe ſcribit, non pu-

1 Galat. 2. 10. 14. 2 Galat. 1. 18. Act. 9. 25. &c.
3 D. Thom. Cajet. Perer. in Epiſt. ad Rom. Baron. Ann. Chriſt. 58. Harduin. Diſſert. in hunc locum Eſtius, &c.

tent Apostolum Petrum, ne locus detur Porphyrio blasphemanti, si aut Petrus errasse, aut Paulus procaciter Apostolorum Principem confutasse credatur. Porphyrius revera Apostolorum Principes de iis, quæ docebant, inter se non convenisse hinc deducens, Petrum erroris, ambitionis Paulum, utrumque mendacii, & totam Ecclesiam nimiæ credulitatis insimulat. *Volens & illi (Petri) maculam erroris inurere, & huic* [1] *(Paulo) procacitatis, & in commune ficti dogmatis accusare mendacium, dum inter se Ecclesiarum Principes discrepant.* Hic Catholicorum infensissimus hostis S. Paulo, veluti homini procaci, & S. Petri dignitatem ægre ferenti, detrahit; & eam quæstionem veluti puerorum quamdam disceptationem habendam anunciat [2]: minime intelligens, quanti Religionis tunc id interesset, quod tam Judæi, quam Ethnici, qui recens Fidei nomen dederant, Legalia inania esse, nihilque saluti conducentia, omnino suaderentur.

Hinc Origenes, & veteres Interpretes Græci, teste Hieronymo [3], ut Porphyrii calumnias everterent, Paulum, de Petri consilio ipsi Petro exprobrasse asserunt; cum enim eadem uterque sentirent, eadem gererent, & de omnibus, & singulis convenirent, Petrus tamen Paulo jussit, ut sibi coram omnibus exprobraret, quod Judæi intelligerent, de Legalium inanitate, & de fidelium tam Judæorum, quam Gentilium libertate, qua ad eadem minime tenerentur, id quamplurimum persuasum esse oportere; cum libenti animo, veluti suo exemplo Legalium necessitatem comprobaret, redargui ab Apostolo pateretur.

S. Hieronymus Græcis Patribus non modo subscribit Comm. in Ep. ad Galat. sed addit præterea, totam discrepationis faciem pia simulatione, sanctaque politia de utriusque Apostoli consilio institutam fuisse; ut iis, quibus pertinaciter nimium inhærebant, cæremoniis Judæos removerent. Quam Hieronymi explanationem perlectam, S. Augustinus Epist. 28. 40. & 71. nov. Edit. improbavit; cumque datis literis monuit, per illam aditum Ethnicis patefieri, ut de Scripturarum simulatione, & Sacrorum Authorum mendacio suspicentur, quo quidem Catholica Religio omnimode everteretur. Si enim Paulus ficte Petrum redarguit, Petrus profecto dignus non erat, cur objurgaretur; si vero dignus objurgatione non fuerat, mendax Paulus, quod illum merito increpandum asseruit. Augustinus utique & Hieronymus Petrum eumdem esse ac Cepham, cujus mentio in Epistola ad Galatas, persuasum habebant; quare convenientes in facto, de quæstione juris tantummodo disceptabant.

Ad os Porphyrio, ait Augustinus, cæterisque obstruendum id, quod Paulus gesserat, commendandum ostendere, quam infirmis, quæ nova adversarii in nostram perniciem arma exhiberent, excusationibus defendere, satius fuisset Epist. 82. num. 22. nov. Edit. *Magis fuerat adversus Porphyrium defendenda, quam ne ei daretur obtrectandi major occasio.* Re enim satis expensa, uterque potius laudibus est decorandus, quam sit excusationibus protegendus: etenim Paulus Charitati inserviens, Apostolo dignam libertatem prætulit; Petrus vero objurgationem non rejiciens, maximum humilitatis specimen exhibuit: *Est itaque laus justæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro.*

Authores Latini, qui de hac quæstione post Augustinum egere, eidem sententiæ subscribunt. Ipse etiA am S. Hieronymus cum aliquandiu post adversus Pelagianos scriberet, Petrum tunc errasse, Paulum vero jure merito ei exprobrasse fatetur [4], & addit, nemini succensendum, si a peccatis omnibus non habeatur immunis, cum & Apostolorum Princeps erroribus se obnoxium duxerit: *Quis indignabitur id sibi denegari, quod Princeps Apostolorum non habuit?*

S. Augustinus de hac eadem sententia S. Cyprianum in sua ad Quintum Epistola secum convenire testatur [5]. Cui etiam favent Tertullianus l. 5. contra Marcion. c. 3. & Hilarius Diaconus in Galat. 2. Post ea tempora Gregorius Magnus [6], D. Thomas [7], & clarissimi nominis recentiores Interpretes eidem subscribunt; quare cum Veterum, quibus Hieronymus adhæsit, opinionem nemo in præsentia tueatur, disceptationem B hanc prorsus absolutam censendam ducimus. De facti vero quæstione, an nempe Petrus a Cepha secerni debebat, quod est præcipuum Dissertationis argumentum, diversimode dijudicandum. Vir doctissimus [8] sententiam hanc jam prope extinctam nuper excitavit, Petrum prorsus alium a Cepha esse contendens. Præstantissimus alter [9] hac de re opero instituto, oppositum tuetur. Nos utriusque argumenta hic exhibemus.

S. Clemens Alexandrinus [10] in quinto suarum Hypotyposeon libro, omnium primum, ut putamus, Cepham a Paulo Antiochiæ redargutum; alium prorsus a Petro esse defendit. Eusebius vero ejus, quam refert, sententiæ minime refellit. Sæculo quarto Dorotheus Tyrius Cepham, cui Paulus exprobrarat, inter septuaginta Discipulos recenset [11]. Chrysostomus tom. C 5. hom. 64. p. 719. Hieronymus ad Galat. 2. & Gregorius Magnus in Ezechiel. hom. 18. sua quilibet ætate quosdam Cepham a Petro adhuc secernentes extitisse testantur; quam quidam sententiam eorum nemo comprobant, sed tum, dum viverent, neque incognitam, neque fautoribus prorsus destitutam ostendunt.

Chronicorum Alexandrinorum Author sæculo septimo ad A. J. C. 32. duos & septuaginta Discipulos enumerans, *Cepham, quem propter Judaismum Paulus increpavit*, tertium recenset. Quo quidem contentionem ab utroque Apostolo Antiochiæ habitam satis innuit. Oecumenius, qui decimo, & undecimo sæculo floruit, sententiam, quæ Petrum a Cepha secernit, probabilem vocat. Author denique Commentarii in Pauli Epistolas, S. Anselmi nomine, ad duodecimum circiter, seu decimumtertium sæculum pertinens, quorundam meminit, qui an Cephas Antiochiæ a Paulo D increpatus idem cum Petro fuerit, adhuc ambigebant. Hæ præcipuæ, quibus hæc sententia fulcitur, authoritates. Ad alia argumenta pergamus.

Paulus, ait P. Harduinus [12], anno a CHRISTI adventu 35. Fidei se dedit; & anno 38. Æræ, tribus post annis a sui conversione, primum Jerosolymam profectus est. Undecim post annis a primo hoc itinere, & quatuordecim a sui conversione [13], ut ea quæ illucusque in Evangelii prædicatione gesserat [14], cum Jerosolymitanæ Ecclesiæ Principibus conferret, iterum eo reversus, ab Jacobo, Cepha, & Joanne, Discipulis a tribus Apostolis ejusdem nominis longe aliis, dexteras accepit [15]; a quibus etiam gentium Apostolus exceptus, Barnaba, & Joanne sociis sibi assumptis, Antiochiam remigravit.

E Petro tunc temporis Jerosolymis commorante, Cephas, cujus modo ante mentio, aliquandiu post, nempe post

1 Porphyr. apud Hieronym. Prologom. in Epist. ad Galat.
2 Chrysostom. tom. 5. hom. 64. p. 708. e.
3 S. Hieronymus pro hac sententia citat Origenem, Didymum, Apollinarem, Eusebium Edessenum, Theodorum Heracleæ, Chrysostomum, Theodoretum, aliosque Græcos. Cassian. collat. 7. Græcis Patribus subscribit.
Vide Hieronym. Epist. ad Augustin. p. 75. nov. Edit. Oper. S. August.
4 Hieronym. Dialog. contr. Pelag. lib. 1. cap. 8. Vide & August. Epist. 260. ad Oceanum.
5 Cyprian. Epist. 71. ad Quint.
6 Gregor. Magn. lib. 2. Moral. cap. 12. & lib. 18. in Ezech.
7 D. Thom. in Galat. 2. & in Summa t. 1. qu. 103. art. 4. ad 2. & 2. 2. qu. 33. art. 4. ad 2.
8 Harduin. Dissert. in hunc loc. Epist. ad Galat. 2. 10.
9 Boileau Canonicus S. Capellæ, Disquisit. Theolog. in Galat. 2. 20. Paris. 1713.
10 Clem. Alexand. apud Euseb. l. 1. cap. 12.
11 In Chronico Paschali Edit. Cang.
12 Harduin. Dissert. in Galat. 2. 10. Edit. Amstelodam. ann. 1765 pag. 920.
13 Anno Christ. 49.
14 Galat. 2. 1. &c.
15 Galat. 2. 9.

pe post Pascha, Antiochiam profectus, Paulo & Barnabæ adnisit, cum quibus una & cum Gentibus Fidei Catholicæ adjectis, quibus Legi minime subjiciendos fore spoponderant, convivebat. Interea Judæi quidem Fidem amplexi, qui Ethnicos ad Catholicam Religionem traductos Circumcisioni, cæterisque Legalibus obstringi volebant, Antiochiam, quo Discipulus Jacobus ab Apostolo alter, eos dimiserat, pervenere. Quare Cephas se iis ingratum futurum veritus, a Paulo, cæterisque, quibuscum antea discumbebat, Gentium Fidelibus discessit; cujus exemplum Barnabas secutus, eorumdem consuetudine abstinuit. Paulus itaque ut iis, quæ ab ea insimulatione facile erupissent, malis occurreret, Cephæ, quod coarguendus esset, coram omnibus exprobravit.

Post eam disceptationem Paulus, & Barnabas designati, ut ea de re Petrum consulturi Jerosolymam se conferrent. Julio, seu Augusto mense eo profecti, quæ Antiochiæ contigerant, renunciarunt. Ad litem prorsus dirimendam Jerosolymitanum Concilium coactum fuit Act. 15. 1. &c. S. Paulum, quæ Deus per se ipsum in Gentibus Fidei pariendis egisset, hic referentem Petrus, totusque cœtus commendarunt, & decreverunt, ne imposterum Gentibus ad Ecclesiam accedentibus Legis jugum imponeretur. Qui quidem Cepham, qui Antiochia non discesserat, merito a Paulo redargutum comprobarunt.

Paulus & Barnabas una cum Juda, Joanne, & Sila Epistolas Apostolorum hac de re decretorias Antiochiam detulerunt, Act. 15. 22. Quare Fideles Gentium in ea, quam Paulus eidem spoponderat, libertate acquievere.

Aliquandiu post Paulo in Syriam, & Ciliciam profecto, *Cephas* Galatiam, & Corinthum contendit; Harduinus enim Cepham, propter quem Corinthii in partes diversas distracti conclamarunt: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ*, 1. Cor. 1. 12. esse eumdem, cum quo Paulus Antiochiæ disceptaverat, a Petro quidem omnino alium, arbitratur. Hoc ordine rem totam Harduinus componit: quo utique statim fit, ut Paulus Antiochiæ Petro non exprobraverit, cum Petrus tunc temporis *Jerosolymæ moraretur*.

Neque itineris, quod propter disceptationem cum Cepha Jerosolymam usque instituit, neque ipsius Jerosolymitani Concilii, quod ad dirimendam litem coactum fuit, in Epistola ad Galatas Paulus umquam meminit; quod utique hac in quæstione animadvertere operæ pretium ducimus; ii enim, qui Petrum a Cepha minime secernunt, Jerosolymitani Concilii tum meminisse tueotur, cum scribit ad Galatas [s], se cum Jacobo, Cepha, & Joanne, qui Ecclesiæ columnæ habebantur, ea quæ gesserat contulisse; eumque ab iisdem, qui simul consenserant, ut Fideles Gentium ad Circumcisionem non adigeret, dexteras accepisse testatur. Tertium vero Pauli iter [u], quod statuit Harduinus, qui ejus sententiam oppugnant, nullatenus defendi posse asseverant. Nos autem utri adhæreamus, adhuc non statuimus.

Joannes, ita Harduinus rei seriem prosequitur, Joannes, Judas, & Silas, qui Apostolorum Epistolas Antiochiam detulerant, paulo post Jerosolymam ad eos, a quibus dimissi fuerant, reverterunt [x]. *Dimissi sunt cum pace ad eos, qui miserant ad illos*, ideoque & ad Petrum, qui Jerosolymis adhuc commorabatur. Totam profecto difficultatem locus iste constituit; qui enim Petrum a Cepha secernunt, ei omnino innituntur, quod tunc Petrus Antiochiæ non degeret. Quod infra nos perpendemus.

Ut Petrum a Cepha secernant, aliud argumentum inde hauriunt, quod alias Petrus in hæresim incidisset; exemplo enim suo Circumcisionem, & Legalia ad salutem necessario adhibenda & docuisset, & comprobasset: quod utique hæresim prorsus olebat, præsertim

A post Jerosolymitani Concilii, cui Petrus ipse præfuerat, decisionem: quo etiam fiebat, ut Gentium Fideles ad Legalia per vim cogerentur, ut Paulus Cephæ exprobravit, Galat. 2. 14. *Quomodo Gentes cogis Judaizare?* Cum vero Petrum hæresi obnoxium asserere a pietatu prorsus abhorreat, statuendum est sane a Petro alium fuisse, quem Paulus, utpote objurgatione dignum, increpavit.

Injuria præterea hæresis crimen non modo Petrum lacessit, sed & ab omni probabilitate, ut ea labe Petrus inficeretur, longissime abest. Postquam enim de totius Concilii Jerosolymitani sententia Gentium Fideles ad Circumcisionem minime adigendos esse pertulisset; postquam Cornelium diu ante baptismate abluisset; & minime ad Circumcisionem compulso, cum

B eodem discubuisset; postquam denique Jerosolymæ Fidelibus, qui, quod Ethnici consuetudine non abstinuisset, offensi fuerant, seposuit, Act. 11. 17. *Si tamdem gratiam dedit Gentibus Deus, sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jesum Christum; ego quis eram, qui possem prohibere Deum?* quomodo Antiochiæ sese ei pavori, & infirmitati concesserit, ut, ne Judæis ingratus evaderet, a Gentium Fidelibus discederet?

Si Petrus in hæresim vere incidit, quid de ejus vita, doctrina, & consiliis nobis fuerit cogitandum? Si semel a fide aberravit, cur bis, cur ter, cur centies etiam non defecerit? Si autem Apostolorum Princeps ita corruit, nonne & nutat nostra Fides, ejus prædicatione, & testimonio quam maxime innixa? Paulus etiam anne Petro pluris habendus? anne ab erroribus

C magis immunis? Quæ igitur eorum verbis adhibenda Fides? Ecce, inquiunt, ad quas angustias redigimur, si Petrum, quod a veritate deficeret, merito a Paulo objurgandum fuisse tuemur.

S. Paulus in sua ad Galatas Epistola Petrum & reverenter, & ejus consueto nomine appellat, Galat. 2. 7. &c. *Qui videbantur esse aliquid, mihi nihil contulerunt; sed cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis, (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes) & cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, &c.* Credibile ne fuerit, quod postquam bis Petrum suo nomine vocaverat, *Cepham* statim sequenti versu ap-

D pellet; neque eum cæteris, quos recenset, præponat, sed post Jacobum constituat, cum primam ei dignitatem numquam ademerit? Hæc nominis mutatio, hæc dignitatis inversio nonne Paulum aliquatenus Petri contemptorem induceret? Adeone indigne majorem natu Apostolum, & Senatus Apostolici Principem Paulus accepisset? In Græcis exemplaribus hic locus diversimode legitur: quam varietatem infra perpendendam suscipiemus.

Cepham, quem Paulus redarguit, Barnaba, imo & Legatis, qui Jerosolymis Antiochiam venerant, inferiorem ab ipso Paulo habitum esse, ex ipsius Epistola, ad Galat. 2. textu insinuari videtur; dicitur enim Cephas, post illorum adventum, a Gentium Fidelibus discessisse, quare Judæorum cæteri, qui illucusque

E cum eisdem discubuerant, in eamdem simulationem devenere; ipse vero Barnabas cæterorum exemplo adhærens, ab iisdem Fidelibus abstinuit. *Ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem*. Ab eis, nempe Jerosolymorum Legatis, non a Cepha, quod tantæ sibi non esset auctoritatis, adductus refertur. Anne hic, vel Barnabam se Petro majorem reputasse, Apostolorum Principi a Paulo præferri voluisse autumemus?

Ex ipsa objurgatione, qua Paulus Cepham corripuit, argumentum, quo Cepham alium a Petro constituat, Harduinus deducit. Illum, inquit, imperio & auctoritate coarguit, cum documentis de monitione fraterna in Evangelio Matth. 18. 15. a CHRISTO exhibitis ute-

s Galat. 2. 9. Confer. Act. 9. 1. &c.

u Nulla ibi mentio itineris Pauli, & Barnabæ usque Jerusalem, de quo Act. 11. 29. quod ad hanc rem nihil pertinear.

x Act. 15. 30.

uteretur, cum enim CHRISTUS delinquentem, antequam palam redarguatur, clam primum corripi jusserit, Paulus coram omnibus Cephæ, veluti Præceptor discipulo, imperiose exprobravit. Paulum vero eam (A) in Petrum sibi auctoritatem tribuisse, ut illum palam arguere sui muneris esse duceret, seque eodem Petro superiorem reputasse, nemo umquam crediderit.

Ex duobus Discipulis, quibus ad Emmaus vicum pergentibus se itineris comitem CHRISTUS exhibuit, unum fuisse Cepham, eumdemque, quod de circumcisionis necessitate eos suadere conaretur, Galatis turbationem creasse, Harduinus conjectura comprehendit [1]; contra quem etiam Apostolum loquutum addit, eam Epistulæ ad Galatas initio suam auctoritatem roborat, suumque his verbis Apostolatum confirmat: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem,* (B) *sed per* JESUM CHRISTUM. Qua in re Paulus utique Petro præstantior minime fuerat; fuerat vero longo præstantior Cepha, quem CHRISTUM per semetipsum neque miserat, neque erudierat.

Distractionis propter Cepham, & Apollo, qui ad Corinthios post Paulum conciones habuerant, exortæ cum ipse Apostolus meminit, post ipsum Apollo Cepham collocat 1. Cor. 12. & 3. 22. 6. *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ.* Si igitur de Petro egisset, num sibi & Apollo posthabuisset? Se quidem, & merito, primi nominis Apostolum, & Cepha, & Apollo, quorum ille Discipulus, hic tantum Evangelii præco, longe majorem fatetur.

Alibi etiam Cephæ, ac si primos inter Apostolos non recenseatur, Paulus meminit 1 Cor. 9. 5. *Numquid,* (C) ait, *non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & Fratres Domini, & Cephas?* Nonne hic dilucide Apostolis, & Domini Fratribus, qui ex Apostolis non erant, inferiorem Cepham constituit?

Cephas, cui Christus videndum se obtulit, ut in prima ad Corinthios 15. 5. juxta Harduinum, alius forte a Petro statuendus. Ex S. Luca 24. 34. Dominum *Simoni apparuisse* habemus, non vero antequam undecim Apostolis exhiberetur. Paulus autem Christum primo Cephæ, deinde undecim Apostolis se obtulisse testatur: *Quia visus est Cephæ, & post hæc undecim.* Cephæ igitur in Emmaus pergenti, eademque die ad vesperum undecim Apostolis Jerusalem congregatis se Christus exhibuit. Cephas itaque alius omnino est (D) a Petro.

Ut primum Simonem Andreæ fratrem Dominus vidit, eundem sic est alloquutus Joan. 1. 42. *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas; quod interpretatur Petrus.* *Cepham* igitur Petrum ab iis Christus appellari voluit, qui Syriace vel scriberent, vel loquerentur; a Romanis vero *Petrum*, *Petron* tandem a Græcis. Cum itaque Novi Testamenti authores Græco idiomate scripserint, Petrum semper suo nomine appellarunt, nunquam *Cepham*. Quare, si Cephas hic dicitur, alius prorsus a Petro censendus.

Harduinus adhuc validissimum, ut putat, argumentum exhibens, Patres, inquit, & Authores, qui Cephæ nomine hic Petrum accepere, catholica Ecclesia rejecit, quod statim ita probat: Qui Petrum hic ac- (E) cepere, eo sunt ducti, quod pro *Cepha* ibi *Petrum* legerint: quam quidem lectionem Ecclesia rejecit, cum in Tridentino Concilio probaverit Vulgatam, quæ utroque loco *Cepham* præfert, minime *Petrum*, ut in Græcis Exemplaribus extussis est reperire. Si igitur Ecclesia per Vulgatæ approbationem primam lectionem rejecit, rejecit etiam eorum sententiam, qui Cephæ nomine Petrum accepere; hoc enim ab illo necessario inducitur.

Si denique Cephas idem cum Petro fuerit, ea explanatione abutuntur hæretici, ut summi Pontificis authoritatem infirment, ut Ecclesiæ principem in rebus dirimendis infallibilem non esse ostendant, utque Episcopum Præsuli suo, cum eo major nemo adsit, obsistere interdum posse tueantur.

Hæc argumenta præcipua, quibus P. Harduinus S. Paulum Antiochiæ non Petro exprobrasse ostendit, sed Cephæ, uni ex Discipulis, qui pertinaciter circumcisionis & Legalium necessitatem defendebat. Nunc ad contraria.

1. Veteres, qui hujus sententiæ fautores afferuntur, eo rem non duxerint oportet, quo a systemate, quod Harduinus sibi proponit, detorqueatur: ii enim, & eorum sane plerique, Cepham a Paulo redargutum alium ab Apostolorum Principe asseruisse contenti, eo non sunt progressi, ut Petrum nullibi, nisi semel apud Joannem 1. 42. *Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas; quod interpretatur Petrus*, Cepham appellari, & cæteris in locis, in quibus Cephæ mentio, de ejusdem nominis Discipulo, a Petro longe alio, sermonem institui tuerentur.

Hypotyposeon Liber, quem citat Eusebius hist. Eccles. l. 1. cap. 12. ubi Cephas unus ex septuaginta Discipulis asseritur, omnino periit. Ejusdem neque in Codice genuino S. Clementis, neque apud Authores Eusebii coævos ulla mentio. Illum præterea ipse Eusebius Clementem tantummodo, non Clementem Alexandrinum appellat. Photium quidem ejus in sua Bibliotheca meminisse, & ea propter sæculo nono adhuc extitisse fateor; at ne verbo quidem hanc peculiarem S. Clementis de Cepha sententiam Photius attingit: se tantummodo Hypotyposes evolvisse, eusque crassis erroribus, inanibus fabulis, & sensibus impiis refertas reperisse testatur, Bibliot. Cod. 109. quorum exemplum aliquod referens, suum a veritate testimonium non discedere, satis ostendit. Cl. Boileau, qui systema relatum strenue refellit, an S. Clementis Alexandrini opus Hypotyposes fuerint, opinione sibi peculiari, videtur ambigere [a]. Certo saltem constat, ejus generis, quod Photius refert, opus nullatenus accommodum esse, ut in eo tanti ponderis factum constituatur; cui pessima quidem basis supponitur, si Hypotyposeon imbecillæ nimium, & nutanti authoritati commendetur.

Miror equidem tam a sententiæ Petrum a Cepha secernentis fautoribus, quam ab ejusdem oppugnatoribus, productum non fuisse Chrysostomum, qui dilucide eos improbat, qui an Petrus Cephas fuerit, ambigebant. Æque enim allegari poterat ac Hierony- (D) mus, qui eam opinionem nonnisi oppugnaturus adducit; poteratque etiam veluti affirmantis sententiæ fautor proferri, si authoritati authoritatem libuisset opponere. Ait igitur Chrysostomus, quosdam ita difficultatem explicare, ut Petrum hunc (sic enim legit ipse pro Cepha) minime illum esse dicerent, qui Princeps est Apostolorum, cui dominus ovium suarum curam tradiderat, sed alium, e vulgo, & sine nomine homunculum. Quæ vero subdantur, hanc opinionem confirmare. Barnabam etenim ipsum in eamdem simulationem proruisse: quæ quidem verba, subdit Sanctus Chrysostomus, innuere videntur, majori dignum esse admiratione, quod Barnabas ipse erraverit, quam vit ille, qui Petrus appellatur. Barnabas vero Petro inferior profecto est.

(E) Hanc difficultatem solvens Chrysostomus, non inde asserit majorem creatam esse admirationem ex Barnabæ simulatione, quod ipse Barnabas Petro præferretur, verum quod cum esset Pauli comes, ad Ethnicos erudiendos Præco constitutus, nihilque cum Judæis ei esset agendum; nihilominus Petri, & cæterorum simulationem fuerit sequutus, qui Judæorum assidua consuetudine utebantur, & Judæis Evangelio imbuendis potissimum fuerant mancipati. Illud vero, addit Chrysostomus, eo loco Petrum vere affici ostendit, quod id omne, seu quod præmittitur, seu quod subsequitur, ad Petrum dilucide pertineat.

Sententiæ Cepham a Petro secernenti Hieronymum minime favere, omnibus est compertum; aperte enim mentem suam exhibet [3]: *Sunt, qui Cepham, cui hic in fa-*

1 Differt. in hunc loc. §. 9. 10. pag. 927.

3 Hier. in Gal. 2. p. 244. nov. Edit.

a Boileau Disq. Theol. in hunc loc. Paris. 1613. c. 10. pag. 57. &c.

in faciem Paulus restitisse se scribit, non putent Apostolum Petrum, sed alium de septuaginta Discipulis isto vocabulo nuncupatum. Quibus statim subjungit, ubi de alio Cepha prorsus non constare, præterquam de illo, qui in Evangelio, & in Pauli Epistolis modo *Petrus*, modo *Cephas* appellatur. *Quibus primum respondendum, alterius nescio cujus Cephæ nescire nos nomen, nisi ejus, qui & in Evangelio, & in aliis Pauli Epistolis, & in hac quoque ipsa, modo Cephas, modo Petrus scribitur.* Cæterum, addit Hieronymus, si ad os Porphyrii blasphemantis obstruendum Cephas alter producì debeat, ne Petrum hic errasse nos fateri cogamur, per plurima etiam Scripturæ loca, quæ hic Ecclesiæ hostis idcirco tantum oppugnat, quod non intelligat, delenda essent.

S. Augustini mentem hic afferre supervacaneum ducimus, cum se sibi de Cepha a Petro non secernendo quam maxime suasisse, omnibus sit perspicuum. Nos adhuc de quæstione juris, & de causa, quare Paulus ei exprobraverit, ejus sententiam supra attulimus.

Dorothei Tyrii testimonium iidem ipsi, a quibus affertur, quanti sit faciendum, dijudicent. Propter nugatorias fabulas, quibus scatet, nullius fidei Author reputatur; cumque viri docti vel numquam allegant, nisi ut oppugnent, vel ut quasdam falsas, & commentitias opiniones jam cognitas quarto sæculo perhibeant. Idem Dorotheus Cepham, quem septuaginta inter Discipulos enumerat, *Conia*, forte Iconii, seu alterius urbis, forte eidem ipsi incognitæ, Episcopum statuit. Ejus Opus ambiguorum, & apocryphorum congeries est.

Gregorius[1] Magnus, in Patrum virtutibus defendendis nemini plane secundus, eumdem in simulationem (*non solum culpam, sed quod est majus, hypocrisim*) incidisse, & merito a Paulo redargutum ultro fatetur. Eos præterea respuit, qui Petro obsequentes, non Apostolorum Principem, sed ejusdem nominis alium quemdam exprobratione dignum a Paulo increpatum tuentur. *Sunt nonnulli, qui non Petrum Apostolorum Principem, sed quemdam alium eo nomine, qui a Paulo sit reprehensus, accipiunt. Qui si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent.* Demissum, ac mitem Petri animum laudibus extollit, quod Pauli Epistolas, quibus ipse objurgatione dignus perhibetur, vehementer commendat. Eas sane, subdit Gregorius, Epistolas Petrus legerat, quod easdem alleget, atque extollat; luis itaque, quod de se scripserat Paulus, oculis perceperat: *Amicus ergo veritatis laudavit etiam, quod reprehensus est, quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset primus, & in humilitate.*

Inter Authores, qui Cepham a Petro secernunt, allatus est Oecumenius[2], qui sæculo undecimo floruit, quique Cepham ab Eusebio unum ex Discipulis septuaginta habitum refert, & *hanc sententiam probabilem* appellat. Quod quidem testimonium Hypotyposeon auctoritati nihil addit. Cæterum Oecumenius eam probabilem appellasse contentus, minimi eamdem fecisse satis ostendit.

Commentarium, qui sub S. Anselmi nomine diu latuit, Hervæo Natali Britanno, qui, teste Bellarmino[3] ann. 1325. florebat, nonnulli attribuunt[4]; Gerberonius vero Hervæum Monachum Burgidolensem ejusdem Authorem profert. Omnes sane S. Anselmo recentiorem esse conveniunt. Hujusmodi autem Scriptor novi nihil producit, & instar præclarorum Interpretum, quosdam extitisse refert, qui Apostolorum Principem a Cepha secernerent: quam tamen sententiam neque assumit, neque tuetur.

Contra paucissimos, qui sententiam Petrum a Cepha segregantem vel probant, vel modo proponunt; omnium hucusque ab Ecclesiæ initio ætatum, omnium in hunc locum Interpretum, & vetustissimorum Græ-

A corum Exemplarium, quæ (adeo Petrum eumdem cum Cepha esse constabat) pro *Cepha* hic *Petrum* legebant, unam vocem, & consensum producimus. Hinc factum est, ut Tertullianus[5], Hieronymus, Augustinus, Hilarius Diaconus, Gregorius Magnus pro Cepha Petrum invexerint. Ita etiam legunt Veteris Vulgatæ Exemplaria, Claromontis, & S. Germani Pratensis Mſ. celeberrima, Mſ. D. Bornier, quod in Novi Testamenti D. Millii recentiori editione, a Kustero vulgata, allegatur.

Præterea hæc Mſſ. Tertullianus, Ambrosiaster, seu Hilarius Diaconus, & Theodoretus, ubi Vulgata, & Græcum impressum exhibent, *Jacobus, Cephas, & Joannes*[6], legunt: *Petrus, Jacobus, & Joannes*. Paulo vero post, versu nempe 11. cum Græco impres-
B so cohærent, & *Petrum* ingerunt, ubi Vulgata, & plurima præclarissima Græca Exemplaria[7] Mſſ. præsertim Alexandrinum, quod ad decem & tria sæcula vetustatem suam protrahere dicitur, plura denique Latina exemplaria *Cepham* præferunt. Quam quidem lectionem veram esse, atque vetustam, & a plurimis præstantissimis Mſſ. Græcis, ab Alexandrino potissimum, quo Cyrillus Lucar Magnæ Britanniæ Regem donavit, a pluribus etiam Mſſ. Latinis allatam fatentur. Ea denique lectio Clementis Alexandrini, Euthalii, & Eusebii Cæsariensis adhuc ætate, ut citatum Hypotyposeon testimonium præfert, invaluerat. Et quidem si alia fuisset genuina lectio, nonquam de Cepha cum Petro confundendo dubitatum fuisset.

Earum variarum lectionum primos Authores, qui-
C cumque ii fuerint, hæreticos S. Sedis infensos, vel callidos Scripturarum corruptores, vel saltem rudes Scriptores, qui imprudenter hæreticis faverint, si quis fuisse assereret; Sanctorum Patrum, & clarissimorum Interpretum plurimos gravissime quidem, immerito, & injuriosius criminaretur. Eo in loco de Petro sermonem institui, & Petrum eumdem esse ac Cepham, Veteres omnes credidere. Ad æquivoci aditum prorsus intercludendum, Mſ. Alexandrinum *Kephas* apposuit, ubi Græcum, & Latinum exhibebant *Petrum*; alii vero *Petrum* inculere, ubi in vetustis Latinis, & Græcis Textibus *Cephas* præferebatur. Quæ sane omnia idcirco tantummodo instituta sunt, ut lectorum errori occurreretur; & forte ut eorum sententia intercideretur, qui, veluti Hypotyposeon Au-
D thor, Cepham quemdam alium a S. Petro, Veteribus omnibus prorsus ignotum, cujus ne minima quidem in Scripturis mentio, inferre studebant.

Argumentum e chronologia petitum nunc evertamus. Ejus utique si stet veritas, cætera, quæ ad eamdem sententiam improbandam afferentur, infirma corruerent. Si enim cum Paulus Cepham redarguit, Antiochiæ Petrus non aderat, Cepham alium esse a Petro exploratum utique habemus.

De tempore, quo Jerosolymis coactum sit Concilium, minime conveniunt; ab his enim A. 49. ab illis vero A. 51. constituitur. Ejus quidem epocham omnes repetunt ex illo Epistolæ ad Galatas, ubi Paulus[8] *quatuordecim post annis* Jerosolymam profectus annunciatur. Inde fit, ut quidam quatuordecim post annis a sui conversione eo se contulisse putent, & A. 49. Con-
E cilium statuant; quidam vero quatuordecim post annis a primo itinere, quo Jerosolymam profectus est a sui conversione anno tertio, illuc perrexisse tueantur[9], & anno 51. Concilium constituunt.

Utrum præterea Concilium ante, an post Pauli, & Cephæ dissidium Jerosolymis coactum fuerit, adhuc discrimen. S. Augustinus[10], & alii[11] ante, alii vero post eam disceptationem congregatum defendunt. Qua de re certi nihil neque allatum, neque adhuc compertum: quod tamen hic maxime interest; etenim si argumen-

1 Gregor. Magn. l. 18. Moral. in Job. n. 10. 11.
2 Oecum. in Galat. 2.
3 Bellar. l. de Script. Ecclesiastic.
4 Harduin. & Boileau locis citatis.
5 Tertull. l. 5. contra Marcion. c. 3.
6 Galat. 2. 9.
7 Steph. in Cod. Alex. Barb. 2. Petir. 3. Colb. 7. Cor. 2. Copht. Velez.
8 Galat. 2. 1.
9 Galat. 1. 18.
10 Augustin. Epist. 82. nov. Edit. p. 193.
11 Pelag. II. Papa t. 5. Concil. pag. 662. Ita Hardoin. Vorst. Piscat. Grot.

gumentum, cui Petrum a Cepha secernens sententia innititur, sola conjectura fulcitur, adversa opinio utique de ea triumphum jam satis agit, cum maxime sustineatur a Patribus, Interpretibus, & iisdem Scripturæ Textibus adeo eidem faventibus, ut sola eorum evidentia omnes prope ad eamdem adduxerit.

Quoniam vero de Chronologia digerenda, re quidem a Scriptura petita, arbitraria vero quoad sui circumstantias, agitur, nostram ab Apostoli conversione annorum supputationem ducemus. Paulus igitur anno post Christi Resurrectionem, nempe J. C. 34. fidem amplexus, & tribus [1] post annis, nempe Christi 37. Jerosolymam profectus, Christifidelium eleemosynas Antiochiæ collectas delaturus, eo iterum reversus est [2]. Antiochiam regressus, ibique Gentium Apostolus iterum constitutus, iis fidem allaturus, Cyprum, Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam, Galatiam, aliasque Provincias peragravit, usque ad annum 50. quo Jerosolymam reversus est collaturus cum Apostolis, quod scilicet Ethnicos ad fidem deductos nolli circumcisioni adegisset, Act. 15. 1. &c. Concilium tunc Jerusalem idcirco coactum est, quod Judæorum quidam fidem recens amplexi, & adhuc de Lege solliciti, eam ad salutem prorsus necessariam enixe defenderent, Act. 15. 1. &c. A Concilio itaque dirempta lite, & Apostoli doctrina comprobata, Paulus Antiochiam rediit una cum sociis, ab Apostolorum consensu dimissis, ut de iis, quæ statuerant, per Epistolam, quam deferebant, Ecclesiam Antiochenam admonerent. Post Pentecosten, vel, si lubet, circa Septembrem, seu Octobrem concilium hoc coactum arbitremur.

Aliquanto post Cephas ipse, seu Apostolorum Princeps Antiochiam migravit: sed ante, an post eorum, qui dimissi fuerant, reditum non decernimus, licet verosimilius post reditum arbitraremur, cum legatur in Actis 15. 33. *Facto ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a Fratribus ad eos, qui miserant illos*. Cum igitur res probe gestas, & Concilii sententiam Antiochiæ optime exceptam Petrus ab iisdem, qui redierant, accepisset, eo & ipse se contulit: cum fidelibus Gentium, & incircumcisis aliquandiu convixit, & eorum consuetudine, & mensis minime abstinuit. Quibusdam interea fratribus a S. Jacobo Antiochiam profectis [3], Cephas circumcisos Judæos, Moysis Legem una cum Evangelio adhuc profitentes veritus, a Gentibus discessit.

Hinc factum est, ut Jerosolymis concilium post hæc coactum fuisse nonnulli sibi suaserint: si enim, inquiunt, ea de re solemniter statutum fuerat, an ne S. Petrus iis, quæ in concilio cum Jacobo, & Joanne ipsemet decreverat, adhærere erubuisset, & Jerosolymæ Fratres de re permissa, & quibusdam ante mensibus authentice sancita offensionem accepissent?

Quibus eodem fere argumento respondemus. Si ambigua, & sub judice adhuc res fuerat, an ne Petrus promiscue cum Gentium fidelibus discumbens, Judæorum fidelibus, qui Antiochiæ degebant, offensionem creare se passus esset? Paulus vero, qui humilitate præstabat, primamque Petri dignitatem optime sciebat, anne coram omnibus Apostolorum Principi exprobrare ausus fuisset?

Utcumque fuerit, hoc enim ambiguum, & problematicum ultro fatemur, S. Paulus ea, quæ illuc usque docuerat, a Petri exemplo everti perpendens, ejus enim simulatio circumcisis fidelibus Legalium necessitatem obtrudebat, sui muneris esse duxit Petrum arguere, quod sibi exprobratione dignus videretur.

Jerosolyma vero Antiochiam iter res certe tanta non erat, ut tempus ad consultandum, & conficiendum exposceret. Hanc, & illam Gallicæ leucæ 125. interjacent, quæ quidem minus diebus quindecim absolvuntur. Petro itaque tempus supererat; quo post illorum, quos Antiochiam dimiserat, reditum, eo & ipse contenderet ante Pascha anni 51. quo adhuc tempore, seu paulo ante, Paulus, & Barnabas Antiochia discedentes, ad Gentes concionibus erudiendas perrexere, Act. 15. 36. Hæc utique rerum, quæ in Actis, & in Epistula ad Galatas recensentur, constitutio, neque a temporum ordine, neque ab historica veritate nonnihil discedit. Quare argumentum inde deductum de absentia Petri Antiochiæ, per se ipsum infirmatur, & prorsus evertitur.

Absurda, quæ sententiæ Petrum a Paulo redargutum defendentes tribuuntur, nihili profecto facienda. Petrum tunc fuisse impeccabilem nemo unquam dixerit; Pontifices autem ejus successores peccandi potentia expertes se nullatenus ostentarunt. Petrus fragilitatis peccato deliquit; optime vero de iis, quæ cum Apostolis in Concilio Jerosolymitano decreverat, semper sensit: legalia tum quoque interius improbans, nulli errori pertinaciter adhæsit, & a Pauli mente ne in minimis quidem discrepavit.

Nulla igitur in Petro hæresis labes, nil prorsus, quod Apostolorum Principem, successoresque Pontifices injuria nimium contumeliosa afficiat. Tum Petrus de iis, quæ sui simulatione induci poterant, non cogitavit: Paulus mentis aciem ulterius defixit, & futura veritus ad Petro exprobrandum animos sibi adjecit. *Paulus sane reprehendit Petrum*, inquit Tertullianus l. 5. contra Marcion. cap. 3. *non ob aliud tamen, quam ob inconstantiam victus, quem pro personarum qualitate variabat, non ob aliquam Divinitatis perversitatem*. Parcens ei indulgentiæ concessit, quæ vel ab honestis aliquando abstinendum suadet, ne debilibus offensioni fiant. Paulus vero ea prospexit, quæ fideles ad Legalium necessitatem comprobandam a Petri exemplo forte exhausissent.

Quod vero Petrum impeccabilem non fuisse fateamur, non idcirco dogmata, vel quæ docuerit, vel quæ scripserit, infallibilia non esse, & veluti ipsius verba non accipienda, jure merito inducitur. Christus enim, qui Apostolos misit, Spiritu suo perfudit, eorumque doctrinam plurimis miraculis comprobavit: per eosdem, dum suo nomine verba facerent, se quidem loquuturum pollicitus fuit, Matth. 10. 19. non vero ab omnibus prorsus peccatis, præsertim a minimis, se nos vindicaturum spopondit.

Argumentum inde depromptum, quod intra paucas lineas in Epistola ad Galatas bis *Petrus* [4], deinde statim [5] *Cephas* appellatus fuerit, omnium profecto infirmissimum arbitramur. Duobus nominibus prædicatus eadem forte pagina decies hoc, decies illo nequeat appellari? Petrus sane tribus nominibus, Simone, Petro, & Cephe, vocabatur. Licet autem Paulus Cepham ibi non præponat Jacobo; sed Jacobum inter & Joannem medium constituat, non idcirco obsequio defuit, aut Apostolorum Principis dignitatem diminuit. Eo enim loco de ejus Primatu nulla quæstio. Sacri præterea Authores, sicuti & vulgares Scriptores, eorum, quorum meminerint, dignitati non ita adhærent, ut interdum non supponant præferendos, & supponendos non præferant, præsertim si aliqua lege nil cautum fuerit. Apostoli interdum Christum ante Deum Patrem memorant [6]. Paulus Priscam sæpe ante [7], sæpe post conjugem ejus Aquilam locat [8]. In Genesi Sem Noe filius semper præponitur, tametsi eorum secundus verosimilius fuerit. Moyses Aaron, licet natu minor, præfertur. Veterum conciliorum extant Acta, in quibus plures juniores Episcopi ante seniores subscribunt. Hæc satis, ut iis locis omnibus, quibus nominum ordo invertitur, occurramus.

S. Chrysostomus in eadem, quam supra attulimus, suo

1 Galat. 1. 18. 2 Act. 11. 29. 30. 3 Galat. 2. 12. *Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat* (Petrus): *cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant.* 4 Galat. 2. vers. 7. & 8. 5 Galat. 2. vers. 9. 11. & 14.
6 Galat. 1. 1. *Sed per Jesum Christum, & Deum Patrem.* 1. Jo. 2. 24. *In filio, & Patre manebitis.*
7 Rom. 16. 3. *Salutate Priscam, & Aquilam.* Ita 2. Timoth. 4. 19. Vide & Act. 18. 18. 26.
8 1. Cor. 16. 19. Act. 17. 2.

sua authoritate [1] satis objectionem occupavit, quæ ab eo Actorum loco ducitur, ubi hæc leguntur: *Ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem*; ac si Petro, seu Cephæ cæterisque Judæis, qui Petri imitatores a Gentium consuetudine discesserant, ipse Barnabas major astitisset. S. Lucas inter Petri, & Barnabæ dignitatem minime secrevit, sed præcipuum Barnabæ munus perpendit, cujus, quod Pauli socius esset, præ viribus Gentes Legalibus minime subjiciendas defendere omnino intererat, cum eorum uterque Gentium Apostolatui potissimum fuerint mancipati.

8. Paulum authoritate quadam S. Petro acriter exprobrasse, haud equidem superbiæ, & procacitati tribuendum, imo vero ejus maximo veritatis amori, & metui jure gravissimo, ne Principis Apostolorum exemplo Antiocheni fideles Circumcisionis, Legaliumque necessitatem tenerent. Quod quidem & Augustinus [2], & Magnus Gregorius [3] dilucide exhibuere, ut nos supra attulimus.

Qui apparitionem, qua Christus se videndum exhibuit Cephæ, aliam putant ab ea, qua se obtulit Simoni, seu S. Petro, Evangelistarum Textui adversari videntur. Refert S. Lucas [4], duos Discipulos ab Emmaus Jerosolymam regressos esse, et undecim Discipulis, quæ sibi in itinere evenerant, enunciarent; quibus Apostoli de Domini, qui apparuerat, resurrectione se conscios esse asseruere. Cum vero duo itinerantes Apostolos adhuc alloquerentur, Christus Dominus omnibus se spectandum præbuit. Hoc sane innuit Paulus, asseverans, Christum *visum esse Cephæ, & post hoc undecim*, 1. Cor. 15. 5. Quare hunc Apostoli locum veram hisce S. Lucæ interpretationem habendum arbitramur. Qua hora Christus Petro apparuerit, incertum; ei vero apparuisse, antequam undecim Apostolorum cœtui se exhiberet, exploratum. Lucæ Evangelium a D. Paulo ut plurimum allegari, merito hic animadvertendum ducimus.

Quod Tridentinum Concilium Vulgatam probaverit, non continuo tamen reprobasse censendum est Textum Græcum, & Authores Veteres, qui eundem adhibuere: nec inde pariter confectasse suspicaremur errores, qui vel in Latina Versione cum Originalibus collata offendi queant; sicut nec vicissim Vulgatam ipsam ad Originalium, quæ extant, normam semper componendam voluisse. Ea omnia cognitionem, & prudentiam quam maximam sibi expostulant. Illud sane constet, quod Ecclesia priorum Textuum authoritatem, aut infirmare, aut evertere nunquam voluerit; alias se ipsam oppugnasset, & Versionum omnium, quæ ab eisdem exhaustæ sunt, fidem infirmavisset. Authentica, & Canonica quæcumque fuerit Versio, Versio semper reputabitur; Originale vero semper Originale haberi non desinet [5]. Nunquam eo adducemur, ut Patres, qui *Petrum* pro *Cepha* legerunt, & Veteres, recentioresque Interpretes, qui *Cepham* pro *Petro* accepere, ab Ecclesia improbatos esse suadeamus. Ita enim fieret, ut eadem Ecclesia olim respuisset; recensque eam respueret Doctorum, suique fautorum partem, quæ cæteris & pietate, & scientia præstat, omnibusque Ecclesiæ sæculis ab

A eadem, quam prætulimus, lectione non discessit.

Si Religionis Catholicæ hostes, veluti Porphyrius [6]; si veteres & recentiores Hæretici; si ii, qui S. Sedis authoritatem infirmare conantur, hujus Dissertationis loco abusi sunt, ne demiremur: ubi enim Scripturæ textum invenire fuerit, quod impii, & hæretici turpiter & perverse non corruperint, & usu iniquo non exercuerint [6]? Donec eidem, cui nos, hujus loci interpretationi adhæserint, eo nunquam abusuros pollicemur. Catholica & Romana Ecclesia nunquam sibi suasit, Pontifices sibi a Deo constitutos iis quotidianis erroribus expertes omnino abire, in quos, infirmitate humana impellente, vel majori lumine & sanctitate donatos sæpe prolabi ultro fatemur.

In exordio Epistolæ ad Galatas nostram de iis conjecturam proposuimus, adversum quos Paulus Apostolatum suum stabiliens, Apostoli dignitatem, nullo aliorum ministerio interposito, ab ipsomet Christo sibi
B collatam extollit [7]. Petrum non eum Cepham, quem ex septuaginta Discipulis unum volunt, in Galatia concionatum arbitramur: quod utique per suam Epistolam ad dispersionem Ponti, Galatiæ, Cappadociæ &c. latis superque præfertur. Paulus seu ante, seu post Petrum, ad Galatas conciones habuit; cum vero, postquam & Petrus & Paulus inde discesserant, quidam Petri Discipuli eo pervenissent, Paulo obloquebantur, hominem authoritate, & missione destitutum, Legis eversorem, & Doctrinæ, quæ a cæteris Apostolis longe aberat, Præconem appellabant. Quare hic Apostolus, ut os eisdem obstrueret, non *ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum*, verum Apostolum se ostendit.
C
Apostolus proterea, quin Cephæ, seu Petri, cujus iidem Judæorum Præcones dignitatem, & auctoritatem extollere satagebant, Primatum, & Principatum nulli utique discrimini obnoxium tangat, nihil ab eo accepisse, suamque Doctrinam & Apostolatum ab ipso Cepha, & a præclarissimo Jerusolymæ cœtu comprobatum præfert. Idcirco igitur Petri Primatum in Epistola ad Galatas Paulus non extollit; non quidem quod Apostolorum Principem minimi faceret, vel contemptui haberet, sed quod dumtaxat ejusdem prima Dignitas a nemine in dubium, incertumque revocaretur.

Hic tandem Dissertationem absolvimus, qua satis
D ostendimus, Cepham Antiochiæ a Paulo redargutum a Petro alium nequaquam fuisse; nullum argumentum proferri, quo Cephas ex septuaginta Discipulis unus, & ab Apostolorum Principe alius constituatur; S. Petri simulationem ejus Primatui minime officere; S. Pauli exprobrationem Porphyrio, aliisque Catholicæ Religionis hostibus nullatenus favere; a temperamento, ad quod, Petrum, & Paulum excusaturi, veteres Græci Patres confugiunt, plurima posse per absurda induci; sententiam denique, cui Augustinus adhæsit, omnium optimam & accommodam esse, ut Apostolum utrumque excusemus, & Catholicam Religionem ab hostium suorum exprobrationibus eripiamus.

1 Chrys. tom. 5. pag. 719. 720. 2 August. Epist. olim 8. nunc 28. Item Epist. 40. & 71. & 93.
3 Gregor. Mag. l. 28. Moral. c. 12. hom. 18. in Ezechiel. 4 Luc. 24. 34.
5 Vide Aug. l. 2. c. 15. de Doctr. Christ. 6 Hieronym. in Galat. 2. *Si propter Porphyrii blasphemiam alius nobis fingendus est Cephas, ut Petrus putetur errasse, infinita de Scripturis erunt radenda divinis, quæ ille, quia non intelligit, criminatur.* 7 Galat. 1. 1.

D I S S E R T A T I O
DE ANTI-CHRISTO.

ARTICULUS PRIMUS.
Varia de Anti-Christo Sententiæ.

Quicumque Veritati, Pietati, Justitiæ adversatur, Anti Christus dicitur, quod Jesu Christo, qui est essentialis Justitia & Veritas, obsistat;
E quod etiam *Anti Christi* nomen juxta suam etymologiam *Jesu Christi Inimicum* significet. Anti-Christi hoc sensu accepti, sæculis omnibus & ante & post Domini adventum extitere, & semper usque ad Mundi finem, & usque ad illius adventum, qui omnium Jesu Christi hostium

hostium impietatem, & malitiam vincet [1]. Eo adhuc sensu Ecclesiæ persecutores, Pseudo Prophetæ, Hæretici, & nefarii Christifideles totidem Anti-Christi appellantur; quorum plurimis sua ætate orbem refertum Evangelista Joannes ingemuit: *Et nunc Anti-Christi multi facti sunt* [2]. Ecclesiæ Patres in Simone Mago, Nerone, Cajo Caligula, Apollonio Thyanæo, Barchocheba, Domitiano, Diocletiano, Juliano Apostata, & in pluribus aliis Jesu Christi hostibus, & eorum Discipulis quosdam hujus perditissimi hominis, & perditionis filii characteres agnovere. In Veteri Testamento nonne Nabuchodonosorem, Cambysem, Antiochi, Epiphanem, Herodes occurrunt, qui veluti Præcursores, effigies, & asseclæ Anti Christum nimium prætulere? Deus in ira sua eos excitasse videbatur, ut ia, qui cæteros crudelitate, impietate, & malitia præcelleret, qualis quantusque futurus esset, intelligeretur.

Judæi, & Christifideles Antichristum, Mahometani autem Anti Mahometum expectant. Judæi vero quod de Messia Servatore in primo sui adventu prolatum fuit, tum eo confundunt, quod de Messia ultore sub mundi exitum adventuro enunciatum est. Ajunt præterea [3], Eliam, seu alterum e Prophetis Messiæ præiturum, et parentes cum filiis conciliet [4], & Messiæ semitas paret. Post quem ipse, ut subdunt, Messias adveniet, Israelitisque omnibus in promissam regionem coactis, urbe Jerosolymæ & Templo restauratis, populos suos pace, & rerum affluentia cumulabit. Gog deinde & Magog, potentes nationes, Anti-Christo sibi duce præeunte, eam eversuræ pacem irrumpent; quas Messias primo devictas, plurimis tandem maris & terræ prodigiis prorsus delebit. Quibus etiam in bellis multum sanguinis a Fidelibus effundetur, & tunc forte implebuntur *Dolores Messiæ*, quorum meminere Rabbini, & qui tot tantique futuri sunt, ut omnes ingemant [5]. *Ah venit; sed ego eum non videam! quid facimus ut a Messiæ doloribus liberemur.*

Ex Rabbinis quidam [6] Anti-Christum, quem *Armillum* vocant, ex nativum fœdissima conjunctione cum Virginis cujusdam simulachro Romæ erecto proditurum ferunt. Qui Armillus admiranda statura sublimis, se Messiam, & Deum, cui sit cultus exhibendus, ostentabit. Omnis Edom progenies, (ita Romanos appellant) ei adhærebit, ultroque obtemperabit. Nehemias vero, Josephi filius, e progenie Ephraim, alter ex duobus Messiis, quos Judæi expectant, triginta Judæorum millibus instructus cum Armillo congredietur, & bis centum hostium millibus cæsis, eum conjiciet in fugam; qui exercitu iterum coacto, secundum cum Nehemia certamen committet; quo, innumeris ex suis gladio peremptis, tandem, quin rem animadvertat, ipsum Nehemiam fortuito interficiet; quare Judæi fugæ se dantes, persecutionibus undique vexabuntur.

Archangelus Michael tuba canet, primoque statim clangore secundus ex progenie David Messias veniet, quem Elias Propheta comitabitur. Tunc Judæi huc illuc effosi, animis iterum collectis, ad eum undique confugient. Quare tertius Armillus in eos irrumpet, pugnam committet, & cæsus occumbet. Tum felix Messiæ Regnum, quod quam maxime Prophetæ ostentarunt, totusque terrarum orbis, morbis, bellisque prorsus inde exturbatis, hortus Eden Judæorum solatio evadet. Hæc Judæi de Anti-Christo, de quo vel inter ipsos variæ sententiæ. Singulas recensere non lubet.

Horum bellorum inter Initium, & exitum, seu, A ut ajunt Hebræi, præsens inter & futurum sæculum; alii quadraginta, alii septuaginta, alii annorum quadringentorum, alii denique longe minus intervallum constituunt. Omnes tamen mortuorum resurrectionem, & perfectum Messiæ & beatorum regnum nonnisi post Anti-Christi interitum, futura defendunt. Qua in re & nobiscum conveniunt. Nostrorum vero Scriptorum plerique imperium, bella, & Anti-Christi persecutiones tribus tantummodo annis, sexque mensibus [7] definiunt.

Mahometani etiam [8] suum Anti-Mahometum expectant, quem *Dejal*, nempe *Impostorem* appellant, quemque gigantem monstro similem, solo oculo & supercilio in frontis medio horridum effingunt. Præterea Mahamedem Mehdy ex eorum Imanis duodecimum, a B Deo, ut ajunt, viventem adhuc e terris sublatum, & in voluptatum loco hominibus impervio constitutum, sub mundi exitum iterum adventurum putant, ut cum *Dejal* congrediatur, & id adversus illum perficiat, quod nos ab Elia adversus Anti-Christum agendum credimus. Ad hæc, Jesum Christum Ducem supremum copiarum Imani fore, iterumque in orbem ut Anti Mahometum oppugnet, reversurum arbitrantur. Eo superato, eademque clade Gog & Magog affectis, uxorem ducet, & triginta, seu quadraginta annis, non ut Dominus, sed ut Imani Mahamedis Mehdy Procurator, totius terrarum orbis imperium geret: quibus elapsis, occumbet, & una cum Justis omnibus, vitæ iterum in sæculorum exitu restituendus, prope Mahometi sepulchrum tumulabitur. Judi- C cium denique de omnibus pronunciabis, cum ad Christum hoc Judicium universale pertineat. Quantum de Anti-Christi sub mundi exitum adventu fides in plerisque terrarum nationibus inoleverit, per has fabulas comperimus.

Aliqui Judæorum Authores, quos inter Menasse ben Israel [9], aliqui etiam Protestantium Scriptores [10] Anti-Christum, quomodo a Christifidelibus expectatur, nunquam adventurum asseruere. Dogma hujusmodi inter fabulas recensent, quibus, ut ajunt, creduli Romanæ Communionis Christiani contriuntur. Asserit Grotius in 2. Thessal. præfat. & in 2. Thessal. 2. vel ipsum S. Paulum paulo post Jerosolymæ eversionem mundum ad suum exitum perventurum putasse; Caligulam vero Anti-Christi Præcursorem, & Simonem Magum ipsum fuisse Anti-Christum. Pontificem denique, Ecclesiæ Catholicæ visibile caput, Anti-Christum esse; D Communionem Romanam esse Babylonem; authoritatem, qua S. Petri Successores in Fideles obtinent, Regnum esse & imperium Anti-Christi, Authorum Protestantium plerique defenderunt [11]. Quæ quidem ita a veritate abhorrent, ut vel ab eorum Communionis sapientissimis improbentur, & in iis, a quibus comprobantur, non aliam, quam cæcæ passionis speciem præseferant.

ARTICULUS II.

De Anti-Christi Characteribus.

Sciptores Sacri, teste S. Hieronymo [12], typis & figuris futuros profundere eventibus, & similitu- E dinibus atque parabolis veritatem obvolvere consueverunt. Sicut itaque Jesus Christus per Davidem, & Salomonem, qui illum referunt, & adventurum spondent, nobis exhibetur; ita etiam Anti-Christus per ejus præcursores & figuras, nempe Antiochum Epiphanem, Neronem, Domitianum, & id genus cæteros, optime

1 August. in Psal. 9. 6. n. 24. *Ille servus peccati totam nequitiam, & iniquitatem, quam omnes Pseudo-Prophetæ inchoaverunt, impleturus est.* 2 1. Jo. 2. 18. 3 Vide Maimonid de Rege Messiah. c. 2. 4 Isai. 40. 3. 5 Gemar. Sanhedrin. §. 35. 6 Hulsius de Theolog. Jud. lib. 1. par. 1. p. 32. 7 Vide Daniel 7. 25. & 12. 11. Apoc. 11. 2. 5. 8 Chardin. Itinerar. Pers. t. 3. p. 192. Vide & Kesræum, & Ibn Abassi. 9 Menasse ben-Israel, de resurrect. l. 3. c. 5. p. 290.
10 Centuriatores Magdeburg. Illa & Beza in 2. Thessal. 2. & Grot. in Apocal. 13. 18.
11 Vide Malvend. l. 2. c. 1. de Antichristo. 12 Hier. in Dan. 11. 24. *Hunc esse morem Scripturæ sanctæ, ut futurorum veritatem præmittat in typis. Sicut igitur Salvator habet & Salomonem, & cæteros Sanctos in typum adventus sui, sic & Anti-Christus pessimum Regem Antiochum, qui Sanctos persecutus est.*

optime inducisse. Ut igitur hujus perditissimi effingamus imaginem, merito ad eorum sharacteres confugimus, qui veluti hujus Deo infensissimi hostis exemplaria a Sacra Scriptura exhibentur [1]. *Hæc autem sub Antiocho Epiphane in imagine præcesserunt, ut Rex sceleratissimus, qui persequutus est populum Dei, præfiguraret Anti-Christum . . . . unde & multi nostrorum putant ob sævitiæ, & turpitudinis magnitudinem Domitium Neronem Anti Christum fore.*

Patres & Interpretes tam Judæi, quam Catholici de Anti-Christi persecutionibus adversus Sanctos explicarunt id omne, quod de Gog & Magog adversus Israelitas bellis Ezechiel 38. & 39. enunciat. Quo etiam spectat illud Joannis in Apocalypsi 20. 7. cum refert, post mille annorum Regnum, Satanam e carcere egressum seducturum plurimos, eosque adducturum, ut bello Sanctos insequantur, & Urbem dilectam obsideant; ex populis subinde Gog & Magog a quatuor mundi finibus coactis, innumeras instar arenæ maris copias instructurum. Quas tamen Deus flamma e cœlo delapsis prorsus absumet, & Dæmonem, qui eas congerat, & Pseudo prophetas, qui eas seduxerant, in sulphuris & ignis stagnum detrudet, ubi una cum bestia supplicio perenni torquebuntur. Esto, Gog & Magog bellum adversus Israelitas ab Ezechiele pronunciatum per Cambysis, seu Holophernis, seu Antiochi Epiphanis in Hebræos persecutiones ad literam impletum fuerit; certo quidem constat, hoc Apocalypsis bellum potissimum ad ea mala referri, quibus Anti-christus ante mundi exitum Catholicam Ecclesiam vexabit.

Ab Antiochi Epiphanis exemplari, quod a Daniele 7. 19. &c. accepimus, perditionis filius, cujus meminit Paulus 2. Thessal. 2. dilucide nobis exhibetur. *De cornu illo*, ait Propheta loco citato, *quod habebat oculos, & os loquens grandia. Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum adversus Sanctos, & prævalebat eis, donec venit Antiquus dierum, & Judicium dedit Sanctis Excelsi, & tempus advenit, & regnum obtinuerunt Sancti.* Vir autem ille, qui per cornu repræsentabatur, Deum blasphemiis impetere, Sanctos proculcare, suoque arbitrio tempora, & leges immutandas esse judicare debuerat, ut Propheta per visionem intellexit. Sed tandem a supremo Judice ipsius potentia destruenda, & in æternum exterminanda.

Idem Propheta 8. 9. Antiochum Epiphanem sibi sursus repræsentari percepit per speciem modici cornu, quod maximis incrementis auctum, in ipsum cœlum insurgere, stellas dejicere, & conculcare vidit: *Usque ad Principem fortitudinis* (ad Deum ipsum) *magnificatum est, & ab eo tulit juge Sacrificium, & dejecit locum sanctificationis ejus. Robur autem datum est ei contra juge sacrificium propter peccata: & prosternetur veritas, & faciet, & prosperabitur . . . . usque ad vesperam & mane dies duo millia trecenti.* Quomodo, Antiocho Epiphane imperante, hoc vaticinium impletum fuerit, scimus; adhuc tamen, Ecclesiam insectante Anti Christo, iterum adimplendum non ambigimus, ut ipse Daniel præferre videtur, cum, post tot tantaque mala ab eo cornu ad populi Dei perniciem invecta, mortuos resurrectione, & Fideles æterna felicitate donandos enunciet c. 12. 2. &c. *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper.* Quæ quidem verba de sola ad statum feliciorem transmigratione, nisi per vim detorqueantur, ad literam nequeunt intelligi.

Zacharias c. 11. 16. 17. Messiæ adversarium describens, *Ecce*, ait, *ego suscitabo Pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissolvet. O Pastor, & idolum, derelinquens gregem! gladius super brachium ejus, & super oculum dextrum ejus, brachium ejus ariditate siccabitur, & oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.* Is erit Anti-Christus, id regnum ipsius: Regnum non modo in cæteros, sed etiam in suos barbarum, & injustum.

Perspicuas Anti-Christi descriptiones & a Novo Testamento accepimus. Jesus Christus Impostores, qui se Messiam jactitantes in fraudem plurimos inducent, & pestem, famem, seditiones, terræmotus, bella, nonnisi initium imminentium dolorum, ultimam diem præcessura pronunciavit, Matth. 24. 4. 5. 11. 12. Tunc impii Justis dominabuntur, eosque crudeli morte afficient; boni plures scandalizabuntur; in loco Sancto abominatio desolationis erit; tanteque ingruent mala, ut nisi dies illi propter electos minuerentur, nemo salutem consequeretur. Falsi occurrent Christi, falsique Prophetæ, qui, si fieri poterit, electos etiam falsis signis in errorem adducent. Post ea omnia, Filius Hominis in sua Majestate adveniet. Hæc Regni Anti-Christi tempora.

S. Paulus 2. ad Thessalonicenses 2. 3. ait. *Nisi primum revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Nunc*, addit, *quid detineat, scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium jam operatur iniquitatis. Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum, cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt.*

Ab his characteribus præfectus Anti-Christus, in cujus imagine ab Apostolo expressa plures ex Antiquis [2], Neronem deprehendisse sibi visi sunt, ut crediderint Neronem esse, vel Anti-Christum, vel ipsius Præcursorem; de quo etiam illud Apostoli 2. Thessal. 2. referebant. *Jam mysterium operatur iniquitatis*; & brevi, post ipsum, Anti-Christum adventurum arbitrabantur [3]. *Jam enim*, ait D. Hieronymus, *mysterium operatur iniquitatis, hunc habet sensum: multis malis atque peccatis, quibus Nero mundum premit, Anti Christi parturitur adventus; & quod ille operaturus est postea, in isto ex parte completur.* Autumarunt alii, Neronem aliquando e mortuis resurrecturum, & eum futurum Anti Christum, cujus sæpissime Scriptores meminerunt [4].

Asserebant alii apud Augustinum de Civit. l. 20. c. 19. Neronem adhuc viventem ignoto in loco barbariem immanitatemque suam in Dei famulos certa die exercendam reservare. Victorinus Petaviensis, Apocalypsis Interpres celeberrimus [5], qui sæculo tertio floruit, illud ejusdem Apocalypsis, *Vidi unum de capitibus bestiæ quasi occisum in mortem, & plaga mortis ejus curata est*, explicat de Nerone, quem eundem adhuc esse putat, de quo Paulus 2. ad Thessalonicenses 2. 6. *Ut qui tenet imperium, teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus . . . . cujus est adventus secundum operationem Satanæ.*

S. Martinus ita loquens inducitur a Severo Sulpitio, Neronem scilicet, & Anti-Christum ante mundi exitum adventuros; illum in Occidentem, ubi Idolorum cultum instaurabit; hunc vero in Orientem, ubi Templum & Jerosalem iterum excitabit, ut ibi imperii sui sedem constituat [6]. Anti-Christum præterea enixe acturum, ut tamquam vero Messiæ populi se se sibi submittant; & bello tandem in Neronem illato, eumdem interfecturum pronunciat. Idem Sulpitius alibi de Neronis adventu ambiguus [7]. *Dignus*, ait, *exitu sit*,

1 Hieronym. in Daniel. 11. 2 Victorin. in Apoc. Ambrosiast. in 2. Thessal. 2. Chrysost. hom. 4. in 2 Thessal. Hieron. ad Algas. q. 2. August. de Civit. l. 20. c. 19.
3 Vide Malvend. de Antichristo l. 2. c. 3. p. 65. 4 Hieron. in Dan. 11. *Multi nostrorum putant, ob sævitiæ & turpitudinis magnitudinem Domitium Neronem Anti-christum fore.*
5 Vict. Petav. in Apocalyp. 13. 13. 6 Sever. Sulpi. Dialog. 2. de vita S. Martini.
7 Sever. Sulpit. l. 2. histor.

sit, qui persecutionem in Christianos primus inciperet : nescio an & postremus explebit, siquidem opinione multorum receptum sit, ipsum esse Anti-Christum venturum. A

Ipsi Ethnici, Svetonio & Tacito testibus, Neronem minime occubuisse vulgarunt; cujus etiam nomine dicta sæpe proferebant, ac si certo adhuc viveret, & ad maximam suorem hostium perniciem esset reversurus. *Modo edicta*, inquit Svetonius in Nerone, c. 57. *proferrent quasi viventis, & brevi magno inimicorum malo reversuri*. Aliquot post annis quidam nequissimus Nero surrexit [1], qui plurimis deceptis, plurimos etiam seditiosos sibi adjunxit. At Calphurnius Aspienas, quem Galba Galatiæ, & Pamphyliæ, ubi seductor ille plurimum profecerat, Præsidem constituerat, eumdem interfecit : cujus etiam caput, ut populis errorem adimeret, Romam & in Provincias B jussit circumferri.

Verum ad characteres, quos de Anti-christo Scriptura nobis exhibet, revertamur. S. Joannes in prima sua Epistola 2. 22. *Qui*, ait, *negat Patrem, & Filium, hic est Anti-Christus*. Alibi etiam [2]: *Omnis spiritus, qui solvit Jesum*, (qui nempe Jesum, vel Messiam, vel Deum simul & hominem negat) *ex Deo non est, & hic est Anti Christus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in mundo est*. Idem Evangelista huc habet, Apoc. 11. 7. de hoc nequissimo viro, quem designat nomine *bestiæ, quæ ascendit de abysso, quæ occidit duos testes*, (Henoch nempe & Eliam) *quæ faciet adversus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos : & corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est*. Describit subinde Apoc. 13. hanc bestiam, *habentem cornua decem, & super cornua ejus decem diademata, & super capita sua nomina blasphemiæ. Draco* (seu Diabolus) *dedit illi virtutem suam, & potestatem magnam, quod omnes adoraverunt Draconem, & bestiam, cui datum est os loquens magna, & blasphemias, & potestas facere* (idest pugnare) *menses 42. cum sanctis & vincere eos, & quod adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram*.

Omnia ea loca ad literam præcise de Anti-christo intelligenda esse, asserere non audemus; plures enim dicendi modos allegoricos scimus. Cum vero Anti christus adhuc non venerit, perfecte de eodem prophetias explanare non possumus; quod tunc tantummodo fiet, cum vitam suam peregerit: sicut de JESU CHRISTO Prophetiarum sensus nonnisi post ejus adventum, mortem, & resurrectionem omnino patuit. Eo tamen ducti exemplari, quod nobis e Scriptura exhibetur, asserere non ambigimus, Anti-christum futurum esse monstrum omni flagitiorum genere inquinatum, & ita ad barbariem, atque impietatem educatum, ut Caligulæ, Nerones, Domitiani, & perditissimi cæteri, si cum eo conferantur, inter innocentes sint recensendi. Illud vero majorem ingeret admirationem, quod vir nequissimus ita sanctitatem simulabit, ut plures Messiam reputaturi; alii veluti Deum adoraturi sint. Idcirco Patres [3] hypocritam, & deceptorem omnium maximum futurum esse tuentur. Quare etiam illud Job de eo usurpat c. 34. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*.

Ut tot tantaque, quæ Scriptura memorat, signa gerat, utique nonnisi Dæmonis ope præstanda, peri-

A tissimus Magus sit oportebit [4]. Patres & Interpretes de eo quoque usurpant, quod de nimiis Antiochi Epiphanis divitiis Daniel 2. 2. enunciat; imo illi Regi antichristum opibus præiturum adducunt, quod in regiones remotissimas suum protrahet imperium, sibique felicioribus belli rebus cedentibus, Templa, & loca sacra diripere non abstinebit. Ope adhuc Dæmonis plurimos thesauros abditos scrutabitur, & consequetur, omniumque tandem dissolutionum, & libidinum fæce inquinabitur. Hæc omnia quibusdam Danielis nituntur Textibus, quæ ad literam de Antiocho Epiphane explicantur; & Anti-Christo etiam accommodari possunt. Nil tamen certo exploratum asserere audemus; nimium enim quis periclitatur, cum de rebus futuris, quin præcipua revelatione acceperit, sermonem instituit.

ARTICULUS III.

De Nomine, seu Charactere Anti-Christi.

S. Joannes in Apocalypsi 13. 17. hæc habet: *Bestia faciet omnes pusillos & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est, & numerus ejus sexcenti sexaginta sex*. Multi hic multa. Vulgo tamen creditur hic numerus *666*. juxta valorem numeri, literas nomi-
C nis Anti-Christi designare; etenim tam apud Hebræos, quam Græcos & Latinos, alphabeti literæ ad numeri valorem usurpantur, E. g. I. Latine valet 1. V. 5. X. 10. IↃ. 500 CIↃ 1000.

Primo hic investigandum, an nomen Anti-Christi Hebraice, Syriace, Græce, an Latine, vel alio idiomate scribendum sit; quo enim idiomate Anti-Christus loquutus sit, ignoramus. Investigandum præterea, an nomen illud Personæ sit, an Dignitatis; an quod illi ab Asseclis, seu ab amicis delatum erit, sive quod pro criminum, & cædium merito sibi adsciscet. An denique locus iste de ipso Anti-Christo explicandus sit, an vero in iis adimplendus, qui infensissimo huic Dei inimico velut exemplaria, & præcursores prodibunt. Hærent nonnulli, an ipsum Anti-Christi nomen numerus iste
D *666*. designet, an characterem, a Viri perditissimi asseclis in suis frontibus præferendum. Nonnulli demum hujusmodi Anti-Christi characterem in signo quodam, seu monogrammate, vel in quibusdam literis, aut sententiis constituendum fore putant, ut apud Veteres servorum profugorum frontes interdum Her. obsignabant.

Tot inter varias sententias, quidnam hac in re statuamus, ambigimus; nihilominus vetustioribus, & plerisque Scriptoribus adhærentes, vel in Anti-christi, vel in cujusdam ex crudelioribus Ecclesiæ persecutoribus, Diocletiani videlicet, seu Juliani Apostatæ, nomine hunc numerum se se nobis oblaturum arbitramur: quem quidem in quibusdam nominibus Hebraice, Græce, & Latine translatis invenere. Hebraice v. g. [5] *Elion, Adonai, Iehova, Hakkadosch*, nempe
E *Altissimus, Dominus, Deus, Sanctus*, seu [6] *Abinu Hakkadosch, Appipi*, noster S. Pater Papa, seu [7] *Romiit* Romana. In Hæresiarchæ Lutheri Hebraice inscri-

pto

1 Tacit. lib. 17. & 18. Annal. Vide Sveton. in Neron.
2 1. Joan. 4. 3. & 2. Joan. vers. 7.
3 Vide Hyppol. Mart. lib. de Antichristo, Cyril. Jerusolym. Catech. 15. Gregor. Magn. lib. 31. in Job. cap 17. Damascen. l. 4. de Fide orthodox. c. 27.
4 2. Thessal. 2. Vide Iren. lib. 5. cap. 28. Vide & Interpretes ad Apocal. 13. & Malvend. l. 6. de Antichristo c. 4.
5 ש ד ק ה ה ו ה י י נ ד א נ ו י ל ע Elion. Adonai, Jehova, Kadosch.
300. 4. 100. 5. 5. 6. 5. 10. 10. 50. 4. 1. 50. 6. 10. 30. 70. *Altissimus, Dominus, Deus, Sanctus*.
Summ. 666.
6 י פ י פ א א ש ו ד ק ה ו נ י ב א Abinu Hakkedoscha Apipi.
10. 80. 10. 80. 1. 1. 300. 6. 4. 100. 5. 6. 50. 10. 2. 1. *Pater noster sanctus Papa*.
Summ. 666.
7 ת י י מ ו ר Romiit.
400. 10. 10. 40. 6. 200. *Romana*.
Summ. 666.

pro nomine [1] alii indagarunt. Adhuc plurima id genus nomina sane possent investigari.

Operam vero omnino perdimus, si necessario incertum, quod per solam revelationem, vel per ejus eventum tantummodo sciri potest, divinare velimus. Præterquam quod Hebraici idiomatis periti, Hebraici Alphabeti literis numericum valorem Joannis Evangelistæ ætate non adhuc accommodatum putant [2]: quem morem tunc addunt invaluisse, cum hujus numeri mysterium in literis invicem collatis Cabalistæ investigare cœperunt. Cujus quidem inventionis apud veteres Bibliorum textum nulla mentio, ubi numeri numquam per numericas literas, sed per ipsa numeros exprimentia verba semper referebantur.

Plura quidem, sed ejusdem ambiguitatis, quæ Anti-christo tribuunt, nomina a Græcis exhibentur. Tria ab Irenæo recensentur [3]: *Evanthas*, Floridus, *Lateinos*, Latinus, & *Teitan*, Titan, Gigas; quorum nominum literæ, si numericum earumdem valorem supputemus, summam 666. adimplent. Primasius, & falsus Hippolytus afferunt *Arnoume* [4], abrenuncio. Alius exhibet [5], *Lampetis*, lucens, seu [6] *Niketes*, Victor: seu *Kakos odegos* [7], pravus Dux; seu *Alethes blaberos*, vere noxius; seu *Palai baskanos*, diu invidus; seu *Amnos adikos*, Agnus injustus. Ticonius, post quem Primasius, profert *Antemmos*, qui proprie nihil significat. Alii, cujusmodi sunt Clictovæus, Genebrardus, Hentenius, in nomine *Mahometis*, Græce scripte, numerum 666. invenere; alii in Genserico, *Genserikos*, Vandalorum in Africa Rege. Grotius demum in *Oulpios*, quo nomine Trajanus appellatus est [8]. Studium utique vanum & inanes notæ, quas hic tantum recensuisse nos forte pœniteat.

Numerus 666. apud Latinos in variis nominibus occurrit. Haimo, Anselmus Laudunensis, Rupertus, & alii legunt: *Dic*, *Lux*: ac si Anti-christus de se sit dicturus: *ego sum lux*. Cl. Bossuet Meldensis Episcopus, historice Apocalypsim explicans, Diocletiano accommodat, quod nos anti-christo, legitque: *Diocles Augustus* [9]. Diocletianum, antequam imperaret, *Dioclem* vocatum constat. Legit De la Chetardie [10]: *C. F. Julianus Cæsar Atheus*, seu anti-Christus. Brevius etiam [11]: *C. F. Julianus Cæsar Aug.* sicut hujus Imperatoris nomen in nummis, & inscriptionibus videbatur. Hæc omnia nomina juxta valorem, quem Latinis literis tribuunt, summam 666. adimplent. At S. Joannem, qui Græce scripsit, Latini Alphabeti numeris allusisse, nosque ex de re monitos non voluisse credemus?

Qui Bestiæ, seu Anti-christi characterem ejus nomen non fore putant [12], sed symbolum, seu notam quamdam, qua ejus asseclæ obsignabuntur, adhuc inter se ipsos non conveniunt; alii enim verbo quodam, v. g. Creatori abrenuncio, abrenuncio baptismati, vel insigno, Cruci a Christi fidelibus ab Ecclesiæ exordio hucusque adhibitæ opposito, signum illud constituunt. Alii vero anti-christum insignia gentilitia, seu speciosum aliquod signum inventurum putant, quibus suum cælabit sigillum, vexilla ornabit, milites suos distinguet, vel suorum omnium frontes obsignabit, veluti Christiani Imperatores suum *Labarum* monogrammate *Christi* decorarunt XP. initiales nempe nominis CHRISTI Græce inscripti literas, eadem intexebant.

Quæ omnia plane satis incerta: quomodo enim numerus 666. cui præcipua loci hujus difficultas nititur, ibi futurus sit, minime Authores ostendunt. Cum Irenæo igitur l. 5. c. 30. satius esset tot prædictionum exitum opperiri, quam in ambiguis nominum, de quibus nisi post eventum numquam constabit, conjecturis tempus insumere, concludamus; licet enim validissima nobis occurrerent argumenta, inde tamen nil haurire possemus, quod absque peculiari revelatione ambiguitatem expelleret. Qualibet igitur notitia, quæ neque nos, neque cæteros certos constituat, vera utique cognitio non est repetanda. Ea scientia sæpe magis expedit inscitia, hæc enim fastum expellit, illam vero, licet ambiguam atque incertam sæpe sæpius superbia comitatur.

ARTICULUS IV.

Tempus venturi Anti-Christi.

Ipsa S. Pauli ætate impostores erant, qui ad Fidelium terrorem diem Domini jamjam adventuram prædicabant. *Rogamus vos Fratres*, ait Apostolus 2. ad Thessalonicenses 2. 1. *per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostræ Congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam, tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Nequis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne, quod dicitur*

1 ר ת ל ו ל Luter,
200. 400. 30. 6. 30. *Luther*.
Summ. 666.

2 Mercer. & Bertram thesaur. radic. Malvenda lib. 8. cap. 17. pag. 435. de Anti-Christo.

3 Iren. lib. 5. cap. 3. Ε Υ Α Ν Θ Α Σ Evanthas
5. 400. 1. 50. 9. 1. 200. *Floridus*.
Summ. 666.
Λ Α Τ Ε Ι Ν Ο Σ *Latinus*.
30. 1. 300. 5. 10. 50. 70. 200. Latinus.
Summ. 666.
Τ Ε Ι Τ Α Ν *Titan*.
300. 5. 10. 300. 1. 50. Gigas.
Summ. 666.

4 Α Ρ Ν Ο Υ Μ Ε *Arnoume*,
1. 100. 50. 70. 400. 40. 5. Abrenuncio.
Summ. 666.

5 Λ Α Μ Π Ε Τ Ι Σ *Lampetis*.
30. 1. 40. 80. 5. 300. 10. 200. Lucens.
Summ. 666.

6 Ο Ν Ι Κ Η Τ Η Σ *O Niketes*.
70. 50. 10. 20. 8. 300. 8. 200. Victor.

7 Κ Α Κ Ο Σ Ο Δ Η Γ Ο Σ *Kakos Odegos*.
20. 1. 20. 70. 200. 70. 4. 8. 3. 70. 200. Pravus dux.
Summ. 666.

8 Ο Υ Λ Π Ι Ο Σ *Ulpius*.
70. 400. 30. 80. 10. 70. 6.
Summ. 666.

9 DIOCLES AUGUSTUS DCLXVI.

10 C. F. JULIANUS CÆSAR ATHEUS DCLXVI.

11 C. F. JULIANUS CÆS. AUG. IↃCLVVVI.

12 Vide si lubet Malvend. lib. 8. cap. 18. de Anti-christo pag. 438. & seq.

Deus &c. S. Joannes ad suos Discipulos ita scribit [1]: *Filioli, novissima hora est, &, sicut audistis, quia Anti-Christus venit, & nunc Anti-Christi multi facti sunt; unde scimus, quia novissima hora est.* Alibi etiam [2]: *Omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est; & hic est Anti-Christus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in mundo est.* Hinc videre est, quomodo priores Ecclesiæ Fideles & Christi, & Anti-Christi adventum proxime opperirentur.

Viennensis & Lugdunensis in Galliis Ecclesiæ sævitiam, qua Marcus Aurelius sæculo secundo Ecclesiam persequebatur, ingemientes, ad Asiæ Fideles habuerunt [3] Epistolas, quibus Dæmonem in Sanctos persecutionem jam instituisse, & suas vires & malitiam, quibus citius in Fideles omnes irrumperet, quodammodo experiri ferebant. Nos belli, quod citissime nobis est illaturus, jam veluti præludia conspicimus.

Judas Syrus [4], qui sub Severo Imperatore florens scripsit in Danielem, hujus Principis adversus Fideles tyrannidem exosus, Anti-Christum jam prope adventurum asseruit; quem & Tertullianus ejusdem sæculi Auctor jam proximum testabatur [5], *Anti-Christo jam instante, & in sanguinem, non in pecunias hiante.* S. Cyprianus, qui Gallo, & Volusiano imperantibus degebat in vivis, Fideles ad persecutiones constanti animo perferendas hortatur, eosque monet, ut, quoniam Mundi exitus, & Anti-christus imminebant, de sola æternitate cogitarent [6]: *Scire debetis, et pro certo credere, occasum sæculi, atque Anti Christi tempus appropinquasse, ut parati omnes ad prælium firmus, nec quidquam nisi gloriam vitæ æternæ, & coronam confessionis Dominicæ cogitemus.* Arianismo late grassante, *recessisse*, inquit Hilarius contr. Auxentium n. 5. *in ipsam nos ætatem Anti-Christi incidisse.* Eidem fere opinioni Basilius Magnus Epist. 71. & Ambrosius [7] adhæsere, quamvis suam aliquanto magis ambiguam sententiam protulerint. S. Hieronymus [8], tam multis, quibus Romanum Imperium sua ætate affectum erat, calamitatibus tactus, Anti-christum, virum illum perditissimum, ab JESU CHRISTO spiritu oris sui interficiendum, cito adventurum prænunciavit. S. Martinus apud Sulpitium Severum [9], Anti-christum tunc temporis jam natum asseruit, qui statim ac adolevisset, se noscendum exhiberet, & imperium suum occuparet. S. Chrysostomus bella, calamitates, terræmotus, charitatis remissionem, Mundi citissime absolvendi prænuncia credebat [10], & orbem veluti morientem doloribus obrutum, & terrore, sibi morte imminente, confectum appellabat.

S. Gregorius Magnus non longe esse mundi interitum pluribus in locis asseruit. Omnia nobis, ajebat, pestes, bella, terræmotus, nationum seditiones, populorum calamitates extremam diem jam prope adventuram portendunt. Quamvis vero mundus a nobis discedat, discedenti pro viribus inhæremus, ac si vel ille, vel nos perenniter maneremus [11]. Bernardus [12], inter Ecclesiæ Patres junior, ex tot, quæ ingruerent, flagitiis mundi exitum in limine esse colligebat. Verum traditio de mundi fine post millenarium a CHRISTI nativitate futuro, circa decimum sæculum ad loca sancta, & Monasteria erigenda plurimos compulit, ut facultatibus ante diem ultimam dimissis, rebus hisce soluti coram supremo Judice sisterentur.

Paschalis II. [13] anno 1105. Concilium Florentinum coegit ex quadraginta supra tercentum Episcopis, ubi Fluentium Florentiæ Episcopum condemnavit, quod Anti-Christum jam natum protulisset. Abbas Joachim duodecimo sæculo Anti-Christum post annos 60. venturum credidit. Arnaldus de Villanova venturum statuit anno 1346. Petrus Alliacensis Cardinalis, & Episcopus Cameracensis ex suis Astronomicis speculationibus anno 1789. proditurum determinavit. Cardinalis Cusanus 1700. seu 1734. Joannes Picus Mirandulanus 1994. Franciscus Meletius 1530. seu 1540. Joannes Parisiensis 1560. Hieronymus Cardanus 1800. nonnulli denique Germaniæ Fanatici 1533. Anti-Christum adventurum scripsere. S. Vincentius Ferrerius sæculo decimoquinto scripsit ad Benedictum XIII. quem genuinum Pontificem [14] habebat, Anti-christum in limine esse, cujus ortum jam inde a novem annis ipse a pio quodam Heremita didicerat. Quod plurimorum, qui idem per auditum acceperant, & plurium Dæmonum, qui inter energumenorum exorcismos idem fateri coacti fuerant, testimonio confirmat.

Has fere omnes prædictiones falsas ex eventu deprehendimus; cæteras vero non solidis ei innixas fundamentis, meras judicamus. Hinc est, quod Concilium Lateranense ultimum Concionatoribus nostris etiam futuris, ne Anti-christi adventum, seu Mundi exitum in posterum statuerent, interdixit [15]: quod utique præteriri ab iisdem non possit, quin & in temeritatis notam inciderent, & Scripturæ adversarentur, a qua hæc accepimus: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate,* Act. 1. 7.

Iniquitatis mysterium sua ætate jam cœpisse perfici S. Paulus asserit 2. Thessal. 2. 3. &c. atque ibi Neronem, quod suum imperium sceleribus cumularit, ab Apostolo designari, ex Veterum plurimis [16] jam satis intelligimus. Thessalonicensibus addit Apostolus, Antichristum tunc temporis non adhuc advenisse, quod *discessio, seu Apostasia primum veniat*, oporteat. Per quæ verba populorum adversus Romanum Imperium seditionem, & Imperii ejusdem eversionem prædicere quidam ferunt; quidam vero, Fidelium per Apostasiam, schisma, & hæreses ab Ecclesia Matre defectionem induci tuentur. Teste demum ipso CHRISTO, Evangelium in omnes omnino regiones illatum prius fuerit, oportet. *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo Orbe, in testimonium, omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio*, Matth. 24. 14.

Hæc tria loca: *Mysterium jam operatur iniquitatis*; *discessio*, seu Apostasia *primum veniet*, oportet: *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe . . . . & tunc veniet consummatio*, quid significent, Patres atque Interpretes non conveniunt. Plures enim primum de Neronis Imperio; alii secundum de Judæorum in Romanos defectione; alii denique de Templo, & urbe Jerosolymitana a Romanis evertenda ultimum explicant. Omnes tamen Anti-christi adventui præmittenda alio sensu designari posse consentiunt, cui quidem sententiæ Veterum, & Recentiorum plerique subscribunt.

Antequam igitur homo peccati se exhibeat, per hæreses, & morum corruptionem iniquitatis mysterium perficiatur, & penitus adimpleatur, oportet; hinc Servator ajebat Luc. 18. 8. *Veruntamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Præterea Romanum Imperium per Regnorum, & Provinciarum sepere-

[1] 1. Joan. 2. 18. [2] 1. Joan. 4. 3. [3] Apud Euseb. lib. 5. Hist. Eccles. cap. 1.
[4] Judas Syrus apud Euseb. lib. 6. Eccles. Histor. cap. 6. [5] Tertull. de fuga in persecutione cap. 2.
[6] Cyprian. Epist. 65. ad Tibaritanos. Vide & ad Fortunatum Epist. 53. *Ex in fine, atque consummatione mundi Antichristi tempus infestum appropinquare nunc cœpit &c.*
[7] Ambros. lib. 10. in Luc. cap. 3. & Orat. de Obitu Fratris sui Satyri. *Raptus est, ne statim orbis excidia, mundi finem videret.* [8] Hieronym. ad Agheruchiam.
[9] Sulpit. Dialog. 1. *Non esse autem dubium, quin Antichristus malo Spiritu conceptus esset, etiam in annis puerilibus constitutus ætate legitima sumpturus imperium.* [10] Chrysostom. homil. 33. in Joan. circa finem.
[11] Gregor. Magn. lib. 4. epist. 34. & epist. 38. & homil. 1. in Evangel. [12] Bernard. in Psalm. 90. serm. 6. [13] Vide Hieronym. Vielm. lectione 8. de sex diebus conditi orbis, & Malvend. de Antichristo lib. 1. cap. 37. & 38. [14] Dies 27. Julii Epistolæ appositus est ann. 1412.
[15] Concil. Lateran. cap. 11. Supernæ Majestatis &c. [16] Hieronym. in Dan. et Augustin. lib. 20. de Civit. cap. 19. Victorin. in Apoc. 13. alii.

parationem, & populorum sibi parentium seditiones, necesse est evertatur; & in regionibus omnibus Evangelium prædicetur, ut omnes veritatis lumine perfundi possint, & nemo, quod Fidei non adhæserit, excusationem afferat.

Plura ex his, quæ attulimus, excito jam comprobata perspicimus, Charitatem videlicet infirmatam, & in Fidelium plerisque jam prope extinctam. Fidem & Veritatem ab innumeris hæreticis oppugnatam; unionem per schismata scissam; Regna, & Provincias ab Ecclesia Catholica penitus sejunctas; veritates eversas; pietatem interitui proximam; errores, flagitia, morum denique omnium fere ubique grassantem corruptionem. Quæ omnia mysterium iniquitatis in Ecclesia impleri utique ostendunt. An vero illud eo pervenisse, quo CHRISTUS denunciat, & quo Paulus perventurum prædixit, temere asseramus? Vel Apostoli ætate impleri quidem cœperat; at quandonam implendum omnino fuerit, qui nobis aperuit? CHRISTI adhuc Ecclesia plurimos numerat, qui constanti Fide, & fervida Charitate instructi, ad sæculi flagitia non defluant; plurimos adhuc Homines Dei recenset, qui ante Baal minime procubuere. Si hæresis, schisma, & Mahometi nequitia Fideles innumeros ab Ecclesia extorserunt, divinitus actum est, ut, America detecta, innumeri pariter earum regionum incolæ ad Fidem accederent. Hæreses præterea ad scientiam Ecclesiasticam instaurandam, ad Pastorum zelum excitandum, & Fidelium pietatem augendam contulerunt. Hinc de proximo Anti-Christi adventu nil jure concluditur.

Licet autem Romanum Imperium, quod Provincia, Regna, & populi innumeri ab eo deficientes, ejus quoque jugum excusserint, valde infirmatum videatur; nihilominus eversum penitus non constat. Extat adhuc in Germanico Imperio, cujus Imperatores veterum Cæsarum legitimi successores sunt. An hujusmodi Imperium omnino ante Anti-Christum delendum sit, quodve temporis intervallum inter hujus adventum, & illius eversionem, necesse est intercedat, nobis Deus non aperuit. Si forte non omnino evertendum, sed tantum sit infirmandum, quo pervenura est ea infirmitas, ne inde proximum Anti-Christum eruamus? De his omnibus neque revelatione, neque traditione quidquam accepimus, quod certam notitiam afferat, & nostram ambiguitatem tollat.

Quamvis denique in omnes, quarum apud nos cognitio, regiones Evangelium forte delatum sit, nullum prorsus populum adhuc nos latere quis asserat? Sunt qui ultra meridionalem Oceanum regionem adhuc late detegendam defendunt. Esto tamen, nulla regio notitiam nostram effugerit, quis Fidei Præcones in omnes penitus Asiæ, & Africæ oras se contulisse affirmet? Plurima esse remotissima loca, quo Itinerantes numquam pervenere, & a nostris Geographis ignorantur, omnes conveniunt. His ne igitur Evangelii Præcones Fidem denunciaverint? Scimusne præterea, ad quem usque modum Deus populis denunciari, cognosci, & Evangelium exerceri decreverit? An sufficiet, si illud plurimi audierint, quin exceperint, vel a plerisque exceptum alii rejecerint? An demum satis forte, si omnes ad Fidem accesserint, eique statuto quodam tempore adhæserint, ita ut singuli, quos Deus beatitudini destinavit, æternam consequuti fuerint felicitatem? Quamvis igitur Scriptura Anti-Christi prænuncia nobis præferat, quo tamen tempore adventurus sit, penitus ignoramus: quare non modo ejus adventus annum, sed neque sæculum statuere audemus.

ARTICULUS V.

De origine, Nativitate, & Educatione Anti-Christi.

EX Judæorum progenie Anti-Christum egressurum, Patres omnes, & Interpretes conveniunt. Auctor S. Hippolyti nomine vulgatus, sicut, inquit [1], CHRISTUS ab Judæis, ita ab iisdem Anti-Christus prodibit. Hilario Diacono teste [2], circumcidetur, & in mediis Judæis orietur, ut populus iste eidem adhæreat, eique se, suasque res omnino committat. S. Hieronymus illud Danielis explicans: *Ascendet in modico populo*, Anti-Christum ab Judæis oriturum refert [3]; *Consurgere debet Anti-Christus de modica gente, idest de populo Judæorum*. Quamvis autem, subdit, Judæorum nemo toti umquam orbi dominatus fuerit, Anti-Christus omnibus regionibus imperabit: *Nullus Judæorum, absque Anti-Christo, in toto umquam orbe regnavit* [4].

Unanimiter, & Patres, & cæteri, Anti-Christi parentes ex Tribu Dan futuros arbitrantur, quo sensu accipiunt illud Jeremiæ 8. 16. *A Dan auditus est fremitus equorum eius, a voce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis terra; & venerunt, et devoraverunt terram, et plenitudinem eius.* Illud Jacob Gen. 49. 16. similiter explicant: *Dan judicabit populum suum, sicut et alia tribus in Israel. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro.* Putant denique, Joannem Evangelistam Apoc. 7. 5. &c. cum Tribus Israel recensuisset, Tribum Dan idcirco omisisse, quod ex illa Anti-Christum egressurum agnosceret.

Qui equidem Textus, atque argumenta, neque perspicua sunt, neque convincunt, & sine Patrum consensu, ad Anti-Christum credi possent nullatenus pertinere. Licet autem ea sententia tot fautoribus invalescat; nihilominus Bellarminus [5] nonnisi probabilem, & eorum Textuum allegoricam explanationem habendam censet. S. Irenæus [6], Pseudo-Hippolytus [7], S. Ambrosius l. de Bened. Patriarch. c. 7. & in Psalm. 40. S. Augustinus [8], Theodoretus quæst. 109. in Genes. S. Gregorius Magnus [9], Auctor Tractatus de Anti-Christo, qui inter Augustini opera occurrit, & S. Prosper [10], Anti-Christum a Tribu Dan ortum ducturum defendunt. Aretas vero, Beda, Primasius, Rupertus, Haimon, aliique non pauci Apocalypsis Interpretes, S. Joannem Tribum Dan præteriisse ferunt, quod ex ea Tribu Anti-Christus sit egressurus [11].

Ad cujus opinionis fulcimentum Tribum Dan trans Euphratem, vel Babylone, vel in Babylonia adhuc subsistere, ibique Anti-Christum oriturum, & Imperium auspicaturum affirmant. Cui sententiæ, addit Hieronymus in Dan. 2. unanimis Patrum, & Interpretum Catholicorum consensus favet. *Nostri interpretantur hæc omnia de Anti-Christo, qui nasciturus est de populo Judæorum, & de Babylone venturus.* Quare qui post Hieronymum scripsere, eidem opinioni subscribunt. Aretas etiam, cujus apud nos Commentarium Græcum in Apocalypsim [12], Anti-Christum a regione trans Euphratem venturum asserit. Cum vero Babylon ad nihilum ferme redacta sit, & ultra mille ab hinc annis adeo sui ipsius obruta ruinis, ut, ubi quondam condita fuerit, ne vestigium quidem exhibeat; qui Babylone Anti-Christum oriturum volunt, eam urbem rursus ædificandam arbitrentur, vel forte my-

Z 3 stico

1 Pseudo-Hippolyt. lib. de consummat. mundi. 2 Ambrosiast. in 2. Thessal. 2.
3 Hieronym. in Daniel. 11. 4 Hieronym. ibidem.
5 Bellarm. lib. 3. cap. 12. de Summo Pontifice. Vide & Suarez tom. 4. disp. 54. sect. 2.
6 Iren. lib. 5. advers. Hæres. cap. 30. *Hieremias Tribum, ex qua veniet, manifestavit, dicens: De Dan audiemus vocem velocitatis equorum ejus &c.* 7 Pseudo-Hyppol. orat. de consumm. mundi. *Ille enim (Anti-Christus) nasciturus est ex Tribu Dan.* 8 August. qu. 22. in Josue. *Talia dixit de isto Dan, ut de ipsa Tribu existimetur exsurrecturus Anti-Christus.*
9 Gregor. Magn. lib. 31. in Job. cap. 18. *Nonnulli enim de Tribu Dan venire Anti-Christum ferunt &c.*
10 Prosper de promission. p. 4. 11 Vide Malvend. lib. 2. cap. 11. & seq. de Anti-Christo, ubi citat Eucher. in Genes. 49. Alcuin. qu. in Gen. Raban. Opusc. de Anti-Christo, alios plurimos. 12 Aretas in Apoc. 9.

stico, & allegorico sensu Babyloniam accipiant, oportet. Lactantius Anti-Christum e Syria ducit: *Orietur ex Syria, malo spiritu genitus, eversor, ac perditor humani generis*.

De Anti-christi patre inter Scriptores non convenit. Dæmonem a perditissima fœmina [1] Anti-christum exceptutum quidam tulere. Neque ea opinio nobis admirationem ingerat; Veterum enim plurimi [2] a Dæmone posse fœminas gravidari, imo & plures gravidatas sentiebant. De angelis filiarum hominum amore captis, & de Gigantibus ante diluvium ab eorumdem concubitu progenitis, nonnulli Patres quid scripserint, scimus. Authores ex Veteribus, & ex recentioribus innumeri, incuborum, & succuborum, maribus, & fœminis noctu illudentium, Dæmonum meminere. Neque præstantissimi desunt Scriptores, qui fœminas implendi virtutem Dæmoni tribuant, non quod per se ipsum id præstet, sed per semen ab aliquo homine ereptum, & in fœminam callide infusum.

Facile quidem Philosophorum argumentis hanc opinionem refelleremus, si hæc id exposceret Dissertatio. Quin vero ad Physicam confugiamus, hæc utique sententia Salvatoris nostri ex Matre Virgine Nativitatis prodigium evertit, & vehementer infirmat. Si enim Dæmonis ope præter miraculum, quin viro adhæreat, mulier concipiat, quare & Angeli industria præstari non valeat? Si vero Angelus, & Dæmon ea in re virtutem suam exerceant, ruit protinus argumentum, quo Jesum Christum, quod ex Virgine ortum duxerit, Messiam, & Deum comprobamus. Hoc autem miraculum ita omnium vires exhaurit, ut, Augustino teste, Ep. olim 3. nunc 137. cap. 4. n. 13. neque a Dæmone, neque a cæterorum quolibet præstari valeat. Constat itaque, a Dæmone arro ea, quæ præfertur, nullum hominem procreari non posse, & ea propter neque Anti-christum ex matre, quæ viri consuetudine usa non fuerit, minime progressurum.

Putant alii, Anti-christum non hominem fore, sed Dæmonem humana carne indutum: *Unus de hominibus, in quo Satanas habitaturus sit corporaliter* [3]; alii vero & Dæmonem simul, & hominem fore, vere humana natura ex anima, & corpore præditum, & vere etiam Dæmonem, quod Satanas, veluti anima corpus, eum quodammodo animaturus sit. Porro, ait Hilarius Diaconus in 2. Thessal. 2. sicut Jesus Christus in assumpta humanitate Divinitatis suæ majestatem editis prodigiis ostendit; ita Dæmon in Anti-christo falsis signis Deum se esse demonstrare conabitur. Quin & Virgine Matre, non secus ac Christus, juxta falsi Hyppolyti opinionem, se natum ostentabit, quamquam Christus veram, ille vero phantasticam carnem sit suscepturus [4].

Opiniones has Philonis [5], Origenis [6], Tertulliani [7], Rabbinorum [8], aliorumque, Dæmones videlicet & Angelos naturam posse humanam assumere, si nobis refellere proponamus, plus nimio Dissertatio esset protrahenda. His itaque prætermissis, ea præferenda est sententia, quam probat Ecclesia, & Chrysostomus [9], Theodoretus, Theophylactus, Rabanus Maurus [10], & vulgo omnes docent, Anti-christum nempe verum futurum hominem, qui Dæmoni, ut in fideles omne crudelitatis, ac malitiæ genus exerceat, omnino obsecundabit. Porro sicut Jesus Christus nobis salutem allaturus, naturam humanam, nostrasque infirmitates assumpsit; ita Satanas eum inter homines secernet, quem, ut homines decipiat, sibique Messiæ nomen vendicet, suæ malitiæ magis accommodum judicabit.

A Docentes, Anti-christi matrem omnium fœminarum libidinosissimam futuram [11], seu illum oriturum ex incestu patris cum filia, vel filii cum matre, vel fratris cum sorore, vel demum ex matre voto, ac sacramento virginitati obstricta, ipsi sibi constare non possunt. Si ea matre perditissima, & famæ jam deploratæ ortum ducturus est Anti-christus, quomodo se se Virgine satum jactabit, ut Messias valeat reputari? Quomodo etiam ex Judæis parentibus generandus, si matrem religiosa professione Deo mancipatam est habiturus, cum Judæi Virginitatem profiteri minime consuescant? Sunt, qui affirment [12], illam sub ementita solitudine, pietatis, ac puritatis specie corruptissimos mores B ita Dæmonis ope occultaturam, ut ipsi ejus cognati, & familiares nil tale de ea poterint cogitare. Adduor præterea, ex iis incognitis hominibus, qui secreto ad eam accedent, quibus sui copiam faciet, hominem peccati, quin ejus patrem agnoscat, conceptoram, & filium illum maledictionis fructum efformandum, possidendum, & a Dæmone gubernandum, divino miraculo de se adhuc Virgine genitum promulgaturam. At quibusnam fraudibus, & mendaciis suo testimonio fidem acquirat? Si Matris Jesu Christi virginitas infirmis adeo fulcimentis innixa fuisset, eorum, qui Servatori crediderunt, Judæorum fidem sibi forte comparasset?

Rabanus Maurus Opusc. de Anti-christo, ex parentibus communibus Anti-christum oriturum, in pecca- C to, & per peccatum concipiendum, & veluti ex peccatis compingendum putat; e peccatis prætera non emersurum, ut ejus horoscopus, quo peccati homo profertur, adimpleatur. Dæmoni permittet Dominus, ut a conceptione Anti-christo potitus, ad extremum usque spiritum non derelinquat. Sicuti enim Spiritus Sanctus in Virginem purissimam superfusus, donis suis eamdem cumulavit, & in ipsius utero vitæ, & sanctitatis germen efformavit, ut fructus, quem peperit, Sanctitas ipsa & esset, & diceretur; ita, proportione servata, nequissimus spiritus Anti-christi parentem superimplebit, ut filius, quem fuderit, maledictionis fructus, & filius perditionis habeatur.

E variis hisce de origine, & ortu Anti-christi con- D jecturis certi nihil hauriri posse fatemur. Neque certius quidquam de ejus educatione invenimus. Quid tamen de hominis in peccato concepti, per Dæmonem ut sibi in flagitiis omnibus peragendis obsecundet, efformati, & pessimis tum corporis, quam spiritus dispositionibus affecti educatione cogitemus? Satanas, a quo potissimum ad prava quælibet erudiendus, nihil sane prætteribit, ut alumnum se dignum, & ad sua perditissima consilia compositum constituat; is vero discipulus nequissimæ disciplinæ nimium capax, nil intentatum omittet, ut sancti præceptoris documenta omnia æquatur. Pessimas animi qualitates, & propensiones nequissimas vel a teneris annis ita exhibiturum censent, ut, qui sit in posterum evasurus, eumque præcipuum esse Dæmonis alumnum & filium, nul- E lo negotio inde percipi possit. Vide Malvend. l. 2. c. 29. & seq. de Anti-Christo.

Veromtamen si Anti-Christum vel a puerilibus annis ita perditum constituamus, quomodo id constabit, quod alibi diximus, & Patres asserunt, hominem nempe peccati omnium maximum hypocritam evasurum, ac

1 Lactant. l. 16. c. 17. *Alter Rex orietur ex Syria, malo spiritu genitus*. Sulpit. Dialogo 2. de S. Martino. Hieronym. in Isai. 17. *Consummato Anti-Christo, & parente ejus Diabolo*. Beda in Apoc. 8. Author lib. de Anti-christo inter opera S. Augustini. 2 Vide Bellarm. l. 3. de Roman. Pontif. c. 12. Malvend. de Anti-Christo lib. 2. cap. 2. Valles. de Sacra Philosophia cap. 8. 3 Hieronym. in Daniel. 7. Ita & Beda in Apoc. 13. 4 Hippolyt. de Consumm mundi. 5 Philo de Gigantib. p. 286. &c.

6 Origen. tom. 2 in Joann. Vide & Hier. in Agg. 1. 7 Tertull. l. 3. cont. Marcion. c. 9. & de carne Christi cap. 3. 8 Vide Lyran in Josue 2. 4. &c. 9 Chrysost. in 2. Thessal. 2. Theophylact. ibid. 10 Raban. Opusc. de Anti-Christo. 11 Vide Pseudo-Hippol. Orat. de consumm. mundi; Ephrem. Syr. serm. de Anti-Christo. Damascen. l. 4. de fide cap. 27.

12 S. Hildegardis ex Christi revelatione.

ac specie pietatis, & scelerum, & idololatriæ simulato odio fideles potissimum decepturum? Illud sane per hypocrisim facilius non sequetur, ut & veluti Messias habeatur, & veluti Deus adoretur. Dæmonis per hunc iniquitatis filium tot malis mundum obruere cogitantis interest, ut is lucis filium, & Sanctitatis germen hominibus se se exhibeat; quare id illi maxime curandum credimus, ut omnem sanctitatem exterius præferat, interius vero ab omni virtute longissime discedat.

Ut præterea præstantissima omnium artium scientia decoretur, quas per se ipsum facillime, quin erudiatur a præceptore, sibi comparare videatur, ut identidem suam quusuera multo majorem perspicaciam præferat, seque hominem ingenti admiratione dignum ostendat; ut omnia magiæ arcana perdiscat, eaque identidem ad praxim ex industria redigens, de se nomen humano majus hominibus ingerat. Quæ omnia Satanæ, per Anti-Christum homines in fraudem impellere apparantis, consiliis maxime conducent. Porro ut Scripturas Sacras, argumenta suis fraudibus faventia inde exhausturus, optime teneat; Theologorum sententias; Philosophorum systemata; variarum Religionum, Christi-fidelium præsertim, Judæorum, & Mahometanorum dogmata præstantissime calleat: nunquam vero immature nimis malitiam, sævitiam, & impietatem proferat. Hinc enim fieret, ut omnia sui Præceptoris Satanæ consilia everteret, & ab ipso quisque animum averteret.

Cæterum eum Anti-Christum a Dæmone efformandum, erudiendum, & possidendum dicimus, Energumenorum instar, spiritus sui usu, ratione, & libertate destitutum non constituimus; spiritu enim suo, & libertatis arbitrio omnino pollebit, neque eodem, nisi ubi sibi collibitum fuerit, abutetur. Satanæ conatus nullam perditionis filio vim inferent; qui tamen a Deo perditissimæ suæ voluntati derelinquetur: quare Dæmon neque ex gratia, neque ex Cœli lumine, neque ex ipsa nequissimi illius voluntate ullum suæ malitiæ obstaculum offendet. D. Thomas p. p. qu. 113. a. 4. ad 3. cui nonnulli Theologi subscripsere, Custodem Angelum ei adfuturum putat, qui, ne per eum, quæcumque velit, mala ingerat, Dæmonem cohibebit. Alii vero, cum inemendabili pravitate affectum Messiæ Fidem, & honores divinos præstari sibi præsumentem intelliget, ab Angelo statim derelinquendum arbitrantur.

ARTICULUS VI.

De Imperio, Bellis, & Morte Anti-Christi.

DE loco, ubi Anti-Christus Imperium suum exordietur, inter Scriptores satis convenit [1]. Sicuti Babylone oriturus [2], ita in ea Urbe Regnum creditur auspicaturus. Omnem industriam, politiam, magiam, præstigia, falsaque prodigia exeret, ut authoritatem neque origini, neque virtuti suæ debitam consequatur [3]. Ad illum primo accedent Judæi, quibus proinde summa Regni, & Aulæ munera committet. Plurima iis videntibus prodigia efficiet, & per sanctitatis, mansuetudinis, pietatis, clementiæ, justitiæ speciem, & per idololatriæ, scelerumque simulatum odium, eorum animos ita capiet [3], ut tamquam vero Messiæ se se illi submittentes, Regnum Israel in promissionis terra ab eo instaurandum sibi spondeant.

Novus illico Rex de toto sibi Orbe subigendo cogitabit; quare quam maximo instructo exercitu, per pulcherrimam populos a Tyrannorum jugo erutos libertate donandi, & veram Religionem restituendi speciem, omnia terrarum Imperia, Romanum præsertim tunc temporis in decem Regna divisum, omnino evertere aggredietur [4]; primumque Ægypti, Lybiæ, & Æthiopiæ Reges cæteris præstantiores aggressus, eorum Regna occupabit. *Mittet manum suam*, ait Daniel 11. 42. *in terras, & terra Ægypti non effugiet, & dominabitur thesaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti, & per Lybiam quoque, & Æthyopiam transibit.* Horum Regnorum casus aliorum septentrionam secum trahet; Principes enim, & populi turmatim confluentes se se Victori submittere properabunt.

Anti-Christum in Palæstina educandum, ab eoque Bethsaidæ, & Corozaim sibi imperium erigendum; demum, ut victorias suas in orbem universum effundat, inde egressurum, Veterum nonnulli idcirco senserunt [5], quod Servator in eas Urbes maledictionem enunciaverit, Matth. 11. 21. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Verumtamen hac conjectura nihil infirmius; neque hinc Anti-Christum in iis urbibus moraturum, constat. Veterum præterea plerique eum, nonnisi postquam omnes omnino regiones subegerit, in Palæstinam adventurum scripsere.

Undique confluentes Judæi, Anti-Christi militiæ nomen dabunt, quod eum, quem tot sæculis venturum speraverant, Messiam esse sibi certo suadebunt; quorum exercitus Dux nequissimus Palæstinam invadet; eaque nullo negotio subacta, Imperii sui sedem Jerosolymis collocabit. Antequam vero hæc egerit, Judæam ingressus, Gog, & Magog Reges in se ipsum fortissimis copiis irrumpentes, bello excipiet; iisque penitus eversis [6], Judæam omnem cæsorum spoliis locupletabit. His gestis, Anti-Christus totius Universi Princeps habebitur, seque verum Messiam jactitans, in Christi Regnum furorem suum convertet, & *extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*, 2. Thessal. 2. Templum Jerosalem iterum excitabit, Latriæ cultum impendendum sibi præcipiens [7]. Sunt, qui scribant, in Christifidelium Templis sessurum, ut a fidei perduellibus adorationes excipiat [8].

Tunc ad Anti-Christi progressus cohibendos, & ad Justos in majori, quo eorum unquam constantia tentata fuerit, discrimine adjuvandos, Enoch, & Eliam Dominus excitabit. Sive hi duo Christi Præcones ante Anti-Christi manifestationem, ut nonnulli Veteres sentiunt, sive, ut Patrum plerique putant [9], postquam Vir ille nequissimus imperare cœperit, adventuri sint; illud sane constat, quod vera prodigia falsis Anti-Christi signis objicient, ejusque conatibus, & præstigiis eniae adversabuntur. Qua de re hæc Joannes in sua Apocalypsi 11. 3. &c. *Ego dabo* (spiritum meum) *duobus testibus* (Henoch, & Eliæ [10],) *et prophetabunt diebus mille ducentis* [11], *amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum. ... Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint. Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso* (Satanas nempe, qui possidet, & animat Anti-Chri-

1 Vide Hieronym. in Dan. 11. Lactant. l. 7. c. 17. Aretam in Apoc. 2. 14. alios.
2 Cyrill. Jerosol. Catech. 15. Hieronym. Theodoret. Strab. alii in Dan. 11.
3 Hippol. orat. de Consumm. mundi, Ephrem serm. de Anti-Christo. 4 Vide Hieronym. in Dan. 7. & Theodoret. in Dan. 7. & 11. 5 Vide Method. Martyr. seu alium sub ejus nomine, Anselm. in Elucidar. Raban. Opuscul. de Anti-Christo. 6 Vide Ezechiel. 38. & 39.
7 Vide Iren. l. 5. c. 25. Hilar. in Matth. 24. Cyrill. Catech. 15. Pseudo-Hippol. &c.
8 Hieronym. Epist. ad Algasiam qu. 11. Oecum. in 2. Thessal. 2. &c.
9 Victorin. in Apocal. Raban. Opusc. de Anti-Christo Pseudo-Hippol. Beda, Primasius &c.
10 Ita PP. & Interpp. passim. 11 Nempe tribus annis cum dimidio, & toto persecutionis Anti-Christi tempore.

ti-Christum) *faciet adversus eos bellum, et vincet illos, et occidet eos. Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est.* (nempe Jerusalem) . . . . *Et post dies tres, et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos, et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos, et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in Cœlum in nube.*

Religio, quam Anti-Christus statuet, alia erit ab Idololatria [1], quæ, cum existimationem omnem amiserit, ejus fidem prorsus infirmarat. Veteres, & recentiores superstitiones oppugnabit. Judaismo æque ac Christianismo, & Mahometismo adversatus, singularem Religionem constituat, cujus Author, & objectum aliud a se ipso non fuerit. Veterem tamen quodammodo instaret recentiori Judaismo, cujus cultus in eo situs erit, ut se ipsum Messiam homines fateantur, & veluti Deum venerantur.

Quæ hucusque diximus de initio, & progressu imperii Anti-Christi, de victoriis, quibus Ægyptum, Lybiam, & Æthiopiam sibi submittet, de bello adversus Gog, & clade, qua hostes penitus everter, certis argumentis non inniti ultro fatemur. Ad ea comprobanda mos inolevit, ut Danielis, & Ezechielis Textus allegentur; qui tametsi historice, & ad literam vel Epiphanem Antiochum, vel alium Principem designent, a Patribus nihilominus aptentur Anti-Christo. Ea igitur in re a Patrum authoritate potissimum ducimus, quæ sane maximi habenda est, cum Ecclesiarum veterem de his traditionem ex ea discamus. Quamvis autem vel ab aliqua circumstantia, vel in alicujus facti ordine falleremur, Anti-Christum saltem Regem potentissimum, & impostorem omnium nequissimum futurum, ambigi nullatenus potest. Nec Anti-Christi inimicorum numerum, neque victoriarum copiam, nec Imperii amplitudinem certo scimus: at omnem Satanæ potentiam ei adfuturam, eumque calliditatem, præstigia, signa, & vim omnem ad Imperium sibi constituendum enixe adhibiturum non ignoramus.

Signa ab Anti-Christo gerenda Scriptura satis memorat, 2. Thessal. 2. 9. &c. *Cujus est adventus . . . . in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent.* Tria Anti-Christi prodigia in Apocalypsi Joannes recenset cap. 13. 13. 14. 1. *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de Cœlo descendere in terram*, ut olim Elias 4. Reg. 1. 10. &c. 2. *Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiæ, & ut loquatur imago bestiæ*, Apoc. 13. 15. Oracula nempe sibi faventia vulgare instituet, seu quædam simulacra magiæ ope ita construet, ut ad simplicium seductionem verba profarant. 3. Imaginem bestiæ gladio interfectæ vitæ restituet: *Bestia, quæ habet plagam gladii, vixit*, Apoc. 13. 14. quo etiam illud spectat: *Vidi unum de capitibus suis* (bestiæ) *quasi occisum in mortem, et plaga mortis curata est*, Apoc. 13. 3. Quod de Anti-Christi morte, & commentitia resurrectione Patrum, & Interpretum plerique explicant [2]. Lethali vulnere sauciabitur, mortuusque reputabitur, & aliquandiu post ceu vitæ restitutus prodibit, eaque re captos innumeros sibi asseclas vindicabit.

Jesu Christi resurrectionis prodigium ea perspicuitate patet, ut a suo Antagonista simulari non possit. Christus vere mortuus est; ejus latus perfossum est: quare vel post mortem mortali vulnere affectus fuit. Anti-Christus vero vulnere, quod mortale videbatur, sauciatus præsertur. Velute mortuus reputatus est, sed incolumitati restitutus, resurrectionis speciem exhibebit; quare ejus resurrectio nonnisi ludus, atque præstigium.

Signa cætera, quæ Ecclesiastici Auctores recensent, incerta sunt. Lepra, ut ajunt [3], infectos deterget; paralyticis gressum restituet; Dæmones fugabit, prænuntiabit futura; mortuos revocabit; montes transferet; per mare sicco pede gradietur; ignem e cœlo deducet; diem tenebris, noctem luce perfundet; Soli denique, & elementis omnibus imperabit. Hæc omnia conjecturis nituntur. Nos vero præterea, quæ a Scriptura accepimus, permaxima prodigia ab Anti-Christo gerenda non ambigimus; quare, qui eadem videbunt, a Deo quidam geri credent, & si fieri poterit, ipsi Electi in errorem devenient, Matth. 24. 24.

An prodigia hujusmodi vera futura sint, an falsa, an virtutes supernaturales, an tantum præstigia prodigiorum speciem præferentia, non decernimus. A S. Paulo mendacia signa appellantur, 2. Thessal. 2. 9. *Signis, et prodigiis mendacibus.* Quod quidem, de Interpretum plurimorum sententia [4], ad prodigia fallacia referri potest, vel ad vera ideo gesta, ut homines per ea in fraudem impellantur [5]. Vel ab improbis vera signa interdum geri posse Patres non improbant [6]; quare a veritate nil recedemus, si ab Anti-Christo plurima vera signa gerenda fore arbitremur, quæ tamen nequissimo sibi fine proposito perditissimus ille præstabit.

Quo temporis spatio Imperium penes Anti-Christum futurum sit, Scriptura palam nunquam edicit: ipsius tantum persecutionibus trium annorum cum dimidio spatium assignat [7]. Porro tamen plerimi ejus imperii tempus cum persecutionum tempore componunt [8]. Tres sane anni cum dimidio satis, superque sunt, ut ea, qua Anti-Christus, felicitate omnium terrarum orbis subigatur, atque innumeris Dei famuli calamitatibus obruantur. Hujus crudelissimi Principis dies, ut Salvator spopondisse videtur, Electorum gratia contrahentur [9]; aliter quis ejus impetus declinare, vel fallaciis valeret obsistere? Ipsa Ecclesia, quam per mulieris speciem Joannes nobis exhibet, Apoc. 12. 6. 14. Anti-Christi furorem vitans, confugiet ad solitudinem, *ubi habebit locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta . . . . Et draco persequutus est mulierem . . . . et misit ex ore suo post mulierem aquam, tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine . . . . et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo. Et iratus est Draco in mulierem, et abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu Christi.*

Nemo ex Dei famulis illius miserrimi temporis tentatione liberabitur; Anti-Christus enim vel per se ipsum, vel per suos insequutus, nihilo abstinebit, non suppliciis, non promissis, non blanditiis, minis, aut prodigiis, ut eos decipiat, & ad interitum perducat. Ammon tantummodo, Moab, & Edom, juxta Danielem 11. 41. ejus cædes idcirco evitabunt, quod ejus omnino voluntati obtemperantes, veluti Messiam, & Dei Filium libenter excipient, eique cultum impendent. Edom, Moab, & Ammon nomine neferii omnes designantur, Anti-Christo se ultro submittentes.

Inter Christi asseclas, & Anti-Christi alumnos mille annorum dissidium (totidem namque annis Justi vivent in terra) veteres quidam millenarii constituentes, adversos sanctos bellum ad annos mille protrahandum putavere. Vulgo tamen Justos permaxima eo temporis intervallo pace fruituros, & Satanam sub annorum mille exitum e vinculis solutum, ut bellum sanctis inferat [10], ex abysso agressurum sentiunt [11]. Tunc *exibit, et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos*

---

1 Chrysost. In 2. Thessal. 2. 4. & alii in eumdem locum. Pseudo-Hippol. Iren. Cyrill. Jerosolym.
2 Vide Greg. Magn. lib. 11. Ep. 3. Primas. Bed in Apoc. Item Haimon. Ansbert. Richard. Rupert. Anselm. Strab. Thom. &c. 3 Hippol. de Anti-Christo. 4 Cyrill. Jerosolym. Catech. 15. Theodoret. in 2. Thessal. 2. 5 Ambrosiast. in 2. Thessal. 2. & Chrysost. ibidem. Vide August. de Civit. l. 20. c. 19. n. 4. 6 Vide Aug. de divers. quæst. 82. qu. 79. n. 4. 5. 7 Apoc. 11. 2. 3. Daniel. 7. 25. & 12. 31. 8 Iren. Cyrill. Jerosolym. Theodoret. Hieronym. Aug. de Civit. l. 20. c. 13. 9 Matt. 24. 22.
10 Apoc. 20. 1. &c. 11 Vide Aug. de Civ. l. 20. c. 13.

los terræ, Gog, et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris [1]. *Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circumierunt castra Sanctorum, et civitatem dilectam. Et descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit eos, et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, et sulphuris, ubi et bestia, et Pseudo-Propheta cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum.*

De quo etiam eventu hæc habet Daniel 12. 1. *In tempore illo consurget Michael Princeps Magnus, qui stat pro filiis populi tui, et veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro. Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper.* Ad illud idem tempus certamen, de quo Joannes in Apocalypsi 12. 7. plures referunt [2]: *Et factum est prælium magnum in Cœlo: Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in Cœlo. Et projectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui seducit universum orbem & projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt. Et audivi vocem magnam in Cœlo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.*

Hæc omnia allegorice scripta sunt, & Dæmonis potius, quam Anti-Christiani imperii eversionem referunt, quamquam alterum ab altero indivisum scimus. Ut vero quidquam de Anti-Christi exitio præcipuum afferamus, ex Patribus, & Interpretibus constat [3], perditissimum hunc Dei hostem ad montis Oliveti fastigium se collaturum, ubi in suo tentorio, ac Throno insidens nemine opem ferente, occidetur, juxta illud Danielis 11. 45. *Figet tabernaculum suum Apadno inter duo maria super montem inclytum, & Sanctum, & veniet usque ad summitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei*. Qui locus de Antiocho Epiphane in urbe Tabes trans Euphratem vita functo ad literam explicatur, verumtamen Anti-Christi neci vulgo aptatur. Lactantius teterrimum Anti-Christi exitium ita describit [4]. In Justos in Montem Oliveti se se receptos, omnes suas copias Anti-Christus impellet, ut eos arcta obsidione primum urgens, vel igne vel ferro penitus tandem exterminet. Quare Justi iis angustiis pressi, ad Dominum clamabunt; quibus, nocte media ense veluti Divini Judicis prænuncio e Cœlis delapso, JESUS CHRISTUS prælio occurret comitantibus Angelis, atque flamma inextinguibili illum præeunte: Angelis vero Justos adjuvantibus, tanta impii clade a tertia hora diei usque ad vesperum efficientur, ut ipsorum sanguis instar torrentis in vallem defluat.

Anti-Christus ea clade animis non despondens, iterum atque iterum Sanctos invadet; donec tandem quarto commisso certamine, penitus enervatum in Victorum manus incidet, & una cum Principibus, & Tyrannis, qui eo imperante orbem vexaverunt, coram JESU CHRISTO statuetur; a quo impietatis, & flagitiorum omnium singuli redarguti, in ignem æternum detrudentur. Unde Lactantius hæc eruerit, ignoramus. Ejus forte ætate de genere, & circumstantiis mortis Anti-Christi non conveniebat; sicut & nunc nos inter non convenit.

Illud sane constat, quod Paulo testante didicimus 2. Thess. 2. 8. Anti-Christum *a Domino Jesu spiritu oris sui interficiendum fore*: sive ille vero JESU halitu, sive ejus verbo, aut imperio, sive denique terrore, quo vir nequissimus coram Domino constitutus obruetur, fuerit interimendus. Quo e vivis ablato, iterum paci suæ restituetur Ecclesia; & nefarii omnes, qui perditissimo deceptori adhæserint, pudore quam maximo efficientur. Judæi porro se se deceptos tandem intelligentes, & de Messia tamdiu expectato desperantes, ad CHRISTUM, ejusque Fidem, juxta Scripturas [5], adducentur.

Prolixam forte nimis Dissertationem hanc absolvimus; quamvis satis contracta videri etiam possit, si rei gravitas, & amplitudo animadvertatur. Sæpius de hoc argumento data est agendi occasio in Commentariis; & variæ adeo ea de re sunt opiniones, ut integra Dissertatione, non perfunctorie de illa tractare operæ pretium censuerim. P. Malvenda Dominicanus Hispanus largum de Anti-Christo volumen edidit: illum consulat, qui plura petit. Contractum de iis, quæ & ille, & cæteri de Anti-Christo referunt, epilogum satis nobis superque sit exhibuisse. De quo perditissimo Viro certa vix pauca, incerta, & problematica fere innumera vidimus; quare ejus adventus futurum tempus, regio, origo, parentes, infantia, nomen, imperii spatium, mortis genus, dubia omnia.

Verumtamen ad mundi interitum certo adventurum scimus, qui profecto etiam imperabit, innumeros seducet, *sanctos bello vexabit*, Messiæ nomen, & Dei cultum sibi usurpabit, & postquam brevi imperaverit, a Dei verbo, vel spiritu, seu ejus jussu interficietur. Anti-Christos præterea hujus nequissimi figuras, & præcursores, qui sanctos perosi Veritatem, & Ecclesiæ communionem oppugnarunt, omnibus ætatibus extitisse scimus. Quamvis denique teterrimo Anti-Christi tempore nos minime nunc vivamus, evigilandum nihilominus, & vi, & constantia nobis consulendum, ne Dæmonum, & nefariorum hominum, qui e veritate, pietate, & justitia nos evertere student, præstigiis, & seductionibus obruamur.

DISSERTATIO

De Fine, & Mundi statu post Judicium.

De corruptione, & duratione mundi inter se Philosophi non convenere. Quidam enim æternum, incorruptibilem [6], animatum [7], & ipsum tandem Deum esse [8]; quidam vero creatum, novum, corruptibilem, & transeuntem [9] putarunt. Rabbini [10] etiam ea de re dissident. Cabalistæ periturum, & in nihilum reversurum; cæteri numquam desiturum opinati sunt; verumtamen ita desiturum plerique defenderunt, ut ad statum perfectiorem redigatur.

Fides & Catholica Religio discrimen dirimunt, quibus mundum, nempe terram, & ea, quibus ambitur, aerem, elementa per ignem absumenda esse erudimur. Ter-

1 Apoc. 20. 7. &c. 2 Gregor. hom. 14. in Evang. Victorin. Aretas. Heym. Ribera, alii in Apoc. 12.
3 Hieronym. in Dan. 11. Theodoret. in Dan. 11. Haym. Strab. ibid. S. Thom. & Anselm. in 2. Thessal. 2. alii passim. 4 Lactant. lib. 7. de divino præmio cap. 17. 19. & in Epitome. 5 Osee 3. 4. Rom. 11. 25.
6 Vide Philon. lib. Utrum mundus sit incorruptibilis. Laert. lib. 7. 7 Zeno apud Laert. lib. 7.
8 Laert. lib. 7. in Zenon. Senec. Epist. 97. *Totum hoc, quo continemur, & unum est, & Deus est*. Manil. lib. 1.
Qua pateat mundum divino numine verti
Atque ipsum esse Deum.
9 Stoici apud Laert. lib. 7. p. 454. 10 Vide Menasse ben-Israel de resurrect. mort. l. 3. c. 4.

Terribilis hæc mutatio Dissertationis argumentum est. Primo igitur hic rationem; 2. tempus, quo mundus desinet; 3. an tantum permutandus, vel prorsus in nihilum sit redigendus; 4. denique permutandum tantummodo constituentes, ejus post Judicium statum perpendamus.

Ut plurimum de mondo Scriptura loquitur, non ut est reapse, sed ut nobis apparet: Terra, quam incolimus, veluti præcipua universi pars, cætera veluti terræ & homini accedentia, nobis exhibentur. Hinc sane fit, ut, cum mundum flammis absumendum, cœlos novos, novamque terram creandam accipimus, quin Scripturæ veritati obsistamus, ea omnia de sola, quam colimus, terra explicare pronum sit. Hanc enim & Scriptura, & ipsi prophani Auctores mundum sæpissime appellant, quamvis revera minimam tantum universi partem constituat. Vide Augustinum lib. 20. de Civitate Dei cap. 24.

ARTICULUS I.

De Mundi per ignem interitu.

LOca, quibus Mundus per ignem absumendus præfertur, & plura sunt & perspicua. *Cæli*, inquit Isajas 51. 6. *sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur*. Et 34. 4. *Tabescet omnis militia Cælorum, & complicabuntur sicut liber Cæli, & omnis militia eorum* (nempe sydera) *defluent, sicut defluit folium de vinea, & de ficu*. *Domine*, ait Psalmista Psalm. 101. 27 *Cæli peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent . . . . tu autem idem ipse es*. Petrus etiam 2. ep. 3. 10. &c. *adveniet dies Domini ut fur, in quo Cæli magno impetu transient; elementa vero calore solventur; terra autem, et quæ in ipsa sunt, opera exurentur*.

Pluries Cœli novi, et novæ terræ Isajas meminit 65. 17. et 66. 22. *Ecce ego creo Cælos novos, et terram novam, et non erunt in memoria priora*. Cui loco alludit Joannes in Apocalypsi 21. 1. *Vidi cælum novum, et terram novam; primum enim cælum, et prima terra abiit, et mare jam non est*. Servator Dominus in Evangelio Matth. 13. 39. et 24. 3. et 28. 20. de sæculorum interitu, et de secundo suo adventu sæpissime loquitur, cujus plurimas circumstantias in Epistola ad Thessalonicenses S. Paulus congessit 1. Thessal. 5. 1. &c. et 2. Thessal. 2. 1. &c.

Qua de re, quam Judæi, et Christifideles Fide sciunt, utrorumque testimonia referre super vacaneum ducimus. Ipsi etiam Philosophi huic veritati subscripsere. Mundum a flammis prius absumptum ex mediis deinde flammis ad formam pulchriorem reformandum, Heraclitus est arbitratus [1]: Stoici præterea ab eadem sententia non discessere. Cicero vero suam mentem in 2. libro de natura Deorum dilucide aperiens. *Ex quo*, ait, *eventurum, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, cum humore consumpto, neque terra ali posset, neque remearet aer, cujus ortus aqua omni exhausta, esse non posset: ita relinqui nihil præter ignem, a quo rursum animante, ac Deo, renovatio mundi fieret, &c.* Lucanus lib. 7. prope finem ad Julium Cæsarem carmen convertens, inane esse dixit hæc corpora flammis absumere, quæ una cum cæteris terris aliquando fuerint consumenda:

Hos, Cæsar, populos si nunc non usserit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti.
Communis mundo superest rogus.

Lucretius lib. 4. mundum aliquando dissolvendum Memmio ostendit, cum ab elementis adeo contrariis, aqua nempe, terra, et cœlo constituatur.

. . . . . Tria talia texta
Una dies dabit exitio, multosque per annos
Sustentata ruet moles, et machina mundi.

Ovidius Metamorph. 1. veterem populorum traditionem memorat, qui cœlos, terram, mare comburenda, et mondum in nihilum reversurum tenent.

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia Cæli,
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Physici etiam, et Astronomi [2] ex ipsa natura Universi dissolvendi argumenta ducunt; plures enim terrarum mutationes animadvertunt, quæ mundi infirmitatem, et senectutem ostendunt. *Scire debes*, inquit Cyprianus ad Demetrianum, *senuisse jam mundum, non illis viribus stare, quibus prius stetrat, nec vigore, et robore eo valere, quo ante prævalebat. Hoc mundus ipse jam loquitur, et occasum sui rerum labentium probatione testatur*.

Copernicus, Joachimus Rhetius, Gemma Frisius [3], Solem ad terram nimium accedere compertum habent. Si terra, sicut immoderato frigore quandoque vexatur, ut anno 1709. contigit, ita etiam æstu immodico, et assiduo calore torqueatur, ut a frigore, et humiditate terræ visceribus veluti carcere inclusus, subterraneus ignis erumpat, quemadmodo per Ætnam, et Vesuvium sæpe solet; et ignibus, rebusque combustioni aptissimis, quibus interius tellus exteriusque abundat, adjungatur, statim utique fiet, ut flammæ undique per orbem dilatatæ, quodcumque pabulum nactæ fuerint, prorsus absumant. *Omni flagrante materia, uno igne quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit* [4].

Mundi vero, quem nos scimus, interitus naturæ opus minime fuerit, sed Potentiæ Dei prodigium, qui tempore a sua Providentia statuto, ut Electorum numerus, et sua de humano genere decreta adimpleantur, elementis, quæ inter se cohærentia mondum constituunt, et servant, permittet, ut bello sibi indicto, invicem decertent, et sua ipsorum opera evertant. *Exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat; vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, Rom. 8 19 &c.

Quoniam igitur, juxta S. Petrum ep. 3. 7. *Cæli, qui nunc sunt, et terra igni reservati sunt in diem Judicii, et perditionis impiorum hominum*; an ignis illud Judicium antevertet, an subsequetur, inquirimus. Qua de re inter Doctores non convenit; alii enim ante, alii post Judicium statuunt; alii denique media via incedentes, ignem ante Judicium aggressurum, eo Judicii intervallo prosequuturum, post Judicium mundi consumptionem impleturum arbitrantur. Quæ fusius hic explicanda.

Ignem Judicium præiturum illud Psalmorum probat Psalm. 96. 3. &c. *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt coruscationes ejus orbi terræ: vidit, & commota est terra. Montes, sicut cera, fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra. Annunciaverunt Cæli justitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus*. Præterea ab Apostolo accipimus 1. Cor. 3 13. *Uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*. Quibus Judicio ignis præiturus satis innuitur, cum omnium opera, antequam coram Judice statuantur, igne probanda reserventur.

S. Thomas in 4 dist. 47. qu. 2. art. 3. ex Epistola ad Romanos hæc etiam allegat: *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat; vanitati enim creatura subiecta est, non volens; sed propter eum, qui subiecit eam*

---

1 Simplicius Comment. in Arist. de Cœlo libr. 1. cap. 9.

2 Columel. lib. 1. cap. 1. de re rustic. *Multos jam memorabiles Authores comperi persuasum habere, longo ævi situ qualitatem Cæli, statumque mutari, eorumque consultissimum Astrologiæ professorem Hipparchum prodidisse, tempus fore, quo cardines mundi loco moverentur, idque etiam non spernendus Auctor rei rusticæ Saserna videtur credidisse*.

3 Vide apud Grot. Not. in lib. 1. de Verit. Relig. Christ. art. 22. pag. 120.

4 Senec. ad Marciam, versus finem.

tam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, Rom. 8. 19. &c. Quibus plane creaturæ, instar Beatorum corporum, quidem ante Judicium, innovandæ ostenduntur. Alter denique Apostoli textus profertur 1. Cor. 3. 15. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Nostra igitur opera, priusquam coram Jesu Christo, ut de nobis judicet, statuamur, probentur, & igne purgentur, oportet. *Cœli*, inquit Petrus 2. ep. 3. 7. *qui nunc sunt, & terra igni reservati sunt in diem judicii, & perditionis impiorum hominum*. Paulus etiam 2. Thess. 1. 7. 8. *Revelabitur Dominus Jesus de Cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum*.

Ex his omnibus ignis Judicium præiturus satis ostenditur; quod ab unanimi S. Thomæ [1], Magistri Sententiarum, Paludani, Durandi, Majoris, Richardi, Gabrielis, Soti & aliorum consensu probatur [2]. Nihilominus Augustinus, post Judicium, & mortuorum resurrectionem ignem arsurum putat. Primum, inquit, Eliæ adventus; deinde Judæorum conversio; Antichristi persecutio; Jesu Christi Judicium; mortuorum resurrectio; Justorum ab impiis discretio, incendium denique & totius mundi innovatio [3]. Alibi etiam Cœlum hoc, & hanc terram peracto Judicio desituram asserit, & Cœlum novum, novamque terram constituit [4], juxta illud Apocalypsis 20. 11. *Vidi Thronum magnum candidum, & sedentem super eum, a cujus conspectu fugit Terra, & Cœlum*.

Cedo hic ejusdem Augustini verba, quibus post Judicium orbis innovationem futuram dilucide ostendit: *Peracto quippe Judicio, tunc esse desinet hoc Cœlum, & hæc terra, quando esse incipiet Cœlum novum, & Terra nova*. Eodem etiam de Civitate Dei Libro 20. c. 18. sibi objicit. Si tantum post Judicium orbis est comburendus, & ignis Cœli, & terræ innovationi præibit, ubi Sanctorum corpora vitæ jam restituta eo universalis conflagrationis intervallo morabuntur? Respondet, Sanctos se in superiores aeris regiones elaturos, quo flamma non ascendet, quemadmodum, *& quindecim tantummodo cubitis montes altissimos diluvii unda superexcessit*. *Talia quippe*, subdit, *illic erunt corpora, ut illic sint, ubi esse voluerint; sed nec ignem conflagrationis illius pertimescent, immortales, & incorruptibiles facti*.

Ludovicus Tena in Epist. ad Hebr. cap. 1. difficul. 13. sect. 7. & Cornelius a Lapide in 2. Petr. 3. 7. ut sententiam utramque componant, a Deo ignem, qui orbem absumet, primo excitandum ferunt; sive Deus ignem illum juxta aliquos ab inferis educturus sit; sive e cœlo, juxta alios, demittat, ut olim in Sodomam, aliasque flagitiosas Urbes demisit; sive denique res ipsas terrestres combustioni aptas per Angelos incendat, ut Scholastici vulgo arbitrantur [5]. Prior iste ignis, qui statim omnem terræ superficiem comburet, atque homines omnes, & animalia interficiet [6], in omnem omnino orbem effusus omnia vorabit, præter eam tellluris partem, quæ, Domino ibidem Judicium exercente, veluti Divinæ Justitiæ theatrum constituetur. Judicio peracto, partes ignis subtiliores in locum sibi naturalem, nempe, ut ajunt, in ignis regionem supra aerem, revertentur; partes vero crassiores una cum improbis in inferos detrudentur. Verumtamen hunc rerum ordinem Contemplantium, & Scholasticorum potius meditamentum habemus; ideoque ducimus ea silentio prætereunda, de quibus nonnisi temere loqueremur.

Veterum Patrum plurimi ignem, quo mundus comburetur, in homines singulos Divinæ Justitiæ instrumentum futurum docuerunt. Omnes per ignem transibunt, & uniuscujusque opus ignis probabit. Justi omnibus sordibus, quibus forte abstergendi erunt, purgabuntur; quare & post ultimam diem Purgatorium desinet. Qui vero, quibus purgentur, caruerint, puriores ab igne egredientur, quemadmodum prætinsta metalla, quæ seu indantur, seu minuantur, ab igne educuntur.

Ego puto, inquit Origenes [7], *quod & post resurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos, atque purgante; nemo enim absque sordibus resurgere poterit*. Quo autem in altera vita baptismate abluamur, nisi igne, per quem transibimus? Cui quidem opinioni, post Origenem, Ambrosius subscribit [8]: *Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad Paradisum redire desiderant . . . Omnes oportet pertransire flammas &c.* in Psalm. 118. serm. 20. n. 12. Putat præterea, ignem illum designatum fuisse per Angelum, qui flammeo gladio Paradisi terrestris aditum turbabat. Duo Sermones, quos Augustino olim tribuerant [9], omnes homines post Judicium per ignem transituros ferunt, flammas vero aliquo modo intelligentes ea tantum pœna nos affecturas, quam peccata nostra repulcent. *Quanta fuerit peccati materia, & pertranseundi mora; quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quadam flamma rationalis disciplina*. Auctor idem [10] Jacob Patriarcham omnibus maculis in hac vita a Deo purgatum asserit, ut in altera nil, quod uret, ignis iste reperiret. *Ab illo omnes maculas peccatorum abstersit, ut in eo ignis ille arbiter, quod exureret, invenire non posset*.

S. Hilarius in Psalm. 118. lit. 3. n. 12. hujus ignis meminit, quo homines etiam Justi post hanc vitam comburentur. *Quis diem illam teterrimam concupiscens, qua vel inanium verborum ratio nobis erit reddenda*, quave terribili, peccatis nos abstergente igne vexabimur? *An cum omni otioso verbo rationem simus præstituri, diem Judicii concupiscemus, in quo nobis est ille indefessus ignis subeundus?* &c. Hunc ignem baptismi nomine appellat in Psal. 118. lit. 3. n. 4.

Hujus ignei baptismi, qui nos Judicii die a sordibus absterget, & apud Basilium in Isai. 4. p. 124. mentio; & probos & improbos per ignem transituros Lactantius l. 7. de vera Sap. cap. 21. asserit, hoc tamen discrimine, quod probi nulla pœna a flammis afficientur; *Tanta enim virtus est innocentiæ, ut ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accepit a Deo hanc potestatem, ut impios urat, Justis obtemperet*. Improbi e contra comburentur, quin absumantur: *Nam divinus ignis una eademque vi, atque potentia, & cremabit impios, & recreabit. Et quantum e corporibus absumet, tantum reponet; ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit, quod Poetæ in vulturem Tityi transtulerunt*.

S. Thomas in 4. dist. 47. S. Bonaventura in 4. dist. 47. Lessius [11], & alii plures ab igne, qui Judicium præibit, omnes homines & bonos, & improbos interimendos, & pœna peccatis, quibus quisque invenietur obnoxius, respondente, torquendos esse arbitrantur; Justi vero ab

1 D. Thom. in 4. dist. 47. 2 Vide Tenam in Epist. ad Hebr. cap. 1. diffic. 13. sect. 6. & Cornel. a Lapid. in 2. Petr. 3. 7. 3 Augustin. de Civitate Dei lib. 20. cap. 30. num. 5.
4 Idem de Civit. lib. 20. cap. 14. 5 Acosta, & Scolastici apud Tenam loco citato.
6 D. Thom. in 4. dist. 47. & Bonav. ibid. & Less. de Divin. Attrib. lib. 13. cap. 20.
7 Origen. in Luc. homil. 14. Vide & homil. 3. in Psalm. 36.
8 Ambros. in Psalm. 36. num. 26. *Væ mihi, si opus meum arserit, & laboris hujus patiar detrimentum; & si salvos faciet Dominus servos suos, salvi erimus per fidem; sic tamen salvi quasi per ignem; & sic non exurimur; &c.* Vide & in Psalm. 118. serm. 3. num. 14. *Est etiam Baptismum in Paradisi vestibulo, quod antea non erat; sed postquam peccator exclusus est, cœpit esse romphæa ignea, quam posuit Deus, &c.*
9 Augustin. sermon. olim. 16. ex homil. 50. nunc 252. in append. num. 13.
10 Serm. olim 42. de tempore nunc 15. in append. tom. 5. nov. edit. num. 4.
11 Less. lib. 13. de Divin. Attrib. cap. 20. Vide & Cornel. in 2. Petr. 3. 10. Tenam loco citato.

ob omni omnino sorde immunes nullo dolore urucibuntur. Cæteri eas, quas culpæ exegerint, pœnas rependent. Nil sane probibet, quominus ignem hoc sensu explicatum Judicio præiturum admittamus, qui & singulos, & singulorum, qui tunc temporis vel in vivis, vel in Purgatorio degerint, opera probabit. Verumtamen & Beatos jam diu Deo perfruentes, & ab omni omnino labe immunes eodem igne minime purgandos esse, Catholica Fide eredimus.

ARTICULUS II.

Quandonam Mundus exitum habiturus sit.

QUæstio est sæpe agitata, numquam soluta. Ægyptii [1], qui post evolutos 36525. annos astra omnia ad idem punctum reductum iri comminiscuntur, eumdem mundo terminum præscribunt; post hæc enim veterem diluvio, quod hyemi, sive incendio quod æstati nostræ quodammodo respondebit, dissolvendum, ut novus emergat mundus, autumarunt [2]: Quam quidem mundi innovationem sæpius antehac contigisse, & iterum eventurum addunt.

Stoici [3], ante quos & Heraclitus Ephesius, Ægyptiis per omnia adstipulantur. Aristarchus apud Censorinum annorum evolvendorum numerum statuit 2484. Aretas Dyrrachii 5552. Heraclitus, & Linus 10800. seu 18000. Dio 10884. Orpheus 100020. Cassander 603000. Alii demum hunc Cœli & astrorum ad idem signum regressum impossibilem censent. Josephus Antiqu. l. 1. c. 3. hanc annorum supputandorum investigationem Adamo tribuere videtur. Cum enim, inquit, universalem mundi interitum per diluvium primo, deinde per incendium oraculo prænunciasset, filii Seth sua astronomica inventa duabus columnis inscripserunt, quarum alteram lateritiam, ut igni, alteram lapideam, ut aquis superesset indemnis, excitarunt. Ipse autem Josephus totam annorum summam intra annos 600. concludit.

Plato, ejusque Sectatores, & Origenes futurum esse putarunt, ut plures mundi sibi invicem succederent. Hanc opinionem refert, & refellit Augustinus l. 12. de Civit. c. 11. & 13. ostendit enim fieri non posse, ut ex mundo, & ex hominibus & animalibus omnibus vel diluvio, vel igne consumptis, alia viventia renascantur, nisi id præstiterit nova creatio, quam Philosophi naturæ donare non dubitaverint. Revera nonne inane esset omnium hominum speciem paulo post restituendam prorsus delere? Nonne tot mundi pereuntis, & redeuntis vices quamdam præferunt inconstantiam, a qua Divinitas omnino abhorreat? Origenes l. 3. c. 5. Peri-Archon ad mundi pluralitatem successionemque probandam, illud Ecclesiastæ [4] affert: *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est, quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum; nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est; jam enim præcessit in sæculis, qui fuerunt ante nos.*

Rabbinus *Barbyhia* [5] docet, Philosophos de mundo resolvendo, vel innovando inter se satis vicissim de ætate, qua mundus absolvetur, dissidere. Alii enim annis 4320000. alii 56000. illam absolvendam censent: quo annorum spatio astra omnia ad idem suæ creationis punctum regressura opinatur. Alii denique annis 36000. alii 49000. alii 7000. mundum permansurum putant: quo temporis spatio evoluto, ad suum Chaos reversurum, deinde ad statum priori simillimum restituendum ferunt. Hi Philosophi, subdit Rabbinus, a suis Patribus de mundo absolvendo traditionem forte acceperant; sed male in Planetas & astra, quorum motus & aspectus nihil ad rerum sublunarium neque durationem, neque naturam conducunt, mundi interitum transferebant.

Revera si Philosophorum sententia, per causas tantum naturales mundus innovandus esset: sicut nostri anni ordinarii vices, hyems, æstus, nox, dies sibi naturaliter succedunt. At de mundi interitu diversam nobis ideam ingerunt Scripturæ, a quibus dies illa præfertur, veluti dies Divinæ ultionis, cui omnia iracundiæ Dei signa præibunt; dies præterea, quæ nedum homines, Angelos etiam latet [6], quæ veluti fur per noctem superveniet [7]. Discipulis de mundi ultima die postulantibus Jesus Christus respondit, id ex iis esse, quorum scientiam æternus Pater sibi reservavit; ab ipsis etiam Angelis ignorari, neque inter ea recenseri, quæ Pater per se suum Filium hominibus aperiri statuerat: *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Marc. 13. 32.

Quæ omnia quamvis extremam mundi diem incertissimam præferant, nihilominus Veterum plurimi mundi ætati annos 6000. præscribunt, quorum bis mille in statu naturæ sine Lege, & bis mille sub Lege transactis, bis mille sub Messia transigendos statuunt. Quare, juxta Chronologiam, cui nunc vulgo adhæreat, quæve Jesu Christi Nativitatem post annos 4000. a creatione mundi constituit, modo usque ad mundi exitum minus quam anni trecenti superessent.

Hæc vero sententia non aliunde ortum duxit, nisi a veteri Traditione [8] cujusdam Eliæ (alterius a Propheta), qui post Babylonicam captivitatem, annis 354. post restitutum secundum Templum floruit. In Talmud *annis 6000. permansurus dicitur mundus, destruendus in uno*: quod Rabbini plures [9] de septimo quodam millenario explicant; cujus intervallo in vetus Chaos mundus resolvetur; post resolutionem novus iterum excitabitur, qui 6000. annis peractis, & ipse in suum Chaos redigetur; quibus vicibus iterum iterumque evolutis plures mundi evertentur, plures constituentur, usque dum 49000. annorum numerus absolvatur. His eandem absumptis, Cœlum & terra in nihilum redibunt. Quam quidem sententiam Scripturis fulcire connantur: mos enim apud Rabbinos invaluit, ut nihil asserant, quin Scripturis probent, sive apte, sive inepte illas allegent.

Sicut igitur, inquiunt, sex diebus mundus est constitutus, ita annis 6000. consistet, anni enim 1000. veluti dies una coram Deo reputantur [10], Porro litera *Aleph*, quæ mille significat, sexies primo Genesis versiculo intus seritur. Dominus denique in Lege jubet Exod. 23. 11. ut tellus sex annis exculta unius anni otio concedatur, utque septem annorum transactis hebdomadis, nempe anno quoque quinquagesimo, Jubilæum celebretur. Per sex annos anni sexies mille durationis mundi; per annum vero Jubilæi ultima resolutio, & universi totius eversio designantur.

Cum vero, ut traditione acceperunt, & supputatione investigarunt, Messias adventurus sit duobus ultimis vel ingredientibus, vel decurrentibus millenariis, numque sextum jam valde defluxerit, quin eorum statum in meliorem mutatum viderint, seu fortunæ in melius brevi vertendæ spem ullam conceperint, opi-

1 Vide si placet Marsham. Canon. Ægypt. p. 10. 11.
2 Aristot. Meteor. l. 1. c. 14. Censorin. de Die Natali c. 18. *Et præterea annus, quem Aristoteles maximum potius quam magnum appellat, quem Solis, & Lunæ, vagarumque quinque stellarum orbes conficiunt, cum ad idem signum, ubi quondam simul fuerunt, una referuntur; cujus anni hyems summa est cataclysmos quam nostri diluvium vocant, æstus autem, ecpyrosis, quod est mundi incendium.* 3 Origen. contr. Cels. l. 5.
4 Eccles. 1. 9. 5 Rab. Abrah. Barbyhia in lib. Megilat, Hamegilu, apud Menasse Ben-Israel loc. cit. l. 2. c. 2. 6 Marc. 13. 32. 7 2. Petr. 3. 10.
8 Gemar. Abod. Zaræ c. 1. Vide, si placet, Malvend. l. 1. c. 24. & 29. & 30. de Anti-Christo.
9 Vide Menasse Ben-Israel, l. 3. de resurrect. mortuor. c. 4. p. 271.
10 Psal. 89. 4.

opinionem de mundo post annos 6000. evertendo penitus rejecerunt [1].

Verumtamen eadem de mundi ætate per annos 6000. absolvenda sententia apud Patres invaluit, & a quibusdam ultimi sæculi Doctoribus defenditur. Eamdem amplexi sunt Cyprianus ad Fortunat. de exhort. ad Martyrium. Lactantius l. 7. c. 14. Ambrosius in Luc. l. 7. c. 2. Hieronymus Ep. ad Cyprian. Augustinus de Civit. l. 20. c. 7. Irenæus l. 5. c. ult. Hilarius can. 17. in Matth. seu cap. 17. p. 693. nov. Edit. Gaudentius Brixiensis tract. 10. Author Quæstionum ad Orthodoxos, sub nomine Justini Martyris quæst. 71. Victorinus in Apocalypsim 20. 5. Rabanus Maurus in Deuteronomium l. 1. c. 11. Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus, Julius Hilarion, Isidorus, & alii plurimi, quos Cornelius a Lapide in Apocalypsim 20. 5. allegat, qui & hanc sententiam vero simillimam vocat; fatetur tamen 6000. annorum terminum non esse arcte accipiendum, sed late, & moraliter, ita ut Mundus septimum millenarium non excedat, imo & sextum paulo prætergrediatur. Bellarminus l. 3 Roman. Pontific. c. 3. Genebradus l. 1. Chronographiæ p. 2. Feuardentius notis in S. Irenæum, aliique huic opinioni favere videntur; vel eam saltem aperte non oppugnant.

Augustinus vero, quem inter sententiæ hujus fautores adnumeravimus, in Psalm. 89. acrius invehitur in illos, qui 6000. annorum numerum Mundi ætati determinant, cum certum postremo diei tempus & horam unius Patris cognitioni reservatam esse Jesus Christus in Evangelio pronunciaverit Act. 1. 6. Matth. 24. 36. Aretas Cretensis in Apocalyps. 20. Millenariorum opinionem recenses, qui 6000. annis transactis Justos tantummodo resurrecturos, alii deinde 1000. peractis annos omnino homines ad vitam revocandos fore arbitrabantur. Quam tamen sententiam, quod ab Ecclesia comprobata non fuerit, prorsus rejicit. Beda etiam eamdem improbat, & inanem & nugatoriam appellat, cujus exemplum plurimi recentiores sequuti, eorum alii veluti omnino falsam spernunt [2], alii veluti argumentis destitutam derelinquunt [3], alii demum suspendentes sententiam, quæstionem ab eventu dirimendam remittunt [4].

Apollinaris Laodicenus, quem citat Hieronymus [5], post annos 434. ab Imperantis Claudii anno octavo, Prophetam Eliam reversurum, ab eoque Templum, & Jerusalem trium annorum & dimidii intervallo restituendam; Anti-Christum denique adventurum tuebatur. Alii, quorum meminit Philastrius de hæres. a Christi adventu annis 365. Mundi ætatem determinabant. Nonnulli fuere, quos allegat Augustinus de Civit. l. 18. c. 53. qui an Jesu Christi Ascensione usque ad mundi interitum 400. seu 500. nonnulli etiam, qui 1000. annos numerarent. Alii denique Christi Religionem nonnisi annis 365. constitutam arbitrabantur.

S. Vincentius Ferrerius Ep. ad Benedict. XIII. quorumdam meminit, qui a Christi Nativitate usque ad Mundi exitum tot annos constituebant, quot in Psalterio sunt versiculi (2537. circiter.) Alii apud Perer. in Genes. l. 1. ad finem, tot annis a Christi adventu mundum permansurum ferebant, quot a mundi initio ad diluvium usque intercessere, (nempe 1656.) alii vero, quot ab orbis exordio usque ad ipsius Christi nativitatem evoluti fuerant, (4000. circiter) quam opinionem referebant ab illo Habac. 3. 2. *Domine, opus tuum in medio annorum vivum facies*. Christianus Druthmarus in Matth. 26. Corbejensis Monachus, qui sæculo nono florebat, scriptum Veterum Traditionem profert, quo octavo Kalendas Aprilis, die nempe 25. Martii, Mundus creatus; eadem die Dominus Carnem assumpsisse, eademque occubuisse, eadem denique mundus evertendus dicebatur. Quæ ita levia pendimus, ut in iis refellendis nil immoremur.

Veterum plures ea nocte Mundum desiturum statuunt, qua Jesus Christus vivos & mortuos judicaturus descendet, cum eo tempore, quo minus de ejus adventu cogitabitur, prodibit velut fur, qui parietes per noctem perfodit. Ducuntur autem iis Petri verbis 2. Petr. 3. 10. *Adveniet Dies Domini, ut fur in nocte*: illis etiam Evangelii Matth. 25. 6. *Media nocte clamor factus est: Ecce Sponsus venit, exite obviam ei*. Hieronymus Dominum per noctem adventurum Apostolica traditione constare asserit. Ea propter Paschatis nox in Templo transigi consueverat; & Episcopus domum, nonnisi post actum noctis dimidium, populum dimittebat; quod eo ipso tempore, quo olim Ægypti Primogenitos percussit, Dominus adventurus crederetur. Lactantius Instit. Epitom. & l. 7. de Divin. prom. c. 19. Cœlo sub noctem mediam patefacto, maximo procurrentem lumine Jesum Christum, ut Anti-Christum oppugnet, descensurum arbitratur: *Tum cœlum intempesta nocte patefiet, & descendet Christus in virtute magna, & antecedit eum claritas ignea*. Eamdem traditionem Chrysostomus in Matth. 25. Theophylactus, & Euthymius referunt, ejusque etiam fit mentio in carminibus quibusdam, quæ uni ex Sibillis tribuunt [6].

Alii Dominum diluculo adventurum enunciant, ut his Prudentii carminibus [7], quæ suis precibus Ecclesia intersetit,

Et mane illud ultimum
Quod præstolamur cernui,
In lucem nobis effluat,
Dum hoc canere concrepat.

S. Thomas 3. p. in supplem. q. 77. a. 3. Tostatus in Matth. 25, Suarez [8], Judicium meridie eventurum putant; quod utique in incertum revocari non potest, cum lux, ignis, Majestas, quæ Divinum Judicem comitabuntur, eo lumine noctem perfundent, ut hæc a meridie secerni non possit.

Mundum totum illico non evertendum nonnulli autumant, sed paulatim totius millenarii intervallo; quod, ut vidimus, a Talmud insinuatur [9]. Verumtamen quidam Judæorum [10] Doctores una die, vel etiam uno momento dissolvendum ferunt; & ita explicant illud ex Talmud allatum: *in uno*. Hæc sane hac de re certo scimus: Mundum nempe ab igne absumendum [11]; Dominum, cum minus de ejus Judicio cogitabitur, adventurum [12]; momento, & ictu oculi mortuos resurrecturos [13], diem & horam quam mundus evertetur, & Dominus adveniet, ab hominibus prorsus ignorari [14]; inaniter denique ac temere Judicii tempus & modum investigari, cum id nemini voluerit Dominus revelare. *Et tamen ausi sunt homines præsumere scientiam temporum, quod scire cupientibus Discipulis Dominus ait: Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate* [15].

1 Vide R. Mos. 11. 12. de Leon in Sepher Hammiscal. Vide alios apud Menasse Ben-Israel l. 3. de Resurrect. mortuorum c. 4. 2 Malvend. l. 1. de Anti-Christ. c. 30. *Procul dubio assertio est falsissima, & intolerabilis, graviorem censuram, ut par est, sacro Ecclesiæ Tribunali reservantes*.
3 Suarez tom. 2. disp. 53. sect. 4. Soto 4. dist. 43 q. 2. art. 2. 4 Galasin. l. 4. c. 20. Finus l. 5. c. 11. Sixt. Senens. Biblioth. l. 5. annot. 190. 5 Apollin. Laodicen. apud Hieronym. in Dan. 9.
6 Sybill. apud Lactant. l. 7. c. 19. 7 Prudent. hym. Cathemer.
8 Suarez 3. p. tom. 2. disp. 57. Vide Cornel. a Lapid. in 2. Petr. 3. 10.
9 Talmud. tract. 4. Sanhedrin. 10 Rab. Isaac Loria Cabalista insignis apud Menasse Ben-Israel, loco citato. 11 Psal. 96. 3. & 1. Cor. 3. 13. & 2. Petr. 3. 7. 12. 12 Matth. 24. 36. 42. 43. & 2. Petr. 3. 10. 13 1. Cor. 15. 52. 14 Marc. 13. 32.
15 Vide S. August. in Psal. 8. 4. 4.

ARTICULUS III.

An in sæculorum exitu Mundus ipse immutandus sit, vel quædam ejus tantum, et insuper. An in nihilum redigendus, vel tantum immutandus.

DE hac quæstione adhuc discrimen; Scriptoris enim phrases, & Patrum, & Theologorum sententiæ ea de re non conveniunt. Authores Sacri quandoque evertendi mundi meminerunt, veluti si in nihilum prorsus esset redigendus, v. g. Isai. 51. 6. *Cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur*. Joannes etiam in Apocalypsi 10. 6. *Angelus juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit Cœlum & terram, quia tempus non erit amplius*. Rerum creatarum mensuram tempus esse quis nesciat? Ut igitur tempus esse destiterit; sensibiles etiam creaturæ, successiones, & motus locales esse desistent. Idem Joannes Apoc. 21. 1. *Vidi Cœlum novum, & terram novam; primum enim Cœlum, & prima terra abiit, & mare jam non est*. Jesus Christus apud Matthæum 24. 35. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. Quæ dicendi phrasis plurica in novo Testamento.

Aperte in Psalmis Cœli perituri dicuntur Psal. 101. 27. *Ipsi peribunt, & mutabuntur*. Dicuntur etiam ibidem sicut vestimentum atterendi; Dominus autem in æternum permansurus. Cum igitur æternus Domini status Cœlis perituris ibi opponatur, in nihilum prorsus hi redigendi esse videntur. S. Petrus aperte inquit 2. ep. 3. 10. *Elementa calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur*. Dominus adhuc per Isaiam 65. 17. *Ecce ego creo Cœlos novos, & terram novam*: veluti utraque prioribus Cœlis & terris omnino in nihilum redactis essent sufficienda.

Cabalistæ inter Hebræos mundum in nihilum reversurum censent [1]. *Porphyrius* [2] *Christianos ob hoc arguit maximæ stultitiæ, quod istum mundum dicunt esse periturum*. Christiani igitur mundum in nihilum penitus dissolvendum sentiebant; si enim novam ei tantummodo formam accessuram putassent, id sane docuissent, quod & Philosophi publice fatebantur. Hæc profecto plurimorum Veterum Patrum sententia.

Recognitionum Author l. 2. S. Petrum dicentem inducit, duo esse Cœlorum genera, quorum alii invisibiles, æterni, atque immutabiles Beatorum sedem constituunt: alii visibiles sideribus sparsi, & corruptioni adeo sunt obnoxii, ut vere sint evertendi; cum homines, quorum beneficio creati fuere, terram incolere desiverint. Alibi etiam, Libro nempe sequenti, eumdem Petrum hanc similitudinem exhibentem præfert. Sicuti ovi testa, licet ad ejus conservationem instituta videatur, nihilominus, ut pullus inde egrediatur, infringitur; ita mundus iste adimendus est, ut Regni cœlestis beatitudo prodatur.

Eorum sententiam S. Basilius hom. 1. in Hexameron. evertit; qui ex Mundi sphærica figura ejus æternitatem indocunt; & idcirco mundum ad cœtum patvenrorum, quod principium habuerit, optime ostendit, Scripturæ verba allegans: *Præteriit figura hujus mundi: Cœlum & terra transibunt*. S. Ambrosius in Hexameron. l. 1. c. 3. cum Basilio cohæret: *Quæ autem initium habent, & finem habent: quibus finis datus, initium datum constat*; & addit, totum mundi globum corruptioni necessario obnoxium esse, quod ejus partes a corruptione non sint immunes: *Cujus partes corruptioni, & mutabilitati subjacent, hujus necesse est universitatem iisdem passionibus subjacere*. De mundo penitus dissolvendo S. Gregorius Nyssenus de creatione hominis c. 14. idem Fratris sui Basilii argumentum urget.

Justinus Martyr, vel ejus nomine alius, in Quæstionibus ad Orthodoxos qu. 93. 94. 95. asserit, Cœlum & terram post resurrectionem instituenda, ab his A omnino alia, alia etiam futura elementa; quibus proinde quanto Philosophi, qui Cœlos increatos & incorruptibiles sentiunt, errore laboraverint, ostenditur. Hanc sententiam & Catholici plures [3], & plures Protestantes tuentur, v. g. Lutherus, Melancton, Brentius, Bucerus, Beroaldus, Vorstius, Gerhardus &c.

Plurimi tamen, imo Patrum & Theologorum plerique Mundum non esse prorsus in nihilum redigendum, sed in melius commutandum defendunt. Cui opinioni etiam Scriptura satis favet. Tam in Veteri, quam in Novo Testamento legimus v. g. *Novos Cœlos novamque terram* a Domino creanda Isai. 65. 17. & 66. 22. Apoc. 21. 1. Et quidem non Cœlos alios, aliamque terram, sed novum utrumque, ut utriusque innovatio insinua-B tur. *Non dixit alios Cœlos*, ait Hieronymus in Isai. 51. & 65. *sed veteres antiquos in melius commutatos*. Cum quis de parvulo adolescens, de adolescente vir, de viro tandem fit senex, toties periisse non dicitur, sed tantum statum mutasse, & in maturiorem ætatem transmigrasse.

Idem etiam usuvenit, cum Architectus vetustam domum restaurans, novam excitat; & colonus incultum agrum excolens feraceni reddit. Psalmista Psal. 101. 27. 28. Cœlorum eversionem memorans, vestis, quæ usu atteritur, nomine eam induxit: usu autem atteri longe aliud est, quam si totum destruatur. *Ipsi peribunt, & omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos*. Isaias 30. 26. mundi statum post resurrectionem referens, Solem, & Lunam velut C antea effulsura, sed radiis multo fulgidioribus, restatur. *Et erit lux Lunæ sicut lux Solis, et lux Solis erit septempliciter sicut lux septem dierum*.

Omnes creaturæ, teste S. Paulo Rom. 8. 19. 20. se vanitati obnoxias ingementes, a corruptionis servitute eripi, & in libertatem gloriæ Filiorum Dei asseri optant. Illæ igitur innovari, & in meliora converti, non vero in nihilum prorsus redigi appetunt. *Cœlum*, ait Dominus Matth. 24. 35. & 5. 18. Luc. 21. 33. *et terra transibunt*; Paulus etiam: *Præterit figura hujus mundi* 1. Cor. 7. 31. Non igitur mundus & Cœli in nihilum reversuri, sed ad formam perfectiorem tantummodo transmigraturi dicuntur. S. Petrus in loco hac de re omnium apertissimo hæc habet 2. ep. 3. 10. *Adveniet dies Domini ut fur, in quo Cœli magno impetu tran-*D *sient, elementa vero calore solventur; terra autem, et quæ in ipsa sunt opera, exurentur*. Ex his, quæ hucusque attulimus, Mundi in nihilum reversio minime probatur.

Ex Dei revelatione universum ex nihilo creatum certo scimus; at esse in nihilum iterum convertendum a Deo nullibi adhuc accepimus. Omnia in nihilum a Deo redigi posse fatemur; an vero redigenda, per Scripturas minime patet. Quid sit redigi in nihilum, nos utique non percipimus.

Omnia Dei opera in æternum permansura Salomon asseverat, Eccle. 3. 14. *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum*. Quod explicans S. Gregorius Magnus l. 17. Moral. in Job. c. 5. Scripturam Scripturæ conciliat, qua modo in æternum ter-E ra permanere dicitur, modo Cœli transituri asseruntur. *Cœli, inquit, per eam, quam nunc habent, imaginem transeunt; sed tamen per essentiam sine fine subsistunt*. Cum vero novos Cœlos, novamque terram Scriptura memorat, non alia creanda præfert, sed innovanda: *Non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renovantur*. Hanc denique innovationem cum ea confert, quam qualibet anni tempestate videmus, cum hyems æstatis, hyemi ver succedit; terra enim, licet imaginem suam tunc mutet, naturam utique numquam innovat.

Author Epistolæ S. Barnabæ Solem, lunam & astra non destruenda, sed a Deo mutanda restarat. Philo, seu ejus nomine alius, in Libro, *An mundus corruptibilis*

---

1 Apud Menasse Ben-Israel de resurrect. Mortuorum l. 3. c. 4. 2 Apud August. t. 2. l. 20. c. 24. de Civit. 3 Catharin. Salmeron, Serarius, Hieron. Magius, Franc. Vallesius, Lud. Molina, & alii apud Cornel. a Lapide in Isai. 34. 4. & 2. Petr. 3. 10.

bilis sit; mundum corrumpi, seu destrui non posse, (A) sed tantum aliqua ex parte innovari, fuse ostendit.

S. Irenæus & Veteres omnes, qui Millenariorum opinionem defenderunt, post primam resurrectionem, mondem & terram eandem constituram, feraciorem vero, & iis, quibus nunc subjacet, mutationibus & vicibus minime obnoxiam, putabant. S. Justino Martyri quæst. 95. ad Orthodox. quem sententiæ de mundi omnimoda eversione fautorem supra allegavimus, ea tantummodo mens fuit, ut Philosophos illos refelleret, qui mundum incorruptibilem, æternumque pronunciabant. Cæterum ipse novi Cœli, novæque terræ meminit, ubi probi & improbi suorum operum, vel pœnam, vel præmium consequentur. Tandem Scripturæ adhærens, terram & Cœlos transituros, non vero penitus evertendos affirmat. Ipse Basilius hom. 1. (B) in Hexaemeron. p. 4. mundum ad exitum quidem perventurum, non in nihilum reversurum probat; eaque addit Scripturæ verba: *Præterit figura hujus mundi: Cœlum et terra transibunt*: ad utrumque, mundi nempe consumptionem; atque ejusdem in melius innovationem, posse referri.

Nemo tamen suam luculenter adeo sententiam aperuit, quemadmodum Augustinus l. 20. de Civit. c. 16. quo teste, igne illo, quo postreme die mundus ardebit, corruptibiles elementorum qualitates, quæ corruptibilibus nostris corporibus congruebant, absumentur, & in qualitates, quæ corporibus immortalibus conveniant, mutabuntur: *Ut scilicet mundus in melius innovatus, apte accommodetur hominibus, etiam carne in melius innovatis*. Alibi etiam terram & Cœlos inno- (C) vandos, non evertendos affirmat [1]: *Mutatione namque, rerum non omnimoda interitu transibit hic mundus .... Figura ergo præterit, non natura*. Ignem etiam, quo mundus in seculorum exitu flagrabit, cum diluvii aquis confert [2]; & phrases, quas utrinque Scriptura adhibet, invicem confert; utrinque enim mundus dicitur *periturus* [3]. Sicut igitur per eam vocem *perire* mutationem confecto majorem a diluvio terris inferendam Scriptura significavit; ita cum in seculorum exitu mundum *periturum* asserit, ejusdem innovandas esse qualitates, non substantiam absumendam significat.

Proclus, & Methodius apud Epiphanium hæres. 64. mundi tantum aliqua immutanda esse arbitrantur; quam opinionem fusius probans Oecumenius in 2. Petr. 3. (D) Terra, inquit, & elementa penitus non dissolventur, sed quemadmodum nos metalla flammis committimus, ut puriora fiant & pretiosiora; ita Deus, cum per ignem mundum absumere intentat, de eodem in nihilum redigendo minime cogitat. Ea vero tantummodo everret, quæ huic mortali, & perituræ vitæ inserviunt, animalia nempe, arbores, & id omne, quod ad immortalitatis, & incorruptionis statum, quo corpora post resurrectionem donabuntur, non pertinent. Cætera vero in melius perfectiusque redacta, ad novi Cœli, & terræ novæ, seu innovatæ venustatem, & ad Justorum, qui tunc vivent, voluptatem conservabit. Sicut, addit, qui novam domum ædificat, ex nihilo eamdem non excitat; ita Deus e Cœlis & terris nunc existentibus novos Cœlos, novasque terras (E) post Judicium componet, & perfectiori statu donabit. Vide & Cyrillum in Isaiam l. 4. c. 51.

An hæc elementa, quibus corpora omnia constant, post resurrectionem permansura sint, adhuc discrimen. S. Petrus 2. Ep 3. 10. per calorem solvenda asserit. S. Joannes mare defuturum enunciat: *Mare iam non est*. Apoc. 21. 1. Revera cui mare tunc inserviat, cum definent pisces, & pluvia, & navigatio cessabit? Ven. Beda in hunc Apocalypsis locum, & in secundam Petri c. 3. mare post Judicium amplius non extiturum liquido asseverat; cui subscribere videntur Andreas

(A) Cretensis, Aretas, Haymo, Rupertus, & D. Anselmus, seu ejus nomine Apocalypsis Interpres. S. Aoguftinos, quid decernat, incertus, *Utrum*, ait l. 20. de Civit. c. 16. *illo maximo ardore siccetur, an et ipsum vertatur in melius, non facile dixerim*.

S. Thomas in 4. dist. 47. qu. 2. a. 2. hac de re geminam sententiam refert; alteram eorum, qui quatuor elementa reipsa permansura, qualitates vero naturales destruendas putant; alteram eorum, qui ignem & aquam adimendam, aerem vero & terram in melius redactam constituram arbitrantur. Utramque tamen S. Doctor rejicit; primam quod neque argumentis, neque Scriptura ostendi possit, quare quæ Deus ab initio creavit, insitis suis qualitatibus expolianda sint; alteram vero, quod probari nequeat, cur ignis potius (B) & aqua destruenda sint, quam aer & tellus; cum singula quatuor elementa ad universi perfectionem, & complementum conferant. Addit præterea, ignem, quo omnia exurentur, ad ignis regionem, quæ aeri supereminet, non perventurum; quare ignis elementaris obnoxius minime fiet incendio, quo mundus conflagrabit.

S. Augustinus [4], cui utique Theologorum omnium præstantissimi adhærent [5], ea S. Petri verba, *Cœli magno impetu transient* 2. Petr. 3. 10. ad Cœlos tantummodo aereos, qui sæpissime cœli vocantur, v. g. *aves Cœli*, referenda esse tuetur. Argumenta vero, quæ Scripturum plerique exhibent, rem omnino non probant. Ajunt 1. Sicut aquæ diluvii non nisi cubitis quindecim montes altissimos sunt supergressæ, ita & ignis (C) mundi eversor eos fines non præteribit. 2. Cœli superiores, Firmamentum Astrorum sedes, cum juxta Aristotelem [6] incorruptibiles conditi fuerint, nullo detrimento per ignem afficientur. 3. Cum iidem Cœli nil ad flagitia, quibus homines creaturis abusi sunt, contulerint, neque per ignem tunc erunt expiandi.

Quæ omnia utique refelli possunt. 1. Ignem altissimos montes nonnisi cubitis quindecim prætergressurum nullibi constat; alias neque sphæram ignis attinget; quod iis repugnat, qui per ignem Cœlos aereos expiandos statuunt. 2. An Cœli superiores incorruptibiles vere sint, adhuc est discrimen. Philosophi recentiores Sole clarioribus, ut sibi suadent, argumentis eosdem potius corruptioni obnoxios ostendunt. 3. Si quod homines creaturis, elementis, metallis &c. abusi (D) sint, idcirco ea omnia per ignem expianda; utique & expiando Cœli, astra, Sol, Luna, quibus homines eo usque abusi sunt, ut iis ea divinos etiam honores contulerint.

Eorum quidem argumenta, qui Cœlos & astra per flammas expianda tuentur, his, quæ modo rejecimus, validiora minime esse fatemur. Ea propter neque in eam sententiam omnino descendimus, neque veluti certam tuemur. Philosophorum eam defendentium authoritatem nihili facimus; cum id, de quo hic discrimen, eorum suffragiis non sit dirimendum. Patrum fidem, quæ majoris habetur, dignam ducimus; ex iis tamen paucissimi eidem sententiæ adhæserunt. Nihil utique ab Ecclesia ea de re constitutum. Porro ipsum sententiarum discrimen id exposcit, ut nulli, quin discutiantur, adhæreamus. Hujus ultimæ de Cœlis (E) per ignem expiandis fautores, solis conjecturis innituntur; cæterum mundi systema, cui subscribunt, a Philosophorum plerisque in præsentia rejicitur, neque cœli solidi, & ab igne veluti ænea fornix immunes amplius habentur.

Ut igitur Scripturæ phrases explanemus, & difficultates ea de re solvamus, hæc statuimus; terram nempe, & cætera ejus omnia, ab igne comburenda, & in melius, perfectiusque innovanda; Cœlos aerem videlicet, seu atmosphæram concremandum: terram denique, & aerem post resurrectionem nulli ex his,

1 August. l. 20. de Civit. c. 14. 2 Idem c. 18.
3 2. Petr. 3. 6. *Cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit*. 4 Aug. de Civit. l. 20. c. 14. 16. 18. 24.
5 Vide Gregor. Magn. l. 17. Moral. c. 5. Damascen. l. 2. de Fide c. 6. Scholastici in 4. Sentent. dist. 47. 48. Tena in c. 1. ad Hebr. Interpr. ad 2. Petr. 3. 10. 6 Aristot. l. 1. de Generation.

quæ nostro corruptionis, & mortalitatis statui modo congruunt, mutationibus obnoxiam futuram: *ut mundus in melius innovatus, apte accommodetur hominibus etiam carne innovatis*. August. de Civit. l. 20. c. 16.

ARTICULUS VI.

De terra post Resurrectionem statu.

Quæstio hæc ad eos tantum pertinet, qui terræ qualitates post resurrectionem innovandas, non ejusdem substantiam in nihilum redigendam censent. S. Thomas in 4. dist. 48. qu. 2. art. 4. aquam instar crystalli nitidam; aerem instar cœli limpidum; ignem, velut sol, & astra, rutilantem; terræ denique superficiem, seu vitrum, pellucidam futuram arbitrantur. Quomodo interim terra innovanda sit, non meminit; alii tamen Scholastici omnem omnino pellucidam autumant; præter inferos, qui ad pœnarum incrementum caligine, & tenebris obvolventur. Hæc terræ perspicuitas, juxta Paludanum in 4. dist. 28. & Suarez 2. t. 3. part. disp. 56. sect. 2. usque ad Infantium Limbum pertinget; plus enim nimio miseri essent, si æternis tenebris offunderentur.

Cœli etiam, juxta eosdem Authores, amplius non movebuntur, neque diei, & noctis vicibus subjicientur, sed & ipsi, & elementa immutabilia consistent. *Non erit*, ait Isajas 60. 19. *tibi amplius, Sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam; & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam*. S. etiam Joannes in Apocalypsi c. 21. 23. *Civitas non eget Sole, neque luna ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus est Agnus*. Et Apoc. 22. 5. *Et nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos*. Isajas nihilominus cap. 30. 26. ait: *Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum*. Terra itaque eadem semper luce fulgebit, neque ulla temperamenti mutatione afficietur. Astra, & elementa & sibi, & nobis semper eadem, ab iis vicibus, quibus nunc subjacent, prorsus immunia conspicientur. S. Hieronymus in Abac. 3. tunc Solem eclypsi, aut quacumque altera defectione nunquam laboraturum censet.

Qui Solem post Resurrectionem amplius non occasurum, neque terras circuiturum asserunt, iis forte arrideant, qui Antipodas negant, aut iis, qui Solem vere circa terram orbem non conficere putabant; quæ tamen sententiæ nullatenus defendi non potest; tunc enim Antipodes, qui & ipsi resurgent, nunquam solis lumine fruerentur, & amplissimæ illæ Regiones æternis tenebris damnarentur.

Densitatem, & raritatem, gravitatem, & levitatem inter elementorum imperfectiones non recensamus; necesse enim erit, ut dispositæ aliquo ordine in Universi regimine dirigantur; suas etiam activas servabunt qualitates, calorem nempe, & frigus, humiditatem, & siccitatem; his enim destituta, elementa esse desinerent. Quæ tamen qualitates corpore, ut reor, suis effectibus non afficient; tunc enim, cum generationes, & corruptiones desiterint, Deus quodam prodigio, quod, utpote futuro Mundi statui congruens, veluti naturale evadet, easdem qualitates in corpora agere non permittet. Sic sol, & luna, orante Josue, immobiles quondam constitere; sic Babylonicæ fornacis flamma, trium Hebræorum adolescentium beneficio, a sua activitate quibusdam horis abstinuit.

Quamvis autem tellus arboribus, animalibus, & cæteris mixtis corporibus, quæ ad ejus ornatum conferunt, omnino sit destituenda, juxta S. Petrum 2. ep. 3. *Terra, et quæ in ipsa sunt opera, exurentur*; imperfecta nihilominus, aut inornata reputari non poterit; tunc enim iis omnibus instruetur, quæ suum stabilitatis, & incorruptionis statum perficiens, licet quibusdam caritura sit, quæ ejus imperfectioni modo conveniunt. Ornamenta, quæ privati cujusdam domus exposcit, ei congruere desinunt, si in amplissimi Principis Aulam convertatur. Sancti nullam tunc ex cibo, & poto voluptatem percipient; quam utique voluptatem indigentia, & infirmitas nostra modo exposcit; deliciis vero longe majoribus fruentur.

Putabant Millenarii, Justos ante Judicium ad vitam fore revocandos, una cum probis tunc superstitibus, & cum Jesu Christo jam in terram reverso, in nova Jerusalem urbe mille annis imperaturos, & ingentes omnes voluptates de potu, de cibo, & de nuptiis tunc exhausturos. Novam Jerusalem gratissimum domicilium futuram; terram omnium fructuum genere uberi affluentia edituram; animalia denique omnia in mutuam, plenamque concordiam adducta, se se hominibus penitus submissura. S. Irenæus l. 5. c. 33. ab Joannis se Discipulis didicisse refert, eam tunc frugum copiam futuram, ut vix digna sit, quæ fidem inveniat. Tertullianus l. 3. cap. 24. contra Marcion. novam Jerusalem jam constructam, atque ornatam e cœlis descensuram arbitratur; suaque ætate ejus exemplar quadraginta diebus in aere pensile se se omnibus exhibuisse narrat.

Hinc satis comperimus, quam varia a Scholasticorum nostratum Veterum Patrum de terræ sententia; qui præterea eamdem tunc temporis in tanto ubertatis statu constitutam terram, igne tamen non adhuc expiatam sentiebant. Lactantius nihilominus de divin. proœm. l. 7. cap. 24. collat. cum Epitome cap. 11. licet mortuorum resurrectionem, Judicium postremum, & mundi incendium mille annorum regno præire statuat, eamdem ferme terræ descriptionem exhibet. In medio, inquit, terræ urbs a Sanctis frequentanda construetur, ubi Deus dominabitur una cum famulis suis, qui ob justitia, & innocentia minime deflectent, & ingenuarum omnium voluptatum consuetudine perfruentur, & ab uxoribus natos etiam excipient. Ignis vero, qui universum invadet, prodigio similis plantis nullatenus oberit [1]; *Sine ullo virescentium corporum detrimento aduret tantum, ac sensu doloris afficiet*. Tunc Mundus, nocte etiam, ac tenebris amotis, nullis calamitatibus obteretur; Luna ab omni defectione immunis, Solis instar, fulgebit; Sol septies consueto clariores radios emittet. Omnes omnino fruges tellus progignet, rupes mel effundent. Vino rivi, lacte flumina effluent. Feræ cicurabuntur; leo, & vitulus in eodem vescentur præsepi; infantes cum anguibus ludent; ea denique omnia tunc temporis futura sunt, quæ de aurea Saturni imperantis ætate Poetæ cecinerunt. Cum Prophetæ nostri de futuris veluti de peractis sermonem facere consueverint, Poetæ eorum idiomatis ignari, eorumdem phrases, ac si ad transacta referrentur, usurparunt.

Hæc omnia subdit Lactantius, a Mundi creatione sexies mille post annis contingent, & jocundissimum hoc Regnum ad annos mille protraheret; quibus peractis Dæmonum Princeps vinculis solutus, bellum in Sanctos inferet. Sancti in terræ sinu triduo celebantur; Deus prodigiis innumeris de hostibus suis ultionem reperet: terræ deinde dehiscet, findentur montes; corpora in amplam vallem coacta, vitæ a Deo restituentur, a quo etiam instaurabitur Mundus; Cœli instar voluminis complicabuntur; tellus innovabitur, homines denique in Angelos convertentur. Nive candidiores iidem fulgebunt, coram Domino perpetuo adsistent, eique sacrificia, & obsequium in æternum inferent. Tunc altera mortuorum resurrectio: qua & improbi ad vitam revocati, æternis apud inferos pœnis mancipabuntur. Hæc Lactantius veluti Catholica fide certa exponit.

His

1 Lactant. de Divin. proœmio l. 7. c. 21.

His tamen omnibus, & singulis a Catholicis fidem adhibitum fuisse ne putemus. Mundi exitus, Jesu Christi adventus, Judicium postremum, mortuorum resurrectio, retributio, seu Regnum Justorum, improborum supplicium, Mundi innovatio vulgo credebantur. Modus vero, tempus, & rerum plerumque circumstantiæ & nobis, & illis incerta. Ita de his, quæ in hac Dissertatione hucusque diximus, statuendum.

Quamvis Hebræorum Doctores de tempore, & de ceteris resurrectionis, Justorum Regni, & terræ post resurrectionem status circumstantiis inter se non conveniant, plura tamen apud eosdem occurrunt, adeo, de quibus hic agimus, referenda. Quarti Libri Esdræ Author, qui vel sub primi Ecclesiæ sæculi exitum, vel sub secundi initium floruit, homines vitæ restitutos, & Justos, qui terras tunc incolent, temporalibus voluptatibus fruituros affirmat [1]. Saducæi dum Christum interrogarunt, vulgo ab Judæis credi putabant [2], in altera vita homines terram incolentes, omnes sensus voluptates esse percepturos. Celebris Menasse-Ben-Israel [3] ea quæ in mundi innovatione eventura sunt, ita nobis exhibet, ut iis, quæ in universi creatione evenerunt, respondeant.

Prima die lucem Deus creavit, minime vero lucem Solis, quam die quarta condidit, sed lucem supernaturalem, quam Sanctorum beneficio futuris sæculis reservavit, ut Solis vices tunc suppleat.

Die secunda Deus Firmamentum condidit, aerem scilicet, ut ajunt Interpretes sapientiores. Aer futuri sæculi purior, quam nunc, mitior erit, atque salubrior; quem Scriptura, juxta Abenezram, & Menasse-Ben-Israel, Cœlum novum appellat. Eadem die, juxta Veterum Hebræorum plurimos, una cum Inferis Dæmones conditi fuere. Hi, veluti Idololatriæ argumenta, sæculo futuro exterminabuntur.

Die tertia terram, & plantas Dominus excitavit, quas deinde propter Adami flagitium maledictione devinxit. In Mundi innovatione eam telluri, & plantis benedictionem impertietur, ut, sicut Adami tempore, die qualibet, juxta aliquos, juxta alios quolibet mense, fructus producant. Arborum quolibet mensa fructus proferentium meminit Ezechiel 47. 12. *Super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum . . . . per singulos menses afferet primitiva.*

Quarta die solem, & lunam, & astra cætera Deus condidit. Eadem futuro sæculo ita perficiet, & tanto lumine decorabit, ut Sol quadragies novies, quam nunc, clariores radios emissurus sit [4]. Eadem proportione & astra cætera rutilabunt.

Die quinta aves, & pisces creari; in Mundi innovatione ad statum longe perfectiorem redigentur. Tunc homines cum animalibus, & animalia cum cæteris, eam, de qua Propheta, pacem inibunt, ut alteri nemo amplius obsuturus sit; & feræ ipsa ita cicuran-

A du, ut hominibus se se prorsus submittant. Tunc etiam Deus celeberrimo illo convivio electos excipiet, quod trium magnitudinis prodigio similis animalium carnibus instruet, piscis nempe Leviathan, bovis Behemoth, & avis, cujus pedes terram, caput vero cœlos attingit. Deus ut splendidas epulas Electis suis instituat, hæc tria animalia interficiet, quorum carnes, quæcumque convivarum copia fuerit, omnium satietati supererunt.

Sexta die Deus Adamum creavit, cujus corpus pellucidum, & procero majus, propter peccatum utraque dote fuit destitutum; utraque vero optimis incrementis adaucta post resurrectionem rursum donabitur, quin iis iterum destitui pertimescat, quod iterum peccati labe commaculari non poterit.

B Hanc rerum similitudinem inter Mundi creationem, & ejus post resurrectionem innovationem Hebræorum Doctores instituerunt. Illa tamen prior a futura hac idcirco differet, quod 1. mundus prior e nihilo eductus fuit, alter ex olim condito excitabitur. 2. prior diebus septem conditus, alter ictu oculi restaurabitur. 3. denique vetus orbis nocte creari cœpit, novus die innovari exordiatur, juxta illud Zachariæ 14. 7. *In tempore vesper erit lux.*

D. Tillemontius Lucubratiunculam hac de re scripsit, vulgatam ad calcem vitæ ipsius pag. 197. sed quæstionem, an scilicet Mundus perseveraturus sit, necne, problematice tractans in utramque partem agitat.

Antequam Dissertationem absolvamus, tria sunt hic animadvertenda. 1. Plurimi ex locis, quos veluti
C sub orbis exitum eventura referentes attulimus, Judæorum post captivitatem, & Ecclesiæ post Christi Adventum figuram præferunt: quare literali eorum sensui non est maxime inhærendum. Ubi v.g. lux lunæ sicut lux solis futura; lux solis quadragies novies consueto clarior relulsura; & ferocia, atque venenosa animalia ferocitatem, & venenum positura dicuntur; Gentes ad Deum, fidemque traductæ designatæ sunt. 2. Tempus, ratio, & cæteræ Mundi exitus circumstantiæ nonnisi temere statui possunt, præter eas, quæ ambiguitate non obvolvuntur, & allegorice a Scriptura non referuntur: hæ autem vix occurrunt; pleræque sane hyperbolicis interseruntur phrasibus, quarum vim, sensum, & amplitudinem ignoramus. 3. Hæc de re tria nobis credenda fides proponit: 1. Mun-
D dum esse ad suum exitum perventurum; 2. per flammas absumendum; 3. non esse in nihilum, sed in perfectiorem statum redigendum. Quare ea omnia, quæ de mundi duratione, de igne, quo mundus ardebit, qualitatibus, & natura, an Judicium anteibit, an consequetur, de terræ figura, de elementorum statu post judicium, huc usque attulimus, problematica statuimus. Ambigere qui novit opportune, ille sane inter doctos laudem non infimam meretur.

DISSERTATIO

DE MORTUORUM RESURRECTIONE.

R*Esurrectio mortuorum*, inquit Augustinus [5], *præcipua Fides Christianorum*. Hæc sane potissimum est inter hujus vitæ ærumnas spei, & solatii nostri argumentum [6]. Resurrectionem deme, illico Christianissimum evertis. Hæresum nulla Christi Religioni magis adversatur, quam quæ adimit Resurrectionem [7]. Si Christus non resurrexit, Apostolorum prædicatio fallax, fides inanis, spes nostra est nugatoria [8]. Si vero resurrexit, resurrectio fieri potest;

A imo homines certo resurgant; cum eorum resurrectio Christi promissis innitatur, qui resurrectionem suam veluti nostræ resurrectionis pignus, & argumentum nobis exhibuit. Judæi in hoc dogmate ipsi nobiscum conveniunt; nonnulli etiam Philosophi quandam resurrectionem fatentur: Catholicorum vero hac de re fidem a Philosophorum opinionibus, & ab Hebræorum fide longe aliam agnoscimus.

Mortuorum resurrectionem vulgo Ethnici anile com-

1 4. Esdr. 4. & 6. 2 Matth. 22. 34. &c. 3 Menasse-Ben-Israel, l. 3. de resurrect. mort. c. 4.
4 Isai. 30. 26 5 Aug. ser. 150. nov. Edit. n. 2. 6 Idem in Ps. 101. serm. 2. n. 7.
7 Aug. in Psal. 88. ser. 2. n. 7. *In nulla re sic contradicitur Fidei Christianæ, sicut de Carnis resurrectione.*
8 1. Cor. 15. 14.

meorum reputabant. Cum Paulus in Areopago Christum resurrexisse pronunciasset [1], plerique dicentem irriserunt. Christianam Religionem via e cunis egressam Haereticorum resurrectioni adversariorum frequentia invasit, cujusmodi fuere Simonis Magi Discipuli, Cerinthiani, Gnostici, Nicolaitae, Valentiniani, Marcionitae, Manichaei, Seleuciani, aliique plures. Apostoli aetate [2] ea Corinthi erant, qui eam oppugnarent. Idem Apostolus ad Timotheum scribens [3], Hymenaei, & Phileti praesertim meminit, qui resurrectionem jam peractam defendebant; quod naturalem resurrectionem, generationem nempe, & hominum propagationem, seu resurrectionem moralem, justificationem videlicet, cum nostrorum corporum reali, quam postrema die futuram opperimur, resurrectione confundarunt.

Veteres quidem Philosophi resurrectionem quamdam admittebant; v. g. Pythagorici metempsycosim, seu de uno in aliud corpus animae transmigrationem. Aristoteles Thaleti per traductum exprobrat [4], quod corporum resurrectionem possibilem asseruerit; quo tamen argumento resurrectionem sibi Thales finxerit, non insinuat. Chaldaei etiam, juxta Theopompum [5], resurrectionem tuebantur. Ex his forte Democritus, qui eorum doctrinam didicit [6], sententiam illam exhauserat [7]: *Similis & de asservandis hominum corporibus, ac reviviscendi promissa Democrito vanitas, qui non revixit ipse.*

Plato [8] resurrectionem alicubi docet; Platonici, teste Augustino [9], animas e corporibus, quae animaverant, in libertatis illarum restitutas rursum in nova corpora perpetuo transmigrare putabant. *Alternantibus vicibus indesinenter vivos ex mortuis, & ex vivis mortuos fieri.* Hos juxta Philosophos a communibus viris Sapiens tantum differt, quod post mortem astro sibi congruo anima nectitur, donec aliud corpus animandi cupidine capta inde revertitur, & alicujus infantis jam organis satis instructo corpori rursus adhaeret. Improborum vero spiritus vix a suo corpore egressi, aliud corpus ei vitae, quam antea egerant, accommodum sibi comparant, vel belluam, vel corpus humanum male constitutum.

Porphyrius, qui post coeptam Christianam Religionem floruit, cum, eodem teste Augustino, Praeceptoris sui Platonis sententiis inhaesisset, easdem hac de re prorsus rejecit; hominumque animas nunquam in belluas transmigrare, Sapientum vero Spiritus a corpore semel sejunctos, nunquam in aliud regradi, sed in Deo aeternis voluptatibus absorberi, defendit. Hinc est, quo de Justorum beatitudine cum Christianis conveniret, & ab illis etiam valde recederet, quod proborum animas suis corporibus nunquam restituendas, & corpora beatis animarum voluptatibus nunquam fruitura, tueretur.

Platonica animarum transmigratio, vel apud Judaeos, qui resurrectionem credebant, fidem invenit. Josephus, qui Pharisaeorum sectam, & Philo, qui Platonis Philosophiam profitebatur, Justorum animas e corpore egressas, in aerem, vel in Sphaeram, unde discesserant, regredi, posteaque inde revertentes in alia corpora transmigrare sentiebant [10]. De reali mortuorum resurrectione perspicue non meminere; eam tamen in Veteris Testamenti Libris [11], & in Machabaeorum secundo cap. 7. 9. 14. 23. satis offendimus;

A Pharisaeos etiam, & vulgo Judaeos adversus Saducaeos resurrectionem defendisse, ex Evangelio, & ex Apostolorum Actibus 23. 6. constat. Verumtamen hoc resurrectionis dogma praecipuum eorum Religionis articulum non constituebat; non enim a sua communione, neque a conventibus, neque e summis Reipublicae dignitatibus Saducaeos arcebant; imo ex his aliquem, vel Summum Pontificatum gessisse Josephus restatur [12]. Modo Religionis studiosiores Sadducaeos Haereticorum, & Epicuraeorum nomine appellant, neque ulla futuri saeculi voluptate fruituros enunciant [13].

Judaeorum nonnulli non omnes omnino homines, sed Israelitas tantummodo, praeter eorum flagitiosissimos, ad vitam revocandos fore docebant. Alii vero omnes prorsus homines vitae restituendos enunciabant. Erant, B qui semel redivivos iterum morti obnoxios negarent; erant etiam, qui [14] eam opinionem improbantes, solas animas aeternae beatitudine donandas defenderent. Eorum itaque dogma hac de re adhuc in diversa distractum.

Et apud Catholicos hujus dogmatis nonnulla olim varietas. Plures enim e Vetustis Patribus [15] geminam resurrectionem memorabant; alteram, quae Messiae annos mille terris dominaturo praeibit; alteram, quae ipsum hoc regnum consequuta, Sanctorum in Coelis aeternam exorditur felicitatem: quam quidem sententiam ex Judaeis reperierant; eam enim in Esdrae quarto [16], in duodecim Patriarcharum Testamento [17], apud Rabbinos plurimos offendimus; eamdemque semi-Judaeus Cerinthus saeculo primo defendebat. Stepha-C nus Gobarrus, cujus excerpta e Photio accepimus, de resurrectionis dogmate methodo problematica disseruit [18], & de corporum corruptione ad resurrectionem, partem utramque defendit. Nos praeterea eadem statura, & aetate, qua decesserimus, resurrecturos, mox negat, docens Infantes aetate jam completa vitae restituendos. Nos non eodem omnes, sed diverso tempore e mortuis revocandos; corpora nostra subtilia, & spiritualia fore; tum e contra fore compacta, & terrestria, & his, quibus modo constamus, simillima enunciat. Primos omnium Justos resurrecturos, deinde animalia caetera; post resurrectionem, adhuc in terris edentes, bibentes, & filios procreantes immoraturos; ejus demum pacis, & voluptatis millenario peracto, omnium omnino resurrectionem futuram restatur: tum D e contra Justos resurgendo caeteris non praeituros, & mille annorum Regnum post resurrectionem minime adventurum affirmat. Eadem demum methodo de Paradiso disserens, Justos post resurrectionem ibidem commoraturos, & non commoraturos defendit, eamque deliciarum Aulam neque in terris, neque in coelis, sed medio quodam loco constituit.

Ex Moysis Libris satis perspicua futurae omnium resurrectionis argumenta minime deducimus. Cum [19] CHRISTUS ea Exodi verba allegasset [20]: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*; statim intulit: *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Quo quidem ratiocinio animae tantum immortalis, & Patriarchae vel post mortem superstites directe probentur. Inde vero corporum resurrectio facile deducitur; si e-E nim veterum Justorum animae adhuc supersint, neque bonorum operum, quibus incubuerant, praemium in hac vita retulerint, ad Dei Justitiam pertinet, ut in altera idem referant non animae modo, sed etiam corpora,

1 Act. 17. 32. 2 1. Cor. 15. 12. 3 2. Timoth. 2. 18.
4 Aristot. lib. 3. de Anima cap. 6. 5 Theopomp. Philippic. 8. apud Laertium in prooemio.
6 Laert. in Democrit. 7 Plin. lib. 7. cap. 55. 8 Plato. in Politic.
9 Augustin. de Civit. lib. 13. cap. 49. & lib. 12. cap. 12. num 2. 10 Vide Philon. de Gigantib. 222. 223. & de Confusione linguarum pag. 272, Joseph. lib. 3. de Bello Jud. cap. 14. in Lat. in p. 852. & alibi non semel.
11 Vide Job. 14. 12. & 19. 25 Ezech. 37. 1. &c. Sap. 3. 13. & 6. 4.
12 Joseph. antiqu. lib. 18 cap. 2. Vide & Act. Apost. 5. 17. 13 Vide Menasse Ben-Israel. de Resurrect. mortuor. lib. 1, cap. 1. 14 Abarbanel. & Mos. Aegypt. apud Menasse Ben-Israel lib. 3. cap. 11.
15 Papias apud Euseb. lib. 3. histor. cap. 39 Justin dialog. cum Triphone. Iren. lib. 5. cap. 33. Tertull. lib. 3. contr. Marcion. &c. 16 4. Esdr. 4. 35. & 6. 18. &c.
17 Testament. 12. Patriarch. Testam. Jud. num. 25. & Zabul. n. 10. Dan n. 5. & Levi c. 18.
18 Phot. Cod. 232. 19 Matt. 22. 23. 29. 30. 20 Exod. 3. 15.

pora, perque animæ ipsæ virtutes, & opera ingenua exercuerant. Sola anima Abrahæ non est totus Abraham.

R. Schammai [1] ex Exodi 6. 3. *Apparui Abraham, Isaac, & Jacob . . . . pepigique fœdus cum eis, ut darem eis terram Chanaan*, Resurrectionem probat. Cum enim, subdit, ea regione, dum viverent, potiti non fuerint, eo reversuri, ut potiantur. Eo Rabbinus hic ducebatur, quod cum Hebræis Justorum, & Patriarcharum Regnum post Resurrectionem in omnes terras futurum arbitraretur. Nos vero & Abraham, & Isaac resurrecturos scimus, non ut regioni Chanaan, cujus profecto ipsis necessitas nulla inerit, seu voluntas, dominentur, sed ut viventium regione, quam Chanaan allegorice præferebat, æterna voluptate potiantur. Menasse Ben-Israel ex Libris Moysis futuræ Resurrectionis verosimilia tantummodo argumenta ab Hebræis hauriri, ultro fatetur [2].

Resurrectionem aperte prafert Isajas 26. 19. *Interfecti tui resurgent; expergiscimini, & laudate, qui habitatis in pulvere; quia ros lucis, ros tuus; & terra mortuos prajiciet.* Judæorum Doctores [3] huic rori virtutem creatricem tribuunt, a qua tellus fœcunditate donata mortuos omnes ad vitam producet. Quam etiam Resurrectionem cum hominum productione conferentes, rorem veluti Patrem, terram matrem, mortuos redivivos filios generatos appellant.

Æque perspicuum testimonium Ezechielis 37. 1. &c. qui in spiritu in campum mortuorum ossibus refertum raptus, Deo vitæ spiritum eisdem impertiente, primum ea commoveri vidit, deinde simul copulari, nervis instrui, pelle vestiri, in viros denique redivivos C assurgere. Sammai, & Hillel de Resurrectione maxime olim disceptarunt, utrum scilicet Resurrectio, ordine per Ezechielem allato, inchoanda sit ab ossibus, & nervis, per carnem deinde, & pellem absolvenda; an vero fieri debeat, quemadmodum in utero Matris instituitur fœtus, juxta illud Jobi 10. 11. *Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me.* Hanc Hillel, illam Sammai sententiam tuebantur. Disceptatio ut que inanis; resurrectio enim, Apostolo teste, illico & ictu oculi fiet.

Rabbini quidam [4] ea ossa, de quibus paulo ante Ezechiel, vere revixisse, eosque homines, postquam reversi sunt Jerusalem, filios procreasse ferebant. Ab his ossibus Rabbinus Juda originem suam ostentans, D quædem etiam *Thephillim*, seu frontalia in eorum precibus adhiberi solita, quæ ab his Ezechielis redivivis ad suum usque Patrem pervenerant, ab eodem Patre sua se accepisse prædicabat. Nostri vero Interpretes ea omnia Ezechieli in spiritu esse ejusque vaticinium, sicuti & Isajæ paulo ante allatum, duo præcipue docent, Hebræorum nempe a captivitate in terram Chanaan regressum, & mortuorum Resurrectionem. Regressus ille Resurrectionem hanc designabat.

Resurrectionis Evangelistam jure merito Jobum appellamus. In toto ejus Libro phrases undique occurrunt, quibus quantis ipse vorit Resurrectionem etiam oppariretur, ostenditur. Ipsa ejus valetudinis & fortunæ mutatio futuram satis Resurrectionem præsignavit. *Scio*, inquit Job 19. 25. *quod Redemptor meus* E *vivit; & in novissimo die de terra resurrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum; quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Psalmista etiam perspicue Resurrectionem prafert, Psal. 48. 16. *Deus redimet animam meam de manu Inferi*, (de sepulchro) *cum acceperit me.* Et Psal. 103. 29. *Avertente autem te faciem, turbabuntur; auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum tuum, & creabuntur* (iterum), *& renovabis faciem terræ.* Osee futuram Resurrectionem non obscure pranunciat c. 6. 2. *Dominus capit & sanabit nos; vivificabit nos post duos dies; in die tertio suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus.*

Lucalentius adhuc in libris post Babylonicam captivitatem Resurrectio futura exhibetur. Libri Sapientiæ Auctor *visitationis* nomine, ut plurimum, Resurrectionem indicat [5]: *Justorum animæ in manu Dei sunt... spes illorum immortalitate plena est.... Et in tempore visitationis ipsorum refulgebunt, & judicabunt nationes.* Ecclesiasticus de Israelis Judicibus agens, Deum orat c. 46. 14. *ut sit memoria illorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo* (de sepulchro). Quæ dicendi phrasis ad illam Isaiæ 66. 14. refertur: *Ossa vestra quasi herba germinabunt.* Ad illam adhuc Psal- B mistæ Psalm. 71. 16. *Ossa vestra germinabunt sicut fœnum terræ.* Daniel, ea quæ Antiochi Epiphanis persecutionem consecutura essent, prævenens, *Multi*, ait c. 12. 2. *de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt* (resurgent,) *alii in vitam æternam, et alii in opprobrium ut videant semper.*

Macchabæorum Scriptor, æque ac Evangelistæ, & ipse Apostolus, de Resurrectione perspicue. Quidam ex Macchabæis Fratribus Antiochum compellans: *Tu quidem*, inquit, *scelestissime in præsenti vita nos perdis; sed Rex Mundi defunctos nos pro suis Legibus æternæ vitæ resurrectione suscitabit*, 2. Macchab. 7. 9. Ex eisdem Fratribus quartus sic etiam Regem est alloquutus 2. Macchab. 7. 14. *Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos;* C *tibi enim resurrectio ad vitam non erit.* Eorum etiam Mater, ut filiis ad pœnas subeundas animos adderet 2. Macch. 7. 23. *Mundi creator*, ait, *qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter Leges ejus.* Ejusdem Libri Auctor, postquam Judam Macchabæum plurimas ad Templum pecunias misisse meminerat, ut pro interfectis in certamine sacrificia Deo offerrentur; 2. Macch. 12. 44. *Nisi enim*, subdit, *eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.* Auctor quarti Macchabæorum, quem Librum plures Josepho Historico tribuere, quique inscriptus: *De rationis imperio*, ejus Operibus interseritur, hæc eadem de mortuis ad vitam revocandis D reputabat.

Plura hic de Resurrectionis veritate argumenta congerere supervacaneum; hac enim dissertatione non Resurrectionis dogma probandum, sed ejus rationem, tempus, & cæteras, quæ a nobis interrogari possunt, circumstantias perpendendas assumpsimus. Jesu Christi ætate Judæi omnes, præter Sadducæos, Resurrectioni fidem adhibebant. Idemmet Christus pluribus Evangelii locis eamdem comprobavit. S. Paulus, & Apostoli cæteri non modo mortuos resurrecturos docuerunt, sed adversus Sadducæos, & suæ ætatis hæreticos, imo & contra Philosophos defenderunt. Ecclesia Catholica inter præcipuos Fidei articulos Resurrectionem habuit. Hæc certo scire feris, quæ sane ea de re omnem omnino adimunt ambiguitatem.

E Eorum Judæorum [6] paulo ante sententiam retulimus; qui non omnes homines, sed Justos, & probos Israelitas tantummodo vitæ restituendos asserebant. Huic opinioni favere videtur illud Psalm. 1. 6. *Ideo non resurgent impii in judicio.* Quidam etiam ex Macchabæis Fratribus Tyrannum increpans. *Nos* inquit 2. Macch. 7. 14. *de nobis iterum vitæ restituendos speramus: tibi resurrectio ad vitam non erit.* Veteres [7], qui Resurrectionem geminam, & Justorum in terris Regnum ad annos mille protrahendum constituerant, ab ea felicitate, & primæ Resurrectionis gloriæ impio-

---

1 R. Schammai Perek Helech. 2 Menasse Ben-Israel lib. 1. cap. 2. ad finem de Resurrect. mort.
3 Joseph Alba, & Viri Synagog. magnæ.
4 Rab. Juda, & alii apud Menasse Ben-Israel lib. 2. cap. 11. de Resurrect.
5 Sapient. 3. 1. &c. Vide & cap. 4. & 5. 6 Kimchi in Psalm. 1. Maimon. Abarbanel. Joseph. Albo. Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap. 1. & Muis in Psalm. 1. &c. 7 Iren. lib. 5. cap. 32. Quid. apud August. lib. 20. cap. 7. de Civit. Vide & Hieronym. in Isai. 18.

probos repellebant. Hæc vero prior Resurrectio, & mille annorum Regnum Ecclesiæ minime probantur; Dominus præterea & probos, & improbos ad vitam revocandos [1], & coram se Judice constituendos enunciat; illos, ut æterna voluptate donentur, hos autem, ut æternis mancipentur suppliciis. Hæc sane & Paulus, & cæteri Apostoli edocuerunt.

Superstitiosus honor, quem Chananiticæ regioni Judæi habent, illud egit, ut mortuos ibidem ad vitam revocandos putarent. Inde etiam eorum votu de ultimis vitæ diebus ibidem transigendis, & sibi in ea regione sepulchro comparando. Inde eorum opinio de illis, qui alibi sepulturæ mandati, per cuniculos terræ motus in eam regionem a Deo devolverentur, ut ibidem Resurrectionis die vitæ restituantur [2]. Huc referunt omnes laudes, quibus regionem Chanaan Scriptura commendat, & promissa, quibus illam Deus sibi suisque posteris perpetuo se traditurum spopondit. Inde denique, ut mille annos sub jucundo Messiæ Regno ibidem se traducturos sperarent, antequam secunda fieret Resurrectio, & universale Judicium in valle Josaphat, Jerosolymam inter, & Oliveti montem a Domino Judice pronunciaretur. Veruntamen & ex Judæis erant [3], qui & undique & eodem tempore mortuos vitæ restituendos nobiscum crederent; qui etiam [4] Resurrectionem in Terra Sancta inchoandam, et successive in cæteris regionibus quam maxima celeritate perficiendam cogitarunt.

Certum resurrectionis tempus ignoramus, quod & Angelis ignotum Christus asseruit [5], & Apostolis de eo flagitantibus pandere detrectavit. In seculorum exitu, Dei Filio iterum adveniente, omnes resurrecturos tantummodo scimus. Qui sexies mille annorum spatio totam mundi ætatem determinant, nunc prensos ferme rejiciuntor. Hanc sibi Deus reservavit [6], tantumque nos eam diem furis more adfuturam, & homines, præter omnem opinionem deprehensuram, promonuit [7].

S. Paulus hominum plurimos tunc adhuc viventes statim morituros, eaque celeritate iterum resurrecturos asserit, ut eorum mors non mortis, sed mutationis, & transitus nomine appellari debeat [8]: *Fratres*, inquit, *mysterium dico vobis: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*; seu juxta Græcum, & optima Exemplaria, *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Nos igitur eodem, quo decedemus, momento ad vitam revocabimur, morsque nostra levissimus potius somnus appellandus, qui nostri mortalis corporis in incorruptibile, & immortale mutatione absolvetur.

Plurimi sunt Interpretes, ex Græcis potissimum [9], qui eos, qui tunc temporis vivent, mortem omnino non subituros, sed in eam, de qua Paulus, mutationem tantum transmigraturos putent. Qua de re, æque ut Interpretes nostri, etiam Hebræorum Doctores ambigunt [10]. Alii enim eos, qui jamjam incipiente resurrectione non obierint, neque obituros, sed statim e vita ad incorruptionem, & immortalitatem transituros autumant. Negant alii, nullam in futuro sæculo partem neminem obtenturum contendentes, qui primum e vivis migraverit. Decretum de omnium omnino Adæ posterorum obitu sane adimplebitur. *Statutum est hominibus semel mori: post hoc autem, Judicium* [11]. Aliunde vero S. Paulus ad Corinthios alteram potius sententiam statuere videtur; uti enim juxta emendatiora Exemplaria: *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur*.

Nonnulla etiam difficultas, ut Paulus de resurrectionis momento a se ipso non discrepare ostendatur. Modo enim momento eodem, *in ictu oculi*, ad tubæ clangorem omnes resurrecturos asserit [12]; modo *unumquemque in suo ordine*, nempe juxta suum meritum, seu ætatem, ad vitam revocandum prænunciat [13]: quare Sancti v. g. ante reprobos, veteres Patriarchæ ante novissimos, Catholici ante cæteros resurgent: *Primitiæ Christus; deinde ii, qui sunt Christi*. Utrumque tamen optime conciliatur, si Apostolum non de temporis, sed ordinis antecessione meminisse animadverterimus [14]. Electi & Christi Discipuli primi resurgent, cæteris nempe & fulgore, & aliis resurrectionis gloriosis dotibus antecellent. *Vel primi resurgent; primi* videlicet [15], quam Christo Judici in nubibus adventuro occurrant; cum reprobi e contra, qui eodem momento resurgent, æterno opprobrio perfusi, Domino, a quo judicandi, & inferorum pœnis mancipandi erunt, obviam ferri verebuntur.

Judæorum traditio, teste Hieronymo in Matth. 25. 6. resurrectionem noctu, aut diluculo, qua nempe hora Jesus Christus egressus est sepulchro, adimplandam ferebat: quam etiam traditionem a Synagoga accepit Ecclesia, ut alibi ostendimus. In resurrectionis articulo, ait Paulus 1. Thessal. 4. 15. 16. tubæ clangor, & vox Archangeli personabunt, quibus in sepulchris dormientes excitabuntur. Christus etiam in Evangelio Joan. 5. 28. *Venit hora*, inquit, *in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & prodibunt*. Et Matth. 24. 31. *Et mittet Filius hominis Angelos suos cum tuba & voce magna*. Ubicumque de hac ultima die Scriptura loquitur, etiam de tubæ sonitu meminit; quare Interpretes vel tubam vere sonantem audiendam, vel sonitum tubæ similem asserunt; sonitum, inquam, tubæ Dei, *in tuba Dei*, nempe consueto majorem & stridentiorem, non ab illo diversum, quo Mons Sinai personuit, cum Dominus Moysi legem traditurus descendit [16], quoque adeo Judæi fuere perterriti, ut Moysen, non Dominum, sese alloqueretur, ne interirent, oraverint.

Putant alii, hanc tubam ipsam fore Archangeli vocem, seu vocem Dei, vel tonitru, vel imperium, Dei tandem voluntatem, quæ mortuos e pulvere eductos vita & immortalitate donabit; eodem enim *fiat*, quo olim e nihilo, tunc e sepulchris excitatos restituet. Tubam pluries sonitum edituram Paulus prænunciat, cum mortuos *in novissima tuba* resurrecturos affirmat [17]. Chrysostomus & Theophylactus Apostolum ad literam explicant, Divinum Judicem, nonnisi post ultimum tubæ sonitum, adventurum autumantes.

Hebræi etiam ad literam explicantes verba Isaiæ 26. 19. *Expergiscimini, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus &c.* eumdem rorem vivifica praeditum virtute, quæ vel in ima terra conditos revocabit ad vitam, statuunt. Alii docent [18], mortuos a Deo restituendos per ossiculum quoddam in dorsi spina constitutum, incorruptibile, quod *luz* appellant. Eo autem ducuntur, quod cecinerit Psalmista Psal. 33. 21. *Custodit Dominus omnia ossa eorum* (Justorum): *unum ex his non conteretur*. Hoc itaque ossiculum numquam vel cor-

1 Joan. 5. 29. 2 Vide Talmud. Babyl. Cetuboth. c. 13. & Jerosolym. Chilul c. 9. &c.
3 Menasse Ben-Israel de Resurrect. l. 2. cap. 2.
4 Vide Bereschit Rabba Parasch 27. & 96. & Semoth Rabba Parasch. 32.
5 Marc. 13. 32. 6 Act. 1. 7. 7 Matth. 24. 43. & 1. Thessal. 5. 2. &c.
8 1. Cor. 15. 51. &c. 9 Vide Chrysost. Theodoret. Theophylact. in 1. Cor. 15 51. 52. Tertull. de resurrect. c. 41. 42. Hieronym. ad Marcellam. 10 Menasse Ben-Israel, l. 2. c. 13. de resurrect.
11 Hebr. 9. 27. 12 1. Cor. 15. 52. 13 1. Cor. 15. 23.
14 Vide Tertull. de resurrect. carn. 15 Vide Chrysost. Theophylact. in 1. Thess. 4. 15. Ita & Grot. Est. Pagn. Vatab. Erasm. Menoch. Tirin. &c. 16 Exod. 20. 18.
17 Vide 1. Cor. 15. 52. & Chrysostom. & Theophylact. in 1. Thessal. 4. 16.
18 Bereschit. Rabba. Parasch. 28. & Zoar.

corrumpendam, vel conterendam, illud est, cujus modo meminimus. Adrianus Imperator die quadam & resurrectionis fidem, & Judæum hujus ossis virtutem ostentantem irridens, verum ne assereret, experimento tentari voluit. Os igitur molæ suppositum, deinde in flammas projectum, denique in incude percussum incolume inde semper evasit. Circum os illud, addunt, cæteræ corporis partes in resurrectione coibunt; quarum veluti novæ earum copulationis centrum se præstiterit, seu, ut quidam fert Rabbinus, veluti fermentum, quod cætera corporis membra in pulverem soluta iterum restituet; denique veluti tritici semen, quod terræ mandatum, frumentum progignit. Hoc Hebræorum commentum, quod eorum satis prafert levitatem, serio refellere supervacaneum. An os istud extiterit, nemo umquam probavit.

Authores iidem de tempore, quo anima corpori iterum copulabitur, quæstionem instituunt, an nempe id fiet corpore adhuc in sepulchro jacente, an inde egressu, & in priorem statum restituto? Animam plerique [1], corpori nonnisi organis perfecte jam instructo se se iterum adjunctuiam defendunt. Quod satis apud Ezechielem 37. 12. innuitur: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris . . . . cum aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris, & dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis.* Si vero tota simul & in momento resurrectio fiet, ut jam prætulimus, quæstio hæc prorsus inanis.

Reginam Cleopatram ferunt quondam a Meir Rabbino postulasse, an mortui nudi, an vestibus amicti resurgerent [2]. Cui ille, sicut granum tritici nudum terræ mandatum, pluribus integumentis indutum resurgit, ita mortuos vestibus instructos, sepulchro prodituros respondit. Has vestes easdem putabant, quibus cadavera sepulchris inferuntur [3], quod & per vestes probant, quibus amictum se se Samuel Pythonissæ exhibuit [4]. Inde factum est, ut Rabbini potiores pulcherrimis vestibus indutos se tumulari jusserint. Ut plurimum indumentis albis ornabantur, quæ lætitiam & solemnitatem designant. Deus itaque vel iis vestibus, quibus mortui in sepulchrum illati fuere, vel recens creatas eisdem impertiet. Cur tamen hæ vestes? An ut a frigore, vel calore vindicent; vel ut nuditatem operiant; vel ut corpora ita venusta & pellucida exornent? Minime profecto. Nudi igitur omnes resurgent. Cum vero Judæi mille annorum in terris regnum deliciis omnibus, & voluptatibus cumulatum post resurrectionem opperirentur, mirum non fuerit, si homines redivivos vestibus instructos inducerent.

Ex his difficultatibus ad intricatiores alias deducuntur, quo nempe in loco tot homines redivivi, quibus naturalis eo in Regno beatitudo competet, constituendi sint? Quæ quidem ii potissimum urgentur, qui Justos omnes, plurimos etiam ex integerrimis Ethnicis, resurrecturos sentiunt, ut millenaria felicitate fruantur [5]. Terram nihilominus inquiunt ab ea, quæ modo est, longe aliam futuram; nil tunc in ea incultum aut impervium, sed omnia plana, omnia feracia, omnia incolatui accommoda. Quare sat erit orbis, ut domicilium iis omnibus præstet, qui ea fruituri felicitate vitæ restituentur. Paria vel simillima respondisse etiam Millenarios credere par est.

Metempsycosis, cui Judæorum plurimi adhæserunt, & omnium & singulorum resurrectioni repugnat. Cum enim anima una in plures justos successive transmigraverit, quomodo omnes iterum animare valeat? vel forte huic rursus adhæreat, & cæteros prætermittat? An primum animaverit, an secundum, an denique illum, qui præ cæteris resurrectionem meritus fuerit? Quidam primum [6], quidam ultimum ex suis corporibus assumpturam putant [7]; quare alia corpora, quæ antea animaverat, velut arbores infructiferæ in medio agri desertæ habebantur. Quamlibet Animam in tria saltem corpora transmigrare iidem censent, ut quæ primo vitiatum corpus nacta fuerat, perfectius aliud nancisci valeat; quæque per primum offensis Deum affecerat, per secundum sibi veniam conciliet. Hæc vero metempsycosis sententia vulgo & ab Hebræis, & a Catholicis rejicitur; quare in absurdis, quæ hinc oriuntur, refutandis non immoramur.

Plurima adhuc de hominum post resurrectionem statu inquiruntur; quæ nempe eorum futura sit natura, quæ vias, quæ statura, qui sexus: an naturalibus suis vitiis obnoxii; an integra, an decrepita, an ea resurrecturi sint ætate, quæ cuique fuerat, cum decessit; an denique monstra & infantes iisdem affecti incommodis ad vitam revocandi sint? Ad harum difficultatum plerasque solvendas nec satis in Scriptura, nec etiam quibusdam solvendis satis est rationem consuluisse. Verumtamen, quæ apud Authores meliora, hic recensebimus. Ipso Christo teste Matth. 22. 30. Justorum corpora erunt sicut Angeli Dei; Paulus 1. Cor. 15. 53. immortalia, & incorruptibilia, & Patres vulgo gloria undique coruscantia, agilia, pellucida fore asseverant. Præter hæc, certi fere nihil.

Quorumdam errorem, qui, ut post resurrectionem corporeis oculis Deum videndum probarent, carnem in Dei substantiam tunc reformandam, atque ab ea aliquo modo sic divinitate donata Deum sensibili modo aspiciendum, defendebant, hunc & contemnit, & optime refellit Augustinus [8], qui etiam alibi [9] aliorum opinionum refert, qui, ut nimium extollerent, videbantur resurrectionis veritatem evertere, corpora in spiritum convertenda, & ab iis Deum corporeis oculis videndum asserentes. Corpus quidem spirituale nobis spondet Scriptura, non vero corporis substantiæ in substantiam spiritus conversionem [10]. Nostra utique resurrectio Christi resurrectioni non præstabit; Christus vero corpus verum, palpabile, carne & ossibus compactum Apostolis suis post resurrectionem videndum, & tangendum exhibuit Luc. 24. 39.

Beatorum corpora, inquit Christus Matth. 13. 43. *fulgebunt ut sol*, & tanto nitore donabuntur, ut ad Dei lucem proxime accedant. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* Philipp. 3. 21. Et 2. Cor. 3. 18. *Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu.* S. Augustinus serm. 277. n. 12. corporum beatorum vigorem cum radiorum visualium activitate confert, qui juxta veteres Philosophos, objecta ad nostros oculos deferunt, vel a nostris oculis ad objecta summa celeritate rapiuntur. Eadem penetrandi virtute & agilitate beatorum corpora donabuntur; & sicuti Jesu Christi corpus post resurrectionem clausis foribus Apostolorum cœnaculum ingressum est; ita gloriosa corpora, nulla re eorum virtuti obsistente, secretiora, & prorsus impervia loca pervadent.

Docent Hebræi [11], Animam beatitudine jam donatam, & a corpore sejunctam, superiori, a quo maxime decoratur, & penitus pervaditur, lumine niteri; cum vero in resurrectione corpori rursus copulabitur, lumine, quo ipsa fulgebit, corpus omne ita illustrandum, ut membra omnia, Cœli instar, effulgeant: *Fulgebunt quasi splendor firmamenti . . . . & quasi stellæ in perpetuas æternitates*, Daniel. 12. 3.

Quidam, Augustini ætate [12], homines vitiis suis corporalibus obnoxios resurrecturos esse sentiebant; sicut

1 Vide Menasse Ben-Israel. lib. 2. de resurrect. c. 7.
2 Vide Tract. Sanhedr. Rabbi Jonathan. in Cohel. Rabba.
3 Talmud. Jerusol. Chilæi c. 9.
4 1. Reg. 28. 14.
5 Vide Rab. Mosen, & Rab. Mosen Gabay. Talmud. apud Menasse Ben-Israel, l. 2. c. 9. de Resurrect.
6 Abarbanel apud Menasse Ben-Israel, l. 2. c. 8. de resurrect.
7 Rab. Hiskiah. in Zohar.
8 August. Epist. olim 6. nunc 92. n. 5.
9 Idem Epist. 147. c. 21. & Ep. 205. n. 10.
10 1. Cor. 15. 44.
11 Rab. Levi Midgas Hanchelam.
12 August. serm. olim 147. nunc 242. num. 6. 2. & serm. 140. cap. 3.

cut etiam Christus cum suis manuum, pedum, & lateris cicatricibus resurrexit. Qui tamen clarissimus Doctor a quolibet corporis incommodo prorsus immunes ad vitam fore revocandos statuit; si vero Christus sibi reservavit cicatrices, *hoc*, addit, *potestatis fuit, non necessitatis*; eas enim deleri noluit, ut Discipulorum incredulitatem convinceret, & ad gloriæ suæ incrementum conferrent. Alibi etiam Justos sine corporis vitiis, gravitate, infirmitate, & cujuslibet indigentiæ expertes resurrecturos testatur [1].

Hebræorum Doctores vetustissimi [2] iisdem statura, temperamento, qualitatibus, & corporis pravitatibus mortuos esse vitæ restituendos sentiebant. Quare de eorum sententia, qui antea cæcitate, tristitia, gradiendi debilitate laboraverant, cæci, tristes, claudi resurgent; Deus vero deinde eos incolumitati restituet, & statu longe feliciori donabit. Quam opinionem fulciunt illo Ecclesiastę 1. 4. *Generatio præterit, & generatio advenit*; & Pythonissæ visione, cui figura eadem, & iisdem vestibus, quibus antea vivens utebatur, senex Samuel se exhibuit, 1. Reg. 28. 14.

Isajas Resurrectionem memorans, corporis vitia tunc a Deo abolenda insinuat 43. 6. &c. *Dicam Aquiloni: Da: & Austro, Noli prohibere: affer filios meos, & filias meas . . . . . Educam foras populum cæcum, & oculos habentem; surdum, & aures ei sunt*. Deus igitur eorum cæcitatem, vel surditatem avertet. Quod tamen donum in Justos tantummodo conferetur; reprobi vero suis deformitatibus æternum laborabunt. Quæ quidem juxta eorum principia illi enunciant: putant enim se iterum vitam in terris traducturos, obi suæ quisque Tribui adjunctus bibet, comedet, & ducet uxorem: necesse est igitur, eo statu donentur, quo sibi commoda omnia, & pergrata contingant. Cum vero nos principiis ab Judæorum doctrina longe aliis nitamur, & eorum sententiis subscribere, & eorum de corporum post Resurrectionem statu explorationibus uti minime cogimur.

Increduli, & Ethnici, S. Augustini ætate [3], plures de Infantium Resurrectione implexas quæstiones instruebant. Postulantes a Catholicis, quomodo infantes resurrecturi essent, urgebant; Si integra ætate resurgent, ii sunt futuri, qui nunquam fuerunt; neque idem ita erit homo, qui decesserat, ac ille, qui resurget. Si pueruli, infirmi, informes, ac iidem, qui in Matris utero, vel in primo nativitatis momento fuerant, reviviscent; quam voluptatem, quam gloriam, quam felicitatem percipient? Nonne nunquam in lucem prodiisse, quam humili adeo, atque demisso statu deprimi, illis expedivisset?

An infantes ad vitam revocati suam corporis exilitatem servaturi sint, quod certi nil Scriptura afferat, nec Augustinus decernit. Eorundem vero Resurrectionem statuit, verosimiliusque ducit, & integra ætate, & corpore integræ ætati accommodo resurrecturos. *Credibilius plenas omnes resurrecturos, ut reddatur munere, quod accessurum erat tempore*. Esto etiam, subdit, in infantiæ statu reviviscerent: anne proinde infirmitate, & turpi corporis vitio laborabunt? Deest ne venustas, quæ infantiam deceat? Deus permaximam in corpus exile gloriæ lucem conferre non valeat? *Postremo*, concludit, *corruptionem tolle, & quod vis adjice*. Alibi etiam [4] de infantibus agens, qui antequam egrediantur in lucem, decedunt, neminem inquit asserturum per Resurrectionem redivivis corporibus non esse tribuendum quidquid perfectionis per ætatis incrementum iisdem advenisset; sicut etiam per eamdem non esse adimendum, quidquid vitiati corpori accessisset: *Ut non desit perfectio, quæ accessura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia, quæ accesserunt tempore*:

Iis, qui parvulos in matris utero anima tantum sensitiva, & vegetativa, non vero rationali animatos esse putant [5], de eorum post Resurrectionem statu nil penitus investigandum; cum enim nunquam fuerint anima instructi, neque inter homines sunt recensendi, neque proptereà in vitam restituendi. Cum vero postquam corpus saltem organis instructum fuerit, ab anima rationali animari vulgo sentiant, necesse est, & hi pueruli cum cæteris reviviscant; quibus vel Deus, qui ne crinem quidem capitis nostri periturum spopondit, prompte satis eam, ad quam vivendo pervenissent, staturam impertietur; vel quod in iis jam adumbratum est, perficiet; vel quod in eisdem contractum latet, explicabit; vel denique angustam, quam exhibent, effigiem in extensum producet. *Creatori, qui creavit cuncta de nihilo, quomodo deesse posset, unde adderet, quod addendum esse mirus artifex nosset?* ait Augustinus l. 22. de Civit. c. 14.

Veteres plures, & Recentiores [6] iis Pauli verbis innixi, *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, homines ea ætate resurrecturos asseruere, qua Dominus nempe 33. seu 37. circiter annos natus, obiit; quare Infantes excrescent, decrescent senes, ut omnes *in mensura ætatis plenitudinis Christi* constituantur. Apostolus, ait Augustinus, nos ad ætatem quidem, non ad Christi staturam perventuros testatus est: aliter qui Christo statura præstitissent, aliquid illis esset detrahendum, quod profecto Domini promisso repugnare videtur, qui Discipulis suis ne eorum quidem crinem periturum spopondit; non vero nec ætatis, nec aliquid staturæ se cuiquam addirurum asseruit.

Hæc interpretatio, vulgo licet obtinens, nihilominus difficultate non caret. Græci [7], & Latini plures [8] eundem Pauli locum aliter explicant. Ipse Augustinus l. 22. de Civit. cap. 18. S. Hieronymus in Ephes. 4. 13. & D. Thomas alia quidem via progredientes, in Græcorum sententiam deveniunt; nempe illum de Fidelibus interpretantur, qui Evangelii Præconum ope in fide, & in virtute ita progrediuntur, ut ad perfectam ætatem, nempe ad virium, vigoris, & perfectionis spiritualis statum perveniant.

Et monstra quidem resurrectura certo scimus, quæ tamen Deus a corporis vitio vindicabit: *Nec resurrectura negabuntur; nec ita resurrectura sunt, ac non potius correcta, emendataque natura* [9]. Quidquid morti obnoxium est, quidquid homo est, vitæ est restituendum. Si monstrum geminum fuerit, & animabus geminis imbutum, duo homines, & quidem sejuncti resurgent; si anima una solummodo instructum, unus tantum homo reviviscet. Hermaphroditi eum, qui sibi potior fuerit, sexum assument. Vel propter proceritatem, vel propter exilitatem monstro similes ad perfectam mensuram redigentur. Si vas institoris ruptum, vel forte frangitur, vel aliter perit, figulus eamdem argillam iterum miscens, novum inde vas perfectum, & formosum excitat. Quod in primo vase supererat, hic excedebat, hic deerat, in secundo utrinque æqua proportione distribuitur; quare quod ad ejus deformationem antea, postea confert ad venustatem. Ita, proportione servata, in corporum resurrectione fiet. Ex partibus singulis velut in massam unicam fusis, id, quod uni lateri superest, alteri deficienti Deus ita impertiet, ut in quolibet corpore perfectus ordo eluceat. *Nulla*, inquit Augustinus, *ibi erit deformitas, ubi, & quæ prava sunt, corrigentur, & quod minus est, quam decet, unde Creator novit, inde supplebitur. Et quod plus est, quam decet, materiæ*

1 Aug. Enchirid. de Fide, Spe, & Charitate c. 91. 2 Bereschit Rabba Parasch. 95. Gemar. Sanhedr. & Jalkut Rabbani. 3 Vide Aug. ser. 147. nunc 242. c. 3. n. 4. & Ep. 167. edit. nov. & lib. 22. de civ. cap. 14. 4 Aug. Enchirid. de fide, spe, & charitate c. 85. & l. 22. de Civit. c. 13.
5 Bereschit. Rab. Parasch. 34. Talmud. Parasc. Pirkei, & Nida cap. 3.
6 Vide Aug. l. 22. de Civitate, c. 15. & seq. Anselm. D. Thom. hic, & Hieronym. in Epitaph. Paulæ, cap. 12. Est. alii. 7 Chrys. Theoph. Oecumen. 8 Ambrosiast. Haymo, Sasbold. alii plures.
9 August. Enchirid. de fide, spe, & charit. cap. 85. Vide & l. 22. de Civit. cap. 19.

materiæ servata integritate, detrahetur [1].

Beatorum inter, & damnatorum corpora maxime sane intererit: en vero reprobi suorum corporum pravitate affecti resurrecturi sint, non inquirimus [2]: *Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, aut pulchritudo, quorum erit certa, & sempiterna damnatio.* Frustra etiam nobis objicimus, eorum corpus fore corruptibile, si doloribus sit obnoxium, & una fore incorruptibile, si sit mortis immune. Quæ enim ea incorruptio, quæ assiduis semperque innovatis doloribus afficitur? quæ ea fuerit vita, quæ omnibus prorsus calamitatibus semper obruitur? *Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur; nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur.* Incorruptio, robur, & eorum corporum integritas ad pœnarum incrementum conferent: incorruptibiles, & immortales vivent, ut perpetuo moriantur. *Resurgent incorrupti integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pœnarum* [3].

D. Fulgentius [4] improborum corpora non esse immutanda, & eam immutationem, de qua Paulus [5], *Et nos immutabimur*, ad Justos tantummodo pertinere putavit. Impii quidem, addebat, ut Justi, resurgent, et in ea felicissima innovatione nullam partem obtinebunt. Eadem, quam e nativitate duxerant, infirmitate, & corruptione afficientur; ideo nihilominus e tormentorum vi non interficientur, ut eorum pœnis diutius obruantur. Vermis, quo vorabuntur, non occumbet: ignis, quo edurentur, non extinguetur; a quo etiam igne veluti quodam sale perfundentur, ut aliquatenus incorruptibiles evadant: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur*, Matth. 9. 48.

In eam sententiam venit cum S. Augustino S. Fulgentius, quod uterque incorruptibilitatem, & pœnam se invicem repellere autumarent. Nos vero cum utramque sibi mutuo prorsus adversari nolumus, cum dolor soli animæ insideat. Animam, doloribus licet obnoxiam, natura immortalem scimus. Quis vero evertat, quominus corpori incorruptibili juncta, ex iis, quæ corpus efficient, dolorem exhauriet, quamvis inde corpus mortem non sit contracturus? Sunt mala quædam, v. g. podagra, dentium dolor, quibus anima permaxime torquetur, quamvis ab iis corpus minime interimendum compertum habeat.

Diu apud Catholicos disceptatum, an fœminæ in Resurrectione proprium sint sexum retenturæ. Veterum [6] plures affirmarunt, vo potissimum ducti, quod dixerit Paulus Ephes. 4. 13. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Rom. etiam 8. 29. *Quos Deus prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*; quod etiam asseruerit Christus, Matth. 22. 30. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.* Huic sententiæ favent præterea quædam Theologorum, & Philosophorum argumenta; v. g. virum tantum e terra fuisse eductum, fœminam autem e viro. Addit celeberrimus Scotus, fœminam esse viri accidens; & nonnisi viri occasione progenitam. Naturam semper ad virum procreandum intendere, eliquendo vero vel generantis, vel concipientis vitio invitam fœminas producere. Hæc majoris momenti argumenta.

Tertullianus vero de Resurr. carn. c. 60. 61. Hieronymus Epitaph. Paulæ, & Ep. ad Pammachium contr. errores Joann. Jerosol. Augustinus l. 22. de Civit. cap. 17. & Theologorum plerique, fœminam putant æque ac virum perfectam, a Creatore instar viri primo intentam, creaturam Dei esse ad generis humani propagationem necessario constitutam, denique a naturæ seu vitio, seu monstro longissime abesse. *Non est enim*, ait Augustinus, *vitium sexus fœmineus, sed natura.* Porro si fœminæ originem animadvertamus, ipso viro aliquatenus perfectiorem inveniemus; vir enim e terra tantum eductus, fœmina vero ex ipsius viri substantia. Inane est objiciendum inquirere, ad quid sexus varietas post Resurrectionem conducet? aliter necesse foret, ut & a viro suum sexum immutandum enunciaremus, quæ sane illatio ipsius objicientis menti adversaretur.

Procul tunc erunt nuptiæ, generatio, & conjugis in uxorem potestas. Sicut Angeli Dei erimus, morborum indigentiæ, pudoris, & concupiscentiæ expertes. Primos nostros Parentes in horto Edem nuditatis non pudebat, quod integerrima innocentia decorarentur. Ita profecto & Beatis in Cœlo continget, qui mentis acie in Dei Magnitudinem, Sapientiam, Bonitatem prorsus attenta, puritate & innocentia longissime perfectiori ditabuntur.

Ex eisdem JESU CHRISTI verbis, *In resurrectione neque nubent, neque nubentur*, Hieronymus loc. cit. argumentum ducit, quo sexus diversitatem tunc forum concludat: *Non enim*, inquit, *de lapide, & ligno dicitur: non nubent, neque nubentur, quæ naturam nubendi non habent; sed de iis, qui possunt nubere.* Tertullianus, quod CHRISTUS omnibus hominibus Resurrectionem promiserit, eamdem probat sententiam. Cum enim, ait, integer homo resurrecturus dicitur, vacitandus promittitur omnibus omnino membris instructus; quæ quamvis et, cur nunc constarent, usui inutilia, ad corpora nihilominus venustatem, & integritatem necessario postulabuntur. Eadem fere occurrunt in Quæstionibus ad Orthodoxos, Justini Martyris nomine inscriptis [7], & apud Gennadium in Tractatu Ecclesiasticorum dogmatum, S. Augustini Operibus inserto [8]. S. Irenæus quoslibet suum in Resurrectione sexum servaturos perspicue insinuat [9].

Qui sibi de ingenio placent Eruditi, Resurrectionis dogmati perplurima objiciunt. Ajunt enim: Quomodo beatorum animæ corpus, quod ad suas ipsarum pœnas tantummodo contulit, prosequantur amore? quomodo corpus a vermibus corrosum, e flammis absumptum, in pulverem redactum, ab animalibus carnivoris, a vulturibus, a piscibus devoratum, ad vitam revocabitur? quomodo ex corporis particulæ, quæ per insensibilem transpirationem assidue evanescunt, in idem corpus iterum coalescent? quomodo demum populi, qui hominum carnibus vescuntur, suam iterum carnem resurgendo assument, cum inter ipsos sæpissime unius caro in carnem alterius transmigret?

Quæ omnia satis evertimus, modo tantum statuatur, Resurrectionem inter ea, quæ a naturalium causarum ordine dependent, minime esse recensendam. Hoc plane solius Divinæ potestatis est opus [10], cujus causas, & rationem nonnisi temere, & nequicquam indageremus. Eo tantum hic intendimus, ut rei veritatem confirmemus. Ne igitur, inquit Augustinus [11], de redivivorum corporum natura humana infirmitas dirimere audeat; ne propter inanem inquisitionem Fidei, & felicis Resurrectionis meritum deperdat. Novi, & Veteris Testamenti Libri certa futuræ Resurrectionis argumenta præferunt; cujus etiam vadimonium, & artham Domini, & Lazari, & Sanctorum, qui una cum CHRISTO surrexerunt, resurrectio nobis impertit [12]. Frustra igitur contra ea, quæ Dei Filius spopondit, & certo constant, difficultates adstruuntur.

Quamvis autem corporis nostri materia sive in pulverem, seu cinerem redacta fuerit, sive per transpirationem erogata, sive in carnivoras bellua, seu barbari hominis substantiam transmigraverit; Deus eamdem discernet, & corpori, cujus erit, impertietur. Quod

sane

---

1 Aug. l. 22. c. 19. de Civit.   2 Augustin. Enchirid. cap. 92.
3 August. Epist. 146. num. 15. nov. Edit. & serm. 362.   4 Fulgent. lib. de Fide ad Petrum cap. 3. num. 37.   5 1. Cor. 15. 52.   6 Origen. in Matth. 23. 30. Hilar. & Hieronym. in eumdem locum. Basil. seu alios in Psalm. 114. Athanas. serm. 3. contr. Arian. alii apud August. lib. 22. cap. 17. de Civit.
7 Respons. ad qu. 53. ad Orthodox.   8 Gennad. de Eccles. Dogm. cap. 43.
9 Irenæus lib. 2. cap. 13. & lib. 5. 13.   10 Vide Athenagor. de resurrect. mortuor. p. 45.
11 August. serm. 287. num. 13.   12 Matth. 27. 52.

sane ut præstet, neque hominis ope, neque consilio indiget, easque difficultates, quæ nullo labore nobis superandæ videntur, nullo negotio absorbet. Num, qui ex materia aliena hominem per suum verbum momento creavit, ex propria materia compactum restituere non valeat? Particulæ omnes, quæ a nativitate ad usque mortem corpus nostrum compegerunt, nobiscum utique non resurgent; tunc enim magnitudinis monstra excitaremur. Ad tantummodo nobis restituentur, quæ, vel quanti in ætatis anno trigesimo, vel ante mortem fueramus, venusta proportione constituamur. D. Augustinus mortuorum Resurrectionem cum metalli simulacro comparat [1], quod contritum & fusum veterem sui speciem omnino deperdit, a fusore iterum conflatur, partibusque una immixtis in formam priori effigiei consimilem injicitur, & novum contrito simillimum simulacrum construitur.

Sive igitur Deus vel quanti ante mortem fueramus, nos excitare, vel staturam triginta annorum congruentem nobis impertiri, vel denique æque omnes ejusdemque mensuræ nos restituere decreverit; a quonam prohiberi potest, ne quod superest, uni detractum, in alium, cui deerat, conferat, & quidquid velit, perficiat [2]? *Ita modificabitur illa in unoquoque materies, ut nec aliquid ex ea pereat, & quod alicui defuerit, ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit, quod voluit operari.* Huc etiam pertinet fusoris exemplum, qui ex pluribus simulacris specie, & statura inæqualibus, contritis, immixtis, & simul fusis, ejusdem speciei, & staturæ totidem simulacra conflat.

Cuicumque hac de re sententiæ adhæreamus, nihil ullam nobis ingerat difficultatem, cum Resurrectio, & omnes, quæ ad eam pertinent, mutationes, Divinæ sint opus potestatis. Cæterum unumquemque figuram, sexum, & staturam sibi propriam servaturum, verosimilius nos ducimus: necesse enim putamus, ut quisque eo ipso, quo vivens, statu iterum donetur; aliter eorum Resurrectio, nova potius foret appellanda creatio, si ab iis, qui fuerant, alii resurgent.

De hominibus, quos barbari homines voraverint, difficilior solutio: iis enim, quos carnivora animalia absumpserint, cum hæc non sint ad vitam revocanda, iterum restituetur, quod in eorumdem animalium nutritionem transmigraverat. Rabbini [3] in sæculorum exitu, & Messiæ temporali Regno florente animalia perfectiora, quam nunc exitura, & eidem, quo ante Adæ lapsum fruebantur, statui restituenda putant. Licet vero minime resurrectura velint, quæ obierint, nihilominus stat difficultas de iis saltem animalibus carnivoris, quæ cum ante primam Resurrectionem Justorum carnes comederint, post eamdem Resurrectionem adhuc vita non excesserint. Quid enim de Justorum carnibus, quæ in eorumdem animalium substantiam transmigraverint? Qui huic favent opinioni, difficultatem solvant.

Nunc vero ei occurramus, quod de *Antropophagis*, seu hominum comestoribus objicitur. Corpus, quod comesum fuerit, anne illi qui comederit, & in suam substantiam converterit, an ipsi comeso restituetur? S. Augustinus comeso restituendum non ambigit [4]: *Reddetur caro illa homini, in quo esse caro humana primitus cœpit.* Tam comesus, quam comestor suæ utcumque propriæ substantiæ restituetur.

Athenagoras idem sibi objiciens, sibi etiam respondet [5], humanam carnem, quod hominum congruum non sit nutrimentum, non posse idcirco ad eorum subsistentiam conferre, nec in eorumdem substantiam converti; adeoque licet corpori humano per cibum copuletur, vel per transpirationem dissipari, vel projici per excrementa. Paulisper, addit, in corpore humano detinetur, neque in carnem convertitur; quare ejus, qui resurgit, corpus proprie constituere non potest. Nos vero, ne nostris Philosophis responsum hoc non arrideat, satis veremur. Caro utique humana ad ordinariam, & naturalem hominis nutritionem non pertinet, quod Deus eamdem hominibus interdixerit. Verumtamen, qui eam comedunt, eamdem digerunt, & veluti cibos cæteros suum in succum convertunt: quam tempore, & modo, quo Deus voluerit, comesis restituent, ut ait Augustinus. Sapientiæ Dei erit nostrorum corporum materiam ita omnibus impertiri, ut & sui promissi veritas, & suorum operum venustas undequaque refulgeat.

Hanc tandem dissertationem absolvamus. Veritatem ex præcipuis, quibus Catholica Religio Fidem adhibet, perspicuis Veteris, & novi Testamenti textibus, & JESU CHRISTI promissis innixam, Domini etiam, & cæterorum, quos ipse excitavit, Resurrectione comprobatam perpendimus. Quot nihilominus tenebris mysterium istud obvolvitur? Quando, quomodo, qua statura, qua ætate resurgemus? Hæc humana curiositate nequicquam sane indagantur. In sæculorum exitu nos resurrecturos, semel tantum Resurrectionem futuram, & momento, seu oculi ictu absolvendam, corpora demum Justorum incorruptibilitate, & immortalitate donanda, certe scimus. At qualia reproborum corpora sint evasura? Quomodo immortalitas, & incorruptibilitas cum pœnis innumeris, assiduisque suppliciis cohæreant? Quomodo infantes, quo statu, qua statura resurgent? Quomodo monstra, & qui in matris utero decesserunt, reviviscent? Hæc omnia sibi Dominus reservavit, nobisque ea tantum aperuit, quæ scire maxime expedit. Omnes nempe, & singulos homines resurrecturos, & ante Divini Judicis Tribunal constituendos fore, ut probi donentur præmio, ut improbi mancipentur supplicio.

1 August. Enchirid. de fide, spe, & charit. cap. 89. & lib. 22. de Civit. cap. 11.
2 August. Enchirid. cap. 90.
3 Vide, si placet, Philonem de præm. & pœn. pag. 924. & Semoth Rabba, & Menasse Ben-Israel lib. 3. cap. 6. pag. 303.
4 August. lib. 22. de Civit. cap. 19.
5 Athenagor. lib. de resurrect. mort.

COM-

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN EPISTOLAM
SANCTI PAULI
AD GALATAS.

CAPUT PRIMUM.

S. Paulus acriter Galatas corripit, quod nimium leviter doctrinam ſuam reliquerint: Miſſionem ſuam commendat, ejuſque effectus enarrat. Jeroſolymam petit, ubi videt S. Petrum, & S. Jacobum.

1. PAulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem; ſed per Jeſum
Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum a morruis: 2 Et qui me-
cum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ. 3 Gratia vobis & pax a Deo
Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto. 4 Qui dedit ſemetipſum pro peccatis no-
ſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundum voluntatem Dei, &
patris noſtri. 5 Cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. 6 Miror, quod ſic
tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium:
7 Quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evan-
gelium Chriſti. 8 Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præ-
terquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. 9 Sicut prædiximus, & nunc
iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema
ſit. 10 Modo enim hominibua ſuadeo, an Deo? an quæro hominibua placere? Si
adhuc hominibns placerem, Chriſti ſervus non eſſem. 11 Notum enim vobis fa-
cio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundum
hominem. 12 Neque enim ego ab homine accepi illud, neqne didici, ſed per
revelationem Jeſu Chriſti. 13 Audiſtis enim converſationem meam aliquando in Ju-
daiſmo: quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam.
14 Et proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abun-
dantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. 15 Cum autem placuit
ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, 16 Ut
revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuo non
acquievi carni, & ſanguini, 17 Neque veni Jeroſolymam ad anteceſſores meos A-
poſtolos: ſed abii in Arabiam: & iterum reverſus ſum Damaſcum: 18 Deinde poſt
annos tres veni Jeroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim:
19 Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini. 20
Quæ autem ſcribo vobis; ecce coram Deo, quia non mentior. 21 Deinde veni in
partes Syriæ, & Ciliciæ: 22 Eram autem ignotus facie Eccleſiis Judææ, quæ e-

rant in Christo : 23 Tantum autem auditum habebant : Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat : 24 Et in me glorificabant Deum.

℣. 1. PAULUS APOSTOLUS NON AB HOMINIBUS &c.] Incipit Apostolus munus suum celebrans, quod pseudo-Apostoli detetere affectabant. Homo iste, ajebant illi, nequsquam accepit missionem suam a primis Apostolis ; hic neque vidit, neque cognovit JESUM CHRISTUM. Improbos hos ille sermones explodit dicens : non sum Apostolus ab hominibus missus, non recepi ab homine missionem meam ; sed illam immediate a JESU CHRISTO, & Deo Patre ejus obtinui : qua in re JESUM CHRISTUM Patri æqualem facit, quemadmodum veteres animadvertunt [1] ; ejusque Divinitatem confirmat, se non ab homine missum esse contendens. Acceperat ille Apostolatum suum immediate a JESU CHRISTO, cum in conversione sua jussus fuit Ananiam convenire, a quo ea, quæ sibi facienda erant [2], edoceretur ; cum Ananias in visione jam a Domino didicisset, virum hunc *vas esse electionis*, hoc est, *instrumentum de industria electum, ut portet nomen Dei coram Gentibus, et Regibus et Filiis Israel, cui JESUS ipse ostendet quanta oporteat eum pro nomine suo pati*. Propter hanc destinationem de Cœlo dilapsam, quin aliam præstolaretur missionem Damasci, & in Arabia Evangelium cœpit prædicare : cumque deinde præcepit Spiritus Sanctus [3], ut Paulus, & Barnabas segregarentur, & mitterentur in opus, ad quod illos destinaverat, ea simplex fuit determinatio, vel fuit primæ Dei de ipso voluntatis complementum.

QUI SUSCITAVIT EUM A MORTUIS.] Scriptura nonnumquam ait, JESUM CHRISTUM a Patre fuisse resuscitatum, & alibi, illum ex propria virtute [4] resurrexisse, testatur. Verum isthic nihil absurdum est. JESUS CHRISTUS, quatenus homo, a Patre resuscitatus est ; quatenus Deus seipsum resuscitavit [5]. Apostolus electus, missus, eruditus fuit a JESU CHRISTO, non dum viveret inter homines, sed postquam resuscitatus esset ex mortuis : Cumque hic unum sit tantum cum Patre : Paulus ait, se a Filio simul, & Patre missum fuisse.

℣. 2. ET QUI MECUM SUNT FRATRES.] Quemadmodum non satis constat, unde hoc litteratam Apostolus dederit, ita abeunt in diversa, qui scrutari contendunt, de quibus Fratribus hic S. Paulus loquatur ; aliis quidem asserentibus, hos esse Fideles Ephesios, aliis Corinthios, aliis eos discipulos, qui socii erant itinerum ejus, puta Titum, Timotheum, Lucam, Sosthenem, Silam, Barnabam. Animadvertit S. Hieronymus, Apostolum de industria fratres omnes memorasse, ut ostenderet, se nihil dicere, quod ab omnibus fidelibus non probaretur : *plurimum quippe facit ad Populum corrigendum multorum in una re conscientia, atque consensus*. Non scribit autem ad unam tantum peculiarem Ecclesiam, neque ad fideles unius Civitatis ; sed *Ecclesiis Galatiæ* ; malum enim quod pseudo-Apostoli ibi pepererant, in omnes Ecclesias, atque omnes illius Provinciæ Fideles late sese effuderat [6].

GRATIA VOBIS, ET PAX.] Deus Pater, & Dominus noster JESUS CHRISTUS vos gratiis suis, & benedictionibus cumulent, & vobis pacem, omnemque felicitatem concedant : Vel, concedant vobis *gratiam* justificantem, & *pacem*, quæ vos Deo reconciliet ; verbo, gratiam, & pacem, quarum jacturam fecistis, & quibus meruistis exui propter vestram in via Domini inconstantiam, S. Hieronymus inquit [7].

UT ERIPERET NOS DE PRÆSENTI SÆCULO NEQUAM.] Ut educeret nos de erroribus, subdolis illecebris, atque tyrannide hujus sæculi. Inde nos expedivit, mentem nostram illuminans, & ad fidem perducens : Inde perfectius etiam nos eripiet, & per mortem migrabimus ad beatam immortalitatem, quam JESUS CHRISTUS nobis sua morte promeruit, & cujus viam per suam resurrectionem aperuit. Apostolus hoc sæculum malum appellat, *de præsenti sæculo nequam*, non quod malum in semetipso sit, quemadmodum Hæretici nonnulli asserebant, sed quod homines in illo inhabitantes nequam sunt, atque corrupti [8].

℣. 6. MIROR, QUOD SIC TAM CITO [9],] reliquistis eum, qui ad JESU CHRISTI gratiam [10] vos evocavit. Isthic proprie orditur Epistolam, cujus ea, quæ præcedunt, non aliud sunt, quam procemium. S. Paulus qui mirum in modum noverat semet submittere ad captum, & ingenium auditorum suorum, in universa hac Epistola durius, atque austerius loquitur, quam in aliis, quod Galatæ magis rudes erant, & magis inconstantes, & quod ea in occasione non satis amorem erga veterem Apostolum suum, ejusque doctrinam ostenderant. Illos redarguit, quod reliquerint Deum [11], a quo ad JESU CHRISTI gratiam fuerant vocati [12], quasi diceret : Deus per misericordiam suam vos de Ethnica religione vocavit ad Evangelium ; vos autem fœdissima prævaricatione Evangelium deseritis, ut Legi adhæreatis. Si voluisset Deus vos ad Legem vocare, hoc illi arduum minime fuisset ; sed vultis contra mentem illius Evangelium simul, & legem consociare. Credit S. Hieronymus, isthic non deesse Hyperbaton, & legendum [13] : *Miror, quod reliquistis tam cito JESUM CHRISTUM, qui vos ad gratiam Evangelii vocavit*. Alii hoc ita intelligunt : *Miror, quod tam cito recessistis a me*, & a doctrina, atque Evangelio, quod vobis prædicavi &c. [14] sed prior explicatio pluribus arridet, atque melior est. *Tam cito* : Tres jam vel quatuor effluxerant anni, ex quo Galatæ Evangelium receperant [15]. Alludit fortasse ad eam facilitatem, qua sermonibus pseudo-Apostolorum illi se victos dederant.

IN ALIUD EVANGELIUM, ℣. 7. QUOD NON EST ALIUD &c. [16]] saltem quod verum sit ; quis enim ambigit, quo minus plura sint pseudo Evangelia ? sed mali Doctores, de quibus S. Paulus verba facit, non aliud afferre putabant Evangelium, quam quod jam S. Paulus annunciaverat, illud simpliciter vitiare conati, eidem Mosaicæ legis exercitationem conjungendo : qua in re eo magis peccaverant Galatæ, qui cum a S. Paulo didicissent, quid esset credendum, eumdem consulere debebant, utrum fidei suæ quædam addenda essent, vel imminuenda. Marcionitæ, qui ex omnibus Evangeliis, illud tantummodo S. Lucæ te-

1 Vide Hieronym. hic. Chrysost. Theodoret. alios. 2 Act. 9. 7. 15. 16.
3 Act. 13. 2. 3. 4 Joan. 2. 19. *Solvite templum hoc ; & in tribus diebus excitabo illud*. Joan. 11. 25. *Ego sum resurrectio, & vita*. Et 10. 17. 18. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me ; sed ego pono eam a meipso ; & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*.
5 Chrysost. Hieronym. Theod. Alii. Marcion. abraserat *Deum Patrem*, veritus, ne concluderetur J. Christum ex se ipso non revixisse, inquit S. Hieronymus ; & loco αὐτὸν, *ipsum*, legebat αὐτὸν, *seipsum* : *Qui suscitavit seipsum*. 6 Chrysost. 7 Hieronym. Vatab. Menoch.
8 Vide Theodoret. Hieronym. alios. 9 Græc. Ὅτι οὕτω ταχέως. In quibusdam deest οὕτω.
10 Gr. Ἐν χάριτι Χριστοῦ. In multis deest Χριστοῦ. Alii legunt Θεοῦ.
11 Ita Chrysost. Theodoret. alii Græci, Estr. 12 Galat. 5. 8. & 1. Thess. 5. 24. 2. Thessal. 2. 14. 1. Petri 5. 10. 2. Petri 2. 3. 13 Ita Grot. Erasm. Tig. Tremel. Syr. 14 Castal. Piscar.
15 Credimus, hanc epistolam scriptam fuisse an. J. C. 55. & an. 51. Galatas fuisse conversos.
16 Hieronym. *Quod non est Evangelium*. Syr. *Quod non est*. Vide Chrysost. Hieronym. Theodoret.

ĸᴛᴇ recipiebant, hoc in loco legebant [1]: *ut sequeremini aliud Evangelium, quamvis non alia sit Evangelia secundum Evangelium meum*. S. Paulus [2] alibi de Evangelio suo verba facit: sed illud ab aliis veris Evangeliis non distinguit, hoc etiam supposito, quod tunc aliqua jam essent conscripta, atque edita in vulgus Evangelia. Quatuor Evangelia in Catholica Ecclesia recepta, ubi proprie loquaris, unum dumtaxat Evangelium efficiunt, propter eorum concordiam, perfectumque consensum. Ea enim unam eamdemque continent historiam secundum eamdem veritatem a quatuor Scriptoribus enarratam.

Græcum quidam ita vertunt [3]: *ut sequeremini aliud Evangelium, quod non aliud est, nisi quod homines quidam vos turbare volunt, ut JESU CHRISTI Evangelium evertant*. Ecce quodnam eorum consilium sit; novum vobis Evangelium student ingerere, ut Evangelium JESU CHRISTI abdiceris; sed prior sensus aptior est.

℣. 8. SED LICET NOS, AUT ANGELUS DE COELO.] Si per *Adynaton* ego vel Angelus aliud vobis Evangelium annontiare vellemus; nobis ipsis anathema infligite [4], & habete nos tamquam segregatos a corpore JESU CHRISTI, inimicos veritatis ejus, & dignos, qui exterminemur, & suppliciis deputemur æternis. Satis liquet, bonum Angelum minime posse falsum Evangelium prædicare; & S. Paulus de se ipso ait ad Rom. 8. futurum, ut neque vita, neque mors, neque Angeli, neque Principatus &c. ipsum a JESU CHRISTI charitate umquam divellant. Igitur quidquid isthic ait, in hyperbolico sensu intelligendum est. Crediderunt veteres quidam [5], Angelos hodie etiam perverti posse, de statu suo decidere, & falsum Evangelium prædicare: cui sententiæ minime adversantur Judæi credentes, bonos Angelos ab ipsis Mundi primordiis sæpius sese corrupisse, & nequam factos fuisse; quam opinionem in hunc locum Grotius minime explodit [6]: sed Patres, atque Interpretes omnino eamdem confutant, & credit Ecclesia, Angelos post Luciferi lapsum in permanenti, atque immutabili statu consistere.

Anathema græce rem significat a profano & communi usu omnino separatam; item devotam, & sacram; sita hæc vox generatim sumpta cum pro rebus omnibus Sanctis, quæ Deo offeruntur, & consecrantur, ad illius potentiam atque misericordiam colendam; tum pro illis, quæ ipsi devotæ sunt, ut quodammodo eisdem litetur ejus vindictæ, & ut exterminentur in odium eorum, ad quos antea pertinebant, & qui Deo minime placuerant: quo posteriori in sensu satis crebro in antiquo testamenti libris anathema usurpatur. Ita anathemati devoti fuerunt & Chananæi, qui altro Hebræis sese non subjicerent [7], & quædam Urbes criminosæ, veluti Jericho [8], & Arces Regis Arad Chananæi [9]. Denique usurpatur etiam pro separatione, & excommunicatione a fidelium corpore, veluti cum aliquis propter scelerum suorum magnitudinem, vel ob conatum aliquem supplicio afficiendum sibi meretur damnari ab Ecclesiæ capitibus, a qua tamquam inutile tabidumque membrum absciditur [10]. Apostolus hoc in loco ait, si vel Angelus per *Adynaton*, vel ipse etiam a recta fidei semita eousque abhorreret, ut aliud prædicare vellet Evangelium ab eo, quod prædicavit, Anathema sit a fidelium communione divulsus, ita ut meritorum Ecclesiæ particeps esse nullo modo possit.

℣. 9. SI QUIS VOBIS EVANGELIZAVERIT PRÆTER ID QUOD ACCEPISTIS.] Quasi metueret, ne quod superiori versiculo dixit, intelligeretur velut temere dictum, & præ rei magnitudine inconsulte effusum, illud ipsum repetit, atque ostendit, se illud consultissime dixisse [11]. Credunt Patres [12], officii gratia, isthic non meminisse S. Petri, aut alterius Apostolorum, sed de industria dixisse, *licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis*; ut ostendat Galatis, si quis ex primis Apostolis, vel alius ab iisdem missus, perniciosam hanc sibi libertatem vendicasset, se minime dubitaturum, quin in illos anathema ejacularetur: quandoquidem hoc adversus Angelum ipsum se præstiturum testatur.

Hæc verba: *præter id quod accepistis*, bifariam explicantur secundum Græcum [13]: I. si quis vobis docuerit opposita iis, quæ ipse vos docui: si aliud Evangelium prædicaverit ab eo, quod ipse vobis prædicavi [14]; vel II. cum S. Johanne Chrysostomo [15]: si quis vobis aliud annuntiaverit præter ea, quæ nos ipsi docuimus. *Non alt, si opposita docuerint, vel si everterint ea, quæ ipse vos docui: sed si vel minimum aliquid prædicaverint ultra ea, quæ vobis prædicavi, vel eorum aliquid immutaverint*, anathema sit. Sed prior explicatio probatior est, & græca præpositio quæ significat *præter*, etiam *contra* [16] significat.

℣. 10. MODO ENIM HOMINIBUS SUADEO, AN DEO?] Numquid a Deo, an ab hominibus probari cupio. Quæsivi ne unquam, ut hominum gratiam aucuparer [17]? quid mihi eorum gratia prodesse potest? dummodo placeam Deo, hoc mihi sufficit. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*. Itaque ubi vobis Evangelium annontio, ne arbitremini, hoc me adniti, ut hominum gratiam mihi demerear, vel fructum aliquem quæram. Deo uni placere studeo. Comparate meum vivendi genus, cujus vos testes fuistis cum vita eorum, qui venerunt post me.

Alii etiam sensus græco textui tribuuntur [18]; ex. gr. si prædico, atque adlaboro, ut vos erudiam, id conor, ut hominibus placeam, an ut Deo? quod hac in re meum esse consilium existimatis, ut hominibus obtemperem, an ut pareum Deo [19]? aliter [20]: causam meam agam coram hominibus, an coram Deo? numquid vos estis Judices mei, an Deo rationem sum redditurus? Dominus procul dubio me judicio, vel liberaturus est, vel damnaturus. Hic sensus mihi melior videtur. Vertunt alii [21]: *numquid hominum, an Dei doctrinam doceo*; numquid hominem prædico, an Deum anountio? *Homo*, & *Deus* pro rebus humanis, & Divinis hoc in loco memorantur; quemadmodum sæpe JESUM CHRISTUM *prædicare*, pro illius doctrina, & Evangelio, *prædicare Regnum Dei*, pro JESU CHRISTI doctrina, Regni hujus adventu, & via, quibus ad illud pervenitur, usurpari consuevit.

SI ADHUC HOMINIBUS PLACEREM.] Si voluissem Judæorum gratiam mihi demereri, quemadmodum olim ante conversionem meam, hodie non essem Apostolus JESU CHRISTI [22]. Vel: Opus non erat, ut mihi tantum persecutionum pondus a Judæis conflarem, si imitari voluissem hos prædicatores, qui vos impellere conantur, ut Judaicam cum Christiana religione permisceatis: sed tunc minime servus essem JESU CHRISTI, neque fideliter ministerii mei munere perfungerer.

1 Οὐκ ἔστιν ἄλλο κατὰ τὸ Εὐαγγέλιόν μου. Ita legebat Chrysost. hic. Megeth. Dialog. contra Marcion. sect. 2. p. 9.
2 Rom. 2. 16. *Cum judicabit Dominus occulta hominum, secundum Evangelium meum*.
3 Grot. Erasm.
4 Hieronym.
5 Vide Hieronym. hic.
6 Vide Grotium in hunc locum.
7 Deut. 7. 2. &c.
8 Josue 6. 17.
9 Num. 21. 1. 2. & seq.
10 Rom. 9. 2. & 1. Cor. 12. 3. 16. 22.
11 Theodoret. Chrysost.
12 Hieronym. Ita & Theodoret. & Chrysost.
13 Παρ' ὃ παρελάβετε.
14 Theodoret. Ambrosiast. Hieronym. Grot. Est. Alii plerique. Vide August. tract. 98. in Joan. l. 17. contra Faust. c. 3. l. 23. c. 7.
15 Chrysost. hic. Ita Theophyl. Bez. Pare. Gomar.
16 Vide Act. 18. 13. Rom. 1. 25. 4. 18. 11. 24.
17 Ita Syr. Heins. Grot. Hamm.
18 Ἄρτι γὰρ ἀνθρώπους πείθω, ἢ τὸν Θεόν;
19 Menoch. Theodoret.
20 Chrysost. hic. Vide de significatione πείθω. 1. Reg. 24. 7. Matth. 28. 14. & 2. Cor. 5. 11. Est. Grot. Hamm. Tir. Vide etiam S. Hieronymum.
21 Vatab. Erasm. Gomar. Vorst. Martinay.
22 Hieronym. Chrysost. Theodoret. Theophyl. Grot. Est. Menoch. Tir. alii.

℣. 11. QUIA NON EST SECUNDUM HOMINEM.] Hoc non est humanum adinventum; non ultro & sponte, sed a JESU CHRISTO jussus, & ejus numine afflatus prædicandi munus assumpsi. Hoc non ab homine aliquo, sed ab uno JESU CHRISTO didici ℣. 12. *Neque enim ab homine accepi illud . . . . sed per revelationem* JESU CHRISTI. Pseudo-Apostoli, qui ad Galatas prædicabant, Petri, Jacobi, Joannis, aliorumque præcipuorum Apostolorum nomina, quorum se discipulos esse jactitabant, altius efferebant [1]. S. Paulus vero testatur, se nullum hominem Magistri loco habere, & quidquid scit, & quidquid est, se uni JESU CHRISTO debere. Cum autem illi objici posset, quod numquam JESUM CHRISTUM vidisset, ait, se illius missionem, & cognitionem veritatum Evangelii ex revelatione didicisse, cum cœlesti voce in Damascena via humi prostratus triduo lumen minime vidit [2], vel cum aliquot annis post ad tertium usque Cœlum raptus fuit, ubi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui [3]. Ex hoc loco infertur, JESUM CHRISTUM vere Deum esse; quoniam Apostolus profitetur, se non ab homine, sed ab uno JESU CHRISTO recepisse Evangelium [4].

℣. 13. AUDISTIS ENIM CONVERSATIONEM MEAM.] Probaturus, se ab eodem JESU CHRISTO recepisse Evangelium, ait: Nostis, quinam olim fuerim: hæc enim Galatæ didicisse poterant, vel ex eodem S. Paulo, vel ex Judæis, vel ex pseudo-Apostolis. Vobis narratum, quomodo Ecclesiam persequerer: repente ex persecutore factus sum Apostolus, & qui Judæus eram Zelotes, evasi Christi fidelis, & Præco Evangelii. Haeccine immutatio naturalis est? numquid etiam miraculum ab uno ad alterum oppositum, ita repente migrare potest [5]? Aliter [6]: probare vult Evangelii, quod prædicabat, veritatem ex eo, quod ante suam conversionem fecerat. Si homo in Judæorum Sacris innutritus, & qui omnes eorum traditiones novit, eas abdicavit, ut Evangelium amplecteretur, licet tot ærumnis a Judæis esset afficiendus; quo zelo, qua pietate oportet huic religioni, quæ vobis prædicata fuit, adhærere, o Galatæ; vos, qui de Ethnicorum superstitione in JESU CHRISTI castra transiistis. Libentius credimus homini, qui eas partes, ubi enitebat, & cujus leges apprime callebat, abdicavit, præsertim vero miraculosa adactus potestate, quam fidem habeamus illi, qui leviter ductus, temere, vel affectu aliquo impulsus ex priori religione transfugit.

℣. 14. ÆMULATOR EXISTENS PATERNARUM MEARUM TRADITIONUM.] S. Paulus hic innuit, quod alibi apertius narrat [7], se Pharisæum fuisse, & ex genere Pharisæorum: *Pharisæus filius Pharisæorum*; nam qui eam sectam amplectebantur, in id unum maxime incumbebant, ne majorum suorum traditiones relinquerent.

℣. 15. CUM AUTEM PLACUIT EI, QUI ME SEGREGAVIT EX UTERO MATRIS MEÆ.] Deus ab æterno [8] ex mero misericordiæ suæ effectu, & sine ulla meritorum ejus ratione, S. Paulum ad Apostolatum destinaverat [9]: *vocavit per gratiam suam*, vel simpliciter illum ab ipsa nativitate, vel ante eamdem ad hoc munus elegerat; Scriptura enim nonnumquam primum prædestinationis terminum in æternitate constituit, nonnumquam vero in ipsa nativitate, vel in conceptione. Hoc nequaquam contradictorium est; non plura efficit Deus prædestinationis decreta, sed illa manifestat, declarat, exequitur variis subinde temporibus [10].

℣. 16. UT EVANGELIZAREM ILLUM IN GENTIBUS.] Primum Dei consilium S. Paulum vocantis ad fidem hoc erat, ut iste Gentilibus Evangelium prædicaret [11]: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus*. Ille se Gentilium Apostolum esse gloriatur [12]: *ego sum Gentium Apostolus*, & ait [13], ab illo, a quo S. Petrus factus fuit circumcisorum Apostolus, ab eodem se factum esse Apostolum Gentilium; cumque ipse Jerosolymam venisset, a præcipuis Apostolis sibi, & Barnabæ manus fuisse impositas, ut Ethnicis simul, atque Judæis Evangelium prædicarent.

CONTINUO NON ACQUIEVI CARNI, ET SANGUINI.] Quin carnem, sanguinemque consulerem, statim JESUM CHRISTUM prædicavi; non mea negotia, non consanguineos, non amicos, non Apostolos, non hominem quempiam consului [14]: sed aures præbui dumtaxat voci interiori, qua impellebar, & exteriori, tum quam mihi de Cœlo miserat JESUS CHRISTUS, tum vocem Ministri ejus, ad quem me miserat, ut ex illo voluntatem suam ipse cognoscerem. Credo, me nullius monitis egere ea in re, ubi Deus adeo explicite, atque manifeste mentem suam ostendit. Græcus [15]: *continuo minime inii consilium cum carne, & sanguine*, ut quid facto opus esset, intelligerem; vel *consilium meum non communicavi*. Neminem consului. Quæ omnia ad eamdem redeunt sententiam.

℣. 17. NEQUE VENI JEROSOLYMAM,] Ut eos consulerem, qui ante me ad Apostolatum fuerant vocati. Damasci sacro ablutus baptismate, primum quidem prædicare cœpit in Urbe, mox in ea Arabiæ parte, quæ Damasco proxima erat, ac deinde iterum Damascum venit, ubi prædicare perseveravit. Sed cum ejus Urbis Judæi mortem illi inferre meditarentur, fugam corripere debuit, & per muros in sporta demissus venit Jerosolymam [16], triennio post conversionem suam; ubi S. Petrum convenit, cum quo diebus quindecim permansit. Ita non solum ab aliis Apostolis eruditus, & missus non fuerat; verum etiam tribus primis suæ prædicationis annis illos minime viderat: & cum Jerosolymam venit officii [17] ergo, vel honoris gratia, potius quam discendi necessitate, convenit S. S. Petrum, & Jacobum, illosque consuluit [18].

Iter S. Pauli in Arabiam a S. Luca non refertur, quod nihil insigne in illo accidit, & fortasse diuturnum non fuit. Ait solum, S. Paulum Damasco Jerosolymam profectum quæsivisse, cum Discipulis JESU CHRISTI necessitudinem inire; sed illos hunc evitasse, ac veritos fuisse, cum auribus suis nondum accidisset nuntium felicissimæ immutationis, quæ in ipso contigerat. Barnabas ergo se se illi comitem addidit, eumque ad Apostolos adduxit, quibus conversionis ejusdem historiam narravit [19].

℣. 18. DIEBUS QUINDECIM.] Hoc tempore cum illo permansit, Patres inquiunt [20], *non discendi studio, sed honoris priori Apostolo deferendi*, quandoquidem tres jam elapsi erant anni, ex quo Christianam Religionem prædicabat.

℣. 19. JACOBUM FRATREM DOMINI.] filium *Alphæi*, vel Cleophæ, & sororis S. S. Virginis; consanguineum, & JESU CHRISTI Patruelem secundum carnem. Hic minor appellatur, & primus fuit Jerosolymitanus Episcopus [21], eumque populus adeo venerabatur, atque colebat, ut quisque certatim fimbriam vesti-

1 Hieronym. Theophyl. Theodoret. 2 Act. 9. 6. & seq. 22. 14. 15. 26. 17. 18.
3 2. Cor. 12. 1. 2. 3. 4 Hieronym. hic. 5 Vide Chrysost. Theophyl. Patr.
6 Hieronym. Est. 7 Act. 23. 6. 8 Hieronym. Chrysost. alios Græcos.
9 Confer Rom. 1. 1. 1. Cor. 7. 25. 2. Cor. 4. 1. 1. Timoth. 1. 13. 16. & Chrysost. hic.
10 Vide Est. hic. 11 Act. 9. 15. 12 Rom. 11. 13. & 15. 16. *Minister Christi in Gentibus*.
13 Galat. 2. 8. 9. 14 Ita plerique. Grot. Est. Men. Voss. J. Capell.
15 Εὐθέως οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι. Hieronym. *Non contuli cum carne, & sanguine*. Tertull. *Non retuli ad carnem, & sanguinem*. De Resur. c. 50. 16 Act. 9. 25. 26.
17 Chrysost. Vide & Theodoret. Hieron. *Non discendi studio, sed honoris priori Apostolo deferendi*.
18 Vers. 18. Ἱστορῆσαι Πέτρον. Alex. in tota hac Epistola, Κηφᾶν, pro Πέτρον. Sic Barber. 1. Æth. Cephas. Ἱστορῆσαι significat, *videre percontandi gratia*. Erasm. Heins. 19 Act. 9. 26. 27. & seq.
20 Hieron. Severian. in Caten. Mss. apud Mill. Est. 21 Theodoret. Hieron. hic. Alii.

vestimenti ejus contingere vellet. Hic de summo Tem-[pli vertice] pli vectice propter Jeau [Jesu] Christi fidem in præceps dejectus fuit.

℣. 21. IN REGIONES SYRIÆ.] Cum S. Paulus Jerosolymæ prædicare incœpisset, atque Hellenistas præsertim convertere adnisus fuisset, eos ita irritavit, ut in illum conjuravetint, eique mortem inferre decreverint. Hoc, cum fratres minime fefellisset, Paulum deduxerunt Cæsaream [2], unde in Syriam venit, atque inde Tharsum in Pattiam suam adnavigavit, ubi prædicare perstitit [3].

℣. 22. ERAM IGNOTUS FACIE.] Ecclesiæ Judææ me non ex facie, sed ex nomine tantum cognoverant. Igitur minime ibi eam doctrinam didici, quam vobis prædicavi [1], neque ibi docui Legis observandæ necessitatem, quod inimici mei contendunt [4], sed illac tantum pertransivi.

1 Act. 9. 29. 30. 2 Hieron. hic. Chrys. in Acta, hom. 21. 3 Hieron. hic.
4 Chrys. Theoph. Grot.

CAPUT II.

S. Paulus anno post conversionem suam 14. cum Apostolis de Evangelio disceptat. Minime cogitur Legem observare, & S. Petro dissimulanti resistit. Lex hominem minime justificat: alioquin enim frustra JESUS CHRISTUS mortuus esset.

1. DEinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. 2 Ascendi autem secundum revelationem: & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse: ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. 3 Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi: 4 Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent. 5 Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos: 6 Ab iis autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest: Deus personam hominis non accipit) mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. 7 Sed e contra cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut, & Petro circumcisionis: 8 (Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes) 9 Et cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis: ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem: 10 Tantum ut pauperum memores essemus: quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. 11 Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. 12 Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. 13 Et simulationi ejus consenserunt cœteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. 14 Sed cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, & non Judaice: quomodo Gentes cogis Judaizare? 15 Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores. 16 Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. 17 Quod si quærentes justificari in Christo, inventi sumus & ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est? Absit: 18 Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico: prævaricatorem me constituo. 19 Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci. 20 Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. 21 Non abiicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.

℣. 1. POST ANNOS QUATUORDECIM.] Non satis A liquet, unde hi anni quatuordecim incipiant. Alii quidem [1] eos a JESU CHRISTI Ascensione numerant: alii [2] a S. Pauli conversione; & alii denique a novissimo itinere, de quo verba facit S. Paulus, & quod triennio post suam conversionem iniit; quam sententiam cum S. Hieronymo amplectimur, & cum eruditissimis quibusdam Chronologis [3] credimus, hoc accidisse anno decimo septimo conversionis S. Pauli, & primo supra quinquagesimum JESU CHRISTI. Hæc autem fuit ejus itineris occasio. S. Paulus post varios cursus Antiochiam una cum S. Barnaba venerat, cumque ea essent in Ecclesia, Fratres quidam, qui ex Judæa illuc venerant, probare ibi admisi sunt, citra circumcisionem, & Legis observantiam, salutem inveniri minime posse [4]. B Philastrius cap. 36. & S. Epiphanius hæres. 28. hos fuisse putant hæresiarcham Ceriothum, atque Sectatores ejus, qui Apostolorum injussu illuc venerant, eorum, qui nuper conversi fuerant, conscientias perturbaturi. Paulus, atque Barnabas contra illos Evangelii libertatem propugnarunt, cumque quæstio vires, flammasque corripuisset, decretum fuit, ut S. S. Paulus, & Barnabas Jerosolymam mitterentur, Apostolos, senioresque consulturi. Illuc autem venerunt anno quartodecimo post primum iter, quo S. Paulus illuc profectus est, ut S. Petrum inviseret.

℣. 2. ASCENDI AUTEM SECUNDUM REVELATIONEM.] Quam habueram, & quæ me ad hoc iter coegerat. Quippe Deum consuluerat, antequam fratrum suorum precibus se victum daret. C

CONTULI CUM EIS EVANGELIUM.] Verbum *contuli* in Græco textu [5] idem est, ac illud, quod capite superiori ℣. 16. redditum fuit, *non acquievi*: proprie autem significat consulere amicum, eique animi sui sensus aperire. Cum S. Paulus Jerosolymam venit, Ecclesiam ibi dissidentem nactus est ea ipsa in re, propter quam illuc accesserant. Christiani quidam, qui Pharisæi fuerant, asserebant, Gentiles ad fidem conversos cogendos esse, ut circumciderentur, & Legem servarent [6]. Apostolus ergo, cum primum palam exposuisset doctrinam, quam ipse prædicabat, atque itineris sui causam in fidelium cœtu, contulit *seorsim* eum aliis Apostolis [7], & cum iis, *qui videbantur aliquid esse*, de aliquibus rebus maxime necessariis, secretis, & peculiaribus [8], atque omnes in eam mentem venere, ut Concilium cogeretur ad quæstionem tanti D momenti, maturiori examine discutiendam.

NE FORTE IN VACUUM CURREREM.] Velut qui in publicis ludis ad metam usque non pervenit, atque retro subsistit; ne omnem tot prædicationum, atque laborum fructum amitterem. At verum ne esse posset, ut S. Paulus annos septemdecim post conversionem suam, ubique Evangelium prædicaverit, incertus adhuc, utrum curreret, an frustra cucurrisset? Minime ambigebat de veritate, quam annuntiabat, quandoquidem eadem ex JESU CHRISTI revelatione perceperat, atque Deus prædicationem, & labores ejus plurimis miraculis cumulaverat: verum id agebatur, ut hoc & cæteris constaret [9], illis ostendendo, ipsum nihil nisi Apostolorum doctrinæ maxime congruum docuisse. Ve- E rebatur, ne nisi prædicationi, & doctrinæ suæ primorum Apostolorum accessisset auctoritas, discipuli sui pseudo-Apostolis aures præberent, & fidem, quam receperant, abdicarent. Suæ igitur prædicationi extrinseca tantum Apostolorum deerat approbatio [10]: hoc ille quærebat, ut os illis obstrueret, qui illius nomini officere, ejusque opus conabantur evertere.

℣. 3. SED NEQUE TITUS, QUI MECUM ERAT.] Titus, qui ex Gentili patre natus erat, & qui in JESU CHRISTI castra transierat, circumcisionem recipere minime coactus fuit, vel antequam Sacro Baptismate ablueretur, vel post Antiochiæ, aut Jerosolymæ in medio Apostolorum, aliorumque fidelium. Cum hoc simul vixerunt, communicarunt, versati sunt, comederunt, & tamquam cum aliis fratribus egerunt, quin illis negotium facesserent sermones dicentium, eos omnes, qui fidem amplecterentur, esse circumcidendos: ea igitur minime necessaria ducebatur. Hoc quidem invictum est argumentum. Si ille coactus minime fuit, ut circumcisionem reciperet, cur nam vos estis cogendi?

℣. 4. SED PROPTER SUBINTRODUCTOS FALSOS FRATRES.] Neque horum clamoribus, neque horum importunitati cessimus; & neque me coegerunt Apostoli. Particula *sed*, quæ in Vulgata, & in Græco [11] invenitur, hoc in loco abundat, & ex plurimis exemplaribus expuncta est. S. Hieronymus, atque Theodoretus illam rejiciunt, & hunc cum superiori versiculo connectunt: *nam coactus fuit Titus circumcisionem recipere propter falsos fratres*; quantumvis illi urgerent, atque instarent, aures iisdem datæ non fuerunt, neque ullo in discrimine eorum verba sunt habita.

Subintroducti falsi fratres, qui subintroierunt explorare libertatem S. Pauli, *quam habebat in Jesu Christo*, ex S. Epiphanii hæres. 28. sententia erant Cerinthiani, zelores Legis observantiæ, & quibus negotium facessebat, quod S. Paulus in Evangelica libertate viveret, quin servili modo legalibus observantiis adhæreret. Irrepserunt ergo inter illos exploraturi, quo pacto privatim viverent. Hos autem falsos fratres appellat, quoniam mala erant eorum consilia, & quod quærebant illos tantum accusare, eosque apud alios fideles in odium adducere. Conqueritur etiam de falsis fratribus in altera ad Corinthios ep. 11. 26. aliquot annis post hanc conscripta.

℣. 5. QUIBUS NEQUE AD HORAM CESSIMUS SUBJECTIONE.] Falsos hos fratres nullo in discrimine habuimus; ut olim, vitam ducere perseveravimus [12]. Græca, & Latina Exemplaria hoc in loco antiquitus admodum erant diversa. Antiquiores ex Patribus, puta S. Irenæus l. 3. cap. 13. atque Tertullianus l. 5. contra Marcion. cap. 3. aliique vetustissimi Interpretes, velut ii, qui Sanctorum Ambrosii, & Hieronymi nomine circumferuntur, Sedulius, Primasius, Claudius Autissiodorensis, non legunt, *quibus neque*. Fatetur S. Hieronymus, Latina quædam ævi sui Exemplaria verba eadem non attulisse. Mss. S. Germani, & Claromontii eadem minime legerunt. Millius credit, S. Augustinum, Florum Diaconum, & Haimonium Alberstadiensem primos fuisse post S. Hieronymum, qui cum Vulgata, atque Græcis exemplaribus, quæ hodie extant, legerint [13], eorumque lectio mihi aptior videtur. Ii vero, qui non legunt, *quibus neque*, hoc ita explicant. Titus circumcidi coactus non fuit, sed propter falsos fratres, qui obrepserunt inter nos, libertatem nostram scrutaturi, *cessimus ad breve tempus*, *atque*

1 Vide Capell. Hist. Apostolorum. Legere vellet, τεσσάρων, vel δεκατεσσάρων; quatuor pro quatuordecim. Ita & Grotius: verum nullum exemplar eorum conjecturæ suffragatur.
2 D. Thom. Cajet. Perer. in Epist. ad Roman. Baron. ann. 51. Est. Harduin. Alii.
3 Usser. Tillemont. Not. 17. in S. Paul. 4 Act. 20. 1. 2. & seq. 15. 2.
5 Ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ Εὐαγγέλιον. Bomer. Gr. Ἀνεθέμην. Lat. *Exposui*. Ita & Aug. Oecumen. Τοτέστιν, ἐκοινωσάμην. 6 Act. 15. 5. 7 Κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι. Quidam addunt, εἶναί τι, *aliquid esse*. Τοῖς ἐπισήμοις. Phot. apud Oecumen. Δοκέω significat sæpe, *in pretio haberi*, *aliis præparere*. Zeger. Erasm. Grot. alii.
8 Aug. hic. n. 10. 9 Chrysostom. hic. 10 Vide Hieronym. Est. Aug. lib. 28. contra Faust. cap. 4. *Si non invenires Apostolos in carne, quibus communicando, & cum quibus conferenda Evangelium, ejusdem societatis esse appareres. Ecclesia illi omnino non crederet.*
11 Διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους. Quidam non legunt δὲ. Vide Mill. Tertull. lib. 5. contra Marcion. c. 5.
12 Hieronym. Chrysost. Theodoret. Alii passim inter Recentiores.
13 Græc. impress. Οἷς οὐδέ; *Quibus neque*. Quædam Latina; *Quibus ad horam*. Alii: *Ad horam cessimus*. Sixti V. *Quibus neque ad horam cessimus subjectioni*, alii *subjectiane*.

atque Legis ritibus nosmet subjecimus, ut Evangelii veritas permaneret apud nos. Maluimus cedere, atque dissimulare ad tempus, quam omnem infringere, & Evangelium gravioribus periculis objicere.

℣. 6. AB IIS AUTEM, QUI VIDEBANTUR ESSE ALIQUID [1].] Illi, qui magis insignes videbantur, mihi nihil docuerunt: vel cum Græco textu [2], *de nulla re me consuluerunt*. Hoc eadem est vox, quam vidimus redditam, *acquievi*, & *contuli*; alii Apostoli nihil me admonuerunt, quoad meam vivendi, atque prædicandi rationem: minime testati sunt, illam improbare: nihil novi me docuerunt [3].

QUALES ALIQUANDO FUERINT.] S. Paulus isthic innuit Apostolos, quorum nomina, & merita falsi Doctores tantopere extollebant, nulla re commendatos fuisse, antequam JESUS CHRISTUS eos evocasset, ut ipsum sequerentur [4]. Eorum originem, captum, & meritum hic in loco minime scrutor: Deus nullam personarum acceptionem admittit. Ipse Dominus est donorum suorum; illa, quibuscumque vult, impertit: Mihi vero hic dicere sufficit, me ex illis nihil novi didicisse. Aliter, utrum Apostoli, quos tunc vidi, sententiam postmodum immutaverint, vel utrum jam ante aliquid de legali observantia mutaverint; hoc minime quæro; sufficit enim mihi testari vobis, illos non invenisse, quid in me corriperent, & castigarent [5].

℣. 7. CREDITUM EST MIHI EVANGELIUM PRÆPUTII, SICUT PETRO CIRCUMCISIONIS.] Hoc minime significat, S. Petrum Judæis tantum, & S. Paulum tantum Gentilibus prædicasse: sed uterque eorum præsertim quærebat ejus populi conversionem, cujus illis Spiritus Sanctus quodammodo Provinciam crediderat per vocationem eorum, quin tamen aliorum salutem negligerent. Liquet, plures Gentiles a S. Petro, & plures Judæos a S. Paulo fuisse conversos [6], & Deum gratiam suam effudisse super utriusque prædicationem, sive circumcisis, sive incircumcisis prædicarent. *In commune hoc habebant propositi, ut Christo ex cunctis Gentibus Ecclesiam congregarent*, S. Hieronymus inquit.

℣. 9. DEXTRAS DEDERUNT MIHI SOCIETATIS.] Me verum JESU CHRISTI *Apostolum esse intellexerunt*, meamque doctrinam probarunt. *Dextram dare*, concordiæ, & societatis nota est [7]; me secum in sacrum Apostolorum Collegium admiserunt.

℣. 10. TANTUM UT PAUPERUM MEMORES ESSEMUS.] Et curam gereremus eleemosynarum pro ipsis congerendarum iis in locis, ubi Evangelium prædicaremus; quam Provinciam S. Paulus, & S. Barnabas diligentissime procurarunt, quemadmodum liquet ex Epistolis, quas huc usque explicuimus, & innotescet ex illis, quas deinceps explicabimus. Fideles Jerosolymitani ea fortasse in persecutione, quam post S. Stephani mortem perpessi fuerunt, jacturam fecerunt bonorum, quæ attulerant in commune [8]. De hoc tempore explicantur ea, quæ S. Paulus ad Hebræos 10. 33. ait; *& in altero quidem opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socii taliter conversantium effecti: nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis &c.*

℣. 11. CUM AUTEM VENISSET CEPHAS ANTIOCHIAM, IN FACIEM EI RESTITI, QUIA REPREHENSIBILIS ERAT.] Græcus verti potest [9]: *quia aperta erat ejus dissimulatio*; vel *quia reprehensus erat*; mortales omnes illius dissimulationem deprehenderant: vel, omnibus factum illius displicuerat; error ejus exploratus erat, atque omnibus compertus. Nemo adeo rudis est, qui ignoret quæstionem, quæ olim inter Sanctos Augustinum, & Hieronymum viguit de hac S. Pauli reprehensione. Credebat S. Hieronymus, illam in speciem dumtaxat accidisse, & inter utrumque Apostolum, Petrum videlicet, atque Paulum consensisse, ut Judæis, atque Gentilibus utilissimum traderetur documentum de carnium usu, quæ a Lege immundæ censebantur, & de duorum populorum unione, quin Judæis scandalum afferretur, qui ab Ethnicis animo penitus abhorrebant. Afferebat pro sententia sua Sanctus Hieronymus veteres Græcos auctores [10], qui docuerant, universam hanc rem utrinque a duobus Apostolis fuisse transactam; at contrarium afferebat S. Augustinus, gravissimo præsertim incumbens periculo, quod inde oboriri posset, si in Scripturis hujusmodi semel admittantur simulationes, aut temperamenta, quæ veritati adversantur; & contendens longe præstare aperte asserere, S. Petrum in errorem lapsum fuisse, quam fateri, a S. Paulo veritatem scriptam minime fuisse.

In S. Augustini sententiam ii pletique omnes abierunt, qui post ipsum scripsere, præsertim vero Scholastici, puta S. Thomas 2. 2. qu. 103. art. 4. S. Bonaventura, Scotus, Paludanus, Major, Durandus, Gabriel, aliique plures; qui tamen censent, S. Petri errorem venialis peccati fines non excessisse, quia malitia non aderat. Non advertebat ille, quinam actionis suæ futuri essent effectus; Judæis displicere nolebat, nec quid Gentilibus conversis deberet, satis reputabat. Hic ignorantiæ error erat hoc in sensu excusatione, & venia dignissimus. Attamen S. Augustinus [11] non adeo æquus erat Judex; arbitrabatur, magnum esse S. Petri peccatum, quia facere non poterat, quæ Antiochiæ fecit, nisi legales cæremonias adhuc tenere credidisset, quem errorem in ipso suspicari jure minime possumus; vel quin contra propriam ageret cognitionem, in quo peccatum est, quod tamquam exiguum aliquod existimari Religio non patitur.

Quæritur, utrum Cephas, de quo hic sermo, sit S. Petrus Apostolus? Hoc veteres quidam negarunt, sed hac de re fusius in peculiari dissertatione sermo erit. Græcus legit *Petrum* pro *Cepha*; neque aliter legit S. Hieronymus: sed perspicuum est, veteres legisse Cepham: aliter enim minime instituissent quæstionem, utrum hic Cephas esset S. Petrus Apostolus, nec ne.

℣. 12. PRIUSQUAM VENIRENT QUIDAM A JACOBO.] Hi Judæi erant conversi, missi fortasse a S. Jacobo Minori Episcopo Jerosolymitano. Hi Judæi Legem observabant, & omnis Ecclesia Jerosolymitana adhuc morem hunc retinebat; nondum enim Apostoli illius observantiam prohibuerant, licet ex Gentilibus minime peterent, ubi converterentur. Lex jam mortua erat, nondum tamen mortem inferebat: non cogebat amplius sub peccati pœna, at eamdem observare peccatum non erat. Cum igitur S. Petrus vidisset, hos Judæos adventare; metuebat illis scandalum inferre, si promiscue cum Gentilibus conversis, qui neque Legis cæremonias, neque carnium discrimen servabant, manducare perstitisset; sed cum animadvertisset S. Paulus, Barnabam, atque alios Judæos conversos hoc ipsum, quod S. Petrus, dissimulare; rem aliter existimavit; & veritus, ne Gentiles putarent, Apostolum hoc facto innuere, Legales cæremonias adhuc tenere; quod oppositum erat decreto nuper habito in Jerosolymitano Concilio, coram omnibus S. Petrum reprehendit. Actio quidem S. Petri in se mala non erat, ratio vero facti etiam laude digna: Verum effectus

1 Ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι. Plures Latini omittunt, *esse aliquid*. Hieron. Est.
2 Οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο. 3 Chrysostom. Vide & Hieronym. *Ille cum illis contulit, & multa ad eos retulit; illi nihil contulerunt ei, sed tantummodo quæ dicta sunt ab eo comprobantes, dexteras dederunt consortii.*
4 Vide Hieronym. 5 Chrysostom. Hieronym. Est. 6 Hieron. Grot. alii.
7 Levit. 6. 2. Jerem. 50. 15. 8 Act. 8. 1. 9 Ὅτι κατεγνωσμένος ἦν.
10 Hieronym. Epist. inter Augustin. una. 75. nov. Edit. num. 4. ubi laudat Origenem. Didym. Laodicen. Alexandrum, Euseb. Emisenum, Theodorum, Heracl. Joann. Chrysostom.
11 August. Ep. olim 19. nunc. 82. & de Agone Christiano, c. 30. *Cum in simulationem superstitiosam lapsus esset*. Vide & de Baptismo l. 2. cap. 1.

ctas maxime noxios religioni parere poterat [1].

℣. 14. Dixi Cephæ coram omnibus.] Cum S. Petri dissimulatio omnibus nocere posset, minime veritus est S. Paulus, eumdem coram omnibus coarguere [2]. Alia qualibet in occasione prudentia, & charitas efflagitassent, ut illum private admoneret, sed in ea occasione publica opus erat correctione, quam S. Petrus patienter, atque humiliter tulit, quomodo æquum erat, eum sese, cui Salvator dixerat: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. 18.

Si tu Judæus cum sis gentiliter vivis.] En invictum argumentum, S. Hieronymus inquit [3]; tu qui natus es Judæus, & qui legem semper observasti, vivis tamen cum Gentilibus, atque hoc ulla Religione legalibus cæremoniis te ipsum teneri minime putas, cum solus es, & cum conscientiam tuam tantummodo sequeris; cur hodie simulatione, atque exemplo tuo Gentiles conversos impellere cupis ad legem observandam; eos videlicet, qui illam numquam servarunt, ac numquam eamdem servare debuerunt? vis quodammodo illis eam rem persuadere, de qua tibimetipsi persuasum non est; necessario videlicet legales cæremonias esse observandas.

℣. 15. Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores.] Non satis liquet, utrum hæc verba, & quæ sequuntur, adhuc S. Petri dicantur; an utrum S. Paulus isthic loquatur ad Galatas [4]. Alii quidem isthic S. Pauli sermonem ad S. Petrum desinere censent; alii in ℣. 17. alii ℣. 18. alii denique ad capitis usque finem illum producunt [5]: nos utramque hypothesim sequemur, & explicabimus, primo supponentes adhuc ad S. Petrum verba fieri. Si tu, & ego qui sumus Judæi ex nativitate, ex sancta progenie egressi, & justi per vocationem nostram, credidimus tamen, veram Justitiam non in operibus Legis, sed in Fide in Jesum Christum dumtaxat inveniri posse, quorsum contendimus, ut Gentiles, qui Idola venerabantur, & qui ex ipsa nativitate peccato mancipati erant, legalibus teneantur cæremoniis, quasi hæ illis eam conferre possent innocentiam, quam nobis ipsis conferre minime potuerunt? secundo supponentes ipsum ad Galatas loqui: Si nos Judæi in Legis exercitatione, & in exteriori puritate, quam præcipit, innutriti teneri tamen credidimus, ut veram Justitiam consequeremur, Jesu Christi fidem amplecti; cur o Galatæ vos cogemus, ut legem amplectamini, cui nos ipsi non satis virium esse credidimus, ut nos coram Deo justificaret?

Judæum peccatori opponit juxta Hebræorum stylum, qui avita superbia *peccatores* eos dicebant, qui iisdem sacris initiati non erant, quasi illi soli justi essent; videntes quidem festucam in oculo Fratris sui, trabem autem in oculo suo non videntes [6]. Ethnici quidem procul dubio Judæis erant nequiores; sed hi æqui non erant suimet ipsorum Judices; seipsos sæpe justos esse putabant, licet sua vanitas, ingrati animi vitium, superbia eosdem nonnumquam Ethnicis ipsis efficeret nocentiores.

℣. 16. Scientes, quod homo non justificatur ex operibus Legis.] Quibus comes non adsit E gratia, fides, & charitas [7]; sed *ex fide JESU CHRISTI* [8], eaque per charitatem animata, & cum bonis operibus conjuncta. *Nos in CHRISTO JESU credidimus*, rati legem minime sufficere, ut nos omnino justificet; quo potiori jure vos Galatæ, qui numquam sub Lege fuistis, satis ducere debetis fidem in Jesum Christum, quin vosmet subjiciatis cæremoniis, nihil umquam vobis profuturis. Vel si ad S. Petrum hæc dici putes: si ego, & tu, credidimus, legem non sufficere, ut nos justos efficeret, cur eidem subjiciemus Ethnicos, qui eamdem numquam exercuerunt?

A

℣. 17. Quod si quærentes justificari in Christo.] Si nequit Jesus Christus nos justificare per fidem in ipsum, & per observantiam mandatorum suorum, sed lex Evangelio est adjungenda; inde profecto sequetur, Jesum Christum vos in peccatum impulisse de jugo legis liberatorem, ac nobis insidias struxisse, dicentem, advenisse tempus, quando veri adoratores in omni loco Patrem adorabunt in Spiritu, & veritate [9], & quicumque crediderit, & baptizatus fuerit, salvus fiet [10]. Tu, & ego qui novam Legem prædicamus, & qui a Moysis præceptis secedere, atque Legis cæremoniis abdicare non abnuimus, & qui docemus, alios ad eas observandas minime teneri; nos inquam sumus ergo prævaricatores; & Jesus Christus, hoc est Evangelica doctrina nobis est occasio peccati, quod Patrum nostrorum legem abdicare nos cogit [11].

B

Vel, si hæc Galatis dicta dixeris: Si Jesu Christi fides, & Evangelii observantia nos justos efficere nequeunt, sed insuper addenda est Legis observantia; nos omnes peccatores sumus, & Jesus Christus, qui in sit Justitiæ Minister, & vitæ, peccati erit minister, quod nos a Legis cæremoniis avertit, atque falsam, & noxiam nobis tribuit libertatem. *Numquid CHRISTUS peccati minister est?* Hæc interrogationis figura majorem continet reverentiam, quam si directe inferre voluisset; *JESUS CHRISTUS peccati minister est*; quemadmodum sensus efflagitabat [12].

C

℣. 18. Si enim, quæ destruxisti, iterum hæc ædifico.] Si ego, ac tu, Legis auctoritatem iterum restituimus, postquam docuimus eamdem necessariam non esse, nonne tamquam prævaricatores, & mendaces habebimur? vel supponendo, ad Galatas verba fieri: Vobis ostendi, quod si Lex saluti est necessaria, Jesum Christum, quin nobis prosit, imo nobis esse lapidem offensionis, & occasionem peccati; adde etiam, meipsum, & alios Apostolos, qui mecum docuerunt, Jesu Christi fidem ad salutem sine legalibus cæremoniis sufficere, omnes esse prævaricatores, & impios: quorum neutrum affirmare puto novos hosce Doctores; neque si illi affirmaverint, vos eisdem fidem arbitror habituros.

D

℣. 19. Ego per Legem, Legi mortuus sum, ut Deo vivam.] Christianam Religionem professus legis vitam abdicavi, ut imposterum nonnisi in Deo per Jesu Christi fidem viverem. Antehac confidentiam meam in Mosaicæ Legis observantia constituebam; hodie illi sum tamquam mortuus sine gustu, sine sensu, sine studio; illius oblitus sum, eam dereliqui, omnemque spem meam in Jesu Christi fide constituo, quæ charitate succensa sit, atque in bonis moralibus operibus exercitatus. Vide Rom. 7. 1. Ratione Legis eram, tamquam sponsa erga virum suum. Viro autem meo mortuo libertatem adeptus sum. Vide 1. Cor. 7. 39.

E

Lex ipsa ad hanc me libertatem adduxit, *per Legem Legi mortuus sum*; illa me edocuit necessarium esse mediatorem; Prophetæ mihi novum fœdus, atque liberatorem ostenderunt, & aperuerunt mihi inutilitatem secri-

1 Grot. Est. Gemas. 2 Augustin. hic. *Quod autem coram omnibus, necessitas cogit, ut omnes illius objurgatione sanentur.* 3 Vide Hieronym. Augustin. Chrysostom. alios hic. 4 Grot. Beza. 5 Ita Chrysostom. & Hieronym. Est. 6 Augustin. hic. *Peccatorum nomen Gentibus imposuerant Judæi, jam vetusta quadam superbia, tamquam ipsi justi essent, &c.* 7 Vide Rom. 1. 28. 30. &c. 8 *Nisi per fidem Jesu Christi.* Gr. Ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, non significat: *Nemo justificatur operibus legis, nisi fidem habeat in JESU CHRISTO*, quod insinuares fidem, & opera legis ad nostram justificationem concurrere debere, cum oppositum ubique doceat S. Paulus. Ἐὰν μὴ ponitur ergo pro ἀλλὰ *At solum*. Vide Matth. 12. 4. Marc. 13. 32. 1. Cor. 7. 17. Galat. 1. 7. Apoc. 9. 4. &c. Grot. Glass. Erasm. Drus. Gomar. Beza. Jacob. Capell. &c. 9 Joan. 4. 23. 10 Marc. 16. 16. 11 Oecumen. Vide Est. Vatabl. 12 Chrysostom. hic. Ita alii plures.

sacrificiorum, aliarumque cæremoniarum citra Fidem, Spem, & Charitatem[1]. Vel cum S. Hieronymo: Per Evangelicam Legem, Mosaicæ Legi mortuus sum, per Legem spiritualem mortuus sum Legi carnis, & litteræ; a JESU CHRISTO edoctus cæremoniarum legalium inutilitatem, litteram dereliqui, ut spiritui hærerem.

CHRISTO CONFIXUS SUM CRUCI[2].] Alia ratione id ipsum exprimit, quod antea dixerat; *Mortuus sum Legi, ut Deo vivam*: Legem abdicavi, & adfixi Cruci cum JESU CHRISTO. Prior sponsus meus defunctus est, alterum mihi elegi. Judæus eram, modo sum Christifidelis. Per Baptismum[3] particeps factus sum mortis, sepulturæ, et Resurrectionis JESU CHRISTI, ita, ut *vivo autem jam non ego, vivit vero in me CHRISTUS*. Vetus homo mortuus est, atque sepultus; et novus homo vivit in me. Hujusmodi loquutiones inveniuntur in Epistola ad Romanos 6. 2. et seq. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in CHRISTO JESU, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti sumus enim cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo CHRISTUS surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate spiritus ambulemus &c.*

Hæc omnia recte explicari possunt, sive supponas ad S. Petrum, vel ad Galatas verba fieri. Hi sunt effectus, quos in me peperit fides JESU CHRISTI. Opusne erit, ut postquam Legi mortuus fuero, iterum reviviscere incipiam; et novum fœdus abdicem, postquam JESU CHRISTI Crucem, tamquam unam satis parem ad me justificandum, amplexus fuero? Oportebitne, ut hanc abdicem, Legis jugum iterum subiturus? Græ-

A ci Patres hæc verba cum superioribus connectunt. *Ut vivam cum Deo, Christo confixus sum Cruci*. Ecce quid mihi gratiæ, atque justitiæ vitam conferat; conjunctio mea cum JESU CHRISTO, et meritorum mortis ejus per baptismum communicatio. Sed Latini Patres, atque Interpretes in eo sensu intelligunt, quem primus attulimus.

℣. 20. QUOD AUTEM NUNC IN CARNE, IN FIDE VIVO FILII DEI.] Si vita munda est, atque innocens, et si confido, hanc Deo acceptam esse; hæc mea confidentia minime innititur Legi, quam non amplius observo, sed fidei in JESUM CHRISTUM. Si peccato immunis sum, et sceleris vacuus, uni JESU CHRISTO gratias habeo. Denique si adhuc in hac mortali, et corruptibili carne vivo, non vivo amplius secundum B carnem, sed secundum spiritum &c.

℣. 21. NON ABJICIO GRATIAM DEI.] Avertat Deus, quod ad Legem iterum revertar, ubi semel Dei mei gratiam gustavi, satis agnosco magnitudinem beneficii, libertatis, redemptionis, meæque vocationis ad fidem, ita ut illum abdicare minime possim, iterum me Legi subjiciens. Perstringit hoc pacto, vel S. Petri simulationem, qui Gentilibus conversis tradendi locum præbuerat Legis observantiam, ipsis esse necessariam, vel Galatarum inconstantiam, qui Legalibus cæremoniis se se submittere cupiebant. Hoc est non satis intelligere, quantum sit fidei beneficium: si enim nos Lex justificat, ergo mors JESU CHRISTI inutilis est: *si per Legem justitia, ergo CHRISTUS gratis mortuus est*. Neque Evangelio, neque Novo Testamento, neque fide in JESUM CHRISTUM indigebamus, si non Lex Moysis ad salutem sufficere poterat[4].

---

1 Vide Grot. & Gomar. hic, & Augustin. in Gal. 2. num. 17. & Theodoret. hic.
2 Χριστῷ συνεσταύρωμαι. 3 Theodoret. Est. Grot. alii.
4 Chrysostom. Ita Hieronym. Theodoret. alii.

C A P U T III.

Abraham Spiritum Sanctum recepit non propter opera, sed propter fidem. Qui Legi parent, maledicto obnoxii sunt. Justus ex fide vivit. JESUS CHRISTUS super se maledictum assumpsit, ut nos eodem liberaret. Promissiones Abraham adimpletæ sunt per fidem. JESUS CHRISTUS totus est in omnibus.

1. O Insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum
oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus. 2 Hoc so-
lum a vobis volo discere: ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex
auditu fidei? 3 Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consumme-
mini? 4 Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. 5 Qui ergo tribuit
vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu
fidei? 6 Sicut scriptum est: Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad ju-
stitiam. 7 Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ. 8 Pro-
videns autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ:
Quia benedicentur in te omnes Gentes. 9 Igitur qui ex fide sunt, benedicentur
cum fideli Abraham. 10 Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto
sunt: Scriptum est enim: Maledictus homo, qui non permanserit in omnibus,
quæ scripta sunt in Libro legis, ut faciat ea. 11 Quoniam autem in lege nemo
justificatur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide vivit. 12 Lex autem
non est ex fide, sed, Qui fecerit ea, vivet in illis. 13 Christus nos redemit
de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus
homo, qui pendet in ligno: 14 Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chri-
sto Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. 15 Fratres (secun-
dum hominem dico) tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut

super-

superordinat. 16 Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit: Et
seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno; Et semini tuo, qui est Christus.
17 Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo: quæ post quadringentos, &
triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem. 18
Nam si ex lege hæreditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissio-
nem donavit Deus. 19 Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec
veniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. 20 Me-
diator autem unius non est: Deus autem unus est. 21 Lex ergo adversus promis-
sa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset
justitia. 22 Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu
Christi daretur credentibus. 23 Prius autem quam veniret fides, sub lege custo-
diebamur conclusi, in eam fidem, quæ revelanda erat. 24 Itaque lex pædagogus
noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. 25 At ubi venit fides, jam non
sumus sub pædagogo. 26 Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Chri-
sto Jesu. 27 Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. 28
Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus,
neque fœmina: Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. 29 Si autem vos
Christi: ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.

℣. 1. O INSENSATI GALATÆ, QUIS VOS FASCINAVIT NON OBEDIRE VERITATI?] Postrema hæc verba; *non obedire veritati* in pluribus egregiis [1] MSS. cum Græcis, tum Latinis non leguntur, neque ea legerunt Syrus, Cophtus, Ambrosiaster, S. Hieronymus, S. Augustinus, Sedulius, Primasius, pseudo-S. Hieronymus in hunc locum, S. Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius: eaque huc fortasse migrarunt ex cap. 5. hujus Epistolæ.

S. Paulus Galatas hoc in loco exprobrat eo modo, qui maxime decet eorum tarditatem, atque ingenii angustias [2]. Illos objurgat propter animi levitatem, & imprudentiam, quod adeo facile fucum sibi fieri passi fuerint a pseudo-Apostolis, qui jugum novum, & minime ferendum illi injicere volunt. *Qui vos fascinavit?* Græcus [3] significat fascinationes, quæ fiebant in oculis alicujus, ita ut minime videret, quod erat ante se, & quod non erat, id se videre arbitraretur. Vos deceperunt ostendentes, Moysis legem quodammodo ad salutem esse necessariam, quamvis JESU CHRISTI fidem solide adeo tenueritis, ut Divinus iste Salvator, quodammodo ob oculos vestros crucifixus videretur; *ante quorum oculos JESUS CHRISTUS præscriptus est* [4] *in vobis crucifixus*. Vos quodammodo ei morienti adstitistis, adeo menti vestræ præsens erat. Nos ut ita dicam illum ob oculos vestros depinxeramus, atque vobis tamquam exemplar propolueramus: at quomodonam illius obliti estis, ut inania phantasmata sectaremini? Omnia passi estis pro illo; ille quodammodo in vobis, & pro vobis crucifixus erat: *in vobis crucifixus*; & ita repente omnem confidentiam vestram in Legis operibus collocatis, quæ umquam hæc est prævaricatio?

℣. 2. EX OPERIBUS LEGIS SPIRITUM ACCEPISTIS, AN EX AUDITU FIDEI?] Vel potius ea fide, quam ea prædicatione nostra audivistis? Si Lex saluti necessaria fuisset, & si prædicatio nostra minime sufficisset, numquid Deus vobis spiritum, atque supernaturalia dona sua tribuisset [5], cum recepistis baptismum, & prædicatoribus nobis, fidem estis amplexi? Qui venerunt post nos, numquid novas vobis gratias contulerunt? nova ne miracula operati sunt? nova ne per illos Spiritus Sancti dona accepistis? an ea, quæ obtinueratis, auxerunt? eorum igitur prædicatio vana est, atque doctrina perniciosa.

℣. 3. CUM SPIRITU COEPERITIS, NUNC CARNE CONSUMMEMINI [6]:] *Spiritus* isthic Evangelium, *Caro* autem Legem significat [7]. In via Dei a carne ut plurimum incipitur, & in spiritu terminatur. Incipientium status naturaliter minus perfectus est, quam proficientium. Deus primum Legem erogavit, mox tradidit Evangelium. Incœpit ex eo, quod minus erat, & desiit in eo, quod sublimius. Apud vos autem oppositum prorsus accidit; primum fidem recepistis, eamque summo zelo, & perfectione amplexi estis; hodie vero Legis cæremonias amplecti vultis, quas Evangelium vel abrogavit, vel perfecit. Ordinis inauditam perturbationem! idem est, S. Johannes Chrysostomus inquit, ac si Imperator post relatam victoriam, & ubi virtutis suæ debitas honoris notas recepisset, ignave locum suum desereret, atque hostibus se victum traderet.

℣. 4. TANTA PASSI ESTIS SINE CAUSA: SI TAMEN SINE CAUSA.] Oportebat ne, ut tanta pro fide pateremini, si fides hæc minime sufficiebat, eique Mosaicæ Legis observantia erat addenda? [8] spero tamen non permissurum Deum, ut tot ærumnæ, atque labores inutiles sint; oculos vobis aperiet, atque intelligetis errorem vestrum, & prava inimicorum, & pseudo-Doctorum consilia [9]. Efficiet Deus, ut prima opera vestra bona reviviscant, ubi gratiæ illius ope ad officium redieritis [10].

QUI OPERATUR VIRTUTES IN VOBIS.] JESUS CHRISTUS, qui ad hanc quoque diem in medio vestri miracula operatur. Nam S. Hieronymus [11], S. Augustinus, & vetus Interpres, qui S. Ambrosii nomine circumfertur, hoc in loco præsenti tempore legunt juxta Græcum textum, & putant, miraculorum donum apud Galatas adhuc substitisse, licet a recto fidei tramite aberrassent. Verum S. Chrysostomus, aliique plures

1 Alexandr. Claromont. G. L. S. German. L. Borner. G. L. Adamantii Exemplaria, teste Hieronymo. Codex Constantiens. & Bibl. Paolina, teste Erasmo.

2 Hieronym. hic. *Arbitror & Apostolum Galatas regionis suæ proprietate pulsasse*. Et prox. in 2. Lib. Comment. ad Gal. *Non mirum est stultos, & ad intelligentiam tardiores Galatas nuncupari*. 3 [illegible]

4 Græc. [illegible], *præscriptus*. In antiquis editis, etiam Sixti V. & apud plurimos expositores legitur; *proscriptus* vitiose. 5 Chrysostom. Hieronym. Theodoret. alii.

6 Plures legunt: *Consummamini*. Ita Ambrosiast. Primas. Edit. Sixti V. Græc. [illegible].

7 Theodoret. Ita Chrysostom. Hieronym. alii passim.

8 Hieronym. Theodoret. Chrysostom. alii. 9 Chrysostom.

10 Chrysostom. ibidem. Est. hic. 11 Hieronym. August. Ambrosiast. hic. Erasm.

res [1] hoc de præterito tempore explicant. Jesus Christus, qui ante hac per Spiritum S. suum tot miracula apud vos operabatur, eadem tu, peragere cœpit, cum vos Legem observare incœpistis, an eum credidistis Evangelio? hoc idem est ac quod ℣. 2. dictum est.

℣. 6. Sicut scriptum est [2] : Abraham credidit Deo.] Locus hic ex Genesi desumptus est cap. 15. ℣. 6. & S. Paulus eumdem protulit in Epistola ad Romanos [3], ut ostenderet nos per fidem, non per legis opera justificari; Abraham enim, qui numquam sub Lege vixit, tamen justificationis gratiam recepit in præmium fidei, etiam antequam circumcisionem reciperet. At si quis sine Lege potest justificari, Lex igitur ad salutem necessaria non est?

℣. 7. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.] Ne a Galatis hoc sibi objiceretur; ut autem participes simus fidei, & justitiæ Abraham, nonne ad illum pertineamus oportet, & legem, quam Deus illius progeniei tradidit, profiteri? S. Paulus eos occupat, eis dicit, non eos, qui secundum carnem ex Abraham originem deducunt, hos veros esse illius filios, sed illos esse, qui accuratius fidem, pietatem, obedientiam, fidelitatem ejus imitantur.

℣. 8. Providens Scriptura &c.] Scriptura nobis ostendere cupiens per fidem a Deo Nationes justificari, non autem per quamdam prærogativam, quæ semini Abraham adhæreat, de hoc Patriarcha loquens, dicit Gen. 12. 3. *In te benedicentur universæ cognationes terræ*. Igitur non ad solos Hebræos hæc benedictio coarctatur, sed extenditur ad omnes gentes, quæ fidem Abrahæ fuerint imitatæ; ideoque & ad vos, qui creditis in Jesum Christum. Immo Hebræi participes esse nequeunt promissionum Abrahæ, nisi fidei illius fuerint imitatores. Hæc loquendi ratio: *In te benedicentur universæ cognationes terræ*, ad litteram non aliud significat, quam omnes terrarum populos sibi invicem optaturos eas benedictiones, quibus Deus Abraham cumulavit. Hæc voti erit formula: utinam te Deus benedicat, quemadmodum benedixit Abraham. S. Paulus autem hoc de spiritualibus benedictionibus, de justitia, & gratia intelligit: *quorum ut particeps fias, sufficit*, si filius sis Abrahæ secundum carnem, & per fidei ejus imitationem.

℣. 10. Quicumque enim ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus homo,] qui non observaverit quæcumque *in Legis Libro* præcipiuntur. Hebraicus textus Deuteronomii [4], unde hic locus desumptus est, non legit eam vocem *omnis*; sed tantum *Maledictus, qui non adhæserit iis, quæ in hac Lege præcipiuntur*. S. Hieronymus suspicatur, Judæos ea suis exemplaribus expunxisse *omnis*, & *in omnibus*; Samaritanus enim, qui vetus est Hebraicus textus, ante captivitatem usitatus, & Septuaginta, qui vetustissimi sunt, quos habeamus Hebraici textus Interpretes, S. Paulo conformes sunt. Innuere vult S. Paulus per hoc maledictum, non eum, qui per imbecillitatem, vel alia de causa, aliquam Legis partem violaverit, maledicto subjectum iri; sed tantum eum, qui prorsus illam reliquerit, vel ultro præcipua ejus capita violaverit, quin ad officium redeat, atque pœnitentia ducatur, a Deo maledicto percutiendum esse, & de medio populi sui exterminandum. At videamus S. Pauli ratiocinationem.

Ex contrariis ea probat, quæ superioribus versiculis attulit. Non secus ac benedictiones Abraham promissæ ad eos tantum pertinent, qui fidem illius fuerint imitati; ita maledictiones, quæ in Moyse contra violatores Divinæ Legis proponuntur, in eos omnes recidunt, qui per inobedientiam se se iisdem dignos constituunt. At Hebræi omnes, qui secundum carnem dumtaxat ad Abraham pertinent, minime sunt ejusdem filii, per fidei ipsius imitationem: igitur se indignos constituunt benedictionibus huic Patriarchæ promissis, & obnoxii sunt omnibus maledictis, quæ a Lege infliguntur.

Haud operosum est probare, Hebræos omnes, qui sunt posteri Abraham secundum carnem dumtaxat, per inobedientiam suam Legis maledictiones sibi demereri: primo quia essentialia illius præcepta violant; secundo quia eorum quædam observant. Præcepta amoris Dei, & proximi, & spiritualis Domini cultus profecto essentialia sunt legis officia: at certo certius est, eos, qui Abrahæ fidem, charitatem, & obedientiam non imitantur, nullo ex his muneribus rite perfungi; ergo illi essentialia Mosaicæ Legis præcepta perfringunt. Alia præcepta Legis Mosaicæ cujuscumque generis sint, cæremonialia, judicialia, vel moralia, exerceri minime possunt sine iis virtutibus, de quibus loquuti sumus; sed qui filii sunt Abrahæ secundum carnem dumtaxat, nullam habent ex hujusmodi virtutibus; ergo non bene omnia præcepta Legis observant. Merito ergo comprehenduntur sub Legis maledicto, ideoque, o Galatæ, Mosaicæ Legi adhærere cupientes, male operamini. Sine illa participes esse potestis benedictionum, quæ Abrahæ promissæ fuerunt; & cum illa decidere potestis in eas maledictiones, quas Moyses portendit.

℣. 11. Quoniam autem in Lege nemo justificatur.] Si Lex una justificat, fides ad justitiam obtinendam necessaria non est; sed Scriptura ait, fidem requiri, ut homo justificetur; sola ergo Lex minime justificat. Ut hujus argumentationis robur appareat, dicendum est: nemo sine fide justificatur, ergo sola lex non justificat. Habacuc verba [5] non satis aperte probant, neminem sine fide justificari; at certum est, hoc bene intelligi non posse, si quis aliter explicuerit. Si enim aliquis aliunde justitiam acquirere vult, quam per fidem; verum non est generatim, justum vivere ex fide, quoniam aliunde etiam vivit; e. g. ex Legis observantia. At S. Paulus supponit aperte locum hunc ita esse intelligendum, quasi diceret: nemo vivere potest, nisi per fidem. Hebræus verti potest: *qui justus est, per fidem vivet*: quod semper ostendit, fidem esse justificationis principium.

℣. 12. Lex autem non est ex fide.] Lex non innititur fidei, quandoquidem ait, *qui fecerit, vivet in illis*. Hoc principium prorsus oppositum videtur verbis Habacuc. Propheta generatim ait, futurum ut, qui fidem habebit, vivat; & Moyses [6], futurum ut vivat, qui Legem observabit. S. Paulus priore illo utitur ad Legis inutilitatem probandam; altero vero utebantur Apostoli ad Legis ejusdem necessitatem ostendendam. Sed inter utrumque hoc aderat discrimen, quod Doctores Judaizantes ita Legem necessariam esse tenebant, ut fidem tamen excludere non auderent; S. Paulus vero oppositum docebat. In hoc igitur omnis posita erat difficultas, utrum fides sola justificare posset: sed cum Paulus Legis non meminerit, & justificationem fidei tantum attribuat: jure S. Paulus inde inferebat, fidem solam justificare posse; & Moysem, cum ait, eum, qui Legem observaverit, vitam esse inventurum, supponere, hanc ab eodem cum fide observari, sine qua cetera sunt inutilia.

Putant alii [7], vitam, quam Moyses promittit, non aliud proprie esse, quam vitam, atque felicitatem fluxam;

1 Theodoret. Theophylact. Est. alii. 2 Græc. Καθὼς Ἀβραὰμ ἐπίστευσε. Non legit : *Scriptum est*, nec Hieronym. nec Augustin. nec manuscripti Latini plurimi. 3 Roman. 4. 3. & Jacobi 2. 23. 4 Deuteronom. 27. 26. ארור אשר לא יקים את דברי התורה הזאת לעשות אותם 70. Ἐπικατάρατος πᾶς ἄνθρωπος ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις τοῦ νόμου τούτου. Samaritanus legit : *Maledictus homo, qui non permanserit in omnibus verbis hujus Legis*. 5 Habacuc. 2. 4. צדיק באמונתו יחיה Vul. *Justus in fide sua vivet*. 70. Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται. Alii. Ὁ δὲ δίκαιός μου, ἐκ πίστεως ζήσεται. Hieronym. hic. Ex Aquila, & Theod. *Justus autem ex fide ejus vivet*; supple, *Dei*. 6 Levit. 18. 5. & Ezech. 20. 11. 7 Grot. Menoch. Tirin.

ram, terrenamque; sed fidei magis consonum est, hoc ipsum de vita, æternaque felicitate intellexisse: quod probatur ex collatione ejus loci cum Habacuc a S. Paulo instituta; & Salvator ipse in Evangelio Matth. 19. 17. ait: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; ubi procul dubio de æterna vita loquebatur. Eadem etiam videri potest argumentatio apud S. Paulum ad Rom. c. 10. ℣. 5. 6. & seq.

℣. 13. CHRISTUS NOS REDEMIT DE MALEDICTO LEGIS, FACTUS PRO NOBIS MALEDICTUM.] Vel potius ultro se se redigens ad statum flagitiosorum hominum, & quos maledictis urgere consuevimus, eodem ferme pacto, quo supra 2. Cor. 5. 21. ait, JESUM CHRISTUM a Deo pro nobis peccatum factum fuisse, hoc est, victimam pro peccato, vel habitum, tamquam peccatorum omnium nequissimum. Versiculo decimo ostendit eum, qui legem omnem non observaverit, maledicto subjectum esse. JESUS CHRISTUS ex hoc maledicto eos omnes, qui credunt in ipsum, liberavit: non debent ergo ulterius semet eidem submittere, iterum legis jugum subeuntes. At quomodo nam ex hoc maledicto JESUS nos liberavit? se se eidem subjiciens, ac se tradens morti Crucis, quoniam scriptum est: *maledictus, qui pependit in ligno* [1]; igitur in semet illud assumpsit maledictum, quod nobis debitum erat, atque inde nos per mortem suam liberavit. Ut felicis hujus liberationis participes simus, in illum credere debemus, & vivere ex fide: per fidem igitur a maledicto liberati sumus. Pressius loquendo dici nequit JESUS CHRISTUS a maledicto legis eos liberasse, qui tamquam Galatæ eidem subditi non fuerant; quoniam Judæi non erant ex nativitate; sed satis est, quod ab eodem liberati fuerint ex maledicto peccati; quemadmodum enim inferius dicit ℣. 22. Omnes homines erant sub imperio peccati, & omnes JESU CHRISTI redemptione indiguerunt. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato*: & ad Romanos 11. 32. *conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur*.

℣. 14. UT IN GENTIBUS BENEDICTIO ABRAHÆ FIERET IN CHRISTO JESU.] Omnes homines, Judæi simul, atque Ethnici, indiscriminatim erant sub maledictione peccati, ideoque eo in statu permanentes benedictionum Abrahæ promissarum participes esse non poterant. Ut autem harum benedictionum participes efficerentur, JESUS CHRISTUS illud subiit supplicium, quod reis tantummodo debebatur, utque ita Gentiles æque, ac Judæi conversi per fidem in Salvatorem pares fuerunt, ut has benedictiones acciperent, atque donorum Spiritus Sancti participes fierent.

℣. 15. SECUNDUM HOMINEM DICO.] Postquam attuli argumenta, & auctoritates Scripturæ, quæ forsitan captum nonnullorum ex vobis excedunt, humanitus vobis loquor, utque exemplo utor e rebus quotidianis, & communibus deprompto [2]. *Hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat*. Cum aliquis testamentum scripsit, ratumque fecit: nemo vel abrogare, vel addere eidem potest: ut Dominus cum Abraham testamentum fecit, vel fœdus pepigit (nam voces Autographi in Scripturis utrumque [3] significant) fœdus hoc authenticum est, atque ratum; nihil ergo illud delere potest. Lex, quæ post illud quadringentis circiter annis advenit, nihil in illo potest immutare. Testamentum, de quo sermo fuit, pollicetur benedictiones Abrahæ, & semini ejus; oportet ergo, ut hujusmodi promissiones seorsim a lege adimpleantur. Hoc unum jam agitur, utrum qui non sunt ex semine Abraham secundum carnem, sed tantum ejusdem filii secundum spiritum, in hoc fœdere contineantur; & hoc Apostolus deinceps ostendit, probans, JESUM CHRISTUM proprie illum esse, qui in eo contracto sub nomine seminis Abraham designabatur: *& semini tuo*.

℣. 16. ABRAHÆ DICTÆ SUNT PROMISSIONES, ET SEMINI EJUS.] Promissiones Abrahæ dictæ duplicem habebant sensum. Illius personam respiciebant quoad hanc vitam, & simul ad alteram. Adimplevit Deus erga eumdem promissiones suas quoad vitam præsentem bonis, quibus illum cumulavit, & præsenti posteritate, quam dedit illi per Isaac, aliosque filios ejus: sed in Cœlo tantum recepit Abraham fidei justitiæ, atque obedientiæ suæ remunerationem. Hoc innuere volebat Deus, dicens Gen. 15. 1. *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis*. Quod vero ad illius pertinet posteritatem, bifariam considerari potest. Aliud est semen illius secundum carnem, aliud secundum spiritum: Isaac quidem secundum carnem, JESUS CHRISTUS vero secundum Spiritum. Posteri Isaac participes fuerunt promissionum Abrahæ propter præsidium, quod illis contulit Deus, bona temporalia, quibus eos cumulavit, regionis ubertatem, qua potiti sunt. Progenies vero spiritualis, quæ Abrahæ fidem, atque pietatem imitatur, alterius generis benedictiones recipit a JESU CHRISTO; justitiam, innocentiam, Spiritus Sancti dona. Hoc pacto benedictiones traditæ Abraham omnino adimpletæ videntur; cum e contra si ad solam carnalem Abrahæ posteritatem coarctentur, coarctantur [illegible] modo, qui minime decet magnitudinem Dei, atque longe inferior est vocibus iisdem, quibus usus est Dominus, Sanctum Patriarcham benedicens.

S. Paulus isthic non describit, quomodo promissiones in carnali progenie fuerint adimpletæ; ad spiritualem dumtaxat se se coarctat, quæ est JESUS CHRISTUS [4], quatenus in persona sua omnem Ecclesiam fidelium omnium sæculorum, cujuslibet nationis, atque terræ complectitur. Si Patriarchæ, Prophetæ, Sancti viri Veteris Testamenti participes fuerunt benedictionum spiritualis sobolis, hoc minime illis accidit, quatenus filiis Abraham secundum carnem, sed quatenus imitatoribus fidei Abraham, & quatenus jam spectabant ad JESU CHRISTI testamentum [5]. Duplicis hujus posteritatis mysterium scrutator Apostolus in iisdem promissionum verbis: Scriptura non dicit [6]: *& seminibus quasi in multis, sed quasi in uno; & semini tuo, qui est Christus*. Non negat in litteræ sensu promissiones respicere etiam Hebræos natos ex Abraham secundum carnem: verum tenet in sublimiori sensu, illas præsertim ad imitatores fidei Abraham spectare. Promissio simul & historica est, & figurativa; historica in Israel, ejusque posteritate; figurativa in JESU CHRISTO, & in fidelibus. S. Paulo omnis erat auctoritas, quæ necessaria erat, ut testibus figurativis seorsum aliquem appingeret, qui certus esset, utque fidem nostram mereretur [7].

℣. 17. HOC AUTEM DICO: TESTAMENTUM CONFIRMATUM A DEO [8].] Ecce igitur, quid inferre velim ex principiis hactenus positis. Cum Deus cum Abraham percusserit authenticum fœdus, quo spirituali semini illius quodvis benedictionum genus pollicetur, illud irritum fieri nequaquam potuit a lege, quæ post quadringentos, & triginta annos irrogata fuit. At illud quodammodo irritum efficeret, si ipsa una seorsim a fide vitam, atque justitiam conferret? quid enim spirituali semini reliquum esset, & ad quid redigerentur ea, quæ illi promissa fuerunt? dicendum igitur, legem solam non justificare; sed fidem in JESUM CHRISTUM; vel si mavis, non Isaac, aut carnalem progeniem, sed JESUM CHRISTUM, vel spiritualem sobolem, quæ est ejus Ecclesia, spirituales benedictiones recipere.

Quadringentorum, & triginta annorum numerus, quos

---

1 Deut. 21. 23. Textus Hebræus habet; *Maledictus a Deo, qui pendet in ligno*. Apostolus omisit, *a Deo*, velut subjecto suo supervacaneum. Conjicit S. Hieronymus, Judæos addidisse Dei nomen in suis exemplaribus in odium Christianorum, quod nullo pacto probabile est. 2 Chrysost. Theod. Vat. Erasm. Grot. Est. Men.
3 Hebr. [illegible], & Græc. [illegible], *fœdus*, vel *testamentum*.
4 Vide Aug. hic. 5 Vide Theodoret. hic. 6 Confer Gen. 12. 3. 13. 15. & 22. 18.
7 D. Thom. Cajet. Est. 8 Gr. [illegible] ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς Χριστὸν. Alii simpliciter, [illegible]. Alii omittunt, εἰς Χριστὸν, Ita Alex. Colb. 7. Barb. 2. Copht. Hieron.

quot inter promissiones Abrahæ factas, & legem a Moyse irrogatam elapsos fuisse testatur Apostolus, aliquam ingerit difficultatem. In Exodo 12. 40. quadringenti, ac triginta memorantur anni Hebraicæ captivitatis in Ægypto; & Samaritanus, atque Septuaginta ibidem addunt, hos quadringentos, & triginta annos de eo tempore intelligendos esse, quod Hebræi in Ægypto, atque in terra Chanaan transegerunt. Ad hunc igitur annorum triginta, & quadringentorum numerum inveniendum, eorum initium rejiciendum est in annum ab Orbe condito 2082. quo tempore Abraham vocatus fuit, & de Ur Chaldææ Civitate egressus est; finis vero incidet in annum 2513. quo Israelitæ de Ægypto egressi sunt, & lex in Sinai irrogata.

℣. 18. NAM SI EX LEGE HÆREDITAS.] Si spiritualis hæreditas, justitia, innocentia, Cœli beatitudo, quæ illam consequitur, ejusque remuneratio est, per Legis observantiam, non autem per fidem in JESUM CHRISTUM acquiruntur; igitur non acquiruntur ex virtute earum, quæ Abrahæ, & semini ejus promissa fuerunt. At dici nullo pacto potest, fœdus, atque promissionem adeo ratam, atque solemnem, quale Deus Abrahæ fecit, in irritum cecidisse; igitur fieri non potest, ut Lex nobis eam comparet hæreditatem, de qua nuper loquutus sum. Effectus ejus cecidit dumtaxat in temporalem Chananæ terræ hæreditatem. At, inquient Galatæ, promissiones ideo abdicare in animo nobis non est, sed fidem cum Lege, & cum Moyse Evangelium conjungere volumus. Respondet S. Paulus, duo hæc simul consociari non posse, vel saltem eorum societatem inutilem esse. Cur enim promissionibus addenda Lex est, cum sine Lege promissiones ipsæ sufficiant [1]?

℣. 19. QUID IGITUR LEX? PROPTER TRANSGRESSIONES POSITA EST.] Sibi id objicit, quod ex superiori versiculo dictis consequitur. Si sine Lege justificati possumus ex virtute benedictionum, quæ spirituali semini Abraham promissæ fuerunt, cui igitur bono Lex ipsa fuit? Nonne præstitisset nullam irrogare Legem, quandoquidem una illa minime prodest, atque sine illa æterna beatitudo potest acquiri? respondet, Legem *propter transgressiones fuisse positam*, hoc est ex S. Augustini sententia [2], ut Hebræi Legem recipientes, & ope illius jugum ferme lapsus suos agnoscentes intelligerent, propriis viribus fidendum non esse; atque fateri cogerentur, se validiore præsidio, Divini scilicet Mediatoris, & gratia illius indigere.

Divus Chrysostomus, & Græci hoc aliter explicant: *Lex posita fuit propter transgressiones*, hoc est, ut illæ quantum fieri posset, prohiberentur; Lex Judæis erat veluti frœnum aliquod, & vetabat, ne in gravissima scelera ruerent: illos coercebat, regebat, prava illorum studia infringebat; si non omnia scelera inhibebat, saltem eorum partem vitabat. Utraque hæc explicatio ab Interpretibus adfertur, & quælibet suos habet sectatores; mihi vero ea quidem magis arridet, & litteræ propior videtur, quod Græci sequuntur [3].

DONEC VENIRET SEMEN, CUI PROMISERAT.] Hæc provisionalis erat dispositio usque ad JESU CHRISTI adventum duratura: Hodie non viget amplius; & si neque pro ipsis Judæis viget, multo minus o Galatæ pro vobis. Promissiones dictæ Abrahæ, & semini ejus ad JESUM CHRISTUM usque suspensæ quodammodo fuerunt; sed promissiones, quæ carnalem illius posteritatem respiciebant, in multarum generationum decursu adimpletæ sunt, atque tunc solum finem invenerunt, cum illa, quæ spiritualem ejus posteritatem respiciunt, inceperunt. Finis Legis est Evangelii principium.

ORDINATA PER ANGELOS IN MANU MEDIATORIS.] Hic mediator est Moyses; ille fuit Veteris Testamenti Minister, quemadmodum Moyses novi [4]; plerique tamen Interpretum, atque Patrum Mediatorem hunc JESUM CHRISTUM fuisse contendunt [5]; sed prior sententia magis verosimilis videtur propter eam oppositionem, quam ubique S. Paulus inter JESUM CHRISTUM, & Moysem, inter veterem, novamque Legem constituit. Patrum tamen sententia cum opposita potest conciliari, si dicamus, Moysem esse JESU CHRISTI Ministrum, atque hunc sub eodem eo in munere exhibitum fuisse: certum est enim quodam in sensu, Deum hominibus nullam, nisi per Filium suum Legem irrogasse: atque ita hoc in sensu JESUS CHRISTUS Veteris Testamenti Mediator est, non secus ac novi; licet hujus magis propria, atque immediate fuerit. Primum illud non aliud erat, quam quædam ad alterum dispositio.

Addit S. Paulus, Legem traditam fuisse per Angelos. Veteres quidam [6] crediderunt, Testamenti veteris apparitiones, eas vero præsertim, quæ Moysi in rubo, atque in Monte Sinai contigerunt, per Filium Dei factas fuisse. Sed S. Stephanus in Actis 7. 30. atque Patres plurimi post S. Augustinum [7] crediderunt, illud per Angelos accidisse, eaque sententia probabilior est. Semper quidem Moyses ait, Dominum loqui, apparere, imperare; at nobis persuasum est, Angelum a Deo missum nomine illius loquutum fuisse.

℣. 20. MEDIATOR AUTEM UNIUS NON EST: DEUS AUTEM UNUS EST.] Hoc aliud est discrimen, quod veterem Legem ab Evangelio distinguit. Lex Judæis tradita fuit per Angelos, & per ministerium Mediatoris, qui est Moyses. Promissiones vero sine Mediatore a Domino factæ sunt Abrahæ, & Evangelium quoque, nullo homine mediante, a JESU CHRISTO fidelibus traditum est. Mediatore opus erat inter Deum, & Hebræos: ea quidem species erat mutui contractus, quo Hebræi erga Deum, & Deus erga Hebræos se se obligabant. Dominus quidem illis vitam, præsidiumque suum pollicebatur; Judæi vero se illi obtemperaturos, eique fideles futuros promittebant. Verum in iis promissionibus, quæ Deus fecit Abrahæ, atque semini ejus secundum Spiritum, nullus mediator est; quippe promissiones sunt mere gratuitæ; benedictiones, quæ per JESUM CHRISTUM super fideles omnes effunduntur, quodam in sensu sine Mediatoria opera emanant, quoniam JESUS CHRISTUS ipse quoque Deus est, æque ac Pater suus.

Aliter: *Lex tradita fuit* Hebræis ad coercendas *eorum prævaricationes*, atque frœnum eorum licentiæ injiciendum. Si fideles fuissent, nulla ipsis Lex fuisset imposita; Lex enim non est pro justis [8]: *Lex justo non est posita, sed injustis*, Dominus illam irrogavit *Angelorum ministerio, & Mediatore* Moyse, quod innuebat, Deum, & Hebræos inter se vicissim abesse. Nam *Mediator unius non est*. Quælibet mediatio aliquam divisionem supponit: *Deus autem unus est*, & immutabilis [9]; numquam erga Hebræos consilium suum mutasset, nisi sceleribus eorum coactus fuisset. Ne consideretis ergo Legem tamquam effectum benedictionum, quas Deus Abraham spopondit; ea quippe iræ Dei potius quodammodo signum est. Hic sensus melior videtur, verum fatear, opus est, locum hunc in paucis obscurum esse inter S. Pauli Epistolas, & nihil

1 Theodoret. ad vers. 18. 2 August. hic, & lib. de Grat. Christi, cap. 8. & lib. de Spirit. & litt. c. 6. & l. 3. contra duas Epist. Pelagg. c. 14. & alibi sæpius. Vide & D. Thom. & Est. hic, & Rom. 4. 14. 15. &c.

3 Confer 1. Timoth. 1. 9. *Lex justo non est posita, sed injustis*. Et Hebr. 7. 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit Lex*. Et Galat. 5. 23. *Adversus hujusmodi non est Lex*; Vide quoque 1. Cor. 7. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*; id est, *ad vitandam fornicationem*. Ita in hoc loco: *Lex propter transgressiones posita est*, id est, *ad vitandas transgressiones*. 4 Hebr. 8. 6. 12. 24. Vide & 2. & 9. & Joann. 1. 17. 2. Cor. 3. . . . . 7. Theodoret. Cyrill. Nazianz. Epiphan. Nyssen. Est. Grot. Bez. Cornel. alii.

5 Ita Hieronym. August. Ambrosiast. Chrysost. 6 Vide dicta in Exod. 3. 2.

7 August. l. 3. de Trinit. cap. 11. Gregor. l. 28. Moral. cap. 2. Hieronym. hic, alii.

8 1. Timoth. 1. 9. 9 Salmer. Men. Grot.

me hactenus repetisse, cui acquiescam.

℣. 21. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit.] Si verum est, Legem impositam fuisse tantum ad Hebræorum prævaricationes infringendas, & Moysem Mediatorem fuisse inter Deum iratum, atque Israelitas; videntur Lege antiquatæ quodammodo fuisse promissiones Abrahæ; & quin illam tamquam Divinæ benedictionis effectum consideremus, veluti indignationis ejusdem argumentum habendam esse. S. Paulus nequaquam concedit hanc illationem, quatenus late patet. Probat, Legem Divinæ erga Hebræos protectionis esse documentum, & fuisse tamquam custodem quemdam, a quo clausi tenerentur, vel tamquam Pædagogum, qui eosdem ad Jesum Christum, atque ad fidem perduceret. Vide ℣. 23. 24. Verum minime fatetur, Legem, vitam, & justitiam contulisse. Hanc quidem per se non conferebat, sed promittebat solum eamdem illis, qui fidem habuissent, atque ipsam fideliter observassent.

℣. 22. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato [1].] Lex ostendit, omnes homines peccatores esse, iisdem ea aperiens scelera, quæ ante non noverant [2]. Hæc illos convicit, qui ante Legem vixerunt, & qui quoad plurima morum instituta in errore versabantur. Hæc Judæos, qui sub Lege vivebant, esse prævaricatores ostendit. Hæc denique illis promisit quidem, non tamen præbuit, remedium pro malis omnibus efficax; quod nonnisi per fidem in Jesum Christum obtinere potuerunt [3]. Hæc effecit, ut propriam infirmitatem cognoscerent, & intelligerent, se Liberatoris præsidio indigere. Qui ante Jesum Christum bonum operati sunt, nonnisi gratiæ illius ope fulti illud conati sunt.

℣. 23. Prius autem quam veniret fides.] Lex erat tamquam severissima custos, quæ conatus nostros infringebat, & minimos errores puniebat. Nobiscum illa agebat, tamquam cum rebellibus filiis, vel servis inobedientibus, & fugitivis, qui concluduntur, asservantur, puniuntur. Spiritus Legis spiritus erat timoris, atque severitatis [4].

℣. 24. Lex pædagogus noster fuit in Christo.] Hoc est, ut nos ad Jesum Christum perduceret. Pædagogus homo est puero alicui præpositus, ut illum deducat, regat, custodiat; alius a Præceptore, qui puerum eumdem erudit, & qui vel politiorum litterarum præcepta ei tradit, vel sublimiores scientias eidem aperit. Lex Judæis erat tamquam Pædagogus; illos agebat, servabat, corrigebat, coercebat, ut eosdem ad Messiam Jesum Christum adduceret, a quo erant erudiendi, atque magis necessariis, sublimioribusque præceptis imbuendi. Sine Lege Idolorum cultui, gravissimisque flagitiis se se mancipassent; & Messias in terris veri Dei cognitionem æque in progenie Abrahæ, ac alibi prorsus extinctam invenisset. Messias ipse, opus erat, ut a Lege detegeretur, a Prophetis designaretur, ejusque ab illis imago, & characteres delinearentur.

℣. 25. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.] Non sumus amplius similes iis pueris, qui suppliciorum metu coercentur; nos Jesus Christus erudit, Spiritus ejus animat, charitas ipsius fovet. Quænam igitur dementia est, vosmet ei Legi subjicere, quæ mancipia tantum efficit, vel filios, qui seipsos regere minime possent; quasi conditio vestra non esset toto Cœlo beatior, atque gloriosior, quoniam ℣. 26. *Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.*

℣. 27. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.] Exuistis, ut ita dicam, veterem hominem in aquis baptismi, atque novum hominem induistis. Eratis filii iræ, filii Adam, Spiritu servitutis animati, vel etiam penitus omni cognitione veri Dei carebatis, in idololatria, atque flagitiis immersi: per Fidem, & per baptisma induistis Jesum Christum, repleti fuistis Spiritu illius, luminibus ejus illustrati; gratia, justitia, charitate ejus cumulati, & facti filii adoptivi Patris, & amoris ejus objectum. Ad quid ergo Lex, cui vosmet subjicere voltis, vobis prodesse posset?

℣. 28. Non est Judæus, neque Græcus.] Nullum amplius discrimen est Judæos inter, atque Ethnicos; omnes unum sumus in Jesu Christo. Judæus, qui nativitatis suæ prærogativas jactitabat, & promissiones Abrahæ factas, jam non habet, unde præ vobis glorietur; si ille ad Jesum Christum pertinet, & vos ipsi pertinetis; sin autem, promissiones pro illo factæ non sunt, vos toto Cœlo eidem præstatis. ℣. 29. *Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis secundum promissionem hæredes* legitimi. Non solum igitur inutile esset, verum etiam ridiculum, Circumcisionem recipere velle, atque vosmet jugo Legis subjicere: quod idem esset, ac si nobilis Filius servus fieri desideraret.

---

1 Confer Rom. 3. 9. *Causati sumus Judæos, & Græcos omnes sub peccato esse.*
2 Chrysostom. 3 Theodoret. Ita Est. Menoch. Ctnt. alii. 4 Rom. 8. 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, &c.*

CAPUT IV.

Judæi sub Lege tamquam pupilli sub Tutore; JESUS CHRISTUS illos de hac eruit servitute, eisque Spiritum suum elargitur. Summa S. Pauli erga Galatas benevolentia. Galatarum erga S. Paulum affectus. Pravus Pseudo-Apostolorum zelus. Sara, & Agar utriusque Testamenti figuræ.

1. Dico autem: Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum
sit dominus omnium: 2 Sed sub tutoribus, & actoribus est, usque ad
præfinitum tempus a patre: 3 Ita & nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. 4 At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus
Filius suum, factum ex muliere, factum sub lege, 5 Ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. 6 Quoniam autem estis filii, misit

lii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater. 7
Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius, & hæres per Deum. 8
Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dii, serviebatis. 9
Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis a Deo: Quomodo convertimini
iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo servire vultis? 10
Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. 11 Timeo vos, ne forte si-
ne causa laboraverim in vobis. 12 Estote sicut ego, quia, & ego sicut vos: fra-
tres, obsecro vos; Nihil me læsistis. 13 Scitis autem, quia per infirmitatem car-
nis evangelizavi vobis jampridem: & tentationem vestram in carne mea 14 Non
sprevistis, neque respuistis, sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum
Jesum. 15 Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium perhibeo vobis, quia,
si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. 16 Ergo inimicus vo-
bis factus sum, verum dicens vobis? 17 Æmulantur vos non bene: sed exclude-
re vos volunt, ut illos æmulemini: 18 Bonum autem æmulamini in bono sem-
per: & non tantum cum præsens sum apud vos. 19 Filioli mei, quos iterum
parturio, donec formetur Christus in vobis. 20 Vellem autem esse apud vos mo-
do, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis: 21 Dicite mihi qui
sub lege vultis esse, legem non legistis? 22 Scriptum est enim: Quoniam Abra-
ham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera. 23 Sed qui de an-
cilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera per repromissionem: 24
Quæ sunt per allegoriam dicta: Hæc enim sunt duo testamenta. Unum quidem in
monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar: 25 Sina enim mons est in
Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis.
26 Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. 27
Scriptum est enim: Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe, & clama, quæ non
parturis: quia multi filii desertæ, magis quam ejus, quæ habet virum. 28 Nos au-
tem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. 29 Sed quomodo tunc is,
qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum:
ita & nunce. 30 Sed quid dicit scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus: non e-
nim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. 31 Itaque, fratres, non sumus an-
cillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberavit.

Ꝟ.1. QUANTO TEMPORE HÆRES PARVULUS EST, NIHIL DIFFERT A SERVO:] neque bonorum, neque actionum suarum est Dominus, sed pendet a Tutoribus, atque Rectoribus, qui ejusdem curam gerunt. *Parvulus* hic universum est genus humanum, ab ipsis Mundi primordiis usque ad JESUM CHRISTUM; Tutores ejus sunt Angeli, ex S. Hieronymi sententia. Vel potius *parvulus* hic est Judæorum natio; cujus Tutores sunt Lex, & Prophetæ. Populus hic sub eorum imperio fuit usque ad JESU CHRISTI adventum, qui illum emancipavit, atque asseruit in libertatem. Galatæ Legi subjecti minime fuerant, sed ante conversionem suam erant Gentiles. Ita Apostolus Ꝟ. 3. non ait, *eratis parvuli, sub elementis Mundi eratis servientes*; sed *eramus*, de se ipso aliisque Judæis loquens. Apostoli hæc mens est, ut Galatarum animos a Legalibus cæremoniis avertat, in quas pseudo-Apostoli eos impellere conabantur. Hebræi ipsi iisdem non amplius subjecti sunt, & vos illis vosmet subiicere optabitis?

Ꝟ. 2. SED SUB TUTORIBUS, & ACTORIBUS [1] EST USQUE AD PRÆFINITUM TEMPUS A PATRE.] Videtur apud Judæos paterni juris fuisse, tempus constituere, quo Filius Tutorum imperium excuteret. Alibi tempus hoc a Legibus præscriptum erat, neque erat idem ubique mos, atque eadem ætas pupillaris. Pater Cœlestis, qui se Hebræorum Patrem, atque Parentum declaraverat, in æternis decretis suis tempus illud statuerat, quo populus suus emancipandus esset, & ex Legum Moysis servitute liberandus: Quod cum tempus accessisset, JESUS CHRISTUS apparuit, & Hebræos in perfectam libertatem asseruit.

Ꝟ. 3. ITA & NOS CUM ESSEMUS PARVULI.] Loquitur de Judæis, ex quorum numero & ipse erat [2]; *sub elementis Mundi*, hoc est primis præceptis, quæ Deus Mundo tradidit, subjecti eramus. Quidam hoc explicant de *materialibus elementis*, terra, aere, aqua, &c. quæ plerique idololatræ venerabantur: alii de *Syderibus, Sole, Luna, Astris*, quæ & ipsa ab idololatria tamquam Numina celebrantur: Alii *de Angelis*, qui quatuor Mundi elementis præsident: Alii denique de Lege, & Prophetis, qui erant tamquam alphabeticæ litteræ, atque prima religionis JESU CHRISTI elementa. Variæ hæ sententiæ a S. Hieronymo asseruntur, qui cum plerisque Interpretum postremam hanc censet cœteris præferendam [3]. Hunc etiam verum esse textus hujus sensum omnia, quæ sequuntur, atque præsertim ꝞꝞ. 9. 10. confirmant. Hac autem *Mundi* voce *Elementa*; nam extrinsecæ Sacrificiorum, festivitatum &c. cæremoniæ satis similes erant ritibus Ethnicorum populorum, a quibus objecto, ac fine tantummodo fere discrepabant. Apud Ethnicos æque ac apud Hebræos Templa aderant, Altaria, Sacrificia, cæremoniæ. Vel *Mundi elementa* significare poterant cæremonias sensibiles, crassas, & materiales.

Ꝟ. 4. AT UBI VENIT PLENITUDO TEMPORIS.] Cum advenisset tempus quo populus Dei ex pupillis egressurus erat, & quo Messias adveniens illum erat in liber-

1 Ἀλλὰ ὑπὸ ἐπιτρόπους ἐστί, καὶ οἰκονόμους.
2 Ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου δεδουλωμένοι.
3 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Oecumen. Erasm. Est. Grot. Zeger. Menoch. Pasc. alii.

tate vindicaturus, *misit Deus Filium suum factum ex Muliere, factum sub Lege*; vel *natum ex Muliere, & Legi subjectum*, nam Græce variant exemplaria [1], quorum alia legunt *factum ex Muliere*, hoc est efformatum in sinu Beatissimæ Virginis, ex sola ejus substantia per Spiritus Sancti ministerium, sine ullius hominis cooperatione: alia vero legunt; *natum ex Muliere*, quod explicatione non indiget.

℣. 5. UT EOS, QUI SUB LEGE ERANT, REDIMERET.] Neququam credendum est, JESUM CHRISTUM venisse dumtaxat, ut eos, qui sub Lege erant, redimeret; venit enim pro totius humani generis salute. Verum cum S. Paulus de Hebræis tantum hic verba faciat, non meminit Gentilium, neque libertatis, quam JESUS CHRISTUS illis procuravit. Iis omnibus, qui in ipsum crediderunt, veram contulit libertatem, & adoptionem filiorum Dei, ita ut neque Judæi amplius sub Legis, neque Gentiles sub peccati jugo versentur; sed utrique simul facti fuerint Patris Cœlestis filii, & repleti Spiritu Sancto in cordibus suis clamantes *Abba Pater*. Si Spiritus Sanctus hanc nobis libertatem minime conferret, neque formaret in nobis clamorem hunc ineffabilem, quis auderet Deum Patris nomine appellare [2]? *Abba Pater*. Hæ duæ voces idem significant, altera quidem Græce, altera vero Syriace; & altera alterius est explicatio [3]. Patriarchæ veteres, & Prophetæ ante JESUM CHRISTUM jam in se ipsis habebant hunc adoptionis Spiritum; sed in virtute fidei in JESUM CHRISTUM, & meriti mortis ejus, cujus virtus æque in ea, quæ præcesserunt, ac ea quæ subsequuta sunt, tempora se se effudit.

℣. 7. ITAQUE JAM NON EST SERVUS, SED FILIUS.] Non Judæi solum, qui in JESUM CHRISTUM crediderunt, verum etiam Gentiles, qui Ethnicam religionem abdicarunt, non sunt amplius servi, sed filii Dei. Hebræi quidem sub Lege serviebant; Gentiles vero peccato, idololatriæ, errori erant subjecti. Utrosque liberavit Jesus Christus, atque illis Patris adoptionem, & Cœli hæreditatem promeruit. Quæ igitur dementia, libertatem hanc abdicare velle, ut iterum vosmet servitutis jugo subjiciatis?

℣. 8. IGNORANTES DEUM,] falsis Numinibus serviebatis. Servitus vestra multo, quam Hebræorum, erat magis contumeliosa. Hi quidem Deo sub Lege serviebant, vos autem servi eratis Idolorum.

℣. 9. CUM COGNOVERITIS DEUM, IMMO COGNITI SITIS A DEO.] Numquam ad Deum cogitationes vestras convertistis, nisi ipse prævenientis gratiæ suæ effectu ad vos cogitare dignatus est, & vos ad se ipsum pertrahere [4]. Ipse cognovit vos in sua præscientia, vos prædestinavit ad fidem, vocationem, gloriam, antequam ad illum vos venturos esse meditaremini. *Cognoscere* in Deo sæpius acceptum habere significat; ignorare vero, & oblivisci pro non amare usurpatur. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus*, inquit Scriptura 2. Timot. 2. 19. Cognovit oves suas, & ab ovibus suis cognoscitur [5], hoc est illas amat, atque tuetur: sed novissimo Judicii die peccatoribus dicet: *Nescio vos, unde sitis; recedite a me omnes operarii iniquitatis*. Luc. 13. 27.

CONVERTIMINI ITERUM AD INFIRMA, ET EGENA ELEMENTA.] Hæc sunt eadem elementa, de quibus jam verba fecit ℣. 3. & quæ Legales esse ceremonias diximus. Numquid iterum illis vosmet subjicere vultis? At quorsum? quandoquidem jam numquam antea eisdem subjecti fuerant, & ex Ethnica, non autem ex Judaica religione in Jesu Christi Sacra transierant? Respondent [6], Apostolum hoc in loco non satis accurate fuisse loquutum. Cum hactenus Judæorum sub Lege servitutem explicuerit, & probaverit, Galatas quoque jugum suum excussisse, pergit ad eos loquens, quasi olim vere legi subjecti fuissent, eosque hortatur, ne iterum velint Legis jugum subire. Vel, ut castigatius loquamur, ne incipiant se Legi subjicere, quoniam eidem numquam subjecti fuerant, licet graviorem perpessi sub erroris ac dæmonum tyrannide servitutem. Divus Chrysostomus, atque Theophylactus credunt, ab Apostolo hoc *infirma, & egena elementa* appellari, & illum metuisse, ne rursus in Idolorum cultum relaberentur.

℣. 10. DIES OBSERVATIS, & MENSES.] Incipitis observare Hebræorum ritu dies Sabbathi, Neomenias, annos Sabbathicos, Festos dies, qui variis anni temporibus subinde accidunt, veluti Pascha, initium messis hordeaceæ, dies Tabernaculorum post peractas messes &c.

℣. 11. TIMEO VOS [7], NE FORTE SINE CAUSA LABORAVERIM.] Nam si tanta vobis est infirmitas, ut Judæorum Sacra amplectamini, & Legis cæremonias cum Evangelio conjungatis; vereor profecto, ne quamprimum fortasse Jesu Christi fidem abdicetis [8].

℣. 12. ESTOTE SICUT EGO, QUIA & EGO SICUT VOS.] Vivite in libertate filiorum Dei, quemadmodum ego ipse vivo; Legis jugum excutite, quemadmodum illud excutio [9]: ne patiamini, hanc vobis servitutem imponi, quam neque ipsi Judæi ferre unquam potuerunt [10]. Ita etiam potest intelligi [11]: estote sicut alter ego, quamadmodum & ego sum tamquam alter vos; me ipsum eo amore diligite, quo vos complector. Similis ferme loquendi ratio in tertio Regum invenitur [12], ad perfectissimam concordiam innuendam. Hic sensus belle cum sequentibus cohæret.

OBSECRO VOS; NIHIL ME LÆSISTIS.] Vivamus simul in perfecta charitate. Vos quidem mihi injurii non fuistis, neque est mihi, unde conquerar de vobis. Ne credatis, in iis, quæ hactenus dixi, me affectu vi, aut ira aliqua fuisse loquutum, sed charitas, qua erga vos flagro, zelus meus propter Deum, atque vestræ salutis cupiditas hoc mihi suadent. Deus unus hic læsus est; ego enim, si quæ mihi injuria facta est, hanc nullo in discrimine habeo.

℣. 13. SCITIS, QUIA PER INFIRMITATEM CARNIS EVANGELIZAVI VOBIS.] Illis in mentem revocat prima ea tempora, quibus in Galatia prædicare cœpit. Hoc maxime aptum erat ad eorum memoriam ciendam, atque afficiendam, ut se se colligerent. Scitis quidem, me primum apud vos visum fuisse, adversis doloribus, & languoribus obrutum [13]; seu tunc ægrotaverit Apostolus, quemadmodum nonnulli [14] suspicantur; sive hæc mala ab Ethnicis illum persequentibus conflata fuerint; sive tandem sapientiæ suæ consilio sese ad Galatarum captum submiserit, atque ad eos humili ratione loqu-

---

1 Γενόμενον ἐκ γυναικός. Alii: Γεννώμενον. Natum. Ita Steph. 8. ζ. ια ιε. Et alii Compl. Arab. Æth. August. Iren. l. 3. c. 18. Cypri. l. 2. ad Quirin.   2 Οὐ γὰρ ἂν ἐτολμήσαμεν πατέρα προσαγορεῦσαι τὸν Θεὸν ... μὴ τοῦ ... ἀξιωθέντες χαρίσματος. Theodoret.

3 Hieronym. hic.   4 Chrysost. hic. Vide & Est. hic; & 1. Joan. 4. 10. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*. Vide & 1. Cor. 8. 3.   5 Joan. 10. 14.

6 Vide Est. Grot. Gloss. Vorst. Men. Tir. alios.   7 *Timeo vos*; id est, *timeo de vobis*, vel *timeo vobis*. Hieron. Græc. Φοβοῦμαι ὑμᾶς; pro, αἱ ὑμᾶς.

8 Vide Est. Grot.

9 Chrys. Theophyl. Theodoret. Hieronym. Est. Men. alii.   10 Act. 15. 10.

11 Bez. Grot.   12 3. Reg. 22. 4. *Dixit Josaphat ad Regem Israel: Sicut ego sum, ita & tu: Populus meus, & populus tuus*, &c. Vide & 1. Par. 12. 18.

13 Confer 1. Cor. 2. 3. *Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos*.

14 Hieronym. *Aut certe suspicari possumus, Apostolum eo tempore quo primum venit ad Galatas, ægrotasse, & aliqua corpusculi infirmitate detentum; non cessasse tamen. . . . Nam tradunt eum gravissimum capitis dolorem sæpe perpessum, & hunc esse Angelum Satanæ, qui appositus ei sit, ut eum colaphizaret in carne*.

loquutus fuerit, prædicans iisdem dumtaxat Jesum A Christum Crucifixum [1].

℣. 14. ET TENTATIONEM VESTRAM IN CARNE MEA NON SPREVISTIS;] Hoc est, non sprevistis tentationem, quam in carne mea pro vobis patiebar. Credunt enim [2], *tentationem vestram* significare tentationem, quam ipse patior pro vobis. Exemplaria complura [3] legunt *tentationem meam*; alia simpliciter, *tentationem*. Sed plerique e Vulgata non abhorrent [4], *tentationem vestram in carne mea*; & veteres, ac novi Interpretes ad propositum a nobis sensum ferme convertuntur. Vidistis me contemptum, abjectum, contumeliis, persecutionibus affectum, quin tamen me ipsum contemneretis; *sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut CHRISTUM JESUM*.

℣. 15. UBI IGITUR EST BEATITUDO VESTRA.] B Græcus [5]; *quæ erat igitur beatitudo vestra?* quid de ea lectum est? omnes Ecclesiæ Deum laudabant ob gratias ab illo vobis collatas; ego ipse ubique vestram fidem, ac vestram charitatem celebrabam. Vos juges agebatis gratias Domino propter tantum boni, quo vos cumulaverat; & hæc omnia evanuerunt, quod levissime pravos Doctores audire & sequi voluistis. Debeo hoc zelo, atque amori vestro erga me præclarum testimonium perhibere; *quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi*. Quo igitur hic amor abiit? ℣.16 *Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* Hæccine est merces laborum meorum, quibus vos edocui, atque in religionis veritatibus erudivi? numquid falsi doctores, qui vobis os subleverunt, magis vos amarunt, quam ego? Merebantur ne, ut me relin- C queretis, ipsi adhæsuri?

℣. 17 ÆMULANTUR VOS NON BENE.] Falsi Doctores plurimam quidem, fatetur, vobis testantur benevolentiam; videntur cum zelo salutem, atque sanctificationem vestram perquirere: ac si vere vos amarent, numquid conarentur vos a nobis divellere, ut ipsis fortiter hæreretis? destruerent ne ea, quæ ædificavimus, ut super ruine nostre novum ædificium construerent? Prædicent illi apud vos Jesu Christi Evangelium, de hoc vos erudiant, illi vos diligant, & vos eosdem amate; ne ipse quidem invidebo, dummodo hoc in ædificationem sit, non in destructionem.

Quidam Græcum ita vertunt [6]: *vos excludere volunt, & quodammodo in tutelam redigere, ut illis adhæreatis*. Vos in Legis observantiam impellere student, D ut vos omnes eorum sitis; me vero pati minime volunt, quoniam tamquam rivalem considerant. Post hæc verba: *ut illis adhæreatis*, Veteres nonnulli Manuscripti addunt [7]: *sed æmulamini dona* Spiritus Sancti, *quæ sunt præstantiora*, quod ex priori ad Corinthios Epistola 12. 31. desumptum videtur.

℣. 18. BONUM AUTEM ÆMULAMINI IN BONO SEMPER.] Mihi quidem non displicet, ubi bonis vitiis vos adhærere video, immo ad hoc etiam, atque etiam vos hortor, dummodo hoc sit *in bono*, ad vestram videlicet ædificationem, atque ut confirmetis bonum, quod est inter vos. Græcus [8]; *utile est, ardenti amore bonum omni tempore concupiscere*, dummodo quod amatur, certe sit bonum, & haud dubie non boni solam spe-

A ciem præferet.

℣. 19. FILIOLI MEI QUOS ITERUM PARTURIO.] Græco melior tribui sensus potest [9]: *Filioli mei, quos adhuc gero in sinu meo, donec JESUS CHRISTUS formetur in vobis*. Mater filium suum non parit, nisi antea efformatus fuerit; sed illum servat in sinu suo, donec perficiatur. S. Paulus Galatarum ratione habita erat veluti Mater: eos deferebat in sinu, eosque ad pietatem formare admitebatur. Pseudo-Apostoli illius quodammodo viscera convellebant, ut ante tempus eos in lucem ederet, quos Jesu Christo eripere admitebantur, ut Legi subjicerent. Alii [10] explicant, *iterum parturio*, de eo dolore, quo angebatur, donec eosdem per pœnitentiam ad Deum reverti, & Legales cæremonias, quas pseudo-Apostoli iisdem ingesserant, abdicare vi- B deret. Hæc illis erat quædam veluti nativitas, quippe erat nova quædam conversio.

℣. 20. VELLEM MUTARE VOCEM MEAM.] Vellem tamquam amantissima Mater vocis tonum blandum, suavem, tenerum induere, ut vobis testarer dolorem meum, quo conficior, vobis fucum fieri cognoscens; ego enim pro vobis summo rubore suffundor [11]. Vel cum Græco textu [12]; *Vellem mutare*, & variare *vocem meam; nam doleo*, hæreo, in ambiguo sum, *propter vos*. Nescio quid consilii capiam: ambigo, utrum fortiter, an leniter loqui debeam. Mallem studia vestra videre, ut iisdem sermones meos, vocisque sonum accomodarem.

℣. 21. LEGEM NON LEGISTIS [13]?] Novam isthic aggreditur argumentationem, ut illis ostendat, Legi C non esse parendum, quippe hæc nota est, Jesu Christo inutilis, atque contumeliosa; libertati vero nostræ prorsus contraria.

℣. 22. ABRAHAM DUOS FILIOS HABUIT;] Isaac ex Sara natum, & Ismael filium Agar; hunc quidem *secundum carnem*, illum vero *per repromissionem* ℣. 23. Ismael re nulla præstat; filius est Abrahæ secundum naturæ ordinem genitus, non secus ac alius quipiam ex viro, & muliere natus. Sed Isaac Abrahæ promissus fuerat, cui dixerat Deus futurum, ut hic verus esset hæres illius, in cujus gratiam ea, quæ Patri promissa fuerant, adimplerentur; *per repromissionem*. Hæc autem omnia in sublimiori sensu *per allegoriam dicta* explicanda sunt ℣. 24. In historia de duobus his pueris latet allegoria quædam [14], mysticus, figuratusque D sensus, quem vobis sum enucleaturus. Judæi ipsi in Ismael & Isaac; in Sara, & Agar allegoriam adesse intellexerunt: & videri potest Philo, qui illi sensum moralem appingit [15].

℣. 24. HÆC SUNT DUO TESTAMENTA,] vetus scilicet, & novum, Agar quidem vetus indigitat, in Sinai irrogatum; Agar autem in Ancilla erat, & Servos dumtaxat gignebat, quod ipsum accidit in eo fœdere, quod ab ipsa exhibetur; non enim parit, nisi serviles Mosaicarum Legum observatores. Hujusmodi erant Judæi, qui cæremoniarum Legalium pondere obruti gemebant.

℣. 25. SINA MONS EST IN ARABIA, QUI CONJUNCTUS EST EI, QUÆ NUNC EST JERUSALEM.] Nemo tam rudis est, qui ignoret, Montem Sina, vel Si-

1 Vide Hieronym. ibid. Est. Confer 1. Cor. 2. 1. *Et ego cum venissem ad vos, veni non in sublimitate sermonis, . . . non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.*
2 Est. & Latini omnes.
3 Καὶ τὸν πειρασμόν μου ἐν ἐξουθενήσατε. Ita impressi passim. Quidam omittunt μου, ut Steph. 8. 9. 10. Petit. 2. Theophyl. Syr. 4 Ita Latini passim. Alex. Lin. Barb. 1. Colb. 7. Clerom. & S. Germ. Lat. Borner. G. L. Hieronym. Ambrosiast. Cyrill. Alex. 5 Τίς οὖν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν. Alii plures: Ποῦ οὖν ὁ μακαρισμός. 6 Ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσιν, ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε. Alii: Ἐγκλεῖσαι, eodem sensu.
7 Ζηλοῦτε δὲ τὰ κρείττω χαρίσματα. Ex 1. Cor. 12. 31. Ita S. Germ. G. L. Borner. G. L. Clarom. G. L. Ambrosiast. 8 Καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε.
9 Τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῇ. Χριστὸς ἐν ὑμῖν. Verbum ὠδίνω in Hellenistarum stylo quandoque sumitur pro, ἐν γαστρὶ ἔχω, utero gesto. Vide Grot. hic. Isai. 23. 17.
10 Theodoret. Est. Menoch. Pera. 11 Grot. Est. Men. Tir. Vide August. hic.
12 Καὶ ἀλλάξαι τὴν φωνήν μου, ὅτι ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν.
13 Græc. Τὸν νόμον οὐκ ἀκούετε: *Legem non auditis*. Alii: Οὐκ ἀναγινώσκετε: *Non legitis*. Ita Steph. 10. S. Germ. Cler. Borner. G. L. Alii: *Legistis*. Hieronym. qu. 2. ad Algas. Hieronymiast. Ambrosiast.
14 Theodoret. 15 Philo lib. allegor. & lib. de Cherubim, & lib. de congressu eruditionis causa.

nai esse in Arabia Petræa inter Elaniticum Sinum, & Mare Erythræum. Hic mons, non secus ac Agar Mater Arabum, vel Ismaelitarum, figura est Judæorum carnalium, qui Legis jugo subjecti sunt. Videtur S. Paulus asserere, Montem Sinai esse prope Jerosolymam, *qui conjunctus Jerusalem*; verum ab hac longe abest, si locorum intervalla censeantur. Sed cum eadem connexus est, atque magnam cum illa rationem habet, si qualitates Agar ancillæ cum qualitatibus Judæorum, quos Jerusalem exhibet, comparentur: hi enim totidem sunt Servi in cultu, & religione sua; quemadmodum Servi erant Agar, & Ismael ratione Abraham Domini sui.

Græcus habet [1]: *Agar enim est Mons Sina*: hæc exhibet Montem Sina *in Arabia*, atque est in eodem ordine, rationem habet, respondet, *ei quæ nunc est Jerusalem*, quæ Jerosolymæ Christianæ, vel Cœlesti opponitur. *Et quæ nunc est Jerusalem*, hoc in loco significat Judæos, & Vetus Testamentum. Hic idem est Populus, qui vetere sub Lege in Sinai tradita, qui eamdem habet servituris curam, & eodem servili pacto Legalibus cæremoniis mordicus hæret. Hæc verba, *rationem habet*, vel *respondet ei, quæ nunc est Jerusalem*, ad *Agar*, non ad *Sina*, quemadmodum Vulgata innuere videretur, sunt referenda. Agar exhibet Montem Sina, & Mater est Judæorum qui nunc sunt. Crediderunt quidam, Montem Sina [2] in Arabia, Agar fuisse appellatum; quæ tamen sententia apud neminem Geographum invenitur, quamvis hoc verum sit, quemadmodum Theodoretus animadvertit, posteros Agar eam possedisse terram, ubi mons Sinai assurgit. Cæterum ostendimus hæc verba *Agar Mons est Sina* ad literam non esse intelligenda. Agar exhibet Judæos, Legem, Jerusalem, Sina. Hæc omnia unum sunt, & idem.

℣. 26. ILLA AUTEM, QUÆ SURSUM EST JERUSALEM, LIBERA EST.] Hoc minime intelligendum est de Cœlesti Jerusalem eo in sensu, in quo hodie vulgo intelligimus, videlicet de Cœli inhabitatione, Beatorum sede. Hoc in loco Jerusalem, quæ sursum est, opponitur *Jerosolymæ materiali*, ubi Judæi permanebant ævo S. Pauli, & quæ paulo post deleta fuit. Civitas hæc terrena erat, captiva peritura: sed Jesu Christi Ecclesia, cujus figura erat Sara, & nova Jerusalem a Prophetia descripta [3], libera est, cœlestis, æterna, Cœlestis est origine, gratiis, quibus repleta fuit, Auctore, qui eamdem condidit, fine, quem sibi proponit, Spiritu, quo animatur, felicitate, quam præstolatur, capite, a quo regitur, atque protegitur.

Hæc Jerusalem *est Mater nostra* [4], Mater Fidelium, Christianorum, dummodo non secus ac illa in filiorum Dei libertate permaneant.

℣. 27. SCRIPTUM EST ENIM: LÆTARE STERILIS &c.] Hæc Isaiæ 54. 1. verba in historico, atque litterali sensu illud indigitare videntur tempus, quod captivitatem Babylonicam subsequutum est: verum in sensu magis sublimi, atque certo Christianam designant Ecclesiam, cujus posteritas longe frequentior, ditior, gloriosior fuit, quam Synagogæ primogenitæ illius, quæ fœcunditatem suam, atque ingentem filiorum suorum numerum jactitabat, cum pluribus ab hinc sæculis Deum Sponsum suum habuisset, eo tempore, quo Christiana Ecclesia nondum constituta erat, & neque Sponsum, neque filios habebat. Sara sterilis Jesu Christi Ecclesiam, Agar vero fœcunda Synagogam designabat. Progenies Saræ multo frequentior, atque potentior facta est, quam soboles Agar.

SECUNDUM ISAAC PROMISSIONIS FILII SUMUS.] Ne igitur per summam ignaviam præclaram hanc prærogativam abdicare velitis, ut ultro efficiamini filii Ismaelis, Legis cæremonias accipientes.

℣. 29. QUOMODO TUNC IS, QUI SECUNDUM CARNEM.] Quemadmodum Ismael puerum Isaac persequebatur: ita Judæi carnales, atque increduli, Christi fideles persequuntur. Scriptura in Genesi non ait explicite, Ismaelem persequutum fuisse Isaac, sed tantum *lusisse cum illo*, vel eum irrisisse, vel fortasse etiam in ludo eum injuria affecisse [5]. Vide Commentarios in Genesim 21. 9. Verum aliquid ultra simplicem ludum accidisse dicendum est, ut Sara vellet, Agar & Ismaelem domo expelli. Quod vero attinet ad Judæorum odium contra Christianos, atque ad illorum persequutiones, ubi per occasionem eas in nos ciere potuere, hoc satis superque, ex omni historia innotescit. S. Paulus non semel illorum vim, atque odium expertus est; & falsi Doctores, qui Galatiæ Ecclesiam turbabant, majorem, vehementioremque in illum persecutionem exciverant, quam si illi ipsi bellum indixissent.

℣. 31. NON SUMUS ANCILLÆ FILII, SED LIBERÆ.] Sumus posteri Isaac, non Ismaelis. Hic de domo Abraham ejectus fuit, ac nullam hæreditatis partem obtinuit. Ne ingrediamini ergo in genus illius, per servitutis ejusdem imitationem vosmet cæremoniis legis subjicientes. Servate libertatem filiorum Isaac, quam Jesus Christus vobis procuravit [6]; ejicite de medio vestri hos Ismaeles, qui vos persequuntur, hos pseudo-Apostolos, qui vos decipiunt.

---

1 Τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ. Ita & S. German. & Claromont. Lat. Agar enim. Græc. Τὸ γὰρ Ἄγαρ. Ita & Alex.
2 Chrysostom. Theophylact. Oecumen. Erasm. Zeger. Paræ.
3 Isai. 52. 1. 2. & seq. 60. 1. & seq. 66. 10. 13. & seq. Zach. 8. 3. 4. & seq. 12. 2. & seq. Apoc. 3. 12.
4 Græcus legit, *est mater omnium nostrorum*: Ἥ τις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν. Sed plerique omittunt *omnium*, πάντων. Vide Var. Lect. Mill.
5 Genes. 21. 9. *Cum vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Ejice ancillam hanc, & filium ejus.*
6 *Qua libertate Christus vos liberavit.* Hæc verba desunt in Græco typis edito, sed leguntur in pluribus MSS. & pluribus antiquis. Græci aliquid simile addunt capitis sequentis initio.

CAPUT V.

Libertas Christianorum. Circumcisio ad omnem Legem servandam obligat. Fides nos salvos facit. Falsa libertas. Lex in amore consistit. Vitia carnis, Fructus Spiritus.

1. STate, & nolite iterum jugo servitutis contineri. 2 Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. 3 Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est

omni-

universæ legis faciendæ. 4 Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini:
a gratia excidistis. 5 Nos enim spiritu ex fide, spem justitiæ expectamus. 6
Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fi-
des, quæ per charitatem operatur. 7 Currebatis bene: quis vos impedivit ve-
ritati non obedire? 8 Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos. 9 Modi-
cum fermentum totam massam corrumpit. 10 Ego confido in vobis in Domino,
quod nihil aliud sapietis: qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicum-
que est ille. 11 Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico: quid
adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis. 12 Utinam &
abscindantur, qui vos conturbant. 13 Vos enim in libertatem vocati estis fra-
tres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiri-
tus servite invicem. 14 Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges pro-
ximum tuum sicut teipsum. 15 Quod si invicem mordetis, & comeditis; vide-
te, ne ab invicem consumamini. 16 Dico autem: Spiritu ambulate, & deside-
ria carnis non perficietis. 17 Caro enim concupiscit adversus spiritum: spiritus
autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur: ut non quæcumque
vultis, illa faciatis. 18 Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. 19 Ma-
nifesta sunt autem opera carnis; quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia,
luxuria. 20 Idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes,
iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, 21 Invidiæ, homicidia, ebrietates, commessa-
tiones, & his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia
agunt, regnum Dei non consequentur. 22 Fructus autem Spiritus est: charitas,
gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, 23 Mansuetudo,
fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex. 24 Qui
autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis: 25
Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus. 26 Non efficiamur inanis gloriæ cu-
pidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

℣. 1. STATE.] Græcus [1] *servate constanter eam libertatem, quam JESUS CHRISTUS vobis procuravit, neque iterum vosmet jugo Legis subjiciatis*. Prima versiculi pars legitur in fine cap. præcedentis hoc pacto. *Estis filii liberæ, quæ libertate vos JESUS CHRISTUS donavit cap. 5. 1. Hanc servate*. At hujusmodi varietas sensum non mutat. Libertas, de qua S. Paulus verba facit, ea est, quæ nos eximit ab Mosaicæ legis observantia [2]: huic Galatæ numquam subjecti fuerant, quibus cum suadet, ne *iterum* subjiciantur, hoc intelligit, quemadmodum vidimus cap. 4. ℣. 9. Ne subire velitis recens jugum, legem, cui hactenus subditi non fuistis.

℣. 2. ECCE EGO PAULUS DICO VOBIS &c.] Carnalis circumcisio publica est Judaicæ Religionis professio, hanc recipitis, cum Christianam Religionem abdicatis, B nihil vobis proderit amplius JESUS CHRISTUS. Neque dixeritis, vos velle Judaicam cum Christiana Religione conjungere: dico enim, vobis fœdus illud esse lethiferum. Permittitur quidem Judæis, ut secundum Legem vivant, quin Evangelium relinquant; vos vero prohibemini Legem amplecti, alioquin tamquam profugi habendi. Licet homini, si velit circumcisionem recipere [3], dummodo eamdem minime respiciat, tamquam saluti necessariam, nec veluti salutarem cæremoniam existimet. Ipse etiam S. Paulus Timotheum circumcidit [4], & post conversionem suam plures legales cæremonias exercuit. At illas officii ergo dumtaxat exercuit, ne Judæos læderet, atque ut Synagogam cum pompa ad sepulcbrum efferret. Verum apud Galatas A res omnino erat diversa. Pseudo-Apostoli illis persuadere cupiebant sine legalibus cæremoniis Christianam Religionem minime prodesse: S. Paulus e contra asserebat Judaismum non solum Gentilibus conversis non prodesse, verum etiam obesse.

℣. 3. TESTIFICOR RURSUS OMNI HOMINI CIRCUMCIDENTI SE.] Iterum edico, vel ad hæc edico [5], vel hodie edico, quod jam vobis dixi, cum eram apud vos; quoniam omnis homo, qui semet circumcisioni submittit, *debitor est universæ Legis faciendæ*. Videntur pseudo-Apostoli Galatis persuadere voluisse, illos per circumcisionem minime omnibus legalibus cæremoniis subjici, neque ideo sacrificia, expiationes, aliaque hujusmodi Legis ritus ipsis esse necessaria, sed ab illis expeti dumtaxat circumcisionem, Sabbathi observantiam, B carnium distinctionem; cæterum reliqua illis remitti, eosque minime prohiberi, quominus simul Christianam Religionem profiterentur. Illi etiam Doctores non erant seduli Legis observatores [6].

Apostolus ergo testatur, cum circumcisio publica sit Judaicæ Religionis professio, illis nequaquam integrum esse, ea, quæ cupiunt, vel assumere, vel rejicere. Lex minime patitur hanc divisionem, sed væ ejaculatur in eos omnes, qui non observaverint singulas, & universas partes [7]. Si via est ad salutem consequendam necessaria, tota prorsum observanda est. Conjicit Grotius, hos pseudo Apostolos circumcisionem dumtaxat, atque nonnullos aliquot exteriores cæremonias expetiisse, ut cum Judæis confusi minime sollicitarentur tamquam viri, qui novam Religionem in Imperium envarentur iuve-

1 Τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε. Alii ex cap. præcedenti: Ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας, τῇ ἐλευθερίᾳ ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε. Στήκετε οὖν. Ita Steph. 2. 6. 10. Alex. Clar. Germ. Borner. alii. Vide Mill.

2 Theodoret. 3 Vide Hieronym. Est. Grot. Vide 1. Cor. 7. 19. 20.

4 Act. 16. 3. *Circumcidit eum propter Judæos, qui erant in illis locis*.

5 *Testificor rursus*. Gr. Μαρτύρομαι δὲ πάλιν. Sed illud πάλιν deest in Clarom. S. Germ. Borner. G. L. Arab Chrysost. Hieron. Ambrosiast.

6 Galat. 6. 13. *Neque enim qui circumciduntur, Legem custodiunt, sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur*. 7 Deut. 27. 26. Galat. 3. 13.

invehere; Lex enim permittebat, ut Judæorum Religio toleraretur. Hæc conjectura desumpta est ex S. Hieronymo in cap. 6. vers. 13. hujus Epistolæ [1] & sane nihil habet, quod a veritatis specie abhorreat.

℣. 4. EVACUATI ESTIS A CHRISTO, QUI IN LEGE JUSTIFICAMINI.] Si putatis, vos a Lege justos fieri posse, JESUS CHRISTUS vobis inutilis est; illius gratiam quodammodo abdicatis: nihil est, quod amplius ab illo expectetis. Jam vos suos discipolos non agnoscit, atque tamquam infidelem sponsam dimittit. Græcus verti potest [2]: *JESUS CHRISTUS factus est vobis inutilis* [3]: jamjam Religionem ejus tamquam supervacaneam existimatis, neque satis patet, quæ vobis afferat justitiam.

℣. 5. NON ENIM SPIRITU EX FIDE.] Nos CHRISTI fideles justitiam nostram, neque ex Lege, neque ex operibus præstolamur, sed ex fide, & ex Spiritu Sancto. Spiritus Sanctus in nobis hanc inserit confidentiam, propter quam clamamus, Abba, Pater, & Cœlum tamquam hæreditatem nostram respicimus: dummodo tamen ex hoc Spiritu Sancto vivamus, & fidem viventem, atque activam in Christianarum virtutum exercitatione servemus; *Fide spem justitiæ expectamus*, positum est, pro *expectamus mercedem justitiæ speratam* [1].

℣. 6. NAM IN CHRISTO JESU, NEQUE CIRCUMCISIO ALIQUID VALET, NEQUE PRÆPUTIUM.] Hæc ad salutem minime prosunt, atque in nullo discrimine sunt in JESU CHRISTI Religione, *in CHRISTO*. Circumcisio, atque Legis cæremoniæ justitiam non conferunt; Incircumcisio hanc non excludit. Illud vero, quod nos justos efficit, est *fides, quæ per charitatem operatur*. Hæc est explicatio eorum, quæ S. Paulus toties ait, Justum ex fide vivere, fidem & justitiam conferre: hoc enim intelligendum est de fide, quæ a charitate fovetur, vel perficitur, vel quæ per charitatem operatur; nam Græcus utique utrumque significat [4], & uterque sensus inter se minime differunt. *Fides hic*, quemadmodum Grotius animadvertit [5], *spem etiam comprehendit; quibus si accedat dilectio operans, nihil desideratur amplius ad obtinendam salutem æternam*. Hæc autem in loco fides, quæ per charitatem operatur, idem est ac illud, quod sequ. cap. appellat ℣. 15. *Novam creaturam*, vel essentiam novam, quam in nobis creavit Deus; atque illud, quod 1. ad Cor. 7. 19. inquit: *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est; sed observatio mandatorum Dei*, hoc est Legis Evangelicæ. In hoc tota vertitur CHRISTI Religio: credere, amare, operari.

℣. 7. CURREBATIS BENE; QUIS VOS IMPEDIVIT [6]?] Hæc postrema verba: *quis vos impedivit veritati non obedire*, apud S. Chrysostomum, Tertullianum, Hieronymum, Ambrosiastrum, non inveniuntur. Animadvertit tamen S. Hieronymus, ea in Græcis exemplaribus extitisse. Græci quidam, & Latini libri addunt: *nemini consenseritis* [7]; ne vobis ab aliquo verba dari permittite, pseudo-Apostolos, falsosque Doctores non audite.

℣. 8. PERSUASIO HÆC [8] NON EST EX EO, QUI VOCAT VOS.] Non Deus, neque Spiritus ejus hanc mentem vobis injecit, ut Moysis Legem amplecteremini; nos hujusmodi sensus numquam vobis suggessimus; undenam ergo fluere potuerunt, nisi ex inimico vestro, & ex supposititiis Doctoribus, qui hoc unum quærunt, ut vos a veritate dimoveant? Vetera quædam exemplaria [9] legunt sine negatione. *Persuasio hæc numquid ex eo est, qui vocat vos?* At sensus semper est idem, ubi apposita interrogatione legatur.

℣. 9. MODICUM FERMENTUM TOTAM MASSAM CORRUMPIT.] Adagium erat apud Hebræos modico fermento totam massam, cui adspersum erat diebus Paschatis, immundam fieri, quippe hoc tridon populus a fermentato abstinere debebat. Idem loquendi genus occurrit etiam in 1. Epistola ad Corinth. 5. 6. Græcos typis editus legit: *Modicum fermentum totam massam fermentat*, quam plurimi Interpretes [10] veram hujus loci loquendi rationem esse duxerunt. Sed alia exemplaria Vulgatæ similia sunt, & legunt [11]: *modicum fermentum totam massam corrumpit*, vel polluit, quæ quidem lectio nobis multo melior videtur, juxta eam explicationem, quam ab initio tradidimus.

℣. 10. CONFIDO IN VOBIS IN DOMINO, QUOD NIHIL ALIUD SAPIETIS.] Nisi quod ipse vos docui, nempe veritatem. Nescio, utrum fermenti allegoriam persequatur. Spero futurum, ut non redoleatis amplius vetus fermentum, sed vobis curæ futurum, ne ab illo mundemini, ejusdem vel minimam partem, quæ vos polluere posset, procul a vobis abjicientes. Confer 1. Cor. cap. 5. ℣. 6. 7. *Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille*. Meminit S. Hieronymus nonnullorum asserentium, ab Apostolo isthic S. Petrum indigitari, quasi auctor fuisset, vel occasio tumultus in Ecclesia Galatiæ: sed hæc sententia omni prorsus caret fundamento. Licet etiam pseudo-Apostoli auctoritatem sibi aucupati fuissent, S. Petri nomen præseferentes, qui Legis, & Evangelii observationem simul conjungebant, non inde sequeretur, S. Petrum nequitiæ eorum, & tumultus, quem in Gentilium conversorum Ecclesiis ciebat, fuisse participem. Fidei magis consentaneum est, hoc in loco illi rem esse cum maximo facinorosis e numero pseudo-Apostolorum, vel cum seditiosissimis Galatarum, quorum nomina prudentiæ ergo non adfert.

℣. 11. SI CIRCUMCISIONEM ADHUC PRÆDICO &c.] Vel potius, si circumcisionis, atque Legis Mosaicæ necessitatem prædicare vellem, numquid tot mihi a Judæis conflarentur persequutiones? *ergo evacuatum est scandalum Crucis*. Judæi, JESU CHRISTI Crucem tamquam scandalum respiciebant [12]: nihil eo magis absterrebat a Religione Christiana, quam quod audiebant Messiam crucifixum, humiliatum, atque contemptum prædicari, cum triumphantem, magnificum, atque potentem liberatorem præstolarentur &c. Si prædicarem Judaicam, atque Christianam Religionem simul consociari posse, quam primum Judæi exuerent animum illum aversum, quem in nos, & in JESUM CHRISTUM induerunt. Crux non esset amplius tamquam obex prope invictus eorum conversioni; haud ægre JESUM CHRISTUM Deum confiterentur, dummodo Legis cæremoniæ minime antiquarentur [13].

℣. 12. UTINAM & ABSCINDANTUR, QUI VOS CONTURBANT.] Quidam hoc [14] de excommunicationis abscissione putant intelligendum. Mortales hujusmodi Christianorum nomine indigni sunt, nec sunt in Ecclesia retinendi. Opus esset, ut illi, apud quos commorantur, eosdem haberent tamquam excommunicatos, & velut eos, de quibus in veteri Testamento [15] dictum est, peri-

1 Κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. 2 Hieronym. hic, Erasm. Vatab. Pagn. Est. Tig. &c.
3 Est. Grot. Gomar. Menoch. alii. 4 Ἀλλὰ πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη.
5 Grot. hic. *Fides hic spem etiam comprehendit, quibus si accedat dilectio operans, nihil desideratur amplius ad obtinendam salutem æternam, &c.* 6 Græc. Τίς ὑμᾶς ἀνέκοψε. Alii: ἐνέκοψε.
7 Μηδενὶ πείθεσθε. Boerner. Ita Hieronym. Calarit. Ambrosiast. Hieronymiaster. Vide Mill. hic.
8 Quidam: *Persuasio vestra*. Syr. Calarit. August. Ambr. Codd. quidam, teste Hieronymo.
9 Claromont. G. L. S. Germ. Lin. Cor. 1. Vieno. Calarit. quid. codd. apud Hieronym. hic.
10 Hieronym. alii plures. 11 Μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα δολοῖ. Ita Germ. Claromont. Calarit. Constit. Apost. lib. 2. cap. 17. Ambrosiast. Hieronymiast. Vide ad 1. Cor. 5. 6.
12 1. Corinth. 1. 18. 23. *Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*. 13 Vide Est. Menoch. Grot. Theodoret. alios.
14 Erasm. Est. Hamm. Gemat. Paræ. Pisc. Menoch. Martianay, Ben.
15 Gen. 17. 14. Exod. 12. 15. 30. 33. & passim.

prribons de papalo fuo, five per excommunicationem, A
five per corporis morrem. Alii [1] hoc de reali mutilatione, atque rurali amputatione interpretantur. Hi pfeudo-Apostoli, qui rantopere sdnituntur, ut vos circumcifionem fubeatis: utinam ipsi plus quam illi circumdantur. Hæc imprecationis fpecies est, vel potius comminationis,& prædictionis malorum, quæ pfeudo-Apostolis erant eventora [2]. Postremus hic fenfus Antiquis maxime placuit.

℣. 13. VOS ENIM IN LIBERTATEM VOCETI ESTIS.] Christiana Religio ftatus est libertatis, ubi confertur cum jugo cæremonialium religionum. Verum non ea JESU CHRISTI fuit mens, ut nobis licentiam, atque noniam libertatem conferret, quæ nostræ faloti obeffes, neque nobis opera carnis perioirteret, quæ deinde recenset. *Tantum ne libertatem in occafionem detis* B;
carnis. Neque s charitate ergs proximum, neque a moralium virtutum obfervantia liberati estis; immo tradidit vobis Deus confilia perfectionis toto Cœlo majora, quam quidlibet Lex Moyfis præciperet; & petit, ut hæc omnia libere, atque libenter, non eurem in fpiritu fervitutis, quemadmodum Judæi vos obfervetis.

SED PER CHARITATEM SERVITE INVICEM.] Ab omni affectu pravo vacui estote, peccati jugum excurite, legalibus cæremoniis vosmet non lubmittire; verum ne abnuite, fervos esse Dei, atque proximi vestri per charitatem. Hac fervitus cuilibet fœlicissimæ libertati est præferende; nemo enim gloriofior liber esse poteft, quam qui ire fervus eft.

℣. 14. OMNIS LEX IN UNO SERMONE IMPLETUR.] C
Leges omnes naturales, morales, & pofitivæ, quæ proximum refpiciunt in charitatis, quæ illi debetur, Lege continetur. *Qui diligit proximum, Legem implevit*, S. Paulus ait ad Romanos 13. 8. Dominus noster Matth. 22. 39. docet, in duobus præceptis amoris Dei, atque proximi omnem Legem esse pofitam; & Matth. 7. 12. dicit, in hoc Legem, atque Prophetas confiftere, ut aliis ea præstemus, quæ nobis fieri maxime cuperemus.

℣. 15. QUOD SI INVICEM MORDETIS, & COMEDITIS [3].] Hinc videntur, non defuisse apud Galatas odia; fa ipsos mordebant dicteriis, atque calumniis; fe fe devorabant odiis, contemptionibus, certaminibus. *Videte, ne ab invicem confumamini*; odia enim, obtrectationes, contentiones, ut plurimum cum charitatis jactura, pietatis interitu, familiarum excidio, D
& falutis detrimento definunt. Hæc inter Galatas diffidia adventus novorum Doctorum fortaffe fuccenderat.

℣. 16. SPIRITU AMBULATE, & DESIDERIA CARNIS NON PERFICIETIS.] Ambulate fpiritu, fecundum Evangelium vivere, libertatem Evangelicam tueri, & vivere ex fide, unum & idem fignificant. *Desideria carnis perficere*, fecundum carnem ambulare, Legis fervituti fubjici, veterem hominem induere, concupifcentiæ ftudia fequi, hæ omnes loquutiones, aliæque plures Scripturarum, atque Patrum confuetudine confecratæ unum & ipsæ, ac idem fignificans. Earum autem fufiorem explicationem videbimus infra ℣℣. 19. 20. 21. ubi S. Paulus carnis opera, & ℣℣. 22. 23. ubi opera fpiritus enumerat.

℣. 17. CARO CONCUPISCIT ADVERSUS SPIRITUM.] Hoc in loco, & iis, quæ fubfequuntur, caro, & fpiritus duo omnium nostrarum moralium actionum principia fignificant [4]. Caro, vel concupifcentiæ principium est malarum actionum: Spiritus vero, vel interior gratiæ motus bonarum actionum nostrarum est principium. Duo hæc principia jugiter mutuo adverfantur, ita ut *non quæcumque vultis, ita faciatis*, atque fentiatis, ut ad Rom. 7. 23. est in membris vestris Legem adverfus Legem fpiritus depræliantem, & efficientem, ut clametis: væ mihi, quis me de mortis hujus corpore liberabit? Sancti ipsi, donec in hac vita funt, has contradictiones, & hæc prælia experiuntur [5]: boni quidem concupifcentiæ motibus refiftunt, & hæc victoria illis merito adfcribitur. Impii vero fe fe iis dedunt, atque fuccumbunt; unque ipforum calamitatis origo eft. Damnum horum motuum impetfio, nullam homini vim infert, & ejus libertatem minime lædit; quoniam Deo favente femper refiftere poteft concupifcentiæ, & gratiæ illecebras non fequitur, nisi ex electione prorfus liberæ voluntaris, quæ prudenter hoc confilium amplectitur.

℣. 18. QUOD SI SPIRITU DUCIMINI, NON ESTIS SUB LEGE.] Lex Moyfis minime conferebat Spiritum Sanctum, neque gratiam ad bonum exercendum neceffariam [a]: & fi qui Veteres Patriarchæ, vel Prophetæ, qui ante Legem vixerunt, participes fuere gratiæ Spiritus Sancti; eorum numerus cum fidelibus collatus, qui omnes eamdem in baptifmate receperunt, maxime tenuis eft: ad hæc Veteres illam non receperunt, nisi quatenus membra fœderis novi, ad quod jam per fidem fuam pertinebant. Igitur fi Galatæ Spiritu Sancto erant afflati; fi illum in baptifmate receperant; fi Ipiritualium donorum ejus participes fuerant; hoc fignum erat, illos fub Lege non esse, sed Evangelium perfinere, & Legem illis non prodesse; ideoque perperam fe fe illi fubjicere voluiffe.

℣. 19. OPERA CARNIS, QUÆ SUNT FORNICATIO [7].] Caro eo in fenfu, quem diximus, nos in quodlibet criminum, & flagitiorum genus pertrahit. Eorum magnam isthic recenfionem contexit Apostolus, quæ etiam augeri poffet; nullum quippe malum eft, quod ex concupifcentia originem non ducat.

℣. 21. PRÆDICO, SICUT PRÆDIXI.] Non videmus hac in Epistola Apostolum ea illis dixiffe, quæ hic profitetur, fed hoc illis dixiffe poterat, cum apud eos prædicabat [8]. Illi ergo omnes, qui pravis cordis fui cupiditatibus fe fe abripi finunt, & concupifcentiæ ftudia fequuntur, æterna carebunt beatitudine, quamvis etiam opera illa non abfolviffent, quorum confilium jam injerant; nisi falutari pœnitentia justitiæ Dei fatisfecerint.

℣. 22. FRUCTUS SPIRITUS] Sancti, gratiæ, actiones, ad quos Dei Spiritu impellimur, funt charitas, &c. *benignitas, bonitas, longanimitas, manfuetudo*. En quatuor bis virtutibus in Græco tres tantummodo leguntur [9]: patientia, benignitas, bonitas; & pro *modeftia, continentia, caftitate*, in Græco [10] fuavitas, & *continentia* memorantur. Attamen Patres complures, & nonnulli etiam veteres Manufcripti addunt *caftitatem* [11].

ADVER-

---

1 Ambrofiast. Augustin. Chryfostom. hic. Theophylact. Oecumen. Theodoret. Cajet. Grot. *Quandoquidem illis in pellicula abfcifsa ita gloriantur, utinam illis abfcindatur infuper totum feminale membrum, quo magis triumphent*. Hieronym. *Si putant fibi hoc prodeffe, non folum circumcidantur; fed etiam abfcindantur; fi enim expoliatio membri proficit, multo magis abolitio*.

2 Vide Hieronym. Est. Cajet. 3 Alii: *Invicem mordetis, & accufatis*. Clarom. & Germac. L. vel, *incufatis*, Cyprian. non femel: *criminatis*. Ambrofiast. *caufamini inimicitiam* Gest. Purgat. Ceciliani, & Felicis tom. 1. Concil. pag. 1446. 4 Theodoret. 5 Vide Concil. Tridene. fess. 5. & 6. & Augustin. passim. D. Thom. Cajet. Est. hic. 6 Augustin. fermon. 152. num. 5. *Lex minari novit, non fubvenire, jubere novit, non juvare*. Et ferm. 251. num. 6. & paffim.

7 Græcut addit *μοιχεία*, *adulterium*; at vox hæc in pluribus veteribus defideratur. Et verf. 21. *φθόνοι*, *invidiæ*, deeft pariter in S. Epiphanio, & Theodoreto, & *φόνοι*, *homicidia*, in pluribus aliis. Vide Mill.

8 Idem fere dixit 1. Cor. 6. 9. 10. Theodoretus putat eu illam in loco refpicere. Sed nos cenfemus, hanc Epistolam fuiffe fcriptam ente illam ad Corinthios.

9 Μακροθυμία, χρηστότης, ἀγαθωσύνη. 10 Πραότης, ἐγκράτεια.

11 Ἁγνείαν. Addunt Clarom. & Germau. & Bosnes. GG. LL. Iren. lib. 5. cap. 11. Ambrofiast. Cyprian. lib. 3, ad Quirin. §. 64. Hieronymisft.

℣. 23. ADVERSUS HUJUSMODI NON EST LEX.] Cum Lex propter prævaricationes tantum irrogata fuerit, quemadmodum supra c. 13. 19. dictum est, cumque contra justos fuerit instituta, quemadmodum ille ait ad Timotheum [1], haud difficile intelligi potest, Legem nihil posse contra eos, qui Spiritus Sancti motus tantum sequuntur, & ea tantum opera efficiunt, ad quæ facienda ab illo inspirantur; ideoque immerito velle Galatas, *Legalibus* cæremoniis se se submittere, quæ nec pro illis, nec contra illos aliquid possunt; quæ neque comminari, neque auxiliari, neque remunerari valent.

℣. 24. QUI AUTEM SUNT CHRISTI, CARNEM SUAM CRUCIFIXERUNT [2].] Veri JESU CHRISTI Discipuli, quin concupiscentiæ motus sequantur, & faciant opera carnis, de quibus sermo fuit, hanc eamdem carnem cum affectibus ejus crucifigunt; eam coercent, eique perenne bellum indicunt. Cum mortui sint, & sepulti cum JESU CHRISTO per baptismum, non vivunt amplius nisi per illum, nonnisi spiritu illius animantur, ejus amore, & gratia replentur. Non cogitant amplius de Lege, quæ per se nonnisi tot mancipia efficere potuit. Ita ℣. 25. o Galatæ, *si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus*. Evangelium, non legem sequamur [3], ne ab originis nostræ gloria degeneremur. Non contristemus peccatis nostris Spiritum Sanctum inhabitantem in nobis [4].

℣. 26. NON EFFICIAMUR INANIS GLORIÆ CUPIDI.] Credunt, S. Paulum loqui ad pseudo Apostolos, qui jactantiæ spiritu animati erant, & qui existimationem augere studebant, S. Pauli nomini officientes [5]; immo, & ad nonnullos etiam Galatarum, qui cum Fratribus suis vel simultates fovebant, vel contentiones. Verum Ecclesiæ illius status non satis nobis exploratus est, ut certius aliquid afferre possimus.

1 1. Timoth. 9. Vide Theodoret. hic. Vatab. Est. Grot.
2 Origenes teste S. Hieronymo in hunc locum, hæc præcedentibus, *non est Lex adversus eos, qui crucifixerunt carnem suam*. Ambrosiaster accipit *Christi* in plurali, pro *Christum*.
3 Theodoret.
4 Ephes. 4. 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis.*
5 Theophylact. Confer Galat. 6. 13.

CAPUT VI.

Moralia præcepta. Peccatores monendi. Alii alios mutuo pati debemus. Tenemur victum iis præbere, a quibus erudimur. Falsi Doctores evitandi. Eorum character. Neque Circumcisio, neque incircumcisio prosunt.

1. FRatres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. 2 Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. 3 Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. 4 Opus autem suum probet unusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero. 5 Unusquisque enim onus suum portabit. 6 Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis. 7 Nolite errare: Deus non irridetur. 8 Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam, qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. 9 Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. 10 Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. 11 Videte, qualibus litteris scripsi vobis mea manu. 12 Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum, ut crucis Christi persecutionem non patiantur. 13 Neque enim, qui circumciduntur, legem custodiunt: sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. 14 Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. 15 In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. 16 Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. 17 De cætero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. 18 Gratia Domini nostri Jesu Christi, cum spiritu vestro, fratres. Amen.

℣. 1. ET SI PRÆOCCUPATUS FUERIT HOMO IN ALIQUO DELICTO.] S. Paulus in hoc capite pergit hortari Galatas ad concordiam, atque ad ea mala reparanda, quæ apud illos pseudo-Apostolorum prædicatio pepererat. Perniciosissimus effectus, quem ibi produxerat, erat dissensio: cum alii quidem eorum sermonibus aures, animumque præbuissent, alii vero fuissent adversati. Hic igitur eos hortatur, ut cum charitate mutuo alii alios patiantur. Si quidam per nimiam infirmitatem, seu propter cæcam indulgentiam, & credulitatem erga pseudo-Apostolos [1], sive alia quapiam de can-

1 Hieronym. alii.

de causa, in errorem aliquem ceciderunt; *qui spirituales sunt*, hoc est Sacerdotes, Ecclesiæ capita, qui magis eruditi sunt, & in virtute confirmati; vel illi etiam ex fidelibus simplicibus, qui præ cæteris majus lumen habent, sapientiam, & vim, illos *instruant* [1], ad officium revocent *in spiritu lenitatis*, & charitatis, sine acrimonia, & sine superbia [2]; *considerantes seipsos, ne & ipsi tententur*. Qui enim fortior est, metuere debet, ne & ipse labatur [3]. *Qui stat, videat, ne cadat*, & homo semper lapsum suum timere debet, atque suæ infirmitati diffidere [4]. *Homo sum, humani nihil a me alienum puto*. Namque [5] *nullum est peccatum, quod facit homo, quod non possit facere & alter homo, si desit Rector, a quo factus est homo*. Pro his verbis; *considerans te ipsum, ne & tu tenteris*: Veteres quidam MSS. legunt [6]: *Considerans unusquisque seipsum, ne & ipsi tentemur*.

℣. 2. ALTER ALTERIUS ONERA PORTATE, & SIC ADIMPLEBITIS &c. [7]] Quilibet vestrum suas habet spirituales infirmitates, atque indiget, ut sibi Fratres indulgeant [8]; ergo ex animo aliis, quod sibimetipsi minime tenui vellet, indulgeat: Horatius l. 1. Satyr. 3.

. . . . . *Æquum est*

Peccatis veniam poscentem reddere rursus.

℣. 3. SI QUIS SE EXISTIMAT ALIQUID ESSE CUM NIHIL SIT, IPSE SE SEDUCIT.] Græcus, & Latinus duos hosce afferunt sensus. Si quis existimat aliquid esse, decipit seipsum; quoniam nihil est: vel decipit seipsum, cum nihil sit. Homo ex se nihil habet, nisi peccatum, infirmitatem, mendacium [9]. Cur ergo sese supra fratrem suum attollere conatur, quandoquidem æquo ac ille est infirmus? Umquam ne duo cæci cæcitatem mutuo sibi exprobrant, atque alter alteri oculorum acie præstare contendit? Quo magis superbus est, eo magis pauper, atque miseratione dignus [10].

℣. 4. OPUS AUTEM SUUM PROBET UNUSQUISQUE.] Vis ne solidam gloriandi occasionem habere? te ipsum diligentius excute, tuum vivendi genus considera; appende actiones tuas in statera Sanctuarii, & in oculis Dei confer illas cum Legibus Evangelii; atque tunc, si audes, vel si vales, gloriare. Quod si Divina suffultus gratia vitam ita traducere potuisti, ut ex conscientiæ tuæ testimonio voluptate quadam perfundaris: *gloria nostra hæc, testimonium conscientiæ nostræ*, 2. Cor. 1. 12. tunc omnem gloriam Deo teset accepeam, neque intumescas, videns alios, vel te minus felices, vel te nocentiores. Fratris sui infirmitas non auget vires tuas: & si quid bonum habes, hoc a Deo obtinuisti: non igitur in temetipso glorieris: *Quid enim habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1. Cor. 4. 7.

℣. 5. UNUSQUISQUE ENIM ONUS SUUM PORTABIT.] Et juxta ea, quæ bene, vel quæ male [11] fecerit, judicabitur; metet unusquisque, quod severit [12]. Ratio ex te quæretur non eorum, quæ fecerit frater tuus, sed quæ tu ipse fecisti. Tu ipse tecum, non cum aliis comparaberis: Alienum scelus tuum non imminuet.

℣. 6. COMMUNICET AUTEM, QUI CATHECHIZATUR VERBO [13].] Qui verbo, vel Doctrinæ Evangelii eruditur, ex bonis suis opem afferat erudienti. Hoc no-

A vum est documentum. Verebatur Apostolus fortasse ne quod contra falsos Doctores dixerat, efficeret, ut Galatæ contemnerent, vel desererent eos, qui apud ipsos fideliter, atque utiliter in opus salutis laborabant; præcipit ergo, ut illos temporalium bonorum participes faciant, quemadmodum ab illis scientiæ salutis participes fiunt [14]: illud vero large, effuseque, & summa cum liberalitate perficiant, *in omnibus bonis*. Cum supernaturalia fidei, & doctrinæ dona tanto habentur in pretio, quanto opus est; non satis umquam pares referri gratias ducimus illis, quorum opera utitur Deus, ut nobis hæc bona communicet.

Quidam hoc ita explicant [15]: qui eruditur in fide, Præceptori suo se similem præbeat in iis omnibus, quæ ille bene operatur, monita ejus bibulis auribus perci-

B piat, ex iisdem fructum quærat; at caveat, ne pravis imbuatur sententiis, quas sibi audiet venditari. Si hic Judæus est, Hæreticus, pseudo-Apostolus, caveat ille, ne in hujus errores illectus cadat. Sed prior sensus unus est, quem isthic sequi debeamus.

℣. 7. NOLITE ERRARE, DEUS NON IRRIDETUR.] Loquitur ad avaros, qui varias prætexentes causas victum Præceptoribus suis renuebant. Excusationes vestræ ab ira Dei vos minime tuebuntur. *Excusatio verisimilis hominem potest utcumque placare, Deum non potest fallere*, S. Hieronymus inquit [16].

℣. 8. QUÆ ENIM SEMINAVERIT HOMO, HÆC ET METET.] Ne credatis, jacturam fecisse eorum, quæ spiritualibus Magistris tribueritis; hoc semen est in fertili solo positum, quod fructum afferet centuplum.

C Pro magnitudine eorum bonorum, quæ sevistis, ita metetis [17]: *qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Nam *qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*. Videmus isthic, non secus ac in cap. 5. Spiritum, & carnem tamquam duo operationum nostrarum principia. Caro producit corruptionem, peccatum, mortem; Spiritus vitam, atque æternam felicitatem. Si feceritis opera carnis memorata superius cap. 5. ℣. ℣. 19. 20. 21. hæc vobis erunt semen mortis, & corruptionis. Sin autem opera Spiritus ℣. ℣. 22. 23. hæc vobis vitam æternam producent.

℣. 9. BONUM AUTEM FACIENTES, NON DEFICIAMUS.] Ne fatigemur bona opera serere, operationes

D Spiritus producere. Si enim non defecerimus, *tempore suo metemus* [18]. Constantia, & perseverantia opus est; at propositæ mercedis magnitudo nonne eas satis, superque meretur? S. Joannes Chrysostomus hoc aliter intelligit: *ne fatigemur bonum operantes; in tempore enim suo metemus, quia fatigemur*. Agricola non in agris colendis solum, verum etiam in messe eadem fatigatur: hic vero messis sine ullo labore peragetur.

℣. 10. DUM TEMPUS HABEMUS, OPEREMUR [19] BONUM AD OMNES, MAXIME AUTEM AD DOMESTICOS FIDEI.] Donec in hac vita sumus, atque serendi tempus nondum abiit; nam pauperes semper habetis vobiscum, Dominus ait, Joann. 12. 8. *operemur bonum*

E *ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei*, & qui æque ac nos sunt membra Ecclesiæ, & adoptivi filii Patris Cœlestis. Hi procul dubio merentur, ut in eleemosynarum nostrarum distributione cæteris præferantur,

1 Καταρτίζετε τὸν τοιοῦτον: *Instaurate, reficite, restituite*. Ambrosiaster: *Humiliate*. Theodoret. Διορθοῦσθε, θεραπεύετε, τὸ ὀλισθῆσαν ἀναμάξατε. 2 Hieronym. *Ubi peccator intelligens vulnus suum, tradit medico se curandum, ibi non est virga necessaria, sed spiritus lenitatis*.
3 1. Cor. 10. 12. 4 Terent. Heauton. timorumen. Act. 1. Scen. 1.
5 August. serm. 93. nov. Edit. cap. 6. num. 6. Theodoret. 6 Clarom. S. German. Bornes. Latt. Cyprian. *In contemplatione habentes unusquisque, ne etiam vos tentemini*.
7 Græc. Καὶ οὕτως ἀναπληρώσατε: *Et sic adimplete*. Alii: Ἀναπληρώσετε: *Adimplebitis*. Ita plerique Antiqui. Vide Mill. 8 Theodoret. 9 August. de Doctr. Christ. prolog. num. 8. & serm. 31. nov. Edit. num. 20 & serm. 177. cap. 6. &c. 10 Theod. Vide Est. Grot. Menoch.
11 Psalm. 61. 12. Jerem. 17. 10. Matth. 16. 27. 12 Infra vers. 7.
13 Græc. Ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον: *Qui catechizatur verbum*. 14 Chrysostom.
15 Ambrosiast. Hieronym. ult. loco D. Thom. Lyran. 16 Hieronym. Est. Paræ. Gomat.
17 2. Corinth. 9. 6. Vide & Theodoret. 18 Οὐκ ἐκλυόμενοι. Theodor. Augustin. & Ambrosiaster: *Infatigabiles*. 19 Ἐργαζώμεθα: *Operemur*. Alii Ἐργαζόμεθα: *Operabimur*. Alexand. Occum. alii.

'eut, verum neque alieni negligendi sunt. Imitemur Patris Cœlestis misericordiam, *qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos*, Matth. 5. 45. *Perfecta liberalitas*, inquit S. Ambrosius l. 1. Offic. cap. 3. *fide, causa, loco, tempore commendatur, ut primum operetur circa domesticos fidei*.

℣. 11. VIDETE, QUALIBUS LITTERIS SCRIPSI VOBIS MANU MEA.] Hic locus varie explicatur. S. Chrysostomus ait, hæc verba innuere, S. Paulum, qui Epistolas suas numquam scribere, sed illas amanuensi dictare, eisque subscriptionem dumtaxat propria manu addere consueverat, a capite ad calcem scripsisse, quod præclarum erat amoris sui, quo Galatas prosequebatur, argumentum. Quod ait, *videte, quibus litteris*, non earum magnitudinem tantum, quam characterum deformitatem innuere mihi videtur; quasi diceret, licet ipse neque scribere posset, ad eos tamen manu propria scripsisse, ut os pseudo-Apostolis obstrueret. Theophylactus de more suo D. Chrysostomum exscripsit. Credit Theodoretus, non secus ac S. Chrysostomus, Apostolum manu sua totam hanc Epistolam scripsisse; at non disceptet, utrum Græca vox, quam alii de inconcinne scriptione intelligunt, hanc proprie, an majores lineas, majoresque litteras significet.

Non credit S. Hieronymus, ab Apostolo universam hane Epistolam scriptam fuisse, sed ea solum, quæ ab hoc versiculo ad finem usque leguntur; nam addit ille; cum sciret Paulus, falsos Doctores nonnumquam Epistolas nomine suo conscribere, (quemadmodum Apostolus monet 2. ad Thessalonicenses c. 2. *rogamus fratres, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per Spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tamquam per nos missam*) Epistolas suas propria manu subscribere consueverat, ne aliquis deciperetur. Hoc autem liquet ex 1. ad Cor. 16. 21. secunda ad Thessalon. 3. 17. illa ad Colossenses 4. 18. & hac etiam ad Galatas. Cum ergo ait, *videte, quibus litteris*, non significat ingentes literarum ductus, vel magnos characteres; sed manum meam, characterem meum, quem bene nostis, considerate.

Pergit S. Hieronymus: miror equidem, quod vir quidam nostri hujus ævi, alioquin non illiteratus, neque rudis, hoc in loco rem prorsus ridiculam attulerit. Credit, S. Paulum, qui Hebræus erat, & qui Græce scribere ignorabat, cum tamen ad Galatas vellet propria manu scribere, *contra consuetudinem curvos tramites litterarum vix magnis apicibus expressisse*, atque deinde hoc in loco se se excusasse, *etiam in hoc suæ ad Galatas indicia charitatis ostendentem, quod propter illos id quoque, quod non poterat, facile conaretur*. Nonnulli putarunt, a S. Hieronymo isthic D. Chrysostomum tacito nomine indigitari: verum hac de re judicium esto penes lectores, qui superius hunc in locum S. Chrysostomi sententiam, & verba videre potuerunt.

Recentiores quidam Critici [2] totum intelligunt, non de characterum magnitudine, sed de Epistolæ prolixitate, licet hæc multo minor sit, quam illæ, quas ad Romanos, & Corinthios conscripsit. Sed credamus, illas vel nondum scriptas fuisse, vel saltem Galatis adhuc fuisse ignotas. Demum hæc satis prolixa est, atque simplicis Epistolæ fines videtur excedere, præsertim vero cum ab eo scripta fuerit, qui fortasse non adeo facile propria manu scribebat. Credunt alii [5] cum S. Hieronymo, Apostolum scripsisse tantum postremos hujus Epistulæ versiculos, atque operæ pretium fore, eosdem majoribus characteribus, quam reliquam Epistolæ partem imprimere, non secus ac locos alios, qui manu illius scripti fuerunt.

℣. 12. QUICUMQUE VOLUNT PLACERE IN CARNE, HI COGUNT VOS CIRCUMCIDI.] Pseudo-Apostoli, qui apud Judæos fratres suos gloriam sibi comparare enituntur, quod vos coegerint, ut legales cœremonias amplecteremini, non adeo solliciti sunt, ut ad Circumcisionem recipiendam vos cogant, nisi ut persecutionem evitent, & ne Judæos lacessant, qui cœremonias suas antiquari, ferre non possunt. Ne credatis, illos agi vestræ salutis zelo, aut veritatis amore, aut JESU CHRISTI gloria; vanitas, atque sui metipsorum amor illos impellit. Volunt *in carne vestra gloriari* ℣. 13. hoc est, gloriam inde aucupantur, quod vos Circumcisioni submittant; ignavus, turpisque timor vetat, ne & illi, uti nos, JESU CHRISTI Crucem, ac fidei virtutem prædicent, videlicet ne Crucis CHRISTI persecutionem patiantur.

Christiani Judæorum, atque Ethnicorum persequutionibus obnoxii; Judæorum quidem, quatenus legales cœremonias abrogabant, & Messiam venerabantur, quem Patres eorum crucifixerant: Ethnicorum vero, quatenus novam Religionem contra Leges eorum invehebant. Pseudo-Apostoli proprie, neque Judæi erant, neque CHRISTI fideles, neque Ethnici; Legalium cœremoniarum necessitatem asserebant, atque hac ratione Judæorum, quorum Legem exercebant, persecutionem vitabant. Vitabant quoque & Gentilium, quandoquidem sequebantur Religionem Judæorum, in Imperio Romano approbatam [4]. Ut sibi auctoritatem apud Judæos conciliarent, prædicabant Circumcisionis necessitatem, atque turbas ciebant in omnibus conversorum Gentilium Ecclesiis, serentes hæc nova sanæ Apostolorum doctrinæ prorsus opposita.

℣. 13. NEQUE QUI CIRCUMCIDUNTUR, LEGEM CUSTODIUNT.] Hi pseudo-Apostoli Moysis legem minime observant: cum adeo absint a Templo, atque terra Israel; Templo interesse, Sacrificia offerre, a sordibus se se expiare, quemadmodum in Lege præcipitur, minime possunt [6]. Inanem ergo causam prætexunt, cum asserunt hanc necessitatem, cœremonias a Moyse præscriptas servandi. Volunt, merito sibi verti obedientiam vestram, ut interim persecutionem effugiant. Hæc eorum mens, hic scopus.

Verum hoc mea quidem sententia de fidelibus intelligi potest, qui per nimiam imbecillitatem se circumcidi patiebantur: pseudo enim Apostolos supponimus jam Judæos fuisse ex origine; ideoque cum jam septimo post nativitatem suam die circumcisi fuerint, ad illos hæc verba referri nequeunt: *neque qui circumciduntur, Legem custodiunt*. Hæc est igitur S. Pauli ratiocinatio. Non Mosaicæ Legis zelo hi falsi Doctores impelluntur; quod si verum esset, efficerent, ut omnes cœremoniæ a proselytis suis servarentur. At constat, neque has ab illis observari, neque observari posse: immo neque absolute vos in easdem student impellere; sufficit illis, Circumcisionem, quam tantum prædicant, ab eis recipi, non ut Legem observent, sed ut persecutionem effugiant.

℣. 14. MIHI AUTEM ABSIT GLORIARI, NISI IN CRUCE DOMINI NOSTRI.] Glorientur quidem pseudo Apostoli ob magnum proselytorum suorum numerum, & hoc sibi gloriæ vertant, quod vos in circumcisionem impulerint: ego quidem ob id unum glorior, quod prædico JESUM CHRISTUM, & hunc Crucifixum, *Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*, 1. Cor. 1. 23. Mini-

2 Var. Camer. Erasm. Cajet. Est. Men. Bez. Le Clerc.
3 [illegible]. Chrysost. [illegible].
4 Hieronym. hic. *Cajus Cæsar, Augustus, & Tiberius Leges promulgaverant, ut Judæi, qui erant in toto Imperii Romani orbe dispersi, proprio ritu viverent, & patriis cæremoniis deservirent. Quicumque igitur circumcisus erat, licet in Christum crederet, quasi Judæus habebatur a Gentibus. Qui vero absque circumcisione se non esse Judæum praeputio praeferebat, persecutionibus tam Gentilium, quam Judæorum fiebat obnoxius. Has igitur persecutiones hi, qui Galatas depravaverant, declinare cupientes, circumcisionem pro defensione Discipulis persuadebant. Nam nec Judæi persequi eos poterant, nec Gentiles, quos videbant, & proselytos circumcidere, & ipsos Legis præcepta servare*. Vide & August. in Gal. num. 62.
5 Hieronym. Theodoret. alii.
6 Grot. in hunc locum.

Minime vereor vel Ethnicorum persecutiones, vel Judæorum odium, & probra; glorior tantum in Cruce Salvatoris mei, & in iis malis, quæ propter illam mihi ab inimicis ejus inferuntur. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in persecutionibus, in angustiis pro CHRISTO*, 2. Cor. 12. 10. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor*, 2. Cor. 11. 30. Ea videlicet, quæ pro Salvatoris mei Cruce, atque ut fidei, & Evangelii causam tuerer, perpessus sum.

PER QUEM MUNDUS MIHI CRUCIFIXUS EST.] Ille, cui de Mundi vanitate persuasum est, hunc facili negotio contemnit. Qui mortuus est, affici minime potest iis omnibus, quæ magis formosa, atque illecebris referta exhibet Mundus; sed homo crucifixus Mundum horret, odit, abominatur. Hujusmodi erat S. Paulus erga terræ hujus commoda, hominum existimationem, sæculi gloriam, quæ omnia contemnebat, illis non afficiebatur, eadem abominabatur. Mundus vero vicissim non amplius cum honore prosequebatur, utpote qui ad se minime pertineret, eumque nullo in discrimine habebat. S. Paulus quidem Mundum contemnebat, damnabat, eique, quidquid in illo pretiosum erat, rapere videbatur: Mundus vero vicissim illum tamquam mortuum habebat, tamquam crucifixum, tamquam novissimum, & maxime exosum inter homines. Hic quidem miram sui ipsius nobis S. Paulus describit imaginem [1].

℣. 15. NAM IN CHRISTO JESU NEQUE CIRCUMCISIO ALIQUID VALET, NEQUE PRÆPUTIUM, SED NOVA CREATURA.] Novus homo [2], qui ambulat in novitate vitæ prorsus Sanctæ [3], utque per Spiritum Sanctum renovatæ, qui vivendi rationem immutat, qui secundum Spiritum vivit, qui in semetipso vitam, & virtutes JESU CHRISTI describit: hic ab Apostolo *nova Creatura* vocatur. Hanc eamdem sententiam vidimus jam superius cap. 5. ℣. 6. *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides*. Hic vero S. Paulus *novam Creaturam* legit, quam re ipsa idem sensus est: per fidem enim veterem exuimus hominem, ac novum induimus. JESUS CHRISTUS per gratiam suam in nobis novum hunc hominem creat; ipse ex S. Prosperi [4] sententia, ex fracto vase omnipotenti suæ Creationis virtute vas novum restituit.

Sed mutans intus mentem, atque reformans,
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.

Syncellus Chronogr. p. 27. & quidam veteres Græci MSS. [5] adferunt, hunc S. Pauli locum ex apocrypho libro, cui nomen *Apocalypsis Moysis*, fuisse desumptum; ego vero crederem potius, apocryphi hujus libri Auctorem hoc ex S. Paulo deprompsisse; quandoquidem hæc Apocalypsis Moysis veteribus erat ignota.

℣. 16. QUICUMQUE HANC REGULAM SECUTI FUERINT, PAX SUPER ILLOS.] Pax scilicet illis, qui neglecta corporis circumcisione, spretisque legalibus cæremoniis adlaborabunt, ut in se efficiant hominem novum, novam creaturam, de qua sermo fuit; vel hæc regula extenditur ad ea omnia, quæ in Epistola dicta sunt, & quæ in Evangelio præcipiuntur; quæ sane omnia per anacephalæosim, atque in compendium continentur in hoc officio, quo vitam novam vivere, ac per Spiritum Sanctum renovari tenemur.

℣. 17. DE CÆTERO NEMO MIHI MOLESTUS SIT.] Rogo vos, ne me cogatis bis id ipsum scribere: hos pseudo-Apostolos ejicite, & regulam a me vobis præscriptam retinete: satis multa dixi, & si rationibus meis vosmet non subjicitis, non ea mihi mens est, ut contra pertinaces, atque indociles spiritus decertem. *Si quis videtur contentiosus esse*, ait 1. Cor. 11. 16. *nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei*. Docilitatem, atque obedientiam, si vultis, afferre vos decet. S. Paulus quamdam auctoritatis, atque Imperii personam nonnumquam induit, eamque perfecte gerit [6].

Aliter: quæso, ne ulterius me affligatis, abunde mihi pœnarum est [7]; vivite in pace, & ea, quæ vos docui, servate. *Ego enim Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*. Satis hactenus perpessus sum, & vobis ratio habenda est hominis illius, qui in corpore suo vibices gerit, & cicatrices verberum, atque vulnerum, quæ pertulit pro JESU CHRISTO. Talia vobis ostendant pseudo-Apostoli, qui non ferendo jugo supernaturæ vana gestiunt. Si circumcisionem prædicant, & si ob hanc notam gloriantur, quæ in eorum cute videtur, cur & ego ipse non glorier de iis cicatricibus, quas ex Evangelii prædicatione reportavi? Hæc ea nota est, quam ostendo, ut liqueat, cujus sim, & sub quo Imperatore militiæ nomen dederim. Antiquitus militibus [8], atque servis [9] characteres quidam inurebantur, ut distinguerentur.

Vel cum Theodoreto: in posterum hac de re ulterius non scribam ad vos. Pro Epistolis, & rationibus vulnera, atque cicatrices meas vobis ostendo. Hæc testimonium perhibent iis, quæ vobis prædicavi, atque paratus sum omnia perpeti, ut quæ vobis dixi, confirmem. S. Joannes Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius hoc ita explicant. Non deest mihi, unde innocentiam meam tuear adversus eos, qui me hypocrisis nomine redarguunt, & qui ajunt, me prædicare, hic quidem, ut circumcisio recipiatur, alibi vero ut deseratur. Vibices verberum, quibus affectus sum, & pericula, quibus meme objeci, pro me testes sunt, atque inimicorum meorum nugas explodunt. Non accusabitur inertiæ, atque ignaviæ miles ex prælio reversus, vulneribus confossus, & hostili sanguine imbutus.

℣. 18. GRATIA DOMINI . . . . CUM SPIRITU VESTRO.] Domini nostri gratia permaneat cum vobismetipsis in anima vestra. Non precatur Apostolus Galatis temporalia bona, sed spiritualia, & pacem Spiritus. Hæc loquendi ratio: gratia sit cum Spiritu vestro; vel, Dominus sit cum Spiritu vestro, videtur etiam in veteribus Græcorum, atque Latinorum Liturgiis, & S. Barnabæ Epistola simili fine concluditur.

1 Confer Matth. 10. 38. *Qui non accipit crucem suam, & venit post me, non potest meus esse Discipulus*. Galat. 5. 24. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*. Vide Bern. ser. 7. in Quadrages.
2 Ephes. 2. 15. 4. 24. 3 Rom. 6. 4. 4 Prosper. carm. de Ingratis, c. 14.
5 MSS. duo ex Bibl. Reg. apud Coteler. & Huet. 1. in margine, & Cod. 11. sæculi Basilian. apud D. Bern. de Monfauc. Diarii Ital. c. 15. 6 Hieronym. Est. Paræ. 7 Grot. Est. Vat.
8 Veget. l. 1. c. 8. Grot. ad Apoc. 13. 16. 9 Vide Plutarch. in Nicia in fine. Philo de Monarch. Hesych. & Grot. loco cit. & ad Apoc. 7. 3. & alii.

Finis Commentariorum in Epistolam ad Galatas.

PRÆFATIO
IN EPISTOLAM S. PAULI AD EPHESIOS.

Ephesus, Asiæ Minoris Metropolis, Idololatriæ maxime dedita, cultui præsertim Dianæ, cui etiam celeberrimum Templum erexerat. Ephesios superstitiosos etiam fuisse & Magiæ quammaxime addictos inde constat, quod S. Paulus una die tot libros magicos flammis tradidisse dicatur [1], quot 50000. denariorum pretio constarent [2]. Impudicitia, & effrænis licentia totam Asiam, Ephesum præsertim, pervaserant.

S. Paulus anno Christi 54. primum Ephesum venit [3], qui postquam Judæorum Synagogæ de Evangelio dixisset, ut apud ipsos aliquandiu moraretur, postulatus, si Deo collibitum fuerit, se regressurum spopondit. Aquilam, & Priscillam, qui se domi suæ Corinthi exceperant, quique Ephesum usque comitati fuerant, in ea Urbe reliquit. Paulo postquam Paulus inde discesserat, Judæus Alexandrinus, quem Apollinem appellabant [4], vir disertus, Scripturarum peritus, & licet solo Joannis baptismate initiatus, acer Fidei Catholicæ propugnator, Ephesum venit, & prædicationi incubuit. Optime ibidem ab Aquila, & Priscilla instructus, Corinthum contendit, ubi quod Paulus plantaverat, irrigavit 1.Cor.3.5.

Sub anni 54. exitum D. Paulus Ephesum reversus, triennio constitit Act. 19. 1. & 20 Discrimen est, an S. Joannes Evangelista Apostolo prior eo Fidem intulerit. S. Joannes Chrysostomus Prolog. in Ep. ad Ephes. & alii affirmant; Irenæus vero l. 3. cap. 3. & Theodoretus ad Ephes. prolog. & quidem melius, negant, adduntque, S. Paulum ei mori, & hic institisse, quo super fundamentum alienum construere recusabat, neque de Christo dicebat, nisi ad ea loca, quæ Christum penitus ignorarent [5]. Ab Judæis, & ab Ethnicis Paulus ibi plurima pertulit, sibique tandem fuga consulere coactus est, ut se se ei seditioni eriperet, quam aurifex Demetrius, qui conficiendis Dianæ ædiculis vitam transigebat, Ephesi excitaverat, Act. 19. 24. In Græciam inde profectus, Corinthi aliquandiu substitit, donec eleemosynas in Græcia, & Asia congestas deferens, Jerosolymam navigavit. In Templo ab Judæis interceptum Romanorum militum Præfectus Cæsaream misit; unde Romam traductus, biennio [6] in carcere detentus est, ubi hanc ad Ephesios Epistolam, anno circiter Christi 62. scripsisse putamus. Præterquamquod Paulus suorum vinculorum in ea meminerit [7], ejusdem etiam in Græcis Exemplaribus subscriptiones Romæ exaratas præferunt.

Cum vero bis in vincula conjectus fuerit, primum Jerosolymis comprehensus a Judæis, Neronis Imperantis anno septimo; secundo cum Romam profectus, eodem Imperatore jubente, regni sui anno 12. detentus, & anno statim consequente Martyrio interemptus fuit: dissentiunt idcirco Interpretes, cujus in hac Epistola carceris mentio facta sit. De prioribus vinculis Paulum loquutum nonnulli autumant [8]: in quam sententiam & nos idcirco propendemus, quod Apostolus suæ proximæ mortis non meminerit, imo Ephesios oraverit, ut sibi per preces liberè evulgandi Evangelii virtutem a Deo obtineant [9]; quo de suis sibi vinculis solvendis, deque Evangelio Gentibus annunciando se adhuc tunc sperasse, satis ostenditur: quod præterea hanc, sicuti & Epistolam ad Colossenses, per Diaconum Tychicum miserit, & eadem fere verba, ut eum Discipulum Ephesiis, & Colossensibus commendaret, Epistolæ utrique inseruerit [10]. Epistolam vero ad Colossenses a Paulo exaratam, postquam primum Romam venerat, certo scimus; ergo & hanc, quam habuit ad Ephesios.

Baronius, Estius, Tillemontius, & alii, vix anno ante mortem, postquam iterum se Romæ restituerat, ad Ephesios missam statuunt [11]. Hieronymum etiam in suam sententiam pertrahere student, quod, an Paulus, priusquam Epistolam hanc scriberet, in Hispaniam se jam contulisset, ambigere fateatur. Addunt præterea, in hac, sicut in Epistola ad Colossenses, Tichyco Onesimum non jungi, neque Timotheum in ejus titulo una cum Paulo memorari, ut fit in eadem ad Colossenses, & in cœteris, quas, postquam primo Romam contenderat, Paulus dedit. Hæc eorum argumenta.

Veterum nonnulli [12] Paulum adhuc Ephesum non peragrasse, cum hanc ad Ephesios Epistolam dedit, idque omne, quod de prædicatione, & de ejus ad hanc urbem itineribus Acta recensent, nonnisi aliquandiu postquam eamdem scripserat, evenisse putarunt. Vincula vero Pauli vel de vinculis aliis ab iis, quibus Romæ devinctus fuit, vel spirituali sensu de corporis sui carcere explicarunt [13], juxta illa ejusdem Apostoli verba Rom. 7. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quæ quidem sententia ab omnibus nunc vulgo rejicitur, quamvis aliqua hujus Epistolæ loca ei favere videantur, v. g. c. 10. 15. *Propterea & ego audiens Fidem vestram, quæ est in Domino Jesu, & dilectionem in omnes Sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis*; quod utique quammaxime ad illud accedit, quod ad Romanos 1. 8. 9. 10. cum eos solo nomine noverat. Et Ephes. 3. 1. 2. *Hujus rei gratia,*

ego

---

1 Act. 19. 19. 2 Hi 50000. denarii sunt 25000. libræ, decem solidis Gallicis, qui communis est denarii Romani valor, in singulos denarios supputatis. 3 Act. 18. 19. 21.
4 Act. 18. 24. 25. 5 Rom. 15. 20. 21. 6 Ab ann. 61. usqu. ad Christ. 63.
7 Ephes. 3. 1. & 4. 1. & 6. 20. 8 Theodoret. Grot. Prolog. 9 Ephes. 6. 19.
10 Confer Ephes. 6. 21. &c. cum Coloss. 4. 7. &c. 10 Hieronym. in Ephes. 3. Vide not. 48. Vidè Tillemont. in S. Paulum. At idem Hieronymus in cap. 3. vers. 1. diserte asserit, hanc Epistolam Romæ scriptam eo ipso tempore, quo & Paulus scripsit ad Philemonem, ad Colossenses, & ad Philippenses; ad quos utique scripsit, postquam primo Romam pervenerat. 12 Vide Theodoret. Prolog. ad Ephes. 1. 15. & Oecum. Prolog.
13 Hieronym. in Ephes. 3. initio.

ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis Gentibus, si tamen audistis dispensationem gratia Dei, qua data est mihi in vobis. Sed objectionem hanc diluimus in Commentario.

Marcion [1] hanc Epistolam non ad Ephesios sed ad Laodicenses a Paulo datam asseruit, illam enim vocem primi versus, *Ephesi*, ademit [2]; quod vitium a Marcionitarum Exemplaribus etiam in Catholica translatum est: quare Basilius Magnus l. 2. advers. Eunom. vetustissimos Libros allegat, in quibus sic: *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei omnibus Sanctis, qui sunt, & fidelibus in Christo Jesu*, pro, *omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi*. Hieronymus etiam in Ephes. 1. hanc varietatem tangit, & Basilii opinionem culpans, ab aliquibus jocose potius quam graviter explicari asserit ea verba: *Omnibus sanctis, qui sunt*: ac si ea mens esset Apostoli, ut Ephesios aliquatenus natura Sanctos esse testaretur, sicuti Sanctus est Deus, qui idcirco appellatur: *Ego sum qui sum* Exod. 3. 14. Marcion, Epiphanio teste hæres. 42. c. 9. p. 310. & 371. 374. geminas Epistolas, ad Ephesios alteram, alteram ad Laodicenos novisse dicitur; locus vero, qui veluti per Marcionitas ab Epistola ad Laodicenos laudatus affertur, in Epistola ad Ephesios occurrit c. 4. 5. 6.

Grotius Prolog. in Ep. ad Ephes. huic simillimam ad Laodicenos Epistolam a Paulo datam putat, eamque a Marcione, forte Laodicenæ Ecclesiæ authoritati innixo, Epistolæ ad Laodicenos nomine allegatam censet: quid enim alioqui contulisset Marcioni, ut titulum interpolaret? Hanc præterea de sua sententia eamdem esse addit, quam Paulus, veluti ad Laodicenos missam, memorat, *Coloss.* 4. 16. Proxime ad Grotium accedit Usserius ad ann. 64. qui hanc Epistolam ad omnes Asiæ Ecclesias circularem ducit: quare Paulus Ecclesiæ ad quam Epistola mittebatur, nomine prætermisso, illud tantummodo apposuit [3]: *Paulus Apostolus Jesu Christi, Fidelibus*.... Quod vero Ephesus Provinciæ Metropolis esset, in Exemplarium plerisque hæc Epistola Ephesi nomen servavit; quare mirum non fuerit, si Basilii ætate ex iisdem Exemplaribus quædam nullius Ecclesiæ nomine inscripta legerentur, & Laodiceni sibi missam ostentarent. Hinc forte Marcion ad Laodicenos datam defendit, & veluti ad eosdem missam allegavit.

Hæ sane conjecturæ & Interpretum ingenium, & quamdam veri speciem præferunt; quædam vero in eadem Epistola occurrunt, quæ ad Ephesios maxime pertinere videntur. Eos v. g. quamplurimum Magiæ deditos scimus; ea propter, *Vos*, ait Paulus, *cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ* [4]. S. Ignatius Martyr Ephesi Fideles [5] per totam hanc Epistolam a Paulo commendatos asserit. Apostolum igitur Ephesios præcipue per eamdem alloquutum sentit. Præterea ibi Paulus in effrænem licentiam, quæ Ephesum nimium pervaserat, insurgit [6]; turpes & scurriles sermones damnat, monet [7] denique, ut a quorumdam Philosophorum sententiis caveant, a quibus turpium operum pleraque veluti indifferentia vulgabantur. Ephesus, maxime voluptatis Urbs, Philosophos plurimi faciebat.

Ante hanc, ad Ephesios alteram a Paulo datam Epistolam olim nonnulli putarunt [8], quod capite 3. 3. hæc legantur: *Quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi*. Interpretes vero id Apostolum innuisse censent, quod præcedenti capite de eorum ad Fidem vocatione, & de eorum sine Legis operibus justificatione promiserat.

Patrum & Interpretum testimonio [9] hæc Epistola captu difficilior, & forte omnium S. Pauli difficillima. Præter magnitudinem, & rerum, de quibus in ea agitur, sublimitatem, stylus utique confusus, phrasis dura, & periodi nimium protractæ. Præcipua nostræ Fidei mysteria, Redemptio, per mortem Jesu Christi Justificatio, Prædestinatio, Gentium ad Fidem vocatio, & Gentium ab Abrahæ fœdere alienarum cum Judæis primis Divinarum promissionum hæredibus conjunctio in prioribus tribus Epistolæ capitibus fusius ab Apostolo recensentur.

Illuc Paulum intendisse credimus, ut non modo Fideles Judaizantes, sed etiam Ethnicos recens ad Fidem traductos, a sua in Idololatriam, Magiam, curiosas artes, & licentiæ flagitia proclivitate adhuc non penitus amotos, increparet. Gnostici illius ætatis hæretici, & Philosophi quidam turpia, adulterio minora, inter indifferentia opera recensentes, impudicitiæ flagitiis authoritatem adjungebant. Tribus ultimis Epistolæ Capitibus ad eorum mores componendos regulas Ephesiis Paulus præscribit; ad concordiam, pacem, & flagitiorum fugam hortatur; Conjugibus & Uxoribus, Genitoribus & filiis, servis & Dominis, ad vitam optime instituendam, plurima impertit; preces denique ab eis postulat, ut, persecutionibus invitis, robur, & Evangelii enunciandi virtutem a Deo consequatur.

---

1 Tertull. l. 5. contra Marcion. c. 11. *Prætereo & de alia Epistola, quam nos ad Ephesios præscriptam habemus, Hæretici vero ad Laodicenos.* 2 Tertull. l. 5. contr. Marcion. c. 17. *Ecclesiæ quidem veritate Epistolam istam ad Ephesios habemus emissam, non ad Laodicenos; sed Marcion ei titulum aliquando interpolare gestiit, quasi & in isto diligentissimus explorator.* 3 Ephes. 1. 1. 4 Ephes. 2. 1. Vide etiam c. 5. 21. & c. 5. 11. & c. 6. 12. & Præfat. S. Hieronymi in 1. lib. sui Commentarii in hanc Epistolam. 5 Ignat. ad Ephes, pag. 24. Vide Coteler. not. ibid.
6 Ephes. 4. 19. 22. & 5. 3. 4. 5. 7 Ephes. 5. 5. 6. 7. 8 Quidam apud Theodoret. ad Eph. 3. 3.
9 Chrysost. Prol. in Ep. ad Ephes. Hier. Prolog. in l. 1. & in l. 3. c. 4. *Non vobis molestum sit, si diu in obscurioribus immoremur; causati enim in principio sumus inter omnes Pauli Epistolas hanc vel maxime & verbis & sensibus involutam*

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN EPISTOLAM
SANCTI PAULI
AD EPHESIOS.

CAPUT PRIMUM.

Benedicit S. Paulus Dominum, qui per JESUM CHRISTUM nos gratiis cumulavit, & ante Mundi creationem prædestinavit. Preces ille effundit Deo pro Ephesiis, ut intelligant ea omnia, quæ pro ipsis fecerit Deus.

1. PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, omnibus ſanctis, qui
ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Jeſu. 2 Gratia vobis, & pax a Deo
Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto. 3 Benedictus Deus, & Pater Do-
mini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœ-
leſtibus in Chriſto, 4 Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſ-
ſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate. 5 Qui prædeſtinavit
nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum
voluntatis ſuæ, 6 In laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dile-
cto Filio ſuo. 7 In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem
peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus, 8 Quæ ſuperabundavit in nobis, in
omni ſapientia, & prudentia: 9 Ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis
ſuæ, ſecundum beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo, 10 In diſpenſatione
plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra
ſunt, in ipſo; 11 In quo etiam nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum
propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ: 12 Ut
ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante ſperavimus in Chriſto: 13 In quo &
vos, cum audiſſetis verbum veritatis (Evangelium ſalutis veſtræ,) in quo & cre-
dentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, 14 Qui eſt pignus hæreditatis no-
ſtræ, in redemptione acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius. 15 Propterea & ego
audiens fidem veſtram, quæ eſt in Domino Jeſu, & dilectionem in omnes ſanctos:
16 Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus
meis: 17 Ut Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti pater gloriæ, det vobis ſpiritum
ſapientiæ, & revelationis in agnitione ejus. 18 Illuminatos oculos cordis veſtri,
ut ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in
ſanctis: 19 Et quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credi-
mus ſecundum operationem potentiæ virtutis ejus, 20 Quam operatus eſt in Chri-
ſto, ſuſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus,

21 Supra

21 Supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. 22 Et omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. 23 Quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.

℣. 1. PAULUS APOSTOLUS.] Sanctus Paulus in hac Epistola, non secus ac in aliis plerisque, suam Apostoli dignitatem probare adnititur, quam illius adversarii, & qui eidem invidebant, in dubium vocare conabantur, asserentes, eumdem neque a JESU CHRISTO, neque a Principibus Apostolorum missionem suam recepisse. Probat, se Apostolum esse ex vocatione JESU CHRISTI, & ex Dei Patris voluntate. *Omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus.* Græca quædam exemplaria legebant [1]: *Omnibus Sanctis, qui sunt, & Fidelibus* in JESU CHRISTO, ubi *Ephesi* nomen omittebatur. Hoc vero vel inde profectum est, quod cum hæc Epistola in Orbem per omnes Asiæ Civitates mitteretur, vacuus relictus fuit locus Urbis, ut adderetur nomen Civitatis illius, ad quam mittebatur; vel quod cum Apostolus omnino similem huic Epistolam Laodicæam misisset, quidam isthinc Ephesi nomen expunxerunt. Marcion hanc adferebat sub nomine Epistolæ ad Laodicenses. S. Basilius [2] hæc explicat verba: *omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi, & Fidelibus*; quasi innuere voluisset Apostolus, Ephesios cum supremo Ente intrinsecus conjunctos fuisse propter perfectam altissimarum veritatum cognitionem.

℣. 2. GRATIA VOBIS, ET PAX.] Vos cumulet Deus interioribus gratiis suis, donis supernaturalibus, atque exterioribus; repleat vos interiori pace, atque prosperitate, quatenus ad gloriam suam, & vestram sanctificationem prodesse potest. Pacis nomine Hebræi sæpe exteriora bona magis solida intelligunt, & sæpe etiam pacem animæ, atque conscientiæ.

℣. 3. BENEDICTUS DEUS, ET PATER DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.] Benedictus sit Deus, qui est Pater Domini Nostri Jesu Christi; vel si Jesum Christum secundum illius humanitatem consideres: benedictus sit Deus, & Pater &c. Nam JESUS CHRISTUS quatenus homo agnoscit Dominum tamquam Deum suum; & quatenus Deus, illum agnoscit tamquam Patrem suum. Dominus nos cumulavit benedictionibus in JESU CHRISTO per hujus merita, in gratiam illius, in virtutem fidei, quam habemus in illum: cumulavit autem nos *omni benedictione spirituali*, gratiis interioribus, donis supernaturalibus, atque exterioribus. Idque in *Cælestibus* pro Cœlo [4], atque Æternitate. Hoc objectum est bonorum omnium, quæ a Deo recipimus; hæc secundum primam illius mentem ad Cœlum, æternamque Beatitudinem referre debemus. Hæc beneficia nobis a Deo, in JESU CHRISTO collata, ab illis distinguit, quibus Judæi affecti fuerunt, quæ terrena erant dumtaxat, atque ultra terræ hujus terminos minime excedebant [5].

℣. 4. ELEGIT NOS IN IPSO ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM.] Pater elegit nos in JESU CHRISTO, vel per JESUM CHRISTUM: in JESU CHRISTO quidem, quatenus per illum adepti sumus gratiam adoptionis filiorum Dei; per illum vero per præcepta illius, per ministerium Apostolorum ejus, per verbum ipsius, per fidem, quam habemus in illum. JESUS CHRISTUS est via, veritas, & vita, omnium gratiarum origo, omnium electorum exemplar. Deus prorsus gratuito misericordiæ suæ effectu decrevit nos ex massa corruptionis eruere, in quam per primi hominis peccatum cecideramus; & hoc decretum exequitur per gratiam JESU CHRISTI, quam nobis communicat. Per hanc nos vocat, per hanc efficit, ut credamus, per hanc nos justificat: per ipsam ad beatitudinem usque pervenimus, quæ prædestinationis nostræ terminus, ac finis est. Illos nos elegit, *ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu ejus, in charitate.* Non elegit nos, quod Sancti eramus, sed ut Sancti fieremus: ejus electio non solum ad fidem & gratiam, verum etiam ad gloriam est omnino gratuita.

℣. 5. QUI PRÆDESTINAVIT NOS] effectu bonæ voluntatis suæ, vel *secundum suæ voluntatis beneplacitum* [6], sine ullo merito nostro. S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & S. Hieronymus huic versiculo addunt ea verba *in Charitate*, quæ in superiori inveniuntur. *Deus, in charitate prædestinavit nos, ut essemus adoptivi filii &c.* quod quidem sensum optimum adfert. Prædestinatio, qua Deus Fideles elegit ut illos vocaret, & Filios adoptivos efficeret, merus est amoris, benevolentiæ, & beneplaciti illius, non autem meritorum nostrorum effectus [7]. *Per JESUM CHRISTUM in ipsum. Per JESUM CHRISTUM, & pro JESU CHRISTO, & in JESU CHRISTO* nos prædestinati sumus, quemadmodum vidimus. Ipse nostræ vocationis, & electionis causa est finalis, exemplaris, & efficiens; sed respectu diversorum. *In ipsum* significare potest, pro ipso, vel propter ipsum, vel in ipso, per merita, & gratiam ipsius, ut illi similes evadamus. Vel *in ipsum* isthic positum est pro *sibi* [8], vel *in se*. Deus gloriam suam atque gratuitam dumtaxat benignitatem consuluit, nos eligens *propter se*, ut in nobis gloriæ, gratiæque suæ divitias ostenderet. Postremus hic sensus melior videtur.

℣. 6. IN LAUDEM GLORIÆ SUÆ.] Ut omnis homo ei gratiam referat, & celebret merum illius misericordiam ob gratiæ nobis collatæ magnitudinem. *In laudem gloriæ gratiæ suæ*, idem est ac si diceret: *in laudem gloriosam gratiæ suæ*: ut pro egregio hoc beneficio magnificas laudes sibi rependamus. Et sane hoc unum, non aliud, efficere possumus, ut aliquo modo ea rependamus beneficia, quibus ab eo cumulamur; non enim ille laudibus nostris, vel bonis indiget. Hoc igitur non innuit objectum, quod sibi ipse proposuit, sed officium nostrum, & quod naturaliter accidere debet post ea, quæ ipse fecit pro nobis; *gratificans nos in dilecto Filio suo* [9], vel per Filium suum, vel propter Filium suum JESUM CHRISTUM. Deus nos amat in illo, per illum, & propter illum. Nobis ille meretur amorem Patris, dignitatem filiorum adoptivorum Dei, & gratiam, quæ nos justos, & Dei amicos constituit.

℣. 7. IN QUO HABEMUS REDEMPTIONEM.] Per sanguinem, & mortem JESU CHRISTI remissionem peccatorum nostrorum a Deo recepimus: *secundum divitias gratiæ ejus.* Dei Sanguis pretium est non humile; Omnipotens omnem, ut ita dicam, magnificentiam suam, omnesque gratiæ suæ thesauros exhausit, ut nobis tantum munus conferret. Judæis erat nisi Vitulorum Hircorum atque Taurorum sanguis, quo sordes ipsorum eluerentur [10]; eaque expiatio animæ minimum proderat. Nos vero habemus sanguinem Agni sine ma-

1 Τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσι, καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, pro, Τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ. Ita Patres & Exemplaria correcta apud Basil. l. 2. contra Eunom. & quidd. apud Hieronym. hic.
2 Basil. loco citato. 3 Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, καὶ Πατὴρ τοῦ Κυρίου, &c. Plures omittunt καὶ.
4 Ἐν τοῖς ἐπουρανίοις Χριστῷ. In supercælestibus Christo. Alii: Ἐν Χριστῷ.
5 Chrysost. hic. 6 Κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. 7 D. Th. hic. Aug. passim. Est.
8 Est. Grot. Men. Sy. alii. 9 Ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Chris. Ἐπέχαρις, ἐπιχαρίτους, ἑαυτῷ ποιήσασθαι. Plures MSS. addunt post ἠγαπημένῳ, hæc verba, υἱῷ αὐτοῦ, juxta Vulgatam.
10 Hebr. 9. 12. 13. & seq. 10. 1. 2. & seq.

ne macula, qui tollit peccata Mundi [1], qui nos ab omnibus sceleribus expiat, ac beatos dignos efficit æternitate.

℣. 8. SUPERABUNDAVIT IN NOBIS, IN OMNI SAPIENTIA & PRUDENTIA.] Ephesii scientiam, atque Philosophiam se callere gloriabantur; Judæi vero suam Legis scientiam jactitabant. Animadvertit S. Paulus, Christianam fidem, ad quam Deus illos vocavit, affluentes illis contulisse veram sapientiam, solidam scientiam, prudentiam Filiorum Dei; non quidem sæculi & carnis prudentiam, sed Evangelii, quæ efficit, ut omnia ad æternitatis libellam examinata a nobis justo in pretio habeantur [2]. Nonnulli [3] hanc sapientiam, atque prudentiam de suprema Dei sapientia interpretantur, quæ novit rationes adeo sublimes, atque magnitudine sua dignas scrutari, quibus humanum genus salvum faceret, atque illud ad æternam Beatitudinem adduceret. Sed prior explicatio melior est.

℣. 9. SACRAMENTUM VOLUNTATIS.] Græca vox *Sacramentum* Græcę respondet, *Mysterium* [4], secretum significanti. *Mysterium voluntatis* in Hebræorum lingua voluntatem secretam atque ignotam significat. Post adventum Filii sui manifestavit Deus mysteria incarnationis, Divinitatis illius, aliaque Christianæ religionis arcana [5]. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus* secundum carnem, *& revelasti ea parvulis*. Denique in vocatione Gentilium ad fidem magnum Ecclesiæ suæ mysterium revelavit, quæ quidem componenda erat ex cultoribus in Spiritu & veritate, promiscue ex omnibus terrarum Gentibus desumptis, sine ullo discrimine Judæum inter vel Ethnicum [6]. Hæc sunt mysteria voluntatis Dei, quæ ex beneplacito suo, non autem propter merita nostra nobis per Jesum Christum aperuit [7].

℣. 10. IN DISPENSATIONE PLENITUDINIS TEMPORUM INSTAURARE OMNIA IN CHRISTO.] Cum tempora præstituta adimpleta erant, omnia in Jesu Christo, vel per Jesum Christum restituet. Deus isthic exhibetur tamquam sapiens Pater familias, Servis suis escam, & congruam mensuram distribuens [8]. Hæc autem est dispensatio, & revelatio mysteriorum, veritatum, æternorumque consiliorum ejus, quæ in tempus præordinata fuerunt, atque instituta. Hoc vero tempus illud est, quo Jesus Christus ad novum fędus instaurandum advenit. Detexerat ille partem mysteriorum suorum Patriarchis, aliamque partem Judęis revelaverat, eisdem Legem tribuens, atque Prophetas: verum hæc omnia caligine, atque tenebris erant adhuc involuta: sed in religione Christiana, & in Jesu Christi adventu omnia integumenta ablata fuerunt, omnesque tenebræ evanuerunt, saltem quod spectat ad incarnationem, nativitatem, vitam Messiæ, Gentilium vocationem, & Christianæ Ecclesiæ institutionem. Plurima enim adhuc supersunt evolvenda mysteria, quæ pertinent ad resurrectionem, futuram vitam, justorum beatitudinem, & impiorum supplicia, quæ respectu nostri adhuc futura sunt.

Decreverat Deus *instaurare omnia in Christo, quæ in Cœlis, & quæ in Terra sunt in ipso*. Græcus [9], qui vertitur *instaurari*, proprie significat plurima simul congerere, per anacephalæosim ea, quæ fusius antea dicta erant, cogere in compendium. Omnia in Jesu Christo ejusque Evangelio, tamquam in compendium redacta videntur. Quæcumque Patriarchis sub naturæ Lege revelata fuere, quæcumque sub Lege Moysis detecta Prophetis, quæcumque in Legis symbolis atque typis præfigurata, longe perfectius, atque sublimius in Jesu Christo atque in Evangelio inveniuntur. Ad hæc quidquid in Cœlo est, atque in Terra quasi per anacephalæosim in Jesu Christo reperitur. Cœlum cum Terra, Angelus cum hominibus, homines cum Deo Patre suo, militantem Ecclesiam cum Triomphante, ille conciliavit. Salvator enim idem, qui fuit Patriarcharum spes, atque expectatio, est etiam objectum confidentię, atque fides Christi fidelium; & idem Jesus Christus, qui sanguine suo nos redemit, reparavit etiam jacturam, quam propter prævaricatoris Angeli lapsum Cœlestes virtutes pertulerant [10]; quoniam per illum plurimi Fideles eas obtinebant sedes, quas mali Angeli, antequam rebellarent, repleverant. Denique Sancti Angeli simul in Christianę Ecclesię ex Judęis atque Ethnicis conversis compositę custodiam, atque prędidium collecti, unum modo componunt, ut ita dicam, exercitum cum illa sub Jesu Christo, qui commune caput est, & qui ita Angelis in Cęlo, quemadmodum Ecclesiæ suæ, in Terris [11] pręest.

℣. 11. IN IPSO, IN QUO ETIAM NOS SORTE VOCATI SUMUS.] In ipso, & per ipsum, atque per merita ipsius, nobis vocatio tamquam sortuito contigit. Cum sortes mittuntur, nulla meritorum habetur ratio: sed nulla major eorum habetur a Deo, ubi nos eligit, nobis gratiam suam collaturus, & nos ad fidem evocaturus [12]. At nequis crederet, liberum arbitrium everti, & omnia a sorte, atque fortuna pendere, ait: *prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*. Cum Deus infinite sapiens sit, omnia superiori semper consilio, atque justissime operatur: *sorte*, & in Jesu Christo nos eligit; Jesus Christus causa est nostræ electionis. Per ipsum nos ad ęternitatem adducit, per merita illius nos ad fidem evocat, per gratiam illius efficit, ut Cœlestem gloriam assequamur.

Quidam Gręcum ita vertunt [13]: *Vocati fuimus ad hæreditatem per Jesum Christum*; ipse nobis per mortem suam, acquisivit, & meritus est hęreditatem, non Terrę Chanaan, sed Cœli; vel etiam nos hęreditatem suam suos servos, populum, adoptivos filios effecit [14]. Plurima antiqua exemplaria [15], pro, *sorte vocati sumus*, legunt simpliciter *vocati sumus*. Vocati sumus, cum Dei decreto pędestinati fuissemus; quod quidem optimum sensum adstruit.

℣. 12. UT SIMUS IN LAUDEM GLORIÆ EJUS.] S. Paulus superius jam ℣. 6. dixit, nos a Deo fuisse prædestinatos, ut gratiæ suæ laus, & gloria referatur accepta; isthic vero id ipsum repetit: Deus nonnisi per se ipsum agere potest. Mundus nonnisi propter Creatoris [16] gloriam creatus est, atque subsistit; neque propter alium finem instituta est humani generis reparatio, & universa justorum quidem prædestinationis, impiorum vero reprobationis œconomia. Æquum est, ut rebus in omnibus Deus benedicatur, laudibus extollatur, summo studio celebretur: verum præ cœteris æquissimum, ut colatur ab electis & Sanctis, qui præcipuam favorum ejus partem assequuti sunt, & propter quorum cætera creata fuisse, atque subsistere dici queunt [17].

Addit: *nos qui ante speravimus in Christo*; quod Inter-

1 Joan. 1. 29. 2 Vide Ambrosiast. Chrys. alios Græc. Est. Men. &c.
3 Grot alii quidam. 4 Τομὴ τοῦ θελήματος αὐτοῦ μυστήριον. 5 Matt. 11. 25.
6 Rom. 10. 12. & 11. 25. 26. 27. &c. 7 Vide Grot. Erasm. Est. &c.
8 Εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν. Vide Grot. &c. Isaia 3. 2. Cor. 9. 17. Coloss. 1. 25. 1. Tim. 1. 4.
9 Ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα, &c. *Christus omnia*. [illegible] Hieronym. & Tertull. l. 5. contra Marcion. c. 17. & Irenæi Interp. l. 1. c. 3. Ἀνακεφαλαιώσασθαι, vertunt per, *recapitulare*.
10 August. Enchirid. de fide, spe & charit. c. 29. &c. lib. 22. de Civit. c. 1.
11 Theophyl. ex Chrys. Est. alii non pauci. 12 Chrysost. Vide Est. Men.
13 Ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν *in quo hæreditatem, seu jus hæreditatis adepti sumus*. Erasm. Vat. Grot. alii plures.
14 Vide Grot. Hamm. 15 Ἐκλήθημεν, pro Ἐκληρώθημεν. Ita Germ. Clarom. Boerner. GG. LL. & Ms. Alex. 16 Prov. 16. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum*.
17 Rom. 8. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundum propositum vocati sunt sancti*.

terpretes [1] explicant de Judæis, qui in Messia, ac futuro liberatore speraverunt pluribus sæculis ante adventum illius, & quorum non pauci in illum etiam post ejusdem adventum, & resurrectionem, antequam Gentiles salutis verbum reciperent, crediderant: primi enim credentium ex Synagoga fuerunt assumpti.

℣. 13. IN QUO & VOS CUM AUDISSETIS &c.] Per JESUM vel in JESU vos ipsi o Ephesii ex Ethnica religione conversi signati fuistis signaculo Spiritus Sancti, qui vobis fuerat promissus. Judæis renuentibus, Evangelium vobis prædicatum fuit; vos illud recepistis, & credidistis in Jesum Christum. In baptismate regenerati estis, & Spiritum Sanctum, atque supernaturalia dona recepistis, quæ vobis communicavit, & quibus quodammodo in vobis vestræ sanctificationis signum, & salutis characterem impressit. Signum hoc nequaquam carni inustum est, quale Principes Militibus, Domini servis, & Sacerdotes Idolorum iis, qui mysteriis suis initiati sunt, vel qui falsis Numinibus se devovissent, inurere consueverant; neque tandem tamquam Circumcisio, quæ Israelitarum nota fuit: sed hic character intra vos est per gratiam, qua repleti fuistis, & quæ refulget extrinsecus in miraculosis, & supernaturalibus donis, quæ Deus vobis impertit [2]. Apostolus sæpe hac utitur similitudine signaculi, quo Fideles quodammodo signati sunt [3].

℣. 14. QUI EST PIGNUS HÆREDITATIS NOSTRÆ [4].] Spiritus Sanctus, quem recepimus, qui in cordibus nostris efformat gemitus inenarrabiles, & vividas, ardentesque preces, qui nos justificat, atque solatio replet, qui denique nos exterioribus suis donis, lumine, cognitione, dono miraculorum, linguarum &c. cumulat; hic Spiritus inquam pignus est æternæ felicitatis, a nobis aliquando in Cœlo possidendæ; atque est quædam veluti Beatitudinis a Deo nobis promissæ prægustatio. S. Hieronymus [5] distinguit pignus ab arrha: Arrha quidem tribuitur propter merces emendas; pignus vero illud est, quod ab obærato suo recipit Creditor. Arrha numquam rei emptæ pretium exæquat, sed ex pretio arrhæ, quæ tribuitur, de pretio rei emptæ judicatur. Quantumvis magna sit Viri alicujus Sanctitas, quantumvis ornatissima ea, quibus cumulatus est, Cœli munera, quantacumque gratiarum & consolationis, quibus affectus fuit, affluentia; hæc omnia non aliud sunt, quam arrhæ illius, quæ nobis promittitur, felicitatis. *Si autem arrhabo talis, quanta erit ipsa possessio?*

IN REDEMPTIONEM ACQUISITIONIS IN LAUDEM GLORIÆ [6] IPSIUS.] Scriptura triplex agnoscit genus redemptionis, vel liberationis, Jesu Christi Sanguine partæ. Prior redemptio est de servitute peccati; altera de hac vita mortali, tot ærumnis, atque periculis circumsepta; tertia vero perfecta, atque novissima liberatio de potestate corruptionis, & mortis per generalem resurrectionem, quæ nobis æternam conferet immutabilitatem. Spiritus Sanctus, quem in baptismate recipimus, arrha est, & pignus triplicis hujus liberationis; potissimum vero postremæ; certissime enim confidimus, Deum ad æternitatem suscitaturum ea corpora, quæ Spiritus Sancti Templum atque instrumenta fuerunt, per quæ plurimas actiones Deo acceptas est operatus. *Redemptio acquisitionis* idem est, ac *plebs redempta, & acquisita*; quæ a S. Petro in 1. ep. 2. 9. vocatur, *Gens Sancta, Populus acquisitionis*; & hæc verba: *in laudem gloriæ ipsius* hoc in loco significant, *in laudem, & gloriam suam*, vel *eximiam laudem suam*, quæ Hebraicæ sunt loquutiones.

℣. 15. ET EGO AUDIENS FIDEM VESTRAM.] Ex hoc loco Veteres complurimi crediderunt [7], hanc ad Ephesios Epistolam, non secus ac illam ad Romanos a S. Paulo fuisse conscriptas, antequam in eas Civitates veniret, quas ex famæ celebritate tantum cognoverat; sed opposita sententia longe probatior est. Apostolus Romæ erat in vinculis, cum audiit constantiam, atque perseverantiam Ephesiorum in fide, quam acceperunt, eaque de re Deo quidem gratias agit, Ephesios vero ad perseverantiam hortatur.

℣. 17. DEUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.] Deus humanitatis ejus, & Pater Divinæ naturæ ipsius; *Pater gloriæ*, vel Deus gloriæ, vel Deus supreme gloriosus; gloria enim satis crebro pro Divina Majestate usurpatur: ex. gr. Hebr. 1. 3. Jesus Christus vocatur *Splendor Paternæ Gloriæ*, & Pater *Rex gloriæ* dicitur Psal. 23. 7. Deus Omnipotens, atque omnino gloriosus, *det vobis Spiritum Sapientiæ, & revelationis in agnitione ejus*; vel potius det vobis augmentum Spiritus, & gratiæ suæ, quo illuminemini, atque illum cognoscere, amare, & venerari persistatis. Quoniam superius ait, se didicisse quænam erat fides eorum; hæc fides utique Spiritus Sancti lumine nequaquam carebat, quandoquidem eam commendat, ac propter illam Deo gratias agit. *Spiritus Sapientiæ, & revelationis*, quem illis precatur, significat, fusiorem, perfectiorem, magisque perspicuam mysteriorum religionis, & earum rerum, quæ ad salutem pertinent, cognitionem. Vide 1. Cor. 14. 6.

℣. 18. ILLUMINATOS OCULOS CORDIS VESTRI [8]: UT SCIATIS, QUÆ SIT SPES VOCATIONIS.] Ut interiori lumine intelligatis, quanta sit magnitudo gloriæ, & felicitatis, quæ vobis promissa est, & ad quam per vocationem ad JESU CHRISTI fidem destinati estis: ut cognoscatis vias, quibus illuc pervenitur, & hæc cognitio zelum vestrum inflammet, atque studium vestrum ad tanti boni acquisitionem accendat.

℣. 19. QUÆ SIT SUPEREMINENS MAGNITUDO VIRTUTIS EJUS IN NOS [9].] Maximum Divinæ potestatis miraculum est ex Patrum sententia [10], peccatoris conversio. Divus Chrysostomus, & Theodoretus eam conversionem cum mortui resurrectione comparant, & ajunt, eamdem potestatem, quæ JESUM CHRISTUM de sepulchro eduxit, nos quoque de peccati morte eripuisse. Alterum insigne divinæ potestatis prodigium, est JESU CHRISTI, de qua sequ. ℣. verba facit, & futura omnium membrorum ejus resurrectio [11]: in hoc præsertim effulget potestas, quam Deus exercuit, & aliquando in nobis exercere debebit. Oportuit, ut eadem potestas, quæ JESUM CHRISTUM suscitavit, nos quoque ad Deum per fidem pertraheret, & illa ipsa tandem vires suas exerat, ut nos resuscitet, atque in Cœlo glorificet.

℣. 20. CONSTITUENS AD DEXTERAM SUAM IN CŒLESTIBUS [12].] Hæc omnia de JESU CHRISTO secundum illius humanitatem intelliguntur: nam quod pertinet ad divinitatem, ipse propria potestate resurrexit, & omni æternitate sedit ad dexteram Patris in perfecta potestatis æqualitate, atque in ejusdem cum ipso essen-

tiæ

1 Tertull. l. 5. contra Marcion. c. 17. *Qui ante speravimus in Deum, quam venisset, Judæi, quibus Christus prænuntiabatur ab initio.* Ita Grot. Est. Menoch. Tirin. alii plerique.
2 Vide Theodoret. Chrys. Theophyl. Grot. Est. Men. alios. Tertull. loco citato, lib. 5. c. 17. contra Marcion.
3 1. Cor. 1. 6. 7. 2. Cor. 1. 21. 22. Ephes. 4. 30.
4 Ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν. Alii: Ὅ ἐστιν ἀῤῥαβὼν, illud referendo πνεῦμα, quod neutrum est.
5 Hieronym. hic. D. Th. Est.
6 Εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ. *In redemptionem acquisitionis.* Alii legunt: *In redemptionem adoptionis*: Clarom. S. Ger. Larin. Ambrosiast. Hieronymiast. antiqua Versio ante Hieronym. Vide Hieron. hic.
7 Vide Oecum. & Theodoret. hic, & in prolog.
8 Græc. impress. Τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας. Alii plerique, & antiquissimi: Ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας.
9 Græc. impress. Εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας. Alii: Εἰς ὑμᾶς τοὺς πιστεύοντας: *In vos qui creditis*, vel, *qui credidistis*. Ita Clarom. & S. Germ. G. L. & alii quidam.
10 Chrysost. hic. Ita & Theophyl. Vide & homil. 1. in Ephes. 2. & homil. 20. in 1. Cor. 8. p. 207.
11 Ambrosiast. Oecumen. D. Th. Est. Grot. alii.
12 Ἐν ἐπουρανίοις: *In supercælestibus*; id est, in cælo, vel in cælo cælorum, altissimo cælorum, supra id omne, quod intuemur.

ejus unitate. Quemadmodum JESU CHRISTI resurrectio nostram propter, ita Regnum, gloria, & sedes ejus in Cœlo ad dexteram Patris pignus est promissionis futurum, ut & nos ibi recipiet, nos ibi gloria cumulet, nobisque sedem fidei, vitæque nostræ merito parem tribuat [1].

℣. 21. SUPER OMNEM PRINCIPATUM &c.] Credit S. Hieronymus hic S. Paulum ex arcana Hebræorum traditione didicisse hæc nomina *Principatuum*, *Potestatum*, *Virtutum*, & *Dominationum*, quæ in Sacris Libris non leguntur; vel illum, ut sese dimitteret ad captum eorum, ad quos loquebatur, Regnum Beatorum in Cœlo sub Regni terreni specie exhibuisse, ubi variæ sunt classes Ministrorum, & dignitatum, quarum aliæ aliis sunt subordinatæ. Verum difficillimum est æquam hujusmodi dignitatum, atque ordinum ideam animo concipere; qui subsistere haud quaquam posse videntur, quin subditi sint, & alii aliis obtemperent. Credit Grotius [2], hæc nomina excogitata fuisse ad imitationem dignitatum, quæ olim in Persarum aula florebant; & profecto liquet, non semel in Veteri Testamento Scripturam se se accommodare huic Hebræorum conceptui [3], nobis exhibentem septem præcipuos Angelos, qui coram Deo iidem sunt, ac septem præcipui Ministri apud Regem Persidis, qui eumdem videre, & ad illum libere accedere poterant. Videri potest nostra de bonis, & malis Angelis Dissertatio.

℣. 22. OMNIA SUBJECIT SUB PEDIBUS EJUS.] JESUS CHRISTUS sedens ad dexteram Patris æquali cum ipso potestate fruens super omnia positus est, & videt omnia, non solum, quæ in Terra sunt, verum quæ in Cœlo maxime sunt sublimia, Angelos, Archangelos, Dominationes, Thronos &c. Ipse tum militantis, tum triumphantis Ecclesiæ caput est; & in illam non absolutum, & omnipotens dumtaxat Imperium exercet; verum etiam influit in eamdem, ei vitam impertit, illius gloria est, atque felicitas, & illius habita ratione, est tamquam caput ratione corporis, quod animat, regit, illuminat [4]. Ecclesia JESU CHRISTO adhæret, tamquam capiti corpus: ab illo pendet, & omnia recipit ab illo, quemadmodum corpus omnia recipit a capite, a quo pendet. Nostrum quilibet membrum est JESU CHRISTI, quatenus membrum est Ecclesiæ, quæ corpus est Salvatoris. Hæc similitudo non uno in loco S. Pauli invenitur [5].

℣. 23. PLENITUDO EJUS, QUI OMNIA IN OMNIBUS ADIMPLETUR.] Persequitur S. Paulus institutam corporis, & capitis allegoriam. JESUS CHRISTUS caput est, Ecclesia corpus. Caput corpori gloriam, atque supereminentem perfectionem impertit; verum corpus etiam quodam in sensu capitis gloriæ, & perfectioni contribuit, cum eam habeat pulchritudinem, decorem, & perfectionem, quæ capiti adeo eximio respondeat. Alterius gloria in alterum se se effundit [6]. Si corpori gloriosum est capiti prorsus divino subesse; in capitis gloriam cedit corporis pulchritudo, atque perfectio, quemadmodum Artifex ex opere suo gloriam acquirit. Hoc eodem in sensu S. Paulus Coloss. 1. 24. ait se inter ærumnas lætari, quod adimplet in corpore suo, ea quæ JESUS CHRISTUS in ipso, tamquam in uno ex membris suis erat passurus; Et Galat. 4. 16. se inquit, tamquam in sinu suo gestare Galatas, donec JESUS CHRISTUS omnino formetur in illis: denique in nobis JESU CHRISTI imaginem eo usque esse imprimendam, donec illi similes simus [7].

1 Matth. 19. 28. Joan. 14. 2.
2 Grot. in Rom. 8. 38. & in hunc loc.
3 Tobiæ 12. 15. Dan. 10. 13. Apoc. 1. 4. Confer Esth. 1. 10. 14. 1. Esdr. 7. 14. &c. 3. Esdr. 8. 12.
4 Vide Theodoret. D. Thom. Est. Justinian. alios.
5 Ephes. 4. 12. 15. 16. 5. 23. Coloss. 2. 19. 1. 18.
6 Vide Est. Grot. Tir. Menoch. &c.
7 Rom. 13. 14. Gelat. 4. 27. Ephes. 4. 24. Coloss. 3. 10. 12.

CAPUT II.

Homo peccato mortuus in JESU CHRISTO reviviscit. Per fidem salvus fit. Gentiles a promissionibus alieni, facti sunt hæredes. Hi unum tantum cum Judæis efficiunt in ædificio Ecclesiæ, quod super Prophetas, & super Apostolos superstruitur, & cujus lapis angularis est JESUS CHRISTUS.

1. ET vos, cum essetis mortui delictis, & peccatis vestris, 2 In quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, 3 In quibus & nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura filii iræ, sicut & cœteri: 4 Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, 5 Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati.) 6 Et conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu. 7 Ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu: 8 Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; 9 Non ex operibus, ut ne quis glorietur. 10 Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. 11 Propter quod memores estote, quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne manu facta. 12 Quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, & hospi-

tes

tes teftamentorum, promiffionis fpem non habentes, & fine Deo in hoc mundo.
13 Nunc autem in Chrifto Jefu, vos, qui aliquando eratis longe, facti eftis
prope in fanguine Chrifti. 14 Ipfe enim eft pax noftra, qui fecit utraque unum,
& medium parietem maceriæ folvens, inimieitias in carne fua: 15 Legem man-
datorum decretis evacuans, ut duos condat in femetipfo in unum novum homi-
nem, faciens pacem, 16 Et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem,
interficiens inimicitias in femetipfo. 17 Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui
longe fuiftis; & pacem iis, qui prope. 18 Quoniam per ipfum habemus acceſ-
fum ambo in uno Spiritu ad Patrem. 19 Ergo jam non eftis hofpites, & adve-
næ: fed eftis cives fanctorum, & domeftici Dei. 20 Superædificati fuper fun-
damentum Apoftolorum, & Prophetarum, ipfo fummo angulari lapide Chrifto Je-
fu: 21 In quo omnis ædificatio conftructa crefcit in templum fanctum in Domi-
no. 22 In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

℣.1. ET VOS CUM ESSETIS MORTUI PECCATIS [1].] Pergit Apoftolus defcribens, quanta JESU CHRISTO debeamus. Ipfe nobis reddidit vitam per fidem, per baptifmum, per gratiam, per Sanctum Spiritum fuum, per Evangelii fui lumen; tunc enim per fcelera, atque peccata noftra mortui effemus, & fepulti, ut ita dicam, in umbra mortis, erroris, infidelitatis, oblivionis Dei. Peccatum merito cum morte comparatur, quoniam hominem Deo reddit invifum, atque dignum fuppliciis æternis, quæ in Scriptura *fecunda mors* appellantur [2].

℣.2. IN QUIBUS ALIQUANDO AMBULASTIS SECUNDUM SÆCULUM MUNDI HUJUS [3].] Secundum fæculi præfentis confuetudinem. Vos mortui eftis in oculis Dei, fed vivitis in oculis mundi; at quomodonam vivitis? fecundum Mundi hujus inftituta, in fceleribus, in Idolorum cultu, in morum corruptione; *corrumpi, & corrumpere fæculum vocatur*, Tacitus ait:

SECUNDUM PRINCIPEM POTESTATIS AERIS HUJUS.] Secundum prava hujus fpiritus tenebrarum, atque hoftis omnis juftitiæ præcepta, qui gloriatur fe imperium exercere in aerem, & fublunaria corpora, *qui procellas* excitare dicitur, atque ibi variis parere immutationes, quæ in corpora, atque valetudinem noftram non modicum influant. Heinfius [4] ita verti mallet: *Poteftas tenebrarum*, pro *poteftate aeris*. In Græcis Auctoribus *aer* fæpe pro tenebris ufurpatur. SS. Apoftoli Petrus, & Judas [5] ajunt, Dæmones in tenebris religatos effe. Theodoretus inquit, Deum ab initio Angelis, antequam ab Imperio deficerent, aeris ditionem contuliffe, fed poftquam defecerunt, eo dominatu exutos redactos fuiffe ad id, ut homines tentarent, & in eos, qui fe fe ipfis mancipaverent, fuam nequitiam, atque poteftatem exercerent. At alii credunt, Dæmonem revera hac poteftate quidem privatum fuiffe ftatim poft lapfum fuum, fed poft primi hominis inobedientiam Deum iterum Dæmoni permififfe, ut in aerem, & fublunaria corpora dominaretur. Non defunt, qui putent, poft JESU CHRISTI mortem dæmones omnes in Inferni imam partem dejectos fuiffe; cum interim afferant alii, ingentem adhuc eorum numerum in aere, & in hoc Mundo verfari. Sed S. Johannes Chryfoftomus, & Veterum Patrum plerique exiftimant, Dæmones in aerem effufos effe, atque re ipfa Principes effe, vel potius Tyrannos, atque ufurpatores hujus fæculi; quoniam ibi in plerofque hominum, qui Dæmonis tyrannidem jufto Domini Imperio præferunt, fuam dominationem exercent. Proprie quidem aeris Principes non funt; fed ibi permanent, atque exercent nequitiam fuam contra homines flagitiofos, atque corruptos. *Hæc autem omnium Doctorum*

A *opinio eft*, S. Hieronymus in Ephef. *6. 12.* inquit, *quod aer ifte, qui Cœlum, & Terram medius dividens inane appellatur, plenus fit contrariis fortitudinibus.*

Philo, Jofephus, atque Hebræi Doctores hac de re in eadem fententia, ac Patres veteres verfantur [6], tati, totum aerem Spiritibus, feu bonis, feu malis effe teferrum. Dæmones igitur triplici in claffe diftingui poffunt: alii *Mundi Rectores tenebrarum harum* Ephef. *6.* 12. & hi funt Dæmones Infernales: Alii funt Spiritus nequam in aere pofiti; *Spiritualia nequitiæ in Cœleftibus* Ephef. 6. 12. Alii denique fuper Terram effufi funt, qui nos tentant, quifque pro modulo fuo. Infernales Dæmones in id potiffimum incumbunt, ut in Inferno fcelerftus puniant; aerei Dæmones nobis cri-
minamagis fpiritualia, puta, vanitatem, fuperbiam,
B ultionem infpirant; ii denique, qui terreftres vocari poffunt, in craffiora impellunt fcelera, in quibus pars præcipua corporis eft [7].

Pfellus [8] fex pravorum Dæmonum genera fecundum Chaldæorum doctrinam diftinguit. Alii quidem funt ex natura ignis, eorumque fedes in fublimiori aeris regione pofita eft, infra tamen orbem Lunæ: nam Dæmones ab eo fpatio, quod circa Lunam eft, excluduntur; quippe qui Spiritus funt nimis immundi. Alii effufi funt in aere nos ambiente, & ifti proprie Dæmones aerei vocantur. Tertia fpecies in Terra regnat; quarta in aquis; quinta fubtus terram, fexta in tenebrarum horrore verfatur. Tres hæ pofteriores fpecies nobis magis funt perniciofæ, atque infeftæ: neque enim illis fatis eft, nos tentare, atque follicitare, fed
C palam, & vi facta nos adoriuntur. Operæ pretium eft noffe, quænam effent veterum Orientis populorum de vario Dæmonum genere fententiæ, ad quas fæpe alludit Scriptura. Ephefii Magiæ ftudio nimium operam dederant, quemadmodum ex Actis 19. 19. innotefcit: Pravum hoc eorum ftudium illis in memoriam revocat Apoftolus, eifque præcepta tradit, quomodo fidem falvare poffint, atque refiftere Dæmonibus, ob eorum defectionem irritatis.

QUI NUNC OPERATUR IN FILIIS DIFFIDENTIÆ.] Hoc nequaquam innui, juftos a Dæmone non tentari; tentantur enim, fed refiftunt; impugnantur, fed victoriam reportant. Poteft Dæmon permittente Deo juftos in bonis, & corporibus illorum affligere, quemadmodum in utroque Job laceffitus fuit; poteft morbos,
D calamitates, atque mortem ipfam inferre. Evangelium, atque ipfe etiam S. Paulus teftantur, hominum peccata nonnumquam Dæmonum obfeffionibus, vel aliis corporeis infirmitatibus puniri. Numquam tamen nos in peccatum poteft impellere, nifi per fuggeftionem; neque fuperari poffumus umquam, nifi affentiamur. Verum

1 Quædam Exemplaria legunt: *Et vos convivificavit, cum effetis mortui.* Ita Edit. Sixti V. Pelagius, aliæ quæd. Editiones Biug. 2 Apoc. 2. 11. *Non lædetur a morte fecunda.* Ita & 20. 6. 14. ac. 8.
3 Κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου. 4 Heinfius Exercit. facr. pag. 433. 445.
5 2. Petri 2. 4. Jud. verf. 6. 6 Vide Grot. & Dinf. hic.
7 Vide Grotium hic, & noftram Differtationem in bonos, & malos Angelos.
8 Pfell. pag. 63. Edit. Colonienf. 1612.

cum est, terribilem illius esse nequitiam, furorem, dolos; quapropter a Deo quotidie petimus, ne nos inducat in tentationem, sed nos a malo Dæmone liberet. Attamen juvante Deo possumus semper inimico resistere. *In filios diffidentiæ*, ille præsertim [1] suum Imperium exercet in Judæos incredulos [2], & in Ethnicos, qui veritatis verbum rejiciunt: hi enim superbia, ambitione, inobedientia sua majorem hosti locum tribuunt; cæterum Deus eos sibi derelinquit, atque meretur, ut supernaturalibus auxiliis destituantur, sine quibus inimicis suis resistere minime possunt.

℣. 3. IN QUIBUS, & NOS OMNES ALIQUANDO CONVERSATI SUMUS.] Nos quoque olim in iisdem erroribus versati sumus secundum carnis desideria viventes. Vel nos ipsi olim fuimus ex numero horum *filiorum diffidentiæ*: nam ea verba *in quibus* [3] hoc in loco non carent æquivoco. Præstat tamen priorem sensum sectari. Apostolus satis familiari Orationis figura dignatur se se iis subjicere probris, quibus eos, ad quos loquitur, percere debet. Ita verba facit, quasi & ipse in Idolorum cultu, in Magia, atque scelere fuisset versatus, vel etiam quasi in Judaica Religione, non secus ac plerique Judæi turpissimis addictus flagitiis vixerit; licet alibi [4] se in Religione Patrum suorum ab omni crimine vacuam vitam duxisse testetur. Eramus olim sine ulla exceptione demersi in sceleribus, & in odio Dei. Judæi quoque non secus ac Ethnici secundum desideria carnis vivebant, & erant *natura filii iræ, sicut & cæteri*. Deus juste illos oderat, ideoque erant filii perditionis, atque æternis suppliciis dignissimi. *Si filii iræ, ergo filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ* [5]. S. Augustinus [6], & Latini Patres, qui illum sequuti sunt, hoc de Originali peccato intellexerunt, quo in oculis Dei nocentes efficimur. Id Apostolus exprimit per ea verba: *Natura filii iræ*: non quod homo a Deo in corruptione creatus fuerit, atque peccato, æternisque suppliciis destinatus: sed talis factus est propter primi hominis scelus, cujus pœna ad omnes posteros ejus migravit.

Alii [7] eam vocem *Natura* explicant *vere, prorsus, omnino*; Eramus vere filii iræ: quem sensum apud veteres nonnullos inveniri S. Hieronymus animadvertit; qui tenet tamen, hoc in priori sensu a nobis proposito esse intelligendum. Hunc sane omnes fere Interpretes amplectuntur: at secundus nihil habet, quod priori adversetur; nam per Originale peccatum vere sumus, & prorsus, & per nativitatem nostram filii iræ. Naturalem peccati statum opponit Apostolus statui gratiæ, ad quem ex JESU CHRISTI bonitate fuimus vocati. Vide ℣℣. 5. & 8. Gratia estis salvati.

℣. 4. DEUS AUTEM, QUI DIVES EST IN MISERICORDIA . . . ℣. 5. . . VIVIFICAVIT NOS IN CHRISTO.] Eruit nos de morte peccati, de sepulcro, de ignorantia, & oblivione Dei. ℣. 6. *Conresuscitavit, & consedere fecit in Cælestibus in CHRISTO JESU*. Fides, Baptisma, & Gratia, quam recepimus, adeo certa sunt futuræ resurrectionis, & glorificationis nostræ in Cælo pignora, ut quodammodo dici jam queat, nos his bonis jam frui. Hæc ipsa possidemus in persona Capitis nostri [8], qui non permittet, ut a se in æternitate divellamur. Conversio nostra jam quædam est species resurrectionis, quemadmodum JESUS CHRISTUS innuit apud S. Johannem 5. 25. *Venit hora, & nunc est*

A *quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent*. Vide S. Augustinum tractatu 22. in S. Johannem num. 7.

℣. 7. UT OSTENDERET IN NOBIS.] Non semel jam ostendit [9], vocationem, atque electionem nostram omnino ex parte Dei esse gratuitas, & ipsum non alia impulsum fuisse ratione, nisi ut gloriam suam cum in æternitate, tum in futuris sæculis coram omnibus hominibus compararet. *In sæculis supervenientibus*.

℣. 8. GRATIA ENIM ESTIS SALVATI PER FIDEM [10].] Per naturam vestram corruptam eratis filii iræ; per JESU CHRISTI gratiam, ac vestram vocationem ad fidem facti estis filii Dei. Quatenus filii Adam debitum contraxistis, quod vos morti subjicit, & peccato; sed per gratiam, & misericordiam Dei ex B utroque estis erepti. Fides vos salvos facit, & fides ipsa *Dei donum est* [11]. Ita ℣. 9. *Non ex operibus, ut ne quis glorietur*, quasi aliquod habeat meritum, quod illi vocationem, fidem, & gratiam promereri potuerat. Vult Deus, ut quodcumque bonum in nobis est, ad se referatur tamquam ad primam originem; & veluti sacrilegium punit, quidquid nobilmetipsis vendicamus.

℣. 10. IPSIUS ENIM SUMUS FACTURA, CREATI IN CHRISTO JESU.] Conversionem nostram creationi comparat, ut ostendat, nos sine ullo præcedenti merito fuisse vocatos. Non secus ac ea, quæ a Deo ex nihilo creata sunt, gloriari non possunt de essentia sua, quasi eam ipsa merita fuerint; haud aliter in nostra justificatione, & vocatione ad fidem, nullum ipsi meC ritum possumus ostentare [12]. Deus unus nos prævertit, atque, ut ita dicam, de peccati nihilo eduxit. Hoc tamen minime significat, nos liberrime consensum nostrum non præstitisse, atque fidem, & bona opera nostra non esse liberas, atque deliberatas actiones; verum S. Paulus ad Dei nos vocantis, & gratiam nobis conferentis actionem præsertim advertit. Ad hæc quidquid nos ipsi contribuimus, minime præcedit Dei vocationem, atque misericordiam. Noster ipse consensus, & nostra bona voluntas Dei donum est. *Fingimur ergo, idest, formamur, & creamur in operibus bonis, quæ non præparavimus nos, sed præparavit Deus, ut in ipsis ambulemus* [13].

℣. 11. MEMORES ESTOTE, QUOD ALIQUANDO VOS ERATIS IN CARNE.] Fideles Ephesii omnes ferme ex D Ethnica Religione ad JESUM CHRISTUM fuerant conversi, & perpauci tantum ex Judæorum sacris in CHRISTI fidem transierant. S. Paulus, ut illis ostendat apertius, vocationem ipsorum mere fuisse gratuitam, illis in memoriam revocat, quod cum per nativitatem suam essent incircumcisi, atque a Dei fœdere cum progenie Abraham percusso alieni, participes eorum minime erant, quæ Hebræis fuerant promissa; & habebantur pro populo maledicto, & derelicto: sed ex mere gratuita misericordia JESUM CHRISTUM dignatum fuisse illos in partem accersere bonorum, quæ electæ nationi concesserat, eosque in domesticorum, dilectorumque filiorum albo recensere.

E SINE DEO IN HOC MUNDO.] Sine vero Deo, sine ulla vera Religione; Ethnici enim plures falsos Deos venerabantur. Complures etiam fortasse ex Ephesiis in Atheismum ceciderant. Græcus [14]; *Athei in hoc mundo*.

NUNC

1 Ἐν τοῖς υἱοῖς ἀπειθείας. 2 Vide Coloss. 3. 6. Grot. hic.
3 Ἐν οἷς, vel παραπτώμασι, vers. 1. vel υἱοῖς ἀπειθείας, vers. 2. 4 Philipp. 3. 6.
5 August. tract. 34. in Joan. 6 August. lib. 1. retract. cap. 10. num. 3. & cap. 15. num. 6. & serm. olim 14. de verbis Apostoli, nunc 294. num. 14. *Nunc accusamus naturam; naturæ auctor Deus est, a Deo bona est instituta natura, sed per malam voluntatem a serpente vitiata est. Ideo quod fuit in Adam culpa, non natura, nobis propagatis factum est jam natura*. Vide & contra Pelag. passim. Beda hic. Prosper. lib. 1. de vocat. gent. c. 18. Fulgent. de fide cap. 26. Vide & Hieronym. Estr. Tirin. Menoch. alios passim.
7 Τέκνα φύσει ὀργῆς; id est, ἀληθῶς, καὶ γνησίως. Cyrill. Theophylact. hic. Grot. Confer Sap. 13. 1. Μάταιοι μὲν γὰρ πάντες ἄνθρωποι φύσει. 8 Theodoret. Vide & Greg. Magn. lib. 22. in Job. cap. 15.
9 Supr. cap. 1. vers. 4. 5. 6. 9. 10. 12. 10 Τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι. Alii: Τῇ γὰρ χάριτι αὐτοῦ σεσωσμένοι ἐστέ. Claromont. & S. German. G. L. Syr. 11 Theodoret.
12 Hieronym. hic: *Creatur ille qui non erat antequam fieret; aut certe de eo quod erat, transfertur in aliud: sicut & nos nunc creati dicimur in Christo Jesu. Creati utique non quia non fuimus, sed creati in operibus bonis*.
13 August. de grat. & lib. arbit. cap. 8. num. 20. 14 Ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ.

℣. 13. NUNC AUTEM IN CHRISTO JESU VOS, QUI ALIQUANDO ERATIS LONGE.] A Deo per errorem, Idolorum cultum, scelera, quibus vosmet mancipaveratis, ad illum accessistis per fidem, JESUM CHRISTUM, & Redemptionem, quam hic vobis Sanguine suo procuravit.

℣. 14. IPSE ENIM PAX NOSTRA, QUI FECIT UTRAQUE UNUM.] Qui nos Patri Cœlesti [1] reconciliat, qui nobis adoptionis gratiam acquirit; & qui ex duobus populis, Judæo videlicet, atque Gentili [2] unum facit, utrumque per eamdem fidem in Ecclesia sua congregans, & evertens *medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua*. Ex duabus domibus unam tantum effecit, muro, quo illæ sejungebantur, prostrato. Medianus hic paries erat odium, & mutua duorum Populorum contemptio, vel Legis cæremoniæ [3]. Critici quidam [4] putant, Apostolum isthic alludere ad eum parietem, quo in Templo Jerusalem atrium Gentilium ab atrio Israelitarum sejungebatur. Alienigenis capitis supplicio proposito interdictum erat, ne ultra parietem illum pervaderent [5]. Nunc paries ille, hæc separatio ablata est, duo Populi in eadem Ecclesia collecti unam tantum familiam constituunt.

At quomodonam JESUS CHRISTUS hunc parietem evertit? evertit illum *in carne sua*, vel per carnem suam, per passionem, mortem, sacrificium sui met ipsius, quod Æterno obtulit Patri. In communibus fœderibus ictendis animantium sanguis offerebatur; hic vero ad unionem inter duos Populos confirmandam proprium ille Sanguinem offert, & ad eos in perfecta charitate continendos eosdem propria carne nutrit: *in carne sua*.

℣. 15. LEGEM MANDATORUM DECRETIS EVACUANS.] Abrogavit Legem mandatorum Doctrina Evangelica [6], quam Discipulis suis tradidit, & quam cæremoniis legalibus subrogavit. Cum dicitur JESUS CHRISTUS *legem mandatorum evacuasse*, hoc nequaquam intelligendum est de moralibus præceptis; Scimus enim, Salvatorem ipsum edixisse, se in terras non ad delendam, sed ad implendam [7], & perficiendam Legem venisse. Hoc igitur ad cæremonialia præcepta coarctandum est: a quorum gravissimo, & non ferendo jugo JESUS CHRISTUS nos liberavit; ut levius, & suavius nobis jugum charitatis imponeret. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*, Matt. 11. 30.

UT DUOS CONDAT IN SEMETIPSO.] Judæus, atque Ethnicus ad fidem conversi, & in JESU CHRISTO conjuncti in eodem, in Ecclesia ipsius, in charitate ejus unum dumtaxat novum hominem efficiunt, non secus ac generosum germen sylvestri trunco insitum cum eodem coalescit, & cum eodem unam dumtaxat arborem efficit. JESUS CHRISTUS centrum est, ubi omnes conjungimur; Caput est, in omnia influens membra; omnia vitam, motum, & lumen recipiunt.

℣. 16. RECONCILIET AMBOS PER CRUCEM, INTERFICIENS INIMICITIAS IN SEMET IPSO.] Sanguinis, & mortis suæ pretio nos Deo Patri suo reconciliavit, & mutuas inimicitias, quibus Judæi, atque Ethnici distinebantur, evertit. Eas autem evertit *in semetipso*, vel per semetipsum, per mortem suam, illos in seipso conjungens. Vel potius cum Græco textu [8]: eorum inimicitias *per Crucem suam* destruxit.

℣. 17. EVANGELIZAVIT PACEM VOBIS, QUI LONGE.] Pacem ergo annuntiavit vobis, o Gentiles, qui procul eratis, ac vobis, o Judæi, qui eratis prope, per vestram voluntariis sui cognitionem, per fœdus, quod ille cum Patribus vestris percussit, per promissionem, cujus legitimi hæredes eratis. Prædicavit ille *pacem* Deum inter, & homines; inter homines etiam mutuam, inter Judæos, atque Gentiles. In Ecclesia sua omnia capiavit, collegit, congregavit. In illius nativitate Angeli & gloriam Deo, & pacem hominibus cecinere, Luc. 2. 14. Salvator Matt. 10. 34. ait, se venisse, ut in Mundum bellum, non pacem adferret: verum innuebat ea, quæ propter hominum nequitiam, licet contra mentem suam, in Evangelii prædicatione erant eventura. Illis autem, *qui longe* erant, Gentilibus non per se, verum per Apostolos suos prædicavit, quos misit, ut omnes Nationes erudirent: *euntes, docete omnes Gentes*, Matth. 28. 19.

PER IPSUM HABEMUS ACCESSUM AMBO IN UNO SPIRITU AD PATREM.] Judæi, atque Ethnici conversi æqualem habent accessum ad Cœlestem Patrem per Filium, qui noster Mediator est, & nostræ pacis, atque reconciliationis est Auctor. Per ipsum recepimus omnes Spiritum Sanctum, ardentes in nobismetipsis preces efformantem, nobisque confidentiam tribuentem, ut Deo dicamus: Abba Pater, Rom. 8. 15.

℣. 19. JAM NON ESTIS HOSPITES, ET ADVENÆ.] Coram Deo, & in sancto fœdere illius: non estis vagi, atque peregrini, quibus nulla sit certa sedes, quales ante conversionem vestram eratis, nescientes proprie, cujus essetis, neque invenientes in Ethnica Religione fundamentum, & veritatem, neque vel pro altera vita spem, vel pro ista solatium; sed nunc *Cives estis Sanctorum*; Civitatis jus obtinuistis in JESU CHRISTI Ecclesia, & estis *Domestici Dei*. Domesticorum, vel familiarium nomine non servi tantum, verum etiam filii comprehenduntur [9]. Hæc est CHRISTI fidelium prærogativa, ut sint filii Dei. Ea verba: *hospites Sanctorum, & Domestici Dei*, intelligi possunt, quasi legeremus; Vos estis cives Cœli [10], & domestici Dei; quodammodo in Cœlo jam estis; estis Cives, & hæredes illius per vestram vocationem ad fidem, atque Christianam Religionem designati.

℣. 20. SUPERÆDIFICATI SUPER FUNDAMENTUM APOSTOLORUM, ET PROPHETARUM.] Veteris Testamenti Prophetæ, & Apostoli novi illi sunt, quibus in Ecclesiæ suæ ædificio usus est Deus. Primi illi Vetus, secundi Novum fœdus confirmarunt, & utrique simul confluxerunt ad Ecclesiæ ædificationem, quæ efformata est ex Judæis, atque Gentilibus in JESU CHRISTO collectis, qui est tamquam lapis angularis utrumque ædificii murum connectens. Apostoli quidem nobis ostenderunt in Salvatoris persona, quemadmodum veteres Prophetiæ adimplerentur; Prophetæ vero, qui aliis alii subinde tot sæculorum spatio successerunt, traditionis quamdam veluti catenam conflarunt, quæ nobis vere Ecclesiæ cognitionem servavit. Ipsi nobis rationes suppeditarunt, quibus Religionis nostræ veritas probaretur, characteres illos præsignantes, ex quibus Messiam cognoscere deberemus. Ita super Apostolos, atque Prophetas fundati sumus: Hi quidem sunt Ecclesiæ fundamentum, sed JESU CHRISTO subordinati, qui primum est, atque essentiale fundamentum [11], cui totum Ecclesiæ ædificium innititur, & cui utrique illi superædificati fuerunt. Hic simul, & sine ulla contradictione fundamentum est, & Templum [12], & janua [13], & lapis angularis [14], & Architectus [15].

℣. 21. IN QUO OMNIS ÆDIFICATIO CONSTRUCTA CRE-

---

1 Confer 2. Cor. 5. 19. Mich. 5. 5. 2 Tertull. l. 5. contra Marcion. c. 17. alii passim.
3 Theodoret. Chrysost. Est. Vorst. alii. 4 Med. l. 1. Dissert. 3. Hamm. & Lud. Capell. hic.
5 1. Macchab. 9. 54. & Joseph. Antiqu. lib. 12. cap. 3. & l. 15. cap. ult.
6 Ita Patres, & Interpp. passim. Theodoret. Δόγματα δὲ τὴν εὐαγγελικὴν διδασκαλίαν ἐκάλεσε.
7 Matth. 5. 17. 8 Ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῷ; id est, σταυρῷ, de quo immediate supra locutus est. Hieronym. Syr. Grot. Pagn. Piscat. Bez. &c. Alii: Ἐν αὐτῷ: In semetipso. Ita Clarom. Sanct. Germ. L. Ambrosiast. Fulgent. lib. 2. ad Monim. Hieronymiast. Sed Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 17. In eo, supple, *corpore Christi*. 9 Grot. hic. 10 *Sancta* sæpe ponitur pro *Cœlo*. Psalm. 67. 6. 36. Hebr. 9. 12. &c. 11 1. Cor. 3. 11. 12 Joann. 2. 19. 13 Joann. 10. 7. 14 Psalm. 117. 22. Matt. 21. 42. Luc. 20. 17. Act. 4. 11. Rom. 9. 33. 15 Matth. 16. 18.

CRESCIT.] Quidquid super JESUM CHRISTUM, & super fidem fundatum non est, idem est, ac stipulæ, & ligna, super fundamentum congesta. Ignis stipulas simul, & ligna consumet [1]. Omne ædificium, petræ non incumbens subvertetur, statim ac in illud irruet procella, vel exundans torrens erumpet [2]. Ut in ædificatione Templi Dei adhibeamur, fiamus, oportet lapides viventes [3], esse, atque JESU CHRISTI ipsius manu præparati, qui nisi domum construxerit, in vanum adlaborant, qui eamdem ædificare contendunt. Deus unus in nobis sui ipso dignam sedem efficere potest: verum non efficiet, nisi nostræ cooperationis, sollicitudinis, laboris, illius gratia favente accessio fiat.

1 1. Cor. 3. 11. 2 Matth. 7. 25. 3 1. Petri 2. 5. Vide Hieronym. hic.

CAPUT III.

Paulus pro Evangelio captivus. Vocationis Gentilium mysterium illi revelatur, & Provincia ejusdem explendi illi concreditur. Ideo in vinculis est. Deum orat, ut Ephesios in Fide, Charitate, atque Cælestium rerum scientia confirmet.

1. HUjus rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis Gentibus; 2 Si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: 3 Quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi: 4 Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi: 5 Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, & Prophetis in Spiritu, 6 Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium: 7 Cujus factus sum minister, secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus. 8 Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, 9 Et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit. 10 Ut innotescat principatibus, & potestatibus, in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, 11 Secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro: 12 In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem ejus: 13 Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra. 14 Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, 15 Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur. 16 Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, 17 Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, & fundati, 18 Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, 19 Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. 20 Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus secundum virtutem, quæ operatur in nobis: 21 Ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Jesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

℣. 1. HUJUS REI GRATIA EGO PAULUS VINCTUS CHRISTI.] Hæc propositio imperfecta est, eumque S. Paulus eidem verbum minime addiderit, Interpretibus integrum reliquit, ut quilibet, quod magis vellet, verbum suppleret. S. Hieronymus; ideo aperuit mihi Deus mysterium vestræ vocationis ad fidem, ut illud vobis detegerem. Veteres quidam MSS. Græci [1]: *ideo ego Paulus . . . : erga vos legati munere fungor pro Jesu Christo*. MSS. quidam Latini [2]: *hujus rei gratia ego Paulus pro vobis Gentibus postulo*: quod mihi videtur ℣. ℣. 13. & 14. cap. hujus respicere: *propter quod peto, ne deficiatis . . . .* & : *hujus rei gratia flecto genua ad Patrem &c.* Alii [3]: *quamobrem vos hortor*; quod desumptum est ex ℣. 1. c. 4. Alii [4]: *qua propter hac de re glorior*. Vel tandem: *ideo scribo ad*

1 Τούτου χάριν ἐγὼ Παῦλος πρεσβεύω ὑπὲρ ὑμῶν. Ita Steph. ιε. Clarom. S. Germ. Græc. Ambrosiast. ex Ephes. 6. 20. Ita & Castal. Vatab. 2 Clarom. & S. Germ. Lat. *Pro vobis Gentibus postulo*. Vide vers. 13. 14. Ita Zanch. Piscat. 3 Est. Hamm. ex Ephes. 4. 1. 4 Ita MS. apud Steph. Καυχῶμαι. Beza ex Philipp. 2. 16.

bis ad vos. Vel etiam; *hujus rei gratia*, pro harum veritatum, & Evangelicæ Libertatis defensione *hodie in vinculis sum*. Omnes hæ vertendi rationes suos habent patronos, suamque probabilitatem.

℣. 2. SI TAMEN AUDISTIS DISPENSATIONEM GRATIÆ DEI.] Videtur S. Paulus isthic ambigere, utrum Ephesiis exploratum esset, se ab Ecclesiis, & eodem JESU CHRISTO destinatum fuisse, ut esset Apostolus Gentium: quod illis suffragaretur, qui Epistolam hanc ab Apostolo, antequam Ephesum venisset, scriptam fuisse arbitrantur. Sed Græcæ voces verti possunt [1]: *quandoquidem procul dubio didicistis*, mihi mandatum fuisse, ut Gentilibus præsertim prædicarem.

℣. 3. SECUNDUM REVELATIONEM NOTUM MIHI FACTUM EST SACRAMENTUM.] Vocationis Gentilium ad fidem, & Judæi populi cum Gentilibus in una, eademque Ecclesia conjunctionis, *de qua ut vobis scripsi* superioribus in capitibus [2] *brevi*. Hoc non est mentis meæ adinventum, neque munus, quod ex mea electione proficiscatur: sed ipse JESUS CHRISTUS mihi revelavit mysterium, de quo vobis loquutus sum; ille mihi eam tradidit provinciam, quam tot annos exerceo, & propter quam hodie in vincula redactus sum. Accepit Sanctus Paulus vocationem suam, atque horum mysteriorum revelationem, non solum post conversionem suam, quæ Damasci accidit [3], verum etiam cum aliquot post annos [4] ad tertium usque Cœlum raptus fuit; ubi didicit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Nonnulli ex his verbis in eam sententiam adducti sunt, ut crederent, S. Paulum ante hanc etiam Ephesiis Epistolam conscripsisse.

℣. 4. POTESTIS LEGENTES INTELLIGERE PRUDENTIAM MEAM IN MYSTERIO CHRISTI.] S. Paulus in vinculis statu jam confecta mortem, ut ita dicam, ob oculos sibi versari videns hoc in loco adeo fidenter loquitur, ut sermo illius ab ea modestia, & verecundia, quam in alia qualibet occasione præ se tulit, abhorrere videatur. Verum eo in statu, in quo erat, illum ab omni vanitatis suspicione abfuisse facile intelligere possumus. Vir adeo sanctus, & gravis, qui in vinculorum squalore versatur, & qui mortis suæ sententiam præstolatur, superbiæ illecebris profecto non tentatur: & humilitas, qua de se ipso verba facit, duobus, vel tribus versiculis infra satis probat, illum inanem hominum existimationem nullo in discrimine habuisse.

Obiter ostendit discipulis suis, quod si quid sublimius de vocatione ad fidem disseruit, hic non est studiorum suorum fructus, sed donum Dei; ℣. 5. *quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est Sanctis Apostolis ejus, & Prophetis* Novi Testamenti *in Spiritu* [5]. Ad unum Deum revelationis hujus gloriam refert acceptam. Non negat omnino, mysterium hoc antiquis Patriarchis, atque Prophetis [6] cognitum fuisse, verum hoc illi longe aliter cognoscebant, ac Apostoli, & fideles, quibus revelatum fuit. Prophetiæ aliqua semper nube involutæ sunt; Apostoli vero oculis suis videbant complementum eorum, quæ antiquis fuerant promissa. Spiritus Sanctus uno, eodemque intuitu efficiebat, ut illi & veteris Testamenti figuras, atque promissiones, & earum complementum in novo viderent. In JESU CHRISTO, atque in iis, quæ ob oculos suos in Gentilium conversione contingebant, inveniebant sane plurimarum difficultatum, quibus Sacra Biblia referta sunt, & quæ hactenus inexplicabilia videbantur.

℣. 6. GENTES ESSE COHÆREDES.] Hoc est mysteA rium, de quo modo loquutus est. Legebant Judæi in Prophetiis futurum, ut Messias Nationibus omnibus dominaretur, omnes Terrarum Populi illum agnoscerent, & adorarent: verum numquam arbitrari poterant ex alienis Gentibus Ecclesiam esse componendam, atque electum Domini Populum constituendum: illas promissionum Abrahæ participes, atque hæredes futuras; denique vel pares, vel etiam superiores in regno Dei primogenitis fore. Esto quidem, si Gentiles in Sacra Moysis transiissent, atque Circumcisioni, aliisque cæremoniis se se subjecissent: verum quod promissionum hæredes haberentur, quin illas reciperent, hoc quidem Judæi numquam assequi potuerunt, & ad hanc usque diem illis est scandali argumentum [7]. Mysterium hoc S. Paulus cognovit, atque vehemenB tius, apertius, fusius, quam aliud quodvis, explicuit. Hoc præcipuum erat sui Apostolatus officium. Versic. 7.

℣. 8. MIHI OMNIUM MINIMO DATA EST GRATIA HÆC.] Annuntiandi Gentilibus incomprehensibiles misericordiæ JESU CHRISTI divitias: hæc mihi Provincia demandata fuit. Verum quomodonam se minimum Sanctorum, vel fidelium appellat? Numquid hoc vere dicere poterat? & advertε, ipsum non dicere, ut alibi [8], *se minimum esse Apostolorum*; sed *minimum Sanctorum* [9], Ecclesiæ novissimum, quasi virtute proficiens, vel humilitate cresceret, vel decresceret meritis. Seipsum cum aliis non confert, nisi quatenus olim JESUM CHRISTUM in membris ejus fuerat persequutus, & quod nimis falso zelo fuerat correptus [10].
C Hoc in sensu fidelium minimum se esse arbitrabatur. Altissima humilitatis sensu hoc ait, quo semper licet asserere [11], quod qui major est, fieri debet tamquam minor, & qui primus, tamquam novissimus.

℣. 9. QUÆ SIT DISPENSATIO SACRAMENTI ABSCONDITI A SÆCULIS IN DEO.] Sacramentum hoc non aliud est, quam mysterium illud, de quo hactenus verba fecit; vocatio Gentilium ad fidem, honor, quo fiunt participes promissionum Abrahæ, & quo in eadem JESU CHRISTI Ecclesia una cum Judæis conversis ad unum dumtaxat populum constituendum coalescunt. *Hoc mysterium absconditum est a sæculis in Deo*, in decreto præscientiæ, & prædestinationis ejus; vel etiam absconditum, quia quoad circumstantias complementi sui, nonnisi vage satis, atque confuse, Sanctis, atque
D Prophetis fuit manifestatum. Vide ℣. 5.

℣. 10. UT INNOTESCAT PRINCIPIBUS, & POTESTATIBUS IN CŒLESTIBUS.] Ut Principatus, & Potestates, quæ sunt in Cœlo, in Ecclesia, vel in ea ratione, quam sequutus est Deus Ecclesiam suam constituens cognoscant, quænam sit altitudo Sapientiæ Dei *multiformis*. Non homines solum plaudunt, atque admirantur Sapientiam Dei in ea œconomia, quam in Ecclesia sua instruenda servat; verum obstupescunt etiam Angeli, atque Cœlestes virtutes, quæ antea [12] forsan non adeo distincte mysterium noverant; quomodo Judæus populus cum Gentili in fide eadem, atque in una Ecclesia coalescerent; quod nunc intellexerunt ex ea sapientissima ratione, qua Deus magnum illud mysterium explevit [13]. Ita Patres, atque Interpretes vulgo
E hunc explicant locum.

Recentiores quidam [14] alium sensum appingunt: tenent *Principatus, & Potestates*, de quibus loquitur Paulus, esse Potestates temporales, atque sæculares [15], puta Herodem, Felicem, Festum, Agrippam, & Magistratus Urbium, ubi Apostoli prædicaverunt Evangelium: hi Mundi Principes Dei Sapientiam intellexu-

1 Εἴγε ἠκούσατε. *Siquidem audivistis*. 2 Theodoret. Est. Grot. Zanch. Tir.
3 Act. 9. 15. 22. 21. 4 2. Cor. 12. 1. 4. 7. 5 Est. Grot. Men. Tir. Vorst. alii.
6 Hieronym. Chrysostom. Theodoret. Est. alii. 7 Vide Ambrosiast. Primas. alios ad vers. 5.
8 1. Cor. 15. 9. Chrysostom. 9 Erasm. Grot. Est. Menoch. &c.
10 Ἐμοὶ τῷ ἐλαχιστοτέρῳ. 11 Matth. 20. 27. Vide Hieronym. hic.
12 Theodoret. Ita & Chrysostom. Theophylact. August. Hieronym. D. Th. Est. Grot. alii.
13 Vide 1. Timoth. 3. 16. *Magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus*. Vide & 1. Petri 1. 12. *In quem desiderant Angeli prospicere*.
14 Vide Knatchbull. Heins. Gataker. Zanch. Pisc. Vorst. Zeger. 15 S. Luc. 12. 2. & S. Paulus Tit. 3. 1. designat Principes sæculares, principatuum, & potestatum nomine.

lexerunt in Ecclesiæ institutione. Itaque vertendam esset: *Principes, & Potestates nunc per Ecclesiam cognoscunt Dei Sapientiam, quæ tot variis rationibus se se prodidit in iis rebus, quæ ad Cœlum pertinent.* Verum hæc explicatio triplici ex parte laborat: primum quod a communi Patrum, atque Interpretum sententia recedit: deinde quod separat *in Cœlestibus* a nomine *Potestatum, & Principatuum*, licet S. Paulus illa conjungens satis ostendat, se Potestatum ac Principatuum nomen, quod æquivocum est, non ad terrenos Principes, sed ad primos Angelorum ordines indigitandos usurpare. Tertio demum, quod explicatio verbi illius *in Cœlestibus* de iis rebus, *quæ ad Cœlum pertinent*, opposita videtur menti S. Pauli, qui in hac Epistola non semel [1] eadem utitur voce ad locum, ubi Angeli in Cœlo permanent, innuendum.

B MULTIFORMIS SAPIENTIA DEI [2].] De Sapientia, quæ tot varias habet formas, quæ tot modis variatur per effectus suos [3], prudentiam, scientiam, prophetiam, aliaque Spiritus Sancti dona, quæ effundit in Ecclesiam, per modos eos, quibus nostram salutem procurat, per eam rationem, qua usa est erga electos suos ab ipsis Mundi primordiis, & tandem per diversos gradus, per quos ad Ecclesiam suam instituendam pervenit, eo in statu in quo visa fuit sæculis illis, quæ JESUM CHRISTUM subsecuta sunt; denique per diversa fœdera, quæ Deum inter ac hominem sancita fuerunt, antequam ad illud perveniretur, quod JESUS CHRISTUS cum Ecclesia sua, atque natura humana percussit. Deus primum quidem fœdus icit cum Adam, mox cum Noe, deinde cum Abraham, tandem cum Moy- C se. Postremum hoc sæpius iteratum fuit quindecim sæculorum spatio, quibus viguit Lex: verum hæc omnia figurativa erant dumtaxat, atque provisionalia, donec veniret magnum illud fœdus, quod JESUS CHRISTUS vobiscum icit, ad finem usque sæculorum duraturum. Vide sequentem ℣.

℣. 11. SECUNDUM PRÆFINITIONEM [4] SÆCULORUM, QUAM FECIT IN CHRISTO.] Ab æterno cupiebat Deus perfectam sibi efformare Ecclesiam ex veris cultoribus in spiritu, & veritate compositam, quod ille consilium Evangelii prædicatione, & Gentilium vocatione ad fidem explevit. Hoc illud mysterium est, quod Angeli, atque homines admirantur, atque omnibus sæculis admirabuntur. Profecto, si serio velimus perpendere eam rationem, qua Deus cum hominibus e- D git omni eo tempore, quod JESU CHRISTI adventum præcessit, ibi videbuntur effecta altissimæ Sapientiæ, atque admirabilis œconomiæ, qua Deus omnia dispensabat, ut sensim homines disponerentur ad infirmitatem suam cognoscendam, atque fatendum se Divini Liberatoris opera indigere. Adam in Terrestri Paradiso in inobedientiam cadit, atque omnibus suis prærogativis exuitur; mox per pœnitentiam se se colligit, atque in spe venturi Messiæ humanis decedit. Universum genus illius in gravissima ruit flagitia, & omnes simul per diluvium communi excidio scelerum pœnas luunt. Noe gratiam invenit in oculis Dei, atque fit novæ sobolis auctor. Nationes iterum obliviscuntur Domini, qui deinde eligit Abraham, & posteros ejus, ut sibi electum Populum constituant. Populus hic cor- E rumpitur, & in Ægypto adolet Numinibus thura: Deus illum de ea regione educit, & cum eo ferit fœdus, eidem per Moysem Legem suam irrogans. Non potuit Lex inhibere studium illud, quo Israel in Idolorum cultum ferebatur; sed post varia, atque repetita flagitia irritatus Dominus eorum infidelitate, eos trans Euphratem transferri jussit; ubi septuaginta captivitatis

A annorum spatio ii, qui nequiores erant, & scelestiores interierunt. Reduxit in Palæstinam partem populi sui ab Idololatriæ sordibus expiatam: quæ nisi Idola venerata fuit, non iden tamen in leviora facinora decidit. Superbia, hypocrisis, morum depravatio, Legum corruptio, nimia confidentia, in cæremoniis prorsus extrinsecis ibi dominabantur, cum inter illos JESUS CHRISTUS apparuit. Gentiles interim Idolis se se mancipaverant, in gravissimis erroribus alte demersi, & nequissimis flagitiis addicti. Ex duobus his populis, qui æquis ferme criminibus diffluebant, JESUS CHRISTUS sanctam, mundam, perfectamque Ecclesiam constituit. Hoc videlicet est maximum potentiæ, & sapientiæ miraculum, quo majus animo tibi fingere minime valeas.

B ℣. 12. IN QUO HABEMUS FIDUCIAM.] Ad Deum confugiendi, eum Patrem nostrum vocandi, eique preces nostras effundendi, certi quidquid ea eo in nomine Filii ipsius petierimus, nos per merita ejus impetraturos, juxta ea, quæ Salvator in Evangelio spopondit [5]. Quapropter Ecclesia omnes orationes suas concludere consuevit: Oramus, & obsecramus *per Dominum Nostrum JESUM CHRISTUM Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in sæcula sæculorum.*

℣. 13. PROPTER QUOD PETO, NE DEFICIATIS IN TRIBULATIONIBUS MEIS PRO VOBIS.] Mala, quæ patimur, vobis cedunt in gloriam, quoniam gloriari potestis, Apostolum vestrum nihil prædicasse, cujus vitæ ipsius impendio testimonium perhibere paratus non sit. Vis, & constantia mea satis probant veritatem, quam tueor. Græcus ita C potest explicari: *Deum oro, ut permittat, ut animo deficiam inter ea mala, quæ amore vestri patior, hæc enim est gloria vestra.* Ærumnæ meæ, vel patientia mea, sunt gloria vestra. S. Hieronymus, Theodoretus, & Syrus in postremum hoc explicant sensu: *Deum oro, ne permittat, ut vincar adversis*; sed Patres, atque Interpretes priorem sensum amplectuntur: *peto, ne deficiatis in tribulationibus meis*, quæ patior pro vobis.

℣. 14. HUJUS REI GRATIA FLECTO GENUA MEA.] Ut obtineam vim, atque constantiam inter pœnas, quas me pati videtis, ne hoc esse malum, sed bonum, & effectum Divinæ erga me benevolentiæ existimetis: *quæ enim pressuræ apud incredulos pœnæ sunt, apud fideles gloria, atque victoria*, S. Hieronymus ad vers. 13. in- D quit. Corporis habitus, in quo videmus S. Paulum genua flectentem, Orationis fervorem significat; pœnitentiæ tempore Ecclesia genibus flexis sua concipit vota. S. Paulus sæpe de genu preces Domino effudit [6]; similiter etiam S. Stephanus obsecravit pro lapidantibus se [7], & S. Petrus cum Tabitam ex mortuis suscitavit, Act. 9. 40.

℣. 15. EX QUO OMNIS PATERNITAS IN COELIS, ET IN TERRA.] Hoc simile est illi, quod ait JESUS CHRISTUS in Evangelio Matth. 23. 9. *Et Patrem nolite vocare vobis super Terram: unus est enim Pater vester, qui in Cœlis est.* Hi omnes, qui in terris Patres vocantur, hoc nomine appellantur, quod participes quodammodo sunt auctoritatis Patris Cœlestis, atque supereminentis Paternitatis ejusdem. Græcus verti potest [8]: *a quo nomen ca-* E *pit omnis familia, quæ est in Cœlo, & quæ est in Terra.* Quæritur, utrum hoc ad Patrem Cœlestem, an ad JESUM CHRISTUM, quorum uterque immediate supra memorantur, sit referendum? Veteres quidem MSS. omittunt *Nomen Domini Nostri JESU CHRISTI* versiculo superiori [9]; quod plerosque Veterum, atque recentiorum Interpretum adegit [10], ut hæc verba, *Ex quo omnis Paternitas*, ad Cœlestem Patrem referrent.

Hic

1 Ephes. 1. 3. 20. & c. 6. 12. Vide & Philipp. 2. 10. &c.   2 Ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ.
3 Clem. Alexandr. lib. 1. strom.   4 Κατὰ πρόθεσιν: *Secundum propositum; vel decretum.*
5 Joann. 14. 13. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Et 15. 16. *Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Et 16. 23. *Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*   6 Act. 20. 36. 21. 5.   7 Act. 7. 59.
8 Ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς, καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται.
9 Græc. Πρὸς τὸν Πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Omittunt τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, Alexandr. Colb. 7. Æthiop. Copht. Hieronym. Codd. Græci tempore Hieronymi.
10 Ita Patres, & Interpp. passim.

Hic fons est, caput, & Pater totius Cœlestis, atque Terrestris familiæ; omnes homines, & omnes Angeli illum, tamquam Patrem, atque Dominum suum venerantur. Potest tamen hoc æque & ad filium referri *Dominum Nostrum JESUM CHRISTUM*, qui immediate supra in Vulgata, in omnibus ferme Græcis, atque omnibus Latinis Exemplaribus [1] memoratur. Hic vere caput est, & Pater totius familiæ Cœlestis, atque Terrestris, Militantis, atque Triumphantis Ecclesiæ, hominum, atque Angelorum; cumque innuere voluit Apostolus cap. 1. ℣. 10. dicens, omnia ad ipsum referri, atque ipsum constitutum esse *supra omnem Principatum, & Potestatem, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam*, Ephes. 1. 21.

℣. 16. Virtute corroborari [2] per Spiritum ejus in interiorem hominem [3].] Pater Cœlestis per misericordiam suam vobis Spiritum Sanctum suum tribuat, atque fortitudine repleat, ut inter mala ea, quæ patimini, & quæ nos ipsi patimur, vos regat, vobis ærumnarum utilitatem ostendat, vobisque animum tribuat, impiorum irrisiones, atque contumelias spernendi. *Homo interior* est anima spiritus. Si extrinsecus corpus vestrum afflictionibus opprimitur, anima vestra intrinsecus lætitia, atque pace fruatur.

℣. 17. Christum habitare per fidem in cordibus vestris.] Habitat Jesus Christus in cordibus nostris per fidem, cum credimus iis omnibus, quæ nobis revelavit, atque ita vitam instituimus, ut per charitatem, atque morum integritatem dignos nos probemus, qui Templa simus ejusdem. Syrus, & plures Græci Patres hoc superiori versiculo adnectunt: *Secundum hominem interiorem habitet JESUS CHRISTUS in cordibus vestris*, non obiter, atque in superficiem, sed in æternum, atque altius in vobis inhabitet.

℣. 18. Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.] Textus non exprimit, quodnam sit illud, cujus latitudinem, longitudinem, sublimitatem, & profundum Ephesios, omnesque Sanctos cognoscere velit; supplendum tamen censemus *mysterium vocationis Gentilium*, de quo hactenus sermo fuit [4]. Illius *longitudinem* intelligimus, cum animadvertimus Deum hoc prævidisse, & ordinasse ab æterno. *Latitudo* ejus in eo posita est, quod ad omnes Nationes extenditur, quarum nulla est, quæ fœderi admitti minime possit. *Profundum* significare potest, vel mysterii hujus profunditatem, vel ignorantiam illius, quæ usque ad Jesu Christi Resurrectionem viguit, vel Jesu Christi [5] Resurrectionem, ejus descensum ad Inferos, & resurrectionem mortuorum, quam per virtutem suam est operaturus. *Sublimitas* tandem, vel mysterii hujus altitudinem significat, quod supra cognitiones nostras adeo positum erat, antequam nobis revelaretur, vel Jesu Christi super Cœlos Ascensionem.

Job in eodem ferme sensu ait c. 11. 8. 9. *Omnipotens excelsior Cœlo est, & quid facies? profundior Inferno, & unde cognosces? longior Terra mensura ejus, & latior Mari:* ad quem locum Sanctus Paulus alludere voluisse videtur.

Alii [6] hoc ita explicant: Utinam recte intelligatis, quænam est *longitudo, latitudo, profundum, & sublimitas* charitatis, qua vos diligit Deus, & misericordiæ, quam erga vos exercuit. Hic sensus a priori re ipsa minime abhorret, quoniam vocatio Dei effectus est meræ illius misericordiæ; neque animo perpendere possumus magnitudinem mysterii vocationis Gentilium ad Fidem, quin beneficium Patris Cœlestis mere gratuitum intelligamus.

S. Augustinus [7], S. Gregorius Nyssenus Orat. 1. S. Hieronymus, S. Bernardus de Amore Dei cap. 11. S. Anselmus, Vener. Beda, aliique plures hoc sæpius explicarunt de Cruce Domini Nostri, quæ quatuor partibus suis tribuit quatuor dimensiones, hoc in loco ab Apostolo memoratas. Hilarius Diaconus, S. Gregorius Magnus l. 11. Moral. cap. 10. idem S. Bernardus l. 5. de Consider. aliique plures hoc intelligunt de Divinitate, in qua longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum in æternitate, charitate, majestate, & sapientia, vel in charitate, patientia, incomprehensibilitate, justitia inveniuntur: sed hujusmodi explicationes arbitrariæ sunt, & morales potius, quam litterales.

℣. 19. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.] Scire videlicet amorem Jesu Christi erga nos, qui omnem cognitionem excedit [8]. Vel scire excellentem charitatem, quæ oritur ex cognitione, quam de Jesu Christo habemus [9]: sed prior versio e pluribus probatur [10]. Repleat vos Deus cognitione illius charitatis, qua vos Jesus Christus amavit, & quæ omnem captum, omnem cognitionem, & dicendi facultatem excedit. *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*: ut cognitione repleti cumulari quoque possitis perfruitione [11] Dei ipsius, & suis donis, quæ hic suis amicis impertit [12], vel denique perfecta Dei ejusdem cognitione [13]; ita ut de vobis dici possit, *quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & omni scientia* . . . *ita ut nihil vobis desit in ulla gratia*, 1. Cor. 1. 5.

℣. 20. Ei autem, qui potens est omnia facere . . ., secundum virtutem, quæ operatur in nobis ℣. 21. ipsi gloria.] Deum laudare debemus, qui tribuere potest, immo plura tribuit, quam quæ nos petere possemus. *Virtus, quæ operatur in nobis*, est spiritus, et gratia ejus, qua illuminamur, et animamur, et per quam facimus quidquid boni facimus, et sumus quidquid sumus.

1 Vide var. Lect. Mill. 2 Alii: *Virtutem corroborari*. Ita Claromont. & S. German. Lat. Ambrosiast. Hieronymiast. Sixti V. Sed Græc. Δυνάμει κραταιωθῆναι: *Virtute corroborari*.
3 Alii: *In interiori homine*. Ita Sixti V. Est. Sed Græc. Εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον.
4 Photius, Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Ita Est. Sacch.
5 Vide supra vers. 5. 9. 10. 6 Chrysostom. Vatab. Grot. Camerar. Menoch. alii plures.
7 Augustin. de Doctrina Christ. lib. 2. cap. 41. in Joan. tract. 118. serm. 7. de verbis Apostoli, & Epist. olim 12. nunc 147. 8 Γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ. Alex. Ἀγάπην τῆς γνώσεως. Syr. omittit γνώσεως. Augustin. Ambrosiaster. Æthiop. *Scientiam charitatis*.
9 Grot. Hieronym. hic: *Nec ille fio terminus habere notitiam supereminentis charitatis Christi, nisi addamus & aliud, ut supereminentem charitatem scientiæ consequamur*.
10 Vatab. Est. Menoch. Tir. Bez. Pisc. alii. 11 Theodoret. Ἵνα τελείως αὐτῆς ἀπολαύσητε.
12 Est. Grot. Menoch. 13 Vatab. D. Thom. Zancl. Tirin. &c.

CAPUT IV.

Adhortatio ad Charitatem. Varia Spiritus Sancti dona in Ecclesiæ ædificationem tradita. Idololatriæ vanitas. Novum hominem induere oportet. Mendacium, iram, ultionem, deserere opus est.

1. OBsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatio-
ne, qua vocati estis; 2 Cum omni humilitate, & mansuetudine, cum
patientia, supportantes invicem in charitate, 3 Solliciti servare unitatem
Spiritus in vinculo pacis, 4 Unum corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis
in una spe vocationis vestræ. 5 Unus Dominus, una fides, unum baptisma. 6
Unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omni-
bus nobis. 7 Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram dona-
tionis Christi: 8 Propter quod dicit: Ascendens in altum captivam duxit capti-
vitatem: dedit dona hominibus. 9 Quod autem ascendit, quid est, nisi quia &
descendit primum in inferiores partes terræ? 10 Qui descendit, ipse est, & qui
ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. 11 Et ipse dedit quosdam qui-
dem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem
pastores, & doctores, 12 Ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in
ædificationem corporis Christi; 13 Donec occurramus omnes in unitatem fidei, &
agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi;
14 Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ
in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. 15 Veritatem au-
tem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus,
16 Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam submi-
nistrationis; secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum
corporis facit in ædificationem sui in charitate. 17 Hoc igitur dico, & testificor
in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus
sui, 18 Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per igno-
rantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. 19 Qui desperantes,
semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avari-
tiam. 20 Vos autem non ita didicistis Christum, 21 Si autem illum audistis, &
in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu, 22 Deponere vos secundum pristi-
nam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erro-
ris. 23 Renovamini autem spiritu mentis vestræ, 24 Et induite novum homi-
nem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis. 25 Pro-
pter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo
suo; quoniam sumus invicem membra. 26 Irascimini, & nolite peccare: sol non
occidat super iracundiam vestram. 27 Nolite locum dare diabolo: 28 Qui fura-
batur, jam non furetur, magis autem laboret, operando manibus suis, quod bo-
num est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti. 29 Omnis sermo malus
ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gra-
tiam audientibus. 30 Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei; in quo signati
estis in diem redemptionis. 31 Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & cla-
mor, & blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. 32 Estote autem invi-
cem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis.

V. 1. OBSECRO VOS EGO VINCTUS IN DOMINO, UT DIGNE AMBULETIS VOCATIONE VESTRA.] Et eo statu, ad quem in Ecclesia sua vos Jesus Christus vocavit, ut A sitis Sancti, & perfecti coram illo [1]. Hoc in loco se *vinctum in Domino* dicit [2], quemadmodum supra vinctum Christi Jesu dixerat, vincula, & fidem suam sibi gloriæ vertens. Sunt, qui eam vocem *in Domino* referant

1 Ephes. 1. 4. 2 Ephes. 3. 1.

tant ad *obsecro vos*; vos inquam in Domino obtestor, A ego qui in vinculis sum; verum hic sensus Sectatores non habet.

℣. 2. CUM OMNI HUMILITATE, ET MANSUETUDINE.] Merito humilitatem antefert reliquis virtutibus, quas Ephesiis commendat; ea quippe patens est, ut princeps virtutum, ædificii spiritualis, & Christianæ perfectionis fundamentum [1]. Hæc virtus Philosophis ignota [2], & parum cognita Judæis, a Mundo vero contempta, adeo necessaria saluti est, ut sine eadem virtutes ipsæ in vitia convertantur. Credit Theodoretus, ab Apostolo humilitatem in primis commendari, ne intrinsecus secreta quadam ambitione glorianentur ob supernaturalia Spiritus Sancti dona, quibus erant repleti; & ne ii, qui majorem partem fuerant consequuti, eos contemnerent, qui minorem receperant. Ju- B bet ergo, eos inter se perfectam servare concordiam, *supportantes invicem in charitate*.

℣. 3. SOLLICITI SERVARE UNITATEM SPIRITUS.] Simul vivite, quasi unam duntaxat animam, & unum corpus haberetis; quasi unus, idemque Spiritus vos animaret. Non potest melius exprimi ea charitatis perfectio, quæ debet inter Christi fideles dominari. Vel idem Spiritus Sanctus, quem in baptismate recepistis, vos animet, atque in pace conserves [3].

℣. 4. UNUM CORPUS, & UNUS SPIRITUS, SICUT VOCATI ESTIS IN UNA SPE.] Hæ tres sunt rationes, propter quas unanimes oportet esse Christi fideles. Omnes sumus unum, idemque corpus, cujus caput est Jesus Christus; omnes animati sumus, eruditi, illustrati eodem Spiritu Sancto, quem Deus super nos C effudit: omnes in eadem æternæ vitæ spe versamur. Quomodo ergo vivere possumus, quin perfectissimam foveamus concordiam? quæ vincula magis arcta, magis sacra, atque minus temerenda!

℣. 5. UNUS DOMINUS, UNA FIDES, UNUM BAPTISMA.] Hæ aliæ rationes sunt, propter quas unanimes esse perfecte debemus. Omnes sumus Filii, & Servi Dei ejusdem; omnes fidem eamdem profitemur, ac religionem; omnes eumdem Baptismum recepimus, qui nobis est tamquam Matris ejusdem sinus; quoniam per baptismum omnes in Jesu Christo renascimur. Poterat ne Deus arctioribus vinculis nos simul conjungere.

℣. 6. UNUS DEUS, & PATER OMNIUM,] qui pari providentia omnibus consulit, qui paterno amore nos diligit, qui in omnibus filiis suis residet. Inde homines D arctissimo simul vinculo conjunguntur, quod omnes sunt ex eadem familia, ejusdem Patris filii, ejusdem conditionis, & æqualis fortunæ. Hoc est, quod sumus inter nos, & quod Deus erga nos. Si Deus esset injustus Pater, atque immisericors, qui filios suos pari charitate non complecteretur; conqueri possemus de illius sævitia atque injustitia, & nobis contra fratres nostros invidia posset suboriri. Verum Deus nobis æquissimum, & clementissimum se præbet. *Super omnes* est, propter supremam potestatem; *per omnia* est propter providentiæ suæ magnitudinem, *in omnibus nobis* est [4] per gratiam, atque amorem.

℣. 7. UNICUIQUE NOSTRUM DATA EST GRATIA E SECUNDUM MENSURAM.] Nemo doleat, si minus recepit, quam Frater suus; nemo alteri invideat Spiritualia dona, quibus eumdem repletum admiratur. Singuli tantum habent, quantum cuique Deus conferre dignatus est. Hæc non sunt meritorum præmia, sed mera Divinæ largitatis munera, quæ nulli debentur. Qui ergo plus habet, ne superbia efferatur; qui vero minus, confidat. Hoc ipsum vidimus jam Rom. 12. ℣. 3. 4. 6. & 1. Cor. 12. ℣. 11. 12. ubi Apostolus utitur humani corporis comparatione, cujus singula membra suum habent munus, quin ulli suboriatur invidia.

℣. 8. PROPTER QUOD DICIT: ASCENDENS IN ALTUM.] Probaturus, omnia hæc dona mera Dei esse munera, & Jesum Christum gratuito, & ex beneplacito suo eadem dividere, Apostolus utitur loco ex Psalmis desumpto [5], ubi Messias, cum ad Cœlum ascendisset, hominibus dicitur dona fuisse elargitus; quod conforme est verbis Jesu Christi apud S. Joannem 16. 7. ubi oportere ait, se ad Patrem suum reverti, ut mittat Spiritum Sanctum, qui minime descenderet, nisi ipse ad Patrem reverteretur. Et ille quidem ad cumulum promissi fidem præstitit; ascendit ad Cœlum, & post decem dies Spiritus Sanctus super Apostolos dilapsus est, qui deinceps semper se se super Fideles effudit, qui Jesu Christi fidem amplectebantur. Ephesii etiam, non secus ac alii, Divinæ largitatis effectus hac in re abunde fuerant experti.

Verum major loci hujus difficultas in eo posita est, quod ubi Psalmista legit: *Accepisti munera*, S. Paulus ait, *dedit dona hominibus*. Ad varietatem hanc conciliandam dicunt, Hebraicum verbum [6], quod recipere significat, nonnumquam etiam pro dare, offerre, usurpari. Si Principis, & Imperatoris alicujus interest, ex subactis gentibus munera, atque tributa referre; interest quoque liberalitatis ejusdem, militibus, & servis suis dona large impertiri. S. Paulus in exemplaribus suis plane legebat *dedit*, pro *accepit*; vel quemadmodum ille Hebraice norat, verbum, quod & dare, & recipere significat, eum in sensum vertit, qui ad mentem suam propius accederet. Chaldæus, Syrus, Abenezra, Arabs, S. Justinus Martyr in Dial. cum Tryph. S. Hilarius, in Psal 67. Veteres quidam Psalteria [7] similiter in allato Psalmorum loco *dedisti* pro *recepisti* legebant.

℣. 9. QUOD AUTEM ASCENDIT, QUID EST, NISI QUIA & DESCENDIT,] videlicet in sepulchrum [8], vel etiam ad Inferos, ubi Patriarcharum animas invisit; vel, in Beatissimæ Virginis sinum [9]; vel denique in Terras, ubi vivimus [10], ibi carnem induens, & nobis similis factus. Dici fortasse potuisset S. Paulo, Psalmi locum, quem afferebat respicere non Jesum Christum, sed Deum Patrem ejus, qui Hebræis Legem irrogavit, eosque plurimorum miraculorum fulgore, quemadmodum eodem in cantico memoratur, ad promissæ Terræ possessionem adduxit. Sed hanc objectionem prævertit, probans, Psalmum ad ipsum etiam Jesum Christum pertinere, quandoquidem perspicuis adeo verbis illius adventus in Terram, ejusque ad Cœlum ascensio enarrantur. Nullum est absurdum dicere lo primo, atque historico sensu, hoc ad Patrem, in altero sublimiori, sed tamen litterali, ad Filium referri. Quidquid Judæis accidebat, figura erat eorum, quæ in Ecclesia contingunt.

1 Aug. tract. 40. in Joan. & serm. 69. nov. Edit. n. 2. Vide & Chrys. & Theoph. hic.
2 Aug. in Psalm. 31. enarr. 2. n. 18. 3 Zanch. Beza. Vide Theol. ad vers. seq.
4 Ἐν πᾶσιν ὑμῖν. Sed plures Auctores omittunt ὑμῖν. Vide Mill.
5 Psalm. 67. 19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, dedisti dona hominibus.*
6 לקח *dare; offerre, adducere*. Genes. 34. 4. קח לי את הילדה *Da mihi hanc adolescentulam*. Et Genes. 48. 9. קחם נא אלי Adduc ad me duos filios tuos. Et 1. Reg. 20. 31. שלח וקח אתו אלי *accerse eum, & adduc ad me*. Vide quoque Jerem. 43. 10. 12. Num. 23. 11. 14. 20. 21. 2. Reg. 13. 19 ותקח אפר על ראשה Posuit, *dedit*, cinerem super caput ejus. Judic. 14. 11. ויקחו שלושים מרעים *Et 30. comites dederunt*. Num. 16. 16. לקחת אתם אל אהל Eos offereris ad tabernaculum omnes. Exod. 18. 12. ויקח יתרו Jetro obtulit sacrificia. Exod. 25. 2. יקחו לי תרומה *Mihi dabunt primitias*. Et 27. 20. אליך יקחו *Tibi offerent præstantissimum oleum*. Et 3. Reg. 17. 10. קחי נא לי מעט מים *Da mihi parum aquæ*.

Fateor, constructionem Psalm. 67. 19. aliquantulum differre: לקחת מתנות באדם *Munera accepisti inter homines*; sed facile est hanc ad allatas aptare, dicendo: *accepisti munera, ut ea inter homines diffunderes*, vel, *dona hominibus distribuisti*. Quod cum S. Pauli sententia consonat.
7 Vide nostrum Commentarium in Psalmos. 8 Theodoret. Drus. Zanch. alii.
9 Grot. Zanch. Camerar. 10 Cajet. Cathar. Est. Vorst.

℣. 10. QUI DESCENDIT, IPSE EST, & QUI ASCENDIT SUPER OMNES COELOS.] Verbum Dei in Virginis sinum descendit, quin tamen Cœlum relinqueret; & ad Cœlum ascendit, quin Terram desereret [1]. Ipse ubique est; immensus est per Divinitatem, in loco per humanitatem continetur [2]. Est *super omnes Cœlos*, hoc est in altissimo Cœlorum loco, ubi corporalis præsentiæ suæ gloria elucet; sed omnia replet per Divinæ naturæ suæ immensitatem.

℣. 11. DEDIT QUOSDAM QUIDEM APOSTOLOS.] Redit ad ea, quæ exorsus fuerat ℣. 7. Deum scilicet singulis, prout vult, sua dona impertiri. Hos ille constituit Ecclesiæ suæ *Apostolos*, illis *Prophetiæ* donum concedit; seu hoc nomine intelligas donum docendi, & interpretandi Scripturas, seu futura portendendi; utriusque enim generis complures erant Prophetæ in ipsis Ecclesiæ primordiis [3]. Alii vocantur *Evangelistæ*, vel Prædicatores, qui Ordinis sunt Apostolico inferioris, in quo recensebantur Philippus Diaconus, Joannes-Marcus, Apollo, Silas, Titus, Timotheus, aliique plures. Alii *Pastores*, *Doctores* alii dicuntur, quæ dignitas Episcopis, Sacerdotibus, & iis, qui Fidelium cœtibus præsunt, convenit, quantum est Populos regere, docere, erudire. In hanc etiam classem rejici possunt Cathechistæ magnarum Ecclesiarum, puta Pantenus, Origenes, S. Clemens in Schola Alexandrina. Videri potest 1. Cor. 12. ℣. 28. 29. eadem argumentatio, & gradatio hoc in loco a S. Paulo instituta.

℣. 12. CONSUMMATIONEM SANCTORUM.] Omnia munera, dignitates, Ecclesiastica officia, non ad alium scopum referuntur, quam ut perfectioni, ædificationi, & Fidelium sanctificationi maxime prosint. In hoc transferamus, oportet, & nos quidquid ingenii a Deo obtinuimus. Omnia mystici Corporis Jesu Christi membra concurrere debent ad incolumitatem, pulchritudinem, ædificationem corporis hujus, ad quod pertinent; veruntamen singula secundum munus suum, alia aliis subordinata, atque subjecta.

℣. 13. DONEC OCCURRAMUS OMNES IN UNITATEM FIDEI.] Mutuis firmari debemus auxiliis, atque vicissim in eodem Spiritu & perfecta unione erudiri; ut aliquando unam duntaxat habeamus fidem, & eadem sentiamus, atque loquamur de iis, quæ ad Fidem pertinent; & singuli juxta captum suum repleantur perfecta cognitione vitæ, actionum, & doctrinæ Jesu Christi, qui Noster Dominus est, Magister, Salvator, Exemplar.

IN VIRUM PERFECTUM, IN MENSURAM ÆTATIS PLENITUDINIS CHRISTI.] Facile intelligimus opus esse, ut Christi Fidelis semper ad perfectionem contendat, & omni vitæ suæ tempore in se ipso, & pro virili etiam in aliis efformare quærat hominem novum, hominem perfectum, hominem secundum Jesu Christi ipsius exemplar efformatum. Verum non satis assequimur, quid sibi velit Apostolus, ubi nos hortatur, ut *in mensuram plenitudinis Christi* perveniamus. Credunt quidam [4], innuere velle in altera vita nos omnes resurrecturos, atque ætatem eam præ nos laturos, in qua Jesus Christus resurrexit, videlicet in ætatis virilis robore, quo præstamus, cum tertium, vel sextum supra trigesimum annum attingimus. Ita qui in ipsis fere incunabulis mortui sunt, & qui senio confecti ex humanis decesserunt, omnes æque in perfecti hominis ætate resurgent. Hanc Ecclesiarum traditionem fuisse S. Hieronymus inquit. Nec desunt, qui asserant, mulieres in virili sexu resurrecturas [5], quam sententiam merito Patres atque Sapientissimi Interpretum sibilis exceperunt. Vide nostram de Resurrectione dissertationem.

Alii [6] hoc de mystico Jesu Christi corpore intelligunt, quod in hac vita a Pastoribus, & Evangelicis Præconibus efformatur, quibus indesinenter laborandum est, donec mystici hujus corporis membra omnia efformata fuerint, & quoad fieri potuit, ad perfectam Jesu Christi similitudinem pervenerint. Non sufficit Fidelibus per baptisma regenerari, vivere in Ecclesia, salutis verbo enutriri; non satis est, illos tamquam parvulos, atque infirmos in Fide lacte ali: anhelare etiam debent ad solidam escam, ad statum hominum perfectorum, ad virilem ætatem. Jesus Christus in nobis per gradus effingitur; puer est, infirmus est, adolescit, perfectus est, prout magis, minusve in perfectione proficimus. Galatæ adhuc erant quodammodo in sinu Matris suæ, cum illis S. Paulus dicebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur CHRISTUS in vobis*, Galat. 4. 19. Corinthii adhuc parvuli erant, & lacte, non solido cibo indigebant: *Ego, Fratres, non potui vobis loqui, quasi Spiritualibus, sed quasi carnalibus; tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis*. 1. Cor. 3. 1. Conqueritur Apostolus, quod Hebræi, qui in Jesu Christo efformati, atque perfecti esse deberent, facti sunt, *quibus lacte opus sit, non solido cibo*, Hebr. 5. 12. Postrema hæc explicatio mihi solidior videtur, & menti S. Pauli magis conformis, cui in deliciis est hæc Fidelium comparatio, qui induunt Jesum Christum, & Jesu Christi, qui in Fidelibus efformatur.

℣. 14. UT JAM NON SIMUS PARVULI.] Cupit Jesus Christus discipulos suos simplices esse, suaves, & innocentes, tamquam pueros [7]. S. Paulus 1. Cor. 14. 20. Fideles hortatur, ut pueri sint quoad innocentiam, non autem quoad cognitionem: isthic enim duos spiritualis infantiæ defectus nobis aperit, quos jubet evitari. Prior est levitas, atque inconstantia, *ne simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*. Alterum est ignorantia, quæ facile decipi, & falli possit ab hominum fraude, & nequitia, præsertim vero a pseudo-Apostolis, atque seductoribus, contra quos semper in omnibus Epistolis suis Discipulos hortatur, ut sibi caveant. Verbum, quo utitur ad hujusmodi hominum dolos, atque astum significandum, desumptum est ex Tesserarum jactu; & ex Oecumenii sententia eos significat, qui modo hoc, modo aliud docent, & qui subdole de uno in aliud argumentum transiliunt, ut attentissimos etiam Auditores in laqueum perducant.

℣. 15. VERITATEM AUTEM FACIENTES IN CHARITATE, CRESCAMUS IN ILLO.] Nobis hic ait, quid facere oporteat, ut ad *ætatem plenitudinis Jesu Christi*, hoc est ad perfectam Christianæ religionis ætatem perveniamus. Facienda est *veritas in charitate*; in fide, & charitate vivendum est; servandum est integerrime fidei depositum; vitæ ratio ad Evangelii præcepta componenda est; summa ac sincera charitas erga Deum simul, atque proximum habenda. Hæc totius Religionis nostræ summa est: ita nosmet similes efficimus Jesu Christo, capiti nostro, & quantum in nobis est, ejus Imaginem in nobis exprimimus, non autem pueritiæ ejus, sed illius ætatis provectæ.

℣. 16. EX QUO TOTUM CORPUS COMPACTUM.] Persequitur Apostolus allegoriam suam ex capite, membrisque desumptam. Quemadmodum caput per cerebrum, atque nervos, qui omnes inde originem ducunt, motum, vitamque in totum animal effundit, atque partium nexum, earumque propriam actionem, suorum influxuum vi, fovet [8]: ita Jesus Christus membris suis, omnibus Fidelibus, qui sibi per fidem, & cha-

1 Theodoret. 2 August. Epist. olim. 57. ad Dardan. nunc 187. ad finem: *Christum Dominum ubique totum præsentem esse non dubites, tamquam Deum: & in eodem Templo Dei esse tamquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo Cœli propter veri corporis modum*. 3 1. Cor. 12. 28. Act. 11. 27. 21. 10.

4 Vide Aug. l. 2. de civit. c. 15. & seq. Hieronym. in Epitaph. Paulæ. Anselm. D. Thom. hic, priore loco.

5 Quid. apud Aug. l. 22. de civit. c. 17. Hilar. in Matt. 22. Athan. serm. 5. contra Arianos. Scotus in 4. sent. dist. 40. 6 Chrysost. Theophyl. Oecumen. Ambrosiast. Hieronym. hic. Haimo, Est. Gagnæi. Vat. Vorst. Cornel. 7 Matth. 18. 3. 8 Theodoret.

& charitatem adhærent, quemadmodum dictum est superiori versiculo, per infusionem Spiritus, & gratiæ suæ vitam, motum, & actionem communicat; idque in mensuram *uniuscujusque membri* [1], ut corpus universum per justam subordinationem, atque proportionem membrorum inter se conservetur, & pacem, atque charitatem tueatur.

℣. 17. Ut jam non ambuletis, sicut et gentes [2].] & quemadmodum olim ante conversionem vestram vivebatis, & vivunt adhuc illi, qui in Ethnica Religione permanserunt; qui non alia Lege nisi propria voluntate, & *vanitate sensus sui reguntur*. Inani Mundi hujus specie illecti id unum quærunt, ut cor suum repleant objectis, quæ sibi delectationem afferant & voluptatem.

℣. 18. Tenebris obscuratum habentes intellectum.] S. Paulus hoc in loco tres memorat in Ethnicorum animo gradus obscuritatis. Primus quidem omnibus communis est: cor eorum caligine obductum est, quod verum Deum ignorant, vel saltem quod illum, uti oportet, minime colunt. Secundo *per ignorantiam alienati a vita Dei* [3], nesciunt vera Ethicæ præcepta, & eam rationem, qua secundum Deum vitam suam componere debeant. Tertio, *propter cæcitatem cordis eorum*: cum nullis afficiantur Dei promissionibus, aut minis, spem omnem, atque metum exuunt; nec verum habent virtutis, & veritatis saporem.

℣. 19. Qui desperantes semetipsos tradiderunt [4].] Græca vox [5], quam Vulgata vertit *evirilem*, & quæ profecto hoc vitium plerumque innuit, nonnumquam etiam incompositos affectus nostros generatim significat, vel intemperantiam, seu qua Mundi hujus honores deperimus, seu qua carnis voluptatibus mancipamur. Ita verti potest: *se se tradunt impudicitiæ, atque omni libidinum generi cum inexplebili aviditate*.

Desperantes significat peccatores eos, qui occalluerunt, qui omnem salutis spem abjecerunt, qui non metu, neque conscientiæ frenis coercentur. Sed Græcus [6] proprie significat hominem frigore ita affectum, ut nihil amplius sentiat, & sese moveri non possit; immo neque idem frigus suum ultra percipiat. Hic status bellè obdurati peccatoris animum repræsentat; Sed Vetus Interpres in Græco textu aliter legisse videtur [7], & lectio, quam sequutus est, in antiquis plurimis exemplaribus invenitur.

℣. 20. Vos autem non ita didicistis Christum. ℣. 21. Si tamen illum audistis.] Vos nunc ab Ethnicorum præceptis, atque sententiis abhorretis, eorumque errorem nonnisi abominari potestis, quoniam in Jesu Christi Schola eruditi estis, atque illius præceptis, ac veritatibus imbuti fuistis. Hæc verba, *si tamen*, nullam Apostoli ambiguitatem significant, cui satis erat comperta, atque explorata Ephesiorum fides, ac virtus. Verti potest: *quoniam eundem*, vel *quoniam profecto didicistis &c.* [8]. Vide 2. *Cor.* 5. 3. & ad *Colos.* 1. 23. *Rom.* 8. 9. Credunt tamen nonnulli, Apostolum de industria non sine quadam dubitationis specie verba facere ad Ephesiorum ardorem excitandum, & quod apud illos quidam obrepserant

A pseudo-Prophetæ, qui illis perniciosæ libertatis amorem immiserant, Grotius inquit.

℣. 22. Deponere vos [9] secundum pristinam conversationem veterem hominem.] Postquam fusius ostendit, quomodo instituenda sit vitæ ratio nobis quatenus membris Jesu Christi, isthic ait, veterem hominem nobis esse exuendum, hoc est, abjiciendos antiquos habitus peccati, & earum omnium rerum, quæ nobis apud Deum odium conflabant. Per baptismum, ut ita dicam, novam vitam recipimus, novi homines evadimus. Antea induti eramus Adam [10], hunc exuimus, ut Jesum Christum induamus.

℣. 23. Renovamini spiritu mentis vestræ.] Vel in interiori anima vestra, vel per Spiritum Sanctum in vobis inhabitantem. Renovatio, quam Sanctus Paulus exquirit, spiritualis est, atque prorsus interior, sed quæ influit in actiones nostras, & in externam vivendi rationem, quemadmodum bona valetudo in facie emicat.

℣. 24. Induite novum hominem.] Ipsum Jesum Christum [11], in quem transformari debemus, & quem interiori sensu, atque exteriori vita debemus in nobis metipsis exprimere; ita ut qui olim viderunt nos, alios nos homines esse credant, admirantes felicissimam, quæ in nobis accidit, permutationem. Hic novus homo, de quo verba facit, omnino alius est ab Adam: Adam quidem peccator est, atque Pater omnium hominum impiorum, & iniquorum: Novus autem homo *secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis*, hoc est, in vera sanctitate: Ortum suum ducit ab eodem Jesu Christo, qui omnis justitiæ, & sanctitatis fons est, atque exemplar. Deus novissimis his temporibus novam pro nobis creationem instituit, S. Barnabas ep. n. 6. ait, secundum illa Ezechielis 36. 11. verba: *Habitare vos faciam sicut a principio, bonisque donabo majoribus, quam habuistis ab initio*.

℣. 25. Deponentes mendacium.] Mendacium effectus est veteris hominis, quemadmodum veritas novi; ex æquitate, & rectitudine vestra intelligant omnes, nos esse vere Jesu Christi membra.

℣. 26. Irascimini, et nolite peccare [12].] Non permittit, ut irascaris: at si iratus fueris, vetat, ne eousque procedant iræ, ut peccatum committas. Nefas non est iræ motus sentire; sæpius enim & nobis invitis insurgunt: sed eosdem coercere debemus, ac prohibere, ne in verba, & facta etiam erumpant. *Sol non occidat super iracundiam vestram*; festina, ut in gratiam redeas cum illo, contra quem odium concepisti, & subiratus es; id vero antequam advesperascat, citius quam potes. Minime præbendum est iræ tempus, ut invalescat: Illam in ipsis incunabulis jugula. *Ira sit brevis, nec in diem crastinum differatur*. Pythagoræi ante Solis occasum in gratiam redire consueverant, cum eo evaserat ira, ut se mutuo conviciis proscinderent. Asserunt etiam, Judæos ante vespertinas preces cum inimicis suis reconciliari consuevisse, & cogere eos, qui adsunt, ut solemniter, atque publice in gratiam redeant, cum publica est eorum inimicitia. Quod si minime invenerit eum, quocum iratus est in Synagoga, vel si inimicus absit,

1 Ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους: *Secundum mensuram cujusque partis*; alii: ἑνὸς ἑκάστου μέλους, *cujusque membri*. Ita Vulg. Alex. Syr. Arab. Chrysost. Basil. Hieronym. alii.
2 Græc. Καθὼς, καὶ τὰ λοιπὰ ἔθνη, *Sed in multis deest* λοιπὰ. Ita Alex. Germ. Clar. G. L. Æth. Zam. Alex. Calarit. Amb. August. alii. 3 *Vitæ Dei*; id est, *vita quæ secundum Deum est*. Theodoret.
4 Διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν,
5 Ἑαυτοὺς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης ἐν πλεονεξίᾳ. Vide & Hieronym. hic, & in c. 5. vers. 3. Alii: Ἐν πλεονεξίᾳ: *In aviditate*. Erasm. Zanch. Vat. Tigur. *Certatim*. Pagn. Bez. Pisc. *Avide*. Vorst. Cast. Est.
6 Græc. Ἀπηλγηκότες. Atqui ἀπαλγεῖν apud Phavorin. est παύεσθαι ἀλγεῖν. Apud Polyb. l. 1. ἀπαλγεῖν desperationem significat. 7 Ἀπηλπικότες: *Desperantes*. Ita Clarom. & S. Germ. G. L. Boerner. G. L. Syr. Arab. Iren. l. 1. c. 4. Epiphan. l. 1. c. 4. August. Amb. Hieronym.
8 Chrysost. Vide & Theophyl. Est. Camer. Erasm.
9 Sixti V. *Deponite vos*. Ita Aug. in speculo, & alii quidam.
10 Vide Rom. 6. 6. Coloss. 3. 9. 11 Rom. 13. 14.
12 Psal. 4. 5. 70. Ὀργίζεσθε, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε. Hebræus רגזו ואל תחטאו verti potest: *Tremite, & nolite peccare*. Timore contremiscite coram Deo, & cavete, ne illum offendatis.

absit, sed nolit reconciliari; ille, qui paratus est, ut redeat in amicitiam, medius Synagogam procedit, & claudens librum precum suatum illum percutit, elata voce clamans: interdico: non licet imposterum ullas amplius preces recitare. Hæc est species excommunicationis, atque interdicti contra omnem cœtum prolati; quo facto, oportet, ut qui interpellatus est, si adsit, redeat in gratiam; sin autem publicæ preces relinquuntur, donec ille venerit, & perfectæ reconciliationis notas præbuerit. Hujusmodi interdictum aliquando plures dies viget, neque potest antiquari, nisi palam, & coram in gratiam redierint inimici.

℣. 27. NOLITE LOCUM DARE DIABOLO.] Pulsat hic ostium vestrum pravis suggestionibus; cavete, ne aditum eidem aperiatis consensu vestro. Ne iram vestram foveatis; inde enim arripiet Satanas occasionem, vos in majora impellendi mala, vindictam, vim, cædem [1]. Aliter: *nolite locum dare calumniatori*. Ita operemini, ut Ethnici minime locum inveniant, vos impietatis, vel hypocrisis, vel licentiæ [2] nomine insimulandi. Theodoretus hoc cum sequentibus connectit. *Nolite ansam præbere Dæmoni: 28. qui furabatur, non furetur amplius, sed potius laboret manibus suis in opus aliquod bonum, & utile*. Labore, pœnitentia, eleemosynis resarcite malum, quod furantes peperistis. *Furtum nominat omne, quod alterius damno quæritur*, inquit S. Hieronymus, & pro manuum labore omnia pœnitentiæ opera intelligit, per quæ iis, quæ Deo, atque proximo debemus, satisfacere possumus. Non satis est illi labor utcumque; sed bonum, laudabilem, utilem laborem exposcit: quædam enim est ars, & quoddam negotium ipso furto, atque ignavia pejus.

℣. 29. OMNIS SERMO MALUS.] Græcus [3] significat proprie sermonem putidum, corruptum, turpem, obscœnum; hujusmodi quidem sermo absit: sed procedant sermones boni, pares fidei fovendæ. Græcus [4]: *sed procedant sermones boni ad utilitatis ædificationem*. Inverti posset verborum ordo, & dici: *utilis ad ædificationem*. Sed Veteres Patres, & MSS. cum Vulgata legerunt: *Ad ædificationem fidei* [5]: hoc est, sermones nostri Sapientiæ sale conditi sint, prosint ad fratrum vestrorum fidem ædificandam, atque confirmandam; vel ad vocandos in fidem, & veritatis cognitionem eos, qui in infidelitate versantur.

℣. 30. NOLITE CONTRISTARE SPIRITUM SANCTUM DEI.] Quomodonam contristari potest Spiritus Sanctus? omni scilicet verborum, atque factorum malorum genere; præsertim vero sermonibus obscœnis, atque turpibus [6]. Ne amoveatis umquam a vobis hunc Spiritum Sanctum, numquam illum de corde aut vestro, aut fratrum vestrorum illum ejiciatis. Fidei consonum est, primis illis Ecclesiæ temporibus, ubi fidelium plerique peculiaribus, atque supernaturalibus Spiritus Sancti donis perfruebantur; cum aliquis in peccatum decideret, insignem jacturam percepisse, vel pro sceleris magnitudine effectus præsentiæ Spiritus Sancti omnino in se cessare sensisse. Hoc ipsum ille exprimit ad Thessalonicenses: Spiritum nolite extinguere [7]: quemadmodum gestit Diabolus audire impura, inhonesta hæc verba: ita Dei Spiritus dolet, eaque abominatur. Tristitia, sollicitudo, ira, incompositi affectus nobis hanc auferunt pacem interiorem, & hanc serenitatem, quæ signa sunt præsentiæ Spiritus Sancti [8]. Dici potest contristari etiam Spiritus Sanctus, cum servi illius spiritu ejusdem repleti mœrore afficiuntur; ita Israelitæ Moysis Spiritum affligentes [9], afflixerunt Spiritum Domini, eumque in seipsos irritarunt. In veteri Nazaræorum Evangelio inter gravissima scelera recensebatur, contristare spiritum fratris sui [10].

Addit Sanctus Paulus, nos per Spiritum Sanctum signaculo quodam signatos fuisse, & factos esse oves gregis Dominici. Divinus Pastor hanc nobis notam inussit. Per Baptismum facti sumus servi, milites, hæreditas Dei, ipse nos sua gratia suis spiritualibus donis, suo Spiritu cumulavit, ut ab illis distingueret, qui sui minime sunt. Confer 2. Cor. 1. 22. *signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*.

℣. 31. OMNIS AMARITUDO, ET IRA.] Videntur veteris hominis notæ minime prorsus in Ecclesia Ephesi deletæ fuisse, sed adhuc invidiam, odium, contentionem aliquam superfuisse [11]. *Blasphemia* hoc in loco significat convitium, & contumeliosos sermones in proximum.

℣. 32. DONANTES INVICEM, SICUT ET DEUS IN CHRISTO DONAVIT VOBIS.] Mutuo parcentes, quemadmodum Deus vobis pepercit in JESU CHRISTO, per JESUM CHRISTUM, per meritum mortis, & Sanguinis ejus: vel etiam in CHRISTO [12], in Christiana Religione, per baptismum, per fidem, quam amplexi estis, & Religionem, quam profitemini.

---

1 Vide Est. Grot. Menoch. alios. Vide Chrysostom. Theophylact.
2 Erasm. Sebin. Tigur. 3 Πᾶς λόγος σαπρός. 4 Ἀλλ' εἴ τις ἀγαθὸς πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας. 5 *Ad ædificationem fidei*: Πρὸς οἰκοδομὴν τῆς πίστεως. Ita Codd. omnes ante Hieronymum (qui emendavit, *opportunitatis*.) Clarom. S. Germ. Borner. G. L. Tertull. Basil. Cyprian. Ambrosiast. August. Hieronym. Primas. 6 Est. Zanch. Menoch. alii. 7 1. Thessal. 5. 19.
8 Tertull. de spectaculis, cap. 15. *Deus præcepit Spiritum sanctum, utpote pro naturæ suæ bono, tenerum, & delicatum, tranquillitate, & lenitate, & quiete, & pace tractare; non furore, non bile, non ira, non dolore inquietare*. 9 Isai 43. 10. & Div. Thom. hic.
10 Hieronym. in Ezech. 18. 7. 11 Βλασφημία; *Convitium: maledicentia*.
12 Quædam exemplaria Græca legunt: *sicut Jesus Christus vobis donavit*. Alii simpliciter: *sicut Deus vobis donavit*, non addito J. Christo. Vide Millium.

C A P U T V.

Deum, & JESUM CHRISTUM imitari oportet. Procul abjicienda avaritia, impudicitia, opera carnis, immodicus vini usus. Officia viri erga Uxorem suam, & vicissim.

1. ESTOTE ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi: 2 Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. 3 Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos;

ctos: 4 Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non
pertinet; sed magis gratiarum actio. 5 Hoc enim scitote intelligentes, quod o-
mnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non
habet hæreditatem in regno Christi, & Dei. 6 Nemo vos seducat inanibus
verbis; propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. 7 Nolite ergo ef-
fici participes eorum. 8 Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Do-
mino. Ut filii lucis ambulate: 9 Fructus enim lucis est, in omni bonitate, &
justitia, & veritate: 10 Probantes, quid sit beneplacitum Deo. 11 Et nolite
communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. 12 Quæ
enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere. 13 Omnia autem, quæ
arguuntur, a lumine manifestantur; omne enim, quod manifestatur, lumen est.
14 Propter quod dicit: Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit
te Christus. 15 Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi
insipientes, 16 Sed ut sapientes; redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.
17 Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei.
18 Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto,
19 Loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, can-
tantes, & psallentes in cordibus vestris Domino. 20 Gratias agentes semper
pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo, & Patri, 21 Subje-
cti invicem in timore Christi. 22 Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domi-
no: 23 Quoniam vir caput est mulieris; sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ip-
se, salvator corporis ejus. 24 Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita &
mulieres viris suis omnibus. 25 Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus
dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea. 26 Ut illam sanctificaret, mun-
dans lavacro aquæ in verbo vitæ, 27 Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Eccle-
siam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit san-
cta, & immaculata. 28 Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua.
Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. 29 Nemo enim umquam carnem suam
odio habuit: sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: 30 Quia
membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus. 31 Propter
hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt
duo in carne una. 32 Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Chri-
sto, & in Ecclesia. 33 Verumtamen & vos singuli, unusquisque uxorem suam
sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.

℣. 1. ESTOTE IMITATORES DEI, SICUT FILII CARISSIMI.] Recepistis adoptionis gratiam, vobis permittit Deus, ut ipsum Patrem vestrum appelletis; fovete ergo eum amorem, confidentiam, grati animi sensum, qui Patri adeo bono debetur; illius suavitatem, & clementiam imitamini; & quemadmodum vobis pepercit, parcite fratribus vestris [1].

℣. 2. SICUT ET CHRISTUS DILEXIT NOS.] JESUM CHRISTUM amate, quemadmodum ipse vos amavit; vel, amate fratres vestros, quemadmodum ipse eos amavit, vel vos ipsos dilexit. Licet non alia de causa fratres nostros diligere teneremur, nisi quod JESUS CHRISTUS eosdem amavit, & sese pro illis, ac nobis morti tradidit; hoc satis, superque esset, ut perfectam charitatem illis testari deberemus. Deus nihil amat, quod amandum non sit, & quod amabile non efficiat per amorem, quo illud prosequitur [2]; & mensura amoris ejus est etiam mensura meriti, quod in eo, quem amat, constituit.

℣. 3. FORNICATIO AUTEM, ET OMNIS IMMUNDITIA, ET AVARITIA.] Eruditi quidam Critici [3] post S. Hieronymum tenent, avaritiæ nomen hoc in loco A quodvis obscœnæ libidinis genus significare. Hoc nomen in eodem sensu supra jam vidimus cap. 4. 19. Vult Deus, ut fideles tantopere ab hujusmodi vitiis abhorreant, ut eadem, ne de nomine quidem, cognoscant.

℣. 4. AUT TURPITUDO, AUT STULTILOQUIUM, AUT SCURRILITAS.] Ecce quam gravitatem ex Discipulis suis Dominus expetat. Prohibet sermones omnes obscœnos, & qui pudori officiunt: irrisiones omnes, atque intempestiva jocularia, quæ vel Religionem, vel bonorum virorum pietatem in risum traducunt. Græca vox [4], quæ redditur *Scurrilitas*, apud prophanos Auctores virtutem significat, quæ in eo posita est, ut lepide, atque facete loquens, placeas, atque eruditos, acutosque sales tuis verbis adspergas. B Christiana Religio minime æqua, & igni interdictum voluit jocis lepidis, atque venustis; at quemadmodum raro inveneris, qui intra liciti risus fines sese contineat, atque temperet, quominus cum alienæ famæ jactura undequaque sibi cachinnos excutiat; ita perrarus est jocus, qui liceat; & præstat omnino abstinere, quam subire periculum, vel lædendæ charitatis, vel abjiciendæ gravitatis, quæ

CHRI-

1 Vide Hieronym. hic. 2 Aug. in Joan. tract. 110. *Novit Deus in unoquoque nostrum, & odisse quod fecimus, & amare quod fecit . . . Amat suum etiam in vitiosis, vel sanationis beneficium, vel damnationis judicium:*

3 Est. Hammond. Heinsius, Erasm. Zanchius: Πλεονεξία,

4 Εὐτραπελία, τὰ οὐκ ἀνήκοντα.

CHRISTI fidelem maxime decet [1].

Sed fortasse Sanctus Paulus hoc in loco præsertim innuere voluit obscœna verba, turpia, vel æquivoca dicta, scurrilitatem, quæ rationem habet ad ea peccata, de quibus supra loquutus est, impudicitiam videlicet, turpesque libidines. Hujusmodi sont joci, & scommata veterum Comicorum, aliorumque recentiorum librorum, ubi solutus, & procax jocus invenitur; sed unde Christianæ Religionis Spiritus exulat omnino. Verba, quæ sequuntur: *quæ ad rem non pertinent*, Interdicti Apostolici sensum magis adhuc coarctant: quidam enim sunt urbani, honestique joci, qui charitatem, amicitiam, atque pietatem fovent, & quos nonnumquam Sacri etiam Auctores [2], & Patres gravissimi, atque sapientissimi adhibuerunt.

SED MAGIS GRATIARUM ACTIO.] De iis, quæ ad pietatem pertinent, verba facite, neque obliviscamini beneficiorum Dei, præsertim vero vestræ vocationis ad fidem. Græca vox [3], quæ redditur, *gratiarum actio*, ex nonnullorum meliorum Interpretum sententia [4] hoc in loco significat sermones, venustate, pudore, urbanitate, honestate, suavitate refertissimos, pares, qui & ædificent, & placeant illis, ad quos verba facis. Hi autem opponuntur turpibus, scurrilibus, obscœnis, procacibus jocis, quibus plerumque læditur charitas. *Fortasse gratiarum actio in hoc loco non ista nominata, juxta quam gratias agimus Deo, sed juxta quam grati, sive gratiosi, & falsi apud homines appellamur*, S. Hieronymus inquit.

℣. 5. AUT IMMUNDUS, AUT AVARUS, QUOD EST IDOLORUM SERVITUS, &c.] Si *avaritia* super. ℣. de impudicitia explicatur, avarus hoc in loco eodem in sensu intelligendus est [5]. Apostolus enim ad ea, quæ supra dicta sunt, palam alludit. Quemadmodum in Scripturis Idololatria passim fornicatio appellatur [6], ita fornicatio Idololatria dici potest. Qui utrubique *avaritiæ*, & *avari* nomen ad litteram explicant, facile ostendunt, divitiarum amorem veram esse Idololatriam, quoniam aurum avari Deus est, & JESUS CHRISTUS in Evangelio Matth. 6. 24. dicit, eodem tempore & Deum, & Mammonam, hoc est, divitias coli non posse. Quidam vertunt [7], *nullus impudicus, nullus avarus, nullus idololatra*. Græcæ editiones legunt [8], *nullus avarus, qui est idololatra*: sed vetustissimi Manuscripti, & Latini Patres Vulgatæ similes sunt.

℣. 6. NEMO VOS SEDUCAT INANIBUS VERBIS.] Ne fucum vobis fieri sinite a pseudo-Apostolis, Philosophis, Gnosticis, dicentibus, hæc dicta, & facta, quæ verecundiæ, & charitati contraria sunt, male non esse. Ne audiatis inanes eorum rationes: scitote, Deum omnia hujusmodi flagitia perhorrescere, & eos, qui illis adhæserint, æternis suppliciis esse addicendos. Non latet, quænam esset Cynicorum doctrina de impudicis actionibus, & quid plerique sentirent Philosophi de lustris, & ganeis. Ephesi Civitas corruptissima erat; & ab ipso Christianæ Religionis exordio Gnostici, & Nicolaitæ ita Evangelica libertate abutebantur, ut plurimas obscœnitates docerent, exercerentque, & quas sibi coram Deo meriti loco esse putabant [9].

PROPTER HÆC ENIM VENIT IRA DEI IN FILIOS DIFFIDENTIÆ.] Ideo minitatur, atque impendet iræ Dei [10] hominibus incredulis, falsis doctoribus, corruptis hominibus, qui non solum veritati minime credunt, sed qui quantum in ipsis est, eamdem corrumpunt, atque evertunt.

℣. 8. ERATIS ENIM ALIQUANDO TENEBRÆ.] Olim in Idololatriæ, atque ignorantiæ tenebris versabamini; nunc vero fidei lumine illustrati estis. JESUS CHRISTUS est lumen vestrum; ut *filii lucis ambulate*, ut veri JESU CHRISTI Discipuli. ℣. 9. *sed fructus lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate*. Ex his ergo filii lucis cognoscuntur. Græcus legit [11], *fructum Spiritus*, pro *fructu lucis*, quæ postrema lectio in vetustissimis MSS. & plurimis cum Græcis, tum Latinis Patribus invenitur.

℣. 10. PROBANTES, QUID SIT BENEPLACITUM DEO.] Bonum a malo secernite, vanis pseudo-Apostolorum, & Philosophorum rationibus aures præbere ℣. 6. omnia probate, & eligite, quid acceptius esse Deo potest [12]. Trapezitas imitamini, inquit S. Hieronymus, qui cusum æs non oculo solum, sed pondere, sono, atque lydio lapide probant.

℣. 11. NOLITE COMMUNICARE OPERIBUS INFRUCTUOSIS.] Hæc tenebrarum opera ea omnia sunt, de quibus verba facit ℣. ℣. 3. & 4. & quæ opponuntur operibus lucis ℣. 9. bonitati, justitiæ, & veritati. Designat autem hoc nomine præsertim turpia facta, & pudori opposita, quemadmodum probant ea, quæ sequuntur, ℣. 12. *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere*. Libido, impudicitia, meretriciæ voluptates noctem, atque tenebras quærunt. *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt*, inquit ille 1. ad Thessalon. 5. 7. Fortasse etiam his verbis Magiæ opera indigitat, cui Ephesii nimis erant addicti. Vide Act. 19. 19.

℣. 13. OMNIA AUTEM, QUÆ ARGUUNTUR, A LUMINE MANIFESTANTUR.] Cum vos filii lucis sitis, facile tenebrarum opera dignoscetis, & vestrum erit Divina favente gratia, eadem effugere.

℣. 14. PROPTER QUOD DICIT: SURGE, QUI DORMIS.] Ex ea ratione, qua Apostolus loquitur, Scripturæ locum proferre voluisse videtur. Sed cum allatus locus in Sacris Veteris Testamenti libris non inveniatur, Veteres nonnulli crediderunt, eumdem ex Apocrypho quopiam libro fuisse desumptum [13]. Credit S. Epiphanius hæres. 40. & 67. num. 3. depromptum esse ex antiquo Eliæ prophetiæ, quæ pluribus ab hinc sæculis excidit: alii vero [14] putant, ex apocrypho Jeremiæ libro esse decerptum. Non desunt, qui credant, S. Paulum alludere ad quemdam Judæorum consuetudinem prima die anni Civilis, quo tempore ejunt, clangentibus buccinis conclamatum fuisse; *Surge, qui dormis*;

1 Hieronym. hic: *Scurrilitas consulto appetit quædam vel urbana verba, vel rustica, vel turpia, vel faceta, quam nos jocularitatem alio verbo possumus appellare, ut risum moveat audientibus: verum & hæc a sanctis viris penitus propellenda, quibus magis convenit flere, atque lugere*. Vide & Chrys. hic in morali.

2 3. Reg. 18. 27. *Illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce majore*, &c. Et 22. 15. Isai. 14. 9. 10. 11. 12. & Gelat. 5. 12.

3 Ἀλλὰ μᾶλλον εὐχαριστία.

4 Hieronym. ex Prov. 11. 16. Zanch. Est. Heins. Hamm.

5 Hieronym. Est. Menoch. &c.

6 Exod. 34. 15. 16. Levit. 17. 7. Deuter. 31. 16. Judic. 2. 17. & passim.

7 Syr. Æthiop.

8 Græc. impress. Ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης. Borner. G. L. Vel ὅ ἐστιν εἰδωλολατρεία; *Quæ est idolorum servitus*. Germ. Clarom. S. Cypr. Ambros. August. alii.

9 Vide Epiphan. hæres. 26. Hieronym. hic. ad vers. 3. 4. Est. Saabod & Grot.

10 Διὰ ταῦτα γὰρ ἔρχεται ὀργὴ Θεοῦ ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας.

11 Ὁ γὰρ καρπὸς τοῦ πνεύματος. Alii a Ὁ γὰρ καρπὸς τοῦ φωτός. Ita Steph. 8. mss Alex. Clarom. S. German. Born. GG. LL. Barber. 1. Cophr. Syr. Aeth. Thaumaturg. Theophylact. Calarit. Ambrosiast. Hieronymiaster. Hieronym. Augustin. Author tract. de singul. Cleric. alii.

11 Δοκιμάζοντες. Verbum Δοκιμάζω sæpe sumitur pro *experiri*. Vide Rom. 12. 2. 14. 22. 1. Cor. 11. 28.

12 Hieronym. hic; *Omnia facienda cum consilio, ... in morem prudentissimi trapezitæ, qui sculptum numisma non solum oculo, sed & pondere, & tinnitu probat*:

13 Ita Syncell. p. 27. & MSS. duo Biblioth. Regiæ, teste Cotelerio, & nota marginal. Cod. Huntaoi, & Codex 11. sæculi Basilianorum apud D. Bern. de Montf. Diar. Italic. cap. 15.

14 Hieronym. hic: *Scimus scripta quidem ea esse in veteri Testamento: sed non ita ab Apostolis edita, & sensum magis usurpatum, nec facile nisi a studiosis posse, ubi scripta sint, inveniri*.

nis; quod innuebat, utique abdicanda esse peccata, & sinceram pœnitentiam agendam. Apud Theodoretum credebant nonnulli, hæc verba ex aliquo Propheta Christiano fuisse desumpta. Fatetur vero S. Hieronymus, se hunc locum nullibi in Veteri Testamento invenire potuisse; at eos improbat, qui simul ac in Canonicis libris allatum aliquem locum non inveniunt, statim ad apocrypha opera, & nullam auctoritatem habentia confugiunt. Scite etiam animadvertit, quidquid ab Apostolis affertur, ex Veteri Testamento esse desumptum; sed illos non semper propria Sacrorum Auctorum verba secutos fuisse; verum eadem suo aptasse argumento, ita ut operosum sit, locum, unde illa mutuati fuerint, agnoscere.

Tenent nonnulli [1], JESUM CHRISTUM in Cruce positum hæc protulisse verba: *Surge, qui dormis* &c. eaque dixisse Adæ, qui in Calvario monte tumulatus erat, ideo ut ille mortalium Pater Salvatoris Sanguine irrigatus resurrexerit. At nihil hoc incertius. Licet Veteres complures crediderint, Adam in Calvario monte sepultum fuisse, nemo tamen sario hæc tribuit JESU CHRISTO. S. Thomas, quem complures Interpretes sequuntur [2], credit, S. Paulum ad ea Isajæ 60. 1. verba alludere: *Surge, illuminare Jerusalem; quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est*. Alii [3] ex eo Prophetæ ejusdem loco illa deducunt [4]: *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent, . . . quia ros lucis, ros tuus*. Alii denique eadem ex Isajæ 9. 2. repetunt: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis* &c. Potuit Apostolus aliquem, vel plures simul ex his locis respicere, eosque vel addens aliquid, vel abscindens proprio argumento accommodare; hac in re suo usus jure, quandoquidem ipse etiam, non secus ac Isajas Divino Spiritu afflatus erat, & hunc locum afferebat potius ad sermonis sui ornamentum, quam ut inde doctrinam suam probaret; quo in casu accuratius illum proferre debuisset.

Verum, ut ad loci hujus sensum redeamus, innuere vult, fideles hoc in Mundo seipsos considerare debere tamquam resuscitatos, atque de sepulchri caligine egressos: agite eo pacto, quod recentem hanc vitam, quam a JESU CHRISTO recepistis, maxime deceat. Pro his verbis: *illuminabit te Christus* [5], Veteres quidam legunt [6], *& Jesus Christus attinget te*, vel palpabit te, tamquam id, quod manu attrectatur; vel, *tanges Jesum Christum*. Ipse te resuscitabit, te ipsum tangens; sed Vulgatæ lectio melior videtur.

℣. 16. REDIMENTES TEMPUS [7], QUONIAM DIES MALI SUNT [8].] Tempus redimitur, cum requies, commoda, bona, voluptas ipsa negliguntur, ut quæramus tempus vacandi saluti nostræ, quæ in hoc Mundo unica est necessaria. Hæc metaphora est desumpta ex iis, quæ a mercatoribus fieri videmus, qui diligentius omnes scrutantur occasiones, aliquid pretiosius comparandi, ex quo lucrum ferant. Hoc ipsum dici potest de illis, qui satis norunt, quantopere quærenda sit propria salus: & satis intelligunt necessitatem eamdem quærendi brevi hoc vitæ hujus intervallo, cujus dies & pauci, & mali sunt: *quoniam dies mali sunt*. Omnia conjurant, ut hoc tempus adeo pretiosum nobis auferant; ipsi amici, & inimici; cura corporis, & bonorum; otium simul, atque negotium. Sexcentis periculis, tentationibus, scandalis sumus obnoxii: illud ergo maximum nobis negotium esse debet, ut redimamus, servemus, lucremur hoc tempus, quod adeo pretiosum est, & quod celeriter adeo prætervolat. Vitæ hujus tempus vestrum non est. Hoc in loco inquilini estis: Sapienter tempore utamini, atque illud rerum qualiumcumque detrimento comparate [9].

Hæc est vulgatior hujus loci explicandi ratio: at si consideremus hoc in loco mentem Apostoli, qui fidelibus Spiritum pacis, atque prudentiæ immittere studet, ut se tueantur ab Ethnicorum, & Judæorum persequutionibus, hoc innuere velle videtur: ne tempus sibi vobis permittite, redimite pacem, aliquid potius cum silentio tolerate, quam per imprudentiam, apertam in vosmet ipsos persecutionem excitetis [10]; Ita & in Daniele 2. 8. Magi tempus redemisse dicuntur; *certe novi, quod tempus redimitis*. Rem differre quæritis, ut vel somnii mei reminiscar, vel cupiditas illius intelligendi in me deferveseat. Verum statim in arena responsionem ex vobis expecto. Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Julian. ait, Julianum Apostatam diu *redemisse tempus* celando pravos cordis sui affectus sub affectatæ suavitatis imagine. Euripides [11] illi, qui scelus patravit, tempus redimendum esse, ait; diu enim peccati sui pœnas luat.

S. Paulus igitur hoc in loco jubet, Ephesios prudenter cum omnibus agere; neque temere veritates religionis proferre; atque intempestive contra Ethnicorum abusus, & sæculi flagitia declamare; verbo, illos non sine necessitate sensus suos profiteri: sed redimere tempus, atque in scientia permanere, *quoniam dies mali sunt*, & quod etiam vivunt sub effreni, atque violento Principe, qui modum servare nescit, & qui gravissimam religioni inferre posset injuriam, si extrema quælibet auderet, atque generalem persecutionem indiceret. Ea autem verba, quibus utitur, ex obæratorum usu videntur deprompta, qui cum solvendo minime sint, redimunt tempus, & recenti addito lucro, quod creditori se persoluturos promittunt, aliquam solutionis dilationem obtinent. Eodem in sensu prohibet Salvator, ne Apostoli margaritas ante porcos projiciant [12].

℣. 18. NOLITE INEBRIARI VINO, IN QUO EST LUXURIA.] Ebrietas opus est tenebrarum, & ad omnia flagitia, omnesque libidines via est. Ubi aliquis mero incaluerit, hunc non ratio, non pudor, non metus, non religio coercent. S. Paulus vino Sancti Spiritus ebrietatem [13] opponit, quo sancte inebriamur, & sapientes, prudentes, moderati efficimur.

℣. 19. LOQUENTES VOBISMETIPSIS IN PSALMIS.] Cum vinum causa sit, ut inania loquamur, obscœna canamus, ac turpes voluptates quæramus, ubi Spiritus Sancti ebrietate repleti sumus, Psalmos concinimus, & cantica in Dei honorem hilari voce decantamus. Christiana religio minime prohibet lætitiam, & voluptates, sed immutat: pro carnalibus, sensibilibus, noxiis, spirituales offert, utiles, ac toto Cœlo suaviores & solidiores, quam quæ a Mundo amatoribus suis exhibentur. Ecclesia hoc Spiritu repleta omni tempore in Fidelium os cantica ingessit, ad eorum pietatem, internamque lætitiam fovendam. Illos Psalmorum concentu in cœtibus exercet, eosque hortatur, ut iisdem & privatim vacent.

℣. 20. GRATIAS AGENTES SEMPER PRO OMNIBUS.] Ex quo nobis persuasum est, nihil nisi providentiæ consilio contingere, facile intelligimus, Deo gratias agendas esse de iis omnibus, quæ accidunt, seu læta, seu tristia, quippe agnoscimus, omnia ad Domini gloriam, atque

1 Apud Hieronym. hic. Vide & ad Matt. 27. 2 Bez. Cajet. Grot. Est. Bodius. Mill. alii. 3 Bez. Grot. Bod. Martianay. 4 Isai. 26. 19. 5 Ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός. 6 Alii: Ἐπιψαύσει σου ὁ Χριστός: *Continget te Christus*. Ita Germ. & Clarom. GG. LL. Ambrosiast. August. in Psalm. 3. Nolan. Epist. ad Sever. Epist. 12. Theodoret. Quid. apud Hieronym. 7 Ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν. Verti potest: *Ementes opportunitatem*. Confer Dan. 2. 8. *Scio, quod tempus redimitis*. 8 *Dies mali sunt*: hæc est imitatio eorum, quæ Jacob Pharaoni dicebat Genes. 47. 9. *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi, & mali*. Vide pariter Psalm. 47. 6. 9 Theophyl. Theodoret. 10 Vide Grot. Est. Hamm. Le Clerc. Vide & Epiph. hæres. 11 Euripid. apud Justin. de Monarchia Dei. 12 Matt. 7. 6. 13 Hieronym. *Non possumus spiritu impleri pariter, & vino. Qui enim spiritu impletur, habet prudentiam, & mansuetudinem, verecundiam, castitatem. Qui vino, habet insipientiam, furorem, procacitatem, libidinem*.

atque electorum ejus utilitatem conferre. *Christianorum propria virtus est*, S. Hieronymus in hunc locum inquit, *etiam in his, quæ adversa putantur, reddere gratias Creatori*. Illi agendæ etiam sunt gratiæ ob ea supplicia, quæ damnati in Inferno patiuntur, S. Chrysostomus hic inquit, quoniam eadem supplicia maximæ sunt ad impios inhibendos utilitatis, & sunt tamquam frænum, eosdem coercens.

℣. 21. SUBJECTI INVICEM IN TIMORE CHRISTI,] vel *in timore Dei*, quemadmodum Græcus typis editus habet: sed plurimi egregii manuscripti Vulgatæ similes sunt, quilibet vestrum in justa subordinatione permaneat, in qua versatur propter statum suum, sive in Ecclesia, sive in Republica, sive in statu naturali. Viam sibi aperit ad reliquam Capitis partem, & caput sequens, ubi adfert officia Conjugum inter se, Patrum B erga filios, & vicissim Dominorum erga Servos, & contra. Proponit S. Paulus iis, qui Superiores sunt, suavitatis, modestiæ, & humilitatis consilia; inferioribus vero submissionis, obedientiæ, patientiæ: ita ut secundum illius monita exequi ea possint, quæ iisdem hic ait, ut alii aliis in Dei timore subjiciantur.

℣. 22. MULIERES VIRIS SUIS SUBDITÆ SINT [1] SICUT DOMINO.] Non potest major exquiri submissio, neque sublimius ejusdem afferri argumentum. Cogitent Mulieres Viros suos, tamquam secum Dei locum, atque auctoritatem habentes: & addit versiculo sequenti: Mulierem erga Virum suum id esse, quod erga JESUM CHRISTUM Ecclesia, & quomodo Ecclesia cum amore, obedientia, reverentia JESU CHRISTO, Capiti suo, subdita est: ita & Uxori erga Virum C suum fovendos esse amoris, observantiæ, submissionis sensus, qui uni Dei ipsius amori, atque timori innitantur. Hujusmodi rationes nonnisi Christiana religio potest suppeditare: nihil simile Philosophia, lex, ratio, suggerit. Potest Uxor ratione, atque amore impulsa Virum suum diligere, & colere; at Christiana tantum Uxor hoc præstare potest eas ob causas adeo sanctas, & supernaturales, quas S. Paulus proposuit.

℣. 23. IPSE SALVATOR CORPORIS EJUS.] JESUS CHRISTUS Ecclesiæ Salvator est, quemadmodum & caput est. Hoc ita Latini Patres vulgo intelligunt. Græci hoc referunt ad Virum, qui quodammodo caput, atque Salvator est Uxoris suæ. Debet ille in se ipso JESUM CHRISTUM exhibere, non solum quatenus caput, D sed etiam quatenus Salvatorem. Veluti caput in illam superiorem exercens auctoritatem: veluti Salvator ea illi omnia procurans auxilia, quæ potest, & quæ ad ejusdem salutem, atque sanctificationem conducant. Illam amare debet, quemadmodum JESUS CHRISTUS Ecclesiam suam dilexit, pro qua sanguinem, & vitam effudit. Prior sensus melior est: de Virorum officiis disserit S. Paulus ℣℣. 25. 26. &c.

℣. 25. VIRI DILIGITE UXORES VESTRAS.] Eas summo, casto, constanti, sincero, æquo amore diligite: & ut verbo omnia complectar, & amore, quo JESUS CHRISTUS Ecclesiam suam prosecutus est, pro qua suum effudit Sanguinem. Hanc ille vitæ suæ pretio redemit, baptismate expiavit, supernaturalibus donis ornavit, Spiritualibus divitiis cumulavit: verbo, eam E effecit Sponsam puram, nullam habentem rugam, vel maculam, vel aliquid simile. Hoc est exemplar, quod Christianis Viris S. Paulus proponit; cujus inutile est commentarios texere: satis enim illius magnitudo, atque Majestas apparet.

℣. 26. MUNDANS LAVACRO AQUÆ IN VERBO VITÆ,] iis videlicet verbis, quæ proferuntur, ubi Sacro A regenerandus baptismate aquis immergitur: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* [2]. Quidam [3] hoc de verbo Evangelii explicant, quod cum fide receptum nos in baptismi aqua purificat.

℣. 27. GLORIOSAM ECCLESIAM,] ditissimis, atque magnificentissimis ornamentis indutam; hoc est gratia interiori, atque donis supernaturalibus, & exterioribus, quibus Fideles per Spiritum Sanctum cumulati fuerunt. *Gloria* sæpius in magnificentiæ, pompæ, ornatuum, sensu usurpatur, veluti cum JESUS CHRISTUS ait, Salomonem *in omni gloria sua* minime indutum esse magnificentius, quam agri lilium [4]: & in Psalmo 44. 14. ubi describuntur ornatus Sponsæ hujus Principis, dicitur, *omnis gloria ejus ab intus*. Quidquid exterius nitet, parum est, si conferatur B cum opibus, quæ minime videntur. Viri sperare minime debent, se inventuros hujusmodi Sponsas, qualem nobis isthic S. Paulus describit Ecclesiam: verum neque talem hanc JESUS CHRISTUS invenit. Sed ipse illam ornavit, formosam effecit, rugas omnes, maculasque detersit. Debent quoque Viri interiorem conjugum suarum pulchritudinem, atque Sanctificationem perquirere, quemadmodum JESUS CHRISTUS præstitit in Ecclesia. Perfecta hæc Ecclesiæ sanctificatio, quam nobis S. Paulus describit, inchoatur quidem in hac vita, in Fidelium eamdem constituentium persona; sed nonnisi in Cœlo perficietur, ubi vere in se ipsa, atque in omnibus membris suis sancta erit, irreprehensibilis, sine macula, sine ruga [5].

℣. 28. VIRI DEBENT DILIGERE UXORES SUAS, UT C CORPORA SUA,] tamquam seipsos, tamquam vitam suam, & corporis sui membra: & profecto Vir, & Uxor unum quodammodo dumtaxat corpus efficiunt: *erunt duo in carne una*, Gen. 2. 24. Corpus primæ Mulieris efformatum fuit ex substantia Corporis primi Hominis.

℣. 29. NEMO CARNEM SUAM ODIO HABUIT.] Vestrum singuli proprium corpus naturali amore prosequitur. Si quis odit carnem suam, & sibi mortem consciscit; quemadmodum re vera nonnulli videntur, qui diuturnis morbis vexati mortem concupiscunt, vitæ hujus pertæsi; si quis furore, atque desperatione adactus se se in præceps jacit, aut violentas manus sibi ipsi infert, næ illi quidem vitam & sortem suam non oderunt, sed mala & dolores, quos patiuntur, illis ferendi non sunt [6]. D

SED NUTRIT, & FOVET EAM, SICUT & CHRISTUS [7] ECCLESIAM.] Salvator Ecclesiam suam suo Corpore nutrit, suo Sanguine potat, Verbo suo erudit [8], atque ita fit unum corpus, & unus Sanguis cum illa, eique intrinsece adhæret. Sponsus hoc ipsum cum Uxore sua præstare non potest: verum exemplum hoc saltem ostendit, quousque illa amare debeat, & quanta cum eadem illius esse debeat conjunctio.

℣. 30. QUIA MEMBRA SUMUS CORPORIS EJUS.] JESU CHRISTI, Ecclesiæ illius. Non secus ac Eva ex corpore Adam efformata fuit, ita formamur ex corpore JESU CHRISTI. Comedimus corpus, & bibimus Sanguinem ejus, cum illo in baptismate sepulti sumus, cum eodem per fidem crucifigimur, & cum eodem re- E surgimus per vitam recentem, quam in Christiana religione vivere debemus.

℣. 32. SACRAMENTUM HOC MAGNUM EST [9].] Conjunctio Viri, & Uxoris, qui sibimet mutuo adhærent indissolubilibus conjugii vinculis, & qui, ut ita dicam, ex duabus personis unam tantum carnem efficiunt; hæc inquam conjunctio Sacramentum est, vel magnum mysterium, eo quod exhibet conjunctionem,

1 Græc. Ὑποτάσσεσθε. *Subditæ estote*. Sed plures MSS. & PP. Ὑποτασσέσθωσαν: *Subditæ sint*. Quod Hieron. notat, in quibusdam Græcis non haberi. 2 Theodoret. Iru Chrysost. alii Græci, & Latini plures.
3 August. tract. 80. in Joan. Grot. alii. Vide Est.
4 Matth. 6. 29. 5 Aug. l. 2. Retract. c. 7. lib. 1. de nuptiis, & concup. c. 34. l. 4. contra duas Epist. Pelagg. c. 7. &c. Vide & Hieron. l. 3. Dialogi contra Pelag. Primas. D. Th. Est. hic.
6 Vide Hieron. & Est. hic. 7 Græc. Καθὼς καὶ ὁ Κύριος τὴν Ἐκκλησίαν. Alii plures: Καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς, &c. 8 Hieronym. Theodoret.
9 Græc. Εἰς Χριστὸν, καὶ εἰς τὴν Ἐκκλησίαν. Ita Tertull. Aug. Bed. apud Est. alii: In Christo, & in Ecclesia. Ita Clarom. S. Germ. Lat. Iren. l. 5. c. 2. Hieronym. Ambr. Aug. Tertull. contra Mill.

nem ; & facrum , atque Spirituale JESU CHRISTI cum Ecclefia conjugium . Et non fecus ac relinquit homo Patrem & Matrem fuam , ut adhæreat Uxori fuæ , atque cum hac iis vinculis nectitur , quæ ad vitæ ufque finem protenduntur : ita JESUS CHRISTUS per Incarnationem Patris fui finum quodammodo relinquit , atque Ecclefiæ adhæret , cum qua in hac vita ad fæculorum ufque finem permanet , & a qua neque in ipfa Æternitate unquam fejungitur [1] . Conjugium Adæ & Evæ typus erat conjugii inter JESUM CHRISTUM & Ecclefiam ; hoc vero inter JESUM CHRISTUM & Ecclefiam forma eft , atque exemplar illius , quod inter chrifti A Fideles habetur . Hoc Salvator ad Sacramenti dignitatem evexit , eique gratiam fuam tribuit , vel cum adfuit nuptiis Canæ , vel cum docuit , aut per fe , aut Apoftolos fuos , fidelium conjugium imaginem effe unionis ejufdem cum Ecclefia .

℣. 33. UNUSQUIQUE UXOREM SUAM .] Hæc eft eorum conclufio , quæ hactenus de mutuis conjugum officiis tradidit . Vir Uxorem diligat tamquam corpus fuum ; Uxor Virum vereatur , & colat tamquam caput fuum [2] , & illum , cui a Deo fubdita fuit . In fequenti vero capite Patrum & Filiorum , Dominorum atque Servorum officia nobis tradet Apoftolus .

---

1 Vide Theodoret. Eft. 2 *Timorem pro reverentia dictam puta . . . . Poteft enim uxori reverentia convenire , ut reverenter timeat virum* . Hieronym. ad Ephef. 6. 5.

C A P U T VI.

Filiorum officia erga Parentes fuos , & Parentum erga Filios . Mutua fervorum , & Dominorum officia . Arma Fidelium contra Dæmonem . S. Paulus Ephefiorum preces depofcit ; ad eos mittit Tychicum .

1. FIlii , obedite parentibus veftris in Domino , hoc enim juftum eft . 2 Ho-
nora patrem tuum , & matrem tuam , quod eft mandatum primum in pro-
miffione : 3 Ut bene fit tibi , & fis longævus fuper terram . 4 Et vos
patres nolite ad iracundiam provocare filios veftros : fed educate illos in difcipli-
na , & correptione Domini . 5 Servi obedite dominis carnalibus cum timore , &
tremore , in fimplicitate cordis veftri , ficut Chrifto : 6 Non ad oculum fervien-
tes , quafi hominibus placentes , fed ut fervi Chrifti , facientes voluntatem Dei
ex animo , 7 Cum bona voluntate fervientes , ficut Domino , & non hominibus :
8 Scientes , quoniam unufquifque , quodcumque fecerit bonum , hoc recipiet a
Domino , five fervus , five liber . 9 Et vos domini eadem facite illis , remitten-
tes minas , fcientes , quia & illorum , & vefter Dominus eft in cœlis : & perfona-
rum acceptio non eft apud eum . 10 De cætero , fratres , confortamini in Domi-
no , & in potentia virtutis ejus . 11 Induite vos armaturam Dei , ut poffitis ftare
adverfus infidias diaboli . 12 Quoniam non eft nobis colluctatio adverfus carnem ,
& fanguinem , fed adverfus principes , & poteftates , adverfus mundi rectores te-
nebrarum harum , contra fpiritualia nequitiæ , in cœleftibus . 13 Propterea acci-
pite armaturam Dei , ut poffitis refiftere in die malo , & in omnibus perfecti fta-
re . 14 State ergo fuccincti lumbos veftros in veritate , & induti loricam juftitiæ ,
15 Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis : 16 In omnibus fumentes
fcutum fidei , in quo poffitis omnia tela nequiffimi ignea extinguere : 17 Et gale-
am falutis affumite , & gladium fpiritus (quod eft verbum Dei) 18 Per omnem
orationem , & obfecrationem orantes omni tempore in fpiritu : & in ipfo vigilantes
in omni inftantia , & obfecratione pro omnibus Sanctis , 19 Et pro me , ut detur
mihi fermo in apertione oris mei cum fiducia , notum facere myfterium Evangelii:
20 Pro quo legatione fungor in catena , ita ut in ipfo audeam , prout oportet me
loqui . 21 Ut autem & vos fciatis , quæ circa me funt , quid agam : omnia vo-
bis nota faciet Tychicus , chariffimus frater , & fidelis minifter in Domino : 22
Quem mifi ad vos ad hoc ipfum , ut cognofcatis , quæ circa nos funt , & confo-
letur corda veftra . 23 Pax fratribus , & charitas cum fide , a Deo Patre , & Do-
mino Jefu Chrifto . 24 Gratia cum omnibus , qui diligunt Dominum noftrum Je-
fum Chriftum in incorruptione . Amen .

℣. 1. FILII OBEDITE PARENTIBUS IN DOMINO [1],] vel propter Dominum, vel secundum Dominum [2] propter amorem ejus, ut Legi illius pareatis, non autem simpliciter propter timorem, aut utilitatem; tamquam si Patrem metueres, ne te puniret atque abdicaret. Obedientia tua supernaturalem rationem habere debet, quæ religioni atque justitiæ innitatur. *Hoc enim justum est*, juri Divino, & juri gentium, atque naturæ conforme, explicite in Domini Lege præceptum. ℣. 2. *Honora Patrem tuum &c.*

℣. 2. HONORA PATREM TUUM, & MATREM TUAM,] non solum interiori, exteriorique observantia: sed omnibus spiritualibus atque temporalibus auxiliis, quibus eosdem potes recreare. Honoris enim nomine Scriptura intelligit non solum reverentiæ notas, sed ipsa etiam subsidia [3]. Apostolus ait, hoc mandatum *primum in promissione esse*, hoc est primum esse, cui Dominus mercedem promiserit; & profecto ex omnibus Decalogi præceptis hoc primum est, cui Dominus promissionem adjecerit. Vitæ diuturnitas, quam pollicetur Deus Judæis Parentes suos colentibus, figura est vitæ æternæ, quæ objectum est spei Christi Fidelium [4].

℣. 4. PATRES NOLITE AD IRACUNDIAM PROVOCARE FILIOS VESTROS.] Ne durius, & imperiosius cum illis agatis, ut non, quemadmodum Coloss. 3. 21. ait, *pusillo animo fiant*, atque decidant in desperationem [5]. Si in errorem aliquem inciderint, eos castigare *in correptione Domini*, cum timore, & charitate ejus, caute atque sapienter.

℣. 5. SERVI, OBEDITE DOMINIS CARNALIBUS.] Ne dixeritis, vos unum dumtaxat in cœlis habere Dominum, qui est Jesus CHRISTUS: alios habetis Dominos secundum carnem, & Supremus ille Dominus imperat, ut illis obtemperetis *cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri sicut* CHRISTO. Si quid tamen vobis præceperint, quod iis adversetur, quæ Supremus ille Dominus a vobis expetit, cavete, ne pareatis illis; non merentur sibi obtemperari, statim ac obliti sunt, quid suo, ac vestro Deo debeant [6]. Cæterum illis cum timore, observantia, reverentia, & cordis simplicitate, quo decet Discipulos Magistri, patientiam atque suavitatem docentis, eorum imperata facite. Servi mentiri, fallere, suffurari consueverunt: quæ omnia vitia S. Paulus excludit, jubens præstari Dominis obedientiam simplicem, & cum Dei timore conjunctam. Addit etiam: obedite *sicut Christo*, scientes eos mercedem inventuros, atque servitutem vestram ad salutem minime inutilem futuram, si pareritis, ut Deo, atque providentiæ illius satisfaciatis.

℣. 6. NON AD OCULUM SERVIENTES.] Fideles estote Dominis vestris non præsentibus solum, sed & absentibus [7], nec quæratis modo illis placere, eorumque indignationem evitare: id quærite, ut placeatis Deo, *ut Servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo*. Hæ sane rationes dignæ sunt magnitudine Christianæ Religionis & Spiritu Sancto, quo S. Paulus erat afflatus.

℣. 8. UNUSQUISQUE QUODCUMQUE FECERIT BONUM.] Servitus vestra non erit æterna. Veniet tempus cum Supremus Dominorum Dominus sine ulla personarum acceptione Dominis æque ac servis pro meritis paria rependet.

℣. 9. EADEM FACITE ILLIS.] Si vobis servire debent intuitu Dei, & quasi eidem Jesu Christo famulatentur; eisdem igitur imperate, atque auctoritate vestra erga illos, tamquam JESU CHRISTI Servos, utimini, & quasi eumdem Dominum, eumdemque Judicem habentes ac illi. Suaves igitur, lenes, non duros, neque minaces vos iisdem præbete. Ut verbo me expediam, tales erga eosdem estote, qualem erga eos Deum cupitis, vel etiam qualem erga vos cuperetis Superiorem vestrum, si vos Deus in eorum statum redegisset [8]. *Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum Superiores velles vivere*. Deus Servum a Domino non distinguit, uterque ab illo factus est [9]. Omnes homines fratres sunt, & filii Patris ejusdem; quo vero potiori jure Christifideles, qui præter cætera argomenta omnibus hominibus communia, nonnullis etiam peculiaribus ad id tenentur?

℣. 10. CONFORTAMINI IN DOMINO.] Postquam singulis conditionibus peculiaria tradidit præcepta, ad omnes Ephesi fideles in communi loquitur; eos hortatur ad patientiam, eosque contra internos, externosque hostes confirmat. Nec vincula, quibus gravis sum, neque persecutiones, quas patior, neque illas, quas in vos Sathanas excitabit, vos deterreant. In Deo omnem confidentiam vestram collocate.

℣. 11. INDUITE ARMATURAM DEI.] Omnia spiritualia arma, quæ Deus ipse vobis suppeditat. S. Paulus [10] in deliciis habet hanc metaphoram, ex rebus bellicis, armisque depromptam. Jubet, fideles hac in vita se se reputare, tamquam in jugi bello adversus Mundum, Carnem, & Dæmonem. In bellis vulgo iis tantum arma deferuntur, qui bellicis laboribus ferendis pares sunt. Isthic vero jubet S. Paulus, omnes fideles, viros, mulieres, pueros, senes arma distringere, ut & hostem lacessant, & seipsos in hac spirituali militia tueantur [11]. Dæmon cuniculis potius, atque dolis nos adoritur [12], quam aperta vi; majori igitur opus est vigilantia, cura, fervore, quam vi ad hostem propellendum. Arma nostra sunt fides, charitas, veritas, ipse Jesus Christus.

℣. 12. NON EST NOBIS COLLUCTATIO ADVERSUS CARNEM, ET SANGUINEM.] Caro, & Sanguis hoc in loco nequaquam significant, quemadmodum alibi sæpe, concupiscentiam, atque homines carnales, libidinosos, impios: hi enim inimici sunt, contra quos nobis maxime est depræliandum; verum hoc in loco usurpatur pro communi hominum genere, pro infirmis inimicis, ex hostibus, & carne compositis. Contra hujusmodi homines pugna nobis non est, sed contra Dæmones, principes, vel potius tyrannos hujus Mundi, qui injuste usurpatum obtinent Imperium, & in Spiritus nequam, qui in aeris regione effusi sunt. Vidimus jam superius cap. 2. 2. Dæmones a S. Paulo Principes aeris vocari, & Patribus antiquis Josepho, Philone, Rabbinis, ipsis etiam Chaldæis fuisse persuasum, aerem universum, bonis, malisque geniis esse repletum: malos vero nobis juge bellum inferre, atque sexcentis modis nobis insidias struere [13].

Dæmones vocat Principes Mundi in hoc sæculo tenebricoso. *Adversus Mundi Rectores tenebrarum harum*, hoc est ex nonnullorum sententia, Principes Mundi, Principes tenebricosos, Angelos tenebrarum. Vel: Principes hujus Mundi, harum tenebrarum, aeris hujus caliginosi, vel hujus mundi tenebris, & caligine refer-

1 *In Domino*: Ἐν Κυρίῳ, non legitur in Ms. Claromont. neque S. Germani, neque in S. Cypriano testim. l. 3. parag. 70. neque in Ambrosiastro. 2 Chrysostom. 3 Num. 20. 17. 24. 11. Tob. 4. 18. Prov. 3. 9. 1. Timoth. 5. 17. 4 Vide Hieronym. D. Thom. Est. 5 Chrysostom.

6 Hieronym. hic: *Servus necessitatem in voluntatem vertat, & faciat de servitute mercedem: maxime cum Dominus carnis a Domino spiritus diversa non imperet . . . . Adjecit, quasi Christo, ut scilicet non audiat servus carnalem Dominum, si contraria Dei præceptis voluerit imperare.*

7 Theodoret. 8 Seneca Epist. 47. 9 Theodoret.

10 2. Cor. 10. 4. 1. Thessal. 5. 8. 11 Theodoret. hic.

12 Hieronym. *Volens Apostolus multimoda Diaboli ingenia ostendere, quibus nos capere nititur, methodias ejus, idest, adinventiones, vel versutias nominavit.* 13 Prudent. Hamartigenia:

Sed cum spiritibus tenebrosis nocte, dieque
Congredimur, quorum dominatibus humidus iste,
Et pigris densus nebulis obtemperat aer, &c.

fartissimi, si cum altera vita confetatur, quæ mundus est luminis, & claritatis. Alibi jam adnotavimus, acsam pro tanabris usurpari. Denique in morali sensu Mundus sæculum est tenebrarum, quoniam majori ex parte repletus est filiis incredulitatis, qui filiis lucis opponuntur. Addit: *contra spiritualia nequitiæ in Cœlestibus* [1]; vel *contra spiritualem nequitiam, quæ est in locis Cœlestibus*, in Cœlo, in aere. Vel cum Græcis Patribus [2]: nobis prælandum est contra nequitiæ Spiritus, qui nobis bellum inducunt *pro rebus Cœlestibus*, pro Regno Cœlorum. Non agitur hoc in loco de modica victoria, sed de victoria Regni Cœlestis.

Alii [3] hoc aliter applicant: *Nobis nequaquam præliandum est duntaxat contra homines* infirmos, *carnis, & sanguinis; sed contra Principes, Potestates, contra Dominos Mundi, contra Spiritus nequam pro rebus Cœlestibus*. Tueri debemus Evangelii veritatem, atque doctrinam Cœlestem, quam prædicamus, non contra communes inimicos tantum, verum etiam contra Principes, Potestates, & Dæmones; si clamanta, si Principes, si terræ hujus Potestates nobis bellum inferunt, non aliud sunt, quam instrumenta furoris Dæmonum, qui præcipui ac primi sunt hostes nostri [4]: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, id est adversus homines, quos videtis sævire in vos. Vasa sunt, alius utitur; organa sunt, alius tangit.*

℣. 13. ACCIPITE ARMATURAM DEI, UT POSSITIS RESISTERE IN DIE MALO.] Accipite arma Dei, completam armaturam, omnia armorum genera assumite, ut satis muniti in die malo inimicos propellare valeatis. Hæc verba *perfecti stare* significant milites satis paratos [5], vel eos, qui ad unguem omni munere suo perfuncti sunt, & qui possunt valide, atque constanter inimicorum vim propulsare [6]. *Dies malus* est prælii dies [7], tempus tentationis, atque periculi. S. Hieronymus hic ait; Nobis non in hac tantum vita, verum etiam post mortem est decertandum, postquam omnibus rebus defuncti fuerimus; ita enim Græcum textum vertit, *omnia operati state*, pro *in omnibus perfecti stare*. Tunc Dæmones iterabunt conatus suos, atque tunc depræliabimur non solum contra invisibiles, verum etiam contra visibiles hostes, & ut ita dicam, manum manu conseremus.

℣. 14. STATE SUCCINCTI LUMBOS VESTROS IN VERITATE.] Veritas, sinceritas, bona fides, æquitas est tamquam baltheus, quo JESU CHRISTI miles præcingitur. Alludit Apostolus ad eum Isajæ locum [a], *& erit justitia cingulum lumborum ejus; & fides cinctorium renum ejus*. Veritatis nomen significare quoque potest fidem, sanam doctrinam, verbum Dei.

LORICAM JUSTITIÆ.] Justitia virtus est, quæ unicuique tribuit ea, quæ ipsi debentur; aliquando etiam sumitur pro omnium virtutum congerie, & omnium bonorum operum exercitatione. Postremo hoc in sensu maxime late patet, & jure loricæ confertur, quæ majorem corporis partem tuetur.

℣. 15. CALCEATI PEDES.] Qui iter longum suscepturi sunt, calceos assumunt, atque pedes contra lapides, spinasque communiunt. Christianus quilibet semper paratus esse debet, ut veritati perhibeat testimonium, fidemque Infidelibus annunciat, unusquisque secundum captum, atque talentum suum [9]. Dici quoque potest, opus esse, ut pedes munitos habeant contra quæcumque in via, in Evangelii exercitatione, in suscepto curriculo possunt occurrere [10]. Postremo hoc in sensu non agitur de simplicibus calceis, sed de gravioribus cothurnis, & ocreis, quibus olim belli utebantur [11].

℣. 16. SCUTUM FIDEI, IN QUO POSSITIS OMNIA TELA NEQUISSIMI IGNEA EXTINGUERE.] Olim Militiæ ignitis nonnumquam utebantur jaculis, quemadmodum alibi probatum est [12]. Ignea Dæmonis tela sunt malæ cogitationes, & prava desideria [13], quæ effectus nostros succendunt. Hæc autem per fidem extinguimus, atque propellimus: fides enim nobis persuadet veritatem promissionum, atque minarum Dei, neque ulterius aliquid requiritur, ut mundi hujus blandimenta, atque illecebras contemnamus, & æquo & libenti animo bonis, atque honoribus a Dæmone oblatis cedamus.

℣. 17. GALEAM SALUTIS.] Vel salutarem [14], quæ adversus hostium ictus nos protegat. Jesus Christus *salus*, vel *Salvator* vocatur, ipse galea nobis est, cum repleti sumus Spiritu illius, ejus amore animati, veritatibus ejus imbuti, illius protectione muniti.

GLADIUM SPIRITUS.] Vel gladium spiritualem, vel etiam gladium, quem Spiritus Sanctus nobis suggerit, ut contra Dæmonem nosmet tueamur. Gladius hic non aliud est, quam Dei verbum, nos erudiens, illuminans, atque terribiles Dæmonibus ipsis efficiens. Jesus Christus Dei verbo tantum usus est Matth. 4. ut Dæmonem a quo tentabatur, rubore suffusum propulsaret. Hic illa est gladius anceps, de quo alibi in Scripturis est sermo, & qui penetrabilior est omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ, Hebr. 4. 11. Apoc. 1. 16. 2. 12.

℣. 18. ORANTES OMNI TEMPORE IN SPIRITU.] Non satis est validis indutum esse armis, neque sufficit impendens periculum cognoscere, nisi summa vi decertatur, neque in jugi vigilantia vita transigitur. In Orationibus vigilare debemus, per illas depræliari, atque victoriam referre: alioquin preces nostræ inutiles sunt. Non timet nos Diabolus, cum solos invenit; verum pernicissimam fugam corripit, cum precibus nostris omnipotentis Domini auxilium promeremur.

℣. 19. PRO OMNIBUS SANCTIS, ET PRO ME.] Attende humilitatem, atque sanctam Pauli avaritiam [15]; ipse etiam particeps esse vult Orationis fidelium. Orate *pro omnibus Sanctis, & pro me*. At quid pro te, o Paule precabimur? *ut detur mihi sermo in aperitione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Evangelii*. Precamini, ut Deus mihi conferat vim, confidentiam, loquendi libertatem, & eloquentiam, quæ animos moveat, atque persuadeat ℣. 20. ut & inter vincula, in quibus versor, libere, & audacter loquar, uti debeo, quin potestates verear, quin me Crucis pudeat, meorumque vinculorum pœniteat.

Qui legationem aliquam suscipiunt, magnificentia, atque servorum magnitudine, & pompa existimationis sutas aucupantur: at S. Paulus nihil pretiosius habet, quam vincula sua, quibus suam legationem exornet: *Legatione fungor in catena*. Hæc illis Ephesiis exhibet, tamquam & sibi, & ipsis gloriæ argumentum [16]. Animadvertit S. Chrysostomus, quemadmodum jure gentium legati apud omnes inviolabiles esse debent, ita S. Paulum isthic innuere, secum violatum fuisse jus gentium, quoniam JESU CHRISTI legatus in vincula conjectus est [17]. Ephesinos obtestatur, ut Deum pro se orent, ne vinculis prohibeatur, quo minus iis satisfaciat, quæ legati dignitas ex eodem expostulat. Profecto scimus, ipsum licet in vinculis positum numquam cessasse, quo minus prædicaret, & ut 2. Timoth. 2. 9. ait, si corpus ejus vinculis adstrictum erat, non illdem adstrictum erat & Verbum Dei. Apostolus catena alligatus erat militi, qui eum sequebatur, & quocumque comitabatur [18]; non enim positus erat in carcere.

℣. 21. OMNIA VOBIS NOTA FACIET TYCHICUS.]

1 Πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. 2 Chrysost. Ita Theodoret. Theophylact. &c.
3 Vide Casral. Zanch. Knatchbull. hic, & in Ephes. 2. 2. &c. 4 August. serm. olim 2. de verbis Domini, nunc 67. num. 4. 5 Est. Menoch. Tirin. Syr. Tremel.
6 Καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι. Vide Chrysostom. Erasm. &c. 7 Theodoret.
8 Isai. 11. 5. Vide Est. & Grot. hic. 9 Chrysost. Est. Vat. Menoch. Zanch. Tirin.
10 Theodoret. 11 Vide adnotata in 1. Reg. 17. 6.
12 Vide Commentarium in Psalmum 7. 14. 75. 3. 119. 4. 13 Vide Hieronym. Theodoret. alios.
14 Confer. Isai. 59. 17. Περικεφαλαίαν σωτηρίου. 15 Theodoret.
16 Vide Theodoret. 17 Vide Chrysostom. Theophylact. Est. hic. 18 Act. 28. 16.

Tychicus erat ex Provincia Asiæ, & comes accesserat S. Paulo, ubi ille Corintho Jerosolymam venit anno 58. [1] Hic utiliter operam suam præstitit Apostolo in omnibus prædicationibus ejus, & ab eodem missus fuit, ut illius Epistolas ad Colossenses, & ad Ephesios deferret. Credunt quidam, huic etiam commissam fuisse primam ad Timotheum Epistolam. S. Paulus illius texit elogium, eum charissimum fratrem, & fidelem in Domino Ministrum appellans.

℣. 22. UT COGNOSCATIS QUÆ CIRCA NOS SUNT.] Jussi eum vobis significare, quo in loca sim, & quomodo hac in Urbe Evangelium progrediatur. Legunt nonnulli [2]: *ut cognoscat, quæ circa vos sunt*, atque summa officii fide de Ecclesiæ vestræ statu certiorem me faciat. Confer ℣. 21 hujus Epistolæ, & finem illius ad Colossenses: eadem ferme occurrunt verba, atque utraque simul sub idem tempus scripta fuit.

A ℣. 23. PAX, CHARITAS CUM FIDE.] Hæc tria maxima sunt dona, quæ Deus hominibus concedere possit. Pax interior, atque exterior, & fides cum charitate conjuncta. Numquam has virtutes, & hæc dona sejungit, quæ imperfecte Spiritus Sanctus tribueret, si alium hoc alio deferret.

℣. 24. QUI DILIGUNT DOMINUM NOSTRUM ... [3] IN CORRUPTIONE.] hoc est constanti amore; in puritate cordis, & corporis; in sanctitate, & sinceritate [4]. Qui JESUM CHRISTUM amant, atque ab hujus sæculi corruptione se immunes tuentur. Nam *amicitia hujus Mundi inimica est Dei*, Jacob. 4. 4. Græca exemplaria ad hujus Epistolæ calcem legunt, *hanc scriptam fuisse Romæ a Tychico*, qua in re inter se consentiunt Interpretes, quemadmodum in Præfatione fomus intuiti.

1 Act. 20. 4. 2 Ald. MSS. Theophyl. Ambrosiast. Ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ὑμῶν: *Ut cognoscat, quæ circa vos sunt.* Græc. impress. Ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ἡμῶν. 3 Ἐν ἀφθαρσίᾳ.
4 Hieronym. Est. Vatab. Erasm. Menoch. Tirin. alii. Vide Chrysostom. Theophylact.

Finis Commentariorum in Epistolam ad Ephesios.

PRÆFATIO
IN EPISTOLAM S. PAULI AD PHILIPPENSES.

SAnctus Paulus a Deo in Macedoniam vocatus, anno Chr. 52. Troade navim conscendit, in Samothraciam venit, die proxima Neapolim Macedoniæ urbem maritimam appulit; & hinc Philippos, Romanorum Coloniam, hujus Macedoniæ partis Metropolim profectus, primum Lydiam purpurariam Deo per Fidem peperit [1]. Aliquot post diebus cum ab ancilla quadam per familiarem Cacodæmonis consuetudinem abdita revelante, quæ suorum dominorum quæstus plurimum conducebat, Pythonem ejecisset, ab ejusdem heris apud Magistratus, tamquam novæ Religionis author delatus, post virgarum animadversionem, una cum Sila in carcerem conjectus fuit. In noctis vigilia, concussa repentino impetu terra, atque ædificii fundamentis ab imo nutantibus, carceris fores ultro reclusæ, & captivorum vincula sponte contrita sunt. Carceris custos captivos diffugisse ratus, stricto in se gladio, mortem sibi intulisset, ni statim Paulo se se prodente, interceptus fuisset: qui illico ab eodem Apostolo fidei mysteria instructus, una cum tota familia baptismo est initiatus. Mane alterius diei a Magistratibus impetratum, ut Paulus & Silas dimitterentur. Paulus vero cum civibus Romanis sic agi indignatus, nonnisi ab ipsis Magistratibus palam dimissum carcere se egressurum asseruit; quibus ad magistratus delatis, ipsi per se injuriam illatam deprecaturi venerunt; atque e carcere eductum, ex Urbe secederet, rogarunt: quare Philippis Apostolus Thessalonicam contendit.

Paulus Philippenses maximo semper amore prosequutus, in suis precibus [2] illorum assidue meminerat. Præ omnibus, quos Apostolus ad Fidem traduxit, beneficii memores Philippenses fuere. Soli enim inter omnes, quocumque ad Fidem enunciandam pergeret, eleemosynas ad illum transmittebant [3]: quibus proinde ei præsto fuere bis Thessalonicæ [4], & forte etiam Corinthi [5]. Diu post, anno scilicet circiter 62. cum Romæ vinculis detentum audissent, Epaphroditum suæ Ecclesiæ seu Episcopum, seu Ministrum [6], & pecuniis, & ministeriis ejus solamini destinarunt [7].

Epaphroditus, ubi Romam pervenit, Pauli famulatui se totum impendit [8]: quare neque vitæ suæ parcens, in morbum incidit, & diu Romæ immorari coactus est. Paulus vero, ut Philippenses a sollicitudine pro illo liberaret, vix convalescentem remisit, adjecta Epistola, quam modo explanamus. Hæc igitur *ad Episcopos, & Diaconos Philippenses* inscripta est. Episcopi nomine vel hujus Ecclesiæ Presbyteros, vel Philipporum vel proximarum Ecclesiarum Episcopos [9] a Paulo designatos credimus. Epistolæ initio sibi Timotheum jungit [10], quem ad Philippenses se facile missurum postquam suis rebus aliquanto consuluerit, pollicetur [11]. Et ipsum se ad eosdem aliquando perrecturum sperat [12], etenim per totam Epistolam

1 Act. 16. 11. 12. &c. 2 Philipp. 1. 4.
3 Philipp. 4. 15. 4 Ibid. 4. 16. 5 2. Cor. 11. 9.
6 Vide Comment. ad Philipp. 2. 25. 7 Philipp. 2. 26. 8 Philipp. 2. 27. &c.
9 Vide Hammond. ad Philipp. 1. pag. 210. 211. 10 Philipp. 2. 19. &c.
11 Revera duobus post annis Philippos venit, Ann. Christ. 64. Vide Philipp. 2. 24.
12 Chrysostom. homil. 3.

ftolam a Deo vinculis se eripiendum, & iterum libertate donandum confidit. Seu vitæ, seu mortis optionem a Deo datam Apostolo, Chrysostomus in Philipp. prolog. opinatur.

Faciliori stilo, & spiritu tranquilliori hanc præ cæteris Epistolam Apostolus exaravit. Sui amantissimi cordis documenta exhibet singularia, neque gravioribus verbis eos unquam increpat, quo quidem, sit Chrysostomus in Philipp. prolog. Philippenses, qui non modo Fidei se dederant, sed etiam pro Christo plura pertulerant [1], præstantissima virtute præditi præferuntur. Suorum, Pauli nempe, vinculorum commune secum ut habeant gaudium, hortatur: præclarum vero secum agi putaturum, si suo ipse sanguine veluti libationem addere posset sacrificio, quod Philippenses fide sua Deo offerrent [2]. Sua denique vincula ad Divinæ Gloriæ, & Evangelii incrementum contulisse testatur [3]. Pseudo-Apostoli Philippos, sicuti & urbes cæteras, peragrantes, Legem & circumcisionem necessario ad salutem postulari enunciabant; quare Paulus magno sermonis impetu in eo insurgens, gravissime increpat, eosdemque, quod solius quæstus spe, & ambitionis pabulo prædicent, sibique ventrem pro Deo constituant, canes, & nequissimos operarios appellat.

Philippenses, ut animis mutuo cohæreant, hortatus, Evodiam, & Syntychem, ac fœminas emeritas, quæ enunciandæ Fidei maximo sibi fuerant adjumento, eorum humanitati quamplurimum commendat. Eleemosynarum, quibus sibi Philippenses consuluerant, ita meminit, ut & vacuum cupiditate animum, & charitate redundantem præferat [4]: quo plena gratiarum actione exceptos, statim admonet, pluria quam munera, a se meritum pendi, quod sibi apud Dominum vindicaverant. Cæterum nihil sibi deesse, copia æque ac gestate contento, per Deum sibi allaborantem omnia posse testatus. Satis tamen eos commendat, quod veterem sui beneficio liberalitatem exercentes, ad sui solatium quammaxime contulissent. Eis denique Romanorum Fidelium, Aulicorum potissimum [5], nomine valedicit, quo vel Imperatoris Domum Evangelium intulisse [6], ibique Discipulos sibi Paulus peperisse satis ostenditur.

S. Polycarpus ad Philippenses scribens, plures ad eos Epistolas Paulum dedisse asserere videtur [7]: *Neque enim*, inquit, *ego, neque alius mei similis, assequi potest beati, & gloriosi Pauli sapientiam, qui cum esset apud vos in conspectu hominum, qui tunc vivebant, perfecte ac firmiter docuit verbum veritatis, qui & absens vobis scripsit Epistolas, in quas si intueamini, ædificari poteritis in fide, quæ data est vobis, quæ est mater omnium nostrum.* Polycarpo illud favere videtur, quod ejusdem Epistolæ capite 3. subdit Apostolus: *De cætero fratres mei gaudete in Domino*, seu vobis in Domino valedico. *Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.* Quo quidem iis, quæ iterat, simile aliquid ad eos scripsisse insinuatur; nihilominus de unica tantum ad Philippenses Epistola & apud Veteres, & apud Recentiores Interpretes constat. Polycarpi vero textus necessario Epistolas non ingeminat; Græce enim, & Latine, & Gallice etiam uni Epistolæ pluralis literarum numerus sæpe tribuitur.

Tertium, & quartum caput Epistolæ ad Philippenses, ab Apostolo addita Grotius putat; cum enim, ait, de iis tantum, quæ duobus prioribus Capitibus recensuit, ad eosdem scribere statuisset, & cætera deinde subdere optimum duxit. Addit præterea Grotius, Pseudo-Apostolos, quos Paulus atris coloribus depictos asperius habet, non ex Judæis ad Fidem traductis, neque ex Fidelibus Judaizantibus, sed ex Ethnicis extitisse, qui, humana penitus prudentia Gentibus Fidei participibus suadere studebant, ut a persecutionibus, quibus Catholica augebatur Religio, se subducturi, & circumcisioni parerent, & Judaismum profiterentur. Quam utique sententiam scribentes in Epistolam ad Galatas jam refutavimus. A Judæis quamplurimum tunc cavendum sibi ex iis perspicue constat, quæ Paulus adjecit [8]: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem: nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo .... si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circumcisus octavo die, ex genere Israel, ex tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis.*

---

1 Philipp. 1. 29. 2 Philipp. 2. 17. 3 Philipp. 1. 12.
4 Philipp. 4. 10. &c. 5 Ibidem vers. 22. 6 Philipp. 1. 13.
7 Polycarp. Epist. ad Philipp. paragr. 3. Hammond. in cap. 4. ad Coloss. putat duas Epistolas ad Thessalonic. pro Philippensibus etiam fuisse; hinc S. Polycarpum numero plurali ad Philippenses Epistolas memorare.
8 Ad Philipp. 3. 2. &c.

COMMENTARIUM LITTERALE IN EPISTOLAM SANCTI PAULI AD PHILIPPENSES.

CAPUT PRIMUM.

S. Pauli charitas erga Philippenses. Illius vincula aliis confidentiam præbuere, JESUM CHRISTUM prædicandi; quem alii bona fide, alii per invidiam contra S. Paulum prædicant. Qui tamen gaudet. Et sperat futurum, ut vinculis suis liberetur ad Philippensium felicitatem.

1. PAulus, & Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus Sanctis in Christo Jesu,
qui sunt Philippis, cum Episcopis, & diaconibus; 2 Gratia vobis, &
pax a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo. 3 Gratias ago Deo
meo in omni memoria vestri, 4 Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus
vobis, cum gaudio deprecationem faciens, 5 Super communicatione vestra in E-
vangelio Christi a prima die usque nunc. 6 Confidens hoc ipsum, quia qui cœ-
pit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu: 7 Sicut est mi-
hi justum hoc sentire pro omnibus vobis: eo quod habeam in corde, & in vincu-
lis meis, & in defensione, & confirmatione Evangelii socios gaudii mei omnes vos
esse, 8 Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Je-
su Christi. 9 Et hoc oro, ut charitas vestra magis, ac magis abundet in scien-
tia, & in omni sensu: 10 Ut probetis potiora, ut sitis sinceri, & sine offensa in
diem Christi, 11 Repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam, & lau-
dem Dei. 12 Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad
profectum venerunt Evangelii: 13 Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo
in omni prætorio, & in cæteris omnibus: 14 Et plures e fratribus in Domino
confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. 15
Quidam quidem & propter invidiam, & contentionem, quidam autem & propter
bonam voluntatem Christum prædicant: 16 Quidam ex charitate, scientes quo-
niam in defensionem Evangelii positus sum. 17 Quidam autem ex contentio-
ne Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vincu-
lis meis. 18 Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veri-
tatem, Christus annuncietur; & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. 19 Scio enim,
quia hoc mihi provenit ad salutem, per vestram orationem, & subministrationem
Spiritus Jesu Christi, 20 Secundum expectationem, & spem meam, quia in nul-
lo confundar: sed in omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus
in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. 21 Mihi enim vivere Chri-
stus

ftus eft, & mori lucrum. 22 Quod fi vivere in carne, hic mihi fructus operis
eft, & quid eligam, ignoro. 23 Coarctor autem e duobus: defiderium habens
diffolvi, & effe cum Chrifto, multo magis melius: 24 Permanere autem in car-
ne, neceffarium propter vos. 25 Et hoc confidens fcio, quia manebo, & per-
manebo omnibus vobis, ad profectum veftrum, & gaudium fidei. 26 Ut gratu-
latio veftra abundet in Chrifto Jefu in me, & per meum adventum iterum ad vos.
27 Tantum digne Evangelio Chrifti converfamini: ut five cum venero, & videro
vos, five abfens audiam de vobis, quia ftatis in uno fpiritu unanimes, collabo-
rantes fidei Evangelii; 28 Et in nullo terreamini ab adverfariis: quæ illis eft cau-
fa perditionis, vobis autem falutis, & hoc a Deo: 29 Quia vobis donatum eft
pro Chrifto, non folum ut in eum credatis, fed ut etiam pro illo patiamini: 30
Idem certamen habentes, quale & vidiftis in me, & nunc audiftis de me.

℣. 1. PAULUS & TIMOTHEUS.] S. Timotheus tunc Romæ erat cum Apoftolo. Philippenfibus vero maxime notus erat, atque in pretio erat; quippe qui bis apud illos fuerat. S. Paulus eum in hac Epiftola focium vocat, non tamquam ejufdem Auctorem, fed tamquam amanuenfem fuum, vel potius veluti communem amicum, qui æque ac ipfe benevolentiæ, atque liberalitatis Philippenfium effectus fuerat expertus, & qui non fecus, atque ille ex eorum charitate, & perfeverantia in fide fumma lætitia afficiebatur. Uterque autem dicuntur *Servi JESU CHRISTI*, vel potius illius Miniftri in Apoftolatu, qua in re S. Paulus fingularis modeftiæ exemplo Timotheum fibimet ipfi æquare videtur, licet hic Sanctus effet Difcipulus ipfius, & illi omni ex parte decederet.

OMNIBUS SANCTIS IN CHRISTO JESU CUM EPISCOPIS ET DIACONIBUS.] Primi Chrifti Fideles non folum erant Sancti ex vocatione, & ex mente Dei, eos ad fanctitatem vocantis, verum etiam ex vitæ fuæ fanctitate, atque integritate. *Sancti in Chrifto* chriftiani funt, qui Jefu Chrifti fidem profitentur. *Epifcopi & Diaconi* defignant Antiftitem, & Sacerdotes ejus Ecclefiæ, omnefque Sacros Miniftros. Antiquitus Epifcopi, & Sacerdotis nomen commune erat, atque reciprocum; & indifcriminatim Sacerdotes Epifcopi, & Epifcopi Sacerdotes appellabantur [1]. Philippis unus dumtaxat effe poterat Epifcopus, & fortaffe tunc erat Romæ; hoc fuppofito, eum fuiffe Epaphroditum, quæ communis eft fententia [2]; & per quem S. Paulus hanc mifit ad Philippenfes Epiftolam. Quomodocumque fit, facile probatur, Epifcopos fæpius Sacerdotum nomine comprehendi confueviffe; nam hoc nomine & ipfi etiam Apoftoli nonnumquam fignificabantur. SS. Petrus, & Joannes Evangelifta in initio Epiftolarum fuarum feipfos Seniores, vel Presbyteros appellant. Cum S. Paulus Ephefo accerfiviffet Ecclefiæ illius, & fortaffe etiam finitimarum Ecclefiarum Presbyteros vel Seniores, in fermone, quem ad illos habuit [3], eofdem vocavit Epifcopos: atque ad Titum fcribens c. 1. 5. jubet, eum in Ecclefiis Sacerdotes conftituere, quos deinceps in recenfione virtutum, quibus præditi effe debent, eos Epifcopos vocat. *Oportet enim, Epifcopum fine crimine effe &c.*

Putant nonnulli [4], Philippos tunc fuiffe tamquam Macedoniæ caput, & Epiftolam hanc non ad Philippenfes tantum datam fuiffe, verum etiam ad Fideles Ecclefiarum, quæ in Provinciis, atque finitimis civitatibus aderant, five Philippenfis Ecclefia aliquid fuper

A cæteras jurifdictionis obtineret, five alia de caufa; namque hac de re hoc in loco fermo non eft. Ita Sacerdotes, de quibus loquitur, & ad quos fuam mittit Epiftolam, non defignant folum primores ex clero Philippenfi, verum etiam finitimarum Ecclefiarum Epifcopos: non fecus ac in allato Actorum loco, ubi S. Paulus de Epifcopis, vel Sacerdotibus Ephefiis multitudinis numero verba faciens [5], non Ephefi tantum Præfulem, verum etiam finitimarum Urbium Epifcopos defignat.

Græca quædam exemplaria hic legunt [6]: *Omnibus Sanctis in JESU CHRISTO, qui funt Philippis, Coepifcopis, atque Diaconibus*; videlicet Fidelibus, qui funt Philippis, & Epifcopis, cum quibus præclarum hoc Paftorum, Infpectorum, & capitum Ecclefiæ Jefu Chri-

B fti nomen communicamus. Sed pleraque Græca exemplaria edita, & Vulgatæ fimilia funt, & altera hæc verfio ex librarii mendo profecta videtur, qui ex duabus vocibus unam tantum effecit.

Quod ad Diaconos fpectat, de illis verba fecimus in caput 6. ℣℣. 3. 4. Actorum. Hujufmodi Miniftri non longe abhorrebant a *Chafanim* in Judæorum fynagogis, qui Miniftri erant Archifynagogorum, & qui eo munere perfungebantur, quod fibi ab illis demandabatur, atque locum infra fapientes atque Doctores obtinebant. In Ecclefia Chriftiana Diaconi non miniftrabant folum communi menfæ in charitatis conviviis, atque eleemofynas diftribuebant; verum etiam Sacræ menfæ, atque Euchariftiæ diftributioni inferviebant: immo nonnumquam etiam prædicabant, quemadmodum præfti-

C terunt S. Stephanus [7], & Philippus Diaconus, quorum pofterior Eunuchum Reginæ Candacis erudiit, & baptizavit [8], atque Samaritanos convertit [9]. Ut verbo me expediam; erant illi ad Epifcopi manum femper parati, ut illius mandata facefferent. In ordine autem Hierarchico femper locum habent ftatim infra Sacerdotes; & cum aucta Ecclefia fuit, infra illos alii fuere Miniftri, Subdiaconi nuncupati, & mox alii, atque alii; quorum nomina in Scripturis non extant, fed apud Veteres tantum Ecclefiafticos Auctores inveniuntur.

℣. 3. IN OMNI MEMORIA VESTRI.] Quotiefcumque veftri reminifcor. Vel [10]; gratias ago Deo, femper veftri memoriam gerens; vel [11]: Gratias ago Deo, quod vos recordamini mei.

D ℣. 4. SUPER COMMUNICATIONE VESTRA IN EVANGELIO CHRISTI.] Gratias ago Deo ob fidem veftram, & quod femel per noftram prædicationem Evangelio a vobis accepto, in eodem a prima die hucufque perfeveta-

---

[1] Vide Chryfoft. Theodoret. Oecumen. alios. [2] Theodoret. hic. Confer Philipp. 2. 25. ubi S. Paulus Epaphroditum Philippenfium *Apoftolum* vocat. Non poterat autem eorum effe Apoftolus, nifi ut eorum Epifcopus, dummodo non fumatur hoc in loco *Apoftolatus* pro fimplici miffo. Vide Commentarium. Vide Eft. Grot. Cornel. Men. [3] Act. 20. 17. 28. *Vocavit majores natu Ecclefiæ . . . Dixit eis: Attendite vobis, & univerfo gregi, in quo vos fpiritus fanctus pofuit Epifcopos regere Ecclefiam Dei*, &c.
[4] Vide Hamm. & Clerici not. in eundem, hic, & Eft. Zanc. [5] Act. 20. 17. 28.
[6] Συνεπισκόποις, καὶ Διακόνοις. Ita Chryfoft. Theophyl. Oecumen. in Commentar. S. Germ. Gr alii apud Erafm. & Mill. [7] Act. 7. 8. [8] Act. 8. 29. [9] Act. 8. 5.
[10] Ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν. Vide Bez. Zanch. [11] Arab. Menoch.

nostis. Alter [1]; gratias ago Deo, quod Evangelii propagationi non modice contulistis, nos bonorum vestrorum participes efficiendo a prima ipsa die, ad hoc usque tempus [2]. S. Paulus eam opem, quæ Apostolis, atque egenis fidelibus exhibetur, communicationem, vel bonorum communionem appellat [3]. Aptus sane videtur posterior hic sensus; prior tamen melius cum sequentibus cohæret.

℣. 6. QUI COEPIT IN VOBIS OPUS BONUM, PERFICIET USQUE IN DIEM CHRISTI.] Deus, qui vobis cor, atque aures aperuit, ut audiretis, & crederetis in Evangelium, qui in vobis Sanctam fidem, sanctumque Spiritum suum collocavit, perget vos suis luminibus, & sua gratia cumulans; donec feliciter ad extremum usque curriculum, ad mortem, atque peculiare judicium perveneritis, in quo Deus æternam vobis est felicitatem collaturus [4]. Perficiet ille in vobis opus suum; cumque vos vocaverit, vos justificabit, cumque vobis justitiam contulerit, conferet etiam & gloriam [5]. Namque secundum S. Tridentinum Concilium [6] Deus, qui in nobis & velle operatur, & facere, perficiet opus bonum quod incœpit, nisi nos gratiæ illius defuerimus.

℣. 6. SICUT EST MIHI JUSTUM, HOC SENTIRE PRO OMNIBUS VOBIS.] S. Paulus Philippenses omnes tamquam prædestinatos respicit, quam Apostolo confidentiam jure injecerat ardor ille, quem Fideles illi conversionis suæ initio testati fuerant, & fidelitas, cum qua eo usque in fide, & charitate perseveraverant. Verum aliam hic adfert rationem: *eo quod*, inquit ille, *habeam vos in corde*. Ast hoccine satis erat, ut asserere posset justum esse, se hoc de illis sentire; Deum videlicet in ipsis per gratiam suam opus, quod incœpit, esse perfecturum? aliquem amare, ejusque salutem cupere, non satis validæ rationes sunt, ut illum salvum fore credamus. Verum addit Apostolus, se eos diligere; quod *in vinculis meis & in defensione, & confirmatione Evangelii socios gaudii mei* habeam. Hoc simplicis amoris rationem in amicitiam immutat, quæ virtuti, charitati, fidei, bonis operibus innititur: a quo in casu æquum est credere, Deum gratia sua cumulaturum eos, in quibus præclaras adeo dispositiones collocavit; cumque illis perseverantiam in bono ad extremum usque vitæ spatium esse permissurum. Hæc jam magnæ virtutis nota est, in corde S. Pauli locum obtinuisse [7].

Græcus ita verti posset [8]: *Justum est, me hanc vestri curam gerere*, & indesinenter pro vobis precibus fatigare Deum, eique jugiter gratias agere. *Nam habeo vos in corde*, & in memoria mea; *in vinculis meis, defensione mea, testimonio, quod perhibeo Evangelio* [9], *tamquam omnes participes gratiæ meæ*, vel favoris, quem mihi fecit Deus; passionum mearum [10]. Satis liquet, quantopere afflicti fuerint Philippenses propter vincula S. Pauli, quamobrem Romam miserunt ex Macedonia Epaphroditum, qui Apostolo pecuniam, & opem afferret, quibus poterat indigere. Illum etiam queri conati sunt coram Nerone, vel contra Judæos, qui semper infestissimi illius fuere inimici. Denique etiam contulerunt ei rationi, qua summa vi, atque constantia veritatem sustinuit, & Evangelium prædicavit, licet tot circumquaque persecutionibus premeretur. S. Chrysostomus hoc ita explicat: Numquam oblitus sum vestri in carcere, vinculorumque meorum

A squalore, eo etiam tempore, quo productus fui coram Cæsare, & Evangelicæ veritati testimonium perhibui, ratus futurum, ut meis laboribus condoleretis.

℣. 8. TESTIMONIUM MIHI EST DEUS.] Deum testem voco spiritualis amoris, quo Philippenses prosequor. Hoc minime perjurium est. Ne credatis amari a me ob id unum, quod egestatibus meis opem fertis; atque dolore afflictamini ex ærumnis meis, neque existimetis, amicitiam meam carni, aut sanguini inniti. Vos amo in Spiritu, vos in visceribus Jesu Christi diligo, quatenus veros ejus Discipulos, & amicos. Vos amo, quod unice illum amatis, & ab eodem amamini.

℣. 9. UT CHARITAS VESTRA MAGIS ABUNDET.] Ne putetis, me Deum orare, ut temporalibus bonis, B atque utilitatibus vos cumulet; iniquus enim essem vestræ charitatis integerrimæ æstimator: sed oro Deum, ut vobis accessio fiat charitatis illustratæ, prudentis, intelligentis. ℣. 10. *Ut probetis potiora* [11], atque utiliora sanctificationi vestræ, Fratrum vestrorum saluti, & gloriæ Dei. Charitas imprudens, incomposita, nec bene instituta magis obesse potest Ecclesiæ, quam prodesse. Nonnumquam charitatis est, quibusdam ipsa etiam necessaria denegare subsidia. S. Paulus hoc in loco pseudo-Apostolos [12] indigitat; erga quos non cupit beneficos esse Philippenses: præstat enim, illos retundere, illis personam auferre, eosque de iis locis, quo obrepere studenr, exterminare. Vera charitas est, homines hujusmodi salutari confusione suffundere.

C ℣. 10. UT SITIS SINCERI, & SINE OFFENSA,] ut vitæ vestræ ratio munda sit, atque innocens usque in diem CHRISTI. Græcus ad Litteram [13]: *Ut sitis sinceri*, puri, sine mixtione, sine corruptione, in vita, fide, & moribus; *& sine lapsu*, sine ullo vel activo, vel passivo scandalo. Vitæ vestræ ratio ea sit, ut nemo inde scandali occasionem arripiat [14], & vos ita felices estote, ut in via in nullum offensionis lapidem impingatis [15] *usque in diem Christi*, usque ad vitæ vestræ finem, & usque in eam diem, qua in judicium coram Jesu Christo vobis erit prodeundum.

℣. 11. REPLETI FRUCTU JUSTITIÆ.] Per gratiam suam efficiat Deus, ut justitiæ fructus, generatim quidem bona opera, peculiariter vero eleemosynas producatis, ut glorificetur Deus ab iis omnibus, qui D actionum vestrarum testes fuerint. Opera nostra sunt fructus nostri, nos sumus veluti rami eosdem ferentes; Jesus Christus est arbor; Deus vero eorum Dominus. Ut autem utilem, atque salutis dignum fructum feramus, Jesu Christo per fidem, atque charitatem hærere debemus [16].

℣. 12. QUÆ CIRCA ME SUNT.] Vincula mea, meus carcer, persecutiones, quas perpessus sum, non modice Evangelii progressui profecerunt. Cum S. Paulus Jerosolymæ comprehensus fuit, atque Romanis traditus, viri boni dolore confecti sunt, rati, hunc maximum fidei incremento obicem futurum: verum inde novit Deus recentem sibi gloriam comparare; & nihil immiourum E est de S. Pauli libertate, qua Evangelium Jesu Christi prædicare consueverat. Status, in quo erat, profuit solum, ut discipulis ejus majorem constantiam immitteret, atque illius prædicationi majus pondus accederet. Numquid unquam visi sunt hypocritæ atque Sycophantæ, vitam suam atque libertatem in periculum obji-

1 Theodoret. Vide Erasm. Men. Tir. Est. 2 Chrysost. Theophyl. Est.
3 Rom. 12. 13. 2. Cor. 8. & 9. Galat. 6. 6. Philipp. 4. 14. 15. Hebr. 13. 16.
4 Estr. Men. alii. 5 Rom. 8. 30. 6 Concil. Trid. sess. 6. c. 13. *Deus enim, nisi ipsi homines illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere*. Vide & Aug. l. de corrept. & grat. c. 6. & l. 2. contra 2. epist. Pelag. c. 8. & Chrysost. hic.
7 Chrysost. hic. Vide & Theodoret. & Theophyl. & Grot. Est. Menoch. Tir.
8 Καθώς ἐστι δίκαιον ἐμοὶ τοῦτο φρονεῖν ὑπὲρ πάντων ὑμῶν, διὰ τὸ ἔχειν με ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμᾶς, ἔν τε τοῖς δεσμοῖς μου . . . Συγκοινωνούς μου τῆς χάριτος. Alii: χαρᾶς: *Gaudii*. Ita Vulg. Clarom. & Ger. & Boerner. Latin. non Græc. Ambrosiast. Hieronymiast. Primas. Sedul. 9 Theodoret. 10 Theodoret.
11 Εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα, *diversa*. Alii: Συμφέροντα, *utilia*. Vut. J. Capel. Erasm. Pisc. Vorstr. Heins. Syr. Ambrosiast. Chrys. Theoph. Oecum. alii. 12 Theodoret. Est. Zeger.
13 Ἵνα ἦτε εἰλικρινεῖς καὶ ἀπρόσκοποι εἰς ἡμέραν Χριστοῦ. 14 Erasm. Illyric. Men. Est. Tig. Zanch. ex Chrysost. 15 Pagni. Zanch. Est. Men. 16 Joan. 15. 1. 2. 3. 4.

objicere, ut mendacium, quod afferant, confirmarent? hæc fecum primi illi Christiani.

℣. 13. MANIFESTA FIERENT IN CHRISTO, & IN OMNI PRÆTORIO.] Vincula mea insignia facta sunt in Imperatoris aula ad majorem Jesu Christi gloriam; vel Jesus Christus illa in Prætorio insignia effecit. Vel: Vincula, quæ gero pro nomine Jesu Christi, & quatenus ejusdem Apostolus, magnam obtinuere celebritatem. Quærunt, quid *Prætorii* nomine isthic S. Paulus intelligat? Græci Patres, & plerique Interpretes [1] credunt, Imperatoris ædes indigitari, Neronis videlicet, qui tunc imperabat. Ad illum adductus fuit S. Paulus, ejusque causæ novitas plurimorum curiositatem excivit, qui intelligere voluerunt, quænam esset ea religio, quam prædicabat, & pro qua tantam constantiam præferebat. Liquet inferius [2], Apostolum in ipsa Neronis aula complures convertisse. Pressius quidem Prætorii nomen Imperatorio Palatio minime conveniebat, verum cum hoc nomine appellari consuevisset domus, ubi Provinciarum Præsides, vel ipse etiam Imperator commorabatur, cum ita in locis adesset, eodem nomine vocavit Palatium, in quo Romæ etiam sedebat.

Alii [3] ostendere conati sunt, *Prætorium* locum esse, ubi Romanus Prætor pro Tribunali jus dicere consueverat. Prætorii nomen hoc in sensu apud Ciceronem invenitur [4], & fortasse S. Paulus ad Prætorem mitti potuit judicandus, licet Cæsarem appellasset. Alii denique [5] asseruerunt, cum sermo sit de Prætorio Romæ, intelligenda esse hoc nomine Prætorianorum Militum castra, quo Apostolum adducere potuit miles, cui S. Paulus catena alligatus erat; ubi ille Jesu Christi annuntiandi occasionem arripuit. Verum hujusmodi quæstio non ea est, ut magnopere hoc in loco negotium nobis facessere debeat.

℣. 14. ET PLURES E FRATRIBUS.] Plures christiani, qui Romæ erant vinculis, atque constantia S. Pauli confirmati, ausi sunt coram Ethnicis loqui, eisque Evangelium annuntiare.

℣. 15. QUIDAM QUIDEM ET PROPTER INVIDIAM.] Græcus versiculum 17. versiculo 16. ita præponit. ℣. 16. *Quidam ex contentione Christum annuntiant....* ℣. 17. *Quidam ex charitate.* At Syrus, Cophtus, Æthiops, S. Basilius, Tertullianus, Ambrosiaster, antiquissimi Manuscripti Græci, & Latini, itque plurimi [6] Vulgatæ ordinem retinent.

Christiani quidam invidentes gloriæ S. Pauli [7] nomen sibi comparare cupiebant, ejusque constantiam imitari. Alii bona fide, & sincero prædicabant [8]; alii *ex charitate* propter Jesu christi gloriam, & S. Pauli amorem, honori sibi vertentes, si quid huic actioni contulissent, cujus norant illum constitutum fuisse Ministrum, quatenus Gentilium Apostolum: *scientes, quoniam in defensionem Evangelii positus sum*; scientes nempe, ipsum in vinculis ob id solum versari, quod Evangelii, & veritatis causam tueri voluisset. Non deerant denique, qui ex contentione, atque invidia prædicarent, rati, se illi in vinculis dolorem allaturos, seu magis, magisque in illum persecutores irritando [9], seu eidem gloriam auferre cupiendo, ne ille unus in universam magnam illam civitatem lucem Evangelii attulisse diceretur. Sed illi ingentem animum, integritatem, atque humilitatem hujus Apostoli non noverant. ℣. 18. *quid enim? dum omni modo.... Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.*

℣. 18. SIVE PER OCCASIONEM, SIVE PER VERITATEM.] Sive fortuito, & quin serio animus advertatur, sive ex bono zelo, atque deliberata voluntate. *Occasio* hic significat oppositum ei, quod consulto, atque maturato fit. S. Pauli inimicis ea mens erat, ut illi negotium facesserent, & ob id illi prædicabant; JESUM CHRISTUM per occasionem, & per accidens annuntiabant. Græcus etiam verti potest [10]: *sive per prætextum, seu per veritatem*. Vel prædicent illi JESUM CHRISTUM ex animo, vel hoc illi prætexant, ut mihi dolorem afferant; mea non refert, dummodo JESUS CHRISTUS annuntietur. Seu hæc illis vere mens sit, seu prætextus tantummodo, haud equidem quæro; sed facto gaudeo.

℣. 19. SCIO ENIM, QUIA HOC MIHI PROVENIET AD SALUTEM.] Invidia, atque improbitas inimicorum meorum, quin mihi vinculorum pondus augeant, proderunt, ut mihi libertatem procurent, & ex his catenis eripiat [11]. Vel, hoc meam gloriam augebit, cui caliginem illi offundere nituntur, atque majores mihi animos addet, ut liberius prædicem. Spero, hoc mihi feliciter eventurum ope orationum vestrarum, atque Spiritus Sancti præsidio, qui me reget, atque gratia sua illuminabit.

℣. 20. SECUNDUM EXPECTATIONEM, ET SPEM MEAM [12].] Hoc cum præcedentibus connectendum est: magnopere confido in precibus vestris, ac spero, Deum mihi collaturum esse virtutem liberrime prædicandi, & gloriam deferendi JESU CHRISTO doloribus meis, quemadmodum huc usque feci, *sive per vitam, sive per mortem*; sive permittat, ut inimicorum meorum iniquitati cedam, sive in libertatem vindicet, ut eidem famulari valeam. Si vixero, illi offeram laborum, atque officiorum meorum sacrificium: vel cum Theodoreto; si ex hoc periculo emersero, omnes admirabuntur virtutem illius, qui me inde eripuerit; sin autem humanis decessero, admirabuntur Evangelii virtutem, quæ tantum mortis contemptum in illius præcones immittit.

℣. 21. MIHI VIVERE CHRISTUS EST, ET MORI LUCRUM.] Mors, & vita æque mihi utiles erunt: si vivo, sum JESU CHRISTI, & ea illi persolvo, quæ debeo. Sin morior, ad illum vado, eique mei Sanguinis sacrificium offero [13]. Aliter: mortem non timeo, eo quod nonnisi pro JESU CHRISTO vitam duco. Si permiserit, me vivere; vitæ meæ tempus ad Evangelii sui prædicationem transmittam: sin me mori maluerit, repente Cœlestem gloriam merebor, atque ex omnibus hujus Mundi calamitatibus eripiar; vel, moriens etiam, aliquem JESU CHRISTO lucrabor. Vertunt quidam [14]: JESUS CHRISTUS mihi lucrum est, seu vivam, seu moriar; ipse enim & in vita, & in morte me Beatum potest efficere. Sed prior sensus ad litteram magis accedit, & Græco [15] textui magis est conformis.

℣. 22. QUOD SI VIVERE IN CARNE HIC MIHI FRUCTUS OPERIS EST [16].] Si vita occasionem mihi præbet perfungendi munere meo, & Dei gloriam, atque Ecclesiæ utilitatem procurandi, *quid eligam, ignoro*. Si mihi optio relinquitur, nescio, utrum vita, an mors mihi sit optanda. Mors quidem ex omnibus malis me liberat, & glorificat Deum: sed vita mea nequaquam inutilis est, ut cum gloria ipsius Evangelium progrediatur. Credit S. Chrysostomus, Deum ea in occasione integrum illi reliquisse, ut vel moreretur, vel secus.

COARCTOR

1 *Ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ.* Theodoret. Ita & Chrys. Theophyl. Est. Emisn. Men. Tir. alii. Huber. Dissert. singul. in hunc locum. 2 Philipp. 4. 22. *Salutant vos maxime qui de Cæsaris domo sunt.*
3 Vide Hamm. & Favorin. hic. 4 Cicero Orat. 5. in Verrem. c. ult. *Vos omnium rerum forensium, Legum.... arbitri, & testes celeberrima in loco Prætorii locati, Castor & Pollux, &c.*
5 Perizon. Dissert. de Prætorio. Cleric. hic. nos. ad Hamm.
6 Boiner. G. L. Germ. & Clarom. Lat. Hieronymiasf. alii apud Mill. 7 Chrysost.
8 *Δι' εὐδοκίαν. Bono animo, libenter*; seu quod Christianorum dogma probatum haberent. Grot. Chrys.
9 Chrys. hic. Est. Grot. 10 *Εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ.* Tertull. l. 5. contra Marcion. c. 20. *Sive occasione, &c.* 11 Vide Chrysost. Est. Tir. Men. 12 *Κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα μου.* Oecumen. 13 Theodoret. Vat. Zanch. Grot. 14 Pagn. Bez. Calv. Gemar.
15 *Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν, κέρδος.* Theodoret.
16 *Τοῦτό μοι καρπὸς ἔργου: Id mihi operæ pretium est. Res admodum utilis & mihi, & Ecclesiæ.*

℣. 23. COARCTOR AUTEM E DUOBUS :] Hinc immortalitatis, beatæque vitæ desiderio, inde vero cupiditate vos juvandi, si in hac vita permansero. A

DISSOLVI, ET ESSE CUM CHRISTO.] Quærunt, quid ad litteram significet Græca vox, quæ vertitur *dissolvi* [1]. Credunt alii, significari eam resolutionem, vel dissolutionem, quæ accidit in morte, dum anima a corpore divellitur, atque inanimatum corpus dissolvitur, vel contabescens in cineres diffluit. Tenent alii, ad litteram hoc nomen significare *decessum*, reditum in domum suam, exitum e diversorio, ubi nox fuit transacta; qui quidem verus est, mea sententia, hujus loci sensus [2]. Mors, ut ita dicam, est discessus Viatoris ex cubili suo prosilientis, ut domum suam revertatur.

℣. 25. HOC CONFIDENS SCIO.] S. Paulus re ipsa B ex primo hoc periculo evasit; & absolutus fuit, cum jam biennio Romæ in vinculis commoratus fuisset. Illa intrinsece præsentiebat, ac certus erat quodammodo, futurum, ut proxime liberaretur.

℣. 26. UT GRATULATIO VESTRA ABUNDET IN CHRISTO JESU.] Ut liberatio mea vobis locum præbeat humillime JESU CHRISTO gratias agendi, atque infinitam illius potestatem laudandi, qui me ex tanto periculo eripuit. Græci Patres [3] hoc aliter intelligunt: ut ad vos reversus recentia nanciscar argumenta gloriandi in CHRISTO JESU, videns vos in Christiana Religionis perfectione profecisse:

℣. 27. TANTUM DIGNE EVANGELIO CHRISTI CONVERSAMINI.] At seu vivam, seu moriar, hoc vobis negotium minime facessat: illud unum ex vobis peto, ut vitam Evangelio dignam vivatis. Ne dedecoretis CHRISTI fidelium characterem: efficite, ut Evangelium in vobis honorem inveniat; plures enim ita vivunt, ut Religioni, quam profitentur, dedecus inferant, Dominicæ Crucis inimici, quorum Deus venter est, & qui inde gloriam aucupantur, unde illis cedit infamia [4].

℣. 28. ET IN NULLO TERREAMINI AB ADVERSARIIS.] Inter infidelium persecutiones, Judæorum calumnias, falsorum fratrum injurias, Hæreticorum pertinaciam, pseudo-Apostolorum insidias. Hæc illis quidem lapsus, & infelicitatis erit occasio; vobis autem ad salutem via. *Et hoc a Deo*. Hæc omnia a Deo emanant, per gratiam illius universa hæc mala vestræ conferunt incolumitati; nam addit ℣. 29. hæc JESU CHRISTI gratia est, *non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini*. Hanc de vitæ hujus calamitatibus ideam nobis fides adstruit, cum illas tamquam a Dei manu recipimus, & cum eisdem ad æternitatem acquirendam utimur. Hoc Dei donum est: Nihil boni sine illius ope conari valemus, ait Theodoretus, sed ille nihil sine nobis operatur.

---

1 Tertull. *Recipi jam, vel, recipi ad Dominum*. De patient. 9. & l. de spectacul. cap. 28.
2 Ἀναλῦσαι, pro *discedere, migrare*. Vide Luc. 12. 36. Sap. 1. t. 2. Macchab. 12. 7. Judith. 13 Vide Chrysostom. Erasm. Gatak. Vorst. Zanch. Castal. Hamm. Piscat.
3 Chrysostom. homil. 4.
4 Philipp. 3. 19.

CAPUT II.

JESUS CHRISTUS altissimæ humilitatis exemplum. Nomen ejus super omne nomen. Salutem nostram cum tremore operari debemus. Laus Timothei, & Epaphroditi. Alter hic Philippos remittitur.

1. SI qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua so-
cietas spiritus, si qua viscera miserationis: 2 Implete gaudium meum,
ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sen-
tientes; 3 Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humili-
tate superiores sibi invicem arbitrantes, 4 Non quæ sua sunt singuli consideran-
tes, sed ea, quæ aliorum. 5 Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo
Jesu: 6 Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqua-
lem Deo: 7 Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem
hominum factus, & habitu inventus ut homo. 8 Humiliavit semetipsum factus
obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. 9 Propter quod & Deus e-
xaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: 10 Ut in
nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: 11
Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Pa-
tris. 12 Itaque charissimi mei (sicut semper obedistis) non ut in præsentia meâ
tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu, & tremore vestram
salutem operamini. 13 Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & per-
ficere, pro bona voluntate. 14 Omnia autem facite sine murmurationibus, &
hæsitationibus: 15 Ut sitis sine querela, & simplices filii Dei, sine reprehensio-
ne, in medio nationis pravæ, & perversæ: inter quos lucetis sicut luminaria in
mundo, 16 Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non
in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi. 17 Sed & si immolor supra sa-
crificium, & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis,
28 Idi-

18 Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi. 19 Spero autem in
Domino Jesu, Timotheum me cito mittere ad vos: ut & ego bono animo sim,
cognitis, quæ circa vos sunt. 20 Neminem enim habeo tam unanimem, qui
sincera affectione pro vobis solicitus sit. 21 Omnes enim, quæ sua sunt, quæ-
runt, non quæ sunt Jesu Christi. 22 Experimentum autem ejus cognoscite,
quia sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio. 23 Hunc igitur spero me
mittere ad vos, mox ut videro, quæ circa me sunt. 24 Confido autem in Do-
mino, quoniam & ipse veniam ad vos cito. 25 Necessarium autem existimavi,
Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem
apostolum, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos. 26 Quoniam quidem
omnes vos desiderabat: & mœstus erat, propterea quod audieratis illum infirma-
tum, 27 Nam & infirmatus est usque ad mortem: sed Deus misertus est ejus,
non solum autem ejus, verum etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam habe-
rem. 28 Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis: & ego sine
tristitia sim. 29 Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & ejusmo-
di cum honore habetote. 30 Quoniam propter opus Christi usque ad mortem
accessit, tradens animam suam, ut impleret id, quod ex vobis deerat erga
meum obsequium,

℣. 1. SI QUA ERGO CONSOLATIO IN CHRISTO.] Si JESUS CHRISTUS aliquem vobis amorem, atque misericordiæ sensum erga illos inspirat, qui vobis benefecerunt: hoc erga me ostendite, atque hoc mihi solatium tribuite, ut videam inter vos suavissimam animorum concordiam. *Si qua societas spiritus*: si inter nos est aliqua spiritualis conjunctio ex participatione Spiritus Sancti, quem recepimus, vel ex charitate, quæ nos conjungit, vel ex eadem sententia, in qua versamur, vel ex eodem capite, cujus membra sumus profecta. ℣. 2. *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes.* Non majores afferre poterat causas Apostolus, ut ad perfectam charitatem Philippenses adhortaretur. Id adhortatur, quod in Religione sanctissimum est, quod in amicitia delicatissimum, quod inter grati animi officia justissimum. Sciebat ille, quanti meriti sit in Christianis societatibus charitas, & spiritualis concordia.

℣. 3. NIHIL PER CONTENTIONEM.] Tutissima isthic tradit consilia ad perfectam concordiam fovendam, atque ad omnes dissensiones, turbasque evitandas. Hæc mala non nisi ex ambitione, jurgiis, privata utilitate, superbia, & amore gloriæ proficiscuntur. Mala hujusmodi evitate, & quamprimum inter vos lætissima pax efflorebit.

IN HUMILITATE SUPERIORES SIBI INVICEM ARBITRANTES.] Per humilitatem quilibet alios se meliores existimet, perfectiores, observantia, & existimatione digniores. At quomodonam hoc fieri potest citra errorem? qui sapiens, frugi, prudens, virtute præditus est, sincere ne potest se minus perfectum arbitrari eo, quem in flagitiorum sordibus, atque ignorantiæ caligine immersum cognoscit? Primo aliqua in re alium superare possumus, sed humilitas nobis persuadere debet, nobis alios inesse defectus, vel alias labes, propter quas ab illis, quos cæterum superamus, vincamur. Secundo, isthic non agitur, ut simul conferantur externæ qualitates, quæ in oculis Dei nullo sunt in discrimine, veluti generis honestas, honor, scientia, eloquentia: sed agitur de intrinsecis, ac spiritualibus tantum, de quibus Deus unus æquus esse Judex potest. Cum vere humiles sumus, ac serio incumbimus, ut abditos, internosque defectus nostros vestigemus, fieri minime potest, ut nosmet non contemnamus, atque cæteris nequiores existimemus [1]. D Tertio, hæc cogitatio, quæ efficit, ut alios omnes

A nobis superiores arbitremur, nequaquam est determinatum, absolutumque judicium, sed anceps, atque suspensum [2]. Homo ille quasdam habet infirmitates, quibus, Divina favente gratia, ego equidem careo, sed nonne & ipse aliis pluribus scateo, quibus ille vacat? aliena quidem vitia intueor, sed meorum oblivisci non debeo. Quarto, cum nosmet consideramus seorsim a supernaturali auxilio Dei, nemo unus est, qui fateri non debeat, in se non aliud esse, quam corruptionem, peccatum, mendacium; & hoc posito, cui nam nos ipsos præferre possumus? numquid aliquod peccatum est, aliqua infirmitas, cui nos obnoxii non simus [3]? Quinto denique dici potest, nostrum singulis proximum habendum esse tamquam superiorem nostrum, in nostræ salutis negotio; ita ut nosmet illi submittamus, B eidem serviamus, cum nobismet ipsis prælatamus, quo ad gloria Dei, atque salutis nostræ necessitas expetere posse videantur.

℣. 4. NON QUÆ SUA SUNT SINGULI CONSIDERANTES.] Privata utilitas, & philautia communes sunt dissensionum, atque litium origines. Christiana Religio unum dumtaxat essentiale negotium agnoscit, videlicet Dei gloriam, nostramque salutem. Huic uni reliqua cedant, oportet. Sunt, qui ita hunc versiculum explicant. Quilibet non suas, sed alienas virtutes consideret, ut perfectam foveat humilitatem [4].

℣. 5. HOC ENIM SENTITE IN VOBIS, QUOD ET IN CHRISTO JESU.] Locus hic bifariam intelligitur. Primo, imitamini erga fratres vestros eam charitatem, qua JESUS CHRISTUS erga vos usus est, cum C dignatus est humanam carnem induere, ut vos salvos faceret [5]. Patris quodammodo sinum, & gloriæ, qua fruebatur, fulgorem reliquit, ut naturam humanam indueret, & servi formam acciperet. Secundo, fovete igitur in vobismet ipsis eosdem humilitatis, atque patientiæ sensus, quos in vitæ suæ mortalis curriculo [6] induit JESUS CHRISTUS, quo tempore visus est tamquam ad nihilum redactus, servi formam, atque naturam accipiens, & ad Crucis usque mortem factus obediens.

℣. 6. QUI CUM IN FORMA DEI ESSET.] Hoc est cum esset Imago Dei, vel cum formam Dei gereret, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. Cum dicit S. Paulus, JESUM CHRISTUM habere Dei formam, vel esse Imaginem Dei, nequaquam intelligit imaginem re D vacuam, formam, quæ extrinsecam simpliciter speciem, non vero ipsam eamdem essentiam exhibeat.

Jesus

1 Vide August. lib. 83. quæst. 71. & de sancta virginitate, cap. 43. Gregor. Magn. homil. 10. in Ezechiel.
2 Est. hic, Zanch.
3 Augustin. serm. 354. nov. Edit. num. 7. & serm. 257. num. 2. &c.
4 Zanchius hic.
5 Vide Theodoret. hic. & ad versic. 11. Vide & Chrysostom. & Theophylactum.
6 Ambrosiast. Erasm. &c.

Jesus Christus vere Deus est, Consubstantialis, & Coæternus Patri [1]; in Virginis uterum dilapsus, atque in senecturam, & infirmitates nostras assumens minime cessavit, quominus Deus esset, minime naturam, gloriam, atque infinitam potestatem suam exuit, minime vel dexteram, vel sinum Patris reliquit: sed naturam, atque formam hominis assumpsit, quin Dei naturam abjiceret. Apostolus Verbi Divinitatem tot in locis confirmat, ut in hoc desuisse, suspicio oboriri minime possit. Alibi etiam Filium Patris *imaginem*, *& splendorem* appellat [2], quæ loquendi rationes aptissimæ sunt ad Filii gloriam, similitudinem, æqualitatem, consubstantialitatem cum Patre indigitandam. Radios ejusdem est naturæ, cujus corpora, e quibus emanat essentialis, & substantialis rei alicujus imago, est res ipsa. Jesus Christus nequaquam est imago, vel forma diversa, & a Patre sejuncta.

Cum igitur Jesus Christus talis sit, qualem modo descripsimus, *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo* [3]. Fuit ex natura sua æqualis Patri; hanc æqualitatem non tamquam furtum, aut rapinam esse putavit. Potuisset in Cœlis permanere, atque hominibus sub servi specie se videndum minime præbere: si eousque per humilitatem se se submisit, ut naturam nostram dignaretur induere, hæc non est, vel rapinæ ejusdem, vel superbiæ pœna; ideo descendit, ideo servi formam assumpsit, quia voluit. Alludit hoc in loco S. Paulus ad Luciferi, primique hominis lapsum [4]. Uterque cecidit in eum statum toto Cœlo inferiorem illi, in quo fuerant creati, eaque justa fuit pœna superbiæ, atque rapinæ eorum, quoniam Dei gloriam, quæ ad ipsos minime spectabat, sibi vendicare ausi sunt [5]: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*, ait Lucifer; & Dæmon Adæ, atque Evæ dixit, Genes. 3. 5. *Eritis sicut Dii, scientes bonum, ac malum.*

In Evangelio, Joann. 18. 37. cum quæsivisset Pilatus ex Jesu Christo, utrum Rex esset, ille ad hæc; *Tu dicis, quia Rex sum ego; ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in Mundum, ut testimonium perhibeam veritati*: quasi diceret: cum me Regem appello, utor jure meo. Hic furtum non est, neque rapina. Et in Actis 22. 28. cum tribunus quidem S. Paulo dixisset; ego Romanæ Civitatis jus ingenti auri vi comparavi; S. Paulus respondit, *Ego autem & natus sum*; non pretio, sed nativitatis jure hanc dignitatem obtinui. Ita hoc in loco Jesus Christus minime rapuit, neque usurpavit qualitatem Filii Dei, & æqualis Patri; eadem ex ipsa natura obtinuit [6]; nequaquam similis est fictis illis Numinibus, quæ non ex natura [7], sed ex rapina, abusu, errore, talia sunt.

℣. 7. Semetipsum exinanivit formam servi accipiens.] Jesus Christus humanam carnem assumens ad nihilum quodammodo redactus est, hoc est, in statum maxime obscurum, contemptibilem, molestum, acerbum, si conferatur cum gloria, majestate, magnitudine, qua perfruebatur in Cœlo. Hoc nequaquam significat, illum absolute priorem statum suum reliquisse, humanam formam induendo; non desiit umquam Deus esse, sed ob oculos nostros visus est tamquam ad nihilum redactus; vel juxta Græcæ vocis vim [8], se ipsum exhaurivit, exuit, ad paupertatem redegit, *formam servi accipiens*.

Postremis etiam his verbis aliquis abuti posset, eadem explicans, quasi ille formam, non naturam hominis assumpsisset: verum ille rem, infirmitates, & notas assumpsit. *Forma* hoc in loco, non secus ac versiculo superiori, non opponitur rei; sed est res eadem cum forma, & essentialibus qualitatibus. Jesus Christus hypostatice se se cum natura nostra conjunxit, ut ex Divinitate, & humanitate simul conjunctis unam tantum personam efficeret. Potuisset ille quidem ex potenti, atque illustri familia nativitatem ducere, sed prætulit *formam servi*, elegit familiam pauperem, obscuram, & a Mundo contemptam. Visus est homo inter homines, *habitu inventus, ut homo*, Divinitatem suam, ut ita dicam, exinanivit, eamdem sub humana forma abscondens, & quamvis esset homo Deus, quidquid extra ipsum videbatur, simplicis hominis erat. *Habitu inventus ut homo.*

℣. 8. Humiliavit semetipsum factus obediens.] S. Paulus semper ostendit, ubicumque de Salvatoris humilitate, atque passione loquitur, eas ex mera illius voluntate semper esse profectas. Ille semetipsum exinanivit, & humiliavit. Verum quidem est, hoc ipsum præstitisse, ut obediret Patri, ejusque justitiæ satisfaceret, sed cum æqualis sit Patri, illius obedientia non poterat esse, nisi prorsus voluntaria. Neque patri tantum paruit, sed hominibus etiam, Josepho, Mariæ: *& erat subditus illis* Luc. 2. 51. Paruit Principibus sæcularibus, quibus vectigal viritim impositum persolvit [9], paruit Judicibus, atque carnificibus, id vero eo usque, ut mortem ferret, mortem vero acerbissimam, atque turpissimam, supplicium servorum: liquet enim vilissima mancipia [10] Cruci affigi consuevisse.

Propter quod et Deus exaltavit illum.] Ut scilicet mercedem tribueret humilitati Jesu Christi, ejusque erga Patrem obedientiæ, & ut repararet injuriam, quam quodammodo sibimetipsi intulerat, se se ad servi formam, atque naturam redigens, Deus Pater eumdem super omnia exaltavit, & dedit illi *nomen* [11] gloriam, celebritatem, dignitatem iis omnibus, quæ magna, quæ gloriosa, quæ illustria fingi possunt, præstantiorem; vel potius dedit illi *nomen* Dei [12], Salvatoris, & Judicis viventium, ac mortuorum; quæ quidem qualitates exteris præstant, quas possidere potuisset, si coram Mundo in gloriæ, atque majestatis statu apparuisset.

Cum dicitur autem hanc gloriam fuisse promeritum in humiliationis suæ remunerationem, ne credideris, hæc ipsum ante caruisse, neque meruisse. Quatenus Deus, possidebat nomen super omne nomen, sed hoc illi quodammodo debitum erat. Cupiebat illud mereri, atque ita novum magnitudinis suæ gradum adjicere; cumque sua magnitudo crescere non posset, seipsum humiliavit, & exinanivit, ut si fieri posset, nova sibi gloriæ fieret accessio. Ad hæc, si hoc gloriæ, atque dignitatis incrementum est, gloriam, atque dignitatem eamdem, & aliis communicare posse; Dei Filius longe maximum gloriæ additamentum promeruit, naturam nostram suæ Divinitati conjunctam evehens supra cætera, ac nobis gloriam conferens, quæ omnem gloriæ apicem superat. Ita sapienti, atque industri humilitate sua artem invenit, absit verbo invidia, aliquid infinitæ suæ gloriæ addendi, atque hominem-Deum supra Verbum-Deum quodammodo collocandi.

℣. 10. Ut in nomine Jesu omne genuflectatur, Coelestium.] Angelorum, Beatorumque, *Terrestrium* viventium hominum, *& Infernorum*, mortuorum [13], & etiam Dæmonum, atque damnatorum [14]; ut omnia verbo complectar, Creaturæ omnes quocumque in statu sint, quocumque in loco, cujuscumque con-

---

1 Ita Patres omnes, & Interpretes plerique.
2 Coloss. 1. 15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ.* Hebr. 1. 3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.*
3 Οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ.
4 Est. Zanch. Gemar.
5 Isai. 14. 14.
6 Theophylact.
7 Galat. 4. 8.
8 Ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε.
9 Matth. 17. 24.
10 Vide Grot. hic. Et servus apud Plaut. *Scio ego crucem fore mihi sepulchrum.*
11 Vide Deut. 26. 19. Sophon. 3. 19. 20. Ezech. 34. 19. Jerem. 13. 11. 32. 9. 20. 33. 9. &c. Vide & Ephes. 1. 21.
12 Chrysostom. Theophylact. Theod. Aug. Est. Zanch. Menoch. Vide Hebr. 1. 5. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.*
13 Theodoret. Gemar. Zanc. Menoch.
14 Chrysostom. Est. Menoch. Tirin. Gemar. alii.

conditionis, supremam JESU CHRISTI Dei, & hominis majestatem colere debent, seu cultu libero, ac voluntario, velut Angeli, & Sancti, qui sunt in Cœlo, & illi, qui inter piaculares flammas Cœlestem Beatitudinem prestolantur, & mortales, qui in terris Deum cognoscunt, & amant, seu cognitione violenta, atque coacta, velut Dæmones in aere, super terram, atque in Inferno dispersi, damnati, & viventes impii, qui hodie quidem JESUM CHRISTUM blasphemant, sed supremo Judicii die illum agnoscere, & venerari tamquam Deum suum, & Judicem cogentur.

℣. 11. ET OMNIS LINGUA CONFITEATUR.] Omnes terrarum Populi [1] cujuscumque linguæ, & nationis sint, Judicii die confitebuntur, JESUM CHRISTUM esse ad dexteram Patris Cœlestis, atque justum Judicem vivorum, & mortuorum, bonorum, atque B impiorum. Vel, *omnis lingua*, Creaturæ omnes in Cœlo, in Terra, & in Inferno [2] fatebuntur, JESUM CHRISTUM Deum, & hominem vere esse in Cœlo super omnia, & perfrui gloria, & quæ sibi tamquam Deo debetur, & quam humilitate ac passione sua æquissimo jure sibi comparavit.

℣. 12. ITAQUE SICUT SEMPER OBEDISTIS.] Quemadmodum perfectam semper mihi, & absenti, & præsenti obedientiam estis professi; obtestor vos, ut ad imitationem JESU CHRISTI perstitatis obedire mihi, multo magis absenti, quam cum adsum inter vos, nunc enim periculum majus est, subsidia vero minora. Modo magis expositi estis inimicis, seductoribus, & falsis fratribus; *itaque cum metu, & tremore vestram salutem operamini*, metuite, quia tamen deficiat is, sentite miciter, quin C tamen animos despondeatis. Deum timete, & sperate in eo. Justitiam quidem illius veremini, clementiam vero implorate. Ne confidatis in viribus vestris, vestram infirmitatem fatemini, & omnia ex Dei auxilio, & protectione præstolamini. Cavete æque ab omni tam præsumptione, et diffidentia.

℣. 13. DEUS EST ENIM, QUI OPERATUR IN VOBIS VELLE, ET PERFICERE.] Si bene intelligeretis, vos jugiter Dei auxilio indigere, salutem vestram cum metu, atque tremore operaremini; Deus enim gratia suæ virtute operatur in nobis voluntatem, bonum illud faciendi, quod prosit saluti; et eadem gratia illud facit in nobis [3]. *Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle; nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur, & operari*. At quomodonam hoc in no- D bis operatur Deus? illuminans mentes nostras; efficaciter, sed suaviter, & libere voluntates nostras ad illud bonum impellens, cujus per gratiam suam, & cognitionem nobis adfert, & amorem immittit [4]: *Per adjutorium bene agendi adjunctum naturæ, atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ, & luminosissimæ charitatis*. Cum igitur nos ecce ejus auxilium petimus, ut velimus, & operemur bonum [5], *quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quid latebat, & suave faciat, quod non delectabat?*

Deus per gratiæ suæ operationem non delet in nobis liberum arbitrium, illud e contra erigit, & perficit [6]. *Hæc autem voluntas libera, tanto erit liberior, quanto sanior; tanto autem sanior, quanto Divinæ misericordiæ, gratiæque subjectior*. Ita ubi dicimus cum A- E postolo, Deum in nobis operari velle, hoc nequaquam significat voluntatem nostram esse actionis ejus expertem. Prævenit gratia motum voluntatis in bonum, sed voluntas sequitur gratiam, & bono cooperatur [7]. Bonum opus simul est Dei donum, & actio meritoria hominis, quem gratia prævenerit, & adjuvit. Potest semper homo vocantis, atque invitantis gratiæ illecebris reluctari. A Deus non efficit nos velle, nisi velimus, sit Divus Chrysostomus hic; at ubi velimus, bonam voluntatem nobis tribuit, & auget; & ex S. Augustini sententia, *ex nolentibus facit volentes, ex repugnantibus consentientes*.

℣. 14. OMNIA AUTEM FACITE SINE MURMURATIONE.] Superioribus quidem vestris perfecte subditi estote; cum Fratribus vero concordiam unanimem servate. Ita evitabitis murmurationem omnem in Deum, et in eos, quos vobis ille proposuit, omnesque cum æqualibus vestris contentiones. Hujusmodi vitia ex ambitione, et charitatis defectu, quæ in nobis sunt, proficiscuntur.

℣. 15. UT SITIS SINE QUERELA, ET SIMPLICES.] Græcus ad litteram [8]: *irreprehensibiles, simplices, atque sine exprobratione*, ut vitam ducatis integerrimam, et ab omni criminis suspicione vacuam, sine labe ulla, simplicitate, atque rectitudine cumulatissimam. Ut sitis simplices tamquam columbæ, irreprehensibiles tamquam filii Dei; nitentes *sicut sydera* inter Ethnicos, et velut *funalia* [9] in medio tenebrarum.

℣. 16. VERBUM VITÆ CONTINENTES.] Persistit in allegoria lampadum, de quibus loquutus est; afferentis lucem verbi Dei in Mundo lucentis, atque in vitæ vestræ ratione se prodentis, quemadmodum fax in noctis caligine elucet [10]. Theodoretus Græcum ita vertit: *incumbentes ad verbum Dei*, omnem attentionem vestram conferte, ut vitæ verbum, et prædicationem audiatis, quæ vobis animæ vitam procurare potest, et quæ aliquando futura est gloria mea, cum coram Deo meo proditurus sum, quippe qui dignos JESU CHRISTI Discipulos, et fideles mandatorum ejus Ministros educaverim.

℣. 17. SED ET SI IMMOLOR SUPER SACRIFICIUM.] Græcus [11]: *licet essem tamquam victima, super quam jam effusum est vinum propter immolationem*, atque immolandus essem *pro fidei vestræ Sacrificio, maxime gaudeo*. Aliter: *licet essem tamquam libatio super sacrificium, atque victimam fidei vestræ effundenda, me beatum ducerem*. Græca vox *spendomai* significat effusionem vel liquoris, vel frugum cum sale mixtarum, quæ fit super victimam jam jam immolandam, vel super hostiam jam immolatam, atque in ara positam. Ad priorem libationis speciem S. Paulum in Epistola ad Timotheum [12] alludere Grotius arbitratur per ea verba: *Ego enim jam delibor*; isthic vero ille mihi potius videtur alludere ad alterum effusionis genus, quod unice apud Hebræos in usu positum erat. Martyrium suum, tamquam Sacrificium respicit; Philippensium vero fidem, tamquam hostiam cruore irrigandam, ut oblationi nihil desit [13].

℣. 18. ID IPSUM ET VOS GAUDETE.] S. Paulus nequaquam perpessus est martyrium priori illo in itinere, quo Romam concessit; sed ea ratio, qua hic verba facit, satis ostendit, quantopere illius desiderio flagraret. Philippensibus ait: illis, quia dolerent; ipsum persecutionibus, atque periculis mortis objectum intueri, potius esse lætandum, quoniam sanguis suus quodammodo futurus est Sacrificii eorum consummatio.

℣. 19. SPERO TIMOTHEUM ME CITO MITTERE.] S. Paulus tunc Philippos remittebat Epaphroditum cum hac Epistola, sed quam primum missurus erat etiam Timotheum, qui deinde sibi Philippensis Ecclesiæ statum nunciaret. Non liquet tamen, etiam hoc ipse præstiterit; donec enim in vinculis erat, Timotheo carere non poterat. Illud tamen conjecturam adstruit, ab eodem Timotheum Philippos vere missum fuisse.

C e

1 Theodor. Ita Zanch. 2 Est. Grot. Menoch. Tirin. Gomar. Zanch.
3 Augustin. de dono persever. cap. 13. 4 August. de gratia Christi contra Pelag. & Celest. cap. 35. num. 38. 5 Augustin. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 19.
6 Augustin. Epist. 157. num. 8. 7 Vide Theophylact. hic.
8 [illegible] 9 [illegible]
10 [illegible]. Vide Grot. Est. Zanch. Gomar. Erasm. alios. Vide & Theophylact. hic.
11 [illegible]
12 2. Timot. 4. 6. [illegible]. Consulenda, quæ adnotavimus in hunc locum. Vereor ne Grotii animadversio vera sit. 13 Vide Ambrosiast. Theophylact. Oecumen. Est. Grot. Erasm. Zanch. alios.

fuisse, atque in Urbe satis diu in carcere illum jacuisse, quod anno sequenti 63. JESU CHRISTI non erat amplius cum S. Paulo suam ad Hebræos Epistolam scriberet [1].

℣. 20. NEMINEM ADEO TAM UNANIMEM &c.] Hoc præclarum est sane S. Timothei elogium, quod cum S. Paulo una anima, unum cor, unus spiritus fuerit; *unanimis* [2]. Addit, neminem magis, quam Timotheum de Philippensium salute esse sollicitum. Timotheus sane Ecclesiam illam maxime noverat, ubi non semel fuerat, atque plures existimationis, & observantiæ notas receperat. Græcus [3]: *Mittam ad vos Timotheum (nemo enim mihi est ex animo conjunctior,) & sinceram, veramque curam geret rerum, quæ ad vos pertinent.* Ille unice vos diligit, eique maxime cordi sunt negotia vestra, quæ videlicet salutem vestram respiciunt.

℣. 21. OMNES ENIM, QUÆ SUA SUNT, QUÆRUNT.] Timotheus nequaquam similis est aliis plerisque, qui in Evangelii prædicatione propriam dumtaxat utilitatem perquirunt; non imitatur ille pseudo-Apostolos, qui ob id tantum prædicant, ut lucellum aliquod faciant. Ille vestram dumtaxat perfectionem, sanctificationem, atque salutem desiderat.

℣. 22. EXPERIMENTUM EJUS COGNOSCITE.] Hac in re mihi fidem haberi nolo, vos ipsi ex effectu cognoscetis. Ille quidem mihi in Evangelii prædicatione tanta præsto est diligentia, reverentia, amore, fiducia, ut filius patri majorem deferre minime valeat.

℣. 23. MOX UT VIDERO, QUÆ CIRCA ME SUNT.] Statim ac aliquando ex his vinculis eripiar, atque hæc negotia mea inveniant finem [4]. Cum Apostolus in vitæ discrimine versaretur, Timotheo carere non poterat, qui, quo tempore ille in vinculis positus erat, personæ ejusdem, atque negotiorum ejus curam diligentissime gessit.

℣. 24. CONFIDO IN DOMINO.] Illuc profectus est post biennium anno JESU CHRISTI 64. sed postquam Cretam, Judæam, Ephesum, ac fortasse etiam Hispaniam lustrasset. Creditur [5] in Macedonia fuisse, ubi priorem ad Timotheum dedit Epistolam.

℣. 25. NECESSARIUM AUTEM DUXI.] Operæ me pretium facturum duxi, & ad solatium vestrum, atque, ut quomodo res meæ se habeant, certiores fieretis, mitterem ad vos fratrem Epaphroditum; præsertim cum apud me Timotheum habeam, cujus cura effectum est, ut Epaphroditi officiis non egeam. Hunc vidimus jam a Philippensibus ad S. Paulum missum fuisse, ut aliquam pecuniæ vim ad eumdem ferret [6], eique in vinculis famularetur [7], quod tanto zelo, & cura perfecit, ut gravi morbo laboraverit [8], atque diu Romæ permanere debuerit. Nuncium ægritudinis ejus summo dolore Philippenses affecit, ideoque S. Paulus curavit, ut quamprimum, ubi convaluisset, in Macedoniam reverteretur, Philippenses mœrore levaturus, cum propter morbi sui causam, tum propter Pauli vincula dolore confectos.

Ea ratio, qua de eodem verba facit Apostolus, complures [9] in eam conjecturam adduxit, ut illum Philippensem Episcopum fuisse crediderint; *necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem & cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, & Ministrum necessitatis meæ mittere ad vos.* Nomen *Apostoli* eidem minime convenit, eo quod primus ad eos Evangelii lucem attulerit; ei igitur fortasse convenit, quatenus Episcopo. Græci hunc in Septuaginta Discipulorum numero recensent, eumque Adriacæ, vel Andracæ Episcopum fuisse dicunt. Sermo quidam, qui Metaphrasti tribuitur, ait, illum a S. Petro ordinatum fuisse Anxuris Episcopum, quæ Civitas est in agro Romano [10]. At si Episcopus fuit, Philipporum, potius quam alterius cujusquam Civitatis fuit Episcopus; verum ejus Apostolatus, non secus ac Episcopatus dubitatione non carent, quoniam Græca vox *Apostolos* et omnem hominem significat missum, vel legatum, atque præcipue illum, qui ad eleemosynas, vel munera Ecclesiis deferenda mittebatur, quo in sensu hoc in loco non pauci, iique notæ melioris Interpretes censent intelligendum. Putat Grotius, hunc eumdem esse, ac *Epaphram*, de quo in Epistola ad Colossenses 1. 7. & 4. 12. verba facit: sed Epaphras una cum S. Paulo Romæ in vinculis [12] erat, quod de Epaphrodito dici posse non reor.

℣. 26. ET MOESTUS ERAT, PROPTEREA QUOD AUDIERATIS.] Non aliunde magis innotescit summa primorum Ecclesiæ fidelium concordia, quam circumstantiis illis, quas ex S. Pauli Epistolis didicimus. Ubi audivere Philippenses, Apostolum Romæ in vinculis esse, ex ultima Macedonia ad illum hominem misere, qui eidem ministraret, atque pecuniam afferret. Homo iste ægrotat, ac statim omnis Philippensium Ecclesia dolore conficitur. Hoc audit Epaphroditus, neque ullum invenire solatium potest, nisi ad eos redeat, mœrentibus solatium aliquod allaturus; & Sanctus ipse Paulus, quantumvis summam ab Epaphrodito reciperet opem, illum remittit, ut & hujus sollicitudinem, & eorum dolorem aliquo solatio reficiat.

℣. 27. INFIRMATUS EST USQUE AD MORTEM.] Illius salus jam erat in desperato, verum misericors Deus illum nobis sospitem reddidit, ne *tristitiam super tristitiam haberem*, & postquam illius ægritudo me dolore confecerat, ne recenti alio mœrore percuterer, si apud me occubuisset [13]. Vel, ne mœrori, quo in vinculis meis uror, nova fieret accessio, cum vir mihi adeo carus repente auferretur [14]. Licet enim virtute summa, & gratia præditus esset Apostolus, nihilo secius tamen secundum naturam ob carceris sui squalorem, & amicorum suorum interitum dolore conficiebatur. Credunt nonnulli, S. Paulum precibus obtinuisse, ut Epaphroditus convalesceret, quamvis modestiæ causa nihil hoc in loco testetur.

℣. 28. UT ET VOS GAUDEATIS, ET EGO SINE TRISTITIA SIM.] Græcus [15], *et minus doleam*, vel minus sollicitus sim. Majori afficior dolore ea vestra sollicitudine, quam ea absentia Epaphroditi afficiar.

℣. 29. EJUSMODI CUM HONORE HABETOTE.] Vir, qualis est Epaphroditus, reverentia, & honore dignus est; licet etiam non fuisset Philippensis Episcopus, tamen illius charitas, zelus, labor, dignum efficiebant, qui summo in honore haberetur. *Honor* hoc in loco significare etiam potest remunerationem [16]: dignus est, ut laborum suorum, atque longi itineris sui periculorum ratio habeatur.

℣. 30. QUONIAM PROPTER OPUS CHRISTI, USQUE AD MORTEM ACCESSIT.] Quod longum, molestumque iter suscepit, mihique summa diligentia, & cura famulatus est, parum abfuit, quin minus ad plures abiret. Hæc omnia ille fecit, ut aliquid in opus JESU CHRISTI, & Evangelii progressum conferret, ratus, me adhuc posse non inutilem esse prædicationi, atque meæ studens incolumitati, tamquam Ministri Domini, minus personæ meæ rationem habens, quam utilitatis, si quam Ecclesiæ possem afferre.

TRADENS ANIMAM SUAM.] Ut ei ministerio suppleret, quod vos ipsi mihi propter absentiam, locorumque longinquitatem præbere non poteratis. Græcus

1 Tillemont. S. Timoth. n. 4. S. Paul. not. 67.
2 Ἰσόψυχον; *pari animo præditum*.
3 Ὅστις γνησίως τὰ περὶ ὑμῶν μεριμνήσει.
4 Ὡς ἂν ἀπίδω τὰ περὶ ἐμέ, ἐξαυτῆς. Chrysostom. Ἐν τίνι εἰσίν, καὶ ποῖον ἔξει τέλος τὰ κατ' ἐμέ.
5 Athanas. in Synops. Theodoret. prolog. in Rom. pag. 4. Tillemont. S. Paul. art. 47.
6 Philipp. 4. 18.
7 Philipp. 2. 30. Chrysostom. p. 87.
8 Philipp. 2. 26.
9 Theodoret. hic. & prolog. in Philipp. Baron. Hamm. Tir. Est. alii.
10 Vide Bolland. 22. Mar. Tillemont. not. 65. in S. Paulum.
11 Ἀπόστολος, שליח Grot. ex Ignatio: Θεοδρόμον, ἱεροπρεσβευτήν. Vide Zanch. Est. Bez. Pago. Pisc. Vorst. alios.
12 Philemon, ℣. 23. *Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu.*
13 Chrysostom.
14 Vide Est. Zanch.
15 Κἀγὼ ἀλυπότερος ὦ.
16 Confer 1. Timoth. 5. 17. Vide Est. Grot.

cùs magis adhuc significat [1]: *vitam suam contempsit*, nullam propriæ salutis rationem habuit. Vel potius, *se se in periculum conjecit clausis*, ut ita dicam, *oculis*, quin vita illi negotium facesseret. Vetus Latinus Interpres verterat [1] *parabolatus est de anima sua*. A Latinis olim *Parabolani* ii dicebantur, qui se se devovebant ministrationi ægrorum, quorum vita in periculum adducta esset: & apud Aristophanem *Parabolos* de eo dicitur, qui in periculum irruit apertum [2]. Theodoretus [3] credit, cum S. Paulus in carcere positus esset, atque arctissima custodia detineretur, Epaphroditum nihil sibi, vel a custodibus, vel e Cæsare veritum, nullum sprevisse periculum, ac tandem illi e voto cessisse, ut Apostolum in vinculis inviseret. Potuit fieri, ut Apostolus re ipsa dies aliquot in carcere detineretur, antequam ad Neronem produceretur; verumtamen certum est, illi ab initio permissum fuisse, ut in conducto habitaret, semper tamen custoditus a milite, qui eadem cum illo catena vinctus erat. Vide Act. 28. ℣. ℣. 16. 30.

---

1 Παρὰ βουλευσάμενος τῇ ψυχῇ: *Parabolatus de anima sua*, Clarom. & Borner. & S. Germ. Latt. Græc. Παραβολευσάμενος, optime. Vide Mill. Grot. Salmas. Casaubon. 2 Chrys. Theodoret. Ita & Theophyl.
3 Ita Græci, Menoch. Est. Tir. alii.

C A P U T III.

Pseudo-Apostoli: Vera, ac solida Christianæ Religionis bona, quibus hæc Legi præstat. S. Paulus Philippenses ad sui imitationem hortatur: contra falsos Apostolos invehitur.

1. DE cætero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi
quidem non pigrum, vobis autem necessarium. 2 Videte canes, videte
malos operarios, videte concisionem. 3 Nos enim sumus circumcisio,
qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Jesu, & non in carne fiduciam
habentes: 4 Quamquam ego habeam confidentiam & in carne. Si quis alius videtur
confidere in carne, ego magis. 5 Circumcisus octavo die, ex genere Israel,
de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus. 6
Secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam, quæ in lege
est, conversatus sine querela. 7 Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus
sum propter Christum detrimenta. 8 Verumtamen existimo omnia detrimentum esse,
propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum
feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, 9 Et inveniar
in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est
Christi Jesu: quæ ex Deo est justitia in fide, 10 Ad cognoscendum illum, &
virtutem resurrectionis ejus, & societatem passionum illius: configuratus morti ejus:
11 Si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. 12 Non
quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam,
in quo & comprehensus sum a Christo Jesu. 13 Fratres, ego me non
arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea
vero, quæ sunt priora extendens meipsum, 14 Ad destinatum persequor, ad bravium
supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. 15 Quicumque ergo perfecti sumus,
hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit: 16 Verumtamen
ad quod pervenimus, ut idem sapiamus: & in eadem permaneamus regula.
17 Imitatores mei estote, fratres, & observate eos, qui ita ambulant, sicut
habetis formam nostram. 18 Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis
(nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: 19 Quorum finis interitus:
quorum deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.
20 Nostra autem conversatio in cœlis est: unde etiam Salvatorem expectamus Dominum
nostrum Jesum Christum, 21 Qui reformabit corpus humilitatis nostræ,
configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem, qua etiam possit subjicere
sibi omnia.

℣. 1. GAUDETE IN DOMINO.] Carcer S. Pauli, persecutiones, quas patiebatur, Epaphroditi mala valetudo mœrore summo Philippenses affecerant. Cum ergo illos Apostolus his omnibus in rebus consolatus fuisset, eisque dixisset, se quidem beatum se se existimaturum, si pro Evangelio vitam posset effundere, sed sperare futurum, ut aliquamdiu adhuc a Deo servaretur; Evangelium nullum ex vinculis suis detrimentum passum fuisse; Epaphroditum non valere solum, verum etiam ad

eos sospitem reverti ; ita concludit : *gaudete in Domino*, illi gratias agite ob accepta beneficia, in illo confidite, & quin mala, quæ patimur, vobis mœrorem afferant, lætamini, atque Deum celebrate.

EADEM SCRIBERE VOBIS, MIHI QUIDEM NON PIGRUM, VOBIS AUTEM NECESSARIUM.] Græcus[1] : *Non molestum est mihi eadem vobis scribere ; sed vobis tutum est* ; hoc facere debeo, ut vos confirmem, atque præmoneam, ut a pseudo-Apostolis vobismet caveatis. *Etiam aperta monstrare plurimum prodest, interdum enim scimus, nec attendimus*, inquit Seneca ep. 95. Hoc nequaquam significat, S. Paulum eadem illis in præcedenti Epistola, vel in hac ipsa scripsisse : ait solum, sibi molestum non esse, sæpe iterare ea, quæ illis dixerat, cum apud eos versaretur[2] : vel, non metuere, quod, ut ajunt, crambe repetita noceant, cum de eorum agitur eruditione. Putat Grotius, Apostolum voluisse ad finem capitis superioris suam concludere Epistolam, sed cum temporis spatium nactus esset, vel meminisset sibi adhuc aliqua superesse, quæ Philippensibus diceret, posteriora hæc duo capita addidisse.

℣. 2. VIDETE CANES.] Pseudo-Apostolos intelligit, qui Judæi erant perperam conversi, vel non bene Christianæ Religionis præceptis imbuti, qui volebant, ut Gentiles in JESU CHRISTI castra transeuntes circumcisioni, aliisque Legis cæremoniis se se submitterent. Hos canes appellat propter eorum impudentiam, atque juges latratus in eos, qui legales cæremonias non observabant, vel propter animum infestum, quo maledictis suis veros JESU CHRISTI Apostolos proscindebant, præsertim vero S. Paulum, qui Evangelicæ libertatis erat propugnator acerrimus. Salvator ipse canes vocaverat Ethnicos, Matth. 15. 26. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*. Isthic vero nomine eodem S. Paulus appellat Judæos pertinaces, & Evangelii inimicos. S. Ignatius Martyr ep. ad Ephes. rabidos canes, & sine latratibus mordentes eos vocat, qui CHRISTI fidelium nomen deferentes, actionibus suis ostendunt, se omnino non esse JESU CHRISTI discipulos. Hujusmodi inimicis nihil prorsus fidendum est.

VIDETE MALOS OPERARIOS, VIDETE CONCISIONEM.] Hos *operarios subdolos* vocat in altera ad Corinthios Epistola 11. 13. Prædicatores, qui sanam doctrinam corrumpunt, Ministros infideles, qui evertunt, non ædificant ; qui Christianam Religionem delere conantur, ut Judaicam restituant, qui Dei gloriam desiderare se simulant, & propriam dumtaxat utilitatem aucupantur. *Videte concisionem*, ad litteram *concisos*[3] : honori sibi vertentes circumcisionem suam, quæ prorsus est inutilis, & quæ simplex est pelliculæ concisio sine virtute, ac merito ; cum interim illis desit circumcisio cordis, quæ una vera est, atque utilis in oculis Dei : *Circumcisio cordis in spiritu, non littera ; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est*, Rom. 2. 29. Circumcisionem cordis accipite, inquit Jeremias 4. 4. atque vos Domino acceptos præbete : *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum*. Aliter : Cavete ab hac concisione, vel ab his concisoribus, id unum quærentibus, ne in Ecclesiam dissensionem immittant[4].

℣. 3. NOS ENIM SUMUS CIRCUMCISIO.] Si prodest Circumcisio, si honorem adfert nobis, hæc est prærogativa ; nos sumus veri circumcisi corde, & animo, *nos, qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Jesu*. Profecto si corporalis circumcisio nota est fœderis Dei cum Abraham, & character, fidelem ab infideli distinguens, per cordis circumcisionem, per fidem in JESUM CHRISTUM hujus fœderis participes sumus, ejusque prærogativis perfruimur, distincti non solum ab Ethnicis, & alienis a promissionibus Abrahæ ; verum etiam a filiis nothis, Judæis obduratis, qui a fide, atque merito Parentum degeneres, de fœdere Israel Dei sunt exterminati[5].

Pro verbis illis, nos, *qui spiritu servimus Deo*, Græca quædam exemplaria legunt[6] : *qui Spiritui Dei latriam exhibemus* ; quam veram hujus loci lectionem esse tenet Sanctus Ambrosius l. 2. de Spir. Sanct. cap. 6. eamque perspicue Spiritus Sancti Divinitatem probare testatur. Ait ille, Latina exemplaria variare, quorum alia legunt : *Spiritui Dei*, & alia, *Spiritui Deo* ; sed posteriora hæc esse corrupta. Hoc eodem loco ad Spiritus Sancti Divinitatem probandam nititur Sanctus Augustinus[7], qui ait, pleraque Latina exemplaria, & Græca omnia, vel fere omnia legere : *qui Spiritui Dei servimus* : & pauca solum adesse exemplaria Latina, quæ legerent : *Spiritu Deo servimus*. Hodie vero pleraque Græca, & Latina omnia legunt : *Spiritu Deo servimus*, vel *Spiritu servimus Deo* : & Græci Patres[8], atque Latini Interpretes hoc explicant de ea ratione, qua servimus Deo, hoc est, de spirituali cultu, non autem de nostri cultus objecto, quasi hic locus innueret, nos Spiritum Sanctum adorare. Hunc quidem Deum esse fatemur, & quatenus Deum adoramus, non autem ea hujus loci virtute.

℣. 4. SI QUIS VIDETUR CONFIDERE IN CARNE.] Si ex Judæis originem duxisse, atque circumcisum esse, aliquam nobis præ cæteris conferre prærogativam, ego quoque vel æque, vel magis quam alii gloriari possem ; Verum istud exiguum adeo est, ut ne mereatur quidem, ut animus advertatur. Ego quidem Hebræus natus sum ex Tribu Benjamin, & ea familia, quæ ab ipsis usque primordiis Hebræa fuit. ℣. 5. *Hebræus ex Hebræis*. Circumcisus fui octavo die, non autem quemadmodum pseudo-Apostolorum nonnulli, qui provecta jam ætate Circumcisionem acceperunt, & aliquo modo in Judæorum castra obrepserunt. *Circumcisus octavo die*. Neque rudis sum in lege Patrum meorum, omnia illius officia, atque cæremonias novi, in Pharisæorum secta omnium Judaicæ Religionis diligentissima, accuratissimaque inutritus[9] : *secundum Legem Pharisæus*. Neque privata utilitas, neque ambitio, neque ullum præjudicium me coegit, ut JESU CHRISTI fidem amplecterer[10] ; immo primum hanc maximopere detestabar, eamque palam persequebar : ℣. 6. *Secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei*. Itaque nemo umquam mihi exprobrare poterit, quod licentiæ cupidus in Evangelii prædicationem, atque Apostolatus ministerium transierim. Nemo nescit, quomodo sub Lege vixerim : *secundum justitiam, quæ in Lege est, conversatus sine querela*. Illius semper sedulus, atque irreprehensibilis observator fui, & si hodie cæremoniarum illius abrogationem prædico, id præsto, quod earum inutilitatem satis intelligo.

℣. 7. SED QUÆ MIHI FUERUNT LUCRA.] Nativitas mea, zelus Legis, mea Circumcisio, & qualitates aliæ, quas Judaica in Religione aliquo in numero habere poteram, postquam JESUM CHRISTUM secutus sum, & lumini ejus oculos aperui, existimavi esse operæ pretium eadem amittere, eorumque libens obtuli sacrificium Domino, ut Evangelii cognitionem acquirerem. Non ægre, neque gravate hanc Legis justitiam abjeci[11], quæ ambitioni meæ fovendæ, quam fidei, atque humilitati augendæ aptior erat, ut in uno tantum JESU CHRISTO confiderem.

℣. 8. EXISTIMO OMNIA DETRIMENTUM.] Cum jactura me laborasse arbitror, antequam JESUM CHRISTUM

1 Τὰ αὐτὰ γράφειν ὑμῖν ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρόν, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές. Vulgat. *Necessarium*. Germ. & Clarom. Lat. *Manifestatum est* : perinde ac si legissent, φανερόν.
2 Vide infra vers. 18.
3 Βλέπετε τὴν κατατομήν.
4 Grot. hic.
5 Justin. Dialog. cum Tryph.
6 Græc. impress. Οἱ πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες. Alii : Οἱ πνεύματι Θεοῦ λατρεύοντες. Ita Stephan. α, ζ. ια, ιε. Alexand. Lud. Lin. Baroc. &c. Boerner. G. L. Theodoret. alii.
7 Aug. l. 1. de Trinit. c. 6. & serm. 169. nov. Edit. c. 3. n. 4. olim serm. 15. de verbis Apostoli.
8 Chrys. Theoph.
9 Joseph. l. 1. c. 4. de Bello. Act. 26. 5. *Secundum certissimam sectam nostræ Religionis vixi Pharisæus*.
10 Theodoret.
11 Vide mox ℣. 9.

STUM lucrarer, & veritatum ejus cognitionem acquirerem. Salvator in Evangelio Matth. 13. 44. Regnum Cœlorum comparat thesauro abscondito in agro, quem qui invenit, statim agrum illum emere studet, omnia vendens, ut illum acquirat. Sanctus Paulus vir ille est, qui hunc thesaurum invenit; ideoque nullo habet in discrimine cætera bona; haud ægre illa abjicit, ut agrum, atque thesaurum in illo absconditum possideat: *omnia arbitror, ut stercora, ut Christum lucrifaciam*. Omnia Mundi, & fortunæ bona, omnia nativitatis, animique privilegia, tamquam sordes, fœces, rubiginem duco; verbo, veluti ea, quæ vilissima sunt, & quæ majorem adferunt nauseam; (hæc enim significatio est Græcæ vocis *Sybalon* [1]) ubi illa cum JESU CHRISTO, veritate, fide, & gratia ejus comparo.

℣. 9. UT INVENIAR IN ILLO NON HABENS MEAM JUSTITIAM.] Credebant Judæi, se propriis viribus, & cum sola Legis observantia perfectam justitiam acquirere posse, neque alia re præter legem se indigere arbitrabantur, ut Deo essent accepti. Ita justitiam suam statuere cupientes, sese non subjecerunt illi, quæ ex Deo proficiscitur, quemadmodum in Epistola ad Rom. 10. 3. S. Paulus animadvertit. *Ignorantes justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti*. Hic ille defectus est, quem S. Paulus, serio semper se evitasse fatetur, ex quo cognovit Evangelium. Omnem prorsus enim confidentiam, quam in cæremonialium Legum observantia statuere potuissem, ut conciperet tantum justitiæ, & fidei JESU CHRISTI, quæ esset cum charitate, atque humilitate conjuncta.

℣. 10. AD COGNOSCENDUM ILLUM.] Ecce qua in re posita sit hæc supereminens JESU CHRISTI cognitio, quam rerum omnium, quas olim charissimas habebam, pretio comparavi. Ipsum JESUM CHRISTUM cognoscere, Divinitatem ejus cum humanitate conjunctam, infinitæ potestatis ejus magnitudinem, mediatoris, atque Salvatoris jura, atque prærogativas, *virtutem resurrectionis ejus, & societatem passionum ejus configuratus morti ejus*: cum per fidem atque baptismum quodammodo non secus ac ille, Cruci confixus sim, in sepulchrum descenderim, atque cum illo resurrexerim. Mysterium, quod non semel in Epistolis suis explicat [2], & quod fortasse ex ipso JESU CHRISTO didicerat. Hoc ille toto Cœlo pluris æstimat, quam omnes, quas in Synagoga obtinebat, prærogativas.

℣. 11. SI QUOMODO OCCURRAM.] Christi fidelis, qui didicit *virtutem resurrectionis* JESU CHRISTI ℣. 10. & qui novit, quod JESUS CHRISTUS resurgens futuræ nostræ resurrectionis arrhas, & pignora tradidit, non aliud quærit, quam hoc bonum, quod omnibus laboribus suis finem imponit. Hæc loquendi ratio, *si quomodo occurram*, non significat diffidentiam, sed operis magnitudinem, & difficultatem, eventus incertitudinem [3], ardens Apostoli desiderium [4], quærebatis ubique quomodo vel per martyrium, vel per labores &c. ad beatissimum hunc finem perveniret.

℣. 12. NON QUOD JAM ACCEPERIM, AUT JAM PERFECTUS SIM [5].] Non quod votorum summam faetim assecutus: Vel non quod hoc jam eo usque pervenerim. Nequaquam existimo, bonum hoc mihi deesse non posse, atque me jam illud comparasse. JESUS CHRISTUS quidem per mortem, atque resurrectionem suam mihi promeruit jus ad immortalitatem, atque resurrectionem: hac tamen conditione, si illum sequutus fuero, & fideliter adimplevero opus mihi concreditum, atque minime abusus fuero ea ope, quam mihi suppeditavit. Itaque sum veluti Athleta; festino, ut eum finem assequar, quem mihi JESUS CHRISTUS [6] proposuit, & quo me pervenire præcepit [7]: *sequor autem, si comprehendam, in quo & comprehensus sum*. Quasi diceret; olim in alio stadio currebam; sed postquam JESUS CHRISTUS me de turba eduxit, atque in novum hunc curriculum perduxit, curro, ut tandem eum finem assequar, quem mihi ostendit, & quam mihi proposuit, coronam acquiram [8]. Vel cum Theodoreto: ille primus me retibus suis cepit; cum olim fugiebam, atque ut ita dicam, oderam: sed me fugientem corripuit. Hodie vero eumdem persequor vicissim cupiens eumdem comprehendere, ne quid saluti meæ desit.

℣. 13. UNUM AUTEM, QUÆ QUIDEM RETRO SUNT OBLIVISCENS.] Ego quidem in inani securitate nequaquam obdormiam, quasi cum JESUS CHRISTUS pro
B me mortem oppetierit, nihil mihi reliquum sit, quod faciam. Me ipsum tamquam Athletam in arena considero; mihi ob animum nequaquam versantur ea quæ hactenus feci: sed oculos ad stadii terminum, atque propositum bravium dumtaxat intendo: exactum iter nihil esse puto, donec aliquid mihi superest exigendum, quemadmodum in equorum cursu auriga illis imminet, a quibus superatur, omnesque nervos intendit, ut illos prætervolet. Horat. Serm. 1. Satyr. 1.

Ut cum carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Præteritum temnens, extremos inter euntem.

In via salutis, atque perfectionis jugiter nobis adnitendum est, ut progrediamur: Qui non progreditur, retrocedit. Scimus, Deum gloriam suam iis polliceri,
C qui perseveraverint; at perseverantiæ gratiam nos assequutos esse, certo non scimus.

℣. 15. QUICUMQUE ERGO PERFECTI SUMUS, HOC SENTIAMUS.] Dixit nuper, se perfectum non esse, quomodo ergo repente contrarium asserit? hoc fortasse verbo pseudo-Apostolos perstringit, qui se justos credebant, & qui perfectionis veluti exemplaria se proponebant, asserentes, hanc acquiri minime posse, nisi legis observantiæ aliquis sese submittat. Hominibus hujusmodi, qui se perfectos putant, veram, solidamque Christianæ religionis perfectionem opponit, quæ in eo posita est, non ut quis se ad terminum pervenisse jam credat; sed ut omni nisu eo tendat, atque summo zelo Evangelicarum veritatum cognitionem requirat, easque fideliter, atque indesinenter exerceat.
D Hoc nobis faciendum est, si nostram perfectionem desideramus [9]. *Quicumque perfecti sumus*, & in Dei viis versati. Magna perfectionis nostræ pars est, credere multum nobis deesse, nobisque juges conatus exercendos esse, ut in dies majorem justitiam, atque perfectionem adipiscamur.

ET SI QUID ALITER SAPITIS.] Si quis vestrum aliter sentit, si putat, se jam esse perfectum, neque adnitendum sibi, ut quotidie novos perfectionis gradus acquirat; vel quod adhuc iniquius esset; si a pseudo-Apostolis forum sibi fieri permiserit, ita ut credat sine operibus legis perfectionem acquiri minime posse; confido, non permissurum esse Deum, ut in hoc errore persistat; *sed hoc Deus revelabit*; sed credo illi revelaturum, quid ipsi credendum sit, vel interiori reve-
E latione veritatem eidem deregendo, vel illi oculos aperiendo, ut eas veritates, quas modo vobis tradidi, intelligat.

℣. 16. VERUMTAMEN AD QUOD PERVENIMUS... IN EADEM PERMANEAMUS REGULA.] Interim mordicus iis hæreamus, quæ didicimus, & præceptis, quæ accepimus. Nulla nos divellat inde auctoritas; non nimis faciles Judæis conversis, & Christianis flagitiosis aures præbeamus. Primi illi in cæremonialium legum

1 Καὶ ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι. Vox σκύβαλον vertitur *stercus*, *excrementum*, *feces*, *quisquiliæ*, *rejectamenta*, *purgamenta*, *scoria*, &c. Theodoret. 2 Rom. 6. 3. 4. 5. 6. & seq. Galat. 3. 27. Coloss. 2. 12. Ephes. 4. 23.
3 Chrysost. Oecumen. Theophylact. 4 Est. Grot. Zanch. alii.
5 Græc. Οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, ἢ ἤδη τετελείωμαι. Quidam addunt: Ἢ ἤδη δεδικαίωμαι. Ita S. Germ. & Clar. G. L. Iren. l. 4. c. 22. Borner. G. L. Ambrosiast. Auth. tract. de singularit. Cleric.
6 Estr. Men. Tir. 7 Διώκω δὲ εἰ καταλάβω, ἐφ᾽ ᾧ καὶ κατελήφθην.
8 Vide Grot. Erasm. Vatab. 9 Men. Tir.

observantiam nos minime pertrahant [1], neque alii in flagitia suo exemplo pelliciant. Permaneamus in regula, quæ ab initio præscripta fuit, & in perfecta concordia, atque sententiarum confessione vivamus.

℣. 17. IMITATORES MEI ESTOTE,] & eorum, qui a vitæ nostræ ratione non discrepant. De legalibus cæremoniis eadem sentite, quæ nos, & pro exemplaribus eos habete, qui præceptis meis imbuti sunt, atque me imitantur; semper propriis meritis diffidentes, semper zelo succensi, ut ad perfectionem in dies semper magis contendant, & semper Spiritu pacis, & charitatis erga omnes repleantur.

℣. 18. MULTI ENIM AMBULANT.] Hi sunt Pseudo-Apostoli, ex Judaica religione conversi, qui Ethnicorum persecutiones, & Judæorum odia evitaturi, Judaicam cum Christiana religione immiscere cupiebant, & efficere, ut Christiani nonnisi Judæorum reformatorum secta haberentur, & vocarentur [2]. Verum, quemadmodum nemo Judæus esse potest sine Circumcisione, sine Sabbatho, & reliquis legalibus cæremoniis; contendebant, ut Fideles eas omnes cum Evangelio conjungerent. Tunc Judæi minime persequuti essent eos, qui religionem suam palam profitebantur, & Gentiles nihil obsistere potuissent religioni, quam Romanum patiebatur Imperium, & quæ Cæsarum legibus erat probata. Ita Judæis quidem auferebatur scandalum Crucis, Gentilibus vero Jesu CHRISTI Crucifixi stultitiæ. Vide, quæ diximus in Epistolas ad Galatas 6. 12. S. Paulus jure eos, qui hanc doctrinam prædicabant, vocat *inimicos Crucis Christi*; re enim vera illius virtutem, atque gloriam infringebant [3].

℣. 19. QUORUM FINIS INTERITUS.] Dominicæ Crucis inimicis non aliud in altera vita sperandum est, nisi gravissima supplicia, si in hujusmodi sententia perstiterint. Habent copiunt moderatores, atque Apostoli; induunt quodammodo formam Angelorum lucis [4], sed se propius perspecta ob privatam utilitatem tantummodo prædicant. *Quorum Deus venter est*. Ecclesias lustrant, atque infirmis timorem injiciunt, ut eliquod lucrum ferant. Vide supra Epistolam ad Romanos [5], & infra eam, quam S. Petrus scripsit [6]. *Gloria in confusione ipsorum*: qui in commessationibus, & conviviis gloriantur, vel etiam in circumcisione, quam Judæis pluribus ad fidem conversis obtrudunt [7]; *ut in carne vestra glorientur*, dicebat ad Galatas 6. 13. quod illis ruborem injicere deberet. *Gloria in confusione ipsorum*. S. Augustinus [8], & Ambrosiaster hic legunt; *In pudendis eorum*. Denique ultimam illis attribuit notam, quod *terrena sapiunt*, quod vitam animalem, bona vitæ hujus commoda, & delitias quærunt. Hæc est pseudo-Apostolorum imago, contra quos Apostolus fere semper manus conseruit.

℣. 20. NOSTRA AUTEM CONVERSATIO IN COELIS EST.] Cœli quodammodo Cives sumus, illud Patriam nostram [9] ducimus, ibi quodammodo in Spiritu jam sumus; ibi nostra spes est, thesaurus noster, cor nostrum. Hoc ait ad Ephes. 2. 19. *Ergo jam non estis hospites, & advenæ*, Cœlorum habita ratione; *sed estis Cives Sanctorum, & domestici Dei*, & Coloss. 3. 1. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*.

UNDE ET SALVATOREM EXPECTAMUS.] Nonne æquum est, nos ad Cœlum affectus nostros extollere, quandoquidem ibi permanet Salvator noster, atque illinc descendet, ut nos resuscitet, & remuneretur, & quod ibi tandem cum eo æternum sumus regnaturi? *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Mortale hoc corpus mori debet, ac in pulverem, atque sabulum resolvi; verum Deus infinita sua potestate illud resuscitabit, atque in eum statum adducet, in quo Corpus est JESU CHRISTI post resurrectionem: non autem in æquali gloriæ gradu, sed in gloria simili [10]. Corpus nostrum gloriosum erit, immortale, impassibile, vacuum ab omnibus infirmitatibus, quibus in hac vita sumus obnoxii. Idem quidem corpus erit, sed reformatum, & quo ad conditionem, & qualitates immutatum.

1 Theodoret. 2 1. Cor. 1. 23.
3 Theodoret. 4 2. Cor. 11. 15. & 2. Petri 2. 3. 4.
5 Rom. 16. 18. *Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri*.
6 2. Petri 2. 13. *Coinquinationes, & maculæ, deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum*, &c.
7 Quid. apud Chrys. Theophyl. Oecumen. 8 Augu. serm. olim 15. de verbis Apostoli, nunc 162. nov. Edit. c. 3. 9 Grot. Zach. Est. Vet. Hamm. Tertull. *Noster municipatus*. Græc. Ἡμῶν τὸ πολίτευμα. 10 Theodoret.

CAPUT IV.

S. Paulus Philippenses ad lætitiam, modestiam, preces, omnia laude digna, & sancta adhortatur. Eorum laudat liberalitatem, finem vero Epistolæ imponit cum laudibus Dei, atque salutationibus.

1. ITaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona
mea: sic state in Domino, charissimi. 2 Evodiam rogo, & Syntychen deprecor,
idipsum sapere in Domino. 3 Etiam rogo & te, germane compar,
adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & cæteris adjutoribus
meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. 4 Gaudete in Domino semper:
iterum dico gaudete. 5 Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus
prope est. 6 Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, & obsecratione,
cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum. 7 Et pax Dei,
quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in
Christo Jesu. 8 De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica,
quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ,

mæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. 9 Quæ & didicistis,
& accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobi-
scum. 10 Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquan-
do refloruistis pro me sentire, sicut & sentiebatis: occupati autem eratis. 11 Non
quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum sufficiens esse. 12
Scio & humiliari, scio & abundare (ubique & in omnibus institutus sum) & sa-
tiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. 13 Omnia possum in eo, qui
me confortat. 14 Verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ. 15
Scitis autem & vos, Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profe-
ctus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati, & ac-
cepti, nisi vos soli: 16 Quia & Thessalonicam semel & bis in usum mihi misi-
stis. 17 Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione ve-
stra. 18 Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodi-
to, quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. 19 Deus
autem meus impleat omne desiderium vestrum, secundum divitias suas, in gloria in
Christo Jesu. 20 Deo autem, & Patri nostro gloria in sæcula sæculorum: Amen.
21 Salutate omnem sanctum in Christo Jesu. 22 Salutant vos, qui mecum sunt,
fratres: Salutant vos omnes Sancti, maxime autem, qui de Cæsaris domo sunt.
23 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, Amen.

ỳ. 1. GAUDIUM MEUM, ET CORONA MEA SIC STATE IN DOMINO.] Fratres, in quibus omnem meam gloriam constituo, & ex quibus mea crescit existimatio: hoc elogium Philippensibus amplissimum est, neque majorem illis laudem deferre poterat Apostolus. Eos hortatur, ut firmi in Domino permaneant, quemadmodum permanent [1]. Perseverate in ea fide, in qua vos Dominus collocavit; in illius timore, atque amore persistite.

ỳ. 2. EVODIAM ROGO [2], ET SYNTICHEN DEPRECOR.] Hæ duæ Philippensis Ecclesiæ mulieres fuisse dicuntur, quæ inter se, vel cum reliquis fidelium dissensionem aliquam fovebant, seu pro domesticis rebus, seu pro aliquo fidei articulo, seu pro aliqua religionis ceremonia: Apostolus enim non affert, quanam in re [B] dissentirent, sed eas ad pacem, atque concordiam tantummodo hortatur. S. Chrysostomus, Theodoretus, aliique plures [3] credebant, has virtutibus, aut bonis operibus illustres fuisse mulieres, quæ quodammodo Ecclesiæ Philipporum præessent. Liquet ex sequenti versiculo, eas fuisse consortes laborum, & contentionum S. Pauli pro Evangelio: de iis enim hæc verba explicantur: *adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio*. *Syntiches* in Sanctorum albo refertur undecimo Kalendas Augusti, & Martyrologia corpus ejusdem Philippis quiescere testantur.

Operæ pretium est hoc in loco animadvertere, ibi locorum, ubi Mulieres in publicum non prodibant, veluti in Græcia, atque in omni ferme Oriente, non potuisse Apostolos ad sexus illius conversionem elabo- [C] rare, nisi per viros eorumdem, vel per quasdam Mulieres, quæ jam CHRISTI fidem fuissent professæ, & quæ sapientiæ, atque prudentiæ specimen præbuissent: eaque fortasse non postrema fuit causa, propter quam Apostoli secum adducerent Uxores suas, vel quemadmodum a S. Paulo vocantur 1. *Cor.* 9. 5. *Mulieres Sorores*, quæ operam suam collocarent in conversione Mulierum, ad quas illis loqui non licebat; & fortasse hoc in sensu Apostolus de Evodia, & Syntiche loquens, eas secum A ait in Evangelio laborasse. His opem ferri jubet, scilicet illa, quæ ad victum sunt necessaria, præberi, atque secum in gratiam redire, ut deinde unanimi consensu in opus Dei valeant incumbere.

Critici quidam [4] non sine quadam acutatis specie crediderunt *Syntichem* marem fuisse, non fœminam. Certum est, hoc nomen apud Græcos viro potius, quam mulieri convenire; non secus ac nomen *Eutyches*, vel *Eusebius*. Dissensio igitur aderat inter virum, & mulierem, quorum hæc Evodia dicebatur, ille Syntiches, & fortasse hic Evodiæ conjux erat, & ille etiam, qui sequenti versiculo *Germanus compar*, vel *verus, atque fidelis Sponsus* vocatur.

ỳ. 3. ETIAM ROGO TE ET GERMANE COMPAR.] Credunt quidam [5], illum, quocum S. Paulus loquitur, Conjugem fuisse, vel Fratrem alterutrius ex iis, quos sequenti versiculo nominavit. Alii dixerunt [6], S. Paulum alloqui carceris custodem, quem Philippis converterat [7]. Veteres nonnulli, & recentiores quidam [8] dixere, S. Paulum Uxorem habuisse, & ad eamdem hæc verba dirigere, vertentes: *rogo etiam, & te cara mea Conjux*: sed sententiam hanc alibi ad examen vocavimus, eamque explodendam esse censuimus [9]. Fateri debemus, Græcum textum in muliebri genere verti posse [10], & S. Paulum fortasse insignem aliquam Philippensem Matronam orasse, ut Evodiam inter & Syntichen pacem restituere conaretur.

Sed Patres, atque notæ melioris Interpretes hunc virum esse crediderunt, qui ex quorumdam sententia *Syzygus* appellabatur [11]; ita ut vertendum sit, *rogo te quoque mi charissime Syzyge*. Latini quidem [12] crediderunt, *Germanum* viri hujus esse nomen, sed Græcum textum non legerant. Putant alii [13], hunc fuisse eumdem Epaphroditum; alii [14] *Silam*, vel S. Barnabam, vel Timotheum; & ut verbo me expediam, singuli pro libidine sua conjecturas proponunt. Ego quidem credere mallem, S. Paulum Philipporum Episcopum alloqui, cujus potissimum erat duabus hisce personis opem ferre, atque in illis concordiam labefactatam reparare: verum si Evodia Sponsa erat Syntiches, quemadmo-

1 Οὕτω στήκετε. 2 Εὐοδίαν παρακαλῶ. Quidam: Εὐοδίαν. Alii: Εὐωδίαν. Doroth. in MSS. *Evodium*. Notker. apud Canis. 3 Est. Zanch. Men. 4 Grot. Hamm. & Marslanay hic.
5 Quidam apud Theophyl. Vide & Erasm. &c. 6 Alii apud Theophyl.
7 Act. 16. 27. 28. & sequ. 8 Clem. Alex. l. 3. strom. Quidam apud Chrys. & Theophyl. & Theodoret. Erasm. Zanch. Cajet. &c. 9 Vide Commentarium in 1. Cor. 9. 5.
10 Καὶ (alias, Ναὶ) ἐρωτῶ, καὶ σὲ Σύζυγε γνήσιε. Usurpare potuit γνήσια, pro γνήσιε, Atheniensium more, veluti πλεῖται, pro πλεῖτε, σωτήριε, pro σωτήρια. Erasm.
11 Vide Gemar. hic. 12 Primas. Hieronymiast. Lyr. Carthusien.
13 Grotius. 14 Vide Ligfoor. & Est.

admodum superius dictum est, nihil prohibet, quominus intelligamus, S. Paulum isthic ad Syntichen loqui.

CUM CLEMENTE.] S. Hieronymus in lib. de Script. Eccles. Primasius in Comment. hic, Estius in hunc locum, aliique nonnulli crediderunt, Sanctum hunc Clementem eum esse, qui in Cathedra Romana post Sanctos Linum, & Cletum S. Petro successit. Hoc ipsum innuere velle videtur Ecclesia, cum hunc Epistolæ ad Philippenses locum die Festo S. Clementis jubet recitari. Origenes in Joan. Eusebius l. 3. c. 15. hist. Eccles. S. Epiphanius hæres. 27. Rufinus de adulter. Origen. hoc referunt, & tamquam rem certissimam supponunt. Verum est, neque S. Chrysostomum, neque Theodoretum hoc in loco tale aliquid afferre: sed in primam S. Pauli ad Timotheum Epistolam, Divus Chrysostomus in 1. Timot. prolog. inquit, S. Clementem unum fuisse ex S. Pauli sociis, & qui eumdem in itineribus, non secus ac S. Lucas, atque Timotheus, subsequebatur: juxta quam hypothesim non sine verisimilitudine asseri potest, S. Clementem Philippis fuisse, cum S. Paulus hanc Epistolam scriberet. Credit Grotius, Clementem hunc Sacerdotem fuisse Philippensis Ecclesiæ, non secus ac alios, qui a S. Paulo hic designantur; & Clementem aliquem fortasse Romanum fuisse, Philippis inhabitantem, qui cum inter primos JESU CHRISTI fidem fuisset amplexus, mox cum S. Paulo operam collocavit, ut eamdem Gentilibus tradere cognoscendam.

Addit Apostolus, Clementis, aliorumque adjutorum suorum nomina scripta esse *in libro vitæ*, quæ loquendi ratio in Scripturis [1] passim indigitat hominem ex numero prædestinatorum, & amicorum Dei: quod desumptum est ex Principum consuetudine, qui Ministrorum, amicorumque suorum habent nomenclaturam. Charitas, qua S. Paulus viros hujusmodi complectebatur, & officia, quæ illi Ecclesiæ præstiterant, eidem persuadebant, hos esse ex numero prædestinatorum: verum hæc simplex argumentatio non satis virium habebat, nisi fortasse cum peculiari revelatione fuisset conjuncta [2].

De illis, quæ cum Paulo *laboraverunt in Evangelio*; idem judicium ferendum est: si putas, Syntichen virum esse, & Evodiam mulierem, dicendum erit, eas, de quibus hoc in loco S. Paulus verba facit, viduas fuisse, vel mulieres summa prudentia, & singulari virtute præditas, quibus usus fuerat Apostolus, ut sexus ejusdem personas erudiret, quemadmodum animadvertimus: sin autem sequaris eorum hypothesim, qui putant, Evodiam, & Syntichen duas fuisse Mulieres, credi poterunt hæ illæ esse, quæ a S. Paulo commendantur, & quarum hic texit elogium.

℣. 4. GAUDETE IN DOMINO.] Hoc intelligi potest tamquam salutatio; salutantes enim Græci dicunt [3], *Gaudete*, uti Latini *Valete*.

℣. 5 MODESTIA VESTRA NOTA SIT OMNIBUS HOMINIBUS.] Græcus [4]: *suavitas vestra*, moderatio, bonitas, vestra in malis, injuriis & calumniis, quæ vobis inferuntur, patientia, *nota sit omnibus hominibus*. Mementote, quod *Dominus prope est*; hic vobis opem feret, & de inimicis vestris ultionem reposcet. Illius ultio quamprimum in Judæos erumpet, in perversam eam nationem, ac semper Evangelii progressibus oppositam. Profecto Judaicum bellum sexto, vel septimo post hanc Epistolam anno incœpit.

℣. 6. NIHIL SOLLICITI SITIS, SED IN OMNI ORATIONE &c.] Hoc præcedentibus subnecti potest: *Dominus prope est*, non differet vobis opem; ideoque *nihil solliciti sitis*, in eo omnem confidentiam vestram collocate, in justitia, & providentia ejus requiescite, nihil vel ab hostibus, vel a Dæmone metuite: noverit Deus, vobis, cum tempus aderit, opitulari. Vel ne sollicti sitis de iis, quæ ad vitam pertinent. Ea humiliter petite, atque precibus cum gratiarum actione conjunctis in Domino confidite: ille providebit.

℣. 8. ET PAX DEI, QUÆ SUPERAT OMNEM SENSUM, CUSTODIAT [5] CORDA VESTRA.] Pax Dei, quę bonum est inæstimabile, atque omnem laudem, omnemque cogitationem excedit, custodiat corda, & mentes vestras in JESU CHRISTO. Hæc erit arx munitissima, in qua firmi, atque immobiles inter vitæ hujus turbas permanebitis; dummodo tamen, quemadmodum superiori versiculo dictum est, in Deo unice confidatis, atque fidentes in Orationibus vestris ea, quorum indigetis, ex eodem petatis. Hæc est Sanctorum hæreditas, atque felicitas, impiis prorsus ignota [6]; *non est pax impiis*.

℣. 8. DE COETERO QUÆCUMQUE SUNT VERA &c.] S. Paulus in hoc versiculo omnia vitæ Christianæ officia, omnemque virtutum exercitationem complectitur. Commendat veritatem, sinceritatem, rectitudinem, *quæcumque vera*: pudorem, honestatem, gravitatem, castitatem, *quæcumque pudica* [7]: justitiam, æquitatem, *quæcumque justa*: sanctitatem, puritatem, ab omnibus sceleribus, atque flagitiis integritatem, *quæcumque Sancta*, vel pura secundum Græcum textum [8]. Jubet, nos ea facere, quæ in bonum amorem nobis valeant conciliare, de omnibus benemereri, jucunde cum omnibus versari; *quæcumque amabilia* [9]: propriam nominis existimationem quærere, quæsitamque sedulo servare, *quæcumque bonæ famæ* [10]: quidquid cum virtute, & laude conjunctum est adniti, *si qua virtus*: id conari, quod in morum præceptis, & ratione vitæ laudabile est: *si qua laus disciplinæ*. Græcus legit simpliciter [11]: *si qua laus*, & Primasius, Sedulius, aliique nonnulli similiter legerunt. Sed Syrus, Ethiops, vetera quædam Græca exemplaria, & Latina fere omnia a Vulgata minime abhorrent.

℣. 9. QUÆ ET DIDICISTIS, HÆC AGITE.] Quæ videlicet vos ipsi vidistis me facientem, atque operantem, & quæ de me, meaque vivendi ratione didicistis, hæc imitamini. Oportet sane, ut Prædicator, vel Pastor se vitæ integerrimum, atque penitus ab omni culpæ suspicione vacuum cognoscat, qui ea audeat proferre, quæ hoc in loco S. Paulus: meam doctrinam, meum exemplum sequimini. Hoc sane dicere non potuissent pseudo Apostoli, quorum venter erat Deus eorum, supra cap. 3. 19. Superius jam sese Philippensibus exemplar proposuit cap. 3. 17. & alibi Corinthiis [12]: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*: Quod quidem maxime decebat S. Paulum, pro veritatis defensione in vinculis positum.

℣. 10. TANDEM ALIQUANDO REFLORUISTIS PRO ME SENTIRE.] Græcus [13]: *fecistis, ut pro me prima sensus vestri refloresceret*. Minime redarguit Philippenses, quod se non amaverint, vel sui obliti fuerint: sed innuit [14], quod cum hactenus ipsis oblata minime fuisset occasio animum gratum suum, amoremque sensibilibus beneficiis testandi, cordis eorum sensus tamquam intermortui in iisdem jacuerant: at simul ac in vinculis eum esse intellexerunt, ipsorum, ut ita dicam, refloruisse bonam voluntatem, extrinsecus se se prodidisse, quanta erat intrinsecus: earum instar arborum,

1 Vide Exod. 32. 32. Psalm. 68. 29. Dan. 12. 10. Luc. 10. 20. Apoc. 13. 8.
2 Vide Est. Zanch. Grot. Hammon. 3 Χαίρετε ἐν Κυρίῳ πάντοτε, &c.
4 Τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν. Theod. Φέρετε γενναίως τὰ ἐπιόντα τῶν ἐπιβουλῶν, μὴ ἀμυνόμενοι κακῷ τὸ κακόν.
5 Græc. Φρουρήσει, custodiet. Sed Theodor. Comment. φρουρήσαι, custodiat. Ita Ambrosiast. Hieronymiast. Clarom. Germ. Lat. 6 Isai. 48. 22. 7 Ὅσα σεμνά. gravia, veneranda, magnifica. Ambrosiast.
8 Ἁγνά, pura. Vulg. ἅγια, sancta. Ita Clar. S. Ger. & Ambros. 9 Ὅσα προσφιλῆ, grata, accommoda, benigna, gratiosa. 10 Εὔφημα, fausta, boni ominis, bonæ famæ, laudabilia.
11 Græc. Εἴ τις ἔπαινος. Clarom. Ἔι τις ἔπαινος ἐπιστήμης. Ita & Borner. Gr. Velez. Εἴ τις ἔπαινος παιδείας, disciplinæ. Vulg. Clarom. S. Germ. Born. Lat. Ambrosiast. Hieronymiast. Syr. Æth.
12 1. Cor. 11. 1. 4. 16. 13 Ὅτι ἤδη ποτὲ ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν.
14 Theodoret. Vide Theophyl. Est. &c.

borum, quæ hyeme quidem vita carere videntur, sed quæ reviviscunt, reflorescunt, & fructus suos reproducunt, prout anni calor augescit.

℣. 11. NON QUASI PROPTER PENURIAM.] Minori me afficit voluptate subsidium illud, quod quantumvis egentissimo tribuistis, quam charitas vestra, atque gaudium, quo vos intueor Apostolo vestro, ac Patri in JESU CHRISTO adhærere. Non privata utilitas, neque necessitas mihi verba eliciunt: Carere potuissem iis omnibus, quæ ad me misistis; jam pridem enim omnia pati, omnibus indigere consuevi, & acquiescere, quocumque fuerim in statu: verum hoc mihi perplacuit, quod cor, atque amicitia vestra mihi comperta facta est, atque explorata.

℣. 12. SCIO ET HUMILIARI, SCIO ET ABUNDARE.] *Humiliatio* hoc in loco egestatem, atque paupertatem significat [1]. Hebraica vox [2], quæ humilitatem, sæpius etiam paupertatem indigitat, vel potius humilem, atque contemptibilem pauperum conditionem. Scio & in paupertate, & in rerum affluentia vitam ducere. Verum intelligi etiam potest de reali humiliatione. Scio in humilitate versari, cum me ad eamdem redigit Deus; abstinere novi, atque parvo contentum esse, cum mihi ille rerum copiam suppeditat. In utraque hac fortuna diuturna experientia edoctus sum.

℣. 13. OMNIA POSSUM IN EO, QUI ME CONFORTAT.] Omnia pati, & omnia conari possum dei auxilio fretus, qui est fortitudo mea. Si hæc omnia efficio, Dei uni omnem gloriam acceptam refero; nihil mihi gloriandum est [3].

℣. 14. VERUMTAMEN BENEFECISTIS.] Maximas ago, & habeo gratias ob ea subsidia, quæ mihi in vinculis posito misistis. Ne credideritis, ea a me dicta, ut beneficii vestri magnitudinem deteram, vel ut eamdem mihi non satis esse probatam ostendam; ea omnia libens, & gratus, uti opus erat, accepi.

℣. 15. QUANDO PROFECTUS SUM A MACEDONIA, &c.] Revocat in mentem antiqua beneficia, quibus a Philippensibus olim fuerat cumulatus. Postquam Philippis in carcere fui, & mox Amphipolim, Apolloniam, atque Thessalonicam petii, *& deinde præcipiti* fuga e Macedonia [4] excedere coactus fui, alia nulla Ecclesia præter vestram me bonorum suorum participem effecit. Athenas quidem deductus fui a fratribus quibusdam Thessalonicæ, sed nihil nisi a vobis recepi.

℣. 16. *Quia & Thessalonicam semel, & bis in usum mihi misistis.* S. Paulus in Actis non adfert exiles has circumstantias historiæ ejusdem magnitudine minores. S. Paulus Thessalonicensibus ostendit [5], se, cum apud illos versaretur, eisdem exemplum dedisse, manuum labore victum sibi comparandi, quod congruit cum iis, quæ hic de ope a Philippensibus accepta testatur.

℣. 17. NON QUIA QUÆRO DATUM, SED REQUIRO FRUCTUM ABUNDANTEM IN RATIONE VESTRA.] Munera vestra, quamquam mihi grata sint, non tamen illa tantopere cupio. Licet illis indigerem, iisdem carere etiam potuissem, verumtamen vos nimia multam jacturam fecissetis. Gaudeo maximopere, & lætor, videns, rationes, ac bona vestra in dies semper augeri ob debitum illud, quo vobis addictus sum, & cujus pro me vobis vadem, atque præcipuum debitorem se Dominus præbebit [6].

℣. 18. HABEO AUTEM OMNIA, ET ABUNDO.] Græcus legit [7]; *omnia recepi*, quasi testaretur, Epaphroditum nihil a Philippensibus recepisse, quod Apostolo accuratissime non persolvisset [8].

ODOREM SUAVITATIS &c.] Quod mihi contulistis coram Deo, sacrificium est suavissimi odoris, & tamquam thymiama gratissimum: talis est fidelium eleemosyna.

DEUS MEUS IMPLEAT OMNE DESIDERIUM VESTRUM.] Ille vota vos damnet, & ea, quæ juste petieritis, large, effuseque concedat. Græcus [9]: *Omnes egestates vestras*; remuneretur liberalitatem vestram, earum qualiumcumque rerum indigetis affluentia, atque tandem vobis *gloriam suam*, ac beatam conferat æternitatem. Confer 2. Cor. 10. ℣. ℣. 6. 7. 8. 10.

℣. 20. DEO AUTEM GLORIA.] Laudetur Deus pro bonis omnibus, quibus me cumulastis, & pro omni gratia, quam vobis contulit, excitans in corde vestro sensus adeo generosos.

℣. 21. SALUTATE OMNEM SANCTUM.] Omnes fideles, qui sunt Philippis; salutate illos in JESU CHRISTO, illos complectimini in osculo sancto pacis, quemadmodum aliis in epistolis dicere consuevit [10].

℣. 22. SALUTANT VOS OMNES SANCTI.] Christiani omnes, qui sunt Romæ; *maxime autem, qui de Cæsaris domo sunt*, Neronis videlicet, qui tunc imperitabat, in cujus aula insignes conversiones fecerat Sanctus Paulus [11]. Græci recentiores [12] putant, *Cæsarem* non esse Imperatorem, sed hujus nominis Christianum virum, cujus diem festum celebrant, & quem unum ex septuaginta discipulis, atque tandem Coronæ Episcopum fuisse arbitrantur. Verum hanc sententiam unanimis Patrum Græcorum, & Latinorum, omniumque Interpretum hoc de Nerone intelligentium, consensus explodit. Crediderunt nonnulli, hos fideles de domo Cæsaris, Senecam fortasse, atque Lucanum fuisse. Supersunt Epistolæ quædam, Senecæ nomine notatæ, atque S. Paulo inscriptæ; verum hodierna die eruditi [illegible], non secus ac alias S. Pauli ad Senecam Epistolas apocryphas esse consentiunt. Putat Grotius, hos recens conversos quosdam fuisse ejus *Principis* libertos; & credit Estius ex hoc numero fortasse Evellium fuisse, atque Torpem, Neronis domesticos, eodem imperante, Martyrii coronam adeptos [13].

GRATIA DOMINI CUM SPIRITU VESTRO.] Vos suis luminibus, suaque gratia cumulet, ut bonum valeatis cognoscere, diligere, & facere.

Græcus, & Syrus legunt [14]: *gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis*: sed vetustissimi MSS. Græci, & Latini, Cophtus, atque Æthyops a Vulgata non recedunt.

Ad Epistolæ hujus calcem in Græcis exemplaribus legimus: *Epistola ad Philippenses Roma scripta fuit, & missa per Epaphroditum*. Cophtus: *per Timotheum, & Epaphroditum*. Ex Præfatione, atque totius Epistolæ decursu liquet, hanc re ipsa Romæ scriptam, cum S. Paulus ibi primum in vinculis esset, eamque ab Epaphrodito ad Philippenses allatam fuisse.

1 Est. Men. Bez. Zanch. alii. 2 עני *humiliatus, afflictus, pauper*. 3 Theophyl.
4 Vide Act. 16. 17. 18. 5 1. Thess. 2. 7. 9. & 4. 11. & 2. Thess. 3. 7. 8. 6 Theodoret. Grot. alii. 7 Ἀπέχω πάντα. 8 Gent. Zanch. Strigel. 9 Πᾶσαν χρείαν ὑμῶν.
10 Rom. 16. 16. 1. Cor. 16. 20. 2. Cor. 13. 12. 2. Thess. 5. 16. 11 Hieron. in Philem. N. 1. *A Cæsare missus in carcerem, notior familiæ ejus factus, persecutoris domum Christi fecit Ecclesiam.*
12 Vide Doroth. in Synops. Bolland. 22. Mart. Est. hic. Baron. &c. 13 Martyrol. Rom. & 17. Maii.
14 Græc. impress. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. Alii; Μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν. Ita Steph. 6. Clarom. S. Germ. Alex. Colb 7. Barb. 1. Coph. Æth. alii. Ambrosiast. Hieronymiast. &c.

Finis Commentarii in Epistolam ad Philippenses.

PRÆ-

PRÆFATIO
IN EPISTOLAM S. PAULI AD COLOSSENSES.

COlossæ, e præcipuis Phrygiæ Urbibus, non procul a Laodicea totius provinciæ Metropoli. *Colossæ*, ne ao *Colassæ* appellarentur, discrimen. Ab Allatio[1] & aliis[2] *Colassæ* legendum defenditur, cujusmodi & iu optimis & vetustissimis Mss. est reperire[3]. S. Chrysostomus, Oecumenius, Theodoretus, & Græca Eaemplaria quamplurima *Colassas* babent[4]. Strabo vero l. 12. Herodotus l. 7. c. 30. Xenophon. l. 1. de Expedit. Plinius l. 5. c. ult. *Colassas* præferunt. Ita etiam optima & plurima Mss.[5]. Ita adhuc Theopbylactus, qui sua ætate eam urbem *Chonas* appellatam adjecit, Geographicum Cellarii[6] moouumentum, nempe Imperii Orientalis uotitia, ex quodam Vaticani Ms. impressa, quam Hierocli tribuunt, *Colasam* præfert. Latini *Colossenses* coostaoter legunt; cujus proinde nominis conjectura ducti Græci & Latini non defuerunt, qui crederent, hanc Epistolam datam fuisse ad Fideles degentes Rhodi, urbe solis Colosso celeberrima[7]. Verum ex totius Epistolæ contextu eam ad Phrygiæ Colossenses directam satis compertum:

Omnes ferme Interpretes[8], quamvis Paulus in Phrygia prædicaverit, Colossas nunquam adiisse conveniunt. Ipse etiam Paulus uunquam ad Colossenses perrexisse satis innuit, ubi *Volo*, inquit[9], *vos scire, quare sollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis, qui sunt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne*. Theodoretus, & Baronius, quibus paucissimi adhærent, contrarium statuunt. Colossenses ab Epaphra Fidem recepisse creduntur, de quibus eum Evangelii fructum Ecclesia retulit, ut iidem maaima erga Sanctos charitate flagrantes, ferventi spiritus ardore complexi fuerint veritatem[10].

Pseudo-Apostoli ab Judaismo ad Fidem traducti, omnes Gentium Ecclesias pervagantes, ut sibi undique proselytos crearent, Colossas venere; & circumcisionem, & Legalia ad salotem necessaria euonciaotes, & Platonicæ Philosophiæ Judaismum immiscentes, Fideles adhuc simplices, recenterque Fidei mysteriis initiatos, superstitioso Aogelorum cultu, & fallacibus demissionis sensibus imbueront; Deum enim nobis infinite majorem docentes, non ipsi Deo, neque Jesu Christo preces offerendas suadebant, sed ad Aogelos dirigendas, per quos olim Deus Moysi Legem tribuerat, & per qoos etiam in Evangelii Lege preces nostras escipiens, suam nobis misericordiam indulgebat.

Cum bæc Paulus, sive referente Epapbra, tunc Romæ secum vinculis devincto, seu per Laodicensium Epistolam, quam & apud Colossenses legi deinde jussit[11], rescivisset, sui, utpote Gentium Apostoli, esse dusit, Colossensium Fidem defendere, & Pseudo-Apostolorum ea disseminantium audaciam cohibere. Attollit primo Jesu Cbristi amplitudinem, quem Patris imaginem appellat, Dei & hominum Mediatorem, & Ecclesiæ Caput, quod membris cæteris actus, motus, spiritum, & vitam impertit. Pseudo-Apostolos suis coloribus exprimit, & subinde ostendit, Christum solum esse salutis authorem: natura Deum esse: potestatibus & cœlestibus omnibus virtutibus eumdem præstare: per Jesum etiam veram cordis circumcisionem ipsos esse assequutos, cruci affixos, sepulchro conditos, & tandem cum Domino per Baptismum vitæ esse restitutos. Ea quibus Legalia veluti inania respuenda, & vitam ita instituendam deducit, ut homines cum Christo redivivos deceat, quorum caput in cœlis jam constitutum, eos ibi coronis donandos espectat. Hortatur præterea, ut veteri se homioe exuentes, oovum sibi super induant; optimis denique moralis doctrinæ præceptis constitutis, Epistolam absolvit.

Dum hæc scriberet Apostolus, Romæ in vinculis detinebatur[12], anno Christi 62. postquam primum Romam veoerat, & paulo antequam a vinculis solveretur. Epaphram una captivum, Timotbeum, cujus Epistolæ initio meminit, Aristarchum, Joaonem, Marcum, Barnabæ consobrinum, Lucam, Demam, & Jesum cognomento Justum, vinculorum solatia apud se habebat. Tychicus vero fidelis illius administer, & Onesimus, quem Philemon miserat, ut eo famulo uteretur, hanc Epistolam detulere. De priori, quam ferunt hoc eodem tempore ad Laodicenses scriptam, Epiltola egimus in Commentario.

Jure merito animadvertit Chrysostomus Prolog. in Ep. ad Colos. omnium pulcherrimas, & quæ magis afficiunt, D. Pauli Epistolas eas fuisse, quas vinculis detentus dedit, videlicet ad Ephesios, ad Philippenses, ad Philemonem, ad Timotheum, & hanc potissimum ad Colossenses, quam sensibus, & nobilibus elatisque phrasibus, & Moralis Divinæ præceptis undique refertam admiramur. Chrysostomus S. Paulum io vinculis scribentem comparat *Viro forti, qui scriberet, a cædibus interim desistens, & trophæis*.

1 Allat. observ. in Geograph. Caroli a S. Paulo p. 142. 2 Ita Bodin. de abditis rerum sublimium arcanis. Thom. de Pinedo. 3 Codex Vaticao. admirandæ Vetust. & alius minor apud Allat. Clarom. & S. Germ. & alii passim. 4 Ita Roberti Steph. in fol. 1550. & alia in 8. 1549. Edit. Millii, & aliæ quamplurimæ.
5 Borner. G. 1.. Stephan. & alii apud Mill. 6 Cellar. l. 3. c. 4. Geograph. antiq. p. 21.
7 Suidas, Zonar. Glycas, Eustat. Calep. Munst. 8 Hier. in Ep. ad Philem. vers. 22. Chrysost. Theopbyl. Athanas. in Synopsi, Est. Zanch. Cornel. hic, Tillemont. tom. 28. alii. 9 Coloss. 2. 1.
10 Coloss. 1. 6. &c. 11 Coloss. 4. 16. 12 S. Gregor. l. 30. c. 8. Moral. in Job. Paulum Ephesi, ubi carcere detinebatur, scripsisse putat, Cophtica Athenis scripsisse fert. Hæ vero opinionea defendi non possunt.

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN EPISTOLAM
SANCTI PAULI
AD COLOSSENSES.

CAPUT PRIMUM.

JESUS CHRISTUS imago Dei, rerum omnium Creator, Ecclesiæ caput, pacis inter Deum, & homines auctor. Paulus est Minister ejus ad annuntiandum mysterium ejus hactenus ignotum.

1. PAULUS Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus fra-
ter: 2 Eis, qui sunt Colossis, Sanctis, & fidelibus fratribus in Chri-
sto Jesu. 3 Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Je-
su Christo. Gratias agimus Deo & Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro
vobis orantes: 4 Audientes fidem vestram in Christo Jesu, & dilectionem, quam
habetis in Sanctos omnes, 5 Propter spem, quæ reposita est vobis in cœlis;
quam audistis in verbo veritatis Evangelii, 6 Quod pervenit ad vos, sicut &
in universo mundo est, & fructificat, & crescit, sicut in vobis, ex ea die,
qua audistis, & cognovistis gratiam Dei in veritate. 7 Sicut didicistis ab Epa-
phra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu,
8 Qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu: 9 Ideo, & nos
ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, ut im-
pleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia, & intellectu spiritali: 10
Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes,
& crescentes in scientia Dei: 11 In omni virtute confortati secundum potentiam
claritatis ejus, in omni patientia, & longanimitate cum gaudio. 12 Gratias a-
gentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine:
13 Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectio-
nis suæ; 14 In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem
peccatorum: 15 Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ:
16 Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, & in terra, visibilia, & in-
visibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: om-
nia per ipsum, & in ipso creata sunt: 17 Et ipse est ante omnes, & omnia
in ipso constant. 18 Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium,
primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens. 19 Quia in
ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: 20 Et per eum reconciliare
omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive
quæ in cœlis sunt. 21 Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu

in ope-

in operibus malis; 22 Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mor-
tem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso: 23
Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, & immobiles a spe Evangelii,
quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cœlo est, cu-
jus factus sum ego Paulus minister. 24 Qui nunc gaudeo in passionibus pro vo-
bis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpo-
re ejus, quod est Ecclesia: 25 Cujus factus sum ego minister secundum dispen-
sationem Dei, quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei: 26 Myste-
rium, quod absconditum fuit a sæculis, & generationibus, nunc autem manife-
statum est Sanctis ejus, 27 Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sa-
cramenti hujus in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ, 28
Quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem ho-
minem, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo
Jesu. 29 In quo & laboro, certando secundum operationem ejus, quam opera-
tur in me in virtute.

℣. 1. PAULUS APOSTOLUS JESU CHRISTI, ET TIMOTHEUS FRATER.] S. Paulus isthic A suam adfert Apostoli dignitatem, suamque supernaturalem vocationem memorat: cum enim Colossensibus nondum prædicasset, opus erat, ut in eorum mente suam auctoritatem statueret. In hujus Epistolæ titulo nominat etiam Timotheum, qui illis fortasse, saltem ex nominis fama, cognitus erat; ut majus doctrinæ suæ pondus auctoritatis accedat.

℣. 2. EIS, QUI SUNT COLOSSIS SANCTIS.] Meliores Græcæ editiones [1] legunt *Colassis* pro *Colossis*, & in titulo *ad Colassenses* pro ad Colossenses. Utra vero potior ducenda sit lectio, in Præfatione quæsivimus.

℣. 3. GRATIAS AGIMUS DEO.] Paulatim in eorum animum irrepit, eorumque benevolentiam, atque confidentiam sibi conciliat, testatus, se summa perfundi lætitia ex eorum utilitate, & spirituali progressu. B Vobis quidem gratulor, Deo autem gratias ago, ℣. 4. audiens *fidem vestram in Christo, & dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes*, vel in omnes fideles, in omnibus terrarum plagis effusos, ℣. 5. *propter spem, quæ reposita est vobis in Cœlis*, & cujus quamdam veluti arrham, & pignus recepistis *in verbo veritatis Evangelii*, quod vobis annuntiari permisit Deus, & cui, ut per firmam fidem adhæreatis, concessit.

℣. 6. QUOD PERVENIT AD VOS, SICUT IN UNIVERSO MUNDO EST.] Cum S. Paulus hoc litterarum dedit, videlicet sub annum JESU CHRISTI 62. Evangelium in omnem terrarum Orbem jam se effuderat, non Apostolorum solum, verum etiam discipulorum eorumdem opera, & fama, quæ de nova hac Religione C late percrebuerat, atque suavissimo odore, qui in primorum CHRISTI fidelium vita late emanabat. Verbum vitæ veluti egregium semen in uberi terra satum, ibi sanctis fructus gignebat; Colossenses enim inter cæteros enitebant ob docilitatem, qua sibi annuntiatam veritatem receperant, & ob fidelitatem, qua receptam servarant.

℣. 7. SICUT DIDICISTIS AB EPAPHRA.] Epaphras fortasse erat Colossensis, qui, quando, & qua occasione conversus fuerit, non satis liquet: sed fortasse conversus fuit a S. Paulo in Phrygia prædicante, cujus Provinciæ haud postrema Civitas fuerunt Colossæ. Epaphras vero Concives suos participes effecit cognitionis Evangelicæ, quam receperat, atque satis multos convertit: mox Romam venit, atque ibi aderat, non D secus ac Sanctus Paulus in vinculis, cum Apostolus hanc scripsit Epistolam. Immo, illo auctore, & suasore has litteras dedit Paulus; cum enim Epaphras didicisset per occasionem absentiæ suæ, pseudo-Apostolos lolium superseminasse, ubi ipse egregium in Ecclesiis triticum fecerat, Apostolum, cujus nomen, & auctoritas summa erat in Phrygiæ Provincia, atque in Urbe Colossensi, adegit, ut per Epistolam omnem illis errorem auferret. De virtutibus Epaphræ judicium esto ex iis laudibus, quibus ab Apostolo hoc in loco decoratur. Martyrologia festum illius diem statuunt decimoquarto Kalendas Augusti, & dicunt, illum Colossis, cujus Civitatis Episcopus erat, Martyrio fuisse coronatum. Ut Sancti hujus Viri auctoritatem confirmet Apostolus, atque sermonibus ejus major fiat ponderis accessio, eum *carissimum conservum* suum dicit, & *fidelem Jesu Christi ministrum*. In Epistola vero ad Philemonem ℣. 23. eum vinculorum suorum socium appellat, *concaptivum meum*.

℣. 8. DILECTIONEM VESTRAM IN SPIRITU.] Ex amore Dei, atque interiori Spiritus Sancti profectam. Spiritualem hanc charitatem opponit carnali sæcularium amori. S. Chrysostomus hoc intelligit de ea benevolentia, qua Colossenses S. Paulum prosequebantur.

℣. 9. UT IMPLEAMINI AGNITIONE.] Innuit, illis non satis cognitionis, & prudentiæ, quantum opus erat, fuisse, ut pseudo-Apostolorum improbitatem agnoscerent, & ne in eorum laqueum deciderent. Illi nonnisi ex nimia simplicitate, atque reverentia erga JESUM CHRISTUM peccabant. Illis timorem incutiebant pseudo-Apostoli; eisdem obtrudere solebant, nequaquam par esse, ut peccatores ad JESUM CHRISTUM confugiant, quippe qui nimis supra nos positus est; sed Angelorum opera utendum esse. Ad hæc legis jugum illis cupiebant injicere.

℣. 10. UT AMBULETIS DIGNE DEO.] Digne Evangelio [2], digne JESU CHRISTO, digne vocatione vestra [3], tamquam perfecti Christiani bona opera exercentes, & de virtute in virtutem, de cognitione in cognitionem, de perfectione in perfectionem progredientes.

℣. 11. IN OMNI VIRTUTE CONFORTATI [4] SECUNDUM POTENTIAM CLARITATIS EJUS.] Hoc est, secundum gloriosam, vel insignem potestatem ejus. At quanam in re consistit hæc virtus, quam ex illis expetit? *in omni patientia, & longanimitate cum gaudio*: ut non humiliter solum, & patienter, verum etiam hilariter ea omnia ferant, quæ adversa, quæ tristia illis accidere possunt.

℣. 12. QUI DIGNOS NOS FECIT IN PARTEM SANCTORUM IN LUMINE.] Qui nos suo lumine illustrans ad Evangelium, & fidem vocans [5] dignos effecit, qui veniremus in partem Sanctorum, Patriarcharum, verorum Israelitarum. Antea alieni eramus, remoti, invisi. Dei Filius adoptionis gratiam, Cœli hæreditatem, gloriam, & immortalitatem nobis promeruit.

Ju-

1 Τοῖς ἐν Κολοσσαῖς ἁγίοις. Sed multi legunt, Κολασσαῖς. Steph. n. ζ. ιγ. Sin. Huat. 1. Cod. 3. Velez. Cant. Lud. 2 Philipp. 1. 27. 3 Ephes. 4. 1. 4 Ἐν πάσῃ δυνάμει δυναμούμενοι; *Omni robore roborati*. 5 1. Petri 2. 9. *De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*.

Judæi, qui filii erant, atque legitimi hæredes, ob culpam, atque incredulitatem suam dejecti sunt de ea felicitate, ad quam nos ex mera Dei misericordia fuimus evocati.

℣. 13. QUI ERIPUIT NOS DE POTESTATE TENEBRARUM.] De Dæmone tenebrarum Principe [1], de nocte Ethnicæ superstitionis, de errore, atque peccatu, *& transtulit in regnum filii dilectionis suæ*, vel filii dilecti sui, vel filii Unigeniti sui. In Scripturæ enim stylo, & apud Græcos Auctores filius dilectus, unigenitum filium significat [2]. Græcus ad litteram a Vulgata vertitur [3]: *Filii dilectionis suæ*.

℣. 14. IN QUO HABEMUS REDEMPTIONEM.] JESUS CHRISTUS hic est, qui nos de morte redemit, non autem Moysis lex: si enim nos salvos facere potuisset, inutile fuisset, ut Dei Filius veniret in Mundum. Videte ergo, utrum deceat vos eam Legem sequi, quæ parum adeo efficax, & adeo impotens est. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem*, Hebr. 7. 18.

℣. 15. QUI EST IMAGO DEI INVISIBILIS.] Hoc ipsum superius c. 2. 6. dictum: qui cum in forma Dei esset; & in prima ad Corinthios 4. 4. *Imago est Dei*; & ad Hebræos 1. 3. *Splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*; & Salvator in Evangelio Joan. 14. 9. *Qui videt me, videt & Patrem meum. Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* JESUS CHRISTUS vera est Patris imago, ita ut non alia magis similis fingi queat, quoniam similis est Patri in essentia, potentia, cognitione, Coæternus, Consubstantialis, & æqualis in omnibus.

PRIMOGENITUS OMNIS CREATURÆ.] Textus [4] innuere videtur, illum primogenitum esse omnium creaturarum, quod duplicem sensum potest admittere; alterum hæreticum, si dixerint, JESUM CHRISTUM Creaturam esse, neque super alia creata positum, nisi vel naturæ, vel ordinis, vel temporis præcellentia: Catholicum alterum, si dixeris *primogenitum rerum omnium, quæ creatæ fuerunt*, hoc est genitum ab æterno, & ante omnia. Vel: *primogenitus*, hoc est, Dominus omnium Creaturarum. Primogeniti nomen sæpe usurpatur pro iis, qui supereminent, atque ceteris excellunt: ita dicitur *primogenitus regum* Psal. 88. 28. hoc est super omnes Reges eminens: *Primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ*. Et in Job. 18. 13. *Primogenitus mortis* ille dicitur, qui morti præsidet, atque imperat, & in Apocalypsi c. 5. *Primogenitus mortuorum*, maxime insignis inter eos, qui resurrexerunt; primus, & solus, qui propria virtute, & non ultra moriturus resurrexerit.

Hoc in loco Primogenitus omnis creaturæ eum significat, qui potestatem exercet super omnia creata. Eodem in sensu, quo Sapientia Eccli. 24. 5. ait, se *Primogenitam esse ante omnem Creaturam*, hoc est, se ab æterno in Deo fuisse, & creaturarum quarumcumque rerum creationi præfuisse. *Primogenitus omnis Creaturæ* positum est pro *genitus ante omnem Creaturam*; non secus ac in S. Luca 2. 2. *Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino*, hoc est: *Facta est, antequam Cyrinus esset Præses Syriæ*. Vide nostros in hunc locum Commentarios.

℣. 16. QUONIAM IN IPSO CONDITA SUNT.] Deus omnia creavit per Verbum, per Sapientiam, per Filium suum. *Omnia per ipsum facta sunt* Jo. 1. 2. visibilia æque, & invisibilia; cœlestia, atque terrena. JESUS CHRISTUS cum Patre suo Creatoris dignitatem participat. Ille omnia creavit, omnia conservat, omnia regit per summam sapientiam suam; *omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*, hoc est pro ipso, pro illius gloria, ut in illa suum Imperium exerceat. Græcus legit: *Omnia per ipsum, & ab ipso creata sunt*, non autem *per ipsum, & in ipso*.

SIVE THRONI, SIVE DOMINATIONES, SIVE PRINCIPATUS, SIVE POTESTATES.] Nonnulli [5] pro quatuor hisce nominibus omnes temporales Potestates, cujuscumque generis sint, intelligunt. *Throni* Reges significant; *Dominationes* Regulos, Ethnarchas, Tetrarchas, & similes; *Principatus*, Provinciarum, ac Urbium Præsides, *Potestates* vero, Magistratus iis subditos, quos memoravimus.

Sed Veteres, atque recentiores [6], hoc explicant de Cœlestibus Potestatibus, & variis inter se Angelorum ordinibus. *Throni* ex Theodoreto significant Cherubim; & profecto in Scripturis sæpe dicuntur Cherubim esse Thronum Divinæ Majestatis. *Potestates* sunt Angeli, quibus Provinciarum cura demandata est, veluti S. Michael, S. Gabriel &c. Sed in harum vocum ad varios Angelorum ordines applicatione, non satis consentiunt Interpretes, qui nonnisi conjecturas hanc in rem afferunt. Immo ne constat quidem de vero Hierarchiæ cœlestis ordine. Credit S. Gregorius Magn. hom. 34. in Evang. ordinem isthic memoratum verum esse, atque ita a S. Paulo visum fuisse, cum ad tertium usque Cœlum raptus fuit. Auctor cœlestis Hierarchiæ, qui S. Dionysii Areopagitæ nomine circumfertur, præfert ordinem, qui in Epistola ad Ephesios c. 11. occurrit: nobis tamen persuasum est, hæc omnia referri ad exemplum eorum, quæ in Imperiis, atque Monarchiis temporalibus conspiciuntur. Spiritus Sanctus nostro conceptui, & captui se se submittit, ubi Angelorum inter se nobis aperit subordinationem.

℣. 17. IPSE EST ANTE OMNES, & OMNIA IN IPSO CONSTANT.] JESUS CHRISTUS est ante omnia, quoniam ab æterno genitus est, & quod, quemadmodum nuper dictum est, omnia per ipsum, & pro ipso creata sunt; omnia ab illo essentiam, atque subsistentiam suam receperunt, & nonnisi per illum concursu, atque perenni suæ infinitæ potestatis influxu servantur.

℣. 18. IPSE EST CAPUT CORPORIS ECCLESIÆ.] Vel, quemadmodum loquitur in Epistola ad Ephesios 1. 22. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*. JESUS CHRISTUS, quatenus Deus, Imperium suum in omnes homines exercet; sed quatenus homo illud magis peculiariter exercet in Ecclesiam, quæ mysticum corpus illius est, & in fideles, qui sunt membra ejus. Non secus, atque caput vitam, motumque corpori tribuit, ita JESUS CHRISTUS in nos vitæ, & charitatis spiritum influit. Ipse est *principium* omnium creaturarum, & suæ præsertim Ecclesiæ; *Primogenitus ex mortuis*, primus per dignitatem, & potestatem suam causam resurrectionis omnium hominum, eorum etiam, qui ante ipsum resurrexerunt; solus ex mortuis, qui resurrexit, ne amplius moreretur [7]; solus, cui integrum fuerit, ubi vellet, dare animam suam, & iterum sumere eam [8]. Græcus verti posset [9]; *Ipse est primitiæ, & primogenitus ex mortuis*, quod non absludit ab eo, quod in 1. ad Corinthios 15. 20. dictum est; *nunc autem CHRISTUS resurrexit a mortuis primitiæ dormientium*. S. Paulus resurrectionem considerat tamquam recentem nativitatem. JESUS CHRISTUS quidem est veluti Primogenitus: qui post illum resurgunt, fratres sunt illius, natu minores.

℣. 19. IN IPSO COMPLACUIT OMNEM PLENITUDINEM INHABITARE.] *Placuit patri* [10], *ut omnis plenitudo in illo habitaret*. In Jesu Christo omnis Divinitatis [11], Sapientiæ, potestatis, gratiarum inhabitat plenitudo:

1 Chrysostom. Ita Theodoret. alii. 2 Vide Heins. Exercit. sacr. pag. 94. 95. Eustat. ad Homer. Iliad. 2. de Andromacha. 70. in Genes. 22. 12. 36. Jerem. 6. 26. Amos 8. 10. Prov. 4. 3. Zach. 12. 10. vel ἀγαπητὸς pro unigenito. 3 Τῦ υἱῦ τῆς ἀγάπης αὐτῦ.
4 Πρωτότοκος πάσης κτίσεως. 5 Hamm. Quid. in Zanch. Gemar. Vide Ephes. 3. 10. 6. 12.
6 Ita Patres & Interpretes passim. 7 Amb. Respons. ad Orthodox. Resp. 85.
8 Joan. 10. 18. 9 Ὅς ἐστιν ἀρχὴ, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν.
10 Ita Ambrosiast. Erasm. Est. Grot. alii. 11 Vide Coloss. 2. 9.

nitudo: ex illo quidquid gratiæ, & luminis Sancti habent viri, perceperunt: *de plenitudine ejus omnes accepimus* [1].

℣. 20. PER IPSUM RECONCILIARE OMNIA.] Reconciliare omnia per ipsum, & in ipso, vel per ipsum omnia Patri reconciliare [2]. Jesus Christus omnia Deo Patri suo reconciliavit per Sanguinem, & mortem suam; sed prior versio melior est. Per seipsum reconciliavit omnia, *sive quæ in terris, sive quæ in Cælis sunt;* homines simul, & Angelos. At quomodonam Angelos reconciliavit, quandoquidem Angeli boni nunquam peccarunt, & nulla reconciliatione indiguerunt; mali vero Angeli nunquam redierunt ad frugem, ac nulla spes est futurum, ut redeant? S. Augustinus [3], atque Theodoretus hic respondent, JESUM CHRISTUM per Sanguinem suum eam abstulisse inimicitiam, quæ inter Angelos erat, & homines. Ille reconciliavit per se ipsum, & in se ipso, & pro se ipso, pro gloria sua &c. Hammondius per hæc verba, *sive quæ in Terris, sive quæ in Cælis sunt*, omnes homines indiscriminatim intelligit, Judæos simul, atque Ethnicos, sed hæc explicatio nimis violenta videtur. Confer Ephes. 1. 10. *Instaurare omnia in CHRISTO, quæ in Cælis, & quæ in Terra sunt in ipso.* S. Paulus hanc tundis incudem de reconciliatione, & redemptione, quam nobis JESUS CHRISTUS procuravit, ut Colossenses disponat ad fallacem pseudo-Apostolorum doctrinam relinquendam, qui illos in legalium cæremoniarum observantiam, & in Angelorum cultum studebant impellere.

℣. 23. SI TAMEN PERMANETIS IN FIDE.] Innoit, eos non satis firmos fuisse in fide, iisque exercitationibus, quæ primum ab Epaphra illis præscriptæ fuerant: ad eos vero confirmandos addit, Evangelium, quod ipsis prædicatum fuit, *prædicatum esse in universa creatura, quæ sub Cælo est*, unde facile inferre possent, si ab illo recesserint, se ab omnibus Mundi Ecclesiis recedere; & pseudo-Apostolos, qui ad eos venerunt Evangelium novum prædicaturi, operarios esse iniquitatis, qui neque a Jesu Christo, neque ab Apostolis missionem suam receperunt. Denique ad auctoritatem in iis, quæ dicturus est, necessariam sibi conciliandam, eos admonet, se factum esse Evangelii Ministrum, atque sibi jus esse ad eos loquendi, eos erudiendi, atque illis adversandi, qui eosdem a recta veritatis semita detorquere adnitebantur. Vestra reconciliatio, Salvatoris redemptio, illius Sanguis, vobis erunt inutilia, nisi ad finem usque perseveraveritis in fide, quam amplexi fuistis, quam vobis Epaphras prædicavit, & quam, quantum in me est, mea auctoritate confirmo.

℣. 24. ADIMPLEO EA, QUÆ DESUNT PASSIONUM CHRISTI IN CARNE MEA.] JESU CHRISTI passio nihil habet imperfectum, nihil quod supplendum sit, ut adimpleatur. Salvator perfecte defunctus est munere suo, atque opere sibi a Patre imposito [4], neque de Cruce animam efflavit, nisi postquam verbum illud protulit Joan. 19. 30. *Consummatum est*. Passionis, & Sanguinis ejus meritum infinitum est, & omnia merita, omnes virtutes, omnes omnium hominum passiones, ne minimum quidem illi incrementum adjicere possunt: quippe Sanguis idem meritum tribuit iis omnibus, quæcumque bona, & meritoria homines possunt adniti. Quid ergo in carne sua adimplere potest Apostolus? Quid passionibus JESU CHRISTI potest adjicere?

Respondemus, JESUM CHRISTUM pro nobis passum minime nos exolvisse, quo minus & ipsi pateremur, Crucem nostram gestaremus, virtutem exerceremus, ac scelera nostra pœnitentiæ lacrymis elueremus. Nos monet S. Petrus [5], illum passum esse, ut nobis præberet exemplum, atque ut vestigia illius sequeremur. Hoc in sensu dici potest, aliquid adhuc faciendum, ferendumque eidem superfuisse, non in persona sua, sed in membris suis [6]. *Passio Domini*, inquit S. Leo Mag. ser. ult. de Passione, *usque ad finem producitur Mundi . . . . in omnibus, qui pro justitia adversa tolerant, ipse compatitur.*

D. Chrysostomus, atque Theophylactus hoc in loco animadvertunt, tanto nos amore JESUM CHRISTUM fuisse prosequutum, ut non satis fuerit illi mortem pro salute nostra subire, sed eamdem in membris suis pati persliterit: velut rex, qui insignibus confectus vulneribus ex acie decederet, ut locum suum vacuum relinqueret Imperatori exercitus sui, qui pro illius gloria in omne periculum se se objiceret [7]. Alii [8] S. Pauli locum ita explicant. Ego, qui feci, ut olim JESU CHRISTI Ecclesia pateretur, nunc vicissim pro illa patior, quidquid adhuc deest afflictionibus, ad quas me Jesus Christus vocavit. JESU CHRISTI passiones hoc in loco non innuunt ea, quæ patitur Jesus Christus, sed ea, quæ illi prædixit futurum, ut S. Paulus pro nomine suo pateretur, Act. 9. 16.

℣. 25. CUJUS FACTUS SUM EGO MINISTER.] Hoc ipsum urget, quemadmodum jam animadvertimus, ne dicerent Colossenses: cur præcepta illis irrogare vellet, quandoquidem ipsorum non erat Apostolus?

℣. 26. MYSTERIUM, QUOD ABSCONDITUM FUIT A SÆCULIS.] Æterna Verbi generatio, Incarnatio, Nativitas, Vita, Mors, JESU CHRISTI Resurrectio, Evangelii prædicatio, Gentilium vocatio, Judæorum reprobatio, Mysteria sunt, quæ nonnisi ex parte Hebræi cognoverunt: sed ita confuse, atque perturbate, ut jure suo S. Paulus potuerit asserere saltem, quo ad eam rationem, qua erant adimplenda, Mysteria hæc ab omnibus sæculis fuisse abscondita, & proprie detecta fuisse Sanctis dumtaxat eo tempore, quo Apostoli prædicabant. JESU CHRISTI Evangelium erat igitur æternum [9], absconditum in secretis Dei ad illud usque tempus, quod in providentiæ ejusdem consiliis fuerat præstitutum.

℣. 27. DIVITIAS GLORIÆ SACRAMENTI HUJUS.] Quænam sunt opes gloriæ hujus mysterii. Vel, quænam est majestas, magnitudo, gloria hujus Mysterii, Evangelii Gentilibus prædicati, quo fiunt filii Dei, *JESU CHRISTI cohæredes, concorporales, & comparticipes promissionis ejus in CHRISTO JESU per Evangelium* Ephes. 3. 6. Mysterium hoc in eo positum est, quod & in JESUM CHRISTUM credas, & in eumdem speres. *Quod est CHRISTUS in vobis, spes gloriæ.*

℣. 28. QUEM NOS ANNUNCIAMUS, CORRIPIENTES OMNEM HOMINEM.] Nos, utpote Evangelii Ministri, atque auctoritate Apostolica induti castigamus, corripimus, erudimus quoscumque indigere correptione, monitisque arbitramur, sive fuerint jam nostri Discipuli sive secus. Quandoquidem veritatis, atque sanæ doctrinæ inimici inter frumentum, lolium audent superserere, cur minime audeamus in illos invehi, atque liberrime eos castigare, qui per nimiam infirmitatem illis aures nimis faciles præbuerunt?

℣. 29. IN QUO ET LABORO CERTANDO.] Hoc mihi propono, ut omnes homines, quantum in me est auxilio gratiæ Dei, quæ potenter agit in me, mihique vim tribuit superandi quæcumque veritati adversantur, perfectos efficiam.

---

1 Joan. 1. 16. Vide Est. Zanch. Grot. &c. Quid. Codd. Latini addunt, *Divinitatis*, Ita Hieronymiast. Theophylact. Τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος. Commen.
2 *In ipsum, id est, in Patrem*. Est. Vide Rom. 5. 10. 2. Cor. 5. 18. 19.
3 August. Enchirid. cap. 61. 62. 63.   4 Joan. 17. 4.   5 1. Petri 2. 21.
6 Vide August. in Psalm. 61. & 86. Greg. Magn. lib. 3. Moral. cap. 11. Anselm. Cajet. Est. alii passim.
7 Chrysostom. Theophylact.   8 Clericus Not. in hunc locum, & art. crit. part. 1. sect. 2. cap. 22.
9 Apoc. 14. 6. *Habentem Evangelium æternum*, &c.

CAPUT

C A P U T II.

Falsi Doctores, JESU CHRISTI magnitudo, vera Circumcisio, Dæmones Cruce victi, inutilitas cultus Angelorum, & cæremoniarum Legis.

1. Volo enim vos scire, qualem solicitudinem habeam pro vobis, & pro iis, qui sunt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne: 2 Ut consolentur corda ipsorum, instructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris, & Christi Jesu: 3 In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. 4 Hæc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum: 5 Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum: gaudens, & videns ordinem vestrum, & firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ. 6 Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, 7 Radicati, & superædificati in ipso, & confirmati fide, sicut & didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione. 8 Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum: 9 Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: 10 Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis: 11 In quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: 12 Consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. 13 Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: 14 Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci; 15 Et expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. 16 Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum. 17 Quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi. 18 Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, 19 Et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones subministratum, & constructum, crescit in augmentum Dei. 20 Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi: quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis? 21 Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis: 22 Quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta, & doctrinas hominum: 23 Quæ sunt rationem quidem habentia in superstitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

℣. 1. QUALEM SOLICITUDINEM HABEAM PRO VOBIS.] Postquam auctoritatem suam in Colossensium animos statuit, illis suam benevolentiam, atque existimationem testatur. Græcus ita verti potest: *Volo enim vos scire, quodnam prælium pro vobis, & pro Laodicensis sustineam* [1]. Intrinsecus, atque extrinsecus pro illorum salute, & correctione prælia sustinebat: se se objiciebat nequitiæ, & furori pseudo-Apostolorum, quorum doctrinam impugnabat. Opus etiam periculose plenum aleæ aggrediebatur, eos corripere conatus, quos imperfecte tantum cognoverat, & in quos non eam obtinebat auctoritatem, quam apud illos, quos ipse primitus erudierat; charitas denique, zelus, ejusque solicitudo ad fidelium omnium gloriam quærendam, alia A etiam prælia, & alias curas intrinsecus eidem gignebant.

Laodicenos cum Colossensibus conjungit, quippe hæ duæ Civitates erant finitimæ, & fortasse quod falsi Doctores nocua dogmata sua in utraque effuderant. Manuscripta quædam [2] isthic addunt & *Hierapolim*, cujus nomen desumptum est ex ℣. 13. cap. 4. ubi videmus Epaphram toto pectore ad Laodicenorum, & Hieropolitanorum, non secus atque Colossensium salutem adlaborasse; immo a fide non abhorret, ipsum in triplici ea Civitate prædicasse. S. Paulus eas Ecclesiam non instituerat, easque his verbis comprehendit: *quicumque non viderunt faciem meam in carne.*

℣. 2. UT CONSOLENTUR CORDA IPSORUM [3].] Lætitia quadam, & solatio non affici minime poterant, au-

1 Ἡλίκον ἀγῶνα ἔχω περὶ ὑμῶν.

2 Καὶ τῶν ἐν Ἱεραπόλει, addunt Steph. … Cov. …

3 Ἵνα παρακληθῶσιν αἱ καρδίαι αὐτῶν.

dientes tot signa benevolentiæ, atque amoris Apostoli, ejus meriti, atque celebritatis, quibus S. Paulus effulgebat, & si quid illos confirmare poterat inter inanes terrores, quos pseudo-Apostoli illis incusserant, illud procul dubio erat, cum videret, doctrinam Epaphræ Apostoli sui a S. Paulo confirmari, atque probari. Illos igitur erudire vult; ut *consolentur corda ipsorum instructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris & CHRISTI JESU*, atque ut discant, non Legem, non cultum, non Angelorum intercessionem, sed fidem in JESUM CHRISTUM nobis perfectionem, atque salutem promereri [1].

℣. 3. IN QUO SUNT OMNES THESAURI.] JESUS CHRISTUS lumen est, & sapientia, veritas, & vita; non errare non potest, qui eumdem non sequitur, neque falli potest, qui eumdem sequitur, & audit. Ne audiatis ergo Philosophiam, neque Legis scientiam, neque commentitia eorum Mysteria, quæ se vobis secretas vias gloriantur detegere; una tantum est via, eaque Jesus Christus.

℣. 4. NEMO VOS SEDUCAT IN SUBLIMITATE SERMONUM.] Falsi Doctores Evangelii doctrinam contemnentes, quæ eisdem nimis simplex, ac veluti ex trivio desumpta videbatur, sermones affectabant mysteriis repletos, ad lucernam elaboratos, sublimes petitis etiam ex Philosophia argumentationibus, & ex eloquentia veneribus, Legis præstantiam, supremamque Dei Majestatem extollentes, tamquam nostris cognitionibus, immo etiam, & precibus inviae. Græcus [2]: *Nemo vos seducat sermonibus speciosis, atque ad persuadendum appositis*. Cavete, ne aures præbeatis hujusmodi loquacibus viris, qui quædam vobis obtrudunt, quadam cum veritatis specie conjuncta; sed quæ intus & in re inania sunt, atque ad vos fallendos idonea.

℣. 5. NAM ET SI CORPORE ABSENS SUM.] Tunc ille Romæ erat in vinculis, eos numquam viderat; sed illis amorem, atque benevolentiam, qua illos complectitur, vult esse testatissimam, ostendens, se inprimis esse sollicitum de iis omnibus, quæ ad eorum perfectionem pertinent; dicit, se in spiritu videre *ordinem* [3], qui apud illos insignis erat, *& firmamentum ejus, quæ in CHRISTO est fidei eorum*: rectam disciplinam, præclarum ordinem, concordiam, morum instituta &c. & sinceram constantemque eorum firmitatem in fide, quam receperant. Veteres quidam pro *firmamento ejus, quæ in CHRISTO est fidei vestræ*, legunt: *Id quod deest utilitati fidei vestræ*: quæ lectio ex Græco textu mendoso, & perperam translato profecta est [4].

℣. 6. SICUT ACCEPISTIS . . . . IN IPSO AMBULATE.] Constantes estote in fide, quam vobis Epaphras prædicavit, & nova quælibet, quæcumque sint, & quocumque colore afferantur, prorsus abjicite.

℣. 7. ABUNDANTES IN ILLO IN GRATIARUM ACTIONE.] Græcus [5]: *magis magisque crescente fluminis instar extra alvei sui ripas exundantis, in illa*; in fide, *per gratiarum actionem*. Fides vestra in dies semper augeatur, & juges gratiarum actiones persolvite Domino, qui vos ad fidem vocare dignatus est. Cavete, ne vel tantillum aliquid immutetis, vel labascere incipiatis.

℣. 8. PER PHILOSOPHIAM, ET INANEM FALLACIAM.] Pseudo-Apostoli, a quibus, ut sibi caveant Colossenses hortatur, Philosophicis plerumque argumentationibus, præsertim vero Platonicis principiis utebantur, quæ tunc magnam obtinebant in populis auctoritatem, ut eorum fidem everterent. In Hebræorum Libris legimus; Imperantibus Asmonæis, hoc est sub Machabæorum Principatu, qui post Antiochi Epiphanis persecutionem in Judæa imperiterunt, Legem hanc fuisse rogatam, *Maledictus esto, qui Filium suum Græcorum Philosophia curat imbuendum*; sed vel hæc Lex supposititia est, vel perperam observata; nam novissimis temporibus Judæi Græcorum scientiis sese penitus addiderunt, cujus rei in Philone, Josepho, Auctore Sapientiæ, Jesu filio Syrach, & Scriptore libri de rationis Imperio, perspicue patent monumenta. Tunc nemo aliquid scire ducebatur, qui Philosophiæ præceptis imbutus non esset, quæ a Græcis summo in pretio habebantur. Minime igitur mirum videtur, si hi pravi Ministri, in quos insurgit Apostolus, apud Græcos loquuturi Ethnicæ Philosophiæ pallio se se exornaverint.

INANEM FALLACIAM.] Hoc verbo tum Philosophorum acumina, tum elaborata Oratorum schemata possunt significari. Græcus ad litteram [6]: *Inanem dolum*. Eloquentia apud Græcos in deliciis erat, qua veri Apostoli carebant, & quam aspernabantur; sed falsi Doctores, ut audientium animos sibi conciliarent, nihil intentatum relinquebant, quod illos posset allicere.

SECUNDUM TRADITIONEM HOMINUM.] Hoc palam designat traditiones, quas Pharisæi Legi Moysis adjecerant, & contra quas tantopere JESUS CHRISTUS in Evangelio declamavit. Cupiebant impellere Colossenses ad Legis observantiam, & ad omnes eos ritus, qui ex Veterum traditione auctoritatem aliquam accepisse videbantur.

SECUNDUM ELEMENTA MUNDI [7].] Hoc intelligitur, vel de sæcularis scientiæ elementis, de Philosophia, politica, curiosis cognitionibus, Astronomia, vel etiam disciplina Philosophorum magis insignium, quales erant Stoici, Platonici, Pythagoræi, quibus peculiaria erant morum præcepta, atque instituta, abstinentiæ, lustrationes, aliæque profanæ cæremoniæ. Vel intelligitur etiam de principiis Judæorum, vel Judaizantium, qui cum cæremoniis Legis sexcenta humana adinventa ex ipsorum traditionibus profecta commiscebant. Apostolus hæc omnia appellare potuit, *Elementa Mundi*, quatenus opponuntur Christianæ Religionis principiis, quæ simplicia sunt, a superstitionibus expedita, & ejus ordinis, qui toto Cælo sensibilem hunc Mundum, atque sæculares cognitiones excedit.

Græci Patres [8] pro Mundi elementis intelligunt Solem, Lunam, Stellas, ex quarum motu temporum, atque Judaicarum festivitatum rationes instituuntur: Addi etiam possunt Astrorum influxus, quæ omnia vana sunt, & quarum quædam omnino Christiana Religio præscripsit, tamquam commentitios influxos syderum; alia vero post Evangelii prædicationem inutilia effecta sunt, videlicet dies Judæorum festi, aliæque Legis cæremoniæ.

℣. 9. QUIA IN IPSO INHABITAT OMNIS PLENITUDO DIVINITATIS CORPORALITER [9].] Inutile est aurea præbere doctrinæ, & Philosophiæ Judaizantium, quoniam credidisti in JESUM CHRISTUM, in quo thesauri sapientiæ, & scientiæ, & omnis residet plenitudo Divinitatis. Ille vere, realiter, omnino, essentialiter, Deus est; Divinitas in illo *corporaliter* inhabitat, ita ut ex Divina, atque humana natura, utraque hypostatice conjuncta, una tantum existat persona [10]. Verbi Divinitas non solum animæ, verum etiam Corpori JESU CHRISTI conjuncta est: ita ex humanitate ex corpore, & ani-

1 Theodoret. hic. 2 Μή τις ὑμᾶς παραλογίζηται ἐν πιθανολογίᾳ. Claromont. S. German. Latt. Ambrosiast. *In sublimitate sermonum*, vel *verborum*. Vulg. Æthiop. Calarit. Hieronymiast. *In sublimitate*.
3 Τὴν τάξιν; id est, εὐταξίαν. Chrysostom. 4 Græc. impress. & MSS. Καὶ τὸ στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως ὑμῶν. S. Germ. & Claromont. Lat. *Et id, quod deest utilitatis* (vel *utilitati*) *fidei vestræ*. Ita & Facund. lib. 12. cap. 6. Et Ambrosiast. *Supplens id quod deest utilitati fidei vestræ*. Quasi legissent; Καὶ τὸ ὑστέρημα τῆς χρείας πίστεως ὑμῶν. 5 Περισσεύοντες ἐν αὐτῇ ἐν εὐχαριστίᾳ.
6 Κενῆς ἀπάτης. 7 Κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, καὶ οὐ κατὰ Χριστόν.
8 Chrysost. Theodor. Confer Gal. 4. 3. 9. 9 Ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. Non legunt, σωματικῶς. Iren. l. 1. c. 1. Cypr. de bono patientiæ. 10 Vide Davenant. Zanch. Piscat. Theophyl.

& anima composita, & simul ex JESU CHRISTI Divinitate unus tantum exstitit Deus-Homo, & Homo-Deus [1]. In Scripturis *Corpus* opponitur sæpe iis omnibus, quæ externam dumtaxat speciem habent. Quemadmodum umbra opponitur corpori, figura veritati, corpus solidum apparenti, ita *corporaliter* opponitur iis, quæ speciem dumtaxat, figuram, atque imaginem habent.

Alii [2] *corporaliter* intelligant, quasi Apostolus innuere voluisset JESU CHRISTI tamquam Ecclesiæ capitis conjunctionem cum Ecclesia, quæ mysticum est corpus illius, & cum fidelibus, qui sunt membra ejus. Cum illis conjunctus est, quatenus Homo-Deus, in semet omnem realiter Divinitatis plenitudinem continens. S. Cyrillus apud Theophylactum: Divinitas in Jesu Christo permanet corporaliter, hoc est eadem ratione, qua anima adhæret corpori, essentialiter sine divisione, & sine immixtione, cum hoc tamen discrimine, quod anima a corpore separari non potest, cum Divinitas numquam a Corpore JESU CHRISTI recesserit, ubi illi semel adhæsit: neque in morte ipsa, neque in sepulchro illud reliquit. S. Augustinus Ep. olim 57. nunc 187. n. 39. hoc eodem ferme pacto explicat: *Corporaliter dictum est, quia in CHRISTI Corpore, quod assumpsit ex Virgine, tamquam in Templo habitat Deus.*

Sed ea explicatio, quæ *corporaliter* idem hoc in loco significare putat, ac *essentialiter*, melior sane videtur. Rei alicujus corpus in Hebræorum stylo est eadem res secundum suam realitatem accepta. *Corpus diei* [3], *corpus continentiæ* [4], *corpus peccati* [5], *corpus mortis* [6], *corpus Ecclesiæ* [7] significant diem, continentiam, vel innocentiam, peccatum, mortem, Ecclesiam, singula in propria essentia. Ita plenitudo, perfectio, integritas Divinitatis corporaliter inhabitat in ipso, hoc est realiter, essentialiter, & ratione longe alia ab ea, qua Deus in nobis inhabitat. Ibi vero *inhabitat*, quemadmodum ait Apostolus 1. ad Corinthios 14. 25. *Nos sumus repleti plenitudine Dei*, quemadmodum dicit ad Ephesios 3. 19. *Sumus Templa Dei*, corpora nostra Templa sunt Spiritus Sancti, quemadmodum aliis in locis inquit [8]; sed unus est Jesus Christus, de quo vere dici queat: *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis*, vel Deitatis, *corporaliter*.

℣. 10. ET ESTIS IN ILLO REPLETI, QUI EST CAPUT CHRISTUS.] Per JESUM CHRISTUM recipitis plenitudinem scientiæ, omnis gratiæ, atque justitiæ; ita ut præter illum minime indigeatis luminibus Philosophiæ, legalibus cæremoniis, humanisque scientiis, ut perfectionis apicem assequamini. Omnia in Jesu Christo, in Evangelio, in Ecclesia invenitis, ita neminem audite, & uni supremo Præceptori, & capiti vestro, qui Jesus Christus est, auscultate. Ipse est *super omnes Principatus, & Potestates* toto cœlo excellentior cœlestibus virtutibus, quarum cultum vobis obtrudere vellent pseudo-Apostoli, & quarum vos opera uti vellent in precibus vestris apud Patrem. Jesus Christus, quemadmodum Ecclesiæ, ita & Angelorum caput est. Per ipsum ipsis etiam Angelis ad Thronum Majestatis patet accessus [9].

℣. 11. IN QUO CIRCUMCISI ESTIS.] Vos impellere vellent, ut circumcisionem reciperetis, & legales ceremonias profiteremini; cavete, ne hujusmodi vocibus aures adhibeatis. Judæi carnis tantum circumcisionem habent, vos etiam spiritus; eorum circumcisio hominum manu facta est, vestra vero Spiritus Sancti, & JESU CHRISTI virtute. Illa supervacaneam cuticulæ partem abscindit, hæc peccato vos liberat: vestra igitur circumcisio vera est, utilis, bona; Judaica vero prorsus inutilis.

IN EXPOLIATIONE CORPORIS CARNIS.] Judæorum circumcisio fit hominum manu, & in eo posita est, ut exigua corporis pars abscindatur: sed vera circumcisio ea est, quam nos docuit Jesus Christus, & quam spirituali ratione in baptismo recipimus. Explicationem hanc plures Latini sequuntur Interpretes [10], sed ea, quam attulimus, & quæ *in expoliatione corporis carnis*, de carne, ac homine veteri exuendo interpretatur secundum Apostoli verba ad Romanos 6. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato*, apud Patres, atque notæ melioris Interpretes [11] est probatissima. Græcus [12] pro his verbis: *In expoliatione corporis carnis*, legit: *In expoliatione corporis peccatorum carnis*, sed neque Syrus, neque vetustissimi, iique optimi MSS. cum Græci, tum Latini nomen illud legunt *peccatorum*, & omnes Vulgatæ simillimi sunt [13].

℣. 12. CONSEPULTI EI IN BAPTISMO.] Exuistis veterem hominem, vobismetipsis mortui estis, cum Jesu Christo quodammodo cruci estis confixi, & cum eodem in baptismo consepulti. Denique resurrexistis, ex salutari eo lavacro emergentes, velut homo, qui recentem vitam recipit, & fit alius homo. Easdem veritates jam sumus intuiti in Epistola ad Romanos 7. 3. 4. quæ ergo hæc, Colossenses, ignominia est, nunc has omnes prærogativas abdicare vos velle, ut vosmet jugo Legis, inanibusque cæremoniis, nullam virtutem, nullumque meritum habentibus, subjiciatis?

℣. 13. ET VOS CUM MORTUI ESSETIS,] Jesus Christus ad vitam revocavit. Quid igitur ex circumcisione, aliisque ceremoniis, quæ nobis ingeruntur, præstolamini? numquid aliam vobis vitam tribuent, & iterum ab omnibus peccatis vos emundabunt? nihil hac ratiocinatione argutius fingi potest, ad Legis, & circumcisionis inutilitatem probandam. Per baptismum, & per fidem in Jesum Christum emundati fuistis ab omnibus peccatis vestris eo tempore, quo neque circumcisioni, neque aliis Legalibus cæremoniis subeatis. Hæ igitur cæremoniæ ad salutem necessariæ non sunt.

℣. 14. DELENS, QUOD ADVERSUS NOS ERAT, CHIROGRAPHUM DECRETI [14], QUOD ERAT CONTRARIUM NOBIS.] Creditor, qui debitoris sui chirographum delet, atque discerpit actum, aut nomen confiati ab illo æris alieni, satis abunde testatur, sibi debitam auri vim se illi remittere. Nos omnes Deo debitores eramus, neque eramus solvendo: Jesus Christus in semet debitum nostrum assumpsit, fregit nomen, quo illi devincti eramus, & Patri suo satisfecit, suum eidem effundens sanguinem, ut nos salvos faceret. At quodnam est chirographum istud, hic actus, quo nos Deo obærati esse redarguebamur? quo in sensu Jesus Christus hoc nos ære alieno liberavit? minime dici potest nos liberasse a necessitate Deum amandi, eique serviendi; his enim numquam exsolvi possumus officiis; sed liberavit nos a peccatis nostris, ea tamen sub conditione, ut illa abominemur, atque excipiamus omnia adminicula, quæ ad id ab illo instituta fuerunt; hoc est, ut baptismum, & pœnitentiam recipiamus, atque fiamus participes gratiarum, quas nobis Jesus Christus sua morte promeruit.

Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, erat fœdus, vel a Deo cum Adam percussum, quod cum hic

1 Est. Menoch. Cameras. 2 Chrysost. Theodoret.
3 Genes. 7. 13. 17. 23. Exod. 12. 17. Levit. 23. 4. 4 Job. 21. 23.
5 Rom. 6. 6. 6 Rom. 7. 24. 7 Coloss. 1. 18.
8 1. Cor. 3. 17. 6. 19. 2. Cor. 6. 16. 9 Ephes. 1. *Constituens Christum ad dexteram suam, in cœlestibus, super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem*, &c. Vide Est. Grot. Zanch. Chrysostom. Theodoret. &c. 10 Ita Latini plures. Cornel. hic. Vide August. lib. 14. de Trinit.
11 Ita PP. Græci, Est. alii. 12 Ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκός.
13 Ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῆς σαρκός. Ita Germ. Claromont. Bornes. G. L. Alexand. Barb. 1. Æth Copht. Clem. Alexandr. Ambrosiaster. Hieronymiaster.
14 Quidam: *In decretis*. Ita Ambrosiast. & August. Ep. 59. qu. 7. Alii: *Decretis*. Græc. Τοῖς δόγμασι. Col. 7. Σὺν τοῖς δόγμασι. Velea: Δόγματος. Græcus verti potest: *delens decretis suis chirographum, quod erat adversum nos*.

hic perstegisset, cum omnibus posteris pœnas mortis subire debebat [1]; vel ab eodem cum Moyse, & populo Israel in Monte Sinai sancitum [2], ea tamen conditione, futurum ut si Populus fidelis permansisset, atque obediens, a Deo bonis cumularetur; sin autem, rejiceretur, atque in ejus locum populus magis docilis, atque fidelis accerseretur. Israel, vel saltem maxima Israelitarum pars ab hoc fœdere fuerant prævaricati, atque promeriti, ut de his promissionibus dejicerentur. Lex titulus erat damnationis eorum; cum tamen, qui nobis ipsis contrarius erat, per Legem Evangelicam nobis irrogatam JESUS CHRISTUS delevit. Græcus flagitat, ut hoc ita explicetur: *Delenis decretis suis*, doctrina sua, *chirographum, quod erat contrarium nobis*. Locus hic cum illo ex Ep. ad Ephes. 2. 15. *legem mandatorum decretis evacuans*, conferendus est. Sensus idem omnino est: Evangelium Legi, decreta sua Mosaicis subrogavit.

AFFIGENS ILLUD CRUCI.] Tamquam ostensurus, illud ab se antiquari. Animadvertit Grotius nonnullis in locis, edicta, quæ antiquantur, vel abrogantur clavo perforari; & credit, consuetudinem hanc in Asia viguisse, atque ad eamdem alludere Apostolum. Sed plerique [3] credunt potius, ad Salvatoris mortem alludi, qui Cruci confixus fuit, & illi quodammodo legem mortis affixit; quæ erat tamquam debiti nostri chirographum, ut ostenderet, se huic per mortem suam satisfacere, atque illud antiquare, novum fœdus illi substituendo. Ut plerumque Cruci damnatorum damnationis titulus affigebatur. Vide a nobis dicta in S. Matt. 27. 37.

℣. 15. EXPOLIANS PRINCIPATUS, ET POTESTATES [4].] Cum Principatibus, atque Potestatibus ademisset arma, eas superbe in triumphum adduxit [5]. Non solum Deo eramus obærati; verum etiam Dæmonis servi: non satis fuit JESU CHRISTO pro nobis, justitiæ Patris sui satisfacere, sed & inimicos nostros Dæmones, crudeles tyrannos, qui nos suo opprimebant imperio, vicit, superavit, prostravit, eosque coram omni Mundo secum tamquam in triumphum adduxit. Confer ea, quæ Salvator ait de forti armato, a fortiore devicto, Luc. 11. 21. S. Lucas alludit ad ea, quæ apud Romanos in triumphis accidere consueverunt, ubi victatum gentium Duces, Regesque ante currum manibus post terga revinctis agebantur:

. . . *captas ostendere Civibus hostes*

TRIUMPHANS ILLOS IN SEMETIPSO.] Græcus [6]; *triumphans per illam*, per Crucem, quem sensum plurimi Veteres amplectuntur [7]. Sed alii magno in numero Vulgato similes sunt. Discrimen in accentu dumtaxat positum est, quos olim in Græcis exemplaribus nequaquam notari consuevisse liquet.

℣. 16. NEMO ERGO VOS JUDICET IN CIBO, AUT IN POTU.] Ne vobis fucum fieri patiamini a Judaizantibus, dicentibus, carnem hanc vetitam esse, potum illum non licere; hoc mundum, illud immundum. Nihil in semet immundum est; Munda omnia Mundis [8]. Hebræi plura habebant vetitarum carnium genera, & Nazaræatus tempore vino erat abstinendum.

AUT IN PARTE DIEI FESTI, AUT NEOMENIÆ.] *In parte* hoc in loco non aliud significat, quam *in negotio, in causa* [9]. Nemo vobis Religionem injiciat in iis, quæ ad festos Judæorum dies pertinent, vos eorumdem præcepto teneri contendens. Credunt alii [10], *in parte diei festi* innuere velle quosdam festos dies, non omnes; Facile enim intelligebant, Colossenses minime posse omnes festivitates Israel eo modo, quo a Moyse præcipiebantur, observare. Judaizantes quidem acquievissent, si eorum pars dumtaxat observata fuisset. At si festos dies Judæorum observare tenebantur, cur non omnes iisdem erant observandi? sin autem hæc observantia inutilis erat, cur illos in parte observarent? Hammondius [11] aliam proponit explicandi rationem, quæ nimis mihi coacta videtur: nemo vos damnet in ea sectione, quæ de diebus festis agit, & in eo Hebræorum librorum articulo, qui ad Religionis dies festos pertinet. Clericus not. in Hammond. Nemo vos damnet, quod in dierum festorum numero, Judæorum neomenias, & Sabbatha non recensetis. Prior explicatio mihi simplicior videtur, atque litteræ propior.

℣. 17. QUÆ SUNT UMBRA FUTURORUM. CORPUS AUTEM CHRISTI.] Judæorum festivitates, aliæque legis cæremoniæ non aliud sunt, quam figuræ, & umbræ, in Jesu Christo, ejusque Ecclesia realitatem habituræ. Christiana Religio jugis est festivitas, quemadmodum contra Celsum l. 6. ajebat Origenes. *Corpus autem Christi*. Realitas, veritas, corpus harum festivitatum Jesu Christi est, omnia in ejus persona, Ecclesia, fidelibus adimplentur. Veteres quidam [12] hoc subseq. ℣. adnectebant: *Corpus autem Christi, nemo vos seducat*. Vos autem, qui mysticum Jesu Christi Corpus estis, cavete, ne quis vobis os sublinat; vel cum Græco: *ne quis vos fraudet*, ne quis vobis eam mercedem surripiat, quæ vobis debetur. Metaphora desumpta est ex iis, quæ in publicis ludis fiebant, ubi aderant Judices, qui pretium, & coronas distribuebant, & qui non numquam vel propter studium, vel propter invidiam præmium iis deferebant, qui illud meriti non fuerant, vel iis, qui meriti negabant [13]. Sanctus Paulus minime vult, fideles adeo imbecilles esse, ut injuste sibi eripi præmium permittant, quod permitterent, si a pseudo Apostolis se falli paterentur.

℣. 18. VOLENS IN HUMILITATE, ET RELIGIONE ANGELORUM.] Græcus ad litteram [14]: *Gaudens humilis videri; & per cultum Angelorum positus in, quod numquam vidit*. Apostolus perstringit superbiam, temeritatem, ac superstitionem eorum hominum, qui humiles videri cupiunt, cum interim vanitate diffluant, qui Angelis superstitiosum cultum deferunt, atque de iis rebus, quas non intelligunt, verba faciunt, ita ut, quemadmodum ajunt, ignaro tonet Jove. Volunt, Angelis vota nuncupari, eo quod Majestas Dei invisibilis est, & mortalibus invia. Moysis legem commendant, eamque ad salutem necessariam esse contendunt, quatenus a Deo hominibus Angelorum ministerio irrogatam [15].

Quod spectat ad Angelorum cultum, nihil in lege, nihil in Prophetis, nihil in Sanctis Veteris Testamenti libris

---

1 Theodoret. & Chrysostom. Theophylact. Cornel. Menoch. Tirin.

2 Vatab. Grot. Zeger. Varst. Hamm. Zanch. Davenant. Comar. Vide & Est.

3 Theodoret. alii passim.

4 Bornee. G. L. Ἀπεκδυσάμενος τὴν σάρκα, τὰς ἐξουσίας, &c. Latin. *Exutus carnem, principatus, & potestates*. Ita Syr. Novatian. de Trinit. cap. 16. August. Hilar. Pacian. Ambros. lib. 3. de fide cap. 2. *exuens se carne*.

5 Ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ. August. lib. 4. de Trin. cap. 13. lib. de agone Christiano cap. 2. *Exemplavit*, &c.

6 Θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ; supple, σταυρῷ; *In ipsa cruce*. Alii; Ἐν αὐτῷ; *In seipso*.

7 Origen. lib. 8. contra Cels. & in Commentariis sæpius: Ἐν σταυρῷ, vel, ἐν ξύλῳ. Ita & Athanas. de incarnatione Verbi. Chrysostom. Macar. homil. 5. Epiph. Rufin. homil. 8. Origenis in Josua. Vide Theodoret. Theophyl. Oecumen. Arab. Æth.

8 Tit. 1. 15. Rom. 14. 20.

9 Confer 1. Petri 4. 16. Ἐν τῷ μέρει τούτῳ. Act. 19. 27. 2. Cor. 3. 10. Ἐν τούτῳ τῷ μέρει. 9. 3. Ἐν τῷ μέρει τούτῳ. Vide Grot. Vat. Zeger.

10 Theodoret. Chrysost. Theophyl. Est. Men. Zanch.

11 Hamm. ex Joseph. Scalig. & Isaac Casaub. ep. 24. quasi μέρος idem sit ac פרק seu חלק

12 Τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω. Ita Cod. Alexand. & alii quid. libri, ut testantur Chrysostom. Theophyl. hic. Hesych. in Levit. 25. 2a August. Epist. ad Paulinum.

13 Καταβραβεύειν δέ ἐστι τὸ ἀδίκως βραβεύειν. Theodoret. Ita Theophylact. Chrysostom. Erasm. Est. Vat. Zeger. Menoch. alii.

14 Θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, ἃ μὴ [illegible] ἐμβατεύων.

15 Vide Theodoret. hic. Theophyl. Grot. Men. Est. alios.

libris occurrit. Verum est, cum apparuerunt Angeli, & loquuti sunt Dei nomine, quasi personam illius induentes, Latriæ cultu fuisse adoratos; sed cultus ille ad Deum, cujus ipsi Nuntii erant, atque Ministri referebatur [1]. Post reditum de captivitate Judæi majori cura Angelos cognoscere, eosque ex munere, atque nomine distinguere studuerunt; atque paulatim aliquo eos cultu venerati sunt. Videri potest Dissertatio nostra de bonis, malisque Angelis, ibique rationes allatæ de eo cultu, quem Hebræi recentiores Angelis exhibuerunt, quantomlibet ipsi diffiteantur. Gaulminus [2] in notis in Mosis historiam ostendit, Judæos credere Sanctorum Angelorumque intercessionem, utque utrisque suas preces effundere: præsertim vero profert librum a Rabbino Abraham Salomone compositum, ubi aliqua extat Oratio Archangelo S. Michaeli nuncupata.

In Philone extant sermones de natura, Officiis, distinctione bonorum, pravorumque angelorum, & quodam in loco ait: Angelicæ naturæ cognitionem nos gravissima liberare sarcina, quæ utique est superstitio [3]. Josephus l. 2. de Bello cap. 12. & post illum Porphyrius l. 4. de Abstin. docent, Essenos, ubi sectam suam profitebantur, jure jurando se se adigere consuevisse, ut religiosius sectarum suarum libros servarent, fortasse libros sacros, & nomina Angelorum, quod conjecturam adstruit, eos Angelis aliquem cultum præstitisse. Auctor libri de prædicatione S. Petri, qui quidem vetustissimus liber est, & a S. Clemente Alexandrino l. 6. Strom. memoratus, fatetur, Judæos Religioso cultu Angelos, & Archangelos, immo etiam Menses, & Lunas fuisse veneratos. Celsus [4] Judæos accusabat, quod non Angelos solum, verum etiam Cœlum adorarent. Tertullianus l. de Præscript. c. 43. testis est, Simonem, atque Cerinthum Angelorum intercessionem ipsi etiam JESU CHRISTO prætulisse, & probat S. Hieronymus [5], illos non per Cœlum dumtaxat, sed & per Angelos jurasse. Judæi vero recentiores omnino negant, se Angelis cultum præbere. Vide nostram de bonis, malisque Angelis Dissertationem.

Theodoretus in hunc locum animadvertit, Angelorum cultum, quem in Phrygia, & in Pisidia pseudo-Apostoli prædicaverant, profundas adeo ibi gentium radices posuisse, ut Laodicenum Concilium habitum ann. 357. vel 367. coepisset interdicere, ne Angelis nuncuparentur vota; & ad hanc quoque diem, Theodoretus addit, apud illos, atque in finitimis Provinciis sacella quædam S. Michaeli dedicata videntur. Sed Concilium a Theodoreto allatum non adeo apertum est, & hæc habet simpliciter: *minime oportet, ut Christiani Ecclesiam Dei derelinquant; abeant, & Angelos invocent, atque fœrsim cœtus instituant.*

Pro his verbis: *quæ non vidit ambulans*, Græcos, quemadmodum animadvertimus, lege: *Potitur eo, quod numquam vidit*, vel usurpans id, quod numquam vidit. Græca, & Latina quædam antiqua Exemplaria negationem omittunt, & legunt; *insurgens in iis rebus, quæ vidit*: plane in commentitia Syderum, eorumque influxuum cognitione: sed inane reor fatigari, ejus lectionis sensum quærendo, quæ sine ulla dubitatione mendosa est. Apostolus innuere vult, eos, contra quos loquitur, voluisse Angelis nomina tribuere, eosdem distribuere in classes, quasi in Cœlo vidissent.

FRUSTRA INFLATUS SENSU CARNIS SUÆ.] Quia sequuntur revelationem Spiritus Sancti in Scripturis, suæ se libidini tradunt, & se eo scire gloriantur,

A quæ Caro, & Sanguis, ex quibus coalescunt, eis profecto aperire non possunt.

℣. 19. ET NON TENENS CAPUT.] Evanescebant in cogitationibus suis, inanibus medicamentis replebantur, quin adhærerent JESU CHRISTO, qui Caput est Ecclesiæ, atque omnibus membris mystici hujus Corporis influxum, vitamque communicat, seu per se ipsum immediate, seu per Apostolos, & Evangelii præcones. Hæc sunt tamquam vasa, & nervi, qui in omne corpus escam, calorem, vitamque distribuunt [6]: *Quo totum corpus per nexus, & conjunctiones subministratum.* Opponit JESUM CHRISTUM Ecclesiæ Caput Angelis, atque Cœlestibus Potestatibus, quæ non aliud sunt, quam voluntatis ejus administræ. Confer hunc locum Ephes. 4. ℣. ℣. 15. 16. *Crescamus in illo per omnia, qui est Caput*

B *Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum Corporis facit in ædificationem sui in charitate.*

℣. 20. SI ERGO MORTUI ESTIS CUM CHRISTO IN ELEMENTIS HUJUS MUNDI.] De quibus jam verba fecis supra ℣. 8. sive hoc nomine humanæ scientiæ, veluti Philosophia, Astronomia, aliæque, sive traditiones, & Judaizantium cœremoniæ intelligantur. Christiani omnibus his rebus in JESU CHRISTO mortui sunt; & inanes scientias, quas mortales admirantur, & vanas Judæorum cœremonias abdicarunt. Cur igitur, o Colossenses, de illis loquimini, quasi adhuc in Mundo viveretis? *quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis 7?* cur dicitis ℣. 21. *ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis?* hæccine distinctio,

C & servitus Christianos viros decet, quos Jesus Christus a cœremonialis Legis jugo liberavit, & quos docuit unam Crucis scientiam utilem esse, & per fidem omnia munda fieri, vel immunda, neque ciborum discrimen amplius vigere? Cur ergo tamquam parvuli vosmet ad id redigere cupitis, ut Mundi elementa, utque prima inanis scientiæ principia discatis, vos, qui felici gradu ad sublimem fidei Philosophiam, & JESU CHRISTI cognitionem traducti fuistis?

Patres, & non pauci Interpretes in passivo sensu autographum textum reddunt [8]: *Cur permittitis adhuc doceri inter vos?* vel, *cur novis legibus vosmet subjici finitis*, quasi adhuc sub Mundi elementis versaremini? cur *recipitis præcepta* a recentibus hisce Doctoribus,

D quasi Dei vias, & Christianæ Religionis principia non abunde teneretis? sed nullam video necessitatem, qua eam cogamur immutare significationem, quam Auctor Vulgatæ, & Veteres Latini Patres huic loco tribuerunt.

℣. 21. NE TETIGERITIS .... 22. QUÆ SUNT OMNIA IN INTERITUM IPSO USU [9].] Hæc sunt verba, vel Colossensium inter se se pleraque, cisque monentium secundum pseudo-Apostolorum præcepta, atque hoc mundum, illud immundum, hoc manducari quidem posse, illud vero non item, affirmantium; vel verba sunt Doctorum Judaizantium, atque hæc Colossensibus præcepta irrogantium. Verum cui bono, inquit Apostolus, tot præcautiones; id enim, quod hominis esca est, corrumpitur, & usu perit? *quæ sunt omnia in interitum.* Non igitur ea, quæ in hominis

E corpus ingrediuntur, illud mundum, vel immundum efficiunt, quemadmodum Salvator inquit in Evangelio Matth. 15. 11. sed quæ egrediuntur ex ore, utque ex corde proficiscuntur; mala videlicet desideria, pravi sermones, calumniæ &c. hæc hominem coinquinant.

Hæ omnes distinctiones inter carnes mundas, vel immundas, aliud non sunt, addit ille, quam *præcepta, & do-*

1 Exod. 3. 2. 5. Josue 5. 16. Genes. 18. 2. &c. 2 Gaulmin. not. in Peritath Mose c. 4. p. 321.
3 Philo de Gigantib p. 286. 4 Origen. contra Cels. lib. 5.
5 Hieronym. in Matth. 5. & quæst. 10. ad Algasiam.
6 A' γάςκει ἐπιθεῖται ... Ita Cod. Alexandr. Claram. Sanct. German. G. L. Baroc. Caov. 3. Origen. lib. 5. contra Cels. Ambrosiast. Calarit. Quidam Codd. teste August. Epist. ad Paulinum.
7 Τί ὡς ζῶντες ἐν κόσμῳ δογματίζεσθε. 8 Τί δογματίζεσθε: *Quid decretis oneramini, vel tenemini? Quid doceri vos finitis?* Cyprian ad Quirin. l. 3. Parag. 11. *Quia vana sectamini?*
9 Ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει: *Quæ sunt omnia in corruptionem ex abusu*; alii, εἰς ἀπαγγέλσει, *in egestione*. Theodoret. Oecumen. Theophylact.

& doctrinas hominum. Hoc minime significat ea, quæ in Moyse leguntur de quarumdam carnium usu, vel abstinentia [1], a Deo minime esse profecta, quemadmodum reliquam legem, sed innuit, hæc instituta non aliud esse, quam simplices præceptorum mere humanorum confirmationes. Nemo nescit, ex ipsis usque temporibus Noe, animalia munda ab immundis fuisse distincta [2]. Vel hæc præcepta, quæ Colossensibus obtrudebantur, & quibus illos subjicere conabantur, eorumdem ratione humana tantum fuisse, quoniam Judæi non erant, & qui apud illos prædicabant, nullam a Deo missionem obtinuerant, & nulla præditi erant auctoritate, ut hos iisdem subjicere possent. Tertullianus denique [3] putat, hæc pseudo-Apostolorum præcepta nequaquam Mosaicis legibus, sed commensitiis inanibus fuisse visionibus, in quibus ab angelis quarumdam carnium usum sibi interdictum fuisse dicebant.

Ÿ. 23. QUÆ SUNT RATIONEM QUIDEM HABENTIA SAPIENTIÆ.] Abstinentiæ, jejunia, carnis macerationes semper non apud Judæos, & Christianos tantum, verum etiam apud Ethnicos ipsos habitæ fuerunt tamquam laudabiles Religionis consuetudines; & quicumque ad majorem perfectionem, quam vulgo homines admiti voluerunt, semper vel carnis suæ appetitum, vel corporis commodum aliqua ex parte fraudarunt. Ita non immerito S. Paulus ait, Carnium discrimen, quod inter Colossenses studebant invehere, aliquam sapientiæ, vel Religionis speciem præseferre. Verum ille neque hanc abstinentiam, neque hoc discrimen oppugnabat; quæ in seipsis optima esse possunt, & utilissima: sed eorum damnabat abusum in hoc positum, quod Judaizantes Doctores hæc ad salutem necessaria esse affirmabant. Græcus ita verti potest [4]: *possunt hæc aliquam sapientiæ speciem præseferre, si assumantur ultro [5], & cum sensu modestiæ*, atque humilitatis; quin damnentur illi, qui aliter consueverint; & *si hoc fit secundum mortificationis spiritum, atque ut corpori denegentur commoda, quibus posset abuti*. Verum si alio Spiritu hoc fiat; V. G. ut creatura Dei tamquam immunda abjiciatur, vel ut contemnantur, qui exemplum nostrum minime sequuntur; vel denique, ut hæc observantia, tamquam ad salutem necessaria habeatur; tunc quidem hoc non solum erit inutile, verum etiam nocuum, & perniciosum [6].

Alii [7] hoc ita intelligunt: hæc quidem aliquam sapientiæ, & Religionis speciem præseferunt, quod nos ad mortificationem, atque abstinentiam adducunt; verum corrupta sunt a superstitione, atque affectata, fucataque humilitate, & quod corporibus renuunt debitam escam, qua indigent, ut vices suas peragant, & muneribus suis perfungantur. Prior sensus mihi aptior videtur, atque Apostolico textui magis conformis. Hanc abstinentiam ab iis epulis, qua corpus repleri posset, *non in honore aliquo ad saturitatem carnis*, mea quidem sententia, recenset in earum rerum numero, quæ aliquam habent speciem sapientiæ; cum in hac postrema explicatione hæc eadem abstinentia ostendat, reliqua omnia hypocrisim esse, atque superstitionem. Cæterum honor corporis hoc in loco victum, & escam, quæ illi tribuitur, significat [8]. Vide 1. Cor. 12. 23. & 1. Tim. 5. 17. Matt. 15 3. Marc. 7. 12.

1 Levit. 11. 2 Genes. 7. 2. & sequ. Vide Grot. Est.
3 Tertull. l. 5. contra Marcion. c. 19. *Aliquos taxat, qui ex visionibus angelicis, dicebant sibi abstinendum?* Vide & Erasm. hic. 4 *Ἅτινά ἐστι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ, καὶ ἀφειδίᾳ σώματος οὐκ ἐν τιμῇ τινι πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός.*
5 Ἐθελοθρησκεία, non semper in malam partem accipitur: rigorose non significat nisi cultum voluntarium, & non præceptum. 6 Vide Grot. 7 Erasm. Est. Men. alii, Theodoret.
8 Erasm. Vat. Grot. Est. Men. Tir. Zanch. J. Capell. Vorst. alii.

CAPUT III.

Cœlestia requirenda. Mortui sumus in JESU CHRISTO. Corpus nostrum mortificare debemus, atque novum hominem induere, pacem, & charitatem amare. Mutua Virorum, Uxorumque, Patrum, & Filiorum, Dominorum, atque Servorum officia.

1. IGitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: 2 Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. 3 Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. 4 Cum Christus apparuerit vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. 5 Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simulachrorum servitus: 6 Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis; 7 In quibus & vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. 8 Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. 9 Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, 10 Et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum. 11 Ubi non est Gentilis, & Judæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, servus, & liber: sed omnia, & in omnibus Christus. 12 Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, 13 Supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet

ber querelam, sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. 14 Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. 15 Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua, & vocati estis in uno corpore: & grati estote. 16 Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. 17 Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum. 18 Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino. 19 Viri, diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas. 20 Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. 21 Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. 22 Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. 23 Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: 24 Scientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo servite. 25 Qui enim injuriam facit, recipiet id, quod inique gessit: & non est personarum acceptio apud Deum.

℣. 1. SI CONSURREXISTIS CUM CHRISTO, QUÆ SURSUM SUNT QUÆRITE.] In capite præcedenti ℣℣. 12. 13. 14. 15. an ostendit, Christianos mortuos esse, & resurrexisse in JESU CHRISTO per baptismum, quem in nomine ejus receperant; ex illis autem veritatibus arripuit occasionem refellendi pseudo-Apostolorum errorem, qui Colossenses Legis ceremoniis, & Angelorum cultui subjicere nitebantur. Isthic vero ad primum redit argumentum, hoc est JESU CHRISTI magnitudinem celebrandi, omnia nobis ex illo, non ex Legis ceremoniis, neque ex Angelorum intercessione expectanda esse, ostendendi. Si mortui estis, & resurrexistis in JESU CHRISTO per baptismum, vitam ducite prorsus novam, & quodammodo omnino cœlestem, utpote membra capitis illius, quod est in Cœlo, & cum quo aliquando estis regnaturi.

℣. 3. MORTUI ENIM ESTIS, ET VITA VESTRA EST ABSCONDITA CUM CHRISTO.] Mortui estis Mundo, atque peccato, uni tantum JESU CHRISTO vivitis, & vita vestra in Deo est abscondita. Mundus in vobis communem, vulgaremque vitam videt, non eam, de qua loquor; loquor enim de vita prorsus spirituali, quæ in hominum oculis abscondita est, & Deo uni cognita. Hæc est vita justitiæ, fidei, charitatis, quæ actiones vestras animat, easque Deo reddit acceptas. Cum Nicodemo, inquiebat Salvator Joan. 13. 5. opus esse, ut discipuli sui recentem vitam viverent, tamquam homines resuscitati, atque recenti nativitate regenerati, ille, qui magister erat in Israel, quid sibi vellet Dominus, assequutus non est. Ita cum ait S. Paulus ad Colossenses, illis vivendum esse tamquam resuscitatis hominibus, lingua loquitur cæteris omnibus ignota, eamque vitam intelligit, quæ a Deo, & Sanctis dumtaxat cognita est. Explicari etiam hoc potest de spe resurrectionis [1], quæ efficit, ut jam quodammodo vivamus in Cœlis; sed hæc vita abscondita est in Deo, donec sese illa prodat in fine sæculorum ℣. 4. *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria*.

℣. 5. MORTIFICATE ERGO MEMBRA VESTRA.] Ut vitam hanc in Deo absconditam vivatis, & ut in hoc Mundo cum JESU CHRISTO moriamini, cum eodem resuscitandi, & regnaturi in Cœlis, incipite efficere, ut in vobis moriatur quidquid carnale est, terrenum, corruptum; impudicitia, libido, prava desideria, avaritia, & cætera mala, quæ sunt veteris hominis membra. Nihil autem introibit in Cœlum; nihil carnale, corruptum, immundum resurget, neque cum JESU CHRISTO regnabit. Per hanc mortificationem acquiretis, atque servabitis vitam interiorem, & absconditam, de qua vobis loquor. Cum moriemini peccato, resurgetis Christo, & justitiæ vitam vivetis.

LIBIDINEM.] Complures Græcum ita explicant [a]: libidinem præposteram, & contra naturam. Alii generatim de incomposito voluptatum affectu interpretantur.

AVARITIAM, QUÆ EST IDOLORUM SERVITUS [3].] Avaritia species est cultus, qui Deo pecuniæ exhibetur, quemadmodum JESUS CHRISTUS monuit in Evangelio Matth. 6. 24. *Non potestis Deo servire, & Mammonæ*. Quemadmodum Idolorum cultus gravissimum peccatum est, quod contra Deum possit admitti, ita enim directe ejus Divinitas læditur: simili ratione avaritia Divinitatem lædit in eo, quod magis intemerandum est, quandoquidem eidem rapit corda, cultum, & officia hominum, auro, argentoque inservientium. Eruditi complures Interpretes [4] *avaritiæ* nomen hoc in loco intelligunt de effræni immundarum voluptatum cupiditate, quemadmodum jam vidimus supra *Ephes.* 5. 5. In Scripturis Idololatria sæpe fornicatio appellatur, & Hebræorum infidelitas fere semper tamquam adulterium nobis exhibetur; ita vicissim dici possunt flagitia, quæ pudorem, atque honestatem auferunt, idololatriæ species esse, quoniam hoc idem est, ac voluptatis idolo JESU CHRISTI membra prostituere, & Divini hujus Capitis Sanctitatem nequissime coinquinare.

℣. 6. PROPTER QUÆ VENIT IRA DEI SUPER FILIOS INCREDULITATIS,] hoc est super homines veritatis rebelles. Hoc autem nomen significare potest vel eos, qui ante diluvium vivebant, quos S. Petrus in priori Epistola c. 3. 20. *incredulorum* nomine designat, vel Populus Chanaam, qui a Josue exterminati fuerunt, & qui in Epistola ad Hebræos 11. 31. increduli appellantur. Eorum scelera erant impudicitia, atque præpostera libido.

℣. 7. IN QUIBUS, ET VOS AMBULASTIS,] ante conversionem vestram. Gentilitas, vel probabat, vel tolerabat gravissima quælibet flagitia in ipsa etiam religionis exercitatione.

℣. 8. NUNC AUTEM DEPONITE.] Abjicite ergo omnes sordes, *iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro*: hæc enim omnia componunt membra veteris hominis ℣. 9. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*. Hoc quidem eratis aliquando; at cavete, ne priorum sordium, vel

1 Chrys. Theodoret. Theophyl. Grot.
2 Syr. Grot. Var. Est. Men. Gemar. Vorst.
4 Hieronym. in Ephes. 5. 5. Est. Hamm.

a Πάθος, *libido præpostera, cum masculi turpia patiuntur*. Ita
3 Καὶ πλεονεξίαν ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρεία.

vel minimum vestigium reperiatur in vobis. Delineate in vobismet ipsis JESUM CHRISTUM, qui est novus homo [1], atque tales vosmet præbete, quasi ab eodem novam oativitatem recepissetis. ℣. 10. *Induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem*, & vosmet componite ad imaginem illius, a quo creati fuistis; *secundum imaginem ejus, qui creavit illum*. JESUS CHRISTUS est Creator noster non solum secundum naturalem statum, per quem homines sumus, verum etiam secundum moralem, per quem sumus Christiani, filii adoptivi Patris, & membra Salvatoris, qui est Caput Ecclesiæ.

℣. 11. UBI NON EST GENTILIS, ET JUDÆUS.] Complures Manuscripti Græci & Latini [2] legunt: *ubi non est masculus, & fœmina, Gentilis, & Judæus*. In JESU CHRISTO, in Ecclesia, in Christiana religione, Deus personarum acceptionem non admittit. Omnia apud illum nullo sunt in discrimine; ipse omnes vocat, omnes recipit, omnibus se communicat. Venite, credite, amate, induimini JESU CHRISTO per baptismum; ille vos in numero filiorum suorum recipiet. Itaque ne patiamini, ut vobis sublimiti Judæorum sermonibus, obtrudere vobis conantium, nonnisi per circumcisionem, & Legis observantiam in Sanctum fœdus aditum patere. Recentes vias vobis JESUS CHRISTUS aperuit, medianum murum [3] evertit, pro omnibus hominibus mortuus est, & integrum fecit illis, ut participes meritorum suorum fierent, si Divinæ vellent largitati respondere.

Græcus plerumque *Judæo* opponitur [4], & pro omnibus Gentilibus usurpatur; Ævo enim Apostolorum populi, qui finitimos locos occupaverant post Alexandri Magni triomphos, & qui Græce loquebantur, omnes erant Gentiles. *Barbari* vero Græcis opponuntur propter linguæ ruditatem: inter Barbaros autem omnium ferocissimi *Scythæ* habebantur [5]. Barbarum autem Scythæ opponit, tamquam eum, qui barbarie præstat, ei, qui non adeo barbarus est.

OMNIA IN OMNIBUS CHRISTUS.] In illo invenimus quidquid ad salutem concupiscere possumus: ibi vitam, Sanctitatem, gratiam, omnium virtutum exemplar, meritorum omnium originem, patronum, intercessorem, Salvatorem, Dominum, Magistrum, Caput, Patrem, Fratrem invenimus. Ipse noster cibus est, nostra vis, nostra salus, nostrum solatium. Ita nequicquam cupiunt vos extra eumdem, vel intercessores in Angelis, vel justitiæ fontem in legis exercitatione scrutari. Hæc omnia habetis in JESU CHRISTO.

℣. 12. INDUITE VOS SICUT ELECTI DEI.] Induite novum hominem: hæc una via est, qua gratiam in oculis Patris vestri invenire possitis, & mereri, ut inter electos & filios ejus in Cœlo recipiamini.

℣. 14. SUPER OMNIA.] Hæc prima est, atque una omnium virtutum maxime necessaria: *quod est vinculum perfectionis*, sine charitate reliquæ virtutes nihil sunt coram Deo [6]; hæc fideles Ecclesiæ conjungit; hæc illos inter se invicem conjungit, hæc illos cum JESU CHRISTO eorum capite conjungit: ideoque hoc *vinculum perfectionis* est, vel *perfectissimum vinculum* [7]. Veterum quidam [8] legunt: *vinculum unionis*; pro *vinculo perfectionis*.

℣. 15. PAX CHRISTI EXULTET.] Græcus ad litteram [9]: *Pax Dei*, vel cum aliis *pax* JESU CHRISTI *referat pretium*, vel pretium distribuat *in cordibus vestris*. Inconcussam atque constantem servate pacem; ipsas etiam inter persecutiones, & inimicos vestros. Pacem hanc cogitate tamquam victoriæ vestræ palmam, & cursus vestri bravium. Cumulatissimam profecto mercedem nacti eritis, si cum omnibus pacem, & concordiam servaveritis. Hic primus est spiritus vocationis vestræ: *in pace vocavit nos Deus*, ait 1. Cor. 7. 15.

ET GRATI ESTOTE [10].] Juges Deo gratias agite ob vocationem vestram. Vel: cum omnibus vivite ea cum suavitate, quæ omnium amorem, atque benevolentiam vobis concilret [11]. Hoc non abludit ab iis, quæ superius iisdem commendavit, ut cum omnibus hominibus pacem tueantur.

℣. 16. VERBUM CHRISTI HABITET IN VOBIS ABUNDANTER.] Indesinenter vacate verbo Dei [12], illud legentes, meditantes, eidem studentes [13], Hymnos, & Spiritualia cantica conciuentes. Continenter animo vestro revolvite verba & præcepta JESU CHRISTI, quæ audivistis ab Epaphra Apostolo vestro, & oculos, auresque obstruite novis iis rebus, quas falsi Doctores vobis conantur obtrudere. Injuria Ecclesiæ inimici [14] eam redarguunt, quod Scripturæ Sanctæ lectionem filiis suis interdicat. Numquam hæc illi mens fuit: sed verita, ne ex JESU CHRISTI calice bibere cupientes, calicem Babylonis haurirent, sapienter instituit, atque præcepit; præcipue vero temporibus maxime caliginosis, atque perturbatis, ut Pastores audirentur, atque ex eorum manu reciperentur textus, aut versiones, quas illi ad ædificandum aptissimas censerent, vel ut illæ abjicerentur, a quibus falli possent, atque corrumpi.

℣. 17. OMNE QUODCUMQUE FACITIS IN VERBO, AUT IN OPERE [15].] Hoc ipsum docet Apostolus in prima ad Corinthios 10. 31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Hic esto actionum vestrarum finis, hoc objectum: non bona, non honor, non existimatio, non voluptas, sed unice gloria, & voluntas Dei rebus in omnibus a vobis est requirenda. Si mens vestra nequit semper actualem Deo placendi intentionem fovere, oportet, ut hæc intentio semper habitualiter sit in corde vestro [16]; si vultis ea agere, quæ vobis salutem mereantur, atque digna sint sanctitate vocationis vestræ.

GRATIAS AGENTES DEO PER IPSUM.] Vel quomodo ad Ephesios 5. 4. inquit: *Gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini Nostri JESU CHRISTI Deo, & Patri*. Quemadmodum JESUS CHRISTUS mediator est, sine quo nostræ gratiarum actiones nullius meriti esse possunt coram Deo; ita inutile est, alium præter hunc mediatorem perquirere. JESUS CHRISTUS vobis sufficit, & præter illum nemo [17].

℣. 18. MULIERES SUBDITÆ ESTOTE VIRIS SICUT OPORTET IN DOMINO;] quemadmodum Christianas Mulieres decet, & Dominus præcepit; non autem in iis, quæ voluntati, atque legibus Domini adversantur. Pro versiculo hoc, & sequentibus vide, quæ diximus ad Ephesios cap. 5. ℣℣. 22 24. 25.

℣. 20. FILII OBEDITE.] Vide *Ephes. 6.* ℣℣. 1. 2. 3. *Per omnia* coarctandum est ex iis, quæ superius dicta ℣. 18. *in Domino*. In iis omnibus, quæ legibus, & voluntati Dei minime opponuntur. Hoc ipsum de Servis dicendum est ℣. 22.

℣. 21. PATRES NOLITE AD INDIGNATIONEM PROVOCARE FILIOS.] Vide *Ephes. 6. 4.*

SERVI

---

1 Vide Ephes. 4. 23. 24. Rom. 8. 4.
2 Οὐκ ἔνι ἄρσεν, καὶ θῆλυ. Ita Clar. S. Germ. Borner. G. L. Hieronymiast. & Ambrosiast. Sedul. Edit. Sixti V. Codd. Latt. multi: *Masculus & fœmina*, ex Gal. 3. 28.
3 Ephes. 2. 14. Confer Ephes. 6. 8. Rom. 10. 12. 1. Cor. 12. 13. Galat. 3. 28.
4 Act. 14. 1. 18. 4. 19. 10. 20. 21. Rom. 1. 14. 16. 2. 9. 10. 3. 9. &c.
5 Vide ad 2. Macc. 4. 47.
6 1. Cor. 13. 1. Rom. 13. 8. Galat. 5. 14.
7 Vat. Grot. Men. Le Clerc.
8 Græc. Σύνδεσμος τῆς τελειότητος. Alii: τῆς ἑνότητος. S. Germ. Clarom. Borner. G. L. Ambrosiast. forte ex Ephes. 4. 3.
9 Καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ βραβευέτω. Alii plures, τοῦ Χριστοῦ.
10 Καὶ εὐχάριστοι.
11 Erasm. Var. Pag. Menoch. Zanch. Gem.
12 Ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ. Alii, τοῦ Θεοῦ. Ita Cod. Alex. Arab. Theod. Colb. 7. alii quidam. Alii, Κυρίου, Copt. Clem. Alex.
13 Vide Chrys. Theophyl. Theod. alios.
14 Zanchius, & Davenant. hic.
15 Plura exemplaria Latina legunt: *In nomine Domini Jesu Christi facite*: sed neque Græcus, neque meliores editiones legunt, *facite*.
16 D. Th. Est.
17 Theodoret.

℣. 22. SERVI OBEDITE.] Vide *Ephes.* 6. ℣℣. 5. 6. 7. 8. ℣. 23. QUODCUMQUE FACITIS, EX ANIMO OPERAMINI.] Servos alloquitur, quos permanere vult in statu servitutis, humiliter munere suo perfungi, non gravate se se submittentes imperio providentiæ, quæ illos in hunc statum redegit, & sperantes futurorum, ut hoc animo temporalibus Dominis servientes, a supremo Domino laborum suorum mercedem recipiant. ℣. 24. *Scientes quod a Domino recipietis retributionem hæreditatis*. Servus quidem per humanas Leges, hæres esse non potest: sed in JESU CHRISTO *neque liber est, neque Servus* Coloss. 3. 11. Omnes sunt filii Altissimi, omnes participes sunt Cœlestis hæreditatis pro meritorum suorum magnitudine.

A DOMINO CHRISTO SERVITE [1].] In Dominorum vestrorum persona, JESUM CHRISTUM cogitate. Græcus [2]: *Dominus enim JESUS CHRISTUS ille est, cui servitis*. Vel cum aliis exemplaribus [3]: *retributionem hæreditatis Domini Nostri JESU CHRISTI, cui servitis*.

℣. 25. QUI ENIM INJURIAM FACIT,] seu Dominus Servo [4], seu Domino Servus [5], *recipiet id, quod inique gessit*. Deus iniquitatem judicat sine personarum acceptione, undecumque proficiscatur. Si Servus debet Domino obedientiam, Dominus debet Servo justitiam. Vide primum versiculum capitis quarti, ubi videtur hoc monitum potissimum ad Dominos referri.

---

1 Ita Alex. Clarom. S. Germ. Græc. Æth. Hieronymiast. 2 Τῷ γὰρ Κυρίῳ Χριςῷ δουλεύετε, 3 ... Κληρονομίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριςοῦ ᾧ δουλεύετε, Ita Clarom. & S. Germ. Lat. Ambros. Bornet. Gall. 4 Ansel. Cajet. D. Thom. Est. Gros. Davenant. 5 Græci, Ambrosiast.

C A P U T IV.

Vigilantia in Orationibus. Sapientia erga alienos. Tychicus de iis quæ ad ipsum spectant illos admonebit. Variæ salutationes. Hæc Epistola Laodicenis legatur. Archippus munere suo perfungatur.

1. DOmini, quod justum est, & æquum, servis præstate: scientes quod &
vos Dominum habetis in cœlo. 2 Orationi instate, vigilantes in ea in
gratiarum actione: 3 Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat no-
bis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vin-
ctus sum) 4 Ut manifestem illud ita ut oportet me loqui. 5 In sapientia am-
bulate ad eos, qui foris sunt, tempus redimentes. 6 Sermo vester semper in
gratia sale sit conditus, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere.
7 Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, &
fidelis minister, & conservus in Domino: 8 Quem misi ad vos ad hoc ipsum,
ut cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra, 9 Cum Onesimo
charissimo, & fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quæ hic aguntur, nota
facient vobis. 10 Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, & Marcus conso-
brinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite illum:
11 Et Jesus, qui dicitur justus: qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adjuto-
res mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. 12 Salutat vos Epaphras, qui
ex vobis est, servus Christi Jesu, semper solicitus pro vobis in orationibus, ut
stetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei. 13 Testimonium enim illi perhi-
beo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro iis, qui sunt Laodiciæ,
& qui Hierapoli. 14 Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas. 15
Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo ejus est,
Ecclesiam. 16 Et cum lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite, ut & in Lao-
dicensium Ecclesiam legatur: & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis. 17
Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud im-
pleas. 18 Salutatio, mea manu Pauli, Memores estote vinculorum meorum, Gra-
tia vobiscum. Amen.

℣. 1. DOMINI QUOD JUSTUM EST &c.] Hic versiculus capiti præcedenti subnectendus esset, continet enim ea, quæ ex natura sua cohærent cum novissimo precedentis capitis versiculo: *qui enim injuriam facit, recipiet id, quod inique gessit*. Ita Domini in Servos vestros æquiores vosmet præbete; namque in Cœlis habetis Dominum, qui vos judicabit, quemadmodum A vos alios judicaveritis. Non injuste quidem judicabit vos, licet vos injuste judicaveritis; sed omnem exuet clementiam erga vos, si vosmet inclementer in Servos vestros gesseritis. In mentem revoces oportet, dominos olim Servorum suorum judices fuisse, & illis per Leges licuisse, hos plectere, & quomodo vellent, suppliciis afficere, quin ulla Servis in Dominos [1] suos esset actio. Leges autem hæ magis moderatæ videban-

---

1 Seneca pater lib. 1. controvers. cap. 5. *In servum Domino nihil non licere*. Cajus L. 1. D. De his qui sui sunt juris: *Apud omnes peræque gentes animadvertere possumus, Dominis in servos vitæ, necisque potestatem fuisse*.

bantur [1], clementiam dumtaxat, & mansuetudinem erga illos commendabant, cumque illi morte cliens damnandi, aliquam juris formam servari jubebant: sed Dominus semper judex erat. Hic vero S. Paulus dominos admonet, si mortalium nemo rationem ex iis petierit eorum, quæ in servos suos ausi fuerint, in Cœlis tamen vindicem esse Deum. Confer *Job.* 31. ℣. 13. 14. *Si contempsi subire judicium cum servo meo, & ancilla mea, cum disceptarent adversum me: quid enim faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi?* Vide etiam *Ephes.* 6. 9.

℣. 2. ORATIONI INSTATE.] Græcæ voces [2] significant, & constantiam, & assiduitatem, & perseverantiam Orationis, atque vigilantiam, attentionem, fervorem, quæ eamdem concomitari debent; quæ omnia necessaria sunt, ut a Deo illa impetremus, quæ ab eodem expetimus. Addit etiam *gratiarum actionem*, inde enim preces nostras incboare debemus, *ut mereamur*, Deum persequi nos gratiis suis cumulando [3].

℣. 3. ORANTES SIMUL ET PRO NOBIS.] Admirare S. Pauli humilitatem, ejusque in propriis viribus diffidentiam. *Ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi*, ut res atque spiritus ita disponat, ut facile, & prospere Dei verbum audiatur? aperiat corda Populorum [4], Principum, atque Magistratuum ingenia leniat, ut mysteria regni Cœlestis sine ullo obice annuntiare possimus. Hoc in sensu 1. ad Corinthias 16. 9. ait, Deum sibi magnum ostium aperuisse, Evangelium in Asia annunciatum: & 2. Cor. 2. 12. se Troadem profectum, ingentem ibi Verbo Dei aditum reperisse; & in Actis 14. 26. S. Paulus, cum Antiochiam venisset, narrat, quomodo Gentilibus Evangelii aditum Dominus aperuisset.

Alii [5] per *ostium sermonis* intelligunt loquendi facilitatem, audaciam, libertatem. Deum orate, ut os mihi aperiat, & illud concedat eloquium, quo facile persuadere valeam. Deus Moysem mittens ad Pharaonem ait illi Exod. 4. 11. *Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem, & cæcum? nonne ego? perge igitur, & ego ero in ore tuo, docebo que te, quid loquaris.* Salvator ipse Apostolos suos mittens, se illis facundiam, atque sapientiam collaturum pollicetur Luc. 21. 15. cui inimici resistere, & reluctari non poterunt. Imperat Sapiens Eccli. 28. 28. ut oris ostio, vectis & sera apponatur, & Michæas 7. 5. jubet, te oris tui introitum custodire. S. Paulus ergo preces Colossensium expetit, ut sibi ostendat Deus, ℣. 4. quomodo salutis veritates annuntiandæ sint, ut eisdem, & benevolentiam, & reverentiam conciliet. Nonnulli ℣℣. 3. 4. ita conjungunt: *pro quo in vinculis sum*, ℣. 4. *ut prædicem Verbum Dei*. Divus Chrysostomus, & Theodoretus.

℣. 5. IN SAPIENTIA AMBULATE AD EOS, QUI FORIS SUNT,] erga Judæos & infideles. Hos ille vocat, *qui foris sunt* [6], eosdem fidelibus opponens, qui sunt *domestici fidei* [7]. Erga illos ita operamini, ut ædificentur, & ad Evangelii cognitionem perducantur. Caveate, ne eos irritetis, ne eorum animos avertatis, ne minimam illis scandali occasionem tribuatis.

REDIMENTES TEMPUS.] Hanc eamdem loquutionem sumus intuiti in Epistola ad Ephesios 5. 16. Tempus præsens nostrum non est [8], sed illius nobis usum reliquit Deus, ut in suam quidem gloriam, nostram vero salutem impenderemus. Nostrum est, tempus illud proprium efficere, illud bonis operibus proprie redimendo. Illius jacturam facimus, si illud perperam insumimus, & si eodem abutimur, districta ratio justitiæ Domini nobis erit reddenda. Ea circumstantia, in qua Apostolus isthic, & in Epistula ad Ephesios hac loquendi ratione utitur, mihi persuadet, illum innuere potissimum velle diligentiam cum summa prudentia conjunctam, qua fideles uti decet, ut ex calamitosissimis temporibus emergant, & persecutiones effugiant. Ne inconsulto irritetis Infideles, sapienter agite, *tempus redimite*, spatium temporis lucramini, pacem emite [9], in silentio permaneta, *tempora enim mala sunt*. Vivebant sub finem Imperii Neronis Principis eorum omnium, qui fuerunt, crudelissimi, atque infensissimi.

℣. 6. SERMO VESTER SEMPER IN GRATIA SALE SIT CONDITUS.] Sermonibus vestris omnes semper accedat suavitas, & verba vestra semper sapientiæ sale condiantur [10]: vel sermones vestri jucundo sale semper conditi sint. Præcipit in Evangelio discipulis suis Salvator [11], ut semper in se ipsis sal habeant, atque inter se pacem conservent. Sal sapientiam, atque prudentiam significat. Præceperat Dominus [12], ut sibi nullum sine sale sacrificium offerretur, & JESUS CHRISTUS Apostolis suis dixerat Matth. 5. 13. illos terræ sal esse futuros. Hæ omnes locutiones designant prudentiam, qua Prædicatores, immo etiam simplices Fideles de rebus ad Deum pertinentibus loqui debent. Sal bonum est, & sine illo epulæ ipsæ exquisitissimæ omnem saporem amittunt: sed si nimium, vel intempestive aspergitur, obsonia etiam magis delicata corrumpit. Ita Evangelii prædicatione nihil hominibus utilius potest accidere: attamen nisi sapienter prædicetur, quin sibi hominum amorem, & benevolentiam conciliet, eosdem irritabit potius, & gravissimas conflabit calamitates, cum iis, qui Evangelium annuntiant, tum iis, quibus annunciatur. Sale igitur prudentiæ utendum est, ut temet accomodes necessitati, atque ingenio eorum, ad quos loqueris: aliter enim cum Fidele; aliter cum infidele loquaris oportet: aliter cum imperfecto, & eo qui infirmus est; aliter cum eo, qui constans, & perfectus [13].

℣. 7. QUÆ CIRCA ME SUNT.] Vidimus jam, Tychicum [14] familiarem fuisse S. Pauli, qui ejus opera ad Epistulas deferendas utebatur. Vide, quæ de eodem dictum fuerit Ephes. 6. 21. & Act. 20. 4. Videtur autem Roma Ephesum recta venisse, atque inde Colossas in Phrygiam contendisse.

℣. 8. UT COGNOSCAT, QUÆ CIRCA ME SUNT.] Complures Græci MSS. legunt [15]: *ut cognoscatis, quid attinet ad me*. Sed fortasse librarii mendum hoc in locum non deest, quoniam id ipsum præcedenti versiculo dixit: *quæ circa me sunt, omnia nota vobis faciet Tychicus*.

℣. 9. CUM ONESIMO.] Onesimus Philemonis erat servus, qui cum S. Paulum in vinculis positum Romæ convenisset, sese convertit, & insignis factus est in Ecclesia. De hoc fusius erit sermo in Epistulam ad Philemonem. Cum Philemon ejus Dominus eumdem aliquanto, postquam reversus fuerat, iterum misisset ad S. Paulum, qui adhuc Romæ versabatur, hic Apostolus Tychico, & Onesimo hanc Epistolam tradidit, aliasque nonnullas, quas in Asiam scripsit. Munus, cui illum præficit Apostolus, satis ostendit, quanta esset S. Pauli in hoc homine confidentia. Onesimus Phryx erat, & fortasse Colossensis: *Qui ex vobis est*.

SALU-

1 Seneca lib. 1. de Clementia cap. 18. *Cum in servum omnia liceant, est aliquid quod in hominem licere commune jus animantium vetet.* Idem ibidem: *In mancipio cogitandum, non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat æqui, bonique natura.*

2 Τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖτε, γρηγοροῦντες ἐν αὐτῇ.

3 Theodoret.

4 Act. 16. 14. *Cujus Dominus aperuit cor.* Et 1. Reg. 10. 25.

5 Vat. Davenant. Vorst. Martianay a alii quid.

6 1. Cor. 5. 12.

7 Galat. 6. 10.

8 Theodoret.

9 Grot. Est. Davenant. Cleric. Hamm. Vide ad Ephes. 5. 16 Chrysostom. hic.

10 Ὁ λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι ἅλατι ἠρτυμένος.

11 Marc. 9. 49. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.*

12 Levit. 2. 13. *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies.*

13 Theodoret. hic.

14 Ephes. 6. 21

15 Græc. Ἵνα γνῶ τὰ περὶ ὑμῶν. Alii; Ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ὑμῶν. Steph. 16. Alex. Pet. 1. Roe. 2. Colb. 7. Cov. 4. Genev. Clarom. S. Germ. G. L. Borner. G. L. Acth. Aliquid simile videri potuit Ephes. 6. 22.

℣. 10. SALUTAT VOS ARISTARCHUS.] Aristar- A chus nativitate Judæus erat, oriundus ex Macedonia, a S. Paulo conversus, cum primum hic Thessalonicam venit [1]. Ille Apostolum Ephesum usque persequutus est, ubi pertractus fuit in Demetrii Aurificis seditionem. Eumdem in Judæam etiam sequutus est, & cum eodem Romam adductus, ubi adhuc in vinculis erat, dum Apostolus Epistolam hanc, & illam ad Philemonem conscriberet [2]. Videri possunt, quæ a nobis de eodem dicta fuerunt in Actis cap. 19. ℣. 29.

MARCUS CONSOBRINUS BARNABÆ.] Hic idem est Joannes-Marcus, de quo in Apostolorum Actis 15. 37. est sermo, propter quem S. Paulus a Barnaba recessit, & qui mox cum S. Paulo rediit in gratiam, eique in Apostolico ministerio utilissimus fuit. De hoc sermo est etiam in altera ad Timotheum Epistola, ubi hæc ait B c. 4. 2. *Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium.*

DE QUO ACCEPISTIS MANDATA.] Non sogis, quid pro Joanne-Marco scripsisset; hunc fortasse, vel ipse Apostolus, vel Epaphras in superiori aliqua Epistola illis commendaverat, vel fideles Romæ pro eodem aliquid litterarum dederant. Credunt nonnulli [3], hic agi de iis commendatitiis Epistolis, quas etiam credentiales dicunt; quas Ecclesiæ olim dabant iis, qui in alias civitates mittebantur: sed hæ litteræ ante Marci decessum missæ videntur; cum Epistolæ quas dicimus credentiales, vel communionis, vel commendatitias, illi deferendæ traderentur, in cujus gratiam erant conscriptæ.

℣. 11. ET JESUS, QUI DICITUR JUSTUS.] Jesus e- C rat Judæus, ut nonnisi ex hoc loco cognoscitur, ubi ab Apostolo commendatur: una cum eo in Evangelii prædicatione laborabat, eique solatium erat in vinculis.

℣. 12. EPAPHRAS, QUI EX VOBIS EST.] Hic erat Apostolus, & Episcopus Colossensium, quemadmodum supra c. 1. 7. dictum est. Illorum erat concivis, atque summo zelo sucrensus ob salutem eorum: immo auctor, & suasor fuerat, ut Apostolus hanc Epistolam daret: *Semper sollicitus pro vobis in Orationibus, ut stetis perfecti*. Hæc autem illius erat sollicitudo, ne Colossenses nova pseudo-Apostolorum doctrina circumferri se finerent, & ne retrocederent, postquam ab ipso Evangelium purissimum sine ulla Judaicæ superstitionis immixtione receperant; *ut stetis perfecti, & pleni in voluntate Dei* [4]. D

℣. 13. QUOD HABET MULTUM LABOREM PRO VOBIS.] Græcus typis editus legit [5]: *qui habet multum zelum pro vobis*. Sed plures MSS. legunt: *laborem*. Alii: qui flagrat desiderio videndi vos. Civitates Colossarum, Laodiceæ, & Hierapolis, de quibus hic verba fiunt, finitimæ erant, & omnes in Phrygia: neque abhorret a veri specie, quod Epaphras, qui Phryx erat, in universis his tribus Urbibus prædicaverit [6].

℣. 14. LUCAS MEDICUS.] Vulgo creditur hic esse S. Lucas Evangelista [7] itinerum S. Pauli socius. Hunc cum Dema conjungit, non in hac solum, verum etiam in Epistola ad Philemonem, & ad Timotheum. Scimus, S. Lucam cum Apostolo Romam fuisse profectum, cum hic primum illuc concessit, & liquet ab eodem itineris ejusdem historiam in Actis fuisse descriptam. Du- E bitarunt nonnulli, utrum S. Paulus de S. Luca Evangelista hic verba faciat, præsertim vero, quod eumdem tamquam Medicum designat, quem hanc artem fuisse professum non alibi narrat: verum hæc ratio nullius roboris est. Poterat S. Lucas Romæ exercere Medicinam, donec Apostolus in vinculis detineretur; & fortasse illum ex hac artis professione cognoverant Colossenses; & ideo eumdem nomine Lucæ Medici designat Apostolus.

Demas primum quidem ferventissimus fuit Apostoli discipulus, eique utiliter operam suam collocavit Romæ: sed post aliquot annos [8] ab eo recessit, ut sæculum sequeretur [9], Thessalonicam, cujus erat, reversus. Credunt quidam [10], Demam, cum primum a S. Paolo recessisset, quemadmodum hic in secunda ad Timotheum Epistola testatur, deinde rediisse ad eumdem, eique in vinculis posito operam suam præstitisse. Sed extra omnis dubitationis aleam positum est, alteram ad Timotheum Epistolam, ubi de illius apostasia sermo est, post hanc diu scriptam fuisse, ideoque systema hoc stare non potest.

℣. 15. ET NYMPHAM, ET QUÆ IN DOMO EJUS EST, ECCLESIAM.] Latini quidam [11] crediderunt, *Nympham* nomen esse mulieris; sed Græcus textus virum fuisse demonstrat [12]. Hic autem domum suam tradiderat, ut ibi fidelium cœtus haberentur, vel familiam suam ita instituerat, ut propter eam pietatem, quæ ibidem florebat [13], vera Ecclesia haberetur. Græci Sancti Nymphæ diem festum recolunt pridie Kalendas Martii, eumque Apostolum vocant, atque in pace diem suum obiisse testantur. Putat Grotius, S. Nympham in Agro permansisse; quod hic de domestica ejus Ecclesia verba fiunt: nam in Urbe Colossensi fidei consonum minime est, privatum civem Ecclesiam, vel cœtum seorsim in domo sua constituisse. Vide similem loquendi rationem *Rom.* 16. 5. & 1. *Cor.* 16. 19. Theophylactus vero credit, universam ejus familiam, quæ frequentissima erat, cum omnis Christiana esset, solam quodammodo Ecclesiam constituisse.

℣ 16. ET CUM LECTA FUERIT APUD VOS EPISTOLA HÆC, FACITE, UT ET IN LAODICENSIUM ECCLESIA LEGATUR.] Laodicea proxima erat Colossis, & non abhorret a fide, pseudo-Apostolos, qui Colossis prædicaverant, & qui novæ suæ doctrinæ fermentum ibi adspergere conati fuerant, Laodiceæ etiam prædicasse. Apostolus, ne citra necessitatem Epistolas multiplicet, præcipit, ut hæc ipsa Laodicenis etiam inserviat, qui in eisdem circumstantiis, eademque necessitate versabantur.

ET EAM, QUÆ LAODICENSIUM EST, VOS LEGATIS.] Vel cum Græco [14], & legatis eam, quæ Laodicea scripta est. Ea ratio, qua Vulgata expressa est, complurimis Scriptoribus fidem adstruit [15], S. Paulum alteram & Laodicenis scripsisse Epistolam. S. Epiphanius hæresi 42. ait, Marcionem aliam agnovisse S. Pauli Epistolam ad Laodicenses scriptam ab ea diversam, quæ est ad Ephesios. Attamen locus, quem tamquam ex Epistola ad Laodicenos profert, ex Marcionitarum sententia in Epistola ad Ephesios reperitur: & sane Marcion non distinguebat Epistolam ad Laodicenses ab ea, quæ est ad Ephesios, quemadmodum Tertullianus libro quinto contra Marcionem cap. 41. ostendit. *Quam nos ad Ephesios præscriptam habemus*,

1 Act. 19. 29. & 20. 4. 2 Philem. vers. 24.
3 Est. Menoch. Tirin. Grot. 4 Ἵνα στῆτε τέλειοι, καὶ πεπληρωμένοι ἐν παντὶ θελήματι τοῦ Θεοῦ. Alii: Τέλειοι καὶ πεπληροφορημένοι. Ita Steph. 10. Alex. Clarom. Barb. 1. Colb. 7. Borner. L. Pleni, πεπληροφορημένοι, significat proprie *perfecte instructos*, *penitus suasos*. 5 Græc. Ὅτι ἔχει ζῆλον πολὺν; alii, πόθον πολὺν; *ingens per desiderium*. Alii, ἀγῶνα πολὺν, *ingens calamitas*, alii, πόνον πολὺν, *ingens labor*. Alex. Copht. Alii, πολὺν κόπον. Clar. Germ. Born. G. L. Ambrosiast. Hieronymiast. Vulg. *Multum laborem*. 6 Estius hic.
7 Hieronym. de Scriptorib. Eccles. Paulin. Epigram. Theodoret. Ambros. alii passim. Grot. Est. Daven. Maldonat. Menoch. &c. 8 Hæc Epistola scripta fuit an. 61. vel 62. Epistola ad Timotheum, ubi S. Paulus de Demas apostasia loquitur, est an. 65. J. C. 9 2. Timoth. 4. 10.
10 Est. ex Baronio ad an. 59. 11 Ambrosiast. Anselm. Lyran. alii Latini passim.
12 Καὶ Νυμφᾶν, καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτοῦ Ἐκκλησίαν. Quidam MSS. veteres: Καὶ τὴν κατ' αὐτῶν Ἐκκλησίαν: *Ecclesia, quæ apud vos est*. Cod. Alex. Coph. Steph. 4. 8. Lin. Sin. 13 Theodoret. Zaach. Est. Grot.
14 Καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε. 15 Gregor. Magn. lib. 35. cap. 15. moral. in Job. Philastr. de hæres. cap. 80. Haimo. Hervæ. Sixt. Sen. lib. 2. Bibliot. Stapuleas. Staplet. Camer. Strunica, Pratorius, Maldonat. in not. MS. apud Cornel. a Lapide.

Hæretici vero ad Laodicenos. Et cap. 17. *Ecclesiæ quidem veritate Epistolam istam ad Ephesios habemus missam, non ad Laodicenos*.

Hunc etiam in eam conjecturam nos adducit, ut credamus, Marcionis ævo Epistolam, quæ deinde sub nomine Epistolæ ad Laodicenos scripta circumferebatur, nondum fuisse concinnatam. Theodoretus, & S. Hieronymus [1] animadverterunt, ævo suo non defuisse Epistolam sub hoc nomine, sed utrique eam supposititiam arbitrati sunt, & Patres [2] septimi Concilii confessi sunt, Veteribus cognitam quidem fuisse Epistolam ad Laodicenos, sed ab iisdem tamquam falsam objectam fuisse. Una hodie etiam in Veteribus quibusdam MSS. invenitur, eaque edita est in Commentariis in S. Paulum, qui S. Anselmi nomine circumferuntur, atque in Stapletone, Stapulensi, Sixto Senensi, Prætorio, Cornelio a Lapide &c. Extat etiam in Bibliis quibusdam in Germania cusis Augustæ Vindelicorum, Vormaciæ, Amstelodami. S. Gregorius Magnus, atque Philastrius ex veteribus, & recentiores complures crediderunt, S. Paulum ad Laodicenses Epistolam vere scripsisse.

Ut autem nihil omittamus, quod curiosi desiderent, latinum ejusdem textum huc afferemus, licet nobis jam persuasum sit de hujus Epistolæ falsitate.

Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per JESUM CHRISTUM, fratribus, qui sunt [3] *Laodiceæ, gratia vobis, & pax a Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo. Gratias ago Christo per omnem orationem meam, quod permanentes estis, & perseverantes in operibus bonis promissionem expectantes in die Judicii. Neque disturbent* [4] *vos quorumdam vaniloquia, insinuantium veritatem* [5], *ut vos avertant a veritate Evangelii, quod a me prædicatur. Et nunc faciet Deus, ut qui sunt ex me ad perfectionem veritatis Evangelii sint deservientes, & benignitatem operum facientes, quæ sunt salutis vitæ æternæ. Et nunc palam sunt vincula mea, quæ patior in Christo, in quibus lætor, & gaudeo. Et hoc mihi est ad salutem perpetuam, quod factum est in orationibus vestris* [6], *& administrante Spiritu Sancto, sive per vitam, sive per mortem. Est enim mihi vivere vita in Christo, & mori gaudium* [7]; *& ipse in vobis faciet misericordiam suam, ut eamdem dilectionem habeatis, & sitis unanimes.*

Ergo, dilectissimi, ut audistis præsentiam Domini, ita sentite [8], *& facite in timore* [9], *& erit vobis vita in æternum; est enim Deus, qui operatur in vobis; & facite sine peccato, quæcumque facitis* [10], *& quod est optimum. Dilectissimi, gaudete in Domino JESU CHRISTO, & cavete omnes sordes* [11] *in omni lucro. Omnes petitiones vestræ sint palam apud Deum. Estote firmi in sensu Christi, & quæ integra, vera, & pudica, & casta, & justa, & amabilia sunt, facite: & quæ audistis, & accepistis, in corde retinete, & erit vobis pax. Salutant vos omnes Sancti* [12]. *Gratia Domini nostri JESU CHRISTI cum Spiritu vestro. Amen* [13]. *Et hanc facite legi Colossensibus, & eam, quæ est Colossensium, vobis.*

Variantes lectiones, quas in extrema pagina adnotavimus, depromptæ sunt ex vetustissimo S. Albini Andegavensis manuscripto. Epistola, quæ e Prætorio affertur, ab hac differt.

Verum ex sola styli varietate, & ex sterilitate, quæ ibi deprehenditur, & incomposito ordine, qui ibidem A videtur, satis innotescit, Apostolum Epistolæ hujus Auctorem non fuisse. Non ibi illius vividum ingenium, non sublimitas, non vis eluceт. Non deest etiam ambigendi ratio, utrum hæc ille fuerit, quam Veteres cognovere, cui aliquid ab Hæreticis additum fuisse S. Philastrius testatur; hic vero nihil sane est, quod hæresim oleat. Immo neque Græce umquam scripta fuisse videtur; Græci tamen apocrypham ad Laodicenos Epistolam cognoscunt, & Timotheus Constantinopolitanus Sacerdos ait [14], illam a Manichæis fuisse elaboratam, sed in hac nullum Manichæorum erroris vestigium deprehendimus. Hutterus hanc nobis Græco idiomate descriptam tradidit cum nonnullis in vernaculam linguam versionibus, sed Græca verba ex illius Minerva profecta sunt, & ex Latino textu, qui vulgo circumfertur, ipse Græcam fecit Epistolam.

B At quænam est hæc Epistola, quam Colossensibus legi vult S. Paulus? Marcion [15] putabat, eam esse Epistolam ad Ephesios, neque aliter sentit Grotius, qui putat S. Paulum duas ad Ephesios, & Laodicenses tenoris ejusdem Epistolas dedisse, & optasse, ut hæ Epistolæ in orbem quodammodo circumferrentur, & ab Ephesiis, atque Laodicenis in alias Asiæ Provinciæ Ecclesias effunderentur. Quemadmodum vero Colossarum civitas Laodiceæ propior erat, quam Epheso, maluit Apostolus, ut Colossenses ex Laodicenis, quam ex Ephesiis mutuarentur exemplar, licet reipsa una, & eadem esset Epistola.

A Grotii sententia Hammondius, & Clericus [16] non dissentiunt, qui Græcum textum ita vertunt: *curate, ut vobis legatur Epistola, quæ ad vos Laodicea* C *afferetur*. Vel, *Epistola Laodicæa*, hoc est, quam ad Laodicenos scripsi. Idem etiam Hammondius credit non sine verosimilitudine plerasque Epistolas ab Apostolo ad magnas Ecclesias, & Urbes Provinciarum capite mistas, ab eodem scriptas fuisse, ut in Orbem per universam Provinciam circumferrentur; ita quæ ad Corinthios scripta fuit, erat pro Achaja universa, quæ ad Thessalonicenses pro universa Macedonia; quæ vero ad Ephesios, pro tota Asia minori.

Credidit Theophylactus, hanc fuisse primam S. Pauli ad Timotheum Epistolam; cujus sententiæ illud argumentum est, quod in exemplaribus Græcis Epistolæ primæ ad Timotheum ad calcem legitur subscriptio quædam, quæ illam Laodiceæ scriptam fuisse testatur. Verum generatim liquet, hujusmodi subscriptiones nullam D mereri fidem, peculiariter vero in prima ad Timotheum videbimus, antiqua Græca exemplaria hac in re sibi non constare, atque jure æstimari non posse, Apostolum, qui fortasse numquam Laodiceam venit, inde ad discipulum suum Epistolam eamdem misisse.

Complures, cum Veteres, tum recentiores [17] tenent, hanc esse Epistolam a Laodicenis ad S. Paulum scriptam, quam Colossensibus recitari cupiebat Apostolus; fortasse quod ibi aliquid erat, quod ad Colossenses pertineret, & quod eisdem utile esse posset, vel simpliciter, quod Laodiceni ibi summa cum fide, & charitate loquebantur, ita ut hæc Epistola Colossenses posset ædificare.

E Tenent alii [18], S. Paulum ad Laodicenos Epistolam scripsisse eodem tempore, quo hanc dedit ad Colossenses; sed illam intercidisse. Si hoc factum ex antiquitate probari posset, proponi quidem posset tamquam inter ceteras magis probabilis hæc sententia, quoniam alie-

1 Hieronym. in Catalog. Legunt quidam, & ad Laodicenses Epistolam, sed ab omnibus exploditur.
2 Septima Synod. Oecumen. ano. 787. seu Nycen. 2. Act. 6. &c.
3 Ms. Sancti Albini Andegav. *Qui sunt*. Ita Prætorius. 4 Ms. *Neque destituant vos*.
5 Ms. *Insanientium*. 6 Ms. *Quod ipsum factum est orationibus vestris*.
7 Ms. *Gaudium, & lucrum*. 8 Ms. *Ita retinete*.
9 Ms. *In timore Domini*. 10 Ms. *Sine reatu*. 11 Ms. *Sordidos*.
12 Ms. addit: *Salutate omnes fratres in osculo sancto*. 13 Ms. omittit: *Amen*.
14 Timoth. Presbyt. Cpolit. libel. de his qui ad Eccles. accedunt. apud Meurs. var. Divin. p. 117.
15 Tertull. lib. 5. cap. 11 *Prætereo hic, & de alia Epistola, quam nos ad Ephesios præscriptam habemus, hæretici vero ad Laodicenos*. Et ibid. cap. 17. *Ecclesiæ quidem veritate Epistolam istam ad Ephesios habemus emissam, non ad Laodicenos. Sed Marcion aliquando ei titulum interpolare gestiit*. 16 Vide pariter Ussérium in an. 64. & Dissertationem editam post obitum ad calcem ejus Hist. dogm. *de Scripturis, & sacris vernaculis*.
17 Ita Chrysostom. Theodoret. Phot. Oecumen. Est. Menoch. Tillemon. Baron. Cornel. Bez. Deven. Vorst. Ligfelii. 18 S. Anselm. seu alius D. Thom. Cajet. Bellarm. lib. 4. cap. 4. de verbo Dei.

aliarum difficultates conciliaret. Sed cum Veterum nulli commentariam hanc ad Laodicenos Epistolam cognoverint, eamque intercidisse probari non possit; hoc praesertim supposito, quod communis quodammodo, & Laodicenis, & Colossensibus fuerit, quemadmodum & Epistola ad Colossenses, ad Laodicenos etiam spectabat; fatendum est, nihil in hac re satis certum existimari posse. Verum illud certissimum est argumentum, S. Paulum ad Laodicenos tunc non scripsisse, quod in hac eadem Epistola ad Colossenses hos rogat, ut verbis suis Laodicenis fratribus salutem dicant. Nobis vero asserere praestat, Apostolum hic verba facere de Epistola sibi e Laodicenis data, quam Colossensibus tamquam exemplar eorum aedificationi utilissimum proponit. Sententia hec una omnium Veteribus, & Recentioribus est probatissima, & Graeco textui maxime conformis. Haec autem Laodicensium ad S. Paulum conscripta Epistola intercidit, quod non adeo mirum est, ac esset, si fideles Christianae Ecclesiae interire passi fuissent, Epistolam ad se ab Apostolo S. Paulo datam.

℣. 17. DICITE ARCHIPPO.] Putant nonnulli [1], Archippum fuisse Colossensium Episcopum, quam dignitatem alii [2] deferunt Epaphrae, de quo supra sermo fuit, & qui tunc Romae cum S. Paulo in vinculis erat; rati, Archippum ibi Sacerdotis, vel Diaconi etiam munus exercuisse. Auctor Apostolicarum constitutionum [3] censet, Archippum Episcopum fuisse Laodiciae in Phrygia. Ea verba, quibus hoc in loco S. Paulus utitur, ostendunt, Archippum non satis sedulum fuisse Evangelii Ministrum. Graeci festum illius diem celebrant decimo Kalendas Decembris [4], eumque martyrio coronatum fuisse dicunt Colossis sub Nerone: Latini vero illius festivitatem recolunt decimo tertio Kalendas Aprilis [5].

℣. 18. SALUTATIO MEA MANU.] Reliqua Epistola scripta fuerat manu discipuli alicujus, qui S. Paulo aderat a secretis. Apostolus vero novissimum hunc manu propria adjecit versiculum, ne Colossenses arbitrarentur, sibi praeter mentem haec verba appingi; & ne de sensuum suorum veritate dubitarent. Vide 1. *Cor.* 16. 21. & 2. *Thessalon.* 3. 17.

GRATIA VOBISCUM AMEN.] Manuscripti quidam, & nonnulli etiam typis editi Latini legunt [6]; *gratia Domini Nostri JESU CHRISTI vobiscum, Amen.*

Graeca exemplaria ad Epistolae hujus calcem [7] legunt, hanc Epistolam Romae scriptam fuisse, & per Tychicum, atque Onesimum missam. Coptica versio ait, Athenis scriptam fuisse, & latam a Tychico, Achaico, Onesimo, & Marco. Manuscriptus Alexandrinus, illam Romae tantum scriptam fuisse dicit; Syrus de Onesimo verba non facit. In Manuscriptis Graeco-Latinis, Claromontii, & S. Germani Pratensis haec Epistola illi, quae est ad Philippenses, praeponitur; & Millius ex libro quinto cap. 20. Tertulliani contra Marcionem infert, Marcionem quoque in exemplaribus suis ordinem eumdem secutum fuisse.

1 S. Hieronym. in Epist. ad Philemon. Ambrosiast. in Coloss. p. 510. d. 2 Usuard. Adon. 19. Jul. Vide Coloss. c. 7. 4. 12. Philem. 23. Vide Primas. Est. 3 Constitut. Apost. l. 7. c. 46. 4 Menaea p. 355. 5 Bolland. 20. Mart. 6 Codd. aliqui, teste Brug. Hieronymiast. Edit. Sixti V. 7 Πρὸς Κολασσαεῖς ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης διὰ Τυχικοῦ, καὶ Ὀνησίμου.

Finis Commentarii in Epistolam ad Colossenses.

P R Æ F A T I O

IN PRIMAM EPISTOLAM S. PAULI AD THESSALONICENSES.

EPistolam, quam examinandam assumimus, omnium S. Pauli ad Ecclesias primo scriptam scimus [1]. Anno 52. seu 53. datam vulgo conveniunt; de loco, a quo missa sit, dissentiunt. In veteribus Exemplaribus Graecis, Latinis, Syriacis, Arabicis, Cophticis, & apud Theodoretum, & Synopsis sub Athanasii nomine Auctorem, & in Latinis Inscriptionibus hujus Epistolae initio appositis, Athenis exaratam legimus. Ea forte S. Pauli verba [2]: *Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis* huic opinioni aditum recluserunt.

Doctiores tamen Critici [3] & Actorum series, & denique ejusdem Epistolae Textus, nonnisi Corintho missam demonstrant. Postquam Paulus aliquandiu, non sine Fidei progressu, Evangelium Thessalonicae annunciaverat [4], Judaeis insimulantibus, quod rebellis in Caesarem alterum Regem Jesum inveheret, illinc abire coactus, assumpto sibi comite Sila Beroeam iter instituit; quo cum pervenisset, & plurimos Fidei mysteriis initiasset, Judaei Thessalonicae re cognita, Beroeam venere, ut eadem adversus Paulum dictitantes, ab ea etiam Urbe expellerent: quare ad mare Fratribus comitantibus, Sila sibi, & Timotheo ad Ecclesiam recens erectam confirmandam relictis, navigavit Athenas.

Quo ubi pervenit, Silam, & Timotheum statim per literas accivit; & Athenis egressus, eorum adventum opperitus est Corinthi. Interea de Fidelibus recens in Macedonia baptismo initiatis, sed temporis inopia non satis confirmatis sollicitus, plurimis praeterea Corinthi calamitatibus obrutus, quem maxime angebatur [5]. Silae tandem, & Timothei adventu gavisus [6], maxima animi voluptate ab eisdem accepit rea Ecclesiae Thessalonicensis se optime habere, & Macedoniae Fideles Fidei, & Charitatis praeceptis adeo inhaesisse, ut iisdem, quibus Judaeae Fideles a Judaeis, a suis civibus vexationibus affecti nihil dimoverentur [7].

Accepit praeterea, ex Fidelibus illis nonnullos domesticorum morte nimio dolore confici, nec satis instructos esse de iis, quae ad Domini Adventum, & supremum Judicium pertinerent [9]; nonnullos pariter otio & curiositati [10] vacare, & ingenio esse instabili. Illos itaque Epistola hac sua Paulus suaviter increpat, objurgationibus laudes interserens: ut maxime castitatem faciant, & ab omni omnino turpitudine abstineant, hortatur; supremum Judicium, & lugendi in domesticorum funeribus modum docet; singularem denique amorem, & charitatem, studiumque eos adeundi summum praefert.

Marcionitae, Epiphanio teste haeres. 42. utramque ad Thessalonicenses Epistolam vitiaverant, quem tamen locum corruperint, Epiphanius non designet. Primam ad Thessalonicenses falso primam nuncupatam, & vere primam secundo, secundam vero primo exaratam Grotius Prolog. in 1. Thessal. contendit; cujus argumenta initio secundae ad Thessalonicenses & perpendemus, & refutabimus.

1 Chrysost. Theodoret. alii. 2 1. Thess. 3. 1. 3 Oecumen. Est. Baron. Tillemont, alii plures. 4 Act. 17. 1. &c. 5 1. Thess. 3. 7. & 1. Cor. 2. 6 Act. 18. 5. 7 1. Thessal. c. 6. & 2. 14. 8 1. Thess. 4. 14. 9 1. Thess. 4. 12. &c. & 5. 1. 10 2. Thessal. 4. 11.

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN PRIMAM
S. PAULI APOSTOLI
AD THESSALONICENSES
EPISTOLAM.

CAPUT PRIMUM.

Elogium Thessalonicensium, qui patientia Dominum, & Apostolum suum imitati sunt. Eorum exemplum plurimis populis profuit. Illi satis ostendunt uberrimum fructum prædicationum S. Pauli.

1. PAolus, & Silvanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Pa-
tre, & Domino Jesu Christo. 2 Gratia vobis, & pax. Gratias agimus
Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus
nostris sine intermissione. 3 Memores operis fidei vestræ, & laboris, & charita-
tis, & sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi, ante Deum, & Patrem no-
strum: 4 Scientes, fratres dilecti a Deo, electionem vestram: 5 Quia Evange-
lium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & in Spi-
ritu sancto, & in plenitudine multa, sicut scitis, quales fuerimus in vobis pro-
pter vos. 6 Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini, excipientes verbum
in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti: 7 Ita ut facti sitis forma om-
nibus credentibus in Macedonia, & in Achaja. 8 A vobis enim diffamatus est
sermo Domini, non solum in Macedonia, & in Achaja, sed & in omni loco fi-
des vestra, quæ est ad Deum, profecta est, ita ut non sit nobis necesse quidquam
loqui. 9 Ipsi enim de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos:
& quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo, & vero. 10
Et expectare Filium ejus de cœlis (quem suscitavit ex mortuis) Jesum, qui eri-
puit nos ab ira ventura.

℣. 1. PAULUS, ET SILVANUS, ET TIMOTHEUS.] Silvanus idem est, ac *Silas*, de quo alibi jam, nec semel, verba fecimus; hic una cum Timotheo erat Corinthi, cum hæc Epistola scriberetur. Apostolus eorum nomina addidit in capite Epistolæ, quoniam Thessalonicæ [1] celebres ferebantur [2], & quod ibidem secum fuerant, cum ipse ibi primum anno superiori prædicaverat. Paulus Silam, atque Timotheum in Macedonia reliquit, cum inde pedem efferre debuit propter Judæorum persecutiones [3]. Itaque duo Sancti illi viri erant veluti secundi ejus regionis Apostoli. Credunt nonnulli, S. Pauli Ama-

1 Sanctus Hieronymus Epist. 144. putat, Sylvanum mendum esse, & legendum *silas*. At hoc postremum nomen in nullo MS. legitur. 2 Act. 17. 4. 3 Act. 17. 14.
4 Zanchius hic.

Amanuensem fuisse ad Epistolam hanc conscribendam.

ECCLESIÆ THESSALONICENSIUM.] Quæ a Jesu Christo per gratiam Dei Patris illius instituta fuit. Vel, quæ constituta est in fide in Deum Patrem, & Jesum Christum.

GRATIA VOBIS, ET PAX.] Græcus addit [1]: a Deo Patre nostro, & Domino nostro Jesu Christo. Sed neque Syrus, neque Æthiops, neque alii plures hoc additamentum legerunt.

℣. 3. MEMORES OPERIS VESTRI.] Constantiæ vestræ in periculis, & in persecutionibus [2], quæ, ubi urgent, illius vis maxime elucet, ejus utilitas magis intelligitur, & usus præsertim requiritur. Addit: *laboris, & charitatis*; vel cum Græco [3]: *& laborum vestræ charitatis*. Charitas enim non solum versatur in proximi dilectione, & auxilio: verum etiam illius infirmitates ferre debet, parcere defectibus, & misereri, sicubi per ambitionem, aut invidiam, aut ingratitudinem, aut violentiam nobis injurius fuerit. Hi proprie sunt labores charitatis, quæ [4] ex Apostolo, *omnia suffert*. Quidam huc applicant de laboribus, & persecutionibus, quas Thessalonicenses pro S. Pauli amore pertulerant, ut fidem servarent, atque Apostolum ex eo periculo eruerent, quod in ipsorum Civitate subierat, Act. 17. 5.

ET SUSTINENTIÆ SPEI DOMINI NOSTRI.] Vel firmæ spei, quam in Domino nostro habuistis; vel constantiæ, qua omnia pro JESU CHRISTO [5] pertulistis propter ea bona, quæ vobis in altera vita pollicetur: hæc enim fidelium spem fovent, atque inter vitæ hujus mala eorum virtutem excitant, eisque solatium afferunt.

ANTE DEUM, ET PATREM NOSTRUM.] Hæc verba connecti possunt, vel iis *exhibentes nos coram Deo*, vel iis, quæ immediate præcedunt, *sustinentia spei Domini, quam habetis in Jesum Christum coram Deo*. Hæ reales sunt virtutes, & sine fuco, quarum Deus ipse testis est. In charitate, & patientia vestra nulla est hypocrisis, nulla simulatio.

℣. 4. SCIENTES ELECTIONEM VESTRAM.] Perennes Deo gratias agimus, quod vos de tot populorum turba elegerit, ut ad fidem, & nominis sui cognitionem vocaret.

℣. 5. NON IN SERMONE TANTUM, SED IN VIRTUTE.] Miraculorum, & maxima donorum Spiritus Sancti affluentia, *in Spiritu Sancto, & in plenitudine multa*. Vel cum Græco textu [6]: Prædicatio nostra conjuncta fuit cum Spiritus Sancti virtute, & cum iis omnibus, quæ ejusdem fidem vobis poterant adstruere. In prædicatione mea nihil defuit eorum, quæ de illius veritate, atque certitudine vobis poterant persuadere. Actorum historia nihil peculiariter addit de his omnibus, licet meminerit conversionis Thessalonicensium a S. Pauli opera ad fidem evocatorum. Verum cum miracula, & Spiritus Sancti dona primis illis temporibus essent communia, passim Sacri Historici eorumdem meminerunt, immo neque S. Paulus hoc in loco meminisset, nisi factum ex aliaquapiam circumstantia non vulgari, & ad fidem fovendam, & charitatem Thessalonicensium excitandam idonea, insigne fuisset.

QUALES FUERIMUS IN VOBIS PROPTER VOS.] Vos ipsi testes estis zeli mei, curæ, laboris, integritatis, & quomodo manuum mearum labore apud vos victum mihi comparaverim, ne alicui gravis essem, & ut ostenderem, a me unice salutem vestram perquiri [7]. Aliter: nostis, qua vi, confidentia, zelo, fervore, apud vos prædicaverim, & quot Dei prodigia prædicationem meam subsecuta fuerint. Vel: nostis, quanta Evangelium annunciantes vobis pertulimus [8]: cui novissimæ explicationi sequens ℣. favet.

℣. 6. ET VOS IMITATORES NOSTRI FACTI ESTIS.] Illud nos lætitia affecit, quod labores, atque sollicitudinem nostram nequaquam in irritum cessisse conspeximus. Consilium iniistis imitandi mei, vel potius imitandi Dominum JESUM CHRISTUM, *excipientes Verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti*. Ita JESUS CHRISTUS pro vobis passus est, ita pro illo, & vobis patimur; cum gaudio, constantia, & perseverantia. Per Crucem in gloriam suam ingressus est JESUS CHRISTUS: per labores, ærumnasque Apostoli Evangelium prædicatur: per tribulationes CHRISTI fideles perficiuntur, & ad beatitudinem sibi præparatam perveniunt. Apostolus infra cap. 2. ℣. 14. de iisdem hæc ait: *Vos imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa in CHRISTO JESU: quia eadem passi estis, & vos a contribulibus vestris, sicut & ipsi a Judæis.*

℣. 7. ITA UT FACTI SITIS FORMA,] Et exemplar iis omnibus, qui fidem amplexi sunt, *non in Macedonia solum*, cujus caput erat Thessalonica, *verum etiam in Achaja*, ubi S. Paulus erat prædicans Corinthi, quæ illius Provinciæ erat Metropolis, atque inde in proximas Civitates identidem concedens.

℣. 8. A VOBIS ENIM DIFFAMATUS EST [9] SERMO DOMINI.] Virtutis vestræ fulgor, atque felicis conversionis vestræ fama, non solum in Macedoniam, verum etiam in Achajam late se effundens percrebuit; ubicumque de Ecclesia Thessalonicensi verba fiunt, & omnes mortales intelligere cupiunt, quodnam sit Evangelium illud, quod in vobis egregios adeo virtutis fructus produxit. Primis illis temporibus, nihil magis profuit, ut Evangelium progrederetur, quam bona, & frugi primorum fidelium ratio vivendi.

℣. 9. IPSI ENIM DE NOBIS ANNUNTIANT.] Vestræ conversionis fama nobis in universa hac regione nominis celebritatem comparavit. De nobis dicunt: hi sunt illi Evangelii præcones, qui tot miracula Thessalonicæ operati sunt, & qui ibi Ecclesiam adeo Sanctam, atque perfectam instituerunt.

℣. 10. ET EXPECTARE FILIUM EJUS DE COELIS.] Quærunt edoceri de fide vestra, atque ultro, citroque ferunt, vos Idola reliquisse, quibus nec vita est, neque res, ut serviretis *Deo vivo, & vero*, & viveretis in spe vitæ immortalis, atque gloriosæ resurrectionis, quam in insigni adventu suo collaturus est vobis JESUS CHRISTUS, *qui resurrexit ex mortuis, & qui eripuit nos ab ira ventura*. Per mortem suam ab æterna morte nos liberavit, & ab ea damnatione, quæ impios manet, atque infideles. Hæc ea sunt, quæ ubique per occasionem vestræ ad fidem Christianam conversionis feruntur. Hi sunt felices fidei vestræ in JESUM CHRISTUM fructus.

---

1 Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.
2 Theodoret. 3 Καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης. Velez. Τοῦ κόπου, καὶ τῆς ἀγάπης. Ita Vulgat. & Hieronymiast. 4 Theodoret. Zanch. Est. 5 Καὶ τῆς ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος τοῦ Κυρίου, &c.
6 Ἐν Πνεύματι ἁγίῳ, καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ. 7 Est. Zanch. alii.
8 Chrysostom. Theodoret. Vatabl. &c. 9 Ἀφ' ὑμῶν γὰρ ἐξήχηται ὁ λόγος τοῦ Κυρίου. *Insonuit, personuit, divulgatus est.*

CAPUT II.

Ratio, qua Sanctus Paulus illis Evangelium annunciavit: & cura, qua hoc illi servarunt: Persecutiones, quas pertulerunt. Sancti Pauli erga Thessalonicenses benevolentia.

1. NAm ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit:
2 Sed ante passi, & contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis: fiduciam
habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitu-
dine. 3 Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in
dolo, 4 Sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium: ita
loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.
5 Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in oc-
casione avaritiæ: Deus testis est: 6 Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque
a vobis, neque ab aliis. 7 Cum possemus vobis oneri esse, ut Christi Aposto-
li: sed facti sumus parvuli in medio vestri, tamquam si nutrix foveat filios suos.
8 Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium
Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. 9 Memores
enim estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis: nocte, ac die operantes, ne
quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei. 10 Vos te-
stes estis, & Deus, quam sancte, & juste, & sine querela vobis, qui credidistis,
fuimus: 11 Sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum (sicut pater filios suos)
12 Deprecantes vos, & consolantes, testificati sumus, ut ambularetis digne Deo,
qui vocavit vos suum regnum, & gloriam. 13 Ideo & nos gratias agimus Deo
sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepi-
stis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui ope-
ratur in vobis, qui credidistis: 14 Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ec-
clesiarum Dei, quæ sunt in Judæa in Christo Jesu: quia eadem passi estis, & vos
a contribulibus vestris, sicut, & ipsi a Judæis: 15 Qui & Dominum occiderunt
Jesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt: & Deo non placent, & omnibus ho-
minibus adversantur; 16 Prohibentes nos Gentibus loqui, ut salvæ fiant, ut im-
pleant peccata sua semper: pervenit enim ira Dei super illos usque in finem. 17
Nos autem, fratres, desolati a vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde, abun-
dantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio. 18 Quoniam vo-
luimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & semel, & iterum, sed impedivit nos
sathanas. 19 Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne
vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus? 20 Vos enim
estis gloria nostra, & gaudium.

℣. 1. SCITIS INTROITUM NOSTRUM AD VOS.] Postquam præclarum perhibuit testimonium fidei, atque virtuti Thessalonicensium, tenetur etiam verba facere de ea ratione, qua ipse cum illis egit; ut deinde sibi viam aperiat ad ea monita, quæ deinceps iisdem est præbiturus. Adventus meus Thessalonicam inutilis non fuit: Deo gratias ago propter fidem vestram, atque in persecutionibus constantiam: verum scitis, quanta nos ipsi pertulimus; & ℣. 2. *Ante passi, & contumeliis affecti in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium*; rati, non defuturas nobis in hac etiam Civitate, non secus ac in altera illa persecutiones. Quid autem in utraque S. Paulus pertulerit, peti potest ex Actis 16. & 17. Persecutiones, & passiones A non semper certi sunt veritatis characteres; verum est tamen, JESU CHRISTI Apostolum non posse melius prædicationis suæ veritatem probare, quam iis malis, quibus ad eamdem tuendam se se objicit [1]. Seductor non eo usque procedit, ut ad mendacium protegendum gravissima quælibet, atque extrema supplicia sustineat. Ubi periculum imminet, illi statim excidit persona.

℣. 3. EXHORTATIO.] Prædicatio nostra non est doctrina, qualia Poetarum, atque Gentilitatis Theologorum, qui vivendi licentiam, omniumque flagitiorum libidinem inspirant [2]. Non est erroris documentum, quale Judaizantium Doctorum, qui Judaicam Religionem, atque Philosophiam cum CHRISTI fide connectere studebant, fœdissimam superstitionum, errorum,

1 Theodoret. 2 Vide Theodoret. hic.

rorum, confusionum commistionem componentes. *Neque in dolo*, neque animus nobis fuit vos fallendi vana hypocrisi, atque oris habitu ad errorem composito; sed semper progressum, atque felicitatem vestram quæsivimus, non commoda nostra, nec privatam nostram utilitatem.

℣. 4. Sed sicut probati sumus a Deo.] Vel sicut nos alegit, & dignos effecit, ut Evangelium suum annuntiaremus, adoitimur bonitati, & consiliis ejus respondere, illud summa cum integritate prædicantes, & hominibus placere minime quærentes: *Non quasi hominibus placentes, sed Deo*. Cum a Deo tantum electi fuerimus, Deo uni rationem reddere debemus, & illi uni placere desideramus.

℣. 5. Neque in sermone adulationis, neque in occasione avaritiæ.] Numquid Evangelicam veritatem fuco oblinivimus, et ejusdem austeritatem vobis absconderemus? numquid assentatiunculis, blandisque verbis vobis verba dare conati sumus? vos ipsi nostis, vos nobis testimonium perhibere potestis. Numquid avaritiam nostram colore aliquo imbuere, atque sub pietatis specie abscondere quæsivimus? Deus penitiores cordis nostri latebras scrutatur: ille sensuum nostrorum testis est. Indirecte pseudo-Apostolos perstringit, quorum character omnino alius erat. Græcus verti potest [1]: *Ullam de nobis umquam oborta suspicio est, quod assentaremur; umquam ne avaritiæ nomine accusati fuimus* [2]. Hæc optima est explicatio.

Cum possemus vobis oneri esse, ut Apostoli Christi.] Cumque a vobis exigere possemus ea, quæ nobis ad victum sunt necessaria: quandoquidem nos ad prædicandum mittens, Dominus hanc facultatem permisit, dicens Luc. 10. 7. *Dignus est operarius mercede sua*, jure nostro uti minime voluimus, & multo minus abuti, ministerium nostrum in avaritiæ negotiationem immutantes; quod ad ea ℣. 5. verba alludit: *neque in occasione avaritiæ*.

Sunt [3], qui Græcum textum ita vertunt [4]; quamquam apud vos auctoritatis speciem induere possimus, vobisque imperare tamquam Præceptores vestri, atque Apostoli; attamen puerilem quodammodo suavitatem apud vos pro nobis tulimus. Hæc explicatio cum præcedentibus, æque ac sequentibus belle cohæret; sed hujus loci comparatio cum aliis, ubi de re eadem sermo est [5], & ubi S. Paulus iis vocibus utitur, quæ ab his absimiles non sunt, mihi persuadet, ipsum innuere, se Thessalonicensibus gravem esse noluisse, ea, quæ ad victum sibi necessaria essent, requirendo.

Facti sumus parvuli [6].] Græcus typis editus, & MSS. complures [7]: *Mites fuimus*, benigni, *tamquam nutrix, alumnorum suorum curam gerens*. Non parvulis, sed Nutrici se comparat Apostolus, & hac in similitudine Thessalonicenses habentur tamquam parvuli, quos summa charitate, & benevolentia pia Nutrix complectitur. Hæc igitur lectio aptior videtur, sed ea, quam Vulgata præsefert, plurimorum insignium MSS. auctoritate probatur.

℣. 8. Ita desiderantes vos.] Prosequimur, qua vos prosequimur benevolentia non Evangelium solum vobis tradere, verum etiam pro vobis vitam ipsam impendere optassemus. Adeo aberat, ut vobis graves esse vellemus, atque vobis incommodos, victum nostrum ex vobis petentes, ut in votis etiam nobis fuisset, vitam hanc pro vobis effundere. Similitudo Nutricis Alumno suo lac præbentis hoc in loco elegans est, atque apposita.

℣. 9. Nocte, et die operantes, ne quem vestrum gravaremus.] S. Paulus hoc non ait, ut exprobret Thessalonicenses, sed ut illis ostendat discrimen, quod inter ipsum, & pseudo-Apostolos interest, qui privata dumtaxat utilitate ducti prædicabant, & qui superbissimam dominationem exercebant in eos, quibus Evangelium annuntiabant.

℣. 10. Quam sancte, et juste, et sine querela.] Oportet, pseudo-Apostolos conatos fuisse, non solum doctrinam, verum etiam vivendi rationem S. Pauli verbis detetere, ut isthic de se loqui cogeretur: & sane vita ejus integerrima, & ab omni labe vacua fuisse, dicenda est, quoniam veritatis eorum, quæ ait, Thessalonicenses, & Deum ipsum testes vocat.

℣. 11. Sicut Pater filios .... ℣. 12. Deprecantes .... ut ambularetis digne Deo.] Ad hoc ipsum Colossenses etiam adhortatus est cap. 1. 10. *Ambulare digne Deo*, vel digne vocatione Dei, omnia Christianæ Religionis officia, omnia, quæ Deo, quæ proximo, quæ nobismet ipsis debemus, complectitur.

℣. 13. Non ut verbum hominum, sed sicut est verbum Dei.] Dei Verbum, & Deus ipse verbo suo [8] in anima fidelium operatur per lumen, & gratiam Spiritus Sancti, illos illuminantem, foventem, atque ad veritatis amorem, & virtutis exercitationem eos impellentem. Putat Theodoretus, operationem hanc in iis miraculis esse positam, quæ primi fideles operabantur, & in spiritualibus donis, quæ illi recipiebant. Sanctus Chrysostomus, atque Theophylactus hoc intelligunt de passionibus, & persecutionibus, quas illi tanta constantia ferebant; cui explicationi, quæ sequuntur, maxime favent.

℣. 14. Imitatores facti estis Ecclesiarum, quæ sunt in Judæa.] Ecclesiæ illæ multa a Judæis incredulis fuerant perpessæ. Statim post Pentecostem, ex quo Apostoli prodire, & prædicare inceperunt, in carcerem conjecti sunt [9]; & in illos persecutio desævit. Sanhedrin illos supremo supplicio afficiendos esse decreverat; eosque affecisset, nisi Gamaliel fuisset adversatus [10]. S. Stephanus prima fuit victima, qua eorum crudelitati litatum est [11], quo mortuo gravissima in Jerosolymitanam Ecclesiam persecutio detonuit [12]; ita ut fideles recedere coacti fuerint, atque variis in locis in Samaria, Damasci, in Phœnicia, Syria, & Cypro delitescere. Judæi eorum bona, qui aufugerant, diripuerunt [13]; quod effecit, ut Apostoli in Jerosolymitano Concilio congregati S. Paulo Provinciam demandarint, aliquot eleemosynas pro pauperibus Jerosolymæ Christianis colligendi [14]. Thessalonicenses fideles hæc ipsa propemodum a Civibus Thessalonicæ perpessi sunt, quæ Judææ Christiani ab aliis Judæis pertulerunt.

℣. 15. Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur.] Judæos Deus simul & homines oderunt: Deus quidem propter eorum pertinaciam, infidelitatem, atque internacinum in Christianos odium; homines vero propter eorum perfidiam, animum societatis osorem, juges defectiones, superbiam, qua mortales cæteros aspernabantur, & odium quo reliquas gentes persequebantur: *adversus omnes alios hostile odium* [15]. Ex Josephi historia liquet, quomodo commune omnium populorum odium in omnibus Terrarum plagis in Judæos exarsit, paulo ante bellum Romanorum, quod extremum illis attulit excidium.

℣. 16. Prohibentes nos.] Judæi in omnem Terrarum

1 Οὔτε γάρ ποτε ἐν λόγῳ κολακείας ἐγενήθημεν. 2 Heins. Hamm. 3 Græc. Hamm. Erasm. Zanch. Pisc. 4 Δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι. Gildas: *In honore*. Ita Rom. Edit. Ambros. & MS. apud Beng. var. Edit. *Honori esse*. Hebræos כבד *gloriosus*, *honorabilis*, vertitur etiam, *gravis*, *onerosus*. 5 2. Timoth. 5. 16. 2. Corinth. 11. 9. 6 Ἐγενήθημεν ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν. 7 Ἐγενήθημεν νήπιοι. Ita Steph. 2. 3. Clarom. S. German. Bornec. G. L. Æth. Theodoret. Oecumen. Ambros. Augustin. Gildas, alii plures. 8 Ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν. Relativum ὃς referri potest ad λόγον, *verbum*, vel ad Θεός. Ἐνεργεῖται innuit vim, & efficaciam hujus actionis Dei in nos, in nobis, & cum nobis per charitatem, quæ animat nostram fidem. Galat. 5. 6. 9 Act. 5. 17. 10 Act. 5. 33. 11 Act. 7. 12 Act. 8. 1. 13 Hebr. 10. 34. 14 Act. 15. Galat. 2. 10. 15 Tacit. histor. l. 5. Vide Joseph. lib. 2. contra Appion.

ratam Orbem suæ Gentis viros miserant, qui JESUM CHRISTUM, & Sectatores ejus iniquissimis calumniis adspergerent [1]. Dicebant illi ubique Gentium, Christianos atheismum invehere, & omnes leges evertere; ea, quæ de JESU CHRISTO asserebant, fictitia esse, eorumque doctrinam impiam esse, abominabilem, sacrilegam. Ex his Judæorum emissariis emanabant calumniæ, quæ primis illis Ecclesiæ sæculis cuncta Christianos, eorumque cœtus ferebantur; quas improbissimas calumnias ævo suo nondum obsolevisse testatur Origenes. Tertullianus etiam [2] Judæis accepta refert ea mendacia, quæ contra primorum fidelium fidem, atque Sanctitatem percreboerant, eosque vocat primos auctores sequioris existimationis, quam de religione nostra Ethnici imbuerunt [3]. Ita non satis erat illis contra Evangelii doctrinam blasphemias evomere, eamque pertinacissime refellere; verum etiam oberant, ne Gentiles eamdem reciperent, quemadmodum hoc in loco S. Paulus testatur.

Ita paulatim implebant peccata sua, atque prope erat, ut ira Dei in illos detonaret, ad finem usque in eosdem sævitura [4]: *Pervenit enim ira Dei super illos usque in finem*. Quamprimum Dominus in furore suo illos erat visitaturus, eos in omnes Nationes dissipaturos, maximam eorum partem deleturus, & effecturus, ut calamitosi hujus populi reliquiæ extremæ indignationis suæ apertissimas notas deferrent. Hoc autem accidit post septemdecim annos, ex quo S. Paulus hoc literarum dedit, anno videlicet Jesu Christi 70.

Pro *pervenit ira Dei*, Græcus [5] petit, ut vertatur: *prævenit ira Dei*: ita Dei prævertit contra illos tempus, quo se se erat manifestatura. Eorum crimina Deum coegerunt, ut tempus adventus sui acceleraret, quo de iisdem insignes pœnas deposceret. Profecto Jerosolymitanum excidium gravissimus est iræ Divinæ effectus, & apertissima extremi Judicii imago. Ita in Scripturis passim [6], factum illud tamquam dies Domini, extremæ ultionis ejus dies, exhibetur. Addit A Apostolus iram super illos *usque in finem* permansuram [7]. Hoc non erit, ut olim, fluxum, atque perfunctorium supplicium, ad certum tempus duraturum, sed cum Mundi ipsius ætate vigebit: tunc enim sub sæculorum finem Deus illis aperiet oculos [8], lugebunt, atque plorabunt illum videntes, quem transfixerunt. Zachar. 12. 10.

℣. 17. NOS AUTEM DESOLATI A VOBIS.] Cum paulisper a vobis corpore quidem non corde recesserimus, minime obliti sumus vestri; sed vehementissime iterum videre vos concupivimus. Nihil addi potest iis benevolentiæ signis, quæ S. Paulus Thessalonicensibus tribuit. Supra se Nutrici, & Patri [9] comparavit; hic vero ait, se procul ab eorum aspectu eadem sollicitudine teneri, & eodem illorum iterum videndorum B desiderio flagrare, quo Pater Filios suos rursus videre concupiscit [10]; sicubi illos laboribus & inimicorum nequitiæ & odio obnoxios reliquerit; talis enim erat Thessalonicensium conditio, qui inter Judæos, atque Gentiles concives suos versabantur.

℣. 18. VOLUIMUS VENIRE AD VOS, SED IMPEDIVIT NOS SATHANAS.] Quænam sunt hæc Sathanæ impedimenta, S. Chrysostomus inquit, nisi quædam periculosæ, violentæ, atque inexploratæ tentationes. Vel, Dæmon ita Gentiles, & Judæos Thessalonicæ in Paulum accenderat, ut ejus amici eidem permittere nosi non fuerint, ut illuc reverteretur.

℣. 19. QUÆ EST ENIM NOSTRA SPES AUT GAUDIUM .... NONNE VOS ANTE DOMINUM?] Cum ante JESUM CHRISTUM extremo judicii, atque gloriosi C adventus ipsius die apparebo, quodnam erit gaudium meum, quæ confidentia, & spes consequendæ beatæ Æternitatis; nisi quod vos JESU CHRISTO pepererim, vobisque Evangelium ejus annuntiaverim? audacter coram Deo prodibo, eique dicam: Ecce me, ecce filios meos, ecce laborum meorum fructus, fidelitatis, atque officiorum meorum præclara monumenta.

1 Justin. Dialog. p. 135. & seqq. Origen. l. 6. contra Celsum, Tertull.
2 Tertull. ad nationes, l. 1. c. 14. 3 Idem l. 3. contra Marcion. c. 23.
4 Est. Men. Tir. 5 Ἔφθασε γὰρ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος. Plura vetera Exemplaria Latina Vulgatæ, Ambrosiaster, S. Anselmus, Haymo, Estius, & plures alii legunt, *prævenit*, pro *pervenit*.
6 Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. &c. 7 Theodoret. 8 Rom. 11, 26.
9 Vers. 7. & 11. 10 Ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν πρὸς καιρὸν ὥρας.

CAPUT III.

Timotheus ad Thessalonicenses a S. Paulo missus ad eumdem Fidei, & Charitatis eorum felicissimum nuncium refert. S. Paulus eos videndi summa flagrat cupiditate, & cupit in singulos dies, ut magis magisque in virtute confirmentur.

1. PRopter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis, 2 Et misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra:
3 Ut nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus. 4 Nam & cum apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos
tribulationes, sicut & factum est, & scitis. 5 Propterea & ego amplius non
sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne forte tentaverit vos is, qui
tentat, & inanis fiat labor noster. 6 Nunc autem veniente Timotheo ad nos a
vobis, & annuntiante nobis fidem, & charitatem vestram, & quia memoriam
nostri habetis bonam semper desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos:
7 Ideo consolati sumus, fratres, in vobis, in omni necessitate, & tribulatione
nostra, per fidem vestram. 8 Quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino,

no. 9 Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, 10 Nocte, ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, & compleamus ea, quæ desunt fidei vestræ? 11 Ipse autem Deus, & Pater noster, & Dominus noster Jesus Christus, dirigat viam nostram ad vos, 12 Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in invicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis: 13 Ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate, ante Deum, & Patrem nostrum, in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus Sanctis ejus, Amen.

℣. 1. NON SUSTINENTES AMPLIUS PLACUIT NOBIS REMANERE ATHENIS, SOLIS.] S. Paulus Thessalonicensibus narrat, quid propter amorem ipsorum, atque sollicitudinem eorumdem salutis fecerit. Cum Thessalonicæ prædicasset, inde celerem fugam arripere debuit propter seditionem, quam increduli Judæi ibi excitarunt [1]. Inde vero cum Beroeam venisset [2], hanc quoque Urbem quamprimum relinquere debuit, ne se Athenas reciperet. Aliquanto post Timotheus, quem cum Sila Beroeæ reliquerat, illum convenit, eique fusius narravit persecutiones, quas qui Thessalonicæ, & Beroeæ ad JESU CHRISTI fidem traducti fuerant, patiebantur. Hoc ingentibus iis curis affecit S. Paulum, quas superiori capite descripsit. Cum autem non posset ipse in Macedoniam venire, statim illuc misit Timotheum, quemadmodum hoc in loco legimus; cupiens potius ea ope carere, quam ex hoc viro præstolabatur, quam pati, ut diutius Ecclesiæ illæ solatio destituerentur. Interim solus ipse Athenis permansit, expectans, quid novis hisce discipulis accideret. Athenis etiam discessit, & Corinthum venit, quo aliquanto post illum Timotheus etiam & Silas profecti sunt. Vide ℣. 6. Propterea igitur, quæ ab illis audiit, hanc ad Thessalonicenses scripsit Epistolam, ubi Silæ, atque Timothei nomina una cum nomine S. Pauli in fronte leguntur.

MISIMUS TIMOTHEUM . . . . MINISTRUM DEI IN EVANGELIO CHRISTI.] Timothei meritum extollit, ut major fiat ponderis accessio prædicationi ejus, & præceptis, quæ ille Thessalonicensibus, aliisque Macedoniæ Ecclesiis tradiderat, quorum alter quodammodo erat Apostolus post S. Paulum. Iisdem ferme laudibus illum exornat in Epistola ad Romanos 16. 21. & in prima ad Corinthios 4. 17. Græcus hujus loci legit [3]: *Timotheus frater noster, & Minister Dei, & noster Coadjutor in JESU CHRISTI Evangelio*. Alii legunt [4]. Frater noster, & Cooperator Dei in Evangelio JESU CHRISTI: Alii vero [5] Vulgatæ omnino similes sunt.

NEMO MOVEATUR IN TRIBULATIONIBUS ISTIS.] Græca vox [6] proprie significat motum, velut canis Domino blandientis. Nemo agitetur, turbetur, commoveatur propter ea mala, quæ nobis ingruunt. Syrus, *nemo animus despondeat*: nam *scitis, nos ad hæc destinatos esse*. JESUS CHRISTUS mala tantum, persecutiones, ærumnas, nobis portendit: *Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis &c*. Luc. 6. 22. Fideli non alia patet in Cœlum via, quam tribulationum, ajebat S. Paulus ad eos, qui recens in JESU CHRISTI sacra transierant [7], & in 2. ad Timotheum 3. 12. loquens: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*.

℣. 4. PRÆDICEBAMUS VOBIS PASSUROS NOS TRIBULATIONES.] Numquam oblitus est S. Paulus eorum, quæ sibi dicta fuerunt eo die, quo divinitus conversus fuit [8]. *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & Filiis Israel. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat, eum pro nomine meo pati*. Hac ille cogitatione occupatus nihil timebat, atque in terris non aliam majorem arbitrabatur inveniri posse felicitatem, quam pro JESU CHRISTO aliquid pati. Thessalonicensibus vero isthic in memoriam revocat, quid Thessalonicæ, & Beroeæ ipse pertulerit. Vide *Act.* 17.

℣. 5. EGO AMPLIUS NON SUSTINENS.] Summo desiderio flagrans de vobis aliquid audiendi, & veritus, ne persecutiones fidem vestram concuterent, *& ne forte tentaverit vos is, qui tentat, & inanis fiat labor noster*, magna sollicitudine distrahebar. Non ambigebat ille, utrum ii tentarentur: at verebatur, ne vincerentur [9], quod iis verbis significat; *ne forte tentaverit vos is, qui tentat*.

℣. 6. VENIENTE TIMOTHEO AD NOS A VOBIS.] Timotheus non invenit amplius S. Paulum Athenis, & ad eumdem profectus Corinthum retulit, quomodo se haberent Macedonum Ecclesiæ, præsertim vero Thessalonicensis. Tria ille in Thessalonicensibus commendat; inconcussam eorum fidem, perfectam charitatem, & amantissimam Apostoli sui recordationem.

℣. 7. CONSOLATI SUMUS IN VOBIS.] Inter Apostolatus labores, & ærumnas, quæ nos undique circumsepiunt, non mediocri voluptate, & solatio afficimur, ubi audimus, vos in ea fide, quam a nobis recepistis, constanter hærere. Hoc omnes labores nostros lenire potest; ℣. 8. *Nunc vivimus, si vos statis in Domino*. Hæc mea vita est, meum gaudium, felicitas mea. Hujusmodi nuntium me quodammodo resuscitaret etiam, si in mortis umbra squalerem. Hebræi non secus, ac Græci, & Romani *vivendi* verbo utuntur, ut magnam felicitatem, insperatam lætitiam, felicissimum nuntium significent.

℣. 9. QUAM ENIM GRATIARUM ACTIONEM.] Summa est S. Pauli lætitia, verum intra gratiarum actiones Deo referendas continetur, neque aliud objectum habet, quam Domini gloriam, & Discipulorum suorum sanctificationem.

℣. 10. UT COMPLEAMUS EA, QUÆ DESUNT FIDEI VESTRÆ [10].] Hominis non est, alterius fidem perficere, vel aliquid illi addere, sed hoc uni Deo reservatum est; Spiritus Sanctus nostræ fidei Auctor est, eamque inserit in cordibus nostris. Hoc unum innuit S. Paulus, sibi in optatis esse, futurum ut liceat sibi Thessalonicam venire, ut perfectius, & solidius de iis, quæ credenda sunt, ipsos erudiat. Exiguum illud temporis intervallum, quo apud ipsos versatus fuerat, minime satis fuit, ut quemadmodum voluisset, eos edoceret; & fortasse etiam nondum capere potuissent, si quid sublimius sibi dictum fuisset. Audierat, quasdam inter illos obortas esse de mortuorum resurrectione difficultates: ideoque cupiebat eorum fidei aliquid addere [11], vel quo ad objectum ejus, illis aperiens, quod nondum noverant; vel quo ad formam, & qualitatem, illos adhortationibus, & consolationibus in fide confirmans [12].

Dra-

1 Act. 17. 9. 10. 2 Act. 17. 13. 14. 15.
3 Τιμόθεον τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν, καὶ διάκονον τοῦ Θεοῦ, καὶ συνεργὸν ἡμῶν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ.
4 Καὶ συνεργὸν τοῦ Θεοῦ ἐν εὐαγγελίῳ. Ita Clarom. Et S. Germ. G. L. Ambrosiast. Colb. 6. alii: Διάκονον, καὶ συνεργὸν τοῦ Θεοῦ. Bornet. Gr. L. alii omittunt: Διάκονον τοῦ Θεοῦ. 5 Alex. Val. Copht. Æthiop.
6 Τῷ μηδένα σαίνεσθαι. 7 Act. 14. 21. 8 Act. 9. 9 Theodoret.
10 Καταρτίσαι τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν. 11 Vide Theophyl. 12 Est. Zanth.

℣. 11. DIRIGAT VIAM NOSTRAM AD VOS ;] omnes auferat obices, quibus prohibemur, ne redeamus ad vos; Dæmonem coerceat, difficultates ingerentem, ne ea, quæ docui, compleantur [1] ; Macedonum corda convertat, eorumque animos ad nos excipiendos disponat.

℣. 12. VOS MULTIPLICET.] Augeat numerum vestrum frequenti infidelium conversione [2] ; *& abundare faciat charitatem vestram in invicem, & in omnes*, etiam in alienos, & eos, qui vos persequuntur : in hoc enim plenitudo Legis consistit. *Plenitudo Legis dilectio* [3].

℣. 13. AD CONFIRMANDA CORDA VESTRA,] in fide, & charitate, *sine querela in Sanctitate*, & corporis, atque animi integritate, ut videamini sine macula *ante Deum, & Patrem nostrum in adventu Domini nostri* A *Jesu Christi cum omnibus Sanctis ejus*; novissimi judicii die, quo veniet ille in gloria, & majestate sua, Sanctorum omnium, atque Angelorum caterva stipatus. Sancti, qui in illum crediderint, & juxta illius præcepta, & consilia vitam traduxerint, cum eo sedebunt viventes, & mortuos judicaturi ; Angeli vero judicia ejus exequentur, atque amplissimum illis honoris ergo comitatum præbebunt. Moyses in Deuteronomio Deum nobis exhibet Legem suam rogantem, Angelorum myriade circumseptum [4], *& cum eo Sanctorum millia* : similiter etiam secundum JESU CHRISTI adventum nobis describunt Evangelistæ [5] ; *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis*, vel cum S. Marco 8. 38. *Cum Angelis Sanctis*. Græcus typis editus hoc in loco non legit *Amen*, quæ tamen vox in egregiis Manuscriptis invenitur [6].

---

1 Sup. 11. 18. Hieronym. hic. Zanch. Est.
2 Theodoret.
3 Rom. 13. 10.
4 Deut. 33. 2.
5 Matth. 16. 27. Vide quoque Matth. 25. 31.
6 Cod. Alex. Clarom. Germ. G. L. Coph. Arab. Æth. alii.

CAPUT IV.

Morum præcepta. Fugienda fornicatio. Conjugalis castitas servanda ; Invicem diligendum ; manibus suis laborandum ; ob propinquorum mortem immodice non dolendum. Ordo, quo resurrectio est peragenda.

1. DE cætero ergo, fratres, rogamus vos, & obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, ut abundetis magis. 2 Scitis enim, quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum. 3 Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos a fornicatione ; 4 Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore ; 5 Non in passione desiderii, sicut & Gentes, quæ ignorant Deum : 6 Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum : quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus. 7 Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. 8 Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum : qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis. 9 De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis. Ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem. 10 Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia. Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis. 11 Et operam detis, ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis : & ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt : & nullius aliquid desideretis. 12 Nolumus autem vos ignorare fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. 13 Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, & resurrexit : ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. 14 Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. 15 Quoniam ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo : & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. 16 Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus. 17 Itaque consolamini invicem in verbis istis.

℣. 1. ROGAMUS VOS . . . . UT QUEMADMODUM ACCEPISTIS A NOBIS.] Pergit S. Paulus Thessalonicensibus morum præcepta tra- A dere, eosque hortari, ut pie vivant, neque ab instituta vitæ ratione deflectant. Græcus non legit ea verba : *Sic & ambuletis*. Veteres complures Manu-

Manuscripti legunt [1], *Sicut & ambulatis*: sed Græcus in editis simpliciter habet [2]: *rogamus vos per Jesum Dominum nostrum, ut quemadmodum didicistis a nobis, quomodo oporteat ambulare, & placere Deo, sic in dies magis progrediamini*.

℣. 2. QUÆ PRÆCEPTA DEDERIM [3] VOBIS PER DOMINUM JESUM,] vel nomine Domini Jesu; vel in Domino Jesu, juxta illius mentem, & imperium, & in nomine illius. Jam meministis, neque ea me iterare necesse est.

℣. 3. HÆC EST ENIM VOLUNTAS DEI.] Ita ille precipit, vos ad sanctitatem vocat; hæc illius mens fuit, vos ad ministerium suum evocantis. Hinc passim discipulos hortatur, ut vitam ducant dignam Deo, dignam vocatione sua, in sanctitate, & puritate cordis & corporis. Jubet, illos abstinere a *fornicatione* [4], vel cum pluribus Græcis exemplaribus [5] *ab omni genere fornicationis*, quoniam sub hoc nomine plurima flagitia continebantur, quæ Græci non satis perhorrescebant [6].

℣. 4. UT SCIAT UNUSQUISQUE VAS SUUM POSSIDERE.] Fidelis quadam observantia, atque reverentia corpus suum colere debet, quod est JESU CHRISTI membrum, quod est, vel esse debet Templum Dei [7], habitaculum Spiritus Sancti, & quod destinatum est, ut aliquando post resurrectionem cœlesti gloria perfruatur. Corpora nostra non amplius sunt nostra, & ex quo JESUM CHRISTUM induimus, membra sunt JESU CHRISTI [8]: ideoque gravissimis suppliciis puniendus est, qui per libidinem illa turpissime fœdat. Græcus simpliciter legit [9]: *Sciat unusquisque possidere Corpus suum in sanctitate & honore*. Pro hoc vase, *Uxorem* nonnulli [10] intellexerunt. Conjuges sancte, atque honeste conjugio utantur. Jubet S. Petrus [11], Viros quasi infirmiori vasculo *Mulierbri honorem* impertiri; sed plerique de humano corpore intelligunt, vel de iis partibus, quorum nomina pudor proferri vetat. Servate Corpus hoc integerrime, atque castissime, neque iis membris utamini, nisi quemadmodum decet eam religionem, quam estis professi. S. Paulus Rom. 1. 24. ait: Eos, qui meretricantur, Corpus suum injuria afficere, peccare in corpus suum [12], illud contumeliis coinquinare, ejusque sanctitatem polluere. Vide S. Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum, atque Interpretes in hunc locum.

℣. 5. NON IN PASSIONE DESIDERII, SICUT ET GENTES.] Quæ affectibus tantum ducuntur, quæ nullo in discrimine habent gravissima quælibet flagitia, quemadmodum in priori capite Epistolæ ad Romanos S. Paulus ostendit. Fortasse hoc in loco perstringit solum incomposita desideria, interiores sensus, ardentis amoris libidinem, quam Ethnicorum plerique religionis sibi minime vertebant [13], non secus ac Judæi complures, nisi extrinsecus emanasset, atque opere fuisset completa. Apostolus fornicationem jam damnavit, & quidquid ad eam refertur supra vers. 3. Putant alii [14], hoc in loco fœda, & contra naturam facta redargui.

℣. 6. NE QUIS SUPERGREDIATUR, NEQUE CIRCUMVENIAT IN NEGOTIO FRATREM SUUM.] Servate invicem justitiam, æquitatem, bonam fidem, quam Jesus

A Christus vobis commendavit. Nulla sit fraus, nullæ insidiæ, non dolus, non calumniæ, non astus in promissionibus, verbis, contractibus, negotiatione vestra. Ita plerique Latinorum intelligunt [15]; sed Græci Patres [16], S. Hieronymus [17], & Latini quidam hoc explicant, tamquam sequeretur Apostolus perstringere impudicitiam, & invehi in ea peccata, quæ ad eamdem referuntur. Nemo contumeliosus sit proximo suo, uxorem ejus sollicitando, ut conjugalem fidem abrumpat; neve fratris sui honorem ex ea parte, qua maxime viget, lacessat, uxori illius stuprum inferre contendens. Non semel jam vidimus, S. Paulum *avaritiæ nomine* impudicitiam, & criminosas voluptates appellare [18].

℣. 8. QUI HÆC SPERNIT NON HOMINEM SPERNIT.] Non nos ipsos, sed Deum, qui misit nos, &
B qui in labiis nostris veritates has collocavit. Jesus Christus similiter Apostolis suis dicebat Luc. 10. 16. *Qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me*. Qui rejiciunt, & persequuntur Prophetas, atque Apostolos, ei inferunt contumeliam, a quo missi sunt. Qui in impudicitiam, atque adulterium decidunt, aliquid adhuc magis criminosum operantur, quoniam corpori suo inferunt injuriam, extinguunt Spiritum Dei, qui erat in ipsis, & Dominum irritant, quippe ejus dona contemnunt. *Qui dedit Spiritum Sanctum suum in nobis*, referri potest vel ad Apostolum, qui hoc in loco nonnisi per Spiritus Sancti inspirationem verba facit [19], vel ad fideles, qui Spiritum Sanctum receperunt, eumque sceleribus suis mœrore afficiunt. Postremum hunc sensum Græci
C complures sequuntur, qui legunt: *Qui posuit in vobis Spiritum Sanctum suum* [20].

℣. 9. DE CHARITATE FRATERNITATIS.] Inutile est me vobis irrogare præcepta ad fraternam charitatem spectantia, quandoquidem Deus ipse [21] per Spiritum Sanctum in cordibus vestris inhabitantem, atque interiori lumine, quo vos illustrat, edocuit, non solum fratres vestros amandos tamquam vos ipsos, quod alterum est Legis præceptum [22]; verum etiam quomodo amandi sint, qua in circumstantia, quo usque charitas vestra progredi debeat, & quænam sunt officia, quæ ex vobis hæc expetit virtus. Vosmet ipsos audiatis, satis est, & interiorem Spiritus Sancti vocem in vobis loquentis auscultetis. Animadvertit Theodoretus, Apostolum mutuam hanc charitatem in eo præ-
D sertim collocare, ut divites pauperibus opem ferant; atque fideles, ubi indiguerint, mutuis foveantur auxiliis: ea quæ sequuntur, nos in hunc sensum impellunt.

℣. 11. OPERAM DETIS, UT QUIETI SITIS.] Ut cum omnibus pacem servetis, nemini molesti, nemini gravesfitis, neque vosmet iis rebus commisceatis, quæ ad vos non pertinent, *& ut vestrum negotium agatis*. Istheic duo vitia condemnat, quorum alterum sine altero esse non solet: curiositatem videlicet, atque otium. Vide infra 2. Thessal. 3. 11. *Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes*.

ET OPEREMINI MANIBUS.] Ne sub speciem vacan-
E di orationibus, atque studio inertes sitis, inutiles fratribus vestris, & Reipublicæ graves. Laborate manibus

1 Καθὼς καὶ περιπατεῖτε. Ita Steph. 9. Alex. Claromont. & S. German. G. L. Borner. G. L. Enthal. Ambrosiast. Hieronym. Copht. Æthiop. alii. 2 Παρακαλοῦμεν ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ, καθὼς παρελάβετε παρ' ἡμῶν, τὸ πῶς δεῖ ὑμᾶς περιπατεῖν καὶ ἀρέσκειν Θεῷ, ἵνα περισσεύητε μᾶλλον.
3 Τίνας παραγγελίας ἐδώκαμεν ὑμῖν: *Dederimus vobis*. Alii: Ἔδωκα μὲν ὑμῖν. *Dedi quidem vobis*.
4 Græc. impress. Ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας. 5 Ἀπὸ πάσης πορνείας. Ita Syr. Chrysostom. Theodoret. Theophylact. 6 Vide Est. Grot. & dicta ad Act. 15. 20.
7 1. Cor. 3. 16. 17. 6. 19. 8 1. Cor. 6. 15. 19.
9 Τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ. 10 August. lib. 1. de nupt. & concup. cap. 8. & l. contra Julian. cap. 10. D. Thom. hic. Quidd. apud Oecumen. & Theodoret. Zeger. Est.
11 1. Petri 3. 7. 12 1. Cor. 6. 18 12. 23. 13 Vide Ephes. 2. 19.
14 Hammond. hic. Vide & Estium. 15 Ita Latini plerique, Grot. Zanch. Vorst. Bez. Pisc.
16 Chrysostom. Theodoret. 17 Hieronym. in Ephes. 4. Erasm. hic. Cajet. Est. Varab. Menoch. Lodov. de Dieu, Zeger. 18 Ephes. 4. 19 5. 3. Coloss. 3. 5.
19 Est. Menoch. Zanch. 20 Græc. impress. Τὸν καὶ δόντα τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον εἰς ἡμᾶς. Alii: Εἰς ὑμᾶς. Ita Steph. omnes Clarom. S. Germ. Borner. G. L. Ald. Froben. Syr. Arab. Ambr. MSS. plures in Mill. Ita Chrysost. Theophylact. 21 Αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε. 22 Matth. 22. 39.

nibus vestris, quemadmodum vobis ipse præcepi, com essem apud vos, & quomodo exemplum vobis tradidi. Primi Christifideles plerique erant pauperes, & opifices, & ex secunda ad Thessalonicenses Epistola videbimus, multa hæc illis fuisse necessaria; atque satis multam inertiæ, & curiositatis apud illos fuisse.

℣. 12. UT HONESTE AMBULETIS AD EOS, QUI FORIS SUNT.] Ad Infideles; ne illi scandali occasionem arripiant; vel ne illi, & vos, & Ecclesiam contemnant. Turpe est ad id redigi, ut necessariis rebus destituamur, easque ex aliis petere cogamur, ubi in eum statum per culpam, ignaviamque cecidimus. Publica honestas petit, ut quilibet arti suæ vacet, & nulli onerosus sit [1]. Jesus Christus laudat solum paupertatem [2] voluntariam cordis, aut electivam; inertiam vero, atque ignaviam damnat.

ET NULLIUS ALIQUID DESIDERETIS.] Involuntaria paupertas saluti periculosissima tentatio est. Hæc nos turpe quodlibet, & facere suadet & pati, atque in fraudem, furtum, mendacium, impudentiam, pertinaciam, Dei oblivionem inducit. Beati pauperes spiritu, sed qui præter voluntatem pauperes sunt, hi quidem sunt calamitosi, non solum propter suæ conditionis tristitiam, humilitatem, egestatem, incommoda; sed præsertim propter ea pericula, quæ illis circumstant, quo ad æternam ipsorum salutem, atque morum, & disciplinæ non satis æquam rationem. Domine *mendicitatem, & divitias ne dederis mihi*, ajebat Sapiens Prov. 30. 8. *tribue tantum victui meo necessaria; ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei.*

℣. 13. NOLUMUS [3] VOS IGNORARE DE DORMIENTIBUS [4].] Vel de mortuis; Hebræi enim sæpe morti nomen somni attribuunt, seu ad evitandam funesti vocabuli, mortis videlicet, pronunciationem, seu ad innuendum, mortem non aliud esse, quam somni speciem, quem resurrectio est consequutura. Hujusmodi autem loquutiones longe magis familiares factæ sunt, ubi Christiana cœpit Religio, ita ut *Cemeterii*, vel dormitionis locum illum vocaverint, ubi Fidelium corpora quiescunt. Non vult ergo Apostolus, Thessalonicenses dolore confici, tamquam Ethnicos, ubi consanguinei ipsorum in JESU CHRISTO dormierint justorum morte, atque in spe resurrectionis; non ideo tamen omnino dolorem, mœroremque interdicit [5], sed prohibet, ne Gentilium more læsus fieri; illi quippe nullam vitæ melioris spem post hanc præsentem habuere [6]. Arduum esset, & nonnumquam fieri minime posset, ut nullo dolore afficeremur, ob consanguineorum, amicorumque nostrorum interitum; sed dolorem hunc frænet, opus est, certissima spes eosdem nobis non interiisse, illos vitam meliorem nactos esse, nos aliquando rursus iisdem perfruituros, quin ultra ab illis divellamur, atque simul omnes die Domini resuscitandos, ne amplius moriamur.

Judæi etiam, uti nos, resurrectionem sperabant; saltem hæc erat communis Pharisæorum, & Volgi sententia; nihilo secius tamen ubi cognatorum aliquis ultima pateretur, dolori se se mancipabant, atque in immodicos questus erumpebant. Saducæi apud illos neque animæ immortalitatem, neque resurrectionem credebant [7], quæ tamen secta ab aliis Judæis tolerabatur, eratque cum illis communione conjuncta. Inter Ethnicos nemo resurrectionem credebat, licet plurimi animæ immortalitatem, aliamque vitam crederent. At quot hac in re apud Philosophos difficultates, quæ incertitudo? Epicuræi animam æque, ac corpus mortalem arbitrabantur: Platoni de animæ immortalitate, alteraque vita [8] non satis umquam persuasum fuit; & eamdem nonnisi hæsitanter Seneca Ep. 64. Cicero Tuscul. 1. aliique crediderunt: eaque potius præclara, & magnifica erat sententia, quam firma fides [9].

℣. 14. SI ENIM CREDIMUS, QUOD JESUS MORTUUS EST, ET RESURREXIT.] Nobis credendum quoque est, & nos esse resuscitandos. Salvatoris resurrectio simul est exemplar, pignus, probatio, pretium, atque nostræ resurrectionis. Si JESUS CHRISTUS resurrexit, ergo resurrectio non est omnino impossibilis, Deus illum resuscitare potuit; poterit etiam & nos. JESUS CHRISTUS hoc nobis pollicitus est, hanc nobis gratiam promeruit, nobis ergo non licet de futura nostra resurrectione ulterius ambigere. *Dormientes per JESUM* [10], significat eos, qui in JESUM CHRISTUM moriuntur, *qui in Domino moriuntur*, quemadmodum scriptum est in Apocalypsi 14. 13. Qui ad finem usque in fide, spe, charitate, & optimarum virtutum exercitatione perseverant [11], hi cum Jesu Christo resurgent, & una cum eo æterna gloria fruentur. Alii etiam resuscitabuntur, sed Deus *non adducet illos* in Cœlum cum Jesu. Æternis addicentur flammis, Dæmoni, & Angelis ejus præparatis [12].

℣. 15. HÆC ENIM VOBIS DICIMUS IN VERBO DOMINI.] Quod dico, neque verbis meis dico, neque marte meo; sed dico secundum explicitam revelationem, quæ accidit mihi; hoc de ipsius Imperio vobis annuncio, & in nomine ejus, quemadmodum didici ex eo tempore quo ad tertium Cœlum raptus fui [13]. Dico igitur, *quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt*. Sanctus Paulus hoc in loco verba facit, quasi ipse & illi ad quos loquitur, in vita sua testes essent futuri generalis resurrectionis, quasi insigne hoc factum ævo suo esset eventurum, quapropter veteres complurimi Judicii diem imminere crediderunt. Sed nostræ melioris Interpretes potiori jure credunt, Apostolum ita loqui, ut se ipsum proponat, tamquam exemplum eorum, quæ eventura erant illis, qui tunc erunt [14]: hoc posito, quod hæc temporibus vestris contingant; nec vos, neque ego præcedemus eos, qui jam pridem mortui sunt; omnes homines simul resurgent uno momento, in ictu oculi, ad primum buccinæ clangorem, tum qui primitus, tum qui postremo e vita recesserint; & demum nos, qui vivimus, & qui supponimus, in hac vita ad terribilem usque eum diem reservati, momento immutabimur [15], & similes erimus illis, qui plurimis ante sæculis interierunt, & qui nuperrime resurrexerunt.

Crediderunt nonnulli [16], Apostolum vere existimasse, diem Domini ævo suo adventurum, & se futurum ex eorum numero, qui testes erant futuri illius ante mortem, vel saltem ante immutationem hanc, quæ accidere debet corporibus eorum omnium, qui tunc temporis inter vivos versabuntur: *omnes immutabimur* 1. *Cor.* 15. 51. Censent etiam, hanc eandem sententiam in Epistola ad Corinthios adferri [17]; ubi ait, cum mortui resurgent, tunc esse immutandum; *mortui resurgent, & nos immutabimur*. Et item: *Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes*. Verum S. Paulus ipse hanc sententiam refellit in altera ad Thessalonicenses Epistola c. 2. ubi ostendit, diem hanc non adeo prope esse, & plurima forn-

1 Est. Zanch. 2 Matth. 5. 3.
3 Græc. impress. Οὐ θέλω: *Nolo*. Alii: Οὐ θέλομεν: *Nolumus*. Ita Cod. Alex. S. German. Claromont. Aeth. Hyppolyt. Chrysostom. Origen. Theod. Theophylact. Cyprian. Ambrosiast. &c.
4 Περὶ τῶν κοιμωμένων. Ita Steph. ιγ. Alex. Barb. 2. alii plures. Sed impress. Περὶ τῶν κεκοιμημένων: *De his qui dormierunt*. 5 Theodoret. 6 Ephes. 2. 12.
7 Matth. 22. 23. Act. 23. 8. Joseph. de Saducæis Antiqu. lib. 18. cap. 2. 8 Plato in Phædone.
9 Vide Grot. lib. 2. de veritate Relig. Christ. num. 10 cap. 8.
10 Κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ἰησοῦ. 11 Joan. 5. 29. 12 Theodoret.
13 2. Cor. 12. 2. 4. Theophylact. 14 Vide Augustin. lib. 20. de civit. cap. 20. & Theodoret. hic. Ita Est. Menoch. Tirin. Zanch. Vorst. Pisc. 15 Vide 1. Cor. 15. 51. 52. &c.
16 Vide Grot. hic. 17 1. Cor. 15. 51. 52. & 2. Cor. 5. 1. 2.

futute, antequem eeniat. Ad hæc quomodo falli poterat ea inte, quam u Deo accepisse testatur, & quam *in verbo Domini* anounciat?

℣. 16. QUONIAM IPSE DOMINUS IN JOSAU, ET IN VOCE ARCHANGELI.] De tuba sermo est in omnibus ferme locis, ubi Dominici adventus, atque extremi Judicii mentio fit. Jasus CHRIATUS ait, Matth. 24. 31. Cum filios hominis apparebit in nubibus com omni Mejestate *mittet Angelos suos cum tuba & voce magna:* & S. Peulus in prima ad Coriorhios 15. 52. eit: bucci-næ elangorem exauditum iri, entequam mortui resurgant, illumque futurum tamquem resurrectionis ejus signum, & imperium, velut eum Princeps congregat milites suos, eisque vel castrorum movendorum signum edit, eel imperat, ut coram se io conciunis morem circumfluant. *In jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei* [a]. Hæc omnia significere possunt imperium, quo Angelus, Dei nomine, mortuis præcipiet, ut de pulvere consurgant: niturem vocis ejusdem terribilis, & tonitrui similis, eel temquam ecatissimum clangentis buccinæ stridurem; vel indigitant Imperium Dei, & sonitum Angelicæ tubæ, cui eccedent Domini ejusdem eerba, & impetium. Selvetor epud S. Juhannem 5. 28. ait: *quod mortui andient vocem Filii Dei, & qui andiërint, vivent*. JESO CHRISTI vox igitur Angeli vocem concomitabitur.

Tuba Dei significat tubam, inauditum sonitum edentem, & quæ io omnibus terrarum plagis uudietur, non secus ac vox Dei, tempestas Dei, pro rebus maxime terribilibus, & super hominem positis usurpatur. S. Chrysostomus, & Theophylactus hic legunt: *In novissima tuba*; non secus ue 1. *Cor.* 15. 52. Credunt autem tubam pluries sonitum daturam, & in novissimo sonitu dumtaxet, Jodieem de Cœlis venturum [3]. Ubi Deos in monte Sinai epparuit, ut Legem suam Moysi èrrogaret, ibi exeuditæ fuerunt eoces, tonitrua, atqoe buccinæ sonus [a]. Salvator in Evengelio Matth. 25. 6. ubi decem Virginum petebolam narret, ait illas repente, cum minus cogitarent, audiisse clamorem, diceutem: *ecce Sponsus venit, exite obviam ei*. Hoe nobis Angeli vocem exhibet; quæ mortuis imperabit, ut consurgant. Hi quidem celeriter adeo resurgent, ut eos ipsos, qui edhue inter vivos erant, prævertent 1. Opere pretium non est hoc in loco perquirere, ex quonam metallo es buccina erit conflata: quandoquidem minime necessum arit, ot realis sit buccina, dummodu temquam buccinæ sonus audiatur 4.

ET MORTUI, QUI IN CHRISTO SUNT, RESURGENT PRIMI.] Fideles, Christiani, qui mortui sunt in fide, atque in spe resurrectionis u Jeso Christu promissæ, eel etiam illi, qui mortui sunt pro nomine Jesu Christi, ot Religionem illius, ac fidem profiterentur [5]; hi omnes *resurgent primi*. Quomodu eeru hoc fiet, quandoquidem omnes in momento, & io ictu oculi sunt resuscitandi [6]? Credunt quidam [7], Fideles, & electos primos resurrecturos non secundum ordinem temporis, quia omnes simul resurgent, sed secundum ordinem dignitatis. Hi aliis precedent ob eom locum, quem super alios obtinebunt: Credunt Divus Chrysostomus, & Theophylactus, futurum, ut electi ante reprobos resurgent, ut ante JESUM CHRIATUM eenire valeant; cum reprobi ante eumdem minime eenturi sint, sed ob id unum resuscitandi, ut in judicio coram eodem eppareant. Sed Interpretom plerique [8] Græcum eertunt: *Qui mortui sunt in JESU CHRISTO, resurgent primum*, antequam progrediantor corem Domino, qui in oubibus eeniet. Omnes hominer simul resurgent, sed electi solum honoris ergo ante JESUM CHRIATUM procedent; reprobi enim in terris subsistent cum terrore, Judicis sui adveotum præstolantes, quod a S. Johannis Chrysustomi sententia non longe abhorret.

℣. 17. DEINDE NOS, QUI VIVIMUS, QUI RELINQUIMUR SIMUL RAPIEMUR CUM ILLIS IN NUBIBUS OBVIAM CHRISTO.] Qui veniet viventes simul, & mortuos judieaturus, cum eos, qui jam ex mortuis resurrexerunt, tum eus, qoi adhoe erunt eivi, & qui momento, quemadmodum dictum est in prime ad Corinthios Epistola 15. 51. immutabuntor. Veniet igitur Jesus Christus Angelorum suorum caterve stipatos, & Majestatis suæ fulgore circumseptus in nubibus, quemadmodum inquit Evangelium Metth. 24. 30. Electi aceurrent, ut illum eolant, etque honoris gratia comitentur ad Judicium, ab eodem de omnibus habendum. Sedebit ille fortasse io eletiori, atque nitidiori oube, tamquam pro tribunali, Angelis, atque Sanctis circum undique adstantibus; cum in peccatores judicium suum exercebit. Apostolis enim, & illis, qui omnia reliquerint, ut eum sequerentur, futurum spopondit, ot secum assideent, duodecim tribus Israel judicetori [9].

Qui ad eem usque diem inter vivos soerint, vel repente eitam eum morte, atque iterum statim mortem cum vita commutabunt, ut mortis sententia contre primum mortalium omnium pareotem prolata [10] sine exceptione io omnibus posteris ejus adimpleator [11], eel immutabontur non gustata motte, atque repente a vita mortali ed immortalitarem traosibunt; eorumque eurporu, quæ ex semet corruptiuni, & morti urant obnoxia, eb eadem præservabuntur, immortalitate induentur, & repente ad gloriosom statom transibunt. Posteriorem hene complures Græci Patres [12], superiorem vero Latini fere sequuntur; at neutru aliquid habet a fidei analogia dissonum.

ET SIC [13] CUM DOMINO ERIMUS.] Statim ee semel ed eumdem accesserimus, numqoem eb eodem recedemus. Post judicium revertemur in Cœlum, ibi in æternum cum ipso, & in gloria ipsius regnaturi. Itaque ubi consenguinei nostri fatu decedant, consolari debemus, utque mortem nostrem existimate potius temquam objectum aliquod optabile, quam formidabile: quandoqoidem nos transfert in statum permanentem, atque in æternam beatitudinem, si Dei favente gratia in fide, spe, & eharitate ad extremum usque finem sedulo perstiterimos.

---

1 Ἐν κελεύσματι, καὶ ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου, καὶ ἐν σάλπιγγι Θεοῦ. a Exod. 20. 18.
3 Theoduret. 4 Gregor. Concordie &c. qu. 27.
5 Medus lib. 3. pag. 647. 6 1. Cor. 15. 52. 7 Sedulius hic.
8 Pagn. Erasm. Vatab. Menoch. Tirin. Est. Grot. alii. 9 Matth. 19. 28.
10 Gen. 3. 19. 11 August. lib. 20. de civit. cap. 20. Ambrosiast. Anselm. D. Thom. &c.
12 Origen. lib. 2. contr. Cels. Epiphan. hæres. 64. Vide Chrysostom. Theoduret. Theophylact. hic, & Aug. ad Dulcit. qu. 3. & lib. 2. de peccatorum meritis cap. 31. Justin. seu alius qu. 109. Hierosymest. Cajet.
13 Καὶ οὕτω πάντοτε, &c. Et sic semper &c. Alii: *Et sic semper cum Domino erimus*. Ita Claromonten. & S. German. Lat.

CAPUT V.

Hora Judicii incerta. Vigilantia, ne eadem opprimamur, necessaria. Obedientia Pastoribus debita. Varia pietatis præcepta.

1. DE temporibus autem, & momentis, fratres non indigetis, ut scribamus
vobis, 2 Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in no-
cte, ita veniet. 3 Cum enim dixerint pax, & securitas; tunc repen-
tinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient. 4
Vos autem fratres non estis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur compre-
hendat; 5 Omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei: non sumus noctis, ne-
que tenebrarum. 6 Igitur non dormiamus, sicut & cæteri, sed vigilemus, & so-
brii simus. 7 Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii sunt, nocte e-
brii sunt. 8 Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei, &
charitatis, & galeam spem salutis: 9 Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed
in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, 10 Qui mortuus
est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. 11
Propter quod consolamini invicem, & ædificate alterutrum, sicut & facitis. 12
Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præ-
sunt vobis in Domino, & monent vos, 13 Ut habeatis illos abundantius in cha-
ritate propter opus illorum; pacem habete cum eis. 14 Rogamus autem vos,
fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes
estote ad omnes. 15 Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat: sed sem-
per, quod bonum est, sectamini in invicem, & in omnes. 16 Semper gaudete.
17 Sine intermissione orate. 18 In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas
Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis. 19 Spiritum nolite extinguere. 20 Pro-
phetias nolite spernere: 21 Omnia autem probate, quod bonum est tenete. 22
Ab omni specie mala abstinete vos. 23 Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per
omnia: ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in adventu Do-
mini nostri Jesu Christi servetur. 24 Fidelis est, qui vocavit vos: qui etiam fa-
ciet. 25 Fratres orate pro nobis: 26 Salutate omnes fratres in osculo sancto.
27 Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.
28 Gratia Domini nostri Jesu Dhristi vobiscum. Amen.

℣. 1. DE TEMPORIBUS AUTEM, & MOMENTIS.] A Non opus est, ut scribam ad vos post ea, quæ dixi, cum inter vos versarer [1]. Illa in mentem a vobis sunt revocanda; satis superque vobis dixi, atque inutile est ulterius quidquam perquirere. Aliter, scitis, Salvatorem dixisse, Angelis ipsis inexploratum esse adventus sui, atque novissimi Judicii diem [2], neque voluisse hunc quærentibus Apostolis aperire [3]. Nequaquam abhorret a veritatis specie, quod S. Paulus ad tertium usque Cœlum raptus hoc didicerit [4], & id unum ex illis esse, quæ hominibus declarare prohibitus fuit. Ideo dicit, non opus esse de hoc tempore ad eos verba facere, eisque sufficere, si sciant, ℣. 2. *Quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Nihil dicam ultra ea, quæ vobis Dominus ipse dixit Luc. 12. 39. Ille vos hortatur, ut vigiletis tamquam Pater familias, qui admonitus fuit, nocte domum suam a furibus esse perfodiendam, hic vigilat, quin fatigetur, quin sopore capiatur, quippe qui nescit horam, qua latro venturus est, B Vos igitur pari solertia vigilate; scitis enim filium hominis tunc venturum, cum minus existimabitur: *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Et Matth. 24. 37. *sicut autem in diebus Noe; ita erit & adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes usque ad eum diem, quo intravit Noe in Arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes;* similiter accidet, cum Dei Filius adveniet. Inutile est ergo aliquid ulterius scribere ad vos: si enim hac in re oportuisset, vos plura edoceri, plura vos Jesus Christus docuisset.

Animadvertit [5] præclare S. Chrysostomus, nobis inutile prorsus esse Mundi finem prænoscere. Licet sciremus illum eventurum post annos mille, vel centum, quid hoc nobis prodesset, quandoquidem nobis Mundi finis est finis vitæ nostræ, & vitam nostram brevissimam esse non ignoramus? Neque mortalibus in communi utile esse posset mortis suæ diem prænosse; plurimi enim omnibus se se flagitiis manciparent, atque extremum vitæ spatium præstolarentur, sacro baptismate regenerandi. Impios nullus amplius coerceret metus, & impune viros bonos opprimerent. Qui autem nimio vitæ hujus amore flagrant, mœrore summo conficerentur, ubi novissimum vitæ suæ diem adventare cognoscerent, & justi etiam minus mererentur, quandoqui-

1 Vide cap. 2. vers. 5. 2 Matth. 24. 36. Marc. 13. 32. 3 Act. 1. 7. Matth. 24. 3.
4 2. Cor. 12. 1. 2. 3. 4. 5. 5 Chrysostom. hic hom. 9. & Theophilact.

quidem minus fidem, & spem suam exercerent.

℣. 3. CUM ENIM DIXERINT: PAX, & SECURITAS.] Mulier ventrem ferens scit, sibi partus dolores esse ferendos, sed quo tempore, quo momento sibi ferendi sint, hoc nescit. Mulieres quædam septimo mense, & quædam decimo fœtus suos enituntur. Aliæ in itinere, in agris aliæ; aliæ, cum minus opinantur, imminenti partu opprimuntur: ita & opprimentur impii extremo Judicio, cum se magis securos, pacatosque crediderint: quærent illi latebras, & sibimetipsis hujus diei necessitatem abscondere curabunt; at illum evitare non poterunt, *& non effugient*.

℣. 4. VOS AUTEM NON ESTIS IN TENEBRIS.] Vos eo illi non estis, quos in utramque aurem stertentes, hic dies opprimat, qui tamquam fur venturus est. Vos estis *filii lucis*, fide illustrati, & veritatum cœlestium cognitione, & interiori Spiritus Sancti lumine in cordibus vestris inhabitantis. Vigiles estote, atque attenti in adventum Domini, sapientibus illis Evangelii Virginibus similes [a], accensas semper lampades gerentibus: ut Cœlestem Sponsum opperiantur.

℣. 6. NON DORMIAMUS.] Velut Ethnici, & infideles, qui in ignorantiæ tenebris, atque vitii, & peccati sopore sepulti sunt, viventes tanta in securitate, quanta si neque inimici essent metuendi, neque pericula evitanda, neque Judicium subeundum.

℣. 7. QUI ENIM DORMIUNT, NOCTE DORMIUNT.] Isthæc impeditior est comparatio. Non secus ac qui dormiunt, & qui inebriantur, ut plurimum noctis tempus eligunt, ut somno, ac mero indulgeant: ita qui in hac inani securitate, atque terribili sopore quiescunt, in ignorantiæ, vel obdurationis caligine versantur. Vel minime cognoscendum, vel minime credendum est extremum Judicium ab eo, qui perterreri non vult. Qui ad terribilis hujus tonitrui clamorem non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est.

℣. 8. NOS AUTEM, QUI DIEI SUMUS [a].] Filii, qui Deum cognoscimus, qui fidei lumine illustramur, ab hoc sopore, & hac ebrietate filiorum tenebrarum, infidelium filiorum sæculi caveamus; arma capiamus contra dæmonem, atque induamus *loricam fidei, & charitatis* &c. Hæc metaphora in deliciis fuit S. Paulo, quemadmodum antea jam potuit animadverti [3]. Videtur etiam Isajæ 59. 17.

℣. 9. NON POSUIT NOS DEUS IN IRAM.] Ut severe in nos animadverteret. Prima illius nos ad fidem vocantis ex fuis mens, ut ad æternam Beatitudinem adduceret; atque perperam menti illius responderemus, si vitam ageremus, tamquam filii tenebrarum, quos in corruptis viis suis dereliquit. Posuit nos *in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum*; non enim aliud sub Cœlo nomen est, in quo salvi fieri valeamus, nisi nomen Jesu Christi 4. 12.

℣. 10. UT SIVE VIGILEMUS, SIVE DORMIAMUS.] JESUS CHRISTUS mortuus est, ut nobis salutem procuraret, & vult, ut in hac vita, seu vigilemus, seu dormiamus, in quocumque statu simus, sui simus, & pro uno illo tantum vivamus. Vel [4], seu simus ex numero eorum, quos JESUS CHRISTUS adhuc viventes inveniet, cum ad Terrarum Orbem judicandum accedet, seu ex illorum, qui dormient, ac in pulverem redacti erunt, vult, ut cum illo simus, & gloriam nobis ab ipso præparatam possideamus.

℣. 11. CONSOLAMINI [5] INVICEM, ET ÆDIFICATE ALTERUTRUM.] Hujusmodi veritates vobis solatio sint, ac motivum ædificationi. Vestrum quilibet hujusmodi cogitationibus utatur; ut eos ex fratribus consoletur, qui imminentis mortis intuitu animos despondent: Ædificate vosmet ipsos invicem cohortantes ad vigilantiam, & puritatem vitæ, terribilem Filii Dei adventum præstolantes.

℣. 12. UT NOVERITIS EOS, QUI LABORANT INTER VOS.] Eorum rationem habere; eos observate, illis obedite, grati animi sensus erga illos fovete, atque solliciti estote, ne quid honesto eorum victui desit. Hac voce, *ut noveritis*, S. Paulus omnia fidelium officia complexus est erga Pastores suos, cujuscumque sint Ordinis, & Dignitatis in Ecclesia. Fideles hos observare tenentur, & affectum eam, quam fovent erga illos existimationem, ostendere. Confer Rom. 15. 27. 1. Cor. 9. 11. Galat. 6. 6. Philip. 2. 29. 1. Tim. 5. 17. Heb. 13. 7.

℣. 13. PACEM HABETE CUM EIS.] Cum Pastoribus vestris. Nihil infringere valeat eam concordiam, quæ summa inter vos esse debet: alioquin omnes illorum pro vobis suscepti labores in irritum cedent: si enim Pastor, & Grex inter se fuerint sejuncti, quamprimum Deus ab utrisque recedet. Spiritus Dei in iis societatibus, ex quibus pax in exilium ejecta est, minime invenitur. Aliter eum Græco [6]: *habete pacem inter vos*, cum fratribus vestris, cum aliis fidelibus. Hic sensus magis est naturalis; verumtamen Vulgatæ lectio optimorum Mss. fide [7], & plurimorum Patrum auctoritate probatur.

℣. 14. CORRIPITE INQUIETOS.] Qui turbas ferere, & fovere gaudent. Sunt [8], qui hoc intelligant de ignavis hominibus, qui per curiositatem, atque otium, ubicumque turbas cient, alienis se se negotiis immiscere gestientes, & sua negligentes. Hæ sunt vere rerum publicarum pestes, atque omnium societatum labes. ℣. ℣. 6. 7. 8. & 11. cap. 3. sequ. Epistolæ satis ostendunt, hunc verum esse hujus loci sensum. *Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos; quoniam non inquieti fuimus inter vos. Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione nocte, & die operantes, ne quem vestrum gravaremus* &c. Alii textum intelligunt [9] de hominibus improbis, qui morum suorum licentia, & nequitia publicam pacem perturbant: hos jubet acriter corripi. Græca vox quodlibet flagitiosum genus potest innuere, sed circumstantiæ exigere videntur, ut ad inertiam, & incommoda ex illa profecta coarctetur.

CONSOLAMINI PUSILLANIMES.] Illos, qui animum desponderunt, vel potius, qui pavidi sunt, infirmi, ad magna suscipienda inepti, neque pares, qui tentationum pondus sustineant, qui malis, & persecutionibus resistant; qui denique mortis, atque extremi Judicii terroribus non superentur. Hos consolamini, illis ostendendo clementiam Domini, præmiorum magnitudinem, virtutem illius, qui illos in prœlium cogit, atque ipse auxilio est.

SUSCIPITE INFIRMOS [10].] Illos consiliis, & adhortationibus vestris fulcite; vel potius, illos tolerate, qui adhuc in fide infirmi sunt. Illorum vos misereat, ne indiscreta licentia illis scandalum ingeratis, illorum infirmitati parcite, eorumque imbecillitatis rationem habete. *Infirmorum* nomine hoc in loco, & in Epistolis ad Rom. [11], & ad Corinthios [12] eos fortassis intelligit, qui ignorantes, quænam esset libertas Evangelica, scrupulis torquebantur ob ea, quæ ad carnium electionem, aliarumque cæremoniarum, quibus se teneri credebant, observantiam spectabant.

℣. 15. NE QUIS MALUM PRO MALO ALICUI REDDAT.] Nulla ultio, nulla simultas in vobis adsit. Si-

Kk 2 nite

---

a Matth. 25. 1. & seq. 2 Laud. 2. Petr. 3. &c. 3 Ephes. 6. 14. 17.

a Græc. Ἡμεῖς δὲ ἡμέρας ὄντες. Alii; Ἡμέρας υἱοί. Ita Syr. Arab. Æth.

4 Theodoret. hic; Ἐγρηγορότας ἐκάλεσε τοὺς ἔτι ὄντας ἐν τῷ σώματι [illegible]. Καθεύδοντας δὲ, τοὺς τετελευτηκότας. Vide Grot.

5 Παρακαλεῖτε. *Consolamini*, vel *hortamini vos invicem*.

6 Εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς. 7 Εἰρηνεύετε ἐν αὐτοῖς. Ita Clarom. & S. Germ. Boerner. G. L. Frobn. Æthiop. Chrysostom. Theodoret. Theophylact. alii plures.

8 Theodoret. Ita Est. Vorst. 9 Pagn. Vatabl. Erasm. Mont. Zanch. alii.

10 Ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν. 11 Rom. 14. 1. 2. *Infirmum in fide suscipite*.

12 1. Cor. 8. 7. 11. 12.

nite, Dominum injurias vestras persequi, & nolite vinci a malo, sed malum, quod vobis infertur, vincite bono, quod aliis afferetis. Hæc eadem præcepta Romanis tradidit, iisdem ferme vocibus expressa [1]: *Semper quod bonum est, sectamini*: Græcus ad litteram [2]: *bonum persequamini*, soliciti sitis, ut mortalibus omnibus gratificemini, atque de singulis benemereamini.

℣. 16. SEMPER GAUDETE.] Quocumque in statu sitis, in paupertate, inter adversa, in persecutionibus, in laboribus, in Domino lætamini [3], patienter ferte, quidquid vobis acciderit in pace, & in gaudio Spiritus Sancti [4].

℣. 17. SINE INTERMISSIONE ORATE.] Sæpius quam fieri potest, jugi attentione ad Deum corda vestra attollite; cumque hoc pacto orare vobis integrum non est, illi omnes actiones vestras interiori, atque habituali intentione dirigite; omnia ad majorem ipsius gloriam suscipite; illi quidquid inceperitis, offerte. Hoc continentis Orationis præceptum sæpius & in Evangelio, & in S. Paulo iteratur [5].

℣. 18. IN OMNIBUS GRATIAS AGITE.] In prosperis, æque ac in adversis, atque in iis omnibus, quæ in Mundo accidunt, Dei providentiam, & consilia adorare; illius enim sapientia ex gravissimis malis bonum haurire novit, & suæ consulit gloriæ per ea etiam, quæ magis videntur opposita. Petit enim Deus, ut in jugibus gratiarum actionibus vivamus, atque indesinenter oremus in JESU CHRISTO, & per JESUM CHRISTUM. *Hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu*. Hæc via est, qua Deo per JESUM CHRISTUM placeamus [6]; vel cum Theodoreto; nihil nisi ex Dei voluntate accidit. Si ipse vellet, facile has omnes procellas dissipare posset; sed per magnas tribulationes nos salvos facere cupit.

℣. 19. SPIRITUM NOLITE EXTINGUERE.] Hoc bifariam intelligitur, vel de supernaturalibus, atque exterioribus Spiritus Sancti donis, vel de gratiis, atque inspirationibus ejus interioribus, vel etiam de habituali ipsius in cordibus nostris præsentia. Extingui potest Spiritus Sanctus, & nosmet privare possumus supernaturalibus linguarum, Prophetiæ, curationis morborum, aliisque donis, peccato nosmet mancipantes, hujusmodi donis per vanitatem, atque avaritiam abutentes, ea negligentes, & sæcularibus curis vacantes [7]. Licet enim hæc dona mererentur gratuita, ea tamen Deus sæpe fidelium precibus, & pietati largiebatur [8], vel saltem eorum ipsis incrementum concedebat, vel omnia illis, vel partim auferebat, prout illorum fides, atque charitas imminuebantur. Ita quilibet in se Spiritum Sanctum extinguere poterat; poterat etiam, & in aliis extinguere, cum prohibebat, ne illi in Ecclesiæ utilitatem donis, quæ receperant, uterentur; e. g. Prophetia, dono linguarum, atque Scripturas interpretandi. Quicumque obstat, ne supernaturalia hæc munera exerceantur, quantum in ipso est, in fratrum suorum corde Spiritum Sanctum extinguit [9].

Quoad gratiam, & interius Spiritus Sancti lumen, hoc ipsum bifariam potest extingui, vel cum resistimus inspirationi, & motui, quem per gratiam suam nobis imprimit Deus, vel cum per peccatum nosmet indignos exhibemus, in quibus Spiritus Sanctus inhabitet, & cogimus illum a nobis recedere, postquam nos ipsi priores eumdem reliquerimus [10]. In simili propemodum sensu Ephes. 4. 30. dicitur: *nolite contristare Spiritum Sanctum Dei*; & 2. Timoth. 1. 6. in sensu

A opposito: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei*:

℣. 20. PROPHETIAS NOLITE SPERNERE.] Hoc ad superiora refertur. Nolite Spiritus Sancti lucem, aut in vestris, aut in fratrum vestrorum cordibus extinguere, Prophetias, aliaque Spiritus Sancti dona contemnentes. Græci Patres [11] credunt, tunc in Thessalonicensi Ecclesia non defuisse pseudo-Prophetas, neque ac Prophetas veros, quod erat in causa, ut quidam, quin alios ab aliis secernerent, æque simul utrosque rejicerent, atque contemnerent. Hunc abusum corrigit S. Paulus. In id studium impendite, ut spiritus dignoscatis, bonos a malis distinguite: verum cavete, ne sub specie pseudo-Prophetas abjiciendi, illos quoque aspernemini, qui vere Dei Spiritu afflati sunt. Id occasionem præberet, ut penitus in vobis Prophe-

B tiæ donum, ac vera inspiratio extingueretur. Alii generatim magis hoc intelligunt: summa reverentia Divinas Scripturas, atque Veteris Testamenti Prophetias excipite; illæ Christianæ Religionis titulos, & characteres, ex quibus JESUM CHRISTUM novimus, complectuntur.

℣. 21. OMNIA PROBATE: QUOD BONUM EST, TENETE.] Probate Spiritus [12], & videte, utrum qui se afflatos esse jactitant, vere sint; utrum sint repleti Spiritu Sancto, an fortasse erroris spiritu animentur; cumque certo intellexeritis, illos divinitus esse inspiratos, tunc illos ea, qua par est, observantia, atque existimatione, recipite. At quomodo nam verus a falso Propheta dignosci potest? utique ex doctrina, ex vitæ integritate, ex fidei analogia [13]. Nemo ve-

C rus Propheta dicet anathema JESU CHRISTO [14], neque doctrinæ illius adversabitur [15]. Sanctus Cyrillus Alexandrinus hunc S. Pauli locum proferens, legit: *Estote tamquam boni trapezitæ; omnia probate; quod bonum est, tenete*.

℣. 22. AB OMNI SPECIE MALA ABSTINETE.] CHRISTI fideles non crassum dumtaxat, atque apertum evitare debent peccatum, & quidquid Divinæ Legi contrarium est; verum etiam quidquid mali speciem præfefert, vel aliis scandalum inferre potest. Fugite ab iis societatibus, quibus aliqua suspicio inest, & quæ vos in scelus aliquod valeant pertrahere. Non satis est vacare culpa, nisi & culpæ suspicione vacetis. Sedulus trapezita omnia probat, & ne dubiam quidem recipit monetam, quæ vel sequioris notæ, vel iniqui ponderis

D afferat suspicionem [16].

Græcus optime etiam vertitur [17]: *abstinete ab omni genere mali*: quod generatim explicari potest juxta ea, quæ modo a nobis dicta sunt, vel coarctari potest ad veros, & falsos Prophetas juxta superiores versiculos: si Propheta ambiguas tantum, incertasque missionis, & afflatus sui notas tribuit, illum evitate, & cavete, ne ab eo decipiamini; præstat enim in dubiis verum Prophetam abjicere, quam fallaci faciles aures præbere. Verum enim Prophetam rejiciens, non carebis bono; at falsum recipiens gravissimis quibuslibet malis obnoxius eris.

UT INTEGER SPIRITUS VESTER.] Ut Spiritus Sancti, & gratia, quam in animas vestras effudit, sine ulla imminutione, ac detrimento usque ad Judicii diem

E in vobis vigeant [18]: *Spiritus, & anima* hoc in loco distinguuntur, velut ille, qui replet, & illa, quæ repletur: velut Auctor munerum, & quæ iisdem afficitur. Per fidem, charitatem, innocentiam, pietatem animæ gratiam, & Spiritus Sancti dona conservat.

Credunt alii [19], *Spiritum* isthic indigitare animam ratio-

---

1 Rom. 12. 17. 19. 21. 2 Πάντοτε τὸ ἀγαθὸν διώκετε, &c. 6 Theodoret. Est. Menoch. Tirin.
4 Vide Rom. 12. 12. 2. Corinth. 6. 10. 1. Petri 4. 13. Matth. 5. 12.
5 Vide Luc. 18. 1. 21. 36. Rom. 12. 12. Ephes. 6. 18. Coloss. 4. 2.
n Est. Menoch. Grot. 7 Vide Chrysostom. Theophylact. Vatabl. Menoch. Tirin. Est. Grot. Zanch. Vorst.
8 Marc. 16. 17. 1. Cor. 14. 1. 5. Vide Est. 9 Vide Est. 10 Concil. Tridentin. sess. 6. de Justificat. c. 11. Vide Aug. l. 2. c. 13. contra Parmenian. & l. de Nat. & Grat. cap. 26. Men. Tir. hic.
11 Chrysost. Theophyl. Theodoret. Men. Zanch. 12 1. Cor. 12. 10. & 14. 29. 1. Joann. 4. 1.
13 Rom. 12. 6. 14 1. Cor. 12. 3. 15 Vide Est. Zanch. Grot. Erasm. Theodoret. alios.
16 Vide Basil. in init. Proverb. Theophyl. hic. Hamm. Le Clerc. Zanch.
17 Ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε. 18 Vide Chrys. & Theodoret. Ita & Iren. Tatian. Clement. Strom. Tertull. in Grot. 19 Vide Est. Zanch. alios.

aationalem; *animam* vero, virsm, val id, quod anima sensitiva appollatur, quo animamur, & quod cum alius animantibus est nobis commune. Ita ad totum hominem innuendum posait *Spiritum*, *animam*, & *corpus*; rationalis enim animæ puritas subsistere in nobis nequaquam potest sine puritate corporis, & illius partis nostrummet ipsoram, quæ oobis est cum aliis animalibus communis. Sumos ergo puri Spiritu, anima, & corpore, cum nihil cogitamus, nihil aptamus, nihil facimua, quod oobis sordes valeat adspergera.

℣. 24. FIDELIS EST, QUI VOCAVIT NOS, QUI ETIAM FACIET.] Admplebit in vobis opus vestræ sanctificationis, quod ibi incæpit: nam quemadmadum ait *Rom.* 8. 30. Vocavit quoscumqua prædestinavit; justificavit, quoscumque vocavit; & glorificavit quoscumque justificavit. Si vos, illi fidelas fueritis, oon deerit ipse promissionibus suis, neque prior vas darelinquet [1]. *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cæpit apud bonam, ipsa perficiet, aperans velle, & perficere.* Confer 1. *Cor.* 1. 8. 12. 23. & 2. *Cor.* 1. 18. & 2. *Thess.* 3. 3.

℣. 25. ORATE PRO NOBIS.] S. Paolus, at plurimum [2] Fidelium precibus sasa commendat, cum ut
A illis humilitatis tribuat exampla, tum ut omnes intelligamus, neminem alienis precibus non indigare [3].

℣. 27. ADJURO VOS, UT LEGATUR EPISTOLA HÆC.] Varabatur fortassa, ne Thessalonicensis Ecclasiæ capitsa has literas retinarent, quin easdam fidelibus legerent; vel na Thessalonicenses communicare minime vellent Ecclesiis, qua in agro, & reliqua Macadonia arant: nam quemadmodum supra dictum est [4], Apostoli ad præcipuas Provinciarum Ecclesias scribentis ea mens arat, ut varia Epistolarum suarum aaemplaria in omnes regionis illius Ecclesias diffunderentur.

Græca eaemplaria hanc isthic adjiciunt subscriptionem [5]: *prima hæc ad Thessalonicenses Epistola, Athenis scripta fuit.* Prologi, qui in Latinis Bibliis laguntar, Syrus, & Arabs similiter legunt. Latini etiam Prologi addunt, *per Tychicum, & Onesimum* missam fuissa: Syrus & Arabs, *per Timotheum*, Cophtus *per Silvanum,*
B *& Timotheum.* Sed io Præfatione ostendimus, hanc Athenis sariptam fuisse. Eadem Epistolæ frons, quæ Silæ, atque Timothei nomina dasaripta rafert, a neutro eorum perlatam foisse satis ostenduot: Onesimus vero nonnisi multo post hanc scriptam Epistolam consetsus ast.

[1] Concil. Tridaot. sess. 6. cap. 11. & 13.
[2] Coloss. 4. 3. & 2. Thess. 3. 1. Heb. 13. 18.
[3] Vide Theodoret.
[4] Vide Commentarium in Coloss. 4. 16. & Hammond. in eumdem locum.
[5] Πρὸς Θεσσαλονικεῖς πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Ἀθηνῶν. Ita Codd. Græci constantissime.

Finis Commentarii in primam ad Thessalonicenses Epistolam.

PRÆFATIO

EPISTOLÆ SECUNDÆ S. PAULI AD THESSALONICENSES.

ALtera ad Thessalonicenses Epistola data est Corinthi paulo post priorem, anno 52. vel 53. J. C. Argumenti in utraque consensio; & res quæ in priori illa propositæ in secunda hac exponuntar, ac tandem nomina Silvani, & Timothei in fronta utriusque lagenda argamanto sunt apertissimo alteram ab altera nec loco distitisse nac tempore. Cum enim Apostolus 18. mensium spatio moram Corinthi prorogassat, commode utiqua de rebus Ecclesiæ Thessalonicensis certior fieri, tum & da rabus de quibus consulebatur a Fidelibus illis, respondare valuissat. Cum autam datis primo literis significasset, maximo se desiderio invisandi illos teneri [1], nec pro voto rea successissat, vicarias pro se literas misit.

Græcæ inscriptiones ad calcem hujus Epistolæ datam ferunt Athenis, quemadmodum & priorem; sed cum falso illas enunciare da priori io ejus Prologomeno demonstraverimus, (secesserat enim Athenis Paulus, cum Timotheus rediit a Macedonia) idem pariter judicium de posteriori ista ferendum est, scripta utiqua post prioram, cum Apostolum Athenas rediisse nequaquam censeamus. Pseudo-Athanasius in Synopsi, Occumenius, & Græca quædam MSS. [2] Romæ scriptam docent; cujus tamen opinionis nulla suppetit in Epistola conjectura. Nequa enim meminit Apostolus vinculorum suorum; sicut & ea constituta sententia, altara ab altera Epistola nimis prolixo temporis tractu distraharatur, cum prioram illam Corinthi scriptam certo demonstraverimus. Laodiceæ Pisidiæ datam, & per Tychicum missam habet, sed tamere omnino, Syriacus. Inscriptiones in Exemplaribus Latinis delatam statuunt per Titum Diaconum, & Onesimum. Certo tamen constat, Onesimum Philemonis mancipium diu post illud tampus ad Christianos transiisse.

Novum de hac Epistola systema excogitavit Grotius Prologom. in 1. ad Thessalon. scriptam constituens diu ante priorem, quam appellamus, Epistolam ad Thessalonicensas. Ut autam secundo post illam loco recenseratur in causa fuisse putat, quod vulgaratur, primo sub Galba post extinctam Claudii familiam, ad quam Cajus pertinebat in eadem Epistola sub invidioso illo nomine *hominis peccati* dasignatus [3]. Hujus familiæ metus Christianos hominas continuit, na Epistolam scriptam adversus illam vulgarent. Cum vero producere visum est, adornatæ jam Collectioni Epistolarum Apostoli, quæ ad Ecclesias scriptæ arant, postrema omnium accessit. Hujus Collectionis valati alterum volumen conficiebant Epistolæ ad privatos datæ.

Scriptam autem illam censat ad Jasonam Judæum, Silæ, & Timothai necessarium, tum & ad alios Christianos Judaizantes, qui e Syria, & Palæstina, occasione persecutionis in obitu S. Staphani [4] motæ, Thes-

[1] 1. Thessal. 2. 17. 18. & 3. 10. Vide Chrysostom. in Thessalon. 1. homil. 2. pag. 362.
[2] Vide var. lect. Mill. ad calcem hujus Epist.
[3] Sub eo nomine Antichristum intelliguot Commentatores.
[4] Act. 8. 4. Confer 2. Thessal. 2. 12.

tæ, Thessalonicam se se receperant. Contendit pariter, alias longe plures Epistolas, quam quæ hodie supersint, dedisse Apostolum, e quibus unam innuit illis 2. Thessal. 2. 14. *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*. Hanc autem Epistolam secundam ad Thessalonicenses cæteras omnes Apostoli ad eos missas præcessisse ex eo tenet [1], quod in ejus calce moneat Apostolus, ut signum seu descriptionem suam sedulo observent, eumque se tenere morem in omnibus Epistolis suis [2]; frustra autem moneret viros, ad quos jam antea scripsisset. Addit Grotius, persuasum habuisse Apostolum, extremam Judicii diem in limine esse, & se etiam superstite superventuram; respexisse autem C. Caligulam veluti Antichristi præcursorem; & Simonem Magum veluti Antichristum, qui nomen suum, & cultum *supra omne, quod dicitur Deus*, efferret. Epocham hujus Epistolæ determinat ad annum secundum Caii.

Prolixa nimis oratione opus esset ad vertendum Grotii systema universum; quam etiam provinciam non infelici successu occuparunt Scriptores quidam Protestantes [3], & hodie, quantum scio, nemo in hanc Grotii sententiam secundum omnes sui partes concedit. Constat autem e Textu hujus secundæ Epistolæ, appendicem esse prioris paulo ante scriptæ. Demonstratum est autem, priorem illam datam fuisse Corinthi, & sub Claudio; tantumdem ergo de altera statuendum est. Verus Christiana traditio universa agnovit in hoc Apostoli Textu Antichristi postremam Judicii diem præcursurum; Grotius vero Caligulam agnoscit, & Simonem Magum, motæ in Ecclesia persecutionis Authores, alterum vi, alterum præstigiis, utrosque vero Jerosolymitanæ eversionis, quam nomine *diei Domini* [4] designatam credit, præcursores.

Demonstravimus in Commentario, Neronem, & Simonem Magum typum esse, illum *hominis peccati*, qui *mysterium jam operatur iniquitatis* [5]: alterum vero illius, qui *adversatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus* [6]. Judæorum vero in Romanos defectionem exprimere gentes adversus Romanum Imperium rebellaturas, sicut & Christianos Jesu Christi, & Ecclesiæ excussuros jugum [7]; ac tandem Romanorum in Judæos bellum, Urbis ac Templi eversionem symbolum esse divinæ adversus impios in orbis exitio animadversionis [8]. Porro typi illi, & figuræ tam longe absunt, ut veritatem tremendi illius Judicii, quod expectamus, extenuent, ut confirment potius ac magis magisque asseverent. Nihil est in Religione Christiana magni alicujus momenti, cui insigni aliquo Veteris Testamenti facto Deus non præluserit. Ita duo sunt Oraculorum genera, extremi Judicii veritatem asserentia, vaticinia nempe verbalia, & prophetica quædam facta. Verbis probata vaticinia legas in Scriptis Prophetarum, in Evangelio, & in Apostolo; prophetica facta suppeditat historia Josephi, & de Judæorum bello Commentarii.

Porro systema istud sibi prorsus cohæret. Data est secunda hæc Epistola Corinthi, nonnullis a priori ad Thessalonicenses mensibus posterior, anno 52. vel 53. J. C. & Claudii 13. Jerosolymitanæ eversionis tempus magis quam pro expectatione Thessalonicensium distabat; neque enim nisi post 17. vel 18. abinde annis impletum est. Iniquitatis mysterium operabantur sub Claudio Nero, & Simon Magus, qui deinde impietatem suam exercuerunt. Nero in exordio Regni sui bonus inter optimos Principes, sub obtentu virtutis scelera per aliquot annos occultavit. Prodiit tandem, & mysterium iniquitatis Orbi patuit universo. Patuit & in Simone Mago [9], *homine illo peccati, filio perditionis, qui extollitur super omne quod dicitur Deus; itaut in Templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus. Sed hunc tandem Dominus interficiet*, ait Apostolus, *spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui* [10]. *Post hæc Dominus in furore suo veniet, ut judicet eos qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati* [11]. Hæc in figura quidem spectanda erant in ipsa Jerosolymæ eversione; in re vero imminente, ipsa tandem die postremi Judicii.

Hæc potissimum præ oculis habebat Apostolus in 2. ad Thessalonicenses. Animis confirmat despondentes quosdam, quibus terrorem ingesserant falsi quidam prioris Epistolæ Interpretes, asserentes in limine esse diem Domini, vel forte affingentes illi Epistulam, in qua hæc omnia impudentissime obtruderentur. Cum viva voce hac de re illos antea instruxisset [12], fusius de illa agere in priori Epistula abstinuerat [13]; sed suo illo silentio incommoda plura in gentem provenisse intelligens, fusius, & apertius rem totam prosequitur in præsenti.

Hortatur, ut quas ab ipso se audierant, doctrinas, & traditiones tenerent [14], ac strenue persecutiones, quibus pro veritate exponebantur, sustinerent [15]. Acrius, quam in priori Epistola, illos corripit, qui otio se totos permitterent, alienas in se susciperent curas, curiosi, inquieti, ex alienis laboribus potius quam suo victum quærentes [16]. Notare homines ejusmodi jubet, ex illorum consortio se se subducere, ut ipsi sibi sint horrori, ac de melioribus persuadeantur. Sigillo suo Epistolam obsignat [17], monens ut diligenter sigilli ejusdem figuram observent, ut imposterum sub Apostoli nomine Epistolas obtrudentium fraudes intelligerent.

---

1 Grot. Prologom. in 2. Thessalon. 2 2. Thessal. 3.
3 Vide Bochar. Epist. ad D. Sarrav. inter Opera t. 3. pag. 1044. Edit. Leid. Vide & Henric. Morum lib. 2. cap. 2. Simplicium pag. 7. Usser. 4 2. Thessal. 2. 1. 5 2. Thessal. 2. 7.
6 Ibid. 2. 4. 7 2. Thessal. 2. 3. 8 Ibid. vers. 2.
9 2. Thessal. 2. 3. 4. 10 Ibid. 2. 8. 11 2. Thessal. 2. 12.
12 2. Thessal. 2. 5. 13 1. Thessal. 5. 1. 2. 14 2. Thessal. 2. 14.
15 2. Thessal. 1. 5. 12. 16 2. Thessal. 3. 6. 15. 17 2. Thessal. 3. 17. 18.

COM.

COMMENTARIUM
L I T T E R A L E
IN SECUNDAM
S. PAULI APOSTOLI
AD THESSALONICENSES
E P I S T O L A M.

C A P U T P R I M U M.

S. Paulus Deo gratias agit ob fidem Thessalonicensium, eorumque in adversis constantiam. Illis Dei nomine infinitam pollicetur mercedem, eorumque adversariis Dei iram minitatur.

1. PAulus, & Silvanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo
Patre nostro, & Domino Jesu Christo. 2 Gratia vobis, & pax a Deo
Patre nostro, & Domino Jesu Christo. 3 Gratias agere debemus semper
Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra,
& abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem: 4 Ita ut & nos ipsi in
vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra, & fide, & in omnibus
persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis. 5 In exemplum justi
judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini. 6 Si ta-
men justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant: 7
Et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu, de
cœlo cum Angelis virtutis ejus. 8 In flamma ignis dantis vindictam iis, qui
non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.
9 Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & a gloria virtutis ejus:
10 Cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui
crediderunt: quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo. 11
In quo etiam oramus semper pro vobis: ut dignetur vos vocatione sua Deus no-
ster, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute. 12 Ut
clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, & vos in illo, secundum
gratiam Dei nostri, & Domini Jesu Christi.

℣. 1. PAULUS, & SILVANUS, ET TIMOTHEUS.] Hæc Epistola paulo post primam scripta fuit, atque huic eadem præponuntur nomina, quæ superiori. *Silas*, vel Silvanus, atque Timotheus cum Paulo adlaboraverant, ut fidei præceptis Thessalonicenses imbuerent.

℣. 3. GRATIAS AGERE DIGNUM EST.] A nobis Deo gratiæ agendæ sunt ob virtutes eas, quas ipsi exercemus, & quas ab aliis exerceri videmus; quoniam sunt dona misericordiæ & fructus gratiæ ejus. Fides, & charitas, quas in Thessalonicensibus S. Paulus commendat, totius Christianæ vitæ sunt fundamenta.

℣. 4. ITA UT IN VOBIS GLORIEMUR.] Nobis gloriæ cedit, cum vos aliis Ecclesiis proponimus, tamquam exemplaria fidei, & constantiæ, qua vitæ hujus adversa, atque persecutiones ferendæ sunt. Thessaloicen-

nicenses quidem multa pati debuerunt a concivibus A suis, quemadmodum videbimus infra, & vidimus jam supra 1. Thessal. 1. 3. Apostolus in priori Epistola, quam ad illos scripsit, praeclarum hoc illis perhibea testimonium; eorum fidem adeo in omni Achaja insignem esse, ut omnes cum ipsis de eadem loquerentur, & felicem praedicationis ejus in Macedonia exitum gratularentur.

℣. 5. IN EXEMPLUM JUSTI JUDICII DEI.] Mala, quae boni in hac vita patiuntur, aperta sunt indicia terribilis judicii, quod Deus aliquando in improbos debet exercere: si enim non semper temporales peccati poenas justis quoque remittit, quibus culpae veniam, aeternarumque poenarum remissionem concessit; & si, ut omnino expientur, & perficiantur, illos calumniis, & persecutionibus, & morti etiam nonnumquam objici B patitur, quid impiis in altera vita metuendum non erit, cum Deus in illos omne ultoris sui brachii robur expediet [1]? *Si autem ut Christianus* aliquid patitur, *non erubescat*, inquit S. Petrus Apostolus [2] *glorificet autem Deum in isto nomine: quoniam tempus est, ut incipiat judicium a Domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?*

Alii [3] hoc ita explicant: Permittit Deus, Justos in hoc Mundo affligi, atque torqueri, ut aliquando justitiae suae severitatem in impios possit ostendere. Sinit, eos replere mensuram scelerum suorum, persequentes pios, ac Religiosos homines, et novissimo die praemiis quidem virtus horum, atque patientiae; suppliciis vero eorum injustitia atque infidelitas addicatur: & in utrisque justitiae, ac sapientiae Dei effulgeat C magnitudo. Si viri boni nullam extra hunc Terrarum Orbem haberent spem, ne illi quidem omnium mortalium essent calamitosissimi [4]: quandoquidem ipsi plerumque magis, quam alii iniquo impiorum telis obnoxii sunt. Nihil magis aperte Divini Judicii in altera vita probat necessitatem, quam haec ratio, qua cum electis suis operatur. Fieri non potest, ut cum justus sit, patientiam, & fidem sine remuneratione; scelus vero, atque injustitiam sine supplicio abire patiatur.

Addit Apostolus, has poenas efficere, ut *digni habeantur in Regno Dei*, quod illos expiant, perficiant, eisque perennem tribuant solidissimarum virtutum exercendarum occasionem. Dei Filius Regnum Caelorum ea tantum sub conditione promisit, ut multa patiamur [5], neque nisi per Cruces, atque aerumnas illuc D nobis aditus patet. Profecto quidem vitae hujus adversa per se nos vere dignos beatitudinis non possunt efficere [6]: *non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*; sed post Dei promissionem inter nostra bona opera, atque beatitudinem jam quaedam adest aequalitas conventionis, si rei, ac meriti aequalitas desideratur.

℣. 6. SI TAMEN JUSTUM EST.] Haec verba, *si tamen*, hoc in loco dubitationem non innuunt; verum significant potius hoc extra omnem dubitationem positum esse [7]. S. Paulus non sine quadam ironiae specie ait: si tamen Deus, qui infinite justus est, oculos non claudit, ne hujusmodi videat iniquitates. At statim, atque ictu oculi, ut ita dicam, quilibet intelligit atque respondet, non posse Deum oculos claudere, ne E impiorum scelera intueatur; unde infertur, hos severissime puniendos esse, atque Deum in illis justitiae suae insigne exemplum esse praebiturum. Plerique [8] putant, Autographi voces significare, *quoniam justum est*, non autem *si tamen justum est*; & profecto sermonis decursus hunc sensum efflagitat. Deus, utpote qui absolutus Creaturae suae Dominus est, non potest tamen ullam ipsi injustitiam afferre, neque illam punire, nisi ipsa hoc merita fuerit. E contra vero non punire non potest eos, qui fuerint meriti, nisi scelus suum reparent, & per poenitentiam laesae justitiae satisfaciant.

℣. 7. ET VOBIS, QUI TRIBULAMINI, REQUIEM.] Tenetur quodammodo Deus, vobis hoc etiam in Mundo solatium afferre propter promissiones suas, atque infinitam justitiam suam, in spe vitae melioris, & confidentia auxilii sui, & fortitudine, atque constantia, quam nobis inspirat; aut in victoria, quam efficit, et de hostibus nostris reportemus, vel denique in auxilio suo, quo tentationum nostrarum magnitudinem exaequat. Aequum autem est hoc ipsum praestare; illius quippe honor, justitia, & gloria hac in re praesertim aguntur; confidimus etiam, Deum nos laetitia, & gaudio cumulaturum, cum in altero adventu suo descendet *de Caelo cum Angelis virtutis ejus*, videlicet qui sunt *Ministri potestatis ejus*, vel potius qui illi famulantur, eumque *in Majestate ipsius* concomitantur. Animadvertimus jam [9] in Scripturis Domini adventum semper describi cum Angelorum coetu illius praetorianam quodammodo Cohortem, atque exercitum componentium. Saepe etiam *virtus* pro Deo ipso usurpatur. JESUS CHRISTUS apparebit in judicio sedens *a dextris virtutis* [10]. Ita *Angeli virtutis* Angelos Domini simpliciter possunt innuere.

℣. 8. IN FLAMMA IGNIS.] Ubicumque vel in veteri, vel in novo Testamento sermo est de adventu Dei ad novissimum Judicium peragendum, semper memoratur ignis, qui vel illum praecedet, vel subsequetur [12]: hoc est symbolum ultionis, irae, immo etiam Majestatis Dei. Credimus, Mundum die novissimo igne expiatum iri: verum quamdam sententiarum varietatem animadverto quoad tempus illud, quo generale hoc incendium eveniet. Si hoc ante Supremi Judicis adventum acciderit, quomodonam adhuc homines in vita esse poterunt, cum Dominus apparebit [13]? Sin autem post illius adventum contigerit, quomodo nam *in flamma ignis* accedet? verum nulla nos cogit necessitas, ut dicamus, ignem, qui adventum illius comitabitur, eumdem esse, ac qui Mundum comburet, vel terram expiabit, quin tamen eamdem absumat. Aer ignitus videbitur, Sydera locum suum tenuent, Sol caligine obducetur, & Luna laborabit. Ita Sacri Scriptores de novissimo eo die verba faciunt.

DANTIS VINDICTAM [14] IIS, QUI NON NOVERUNT DEUM.] Hoc nomine non Athei solum, atque infideles continentur, verum illi etiam, qui Sanctissimam Trinitatem, Deum enim in tribus personis non norunt; immo etiam Christiani, qui sterili, atque theoretica tantum cognitione Deum cognoscunt, & qui fidem suam nequissimo vivendi genere metiuntur, *qui non obediunt Evangelio Domini nostri JESU CHRISTI*.

℣. 9. QUI POENAS DABUNT IN INTERITU [14].] Infideles omnes, increduli, peccatores, mali Christiani, qui in impoenitentia morientur, aeternas subibunt poenas, & pares magnitudini scelerum suorum. Poenae qui-

1 Aug. Exposit. inchoata in Ep. ad Rom. & lib. 21. contra Faust. c. 2. & l. 13. de civit. c. 5. & in Psal. 118. vers. 151. Prosper. in eumdem locum Psalmi, & Sentent. 148. Beda, Anselm. D. Thom. hic.

2 1. Petri 4. 16. 17.

3 Graec. Ἔνδειγμα τῆς δικαίας κρίσεως τοῦ Θεοῦ. Alii: Εἰς ἔνδειγμα. Ita Syr. Ambrosiast. Theophyl. Vide & Oecum. & Theodoret. & Grot. Vat. Tir.

4 1. Cor. 15. 19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

5 Act. 14. 21. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

6 Rom. 8. 18.

8 Theodoret. Ita Theophyl. alii.

9 Εἴπερ, pro ἐπειδήπερ: *Si tamen*, pro *siquidem*. Erasm. Vat. Grot. Est. Pagnin. Theophyl. alii passim.

10 Vide 1. ad Thessal. 3. 13. & ad Matt. 26. 64.

11 Ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως. Matt. 26. 64. Marc. 14. 62. Luc. 22. 69.

12 Psalm. 49. 3. 96. 3. Isai. 66. 15. 16. 24. &c. Matt. 3. 22. 18. 8. 25. 41. 2. Petri 3. 7. & Judae vers. 7.

13 1. Thessal. 4. 16.

14 Vox haec *dantis*, refertur non ad *ignis*, qui praecedit, sed ad J. C. ut ex Graeco constat: Ἐν πυρὶ φλογὸς διδόντος ἐκδίκησιν, &c. Quidam: Ἐν φλογὶ πυρὸς διδοὺς ἐκδίκησιν. Ita Clarom. S. Germ. Bornet. G. L.

15 Graec. Οἵτινες δίκην τίσουσιν ὄλεθρον αἰώνιον. Ambrosiast. *In interitum*. Iren. *Interitus*.

quidem omnes quoad æternitatem erunt æquales; inæquales vero quoad qualitatem, & quantitatem.

A FACIE DOMINI, ET A GLORIA VIRTUTIS EJUS.] Sola Dei præsentia magnum erit eorum supplicium, quemadmodum sola summe erit justorum beatitudo [1]. Animo tibi finge objectum summopere amore dignum, & quod unum tibi valeat æternam tribuere felicitatem, cujus omnem noveris pulchritudinem, & cujus necessitatem, atque magnitudinem satis intelligas. Si objectum hoc te infensissimo persequatur odio; si edicat, atque edicat, te odio perpetuo esse persecuturum, quænam erit desperatio, quinam dolor, quæ pœna, præsertim cum intelligas, te in nullam reditus spem a tali, tantoque bono excidisse? Adde, si, illum qui hoc cogitat, summo captu præstare, atque summe intelligendi vi, & acumine pollere, toto Cœlo majori, quam ea, cujus hoc in Mundo compotes esse possimus. Hæc quidem exigua est idea maximæ infelicitatis reproborum novissimo judicii die: Infinitum bonum amittere, ejusque æternam jacturam subire, & jacturam hanc, quanta ea ipsa est, intelligere: ultro sibimet conflasse odium entis illius, quod maximo amore diligendum est, satis cognoscere meritum illius, quo amandum est, quin tamen amare illud possis, neque vel obtutum, vel aspectum, vel ultionem illius evitare, quænam hæc est desperatio?

℣. 10. CUM VENERIT GLORIFICARI IN SANCTIS SUIS.] Damnatorum infelicitati recens adhuc doloris accessio fiet, ubi illi Sanctorum gloriam intuebuntur. Ipsi prædestinatorum beatitudinem cum propria infelicitate conferentes summo rubore suffundentur, atque gravissimo dolore conficientur. Dei gloria cum ex Sanctorum beatitudine, tum ex impiorum infelicitate crescet. Magnitudo justitiæ, atque ultionis severitas in his enitescet; misericordia vero, clementiæ; & gratiæ amplitudo in illis effulgebit. *Cum venerit glorificari in Sanctis suis*. Dei gloriæ in semet nullum admittere potest incrementum; verumtamen novum quodammodo fulgorem acquirit, ubi illa se Sanctis communicat: Infinitum bonum majus adhuc videtur prout in plurimis divisum est [2]; & dici quoque potest, sensu quodam illud insignius, & majus fieri; quare Apostolus addit: *& admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt*. *Admirabilis fieri* nonnunquam significat summam gloriam, atque inauditam beatitudinem consequi [3].

QUIA CREDITUM EST TESTIMONIUM NOSTRUM IN DIE ILLO [4].] Recepistis Evangelii prædicationem, atque testimonium illud, quod de Judicii die perhibuimus. Impiis erit desperatio, quod non audierint, neque crediderint uti vos, id quod ipsis annuntiavimus, neque secundum præcepta nostra vitam suam composuerint [5]. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia Spiritus gementes: hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.*

Aliter: *Testimonium quod perhibuimus verba illius a vobis receptum est* in expectatione *diei illius* [6]. Vel; si per futurum tempus reddideris [7]; Auctores enim novi Testamenti, utpote qui Hebræi ex origine, non adeo accurate temporum discrimen observant; *In illa die constanter credetis testimonio, quod vobis perhibuimus*: vel tunc videbitis eorum rerum certitudinem, quas annuntiavimus vobis. Græci hoc intra parenthesim legunt: *In illa die efficiet Dominus, ut seipsum admirentur in iis omnibus, qui in ipsum crediderint (vos enim recepistis illud testimonium quod perhibuimus vobis.)* Tunc præsertim, Theophylactus inquit, post S. Chrysostomum, ii cognoscentur, qui vere fideles fuerunt; præsenti enim tempore, plures videntur, & non sunt. Ac scitis ea, quæ de hac re vobis diximus, cum essemus apud vos. Vide cap. 2. ℣. 5.

℣. 11. IN QUO [8] ETIAM ORAMUS SEMPER PRO VOBIS, UT DIGNETUR VOS VOCATIONE SUA DEUS] non vocatione ad Fidem, quandoquidem jam fideles erant, eorumque fidem, atque perseverantiam in pietate, & charitate Dominus commendat; sed orat, ut illos dignos efficiat, qui participes sint remunerationum, veris Fidelibus præparatarum [9], eisque gratiam concedat, ut vitam vivant vocatione sua dignam, atque in ea ad finem usque perseverent, eadem ea felicitate, quæ veris Fidelibus promissa est, perfruituri. Græcus legit [10]: *Concedat vobis vocationem*, non, *vocationem suam*: quod tamen non abhorret a sensu, quem proposuimus.

IMPLEAT OMNEM VOLUNTATEM BONITATIS.] Vobis perseverantiæ donum concedat, quod omnia opera vestra bona coronabit [11]; vel concedet vobis necessarias gratias, ut illius in vobis consilia expleantur; atque ut perficiat opus fidei, quod in vobis incœpit. Græci [12] per *opus fidei* patientiam in persecutionibus interpretantur. Deus vobis virtutem conferat, ut ad finem usque illas patiamini. Alii tandem hoc explicant de fide ardenti, & cum charitate conjuncta; vel de actibus fidei in veritatis confessione, & virtutum exercitatione effulgentibus.

℣. 12. UT CLARIFICETUR NOMEN DOMINI.] JESU CHRISTI nomen Christianorum sanctitate præsertim vero eorumdem tribulationibus, atque martyrio [13] clarificetur; hic actus est perfectissimus charitatis; neque majus, & integrius illi testimonium perhiberi potest, quam si pro veritate, & gloria ejus tuenda tuam vitam effundas [14]. Nihil in primis illis Christi fidelibus magis admirabile exstitit, quam ipsorum in tormentis constantia, & nihil magis Ethnicorum profuit conversioni, quam primorum fidelium zelus ad mortem usque eas propugnantium veritates, quibus semel fuerunt imbuti. Oportet, inquiebant illi, hujusmodi hominibus persuasum esse de veritate religionis, quam profitentur, quandoquidem omnia sustinent, ut eamdem tueantur.

ET VOS IN ILLO.] Si Christiani aliquam Deo gloriam conferunt, vitæ suæ sanctitate atque passionibus, hanc sibi vertere non debent; merus enim est Divinæ gratiæ, & bonitatis erga ipsos effectus [15]. Illi tantum reddunt, quod ab eo receperunt. Si ex operibus fidei nostræ aliquam Deo coram hominibus cedit gloria; ipse vicissim nos in Cœlo, & coram omnibus Angelis glorificat. Nos extremo Judicii sui die gloria cumulat, & centuplum adfert eorum, quæ pro ipso fecimus. Denique si Deo gloriosum est, fideles habere servos, atque paratos, ut omnia pro ipso faciant, atque patiantur; Christi fidelibus longe gloriosius est, ut parere Domino, qui adeo bonus est, & qui adeo magnifice servos amicosque suos remuneratur [16]. Gloria Servi hæc est, ut Domino suo sit fidelis, & domini gloria, ut Servorum suorum fidem remuneretur.

---

1 16 Chrys. Ita & Theophyl. 2 Chrys. Theophyl. 3 4. Reg. 5. 8. Isai. 61. 6. Sap. 8. 12. Eccli. 38. 3.
4 *In die illo*, pro *in die illo*. Ansel. Men. Tir. alii. 5 Sap. 5. 2.
6 Estius hic. 7 Ita Sy. Grot. Bez. 8 Εἰς ὅ: *In quod, ad quod, quam ob rem.*
9 Est. Men. Fromond. alii. 10 [illegible] Alii: [illegible]
11 Est. Men. Tir. Zanch. 12 Theodoret. Ita Theophyl. Est. Men.
13 Theophyl. Est. Grot. 14 Joan. 21. 19. 12. 28. 15. 13. *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Galat. 6. 24. 1. Petri 4. 14. 15 Theophyl. Est. Zanch.
16 Est. Men. Grot. alii. Vide & Theophyl.

COM-

phetiæ [1], *neque per sermonem, neque per Epistolam tamquam per nos missam*. Ut illi Thessalonicensibus timorem incuterent, fallaces Prophetias ferebant, ubi Sycophantæ se prophetico Spiritu afflatos esse asserentes [2] novissimum Judicii diem imminere affirmabant. Dicebant alii, se hoc ex eodem Apostolo in publicis, privatisve sermonibus didicisse; alii denique Epistolas illius [3] se habere simulabant, in quibus ea diceret, quorum fidem populo conabantur adstruere.

Verum quæ utilitas hujusmodi nebulonibus cedere poterat, novissimum eum diem imminere affirmantibus? hoc illi ferebant, ut fideles, vel impatientia corriperentur, videntes, hunc diem nimium differri; vel de reliquis ad fidem spectantibus dubitarent, ubi illum numquam adventare cognoscerent; vel ut illis relinquentibus, & deferentibus temporalia bona, quippe qui vere Judicium novissimum instare arbitrarentur, hæc ipsi invadere possent. Apostolus vero hunc diem nondum imminere contendens, minime cupiebat eorum ardorem retundere, quo adventum Filii Dei desiderabant, neque illis negligentiam & securitatem immittere; sed metuebat, ne illorum fides labesceret, & crederent ita & de reliquis esse, omnemque spem suam esse vacuam & inanem; si quod ea de re ipsis promissum fuerat, fallax reperiretur. *Non ergo ille diligit adventum Domini*, S. Augustinus ait [4], *qui eum asserit propinquare, aut ille qui asserit non propinquare; sed ille potius qui eum sive prope sit sive longe sit, sinceritate fidei, firmitate spei, ardore charitatis expectat*. In hoc statu cupiebat S. Paulus Thessalonicenses permanere, & in hoc omnes versari debent Christiani; quoniam voluit Deus, ut terribilem illius Judicii diem ignoraremus.

℣. 3. QUONIAM NISI VENERIT DISCESSIO [5] PRIMUM.] Quænam hæc est discessio, vel Apostasia? Patres plurimi credunt [6], hanc fuisse defectionem populorum, qui tunc Romanum Imperium constituebant longe latissimum omnium eorum, quæ hactenus in terris fuerunt. Apostolus, ne Romanos irritaret, penes quos erat summa Imperii totius, eorum nomen non adfert, sed hoc facile intelligi poterat, quoniam illi uni nominatim Europæ, Africæ, atque Asiæ, potiori ex parte dominatores: sed post mille, vel & centum annos omnes fere populi, qui Romanum Imperium constituebant, illius jugum excusserunt, & nondum ullum superest signum, ex quo intelligamus, terrarum finem accedere, licet certo sciamus, eumdem in dies magis adventare. Græci Patres, hoc est S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, credunt, *Apostasiam* pro *Apostata*, Antichristo usurpari, eo quod ille quamplurimos Christianorum in Apostasiam debet impellere. S. Augustinus, & Sedulius in exemplaribus suis legebant *Refugam*, Apostatam pro *discessione*, Apostasia; & hæc sententia cohæret cum plerisque Interpretum, qui hac voce intelligunt Christi fidelium secessionem, qui fidem, & JESU CHRISTI partes relinquent, ut in partes Antichristi concedant. Apostasia hæc jam incœpit in Hæresibus, variis subinde temporibus obortis, & in secessione Orientalis Ecclesiæ ab Occidentali. Hæc autem nonnisi sub Mundi finem perficietur sub Antichristi imperio, quod Apostolus infra perspicuis verbis indigitat; *nam Mysterium iniquitatis jam operatur*. Cum hic JESU CHRISTI inimicus in Mundum prodibit, omnium ferme Christi fidelium generalis secessio videbitur, cujus electi dumtaxat immunes erunt, qui & ipsi etiam falsis Antichristi miraculis magnopere tentabuntur. *Ita ut in er-*

A *rorem inducantur (si fieri potest) etiam Electi*. Matt. 24. 24.

S. Augustinus [7], atque plurimi Interpretes cum illo credunt, secessionem hanc, vel Apostasiam futuram simul, & contra Romanum Imperium, & contra Ecclesiam JESU CHRISTI. Dici nequit, Romanum Imperium jam interiisse; viget adhuc in imperio Germanico, licet maxime imminutum, atque infirmatum: Catholica & Romana Ecclesia, licet tantam pertulerit jacturam ex secessione plurimorum filiorum suorum, eadem semper est; fides eadem, eadem morum disciplina, eadem Biblia, eadem capita: verbo, viget adhuc, atque ad Mundi usque finem vigebit. Verum aperte liquet, quod *jam nunc mysterium iniquitatis operatur*, quemadmodum infra ℣. 7. S. Paulus ait; & hinc quidem Romani Imperii decrementum, inde vero tot populorum discessio, qui antea Catholicæ Ecclesiæ membra erant, nota sunt apertissime, quod terribilis ille judicii dies gradu propero adventat. Adveniat autem, qui sentiatur, & certissime furis instar veniet, ubi minus expectabitur [8].

Non loquor autem hoc in loco de illorum dementia, qui pro Antichristi regno, & Apostasia, de qua S. Paulus hic verba facit, Summi Pontificis, atque Episcoporum in Catholica Ecclesia auctoritatem intelligunt: multo verius est dicere, hanc esse secessionem Hæreticorum a legitima auctoritate, & filiorum a Matre sua, prætexentium commentitios quosdam errores, atque abusus, quos perperam, & immerito illi vitio vertunt, atque exaggerant, licet ab eadem numquam probati fuerunt. Grotius, qui putat hanc Epistolam conscriptam fuisse ante primam illam ad Thessalonicenses, atque arbitratur, Apostasiam hic memoratam, esse Caii Caligulæ imperatorem, qui in Jerusolymitano Templo simulacrum suum collocari voluit; tenet, hominem peccati, qui adversatur, & extollitur super omne, quod dicitur Deus, non alium esse, quam Simonem Magum, & diem Domini, diem esse Jerosolymæ, ac Templi an Romanis eversi. Juxta hoc systema discessio, & Apostasia a S. Paolo memoratæ explicari possunt de Judæorum a Romanis defectione, quæ eo tempore nondum se se prodiderat; per eum vero, *qui operatur mysterium iniquitatis*, Nero Imperator, & pro *homine peccati* Simon Magus possunt intelligi. Hæc omnia erant figura eorum, quæ credimus re ipsa ad finem Mundi esse eventura, & quæ nobis persuasum est, primum, & præcipuum esse objectum, quod S. Paulus sibi hoc in loco proposuit. Totalis populorum a Romano Imperatore defectio, improborumque Christi fidelium ab Ecclesia secessio, essentialia signa sunt, quæ Antichristi adventum præcedent.

ET REVELATUS FUERIT HOMO PECCATI, FILIUS PERDITIONIS.] Scelestus hic, impius, & dignus, qui misere intereat. *Filius perditionis* eodem in sensu dicitur, ac *filius mortis*, *filius pacis*, *filius iræ* &c. [9] hoc est dignus morte, dignus pace, dignus ira. Patres, atque notæ melioris Interpretes unanimi consensu hoc explicant de Antichristo [10], qui in Mundo ante magnum Judicii diem apparitures est, ut Religioni, & Sanctis bellum indicat. Veteres quidam [11] hunc dæmonem vel Sathanam futurum dixere: sed alii [12] credunt, hunc verum esse hominem, in quo dæmon inhabitabit, quem hic afflabit, & qui hujus organum quodammodo erit, atque Minister. Non desunt, qui putent, hunc futurum dæmonem humana carne indutum; at S. Hieronymus [13] dicit solum, in eo Diabolum corporaliter inhabitaturum: atque Theodoretus inquit: Quemad-

1 Μὴτε διὰ πνεύματος.
2 Theodoret. Theophyl. Tertull. Pseudo-Prophetarum, Alii.
3 Chrysost. Ita Erasm. Est. Grot.
4 Vide Aug. Ep. olim 80. nunc 199. n. 15. Vide Est. &c.
5 Græc. Ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον. Aug. l. 20. c. 19. de civit. *Nisi venerit refuga*. Et ita habent Sedul. & quidd. Codd. apud Pelag. quasi legissent: Ἐὰν μὴ ἔλθῃ ὁ ἀποστάτης.
6 Tertull. ad Scapul. l. 2. & de resurrect. carnis c. 24. Optatus Milevit. l. 2. Lactant. l. 7. c. 25. Hieronym. in Dan. 7. & in Jerem. 25. & Ep. 151. Ambrosiast. Primas. Sedul. hic.
7 Aug. l. 20. de civit. c. 19. D. Thom. Est. From. Cornel.
8 1. Thessal. 5. 2. *Sicut fur in nocte ita veniet*.
9 2. Reg. 12. 5.
10 Aug. l. 20. de civit. Dei, c. 19. *Nulli dubium est eum de Antichristo ista dixisse*.
11 Vide Hieronym. in Is. 17.
12 Theodoret. hic, & Chrys. & Theophyl.
13 Hieron. in Dan. 7. *Non eum putemus, juxta quorumdam opinionem, vel Diabolum esse, vel Dæmonem, sed unum ex hominibus, in quo totus Satan habitaturus sit corporaliter*.

Quemadmodum Salvator noster humanam carnem assumpsit, ut nobis salutem procuraret, ita & Dæmonem, ad nos perdendos, hominem elegisse talem, ut per illum in nos nequitiam, & odium suum possit exercere.

Refert S. Augustinus l. 20. c. 19. de Civit. ævo suo nonnullos existimasse, Neronem esse Antichristum, & sub Regno illius adimpletum fuisse mysterium iniquitatis, de quo hic verba facit Apostolus. Addebant, Imperatorem hunc resurrecturum, & rursus ante Domini adventum venturum in Mundum. Hæc eadem sententia apud S. Hieronymum in Dan. 11. & Sulpitium Severum l. 2. Hist. sacr. videtur; quorum posterior addit, nonnullos putasse, Neronem, cum sese suo gladio transverberasset, ex eo vulnere convaluisse juxta illa Apocalypsis c. 13. verba: *& plaga mortis ejus curata est*: ita ut sub Mundi finem ad mysterium iniquitatis complendum venturus sit. Inducit etiam S. Martinum asserentem, Neronem in Occidente apparitorum, cum interim in Oriente Antichristus videbitur. Testatur S. Augustinus, non defuisse, qui assererent, illum nequaquam mortuum fuisse, sed raptum, & in secretum locum adductum, ubi in ætatis suæ flore vivebat, ut aliquando rediret, Regnum suum recepturus. Sulpitius Severus in altero de S. Martini virtutibus libro non ait, Neronem venturum velut Antichristum, sed tantum tanquam Ministrum ejus, & organum crudelitatis ejus. Narrat Svetonius in Nerone c. 57. Cæsarem hunc Romæ satis diu post obitum suum a compluribus creditum fuisse, adhuc vivere, & ejus imaginem, atque edicta tamquam ab eodem profecta relata fuisse, ita ut dicerent, illum quamprimum rursus esse apparitorum. Verum & hæc, & quæcumque de commentitio illius adventu sub Mundi finem afferuntur, nullam omnino fidem merentur. Credit Ecclesia, Antichristum esse venturum; sed tempus adventus ejusdem, atque nativitatis, & originis ejus circumstantias ignorat.

℣. 4. QUI ADVERSATUR, ET COLITUR.] Daniel 11. 36. hoc ipsum ait de Antiocho Epiphane: *Magnificabitur adversus omnem Deum*. Hic ab omnibus populis coli, & adorari volet, tamquam unicum Numen ipse colendum. Annitetur omnem aliam Religionem cum bonam, tum malam evertere, diruet Templa, confringet Aras, Sacerdotes, atque Ministros cum veri Numinis, tum inanium Deorum omnino disperdet. Interpretes Protestantes in hunc locum contra Summum Pontificem, Romanamque Ecclesiam fanda, infandaque evomunt, quorum eos ipsos, qui inter eosdem aliqua modestia ornari sunt, atque sapientia præstant, pudere arbitror. Non isthic morabor, vel eorum iniquitatem exaggerans, vel calumnias refellens: non enim isthic controversiæ tractatum aggressus sum: at saltem bona fide, atque sine ullo præjudicio nostros legitent Scriptores, quos Ecclesia probavit, neque eisdem eas adstruat sententias, quæ ab ipsa numquam probatæ fuerunt. Numquid & ipsi vellent, ut ea ipsa ratio peteretur omnium ineptiarum, quas Auctores quidam ex ipsorum communione venditarunt?

ITA UT IN TEMPLO DEI SEDEAT [1].] Non satis constat inter Patres, atque Interpretes, de quo templo hic verba fiant. Veteres complures [2] crediderunt, S. Paulum hoc in loco innuere voluisse, Templum Jerosolymitanum ab Antichristo sub Mundi finem rursus e fundamentis excitandum, & ubi tamquam Deus colendus est: quam sententiam in hunc locum D. Chrysostomus minime explodit. Hic Pater [3], aliique plures [3] credunt, Judæos excepturos Antichristum, tamquam Messiam suum, & tamquam Deum; cumque Jerosolymæ, atque in Templo in hujus honorem ab ipsis excitando adoraturos. Sed plerique Veterum putant, Antichristum in Christianis etiam Ecclesiis sessurum, ibique adorandum esse ab iis populis, quos in errorem, atque Apostasiam induxerit. Tenent vulgo, hoc Jerosolymæ eventurum: at cur non alibi, ubi ille aderit? verum est, Imperii sui sedem ab eodem Jerusolymæ esse collocandam: sed non ibi subsistet; quandoquidem alibi plurimas etiam de CHRISTI fidelibus victorias est relaturus.

OSTENDENS SE, QUASI SIT DEUS.] Simulacrum suum poni jubebit; vel ipse sedebit in Ecclesiis, ac Templis vero Deo dicatis, ibi veros honores excepturus, quemadmodum olim, abominationis Idolum, vel Olympii Jovis simulacrum in Jerusolymitano Domini Templo positum fuit [4], & Cajus Caligula suum etiam illic collocari voluit [5], aliquanto ante quam Judæi a Romanis deficerent. Judæi, atque Christiani Apostatæ præstigiis, atque miraculis ejus illecti, eum Messiam esse existimabunt, eique eum deferent cultum, qui Deo uni debetur.

Hæc omnia in figurato sensu de Simone Mago, tamquam Antichristi symbolo possunt explicari. Cum hic illusor varias Orientis provincias peragrasset, atque plurimos suis præstigiis, & veneficiis fefellisset, tandem Romam, tamquam in amplius Theatrum accessit [6]. Ibi quamprimum enituit; & Romani, non secus ac alii se sibi subliri passi sunt; eique tamquam Deo simulacrum cum Epigraphe, *Simoni Deo Sancto*, positum fuisse, Veteres Ecclesiæ Patres [7] testantur. Neque hoc abhorret a veri specie; quandoquidem Lystrii, Paulo, & Barnabæ, tamquam Diis [8] sacrificia offerre volebant pro miraculis, quæ nihilo magis difficilia videbantur, quam quæ Simon operabatur. Apollonius Thyaneus, alter Sycophanta, qui paulo post illud tempus vixit, pluribus in locis, & ipse divinis honoribus exceptus fuit [9]. Simon Magus se, tamquam Deum haberi cupiebat [10]; hæc illius erat ambitio. Antequam JESU CHRISTI fidem amplecteretur, cum adhuc Samariæ [11] esset, se magnam Dei Virtutem volebat appellari. Hic ille fuit, quem Dæmon suscitavit, ut opponeret Apostolis, & quem talia agere permisit Deus, ut Antichristi sub temporum finem venturi aliquam nobis præberet imaginem.

℣. 5. NON RETINETIS?] Hæc vos retinere oportebat, nec infinitas quæstiones amplecti, neque eos audire, qui mihi ea obtrudunt, quæ minime dixi, & mihi eas tribuunt Epistolas, quas minime scripsi. Nihil habeo, quod addam iis, quæ primum dixi. Hinc liquet, Apostolos vivæ vocis Oraculo plurima dixisse, quæ scripta minime fuerunt. Nisi falsi extitissent Doctores, qui Thessalonicensibus hunc errorem injecerent, de hac re adeo necessaria nihil scriptis mandasset Apostolus.

℣. 6. ET NUNC QUID DETINEAT, SCITIS.] Alias jam viva voce vobis dixi, quid causæ sit, quod dies Domini non veniat, & non prodeat Antichristus. Differt solum, ut veniat tempore in Providentiæ decretis præstituto. Cur autem nondum venerit, superius jam dixi ℣. 3. *Nisi venerit discessio primum*. Oportet primum, ut accidat contra Romanum Imperium secessio [12], & contra Catholicam Religionem Apostasia. Donec Romanum Imperium subsistet, Christiana quoque Religio vigebit: cumque primum illud eversum fuerit,

---

1 [Greek illegible] Θεοῦ [Greek illegible]. Plures omittunt hæc verba ὡς Θεόν. S. Augustinus l. 20. cap. 19. de Civit. Dei pluribus disserit in hæc verba *in Templum* pro, *in Templo*; ducens ita posse intelligi, *sedebit*, velut templum esset, & Ecclesia Dei, ipse, & sui. Sed simplicius est dicere, εἰς ναὸν posita esse pro, ἐν ναῷ.

2 Hippolyt. de consum. mundi. Cyrill. Jerusol. Catech. 15. Damasceo. l. 4. c. 28.

3 Chrysost. Theodoret. Theophyl. Oecum. Ambrosiast. Anselm. alii Interpretes.

4 1. Macc. 1. 57. 5 Joseph. Antiq. l. 18. c. 11. Philo Legat. ad Cajum.

6 Justin. Apolog. 2. Euseb. lib. 2. cap. 13. Histor. Ecclesiast. 7 Justin. apolog. 2. Cyrill. Catech. 6. Iren. l. 1. c. 20. Tertull. apol. c. 13. Euseb. l. 2. cap. 14. Histor. Eccles. &c.

8 Act. 14. 10. 9 Philostrat. vita Apollonii, lib. 7. cap. 10. lib. 8. cap. 2.

10 Iren. l. 1. c. 20. 11 Act. 8. 10. 12 Ita Patres plerique, Chrysost. Theodoret. Theophyl. Tertull. Hier. Aug. Ita & Bellarm. Est. alii passim.

rit, tunc prodibit Antichristus, & Apostasia Ecclesiam proscindet. Noluit prudenter Apostolus de Romani Imperii excidio palam verba facere, ne Ecclesiam persecutioni objiceret, & ne temere Ethnicos irritaret contra fideles, quemadmodum S. S. Chrysostomus, & Augustinus [1] animadvertunt.

Credunt nonnulli [2], supernaturalia Spiritus Sancti dona prohibuisse, ne Antichristus accederet: at scite animadvertit D. Chrysostomus, si hoc verum esset, Mundi finem jam pridem venturum fuisse; quandoquidem in Ecclesia jam pridem extraordinaria hæc Spiritus Sancti dona minime videntur. Alii apud Theodoretum ita supplebant textum Apostoli: *& nunc scitis, quid illum detineat, ut veniat*; decretum videlicet Dei, tempora enim in æternis Dei consiliis præsignata, nondum sunt adimpleta.

Ipse vero hoc ita intelligit: Sciebat Apostolus, Salvatorem dixisse, futurum ut Evangelium ubique, atque omnibus Gentibus prædicaretur, atque postmodum sæculorum finis accederet; *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, & tunc veniet consummatio*, Matt. 24. 14. Cum autem videret, Idolorum cultum ubique fere in Terrarum Orbe grassari, inde Mundi finem, & Antichristi Regnum longius abesse existimabat. De hac re fortasse ipsos Thessalonicenses admonuerat, cum apud illos versaretur; ideoque hoc illis ait. *Et nunc quid detineat, scitis, ut reveletur in tempore suo.*

Verum minime operosum est juxta hypothesim in Epistolæ hujus Præfatione propositam explicare *Apostasiam*, de qua S. Paulus ℣. 3. verba facit, de Judæorum e Romanis defectione, quæ præcedere debebat Dominicæ ultionis adventum ad Judæorum nationem gravissime affligendam. Ante hoc tempus apparere etiam debebat ille *homo peccati*, *filius perditionis*, inimicus Dei, qui sibi thura adoleri, se Deum appellari, atque in Templo sedem sibi deferri jussurus erat. En quid prohibebat, ne dies Domini primum quidem in figura per Romanorum bellum contra Judæos, non autem in se sub Mundi finem accederet.

℣. 7. NAM MYSTERIUM JAM OPERATUR INIQUITATIS [3].] Plurimi Veteres [4] hoc iniquitatis mysterium, vel Neronis Imperium, vel ipsum Neronem esse credebant, quem Antichristum esse putabant; & qui Ecclesiam persequi ob id tantum incœperat, ut aliquando tandem, eam rursus sub Mundi finem in terras veniret, eidem internecinum bellum indiceret. Sed hæc sententia, quam attigimus supra ℣. 3. innititur solum criminibus, & crudelitati Neronis, atque fallaci rumori, qui post ejusdem interitum percrebuerat, ipsum adhuc vivere, & aliquando iterum esse regnaturum. Non putabant, Antichristum eo Imperatore vel nequiorem esse posse, vel crudeliorem, vel Ecclesiæ Jesu CHRISTI infensiorem.

Alii vero, iique majori in numero [5], potiori jure crediderunt, Hæreticos esse Antichristos, Ministros, & Servos hujus hominis peccati, qui jam *mysterium iniquitatis* in JESU CHRISTI Ecclesia incœperunt propter errores, quos ibi serunt, scandalum, quod gignunt, & plurimorum fidelium secessionem, quos in suas partes pertrahere conantur. Patres, vulgo Hæreticos vocant [6] *Præcursores Antichristi*; & sub Mundi finem Antichristus explebit, quod Ministri ipsius incœperunt. Hoc fortasse innuebat S. Joannes, dicens [7]: *Nunc Antichristi multi sunt.*

Opinantur alii [8], hoc *iniquitatis mysterium* significare symbolum iniquitatis, Antichristi figuram, & imaginem persecutionum ejus contra Sanctos. Ita omnes Ecclesiæ persecutores, Nerones, Domitiani, Decii, Diocletiani, Hæretici, imagines sunt Antichristi, operantur iniquitatis mysterium. Antichristus jam pridem operatur, & ad Mundi usque finem in Ministris suis operabitur. Hoc nondum est reale ejusdem Imperium, sed mysterium, & Regni ejusdem figura. Nero, & Simon Magus S. Pauli ævo ad vivum communis hujus hostis imaginem expresserunt.

TANTUM UT QUI TENET, NUNC TENEAT [9].] Quilibet vestrum in ea fide permaneat, quam a nobis recepit, neque se commoveri sinat iis sermonibus, qui tamquam a nobis profecti effunduntur. Vel potius; qui tunc viventes erunt in terris, tueantur fidem, constantes Jesu CHRISTI Ecclesiæ adhæreant, donec hic homo peccati, Antichristus avertatur.

Græcus textus alium sensum adfert [10]: *hoc unum reliquum est, ut qui retinet, deleatur.* En quid prohibet, ne Antichristus appareat: Opus est, ut Romanum deleatur Imperium, vel ut Evangelium in omni Mundo prædicetur, & nationes omnes convertantur, antequam dies Domini adveniat. Hoc refertur ad ea, quæ superius dicta sunt ℣. 3. 6. & notandum est ℣. 6. [11] per neutrum genus efferri: *& nunc quid detineat, scitis*; quod istic masculini generis est: *tantum, ut qui tenet, de medio fiat*: quam Veterum conjecturam confirmare potest, qui hoc de Nerone, & Simone Mago interpretantur; post quorum mortem in Judæos Domini ira desævit. Nero obiit anno 66. JESU CHRISTI, quo eodem anno, cum Judæorum defectio incœpisset, Nero ipse Vespasianum Romanis copiis præfecit. Anno autem 67. Vespasianus in Galilæa bellum gessit, & anno 70. JESU CHRISTI Titus Jerosolymam obsidione vallavit, eamque cepit, & evertit. Permisit Deus, ut homines tunc quamdam imaginem finis Mundi totius intuerentur, quemadmodum in Nerone, & Simone Mago Antichristi figuram, & in Judæorum defectione symbolum secessionis improborum CHRISTI fidelium conspexerant. Non secus ac Salvator noster in Evangelio ea, quæ sub finem sæculorum sunt eventura, describens, eodem tempore describit circumstantias Romani belli contra Judæos [12]: ita S. Paulus in iis, quæ ad Thessalonicenses scribit, locutiones suas eo pacto moderatur, ut & ad Simonem Magum, tamquam Antichristi imaginem, & ad Romanorum bellum contra Judæos, tamquam ad figuram eorum malorum, quæ sub Mundi finem eventura sunt, valeant transferri.

℣. 8. ET NUNC REVELABITUR ILLE INIQUUS.] Antichristus, homo peccati, filius perditionis, quem JESUS CHRISTUS *interficiet spiritu oris sui*. Obex, qui prohibet, ne Antichristus se se prodat, auferendus igitur est, antequam prodeat Antichristus. Si hic obex est defectio contra Romanum Imperium, vel iniquitatis mysterium, expectandum est, donec hæc omnia apparuerint, antequam veniat Antichristus. Antichristi vero symbolici, Persecutores, Hæresiarchæ, qui iniquitatis mysterium incœperunt, peribunt; sed illis deficientibus, verus veniet Antichristus ad Imperium suum in omnem terram usque ad sæculorum finem exercendum [13].

Hæc locutio: *interficiet spiritu oris sui*, indigitat eam facilitatem, qua illum exterminabit Dominus, ubi in eum oris sui flatum dumtaxat voluerit emittere [14]. Ne Thessalonicenses audientes, quid facturus erat hic JESU CHRISTI inimicus, eumdem putarent esse, tamquam adversarium, cum eo æquis viribus, vel

1 Aug. l. 20. de civit. c. 19. n. 3. Ita & Chrys.

2 Quidd. apud Chrys. & Theodoret. hic.

3 Τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας.

4 Chrysostom. hic, & orat. 2. de eleemosyna. Theophylact. quid. apud Theodoret. Vide & Hieronym. in Dan. 11. & August. lib. 20. cap. 19. de civit. Sulpic. Sever. lib. 2. Histor. Victor. in cap. 17. Apocalyps.

5 Tertull. de præscript. cap. 4. & contra Praxeam, cap. 31. Theodoret. alii.

6 Iren. lib. 1. cap. 8. Cyrill. Jerosol. Cathech. 15. Ambros. in Luc. 21. Origen. in Matth. Hilar. libb. ad Constantium, Athanas. Epist. ad Solitar.

7 1. Joann. 2. 18.

8 Syr. Est. Gagn. Cornel. Menoch.

9 Græcus non habet, *teneat*, quod in Bibliis Latinis solummodo legitur.

10 Μόνον ὁ κατέχων ἄρτι, ἕως ἐκ μέσου γένηται.

11 Vers. 6. Καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε.

12 Vide Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21.

13 Ita Patres passim, & Interpretes Catholici.

14 Theodoret.

etiam quodammodo superioribus, decertantem; quandoquidem adorandus erat, tamquam Deus, atque in Apostasiam tot CHRISTI fideles pertracturus, S. Paulus hanc eorum cogitationem prævertit, dicens: satis futurum, ut Dominus oris sui flatum emittat ad eumdem vincendum, ac delendum; vel se illi tantummodo ostendat, ut ipsum ad nihilum redigat: *quem interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui*. Hoc palam jam prædixerat Isajas 11. 4. de JESU CHRISTO loquens, tamquam de germine Jesse: *Percutiet terram virga oris sui, et Spiritu labiorum suorum interficiet impium*.

Lineamenta, quibus hoc in loco Apostolus describit *hominem peccati, filium perditionis, qui adversatur, & extollitur super omne, quod dicitur Deus* [1], perfectà adeo Simoni Mago conveniunt, ut ex iisdem hic non agnosci ferme non possit. Hic impius venturus est tempore præstituto, *& Dominus interficiet illum Spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui*. Nemo nescit, Simonem pro Deo haberi voluisse, atque se Christum esse asseruisse [2]. S. Hieronymus in Matth. 24. ex libro quodam Nebulonis hujus has profert blasphemias: *ego sum Verbum Dei, ego sum pulchritudo Dei, ego sum Paraclitus, ego sum Omnipotens, ego sum, quidquid est Dei*. Ille autem nondum viveret solum, verum etiam post mortem, tamquam Deus habitus fuit [3]. Sanctus Cyrillus Jerosolymitanus Cathech. 6. illi tribuit ea verba ex 1. S. Joann. Ep. c. 18. *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*; ideoque ad ipsum transferenda ea etiam sunt, quæ immediate antecedunt, *& nunc Antichristi multi facti sunt*. Mortis etiam genus, qua Simon Magus interiit, mirum in modum S. Pauli prædictionem confirmat. Calamitosus hic homo conatus ostendere se, tamquam Messiam, & filium Dei, ut olim JESUS CHRISTUS, in Cœlum ascendere posse [4]: nihil magicæ artis suæ intentatum reliquit, ut conatus e voto cederent. Se Populo Romano inspectante, in aerem sublatum iri spoponderat; cumque a duobus dæmonibus ignito curru per aerem veheretur [5], SS. Petro, & Paulo, qui Romæ erant, tantum Ecclesiæ dedecus deprecantibus, præceps in terras cecidit, ejusque crura perfracta sunt. Inde vero ablatus præ dolore, atque pudore de summo domus, ubi morabatur, culmine, cum se se præcipitem dedisset, interiit [6]. Ita Dominus JESUS interfecit illum Spiritu oris sui, & destruxit eum illustratione adventus sui. Verum hæc omnia non aliud erant, quam symbolum eorum, quæ sub Mundi finem in Antichristi persona eventura sunt.

℣. 9 CUJUS EST ADVENTUS SECUNDUM OPERATIONEM SATHANÆ.] Ad fallendos simplices multitudine præstigiorum suorum, quæ tanta erunt, ut electi etiam periculum subituri sint, ne & ipsi fallantur [7]. Omnem potestatem suam pro Antichristo Satanas exercebit, *prodigiis mendacibus*, vel cum Græco textu *miraculis erroris*, hoc est, in errorem impellentibus, vel fictis miraculis, verorum prodigiorum speciem tantum habentibus [8]. Patres miraculorum Antichristi naturam quærentes, abeunt in diversa: Qui tenent, Deum unum vera miracula operari posse, asserunt, dæmonem nonnisi in speciem, & ficta per Antichristum prodigia operaturum. Sanctus Hieronymus ad Algasiam quæst. 11. hæc miracula cum illis confert, quæ Pharaonis Magi operati sunt; & ait, non secus ac Moysis virga in anguem immutata virgam Magorum, quæ in speciem, & ipsa videbatur in serpentem conversa, devoravit; ita veris Domini miraculis falsa Antichristi prodigia esse evertenda. *Ita mendacium* A *Antichristi veritas devorabit*. S. Joannes Chrysostomus, atque Theophylactus hæc fallacia, atque in errorem impellentia vocat miracula, & Theodoretus hic perspicue ait, hæc non vera fore miracula, sed mira quædam astus adinventa, qualia præstigiatores facere consueverunt.

Verum enimvero S. Augustinus [9] pluribus in locis operum suorum tenet, dæmones, & Magos eorum ope vera miracula operari posse; impios nonnumquam, non secus ac bonos eadem efficere, & nos a Dei Filio edoceri, novissimis temporibus miraculorum non defuturos opifices, qui electos etiam, si fieri poterit, in errorem impellere conabuntur [10]. Nonne S. Paulus ait, miracula eo usque insignia patrari posse, ut montes ipsi transferantur, quin charitas habeatur [11], & Deo B jucundus sit. S. Doctor, quem nuper attulimus, nequaquam laborat, Donatistarum miracula confutaturus; hoc unum ait, quod licet vera essent, nihil inde contra veritatem argui posset, quoniam extra unitatem fiebant [12].

Loquutus vero de Antichristi miraculis per occasionem verborum hujus versiculi, quem explicamus [13], ait: nonnullos credere *miracula mendacii* vocari, quod in ipsis erit non res, sed species tantum verorum miraculorum, & quod oculi eadem spectantium fallentur; alios vero affirmare, licet ea vera essent miracula, dolosa tamen, vel mendacia, vel fallacia appellari, quod in errorem inducent eos, qui ignorabunt, Dæmoni quoque potestatem esse prodigia operandi, eo præsertim tempore, quo a Deo majorem, quam antea, C obtenturus est potestatem. *An quia illa ipsa, etiamsi erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros non ea potuisse, nisi divinitus fieri: virtutem Diaboli nescientes, maxime quando tantam, quantam numquam habuit, accipiet potestatem*.

S. Gregorius Magnus omnino eadem, ac S. Augustinus sentiebat. Ait enim [14], & Hæreticos nonnumquam miracula operari, quorum permittit Deus, ut inanem in hoc Mundo remunerationem recipiant iis in laudibus, quas eadem ipsi promerentur: Ecclesiam vero miracula ab Hæreticis facta contemnere, quandoquidem novit, miracula non esse meriti, & sanctitatis argumenta; & didicit a JESU CHRISTO, novissimo Judicii die non defuturos complures reprobos [15], qui dicent: Domine, nonne prophetavimus in nomine D tuo, nonne dæmonia ejecimus, nonne miracula operati sumus? quibus respondebit Dominus: nescio vos. Alibi etiam ait [16], Antichristi tempore Deum Ecclesiam suam miraculorum dono orbaturum, atque huic JESU CHRISTI inimico permissurum, multa, insigniaque miracula operari, ut fidelium fides magis adhuc admirabilis videatur, quod nullis suffulta miraculis, vigebit. Hoc unum statuit discrimen inter electorum, atque reproborum miracula [17], quod illa quidem ad salutem deducunt; hæc vero ab eadem abstrahunt, tum eos, qui; tum eos, pro quibus illi operantur.

Simonis autem Magi miracula a Magia profecta fuisse Patres arbitrantur. Liquet, plurima ab ipso fuisse patrata; conabatur enim saltem in speciem ea omnia perficere, quæ verissime fecerat JESUS CHRISTUS [18]. Ejus E discipuli ipsius exemplum sequuti omnia præstigiorum, & sortilegiorum genera conquirebant [19], jactitantes se ex inferis etiam Prophetarum manes evocationibus suis educere posse [20]. Vidimus jam supra, illum conatum per aerem ferri, tamquam volaret. Et sane plurima oportet ab eodem patrata fuisse prodigia, ut eam discipulorum, quibus stipatus erat coronam, & divinos hono-

1 Supra vers. 3. 4. 2 Augustin. de hæres. cap. 1.
3 Justin. Dialog. p. 349. Clem. Alex. strom. l. 2. 4 Maxim. Taurin. hom. 54.
5 Arnob. l. 2 p. 50. Cyrill. Jerosolym. Cathech. 6. Ambr. Hexaemer. l. 4.
6 Arnob. lib. 2. Maxim. Taurin. homil. 54. Constit. Apostol. lib. 6. cap. 9.
7 Matt. 24. 24. 8 Chrysostom. 9 Aug. l. 83. qq. q. 76. n. 3. 4. & serm. 90. n. 5. nov. ed.
10 Matth. 24. 24. 11 1. Cor. 13. 2. 12 Aug. in Joann. tract. 13.
13 Lib. 20. de civit. c. 19. 14 Greg. Magn. l. 20. c. 7 moral. in Job.
15 Matth. 7. 22. 16 Greg. Moral. l. 34. c. 3. 17 Greg. hom. in Evang. l. 2. hom. 29 n. 4.
18 Orig. l. 5. contra Cels. 19 Iren. lib. 1. cap. 20.
20 Tertull. de anima c. 57.

honores, qui eidem fuerunt delati, promeretetur.

℣. 10. ET IN OMNI SEDUCTIONE INIQUITATIS.] Non satis erit Antichristo miraculis, & Magiæ opificiis uti ad simplices, reprobosque fallendos, & ab Ecclesia Dei divellendos; sed nihil intentatum relinquet eorum, quæ colola nequitia illi suggerere poterit; illecebras, munera, honores, bona, voluptates, promissiones, amoris, & confidentiæ signa; atque, ut verbo me expediam, quidquid ille ad fallendum accommodatissimum censebit; *in omni seductione iniquitatis*, sceleris, injustitiæ, mendacii. *Ii, qui pereunt*, reprobi sunt [1], increduli, Apostatæ, qui justo Judicio Dei, & ea eorum culpa traditi erunt in nequitiam cordis sui, & JESUM CHRISTUM relinquent, ut adversarium ejus sequantur, vel etiam infideles, quorum nequitia tanta erit, ut ne in JESUM CHRISTUM quidem credituri sint, licet ipsis veritas annunciaretur [2]. Veruntamen ejus illecebræ, miracula, doli, nullam in electos potestatem obtinebunt, quemadmodum JESUS CHRISTUS pollicitus est, dicens, Matth. 24. 24. Antichristi miracula tot, ac talia futura, ut si fieri possit, ipsi etiam electi in errorem inducantur.

ET QUOD CHARITATEM VERITATIS NON RECEPERUNT.] Neque credas, eos calamitosos homines, qui Antichristum sequantur, ulla ad id necessitate compelli: licet vehementissimæ illius sint persecutiones, speciosissima ejus miracula, callidissimi doli; attamen non perdet, neque fallet, nisi qui petire, & falli volent. Qui sincere veritatem amabunt, cujus cognitionem a JESU CHRISTO obtinuerint, & qui attenti operæ, quam sibi ille præstiterit; omnes Antichristi dolos, & laqueos evitabunt. Qui vero in incredulitate, & infidelitate peribunt, ipsi quoque culpa sua interibunt, quod veritatem recipere, & amare noluerint. Hi postremi characteres Antichristi a S. Paulo memorati Simoni Mago nihilo secius conveniunt, quam quos hactenus vidimus. Hic illusor non seduxit tantum populos fictis miraculis, verum etiam *omni seductione iniquitatis*, quæ in scelus impellere potest *eos, qui pereunt*. Quænam errorum monstra ille non docuit, in quæ flagitia non cecidit? Primi Heretici, qui JESU CHRISTI Ecclesiam laniarunt, illius erant discipuli, perniciosissimis imbuti sententiis de Angelorum generatione, & de *Æonibus pleroma*, vel plenitudinem, & phantasticam Divinitatem constituentibus [3]. Satis compertæ sunt blasphemiæ, quas proferabat de Helena sua [4] impudentissima meretrice, quam secum adducebat; & neminem fallunt turpissimæ libidines, quibus se, & suos coinquinabat [5]. Patres [6] narrant tanquam certissimum, a Simonianis Angelos Idololatria cultu fuisse adoratos, atque Simonem, & Helenam ab iisdem sub Jovis, atque Minervæ imagine exhibitos thure placari consuevisse.

Hos S. Paulus vocat *seductionem iniquitatis iis, qui pereunt*. Tales erant infelices illi Simonis discipuli, quibus Dominus gravissimo justitiæ suæ effectu misit *operationem erroris, ut crederent mendacio*. Non satis perspicue novimus, quinam futuri sint errores, & quænam scelera Antichristi; verum conjecturam adstruere de illis possumus ex, quæ nuper sumus intuiti; si res ipsa figuram debet excedere, quid fiet de illusionibus, atque abominationibus, quæ ad Mundi finem videbuntur, si ez, quæ ipsis Ecclesiæ primordiis visæ sunt, tantæ, atque adeo terribiles fuerunt?

℣. 11. IDEO MITTET EIS DOMINUS SPIRITUM ERRORIS.] Cave, credas, Deum directe impiis illusio-
A nes immittere, eos tentare, vel in mendacium, atque errorem inducere. *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat* Jacobi 1. 13. Veruntamen sæpe justo judicio suo tradit mendacio eos, qui veritatem contempserunt; in errore, & reprobo sensu eos delerit, qui mendacium, atque libidinem tantum amarunt. Vult Deus omnes salvos fieri [7]; JESUS CHRISTUS illis instravit vias, ut facilius ad salutem pervenire possent: ergo si pereunt, sua tantum culpa pereunt. Deus nonnumquam hominum peccata aliis peccatis punit [8], in quæ illos labi permittit. Illorum audaciam persequitur, iis tentationibus, quibus illos obnoxios esse patitur. Hic vero punit impiobos per Antichristum, quem ad illos mittit, & cui eosdem tentandi facultatem permittit. Integrum relinquit Dæmoni contra illos
B omnem exercere potestatem, & nequitiam suam per Antichristum, quem ipse reget, atque afflabit.

Veteres non pauci [9] hoc intelligunt de Judæis, quibus permittit Deus, ut Dæmon, & Antichristus mendacium persuadeant per ea miracula, quæ coram ipsis operabuntur; id vero, quod recipere noluerunt veritatem, quam ipsis JESUS CHRISTUS prædicavit. Judæi primi decipientur operibus, atque illusionibus illius parentis mendacii; non secus ac Judæi plures, & Samaritani Simonem Magum sequuti sunt.

℣. 13. QUOD ELEGERIT VOS DEUS PRIMITIAS IN SALUTEM.] Deo gratias ago quam maximas, quod vos, fratres, ad fidei, & veritatis suæ cognitionem,
C atque ad *sanctificationem Spiritus*, hoc est ad justificationem eam vocaverit, quam per baptismum, atque infusionem Spiritus Sancti recepistis, a quo corda vestra luminibus, & gratiis repleta fuerunt. Vel cum Sancto Chrysostomo [10]: *quod vos elegerit per sanctificationem Spiritus, & per fidem in veritate*. Vos elegit, atque in numerum filiorum suorum vocavit per donum fidei, & per gratiam justificantem, quam in baptismo accepistis.

Electi fuistis tanquam *primitiæ*, tanquam portio electa, & distincta inter tot alios, qui in infidelitate, & umbra mortis permanserunt. Græcus legit [11]: *Vos elegit ab initio*, pro: *Vos elegit primitias*. Verum enim vero Græca quædam exemplaria Vulgatæ similia sunt [12]. Consuevit S. Paulus *primitiarum* nomine [13] eos appel-
D lare, qui in aliqua Civitate, aut Provincia primi fidem amplexi sunt; cujusmodi erant in Macedonia Thessalonicenses. Porro cum ait, ipsos *electos* fuisse, nequaquam inferendum est, eos omnes in Electorum, atque prædestinatorum numero fuisse: hæc quippe vocationis est electio, quæ illos in Ecclesia, & in vis salutis constituit. Eorum deinde refert, orare Deum, ut sibi necessaria non deneget auxilia, ut secundum vocationem suam vitam traducant, & ut gratiæ, quam receperunt, respondeant.

℣. 15. STATE, ET TENETE TRADITIONES.] State constantes in fide, atque virtutum exercitatione, & servate traditiones eas, quas didicistis, seu quæ ad doctrinam pertinent e. g. extremum Judicium, & Antichristi adventum (vide supra ℣. 5.) seu quæ spectant
E ad morum disciplinam: Apostuli enim pauca scriptis mandabant, immo plures etiam nihil scripserunt, satis esse rati, si viva voce docerent, & fidelibus attentisque testibus traderent veritates eas, quas viva voce a Salvatore nostro receperant, qui nihil scripsit unquam. Patet ex hoc loco, S. Chrysostomus inquit [14], Apostolos non omnia scripsisse, sed verbo tenus complora docuisse. Utraque veritates none sunt fidei nostræ objectum, sive in Scripturis, sive in traditione

1 Est. From. Cornel. 2 Chrysostom. Theophylact.
3 Vide Nazianz. orat 23. & 41. Euseb. in Marcell. lib. 4. 4 Justin. apolog. 2. Iren. lib. 1. cap. 20. Epiphan. hæres. 21. 5 Iren. lib. 1. cap. 20 Euseb. lib. 2. cap. 13. Hist. Eccles.
6 Tertull. præscript. cap. 33. Epiphan. hæres. 21. Aug. de hæres. Iren. lib. 1. cap. 20.
7 1. Timoth. 2. 4. *Deus vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*
8 Vide Hieronym. ad Algasium, Theodoret Theophylact. Oecumen. Anselm. hic. Vide Augustin. lib. 5. contra Julian. cap. 3. Cornel. à Lap. & Est. hic. 9 Ambrosiast. Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Oecumen. Hieronym. ad Algasiam qu. 11. 10 Chrysostom. Theophylact. Syr. Varab. alii.
11 Εἵλετο ὑμᾶς ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς. 12 Alii: Εἵλετο ὑμᾶς ἀπαρχήν. Vide Mill.
13 Rom. 16. 5. & 1. Cor. 16. 15. 14 Chrysostom. hic. Vide & Theodoret. & Theophyl. Est. Grot.

fuerint servatæ. Ecclesiæ igitur traditio fidem nostram meretur: hæc autem traditio; nihil ergo ulterius requirite. Hæc docet Divus Chrysostomus, quæ minime abhorrent ab iis, quæ Patres antiqui docuerunt [1], quorum doctrina instaurata fuit in Tridentino Concilio [2], docente, Catholicæ Ecclesiæ veritatem, & disciplinam cum in Sacris Libris, tum in iis traditionibus contineri, quæ ex ejusdem JESU CHRISTI ore vel Apostolorum ejus exceptæ fuerunt, & quæ deinceps ad nos usque, veluti per manus traditæ ad instar annulorum in jugi catena traductæ, & servatæ fuerunt.

℣. 16. IPSE AUTEM DOMINUS.] Ipse nobis apertissima, & maxima amoris sui tradidit argumenta, nos evocans ad fidem, atque secernens ex ingenti eorum turba, qui in sua intereunt infidelitate [3]. *Ipsa dedit consolationem æternam*, per fidem, atque baptisma peccatorum nostrorum conferens remissionem, ac firmam nobis spem tribuens, post hanc vitam Cœlesti beatitudine perfruendi, nobis regnum suum promittens, nobisque promissionum suarum arrhas tribuens per Spiritum Sanctum in cordibus nostris [4] inhabitantem, & per gratiam ibidem ab illo effusam, *spem bonam in gratia*.

℣. 17. EXHORTETUR CORDA VESTRA.] Græcus quidem, & Vulgata significant, exhortetur, vel animet corda vestra; sed Græca vox [5], quæ *exhortari*, significat etiam *consolari*, qui sensus hoc in loco accommodatior videtur: attamen Divus Chrysostomus [6], atque Theophylactus in utroque sensu intelligunt, & exhortandi, & consolandi. Vos consoletur bonorum operum exercitatione, bonisque sermonibus; eorum enim, qui veri fideles sunt, consolatio in bonis tantum operibus consistit. Vel vos in bono, & veritate confirmet: nam sine peculiari Dei ope in neutro perseverabitis; sine illo, animo deficietis, in peccatum, erroremque cadetis.

1 Iren. lib. 3. contra hæres. cap. 3. 4. Tertull. de corona mil. cap. 3. Basil. ad Amphiloch. de Spiritu Sancto cap. 29. Epiphan. hæresi 61. Augustin. Epist. olim 118. nunc 54. ad Januar.
2 Concil. Trident. sess. 4. cap. 1. 3 Rom. 5. 8. 9. 8. 37. Ephes. 2. 4.
4 Ephes. 1. 13. 14. 5 Παρακαλέσαι τὰς καρδίας ὑμῶν.
6 Chrysostom. Theophylact. hic.

CAPUT III.

Petit Thessalonicensium preces, quibus de manuum labore præcepta tradit, cujus exemplum illis jam præbuerat, cum apud illos prædicaret. Jubet, eosdem secedere ab iis, qui inertem vitam ducunt, ita tamen, ut semper eosdem fratrum loco habeant. Salutatio manu sua.

1. DE cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, & clarificetur sicut & apud vos: 2 Et ut liberemur ab importunis, & malis hominibus: non omnium enim est fides. 3 Fidelis autem Deus est, qui confirmabit nos, & custodiet a malo. 4 Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam quæ præcepimus, & facitis, & facietis. 5 Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, & patientia Christi. 6 Denuntiamus autem vobis fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. 7 Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos. 8 Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione, nocte, & die operantes, ne quem vestrum gravaremus. 9 Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. 10 Nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. 11 Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. 12 Iis autem, qui ejusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo: ut cum silentio operantes, suum panem manducent: 13 Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes. 14 Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur: 15 Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. 16 Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis. 17 Salutatio mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola, ita scribo. 18 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

℣. 1. DE CÆTERO ORATE PRO NOBIS.] S. Paulus ex fidelibus petit, ut pro se divinam opem implorent; præclarum hac in re perfectæ humilitatis tribuens exemplum, atque ostendens, nos etiam alienis precibus maxime indigere. Sæpe fratrum nostrorum Orationi nostrum progressum, atque perseverantiam in bono debemus. Hic vero cupit, ut per Thessalonicensium preces *sermo Dei currat, & clarificetur* apud alios populos, quemadmodum apud illos jam fuerat clarificatus,

nus, & infideles illud tanta docilitate recipiant, ac tanto zelo exerceant, quanto illum Thessalonicenses & receperant, & exercuerant.

℣. 2. UT LIBEREMUR AB IMPORTUNIS, ET MALIS HOMINIBUS.] S. Paulus tunc aderat Corinthi, eique contra Judæos, incredulos, Ethnicos, & falsos fratres erat decertandum. Ipse etiam nos docet, sibi ea in Civitate plurima fuisse ferenda [2], cumque Judæi, quibus aliquandiu prædicaverat, in illum insurgerent blasphemias evomentes [2], ab illis recedere debuit, in ipsos excutiens vestimenta sua, eisque dicens: Sanguis vester sit super caput vestrum. Maxima autem illi opus fuit constantia tot inter labores, atque pericula; & JESUS CHRISTUS nocte quadam apparuit illi, eundem consolatus [3], jubens, bono animo esse, atque Corinthi fidenter permanere; magnus enim ea in Urbe populus aderat.

NON OMNIUM EST FIDES.] Non omnibus datum est esse fideles, & fidem amplecti. Hoc Dei donum est, quod iis tantum, quibus eidem placet, impertit [4]. Ubicumque inveniuntur fidei obices, veritatis inimici, & omnes, qui Dei vocationi, & Evangelii prædicationi resistunt. Ne scandalum vobis inferant ea, quæ patimur, Deoque gratias agite, qui vos ad fidem vocavit, vobisque ingenium docile, & cor intelligens tribuit.

℣. 3. FIDELIS DOMINUS, QUI CONFIRMABIT VOS.] In fide, & virtute. Confido in ejus clementia, atque promissionibus, futurum ut salutis opus, quod in vobis incœpit, etiam perficiat [5]. Deus nunquam prior eos derelinquit, quos semel per gratiam suam justificavit [6].

CUSTODIET A MALO] Spiritu [7], ab insidiis Dæmonis, a conatibus omnium improborum, qui communis hujus bonorum omnium hostis Ministri sunt, atque instrumenta.

℣. 4. CONFIDIMUS AUTEM DE VOBIS.] Futurum, ut Dei ope, nomine, & gratia adimpleatis ea omnia, quæ vobis præcipimus. De vestra fidelitate haud queror quidem; verum spero futurum, ut in posterum major sit, & diligentior. Ex iis, quæ sequuntur, videbimus in Ecclesia hac non defuisse abusus quosdam in iis præsertim, quæ pertinent ad otium, & inertiam, aliaque mala, quæ ex illis proficiscuntur.

℣. 5. DOMINUS AUTEM DIRIGAT CORDA VESTRA IN CHARITATE DEI.] Græci textus sententia hæc est [8]; repleat Dominus corda vestra sua charitate, vobisque gratiam conferat, ærumnas vestras eodem patientiæ spiritu perferendi, quo JESUS CHRISTUS pro vobis contumelias, & mortem perpessus est. Vel; vobis tribuat solidam spem, ut promissiones, & remunerationes ejus præstolemini [9]. Patientiam charitati conjungit, quoniam altera alterius argumentum est. Græci Patres [10] in hoc versiculo tres Sanctissimæ Trinitatis personas deprehendunt. *Dominus* Spiritus Sanctus, qui nostra dirigit corda, eaque accendit ad amandum *Deum* Patrem, & JESU CHRISTI patientiam imitandam. Hoc etiam loco ad Filii Divinitatem probandam utuntur.

℣. 6. DENUNTIAMUS VOBIS IN NOMINE DOMINI.] S. Paulus hoc in loco utitur auctoritate, atque præcipit, ut Thessalonicenses se se *subtrahant ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt* ab ipso. Hæc mala quibus tanta cum severitate se se opponit, nequaquam gravia sunt scelera, pudori, justitiæ, honori Ecclesiæ contraria; neque crimina sunt cum gravi scandalo conjuncta, quorum sexcenta hodie apud Christifideles grassantur; sed ea mala sunt, quæ nonnulli vel nullo habent in discrimi-

A ne, vel potius defectus, aut imperfectiones, quam vera peccata, arbitrantur. Hujusmodi vero sunt inanis curiositas, inertia, otium; alienis se se immiscere negotiis, quiescere non posse, neque suo labori vacare, & conticescere. Hæc ea mala sunt, contra quæ Apostolus quandam excommunicationis speciem ejaculatur: *ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate*. Nihil sane magis priscorum Christifidelium perfectionem probat, totamque sanctitatis specimen tradit, quam hæc S. Pauli severitas.

Sancti Chrysostomus hic, & Augustinus [11], necnon Theophylactus hic, aliique plures per hanc secessionem quandam excommunicationis speciem intelligunt: ejus vero effectus in eo videtur Divus Chrysostomus ad ℣. 13. 14. coarctare, quod qui in hoc statu e-

B rat, illi minime integrum esset loqui cum fratribus suis; ab illis eleemosynam cum silentio accipiebat, quin cum illis loqueretur, nisi ut eos corriperet, eosque ad pœnitentiam hortaretur: quod separationis genus olim tanquam gravissimum supplicium apud Christianos fuisse Theophylactus animadvertit, qui tamen addit, ævo suo non amplius consuetudinem obtinuisse.

Monasticarum regularum Institutores illius tamen consuetudinem in Cœnobiis semper retinuerunt, & S. Benedictus perspicuis verbis duplex excommunicationis genus distinguit; aliud majus, quo homo Sathanæ traditur, & fratrum suorum auxilio, & precibus privatur [12]; minus alterum [13], quæ est a communi mensa, vel a fratrum societate sejunctio. S. Hieronymus quoque in Sanctæ Paulæ vita de ea loquitur excommunicatione

C Monastica, quam Sancta Mulier cum iis Sanctimonialium suarum exercebat, quæ verbosæ, & procaces jurgia serere gestiebant: *quam linguosam, garrulam, ac procacem, rixisque perspexerat delectari, & sæpius commonitam nolle converti, inter ultimas, & extra conventum Sororum ad fores triclinii orare faciebat, & separatim cibum sumere*. Hæc eadem peccata sunt, pro quibus præcipiebat Apostolus, ut Thessalonicenses ab inordinatis fratribus sejungerentur.

ET NON JUXTA TRADITIONEM.] S. Paulus viva voce docuerat, suoque exemplo ostenderat [14], in Fidelium societate pacem esse servandam in silentio, labori vacandum, neque aliena facta quærenda; & hanc Thessalonicensibus reliquerat traditionem, cujus Ecclesia semper mentem servavit, licet disciplina pœ-

D nas immutaverit, quibus in hujusmodi errata animadvertebatur.

℣. 7. QUEMADMODUM OPORTEAT IMITARI NOS; QUONIAM NON INQUIETI FACIMUS.] Nunquam fuimus inquieti turbarum amatores, susurrones. Græcus [15]: *apud vos inordinati non fuimus. Inordinati* nomen hoc in loco in eodem sensu, ac superius usurpatur, pro ignavo homine, otioso, inerti, qui omnia vestigare capit, atque se se alienis negotiis commiscet. Deus hominem labori addixit; statim ac oriatur, jam inordinatus est. Labor, inconstantiæ, & levitatis humani cordis est medicina. Quicumque otium amat, statim corruit in ea peccata, quæ plurima ab eodem emanant.

℣. 8. NEQUE GRATIS PANEM MANDUCAVIMUS.]

E Licet nobis jus esset, ut a vobis ea, quæ ad victum sunt necessaria, exigeremus, & ministerium nostrum nos a manuum labore dispensaret; attamen ne vobis graves essemus, atque ut vobis præberemus exemplum laboris, atque sedulitatis, qua Dæmonis tentationes, atque insidiæ evitandæ sunt; haud dedignati fuimus manuum nostrarum opera victum nobis comparare, idque *in labore, & fatigatione*, non solum successivis horis,

1 1. Cor. 2. 3. & 1. Thessal. 3. 7. 2 Act. 18. 5. 6. 3 Act. 18. 9. 10.
4 Ephes. 2. 8. Philipp. 1. 29. Joan. 10. 26. 2. Thessal. 2. 13. Vide Est. Menoch. Tirin.
5 2. Cor. 1. 8. 9. 1. Thessalonicens. 5. 24. Theophylact. hic.
6 Concil. Tridenr. sess. 6. cap. 11. 7 Ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.
8 Ὁ δὲ Κύριος κατευθύναι ὑμῶν τὰς καρδίας εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ.
9 Theophylact. 10 Theodoret. Basil. apud Theophylact. hic. Confer 2. Cor. 3. 17. *Dominus autem spiritus est*. 11 Augustin. lib. contra Epist. Parmen. cap. 2. & contra Donatistas post collationem cap. 4. & lib. de fide & de operib. cap. 2. 12 S. Bened. Reg. cap. 24 & 26.
13 Idem Regul. cap. 25. Vide Hæften. Disquis. Monastic. lib. 2. tract. 4. Disquis. 1. & 2.
14 Theodoret. Theophylact. 15 Οὐκ ἠτακτήσαμεν ἐν ὑμῖν.

sed nocte, & die non simpliciter ad inertiam evitandam, sed de industria ad victum quærendum, & ne alicui essemus onerosi [1]. Hoc non secus ac ea, quæ superioribus duobus versiculis inquit [2], innuunt, fideles Thessalonicæ fuisse pauperrimos.

℣. 9. NON QUASI NON HABUERIMUS POTESTATEM.] Ea vobis victum petendi, neque ministerium nostrum satis legitima esset causa, ut nos e labore vacaremus. Nonne ipse etiam JESUS CHRISTUS, ait Matt. 10. 10. *dignus est operarius cibo suo*, & omnibus ex ministerio suo esse vivendum? Vel; *quis militat suis stipendiis umquam* 1. Cor. 9. 6. at nos voluimus in nobismetipsis exemplum præbere vobis feriæ, & occupatæ vitæ, quæ vobis ducenda est: ergo si ego, qui minime tenebor, ut vobis exemplum præberem, non renui me labori subjicere: quid vobis faciendum non est, vobis inquam, quibus Deus hoc faciendi necessitatem imposuit, & per conditionis vestræ munus, & per legem, quam vobis t irrogavit.

℣. 10. SI QUIS NON VULT OPERARI, NEC MANDUCET.] Hoc adagium est, olim apud Hebræos commune [4], & apud profanos etiam non infrequens. Omnes populi inertiam semper oderunt, atque ideo paupertas coacta turpis est adeo, quia qui pauper est, talit esse ducitur, eo quod diligentia caruerit, atque laborem fuerit perosus. Apud veteres populos dies dicebatur, atque mulcta irrogabatur illis, qui inertiæ sedarguebantur [5]. Cæterum cum S. Paulus ait: *Si quis non vult operari, non manducet*, simpliciter innuit hunc, qui eleemosynam recipiebat, dignum non esse, ut manducet: verumtamen minime prohibet, quin minus [6] erga eumdem charitas exerceatur, quemadmodum inquit inferius ℣. 13.

℣. 11. AUDIVIMUS INTER VOS QUOSDAM AMBULARE INQUIETE [7].] Nec deesse inertes homines, & inordinatos, atque ignavos, de quibus supra sermo fuit, qui propria negligunt negotia, ut aliena curent; curiosi, inconstantes, verbosi, inquieti, susurrones, qui vana serere gestiunt, qui turpissimis assentatiunculis libertatem sibi comparant, divites adeundi, & jus ab iis panem, vel obolum petendi.

℣. 12. DENUNTIAMUS, ET OBSECRAMUS IN DOMINO.] Suavitatem severitati, preces commiscet imperiis. Loquitur tamquam Apostolus, & tamquam Pater. Vult, ut homines hujusmodi *cum silentio operantes, suum panem manducent*, & manuum suarum labore victum sibi comparent; qui enim stipem emendicant, non suo, sed alieno pane vescuntur [8]. Igitur eleemosyna illis eroganda non est, quibus supperunt ad laborem vires, & minime laborant, ait Theophylactus ad vers. 11. hoc enim est illos in vitio, atque in inertia enutrire.

℣. 13. VOS AUTEM NOLITE DEFICERE BENEFACIENTES.] Cavete, ne malos pauperes, de quibus modo loquutus sum, & a quibus præcepi, ut vosmet subtrahatis evitarum, cavete inquam, ne veros pauperes repellatis. Ne deseratis illos etiam, qui eleemosynam sibi fieri non merentur; duplicem erga illos charitatem exercete; vestro oris habitu illis ostendite, inertiam ipsorum a vobis improbari [9], & tamquam fratres corripite eodem tempore, quo manum porreditis, ut E eorum egestati subveniatis. Alioquin posseris sub hoc prætextu veris pauperibus, & qui effectibus liberalitatis vestræ dignissimi sunt, eleemosynam denegare. Melius est pauperi indigno opem ferre, quam digno A renuere: sæpe enim, ubi pauperes secernere cupis; abit occasio benefaciendi.

℣. 14. SI QUIS NON OBEDIT .... HUNC NOTATE.] Si quis non obtemperat iis, quæ in Epistola nostra præcipimus, notate illum. Vel, si quis non obedit iis, quæ præcipimus, hunc indicate mihi in Epistola a vobis scribenda [10]; ut videam, quid pro illius correctione faciendum sit. Sed prior versio probatior est. *Hunc notate*, illum evitate, quemadmodum vobis dixi superius; ab illo per quamdam excommunicationis speciem secedite [11]; *& ne commisceamini cum illo, ut confundatur*, & resipiscens ad frugem redeat; hic enim omnium censurarum, omniumque pœnarum Ecclesiasticarum est finis. Ecclesia non mortem peccatoris, sed illius conversionem exoptat.

B ℣. 15. NOLITE QUASI INIMICUM EXISTIMARE.] Hic frater vester est, vos illius infirmitatis misereat; ægrum est membrum ejus corporis, cujus vos etiam membra estis. Ægritudinis ejus vos misereseat [12], quo major est ejus infirmitas, eo magis laborandum est, ut curetur. Prima excommunicatio, quæ peccatorem ab Ecclesiæ communione sejungit, illum nobis efficit tamquam Ethnicum, & Publicanum [13], atque hominem, cui ne salutem quidem dicere dignamur [14]: verum hoc in loco non agitur de hac majori excommunicatione; in qua ipsa licet etiam excommunicatos ad pœnitentiam, atque obedientiam hortari [15].

℣. 16. DET VOBIS PACEM SEMPITERNAM IN OMNI LOCO.] Pro *in omni loco*, Græca quædam exemplaria legunt [16] *omni modo*. Sed vetustiss. Manuscripti Vul-
C gatæ similes sunt, atque similiter Divus etiam Chrysostomus legisse videtur. Det vobis Deus pacem suam ubique, rebus in omnibus, & omni modo.

℣. 17. SALUTATIO, MEA MANU PAULI.] Hic ℣. & qui sequitur, manu Pauli scripti erant; reliqua vero Epistola fortasse manu Silæ, vel Timothei: verum ne fallerentur, & ne suppositiriæ Epistolæ sub nomine suo obtruderentur, isthic signum suum addit [17], & admonet, hunc sibi esse morem in Epistolis, quas, ut plurimum, per hæc verba concludit: *gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen*. Animadvertere superius potuimus cap. 2. a S. Pauli hac in re diligentiam nequaquam inutilem fuisse, quandoquidem non deerant tenebriones quidam, qui nomine ejusdem abutebantur, ut fallerent simplices afferentes falso ver-
D ba illius, atque supposititias ostendentes Epistolas, quarum illum Auctorem ferebant. Creditur, Apostolo fuisse peculiare signum, vel nota, vel modus litteras nominis sui simul impediendi, & connectendi, ut non ita facile alii possent imitari [18].

℣. 18 GRATIA DOMINI &c.] Hoc S. Paulus scribebat ad calcem omnium Epistolarum suarum [19], licet non semper iisdem vocibus uteretur. *Amen* fortasse ab Ecclesiis, vel a Librariis additum fuit, ut lectio, vel hujus Epistolæ scriptura concluderetur.

In Græcis Exemplaribus ad hujus Epistolæ calcem legimus, illam Athenis fuisse conscriptam, & Cophtus ait, *per Silvanum, & Timotheum* missam fuisse. Syrus vero missam fuisse dicit, *Laodiceæ Pisidiæ per Thichicum*. Auctor Synopsis, quæ S. Athanasio tribuitur,
E Oecomenius, & Mss. quidam eam legunt scriptam fuisse Corinthi, non secus ac primam ad Thessalonicenses. Veteres quidam Mss. post hanc statim Epistolam ad Hebræos subnectunt.

1 Vide 1. Thess. 2. 7. 9. 1. Cor. 4. 12. Act. 20. 34. 2 Theoph. hic. 3 Gen. 3. 17. 18. 19. 4 In Bereschit. Raba, & in Ohel-moed, & in lib. Zenor. Vide Grot. Cartrigt. Drus. 5 Ælian. l. 4. c. 1. & Herodot. l. 2. & Diodor. l. 1. de Ægyptiis. Diogen. Laert. l. 2. in Solone, de Atheniensibus: Leges Romanæ, Cod. l. unica, de mendicantibus validis. 6 Theodoret. 7 Græc. Ἀκούομεν γάρ τινας περιπατοῦντας ἐν ὑμῖν ἀτάκτως: 8 Chrysost. 9 Vide Chrys. & Theoph. hic. 10 Vide Grot. Est. 11 Chrys. Theodoret. Theoph. Erasm. Pisc. alii 12 Theodoret. 13 Matt. 18. 17. 14 2. Joan. ℣. 10. 15 Cajet. Est. 16 Ἐν παντὶ τρόπῳ. Alii: Ἐν παντὶ τόπῳ. Ita Clarom. G. L. Germ. Vechel. Ambrosiast. Hieronymiast. Borner. G. L. 17 Vide 1. Cor. 16. 21. Coloss. 4. 18. 18 Grot. Est. 19 Anselm. Est. Menoch. Bez. Pisc.

Finis Commentarii in secundam ad Thessalonicenses Epistolam.

PRÆ-

PRÆFATIO IN PRIMAM EPISTOLAM S. PAULI AD TIMOTHEUM.

S. Timotheum, Lystris Licaoniæ, ut credimus, natum [1], Origenes idcirco Pauli consanguineum fuisse duxit [2], quod Apostolus ad Romanos 16. 21. *Salutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Jason, Sosipater cognati mei.* Matre Judæa Eunice, forte ei fuerat propinquitate conjunctus: allatus vero Epistolæ ad Romanos textus utriusque cognationem perspicue non probat. Ut ut fuerit, Timotheus vel a teneris annis Sacrarum Literarum studio addictus fuerat [3], & suum Ecclesiæ nomen jam dederat, prinsquam Paulus Lystras perveniret [4]. Hunc Apostolus Fratrum omnium testimonio commendatum, suorum itinerum socium assumpsit; cum vero, quod Patre satus esset Gentili, circumcisione careret, ne Judæos offenderet, eundem Lystris circumcisione initiavit [5].

Timotheum prophetiæ, atque peculiari Spiritus Sancti jussio ad Episcopi munus accitum [6] ipsemet Paulus initiavit [7]. Quo id tempore contigerit, ignoramus; illud vero scimus, eum postquam Apostolo adhæserat, ab eo nunquam, nisi eo ipso mandante, discessisse, & una cum ipso, veluti Filium cum patre, in Evangelii prædicatione quamplurimum laborasse [8]. Una utroque in Macedoniam profecto, Paulus Berœa egredi coactus, Athenas contendit, & Silam, & Timotheum Fidelibus confirmandis Berœæ reliquit. Cum vero Paulus Athenis degeret, eo statim Timotheum accitum, ut Fidelibus persecutione vexatis præsto esset, Thessalonicam misit [9]; unde is iterum paulo post Corinthum ad Apostolum regressus est, Act. 18. 5.

Ab Apostolo Corintho Jerosolymas, & Jerosolymis Ephesum profecto, Timotheum nunquam divulsum credimus; a quo deinde una cum Erasto in Macedoniam, & in Achajam missus, ut eleemosynas in Fideles Jerusalem erogandas congereret, aliquandiu post Ephesum rediit; unde iterum discedens, una cum Apostolo in Macedoniam, & Corinthum venit; Paulus vero inde in Asiam regressus, Jerosolymas iter instituit.

An Timotheus hoc in itinere Apostolo semper comes adhæserit, ignoramus: ex eodem tamen Paulo secum Romæ tunc immorantem habemus, dum carcere detentus ad Philemonem, Philippenses, & Colossenses Epistolas dedit, quarum initium utriusque, Pauli videlicet, & Timothei, nomen præsefert.

Timotheus in carcerem conjectus fuerat paulo antequam Paulus, sub Nerone Romam primo profectus, a suis vinculis solveretur. Anno Christi 64. Hebræi Timotheum carcere dimissum, & si celerius regrederetur, cum eodem Apostolo ad se venturum, ab ipso Paulo per epistolam acceperunt [10]. Ubi tunc degeret, incertum; nisi forte Philippis Macedoniæ moraretur, quo Timotheum aliquandiu ante se missurum spoponderat [11]. Ubi vero Roma Ephesum reversus est Apostolus, Timotheum ei gerendæ Ecclesiæ reliquit; ad quem hanc, de qua modo, Epistolam misit, ejusque curæ plurima commendavit [12].

Epheso in Macedoniam anno Christi 64. Paulus profectus, inde, ut credimus, hanc Epistulam dedit, qua Timotheum monet, ut provide Pseudo-Apostolis occurrat, qui novæ doctrinæ semina Ephesi, & in Asia jacientes, scientiamque, & perspicaciam ostentantes, a Fide defecerant, & per Ecclesias errores, & hæreses evulgabant. Porro de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis ordinandis, de Viduarum curæ præficiendis, de peccatoribus publice redarguendis, de Presbyteris judicandis [13], de cœtibus dirigendis, de vita denique ab omnibus instituenda monita impertit. Agit præterea de moribus, qui Episcopos, Diaconos, & Viduas fideles decent [14]; & veluti coloribus exprimit ejus ætatis hæreticos, Gnosticus putamus, & Simonis Magi Discipulos, qui de pietate, mercaturam facientes flagitia quælibet specie Religionis obducerent [15]. Hinc Patrum testimonio factum est, ut Marcionitæ [16], Encratitæ [17], & Gnostici [18] hanc Epistolam rejicerent.

Quod Timotheus sola aqua contentus stomachu suo nimium nocuisset, ut modico vini haustu sibi provideret, medeatur, Paulus suadet [19]; eique etiam se Ephesum adventurum pollicetur, quod, ut ultimo itinere Romam contendit, per Ephesum transiens forte perfecit [20]. Hortatur denique, ut, cum annos 35. seu 40. tunc temporis ageret, gravitate, & prudentia sibi consulat, ne ejus juventus contemptui habeatur [21]; & de Hymenæo, & Alexandro fabro ærario [22], quorum primus resurrectionem mortuorum jam peractam dictitabat [23], alter vero, de quo in secunda ad Timotheum Epistola, a probitate defecerat, a se excommunicatione inustis illum certiorem facit. Horum uterque Ephesi tunc immorati videntur, sicut & hæretici, pravique Doctores; a quibus, ut sibi caveat, Timotheum monens, maxime commendat, ut a prophanis novitatibus, & fabulis, quas veluti res summi momenti illi ostentabant, penitus abhorreat.

Inscriptiones Græcis exemplaribus appositæ hanc Epistolam Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ Metropoli scriptam ostendunt [24]: quas utique nihili faciendas ducimus, quod & recentes nimium, & ab Authoribus sine ullius consensu ultro adscriptæ fuerint. Ex iis verbis [25]: *Rogavi te, ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent*: Apostolus tum eum scriberet, in Macedonia constitisse, & paulo ante a Timoheo discessisse, satis innui videtur. Ita etiam censent Critici peritiores [26], in sua Synopsi Athanasius [27], & Theodoretus [28]. Extat in Calce Commentarii Theodoreti eadem ferme inscriptio, ac in Impressis; sed vir ille doctus, vel nunquam legisse illam, & aliena manu ejus Operi adjecta videtur, vel saltem minimi illam habuit, cum in Præfatione Epistolæ ad Romanus hanc in Macedonia exaratam perspicue præferat; quod præterea etiam constat ex inscriptionibus huic Epistolę appositis in quibusdam Gręcis Mss. & aliis excusis [29]. Per Tychicum Baronius, Cophtica per Titum missam docent: utrumque incertum.

1 Vide Act. 16. 1. 2. Chrys. in Rom. hom. 19. & in 2. Timoth. hom. 8. & Theodoret. in Rom. 16. 21. Tillemont. not. 1. in S Timoth. 2 Origen. in Rom. p. 632. 3 2. Timoth. 3. 15. 4 Act. 16. 1. *Ecce Discipulus quidam nomine Timotheus: huic testimonium bonum reddebant, qui in Lystris erant, & Iconio Fratres.* 5 Act. 16. 3. 6 1. Tim. 4. 14. 7 2. Tim. 1. 6. 8 Philipp. 2. 22. 9 1. Thess. 3. 1. 2. 3. 10 Hebr. 13. 23. 11 Philipp. 2. 19. 23. 12 1. Tim. 1. 3. 13 1. Tim. 5. 19. 14 1. Tim. 3. & 5. 9. 10. 15 1. Tim. 4. 1. &c. & 6. 3. 4. 20. 21. 16 Tertull. l. 5. contr. Marcion. c. ult. 17 Origen. 18 Clemens Alex. Strom. l. 2. 19 1. Tim 5. 23. 20 1. Tim. 3. 14. & 4. 13. 21 1. Tim. 4. 12 22 1. Tim. 1. 20. 23 2. Tim. 2. 17. 18. 24 Nominis Phrygiæ Pacatianæ nulla nisi post Constantini Imperium mentio. 25 1. Tim. 1. 3. 26 Grot. Baron. Ligf. Ham. Capel. in app. Critic. p. 1919. Tillem. Gothofr. Mill. Est. 27 Athan. in Synops. 28 Theod. Præf. in Roman. 29 Edit. Complut. Froben. MSS. Lin. Laud. 2. Roc. 2. Hunt. 1. Vide Mill. ad calcem hujus Epist.

COMMENTARIUM LITTERALE IN PRIMAM S. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM EPISTOLAM.

CAPUT PRIMUM.

S. Timotheus Ephesi pseudo-Apostolis se se opponit. Amor est finis Legis. Lex non est pro justis. S. Pauli conversio effectus gratiæ Dei & ipsis etiam peccatoribus animos facit.

1. PAULUS Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, & Christi Jesu spei nostræ: 2 Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, misericordia, & pax a Deo Patre, & Christo Jesu Domino nostro. 3 Sicut rogavi te, ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent, 4 Neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis: quæ quæstiones præstant magis, quam ædificationem Dei, quæ est in fide. 5 Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. 6 A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, 7 Volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, 8 Scimus autem, quia bona est lex, si quis ea legitime utatur: 9 Sciens hoc quia lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, patricidis, & matricidis, homicidis, 10 Fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, 11 Quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi. 12 Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio: 13 Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. 14 Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide, & dilectione, quæ est in Christo Jesu. 15 Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. 16 Sed ideo misericordiam consecutus sum: ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam. 17 Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen. 18 Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, 19 Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt: 20 Ex quibus est Hymenæus, & Alexander: quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.

PAULUS

℣. 1. PAULUS APOSTOLUS SECUNDUM IMPERIUM DEI.] Apostolus incipit auctoritatem suam commendare, eo quod Timotheo charissimo discipulo suo traditurus est maximi momenti præcepta ad Ephesinæ Ecclesiæ, cui præfectus fuerat Episcopus, regimen, atque institutionem. Auctoritas, quam jure sibi vendicat, in ipsum Timotheum emanat, quoniam discipulus agere non debet, nisi secundum sui præceptoris mandata. Cæterum cum hæc Epistola in fidelium cœtu esset legenda, æquum erat, ut S. Paulus ibi cum ea dignitate loqueretur, quæ suum ministerium decebat; denique cum pseudo-Apostolos impugnet, injussos, ac sine missione prædicantes, merito in ipsa Epistolæ fronte ostendit, se non alteo ad Sacrum Ministerium obrepsisse, sed jussu Dei, & vocatione ejusdem Provinciam hanc suscepisse.

Deum autem *Salvatorem* appellat, & JESUM CHRISTUM *spem nostram* dicit [1]; & sane Deus Pater Domini nostri JESU CHRISTI est nostra salus, ac noster Salvator. Ipse nos salvos fecit per JESUM CHRISTUM, ipse nobis salutem simul tribuit & Salvatorem. In Veteris Testamenti Scriptura [2] sæpe salus, & Salvator vocatur, neque aliter nonnumquam appellatur in Novo [3], licet rarius: quia Salvatoris appositum præcipue appingitur JESU CHRISTO, qui spei nostræ objectum est, causa, & fundamentum.

℣. 2. TIMOTHEO DILECTO FILIO:] nam S. Paulus illum in JESU CHRISTO genuerat, quemadmodum vidimus in Præfatione, & semper erga illum auctoritatem, & amorem Patris servaverat, quemadmodum Timotheus vicissim erga S. Paulum amorem, & obedientiam veri filii piæ se tulerat. Græcus typis editus legit [4]: *Timotheo filio meo legitimo*, meo vero filio, qui mihi adhæret, me diligit, & me colit tamquam Patrem suum, qui in omnibus se mihi similem probet, ac me imitari contendit. Non desunt tamen manuscripti Vulgatæ similes, qui legunt [5]: *dilecto filio*.

℣. 3. SICUT ROGAVI TE, UT REMANERES EPHESI.] S. Paulus catenis liberatus primo itinere, quo sub Nerone Romam venit [6], in Asiam rediens Ephesum transiit, ubi ante decem annos fuerat, & ubi frequentem Ecclesiam instituerat: verum cum ibi æque diu permanere non potuisset, ac optasset, ut hos abusus tolleret, qui illuc obrepserant; ibi reliquit S. Timotheum, atque in Macedoniam tradoxit, unde ad illum hoc dedit litterarum, anno Jesu Christi 64. [7]. Credunt, Timotheum Episcopum fuisse non Ephesi solum, verum aliarum etiam quodammodo Ecclesiarum Asiæ, quæ a S. Paulo fuerant institutæ [8], & quarum Apostolo absente, cura generatim illi fuerat demandata.

NE ALITER DOCERENT.] Hi pravi Doctores Christiani erant Judaizantes [9], qui super Gentiles ad fidem vocatos auctoritatem quamdam præseferebant, rati, se multo plura quam illos scire, eosque cogere cupientes, ut legis cæremonias saltem ex parte amplecterentur; ad id abutentes auctoritate Scripturarum veteris testamenti, atque in infirmorum animos religionem injicere studentes: quod hominum genus S. Paulus confutare numquam cessavit, quemadmodum ex omnibus Epistolis ejus innotescit.

℣. 4. NEQUE INTENDANT FABULIS, ET GENEALOGIIS.] *Fabulas* vocat inanes Judæorum Doctorum traditiones, pravas eorumdem Legis explicationes, sensus allegoricos, & ut omnia verbo complectar, quidquid Judæi contra Legislatoris mentem Legi superstruxerant [10]. Qui in Judæorum libris omnino hospites

A non sunt, sed vel parumper eosdem evolverunt, haud ignorant, quot fabulosæ narrationes, atque pueriles ineptiæ ibi deprehendantur. S. Petrus in Epistola secunda c. 16. ait, se non secundum doctas fabulas JESU CHRISTI fidem prædicasse.

Genealogiarum vero *interminatarum* nomine, vel illas intelligit, quæ sunt in Scripturis, & de quibus plurimæ existunt quæstiones, atque maximæ difficultates, ut simul invicem concilientur: quæ perquisitiones licet non omnino sint negligendæ, periculosum esset tamen, ut fideles simplices, atque ignari omnium sollicite easdem scrutarentur; hoc quippe illorum fidem & pietatem posset labefactare: vel genealogias peculiarium familiarum apud Judæos, quorum alii ex semine David, alii ex Tribu Levi, vel ex alia quapiam
B Tribu originem se duxisse ferebant. Ante Babylonis captivitatem, atque Tribuum transmigrationes non ita accurate quærebatur, ex qua familia, vel Tribu Hebræus aliquis esset. Sed post ingentes eas turbas, in quibus pleræque genealogicæ recensiones interierunt, ita ut confusæ fuerint familiæ, curiosorum, atque eruditorum virorum studium fuit elaborandi, atque probandi genealogicas tabulas pro illis, qui e Concivium suorum numero ex illustri genere ortum se duxisse gloriabantur. Merito igitur hæc omnia vocat Apostolus *genealogias interminatas*; profecto enim in hujusmodi perquisitionibus nullus finis, utilitas nulla invenitur [11].

Credit Grotius, Apostolum hoc nomine indigitare velle eas genealogiarum species, quas Magi Veteres,
C Platonici, & mox Simoniani, Valentiniani, & Gnostici in sectam suam invexerunt, *Æonum* nomine, ex quibus *pleroma* suum, vel phantasticam dignitatem componebant. Alii quidem plures, pauciores alii admittebant. Simon Magus, qui tunc temporis vivebat, & qui plures habebat discipulos, variis in Terrarum oris dispersos, octo saltem admittebant, alii vero multo plures [12]. Illi quidem ignotis his nominibus ignaros confundebant, atque inanis scientiæ ostentatione fallebant simplices, quapropter *Gnostici* appellabantur, vel Sapientes, utpote qui præ cæteris Christianis vulgo essent doctiores. Videbat S. Paulus hujus doctrinæ periculum, cumque Ephesii admodum essent curiosi, verebatur, ne recens hæc doctrina illorum mentes corrumperet, atque in eorum Hæreticorum
D errores impelleret.

QUÆ QUÆSTIONES PRÆSTANT MAGIS, QUAM ÆDIFICATIONEM.] Hujusmodi quæstiones de genealogiis, seu Veteris Testamenti, quas simplices fideles simul conciliare admitebantur, seu peculiarium familiarum, quibus præstantissimam originem tribuere cupiebant, seu denique, quod magis probabile est, *Sephiroth*, vel splendorum Cabalistarum [13], vel Æonum Valentinianorum, & Gnosticorum. Hæc omnia spiritum dissipare, atque in animos curiositatem, & vanitatem immittere possunt, cum quilibet discepteт, ut sententiam suam confirmet, & pro libidine vel addat, vel adimat; hoc enim nonnisi hominum imaginationi innititur, non autem revelationi Dei, & veritati. Jubet ergo S. Paulus, nos fidei hærere, & iis, quæ
E Deus revelavit, ne aliquis in cogitationibus suis evanescat. Evangelium, & doctrina JESU CHRISTI illis nimis simplex videbatur, & parum apta captui omnium mortalium: ut illam igitur sublimiorem efficerent, quædam ex Philosophia & Cabala arcanis immiscere studebant.

Pro illis verbis: *ædificationem Dei, quæ est in fide*, Gen-

1 Κατ' ἐπιταγὴν Θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν. Alii: Θεοῦ Πατρὸς, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Alii: Θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν, καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, &c. Vide Mill.
2 Deut. 32. 15. 1. Reg. 10. 19. Psalm. 23. 5. 24. 5. 64. 5. Isai. 12. 2. 17. 10. &c.
3 Luc. 1. 47. *In Deo salutari meo*. 1. Timoth. 4. 10. Tit. 2. 10. 3. 4. Judæ 25.
4 Τιμοθέῳ γνησίῳ τέκνῳ.
5 Τιμοθέῳ ἀγαπητῷ τέκνῳ. Ita Velez. Copht. Clarom. Lat. Charissimo,
6 An. J. C. 63.
7 Vide Theodoret. prolog. in Epist. ad Rom. & Athanas. in Synopsi.
8 Theodoret. prolog. in hunc Epist.
9 Theodoret. Chrysost. Theophyl. &c.
10 Theodoret. Est. Grot. Fuller. Hulser. alii.
11 Chrysost.
12 Vide S. Iren. l. 1. c. 1. Tartull. contra Valent. c. 7. 8. 9. Fleury Hist. Eccles. tom. 1. l. 3. c. 27.
13 Vide Basnage tom. 6. l. 9. cap. 21. Edit. Paris.

Græcus legit [1], *œconomiam* vel dispensationem *Dei*, *quæ est per fidem*, vel in fide : quæ lectio est optimorum manuscriptorum, Græcorumque Patrum [2] : Attamen Syriaca versio, S. Irenæus, S. Hilarius, Ambrosiaster, Commentarii Veteres, qui S. Hieronymi nomine circumferuntur, Manuscriptus Claromontanus in Latino, & Græcæ quædam editiones Vulgatæ similes sunt. Utraque lectio optimum sensum adfert. Quæstiones, de quibus sermo fuit, nequaquam aptæ sunt fidelibus ædificandis, atque in fide confirmandis ; sed evertunt œconomiam, vel dispensationem mysteriorum, quæ Deus nobis per fidem, & in Evangelio revelavit, atque destruunt, quidquid JESUS CHRISTUS ejusque Apostoli docuerunt [3].

FINIS AUTEM PRÆCEPTI EST CHARITAS.] Ad hoc fideles hortari debes, videlicet ut minime vacent curiosis inanibusque studiis, & quæstionibus, quæ eorum fidei evertendæ aptissimæ sunt : summo in pretio habeant, atque servent depositum fidei, quam receperunt a nobis ; vivant in Charitate, cordis puritate, æquitate, & bonæ conscientiæ sinceritate. In hoc proprie Christianæ religionis perfectio consistit, ut humiliter credas, & in charitate, atque justitia vivas. Non sublimes cognitiones, non eloquentia, non Philosophandi acumen, sed virtutis exercitatio requiritur. Pro inanibus hujusmodi genealogiis, & hoc divinarum perfectionum nexu, quem pseudo-Apostoli venditant, ego vobis adferam recensionem, sed brevem, & necessariam virtutum a vobis exercendarum. Sincera fides, charitate animata, cum puro corde, atque bona conscientia conjuncta [4], hæc sit scientia vestra, hæc vestra Theologia.

℣. 6. A QUIBUS QUIDAM ABERRANTES.] Pseudo-Apostoli, de quibus hic loquitur S. Paulus proprie, neque fideles erant, neque infideles : non infideles, quia credebant in Deum, & Christianam religionem profitebantur [5] : verum neque fideles erant, quia docebant necessitatem Legalium cæremoniarum, & Christianæ religionis simplicitatem quæstionibus ineptis, interminatisque genealogiis corrumpebant ; relinquentes fidem, charitatem, sinceritatem, rectitudinem, simplicitatem, quæ verum Christianæ religionis characterem constituunt, *in vaniloquium*, in quæstiones, disquisitiones prorsus inutiles habituri.

℣. 7. VOLENTES ESSE LEGIS DOCTORES.] Hujusmodi Christiani Judaizantes Doctorum auctoritatem apud Gentiles conversos præseferebant. Legem & Prophetas melius, quam reliqui, se intelligere gloriabantur, & quasi Sacri textus Veteris Testamenti minime sufficerent, illis genealogias, narrationes, fabulas, traditiones addebant ; atque hoc pacto sibi apud mortales admirationem conciliare quærebant. Verum non intelligunt, *nec quæ loquuntur*, *neque de quibus affirmant*. Pleræque traditionum, quibus tantum antiquitatis atque auctoritatis tribuunt, fundamento carent ; contrariæ sunt & textui, & spiritui Legis, cujus universam evertunt œconomiam [6]. Genealogiæ Simonianorum, Æones Gnosticorum, Sephiroth Cabalistarum mera humana sunt adinventa, arbitrariæ dispositiones, quæ non alteri fundamento, quam libidini horum hominum, superbia intumescentium, atque ineptiis suis creditorum, innituntur.

℣. 8. SCIMUS AUTEM, QUIA BONA EST LEX.] Ne existimes, a me Legem improbari, atque damnari eos, qui illam quemadmodum oportet, observent. Scio, Legem esse bonam, illam a Deo esse profectam, eamque ad Deum nos deducere, & Deo hominem acceptum efficere posse, si bene intelligatur, & diligenter exerceatur : illos tantum corripio, qui perperam eamdem docent [6], & qui spiritu, & cognitione carentes, Magistrorum auctoritatem sibi sudent vendicare. Lex moralis æternum subsistet, neque aliquis dispensari poterit, quo minus eamdem observet. Leges cæremoniales hactenus utiles fuerunt, ut Judæi ab aliis populis distinguerentur, ab Idolorum cultu abstraherentur, ut Messiam concupiscerent, atque supremi hujus Liberatoris figura aliqua præberetur. Nunc vero hujusmodi cæremoniæ antiquatæ sunt. Licet, si lubet, eas observare ; sed eis nemo parere tenetur ; quidquid Judaizantes Doctores affirment, qui verum earum usum ignorant, in hoc positum, ut nos ad JESU CHRISTI cognitionem attollant [7].

℣. 9. LEX JUSTO NON EST POSITA, SED INJUSTIS.] Si omnes homines essent justi, inutile esset rogare Leges, quæ nonnisi ad improbos coercendos inventæ sunt. Viri boni ipsi sibi sunt Leges viventes [8]. Si Judæi fuissent fideles imitatores fidei, & obedientiæ Abraham, neque Idolis in Ægypto adolessent thura, Deus minime coactus fuisset scriptam Legem iisdem irrogare. Hæc lex *propter transgressiones* duntaxat [9] posita est ad inhibendos pravos habitus, qui in populo inoleverant, & ad prævertenda ea flagitia, in quæ deinceps decidere poterat.

Græcus textus verti posset [10] : *Lex non est contra justum, sed contra injustos* ; vel, *non habet potestatem contra justum sed contra injustos*. Hæc non justos coercet, non illis minitatur, non in illos animadvertit ; sed in injustos. Justus illi obtemperat ultro, non invitus, non coactus ; eam cum voluptate sequitur [11] ; & licet nulla esset Lex scripta, non viveret tamen minus frugi, & cum minori justitia. Verum quid inde inferre studet ? perperam Mosaicæ Legis observantiam invehi in Christianam religionem ; quoniam necessaria non est : fideles Evangelio adhærentes justos esse, sinceros, castos, pios, legitimis potestatibus subditos. Igitur Dei mens non fuit, ut illis cæremonialis legis jugum imponeretur ; quoniam sine eadem ad unguem observant Legem Moralem, & Evangelicam, in qua, quidquid optimum est, atque perfectissimum in Lege Moysis, eminenter continetur. Igitur audiendi non sunt Doctores Judaizantes, qui ad servorum statum eos redigere conantur, qui ad filiorum libertatem vocati fuerunt [12].

℣. 10. PLAGIARIIS :] vel potius [13] *liberorum hominum raptoribus* ; antiquitus enim hæc rapina communis erat. Rapiebantur homines, vel pueri liberi, qui in remotissimas terras adducti alienigenis tamquam mancipia venibant. Hæc omnium maxima rapina est, libero homini libertatem eripere, eumque in servitutem redigere.

ET SI QUID ALIUD SANÆ DOCTRINÆ,] hoc est Evangelio adversatur. Philosophia etiam nonnulla proponebat satis laudabilia præcepta ; verum plures etiam probabat abusus. Lex a Rabbinis explicita plurima perfectioni opposita tolerabat ; sed Evangelium nihil, nisi sanum, & purum vel docebat, vel patiebatur. JESU CHRISTI doctrina cum ipsius exemplo conjuncta nihil unquam perfectius homines cognovere. Pseudo-Apostoli, qui Legis necessitatem, atque inanis doctrinæ adinventa docebant, novum Ephesiis fidelibus jugum obtrudere conabantur ; eos autem repellendos esse docet S. Paulus, licet non alia ratio, quam

Legis

1 Græc. impress. Ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον, ἢ οἰκονομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει.
2 Οἰκονομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει. Ita Froben. Ald. Col. Iren. in Græc. Epiphan. Οἰκοδομήν. In Latino : *Ædificationem*. Ita Hilar. l. 10. de Trin. alii Latini.   3 Ita Chrysost. Theodoret. Theophyl. Grot. alii.
4 Vide Grot. hic.   5 Vide Theodoret. Chrys. Est.
6 Theodoret.   7 Chrysost. Theodoret. Theophyl. Est.
8 Aristot. Polit. l. 3. Vide Xenocrat. Philon. Clem. Alex. Propert. alios apud Grot. hic.
9 Galat. 3. 19. *Quid igitur Lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui promiserat.*
10 Εἰδὼς τοῦτο ὅτι δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται, &c. *Contra justum non est lata*. D. Thom. Erasm. Hakspan. Bez. Est.
11 D. August. pluribus locis ad Est. D. Thom. Magalian. Castal. Senec. alii plures.
12 Galat. 5. 2. *Nolite iterum jugo servitutis contineri.*   13 Ἀνδραποδισταῖς.

Legis inutilitas esset. JESUS CHRISTUS in Evangelio complexus est quidquid vel necessarium, vel utile continetur in Lege [1].

℣. 11. SECUNDUM EVANGELIUM GLORIÆ.] Doctrina sana, de qua modo loquutus est, conformis est JESU CHRISTI Evangelio, quod in omni Mundo Dei gloriam procurat [2], & Patri veros comparat adoratores in Spiritu, & veritate [3]; qua in re ea omnis posita gloria est, quam Deo possunt omnes deferre.

℣. 12. GRATIAS AGO EI, QUI ME CONFORTAVIT.] Arrepta occasione Evangelii, & sanæ doctrinæ, de qua nupertime verba fecit, Deo gratias agit, quod ipsum ad veritatis cognitionem, & munus Apostolicum vocaverit, & quod vim ipsi præbuerit resistendi inimicis veritatis, & gloriæ suæ, & Evangelium constanter in omnibus gentibus prædicandi. Fatetur, hoc me ex mera Dei misericordia esse consequutum, & sine illo me nihil posse, 1. Cor. 15. 10.

QUIA FIDELEM ME EXISTIMAVIT.] Non invenit me fidelem, antequam me sua gratia provexerat; alioquin fidelitas, qua munere meo perfungor, bonum esset ex me profectum, & propter quod a me illi gratiæ agendæ non essent [4]. Omnia debeo misericordiæ ejus, & vocationem meam, & ipsam meam fidelitatem, & ea subsidia, quæ mihi contulit, ut eo in statu, in quo sum, possem persistere. In me ille eas posuit virtutes, quæ pares essent iis explendis consiliis, quæ de me ipse ab æterno conceperat. Hæ virtutes illius dona sunt, non secus ac reliqua; & si me fidelem existimavit, me ad ministerium suum evocans, ipse talem me præbuit per gratiam suam [5]. *Misericordiam consequutus a Domino, ut sim fidelis.*

℣. 13. QUI PRIUS BLASPHEMUS FUI.] Olim in JESUM CHRISTUM blasphemias evomebam, Ecclesiam ipsius persequebar, illi in membris ejus contumeliosus eram, doctrinæ, & miraculis ejus auctoritatem derogare adnitebar. Talis eram, cum Deus me de tenebris vocavit in admirabile lumen suum. Cum inimicorum ejus acerrimus, atque infensissimus essem, me in Apostolum, atque vas electionis convertit. Quænam a me igitur illi non debetur gratia? *sed misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Quantumvis magnum esset facinus meum, venia tamen dignum erat [6], utpote ex ignorantia profectum: at quam excusationem afferre valent hodie pseudo-Apostoli, qui ultro scientes, atque volentes Ecclesiam perturbant, & nequiter Evangelii progressum prohibent per errores, quos ibi effundunt, & scandalum, quod pariunt?

Credunt alii [7], hæc omnia a S. Paulo dici, non ad extenuandum, sed ad amplificandum peccatum suum. ℣. 15. ait, se primum esse peccatorum; hic fatetur, se in infidelitatis caligine fuisse, quam circumstantiam nullibi proponit Scriptura, tamquam criminis excusationem, sed tamquam argumentum ad peccati magnitudinem ostendendam. Igitur in infidelitate, atque voluntaria ignorantia versabar; minime quærebam, quomodo convalescerem, sed ærumnam meam diligebam. Ex altissima hac scelerum voragine me Deus eripuit.

℣. 14. SUPERABUNDAVIT ENIM GRATIA DEI.] Eo in statu, quem vobis descripsi, versabar tamquam insanus, atque phreneticus, qui non solum morbum suum non agnoscit, sed qui in medicum etiam insurgit, & renuit, quidquid est valetudini suæ profuturum. Nihil minus, ut convalescerem, quam Omnipotens Medicus, requirebatur. Ita quo graviora erant vulnera mea, eo major, atque copiosior fuit gratia, quæ mentem illustravit, & cordis mei duritiem perfregit, me replens *fide, & dilectione, quæ est in Christo Jesu.*

℣. 15. FIDELIS SERMO, ET OMNI ACCEPTIONE DIGNUS.] Veritatem certissimam dicturus sum [8], *fidelem sermonem*, firmum, constantem, de quo ne minimum quidem licet ambigere; videlicet, *quod Jesus Christus venit in hunc Mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*, maximus, maxime insignis. Ex iis autem, quæ hactenus de erroribus meis dixi, & de gratia, quam mihi contulit Deus, me ad fidem, & Apostolatum evocans, hoc a vobis est inferendum. Si peccatori, qualis ego sum, pepercit Deus, cuinam est de salute sua desperandum? & JESUS CHRISTUS nonne docet in Evangelio Matth. 9. 13. *se misericordiam velle, non sacrificium: non enim venit vocare justos, sed peccatores* [9]? *Non necesse habere sanos Medico, sed qui male habent?* Cum Apostolus se *primum peccatorum* dicit, plane hyperbolice loquitur, non secus ac ubi vocat se [10] *minimum Apostolorum, qui non est dignus vocari Apostolus, quoniam persequutus est Ecclesiam Dei*: semper ob oculos mentis suæ infidelitas, atque præteriti errores versabantur, de quibus summa cum justitiæ severitate [11] judicium ferebat. Ita nosmet judicare debemus, si Deum in nos Judicem cupimus misericordem.

℣. 16. UT IN ME PRIMO OSTENDERET CHRISTUS JESUS OMNEM PATIENTIAM.] Misericordiam recepi, ut primus essem [12], in quo JESUS CHRISTUS summam suam patientiam ostenderet: vel, ut JESU CHRISTI misericordia in tanto peccatore, qualis ego sum, eluceret. Permisit Deus, ut S. Pauli peccatum notissimum esset, atque apertissimum, ut misericordia, quam in illum exercere debebat, magis enitesceret, & ut improbissimus quisque intelligeret, de potestate, ac misericordia Domini numquam esse desperandum; & Gentiles, qui maxime a veritate abhorrent, atque in superstitionibus suis occaluerunt, minime crederent, viam, qua redeant ad Deum, sibi obstructam fuisse. *Ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Invenient in me, unde consolentur, atque in ipsis pœnitentiæ desiderium accendatur [13].

℣. 17. REGI SÆCULORUM IMMORTALI.] Hæc exclamatio est, gratitudinis plena ex Divinæ misericordiæ intuitu oborta. *Rex sæculorum* est Rex, vel Deus Æternus. Credit Hammondius, Apostolum hoc in loco alludere ad Gnosticorum *Æones*, quorum errores hac in Epistola videtur perstringere. *Æon* Græce Sæculum significat. Deo, vel Regi Æonum gloria in sæcula sæculorum. Verum hoc in loco de his Hæreticis non agitur. *Rex sæculorum* locutio est Judæis ad Deum designandum satis familiaris. Pro *immortali* Græcus legit [14], *incorruptibilem*, & pro *uni Deo*, Græca typis edita habent [15], *Uni Deo Sapienti*; sed hæc vox *sapienti* in plerisque antiquis Patribus, atque notæ melioris manuscriptis desideratur.

℣. 18. HOC PRÆCEPTUM COMMENDO TIBI.] Innuit S. Paulus, se non recepisse in numerum discipulorum suorum, neque ad Episcopatum, & prædicationem destinasse Timotheum, nisi ubi Dei voluntatem ex peculiaribus revelationibus intellexit [16]. Cura igitur, ut expleas

---

1 Theodoret. 2 2. Cor. 4. 6. 15. Ephes. 1. 6. 12. 14. Philipp. 1. 11.
3 Joan. 4. 24. 4 Vide Est. hic. 5 1. Cor. 7. 25. Confer 1. Cor. 15. 10.
6 Chrysost. Theodoret. Theophyl. alii plerique. Aug. in Psal. 6. & l. 4. contra Donatist. c. 5. Cyprian. Ep. ad Jubajan. Tertull. de Pudicitia. 7 Hessel. Megalian. ex serm. 8. 9. 10. Aug. de verbis Apostoli.
8 Πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος. נאמן in Hebræo significat fidelem, certum, firmum, stabilem, perpetuum. Antiquus Interpres Latinus legebat: *humanus sermo*. Ambrosiast. August. alii.
9 Matt. 9. 13. & Luc. 5. 31. 10 1. Cor. 15. 9 11 Vide Hessel. Est. alios.
12 Ἵνα ἐν ἐμοὶ πρώτῳ ἐνδείξηται. Vox πρῶτος, poni potest, ac si haberetur *præcipuus, insignis*, in me qui sum peccatorum princeps; vel perinde ac haberetur πρότερον, in me antequam in aliis, ne qui post me veniant, diffidatis unquam de bonitate Dei. 13 Theophyl.
14 Τῷ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ. Alii: βασιλεῖ ἀθανάτῳ. Ita Clarom. Vulg. Æthiop. Ambrosiast. Hieronymiast. 15 Μόνῳ σοφῷ Θεῷ. Alii omittunt, σοφῷ. Ita Alex. Clarom. G. L. Copht. Syr. Arab. Tertull. Novatian. Ambros. August. Chrys. Cyrill. Theodoret. &c. 16 Chrysost. Ita Est. Grot. Men. Tir.

explcas Dei consilia de te ; eaque ignorare non potes, quandoquidem tibi supernaturali prorsus ratione, atque per peculiares Prophetias manifestata fuerunt. Macte animo esto, & tamquam strenuus miles in spirituali hoc militiæ genere, cui sub JESU CHRISTO nomen dedisti, fortiter deprœliare ; audacter pseudo-Apostolos impugna, neque illorum minas, furoresque verere. S. Paulus hominum Apostolicorum vitam sæpe spirituali militiæ comparat [1].

℣. 19. HABENS FIDEM, ET BONAM CONSCIENTIAM.] Superius ℣. 5. dixit, finem, & perfectionem mandatorum Legis esse *charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta* : hic vero hoc ipsum ait paucioribus verbis. *Fides*, ut sit perfecta, esse debet cum charitate conjuncta ; *& bona conscientia*, a cordis puritate sejuncta esse non potest. Ita tamquam arma, quibus contra veritatis hostes decertet, Timotheo tribuit, quidquid religio habet perfectius, atque sublimius, fidem, charitatem, æquitatem, sinceritatem, bonam conscientiam. Hæ sunt Apostolorum, Martyrum, & Militum JESU CHRISTI virtutes.

QUÆ QUIDAM REPELLENTES.] Tanti interest vitam bonam, rectitudinem, cordis integritatem, bonam conscientiam ab integerrima fide nequaquam sejungi. Sine hujusmodi virtutibus fides nihil prodest, vana est, mortua est [2] : *fides sine operibus mortua est*. Vita nequam, & prava conscientia, dispositio est ad hæresim, & schisma, ut facilius fidem deseras, JESUM CHRISTUM, atque Evangelium abneges [3]. Cum superbia, atque libertas cor nostrum invasit, illud statim in errorem decidit, & si non defuerit occasio, *circa fidem naufragat*. Fides mortua, atque bonis operibus nudata sterilis est, atque inanis. Ecclesia est tamquam Navis in alto mari iter instituens, qui inde per schisma, vel hæresim egreditur ; illico submergitur. *Circa fidem naufragaverunt*.

℣. 20. HIMENÆUS & ALEXANDER.] Himenæus fortasse Civis erat Ephesi, qui cum primum S. Paulo prædicante ad fidem traductus fuisset, mox in eorum errorem ceciderat, qui resurrectionem negabant, & qui eamdem jam accidisse affirmabant [4] ; ideoque quidquid de mortuorum resurrectione futuraque vita dicebatur, meras esse fabulas arbitrabantur. Quinam duorum horum calamitosorum hominum finis exstiterit,

A non satis liquet : hoc liquet solum ; biennio post (anno 65.) cum S. Paulus alteram ad Timotheum conscripsit Epistolam, Himenæum adhuc in errore suo perstitisse, una cum altero Ephesio, qui Philetes appellabatur [5]. Existimat S. Augustinus in Joan. hom. 19. errorem illorum in hoc fuisse positum, quod non aliam assererent esse resurrectionem, quam animæ, quæ a morte peccati ad vitæ gratiam per fidem, atque baptismum resurgit.

Alexander vero putatur ærarius ille faber esse, de quo verba facit S. Paulus in altera ad Timotheum 4. 14. & qui Apostolo multas intulit molestias, cum post secundum iter ipsius in vinculis Romæ detineretur. Hoc si verum est, videtur Alexander Romam fuisse profectus post primam hanc S. Pauli Epistolam, in qua in-
B nuit Apostolus, illum non secus ac Himenæum, vel Ephesi, vel saltem in Asia fuisse. In Actorum historia c. 19. 33. sermo est de quodam Alexandro, qui in seditione a Demetrio Aurifice excitata sese theatro obtulit, concionem habiturus in populo, atque eidem rationem rei redditurus ; minime abhorret a fide, hunc eumdem fuisse Alexandrum, qui mox in fide naufragium fecit [6]. Vide hac de re a nobis dicta in Actis 14. 33.

QUOS TRADIDI SATHANÆ.] Illis anathema inflixi, eos subsidio, & precibus Ecclesiæ, atque JESU CHRISTI præsidio privavi ; ideoque eos tradidi potestati Dæmonis, qui tamquam Carnifex eosdem visibili etiam ratione apprehendit & torquet : nam primis Ecclesiæ temporibus excommunicati, ut plurimum, pa-
C lam a Dæmone obsidebantur, & morbis, & languoribus opprimebantur [7]. Vide in Actis 5. 4. 5. exemplum Ananiæ, & Saphiræ ; & in prima ad Corinthios 5. 3. quid S. Paulus de incesto homine dicat, & quid 1. Cor. 11. 10. de iis, qui indigne communicant, affirmet. Apostolus *blasphemias* vocat errores Himenæi, & Alexandri, in latiori sensu eam vocem usurpans, quæ pressius quidem non aliud significat, quam contumeliosos sermones, quibus Divinitas ipsa lacessitur. Quodam in sensu quælibet Hæresis in se blasphemiam complectitur, quod verbo Dei, & doctrinæ veritatis adversatur. Blasphemia est, velle res divinas humanæ rationi submittere, inquit S. Chrysostomus, atque post illum de more Theophylactus.

1 1. Cor. 9. 7. Philipp. 2. 25. 2. Timoth. 11. 24. Philem. vers. 1. 2.
2 Jacobi 2. 20. 26.
3 Theodoret. Vide Est. Grot. alios.
4 2. Timot. 2. 17.
5 2. Timot. 2. 17.
6 Grot. Est.
7 Vide Chrysost. Theophyl. Theodoret.

CAPUT II.

Pro quovis hominum genere orandum. Deus vult omnes homines salvos facere. Unus Deus; unus mediator. Mulierum non est in Ecclesia docere. Eva a serpente seducta. Mulieres in conjugio salvantur, si Christianas virtutes exerceant.

1. OBsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus : 2 Pro regibus, &
omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam a-
gamus, in omni pietate, & castitate : 3 Hoc enim bonum est, & acceptum co-
ram Salvatore nostro Deo, 4 Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitio-
nem veritatis venire, 5 Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum ho-
mo Christus Jesus : 6 Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testi-
monium temporibus suis : 7 In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus
(veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide, & veritate. 8 Volo er-
go viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira, & disceptatione. 9
Simi-

Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: 10 Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. 11 Mulier in silentio discat, cum omni subjectione. 12 Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum: sed esse in silentio. 13 Adam enim primus formatus est, deinde Heva: 14 Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. 15 Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.

℣. 1. PRIMUM OMNIUM FIERI OBSECRATIONES, ORATIONES &c.] Hæc sunt disciplinæ præcepta, quæ Timotheo Apostolus tradit, ut in fidelium cœtu, ipso adnitente, observentur. Vult, ut Episcopi, vel Sacerdotes, qui præsident Christifidelibus simul congregatis, ante cætera incipiant communes, & personales preces effundere pro omnibus Reipublicæ, vel Imperii ordinibus [1]: Jubet *obsecrationes fieri*, ut mala præsentia, atque ventura deprecentur; *orationes* vero, ut bona, quorum opus est, a Deo impetrentur. *Postulationes*, quæ juxta Græci vocabuli vim significare possunt, vel questus contra eos, qui nos persequantur, nobisque inferunt injuriam; vel intercessiones pro aliis; *gratiarum actiones* pro beneficiis acceptis [2]. Origenes [3] hoc pactum aliter explicat: ait, *obsecrationes* esse petitiones boni alicujus, quod nobis deest; *orationes* vero fervidiora pro majoribus bonis esse vota: *postulationes* eas preces nuncupat, quæ confidentius effunduntur; & *gratiarum actiones* illas, quas pro acceptis beneficiis instituimus. Alii tamen credunt, omnia hæc nomina unum, & idem ferme significare; eaque ab Apostolo simul collecta fuisse, tamquam varia actionis ejusdem synonyma ad illius necessitatem, atque utilitatem magis indigitandam [4].

PRO OMNIBUS HOMINIBUS; (℣. 2.) PRO REGIBUS.] Judæi, ubi gravissimis calamitatibus affligebantur, nonnumquam a Domino petebant, ut iram suam in eos deflecteret, a quibus non agnoscebatur, & qui nomen ipsius non invocabant [5]. Veteres Ecclesiastici Auctores [6] narrant, post Christianam religionem illos ter singulis diebus in Synagogis suis Christianis maledixisse. S. Paulus Spiritu prorsus alio animatus est: Præcipit, ut in Ecclesia Ephesina, omnibusque aliis quotidie, & ante cætera in Ecclesiasticis conventibus preces effundantur pro omnibus hominibus cujuscumque nationis, & Religionis sint, & pro singulis a Deo petatur, quidquid unicuique magis est necessarium; maxime vero conversionis gratia pro infidelibus, pro aliis vero omnibus supernaturalia subsidia ad salutem assequendam necessaria. Non memorat autem primo loco Reges, ne quis crederet, se ostentatorie loquutum, atque ex privata dumtaxat utilitate hoc præcepisse [7].

℣. 2. UT QUIETAM, ET TRANQUILLAM VITAM AGAMUS.] Ex Regum felicitate, Regnorumque tranquillitate, ut plurimum, subditorum pax, & felicitas pendet [8]. Ecclesia in omnibus Orationibus suis pacem efflagitat, tamquam bonorum temporalium maxime necessariam, atque Religioni, & pietatis exercitationi utilissimam. Jeremias [9] ad Judæos scribens Babylone captivos, hæc ait: *Quærite pacem Civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis.* Hebræi in Templo pro Imperatorum incolumitate victimas offerebant [10]: & primi Christi fideles indesinenter orabant pro terrenis Principibus, pro illis etiam, qui ipsos persequebantur, & quorum fides erat anceps, vel qui Hæresi suffragabantur [11]: *Oramus pro omnibus Imperatoribus*, Tertullianus ait Apolog. c. 30. *Vitam illis prolixam, Imperium securum, Domum tutam, Exercitus fortes, Senatum fidelem, Populum probum, Orbem quietum, & quæcumque hominis, & Cæsaris vota sunt.*

S. Paulus addit; ut quietam, & tranquillam vitam agamus *in omni pietate, & castitate*; in omni pietate, & honestate [12], vel potitate, & gravitate, pax, abundantia, prosperitas, nonnumquam occasiones sunt peccati, & lapsus [13]: igitur pax a vobis petenda est, non ut deliciatiorem vitam ducatis, sed ut facilius Religioni, atque pietati vacetis.

℣. 3. HOC ENIM BONUM EST.] Vidimus jam superius [14] *Salvatoris* nomen Deo Patri Domini Nostri JESU CHRISTI oppositum. Vota nuncupare pro universo Mundo, præsertim vero pro Regibus, atque Principibus eo consilio, quo sumus intuiti, optimum procul dubio est, acceptumque Deo. Justitia etiam postulat, ut subditi preces effundant pro Regum incolumitate, qui vigilant, ut subditos protegant; & bella gerunt, ut prohibeant, ne populorum bona, atque personæ alienorum furori, atque viribus objiciantur [15].

℣. 4. QUI OMNES HOMINES VULT SALVOS FIERI.] Hæc est ratio potissima, quæ nos impellere debet, ut pro omnibus, præcipue vero pro Regibus, deprecemur; quod videlicet Deus personarum acceptionem non admittit, sed vult omnes homines salvos fieri: ideoque cogitare debemus omnes tamquam ad Deum pertinentes, velut oves, quæ de illius grege deerraverunt; & rogare Dominum, ut eos requirere, & reducere dignetur, atque hinc quidem Evangelii præconibus liberam viam sternere, ut tuto ubique valeant prædicare; cui rei plurimum confert pax Imperii, ac bona Imperatorum voluntas: inde vero populis tribuere cor docile, & spiritum ad salutis veritates percipiendas idoneum. Hic scopus est omnium orationum nostrarum pro illis: eorum salutem, æternamque felicitatem deposcimus.

Quæritur, quonam in sensu velit Deus, ut omnes homines salvi fiant, quandoquidem scimus longe plurimos esse, qui pereunt? bifariam respondetur. Primo vult Deus, omnes homines, qui salvi fiunt, salvos fieri; nemo enim nisi ex illius beneplacito salutem consequitur; ideoque orandum est, ut omnes homines salvos velit. Secundo vult etiam Deus voluntate antecedenti, omnes homines salvos facere [16]; non item vero voluntate consequenti, & absoluta: compluribus enim renuit efficaces gratias, quæ necessario ad salutem adducunt; id vero in pœnam originalis peccati, vel actualium scelerum, quæ peccato originis accesserunt. Si eos salvos facere vellet voluntate absoluta, ea scilicet, cui nihil resistit,

1 Vide Chrysostom. Theophylact. Ambrosiast. Prosper. lib. 1. de vocat. Gent.
2 Ita Oecumen. Theophyl. & Theodoret. 3 Origen. Περὶ εὐχῆς pag. 44.
4 Quidam apud Theophylact. Camerar. &c. 5 Psal. 77. 6. 78. 25.
6 Justin. Dialog. cum Tryph. pag. 234 Origen. Græc. in Jerem. homil. 28. Hieronym. in Isai. Epiphan. hæres. 29. 7 Chrysostom. Theophylact. Theodoret. 8 Theod.
9 Jerem. 29. 7. Confer Baruc. 1. 11. 10 1. Esdr. 6. 10. Joseph. Antiq. l. 7. cap. 17. & lib. 12. c. 17.
11 Cyrill. Catech. 10. Polycarp. ad Philipp. Origen. contra Cels. lib. 8. 427.
12 Ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ, καὶ σεμνότητι. 13 Theophylact.
14 1. Timoth. 1. 1. Vide & infra 4. 10. 15 Vide Theophylact. ad vers. 2. & 3.
16 Ita Damascen. lib. 2. de fide orthodoxa cap. 29. & D. Thom. lib. 3. contra Gentes, & Summa 1. parte quæst. 19. art. 6. Vide Est. hic.

ſtit, nemo periret: quoniam cor hominis in manibus ejus eſt [1], & voluntates maxime rebelles, & pervicaces vim illecebrarum gratiæ Dei ſuſtinere non valent [2].

S. Auguſtinus [3] inter alias hujus loci explicationes, quæ apud Scholaſticos, atque Interpretes inveniuntur, hanc quoque adfert: vult voluntate abſoluta, & efficaci omnium mortalium ſalutem; hoc eſt, ut homines cujuſlibet ætatis, ſexus, conditionis, regionis ad ſalutem perveniant. Neminem prohibet ab introitu in Eccleſiam, & a veritatis cognitione: *Patet omnibus fons vitæ, neque ab jure potandi quiſquam prohibetur*, inquit Arnobius. Cumque omnium ſalutem velit, omnibus ſervis ſuis deſiderium idem immiſit, eoſq; cogit, preces effundere pro eorum omnium converſione, qui minime credunt, & pro eorum, qui credunt, perſeverantia [4]. Huic rei innititur præceptum, quod S. Paulus hic imperat, ut pro omnibus hominibus, præſertim vero pro Regibus, atque Poteſtatibus preces effundamus.

℣. 5. UNUS ENIM DEUS, UNUS ET MEDIATOR.] Omnes homines Dei ſunt; hic omnium ſalutem exquirit: igitur pro omnibus indiſcriminatim orandum eſt. JESUS CHRISTUS pro totius humani generis ſalute mortem oppetiit. Ipſe pax noſtra eſt, reconciliatio noſtra, mediator noſter. Accedamus ad thronum Patris per illum, ac per eumdem preces noſtras offeramus, ſi voti damnari cupimus. *JESUS CHRISTUS unus, & mediator Dei, & hominum homo eſt*. Ipſe unus propriis meritis homines Deo reconciliat, eiſque obtinet dona, & gratias ad ſalutem neceſſarias. Si quis alius mediator eſt ex numero Angelorum, vel Sanctorum, ſubordinatus eſt primo illi, neque per ſe aliquod habet jus, ut ea, quæ petit, obtineat, niſi propter unius, atque unici eſſentialis Mediatoris [5], videlicet JESU CHRISTI *hominis* merita petierit: non quod ſit merus homo, nec quod ipſius Mediatoris auctoritas humanitatem ejus tantum reſpiciat, ſed quod quatenus Deus, non orat, non imperat, ſed concedit, & donorum, atque gratiarum eſt Auctor. Ille Mediator non eſt, niſi quatenus Homo-Deus, vel Deus-Homo, & Salvator [6].

℣. 6. QUI DEDIT REDEMPTIONEM SEMETIPSUM.] Ultro mortem paſſus eſt, ut nos redimeret. Et enim hac Redemptoris qualitate alteram illam Mediatoris, de qua loquuti ſumus, obtinuit. Quemadmodum omnis eſt Salvator, ita & unus eſſe debet Mediator; & non ſecus ac per mortem ſuam nos redemit, ita etiam per ſanguinem ſuum, & ſacrificium, quod obtulit Patri, ſuum Mediatoris [7] munus exercet. Græca vox [8], quam Vulgata *redemptionem* reddidit, eam proprie ſignificat, quæ fit, cum unius hominis vita per vitam alterius redimitur; cum anima pro anima, caput pro capite impenditur.

TESTIMONIUM TEMPORIBUS SUIS.] Salvator teſtimonium reddidit juſtitiæ Patris, & veritati Prophetiarum, morte, ac paſſione ſua, quæ eo accidit tempore, quod in æternis decretis Patris [9], atque in Sacris Prophetarum libris accidit. Alii hoc *teſtimonium* de Evangelii prædicatione interpretantur. Per hoc JESUS CHRISTUS teſtimonium perhibuit veritati, quam ipſe annunciaverat, & quam proprio cruore obſignaverat. Ejus paſſio, & Evangelii prædicatio publica ſunt juſtitiæ, & veritatis Patris ipſius teſtimonia. Græca quædam exemplaria [10] pro *Martyrion*, quæ vox teſtimonium ſignificat, legunt *Myſterion*, myſterium videlicet, vel ſecretum; & alia [11]: *cujus teſtimonium datum, vel confirmatum fuit in tempore*. Sed Vulgatæ lectio Græco typis edito, atque optimis Latinis MSS. conformis eſt.

℣. 7. IN QUO [12] POSITUS SUM EGO PRÆDICATOR.] Ut teſtimonium perhibeam veritati, & paſſioni JESU CHRISTI, ut adimpleam miſericordiæ ejuſdem conſilia pro mortalium omnium ſalute, ut univerſæ Terræ gratiæ Dei divitias oſtendam, miſſionem, & Apoſtolatum recepi, non in ſcientia, vel eloquentia, vel humana induſtria; non in dolo, atque mendacio [13], ſed *in fide, & veritate*, vel: Doctor ſum Gentium, ut illas fidem, & veritatem edoceam [14].

℣. 8. VOLO ERGO VIROS ORARE IN OMNI LOCO.] Hebræi ſecundum Legem Moyſis, atque Prophetarum ſtatuta, ſacrificia ſua, ſolemneſque preces offerre, & Religionis ſuæ cultum publice exercere non poterant, niſi in uno tantum loco, videlicet in Tabernaculo Domini, ex quo illud erectum fuit, uſque ad tempus Salomonis; atque in Templo a Salomonis tempore ad Templum uſque a Romanis everſum. Chriſti fideles Judaizantes fovebant adhuc pro Jeroſolymitano Domini Templo ſummam venerationem, & cultum: ideoq; Gentilibus converſis plane volebant perſuadere, ut orantes ad ſanctum eum locum faciem converterent, eumque quodam in ſenſo tamquam Religionis ſuæ centrum cogitarent, unde Doctorum ſcita, Legiſque, ac Prophetarum vera cognitio proficiſcebantur.

S. Paulus hanc ſententiam evertit, quæ univerſam Chriſtianæ Religionis œconomiam deletura videbatur; ac docet, Chriſtianis in omni loco orandum eſſe, ubique cultus, & Religionis ſuæ officia exercere poſſe [15], *levantes manus puras* a ſceleribus, iniquitate, interioribuſque ſordibus immunes cum pura conſcientia; *ſine ira* [16], ſimultate cum fratribus ſuis; *ſine diſceptatione* [17], livore, jurgiis, contentionibus, diſſenſione [18], vel *ſine diffidentia*, ſperantes, ſe procul dubio a Deo voti eſſe damnandos. Vide *Matth.* 24. 31. & 21. 22. *Rom.* 10. 14 *Jacob.* 1. 6. Orare in innocentia, cordis puritate, ſanctitate, charitate, ſuavitate, & firma in Deum confidentia. Hæ illæ ſunt diſpoſitiones, cum quibus ad Deum debemus accedere. Hæ ſi adſint, omnis terra, omnis regio, omnis locus ſanctus eſt, & purus in oculis Domini, mortales omnes ſalvos facere, eoſque ad veritatis cognitionem cupientis adducere. Venit aliquando tempus, cum Pater non Jeroſolymæ ſolum, vel Samariæ [19], verumetiam in omni loco in ſpiritu, & veritate adorabitur.

Minime prohibet hoc in loco Apoſtolus, Templa, & precum locos ædificari; neque damnat Eccleſias dedicatas Sanctis fidelium cœtibus: verum ſi neque tempus, neque commodum ſuppetat Templa ædificandi, ubique orari poteſt, ubique Patrem adorare licet. Ipſe ubique eſt, ubique nos audit; Templa, & cœtuum loci pro nobis ſunt: illi enim injurius eſſet, qui intra Templi unius cœmenta Deum contineri putaret. Univerſus Terrarum Orbis, omneſque Cœlorum ambitus illius Templum ſunt; immo Cœlum, & Terra immenſam illius capere magnitudinem non valent [20]; Verum Templum illius cor eſt humanum [21], ubi in juſtitia

1 Prov. 21. 1. 2 Auguſt. lib. de Prædeſtin. Sanctor. cap. 8. *Hæc gratia a nullo duro corde reſpuitur. ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.*
3 Idem Enchirid. cap. 103. & alibi non ſemel. 4 Auguſtin. de correptione, & gratia cap. 15. & lib. 22. de Civit. cap. 2. Vide D. Thom. & Eſt. hic. 5 Vide Eſt. Menoch. Magalian.
6 Vide Chryſoſtom. Theodoret. Theophylact. Eſt. alios. 7 Vide Heb. 4. 14. 5. 1. 7. 25. 8. 3. 9. 24.
8 Ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. 9 Galat. 4. 4. Epheſ. 1. 10. Vide Theodoret. Ita & Theophyl. & Chryſoſtom. Eſt. Grot. 10 Steph. ry. 11 Velez: Οὗ τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις ἐδόθη. Alii Οὗ τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις ἐδόθη. Latini plures: *Cujus teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt*. Ita Sixtus V. & alii plures. Ambroſiaſt. *Temporibus ſuis datum eſt*. 12 Græc. Εἰς ὃ ἐτέθην.
13 Chryſoſtom. Theophylact. Grot. Piſcæus. 14 Eſt. Vatab. Menoch. Titin.
15 Vide Joan. 4. 21. 24. Malac. 1. 11. Eſt. Grot. alii. 16 Χωρὶς ὀργῆς Ἐτίας μνησικακίας. Chryſ.
17 Chryſoſtom. Theophylact. Eſt. Eraſm. Stapler. Grot. Menoch.
18 Καὶ διαλογισμοῦ. Theodoret. Chryſoſtom. Theophylact. Vatab. Grot. Eſt. Magal. alii.
19 Joan. 4. 21. 20 3. Reg. 8. 27. 21 1. Cor. 3. 17. 6. 19.

ftitia, & in pietate vivamus. Hebræi, antequam preces effunderent, manus fibi geftiebant abluere: quod fymbolum eft puritatis, & innocentiæ, quam ex fidelibus hoc in loco Apoftolus expetit. Manibus furfum elatis orabant, quafi Cœlum attingerent, & Dei clementiam flecterent [1]: nonnifi in mundis locis [2] orare audebant; immo in immundo, fordidoque loco Dei nomen proferre abnuebant. Hæc omnia figurativa funt, fed Chriftiana Religio illud quærit, quod folidum eft, atque reale.

ỷ. 9. SIMILITER, ET MULIERES IN HABITU ORNATO.] Modefto, qualem honeftas, atque urbanitas quærit. Mulieres quoque fimiliter, ubique preces effundant, fine odio, fine contentione, fed in fpiritu charitatis, & fuavitatis [3]. In earum veftimentis eluceat modeftia, fimplicitas, fapientia, quæ decet Mulieres JESU CHRISTO dicatas. Non omne genus ornatuum prohibet Apoftolus, fed eos folum, qui nimis affectati funt, immodefti, & fuperflui; Muliebris enim Mundi pompa morbus eft, ex quo numquam fe fe recipere poffunt; præfertim vero, ubi in cœtu videndæ funt, eifque coram eft prodeundum. Saltem in orationum locis fedulam modeftiam tueantur: fe quidem exornent honefte; fed pudor, modeftia, probitas tamquam præftantiffima ornamenta in ipfis effulgeant.

NON IN TORTIS CRINIBUS.] Hic abufus olim erat maxime familiaris apud inhoneftas mulieres, quemadmodum liquet ex antiquis Poetis, atque Philofophis, qui immodicum quidem Mundi Muliebris ufum damnarunt, præcipue vero cincinnos, calamiftros, comas unguentis delibutas, & oblitas fuco. Non enim fatis illæ putabant crines intorquere, eos etiam & colore imbuebant, & pretiofis lapillis ornabant [4]. S. Petrus [5] hoc ipfum, quod S. Paulus, Chriftianis mulieribus interdicit. Hi enim Sancti Apoftoli fatis noverant, quanti effent detrimenti hujufmodi inanes ornatus, & illis, quæ iifdem decorabantur, & illis, qui eas intuebantur: in primis enim vanitatis luxum, & fuperbiæ fpiritum fovent, in aliis vero turpes affectus cient; infirmis quidem fcandalum gignunt, a fapientibus vero contemnuntur.

ỷ. 10. SED QUOD DECET MULIERES PROMITTENTES PIETATEM.] Hoc quidam in morum difciplina monftri inftar eft, pietatem quidem, & Chriftianam Religionem profiteri, Mundum vero muliebrem, atque tot inania ornamenta diligere. JESUS CHRISTUS paupertatem folam, modeftiam, Crucis amorem prædicavit; ipfe vero in laboribus, egeftate, humilitate vitam traduxit; quæ autem fe illum fequi, ejufque præcepta adorare profitentur, ad ipfas ufque aras, atque in ipfum Sanctuarium vanitatem, ambitionem, luxum inferre ftudebunt?

ỷ. 11. MULIER IN SILENTIO DISCAT.] In cœtibus tacere non audeat [6], neque ad docendum hifcere velit; fed filentio fuo teftetur eam, quam debet Deo, Verbo illius, Miniftrorum ejus, atque Sanctorum cœtui obfervantiam. Silentium præclarum eft Muliebris modeftiæ ornamentum. In priori ad Corinthios Epiftola 14. 34. ait, turpe effe, Mulierem in cœtu loqui; quæ fi erudiri defiderat, domi fuum virum interroget.

ỷ. 12. DOCERE AUTEM MULIERI NON PERMITTO.] In cœtibus, & ubi adfunt viri; in focietate enim mulierum, quæ aliis fcientia excellunt, alias erudire poffunt, privatæque in domo Matres familias, filios, ancillafque fuas poffunt edocere [7]. Non defunt etiam cafus quidam, ubi fatis erudita mulier rudem

A hominem docere poffit; e. g. uxor fidelis virum infidelem [8]. Prifca, vel Prifcilla Apollinem erudiit, qui JESUM CHRISTUM non noverat, cæteroquin vero hominem doctum [9]. Apoftolorum plerique pias fecum, doctafque ducebant Mulieres, quæ in Mulierum [10] conclavia, quo hominibus inferre pedem minime licebat, ftudebant obrepere fœminis, Evangelium annunciaturæ. Ipfe etiam S. Paulus fatetur, Philippis pias quafdam Mulieres opem fibi tuliffe, atque in opus Dei magnopere adlaboraffe [11]. Apoftolus ergo prohibet tantum, ne Mulieres palam, atque folemniter, non autem privatim erudiant.

In prima ad Corinthios Epiftola 11. 5. & 14. 34. prohibet etiam, Mulieres eas, quæ Prophetiæ, vel Scripturarum interpretandarum donum receperunt, capite

B aperto prodire, & in Ecclefiis docere: eaque certiffima difciplina fuit femper in Catholicis Ecclefiis ubique fervata [12]: *non permittitur Mulieri in Ecclefia loqui, fed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris fortem fibi vindicare*. At hæc non adeo rara eft apud Hæreticos [13] Liquet, quanto in honore a Simone, & Simonianis Helena, & a Montaniftis Propheteffæ commentitiæ habebantur, quas facro etiam Sacerdotii, & Epifcopatus munere, tefte S. Epiphanio hæref. 49. decorabant. Neque Marcionitæ [14] Mulieres minori habebant in pretio, eifque baptifmum conferre permittebant. Quid autem? nonne noviffimis hifce temporibus hæreticam Reginam Anglicanæ Ecclefiæ præpofitam vidimus?

ỷ. 13. ADAM ENIM PRIMUS FORMATUS EST.]

C Hæ funt rationes, propter quas mulieres viris fuis fubditæ effe debent, neque in illos auctoritatem fibi vendicare, quamvis etiam majores adeptæ fuiffent conditiones, vel peculiare Scripturarum interpretandarum donum recepiffent. Extraordinaria hæc dona naturali ordini, quo mulier viro fubjecta effe jubetur, derogare minime debent. Mulier poft hominem creata fuit, & in adjutorium illi [15]; Deus illam viro fubjecit, *fub viri poteftate eris*, Gen. 3. 16. Ad hæc, Eva a ferpente feducta fuit, & per illam peccatum, & mors terris incubuere. Licet ergo creata fuiffet homini æqualis, quocumque in fenfu, hac una de caufa, quod prior peccavit, meretur, ut ad obedientiam, atque fubjectionem redigeretur. Et profecto fubjectionis ejus decretum nonnifi poft peccatum illius prolatum

D fuit, quemadmodum fcite S. Chryfoftomus hic animadvertit.

ỷ. 14. ADAM NON EST SEDUCTUS.] Prior videlicet, neque a ferpente, fed pofterior, & ab Eva conjuge fua [16]. Ita cum mulier fragilior fit, infirmior, ad feducendum aptior, imprudentior, æquum eft, ut illi, qui viribus, foliditate, & judicio præftat, fubjiciatur. Semel docere voluit, & omnia corrupit; fileat ergo [17]; ex quo ad Adam loqui voluit, illum feduxit.

ỷ. 15. SALVABITUR AUTEM PER FILIORUM GENERATIONEM.] Confolari debent, fi in Ecclefiis minime doceant, neque iis ibi dogmatibus, ac muneribus perfungantur, quæ ad homines fpectant. Hoc enim minime intercludit illis aditum ad Beatitudinem, immo eas

E fexcentis curis, & follicitudinibus liberat. Sin autem Deo infervire ftudens alios erudiendo, nonne filios, & domefticos habent, quos poffunt, immo debent etiam imbuere, & in timore Domini pietate, fide, charitate [18] erudire? Græcus enim multitudinis numero legit [19]: *Si permanferint in fide, & dilectione &c.*

M m m   & pla-

1 Agatharcid. apud Jofeph. lib. 1. pag. 1050. contra Appion. 2 Philo in Flaccum pag. 982.
3 Ἐν καταστολῇ κοσμίῳ *In habitu modefto*. Vatab. Erafm. Eft. Caftal. Illyr. Tigur. Menoch. alii.
4 Vide Clem. Alexandr. Pædagog. lib. 3. &c. Chryfoftom. hic. 5 1. Petri 3. 3. 4.
6 Chryfoftom. Theophylact. 7 Tit. 2. 4. 8 1. Corinth. 7. 13. 14. 15. 16.
9 Act. 18. 26. Vide Theodoret. &c. 10 1. Cor. 9. 5. 11 Philipp. 4. 3.
12 Tertull. de velandis virginibus cap. 9. Vide & lib. 5. contra Marcion.
13 Idem de Præfcript. cap. 41. 14 Epiphan. hæref. 42.
15 Genef. 2. 18. 22. 1. Cor. 11. 8. 9. 16 Theodoret. Oecumen. Druf. Tirin. alii.
17 Chryfoftom. hic. 18 Vide Chryfoftom. hic.
19 Ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει, καὶ ἀγάπῃ, καὶ ἁγιασμῷ.

& pleriqne Patrum [1], atque Interpretum hoc ad filios, non autem ad matres referunt.

Illi ipsi, qui hoc referunt ad matres [2], plurali numero legunt, quemadmodum Græcus, & Syrus, aliæque Versiones. Matres salvæ fient, si in fide, & charitatis, atque pietatis exercitatione permanserint: vel si, quantum in ipsis est, omnes nervos intenderint, ut filii permaneant [3]. Non parum est, si parentes bene vixerint, & in fide, & charitate perstiterint: verum hoc illis ad salutem satis non est, nisi omnem industriam collocaverint, ut filios, & domesticos suos erudiant, vel ab aliis erudiri curendant. Hoc pretiosum est depositum, quod accepistis, Divus Chrysostomus inquit: Vestrum est, illud diligentissime tueri.

Hæc locutio, *per filiorum generationem* non significat naturalem filiorum generationem, quasi hæc apta esset via ad salutem, vel nuptæ mulieres in partus doloribus quamdam subirent pro peccatorum suorum expiatione pœnitentiam, quemadmodum nonnulli asserere non dubitarunt [4]. Hoc si verum esset, virgines, & quæ in continentia vivunt, carerent magno salutis adminiculo [5]. *Generare* hoc in loco non secus ac alibi etiam in Scripturis, nutrire significat. Dicitur e.g *Gen.* 50. 22. Machir genuisse super genua Joseph, & Ruth. 4. 17. Noemi genuisse Obed, hoc est Joseph, & Noemi aluisse, illum quidem filius Machir, hunc autem Obed nepotem suum. Hoc in sensu Scripturis toties Patris nomen illi defertur, qui puerum, licet non filium suum, contriverit [6].

1 Hieronym. contra Jovinian. Ambrosiast. Pelag. alii Latini plerique, & Græci omnes.
2 Theodoret. Varab. Castal. Vorst. Grot.
3 Chrysostom. Estr. Menoch. Tirin. Erasm. alii.
4 Vide S. Chrysostom. hic, & homil. 1. de Anna.
5 Vide Castalion.
6 Theodoret.

CAPUT III.

Episcopatus est bonum opus. Qualitates Episcopi, Diaconorum, & Diaconissarum. Ecclesia est domus Dei, & Columna Fidei. Mysterium Incarnationis.

1. FIdelis sermo: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 2 O-
portet ergo, episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium,
prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, 3 Non vinolentum,
non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed 4 Suæ do-
mui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. 5 Si quis
autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? 6
Non neophytum: ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. 7 Opor-
tet autem illum, & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in op-
probrium incidat, & in laqueum diaboli. 8 Diaconos similiter pudicos, non bi-
lingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: 9 Habentes my-
sterium fidei in conscientia pura. 10 Et hi autem probentur primum: & sic mi-
nistrent, nullum crimen habentes. 11 Mulieres similiter pudicas, non detrahen-
tes, sobrias, fideles in omnibus. 12 Diaconi sint unius uxoris viri: qui filiis
suis bene præsint, & suis domibus. 13 Qui enim bene ministraverint, gradum
bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu. 14
Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito. 15 Si autem tardavero, ut scias,
quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, colu-
mna, & firmamentum veritatis: 16 Et manifeste magnum est pietatis sacramentum,
quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædi-
catum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

℣.1. FIDELIS SERMO [1]: SI QUIS EPISCOPATUM DESIDERAT.] Cum Episcopatus, aliæque Ecclesiasticæ dignitates desiderantur eo tantum consilio, ut Deo, & Ecclesiæ serviatur, quin propria quæratur utilitas, & dignitas, quæ ex eo statu emanare possunt: certum est, Episcopatus desiderium bonum esse, non secus ac aliud cujuslibet boni operis desiderium. Episcopatus in se ipso *nomen est operis, non honoris*, S. Augustinus l. 19. de Civ. cap. 19. ait: cumque opus illud neque citra honorem sit, neque citra periculum, id appetere non decet: *locus superior, sine quo regi populus non potest, & si ita tenetur, atque administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur.* Hinc profectum est, ut tot Sancti Præsules summa sollicitudine, & cura Episcopatum fugerint, atque tot alii eodem insigniri quæsierint. Igitur si Episcopatum quæris, Provinciæ illius laborem quære, non honorem, onus, non delicias. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: opus, non dignitatem: laborem, non delicias; opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio*, S. Hieronymus inquit ep. 83. ad Oceanum. Episcopatum appetere olim præclarum [2], & generosum erat factum, atque virtus heroica; tunc enim gradus erat ad martyrium

1 Πιστὸς ὁ λόγος. Alii: Ἀνθρώπινος ὁ λόγος; *Humanus sermo*; ut supra cap. 1, 15. Vide Mill. hic.
2 Hieronym. Epist. 83. ad Oceanum.

tium, & qui ea præstabant dignitate, præ cæteris persecutionibus, laboribus, tormentis erant obnoxii [1].

℣. 2. OPORTET ERGO, EPISCOPUM IRREPREHENSIBILEM ESSE.] Credit [2] Theodoretus, Episcopi nomine a S. Paulo Sacerdotes etiam intelligi; tunc enim temporis Sacerdotum, & Episcoporum nomina alterum pro altero indiscriminatim usurpabantur ad significandos simplices Sacerdotes; ii vero, quos hodie Episcopos vocamus, tunc Apostoli dicebantur. Verum deinceps nomen Apostolorum iis remansit, qui vere sunt Apostoli; & nomen Episcopi iis traditum fuit, qui antea nuncupabantur Apostoli. Hæc Theodoreti sententia longe discrepat ab illa S. Chrysostomi hic hom. 10. dicentis, Episcopis, & Sacerdotibus onus commune incubuisse docendi, atque regendi Ecclesiam; illos vero sola ordinatione differre; hoc est, jure alios Ministros Sacris Ordinibus initiandi: ita ut quidquid S. Paulus de Episcopis ait, de Sacerdotibus etiam sit intelligendum. Fatendum nonnumquam in Scripturis [3], & apud antiquos Patres, Sacerdotum nomine Episcopos designari: at non reor, Theodoreto concedi, quod nomen Episcopi passim Sacerdotibus tribueretur, neque nomen Apostoli Episcopis esset commune. Sacerdotes, Episcopi, Apostoli, & nomine, & dignitate differebant. Verumenim vero omnes hoc in loco consentiunt, quidquid de Episcopis dicitur, pro ratione de Sacerdotibus etiam intelligendum: quapropter de posterioribus istis in hac Epistola explicite verba minime fecit Apostolus.

Nomen *Episcopi* [4] proprie significat invigilantem, inspectorem, illum, cui rei alicujus procurandæ Provincia demandata est. Primitus quidem hoc nomine ii vocati fuerunt, qui ab Apostolis Capita, Ductores, Doctores, Præsides, Ecclesiarum Inspectores constituebantur, qui nonnumquam etiam *Presbyteri*, *Apostolici*, *Præfecti*, *Inspectores* vocantur. S. Paulus quærit, ut qui Episcopus constituitur, *sit irreprehensibilis*, integer vitæ, ac purus sceleris, vir bonæ famæ, atque morum sanctissimorum. Non exigit ille, cum talem esse, ut nemo ejus mores, aut disciplinam corripere queat, nec de illo quisquam obtrectet: exigeret enim id, quod fieri omnino non posset. Sanctissimus quisque, immo & Salvator ipse obtrectantium calumniis obnoxius fuit: verum petit, ut jure, ac merito corripi minime possit [5].

UNIUS UXORIS VIRUM [6].] Constat apud omnes, a S. Paulo bigamiam, vel polygamiam isthic damnari: verum cum hæc vox plures queat sensus admittere, de illius hoc in loco significatione disquiritur. Bigamus ille dicitur, qui simul duas habet uxores; vel qui præter legitimam uxorem, habet & pellicem; vel ille, qui cum libelli repudium uxori dederit adulterii causa, alteram ducit uxorem, priori adhuc vivente; vel qui successive duas uxores habuit. Bigamus etiam in Ecclesiastico stylo appellatur, qui Virginitatis voto nuncupato, ad nuptias transit, & qui sibi conjugem assumit viduam, vel repudiatam mulierem. Alia quoque oritur quæstio, utrum, qui ante Baptismum duas, vel plures, vel simul, vel successive uxores duxerit, vere in polygamiæ, vel bigamiæ casum inciderit, qui ad Episcopatum aditum intercludit; an utrum habeatur ratio dumtaxat conjugii, quod post Baptismum contraxit, vel in quo post illum permansit.

Primo, quod ad postremum hunc articulum spectat, ea vulgatior sententia est, Ecclesiam scilicet advertere solum ad ea, quæ homo post Baptismum facit [7]. Secundo, credibile non est, Apostolum de iis loqui, qui post nuncupatum Virginitatis votum conjugii vinculis se se obstrinxerunt; quorum scelus, atque inconstantia nimis manifesta sunt, neque illos ad Episcopatum evehere sanus aliquis cogitabit. Tertio; illi, qui priori uxore relicta, alteram, prima illa vivente, duxerunt, palam damnantur in Evangelio, Matth. 19. 9. Quarto, Patres quidam [8] crediderunt, Apostolum intercludere honoris hujus aditum illis, qui essent in casu simultaneæ polygamiæ: hoc est, qui simul plures haberent uxores. Sed vulgatior sententia, & quam omnes ferme Patres [9], atque Interpretes sequuntur, hæc est, S. Paulum ab Episcopatus dignitate illos excludere, qui post Baptismum successive duas, vel plures uxores duxissent. Non damnat ille prorsus alteras nuptias: verum in illis quædam est turpitudo, atque intemperantiæ nota, quam una cum Sacerdotali, & Episcopali dignitate simul esse non posse arbitrabatur.

Viduam autem, aut repudiatam mulierem ducere numquam Ecclesia prohibuit; sed ad eam explicandam regulam, quam hic proponit Apostolus, crediderunt bigamis accensendos esse, qui hujusmodi inirent conjugia. Cum Ecclesia Christiana tunc formari inciperet, & ex Judæis, Ethnicisque conversis coalesceret, non ita facile inveniri potuissent, qui virginitatem, & continentiam servassent, quæ virtutes Judæis, & Gentilibus fere ignotæ erant; deficientibus ergo virginibus, illi, qui in Matrimonio castitatem servaverant, & quibus una tantum uxor satis fuerat, eligendi fuerunt. In Epistola ad Titum ad examen revocabimus quæstionem de ea continentia, quam post S. Paulum ab Episcopis, & Sacerdotibus Ecclesia requirit.

Veteres quidam Interpretes [10] locum hunc in spirituali sensu intellexerunt, dicentes, Episcopum, qui Ecclesiam duxerat, hanc relinquere non posse, ut aliam assumat, neque spiritualem contrahere debere polygamiam, plures simul Ecclesias ducendo. Sententia hujus praxis a Nicæno Concilio 1. can. 15. 16. confirmatur; & Ecclesia omnibus sæculis satis hanc suam esse mentem ostendit. Verum constat, non hunc litteralem esse sensum S. Pauli in hoc loco.

SOBRIUM.] Qui in potu, & esca æque temperans est. Nulli sunt fere defectus, qui viro in summæ dignitatis gradu constituto condonentur minus, quam commessandi, & compotandi libido. Hoc vitium est Episcopo indignum, qui esse debet exemplum gregis sui, sal terræ, ac semper paratus ad Religionem tuendam, & veritatem propugnandam. Græcus vertitur etiam [11] *vigilantem*, attentum, in grege suo tuendo, diligentem, ut illum a Luporum furore, & inimicorum insidiis præservet.

PRUDENTEM.] Græcus proprie significat [12] sobrium, modestum, moderatum, temperantem, hominem frugi, sapientem, affectibus suis dominantem, atque prudentem.

ORNATUM.] Gravem, modestum. Vox authographi [13] honestum, gravem, moderatum significat: verbo hominem in moribus suis, vivendi ratione, incessu, sermonibus, & consiliis moderatum.

PUDICUM.] Hæc vox in Græco non extat; legitur tamen in Commentariis, qui S. Hieronymo tribuuntur,

1 Gregor. Magn. prima parte Pastoral. cap. 8. Anselm. hic, Alvarez de planctu Eccles. art. 18. Grot. alii.
2 Theodoret. hic. 3 Vide Act. 20. 28. Philipp. 1. 1.
4 Ἐπίσκοπος, ab ἐπὶ, & σκέπτω, *inspicio*, *invigilo*, *quasi e speculis conspicio*: Ἐπισκοπεῖ γὰρ [illegible] 5 Theodoret. 6 Μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα.
7 Vide Hieronym. ad Oceanum. 8 Theodoret. hic. Vide & Hieronym. Epist. 83. cap. 2. & Chrysost. in Timoth. homil. 10. 9 Tertull. lib. 1. ad uxor. cap. 7. *Quantum fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ, & præscriptio Apostoli declarat, cum digamos non sinit præsidere*. Hieronym. lib. 1. cap. 20. contra Jovinian. *unius uxoris virum: Qui unam uxorem habuerit, non habeat*. Ambrosiast. hic, Ambros. Epist. ad Ecclesiam Vercellens. Chrysostom. homil. 2. in Epist. ad Tit. Epiphan. hæres. 59. Hieronym. in Epist. ad Titum, Canon. Apostol. cap. 16. 17.
10 Ambros. de Dignitate Sacerd. cap. 4. Quidam apud Theophylact.
11 Νηφάλιον, seu νηφάλεον, *vigilantem*. Pagni. Mont. Erasm. Est. Men. Piscat. Vorst. Tig.
12 Σώφρονα, *sobrium*, *modestum*, *temperantem*. 13 Κόσμιον. Vide & Hieronym. ad Oceanum.

ror, in S. Ambrosii Offic. l. 1. cap. 52. & in Latinis exemplaribus. Hæc fortasse altera est superioris vocabuli versio, duobus expressa synonymis [1].

HOSPITALEM.] Hospitalitatis virtus in Scripturis, & a Patribus magnopere commendatur [2]; ea autem non in hoc posita est, ut magnifice excipias conviviis divites, & opipare amicis invisentibus epulum sternas; sed ut recipias pauperes, atque peregrinos, etiam ignotos, cum humanitate, & modestia eisdem ædificandis idonea, hospitio digneris. Episcopi *domus omnium debet esse hospitium*, S. Hieronymus ait in epist. ad Titum.

DOCTOREM.] Qui alios erudire possit. Non quærit Apostolus, ut Episcopus eloquens sit, atque disertus; sed hoc petit, ut Religionis præcepta apprime teneat, ita ut & contra veritatis inimicos eadem tueri, & illis, qui sibi concrediti fuerunt, suadere valeat [3]. Græcus ad litteram significat [4], aliis erudiendis parem. Veteres quidam Latini Patres pro *Doctore* legunt *Docibilem*, populos videlicet suos educere gaudentem: *summa omnium virtutum Episcopalium est scientia, & doctrina*, inquit Sanctus Hilarius l. 8. de Trin. Confer 2. Tim. 2. 24.

℣. 3. NON VINOLENTUM.] Hoc vitium est, quod in Episcopo maxime perniciosos effectus gignere potest. Vinum in qualibet flagitia hominem potest præcipitem dare, neque certus esse potes, ubi vino incalueris, te intra justos virtutis cancellos permansurum. Episcopus numquam exuere debet eam gravitatem, quæ statum suum decet; atque debet populorum existimationem, ac observantiam & conciliare, & tueri, cujus utriusque jacturam nihil magis inferre potest, quam vini usus immodicus. S. Chrysostomus, atque Theophylactus Græcam vocem de iis malis explicant [5], quæ ebrietatem consequuntur.

NON PERCUSSOREM.] Nequaquam opus est, ut notemus, nihil magis Episcopum dedecere, quam eos impetus, quibus eo usque rapimur, ut illos, qui nobis subditi sunt, verberibus afficiamus. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, immo etiam S. Hieronymus, Estius, aliique nonnulli hoc explicant de correptionibus, quæ nimis acres sunt, aculeatæ, vehementes, vel nimis frequentes, & quæ in fratrem conscientia majores turbas excitant intempestive [6]. Prior explicatio magis naturalis videtur. Prohibet percutere eodem tempore, quo immodicos vini haustus prohibet, tamquam duas res, quarum altera sit effectus alterius; & utramque suavitati opponit, & modestiæ [7]: *sed modestum, non litigiosum*. Græca exemplaria [8] post hæc verba, *non percussorem*, ea addunt, *non turpis lucri cupidum*, quæ desumpta sunt ex Epistola ad Titum cap. 1. ℣. 7. Hæc tamen additio non invenitur in Syriaca versione, in Arabica, in Æthyopica, neque in Commentariis Græcorum, Latinorumque Patrum hunc in locum, immo neque in plurimis notæ melioris MSS.

NON CUPIDUM.] Liberalem. Græca vox [9] significat vitium avaritiæ oppositum, & incompositum divitiarum amori.

℣. 4. SUÆ DOMUI BENE PRÆPOSITUM.] Qui præclarum prudentiæ, virtutisque suæ specimen præbuerit in bona disciplina, quæ, ipso adnitente, in illius familia, uxore, filiis, atque domesticis enituit. Patres familias in domo sua idem pro ratione sunt, ac Episcopi in Ecclesiis suis, inquit S. Augustinus [10]: & profani etiam intellexerunt illum, qui malus est Sponsus, & Pater familias, numquam bonum vel Principem, vel Provinciæ Præsidem futurum [11].

℣. 5. SI QUIS AUTEM DOMUI SUÆ PRÆESSE NESCIT.] Ecclesia erga Episcopum idem est, ac familia erga Patrem [12]. Non secus ac omne regimen domus ex eo pendet, qui illius caput est, ita Episcopus curam gerere debet omnium subditorum, Ecclesiam suam componentium. Hos erudire debet, formare, sustinere, consolari, & secundum tempus, atque circumstantias corripere. At qui nescit perfungi munere Patris familias, quod quidem minoris est momenti, minusque paret; quomodo Ecclesiæ Dei præesse poterit?

℣. 6. NON NEOPHYTUM.] Recens videlicet ad fidem conversum. Ad litteram [13], *novam plantam*, in eodem sensu, quo S. Paulus ait 1. Cor. 3. 6. *ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit*. Syrus, & Arabs, *novum in doctrina Jesu Christi*. Qui recens fide initiatus est, illius mysteria non satis callere potest, neque virtus illius satis perspecta esse, neque satis magnam auctoritatem obtinet, ut merito ad primum apicem evehatur, quin antiquioribus quædam invidiæ species gignatur. Aliam etiam satis solidam rationem adfert S. Paulus, *ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli*. Homo repente ad honores evectus non adeo facile se continet; passim sibi persuadet, se aliis merito præstare, vel Ecclesiam ope sua maximopere indigere, quandoquidem præ cæteris ipse electus fuit.

Hæ cogitationes ex ambitione profectæ, magis, magisque convalescunt, ac efficiunt tandem, ut homo *in judicium incidat diaboli*, hoc est, in Infernum, cui dæmon, & angeli ejus propter superbiam [14] justo Judicio in æternum addicti fuerunt. Vel, in potestatem diaboli, qui eumdem in Dei judicio accusabit; vel denique, ne superbia elatus obtrectatoribus, & Ecclesiæ inimicis occasionem tribuat ipsum damnandi, atque dicendi, illum in Ecclesiæ castra transfugisse, ut honores, atque dignitates aucuparetur. Liquet, *Diaboli* nomen generatim omnes calumniatores, peculiariter vero dæmonem significare. Prior sensus melior videtur, atque probatior. Hoc tamen S. Pauli præceptum exceptione non caret: quidam enim ingruunt casus, ubi Ecclesiæ utilitas, & personarum meritum exigunt, ut ad Episcopatus apicem extollantur ii, qui recens fide initiati sunt, cujus rei præclarum in S. Ambrosio elucet exemplum. Verum hujusmodi casus perrari sunt, atque id genus argumenta semper sunt cum periculo conjuncta.

℣. 7. TESTIMONIUM HABERE BONUM AB IIS, QUI FORIS SUNT.] Ab Ethnicis, infidelibus. Qui etiam in JESUM CHRISTUM minime credunt, illi, si fieri potest, obtrectare non audeant. Hic in Ecclesia irreprehensibilem vitam duxerit etiam ob oculos Gentilium. Quomodo enim illos convertere, & ad JESUM CHRISTUM vocare poterit, si tamquam homo famæ sequioris habebitur? *In opprobrium incidet, & in laqueum Diaboli*. Infideles, atque ac fideles illum propter præcedentem vitam contemnent; contemptus vero, & illi odium conflabit, & documenta illius irrita efficiet. Ipse etiam se contemni videns, irritabitur [15], vel animo deficiet [16], atque ita decidet in laqueum Inimici salutis suæ.

℣. 8. DIACONOS SIMILITER PUDICOS.] Postquam de Episcopis loquutus est, ad Diaconos transit, quin de Sacerdotibus verba faciat, vel quod Episcoporum nomi-

1 Vide Est. Zeger. Mill. 2 Hieronym. Epist. ad Oceanum; *Episcopus, nisi omnes receperit, inhumanus est*. Greg. Mag. ad Joan. Episc. *Hospitalitatem nesciens, non fiat Episcopus*.

3 Theodoret hic. 4 Διδακτικὸς *docibilem*, seu *docilem*. Ita Clarom. Ambros. Tertull. Improbat Hieronym. advers. Pelag. lib. 1. cap. 8. Confer 2. Timoth. c. 24. *Docibilem*, διδακτικὸν.

5 Μὴ πάροινον. Theophylact. 6 Theophylact. 7 Ἀλλ' ἐπιεικῆ, ἄμαχον.

8 Μὴ αἰσχροκερδῆ. 9 Ἀφιλάργυρον. Ambrosiast. *Non asperum*, Cod. Colleg. novi: Ἀφιλόνεικον.

10 August. serm. olim. 6. de Sanctis, nunc 114. *Agite vicem nostram in domibus vestris. . . unusquisque in domo sua, si caput est domui suæ, debet ad eum pertinere Episcopatus officium*, &c.

11 Vide Baron. & Grot. hic, & Chrysost. & Theophylact. 12 Chrysostom.

13 Μὴ νεόφυτον. 14 Est. Grot. Men. Tir. Vorst. Vide 2. Petri 2. 4. & Eccli. 10. 15. *Initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictionibus*, &c.

15 Anselm. alii. 16 Chrys. Theodoret. D. Thom. Est. Tir.

nomine Sacerdotes etiam intelligit, & quod de primis A dixit, de secundis etiam intelligendum est [1]; vel quod primis illis temporibus plures Ecclesiæ unum duntaxat habebant Episcopum cum Diacono [2], cum exiguus fidelium numerus minime expeteret tantam Sacrorum Ministrorum frequentiam, qua deinde opus fuit. Sed ut ad Diaconos revertamur, vult S. Paulus, hos esse pudicos; vel juxta Græcæ vocis vim [3], honestos, graves, & compositos, procul ab iis vitiis, quæ pudori, & honestati adversantur. Vers. 12. videbimus, hos quoque, non secus ac Episcopos, *unius uxoris viros* esse debuisse.

Non bilingues [4].] Dolosos, mendaces, vanos, inconstantes in sermonibus suis, cum his quidem hac ratione, cum aliis vero alia loquentes, aliud in corde gerentes, labiis aliud proferentes. B

℣. 9. Habentes mysterium fidei in conscientia pura.] Quemadmodum post Episcopos, & Sacerdotes, Diaconi sunt primi Ecclesiæ Ministri, atque doctrinæ, & mysteriorum ejus sequestres: præcipit Apostolus, ut hoc illi servent, tamquam depositum sacrum in conscientia pura, sint probi homines, & irreprehensibiles eam vitam ducant, quæ puritatem fidei suæ ostendat; & sciant in silentio, & reverentia concreditorum sibi mysteriorum cognitionem tueri. Consilium hoc utilissimum est illis, qui inter Gentiles vivebant, quibus Christianæ Religionis secreta aperire non semper erat prudentiæ.

℣. 10. Et hi probentur primum, et sic ministrent.] Ne Diaconus ordinetur adeo festinanter ille, qui recens conversus est; periculum fiat ejus fidei, C virtutis, & in Religione veræ constantiæ. Vetus Ecclesiæ consuetudo hæc erat, ut populo in Sancto cœtu congregato proponerentur ii, qui Sacro erant ministerio initiandi, ut si quid in illos afferri posset, certior fieret Ecclesia [5]. Severus Imperator [6] palam proponere consueverat eorum nomina, qui Provinciis erant præficiendi, vel in dignitate constituendi, populum hortatus, ut ex animo quid sentiret, afferret. Nam, inquiebat ille, minime decet, cum Provinciæ Præsides eliguntur, ea præcavere, quæ Christiani, & Judæi in Sacerdotibus eligendis solent. *Dicebatque grave esse non fieri in Provinciarum Rectoribus, cum id Christiani, & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt.* S. Cyprianus [7] consueverat populum consulere, antequam ad Ordines quempiam promoveret, eique integrum relinquebat eos, qui indigni censerentur, excludere, *quia plebs singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Concilium Chalcedonense Can. 6. præcipit, D ut publice proponatur, qui ordinandus est.

℣. 11. Mulieres similiter pudicas.] Loquitur de Diaconissis [8], quarum munus erat aliquando sexus sui personas erudire: nam, quemadmodum alibi jam adnotatum est, in Græcia, in Italia, & in omni Oriente, mulieres clausæ permanebant in conclavibus suis, quo alienis aditus non patebat, & quæ ideo ad fidem, nonnisi opera piarum, doctarumque mulierum, a quibus invisebantur, poterant evocari. His etiam Provincia erat demandata, ut Christianis mulieribus in ipsarum ægritudinibus opitularentur, illas invi- E serent, eis quædam officia præberent, quæ neque honestas, neque consuetudo a Viris præberi permittunt. Illæ etiam his ancillabantur, cum baptismum recipe-

rent, ut quocumque majori cum modestia, atque decore peragerentur.

Quidam [9] hoc de mulieribus generatim intelleaerunt: alii vero [10] de uxoribus Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorumque, quasi S. Paulus præciperat, has castas esse, atque pudicas; Græcus enim significat graves, modestas, puras, frugi; & si vir aliquis ab Episcopatu se moveri meretur, quod flagitiosos filios habeat, nonne multo magis meretur, si male moratam, sequiorisque famæ habuerit uxorem? sed prior sententia ad Apostoli scopum magis accedit, Timotheo monita tribuentis pro earum, earumque electione, quibus in Ecclesia ministerium aliquod erat mandandum. Cataphryges, & Collyridiani asserebant, has Diaconissas Sacris iisdem, ac Diaconos fuisse initiandas [11], atque ipsas etiam Sacrum Ordinem composuisse: verum hanc sententiam semper Ecclesia proscripsit.

℣. 12. Diaconi sint unius Uxoris Viri.] Duas simul Uxores minime duxerint secundum Judæorum consuetudinem, polygamiam permittentium; immo neque duas Uxores successive habuerint, usi secundarum nuptiarum libertate, quam Ecclesia numquam prohibuit; sed qui actu, & antea semper unam tantum habuerint Uxorem. Antiqui Canones Diaconis æque, ac Sacerdotibus continentiam præcipiunt: at hac in re disciplina non semper ubique eodem pacto fuit observata. Dubitarunt nonnulli utrum ministrorum Ecclesiæ polygamia existimanda sit ex Uxoribus, quas ante baptismum duxerint, vel ex illis solum, quas deinde in Christianam religionem traducti duxerunt, ita ut ad hoc ut aliquis Episcopus, Sacerdos, vel Diaconus, ordinaretur, satis esset, illum post baptismum unam tantum Uxorem duxisse. S. Hieronymus, & Canones apostolici pro novissima hac sententia pugnant [12]; verum S. Augustinus, & post hunc Innocentius I. Papa, atque S. Ambrosius in oppositam abiere sententiam [13], quam adoptavit Ecclesia.

℣. 13. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent.] Merebuntur, ut in Ecclesia ad gradum sublimiorem evehantur. Ex ordine Diaconatus ad Sacerdotium, vel inde ad Episcopatum promovari poterunt: vel poterit Episcopus illis amoris sui indicia præbere, eosque ad majorem dignitatem evehere, si illos in credita Provincia satis fideles esse deprehenderit [14]. Jugis Ecclesiæ consuetudo hæc fuit, ut Ministri per gradus ex minoribus ad sublimiores Ordines evehebantur: hac in re explicitis sunt Canones, & fere numquam ab hoc usu recessit Ecclesia. Crediderunt nonnulli [15], *hunc gradum bonum*, quem suo Ministerio merentur, esse cœlestem Beatitudinem: quæ sententia moralis potius est, quam litteralis.

Et multam fiduciam in fide.] Diaconus, qui cum laude per omnes militiæ spiritualis, atque munerum Ecclesiasticorum gradus traductus, magis erit in fide confirmatus, & ad Evangelii prædicationem magis aptus, tenebit melius, quid sua intersit, atque majori cum alacritate, & fiducia munere suo perfungetur [16].

℣. 14. Sperans ad te venire cito.] Apostoli, & Viri, qui cœlesti lumine afflati sunt, non semper, nec omni tempore supernaturali lumine illustrantur [17]. S. Paulus isthic humanitus loquitur, nesciens, quid prohibere posset, ne consilium suum adimpleret. Supponimus, Epistolam hanc de Macedonia scriptam fuisse

anno

1 Chrysost. Theodoret. Anselm. D. Thom. Vide & Ambrosiast. Est. Danæ. &c.
2 Epiphan. hæresi 75. contra Aerium, Est. hic.
3 Δεμνὰς σεμνὰς ... , *honestos, graves, compositos, castos.*
4 Μὴ διλόγους. 5 Καὶ οὗτοι δὲ δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον. Δοκιμάζω ponitur pro *probare, examinare, eligere.*
6 Lamprid. in Severo. Vide Grot. in hunc loc. 7 Cyprian. Ep. 68. *Ordinationes Sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia, fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa, & legitima, quæ omnium judicio fuerit examinata.*
8 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. alii Græci, & Latini.
9 Ambrosiaster hic. 10 Div. Thom. Erasm. Beza, &c.
11 Vide Euseb. Hist. Eccles. l. 5. c. 14. Epiphan. Philastr. August. de hæresib.
12 Hieronym. Epist. ad Oceanum, Can. Apostol. 16. 13 Aug. de Bono conjugii, c. 18. & Innoc. I. ep. 2. c. 3. Ambros. Ep. ad Vercellens. Eccles. 14 Chrysost. Theodoret. Theophyl. Est. Men. Sculc. Grot. alii. 15 Quidam apud Theodoret. 16 Est. Grot. Men. 17 Theodoret.

anno 64. Jesu Christi: Anno vero sequenti Apostolus in Asiam iterum transfretavit, ibique Ephesi Timotheum convenit [1], atque inde Romam adnavigavit, ubi martyrii coronam adeptus est. Putat S. Chrysostomus [2], S. Paulum post primam hanc Epistolam non vidisse amplius Timotheum, ad quem ideo & alteram dedit Epistolam: at probabior videtur opposita sententia, quemadmodum in Præfatione in secundam ad Timotheum videbimus.

℣. 15. Ut sciar, quomodo oporteat te in Domo Dei conversari.] Hæc Epistola omnibus supplebit, si te videre minime potuero. Hinc disces, quomodo & te ipsum, & alios regere debeas: hic tibi præcepta trado pro Episcopis, Sacerdotibus, Diaconis, Diaconissis, & pro quolibet statu. Ecclesia est veluti familia quædam, cujus tamquam caput constitutus es. Iis, quæ viva voce te docui, ea adde, quæ in hac Epistola doceo, neque ab oculis mentis tuæ præcepta mea umquam recedant. Hic est veluti Pater absens, absentem filium erudiens.

Columna et firmamentum veritatis.] Inanium Deorum delubra, & cœtus Gentilium non aliud sunt, quam Sinagogæ Dæmonis, Seminaria erroris, impiorum conventus; Templum Jerosolymitanum licet vero Deo dicatum, non aliud est, quam umbra alterius Templi Sanctioris. Synagoga eumdem Dominum colit, quem nos adoramus: sed ut ita dicam, in tenebris, & caligine versatur, cum interim Jesu Christi Ecclesia, & fidelium cœtus plena luce fruatur, atque demptis erroribus, umbris, figurisque realitati, atque veritati innitatur. Sub Lege omnia imperfecta sunt [3], & omnia pertranseunt [4]: in Ecclesia vero fides, doctrina, morum disciplina, mysteria, veritates, stabiles sunt, atque permanentes, & ad suam perfectionem adductæ, quantum Dei supernaturali gratia favente in terris homines conari possunt.

Jesus Christus Ecclesiam suam super immobilem lapidem ædificavit, nec umquam portæ inferi adversus eam prævalebunt [5]. Incorruptibilis est, infallibilis, neque concuti potest. Illi, qui auctoritatem Ecclesiæ imminuere conantur, ingratum, irritumque laborem trahunt, hanc veritatis columnam convellere adnisi. Protestantes Auctores, qui majori præstant acumine, atque captu, bona fide fatentur, hoc in loco non aliud, quam Jesu Christi Ecclesiam a S. Paulo indigitari. Hæc est Patrum, atque Interpretum sententia: Et ante novissimas Protestantium contra Romanam Ecclesiam quæstiones, nemo umquam hunc textum in alium sensum detorquendum esse censuerat. Si Ecclesiæ auctoritas falli potest, aut fallere; jam nihil certum est in religione, quoniam ipsa etiam Sacra Biblia, quæ sublimia complectuntur mysteria, nobis incerta fierent, si falli posset Ecclesia, veluti Canonicum, & Dei Spiritu afflante conscriptum, quod tale non est, recipiens. *Ego Evangelio non crederem*, ait S. Augustinus [6], *nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.*

℣. 16. Manifeste magnum est pietatis Sacramentum.] Postquam magnitudinem, atque infallibilem Ecclesiæ veritatem ostendit Apostolus, Incarnationis atque humani generis redemptionis mysterium a Jesu Christo peractum, in Evangelio creditum, & ab Apostolis prædicatum commendat. *Extra controversiam est* [7], hoc mysterium in semet ipso maxime sublime esse; hoc est *mysterium pietatis* vel amoris, *suavitatis*, benevolentiæ Jesu Christi. Vel potius cum Græco [8]: *Magnum mysterium pietatis*, religionis, valida ratio, quæ nos ad amandum, & serviendum Deo in omni ea puritate, & sanctitate, quam ex nobis petit, impellit. Hoc mysterium *manifestatum est in carne Jesu Christi*, qui pro nobis humanam carnem induit. Græcus legit [9]: *Deus se manifestavit in carne, Angelis apparuit &c.* Atque ita omnes ferme Græci Manuscripti, atque Patres legunt; immo inter Græcos Manuscriptos Millius solum Claromontanum Vulgatæ conformem deprehendit [10]; aliis unanimi consensu legentibus: *quod manifestatum est*, & duobus tantum vel tribus masculino genere habentibus, *qui se manifestavit* [11]: immo illi persuasum est, Græci textus editi lectionem genuinam esse; verum fatetur, Latina exemplaria cum edita, tum manuscripta, Syriacam versionem, Æthiopicam, Armeniam, S. Hilarium l. 11. de Trinit. Ambrosiastrum, Auctorem Commentariorum in Epistolas S. Hieronymi nomen præseferentem, S. Fulgentium, & generatim latinos Patres Vulgatæ esse conformes; & cum Græcos, tum Latinos convenire in explicatione, quæ hoc de Jesu Christi Incarnatione interpretatur.

Justificatum in Spiritu,] iis miraculis, quæ per se, & per Apostolorum suorum ministerium peregit, supernaturali Spiritus Sancti virtute [12]. Hæc prodigia testimonium perhibuere Divinitati Jesu Christi, ejus Incarnationi, & Justitiæ contra Judæorum calumniat. Hinc Judæis dicebat Luc. 11. 20. *Si in digito Dei ejicio dæmonia: profecto pervenit in vos Regnum Dei.* Cum ille baptizaretur, Spiritus Sanctus super illum apparuit, atque eodem tempore vox Patris intonuit [13]: *hic est filius meus dilectus &c.*

Apparuit Angelis.] Dei Verbum Angelis cognitum fuit ex ipso creationis eorum momento. Incarnationis mysterium tunc jam illi compertum erat, atque fuere Ministri plerumque miraculorum Veteris Testamenti, quæ omnia ad insigne hoc factum referebantur. Sed ubi venit temporum plenitudo, viderunt hoc mysterium impleri, quod semper illis admirationem injecerat; ejusque fuerunt testes, & quodammodo dispensatores atque præcones: Angelus enim Zachariæ præcursoris Nativitatem; Mariæ Salvatoris Incarnationem; Josepho Mariæ Virginitatem, ac Divini Verbi humanitatem; Pastoribus tandem illius Nativitatem nuntiavit. Angeli eum in desertum secuti sunt, eum in agonis positum consolati sunt, eumque Sanctis Mulieribus post resurrectionem, & Apostolis post Ascensionem nuntiarunt.

Prædicatum est Gentibus,] quæ hactenus fuerant, ut ita dicam, cordis sui flagitiis mancipatæ in erroribus, atque criminibus immersæ. Deus ex mera misericordia sua illas eligit, illas vocat, illis cor aperit, illas in Ecclesia sua recipit; cum interim Judæi plerique a Prophetis eruditi, a Lege edocti, testes miraculorum Jesu Christi, præsentis, atque doctrina ejus illustrati in pertinacia, atque infidelitate permanserunt. Quod mysterium? qua judiciorum Dei altitudo?

Creditum est in mundo,] licet in oppositum adniteretur Dæmonis æstus, atque Tyrannorum & persequentium rabies; licet mysterium hoc tantopere clarum esset, ut rationis humanæ, Philosophiæ, antiquæ Ethnicorum religionis luminibus, præceptis, atque præjudiciis adversaretur. Id quod præ cæteris maxime inauditum est, atque incredibile, invenit tamen fideles, qui credant, Apostolos, qui prædicent, Martyres, qui illud ipsum proprii sanguinis effusione confirment.

Assumptum est in gloria.] Jesus Christus ad Cœlos ascendit, & sedit ad dexteram Patris. Hac est mysterii Incarnationis consummatio.

CAPUT

1 Usser. ad an. 22. Pears. ann. Pauli p. 23 24. Tillemont. not. 73. in S. Paul.
2 Chrysost. ad 2. Timot. homil. 6. p. 535. Ita & Theophyl.
3 Hebr. 7. 19. 4 1. Cor. 10. 11. 5 Matt. 16. 17. 18. 5. Vide Vat. Est. Grot. Men. Tir. Vorst. Lud. de Dieu, J. Capell. Danæ. alii. Ita & Chrys. Theophyl. Beda, Hieronymiast. &c. Vide Cornel. a Lap. & Estium hic. 6 Aug. contra Epist. fundament. c. 5. 7 Καὶ ὁμολογουμένως i. e. In confesso est . . . extra controversiam. 8 Μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον.
9 Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. 10 Ὃ ἐφανερώθη, &c. Quod manifestum est in carne.
11 Ὃς ἐφανερώθη, Ita Colb. 7. Borner. Gr. Cyrill. c. 12. Scoliorum, teste Photio, Ms. Comment. in Epist. Cod. alt. Gr. a Liberato citat. Breviarii c. 19. Hincmar. Opuscul. 35. c. 18. 22.
12 Theodoret. Ita Ambros. Grot. Est. Danæ. alii. 13 Matt. 3. 16. Marc. 1. 10. 11. Luc. 3. 21.

CAPUT IV.

Insurgent novissimis temporibus Hæreses, quæ conjugia, licitasque carnes prohibebunt. Jubet, Timotheum in pietate, studio, eruditione indesinenter exerceri. Nemo illum propter adolescentiam contemnat; exemplum sit omnium; in Sacerdotii gratia renovetur.

1. SPiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, 2
In hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, 3 Prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad
percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem.
4 Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum
actione percipitur. 5 Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. 6 Hæc
proponens, fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei,
& bonæ doctrinæ, quam assecutus es. 7 Ineptas autem, & aniles fabulas devita: exerce autem teipsum ad pietatem. 8 Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ,
quæ nunc est, & futuræ. 9 Fidelis sermo, & omni acceptione, dignus. 10
In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est
Salvator omnium hominum, maxime fidelium. 11 Præcipe hæc, & doce. 12
Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium, in verbo, in
conversatione, in charitate, in fide, in castitate. 13 Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. 14 Noli negligere gratiam, quæ in te est,
quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. 15
Hæc meditare; in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. 16 Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis, Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.

℣. 1. SPIRITUS AUTEM MANIFESTE DICIT.] Spiritus Sanctus, qui in nobis, atque in aliis fidelibus loquitur, qui Prophetiæ donum receperunt, explicite, distincte, & manifeste ait, *in novissimis temporibus*, hoc est ante Mundi finem, atque Antichristi adventum, non defuturos in Ecclesia Hæreticos, Schismaticos, Christianos corruptæ doctrinæ, qui fallent infirmos, docentes, Conjugium vetitum esse, quasdam carnes immundas, eriorésque alios doctrinæ, atque Evangelicæ libertatis penitus oppositos. Quod perspicue & manifeste declaratum est a Spiritu Sancto, actu in Prophetis Novi Testamenti loquente, opponit iis, quæ in fine capitis superioris dixit de Mysterio Incarnationis, quod a Prophetis antiquæ Legis prædictum quidem fuit, sed confusius, & pluribus sæculis antequam eveniret. Hoc autem Spiritus explicite ait, & jam nunc illius complementum videre cœpit; mysterium iniquitatis se prodere incœpit in hæresibus, quæ insurgunt, sed omnino haud perficientur, nisi *novissimis temporibus*, & cum advenerit homo peccati, quem Salvator oris sui Spiritu disperdet [1], videlicet Antichristus.

Novissima tempora in Veteris Testamenti Bibliis, ut plurimum Messiæ adventum significant [2], præsertim vero ultionis tempus a Domino contra infidelem, atque incredulum populum exercendæ. In novo autem plerumque indigitant alterum JESU CHRISTI adventum, persecutiones Antichristi, quæ illum sunt præcessuræ, tempus, quod primum inter & alterum adventum debet effluere, Jerosolymitanum denique excidium.

Novissima tempora in Daniele 7. 21. præsignata, vel decimum cornu, Sanctis bellum inferet, & contra eos prævalebit, proferet blasphemias in Dominum, summamque possidebit auctoritatem *usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Postrema hæc tempora, quæ a Propheta notata sunt, primum quidem significant mala, quæ sub Antiochi Epiphanis Imperio Judæi passi sunt: secundo Salvator in Evangelio Matth. 24. nos admonet, hæc adimplendum in Jerosolymæ excidio a Romanis eversæ. Tertio denique Christiana antiquitas credidit, quod quemadmodum Antiochus Epiphanes erat Antichristi figura, ita mala, quæ Judæis acciderunt in bello a Romanis in illos novissime bellato, figuras esse eorum, quæ novissimis temporibus Antichristus allaturus esset Ecclesiæ. Antiochiæ persecutio mala factum est, probatio, & figura alterius facti realis, quod est Jerosolymitanum excidium; alterum quidam a Daniele prædictum, alterum a JESU CHRISTO, quorum utrumque ad literam suis temporibus acciderunt, & quæ sunt quædam veluti pignora adventus Antichristi, ejusque persecutionum adversus Ecclesiam, quas S. Paulus, aliique Novi Testamenti Prophetæ portenderunt.

Hoc in loco *novissima tempora* [3], possunt igitur indefinite indigitare ea tempora, quæ JESU CHRISTI adventum subsequuta sunt, & quæ ad alterum usque illius adventum sub Mundi finem debent effluere. Toto hoc

1 2. Thessal. 2. 7. 2 Ita Rabb. & Interpp. passim. 3 Græc. [illegible] *In posterioribus temporibus*: quod Estius distinguit a *novissimis diebus*. [illegible] Sed facilem hanc distinctionem credo.

hoc temporis intervallo adimplebitur quod isthic Apostolus inquit, tamquam res manifeste declarata per os omnium Prophetarum religionis Christianæ, qui tunc magno erant in numero, & qui omnes una voce portendebant futurum, ut *Spiritus erroris, & Dæmoniorum doctrinæ* viderentur. S. Joannes Evangelista miram in modum confirmat ea, quæ diximus de novissimis temporibus, per hæc verba in 1. ep. 2. 18. *filioli, novissima hora est . . . & nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus, quia novissima hora est*. Et S. Paulus ipse in altera ad Timotheum Epistola 3. 2. ait: *novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, blasphemi, ... habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, & hos devita*. Hi autem Timothei ipsius ævo apparere debebant, quandoquidem hunc hortatur, ut caveat ab illis.

Apostasiæ, errores, Diabolicæ doctrinæ, hoc in loco a S. Paulo designatæ non aliud sane fuere, quam hæreses, quæ ipso Apostolorum ævo primisque Ecclesiæ sæculis insurrexerunt [1]; quales fuere Simonianorum, Simonis Magi discipulorum, Nicolaitarum, Cainistarum, Gnosticorum, Encratitarum, atque tot aliæ, quæ Ecclesiam in ipsis fere incunabulis pene extinxerunt. Hi omnes ex Christiana religione discesserant, *discedent quidem a fide*, & erroris spiritum sequebantur. Menander, & Simon se Messiam esse, supremamque virtutem dicebant, Divinos sibi honores deferri contendentes, & fucum facientes populis præstigiis, fictisque miraculis suis, quæ Magiæ vi operabantur, *attendentes spiritibus erroris* [2]. Eorum doctrina æque corrupta erat, ac vita flagitiosa. Vide, si lubet, eos, qui de Simonianorum, Menandri, Nicolaitarum, Gnosticorum, Encratitarum, aliorumque hæresibus disseruerunt, quorum doctrina vere erat *doctrina Dæmoniorum*.

Veteres nonnulli hoc in loco post ea verba, *discedent quidam a fide*; hæc addebant [3]: *non deerunt, qui mortuos colant, quemadmodum olim in Israel colebantur*. Mortuorum vero nomine intelligebant fortasse Idola; quod ex Psalmo 105. 28. desumptum est: *& comederunt sacrificia mortuorum*. Hoc autem glossema videtur additum verbis, quæ sequuntur: *doctrinis Dæmoniorum*.

℣. 2. IN HYPOCRISI LOQUENTIUM MENDACIUM.] Hæretici, de quibus loquuti sumus, minime audebant sua flagitia proferre; illa accuratissime celabant, neque aperiebant, nisi illis, quos satis erroribus suis imbuissent. Simonis Magi discipuli in omnium libidinum volutationibus, quæ vix animo quidem fingi possunt, versabantur; & illi ipsi ferebantur ita, qui primum ipsos loquentes, de secretioribus mysteriis audiebant, stuporem, horroremque incessisse [4]. Quamvis Christianorum nomen servarent, Idola tamen venerabantur, vel saltem eorum cultum tamquam aliquid indifferens existimabant, se se temporibus, locis aptantes, pro ut occasio poscebat, & pravissima hypocrisi cordis sui flagitiosissimos sensus dissimulantes [5]. Nicolaitæ aliud pestis genus, qui primo alteroque sæculo vixere, in omne impudicitiæ genus se se immergebant, communes Uxores habendas esse censentes, aliosque plurimos errores asserentes. Quilibet facile intelligit hujusmodi impurissima flagitia non nisi sub hypocrisis, & dissimulationis integumento celari potuisse, alioquin Leges ipsæ prophanæ citassent nefas, neque illi Sæcularium Magistratuum pœnas effugissent.

Encratitæ, Carpocratiani, Marcionitæ, Saturninus, atque Tatianus Conjugium damnabant; at non ideo tamen continentius vivebant. Plerique Uxorum communitatem admittebant, & ea mala gravissima, quæ ex hoc fonte proficiscebantur. Inde Conjugium damnabant, quod generationem horrebant, atque libidinosissimam licentiam deperibant. Ex hujusmodi principiis facile conjici potest quanta esset horum hominum hypocrisis, quos humanum genus perhorruisset, si eorum libidines compertæ, atque exploratæ fuissent [6].

CAUTERIATAM HABENTIUM SUAM CONSCIENTIAM.] Cauteriare ad litteram significat ignitum ferrum alicui corporis parti admovere: quod nonnumquam salutis ergo fit; at aliquando etiam frons, vel humeri improborum inuruntur, ut facilius cognoscantur. Posterioris hujus cauterii naturalis effectus ille est, ut indelebilis, & contumeliosa permaneat nota sceleris illius, quod justitia persequuta est: Cauterium vero Medicorum jussu inustum signum est humoris nequam, vel alterius pravæ affectionis in corpore, quæ Cauterio vel inhiberi, vel opprimi quæritur. In morali sensu *cauteriata conscientia* significare potest hominem, turpissimis, atque nefariis addictum vitiis, & qui intra se damnationis, & infamiæ suæ aculeos, & characterem gerit; vel hominem, cujus infirmæ conscientiæ est, & cujus sensus corrupti [7].

Alii [8] explicant de conscientia obdurata, insensibili, incorrigibili, quod quidem ex Medicorum usu desumptum est, ignem nonnumquam adhibentium, ut sensum amoveant ab ea parte, quam torquere volunt; quemadmodum accidit in usu cucurbitarum, & docet experientia, partes, quibus ignis, vel cauterium admovetur, minus sensu præditas esse, & sine multo dolore cædi, atque divelli posse.

℣. 3. PROHIBENTIUM NUBERE.] Vidimus jam libidinosissimos, atque turpissimos hæreticorum omnium, qui fuerunt umquam in Ecclesia, damnasse legitimum etiam Matrimonium eo tempore, quo Mulierum omnium communitate, obscænissima quælibet sibi licere putabant flagitia [9]. Homines sine religione, sine fide, sine pudore, sine honore.

ABSTINERE A CIBIS.] Hoc præsertim spectat ad Judæos male conversos, vel Hebraizantes [10], qui contra Apostolorum, & Jerosolymitani Concilii decreta [11], constantemque S. Pauli in omnibus Epistolis doctrinam afferebant, abstinentiam a cibis a Moyse memoratis in Christiana religione æque ac antea tenere. Ex hoc numero erant Ebionitæ, Encratitæ, Marcion, Saturninus, Montanus [12], quemadmodum liquet ex Patribus, qui vel Hæresum nomenclaturas instituerunt, vel qui easdem confutare aggressi sunt, puta Tertullianus, S. Irenæus, & Clemens Alexandrinus, S. Epiphanius aliique. Conjugium & quædam epulæ tamquam immundæ ab illis in odium Creatoris censebantur toto Cœlo hac in re a Patrum sensu, & Ecclesiæ praxi abhorrentibus, qui secundum JESU CHRISTI atque Apostolorum exempla Virginitatem, & Continentiam laudibus semper celebrarunt; ubi hæ virtutes coluntur, ut major perfectio obtineatur, & qui permittunt, immo etiam aliquibus in occasionibus mortificationis, atque pœnitentiæ spiritu a quibusdam cibis abstinentiam præcipiunt [13].

℣. 4. OMNIS CREATURA DEI BONA EST.] Vidit Deus omnia, quæ fecerat, inquit Scriptura, & erant valde bona [14]. Marcionitæ arbitrabantur, Creatorem, qui in Veteri loquitur Testamento, Auctorem mali fuisse, malumque principium alteri principio oppositum, quod erat Auctor boni [15]; ideoque in odium hujus Dei malorum omnium principii, Veterisque Testamen-

---

1 Chrysost. Theophyl. 2 *Προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις*. Ita Græc. Edit. Alii; *Πνεύμασι πλάνης*. Ita plures MSS. antiqui Latini: *Spiritibus fallacibus, vel deceptoribus*. Ita Ambrosiast. Hilar. Novatian. Augu. Cod. Clarom. Lat. 3 Epiphan. hæres. 78. Cod. vetustiss. Vechel. Ita Cod. vetustiss. Junii.
4 Iren. l. 1. c. 20. Euseb. l. 2. c. 13. Hist. Eccles. 5 Aug. hæres. 1. Origen. l. 6. contra Cels.
6 Vide Tillemont. t. 2. art. de Simone Mago, de Encratitis, Carpocratianis, aliisque hæreticis.
7 Theophyl. 8 *Κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν*. Theodoret. Ita Tir. Tussien. Schmid. Medus.
9 Clem. Alex. strom. l. 3. 10 Chrysost. Theophyl. Est. alii plerique. 11 Act. 15. 28. 29.
12 Lege Theodoret. hæretic. fabul. l. 1. c. 20.
13 Vide Hieronym. l. 1. contra Jovinian. Aug. l. 2. de nupt. & concupisc. c. 5. & l. 1. contra duas Epist. Pelag. c. 2. & l. 30. contra Faust. c. 5. 6. Est. hic. Cornel. a Lapide. 14 Genes. 1. 31.
15 Vide Tertull. l. 1. c. 2. contra Marcionem.

stamenti Auctori quarumdam ciborum creaturam, præsertim vero animantium usum horrebant; veriti, inquit S. Epiphanius hæres. 42. ne animas comederent. Attamen Tertullianus l. 1. contra Marcion. c. 14. ait, illos pisces comedisse. Hos hæreticos, & alios, qui eosdem consequuti sunt, puta Encratitas, atque discipulos Saturnini, & Montani hoc in loco impugnat Apostolus, ostendens, quod cum quidquid a Deo creatum fuit, in se bonum sit, atque purum, minime vetitum erat eodem uti, hoc supposito, quod malum also esset; licet alia de causa, vel ex institutis religionis sanctæ, vel ob valetudinem, atque urbanitatem licet nonnumquam ab aliquibus cibis abstinere. Ipse etiam S. Paulus docet, se in continentia vixisse [1], & ait, se corpus suum castigasse, atque in servitutem redegisse [2] ob pœnitentiam: & si umquam cibis quibusdam utens B fratri suo scandalum afferre intellexisset, profitetur, se toto vitæ suæ tempore potius temperaturum, ne iis vesceretur [3].

℣. 5. SANCTIFICATUR ENIM PER VERBUM DEI, & ORATIONEM.] Usus carnium bonus est, & sanctus in se ipso, quoniam quidquid creavit Deus, purum est, & ab omni sorde vacuum; sed licet aliquid in Creatura, vel in usu ejusdem esset immundum [4]; hic usus sanctificatur precibus, ac benedictionibus, quas illi conjungere consuevimus, & per *Verbum Dei* qui nobis per JESUM CHRISTUM declaravit, non id, quod intrat in os, hominem coinquinare [5]; & per Apostolos in nomine suo congregatos [6] decrevit, carnium discrimen in Lege statutum non amplius vigere. Post primi hominis peccatum creata quælibet Dæmoni subjecta fuisse videntur: C & hæc in sensu quandam immunditiæ speciem contraxisse [7]: sed Oratio quæ vel præcedit, vel comitatur, & gratiarum actio, quæ prandia, cœnasque nostras subsequitur, escas, quibus vescimur cujuscumque naturæ sint, capit, atque sanctificat. Ita ex quacumque re indiscriminatim comedere non est solum in semet licitum, verum esse quoque potest actio sancta, & meritoria, propter circumstantias, quæ eamdem concomitantur [8].

℣. 6. HÆC PROPONENS FRATRIBUS, BONUS ERIS MINISTER.] En quid docere debeas populos tibi creditos, si prudentis Episcopi munera perfungi cupis. Illis proponere debes ineffabile Incarnationis Mysterium cum omnibus effectibus ejus [9], quemadmodum gentibus prædicatum fuit, & a pluribus populis exceptum. D Inde illos prævertere debes, ac præmonere contra falsos Doctores, Hæreticos, & Ministros Sathanæ, qui novissimis hisce diebus venient, & quorum tu ipse testis esse poteris, qui erroneam, diabolicamque doctrinam docebunt, conjugium prohibebunt, atque carnium, quas permisit Deus, usum interdicent.

ENUTRITUS VERBIS FIDEI.] Episcopus enutritus esse debet, repletus, & ut ita dicam saginatus substantia Verbi Dei, Sacrarumque Scripturarum. His indesinenter studere debet, has jugiter meditari, inquit S. Chrysostomus: non enim est communis esca, qua qui vescuntur, saturantur: quo magis vescimur, eo magis esurimus. S. Timotheus lumine, atque donis Spiritus Sancti repletus erat, & plures annos ab Apostolo didicerat. Fatetur Paulus, illum *enutritum esse* E *se Verbis Fidei, & bonæ doctrinæ*, & illum nihilominus hortatur, ut legat, & studeat [10]. Quid ergo illis faciendum, qui in Episcopatu iis carent cognitionibus, & adminiculis, quæ magno huic viro minime deerant?

℣. 7. INEPTAS, ET ANILES FABULAS DEVITA.] A Græcus [11] *avita fabulas prophanas, & aniles*. Crediderunt intelligere vanas Judæorum traditiones [12], & prophana Hæreticorum deliramenta, quæ nuper descripsit [13]; & sane universum systema religionis Simonis, Menandri, Saturnini, Marcionis, Gnosticorum, Encratitarum, futura quædam est fabularum, fictionum, genealogiarum, principiorum, nexu, ratione, probatione, verisimilitudine carentium.

℣. 8. CORPORALIS EXERCITATIO AD MODICUM UTILIS EST.] Athletarum exercitationes, quas Græci tantopere in deliciis habent, perparum prosunt, & in eo desinunt, ut corpus forment, atque robustum efficiant, ac inanes plausus, fragilemque coronam denique referant. Sed spiritualis pietatis exercitia, studium, lectio, oratio, charitatis opera, vita frugi, abstinentia, jejunium, pœnitentia, tota Cœlo majorem B afferunt utilitatem: fructum enim pariunt non in hac solum, verum etiam in altera vita [14]. Quidam [15] hoc intelligunt de corporum exercitationibus, quæ ad valetudinem tuendam instituuntur, qualia sunt deambulatio, & ii ludi, quibus corpora exercentur. Res hujusmodi exiguæ sunt utilitatis, atque ad summum fragili prosunt valetudini: sed pietas utilitatis toto Cœlo majoris est exercitatio. Credunt alii [16], S. Paulum hoc in loco pietatis exercitationes vitam recte institutam, & charitatem, exterioribus opponere mortificationis, abstinentiæ, jejunii, & corporalium laborum exercitationibus; quæ quidem bonæ sunt, sed pietas, fides, spes, charitas, & harum virtutum exercitatio sunt longe meliora.

C ℣. 9. FIDELIS SERMO.] Hoc ut plurimum præcedentibus adnectitur [17]: Quæ hactenus dixi, peculiarem, sedulamque attentionem, & curam merentur, quippe fundamentales sunt Christianæ vitæ veritates. Hic versiculus parenthesi concludi posset; decimus enim versiculus cum octavo, atque præcedentibus bella connectitur.

℣. 10. IN HOC ENIM LABORAMUS.] Ideo multis, & contumeliis obruimur, quod in Deum viventem speramus. Vel: ideo omnia mala, & maledicta, quæ in nos ingeruntur, perferimus, eo quod speramus. Ut mereamur bona futuræ vitæ ℣. 8. quæ nobis promissa fuerunt, & quæ speramus, ultro & alacriter omnia nobis illata mala perpetimur: alioquin tot periculis, atque ærumnis nos minime objiceremus. Aliter, ideo D infideles in nos irritantur, quod illis Deum viventem, vitamque æternam prædicamus. Si imitari vellem pseudo-Apostolos, qui neque Judæorum, neque Gentilium invidiam subire volunt, velut Judæi cum Judæis, atque Ethnici cum Ethnicis viventes; ne ego quidem eas, quas patior, persecutiones, mihi conflarem.

QUI EST SALVATOR OMNIUM MAXIME FIDELIUM.] Vidimus supra cap. 1. 1. *Salvatoris* nomine Deum Patrem nuncupari. Hic est *Salvator omnium*; omnes ad salutem invitat, & sine personarum acceptione omnes admittit in Ecclesiam. Meritum mortis Filii sui, quem ipse mortalibus tradidit, satis superque est illis omnibus redimendis. Verum bona ejus voluntas erga fideles potissimum affectum suum parit, *maxime fidelium*, non E quod hi omnes salvi fiant; sed quod omnes sunt in via salutis, omnes fidei lumen, Evangelii cognitionem, easque gratias receperunt, quibus salvi fieri potuissent, nisi fuissent infideles erga illum, a quo vocati fuerant, & justificati [18].

℣. 12. NEMO ADOLESCENTIAM TUAM CONTEMNAT.] Ita

1 1. Cor. 7. 7. 8. Ita PP. plerique. 2 1. Cor. 9. 27.
3 1. Cor. 8. 13. 4 Theophylact. 5 Matth. 15. 11. 17.
6 Act. 15. 27. 7 Rom. 8. 20. Ambros. lib. 2. de Abel, & Caio cap. 8. Augustin. lib. 4. cap. 19. de Civit. Dei. Est. Menoch. &c. alii. 8 Theodoret.
9 1. Timoth. 3. ult. Vide Theophylact. Est. Menoch. 10 Mox vers. 13.
11 Τοὺς δὲ βεβήλους καὶ γραώδεις μύθους παραιτοῦ. 12 Chrysostom. Theodoret. Theophylact.
13 Grot. Est. Menoch. Vorst. Danæ. 14 Vide Est. Menoch. Tirin. Pricæ. Scolt. Pisc.
16 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. 17 Quidam apud Chrysostom. & Theophylact. Danæ. Grot. Vorst. Ita & Ambrosiast. Anselm. D. Bernard. Apolog. ad Guillel. D. Thom.
18 Chrysost. Theodoret. Theophylact. &c. 19 Vide Concil. Trident. sess. c. 13.

Ita sapiens, & gravis esto, ut nemo te propter adolescentiam possit contemnere; sed omnium existimationem, morum innocentia, prudentia, integritate vitæ, tibi demerere. Vel denique, utere ea potestate, quam tua tibi dignitas confert, nec te contemni permittas. Quonam tunc fuerit ætas Timothei, non satis aperte liquet; hoc tamen minime probat, illum admodum fuisse adolescentem; & quintum fortasse supra trigesimum, vel ad summum quadragesimum annum agebat. In Scripturarum stylo adolescentia sæpe vocatur, quæ senectus non est. Primis illis Ecclesiæ temporibus pessum videbantur Episcopi, qui non essent ætate provectiori. Quatuordecim jam circiter elapsi erant anni, ex quo Timotheus S. Paulo adhæserat, a quo fuit circumcisus anno JESU CHRISTI 51. cum hæc Epistola scripta fuerit sub finem anni 64. Si credamus, S. Timotheum annos viginti natum fuisse, cum a S. Paulo in societatem assumptus fuit, tunc annum quintum supra trigesimum agere debebat.

SED EXEMPLUM ESTO FIDELIUM.] Vis, auctoritatem tuam tueri, atque ab omnibus obedientiam tibi præstari? esto fidelium exemplar, esto viva lex [1]; ita vitam institue, uti loqueris, & prior fac, quod imperas aliis. Episcopus virtutis suæ perfectione illis, qui sibi crediti fuerunt, tantum præstare fas est, quantum Pastor gregi suo. Exemplo tuo illos doce, quomodo loqui debeant, proximum suum diligere, fidem servare, amare charitatem, gravitatem, innocentiam. Græcus addit *in spiritu*, in spiritus fervore, in religionis zelo, in usu donorum supernaturalium; quæ additio neque in Syriaca extat, neque in pluribus notæ melioris Manuscriptis [2]. Divus Chrysostomus illam minime legit.

℣. 13. DUM VENIO, ATTENDE LECTIONI.] Supra cap. 3. ℣. 14. adnotavimus, S. Paulum Epheso transisse, cum Romam novissime proficisceretur, ibique Timotheum vidisse. Hunc hortatur Apostolus, ut *lectioni, exhortationi, & doctrinæ* vacet. Licet Spiritu Sancto illustratus, atque repletus sis [3], indesinenter Sanctas Scripturas lege, ubi invenies, unde majora semper discas, ea ipsum confirmes, & solatium aliquod participes. Veteres Prophetas evolve, & ibi Christianæ Religionis apertissima intueberis argumenta. Attende *exhortationi*, vel *consolationi* [4] populi tui; illos hortare, ut in bono permaneant; eosdem cum adversis premuntur, consolare.

℣. 14. NOLI NEGLIGERE GRATIAM, QUÆ IN TE EST CUM IMPOSITIONE MANUUM PRESBYTERII [5].] Hinc intelligere est, S. Timotheum nonnisi ex peculiari revelatione, & explicito Spiritus Sancti mandato Episcopum ordinatum fuisse. Gratia, de qua hic loquitur S. Paulus, est illa Episcopalis ordinationis, quam recepit per impositionem manuum *Presbyterorum*; vel potius *Episcoporum*, Senatus Ecclesiastici; hæc enim Græci vocabuli est significatio [6]: & liquet, in Ecclesia Sacerdotibus numquam jus fuisse manus imponendi super Episcopos, eosque ordinandi. S. Paulus in altera ad Timotheum Epistola 1. 6. ait, se ipsum huic discipulo manus imposuisse, *ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Ipse igitur fuerat præcipuus ordinationis Timothei Minister, cui adfuerant etiam Episcopi ejus Provinciæ, ubi hæc ceremonia peracta est [7]; vetus enim Ecclesiæ consuetudo erat, ut ad unius Episcopi ordinationem plures adessent Præsules, & ad hanc quoque diem tres saltem Ecclesia requirit, qui numerus est sufficientissimus.

Censet Divus Chrysostomus in 1. Tim. prolog. Timotheum Episcopum fuisse ordinatum simul ac fuit circumcisus, ita ut eodem tempore factus fuerit & discipulus, & Magister; quod si verum est, dicendum, eum Lystræ fuisse ordinatum, ubi anno JESU CHRISTI 51. illum Paulus circumcidit [8], quod difficilius ad credendum videtur, propter nimiam Timothei adolescentiam. Gratia, quam tunc recepit, fuit gratia doctrinæ, sic Theophylactus [9]; vel eruditionis talentum, vel denique docendi auctoritas, atque Provincia. Græca enim vox hæc omnia potest significare. Vel cum aliis, supernaturalia scientiæ dona, linguarum, miraculorum, interpretationis Scripturarum, verbo, omnia supernaturalia Spiritus Sancti munera ad ministerium Episcopatus rite adimplendum idonea. Dona hujusmodi gratis conferuntur, sed optima vitæ ratione, vigilantia, oratione, & magna sui met ipsius cura servanda sunt; ita enim resuscitantur, quemadmodum S. Paulus loquit in altera ad Timotheum [10], & qui secus fecerit, is se quilibet Spiritum Sanctum contristat, vel extinguit, quemadmodum idem alibi dicit [11].

℣. 15. HÆC MEDITARE, IN HIS ESTO.] Semper ob oculos tuos tua munera, atque officia versentur; animo semper reputa eas virtutes, quæ bono Episcopo requiruntur, *ut profectus tuus manifestus sit omnibus*; ut omnes te in scientia, virtute, perfectione, sapientia proficientem videant, & admirentur.

℣. 16. HOC FACIAS; TE IPSUM SALVUM FACIES, ET EOS, QUI TE AUDIUNT.] Id si feceris, tibimet ipsi invigilaveris, & alios erudieris; vitam æternam tibi promereberis, & alios in viam salutis adduces. Pastor vigilans suæ consulit saluti, ubi consulit alienæ; ei quippe ratio reddenda est Deo non de sua tantum, verum etiam de gregis sui vita, & innocentia. Si grex rebellis est, atque indocilis, Pastor quidem rationem reddere non potest; verum si male eruditus est, hoc vero ex Pastore requirit.

---

1 Theodoret. Vide 1. Petri 5. 3. Hesychius in Levit. &c.
2 Deest in Alex. Claromont. G. L. Boerner. G. L. Ambros. August.
3 Isidor. Pelus. lib. 4. Epist. 88.
4 Πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει, τῇ παρακλήσει.
5 Plures MSS. impress. codices legunt *Presbyteri* pro *Presbyterii*. Vide Selden. de Synedr. lib. 1. cap. 14.
6 Μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. Æthiop. Episcoporum Chrysostom. Ita Interpp. passim.
7 Vide Est. Grot. alios.
8 Act. 16. 1.
9 Ita Theodoret. & Chrysost.
10 1. Timoth. 1. 6.
11 1. Thessal. 5. 19. *Spiritum nolite extinguere*; Ephes. 4. 30. *Nolite contristare spiritum*.

CAPUT V.

Moralia præcepta. Quid Timotheo faciendum erga seniores, adolescentes, viduas. Diaconissarum qualitates. Sacerdotum remuneratio. Si quæ in illos adferatur criminatio, non leviter admittenda. Publica publicorum scelerum correptio. Manus non adeo facile imponendæ. Timotheo modico vino utendum.

1. SEniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; juvenes ut fratres; 2 Anus ut matres; juvenculas ut sorores, in omni castitate. 3 Viduas honora, quæ

ra, quæ vere viduæ sunt. 4 Si qua autem vidua filios, aut nepotes ha-
bet: discat primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus:
hoc enim acceptum est coram Deo. 5 Quæ autem vere vidua est, & desolata,
speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte, ac die. 6 Nam
quæ in deliciis est, vivens mortua est. 7 Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles
sint. 8 Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fi-
dem negavit, & est infideli deterior. 9 Vidua eligatur non minus sexaginta anno-
rum, quæ fuerit unius viri uxor, 10 In operibus bonis testimonium habens, si
filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem pa-
tientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. 11 Adolescentiores
autem viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: 12
Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. 13 Simul autem &
otiosæ discunt circuire domos: non solum otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ,
loquentes, quæ non oportet. 14 Volo ergo juniores nubere, filios procreare,
matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. 15 Jam e-
nim quædam conversæ sunt retro satanam. 16 Si quis fidelis habet viduas, sub-
ministret illis, & non gravetur Ecclesia: ut iis, quæ vere viduæ sunt, sufficiat.
17 Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime, qui
laborant in verbo, & doctrina. 18 Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi
trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua. 19 Adversus presbyterum ac-
cusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus. 20 Peccantes co-
ram omnibus argue: ut & cæteri timorem habeant. 21 Testor coram Deo, &
Christo Jesu, & electis angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in
alteram partem declinando. 22 Manus cito nemini imposueris, neque communi-
caveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. 23 Noli adhuc aquam bibere,
sed modico vino utere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.
24 Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium: quos-
dam autem & subsequuntur. 25 Similiter & facta bona manifesta sunt: & quæ a-
liter se habent, abscondi non possunt.

℣. 1. SENIOREM NE INCREPAVERIS.] Non est E- A piscopalis gravitatis acribus, violentisque verbis uti adversus quoscumque, multo minus autem adversus eos, qui ætate sunt provectiori [1]. Correptio semper quidem per se molesta est, quin illius augeatur dolor verbis duriusculis, atque nimium vehementibus. Senis ætas cum a vitiis immunem non præstat, verum illius ratio habenda est, atque observantiam meretur, præsertim vero apud illos, qui sunt adolescentes, qualis erat Timotheus. *Senioris* nomine, Græce *Presbyteri* hic intelligendus est non Sacerdos aliquis, sed vir ad senectutem proximus, quemadmodum Latina versio indigitat. Si quis senio confectus in grave aliquod scelus lapsus fuerit, atque Ecclesiæ attulerit scandalum; hunc palam corripe, sed cum ea, quę decet, lenitate [2]: sin autem erra- B tum secretum fuerit, secreto illum admone, atque eam omnem præfer observantiam, & reverentiam, quam erga parentem tuum haberes, si necessitas te cogeret, ut in vita illius aliquid castigares. *Obsecra ut Patrem*, cum adolescentibus vero majorem auctoritatem induere poteris; & memento, fratres tuos esse, eosdem cum charitate, atque suavitate redargue; *juvenes, ut Fratres*.

℣. 2. ANUS UT MATRES.] Si illas corripere temeria, tuæ ætatis memento, atque cum illis, tamquam cum matre tua age. Ostende quidem, illas a te observari, & coli; verum earum scelera impune abire minime sinat. Adolescentes autem mulieres habe tamquam sorores: verum tanta cum sapientia, atque prudentia, ne qua possit de te mala oboriri suspicio [3]: *in-* C *venculas; ut Sorores in omni castitate*.

℣. 3. VIDUAS HONORA, QUÆ VERE VIDUÆ SUNT [4].] Illis ea, quę ad victum sunt necessaria, suppeditato; hæc quippe magis efficax, & solida ratio est, qua illis observantiam, atque existimationem valeas testari. Satis constat, quod *honorare*, sæpius necessaria ad vitam subsidia præbere significat. Hoc autem tunc fiebat, cum in Ecclesiæ nomenclatura viduæ inscriberentur, atque participes fierent communium bonorum, & eleemosynarum, quæ unici erant Ecclesiæ redditus. Sed cum fides vivida esset, & ardens charitas, Altaris ministri, viduæ, & pauperes, satis habebant; unde in frugalitate, & modestia, qua vivebant, alerentur.

QUÆ VERE VIDUÆ SUNT.] Derelictæ, desolatę, destitutæ omni humana ope, quod earum nomen indigitat [5]; nam Viduæ, quæ locupletes sunt, & quæ viduitatem, tamquam libertatis statum servant; vel quæ inertes sunt, verbosæ, curiosæ, de quibus infra sermo est ℣. ℣. 6. 11. 12. 13. 14. vere Viduæ non sunt. Illæ, de quibus loquitur, filiorum suorum, si quot genuerunt, curam gerere debent, omnem spem suam in Deo collocare, preces effundere, opera charitatis erga hospites exercere; atque omni bonorum operum generi indesinenter vacare.

℣. 4. SI QUA VIDUA FILIOS, AUT NEPOTES HABET.] Vera Vidua filios bene nutrire, familiam suam sancte regere, & iis rite perfungi debet, quæ erga parentes suos sibi facienda sunt. Hæc prima sunt ejus officia post ea, quę respiciunt Deum: filiorum suorum optimam procuret institutionem, quantum in ipsa est, paren-

1 Theodoret. 2 Vide Greg. Magn. l. 7. Epist. 1. indict. 2. *Ubi senior juvenibus exemplum ad interitum probet, ibi districta increpationis feriendus est*. 3 Chrysostom.
4 Theophylact. Vide infra vers. 9. Act. 6. 1. Ignat. Epist. ad Polycarp. 5 Χήρα, vidua, a χηρεύω desolari, destitui, privari. Hic vers. 5. *Quæ vera vidua est, & desolata*.

parenter proprios colat, atque observet. Vel cum Theodoreto: filiis suis ea reddat officia, quæ a parentibus excepit; ut vicissim ab illis recipiat, quæ jure ex iisdem exigere poterit.

Græcus [1] aliter legit: *si quæ vidua filios habet, aut nepotes, discant primum in pietate domum suam instituere, & parentibus suis vices reddere*: quod non parum sensum immutat: non enim Viduis, sed eorum filiis hoc in loco præcepta tradit Apostolus, & hoc indirecte tantum ad Viduas pertinet; quoniam enim gerere debent, ut filii sui in propria familia muneribus suis perfungantur, atque sibi expetare debent ea subsidia, & opem, quæ maxime decet, ab iis, qui ad id sanctissimis Legibus tenentur. Attamen non desunt oprimi quidam MSS. cum Græci, tum Latini, qui hic cum Vulgata legant [2], & universum hunc ℣. tamquam præceptum Viduis traditum intelligant: quem sensum notæ melioris Interpretes [3] sequuntur; supponunt enim, multitudinis numerum pro singulari hic esse usurpatum.

℣. 5. SPERET IN DEUM, ET INSTET OBSECRATIONIBUS.] Hoc est præcipuis est Christianæ Viduæ characteribus. Omnem illa in Deum spem suam collocare debet, cum in Mundo nec subsidium habeat, neque solatium; atque interdiu, simul ac noctu Deum orare debet, ut sibi sit omnia. Græcus [4] legit: *Sperat, & perseverat*; atque egregia quædam Latina exemplaria præsenti tempore legunt: *sperat, & instat*: quod nihil sensum immutat. Spes, & oratio semper prima sunt officia, ac notæ præcipuæ Viduæ Christianæ, qualis erat Anna filia Phanuel, cujus meminit S. Lucas C cap. 2. ℣. 37.

℣. 6. QUÆ IN DELICIIS EST, VIVENS MORTUA EST.] Vidua, quæ in deliciis, in luxu, in commessationibus vivit, mortua est fidei, gratiæ, Deo. Videtur viro suo superstes, & profecto vita corporis vivit; sed mortua est vita animæ [5]: *vita mors est, & quidem turpis inter fœda versantibus*. Delitiæ efficiunt, ut anima emoriatur, atque in corpore, tamquam in sepulchro permaneat [6].

℣. 7. ET HOC PRÆCIPE, UT IRREPREHENSIBILES SINT.] Hoc nequaquam simplex consilium est, sed præceptum. Christianæ Viduæ magis adhuc, quam alii fideles, eam vitam vivant, quæ in oculis mortalium sit irreprehensibilis, inter quos sydarum instar debent affulgere [7].

D ℣. 8. SI QUIS SUORUM, ET MAXIME DOMESTICORUM, &c.] Fides bifariam negatur, & verbis, & moribus. Qui vivit omnino aliter ab eo, quod credit, satis ostendit, se non vere, neque ex corde credere, quod ore profitetur. Si crederent Verbo Dei, numquid negligeret tanti necessitatis officia, qualia sunt, filiorum institutio, vel domesticorum correptio? si fidem, quam recepit, atque promissiones Æternitatis in eo, quod debet, haberet pretio; numquid adeo iners, atque ignavus esset, ut hæc bona iis, quibus debet, procuraret? Infidelis saltem familiæ suæ curam gerit, illi ea, quæ potest, bona procurat, nec suis opem, quam debet, negat aliquando. CHRISTI fidelis ergo proximorum salutem negligens, est infideli deterior [8].

℣. 9. VIDUA ELIGATUR NON MINUS SEXAGINTA A ANNORUM.] Plura erant in Ecclesia Viduarum genera. Aliæ quidem satis locupletes, & domi suæ ex bonis suis vivebant; aliæ vero pauperes, quarum nomina scripta erant in nomenclatura eorum, qui Ecclesiæ graves erant, atque communium distributionum participes. Aliæ erant denique, quæ infra Episcopi, Sacerdotum, vel Diaconorum Ordinem certum munus in Ecclesia obtinebant, seu ut ægris solatium afferrent, seu ut pauperibus ministrarent, seu ut alia præstarent, quæ viros minime decebant. De his loquitur hoc in loco Apostolus, easque sexaginta annis majores esse vult, seu ad omnem evitandam suspicionem, quæ oboriri potuisset, si fuissent adolescentulæ [9], seu quod ea in ætate pares non erant amplius, quæ victum sibi comparatent [10]. Secundo exigit, ut uni dumtaxat nu- B psarint viro; nam quamvis alteræ nuptiæ in Ecclesia minime prohibeantur, afferunt tamen quamdam incontinentiæ speciem, quæ abhorrere debet ab iis, qui Divino cultui propius sunt dedicati. Græci, atque Romani Jovis Antistites eas solum eligebant, quæ unum dumtaxat virum habuerant [11].

Recentiores quidam [12] hoc de illis intelligunt, quæ numquam divortium fecerint cum viro suo, neque alteri nupserint; vel tandem, cum Theodoreto, de illis, quæ caste in conjugio suo vixerint. Nam, inquiunt illi, cur ab hoc munere prohibendæ illæ sunt, quæ usæ fuerint eo jure, quod JESUS CHRISTUS iisdem negatum non voluit, & ubi priores earum viri ad plures abierint, cum altero connubium inierint? Respondent, non propter peccatum; liquet enim factum illud non esse criminosum, sed propter deformitatem secundarum nuptiarum hoc prohiberi [13].

℣. 10. IN OPERIBUS BONIS TESTIMONIUM HABENS.] Talem se præbeat, ut qui illam agnoscunt, omnes præclarum optimæ vitæ ejusdem testimonium perhibeant. Vox populi in hujusmodi occasionibus est quodammodo Vox Dei; & hæ sunt præcipuæ actiones, quibus virtutem suam probasse debet; Primo, educatio filiorum; secundo, hospitalitatis exercitatio; tertio, pedum Sanctorum, atque fidelium iter agentium ablutio: hic enim erat summæ humilitatis [14] actus, & officium satis olim in universo Oriente commune, quemadmodum ex Bibliis [15], & prophanis Auctoribus liquet; quarto, si afflictis opem tulerit [16]; & quinto denique, si in omni bonorum operum genere se se exercuerit; si solicite omnes occasiones bonum operandi, & proximo suo gratificandi solicite perquisiverit. Si enim in conjugio alienis malis minime fuerit affecta, quis credideri, eam viduam tanto, quanto par est studio, iis misericordiæ actionibus invigilaturam, ad quas ab Ecclesia destinatur, ubi sancto huic muneri præficitur?

℣. 11. ADOLESCENTIORES VIDUAS DEVITA [17].] Ne recipias illas in numero earum viduarum, quas in Ecclesiæ ministerium eliges, ut pauperibus, ægris, hospitibus, viatoribus opem ferant. *Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt*. Vel potius cum Græco textu [18]; postquam impotenter in JESUM CHRISTUM insurrexerunt, vel fastidio, & saginatæ sunt in ministerio JESU CHRISTI: vel denique, postquam in Ecclesia commodam, suavemque duxerint vitam, tæ- E det illas JESUM CHRISTUM Sponsum habere, atque iterum nubere quærunt [19].

Ha-

1 Εἰ δέ τις χήρα τέκνα, ἢ ἔκγονα ἔχει, μανθανέτωσαν πρῶτον τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν, καὶ ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις. 2 Μανθανέτω πρῶτον τὸν ἴδιον οἶκον, &c. Ita Genev. Velez. Clarom. Lat. Ambrosiaster, Hieronymiast. Aug. &c. 3 Chrysost. Est. Erasm. Castal. Lyr. Pricæ. Vat. Scult. Casaub. Aug. Hieron. &c.

4 Ἤλπικεν, καὶ προσμένει. Velez: Ἐλπιζέτω προσμενέτω; *Speret, instet*. Alii plures MSS. Ambrosiast. *Sperat, instat*. 5 Senec. ep. 71. 6 Theodoret. 7 Philipp. 2. 15.

8 Vide Theophylact. hic, Est. Menoch. Tirin. Erasm. Zeger.

9 Constit. Apostol. l. 3. c. 1. Chrysost. Est. Vorst. alii. 10 Vide Theodoret. Danæ.

11 Vide Grot. Pricæ. 12 Vide Jac. Capell. Drus. Dan. Bez. Vorst. Drus.

13 Theophyl. Est. Grot. 14 Clem. Alex. hypothypos. l. 7. apud Oecumen.

15 Genes. 18. 4. 19. 2. 24. 32. Luc. 7. 44. Joann. 11. 2. 13. 5. &c.

16 Εἰ θλιβομένοις ἐπήρκεσεν; *Si necessaria vitæ subministravit afflictis*. Theophyl.

17 Νεωτέρας δὲ χήρας παραιτοῦ. Constit. Apostol. lib. 3. cap. 2.

18 Ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ γαμεῖν θέλουσι: *Cum lascivierint, ferocierint, insolenter, dure, contumaciter gestierint; item, deliciatæ fuerint, petulantes fuerint contra Christum, nubere volunt*.

19 Theodoret. Theophyl.

℣. 12. HABENTES DAMNATIONEM, QUIA PRIMAM FIDEM IRRITAM FECERUNT.] Tamquam infideles conjuges, quæ conjugii fidem violarunt. Hinc videntur viduæ, & Diaconissæ, quæ Ecclesiæ ministerio admittebantur, voto, vel promissione aliqua se se constringere consuevisse, ut fideliter JESU CHRISTO adhærerent, atque in reliquum vitæ spatium continentiam servarent [1], quæ vota, vel promissiones, quemadmodum a Patribus appellantur [2], ubi ab illis perfringerentur, illas in damnationem invehebant. Apostolus hoc vocat *primam fidem*, vel *fidem novam*, JESU CHRISTO traditam; antea enim, nonnisi vinculis, quæ Christianis omnibus communia sunt, illi adhærebant; postquam autem eas solemnes promissiones effuderant, novum fœdus contraxerant, quod primum erat ab iisdem in hac specie contractum.

℣. 13. SIMUL AUTEM OTIOSÆ DISCUNT CIRCUIRE DOMOS.] Confidentes, quod sibi ab Ecclesia victus præbeatur, & occasionem arripientes ex munere suo, quo pauperes, ægrosque invisere tenentur, consuescunt ignavam, inertemque vitam ducere, discurrentes per domos, verbosæ, curiosæ, inquietæ. Vide Prov. 7. 11. & 2 Thess. 3. 11.

℣. 14. VOLO ERGO JUNIORES NUBERE.] Has nubere præstat, quam viduarum munus illis imponi, vel quod deterius adhuc esset, illas a promissionibus suis deficere, vel se se tradere otio, inertiæ, & insani curiositati omnia videndi, omnia effutiendi, & omnia audiendi. Quæ continentiæ donum non habent, iterum nubant. Alteras igitur nuptias minime damnat, sed illas tamquam incontinentiæ remedium permittit.

℣. 15. JAM ENIM QUÆDAM CONVERSÆ SUNT.] Tristi doctus experientia novi harum promissionum periculum. Disciplina igitur, de qua S. Paulus verba facit, jampridem fuerat instituta, & ex eo tempore fortasse, quo septem Diaconi Jerosolymæ ordinati fuerunt, viduæ etiam constitutæ sunt, quæ mulierum curam gererent. Vide Act. 6. ℣. ℣. 1. 2.

℣. 16. SI QUIS FIDELIS HABET VIDUAS.] Sanctus Paulus diligentissime cavet, ne Ecclesia perperam superoneretur, atque eleemosynæ victui Ministrorum, & eorum, qui veri pauperes sunt, destinatæ minime insumantur alendis inutilibus personis, & qui in familia sua, unde vivant, haurire possunt. Æquum igitur non est, ut qui viduas suas alere queunt, easdem ab Ecclesia alendas relinquant.

℣. 17. QUI BENE PRÆSUNT PRESBYTERI, DUPLICI HONORE DIGNI HABEANTUR.] Honor, de quo hic sermo est, non tantum significat reverentiam, atque exteriorem observantiam, quæ eos decet, qui in Ecclesiastica dignitate constituti sunt, quam mercedem, vel remunerationem eorum laboribus, & ministerio a fidelibus erogandam. *Honorare* [4] sæpius pro remunerari usurpatur; quem sensum Patres, atque Interpretes constanti, & unanimi consensu hoc in loco sequuntur [5]. *Duplex honor*, vel duplex remuneratio ingentem mercedem significat. Honorandi sunt generose, large, & effuse juxta eorum meritum, laborem, & dignitatem. *Duplex* non raro in Scripturis [6] pro magno usurpatur. Alii duplicem hanc remunerationem intelligunt ex comparatione cum illa viduarum, de quibus sermo fuit [7]. Presbyteri hoc in loco de Episcopis, & Sacerdotibus intelliguntur [8], *Qui laborant in verbo, & doctrina*. Non semel jam adnotavimus, Apostolum Presbyterorum nomine nonnumquam Episcopos etiam complecti; atque innuere videtur, eorum quosdam prædicationi nequaquam vacasse, cum ait: *maxime qui laborant* &c. Eos igitur indigitare vult, vel qui plus quam cæteri laborant, vel qui laborant utilius; vel denique simpliciter prædicantes, atque docentes iis comparat, qui Sacramentis ministrandis, afflictis recreandis, pauperibus juvandis operam collocabant: non enim credendum est, eius temporis Sacerdotes omnes verbi donum obtinuisse.

℣. 18. NON ALLIGABIS OS BOVI TRITURANTI.] Hic locus ex veteri Testamento, Deuter. 25. 4. desumptus est, & qui subsequitur ex novo, Matth. 10. 10. *Dignus est operarius cibo suo*; vel potius novissimus iste in adagium abierat apud Hebræos, eoque Salvator usus est in simili casu, ut ostenderet eis, qui populis erudiendis vacant, nihil minus, quam victum suum esse sperandum.

℣. 19. ADVERSUS PRESBYTERUM ACCUSATIONEM NOLI ACCIPERE.] Timotheus Ephesius erat Episcopus, ideoque legitimus Judex de Presbyterorum criminibus. Suadet illi Apostolus, ne adeo facile adversus Presbyterum accusationem admittat, quam si admittere cogitur, atque aures præbere querimoniis de illo, semper duos, vel tres audiat testes [9]. Hoc autem minime significat, accusationes admitti posse, ne alius præter Sacerdotem damnetur, sine hac formula, quæ jus est commune in Scriptura [10] institutum, & quæ in omni accusationum genere locum habet: verum si hoc cum simplici Laico observandum est, potiori jure observandum est cum Presbytero, cujus persona sanctior est, dignitate eminentior, existimatio majori periculo obnoxia [11], cujus decus, vel dedecus ipsi cedit Ecclesiæ, & cujus scelera majoris momenti sunt propter scandalum, quæ fidelibus, & alienis valent inferre.

Non credit Grotius [12], hic agi de Episcopi damnatione: S. Paulus illi nullum conferret privilegium præ simplici Laico, qui nonnisi duobus, vel tribus testibus auditis potest judicari: sed de simplici accusatione hic agi arbitratur. In communibus judiciis testis unius depositio satis est, ut aliquis comprehendatur, & de eo quæstio habeatur; hoc vero non satis est contra Episcopum, contra quem ex unius testis fide criminatio nequaquam admittitur.

Animadvertit S. Hieronymus ep. 102. ad Marcellam, vetera quædam Latina exemplaria non legisse hæc verba, *nisi sub duobus, aut tribus testibus*: quæ neque Hilarius Diaconus, vel Ambrosiaster, neque Commentarii S. Hieronymi nomen præseferentes, neque Primasius, Oecomenius, S. Cyprianus legerunt [13]. Quidam illa [14] perperam addita fuisse putant; & alii [15] tamquam penitus supervacanea expunxerunt.

℣. 20. PECCANTES CORAM OMNIBUS ARGUE.] Patet, hoc respicere posse publice, & cum scandalo peccantes, vel qui in gravia scelera decidunt, aut ibi mordicus perseverant [16]. Hi publice, atque coram universa Ecclesia corripiebantur, quibus, si peccatorum suorum dolorem, atque pœnitentiam testabantur, salutaris pœna infligebatur; sin autem, de fidelium corpore abscindebantur.

℣. 21. TESTOR CORAM DEO, ET CHRISTO JESU, ET ELECTIS ANGELIS.] Hoc est, Angelis Sanctis, quatenus malis, reprobisque angelis opponuntur. Adjuro te, ut hæc observes præcepta, quæ ad Ecclesiæ tuæ regimen præclare instituendum tibi tradidi; ea ve-

1 Constit. Apostol. l. 3. c. 1. Vide Tertull. Chrysost. Grot. Scolt. Est. Men. Tir. alii.
2 Aug. de bono viduit. c. 8. 9. 10. de sancta virginit. c. 33. 34. de adulterin. conjug. c. 24. 25. Cyprian. l. Ep. 2. ad Pompon. Epiphan. hæres. 48. & 61. Hieronym. l. 1. contra Jovinian. Fulgent. Ep. 1. c. 6. Concil. IV. Carthag. c. 14.
3 [illegible]. Ita impressi, & Clar. Lat. & Ambrosiast. Sed Cod. Alex. Colb. 7. Borner. G. L. [illegible]. Alii: [illegible]. Ita Chrys. Æth. Vulg. Velez.
4 Vide Eccli. 38. 1. Matt. 15. 6. collatum cum Marc. 7. 10. 1. Tim. 5. 3. Ephes. 6. 2. Act. 28. 10. Apoc. 21. 26.
5 Chrys. Est. Men. Theoph. 6 Isai. 40. 2. Jerem. 16. 18. 17. 18. Zach. 9. 12. 4. Reg. 2. 9.
7 Chrys. Theoph. Est. Scult. &c. 8 Vide Chrys. Theoph. Est. alii.
9 Canon. Apost. 74. 10 *Deut*. 17. 6. 11 Theodoret. Est. Grot. Dan.
12 Vide & Hamm. Bez. *Dan*. Chrysostom. Ita & Theophylact.
13 Cyprian. lib. 3. testim. ad Quirin. 14 Erasm. Mill. 15 *Danæus* hic.
16 Vide Chrys. Oecumen. Theoph.

ro præsertim, quæ ad Ecclesiastica judicia spectant, ut *hæc custodias sine præjudicio*, sine personarum acceptione; *nihil faciens, in alteram partem declinando*; privato ductus studio, vel amore. Græcus [1]: *Nihil facias ex studio*, vel gratia. Æquas lances [2], neque commendationes, preces, personarum dignitatem, sed causæ tantum meritum, & justitiam perpende.

℣. 22. MANUS CITO NEMINI IMPOSUERIS.] Diutius, & accuratius periculum fac eorum, qui ad Sacros Ordines, ad Episcopatum, Sacerdotium, Diaconatum sunt promovendi. Ecclesia hæc sæpe instauravit mandata, & Concilium Tridentinum hac in re plurima sapientissime sanxit. Experire diu ceptum, mores, vitam, doctrinam, ingenium eorum, qui Sacris sunt initiandi. Manuum impositio præcipua erat, atque magis essentialis inter Ordinationis cæremonias.

Quidam [3] hoc intelligunt de manuum impositione, quæ fiebat in reconciliationem peccatorum, qui impositam sibi ab Episcopo pœnitentiam absolverant. Quæ sequuntur, huic explicationi favere videntur; *neque communicaveris peccatis alienis*. Certum est, nonnunquam pœnitentibus manus imponi consuevisse in eorum reconciliationis cæremonia [4]. Certius vero illud est, peccatoribus nimium facilem absolutionem præbere idem esse, ac peccatorum eorumdem participem fieri: sed in Ecclesiastico stylo manus imponere absolute usurpatum, ut plurimum, Sacrorum Ministrorum ordinationem significat. Qui nimium leviter, & citra examen manum imponit Episcopis, Sacerdotibus, vel Diaconis, particeps fit eorum scelerum, quæ Sacris initiati deinde committunt, vel propter ignorantiam suam, vel propter scandalum, quod prava vivendi ratione inferunt aliis.

TE IPSUM CASTUM CUSTODI [5].] Ut semper reprimere possis, qui non adeo continentes sunt, atque a Sacro Ministerio repellere, qui castitatem minime servavit. Vel si cum præcedentibus id connectat, & nomen Casti in latiori explices sensu: te ipsum purum custodi, & immunem ab alienis peccatis [6]. Cave, ne quid injustum facias, vel ex amore, vel ex metu, vel ex alia humana ratione; neque leviter nimis manus iis Ministeria imponas, quos non satis probaveris.

℣. 23. NOLI ADHUC AQUAM BIBERE.] Timotheus imbecillis erat, & valetudinarius; attamen ut corpus suum mortificaret, atque carni Spiritum submitteret, vino abstinebat. S. Paulus illi quidem commendat, ut sensus suos domare persistat, & corporis puritatem custodiat [7]; sed jubet, illum non amplius abstinere a vino, ne stomachus ejus nimium infirmetur, & ille impar fiat muneribus suis adimplendis. Liquet, assiduum aquæ usum stomacho nocere, eorum vero præsertim, qui eidem non consueverunt; moderatam e contra vini consuetudinem stomacho vires addere, atque illum communire. *Medicum vinum* significare potest, vel vinum modice sumptum, vel vinum multa aqua dilutum [8]. Sapientes omnes moderatum vini usum commendant ad valetudinem tuendam, & ad virtutem, præsertim vero castitatem, cujus merum infestissimus hostis est, conservandam [9]. Potuisset Apostolus miraculorum dono uti, quo erga tot alios utebatur, ut dilectissimum discipulum suum Timotheum curaret: sed fides Sancti hujus Viri ardens erat, atque illustrata, neque indigebat ope eorum miraculorum, quæ propter pro infidelibus sunt.

℣. 24. QUORUMDAM HOMINUM PECCATA MANIFESTA SUNT.] Eorum scelera adeo sunt manifesta, ut necessarium minime sit audire testes, & juridice in illos habere quæstionem: publica vox illos condemnat. Alii tamen sunt, qui licet flagitiosissimi, & nequissimi, eorum tamen nequitia detegi minime potest vulgaribus, & juridicis inquisitionibus, atque examine, ubi testes audiantur, & juxta Canones instituta quæstio habeatur. Hoc ad superius dicta refertur: nemini nimium leviter manus esse imponendas [10], atque judicandum esse sine præjudicio, quin commendationis, & humanæ gratiæ ratio ulla habeatur.

Veteres quidam [11] hoc de novissimo Dei judicio interpretantur: quædam sunt scelera adeo notoria, & manifesta, ut quodammodo propriam damnationem prævertant. Se ie illa produnt, & damnant: at alia non desunt occulta, quæ relinquenda sunt judicio Domini, eadem coram omnibus aliquando revelaturi. Infidelitas, atque idololatria prioris generis sunt, *qui non credit, jam judicatus est*, inquit JESUS CHRISTUS in Evangelio [12]. Hypocritarum vero, improborumque Christianorum peccata Domini judicio reservantur. Licet inquirere, ad examen vocare, periculum facere; sed ubi nihil intentatum reliqueris, jam quiescat oportet, & judicium illi relinquas, qui penitiores cordis latebras scrutatur. Hoc ipsum ex æquo de bonis actionibus dicendum; quarum quædam aperte bonæ sunt, aliæ vero nobis incertæ, quarum Deus unus est Judex. V. 25.

---

1 Μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν. Plura Exemplaria legunt: Κατὰ πρόσκλησιν; *Juxta advocationem, exhortationem*; Millius vertit: *Ex factione*; Theodoretus, προσκλίσει; & videtur hoc intelligere de affectaria judicum dilationibus, qui sententiam differunt. 2 Theoph. Grot. Erasm. alii plerique.
3 Cyprian. & Pacian. apud Hamm. hic. 4 Concil. Carthag. c. 5. dist. 50. & 3. Concil. Carth. cap. 32 & Concil. Agat. cap. dist. 5. cap. 63. &c. Vide Hammond. hic.
5 Chrys. Est. Grot. Pricæ. Hamm. 6 Aug. l. 2 contra Epist. Parmen. c. 21. Est. Men. Tir. Erasm.
7 Vide Chrysostom. hic, & orat. prima de Statuis, & Theophyl. Grot.
8 Οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ. Vide Bartolin. de Morbis Biblicis, art. 25. Grot. hic.
9 Gregor. in Job. l. 27. c. 11. Chrys. t. 1. homil. 1. 10 Est. Grot. Cast. Scult.
11 Basil. l. de vera Virginit. August. l. 2. de serm. Domini in monte. Theoph. Oecumen. hic, Est.
12 Joann. 3. 18.

CAPUT VI.

Servorum officia, Contentiones vitandæ. Avaritiæ pericula, Fidei depositum servandum; Divites hortandi, ut eleemosynam erogent, atque ambitionem evitent.

1\. QUicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. 2 Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis serviant, quia fideles sunt, & dilecti, qui beneficii participes sunt. Hæc doce, & exhortare.

3 Si

3 Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Chri-
sti, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ: 4 Superbus est, nihil sciens,
sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ,
contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, 5 Conflictationes hominum mente
corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.
6 Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia. 7 Nihil enim intulimus in
hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus. 8 Habentes au-
tem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. 9 Nam qui volunt divi-
tes fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inu-
tilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. 10 Radix
enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt a fide,
& inseruerunt se doloribus multis. 11 Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: se-
ctare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem: 12
Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, &
confessus bonam confessionem coram multis testibus. 13 Præcipio tibi coram Deo,
qui vivificat omnia, & Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato,
bonam confessionem: 14 Ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque
in adventum Domini nostri Jesu Christi: 15 Quem suis temporibus ostendet bea-
tus, & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium: 16 Qui solus ha-
bet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit,
sed nec videre potest: cui honor, & imperium sempiternum. Amen. 17 Divi-
tibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum,
sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) 18 Bene agere,
divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare. 19 Thesaurizare si-
bi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam: 20 O Timo-
thee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones fal-
si nominis scientiæ, 21 Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gra-
tia tecum. Amen.

℣. 1. QUICUMQUE SUNT SUB JUGO SERVI.] Atque ad infideles Dominos [1] pertinent, illis omnia honoris officia, & verbo, & facto perhibeant; humiliter providentiæ decretis, quæ in servitutis statum illos redegit, sese submittant; servent spiritus, & gratiæ libertatem, quam receperunt, & quæ una vera est filiorum Dei libertas [2]: ut Domini eorum obedientia, atque suavitate moti Christianam Religionem admirentur, atque sensim præparentur, ut eidem faveant, eamque amplectantur [3]. Quod si e contra insolentes fierent, & inobedientes, eorum Domini contra Christianam Religionem blasphemiam evomerent, quasi hoc illis hos superbiæ, atque licentiæ sensus immitteret.

℣. 2. QUI AUTEM FIDELES HABENT DOMINOS.] Æqualitas, quam Christiana Religio inter fideles constituit, omnes fratres, & adoptivos Patris Cœlestis filios efficiens, nequaquam inflet Servorum animos, ut Domino parere detrectent: sed dominos suos ament servi, illi majori cum zelo, ac fide serviant, ita ut fideles, & amici Dei amorem, atque benevolentiam singularem mereantur, tamquam ejusdem gratiæ, ejusdem fidei, & spei ejusdem participes. *Magis serviant, quia fideles sunt, & dilecti, qui beneficii participes sunt.*

Quidam [4] novissima hæc verba in alio explicant sensu: *beneficii participes sunt*. Christiani servi dominis suis eo accuratius, & fidelius famulari debent, quo jucundius hi eorum officiis fruantur, & quo minus præstita sibi servis suis, qui sibi sunt fratres in JESU CHRISTO, officia censent sibi debita, sed potius illa beneficii, & gratiæ loco habent. Non desunt [5], qui ita explicent: eo libentius dominis suis famulari debent, quo majora excipiunt beneficia, & quo attentius dominis ipsis necessaria ad victum, vestitumque suppeditant; & ab illis potius fratrum, vel filiorum, quam servorum in numero habentur. Servorum Christianis dominis inservientium conditio longe felicior erat, quam eorum, qui Gentilibus famulabantur.

℣. 3. SI QUIS ALITER DOCET.] Doctrinam omnino aliam ab ea, quam ab initio didicisti, & quam tibi in Epistola tradidi; licet eruditus, eloquens, atque illustratus esse existimetur, assero, ipsum nihil scire, atque inani tantum superbia, & ambitione intumescere. Perstringit fortasse Simonis Magi discipulos, Gnosticos, cæterosque primi sæculi Hæreticos, de quibus sermo fuit superius cap. 4. ℣℣. 1. 2. 3. qui Christianam Religionem nimium simplicem, atque ad populi captum accommodatam intuiti, eamdem sublimioribus infarcire voluerant mysteriis, sexcenta invehentes errorum monstra in ea, quæ ad divinitatem, mali naturam, vitæ officia pertinent; omnibus se se flagitiis mancipantes, infamiam quidem suam hypocrisi, errores vero suos obscuratum, ænigmaticarumque locutionum integumento celantes.

℣. 4. SED LANGUENS CIRCA QUÆSTIONES, ET PUGNAS VERBORUM.] Hic Veterum Hæreticorum morbus erat, curiositas videlicet, atque inanis scientia, quæ cum speciem dumtaxat præseferret sublimitatis, atque subtilitatis, in se non aliud, quam vanitatem, mendacium, caliginem, atque ignorantiam complectebatur. Nam e. g. quomodo Simon, ac diversa Gnosticorum genera, qui ex illo originem duxerant, Æones suos comprobabant, *pleroma*, vel divinitatem ipsorum constituentes? Cui nam innitebatur argumento qualitas virtutis Dei, & Messiæ, quam sibi vendicabat Simon, atque altera illa primæ Intelligentiæ, quam Helenæ suæ deferebat? Quos divinitatis, & missionis

1 Theodoret. Chrysostom. alii passim. Vide vers. 2.
2 Rom. 8. 21. Galat. 4. 31. 5. 13. Jacobi 1. 25.
3 Vide Chrysostom. Theophylact.
4 Syr. Ludov. de Dieu, Est.
5 Vide Theophylact. Erasm. Oros. Stolr. Est. alii.

characteres præseferebant ? Quid sibi illi volebant ? Deum Creatorem in Veteri Testamento designatum, atque Prophetiarum omnium Auctorem Deo novo opponentes ? Quænam vero de Angelis, eorumque origine, nominibus, officiis, subordinatione prorsus inania, & nugatoria venditabant ?

Ubi hæc omnia attentius, & sine ullo præjudicio ad examen vocantur, ibi vacuum infinitum, meræ tenebræ, inanes quæstiones, *pugnæ verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ* (℣. 4.) *conflictiones* [1] *hominum mente corruptorum*, inveniuntur. Hæretici illi numquam se se conciliare potuerunt, vel cum Ecclesia, a qua recesserant, vel cum Scriptura, quam partim rejiciebant, partim mutilabant, & falsis explicationibus corrumpebant, neque secummetipsis, indesinenter sibi opposita, & contradicentia afferentes, atque vicissim semetipsos evertentes, cum ea adversariorum excidio crescere adnitebantur.

℣. 5. EXISTIMANTIUM, QUÆSTUM ESSE PIETATEM] Religionem, Christianam fidem, prædicationem, artem esse ad victum quærendum maxime idoneam, eaque utendum esse, quemadmodum opifices arte sua utuntur, se se populi ingenio, moribus, studiisque recentibus accommodantes. Hujusmodi pseudo-Apostoli humanam tantum doctrinam, commoda, morum præcepta, dolosa instituta, prædicare cupiunt, utentes iis omnibus, quæ in Philosophia acutiora, in eloquentia nitidiora sunt, ut fucum auditoribus faciant, quin illis prædicent JESUM CHRISTUM, & hunc crucifixum, non fucatis, elaboratisque verborum ambagibus, sed in virtute, & sapientia Dei [2], quemadmodum S. Paulus prædicabat, evitans præsertim, ne scandalum Crucis evacuaretur [3]. Hæretici, contra quos invehitur hoc in loco S. Paulus, affectibus suis laxabant habenas, flagitiosissimas quaslibet obscœnitates permittebant; contendebant etiam, Judaicam, Ethnicamque superstitionem cum Christiana Religione conjungere, ut Judæorum simul, atque Ethnicorum odium, & persecutiones aufugerent [4]. Interim ab Infidelibus requiem nanciscebantur, cum ipsi acrius in Catholicos desævirent [5].

℣. 6. EST AUTEM QUÆSTUS MAGNUS CUM SUFFICIENTIA.] Evangelii prædicatio ars est, quæ nihil exercentibus se deesse patitur, dummodo iis contenti fuerint, quæ sunt necessaria. Sed illis, de quibus loquor, minime sufficere possunt, quæ necessaria sunt ad cibum, atque vestitum; locupletari etiam cupiunt, & ex Christianæ Religionis professione, atque Evangelii prædicatione omnia vitæ commoda quærere, quæ in re damnabiles sunt. Noluit JESUS CHRISTUS, Discipulis suis ea deesse, quæ natura petit, at eosdem etiam noluit locupletari.

℣. 7. NIHIL ENIM INTULIMUS &c.] Inutile ergo est, ut fatigemur, bona nobis ad æternitatem minime profutura congerentes: & hi Doctores mendacii, qui religionem, pietatemque prætexentes, divitias congerere festinant, satis ostendunt, se longe abhorrere ab iis præceptis, quibus in vera Religione imbuimur.

℣. 8 HABENTES ALIMENTA . . . HIS CONTENTI SUMUS [6].] Hæc nostra, eorumque omnium, qui æque, ac nos Evangelium annunciant, est consuetudo. Quicumque hoc in munere vitæ commoda, atque bona temporalia quærit, verus non est JESU CHRISTI Discipulus. Natura victum, vestitumque tantummo-

A do quærit: Religioni vero ea sufficiunt, quæ in victu, atque vestitu omnino sunt necessaria, et quidquid superfluum est, et quidquid excedit, hoc abscindit [7].

℣. 9. QUI VOLUNT DIVITES FIERI, INCIDUNT IN TENTATIONEM, ET IN LAQUEUM DIABOLI [8].] S. Paulus non absolute divitias damnat, sed ambitionem, atque cupiditatem locupletandi; fieri enim vix potest, ut congerendis opibus vaces, quin fraudem, mendacium, injustitiam admittas, & quin decidas in laqueos dæmonis, avaritiæ, ambitionis, invidiæ. Minimum malum, quod ex ea cupiditate in nos proficisci valeat, sunt *desideria multa inutilia, & nociva*, ita ut mens dissipetur, sensim corda nostra terrenis his bonis adhæreant, atque divellantur ab unico objecto, cui

B tantum vacare debebant, æternæ videlicet Beatitudini, atque propriæ salutis cogitationi. Asserit JESUS CHRISTUS in Evangelio Matth. 19. 24. difficilius esse, ut locuples in Cœlorum Regnum ingrediatur, quam ut per foramen acus Camelus pertranseat.

℣. 10. RADIX OMNIUM MALORUM CUPIDITAS.] Statim ac divitias deperis, jam nihil est adeo flagitiosum, quod aggredi verearis. Hunc acerrimum, atque perniciosissimum in paucis affectum esse, testatur experientia: & S. Paulus hic ait, quod quidam divitias *appetentes, erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis*. Videmus in Evangelio Judam, in Actis 5. 2. Ananiam & Saphiram, Demam in S. Paulo 2. Tim. 4. 9. aliosque plurimos in Historia, qui propter divitiarum amorem misere perierunt. Quot etiam ho-

C dierna die sunt Christi fideles, qui eadem ex causa naufragium patiuntur ? Dici enim possunt ii, qui locupletare festinant, & qui re ipsa per fas, & nefas ditescunt, habere fidem ? Nonne de illis ea dici possunt, quæ S. Paulus de iis, qui familiæ suæ curam contemnunt [9] ? *Fidem negavit, & est infideli deterior.*

℣. 11. TU VERO HOMO DEI, HÆC FUGE.] Hoc epithetum, *homo Dei*, in Veteri Testamento viris exploratæ dumtaxat sanctitatis, præsertim vero Prophetis Moysi, Sauli, Davidi, Eliæ, Elisæo, defertur. Hoc nomen Timotheus jure merebatur, quatenus Episcopus, Dei servus, & JESU CHRISTI discipulus. Illum hortatur Apostolus, ut avaritiam, atque terrenarum rerum amorem fugiat, neque malos Doctores imitetur, qui pietatem, atque religionem sibi in lu-

D crum vertebant. Bona vero, quæ te concupiscere licet, hæc sunt: *justitia, pietas, fides, charitas, patientia, mansuetudo.*

℣. 12. CERTA BONUM CERTAMEN FIDEI.] S. Paulus in deliciis habet hanc similitudinem ex militia, & præliis desumptam; eaque sæpius utitur ad innuendam vim, qua Apostoli, & Servi JESU CHRISTI, fidei, atque salutis nostræ inimico debent resistere. Ex quo viam ingredimur justitiæ, nobis dictum putandum est, quod S. Paulo ait JESUS CHRISTUS [10]: *ostendam illi, quanta oporteat, eum pro nomine meo pati*; in id labora, ut referas *vitam æternam, in qua vocatus es*. Hæc est laborum tuorum remuneratio, hoc pretium cursus. Sollicite adimple, quod reliquum est hujus stadii spatium, jam *confessus bonam confessionem coram multis te-*

E *stibus*. Confessus es fidem in baptismo [11], illam iterum confessus es in ordinatione tua ad Episcopatum [12]; toto denique prædicationis, & Apostolicorum laborum suorum curriculo sæpe confessus es JESUM CHRISTUM, & pro nomine illius varias persecutiones subiisti, atque

1 Παρατριβαὶ διεφθαρμένων ἀνθρώπων τὸν νοῦν. Alii: Διατριβαί. Alii: Διαπαρατριβαί. Ita Steph. omnes. Alex. Claromont. alii plures. Sunt autem διαπαρατριβαί, *pravæ disputationes, inepta conflictationes, & pugnæ verborum*. Theophil. Σχολαὶ μάταιαι. Theodoret. Ἀρμὴ τῶν διεφθαρμένων τοὺς πλησιάζοντας, *Contagio, quæ inficit eos, qui appropinquant*. 2 1. Cor. 1. 23. 3 1. Cor. 1. 17. & Galat. 5. 11. 4 Vide Irenæ. l. 1. c. 20 Euseb. l. 3. c. 13. Origen. l. 6. contra Cels. 5 Justin. Apolog. 2. p. 70.

6 Gr. Ἀρκεσθησόμεθα: *Contenti erimus*. Plures Edit. & MSS. *Contenti sumus*. Ita Edit. Sixti V. an. 1590. & Edit. Vatic. 1593. & Basil. 1491. 1509. 1514. Venet. 1494. Norimberg. 1522. Paris. 1534. 1541. 1553. Complut. Colon. 1666. 1679. Lugdun. 1512. 1556. 1580. 7 Philo de Præmiis, Hieronym. Ep. 103. ad Paulin. *Victus & vestitus sunt divitiæ Christianorum*. 8 Græc. Εἰς πειρασμὸν, καὶ παγίδα: *In tentationem, & in laqueum*. Plures addunt τοῦ Διαβόλου. Ita Clarom. G. L. Borner. G. L. Chrysost. 9 Sup. 1. Timot. 5. 8.

10 Act. 9. 16. 11 Chrys. Theophyl. Ambrosiast. Grot. Primas. Pelag. Haimon. Hessel. Sasbold.

12 D. Thom. Pess. Lombard. Cajet. Est.

que mala plurima perpessus es [1]. Historia nihil nos docet de pœnis a Timotheo exantlatis: verum ambigere non licet, quod cum S. Paulo adeo adhæserit, atque tantum pro fide zelum prætulerit, sæpius Judæorum, Ethnicorumque probris, & contumeliis fuerit objectus. S. Paulus ad Hebræos scribens anno JESU CHRISTI 64. [2] paulo ante quam hoc litterarum daret, illis Timotheum e carcere dimissum commendat: nec aliquid ultra compertum est.

℣. 13. PRÆCIPIO TIBI CORAM DEO, QUI VIVIFICAT OMNIA.] S. Paulus intelligens magnitudinem, & necessitatem earum rerum, de quibus discipulum suum admonuit, & periculorum, quibus ille in Episcopatu erat obnoxius, illum adjurat in nomine viventis Dei, atque Auctoris vitæ omnis cum temporalis, tum æternæ; in nomine illius, cui nihil moritur, qui ad vitam eos revocare potest, qui in umbra mortis sepulti sunt; & qui nos omnes suscitaturus est, ut coram se novissimo judicii die prodeamus; & in nomine JESU CHRISTI, *qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem* [3], qui videlicet præclarum veritati, & morte, & martyrio suo testimonium perhibuit, (Salvator enim tunc perhibuit testimonium Divinitati & Patris sui, & suæ, & doctrinæ, quam prædicaverat) Timotheum inquam adjurat, ut tradita sibi præcepta conservet.

℣. 14. UT SERVES MANDATUM SINE MACULA [4],] vel potius, ut sancto atque irreprehensibili modo hæc serves mandata. Episcopo non satis est, si Evangelii præcepta, atque Apostolorum instituta servaverit; sancto etiam, atque fideliter illi observanda sunt. Debet ipse fieri forma gregis sui, & exemplo magis, quam verbo illis rectam ad salutem viam ostendere. Apostolus addit: *usque in adventum Domini Nostri JESU CHRISTI*, donec venerit dies obitus tui, & singularis judicii, ad quod coram supremo Judice proditurus es; & quod est tamquam præludium magnæ illius diei Domini, qua mortales omnes pro Tribunali est judicaturus. Infert ex hoc loco Grotius, S. Paulum credidisse, ævo suo postremum judicii diem adventurum. Verum nonne Apostolus ipse 2. ad Thessalonicenses 2. c. 2. perspicue ait, novissimum hunc diem nequaquam imminere? Sicubi loquutus est de adventu Domini tamquam proximo, intellexit ultionem, quam Vespasiani, atque Titi cœpit contra Judæos exercere; quod ipsum nonnumquam in Scripturis judicii, vel Dominici adventus nomine designatur.

℣. 15. QUEM SUIS TEMPORIBUS OSTENDET.] Omnipotens Deus efficiet, ut JESUS CHRISTUS in altero adventu suo, cum venerit viventes simul, & mortuos judicaturus, gloriæ suæ fulgore circumseptus appareat: idque *temporibus suis* præstitutis, atque determinatis in æternis providentiæ decretis [5]; quod quidem certum tempus est, sed hominibus ignotum, & quod Angelos etiam latere JESUS CHRISTUS testatur Matth. 24. 36. Ita humanam curiositatem infringit eodem tempore, quo omnem aufert de facti hujus veritate dubitationem.

SOLUS POTENS,] vel cum Græcis [6], *solus Rex*, solus Monarcha, solus Omnipotens, solus Rex per essentiam; omne quippe Imperium, omnis auctoritas ex illo proficiscitur, & ex infinita ipsius dominatione redundat. Nomen *solius* nequaquam excludit JESUM CHRISTUM, qui æque ac Pater Deus est per essentiam.

℣. 16. QUI SOLUS HABET IMMORTALITATEM.] Hanc ille solus per essentiam, & per seipsum obtinet [7]; ipse unus illam conferre potest, ipse nos in novissimo die resuscitabit, atque efficiet, ut æterna, atque immortali gloria, & beatitudine perfruamur.

A *Lucem habitat inaccessibilem*. Ne quæras, ubinam illius sedes sit: hæc enim posita est in lumine, quod homines intueri, explicare, intelligere, minime possunt. Hoc lumen, hæc sedes nequaquam separata sunt a Deo, sed ipse sibi est sedes sua, & ex eodem hoc tantum lumen emanat. Cum ille ubique sit, magnificus hic, & inaccessibilis fulgor illum ubique concomitatur [8]. *Nullus hominum* mortalium, donec in corporis hujus ergastulo detinetur, *vidit*, *sed nec videre potest* sensibili, & corporea ratione, ingentem hanc lucem [9]; sed post hoc breve vitæ spatium, nobis Divinus promittitur intuitus, cum velum ablatum erit, & nos immortalitatem induerimus. Tunc non videbimus illum amplius in ænigmate, & tamquam in speculo; sed illum in se ipso facie ad faciem, & qualis est, intuebimur [10].

B ℣. 17. DIVITIBUS HUJUS SÆCULI PRÆCIPE.] Prima distinguit hujus sæculi divitias, inanes, caducas, perituras, a divitiis spiritualibus, atque æternis, donis Dei, fidei, charitatis, Spiritus Sancti, quæ opes sunt pretii toto cœlo præstantioris; divitiæ æternitatis, ubi quilibet Christi fidelis cor, atque thesaurum suum debet collocare. 2. præcipit, ne divites superbia efferantur. Maxime communis, atque consuetus sæcularium divitiarum effectus est eos inflare, a quibus possidentur, quemadmodum ipsi etiam Gentiles intellexerunt [11]. Tertio denique jubet, nullam in illis confidentiam statui, quoniam hoc in Mundo nobis deesse possunt, quæ etiamsi illis ad obitum usque perfruamur, nos in tumulum etiam minime sequerentur, nobisque minime ad æternitatem prodessent. Hujusmodi viris
C divitiarum magnitudine præstantibus novissimo die dicetur, ipsos jam in hoc Mundo mercedem suam invenisse; qui si opes suas in optimum usum minime converterint, hoc eorum damnationis [12] erit argumentum. Eos igitur hortare, ut in Deo confidant, benefici sint, & liberales, atque sibi thesauros in Cœlis recondant [13]. Vide ℣℣. 18. 19.

℣. 20. DEPOSITUM CUSTODI,] depositum fidei & doctrinæ, quod per ministerium nostrum tibi tradidit Deus. Episcopi primi sunt, atque præcipui doctrinæ Evangelicæ, atque Ecclesiasticarum traditionum sequestres. Apostolica munera, & Pastoris officium, quæ ipsi exercere tenentur, aliud sunt genus depositi, cujus rationem Deo sunt reddituri [14]. Animæ quoque illis concreditæ, & ipse thesaurus sunt ad Dominum
D pertinens, & quem illis credidit Deus, ne culpa sua aliqua earum intereat. Eas omnes, & singulas Patrisfamilias repræsentare tenentur. Salvator Patri suo dicebat [15], nihil periisse ex iis, quæ sibi credita fuerant. Cum S. Joannes Evangelista cuidam Asiæ Episcopo adolescentem sibi earum commendasset, ex eodem quadam die depositum suum petiit [16]. Episcopus, qui ab Apostolo neque aurum, neque argentum receperat, primum quidem mirabatur, non assequutus quid sibi vellet Evangelista, sed mox ex eodem intellexit, quod de anima sibi ab eo enixius commendata, illa loquebatur.

Hic autem intelligendum est de fidei, & doctrinæ deposito, ad quod salvandum S. Paulus discipulum hortatur, devitandæ *prophanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ*. Perstringit præcipue Gno-
E sticos, aliosque eorum temporum hæreticos [17], qui sub inani scientiæ, atque sublimium cognitionum specie, solidam Evangelicæ veritatis cognitionem evertebant; unde factum est, ut eorum hæreticorum plerique *Gnostici*, vel Sapientes appellarentur, ut se a Catholicis distinguerent, qui Evangelicæ inhærentes scientiæ aliam quamlibet, quam JESU CHRISTI Crucifixi scientiam, contemnebant. Hoc S. Pauli monitum Crux est Hæreticorum, & Novatorum, qui omnibus

1 Chrys. Theophyl. alii quidam. 2 Hebr. 13. 23. 3 Τὴν καλὴν ὁμολογίαν. 4 Ita Græci, Vat. Erasm. Est. 5 Καιροῖς ἰδίοις. Chrys. Τοῖς ὡρισμένοις, τοῖς ὡρισμένοις. Vide Act. 1. 7. 6 Μόνος δυνάστης. 7 Author. Respons. ad Orthodox. 8 Menoch. Dan. Est. 9 Vide Genes. 32. 30. Exod. 33. 20. 21. 22. Joan. 1. 18. 10 1. Cor. 13. 12. Matt. 5. 8. 11 Senec. Ep. 87. *Divitiæ inflant animos, superbiam pariunt*. Vide Arist. Phocilid. Caton. apud Grot. &c. 12 Matt. 25. 24. 35. & seq. 13 Matt. 6. 19. 20. 14 Vide Act. 19. 28. 2. Timot. 1. 2. 15 Joan. 18. 9. 16 Euseb. Hist. Eccl. l. 3. c. 23. 17 Ita Chrys. Theodoret. Theophyl. Grot. Ham. Est. alii.

nibus sæculis extiterunt. Hæc eorum damnatio, hæc A sententia[1]. Quicumque in Ecclesiam invehit prophanas vocum novitates, doctrinam illi oppositam, quam Jesus Christus, & Apostoli nobis veluti in depositum reliquerunt, Anathema sit. Hæretici Veteres, præsertim vero Gnostici, Encratitæ, Marcionitæ, Epistolam hanc tamquam fictam, & suppositiam horrebant, & abjiciebant: sed vera odii eorum causa hæc erat, quod nimis aperte errores ipsorum isthic damnantur, & egregiis coloribus, tamquam in tabula, ad vivum exhibentur.

In Græcis exemplaribus[2] ad Epistolæ hujus calcem legimus hoc litterarum datum fuisse Laodiceæ Metropoli Phrygiæ Pacatianæ. Quidam Manuscripti Græci, in Epistolæ hujus fronte legunt, in Macedonia eam fuisse conscriptam; Arabs vero legit Athenis. Nos autem in Præfatione eam sententiam probavimus, quæ de Macedonia missam fuisse arbitratur.

1 Clem. Alex. l. 2. Stromat. p. 383. Vincent. Lyrin. Commonitorii, c. 27. 33. 34.
2 Πρὸς Τιμόθεον πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας. Ἥτις ἐστὶ μητρόπολις Φρυγίας τῆς Πακατιανῆς: Alex. Syr. non legunt: Ἥτις ἐστί, &c.

Finis Commentarii in primam ad Timotheum Epistolam.

PRÆFATIO IN SECUNDAM EPISTOLAM S. PAULI AD TIMOTHEUM.

PRimam ad Timotheum Epistolam anno Christi 64. in Macedonia scriptam demonstravimus. Ea quæ a prima usque ad secundam ad eundem Timotheum Epistolam, ab Apostolo acta sunt, modo exhibemus. Paulus igitur in Macedonia degens, Nicopoli Epiri urbe[1], secus Ambraciæ sinum, seu juxta alios, Nicopoli Thraciæ civitate, secus flumen Nessum in finibus Macedoniæ, hyemare decrevit. Ut ut fuerit, inde sane Apostolus ad Titum, quem in Macedoniam advocat, scripsisse creditur.

Proximo Christi anno 65. in Asiam progressus, Troadem venit, ubi a Carpo exceptus hospitio, apud eumdem vestem quamdam[2], & Libros reliquit. Inde, ut credimus, Ephesum regressus, ut ei præcedente anno spoponderat, Timotheum invisit[3]. Epheso Miletum pergens, ibi Trophymum ægrotantem reliquit[4]; contendit sub hæc Corinthum, ubi ex suis Discipulis Erastus constitit[5]; Romam denique assequutus, Judæis atque Ethnicis ad fidem traducendis plurimum incubuit: cum vero, teste Chrysostomo in Act. hom. 46. Neronis pellicem Deo reddidisset, ejusdem Imperatoris jussu carceri fuit addictus. Id verosimillimum est evenisse, cum *pro prima sui defensione* ante Neronem constitutus[6], ab hujus Leonis faucibus a Deo est liberatus.

An omnino vinculis tunc fuerit solutus, an tantummodo mortis discrimen evaserit, ignoramus; constat vero tunc vinculis fuisse devinctum[7], cum hanc secundam ad Timotheum Epistolam dedit. Tunc temporis Ephesinæ Ecclesiæ Timotheus præerat: Paulus vero jam martyrio proximus, veluti victimam libationibus jam perfusum; jamque prope absumendam, se ipsum intuebatur[8]. Quare Chrysostomus veluti supremas Pauli tabulas hanc Epistolam ducit[9]. In ea Apostolus Timotheum urget, ut celerrime Romam proficiscens, sui comitem itineris Marcum adhibeat, & eam vestem & Libros, quos Troade transiens apud Carpum reliquerat, secum afferat.

An Timotheus ante Pauli mortem Romam pervenerit, incertum; hanc enim post Epistolam neque de hujus Discipuli vita, neque de morte certi quidquam. Sub Nerone obiisse ferunt[10]. Joanne Pathmos exulante Ephesi infideles solemnitatem celebrasse die 22. Januarii dicuntur, qua per supplicationis speciem Idola per Urbem deferentes, procaciter multa perpetrabant. Quare Timotheus, ut impiam solemnitatem interpellaret, medius in eos irrupit: a quibus illico fustibus contritus, & lapidibus obrutus, exanimis prorsus relictus est; statimque a Discipulis suis in montem proximum delatus, paulo post occubuit, ibique conditus est sepultura. Die 22. Januarii juxta Græcos & Latinos ejus Festum recurrit.

Ad Epistolam quod attinet, Paulus ad Timotheum scripsit, non modo ut eum accerseret, verum etiam ut ei ad sui muneris labores constantissime obeundos, & persecutiones, quibus angebatur, alacriter perferendas, animos adderet atque virtutem. Porro ut Spiritus Sancti afflatum, quem in sua ordinatione acceperat, spiritum nempe[11] virtutis, & fiduciæ, non infirmitatis & timoris iterum excitet, hortatur: de falsis Doctoribus, & ejus ætatis Hæreticis, de Simonianis, & Gnosticis, deque post illos venturis, ei plurima enunciat[12]: ut sibi ab iis caveat monet; & præ viribus acuit, ut tot tantisque a veritate deficientibus, ipse consistat interritus, strenueque iis adversetur, qui veritatem oppugnantes, nova & inania dictitant, ut audientium aures oblectent, & passiones demulceant.

Demadis ipsum ingemit[13], & Phileti, & Hymenæi a Fide defectionem, qui prætetea resurrectionem jam peractam docentes, plurimos in fraudem adduxerat[14]; de malis sibi ab Alexandro fabro ærario illatis queritur[15]; pium Onesiphori in se animum, & famulatum commendat[16]. Aviæ Loidis, & Eunices Timothei matris[17], quæ a teneris annis pietate, & sacris Literis Virum erudierant, meminit[18]; hortatur, ut plurima muneri suo implendo accommoda a Scripturis percepturus, earum lectioni incumbat[19]. Ei denique valedicit Fidelium Romanorum nomine, Eubuli, Pudentis, Lini, & Claudiæ, quorum singulos Timotheus, postquam una cum Apostolo Romam primo adierat, anno Christi 62. ibidem forte cognoverat.

Alexandrinum MS. hanc Epistolam Laodiceæ scriptam præfert; addit præterea Cophtica ab Onesimo fuisse delatam. Verumtamen Romæ exaratam vulgo sentiunt; quis vero ad Timotheum eam detulerit, incertum. Quod Paulus[20] se *Tychicum misisse Ephesum* dixerit, ob eo Urbe tunc Timotheum abfuisse nonnulli putarunt: quod utique allato Apostoli textu minime probatur.

1 Tit. 3. 12.
2 2. Timoth. 4. 13.
3 1. Timoth. 3. 14. & 4. 13.
4 2. Timoth. 4. 20.
5 2. Timoth. 4. 20.
6 2. Timoth. 4. 16.
7 2. Timoth. 2. 9. & 1. 8. &c.
8 2. Timoth. 4. 6.
9 Chrys. hom. 9. p. 615.
10 Vita Timoth. apud Boll. 24. Januar.
11 2. Timoth. 1. 6.
12 2. Timoth. 3. 1. &c.
13 2. Timoth. 4. 9.
14 2. Timoth. 2. 16. 17.
15 2. Timoth. 4. 14.
16 2. Timoth. 2. 16. & 4. 19.
17 2. Timoth. 1. 5.
18 2. Timoth. 3. 5.
19 2. Timoth. 3. 16. 17.
20 2. Timoth. 4. 12.

COM-

COMMENTARIUM LITTERALE IN SECUNDAM S. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM EPISTOLAM.

CAPUT PRIMUM.

Laudat S. Paulus Timothei fidem ; eique commendat , ut in se gratiam suscitet , & sine metu prædicet Evangelium . Phigellus , & Hermogenes eum deseruerunt . Onosiphorus , & familia ejus illi in vinculis opem tulerunt .

1. PAULUS Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei , secundum promissionem vitæ , quæ est in Christo Jesu . 2 Timotheo charissimo filio , gratia , misericordia , pax a Deo Patre , & Christo Jesu Domino nostro . 3
Gratias ago Deo , cui servio a progenitoribus in conscientia pura , quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis , nocte , ac die . 4 Desiderans te videre , memor lacrymarum tuarum , ut gaudio implear , 5 Recordationem accipiens ejus fidei , quæ est in te non ficta , quæ & habitavit primum in avia tua Loide , & matre tua Eunice , certus sum autem , quod & in te . 6
Propter quam causam admoneo te , ut resuscitea gratiam Dei , quæ est in te per impositionem manuum mearum . 7 Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris , sed virtutis , & dilectionis , & sobrietatis . 8 Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri , neque me vinctum ejus : sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei : 9 Qui nos liberavit , & vocavit vocatione sua sancta , non secundum opera nostra , sed secundum propositum suum , & gratiam , quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia . 10 Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi , qui destruxit quidem mortem , illuminavit autem vitam , & incorruptionem per Evangelium : 11 In quo positus sum ego prædicator , & Apostolus , & magister gentium . 12 Ob quam causam etiam hæc patior , sed non confundor . Scio enim , cui credidi , & certus sum , quia potens est depositum meum servare in illum diem . 13 Formam habe sanorum verborum , quæ a me audisti in fide , & in dilectione in Christo Jesu . 14 Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum , qui habitat in nobis . 15 Scis hoc , quod aversi sunt a me omnes , qui in Asia sunt , ex quibus est Phigellus , & Hermogenes . 16 Det misericordiam Dominus Onesiphori domui : quia sæpe me refrigeravit , & catenam meam non erubuit : 17 Sed cum Romam venisset , solicite me quæsivit , & invenit . 18 Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die . Et quanta Ephesi ministravit mihi , tu melius nosti .

PAULUS

℣. 1. PAULUS APOSTOLUS . . . . . SECUNDUM A PROMISSIONEM VITÆ, QUÆ EST IN CHRISTO JESU.] Deus dignatus est me ad Apostolatum evocare, ut æternam vitam prædicarem, quam nobis pollicitus est JESUS CHRISTUS, & quam Sanguine suo nobis promeruit. Ego, ut ita dicam, sum Apostolus promissionum Dei, & mortalibus æternam felicitatem annuncians [1]. Ne doleas ergo o Timothee, quod me in vinculis audias. Ea, quam præstolamur, felicitas de hoc Mundo non est [2].

℣. 3. IN CONSCIENTIA PURA.] Non solum ex quo in Christiana Religione sum, sed eo ipso tempore, quo Judæus eram [3], *a progenitoribus* pura conscientia Deo famulabar. Nam quamvis antequam in Ecclesiæ castra transiret, Ecclesiam eamdem persequutus fuisset, B hoc tamen ex ignorantia fecerat [4], & ex zelo veritatis, atque justitiæ, ut ille arbitrabatur. At zelus erroneus minime adversatur mundæ, rectæque conscientiæ: & ille quamvis in errore, & in incredulitate, tamen in bona fide, atque rectitudine operabatur. Ipse etiam alibi inter Judæos irreprehensibilem se duxisse vitam [5], atque in bona conscientia versatum fuisse, testatur [6]: *ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem.* Non desunt [7], qui hæc verba *in conscientia pura* ad ea referant: *gratias ago Deo*. Testor ea omni sinceritate, cujus sum compos, me numquam deesse, *quo minus Deo gratias agam, quod sine intermissione habeam tui memoriam*. Amorem, quo te complector, & memoriam, quam in precibus meis tui habeo, tamquam C gratiam a Deo mihi concessam existimo [8]; nisi enim æque Deo carus esset, ut est; Spiritus ejus nequaquam mihi suggereret, ut tui reminiscerer in precibus meis. Græce simplicius verti potest [9]: *Deo gratias ago, atque indesinenter tui in precibus meis recordor.*

℣. 4. MEMOR LACRYMARUM TUARUM.] S. Paulus in vinculis erat, non aliud expectans, quam mortem a Nerone, cujus Imperio fuerat comprehensus. Recordabatur ille extium lacrymarum, quas Timotheus effuderat, se Epheso discedente [10], præsentiens iter illud, quod Romam versus arripiebat, vitæ ejusdem postremum futurum. Apostolus ergo dilecti discipuli sui memoria commotus, testatur se libentissime illum visurum, ut eumdem consolaretur: eumque inferius cap. 4. 10. obsecrat, ut quantocyus Romam ipsum D conveniat.

℣. 5. QUÆ HABITAVIT IN AVIA TUA LOIDE, ET MATRE TUA EUNICE.] Timotheus ex Ethnico quidem Patre natus erat [11], sed Eunices ejus Mater, & Loides ipsius Avia Dei timore, Sanctisque litteris illum imbuerant. Non satis liquet, quinam Sanctus has Mulieres ad fidem converterit: sed in JESUM CHRISTUM credebant, antequam S. Paulus Lystram veniret, ubi Timotheum invenit, qui in gratia, & virtutibus jam profecerat.

℣. 6. UT RESUSCITES GRATIAM DEI, QUÆ EST IN TE PER IMPOSITIONEM MANUUM MEARUM.] Spiritus Sancti gratia igni comparatur propter activitatem, zelum, ardorem, quo flagrant, qui eodem repleti sunt. Spiritus Sanctus in Apostolos in ignis formam E descendit [12], & JESUS CHRISTUS Apostolis dicebat futurum, ut in Spiritu Sancto, & igni baptizarentur [13], atque S. Paulus Thessalonicenses obtestatur, ne in se Dei Spiritum velint extinguere [14]. Hæc omnia belle cohærent, atque ab eadem idea minime discrepant. Hic Timotheum hortatur, ut suscitet, vel potius recentem ardoris gradum adjiciat igni Divino, quo flagrabat, & qui accensus quidem fuerat in ejus baptismate, in confirmatione vero perfectus [15], & in ordinatione consummatus. Gratiam igitur, quam in Episcopali Ordinatione receperat, cupit S. Paulus ab eodem foveri, atque augeri, tamquam supernaturalis ignis in eodem accensus [16]. At quomodonam illum suscitabit? Oratione, meditatione, lectione, vigilantia, solitudine, & fidelitate in iis faciendis, quæ potest, & petendis, quæ minime potest, atque præclare utendis iis occasionibus, quas Deus ipsis aperit, ut eidem famuletur [17].

℣. 7. NON SPIRITUM TIMORIS [18], SED VIRTUTIS, ET DILECTIONIS, ET SOBRIETATIS.] Tua vivendi ratione ostende, te plenum esse hoc igne sacro, quem ordinationis tuæ die in te Spiritus accendit. Age ea constantia, ardore, charitate, sapientia, quæ Episcopum, & JESU CHRISTI Ministrum maxime decet. Eam virtutem, quam Vulgata vertit *sobrietatem*, sapientiam, vel modestiam esse putamus; Græca enim vox [19] sæpe significat modestiam, prudentiam, animæ puritatem, temperantiam, voluptatumque contemptum. Has in ordinatione sua gratias S. Timotheus acceperat, easque cupit Apostolus, ut ille excitet inter persecutiones, Christianos imperfectos, Hæreticosque [20].

℣. 8. NOLI ERUBESCERE TESTIMONIUM DOMINI.] Constanter iis adversare, qui Evangelii veritatem corrumpunt; generose confitere fidem, quam recepisti, neque vel pudorem, vel metum tibi mea vincula injiciant, sed tecum præclare actum existima, si ut ego, & cum me simul pro Evangelio hæc pati posses. Nitent hic scintillæ quædam ignis, qui ardebat in S. Paulo, & propter quem martyrium optabat; quem ardorem etiam in dilecti discipuli sui corde ascendere studebat. *Testimonium Domini nostri* illud est, quod Deo, & JESU CHRISTO perhibemus, vel illud, quod JESUS CHRISTUS Patri per Crucem, atque mortem suam perhibuit, & quod Christiani ipsi vita sua, atque sanguine debent confirmare. *Collabora Evangelio* [21]. Opem fer Evangelio: quasi veritas esset persona patiens, & opem efflagitans.

℣. 9. NON VOCAVIT NOS SECUNDUM OPERA NOSTRA.] Deus prorsus gratuito suæ misericordiæ effectu, & quin hoc aliqua ratione meriti fuissemus, ad fidem nos evocavit [22]. Fatentur omnes, a Deo nos vocari, ea tantum de causa, quod ita in æternis suis consiliis decrevit. Ii omnes, qui vocantur ad fidem, non ideo sunt ad gloriam prædestinati; sed sunt tamquam rami trunco non adhærentes, sed propter sterilitatem suam illinc divulsi. Apostolus hic ait, gratiam nobis datam esse in JESU CHRISTO *ante tempora sæcularia*; hoc est nobis destinatam, atque præparatam fuisse intuitu meritorum JESU CHRISTI ante omnia sæcula [23], & antequam ex nihilo egrederemur.

℣. 10. MANIFESTATA EST AUTEM NUNC.] Hæc apparuit gratia, & consilia hæc adimpleta sunt modo per adventum Domini nostri JESU CHRISTI. Nostræ vocationis, atque prædestinationis decretum absconditum

1 Est. Grot. Menoch. Tirin. 2 Chrysostom. Theophylact.
3 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Est. Grot. Magalian. Scult.
4 1. Timot. 1. 13. *Ignorans feci in incredulitate.* 5 Philipp. 3. 6. *Secundum justitiam, quæ ex Lege est, conversatus sine querela.* 6 Act. 23. 1. 24. 16. 26. 4. 5.
7 Quidam apud Theophylactum. 8 Chrysostom. Ambrosiast.
9 Ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω τὴν περὶ σοῦ μνείαν, &c. Perinde ac simpliciter haberetur: Μνείαν ἔχω περὶ σοῦ.
10 Chrysostom. Theophylact. Theodoret. Est. Grot. Menoch. alii. 11 Act. 16. 1. 2.
12 Act. 2. 3. 13 Matth. 3. 11. 14 1. Thessalonicens. 5. 19.
15 Vide Martianæum in hunc locum. 16 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Oecumen. alii recentiores. 17 Vide Chrysostom. Est. Cornel. Grot. alios.
18 Πνεῦμα δειλίας, *spiritus timiditatis*; Æthiop. δουλείας, *servitutis*. Claromont. Lat. S. German. Lat. *Timoris, servitutis*. 19 Σωφρονισμοῦ, *sobrietas, frugalitas, modestia, moderatio, animi tranquillitas &c.*
20 Theodoret. hic. 21 Συγκακοπάθησον τῷ Εὐαγγελίῳ.
22 Est. Menoch. Tir. alii. 23 Est. Vatab. Menoch. Tirin. Magalian.

tum erat in Deo ante omnia sæcula, sed postquam venit Salvator noster, & Evangelium prædicatum est, se se nobis prodidit, *& destruxit mortem*, quæ in omnibus hominibus improbis [1] dominabatur, *illuminavit autem vitam, & incorruptionem per Evangelium*, & spem, quam nobis præbuit æternæ vitæ, atque resurrectionis. Hoc minime significat, post JESUM CHRISTUM homines non esse morituros: moriuntur illi quidem, ut antea, & in anima per peccatum, & in corpore per mortem communem: sed qui credunt in JESUM CHRISTUM, & Evangelii ipsius præcepta sequuntur, immunes sunt ab imperio peccati per gratiam justificationis, & liberati sunt de horroribus mortis per firmam spem futuræ resurrectionis, beatæque in Cœlo Æternitatis. Veteres Patriarchæ, atque justi Veteris Testamenti in eadem resurrectionis, atque immortalitatis spe obierant; sed JESUS CHRISTUS per mortem, & resurrectionem suam confirmavit hanc spem, eamque in majorem lucem adduxit, ut dici queat ante eumdem, illam adhuc in tenebris delituisse. *Illuminavit vitam, & incorruptionem per Evangelium*.

℣. 11. IN QUO [2] POSITUS SUM EGO PRÆDICATOR.] Ut videlicet hoc Evangelium, & has JESU CHRISTI promissiones annunciarem. Arrepta Evangelii occasione, de quo superiori versiculo verba fecit, Timotheo ait, cum sibi demandata fuisset Gentilibus illud prædicandi provincia, sibi plurimas persecutiones fuisse perferendas. ℣. 12. *Ob quam causam*, ait ille, *etiam hæc patior, sed non confundor; scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare*. Hoc depositum, vel est sanæ doctrinæ, quam in fidelium corde [3], præsertim vero in animo Timothei deposuit; vel spes resurrectionis, quam, ut ita dicam, in Dei sinu collocavit; vel fideles ipsi, qui sunt tamquam depositum sibi a Deo creditum, & quod moriens in manibus ejus relinquit, ratus, hoc illi cordi futurum, atque ad beatum finem perducturum; ita ut aliquando S. Paulus idem reddere valeat ei, a quo sibi concreditum fuerat. Denique hoc depositum significare potest S. Pauli labores, animam ejus, vitam, salutis spem, remunerationem, [illegible] præstolatur, quæ omnia in Omnipotentis manibus collocavit [4], certo sciens, omnia sibi fideliter esse remittenda, ubi novissimo die coram illo apparebit; *in illum diem*.

℣. 13. FORMAM HABE SANORUM VERBORUM.] Hæc Epistola est veluti S. Pauli Testamentum [5], & novissima eorum, quam scripsit. Se igitur veluti exemplar Timotheo proponit, eumque hortatur, ne recedat umquam a sana doctrina, quam didicit; sed eam meditetur, atque animo reputet, veluti Pictor, qui alicujus imaginem delineaturus, pro viribus studet, ut, quam vult, ad vivum personam coloribus exhibeat [6]. In temetipso personam meam, doctrinam, laboresque meos describe.

℣. 14. BONUM DEPOSITUM CUSTODI.] Fidei scilicet, sanæ doctrinæ, traditionum, exemplorumque meorum; cujus aliquando coram supremo Judice a te rationem deposcam. In præceptis, Epistolis, vitaque mea invenies, quomodo munere tuo possis perfungi. At ne credas, me hoc ex viribus tuis expetere velle; scio enim, hoc adimpleri non posse sine superiori virtute [7], *per Spiritum Sanctum, qui habitat in vobis*, & qui a te numquam recedet, nisi prior ab illo recesseris.

℣. 15. AVERSI SUNT A ME OMNES, QUI IN ASIA SUNT.] Vel potius, qui ex Asia sunt, atque Romæ adsunt, qui mihi in vinculis posito opem ferant, me deseruerunt, & abierunt, me neglexerunt, atque auxilio destitutum reliquerunt. Ex quibus est *Phigellus* [8], *& Hermogenes*, qui fortasse erant fideles Ephesi, utque ac alii, de quibus conqueritur [9]: quorsum enim quæreretur, si Judæi, vel Ethnici ipsum deseruissent? Non igitur solum propter se, quod ab illis derelictus fuerit, hunc dolorem testatur Apostolus, sed multo magis propter eorum infirmitatem, atque fidei imbecillitatem, quæ gravissimum Domino dolorem inferebant [10]. De illis loquor, qui eidem in carceris squalore subsidium aliquod afferre potuissent; alii enim cur eidem prodesse voluissent [11]? Non meminit Sancti Lucæ, ac Discipulorum, qui tum cum illo Romæ versabantur, quos illi semper fideliter adhæsisse, aliunde innotescit.

Auctores Apocryphi, qui Apostolorum vitas conscripserunt, ajunt, Phigellum, & Hermogenem Magos fuisse, qui cum a S. Jacobo Majori ad fidem fuissent perducti, mox S. Paulo adhæserunt aliquandiu, quem simul ac in discrimen adductum cognovere, ab eo statim recesserunt. Tertullianus ait, Hermogenem a fide discessisse [12], & hunc alium esse ab alio Hermogene contra quem ille scribebat; *nec ipse Apostolicus Hermogenes in regula perseveravit*. Metaphrastes in sermone de S. S. Petro, & Paulo, ait, Phigellum ab Apostolo Ephesi Episcopum constitutum in errorem Judæos conversos impulisse, atque coegisse, ut fidem abdicarent. Verum Metaphrastes Scriptor est non satis probatus; nec fidem illi habere possumus iis in rebus, quæ parum adeo credibiles sunt, ac nullis antiquitatis monumentis confirmatæ. Phigellum, & Hermogenem in historia ex hoc in uno tantum loco, qui illis haud ita sane decorus est, agnoscere possumus.

℣. 16. DET MISERICORDIAM DOMINUS ONESIPHORI DOMUI.] Onesiphorus ex Asia profectus, ubi non parum Ecclesiæ profuerat [13], cum didicisset, Romæ S. Paulum in vinculis detineri, eum accuratius perquisivit, invenit, atque pro viribus adjuvit; ideoque Apostolus eidem, [illegible] omnique domui ejusdem amplissimam Dei benedictionem precatus. Græci [14] festivitatem ejus concelebrant tertio Kalendas Maii, & sexto idus Decembris. Ado, aliique Latini octavo idus Septembris. Græci tertio Kalendas Maii, illum Colophonis Episcopum in Asia dicunt; & sexto idus Decembris Cotaiæ vocant Antistitem, cujus vero non meminerunt. Canisii versio legit Coronæam in Bœotia. Hunc unum ex Discipulis septuaginta fuisse putant. Baronius scribit, illum martyrio fuisse coronatum; & Grotius credit, Onesiphorum ante illud tempus obiisse, quod confirmat S. Pauli verbis infra cap. 4. 19. salutem dicentis domui Onesiphori, quin de eodem loquatur: quæ si vera sunt, jam satis confirmatur pro mortuis oratio [15]. Duodevigesimus etiam versiculus magis adhuc hanc sententiam confirmat, & satis perspicue innuit, Onesiphorum ad plures jam abiisse: *det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die* (videlicet in die Judicii, supra ℣. 12.) & quanta Ephesi ministraverit mihi tu melius nosti.

℣. 18. DET ILLI DOMINUS INVENIRE MISERICORDIAM A DOMINO.] Quinam est hic Dominus a Domino distinctus, si tamen distinctus? Credunt quidam [16] ab Apostolo orari Deum, ut efficiat gratiam inveniat ab Onesiphoro coram JESU CHRISTO, qui Judex est vivorum, atque mortuorum. Alii majori in numero [17] ete-

---

1 Rom. 6. 23. 2 Ἐν ὅ. *Ad quod*, supple, Evangelium prædicandum.
3 Vide Chrysostom. Theophylact. Phot. in Comment. Ms. Anglic. Παρεθήκω λέγει τὴν πίστιν, ἢν παρέθετο αὐτῷ ὁ Χριστὸς κηρύσσειν. 4 Chrysostom. Theophylact. Est. Menoch. Grot. Zeger. &c.
5 Chrysostom. homil. 9. pag. 605. 6 Chrysostom. Theophylact. alii, Græc. Ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων.
7 Vide Chrysostom. Theophylact. alios plerosque. Confer. 1. Timoth. 6. 20.
8 Φύγελλος. Plures Mss. Φύγελος, Quidam. Φιγελλος. Edit. Sixti V. *Philetus*.
9 Theodoret. 10 Chrysostom. homil. 10. pag. 611.
11 Estius hic. 12 Tertull. contra Hermogen. 13 Infra vers. 18.
14 Menæa April. pag. 147. Decemb. pag. 134. Baron. 6. Septembr.
15 Vide Est. hic. 16 Ambrosiast. 17 Chrysostom. Theophylact. Est. Grot.

credunt, hæc verba non aliud innuere, quam ut permittat Deus, illum gratiam invenire coram se, quemadmodum in Gen. 19 24. dictum est, *Dominus pluit ignem a Domino*, hoc est a se ipso; & Exod. 24. 12. *Dixit Dominus ad Moysem, ascende ad Dominum &c.* Alii denique [1] ita explicant: Dominus Jesus mediator inter Deum, & homines efficiat, ut coram Deo Patre suo ille misericordiam obtineat.

1 Scultet, Capell. Camerar.

C A P U T II.

Timotheum hortatur, ut elaboret in ministerio Evangelico, & contentiones evitet. Magna in domo vasa sunt variis usibus destinata. Puerilia desideria vitanda; justitia, fides, charitas, pax diligenda.

1. TU ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu: 2 Et
quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus,
qui idonei erunt & alios docere. 3 Labora sicut bonus miles Christi
Jesu. 4 Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus: ut ei placeat, cui
se probavit. 5 Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit.
6 Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. 7 Intellige,
quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. 8 Memor
esto, Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum
Evangelium meum, 9 In quo laboro usque ad vincula, quasi male operans:
sed verbum Dei non est alligatum. 10 Ideo omnia sustineo propter electos, ut
& ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cœlesti. 11
Fidelis sermo: Nam si commortui sumus, & convivemus: 12 Si sustinebimus,
& conregnabimus: si negaverimus, & ille negabit nos: 13 Si non credimus, ille
fidelis permanet, negare se ipsum non potest. 14 Hæc commone, testificans
coram Domino. Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem
audientium. 15 Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium
inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. 16 Profana autem, &
vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem. 17 Et sermo eorum
ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus, & Philetus, 18 Qui a veritate exciderunt,
dicentes, resurrectionem esse jam factam, & subverterunt quorumdam fidem.
19 Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit
Dominus qui sunt ejus: & discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen
Domini. 20 In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed
& lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.
21 Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum,
& utile Domino, ad omne opus bonum paratum. 22 Juvenilia autem desideria
fuge, sectare vero justitiam, fidem, spem, charitatem, & pacem cum
iis, qui invocant Dominum de corde puro. 23 Stultas autem, & sine disciplina
quæstiones devita: sciens quia generant lites, 24 Servum autem Domini non oportet
litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, 25 Cum
modestia corripientem eos, qui resistunt veritati, nequando Deus det illis pœnitentiam
ad cognoscendam veritatem, 26 Et resipiscant a diaboli laqueis, a quo
captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

℣. 1. CONFORTARE IN GRATIA, QUÆ EST IN CHRISTO JESU.] Vel per gratiam, quam nobis JESUS CHRISTUS promeruit, & per virtutem, quam nobis infudit; confide quidem, non autem in viribus tuis, sed in JESU CHRISTI subsidio.

℣. 2. QUÆ AUDISTI A ME PER MULTOS TESTES.] Quæ tibi coram pluribus annunciavi; non enim secreto [1], neque furtim prædicavi, velut quidam, qui se se detegere non audent, & qui tenebras quærunt, ubi delitescant. Ego tibi aperte loquutus sum, non secus ac omnibus aliis fidelibus. Veritas neque erubescit, neque vult dissimulari. Intelligi hoc potest de Episcopis, Sacerdotibus, aliisque, qui interfuere, cum Timo-

1 Chryf. Theophyl. Theod. alii.

Timotheus ordinaretur, & qui testes fuerunt eorum, quæ illi tunc dixit Apostolus. Alii [1] per hanc testium multitudinem, Legem, & Prophetas intelligunt, quorum auctoritate confirmabat Apostolus, quidquid discipulos edocebat.

Knatchbullius Græco alium sensum appingit [2]: *cum fide viris fidelibus, illos adjurans*, ut servent pretiose depositum *doctrinæ, quam a me in prolixis sermonibus accepisti*. Homines illi ex Photii apud Oecumenium sententia, sunt Sacerdotes, & Episcopi, quos Timotheus ordinare poterat. Illis coram pluribus testibus annuntia, quidquid ex me didicisti, præsertim vero in superiori Epistola, quæ tamquam Episcoporum, atque Præsulum regula haberi potest. Alii [3] hoc simplicius explicant de Sacerdotibus Ecclesiæ Ephesi; hos diligenter erudi, confide illis depositum doctrinæ, & fidei, quam a me recepisti, ut de manu in manu traditum ad posteros usque pertranseat.

℣. 3. LABORA [4] SICUT BONUS MILES.] Christi fidelis vita juge est prælium contra peccatum, Mundum, ac Dæmones; vita vero Episcopi majoribus adhuc est obnoxia periculis, ac illi plures hostes sunt superandi. Primis illis Ecclesiæ temporibus singulis diebus in mortis, persecutionis, martyrii discrimen adducebantur.

℣. 4. NEMO MILITANS DEO IMPLICAT SE SÆCULARIBUS NEGOTIIS.] Non secus ac miles, qui Principis stipendia meret, vacare minime potest rei domesticæ, mercaturæ, judiciis, atque arti, quam antea profitebatur; sed semper paratus esse debet, ut ad nutum Imperatoris statim ad arma se conferat [5]: ita Sacerdotes JESU CHRISTI, Præcones Verbi Dei, Ecclesiæ ejusdem Principes sæcularia negocia, quæ cum ministerii sui dignitate, quiete, officiis, simul esse non possunt, debent abdicare. Hac mente Canones vetant, ne Clerici mercaturæ vacent, temporalia negotia procurent, testamenta exequantur, & alia id genus expleant [6], quæ ipsos distrahere ab illis, quibus necessario vacare tenentur, eorumque characterem in contemptum possent adducere. Attamen si necessitas, paupertas, humilitas, atque inertiæ metus efficiunt, ut manibus suis aliquid elaborent; ne illi quidem S. Pauli, plurimorumque Sanctorum Episcoporum exempla sequuntur, qui non neglecta gregis sui cura successivas horas labori impenderunt; & Canones ipsi, quin adversentur, præcipiunt immo, ut Clerici artem quampiam ediscant, si nullam norint [7]: hoc tamen semper *absque officii sui detrimento*.

℣. 5. QUI CERTAT IN AGONE, NON CORONATUR, NISI LEGITIME CERTAVERIT.] In ludis, in spectaculis, quæ olim in Græcia tanta cum celebritate exercebantur, non deerant Leges quædam ab iis servandæ, qui in arenam descenderent. In 1. ad Cor. 9. 25. vidimus, quo pacto illis esset vivendum, quænam eorum temperantia, sobrietas, & continentia esse deberet. S. Paulus hoc in loco fortasse indigitare volt leges palæstræ, cursus, cestus &c. nemo enim victor habebatur, qui eas leges non observasset [8], postquam Agonothetæ, vel Coronarum, præmiorumque distributores judicium tulissent. Ita in Christianæ vitæ curriculo non satis est currere, & deprœliari, sed illud secundum Leges efficiendum est. Fides est servanda, concordia, charitas, sine quibus, neque ipsum martyrium prodest. Non satis est laborare, corpus suum in servitutem redigere, JESUM CHRISTUM prædicare; sed hoc faciendum est in Ecclesia, cum Ecclesia, per missionem ejusdem, secundum JESU CHRISTI, Apostolorumque doctrinam: alioquin oleum, & operam perdis. *Qui non colligit mecum, dispergit*, ait JESUS CHRISTUS, Luc. 11. 23.

℣. 6. LABORANTEM AGRICOLAM &c.] Tenetur Agricola Reipublicæ oneribus aliquid conferre, & iis satisfacere, quæ Domino, ac Principi suo debet: primum tamen ipse ex labore suo victum debet percipere; si enim Agricola ex labore suo non vivit, neque Principi, neque domino ea, quæ debet, poterit suppeditare. Ita in Ecclesia Episcopi, & Evangelii Præcones, qui pro JESU CHRISTO, & pro fratrum salute laborant, operam minime perdunt; Primus laboris sui fructus ipsorum est; in aliorum salutem tempus suum transmittentes thesaurum sibi comparant in Æternitate. Ita mi Timothee, labora, instrue, exhortare, ita tamen, ut non obliviscaris tui.

Græco optimus tribui sensus potest, si ita vertatur [9]: *oportet, Agricolam laborare, antequam terræ fructibus gaudeat*. Hic sensus simplicior est, atque aptior. Quemadmodum Palæstrita non coronatur, nisi certaverit, atque vicerit; ita Agricola messem sperare non potest, antequam arandi, atque serendi labores pertulerit. Ita, mi Timothee, forti animo esto, neque vitæ hujus ærumnæ aliquid de virtute tua imminuant.

℣. 7. INTELLIGE, QUÆ DICO.] Tres, quatuorve superiores versiculi, non nihil ænigmaticum, vel parabolicum complecti videbantur. S. enim Paulus non attulerat apodosim earum similitudinum, quas proposuerat.

℣. 8. MEMOR ESTO, DOMINUM JESUM CHRISTUM RESURREXISSE.] Incipit hoc in loco illum præmunire adversus eorum temporum Hæreticos, quorum nonnulli resurrectionem negabant, alii vero jam accidisse asserebant. Ex novissimorum numero erant Himenæus, & Philetus [10], de quibus loquitur infra. Simon Magus, cujus nomen insigne tunc ferebatur, licet pridem obiisset, quemadmodum in altera ad Thessal. 2. 8. adnotavimus, ingentem discipulorum numerum reliquerat, qui cum eo sentiebant [11], nullam esse pro carne, sed tantum pro anima salutem, & resurrectionem; & hanc quoque animæ resurrectionem non baptismate, non gratia, & meritis JESU CHRISTI, neque bonis operibus acquiri: (ex eorum enim sententia nullæ erunt actiones bonæ, vel malæ, cum discrimen bonarum, malarumque actionum ab Angelis tantum fuerit institutum, ut sibi homines subjicerent:) eam vero per Simonis gratiam acquiri, & eos, qui in ipsum, Helenamque ejus sperabant, jam resurrexisse, ac plenam nactos esse libertatem, quidquid vellent, pro libidine explendi. Hujusmodi erant illorum errores, adversus quos S. Paulus discipulum suum vult præmonere [12].

SECUNDUM EVANGELIUM MEUM.] Veteres quidam [13] crediderunt, ipsum loqui de S. Lucæ Evangelio, in quo aliqua illius pars fuisse censetur: sed Interpretes hoc simpliciter explicant de Evangelio, quod Apostolus prædicabat, videlicet generatim de JESU CHRISTI Evangelio. Confer Rom. 16. ℣. ℣. 25. 26. 05. Galat. 2. 11. Vide, si, Præfationem nostram in S. Lucæ Evangelium.

1 Quidam apud Theodoret. & Theophylact. Τοὺς δὲ πολλοὺς μάρτυρας, νόμον καὶ προφήτας εἶπεν. Ita Grot. Drus. Cornel. 2 Α᾽ ἤκουσας παρ᾽ ἐμοῦ διὰ πολλῶν, μαρτυρῶ ταῦτα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις.
3 Est. Menoch. Tirin. 4 Κακοπάθησον. Alii: Συγκακοπάθησον: *Collabora*. Ita Alexand. Clarom. & Sanct. German. G. L. Borner. G. L. Colb. 7. Coph. &c.
5 Veget. de Re milit. l. 2. *Nec privata militibus negotia mandabantur: siquidem incongruum videbatur, eos qui veste, & annona publica alebantur, utilitatibus vacare privatis*. Vide Grot. hic.
6 Cyprian. lib. 1. Epist. 9. Concil. Chalcedon. can. 3.
7 Concil. Carthag. can. 51. *Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat*. Et can. 52. *Clericus victum sibi, & vestimentum artificiolo, vel agricultura, absque officii sui dumtaxat detrimento, præparet*.
8 Vide Chrysostom. Theophylact. Grot. 9 Τὸν κοπιῶντα γεωργὸν δεῖ πρῶτον, τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν. Vox πρῶτον, posita est pro πρότερον. Sic eam intelligit Æthiops, Estius, Castal. Grot. Hamm. Pric. Scult. Cleric.
10 1. Tim. 2. 18. 11 Epiphan. hæresi 21. cap. 4. August. hæres. 1. Item. l. 1. c. 20.
12 Theodoret. Chrys. 13 Quid. apud Hieron. Catalog. Scriptor.

℣. 9. IN QUO LABORO USQUE AD VINCULA, QUASI MALE OPERANS.] Quasi scelestus [1]. Seipsum Timotheo proponit exemplum eorum, quæ ab ipso facienda, ferendaque sunt pro gloria Evangelii. Gloriatur de vinculis suis, & licet ipse catenis constrictus sit, sit, Evangelium tamen *non esse alligatum*; & quamquam in carcere positus sit, se tamen liberrime prædicare, atque docere, quin metus inimicorum suorum exacerbandorum, vel irritandorum, aut mortem suam accelerandi, aut supplicium suum augendi, ipsum deterreat, ne munere suo perfungatur [2]. Fidei consonum est, S. Paulum nondum in carcere fuisse conclusum, sed tantum militi custodi suo alligatum, ita ut ultro, citroque commeare posset, atque admittere amicos, ipsum inviseotes, eumque audire cupientes. Sin autem supponas, illum jam in carcere fuisse conclusum, quemadmodum Interpretes nonnulli opinantur, illius constantia, atque virtus majori adhuc admiratione digna videbitur.

℣. 10. IDEO SUSTINEO OMNIA PROPTER ELECTOS.] Nonne ille pro universa Ecclesia ex electis simul, atque reprobis composita patiebatur; licet enim reprobi ad Cœli beatitudinem minime perveniant, atque in Ecclesiæ corpore sint, tamquam stipulæ in area tritico immixtæ, dici tamen non possunt illi in Ecclesia non esse? S. Paulus omnibus hominibus prædicabat, omnes invitabat ad fidem, omnes, qui ad ipsum veniebant, recipiebat; neque certa illi aderat cognitio, ut reprobos ab electis distingueret; pro utrisque ergo simul patiebatur. Hoc tamen verum est, si ille intellexisset, quinam essent reprobi, eosdem in Ecclesia minime admissurum, neque ad salutem evocaturum fuisse; sed cum horrore, vel saltem cum miseratione eosdem fuisse respecturum. JESUS CHRISTUS vero, qui illos noverat, non orat pro illis, quemadmodum & pro electis: *non pro Mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi*, Joan. 17. 9. Et S. Augustinus l. 21. de civ. c. 24. ait: *si tamen Ecclesia certo nosset, quinam prædestinati sint ad æternum ignem ire cum diabolo, tam pro illis non oraret, quam nec pro ipso*: posset illa quidem pro illis temporalia bona precari, atque petere, ut a tentationibus, atque peccandi occasionibus amoverentur; ita ut cum minoribus obnoxii essent peccatis, minoribus quoque in altera vita suppliciis afficerentur [3].

Electorum nomine Scriptura sæpe intelligit [4] eos, qui ad fidem, atque Christianam Religionem vocati sunt, quatenus opponuntur illis, qui non sunt vocati, & reprobi, minime reputans, utrum illi, qui ita vocati sunt, omnes sint ex numero eorum, qui ad gloriam, vel solum ad vocationem fuerunt prædestinati. Hoc in loco belle ita potest intelligi: ego in vinculis sum; non ita vero Verbum Dei: ideoque nulli sunt labores, quos cum voluptate minime patiar, ut mortalibus omnibus donum fidei, & justificationis gratiam acquiram; quantum in me situm est omni nisu elaborans, ut præceptis, atque exemplis eos adducam ad salutem, *quæ est in Christo Jesu in gloria Cælesti* [5], hoc est, ad Christianam Religionem, atque beatam æternitatem.

℣. 11. FIDELIS SERMO: NAM SI COMMORTUI SUMUS.] Hæc sunt argumenta contra Simonis Magi discipulos, Resurrectionem negantes. Certo certius est, si cum JESU CHRISTO morimur in Baptismo, atque in Christianæ Religionis professione; si vetus homo noster cum illo consepultus est in aquis baptismatis; nos etiam cum illo ad gloriam, æternamque Beatitudinem esse resuscitandos [6], non solum quoad animam, verum etiam quoad corpus. Infideles etiam, atque reprobi participes erunt Resurrectionis corporum; sed ut æternum inferni suppliciis torqueantur. Has certissimas, atque fundamentales nostræ Religionis veritates constanter tuere.

Alii [7] hoc ita intelligunt: si cum JESU CHRISTO morimur per labores, atque passiones, stabilem spem consequimur, nos cum eodem in Cœlis esse regnaturos. Ita mala, & persecutiones, quibus sumus obnoxii, nos minime terreant; hæc ad beatitudinem unica est via. Ea, quæ sequuntur, huic favent explicationi.

℣. 12. SI SUSTINEBIMUS, ET CONREGNABIMUS.] Regnum suum pollicitus est JESUS iis, qui secum crucem gestaverint [8], gravissima autem mala iis minitatus, qui eumdem reliquerint, deseruerint, abdicaverint, & recipere recusaverint, Matt. 10. 33.

℣. 13. SI NON CREDIMUS, ILLE FIDELIS PERMANET.] Licet in illum non crederemus, vel postquam eidem crediderimus, a fide deficeremus, numquid ille non erit idem, qui est [9]? Numquid indiget nostri, ut suam gloriam procuret? Nonne ex lapidibus deserti suscitare potest filios Abrahæ [10]? Vel: licet ab illo desciseeremus, atque ab ejus fide deficeremus, numquid minus potens erit, ut ex nobis ultionem reposcat, & minæ ipsius minus veræ, ac minus erunt efficaces [11]? Posteriror hic sensus magis naturalis videtur.

℣. 14. TESTIFICANS CORAM DEO NOLI CONTENDERE VERBIS.] Deum testem voca earum veritatum, quas fidelibus annuntiabis; tu vero noli inutilibus verborum contentionibus tempus terere. Græcus legit [12]: Admone eos de his rebus, *illos in nomine Domini adjurans, ut verborum contentionibus vacent*: sed vetustissimi MSS. Vulgatæ conformes sunt. Vidimus jam in 1. ad Timotheum Ep. Apostolum prohibentem, ne nominum contentiones, inanes quæstiones, fabulas, & geneologias sine, ac fundamento carentes [13] sectetur; hoc enim, quemadmodum animadvertimus, primorum Hæreticorum erat ingenium, curiositatem, inanes scientias, superbiam, nominum quæstiones in deliciis habentium.

℣. 15. OPERARIUM INCONFUSIBILEM, RECTE TRACTANTEM VERBUM VERITATIS.] Ad litteram [14]: *scientem belle secare*, vel dividere *sermones veritatis*, scientem sedulam eorum sectionem instituere, atque Verbum Dei dividere, ac distribuere auditoribus suis secundum eorum captum, atque utilitatem; vel instar Agricolæ aratro terram findentem, rectosque sulcos efficientem, vel tamquam hominem sternentem viam subsequuturis. Hæ omnes similitudines satis belle exhibent nobis officia Prædicatorum, & Episcoporum erga populos suos: neque difficile est, easdem ad rem transferre.

℣. 16. PROPHANA, ET VANILOQUIA [15] DEVITA.] Vel cum aliis exemplaribus, *prophanas novitates verborum*. In Ecclesiæ doctrina æqua fere cura evitanda est novitas in præceptis, atque in verbis. Sæpius verbum adinventum, & perperam in fidei linguam invectum plurimas inter fideles peperit turbas; & captiosa primorum Hæreticorum Theologia diffluebat novis loquendi rationibus, quas JESUS CHRISTUS, ejusque Apostoli non noverant. Loquebantur solum *Æones, pleroma, intelligentiam, spiritum*, barbara Angelorum, atque Spiritualium Potestatum nomina; principia duo, bonum alterum, alterum nequam; aliaque id genus sexcenta ad ignaros fallendos, atque vanos, superbos, cu-

1 Ὡς κακοῦργος: *Ut maleficus*. 2 Theodoret.
3 Vide Est. Fromond. 4 Matt. 13. 48. 20. 16. 22. 14. 24. 22. 24. 31. 1. Cor. 1. 27. Coloss. 3. 12.
5 Græc. Μετὰ δόξης αἰωνίου. *Cum gloria æterna*. Latini cum Vulgat. *cælesti*. Velez. *æterna*.
6 Vide Rom. 6, 8. Ambrosiast. Est. 7 Chrysostom. Grot. Menoch. alii.
8 Matth. 10. 38. 16. 22. Luc. 14. 27. 9 Est. Theodoret. alii.
10 Matth. 3. 9. 11 Grot. Menoch. Tirin. 12 Ταῦτα ὑπομίμνησκε, διαμαρτυρόμενος ἐνώπιον τοῦ Κυρίου μὴ λογομαχεῖν. Alii: Διαμαρτυρόμενος ἐνώπιον τοῦ Κυρίου. Μὴ λογομάχει. Ita Cod. Alexand. Clar. Lat. Germ. Lat. Ambrosiast. Hieronymiast. 13 Vide 1. Tim. 1. 4. 6. 6. 4. 5. 13.
14 Ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. 15 Græc. Τὰς βεβήλους κενοφωνίας περιΐστασο. Alii: Καινοφωνίας: *Novitates verborum*. Ita Chrysost. Theophyl. Oecumen. Borner. G. L. Clar. & S. Germ. Lat. *Novitates verborum*. Ita & Ambrosiast.

curiososque homines in errorem impellendos aptissima.

℣. 17. SERMO EORUM, UT CANCER SERPIT.] Cancer gravissimum est morbi genus ex glande compressa, & fibrarum ejus perturbatione, aut fractura obortum. Sanguis, qui ibi orbes suos perficit, paulatim corrumpitur, ac tandem omnem humorum massam inficit. Pars, quæ est hujus corruptionis origo, sensim contabescit, atque ad tabum illius finitimæ partes computrescunt; estque gangrenæ species est, cui Medicorum ars certam nondum invenit medicinam. Hæreticorum doctrinæ Cancro similis est. Ea initiis, quæ via percipi queunt, se se effundit, ut sensim ad se pertrahit complures rerum novarum amatores, & id quærentes, ut seipsos jucunde decipiant. Gnosticorum hæresis primis Ecclesiæ temporibus mirum in modum percrebuit, atque longe plures, quam persecutorum furor traxit in interitum. In paucis vero notum illum effectum peperit, quod Christianam Religionem Gentilibus in odium adduxit [1], qui Hæreticos a Catholicis non secernentes, iis, qui JESUM CHRISTUM profitebantur, eosdem errores, atque flagitia imputabant.

℣. 18. DICENTES, RESURRECTIONEM ESSE JAM FACTAM.] Himenæi, & Phileti lapsus, qui inanibus Simonianorum argumentis decepti, ab Ecclesiæ fide desciverant, S. Paulo ostendebat necessitatem prophanis horum hæreticorum novitatibus resistendi: idemque toties, & in hac, & in priori ad Timotheum Epistola eamdem tundit incudem. Veteres [2] explicite testatum reliquerunt, Simonem Magum non credidisse carnis Resurrectionem, sed illam animæ duntaxat, quæ de peccato resuscitat ad gratiam [3].

℣. 19. SED FIRMUM FUNDAMENTUM DEI STAT HABENS SIGNACULUM HOC: COGNOVIT DOMINUS, QUI SUNT EJUS [4].] Quasi hic Scripturæ locus inscriptus fuisset in fundamentali Ecclesiæ petra [5], unacum altero hoc [6], *qui nominat nomen Domini*, vel cum Græco typis edito, *nomen Jesu Christi, discedat ab iniquitate*. En cui rei innititur immobilis fidei nostræ certitudo, atque infallibilis JESU CHRISTI doctrinæ; revelationi videlicet Dei, qui est veritas essentialis. Verum cum homines corrupti, atque indociles Dei ipsius verbo, ac revelatione abutebantur, eamdem detorquentes in sensum, qui errori suo faveret, consuluit Deus per sapientiam suam veritati fidei, humilium que fidelium suorum consolationi; eisdem tribuens quædam certitudinis pignora contra errorem, hæreticorumque nequitiam. Constituit ergo in Ecclesia sua tribunal suæ auctoritatis, atque veritatis depositarium, hoc est, vocem eamdem Ecclesiæ per os Pastorum loquentis, de quibus dixit JESUS CHRISTUS Luc. 10. 16. *qui vos audit, me audit*.

At quomodonam loci duo hic elleti probant, Dei fundamentum inconcussum permanere? & licet plurimorum CHRISTI fidelium infidelitas, & lapsus obsistat, Ecclesiæ tamen fidem numquam interituram? Alii quidam hanc certitudinem constituunt in decreto prædestinationis, quod iis verbis innuitur: *cognovit Dominus, qui sunt ejus*, & in perseverantia in bono, quæ per ea verba indigitatur, *discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini*, & qui est in numero fidelium ejus, ad finem usque in hoc odio iniquitatis perseveret. Alii vero certitudinem eamdem constituunt in iis, quæ Ecclesiæ suæ pollicitus est Deus, cum ait, se eamdem ædificare super petram, nec futurum, ut portæ inferi adversus illam umquam prævaleant [8]; quod ipsum refertur ad electionem Dei, qua fideles suos secernit, & ad perseverantiæ donum, quod ipse elargitur, non omnibus, qui vocati sunt, atque Ecclesiam componunt, sed electis [9], quos tenet in fide, & contra Dæmonis astum, hæresumque conatus tuetur. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*, inquit S. Joannes Apostolus 1. Ep. 2. 19. *nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Oves meæ vocem meam audiunt*, Salvator ait Joan. 10. 28. *& non rapiet eas quisquam de manu mea*. Ne vos terreat plurimorum lapsus, atque defectio; nemo perihit, nisi cui pereundum est. Deus scit, quos elegerit [10], & qui vere ad ipsum pertineant.

℣. 20. IN MAGNA AUTEM DOMO.] Cujuscumque generis vasa sunt & aurea, & fictilia. In Ecclesia [11] electi sunt, & reprobi; vasa honoris, & contumeliæ [12]; stipulæ cum frumento [13], lolium cum tritico [14], boni pisces cum malis immixti [15]. Qui per hæresim, vel schisma ex Ecclesia egrediuntur, qui eamdem flagitioso vivendi genere dedecorant, qui ad vomitum redeunt, qui fidem operibus negent, vasa sunt contumeliæ, lapsus, atque interitus eorum nobis admirationem non debent injicere. Nos adversus hæc scandala JESUS CHRISTUS præmuniit; & permisit, ut inter Apostolos Judas inveniretur. Nonnisi in altera vita boni a malis secernentur: donec homo hanc vitam vivit, numquam est illius desperanda salus, atque correctio. Deus ex malis, æque ac bonis gloriam suam novit haurire: impii etiam conferunt ad electorum salutem.

℣. 21. SI QUIS ERGO EMUNDAVERIT SE.] Qui in Ecclesia fidei unitatem, ac puritatem servaverit, & qui favente Deo, vitam sua vocatione dignam vixerit, erit vas honoris; & aliquando æterna beatitudine perfruetur. Videtur hoc in loco S. Paulus homini potestatem conferre semet capiendi, vel integrum ab omni labe servandi, quo vas efficit contumeliæ; at alibi satis explicite docet, nos JESU CHRISTI gratia indigere, ut bonum aliquid incipiamus, exerceamus, & perficiamus. Potest quidem mortalis ex semet perire, atque flagitiis suis se in vas contumeliæ convertere: ex citra supernaturalem Dei opem fieri nequit vas in honorem; neque hoc in statu permanere, si forte illum fuerit assequutus.

℣. 22. DESIDERIA JUVENILIA FUGE,] vanitatem, stultam laetitiam, societates, contentiones, solatia quædam, atque impetiosa facta, quæ nonnumquam audet, qui in dignitate est constitutus. Hoc in loco nomine *juvenilium desideriorum* nequaquam intelligenda sunt turpia, & obscæna desideria: Sapientia atque ratio vivendi, qua Timotheus utebatur [16], satis illius temperantiæ, atque virtutis fidem faciunt: verum quædam errata sunt, quæ victos non satis unquam corrigit in adolescentibus, quibus contigit, ut maturaret aliis præficerentur [17]. Auctoritas, quam in Timotheum discipulum suum S. Paulus fuerat adeptus, & amor, quo illum prosequebatur, jus illi conferebant eo pacto loquendi, quod neminem alium decuisset. *Sectare justitiam, fidem, charitatem*. Edita quamplura exemplaria [18] legunt: *justitiam, fidem, spem, charitatem*.

℣. 23. STULTAS, ET SINE DISCIPLINA QUÆSTIONES DEVITA.] Sæpe hoc instaurat consilium [19]; illius enim noverat utilitatem eo præsertim tempore, quo Simonianorum, & Gnosticorum hæreses tantam gignebant in Ecclesia existimatem.

℣. 24. SERVUM DOMINI NON OPORTET LITIGARE,] præsertim vero cum agitur de inanibus, ine-

1 Justin. apolog. 2. Euseb. histor. Eccles. lib. 3. cap. 1.
2 Epiphan. hæresi. 21. August. hæres. 1. 3 Vide August. in Joann. homil. 19. Dic. Thom. Est. Menoch. Tirin. hic. 4 Numer. 16. 5. ex Versione 70. 5 Theophylact. Grot.
6 Num. 16. 26. ex Versione 70. 7 Vide Aug. Fromond. Est. Magalian. Menoch. Tir. alios.
8 Matth. 16. 18. 9 Magalian. Est. From. Vatab. Menoch. Tir.
10 Joann. 13. 18. *Ego scio, quos elegerim*. 11 Cyprian. lib. 3. Epist. 3. lib. 4. Epist. 2. & Aug. lib. 3. contra Donatist. cap. 18. 19. & lib. 4. cap. 12. Est. Menoch. Tirin. alii. Vide Luc. 14. 23. Hebr. 10. 21. 1. Timoth. 3. 15. 12 Rom. 9. 21. 13 Matth. 3. 12.
14 Matth. 13. 25. & sequ. 15 Matth. 13. 47.
16 1. Timoth. 5. 23. 17 Vide Grot. Est. Theodoret. Chrysostom Theophyl.
18 Vide Bukentop. l. 2. p. 300. 19 Vide supra 1. Tim. 1. 4. 6. 4. 4. 7. & 2. Tim. 2. 16.

prisque rebus, ubi nulla est ratio, nullum fundamentum; quales erant quæstiones illæ, quæ inter primi Sæculi hæreticos agitabantur. Hæ quæstiones tamquam aniles fabulæ contemnendæ sunt, quæ ne merentur quidem, ut serio refellantur: quippe qui hujusmodi errores suos, ut illis pondus addat, qui eos convellere adoritur. Ad universum Simonianorum, Nicolaitarum, & Gnosticorum systema refutandum satis erat illud omnino negare; quandoquidem neque rationi, neque revelationi ulli innitebatur. Quem characterem præseferebant hujusmodi hæretici, ut suam doctrinam adferrent? Cui rei ipsorum *Æones*, *& pleroma*, & commentitia illa prima intelligentia, & Angelorum in varias classes distributio, & nomina illis attributa innitebantur? Quis igitur sanæ mentis quæstionem inire debebat cum hominibus, nullas rationes afferentibus?

Sed in rebus, quæ Evangelicam veritatem impugnant, non solum non prohibetur Timotheus, atque Episcopi quærere, disceptare, & Hæreticos vel impugnare, vel propulsare; quin immo quidam casus sunt, ubi hoc illi facere tenentur: quandoquidem S. Paulus exigit, ut Evangelii Minister semper paratus sit ad fidem suam probandam, & eos refellendos, qui illam adoriuntur [1]. In Apocalypsi 2. 14. Dominus exprobrat Angelum, vel Episcopum Pergamenum, quod doctrinam Balaam edocentes sustineat.

Quin igitur discipulus suus inutiles quæstiones agitet, ex eo petit Apostolus, *ut mansuetus sit ad omnes*, *docibilis*, vel potius aptus ad docendum, alios erudire cupiens [2], *atque patiens*. Quin contendas, & inveharis in eos, qui ab Ecclesia secedunt, erga eos lenis & suavis esto, eosque patienter erudi. Hæ viæ sunt

A ad illos revocandos aptiores, quam rationes duriusculæ, atque imperiosæ.

℣. 25. NEQUANDO DET ILLIS DOMINUS POENITENTIAM.] Nullius est desperanda correctio. Eos qui deerraverint, reputa, quemadmodum Medicus illos, qui ægrotant. Patienter eos cura, illis medere, ac spera, ut aliquando convalescant. Hæreticus hodie impugnat Ecclesiam; hic filius est rebellis in Matrem, eamdem dolore, atque amaritudine replens; at quantumvis rebellem, Mater illum semper quærit, reditum & conversionem ejus desiderat. Omnipotens Deus cor, licet ferreum, in carneum potest mutare. *Nequando* [3] hoc in loco non significat metum, sed dubitationem cum spe, atque desiderio commixtam.

℣. 26. A DIABOLI LAQUEIS, A QUO CAPTIVI TE-

B NENTUR AD IPSIUS VOLUNTATEM.] Hæretici sunt veluti captivi in vinculis Diaboli. Hic illos possidet, de illis ad voluntatem disponit; illos regit, inspirat, iis utitur ad errorem, in corda animosque effundendum. Aliter: *a Diaboli laqueis, a quo tenentur ad ipsius* [4] (Dei scilicet) *voluntatem*. Permittit Deus, ut sub potestatem Dæmonis cadant pro ea temporis diuturnitate, quam ipse maluerit. Integrum semper est illi eos de captivitate eripere, eisque pœnitentiæ mentem immittere. Ne habeas igitur illos tamquam irreconciliabiles inimicos; incumbe toto pectore ad eorum conversionem, quippe qui fratres tui sunt, sed fratres, qui deerraverunt, & ad certum fortasse tempus tantummodo potestati Sathanæ traditi sunt. Eodem tempore, quo illos erudis, pro illorum etiam conversione preces effunde.

---

1 Tit. 1. 9. *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.*

2 Ἀλλ' ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας, διδακτικόν, ἀνεξίκακον. Quidam; Νήπιον, pro ἤπιον. Quod ad διδακτικόν, Vide 1. Timoth. 3. 2. Φιλόξενον, διδακτικόν.

3 Μήποτε, pro εἴποτε. Vide Gror. Lud. de Dieu, Hamm. Scult. Budæ. Glass. Gramm. 3. 7. 5.

4 Est. Grot. Hamm. Camer. Pricæ. Piscat.

CAPUT III.

Falsi Doctores; eorum characteres; Timotheum hortatur, ut depositum Fidei servet, suum exemplum sequatur, patiatur pro JESU CHRISTO. Scripturæ utilitas.

1. HOc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa:
2 Erunt autem seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, 3 Sine affectione, sine pace,
criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, 4 Proditores, protervi,
tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei: 5 Habentes speciem quidem
pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita: 6 Ex his enim sunt,
qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis: 7 Semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis
pervenientes. 8 Quemadmodum autem Jannes, & Mambres restiterunt Moysi:
ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, 9 Sed
ultra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit, 10 Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum,
fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, 11 Persecutiones, passiones:
qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, & Lystris: quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus. 12 Et omnes, qui pie volunt vivere
in Christo Jesu, persecutionem patientur. 13 Mali autem homines, & seductores proficient in pejus; errantes, & in errorem mittentes. 14 Tu vero permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens a quo didiceris. 15 Et quia
ab in-

ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu. 16 Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: 17 Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

℣. 1. IN NOVISSIMIS DIEBUS INSTABUNT TEMPORA PERICULOSA.] Ne te deterreat aspectus tot malorum, quibus affligatur Ecclesia; omni tempore semper fuerunt hæreses, persequutiones, tenebriones, inimici veritatis, neque ea eadem figlina ad Mundi usque finem uspiam deerunt. Joannes, & Mambres in Ægypto nonne Moysi restiterunt? Ego vero te admoneo, futuris temporibus non defuturos corruptos, ac flagitiosissimos homines, qui Ecclesiam quidem vastabunt, fidelibus vero teaceora inferent mala. ℣. 5. ostendit *novissimos dies*, de quibus loquitur, Timothei ævo non abfuisse [1]; quandoquidem eum monet, ut eos devitet: ℣. 6. *Ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis*. Vide etiam ℣℣. 13. 14. quos de Simonis, ac Manes discipulis explicat Theophylactus. Vide etiam quid adnotatum fuerit in prima ad Timotheum 4. 1. *In novissimis temporibus* simpliciter futurum tempus indigitat, quin vel imminens, vel remotum esse commonstret.

℣. 2. ERUNT HOMINES SEIPSOS AMANTES.] Describit hoc in loco S. Paulus Hæreticorum, atque impiorum, qui omnibus sæculis fuere, characterem: nullum enim tempus, vel in veteri, vel in novo Testamento hac labe unquam caruit. Cum Apostoli adhuc inter vivos versarentur, plures in Ecclesia fuerunt hæreses, ac plurima scelera, quibus adhuc plura, & majora post eorum decessum visa fuerunt. Simon Magus humanis plane decesserat, cum S. Paulus hanc scripsit Epistolam, paulo antequam martyrio coronaretur: verum plurimos reliquit discipulos, qui deinde in varias abiere sectas, quæ antiquitus Gnosticorum, Carpocratianorum, Simonianorum, Encratitarum, Menandrianorum, Docetarum, Eutychitarum, Gorthenianorum, Cleobaniurum appellabantur &c.

PARENTIBUS INOBEDIENTES.] Hoc inter gravissima scelera isthic, & in Epistola ad Romanos 1. 30. memoratur. Re quidem vera hoc gravissimum malum est, atque majorem innuit Divinæ Legis contemptum; namque post Deum, parentibus statim nobis est obtemperandum.

INGRATI.] Ingrati animi vitium habetur, ut plurimum, turpissimum, atque hominibus maxime invisum, quod vilem animam, atque hominem excordem indigitat; raro tamen consideratur tamquam peccatum, ira, atque suppliciis Dei dignum. Quemadmodum in urbana vita nihil turpius ingrato, ita in morum disciplina pauca peccata sunt, quæ ordini, charitati, & justitiæ magis adversentur.

℣. 3. SINE AFFECTIONE, SINE PACE [2],] sine amore erga proximos, & sine reconciliatione; genus hominum irreconciliabile sine fide, & exlex [3].

SINE BENIGNITATE.] Qui viros bonos, neque colunt, neque diligunt, sed eos oderunt, evitant, persequuntur. Hic generalis est omnium impiorum, atque hæreticorum character, quod pios, ac religiosos Viros pati minime possint.

℣. 4. VOLUPTATUM AMATORES MAGIS QUAM DEI 4.] Non majoris perfectionis cupiditas, non Dei, ac veri-

A tatis amor, non horror flagitiorum, quæ in Ecclesia Catholica grassari comminiscuntur, non majora lumina, quam quibus alii impulerunt, ut ab Ecclesia secederent. Nemo tam rudis est, qui ignoret fœdissima ea crimina, quæ ab antiquis primorum sæculorum hæreticis committebantur; atque utinam nos fallerent causæ, propter quas novissimorum horum temporum hæretici a fide desciverunt.

℣. 5. HABENTES SPECIEM QUIDEM PIETATIS.] Nequaquam credendum est, Hæreticos se se palam detegere illis, quos in errorem cupiunt impellere; minime ostentant ambitionem, superbiam, rerum novarum, & licentiæ studium, quo ad agendum impelluntur: ita enim paucos discipulos allicerent: sed personam induunt, omnemque pietatis & religionis speciem

B præseferunt, atque promittunt, se ablaturos omnes abusus commentitios Ecclesiæ, a qua discedere cupiunt. Altiorem doctrinam ostentant, exaggerant quidquid infirmum scrutantur in ea communione, quam deserunt; Lupi sunt, ovina pelle contecti. Gnostici præseferebant cognitiones suas veluti petraras, & maxime sublimes; Encratitæ abstinentiæ, & continentiæ laudes aucupabantur; Simon præstigiis suis fallebat simplices; intus vero omnes simul ambitionis, avaritiæ, atque libidinis spiritu agebantur.

ET HOS DEVITA.] Hoc ostendit, S. Paulum loqui de hæresibus ævi sui, & de illis, quæ ad Mundi usque finem debebant existere [5].

℣. 6. PENETRANT DOMOS, ET CAPTIVAS DUCUNT MULIERCULAS.] Simon Magus, postquam a fideli-

C bus Samariæ, ubi baptismate fuerat ablutus, recessit, varias lustravit Provincias, ut populorum animos falleret [6]. Cum Tyri esset in Phœnicia Meretricem emit, cui nomen Helene, eamque secum quocumque adduxit, cum eodem quodvis impuritatis genus secreto admittens [7]. Hanc autem primam esse intelligentiam, atque rerum omnium matrem dicebat; quandoque eidem Spiritus Sancti nomen tribuebat, eamque nonnumquam appellabat Minervam, aut Helenam Menelai Uxorem, Trojani excidii causam, aliasque sexcentas ineptias proferebat. Hæc satis probant, quod hoc in loco dicit Apostolus.

Marcosiani mulieres præstigiis suis fallebant, se divino spiritu repletos esse dicebant, atque permittebant, ut illæ etiam nonnumquam sacris operarentur [8].

D Marcionitæ mulieribus baptizandi auctoritatem [9] deferebant: Montanistæ illas ad Sacerdotium, & Episcopatum evehebant [10]. Quas vero impudicitias cum mulieribus patrarent Nicolaitæ, Gnostici, aliique eorum temporum hæretici, universa testatur antiquitas. Haud operosum esset, ex historiarum fide probare, nullam hæresim fuisse, quę insigni alicui Mulieri tamquam præcipuo fundamento innixa non fuerit. S. Hieronymus [11], ubi ostendit, Simonem Magum, Marcionem, & Nicolaum mulierum ministerio usos fuisse ad hæreses suas constituendas, alias etiam percurrit hæreses, quæ ad ipsius usque tempus extiterant; atque ostendit, omnes a Mulieribus vel institutas, vel adjutas, & confirmatas fuisse.

1 Chrysost. Theophyl. Iru Grot. Est. Men. Vide & Epiphan. hæresi 16.
2 Ἄσπονδοι, ἄστοργοι. Vide Rom. 1. 31. Hæc desunt in Syro. 3 Ἀφιλάγαθοι. Confer Tit. c. 18. Φιλάγαθον. 4 Φιλήδονοι μᾶλλον, ἢ φιλόθεοι. 5 Chrys. Theophyl. Est. Grot. Men.
6 Theodoret. Hist. Eccl. l. 1. c. 2. 7 Justin. Apolog. 2. Iren. l. 1. c. 20. Epiphan. hæres. 21.
8 Iren. l. 1. c. 5. 9. 9 Epiphan. hæres. 42. 10 Epiphan. hæres. 49.
11 Hieronym. Epist. ad Ctesiphont. *Simon Magus hæresim condidit, adjutus auxilio Helenæ meretricis. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum conditor, choros duxit femineos. Marcion quoque Romam præmisit mulierem ad majorem lasciviam. Apelles Philomenen comitem habuit. Montanus Priscam, & Maximillam primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Arius ut orbem deciperet, sororem Principis ante decepit. Donatus Lucillæ opibus adjutus est. Elpidium cæcum Agape cæca duxit. Priscilliano juncta fuit Galla non gente, sed nomine.*

℣. 7. NUMQUAM AD SCIENTIAS PERVENIENTES.] Non quærunt serio adoceri, neque principium aliquod vere, certumque statuere. Semper quę nova sunt consectantur, ut curiositati suę satisfaciant, mentis suę inconstantiam, atque cordis inquietudinem secuti. Græcus [1]: *numquam assequi possunt cognitionis veritatem.*

℣. 8. QUEMADMODUM JANNES, ET MAMBRES.] Cum Veteris Testamenti Scriptura minime loquatur de Magis Pharaonis, qui Moysi restiterunt, creditur S. Paulus eorum nomina didicisse, vel ex peculiari revelatione [2], vel ex Judæorum traditione [3], vel denique ex antiquis quibusdam historiis, quę exciderunt [4]; vel ex Apocrypho libro de *Jamnes*, & *Mambres*, de quo Origenes Tract. 35. in Matth. & Ambrosiaster loquuntur. Certum est, S. Pauli ævo duorum horum Magorum nomina insignia fuisse, ideoque non indiguit Apostolus peculiari inspiratione, ut illa perdisceret. Eorum meminit Numenius Pythagoręus apud Aristobulum Judæum, qui vivebat sub Olympiadem 151. hoc est anno circiter 176. ante JESUM CHRISTUM; ideoque Numenius adhuc erat antiquior: hoc tamen supposito, quod liber Aristobuli æque vetus sit, ac indigitat ejusdem Ptolomęo Philopatori dedicatio: non enim desunt eruditi Viri, qui credunt, Aristobulum hunc, opus esse supposititium, & Numenium secundo tandem Ecclesiæ sæculo vixisse. Quomodocumque sit, apud hunc Auctorem ista legimus de Jannes & Mambres. *Hi erant*, inquit ille, *Sacri Ægyptiorum Scribæ, qui Magiæ arti præstabant eo tempore, quo Judæi ex Ægypto ejecti fuerunt: hos solos invenerunt Ægyptii, quos Moysi opponerent, cujus preces apud Deum erant validissimæ, & quibus ea potestas fuit, ut ierita efficerent mala, quæ hic Judæorum legislator Ægypto inferebat* [5].

Plinius quoque Hist. l. 30. c. 1. verba facit de Magorum secta, quorum Capita fuisse ait *Moysem*, *Jamnem*, & *Jotbabel*, vel Jothaban. Paraphrastes Jonathan [6], atque Talmud Babylonis [7] eorum meminerunt: & Rabbini Abenezra [8], & Hisconi in Num. 22. 5. loquuntur de libro quodam, cui titulus, *Verba dierum Moysis*, qui idem fortasse est, ac liber, qui inscribitur *Jannes*, & *Mambres* apud Origenem tract. 35. in Matth. & Ambrosiastrum hic, a Papa Gelasio dist. 15. inter Apocryphos rejectus. Ambrosiaster ait, eos duos fuisse fratres, & paraphrastes Jonathan addit utrumque fuisse filium Balaam, atque illum concomitatus fuisse, cum ad Balac Regem Moabitarum accessit [9]. Refert Artapanus, a Pharaone ex Ægypto superiori ultra Memphim accersitos fuisse Magos, qui Moysi resisterent, qui procul dubio ii sunt, qui hic memorantur. Palladius in historia Lausiaca [10] narrat, S. Macarium Ægyptium de industria profectum fuisse in desertum dierum aliquot itinere procul positum a sede sua, ut ibi videret sepulchra Jannes, & Mambres, quæ in horto arboribus consito invenit.

Dicunt Orientales, plures Magos Moysi oppositos fuisse, atque inter cæteros memorant *Sabum*, & *Gadum* ex Thebaide profectos, & *Giaath*, & *Mosspha*, qui aliunde accesserunt, ut Mosi adversarentur. Voluerunt, inquiunt illi, imitari immutationem virgæ Moysis in serpentem, in terram projicientes baculos suos, & funes mercurio repletos, qui aliquot motus edere incœperunt se se alii super alios complicantes propter terræ calorem, quam Solis radii calefecerant. Sed Moysis virga eos omnes brevi discerpsit. Quædam occurrit varietas in horum Magorum nomine. Græcus editus legit *Jannes*, & *Iambres*. Veteres quidam [11] *Jannes*, & *Mambres*. Judæi *Iaanes*, vel *Iohanna* vocant illum, qui Jannes a Græcis vocatur; & *Mambres* eum, quem Græci *Iambres* appellant. Tzedek Levi eos vocat *Aver*, & *Saures*. Hebræi putant, hos filios fuisse Arioli Balaam, & Moysis in scientiis Ægyptiis Præceptores.

℣. 9. SED ULTRA NON PROFICIENT.] Hæretici, de quibus sermo fuit, primum quidem non modice profecerunt, sed non diu viguerunt. Simonis Magi secta, quæ primitus ingentem discipulorum numerum jactabat, sub annum 249. quo Origenes librum suum contra Celsum scribebat [12], ad triginta circiter, ut summum, asseclas redacta fuit; & in quinto operis ejusdem libro [13], testatur Auctor, ne unum quidem fuisse, qui eam profiteretur. Attamen hoc non satis dixisse potuit Origenes, quoniam Eusebius l. 2. c. 1. de ea secta adhuc verba facit, & ait, Simonianos quosdam subditos fidelibus se se immiscuisse, atque in Ecclesia baptismum recepisse, ut facilius errores suos serere possent.

Nicolaitæ brevi viguerunt Eusebio teste Hist. Eccles. l. 3. c. 29. quos, Tertullianus de Præscript. c. 33. ait, immutasse nomen, & in Cainistarum sectam transisse; sed hi etiam novissimi hæretici aliquo tempora subsisterunt. Gnosticorum secta reliquis frequentior fuit, atque latius fusa, quorum aliquot, S. S. Hieronymus in Vigilant. & Epiphanius hæres. 26. asserunt fuisse adhuc, sed absconditos, & latentes sub quarti sæculi finem. Corinthii, Nazaræi, Ebionitæ, aliique, quorum præcipuus error fuit, ut legalium cæremoniarum necessitatem probarent, ultra Judæorum excidium, atque dispersionem Adriano imperante minime viguerunt.

INSIPIENTIA ENIM EORUM.] Permisit Deus, ut Hæretici isti in tot, tantaque ruerent flagitia, eorumque mens tot errorum monstra sequeretur, sibi mortalium omnium odium conflarent, & nonnisi brevi subsisterent beneficio tenebrarum, quibus se se tegebant, vel hypocrisi, qua vitia sua dissimulabant. Statim ac cogniti fuerunt, illos quivis perhorruit, atque ut refellerentur, satis fuit velamen illud auferre, quo turpitudinem suam celare adnitebantur.

℣. 10. TU AUTEM ASSECUTUS ES MEAM DOCTRINAM.] Ego vero me tibi non abscondi, & nihil dissimulavi; nosti, quinam sim, quæ mea doctrina, quæ mea vivendi ratio. Tu ipse cognosce discrimen illud, quod inter me, ac eos Doctores interest, de quibus verba feci.

℣. 11. QUALIA MIHI FACTA SUNT ANTIOCHIÆ, ICONII, & LYSTRIS.] Antiochiæ quidem in Pisidia [14], Lystris vero in Lycaonia. Timotheus Lystrius erat, quemadmodum opinamur, & melius quam cæteri noverat, quid in ea Civitate, & Iconii, quæ Urbs illi est proxima [15], & a qua non procul aberat Antiochia Pisidiæ, S. Paulus fuerat perpessus. Apostolus Antiochia Pisidiæ, Iconium venit [16]. Nequaquam sum ex grege eorum doctorum, qui ad persecutiones evitandas Judæos se cum Judæis, & Gentiles cum Gentilibus simulant: Dico ea, quæ vera sunt, licet tranquillitatis, & vitæ meæ detrimento.

℣. 12. OMNES, QUI PIE VOLUNT VIVERE IN CHRISTO &c.] Ne credatis omnibus his pseudo-Apostolis, quorum Deus venter est, & qui ita personam norunt induere, ut nullam persecutionem patiantur. Hæc certissima veritas est, eum, qui in Christiana religione, in pietate, ac virtute vivere voluerit, numquam esse contradictiones evitaturum, atque vel Ethnicis, vel Judæis necessario injucundum futurum. Quicumque non aliud prædicat, quam JESUM CHRISTUM, & hunc Crucifixum, Judæis quidem scandalum est, Gentilibus vero stultitia: & facere non potest, quo minus vel alterutros, vel sæpe etiam utrosque lacessat; ideoque sibi pœnas, dolores, gravesque ab illis conflet

1 Μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν δυνάμενα. 2 Chrysost. Theophyl. Titin.
3 Theodoret. Theophyl. Grot. Est. Erasm. Tir. Men. Camer. 4 Grot. Bez. Jac. Capell. Hamm. Drus.
5 Apud Euseb. præparat. l. 9. p. 241. 6 Jonath. in Exod. 7. 11.
7 Talmud. Babyl. tract. Menachot. c. 7. 8 Abenezra in Exod. 4. 20.
9 Jonathan in Num. 22. 22. 10 Pallad. hist. Lausiac. c. 9.
11 Cyprian. Calaritan. Optat. l. 7. Bornez. G. L. 12 Origen. contra Cels. l. 1. p. 44.
13 Origen. contra Cels. l. 5. p. 272. 14 Chrysost. Grot. Est. 15 Vide Act. 13. 45. 50. 14. 2. 4. 5. 19. 16 Act. 13. 14.

ſtet injurias. Hoc jam diſcipulis ſuis JESUS CHRISTUS A prædixerat [1], quorum vita, inſtituta, doctrina Mundo ita oppoſita eſt, ut obicem non invenire non poſſit. Religionis veræ, atque ipſius veritatis character eſt, quod perſecutionibus pateat.

℣. 13. SEDUCTORES PROFICIENT IN PEJUS.] Hæreſum, errorumque progreſſus, ſpecioſa ſeductorum felicitas, & frequens diſcipulorum ſuorum numerus te non deterreant; quemadmodum nec ex calamitates, & perſecutiones, quas viri boni patiuntur. Virtus, ac pietas ſemper rara eſt, ac Mundo inviſa. Verum memento eorum, quæ dixi ℣. 9. *ultra non proficient*.

℣. 14. PERMANE IN IIS, QUÆ DIDICISTI.] Ne te ſubtrahi tibi ſines novis hæreticorum præceptis, neque ipſa ſpecie ejus ſcientiæ, atque doctrinæ, quam oſtentant. Conſtanter iis inhære præceptis, quæ a me B didiciſti, neque credas iis, quæ abhorrent a fide [2], quam *tanquam depoſitum accepiſti*, & cujus Deo rationem es redditurus. Sciте quidem animadvertunt Theodoretus, atque Theophylactus, hæc omnia dici contra Simonianos, aliosque eorum temporum hæreticos.

℣. 15. AB INFANTIA SACRAS LITTERAS NOSTI.] Timotheus Matrem, aviamque habuerat Mulieres religioſiſſimas, quæ ab infantia Sacras Scripturas eidem legendas tradiderant, eique juxta captum ſuum explicuerant. Loquitur ſolum de Sacris Veteris Teſtamenti Libris; nulli enim adhuc erant novi, neque in unum corpus collecti. Numquam ſatis maturato filii Sacras Scripturas docentur, quæ pueorum quidem lac ſunt, ſenum vero ſolidus cibus, & quæ inſipientibus æque ac provectioribus in perfectione conveniunt [3]. C

℣. 16. OMNIS SCRIPTURA DIVINITUS INSPIRATA, UTILIS EST [4] AD DOCENDUM.] Omnia Veteris Teſtamenti Biblia; nam tunc temporis, quemadmodum adnotavimus, licet plurimæ partes Novi jam eſſent conſcriptæ, nondum tamen in unum corpus erant collectæ, neque eum componebant, qui Novi Teſtamenti Canon vocatur. Ait igitur *omnem Scripturam divinitus inſpiratam*, ut illas diſtinguat a Libris Apocryphis, atque Prophanis Auctoribus, immo etiam ab Ethnicis Philoſophis, qui quantumvis eruditi ſint, ſemper tamen ſunt hominum opus, humano ſpiritu, atque induſtria compoſiti; & Sacri, & Canonici Libri a JESU CHRISTI Eccleſia recepti, divinitus inſpirati ſint, non modo quoad ſenſum, verum etiam quoad verba, atque ſententias, quemadmodum unanimi conſenſu Patres docuere [5]. Scio quidem, non deeſſe apud Theologos quamdem ſententiarum varietatem, ubi quærunt, quomodo Scriptores Sacri inſpirati ſint: ſed omnes conſentiunt, Spiritum Sanctum illis præfuiſſe, ita ut non error, non mendacium, non aliquid ſimile in Canonicas Scripturas obrepſerit; & ut hoc in loco inquit Apoſtolus; *Omnis Scriptura Divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia*. Ut autem Epiſcopus digne omnibus his muneribus perfungatur, potens ſit, oportet, in Scripturis, atque iiſdem utatur ad improbos redarguendos, bonos conſolandos, erudiendus inſcios, & veritatis inimicos ſuperandos. Vaca igitur huic lectioni, & hæc tibi ſufficiat. Ne quæras aliunde, quomodo erudieris; fuge omnes prophanas hæreticorum vanitates. Deus tibi ſatis multa docuit Scripturis: hæc tene.

℣. 17. UT PERFECTUS SIT HOMO DEI [6].] Ne putes, tibi aliquid deeſſe, ſi in humanis ſcientiis, & Philoſophiæ ſtudio verſatus non es. Si Sanctas Scripturas poſſides, reliqua potes contemnere. Homo Dei ac Miniſter Domini perfectus erit, & perfecte præparatus ad omne bonum, atque omne officium ſuum rite C adimplendum, ſi Sacra Biblia poſſederit. Gnoſticis, aliiſque eorum temporum hæreticis Scripturarum ſimplicitas humilis videbatur, & alia ſe myſteria didiciſſe ferebant. S. Paulus hoc in loco oſtendit, quomodo inanis hæc ſcientia ſit contemnenda. Tene Scripturas, & nihil tibi deerit ad muneris tui perfectionem.

---

1 Matt. 10. 17. 18. 23. 34. Joan. 16. 33. 17. 14.

2 Ἐν οἷς ἔμαθες, καὶ ἐπιστώθης. Alii quidam : καὶ ἐν οἷς ἐπιστώθης.

3 Auguſtin. t. 3. de Geneſi ad litt. lib. 5. cap. 3. num. 6. *Scriptura ſacra ſic loquitur, ut altitudine ſuperbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos paſcat, affabilitate parvulos nutriat.*

4 Græc. impreſſ. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν : *Omnis Scriptura divinitus inſpirata, & utilis ad docendum, &c.* Sed plures omittunt, & Barb. 1. Clam. Alexandr. Syr. Areb. Ambroſiaſt. Hieronymiaſtes, Theodorus Mopſueſt. teſte Facundo lib. 3. cap. 6. Pelag. Vulg.

5 Vide Iren. lib. 2. cap. 47. Tertull. contra Hermogen. cap. 22. Origen. Philocal. cap. 10. & lib. contra 5. Celſ. Cyprian. ſerm. de opere, & eleemoſyn. Clem. Alexandr. lib. 2. Stromat. Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. ult. Epiphan. contra hæreſ. hæreſi 76. Greg. Nyſſ. Orat. 7. contra Eunom. Macar. homil. 39. Chryſoſt. homil. 26. in Geneſ. Item Orat. Quod Scripturæ lectio utilis ſit in cap. 1. Epiſt. ad Galat. & alios paſſim.

6 Γενητικοὶ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, Clerom. Γνα τέλειος ᾖ, S. Germ. Γνα τέλειος, ὁ ἀρτιος ᾖ &c. Et pro Ἐξηρτισμένος, quidam legunt : Ἐξηρτισμένοι. Barb. 5. Ἐξηρτισμένοι. Complutenſ. Καὶ ἐξηρτισμένος. Syr. ubi refertur ad ἔργον.

CAPUT IV.

Epiſcopi munera. Erudire, caſtigare, corripere, coercere impios. Hæreticorum deſcriptio. S. Paulus mortem ſuam prædicit, ac Timotheum rogat, ut ſe conveniat. Alexander illi adverſatus eſt, ipſe vero in prima defenſione ab omnibus deſertus; Dominus illum de ore Leonis liberavit. Salutationibus concludit Epiſtolam.

1. TEſtificor coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos, &
mortuos, per adventum ipſius, & regnum ejus: 2 Prædica verbum,
inſta opportune, importune; argue, obſecra, increpa in omni patien-
tia, & doctrina. 3 Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt,
ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, 4 Et a ve-
ritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. 5 Tu vero vi-
gila,

gila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto. 6 Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. 7 Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. 8 In reliquo reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus. Festina ad me venire cito. 9 Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, & abiit Thessalonicam. 10 Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. 11 Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium. 12 Tychicum autem misi Ephesum. 13 Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas. 14 Alexander ærarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundum opera ejus: 15 Quem & tu devita: valde enim restitit verbis nostris. 16 In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. 17 Dominus autem mihi astitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: & liberatus sum de ore Leonis. 18 Liberavit me Dominus ab omni opere malo: & salvum faciet in regnum suum cœleste, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. 19 Saluta Priscam, & Aquilam, & Onesiphori domum. 20 Erastus remansit Corinthi, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. 21 Festina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. 22 Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

℣. 1. TESTIFICOR CORAM DEO.] Adjuro te A coram Deo, & JESU CHRISTO, qui victuros, & mortuos est judicaturus; adjuro te, inquam *per adventum ejus, atque Regnum ipsius* [1]; vel juxta Græca quædam exemplaria, & S. Jo. Chrysostomum: *adjuro te per JESUM CHRISTUM, qui viventes, ac mortuos judicaturus est die gloriosi adventus sui, & quo suum Regnum instituet*. Præcipue enim novissimo Judicii die, JESUS CHRISTUS suum Regnum instituet, & Deus omnes inimicos pedibus ejus subjiciet [2]. Utraq; lectio optimum sensum admittit. Apostolus Timotheum precatur per ea omnia, quæ magis terribilia sunt, ut rite omnibus ministerii sui muneribus perfungatur, per judicium JESU CHRISTI, *qui judicaturus est vivos, & mortuos*, justos, & peccatores [3], bonos, & malos; vel potius: eos qui B jampridem mortui erunt, & qui adhuc vivent Dominici adventus die [4]. Vide supra 1. Thessal. 4 ℣℣. 14. 15. 16. & 1. Cor. 15. ℣℣. 53. 52.

℣. 2. PRÆDICA VERBUM; INSTA OPPORTUNE, IMPORTUNE.] Evangelii verbum annuncia, urge opportune, importune, in pace, in persecutione, in Ecclesia, extra Ecclesiam [5], cum species adest, futurum ut e voto cedat, & cum eadem species non adest. Ubi enixius elaboraveris, prædicaveris, adhortatus fueris, permittet Deus, ut facilis tibi pateat aditus, & via, ut minimum videbatur. Quod tibi hodie e voto non cedit, cedet alias ex sententia. *Argue, obsecra, increpa*. Græcus [6]: *corripe, minas interrta, consolare*, vel *adhortare*. Verum sine acrimonia, sine furore, sine perturbatione *in omni patientia, & doctrina*. Pri- C mum persuadendum est, antequam correctiones adhibeantur [7]; Medici sapientiam imitare, qui mulcet vulnera, quibus ignem, ferrumque admovere tenetur.

℣. 3. ERIT ENIM TEMPUS, CUM SANAM DOCTRINAM NON SUSTINEBUNT.] Ne cesses docere, ubi etiam aures tibi minime adhiberi cognoveris. Agricola æque serit in malum, ac in serenum tempus; Semen, quod fructum afferre debet, humi computrescit, antequam germinet. Quod in animo distracto, & nonnumquam etiam illusore, vel contemptore decidit, exeratur sæpe, & fructum suum parit, ubi minus cogitat. Tempus erit, cum in Ecclesia falsi erunt Doctores, qui dogmatum suorum novitate inconstantium, leviumque auditorum catervam attrahent, mirum in modum cupientium aliquid audire, quod sibi blandiatur, & placeat [8]. Tempus hoc venit. Venerat jam ipsius Timothei ævo, atque omnibus seculis fuit. Rebus novis, atque curiosis heretici sectatores sibi conflarunt homines, qui sibi assentari gaudent, auresque sibi mulceri, sermonibus quolibet artis lepore, ac Venere conditis, eloquentibus, elaboratis, doctrinis recentibus, fallacibus, & curiosis. Hujusmodi fuere Gnostici, atque discipuli Simonis, Menandri, primorumque hæreticorum. Doctrina Evangelii, atque Apostolorum e trivio illis desumpta videbatur, insulsa, humilis, communis; ideoque eam condire ausi sunt Philosophicis adinventis, chimericis circulorum, generationum, Intelligentiarum, revelationum, atque recentium propheticarum ideis.

℣. 4. AD FABULAS AUTEM CONVERTENTUR.] Hoc mirum in modum convenit Simonianis, Gnosticis, Carpocratianis, Marcionitis, Manichæis, Encratitis, omnibusque ferme primorum seculorum hæreticis. Judæi Doctores, & complures etiam Judaizantes eorum temporum Christiani fabulas, atque inanes traditiones summo studio consectabantur.

℣. 5. TU VERO VIGILA IN OMNIBUS.] Constanter patere [9]; *sobrius esto*, quæ novissima verba non adsunt in Græco recentiori, neque in pluribus antiquis Latinis exemplaribus [10]. *Opus fac Evangelistæ*. Evangelistæ primis illis temporibus vocabantur, qui socii erant prædicationis, atque laborum Apostolorum, & qui jussu, & ex missione Apostolorum ubiit in Eccle-

fiis

1 Græc. Κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ, καὶ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ. Plures omittunt Κατὰ. Ita Cod. Alex. Clarom. G. L. Germ. L. Colb. 7. Ambrosiast. Fulgent. ad Ferr. Diac. c. 3. Cæsar. Arelat. Bonnet. G.
2 Vide 1. Cor. 15 21. 24. &c. 3 Quidam apud Theophyl. Erasm.
4 Chrys. Theophyl. Grot. Erasm. Est. Zeger. Drus. Men. alii. 5 Vide Theophyl. Est. alios.
6 Ἔλεγξον, ἐπιτίμησον, παρακάλεσον. Plures legunt ut Vulgata: Ἔλεγξον, παρακάλεσον, ἐπιτίμησον. Clarom. & S. Germ. Lat. Ambrosiast. Hieronymiast. 7 Est. Men. &c. Vide & Theodoret.
8 Κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν. Julian. Apostat. Ep. 51. Alexandrinis αὐτοὺς κνηθομένους ascribit.
9 Σὺ δὲ νῆφε ἐν πᾶσι, κακοπάθησον. 10 Clarom. & S. Germ. Latina, Ambrosiast. Hieronymiast. alia Exemplaria Latina. Vide Erasm. & Mill.

stiis prædicabant. Hujusmodi fuerunt S. Philippus in Actis 21. 8. & Silvanus, vel Silas, de quo in S. Pauli Epistolis frequens est sermo. Apostolus Evangelistas statim post Apostolos memorat [1]. Eusebius hist. Ecclesiast. l. 3. c. 37. ait, non defuisse plures, qui omnibus relictis, ut JESUM CHRISTUM sequerentur, se se in varias Provincias effuderunt; alii quidem illuc, ubi Apostoli prædicaverant, alii, ubi vitæ verbum nondum auditum fuerat, ibique Evangelium annunciare maturarunt. Quorumdam ex illis nomina profert, & ait, alios plures fuisse. Hujusmodi erant primorum sæculorum Evangelistæ. Hoc profitebatur S. Timotheus, quem Apostolus hortatur, ut ubicumque fuerit, in incœpto persistat. Addit etiam: *ministerium tuum imple*, hoc est Episcopatus munera adimple, uti enim credimus, Ephesi erat Episcopus [2]: *præbe specimen ministerii tui*; facta ostende, te verum esse JESU CHRISTI Ministrum.

℣. 6. EGO ENIM JAM DELIBOR.] Prope est, ut immoler. Græcus ad litteram [3]: sum tamquam victima, super quam facta est liquorum libatio, & effusio frugum, & salis, vel farinæ, quæ immediate super victimam effundebantur, antequam immolaretur [4]. Ita Grotius hoc explicat; usus vero frugum effundendarum, atque libationum super victimæ caput efficiendarum ante immolationem, ex universa patet antiquitate. Statius, Thebaid. lib. 4.

> . . . . . *Jamque ardea ferro*
> *Signanti capita, & frugum libamine puro,*
> *In vulnus cecidere greges.*

Apud Hebræos super victimam jam immolatam libationes peragebantur, ideoque Græci Patres [5], atque Interpretes vulgo in hoc explicant sensu: sum tamquam victima quodammodo jugulata, cujus sanguis effusus est super aram, vel ad aræ pedes, vel sum tamquam hostia, super quam factæ sunt aspersiones, & consueta libamina, & cui nihil reliquum est, nisi ut igne absumatur. Vide, quæ adnotata fuerunt in cap. 2. ℣. 17. Epistolæ ad Philippenses.

℣. 7. BONUM CERTAMEN CERTAVI.] S. Paulus nuspiam, quam in hac Epistola, fidentius loquitur, eaque haberi potest, tamquam Testamentum Patris ad filium, & novissima Sancti hujus Apostoli verba. Patres [6] credunt, Deum illi revelasse, futurum ut Romæ moreretur, vitamque suam martyrio concluderet, quæ spei in eodem gaudium, & confidentiam, quam isthic deprehendimus, gignebat. Ait, *bonum certamen certavi*. Hic Athleta est, qui ante pedes jacentes videt adversarios, miles est jam certus victoriæ. S. Paulus in deliciis habuit similitudines a re militari desumptas. *Cursum consummavi*, sæpe etiam utitur similitudinibus ex arena, atque Theatro depromptis; jam stadium absolvi, jam metam assequutus sum: denique *servavi fidem*, depositum, quod mihi tradidit Deus; jam lubens morior; quandoquidem proditurus sum coram Deo, quin labem offuderim ejus Evangelio. Sacrum hoc depositum fidelibus Viris credidi, qui sedulam illius rationem reddere poterunt. Hoc adspergit contra hæreticos, improbosque Christianos, qui fidei suæ integritatem polluebant ineptis fabulis, erroribus gravissimis, atque aliis, quæ Christianum virum minime decebat; & contra illos, qui turpiter a fide deficiebant, atque inimicis JESU CHRISTI sequebantur. Ego vero ad fidem usque eam servavi fidem, quam Deo juravi, vel quam per Spiritus Sancti infusionem mihi tradidit.

℣. 8. REPOSITA EST MIHI CORONA JUSTITIÆ.] Certus sum, justissimum præmiorum distributorem mihi non denegaturum eam coronam, quæ laboribus meis debetur. Persequitur publici certaminis allegoriam, ubi *Agonotheta*, vel præmiorum dispensator de palæstritarum merito judicabat, & victori debitum præmium persolvebat. *Corona justitiæ* ea est, quæ in justitiæ, aliarumque virtutum mercedem tribuitur, quæ omnes sub generali justitiæ nomine continentur [7].

FESTINA AD ME VENIRE.] Credunt nonnulli [8] S. Paulum eidem viva voce plurima tribuere voluisse præcepta, antequam ultima pateretur. Alii [9] credunt, Paulum illius præsentiam desiderasse, ut aliquem haberet, qui sibi opitularetur iis in malis, quibus opprimebatur in carceris squalore, senio, & laboribus confectus; cæterum [10] fortasse apud se ille habebat plurimos e discipulis suis, qui eidem opem ferrent in ministerio Evangelico, quod per se exercere eidem integrum non erat, quemadmodum concupivisset propter vincula sua, & qui confirmarent, atque consolarentur fideles, & evitarent turbas, quæ post mortem ipsius poterant oboriri. Non liquet, utrum S. Timotheus tunc Romam concesserit. S. Paulus obiit anno insequenti tertio Kalendas Julii anno 66. JESU CHRISTI, & hæc Epistola data fuit mense Julio anni 65. & ante ejusdem anni hyemem cupiebat Apostolus, ut se Timotheus conveniret. Aliæ Epistolæ, quas S. Paulus Romæ scripsit, & ubi Timothei nomen legitur [11], spectant ad primum iter S. Pauli, quæ in Urbem concessit anno 62.

℣. 9. DEMAS ME RELIQUIT.] Hic idem est Demas, qui Romæ erat cum S. Paulo post primum ejus iter susceptum anno 61. vel 62. & cujus meminit in Epistolis ad Colossenses 4. 14. & Philemonem ℣. 24. Ille in postremo hoc itinere se se percerrit, atque Magistrum in periculo positum reliquit: utrum vero reliquerit fidem, an Deus illi gratiam concesserit, ut resipisceret, & e lapsu resurgeret; an amor sæculi, quem illi exprobrat Apostolus, leve sit erratum, & ex mera infirmitate profectum, non satis innotescit. Credit S. Epiphanius hæres. 51. illum descivisse a fide, atque transiisse in hæresim Cerinthi, Ebionis, atque aliorum, qui JESUM CHRISTUM simplicem hominem esse arbitrabantur. Dorotheus in Synopsi refert, illum Thessalonicam secessum idolorum Sacerdotem factum fuisse. Recentiores vero nonnulli [12] e contra putant, illum cum S. Paulo rediisse; & Estius etiam arbitratur, hunc eumdem esse Demam, de quo verba facit S. Ignatius ad Magnesios, & quem *Episcopum Deo dignum* appellat. Verum hæc omnia innituntur fallaci supposito, quod hæc Epistola scripta fuerit, cum primum S. Paulus Romæ in vinculis esset, vel saltem ante Epistolas ad Colossenses, & Philemonem.

℣. 10. CRESCENS [13] IN GALATIAM, TITUS IN DALMATIAM.] Duo isti a S. Paulo recesserent nulla inimicitia, nullo odio, sed fortasse jussu ejusdem [14]: *Crescens* Roma in *Galatiam*, vel in *Galliam* profectus erat; Græca enim exemplaria hoc in loco non sibi constat, *Galatiam* aliis [15], aliis *Galliam* [16] legentibus. Idem etiam Græcum Galatiæ nomen apud prophanos Auctores ex Theodoreti animadversione pro Gallia sæpe usurpatur. Eusebius l. 3.

cap.

---

1 Ephes. 4. 11. 2 Τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον: *Ministerii tui plenam fidem facito.*

3 Ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι. 4 Virgil. Æneid. 2. de Sinone:

> *Jamque dies infanda aderat, mihi sacra parari,*
> *Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ.*

Vetus Epigramm. apud Grot. Κἄν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί, τράγε, θυομένῳ. Vide Homer. Iliad. A. 2. 449. & seq.

5 Chrysostom. Theodoret. 6 August. de peccator. merit. lib. 2. cap. 16. & serm. 299. nov. Edit. & Athanas. de fuga sua. 7 Est. Menoch. Grot. Sculr. Pisc. &c.

8 Chrysostom. Theophylact. 9 Est. alii.

10 Vide Chrysostom. hic homil. 10. p. 610. 11 Philipp. 2. 19. Coloss. 1. 1. Philem. 1. Heb. 13. 23.

12 Vide Grot. Est. Menoch. Cosuel. 13 Κρήσκης. Alii Κρίσκης. Ita plures Mss. Syr. *Crispus*. Arab. *Prisons*. 14 Chrysostom. Theod. Theophylact. Est. Grot. Menoch. &c.

15 Εἰς Γαλατίαν, sic impressi passim, & Mss. plerique. Iren. Chrysostom. Theodoret. &c.

16 Εἰς Γαλλίαν. Ita Lin. Cov. 2. Æth.

cap. 4. hist. Eccles. S. Epiphanius hæres. 51. Theodoretus, S. Hieronymus in Catal. Script. Eccles. & Sophronius ejus Interpres in hoc sensu intellexerunt. Chronica Alexandrina, Anonymus quidam apud Oecumenium, Nicephorus, Dorotheus, Usuardus de Gallia explicant, & credunt, ibi S. Crescentem prædicasse; hæc igitur erat Orientis traditio, quemadmodum ex his auctoritatibus infertur. Ado illum scribit fuisse Viennensis Ecclesiæ Conditorem; quæ sententia hodierna die ibi locorum mordicus tenetur.

Serrarius in historia sua Moguntina ait, S. Crescentem Moguntiæ Ecclesiam condidisse, ad quam sententiam probandam adfert Auctores quosdam nuperos, veluti Abbatem Rupertum, & quosdam Episcoporum Ecclesiæ hujus nomenclaturas. At bona fide fatetur, de S. Crescente ne verbum quidem fieri, vel in Missali, vel in Breviario, vel in alio simili Ecclesiæ hujus monumento, quod maxime cætera, quæ ab ipso afferuntur, argumenta debilitat.

Launojus [1], ac Tillemontius [2], qui ad examen vocarunt rationes, quæ pro Viennensi, & Moguntino S. Crescentis Episcopatu afferuntur, earum infirmitatem satis ostendunt. Brevissimum temporis est spatium, ex quo Viennensis Ecclesia S. Crescentem Conditorem suum jactat, neque ducenti abierunt anni, ex quo Sancti hujus nomen Litaniis suis inserere cœperunt. In antiquis contentionibus, quæ inter hanc & Arelatensem Ecclesiam obortæ sunt de jure Metropolitano, nemo hanc S. Crescentis missionem celebravit. Adfertur tamen Pauli Papæ I. ad Carolum Magnum Epistola, ubi dicitur Viennæ S. Crescens Apostolorum collega docuisse: sed hæc Epistola suspicione non vacat, atque novissimis tantum hisce temporibus producta fuit. Latini S. Crescentis diem festum celebrant quinto Kalendas Julii: at illum sub Nerone alii, alii sub Trajano: hi in Galatia, illi in Gallia diem obiisse testantur. Videri possunt Auctores, qui hac de re signanter tractarunt.

Titus in Dalmatiam. Non ambigimus [3], quin illuc ad Evangelium prædicandum, & S. Pauli jussu fuerit profectus: at nihil ultra liquet; & latet, quid ibi fecerit, ubi prædicaverit, & quamdiu ibi permanserit. Inde fortasse in Cretam Insulam migravit, quam Episcopus rexit, & ubi humanis decessit.

℣. 11. LUCAS EST MECUM SOLUS.] S. Lucas præ cæteris semper S. Paulo adhæsit, & censetur etiam ad Martyrium usque illum comitatus fuisse. Latius de Sancto hoc Viro verba fecimus in Præfatione Evangelii ejusdem. Cum tamen ait Apostolus, Lucam secum esse solum, intelligit solum ex Discipulis: non enim fidei consonum videtur, fideles Romæ, quorum ardens erat fides, & charitas, ab eo illa in occasione discessisse [4].

MARCUM ASSUME.] Hic est Joannes-Marcus Barnabæ Consobrinus, de quo sæpe sermo fuit [5], qui cum primum infirmitatem aliquam præsetulisset, deinde constantius Apostolo adhæsit.

℣. 12. TYCHICUM MISI EPHESUM.] Theodoretus, aliique nonnulli ex hoc loco arguerunt, Timotheum tunc temporis Ephesi non fuisse; alioquin dixisset: misi Tychicum ad te. S. Timotheus, quatenus Ephesi Episcopus, universæ Provinciæ Asiæ Præpositus erat, & arbitrari poterat S. Paulus, a Tychico Ephesi fortasse inventum non iri. Sed hujusmodi rationes non satis probant. Poterat Tychicus hoc litteratum deferre, & poterat S. Paulus dicere, hunc a se mitti ad illud deferendum. Poterat etiam, illum misisse prius, atque nunc Timotheum certiorem facere, quoniam propter locorum longinquitatem eidem Tychici adventus nondum fuerat nuntiatus. Verum cum de Tychico aliis in

A locis mentio fuerit [6], de eodem isthic verbum non addam.

℣. 13. PENULAM, QUAM RELIQUI TROADE APUD CARPUM.] Carpus ex antiquitatis monumentis non satis cognoscitur; semel hic tantum de eodem verba facit S. Paulus. Creditur, alius fuisse a S. Polycarpo Smyrnensi Episcopo, & ab altero Carpo, cujus meminit pseudo-Dionysius Areopagita in Epistola ad Demophilum. Dicunt Græci, hunc fuisse ex numero discipulorum septuaginta, Ministrum S. Pauli in Evangelii prædicatione, & quo utebatur etiam, ut suas mitteret Epistolas. Putant etiam, Episcopum fuisse Berœ, quin addant, cujus Urbis Berææ, cum plures hoc nomine vocarentur. Huic vero plurima cum in vita, tum in morte miracula attribuunt, ejusque officium 7. Kal.
B Junii concelebrant; Latini etiam in Martyrologiis suis die Octobris 13. meminerunt.

Apud hunc diversatus fuerat S. Paulus, de Macedonia Romam ad martyrium subeundum proficiscens, atque apud illum reliquerat vestem, vel pallium agreste, quo Veteres adversus pluviam, & nivem utebantur; hoc enim proprie significat latina vox *Penula* [7], ex qua facta est Græca *Phenole* [8]. At quorsum petit Apostolus pallium ex regione adeo longinqua? quia nemini gravis esse cupiebat, inquiunt S. Chrysostomus, atque Theophylactus, qui docent alios, nomen *Phenole* intellexisse de scrinio quodam, ubi Apostolus libros reliquerat. Verum cur libros sibi jubet afferri, quandoquidem vitam suam martyrio est consummaturus? ut illos videlicet commendet fidelibus, a quibus summa
C cum reverentia servarentur [9], & quibus post mortem suam Magistri loco essent. Hanc sententiam, quæ de scrinio putat intelligendum, sequuntur Syrus [10], magnus Ethymologista, Suidas, Hesychius, & complures notæ melioris Interpretes, eamque [11] Braemas in peculiari Dissertatione probavit, quam edidit Masius ad calcem libri sui, quem de Principum negotiis iis, quæ ad Religionem pertinent, scripsit.

S. Hieronymus credere videtur, hoc fuisse volumen papyraceum; tunc enim in voluminibus hujusmodi vulgo scribere consueverant. *Volumen Hebræum replico, quod Paulus Phelonem juxta quosdam vocat*; quod autem additur: *affer secum, & libros, maxime autem membranas*, innuit, ipsum tunc loquutum esse de scriptis, quæ in aliquibus voluminibus continebantur.
D Hammondius Phavorinum citat, qui Phelonem explicat de exiguo volumine ex membranis composito. Hoc ipsum legitur apud magnum Ethymologistam. Græca vox *Phelos*, ex qua derivari potest *Phelone*, significat arborum cortices, ex quibus olim libri fiebant. Sententia hæc non multos habet asseclas, in ea quippe illud incommodum occurrit, quod putatur a S. Paulo id ipsum iterari. *Affer volumen* Scriptorum, *quæ reliqui Troade, & libros, maxime vero membranas*. Sed idem S. Hieronymus satis ostendit veram sententiam suam in dialogo tertio contra Pelagianos, ubi *Lacernam, sive Penulam* vocat; liquet autem, Lacernam pallii genus fuisse.

Abbas Boileau S. Capellæ Parisiensis Canonicus in Dissertatione sua, cui titulus *de re vestiaria hominis sa-*
E *cri* [12], adfert plurimas auctoritates, ut probet, *Penulam* Romanum esse indumentum. Ostendit primum Ambrosiastrum, Auctorem Commentarii, quod Sancto Anselmo tribuitur, Haymonium in S. Paulum, atque S. Isidorum Hispalensem hoc intellexisse de veste longa, & caudata: penula cum fimbriis longis. Tres illi Interpretes, quos attulimus, asseruerunt etiam, hanc Senatoriam vestem fuisse parenti S. Pauli donatam, & qua ille utebatur, quatenus Romanus

Civis

1 Launoy Sulpit. Severi Sententia vindicata, &c.
7 Tillemontius not. 81. in S. Paul.
3 Theodoret. Chrys. Theoph. Est. alii.
4 Vide Chrys. hom. 10. p. 610.
5 Vide Act. 12. 25. & sequ. 13. 5. & sequ. 15. 39. Colossens. 4. 10.
6 Vide Act. 20. 4. Ephes. 6. 21. Coloss. 4. 7.
7 Chrysost. Theophyl. Ita Erasm. Menoch. Est. Varabl. Grot. Price. Le Clerc. From. Cornel. a Lap.
8 Φαιλόνην: alias, φελόνην, vel φαιλώνην. Chrysostom.
9 Chrysostom.
10 Syr. בית כתבא *Domus librorum*.
11 Vide Estr. Hamm. & Baron. Cene Projet. de traduc. c. 9.
12 Boileau de re vestiaria hominis sacri, c. 4. p. 30. & seq.

Civis ex genere patritio, cum Romam veniret: Hanc ille, inquiunt, dono dederat S. Paulo filio suo, fortasse hanc modo secum habere cupienti. At nihil omnibus his rebus ineptius. Hoc autem inane commentum est, quod non mereretur quidem, ut eidem refellendo immoraremur. Juvenalis Sat. 5. ℣. 75. usum *Penulæ* perspicue tradit, qua cum imbres, atque nives ingruerent, utebantur.

> . . . . *fremeret sævus cum grandine vernus*
> *Jupiter, & multo stillaret penula nimbo.*

Lampridius ait, Severum Imperatorem permisisse, ut in urbe senes propter frigus penula uterentur, qua in itinere, atque pluvio tempore antea utebantur. *Penulis intra Urbem frigoris causa, ut senes uterentur, permisit, cum id vestimenti genus semper itinerarium, aut pluviæ fuisset.* Spartianus in Adriani vita ait, plebis tribunos, non autem Imperatores *penula* usos fuisse. S. Augustinus l. 1. Confess. grammaticos, *penulatos magistros* appellat. Quintilianus in libro suo de causis corruptæ eloquentiæ ait, penulas, quibus Oratores, veluti adstricti, causas agebant, majestatis plurimum illis ademisse: *quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse penulas istas, quibus adstricti, & inclusi cum Judicibus fabulamur.* Tertullianus l. de Orat. c. 12. in quosdam Christianos invehitur, qui Ethnicorum more penulas abjiciebant oraturi. *Est quorumdam expositis penulis orationem facere.*

Quod hujus vestimenti formam credit Boileau post Joannem Donium, & Octavium Ferrarium, eam similem ferme fuisse vetustis casulis, quæ in quibusdam Ecclesiis asservantur ex omni parte conclusis, totumque corpus involventibus præter caput, atque extremia crura sine hiatu ullo, vel sine manicis, per quæ brachia exeri possint. Verum post omnia hæc argumenta noster Auctor ad eam redit sententiam, quæ tenet *Phelonem* significare Capsulam, vel scrinium, ubi libri asservantur. Sed cum hic sit quæstio de latino nomine in Græcam linguam traducto, apud Latinos illius explicatio quærenda est: cum totem Latini Auctores una voce, & conflato, ut ita dicam, consensu penulam explicent de vestimenti genere, quod pallium imitatur, hæc sententia magis probabilis, & magis certa videtur.

℣. 14. ALEXANDER ÆRARIUS.] Hic fortasse idem est, de quo sermo fuit in Act. 19. 33. & in 1. ad Tim. Ep. 1. 20. *Reddet illi Dominus secundum opera ejus;* ita legit etiam Græcus in plurimis MSS.[1]; sed in editis, atque multis Latinis MSS. legimus[2]: *reddat illi Dominus secundum opera ejus*: quam lectionem, qui sequuntur, animadvertunt, hanc S. Pauli prædictionem esse, non imprecationem.

℣. 16. IN PRIMA MEA DEFENSIONE NEMO MIHI ADFUIT.] S. Paulus Neronis jussu in carcerem conjectus, primum quidem coram illo productus fuit; sed cum omnes tyranni illius iram metuerent, nemo vel S. Paulum tueri, vel cum illo prodire ausus est: ideoque penitus ab omnibus fuit derelictus. Quidam[3] hoc intelligunt de primo itinere, quo S. Paulus Romam venit, cum Cæsarem appellasset, sed hic non habetur quæstio de priori itinere; & Apostolus loquitur de iis, quæ sibi nuper acciderant. Videri potest quarta S. Joannis Chrysostomi in hanc Epistolam homilia, ubi mirum in modum S. Paulum describit coram Nerone catenis onustum. Cum tamen ait, sibi neminem adfuisse, hoc intelligendum non est ad litteræ apicem, quasi fideles discipuli eum omnino deseruerint: de iis solum conqueritur, qui & commendatione, & gratia sibi opem ferre potuissent, sed fideles ejus, qualis fuit S. Lucas, aliique discipuli, quid ipsi prodesse potuissent, quid efficere, nisi magis, magisque in illum Judicis iram accendere[4]? *Quia a pluribus fit desertus, ab omnibus, id est, a maxima parte se desertum esse conqueritur.*

℣. 17. DOMINUS AUTEM MIHI ASTITIT . . . . . . ET LIBERATUS SUM DE ORE LEONIS.] Omnes consentiunt, de Nerone hoc dici[5]. Violenti, & crudeles Principes in Scriptura sæpe Leones vocantur[6]. Estius, & Hammondius credebant, S. Paulum priori hac vice non ad Imperatorem, sed ad aliquem inferiorem Judicem fuisse productum; at opposita sententia probatior est. Credit D. Chrysostomus, post primam hanc causam S. Paulum in libertatem dimissum fuisse[7], sed mox Neronis jussu caput illi ablatum, quod Cæsaris Pincernam converterat. Credit etiam Estius, JESUM CHRISTUM eidem apparuisse, eumque fuisse consolatum: *Dominus mihi astitit.*

℣. 18. LIBERAVIT ME DOMINUS AB OMNI OPERE MALO.] Græcus hunc versiculum cum superiori ita connectit: *Dominus liberavit me de ore leonis ℣. 18. & liberabit me de omni opere malo.* Sed plurimi Veteres MSS. tum Latini, tum etiam Græci Vulgatæ similes sunt. Parum fuisset, si illum de ore Leonis, atque ex mortis periculo eripuisset; nisi ea peccato etiam, atque omni malo opere liberasset: factus enim esset Dæmonis præda, postquam hominis iram superasset. Deus illum in confessione sua communivit, & inconcussam ejus fidem confirmavit.

℣. 19. PRISCAM[8], ET AQUILAM.] Prisca Uxor Aquilæ fere prior nominatur propter virtutem ipsius, atque fidei magnitudinem, inquit Theodoretus.

ET ONESIPHORI DOMUM.] Onesiphorus enim fortasse diem suum obierat, quemadmodum diximus supra c. 1. 16. Alii vero, ejus quidem familiam Ephesi, ipsum vero adhuc Romæ cum S. Paulo fuisse arbitrantur[9].

℣. 20. ERASTUS REMANSIT CORINTHI.] Erastus ante conversionem suam creditur fuisse quæstor Corinthius[10], qui mox ab illo honore recessit, & S. Paulum subsequutus est. Hic cum S. Paulo Ephesi erat anno JESU CHRISTI 56. unde illum in Macedoniam misit Apostolus: qui deinde Corintho Romam ad martyrium ferendum proficiscens, ibi reliquit Erastum. Non satis liquet, cur Corinthi permanserit, neque quid deinceps illi acciderit. Græci illius diem festum celebrant 4. Idus Novembris, Latini vero 7. Kalendas Augusti.

TROPHIMUM RELIQUI INFIRMUM MILETI.] Constat, Miletum maritimam esse Joniæ Urbem satis prope Ephesum. Recenset Apostolus eos discipulos, qui secum non erant, ut intelligeret Timotheus non injuria se petere, ut ille quamprimum Romam veniret. De Trophimo jam verba fecimus in Act. 20. 4. & 21. 29. Pro Mileto, credunt nonnulli[11] legendum esse *Melitam*, quo scimus, S. Paulum post naufragium suum appulisse[12]. Estius vero illum *Mileti* in Insula Creta permansisse opinatur: verum omnis horum eruditorum virorum difficultas fallaci incumbit supposito: credunt enim, hanc Epistolam Romæ scriptam fuisse post primum S. Pauli iter, cum scripta fuerit post alterum, aliquot annis post. S. Paulus de Macedonia Corinthum venit, ubi Erastum reliquit: inde Troadem profectus est, ubi apud Carpum hospitio exceptus; Troade vero Ephesum contendit, ubi vidit Timotheum; Epheso Miletum recessit, ubi Trophimum ægrotantem reliquit: Mileti vero navem conscendit, & Romam adnavigavit[13].

Fr-

---

1 Ἀποδώσει αὐτῷ ὁ Κύριος. Ita Steph. E. Cod. Alex. Clar. Colb. 7. alii quidam. Oecumen. in Textu Chrys. in Comment. 2 Ἀποδῴη αὐτῷ ὁ Κύριος. Ita Theodoret. Theophylact. Ita & Clarom. & S. Germ. Lat. Aug Ambros. Hieron. MSS. Latini plures; *Reddat illi Dominus.* Vide Author. Resp. ad Orthod. Resp. 125.
3 Theodoret. Menoch. 4 Hieronym. in Ephes. 1.
5 Ita PP. & Interpp. passim. 6 Jerem. 2. 30. Joel. 1. 6. Amos 3. 19. Nahum. 2. 12.
7 Chrysostom. hic. homil. 10. p. 611. e. 8 Plures; Πρίσκιλλαν. Alii; Πρίσκαν.
9 Chrysostom. Ita Theophylact. 10 Vide ad Rom. 16. 23.
11 Arabs Erpen. Grot. Baron. Bez. 12 Actor. 28. 1. & sequ.
13 Pearson. Annal. Paul. Tillemont. Fromond.

℣. 21. FESTINA ANTE HYEMEM VENIRE.] Vide superius dicta ℣. 8. Credendum est, nihil intentatum a Timotheo non fuisse, ut Magistri sui desiderio satisfaceret, licet probari minime possit aperte, illum Romam venisse, atque vidisse S. Paulum, postquam Epheso discessit.

EUBULUS.] Ex historia non cognoscitur, sed erat fortasse inter praecipuos Romae Christi fideles, quoniam S. Paulus honoris causa eum nominat.

PUDENS.] Credunt, virum hunc a Sancto Petro fuisse conversum, & hunc Apostolum domi illius passim inhabitasse, ibi Sancta Mysteria celebrasse, ibique primam Romae Ecclesiam consecratam fuisse, ex qua deinde factum est Templum S. Petri in vincula. Graeci illius diem festum celebrant decimo octavo Kalendas Maii: Narrant, hunc capite damnatum fuisse a Nerone post Sanctorum Petri, & Pauli mortem [1].

LINUS.] Quidam credidere, Sanctum Linum filium fuisse *Claudiae*, de qua in eodem versiculo sermo est. Liber septimus Apostolicarum Constitutionum cap. 46. ait, satis diu ante obitum S. Petri, Sanctum Linum Romae Episcopum a Sancto Paulo fuisse ordinatum, & Sanctus Irenaeus l. 3. cap. 3. credit, Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, cum Romanam Ecclesiam instituissent, S. Lino Episcopatus ministerium Urbis illius contulisse. Rufinus [2] ait, eum S.S. Linus, & Anacletus Romae Episcopatum administrassent, Apostolis adhuc quidem inter vivos degentibus, sed tunc Roma absentibus, Sanctum Petrum paulo ante quam ultima pateretur, elegisse tandem S. Clementem sibi in Romana Cathedra Successorem. Credit Sanctus Epiphanius haeres. 27. Sanctum Clementem a S. Petro Romanum Episcopum factum Provinciam hanc detrectasse usque ad obitum Sanctorum Lini, & Cleti. Denique hoc omnino constat a S. Irenaeo, Eusebio, Optato, S. Epiphanio, S. Augustino, S. Hieronymo, & Theodoreto, Sanctum Linum immediate post S. Petrum referri in serie Antistitum Romanorum. S. Linus duodecim annos, & menses aliquot rexit Ecclesiam, sub cujus Pontificatu accidit Jerosolymitanum excidium anno Jesu Christi 70. Graeci Sancti hujus diem festum recolunt nonis Novembris; Latini vero nono Kalendas Octobris. Ado illius meminit sexto Kalendas Decembris, sed in illius Appendice, & in Beda nonis Octobris memoratur.

CLAUDIA.] Non desunt [3], qui hanc S. Pudentis Uxorem fuisse putent.

℣. 22. GRATIA VOBISCUM. AMEN [4].] Veteres quidam [5] legunt, *gratia nobiscum*, quasi S. Paulus sibi eam, quam discipulis, gratiam optaret. Alii legunt; *gratia nobiscum; valete. Amen* [6]. Syrus: *gratia vobiscum*. Ambrosiaster simpliciter legit. *Vale*.

In Graecis exemplaribus editis ad hujus capitis calcem, haec verba leguntur: *secunda Epistola ad Timotheum primum Ecclesiae Ephesi Episcopum Romae scripta fuit, cum S. Paulus secundo ad Neronem productus fuit.* Haec subscriptio in quibusdam Graecis exemplaribus non legitur; & in aliis vetustissimis non extant haec verba, *primum Ecclesiae Ephesi Episcopum*. Cophtus, & Manuscriptus Alexandrinus legunt *Laodiceam*, pro Roma. Vide Praefationem.

1 Vide Tillemont. & Auctorem ab ipso citat. tom. 1. S. Petr. art. 28. pag. 172.
2 Rufin. Recognit. pr. p. 398. 3 Est. hic. Bolland. 19. Maii. Vide Monaei Eccles. veter. Britan. Incunabula Regia. 4 Ἡ χάρις μεθ᾽ ὑμῶν. Ἀμήν.
5 Ἡ χάρις μεθ᾽ ἡμῶν. Ἀμήν. Ita Chrysostom. Theod. Theophylact. Oecumen.
6 Ita Claromont. & S. German. G. L.

Finis Commentariorum in secundam S. Pauli Epistolam ad Timotheum.

PRAEFATIO

PRÆFATIO IN EPISTOLAM S. PAULI AD TITUM.

Titus, natu Ethnicus [1], adhuc junior Apostolo adhæsit, a quo ab Idolorum cultu ad fidem genitus, Filii etiam nomine distinguitur [2]. Hieronymus in Tit. 1. 7. quod valde junior Fidei nomen dederit, ad extremum usque spiritum, illibatum Virginitatis florem retinuisse autumat, & Pauli Interpretem, seu Amanuensem fuisse [3]. Huic sane Discipulo Apostolus quamplurimum fidens, plurima implenda ultro commisit, eumque suorum itinerum comitem sæpissime adhibuit.

Sunt qui Titum Corintho oriundum statuant, eumque illum esse, qui *Titus Justus* in Actis 18. 7: appellatur: *intravit in domum cujusdam, nomine Titi Justi, colentis Deum*. Chrysostomus homil. 1. in Tit. licet & Grotius hanc de Tito opinionem defenderint in Tit. Prolog. a cæteris tamen tam Actorum, quam Epistolæ ad Titum Interpretibus, prorsus rejicitur. Titus, ad quem Paulus Epistolam habet, jam ipsi adhæserat, antequam anno Christi 51. Concilium Jerosolymitanum cogeretur [4], adeoque priusquam Apostolus Corinthum pergeret, quo nonnisi anno post contendit. Præterea aliquandiu postquam Paulus Corintho discesserat, suborto illic opinionum dissidio, ad res sedandas [5] eo Titum ab Apostolo missum, & a Corinthiis comiter exceptum scimus; qui licet ex Ministerio Evangelico sibi victum comparare jure posset, ab iisdem nihil accepit: maximo etiam Corinthiorum amore tum captus est, seque, ut Pauli veniam incestuoso obtineret, interposuit. Iter ad Corinthios tum secundo etiam instituit, eum secundam ad eosdem Pauli Epistolam detulit. Hæc, quæ ab utraque Pauli ad Corinthios Epistola deduximus, Titum Justum, Corinthi civem, & Apostoli hospitem, a Tito, de quo hic, Pauli Discipulo alium prorsus esse nobis satis ostendunt.

Paulus, postquam primum se Romam contulerat, e carcere eductus, anno Christi 63. in Orientem iterum perrexit, & plurimos, ut credimus, in Creta insula ad Fidem traduxit [6]. Cum vero ad Ecclesias de omnibus erudiendas, & ad Episcopos, & Sacerdotes ubique constituendos tempus sibi non suppeteret, Titum rebus curandis reliquit, quem & Episcopum consecravit. Quibus peractis in Judæam facile profectus, sicuti ad Hebræos scribens spoponderat [7], inde in Asiam [8], & demum in Macedoniam regressus est [9], ubi Nicopoli Thraciæ urbi, in Macedoniæ finibus juxta Græcos [10], seu Nicopoli urbe Epiri, secus Sinum Ambraciæ, juxta Hieronymum, & Recentiores plerosque [11], hyemare constituit.

Testibus Hieronymo, & Authoribus Inscriptionum in calce hujus Epistolæ [12], cum ad Titum scripsit, Apostolus jam Nicopoli degebat. Textus, cui hæc opinio innititur, de nostra sententia, intentum satis aperte non probat: ait enim Apostolus [13]: *Festina ad me venire Nicopolim, ibi enim statui hyemare*: quo quidem in via ad Nicopolim se tum fuisse tantum insinuat. Hanc Epistolam per Zenam, & Apollinem ad Titum missam nonnulli arbitrantur [14]. Horum uterque in Cretæ insula tunc sane consistebant, sive Paulus illac transiens eos jam reliquisset, sive illuc eosdem postea misisset, sive eo se ultro contulissent. Illuc vero ab Apostolo missos idcirco credimus, quod ipse Tito, ut de omnibus, quæ ad iter postularentur, instructi remittantur, commendet [15].

Ne Creta Insula per Titi absentiam careret Episcopo, Titum Paulus præmonuit, ut inde non discederet, nisi cum Tychicus, seu Artemas, quos mittebat, eo pervenissent [16]; qui ejus munera, dum abesset, satis implerent. Titus primus Cretæ Episcopus habetur, ibique mortuus, & sepulturæ mandatus creditur. Ejus Insulæ Cathedralis Ecclesia Titi nomini consecrata, ejusdem adhuc integrum caput ostentat. Qua vero morte S. Episcopus, & quo tempore obierit, ignoramus.

Potissimum hujus ad Titum Epistolæ argumentum in Episcopi officio exhibendo versatur; cum autem præcipuum Titi munus in ea insula esset initiare Sacerdotes, & Episcopos, summus illi cura satagendum erat, ut optimos eligeret. Eadem fere omnia, quæ Timotheo eidem muneri addicto alias scripserat, hic Apostolus recenset, & vitæ rationem singulis hominum statibus, senibus nempe, viris, fœminis, junioribus cujusque sexus, & mancipiis ab Episcopo præscribendam, persequitur. Monet insuper, ut in Cretenses auctoritatem suam exerat, & acrioribus verbis castiget, uti viros nempe mendaces, iniquos, pigros, & voraces.

Judæorum plurimi in eadem Creta Insula Fidei Catholicæ nomen dederant, sed peculiares errores, cæremonias, & traditiones in Ecclesiam invexerant; quare Apostolus Titum hortatur, ut vanis illorum traditionibus, atque Judaicis fabulis adversetur, simulque ostendat, neminem ultra Legalibus cæremoniis adstringendum esse: ciborum delectum abolitum esse: omnia enim munda mundis, omniaque immundis immunda. Fideles vero, ut temporalium Principum dicto audientes sint; disputationes, querelas, maledictiones evitent; honestis se exercitationibus impendant; sedulo autem Hæreticos caveant post primam & secundam correctionem pervicaces. Titum denique orat, ut ubi Artemas, aut Tychicus Cretam pervenerint, se ipsum invisurus Nicopolim contendat.

Sua semper huic Epistolæ in Ecclesia mansit Canonica authoritas, solosque Hæreticos habuit refragantes, Marcionitas nempe [17], Basilidianos, aliosque nonnullos [18]. Tatianus Encratitarum author non probabat tantum, sed & cæteris præferendam contendebat [19]. Unde, & quo tempore scripta, & a quo delata fuerit Epistola, adhuc incertum. Verosimile tamen ducimus anni Christi 64. autumno datam fuisse in Græcia, seu in Macedonia, cum Paulus adhuc iter faciens Nicopolim Epiri proficisceretur.

---

1 Galat. 2. 3. *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi.* 2 Tit. 1. 4. 3 Hier. Ep. 150. q. 11. 4 Gal. 2. 1. 5 2. Cor. 12. 18. 6 Hier. in Tit. 3. 12. Theod. in Ps. 116. Vid. Tit. 1. 5. 7 Hebr. 13. 23. Vide Chrys. Prolog. in Ep. ad Hebr. 8 2. Timot. 4. 13. Philem. vers. 22. 9 Philipp. 2. 24. Vide Chrys. prolog. in Philipp. p. 2. 10 Chrys. Theoph. Theodor. Oecum. alii. 11 Hier. in Ep. ad Tit. Grot. Est. Erasm. Baron. Usser. Tillem. Ligf. 12 Hier. in Tit. 3. 12. Athanas. in Synopsi, subscriptiones Græcæ ad calcem hujus Epist. Est. alii nonnulli. 13 Tit. 3. 12. 14 Ita Syr. & Capell. p. 66. 15 Tit. 3. 13. 16 Tit. 3. 12. 17 Tertull. contra Marcion. l. 5. c. ult. 18 Hieron. Prolog. in Ep. ad Tit. 19 Idem ibidem.

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN
EPISTOLAM
S. PAULI APOSTOLI
AD TITUM.

CAPUT PRIMUM.

Virtutes, quæ in iis requiruntur, qui ad Episcopatus dignitatem sunt evehendi. Pseudo-Apostoli corripiendi, & Judaicæ fabulæ contemnendæ. Omnia mundis munda. Qui male vivunt, fidem operibus negant.

1. PAULUS servus Dei, Apostolus secundum fidem electorum Dei, & agnitio-
nem veritatis, quæ secundum pietatem est, 2 In spem vitæ æternæ,
quam promisit, qui non mentitur, Deus, ante tempora sæcularia: 3 Ma-
nifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est
mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei: 4 Tito dilecto filio secundum
communem fidem, gratia, & pax a Deo Patre, & Christo Jesu Salvatore no-
stro. 5 Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, &
constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. 6 Si quis sine
crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ,
aut non subditos. 7 Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispen-
satorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non
turpis lucri cupidum: 8 Sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum,
continentem. 9 Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermo-
nem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, argue-
re. 10 Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores; maxime
qui de circumcisione sunt: 11 Quos oportet redargui: qui universas domos sub-
vertunt, docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia. 12 Dixit quidam ex
illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ven-
tres pigri. 13 Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos du-
re, ut sani sint in fide, 14 Non intendentes Judaicis fabulis, & mandatis ho-
minum, aversantium se a veritate. 15 Omnia munda mundis: coinquinatis autem,
& infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens, & conscien-
tia. 16 Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, &
incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

℣. 1. PAULUS SERVUS DEI.] S. Paulus modo se *Dei servum* appellat, modo *servum Jesu Christi*; Apostolum Dei, vel Apostolum JESU CHRISTI, vocatum a Deo, vel vocatum a JESU CHRISTO: quæ omnia difficultatem parere A non debent, cum fateamur, Filium Dei æqualem esse Patri, atque ejusdem essentiæ cum illo.

SECUNDUM FIDEM ELECTORUM DEI,] Ad erudiendos electos Dei, Christianos in fide [1], & in cognitione veritatis, atque pietatis. Non omnis veritas argu-

[1] Ita Est. Grot. Men. Sculter. ex Hieron. & Theodoret.

argumentum est prædicationis S. Pauli. Non desunt quædam geometricæ, & philosophicæ veritates, quæ ad salutem minime prosunt. Sed veritas, de qua agitur in Evangelii prædicatione est *secundum pietatem*. Hæc posita est, ut Deus cognoscatur, & ametur; Leges Prophetæ, & Evangelium audiantur, revelatæ veritates credantur, & veritates morales exerceantur. Hujus objectum est immortalitas, atque æterna vita. *Veritas, cujus cognitio juxta pietatem est, in spe vitæ æternæ posita est*, inquit S. Hieronymus in hunc locum.

℣. 2. QUAM PROMISIT, QUI NON MENTITUR.] Deus non beatitudinem, vitamque æternam promisit solum, verum etiam Evangelii prædicationem, atque veritatem salutis, novique fœderis cognitionem. Hoc promiserunt Prophetæ, hoc JESUS CHRISTUS explevit, nos hujus testes sumus, sequestres, hæredes. Vocatio, & justificatio nostra in tempore quidem adimpleotur, sed in decretis Dei ante omnia sæcula præstitutæ fuerunt.

℣. 3. MANIFESTAVIT TEMPORIBUS SUIS VERBUM SUUM.] Tempora in decretis Dei præfigonta, atque per Prophetas prædicta cum accessissent, misit Deus Verbum suum Filium suum [1] in Terras; & revelatio per gradus ad homines venit. Aperuit Deus voluntates suas Adæ, Noe, Abrahæ, Moysi, Prophetis, eorumque singulis in mensura, & per gradus. Sed præordinatis temporibus suis veritates, quantæ sunt in Evangelii prædicatione, nobis detexit [2].

SECUNDUM PRÆCEPTUM SALVATORIS NOSTRI,] JESUS CHRISTUS Salvator noster mihi Evangelii prædicationem commisit, & væ mihi, nisi illud annuntiavero [3]: me per inobedientiam reum constituo, & eorum interitus, quos salvos facere, & edocere meum est, mihi crimini vertitur. Nomine *Salvatoris nostri Dei*, intelligi potest, vel JESUS CHRISTUS, quemadmodum diximus, vel Deus Pater, qui eum in veteri, tum in novo Testamento sæpe Deus appellatur [4].

℣. 4. TITO DILECTO FILIO.] Græcus ad litteram [5], *Filio suo legitimo*, vero filio suo, quem unice, & ex animo diligit, qui non degener est a fide, quæ filium S. Paulo spirituali Patre suo communis est [6]. Alios etiam quamplurimos in Evangelio filios genuerat Apostolus: *nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*, 1. Cor. 4. 15. verum non omnes eque, ac Titus addilecti erant, veri, legitimi, ab augusta Christianorum dignitate nequaquam degeneres [7].

GRATIA, ET PAX.] Græcus typis editus legit [8]: *gratia, misericordia, & pax*: sed vetustissimi Græci MSS. [9], & Græci Patres, atque Latini, & MSS. omnes Latini, Syrus, Copheus, atque Æthiops Vulgatæ omnino similes sunt.

℣. 5. RELIQUI TE CRETÆ.] Non poterat Sanctus Paulus in Creta tamdiu permanere, quamdiu fuisset opus, ut omnia in eum, quem velles, statum, redigerentur; ibi ergo S. Titum reliquit, qui suppleret iis omnibus, quæ per se ipse explere minime potuerat. Hoc satis aperte Græcus Textus innuit [10], & Patres, atque Interpretes docent [11].

CONSTITUAS PER CIVITATES PRESBYTEROS.] S. Hieronymus [12], S. Chrysostomus hic, Theodoretus, Theophylactus, & plerique Interpretes presbyterorum nomine isthic Episcopos intelligunt. *Eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant*, inquit S. Hieronymus in hunc locum. Profecto primis illis temporibus unus sufficiebat Episcopus, cum aliquot Diaconis in plerisque Civitatibus, ut iis omnibus facerent satis, quæ exiguus fidelium, qui ibi aderant, numerus efflagitabat. Inficiari tamen non ausim, quod Apostolus Presbyterorum nomine intelligat etiam Sacerdotes, vel Pastores, qui constitui poterant iis in locis, qui tanti non erant, ut Episcopus ibi ordinaretur.

℣. 6. SI QUIS SINE CRIMINE EST.] Si quis est irreprehensibilis. Verum si hæc verba ad litteræ apicem explicentur, non omnem S. Pauli mentem exprimunt. Non enim sufficit, Episcopum vacuum esse culpa, gravique scelere; oportet ad hæc talis sit, ut verbo, & exemplo gregem suum regere valeat. Græcus hujus loci legit; *sit inculpatus, inaccusabilis*; nullum illi scelus imputari queat, nullum exprobrari flagitium, nulla sit notatus infamia; si enim deterior esset illius existimatio, nihil posset proficere apud eos, qui eidem subjecti sunt. Confer 1. Tim. 3. 2.

UNIUS UXORIS VIR.] Hoc ipsum jam explicuimus in 1. ad Timotheum Ep. 3. 2. Huic loco plures sensus tribuuntur. 1. qui Episcopus eligitur, unam actu habeat uxorem; nullas habeat pellices, nullum scortum, & cum sua tantum uxore versetur [13]. 2. unam dumtaxat uxorem duxerit; vel saltem post baptismum suum ad alterum conjugium non transierit [14]. 3. unam dumtaxat habuerit uxorem, cum ad Episcopatum evehitur, quam deinceps non tamquam uxorem, sed veluti sororem habeat [15]. 4. tandem contentus sit illius Ecclesiæ, quæ sibi fuit concredita, neque illam relinquere quærat, ut alteram ducat [16]: Episcopatus enim est quoddam veluti spirituale conjugium. S. Chrysostomus in hunc locum ait, a S. Paulo per duplex hominum genus istbic perstringi Hæreticos, qui conjugium vituperabant; atque incontinentes, qui ad alteras nuptias evolabant. Illis quidem os obstruit, ostendens, homines etiam, qui uxorem duxerunt, ad Sacrum Episcopatus apicem evehi posse; hos vero confundit, illos ab aditu ad eminentem hanc dignitatem prohibens.

FILIOS HABENS FIDELES,] & irreprehensibiles. Quid enim expectari potest ex eo viro, qui negligit familiam suam, atque filios in infidelitatis caligine, & flagitiorum sordibus versari permittit? *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*; alibi inquit S. Paulus 1. Timot. 5. 8. *Tam Sanctum nomen est Sacerdotis*, S. Hieronymus ait, *ut nobis etiam ea, quæ extra nos sunt posita, reputantur*. Non sufficit irreprehensibiles esse in semetipsis, esse quoque oportet in suis. Quomodo enim audebit Episcopus arguere alterius familiæ sceleribus adversari; si propria eodem crimine fuerit adstricta.

℣. 7. OPORTET ENIM EPISCOPUM.] Hic *Episcopum* vocat, quem ℣. 5. Presbyterum dixit. Jubet, Episcopum in Ecclesia se ipsum cogitare veluti œconomum, dispensatorem, vel curatorem magnæ alicujus familiæ. œconomus curam habet, atque auctoritatem in conservos suos: non est familiæ dominus, sed primus inter servos. S. Hieronymus illum comparat ei servo, quem Veteres *Villicum* dixere; qui servus erat prædio alicui potentis domini præpositus, & cui plurimi suberant servi, quibus laborem, victum, atque vestitum distribuebat; qui tamen domino rationem redditurus erat, ejusque imperio, atque nutibus parebat, tamquam novissimus e mancipiis [17]. *Sciat Episcopus, sibi populum conservum esse, non servum*.

1 Hieronym. Est. Menoch. 2 Chrysostom. alii Græci.
3 1. Cor. 9. 16. *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizavero.* 4 Vide 1. Tim. 1. 1. Est. hic. 5 Τίτῳ γνησίῳ τέκνῳ. Velez. Ἀγαπητῷ.
6 Hieronym. Est. 7 Vide Chrysostom. Hieronym. Theophylact. &c.
8 Χάρις, ἔλεος, καὶ εἰρήνη. 9 Clarom. S. German. Boreel. GG. LL. Colb. 7. alii.
10 Ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ. 11 Vide Hieronym. Chrysostom. Theophylact. Est. Price. Grot. Menoch. alii. 12 Hieronym. hic; *Idem est ergo Presbyter, qui Episcopus: Et antequam Diaboli instinctu studia in Religione fierent, ... communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.*
13 Theodoret. ad 1. Tim. 3. 2. 14 Theophyl. 15 Hieron. l. 1. contra Jovinian.
16 Ambros. de dignit. Sacerdot. c. 4. 17 Hieron. hic.

NON SUPERBUM [1].] Ne dignitate sua intumescat, atque obliviscatur se quoque servum esse, & rationem sibi esse reddendam. Mundi Principes cum imperio dominentur, subditosque suos metu coercent, quod coactum exercent imperium: Episcopis vero econtra, quorum imperium est in libera capita, & quæ ultro se subjiciunt, nihil faciendum est, nisi summa cum humanitate, in spiritu clementiæ, & humilitatis [2].

NON IRACUNDUM, NON VINOLENTUM.] Ira optimum quemlibet corrumpere potest, & animos magis dociles irritare. Qui furens castiget, vel corripit, numquam obtinet fructum correptionis suæ; hoc est, ut reus ad frugem redeat. *Ira viri justitiam Dei non operatur*, inquit S. Jacobus c. 20. & qui vino madidus esse consuevit [3], omnium contemptum sibi conflabit, & facile vel in iræ, vel in libidinis excessus decidet. Græci Patres hoc intelligunt de homine violento, contumelias inferente, irritante; Episcopus homines non minis suis, sed metu inferat coerceat, D. Chrysostomus inquit.

NON PERCUSSOREM.] Episcopus medicus est animarum, inquit Sanctus idem Chrysostomus. Animarum morbi non verberibus, non violentia, atque vehementibus factis curantur. Medicus vulnera lenire debet, non exacerbare. Theodoretus de illo intelligit, qui perperam, & sine causa corripit.

NON TURPIS LUCRI CUPIDUM.] Episcopus omnibus integritatem suam probare debet; quæstus enim dicet justissimi, Episcopo indigni sunt, ait S. Chrysostomus. Debet Episcopus se ad Apostoli exemplar componere, victu, & vestitu contentus esse [4], ait S. Hieronymus in hunc locum. In illo *turpis lucri appetitus est*, dicit Pater idem, *plusquam de præsentibus cogitare*.

V. 8. HOSPITALEM.] *Domus Episcopi omnium commune esse debet hospitium*. Ubi Laicus duos, vel tres, aut quatuor hospites receperit, munus illud explet, quod ab ipso petit hospitalitas, *Episcopus, nisi omnes receperit, inhumanus est*, docet S. Hieronymus.

BENIGNUM, SOBRIUM.] Græcus ad litteram [5]: *amantem bonum*, vel bonorum virorum amatorem: *Sobrium*, modestum, prudentem, vel etiam castum juxta S. Hieronymi sententiam. Latini complures Mss. legunt: *benignum, prudentem, sobrium*: sed *prudentem* abundat. Græca vox *Sophrona* verti potest vel *sobrium*, vel *prudentem*.

CONTINENTEM.] Si præcipit Apostolus, ut Laici quoque conjugii usu abstineant, ad tempus Orationi vacaturi, quid autem efficiendum erit Episcopo, qui singulis diebus oblaturus est hostiam immaculatam pro peccatis suis, & populi, innuit S. Hieronymus? *Pudicitia Sacerdotalis est, ut non solum ab opere se immundo abstineat; sed jam a jactu oculi, & cogitationis errore mens Christi Corpus confectura sit libera* [6]. Sanctus Chrysostomus in latiori adhuc sensu *continentem* intelligit; vult enim hoc in loco non temperantem, & abstinentem hominem significari; sed eum, qui periculosos omnes affectus superavit, qui linguam, oculos, facta sua moderatur; verbo, qui nullum sibi dominari affectum permittit.

Numquam præcipuis Ministris suis permisit Ecclesia, ut post quam Sacris essent initiati, conjugium contraherent; hujusmodi nuptias nullas esse declaravit, & jussit, hujusmodi personas separari, quippe quæ vere conjugium minime inierunt [7]. Quod vero spectat ad Matrimonia ante susceptam Ordinationem inita, hoc tum ente, cum post sacram illam cæremoniam subsistere fateor; & quamvis in Ecclesia Latina Sacris Personis omnem conjugii usum post eandem ordinationem velit interdictum; tamen in Ecclesia Græca pluribus sæculis ab hinc toleravit usum conjugii in illis, qui illud contraxerant, antequam Sacris initiarentur, & qui aut voto, aut alia quavis ex causa continentiam servare non tenebantur.

Sed Græca Ecclesia in ipsis etiam primordiis parca omnino fuit in hac libertate, quam modo Sacris Ministris permittit, concedenda. Concilii Niceni Patres [8] in eam mentem venerant, ut Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos continentiam servare cogerent: Sed Paphnutius Thebaidis Episcopus obstitit, dicens, ab Apostolo conjugium rem optimam appellari, atque licitum Matrimonii usum, neque temperantiæ, neque castitati oppositum esse. Alii Patres in Paphnutii sententiam abiere, neque hoc jugum viris ministerio Templi dicatis impositum fuit: at in Concilii ipsius Patribus Spiritus, & consuetudo etiam Ecclesiæ temporum illorum enituit. Si enim Episcoporum, atque Sacerdotum plerique perfectam continentiam minime exercuissent; nemo sane auctor fuisset, ut lex generalis rogaretur, quæ omnes continentiam servare juberet. Testatur S. Epiphanius hær. 59. ævo suo plures adhuc Sacerdotes fuisse, & plures Diaconos, qui Matrimonii usu abstinebant.

Sed postmodum fatendum est, Græcos hac in re non fuisse religiosos fuisse. S. Chrysostomus [9], Theophylactus docent, eis, qui ad Episcopatum evehebantur, cum jam duxissent Uxorem, cum Uxoribus suis, ut antea, versari integrum fuisse. De hac sententia bis in operibus suis [10] verba facit S. Hieronymus, qui tamen illam absolute rejiciat. Synesius, qui Episcopus creatus fuit sub annum 410. declaravit, se numquam dimissurum Uxorem suam, & ad eam non clanculum, tamquam adulteram accessurum, sed e contra frequentem se filiorum coronam optare [11]. Attamen S. Hieronymus scribens contra Vigilantium [1] s, ait, ævo suo Orientis, Ægypti, Romanamque Ecclesiam ad Sacros Ordines non admisisse, nisi Virgines, aut eos, qui conjugii usum abdicarent. *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut Virgines Clericos, aut continentes, aut si uxores habuerint, desinunt esse mariti?*

Ante sextum Constantinopolitanum Concilium nullibi invenire mihi datum fuit explicitam hanc facultatem Sacerdotibus, Diaconis, & Subdiaconis Orientalis Ecclesiæ permissam Matrimonio utendi, ubi Sacris initiati fuissent, æque ut antea. Ea vero Synodus hæc habet can. 13. *cum audierimus, Romanam Ecclesiam sanxisse, ut Diaconi, & Sacerdotes Sacris initiandi solemniter polliceantur, se ad Uxores suas non amplius accessuros; nos ne ab antiqua Apostolicæ perfectionis regula discedamus, præcipimus, ut Conjugium eorum, qui Sacris initiati sunt, ratum sit, atque indissolubile; quin eos rogamus, ut ab Uxoribus suis secedant, sed cum illis congruo tempore versentur, ut antea. Itaque imposterum non prohibeantur a Sacerdotio, Diaconatu, vel Subdiaconatu, qui cum Uxoribus suis adhuc permanere velle voluerint*; quam consuetudinem ad hanc usque diem Oriens servavit.

In Occidente vero generalis, & constans semper fuit consuetudo, ut Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi semel Sacris initiati continentiam servarent; quod ex vetustissimis Ecclesiæ Occidentalis Canonibus satis innotescit. Concilium Eliberitanum, e. g. can. 33. *placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus positis in ministerio abstinere a conjugibus suis, & non generare filios;* quod

1 Hieronym. & Ambrosiast. *Non protervum*. 2 Vide Chrysost. Theophyl. & Hieron.
3 Μὴ ὀργίλον. Τουτέστιν ὑβριστήν. Φιλεῖν δεῖ τὸ τῆς γνώμης αὐτοῦ τοῖς ἀπειθοῦσι, καὶ μὴ ὑβρίζειν. Chrysostom. Theophylact. 4 1. Timoth. 6. 8. 5 Φιλάγαθον, σώφρονα. Hieronym. hic. *Sit autem Episcopus, & pudicus, quem Græci σώφρονα vocant, & Latinus Interpres verbi ambiguitate deceptus pro pudico prudentem transtulit*. 6 Hieronym. hic. 7 Sexta Synod. General. Can. 6. & Dist. 32. c. *Si quis eorum*; & cap. *Sane*. 27. qu. 11. & Concil. 4. Carth. & Concil. Trid. sess. 24. c. 9. Concil. Neocæsar.
8 Vide Sozomen. lib. 2. cap. 23. Socrat. lib. 1. cap. 11. Histor. Eccles.
9 Chrysost. hic, & ad vers. 3. p. 364. 10 Hieron. Comment. in Ep. ad Tit. & Ep. ad Oceanum.
11 Synes. Ep. 105.

quod quicumque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur. Concilium Arelatense an. C. 307. c. 2. vetat, ne Sacerdotio initietur Uxoratus, nisi conversionem suam polliceatur, hoc est, Matrimonii usum abrenunciet. Syricius Papa [1], S. Ambrosius Ep. 8. Innocentius I. 1. dist. 82. 1. *Proposuisti*; S. Augustinus l. 2. de adult. conjug. c. 20. S. Leo Ep. 6. S. Hieronymus in ep. ad Titum, & l. 1. contra Jovinian. Concilia Toletanum 1. & 7. c. 5. 6. Carthaginiense 5. c. 3. Turonense c. 1. 2. Agathense c. 9. [2], aliaque, consuetudinem hanc vel præcipiunt, vel supponunt.

Tridentinum denique sess. 24. c. 9. declaravit, Sacris Ordinibus initiatos Uxorem ducere non posse, & si quis hoc in statu matrimonium contraxisset, nullum esse. De usu vero Conjugii nihil attigit, ne videretur damnare velle Græcos Catholicæ Ecclesiæ conjunctos, quorum consuetudinem noluit perturbare. Verumtamen acriter semper asseruit, atque confirmavit usum illum, in quo est, interdicendi, ne Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi cum Uxoribus cohabitarent, quas duxerant ante Ordinationem suam, & cogendi Uxores eorum, qui ad Sacros Ordines promoverentur, ut perpetuæ virginitatis votum emitterent.

ỳ. 9. AMPLECTENTEM EUM, QUI SECUNDUM DOCTRINAM EST.] Amplectentem fidei veritatem, ad litteram, *sermonem fidelem*, verum, ab omni dubitatione remotum, quem recepit in se fidei submittens. *Ut potens sit exhortari* infirmos, excitare illos, quibus animus deest, consolari eos, qui tristitia conficiuntur, *& redarguere eos*, qui veritati, atque sanæ doctrinæ adversantur. Non defuere umquam in Ecclesia homines, qui singulares, & novas foverent sententias, superbi, sui amantes, atque evidentiæ tantum cedentes. Tunc quoque extra Ecclesiam aderant Judæi, Hæretici, Gentiles, qui argumentis fidei nostræ veritatem impugnare nitebantur. Debet Episcopus ea doctrina excellere, ut hujus farinæ homines possit redarguere, objectionibus eorum respondere, eorumque incredulitatem confundere: quod non vulgarem capitum, atque singulare studium requirit [2].

ỳ. 10. SUNT ENIM MULTI INOBEDIENTES.] Hoc ostendit necessitatem studii, & scientiæ in Episcopo. Judæi complures cum ex iis, qui ad fidem erant traducti, tum qui secus turbas in Ecclesia gignebant; primi quidem asserentes, Legis observantiam ad salutem esse necessariam, & jugum Circumcisionis illis esse imponendum, qui ex Ethnicorum superstitione in Jesu Christi castra transirent, Evangelii simplicitati addentes fabulas, inanesque Doctorum suorum traditiones: alii vero docentes, Jesum neque Messiam esse, neque Deum, nec Filium Dei. S. Paulus in omni vita sua plurima a Judæis perpessus est: illos in omnibus Epistolis lacessit. Horum plurimi erant in Creta Insula [4], atque Titus omnem zelum, atque industriam suam debebat exerere, ut illis opponeret Episcopos, qui hoc in labore sibi possent opitulari.

VANILOQUI, ET SEDUCTORES [5].] *nihil dicentes*; vel dicentes, & efficientes vana, ineptias, fabulas; atque *animarum seductores*, qui illas vanis sermonibus suis fallunt, eisque insanas opiniones immittunt.

ỳ. 11. UNIVERSAS DOMOS SUBVERTUNT TURPIS LUCRI GRATIA.] Docentes necessitatem operum Legis, vel Jesum Christum Messiam esse negantes, vel mortuorum Resurrectionem in dubium vocantes: vel denique in animos eorum inanes Judæorum Doctorum traditiones infundentes. S. Paulus sæpe conqueritur de pseudo-Apostolis *turpis lucri gratia* prædicantibus. Vide Rom. 16. 18. Phil. 3. 19. 2. Tim. 3. 6.

ỳ. 12. PROPRIUS IPSORUM PROPHETA.] Hic Propheta Cretensium est Epimenides Poeta insignis e Creta oriundus, qui Concivium suorum nomini minime parcens, illos mendaces, improbos, inertes, helluones vocavit. Hunc autem *Prophetam* ironice appellat; Græci enim, & generatim Ethnici eodem ferme in loco Poetas suos habebant, quo Hebræi suos Prophetas. Hos Divino lumine afflatos esse putabant, Sacrum illis enthusiasmum, & nonnumquam futurorum etiam cognitionem esse tenebant. Oracula nonnisi versibus prodebantur; & Poetæ Divino furore repleti, & peculiari lumine perciti existimabantur [6]: *noster Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi Deorum aliquo dono, atque munere commendati esse videantur.* Habebantur etiam tamquam amici Dei, atque arcanorum ejus sequestres.

Aristoteles Rhetor. l. 6. c. 17. de Epimenide verba faciens illum tamquam Prophetam describere videtur, quemadmodum hoc in loco a S. Paulo vocatur. Illi quidem rerum futurarum cognitionem non tribuit, sed rerum præteritarum, ignotarumque. Cretenses illum vita functum Divinis honoribus coluerunt [7]; & refert historia complura, quæ ipse de rebus futuris, atque remotis vere prædixerat. Videns arcem Munichii, quæ est Portus Athenarum, exclamasse fertur: O cæcitas hominum! si scirent homines male, quæ hæc arx ipsis constabit, illam dentibus convellerent [8]: cujus Prophetiæ veritas innotuit post aliquot annos, cum Rex Antipater ea in arce præsidium constituit, ad Athenienses in officio continendos. Alibi etiam confirmavit Athenienses Persarum adventum veritos; eis enim illos nonnisi post decimum annum venturos, atque illinc redituros plurima cæde confectos [9]. Neque falsus fuit Vates; Persæ enim Marathone, atque Salamine cæsi fuerunt. Lacedæmoniis etiam, atque Cretensibus prædixit eam captivitatem, in quam ab Arcadibus aliquando erant redigendi [10]; quod accidit Eurycrate in Creta, & Archidamo Lacedæmone imperantibus. Ob hæc vere, aut false S. Paulus illum Prophetam vocat, & Plato [11] jampridem illum Vatem, atque Deorum amicum appellaverat. Cicero quoque l. 1. de Divinat. Epimenidem Divino furore percitum futura prædixisse fatetur.

S. Chrysostomus, Theodoretus, aliique nonnulli hoc tribuerunt Callimacho, apud quem duo inveniuntur versus, quorum hæc sententia: *Cretenses sunt semper mendaces: tur enim sibi sepulchrum statuerunt o Rex Jupiter, qui mortem non oppetiisti, sed es immortalis?* Profecto Jovis tumulus ostendebatur in Insula Creta ubi regnaverat, & mortuus fuerat. Callimachus alludens ad prima verba, quæ sunt in carmine Epimenidis a S. Paulo memorato, Cretenses mendacii nomine insimulat, quod asseruerint, Jovem in Insula sua natum esse, regnasse, & ex humanis decessisse. Epimenides Cretensis erat ex omnium historicorum consensu; Callimachus vero Cyrenensis. Posterior hic in Ægypto vivebat regnante Ptolomæo Philadelphio ducentis circiter annis ante Jesum Christum; Epimenides vero in Creta degebat multo pridem: Callimachus denique dedit solum prima carminis verba; Epimenides autem integrum fecit versum, qualis a S. Paulo refertur. Nullus igitur dubitandi locus est, quo minus S. Paulus Epimenidem citare voluerit.

Quo ad vitia, quæ Apostolus post Epimenidem Cretensibus exprobrat, Veteres fere omnes consentiunt. Cretensium nomen adagii locum jam obtinuit, ut mendax, & subdolus indigitaretur: dicimus Cretensem, cretizare, & cretizare cum Cretensibus [12], quod significat mentiri, & fallere cum mendacibus. Ovidius:

. . . . . *non fingunt omnia Cretes.*

Eorum nequitia, dolus, proditio, mala fides in commercio apud antiquos insignes sunt. Polybius l. 6.

1 Siricius Epist. ad Africanos. Vide Dist. 84. c. 3. 2 Vide, si placet, Zonam in Epist. ad Hebr. c. 6. difficult. 2. sect. 2. 3 Vide Hieronym. Gent. Ell.
4 Act. 2. 11. Vide Joseph. plurib. loc. Socrat. l. 2. c. 38. Hist. Eccles.
5 Ματαιολόγοι, καὶ φρεναπάται. 6 Cicero Orat. pro Archia Poeta.
7 Plutarch. in Solone. 8 Laert. l. 1. & Plut. in Solone. 9 Plato de Legib. l. 2.
10 Laert. l. 1. 11 Plato de Legib. l. 2. Ἀνὴρ θεῖος. 12 Κρητίζειν πρὸς Κρῆτα.

ait, ex omnibus hominibus Cretenses tantum nullum illicitum lucrum putare, ac nullibi sequiorem fidem inveniri. *Ventres pigri*, Ventres inertes, Helluones, & ignavi; vel *ventres, pigri* [1]. Commessatores *ventres* aliquando dicuntur. Lucilius: *vivite ventres*.

℣. 13. INCREPA ILLOS DURE.] Increpationes, & correctiones accommodandæ sunt affectionibus eorum, qui corripiuntur. Homines adeo nequam, quales erant Cretenses, simplicibus monitis curari non poterant: sed vis, vehementia, severitas requirebatur.

℣. 14. NON INTENDENTES JUDAICIS FABULIS.] Vide a nobis dicta 1. *Timoth.* 1. 4. 4. 7. & 2. *Timoth.* 4. 4. Judæorum libri scatent fabulis, allegoriis, inanibus traditionibus, puerilibusque explicationibus: has contemni jubet Apostolus [2]. Qui Rabbinos legunt, notum, quid illi afferant de Messiæ Regno super Terram, de bellis, quæ inferet contra Gog, & Magog, de convivio, quod electis suis instruet, de pisce Leviathan, & de bove Behemoth, quem occidet, convivium opimius illis apparaturus. Curiose aures avide omnes has fabulas recipiebant, & sanam, solidamque doctrinam negligebant. Sescenta etiam alia afferebantur de Angelis, atque variis eorum gradibus in Cœlo; quæ magis apta videbantur ad corda inflanda sterili scientiæ opinione, quam ad Gentiles conversos ædificandos. Vide *Coloss.* 2. 18.

℣. 15. OMNIA MUNDA MUNDIS.] Hanc sæpius incudem tunde: veritatem hanc explica contra eos, qui in JESU CHRISTI religionem, ciborum discrimen, atque legales expiationes student invehere. Omnis esca in semet munda est: non quod intrat in os, sed quod exit ex corde, mala videlicet desideria, & pravæ cogitationes [3], hoc coinquinant hominem. Vita nequam, mores flagitiosi, improbe facta, incompositi affectus, atque Divinæ Legi reluctantes, hæc sunt, quæ nos in oculis Dei invisos efficiunt; sed manibus illotis manducare, leporem, vel suillam carnem, vel etiam carnem idolis immolatam comedere; hæc in se mala non sunt; licet propter quasdam circumstantias possint mala fieri. Vide 1. *Cor.* 8. ℣℣. 4. 5. 6. & seq.

COINQUINATIS AUTEM, ET INFIDELIBUS NIHIL EST MUNDUM.] Quidquid conari possit homo, cujus animus peccato corrupta est, vel qui in infidelitate vivit, hoc illi cordis puritatem tribuere non potest. Lustrationes quælibet, atque legales expiationes, omnia cruenta Sacrificia, omnesque Legis cæremoniæ illum ab interioribus sordibus emundare non possunt; quia *inquinata sunt eorum & mens, & conscientia*; atque extrinsecæ lustrationes efficere non possunt, nisi ut participes fiant Sacrificiorum. Hoc transferri etiam potest ad eos, qui agunt contra conscientiam suam, vel qui rebus quibusdam utuntur, quæ quidem in se nullo sunt in discrimine, quin tamen per fidem illis persuasum sit, usum earum licitum esse [4].

℣. 16. CONFITENTUR SE NOSSE DEUM.] Loquitur de pseudo-Apostolis, dissensiones in Ecclesia serentibus, ibique gignentibus turbas singularibus sententiis suis, vanisque sermonibus; asserentes, sine legalium cæremoniarum usu cætera non prodesse, atque inventores ineptas Rabbinorum explicationes ad fidei, & pietatis spiritum extinguendum, quam ad fideles ædificandos aptiores. *Confitentur se nosse Deum*, & Legem illius servare, *factis autem negant* charitatem, & justitiam tollentes, & evertentes libertatem, quam nobis JESUS CHRISTUS morte sua comparavit. Toties factis negatur Deus, quoties agitur, quasi Deus non esse credatur; fœdus ejus quodammodo infringitur, quotiescumque essentiales illius conditiones violantur [5].

---

1 Græcus impressus: Γαστέρες ἀργαί. *Ventres pigri.* At Phavorinus hunc locum sic citat: Γαστέρες, ἀργοί; & verti potest, *ventres pigrorum*. Editio Sixti V. an. 1590. & Clementis 1592. legunt: *Ventres pigri*.

2 Hieronym. hic: *Acquiescamus paulisper Judæis, & eorum qui apud eos sapientes vocantur, patienter ineptias audiamus, & tunc intelligemus quæ sunt Judaicæ fabulæ, sine authoritate Scripturæ, sine ulla assertione rationis, &c.*

3 Matth. 15. 11. & seq.

4 Est. Men. Tirin.

5 Vide Rom. 1. 20. & 1. Timoth. 5. 8. & 2. Timoth. 3. 5.

CAPUT II.

Quomodo Senes, & Juvenes erudiendi sint. Quid Tito faciendum. Gratia nos illuminat, Dei erga nos liberalitas.

1. TU autem loquere, quæ decent sanam doctrinam: 2 Senes ut sobrii sint,
pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia: 3 Anus
similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes,
bene docentes: 4 Ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament,
filios suos diligant; 5 Prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, be-
nignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. 6 Juvenes simili-
ter hortare, ut sobrii sint, 7 In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum o-
perum, in doctrina, in integritate, in gravitate, 8 Verbum sanum, irreprehensi-
bile: ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.
9 Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes,
10 Non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes: ut doctrinam Sal-
vatoris nostri Dei ornent in omnibus. 11 Apparuit enim gratia Dei Salvatoris no-
stri omnibus hominibus, 12 Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcu-
laria desideria, sobrie, & juste, & pie vivamus in hoc sæculo, 13 Expectantes
beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi,

14 Qui

14 Qui dedit sibimetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. 15 Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

℣. 1. LOQUERE, QUÆ DECENT SANAM DOCTRINAM.] Non satis est sanam doctrinam docere, inquit S. Hieronymus; ea, qua par est, ratione docenda est: ita scilicet ut qui eamdem verbo docet, facto non dedoceat. *Tunc doctrinæ est sanitas, cum Doctoris doctrina pariter, & vita consentiant.* Non auditorum tuorum indocilitas, non inimicorum nequitia, non hominum metus te deterreant, quominus munere tuo perfungaris. Doce opportune, importune, cum omni patientia, & suavitate.

℣. 2. SENES, UT SOBRII SINT.] Græci Patres [1] pro *sobriis* hic vigilantes, atque attentos intelligunt: sed Latini Interpretes ad litteram explicant de sobrietate. Senes enim imbecillitatem prætexentes immodice se ingurgitant mero. Veteres vinum lac Senum esse dixerunt; & *Aquilæ senectus* in adagium abiit ad eum inouendum, qui jam senex multa bibit, pauca manducat. Hoc tamen bibaces Senes non excusat; quorum ætatis virtutes propriæ sunt sobrietas, temperantia, prudentia; & quorum valetudo ex immodico vini haustu majus patitur detrimentum, quam vires acquirat.

SANI IN FIDE.] Sint fide pura, integra, sana, ab omni prorsus sequiori suspicione remota. Videtur S. Hieronymus asserere, in hoc positam esse fidei integritatem, non solum ut credas, verum etiam ut fidei veritates, & JESU CHRISTI præcepta sedulo adimpleas.

℣. 3. ANUS SIMILITER IN HABITU SANCTO.] Per *Anus* nonnulli [2] Viduas, vel Ecclesiæ Diaconissas intellexerunt: sed communis est sententia, hic agi de mulieribus omnibus ætate provectioribus [3]. Jubet S. Paulus [4], externam earum speciem compositam esse, atque modestam, morum sanctitatem, ac puritatem vitæ in earum vestitu, incessu, oris habitu, ac sermone effulgere: *Ut ipse quoque earum incessus, & motus, vultus, sermo, silentium, quamdam decoris sacri referant dignitatem*, S. Hieronymus inquit. Alii vero hoc in arctiori explicant sensu de earum vestitu, qui gravis esse debet, atque modestus [5]. Confer 1. *Timoth.* 2. 9. Hammondius Græcum ita verti vellet: *Anus eam vitam ducans, quæ decet Mulieres, Ecclesiæ ministerio vacantes*, vel in ea dignitate constitutas, qua ab aliis vulgo distinguuntur: Diaconissas intelligit; sed hæc sententia cum reliquo sermone non satis belle cohæret.

NON CRIMINATRICES.] Græca vox [6] proprie *Calumniatrices* significat, quæ vanos, fictosque rumores serunt; sed cum obtrectatio fere semper cum calumnia, & mendacio conjuncta sit, indiscriminatim etiam obtrectatio pro calumnia usurpatur.

NON MULTO VINO SERVIENTES [7].] Vere servientes; habitus enim quædam est species servitutis. Anus vinosæ esse redarguuntur. *Vinosior ætas hæc erat*, ait Ovidius: sed nihil magis eam ætatem, eumque sexum dedecet, quam vino madere, atque ebrietatis habitum contrahere. *Quomodo poterit docere Anus Adolescentulas castitatem, cum si ebrietatem veteris mulieris adolescentula fuerit imitata, pudica esse non possit* [8]?

BENE DOCENTES.] Complures Græcum [9] vertunt: *docentes honestatem*, pudicitiam, religionem, modestiam. Has illæ doceant scientia, exemplo simul, & verbo. Alibi [10] vetat S. Paulus, Mulieres docere; sed intelligit in publicis Conventibus, ubi illas loqui, & Evangelistarum munere perfungi non patitur. Hic vero agit de peculiaribus monitis, quæ Matronæ tradere debent domi suæ adolescentulis, quarum cura ipsis est concredita [11]. Ne tribuant illis præcepta vanitatis, immodestiæ, levitatis, impudicitiæ, sed sapientiæ, gravitatis, modestiæ, atque puderis.

℣. 4. UT PRUDENTIAM DOCEANT ADOLESCENTULAS.] Græca vox [12] quam Vulgata *prudentiam* vertit, significare potest prudentiam, sapientiam, modestiam, temperantiam, castitatem. Ita verti potest: *doceant adolescentulas optimæ vitæ rationem*, atque in illas virtutum omnium, quæ muliebrem sexum decent, amorem immittant.

UT VIROS SUOS AMENT.] Hoc primum est documentum adolescentulis tradendum, ut viros suos colant, observent, ament, sed pudice ament, iisque obtemperent. *Vult eas amare Viros suos caste; vult inter Virum, & Mulierem esse pudicam dilectionem*, ait S. Hieronymus [13].

℣. 5. PRUDENTES, CASTAS, SOBRIAS.] Prior Græca vox [14] verti potest, *modestas*, temperantes, sapientes, frugi: altera *castas*: sed nihil est in Græco, quod *sobrias* respondeat: immo plures adsunt Latini MSS. [15], qui non legunt *sobrias*; alii vero [16] *sobriae* immediate post *prudentes* afferunt; unde conjicere est, *prudentes* & *sobrias* synonyma esse vocabula, utraque Græco *Sophronas* respondentia, cujus significatio latius patet.

DOMUS CURAM HABENTES.] Græcus: *domus custodes* [17], domi permanentes. Non decet, Mulierem extra domum excurrere, & alienis se in negotiis immiscere. Vide, quæ adnotavimus in 1. *Timoth.* 5. 13. Psalmista Psal. 127. 3. Mulierem frugi comparat viti uberrimæ ad latus domus viri sui positæ; & Mulier fortis Salomonis domesticis tantum curis vacat. Prov. 31. 10.

SUBDITAS VIRIS SUIS, UT NON BLASPHEMETUR VERBUM DEI.] Ethnici, Judæi, Christianæ religionis hostes, non aliud quærunt, quam causas, quas prætexant, ut nos in odium rapiant, atque invidiam; & iram suam colore aliquo celent. Quid autem inquient, si viderint Christianas Mulieres incompositas, immodestas, superbas, inquietas, viris suis minime subditas? Quid dicent Mariti Ethnici, vel Judæi, si Christianas Uxores suas viderint minus pudicas, & minus sibi obtemperantes, quam Ethnicæ Mulieres esse soleant? Quas illi in religionem, atque Verbum Dei blasphemias evoment? Hæccine illa est religio, quæ alios omnes se reformare gloriatur?

℣. 6. JUVENES SIMILITER HORTARE, UT SOBRII SINT.] Hic eadem Græca vox occurrit [18], de qua ℣. superiori loquuti sumus, & cujus adeo patet significatio.

℣. 7. IN OMNIBUS TEIPSUM PRÆBE EXEMPLUM.] Non satis est, Episcopum docere, sanam doctrinam prædicare, Dei Legem callere, Verbi donum obtinuisse; opor-

1 Theodoret. Theophl. Hieron. *Senes sobrios esse, sive vigilantes; quia νηφαλίους apud Græcos utrumque sonat.*
2 Quidam apud Hieronym. & Theophyl. Hammond.
3 Hieronym. Chrysostom. Theodoret. Theophyl. Est. Grot. alii.
4 Πρεσβύτιδας ὡσαύτως ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς, Alii: ἱεροπρεπῶς. Ita Clem. Alex. Vulg. Colb. 7. alii.
5 Chrysost. hic. Ita & Theophyl. Theodoret.
6 Μὴ διαβόλους: *Non calumniatrices.*
7 Μὴ οἴνῳ πολλῷ δεδουλωμένας.
8 Hieronym. hic.
9 Καλοδιδασκάλους.
10 1. Timot. 2. 12. 1. Cor. 14. 34.
11 Chrysost. Hieron. Theophyl. alii.
12 Ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας.
13 Hieronym. hic: *Ut cum pudore, & verecundia, & quasi necessitate famus, reddat potius debitum viro, quam exigat ab eo, & opera libererum ante oculos Dei, & Angelorum perpetrare se credat.*
14 Σώφρονας, ἁγνάς.
15 Clarom. Lat. S. Germ. Lat. alii apud Brug.
16 Codd. 8. e quibus unus Malmundar. eximios, Vulgatam exhibens, qualis erat ante Hieronymi Versionem. Duo alii Lovanienses optimæ notæ apud Brug.
17 [illegible]: Domus custodes.
18 Τοὺς νεωτέρους σωφρονεῖν.

oportet etiam, ut sis tui Gregis exemplar [1], idque A *in omnibus*, in vita, modestia, pietate, sapientia, ut in ipsius exemplo omnis ætas, status omnis, atque conditio aliquid percipere possit. Si illius sermo cum exemplo minime conjunctus fuerit, in Audientium animis nullum umquam efficiet fructum [2]. Græcus editus legit [3]: *exhibe te in omnibus exemplum bonorum operum*, & habe *in doctrina tua integritatem, gravitatem, puritatem*.

℣. 8. VERBUM SANUM IRREPREHENSIBILE, UT IS, QUI EX ADVERSO EST &c.] Fides, atque doctrina tua sit pura, & ejusmodi, ut neque erroris, aut novitatis insimulari, aut contemni, aut in sequiorem sensum detorqueri possit [4], nisi quis æquitati, ac bonæ fidei injustius esse velit: nihil enim insidiæ, atque malæ fidei obnoxium non est. Addit S. Paulus: *ut iis*, B *qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis*. Quidam [5] pro eo, *qui ex adverso est*, Dæmonem hoc in loco intellexerunt: sed plerique intelligunt inimicos Ecclesiæ, Judæos, Gentiles, quorum omnis cura est, ut Christianorum, Apostolorum, & Episcoporum moribus, & vita scrutentur aliquid, quod reprehendere possint, ut illos criminentur, eosque in mortalium omnium odium abripiant.

℣. 9. SERVOS DOMINIS SUIS PLACENTES ESSE.] Ita verti potest: *Servos hortare, ut Dominis suis serviant, atque placere contendant*: quod idem est. Servi dominos suos vereri, & colere debent in iis omnibus, quæ non adversantur Legi, & voluntati Dei, qui Dominus est Dominorum [6]. *Non contradicentes*. Communis servorum defectus est, contra Dominum murmu- C rare, illi obedientiam detrectare, illius mores, atque jussa corripere. S. Paulus hæc omnia damnat, atque in Christianis, qui serviunt, has imperfectiones redarguit. Considerent illi dominum suum, quasi eumdem JESUM CHRISTUM: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore tamquam CHRISTO*, Ephes. 5. 6. Et Coloss. 3. 22. *Servi obedite per omnia Dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum. Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus*.

℣. 10. NON FRAUDANTES [7].] Hoc semper servorum vitium fuit, Domino suo aliquid suffurari. Cum Judex aliquis coram sapienti quodam viro se integerrimum esse gloriaretur, & nihil ab ullo accepisse: *respondit: optimum servum faceret, sine fugitivus esset: integritas furti suspicio ab omni libera debet esse aliena*; D S. Hieronymus ait.

IN OMNIBUS FIDEM BONAM OSTENDENTES.] Græcus [8]: *ostendentes omne genus bonæ fidei*. Syrus, & Textus Theophylacti Vulgatæ conformes sunt. Petit Apostolus ex servis Christianis bonam fidem, rectitudinem, fidelitatem, pietatem, quæ in libertis Ethnicis non inveniuntur. Nihil hoc aptius est, *ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus*, & revereantur, quemadmodum hic S. Paulus ait. Quid enim de JESU CHRISTI doctrina cogitare poterant Gentiles, videntes, hanc in servis ipsis adeo insperatam mutationem perficere [9]?

℣. 11. APPARUIT GRATIA DOMINI NOSTRI SALVATORIS.] Græcus [10]: *apparuit gratia Dei nostri omnibus hominibus*. Nulla mortalium excipitur conditio; liber, & servus, Judæus, & Gentilis beneficii hujus participes sunt. Salus est pro omnibus hominibus. Prædica, erudi, hortare omnia hominum genera promiscue, atque servis ipsis Evangelii perfectionem propone. Deus omnium hominum Pater est, & Creator [11]: gratia illius instruit, illuminat, & sanctificat eos omnes, quibus Deus aperit cor, & qui non statuunt obices bonitati ipsius, ad salutem invitanti.

℣. 12. UT ABNEGANTES IMPIETATEM, ET SÆCULARIA DESIDERIA.] Ea desideria, quæ Mundi Princeps in nobis excitat, & quæ cum Mundo eodem solidiora non sint, cum illo pertransëunt, & tamquam nebula coram Sole evanescunt [12]. Eorum desideriorum objectum est gloria, divitiæ, honores, sæculi voluptates, quibus omnibus nos abrenonciare Christiana jubet Religio, ut *pie* [13], vel sobrie, modeste, sapienter *vivamus in hoc sæculo*.

℣. 13. EXPECTANTES BEATAM SPEM, ET ADVENTUM DOMINI.] Christiana Religio nullum in terris bonum promittit illis, qui eamdem profitentur: omnis spes nostra ad alteram vitam refertur. Secundum JESU CHRISTI adventum [14] præstolamur, qui in gloria sua apparebit, ut nos resuscitet, immortalitate induat, atque secundum opera singulorum retribuat. Quidam [15], hæc verba *magni Dei, & Salvatoris nostri* explicant, tamquam significantia adventum Patris simul, & Filii, qui venient Mundum judicaturi; sed plerique de Filio intelligunt, cui uni Scriptura, ut plurimum, Judicis officium, ac dignitatem attribuit [16]: *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*.

℣. 14. ET MUNDARET SIBI POPULUM ACCEPTABILEM.] Potissimum Filii Dei in Mundum venientis consilium illud fuit, ut Ecclesiam efficeret tamquam sponsam, puram, & sine macula; atque ut populum sanctum, & perfectos in spiritu, & veritate adoratores compararet. Græcæ voces [17], quas Vulgata vertit, *populum acceptabilem*, significant *populum particularem*, qui ad ipsum pertineat nomini suo, & cultui dicatum, & qui quodammodo ipsi familiaris sit, suaque possessio, & hæreditas. Talis ante JESUM CHRISTUM erat Judæorum populus. Dominus elegerat illum summo cum honore ex Nationibus, ut sibi esset populus electus, & hæreditas: *eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra; & vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & gens Sancta*, Exod. 19. 5. Per Baptismum assequuti sumus omnia antiqui hujus Populi jura, idque modo longe perfectiori: *Vos autem genus electum*, inquit Sanctus Petrus Apostolus in Epist. 2. 9. *regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis*, vel redemptos, *ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*.

℣. 15 HÆC LOQUERE . . . . CUM OMNI IMPERIO [18].] Summa cum auctoritate, tamquam potestatem obtinens Dei ipsius, loquens verbis ejus, & ipsius auctoritate præcipiens. Cum Titus adhuc esset adolescentior, oportebat, ut sibi existimationem, atque auctoritatem conciliaret in populis suæ curæ traditis; quapropter illi Sanctus Paulus ait; *nemo te contemnat*. Ita vitam tuam institue, ut nemo te contem-

1 Hieronym. hic: *Nihil prodest aliquem exercitatum esse in loquendo, & ad loquendum acuisse linguam, nisi plus exemplo docuerit, quam verbo*. 2 Theodoret.
3 Ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν, σεμνότητα, ἀφθαρσίαν. Sed plures optimi MSS. omittunt ἀφθαρσίαν. Chrysost. Claromont. S. German. G. L. Borner. Baroc. alii. Froben. Ald. Oecumen. Theophylact.
4 Λόγον ὑγιῆ, καὶ ἀκατάγνωστον. 5 Quidam apud Hieronym. & Theophylact.
6 Hieron. hic. 7 Μὴ νοσφιζομένους. Hieronym. *Non furantes*. Alii: *Nihil intervertentes*, vel *suffurantes*.
8 Ἀλλὰ πίστιν πᾶσαν ἐνδεικνυμένους ἀγαθήν. 9 Vide Hieronym. Theophylact. Theodoret.
10 Ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις. Alii: Τοῦ σωτῆρος. Cyril. Jerosol. alii: Τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. Ita Borner. G. L. Copht. Vulg. Calarit. Hieronym. Hieronymiast. Ambrosiast. alii. *Gratia Dei salutaris*. Ita Clarom. & Germ. Lat. 11 Vide Hieron. Est. alios. 12 Hieronym. hic: *Sæcularia desideria sunt, quæ a mundi hujus Principe suggeruntur: & cum fine sæculi, cum sæculi hujus nube pertranseunt*.
13 *Sobrie*. Græc. Σωφρόνως. 14 Ita Chrysostom. Hieronym. alii Græci, & Latini passim.
15 Ambrosiast. Erasm. Grot. 16 Joan. 5. 22. Joan. 3. 35. 17. 2. Act. 17. 31. 1. Petri 4. 5.
17 Καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον. Vide Hieronym. hic.
18 Μετὰ πάσης ἐπιταγῆς: *Cum omni injunctione*. Μετὰ ἐξουσίας, αὐθεντίας. Theophylact.

contemnendi occasionem arripiat. Tantum indue gravitatis, & modestiæ, ut omnis populus te revereatur, atque tibi obtemperet. Quidam Græcum [1] ita vertunt: nemo glorietur, se plura scire, quam tu; vel, nemo se jactet, tamquam te sapientiorem. Sed prior versio magis arridet. Confer 1. *Timoth.* 4. 12. *Nemo adolescentiam tuam contemnat*. Sancto, ac prudenti zelo tuam auctoritatem, & prærogativas, quibus Deus dignitatem tuam cumulavit, tuere. Qui te contemnit, contemnit Deum, a quo constitutus fuisti.

1 *Μηδείς σε περιφρονείτω*. Castalio, Sculter.

C A P U T III.

Obedientia, quæ potestatibus debetur. A malo abstinendum. Contentiones evitandæ. Hæretici fugiendi. S. Paulus Titum orat, ut ad se veniat. Illi bona opera commendat.

1\. ADmone illos, principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire,
ad omne opus bonum paratos esse: 2 Neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.
3 Eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes,
servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia, & invidia agentes, odibiles, odientes invicem.
4 Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei,
5 Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti,
6 Quem effudit in nos abunde per Jesum Christum
Salvatorem nostrum:
7 Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem
vitæ æternæ.
8 Fidelis sermo est: & de his volo te confirmare: ut curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo. Hæc sunt bona, & utilia hominibus.
9 Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita, sunt enim inutiles, & vanæ.
10 Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita:
11 Sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.
12 Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim: ibi enim statui hyemare.
13 Zenam legisperitum, & Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit.
14 Discant autem, & nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.
15 Salutant te, qui mecum sunt omnes; saluta eos, qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

℣.1. PRINCIPIBUS, ET POTESTATIBUS SUBDITOS ESSE.] Cum tunc temporis complures essent ex Judæis, qui præsenti Reipublicæ statui non acquiescerent, præsertim vero Judæ Galilæi discipuli asserentes, Hebræis obtemperandum esse uni tantum Deo, vel Principibus gentis suæ, non autem Ethnicis, atque exteris; S. Paulus secundum Salvatoris mentem, atque instituta [1] sæpius fidelibus iterat [2] hanc eamdem necessitatem, qua potestatibus temporalibus a Deo constitutis est obtemperandum [3]. Sed cum Romani Imperatores, penes quos rerum omnium summa erat, & Provinciarum Præsides, qui eorumdem nomine imperitabant, Gentiles essent; ne quis abuteretur præceptis a se traditis, inde inferens, Principibus qualibet in re indiscriminatim esse obtemperandum, in explicationis vel exceptionis formam addit; *admone, ad omne opus bonum paratos esse*. Semper parati sint, ut jussa facessant, donec Dei Lex, atque mandata non obstiterint iis, quæ a Principibus fuerint imperata. Etenim si præciperent, ut Idolis thura adoleremus, vel JESUM CHRISTUM abdicaremus, tunc illis respondendum esset: melius est obedire Deo, quam hominibus [4].

℣.2. NEMINEM BLASPHEMARE.] Verbum *blasphemare* [5] dicitur de maledictis, quæ in aliquem proferuntur, de contumeliis, quibus aliquis proscinditur, & generatim de calumniis, atque obtrectationibus, præcipue vero de illis, quæ existimationi labem offundunt. S. Hieronymus [6] explicat de blasphemia, vel maledictione: ne blasphemiam evomant, vel contra hominem, vel contra Angelum, vel contra aliquid creatum. S. Judas ait, S. Michaelem ipsum adversus Dæmonem pro Moysis corpore depugnantem ausum non fuisse in illum blasphemiæ judicium proferre [7]. Lucifer quidem hoc judicium merebatur, sed ex Sancti Michaelis ore emanare non debebat. Prior explicatio aptior est, atque plurium Interpretum suffragiis probatur.

NON LITIGIOSOS [8].] Ut in pace cum omnibus vivant, etiam cum illis, qui sunt difficiliores, atque paci magis infensi. Quænam virtus est in pace cum pacificis vivere? *Non solum cum modestis, sed etiam cum rixo-*

1 Matth. 22. 17. . . . 21. 2 Rom. 13. 1. 2. & seq. 1. Timoth. 2. 1. 2. & 1. Petri 2. 13. 14. 16. 17.
3 Hieronym. in hunc loc. Est. Men. 4 Theodoret. hic.
5 Μηδένα βλασφημεῖν. Theodoret. Theophyl. 6 Hieronym. hic: *Neminem blasphemare, non simpliciter accipitur. Nec enim ait: Neminem hominem blasphemare; sed absolute neminem; non Angelum, non aliquam creaturam Dei, &c.* 7 Judæ vers. 9. 8 Ἀμάχους: *Non pugnaces*.

vicesse; quia nulla virtus est fervo mansuetior [1]. renovaremur, & ex nobis novi homines fierent.

℣. 3. ERAMUS ENIM ALIQUANDO ET NOS INSIPIENTES.] S. Paulus non sine modestiæ, & humilitatis exemplo semet in peccatorum, impiorum, atque infidelium turba commiscet. Immunis ille fuerat, non solum ab Idolorum cultu, aliisque Ethnicorum sceleribus, verum etiam a plurimis flagitiis, quæ inter Judæos grassabantur: tamen ille semper ob oculos versabatur persecutio, quam contra Sanctos ante suam conversionem exciverat; & se se confundens magno in numero eorum, qui ad fidem fuerant vocati, ait, illos servos fuisse peccati, alios quidem hoc pacto, alios alio [2]. *Insipientes*; hoc præsertim spectat ad eos, qui in Ethnica religione, & serviendo Idolorum cultu vivebant. *Increduli*; Inobedientes velut Judæi, qui cum Dei Legem recepissent, illi non obtemperabant. *Errantes* a via veritatis umbras, & figuras rem ipsam esse censentes; & Divinæ Legi traditiones humanas subrogantes. *Servientes desideriis, & voluptatibus variis*. Hæc est omnium peccatorum descriptio.

Putant nonnulli [3], Apostolum dicentem: *eramus aliquando, & nos insipientes &c.* loquutum fuisse, non in sua, sed in persona Ethnicorum, & Judæorum ad JESU CHRISTI religionem traductorum, quibus se se immiscere dignatur, utpote qui cum illis membrum sit corporis ejusdem Ecclesiæ. Quasi diceret Tito: fideles admone, ut humani sint, & moderati erga omnes, præsertim vero erga alienos, atque meminerint, quid olim fuerint ante conversionem suam, & me gratia JESU CHRISTI, quam nunc consequuti, efficiat, ut aliis superbiores se præbeant, eosque contemnant. Eramus olim, quod illi non sunt; fieri & illi possunt, quod sumus. Illi inimici sunt, illi nos persequuntur; si Deo placuerit, nostri erunt amici, & fratres.

℣. 4. CUM AUTEM BENIGNITAS, ET HUMANITAS APPARUIT.] Humanitas hoc in loco non significat JESU CHRISTI humanitatem, vel humanam naturam, quam induit, cum nostram carnem assumpsit [4]; sed illius clementiam, benevolentiam, mansuetudinem erga homines [5], qua adactus fuit, ut nos redimeret, ad fidem vocaret, & suis donis præverteret.

℣. 5. NON EX OPERIBUS JUSTITIÆ.] Ille quidem in universa humana natura generatim, & in nostrum quolibet singillatim non aliud intuebatur, quam demerita, peccata, odii, & contemptus argumenta: sed ex mera sua misericordia nos accersivit, & justificavit. Ipse origo est non primæ tantum gratiæ [6], sed cæterarum etiam. Ipsa immo perseverantia, & beatitudo effectus sunt meræ in nos liberalitatis: attamen misericordia ejus tanta est, ut, cum Illius ope fulti cooperamur gratiæ ipsius per fidem nostram, velit, ut propria dona simul & merita nostra censeantur. *Tanta est enim Dei bonitas, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*, ait Cœlestinus Papa.

PER LAVACRUM REGENERATIONIS.] JESU CHRISTI baptismus nobis est tamquam nova nativitas: per illum evadimus filii Dei, & hæredes Cœli, cum antea essemus filii iræ, filii vindictæ. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei*, inquit Salvator Joan. 3. 3. Hoc illud est mysterium, quod Nicodemus intelligere non poterat. Adeo corrupti eramus [7], Theophylactus inquit, ut nihil capiare nos posset; sed nova opus fuit nativitate, atque omnimoda renovatione. Ubi domus aliqua adeo caduca est, ut neque reparari, neque fulciri possit; a fundamentis evertitur, atque alia ædificatur. Ita opor fuit, ut omnino renovaremur, & ex nobis novi homines fierent.

ET RENOVATIONIS SPIRITUS SANCTI [8].] & per renovationem Spiritus Sancti: Vel, si cum superioribus connectatur: per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti. Profecto in baptismo non solum per justificationis gratiam regeneramur, sed renovamur etiam per effusionem Spiritus Sancti in corda nostra: Deus effudit in nobis hujus Spiritus dona in summa copia, & largitate per JESUM CHRISTUM Salvatorem nostrum, *quem effudit in nos abunde* [9] *per* JESUM CHRISTUM. Tota Sanctissima Trinitas ad hanc renovationem, & sanctificationem concurrit; Pater in nos Spiritum suum effundit; Spiritus Sanctus interioribus, atque exterioribus donis suis nos cumulat; JESUS CHRISTUS hanc Spiritus Sancti effusionem, & hæc dona nobis promeretur.

℣. 7. UT JUSTIFICATI GRATIÆ IPSIUS, HÆREDES SIMUS.] Gratia, quæ nos justificat, quæ efficit, ut bona opera efficiamus, quæ etiam facit æternæ vitæ hæredes; Deus enim nostra coronans merita, atque bona opera remunerans, suas quoque gratias, sua ipsa dona coronat [10].

℣. 8. FIDELIS SERMO EST.] Quidquid tibi dixi [11], certissimum est, nec umquam nimis adlaborabis, ut fideles in hujusmodi humilitatis, gratitudinis, & confidentiæ sensibus confirmes. Alii [12] ea verba, *fidelis sermo*, referunt ad subsequentia: hæc certissima est veritas, & in qua te obtestor, ut fideles confirmes. *Eos, quibus Deus fidem tribuit, semper etiam primos esse debere ad bona opera exercenda*: fidem sine bonis operibus sanam non esse: electionem, & vocationem suam certam illis esse faciendam exercitatione virtutis, & eo vivendi genere, quod JESUM CHRISTUM, & Christianæ religionis professionem maxime deceat.

Græcus Textus alio in sensu potest explicari [13]: illos hortare, ut honestam aliquam artem profiteantur, & domi suæ alicui utili negotio vacent [14], ne aliis sint onerosi. Hæc eadem loquutio invenitur etiam infra ℣. 14. *Bona opera* non significant solum moralia facta laude digna, verum etiam honestum laborem, & artis utilis quidem, non turpis, exercitationem.

℣. 9. STULTAS AUTEM QUÆSTIONES.] Creta Insula Judæis erat referta, quorum quidem alii conversi erant, alii fidem impugnabant. Titus gentilis natus erat, neque erat adeo versatus, ut Judæi, in curiosis quæstionibus genealogiarum, temporum, chronologiæ, variantium lectionum, aliarumque rerum, quæ proprie ad Criticum Bibliorum studium pertinent, & quibus olim Judæi unice studebant, atque gloriabantur [15]. Prohibet ergo S. Paulus, ne Titus iis quæstionibus vacet, quæ magis curiosæ sunt, quam utiles, speciosæ magis, quam solidæ, quas ipse vanas, stultas, atque inutiles nominat.

Profecto si conferantur cum soliditate moralium præceptorum Legis, & cum Prophetiis, quæ Messiam respiciunt; atque cum JESU CHRISTI doctrina, quæ in Evangelio continetur; quænam sunt hæ quæstiones verborum, temporum, genealogiarum, geographiæ, grammaticalis vocum significationis, cæterarumque rerum, quæ ad artem criticam spectant? Quænam Rabbinicarum explicationum subtilitas, traditionum series, grammaticorum ineptiæ; si cum majestate articulorum fidei nostræ, si cum JESU CHRISTI doctrina conferantur? Vide a nobis dicta in 1. *Timoth.* 1. 4. *Neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant, magis quam ædificationem Dei*. Et 2. *Timoth.* 2. 23.

HÆRE-

---

1 Hieronym. hic. 2 Vide Theodoret. hic, Est. alios. 3 Quid. apud Hieronym. Grot.
4 D. Bern. serm. 1. de Epiphan. D. Thom. alii quidam. 5 Φιλανθρωπία. 6 Chrys. Theophyl.
7 Theophyl. 8 Διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, καὶ ἀνακαινώσεως Πνεύματος ἁγίου. Verti potest: *Per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus*. Ita Hieron. Chrys. Syr. 9 Πλουσίως. Hieron. *Opulenter*. Aug. de grat. & lib. arbitr. c. 5. *Ditissime*. 10 Epist. Celestini I. Concil. Trid. sess. 6. c. 16. 11 Hieron. Chrys. Theodoret. Est. Scult. alii. 12 Ambrosiast. Theophyl. Grot. 13 Ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐστασθαι.
14 Grot. Hamm. Scultet. Le Clerc. 15 Hieron. hic: *Judæi ab exordio Adam, usque ad extremum Zorobabel, omnium generationes ita memoriter, velociterque percurrunt, ut eos suum putes referre nomen. Ergo nos si forte non ita novimus, putant se in nominibus referendis, & in supputationibus annorum, & in nepotibus, & abnepotibus, avis, proavis, & atavis doctiores*. Vide Est. Grot. Men. &c.

℣. 10. HÆRETICUM HOMINEM POST PRIMAM, ET SECUNDAM CORREPTIONEM [1] DEVITA.] Hæreticus ille est, qui mordicus tenet sententias doctrinæ sanæ oppositas, & qui ab Ecclesia secedere mavult, quam illius sanctionibus, atque disciplinæ se se subjicere. Ubi semel aliquis hanc mentem induit: & postquem semel, & bis tum charitate correptus fuerit, si se se submittere abnuit, atque in errore suo mordicus persistit, ab illo recedendum est, & ille deserendus tamquam homo periculosus, atque incorrigibilis. Ne cunctaris cum hominibus hujusmodi decertans; rationem enim non audiunt: *sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Ex quo aliter cogitet ab Ecclesia, & Pastoribus ejus, statim se suo ore condemnat. Ille te in errore versari putet, inquit S. Hieronymus, & quin aures verbis tuis præbeat, in id incumbit, ut te fallat, teque in suam sententiam perducat.

Veteres quidem hic legunt: *vita hominem hæreticum post unam correptionem.* S. Irenæus l. 3. c. 3. Tertullianus Præscript. c. 6. S. Cyprianus ep. 59. S. Ambrosius l. 1. de Abrah. S. Fulgentius l. 2. ad Monim. c. 3. Lucifer Calaritanus p. 219. & vetera quædam Græca exemplaria uti S. Hieronymi, atque Ambrosiaster non legunt, *& secundam*. Credebant satis esse, ut hæreticus semel admoneretur, vel corriperetur; secundum vero, vel tertium monitum non profuturum, sed illum impotentiorem, atque pervicaciorem facturum arbitrabantur. Sed Vulgata lectio hodie reperitur in exemplaribus omnibus cum MSS. tum editis, cum Latinis, tum Græcis, atque apud Patres plerosque.

℣. 11. SCIENS QUIA SUBVERSUS EST.] Si te post alteram monitionem contempserit, illum sibi trade. Licet tu aperte illum non judices, neque damnes, satis est *proprio judicio condemnatus*; errores ipsius in illum testes insurgunt; illius sese prodit obduratio, quod neque rationibus tuis, neque Ecclesiæ auctoritati præbet aures. Nullam potest amplius, vel ignorantiam, vel infirmitatem prætexere; quoniam exploratam veritatem sciens, & volens impugnat. Ecclesiæ unitatem infringit, atque sibi partes studet efficere oppositas partibus Pastorum, atque Fidelium; & ita quodammodo seipsum excommunicat [2], a fidelibus secedens; atque in semet gravissimam fert sententiam, quam Ecclesia ferre posset, si jure suo uteretur. Cum autem excommunicatio æternæ damnationis præjudicium sit, quid ex eo sperari potest, quem malum adeo terribile non afficit [3]?

℣. 12. CUM MISERO AD TE ARTEMAM.] S. Paulus per Insulam Cretam pertransiens ibi reliquerat Titum, & fortasse etiam Zenam, & Apollinem, qui fideles Insulæ illius regerent, atque erudirent. Mox inde in Judæam venit, & rediit in Asiam, Ecclesias omnes a se institutas invisens; cogitans se hyemem traducturum Nicopoli, Epiri Urbe, secum sinum Ambracium [4]; vel cum aliis [5], Nicopoli in Thracia, in finibus Macedoniæ ad Nessum fluvium. S. Hieronymus credit etiam, illum in hac Urbe fuisse, cum hoc litteratum dedit. Quomodocumque sit, Tito hoc in loco dicit, se cupere, ut ipsum Nicopolim conveniat: verum monet, ne ante Artemæ adventum discedat; quippe hic vices illius subiturus erat, atque eo absente Ecclesiæ illi præfuturus: non enim decebat, ut Insula Creta sine Pastoribus relinqueretur.

Credit S. Chrysostomus in Tit. hom. 6. voluisse Apostolum, ut ad se Titus accederet, cum eodem hyemem teram transfecturos, & eum magis, magisque in religionis scientia, atque Episcopi muneribus erudiret. Artemam ex aliis Scripturæ locis, & ex historia non novimus: verum satis abunde viri hujus meritum testatur officium illud, ad quod S. Paulus eumdem elegerat, pro Tito Provinciam Cretam ejusdem curæ committens.

℣. 13. ZENAM LEGISPERITUM, ET APOLLO.] Zenas, & Apollo ipsi quoque ad S. Paulum Nicopolim erant venturi; at non opus erat, ut Artemæ, vel Tychici adventum præstolarentur; ideoque ubi vellent, discedere poterant. Apostolus addit: attende, *ut nihil illis desit* pro itinere; æquum enim erat, ut cum utiliter pro Evangelio adlaborassent, fideles abunde providerent iis omnibus, quibus egebant discessuri, & ex Creta Nicopolim adnavigaturi. Apollinem satis novimus, atque de illo non semel verba fecimus in Act. 18. 24. & in 1. Ep. ad Cor. 1. 12. Quod spectat ad *Zenam Legisperitum*, hic tantum, cum illius meminerit Scriptura, nihil aliud nobis exploratum est, nisi hunc Apostolicum fuisse virum, & plane Judæum a nativitate. Nomen *Legisperiti* [6] hoc in loco idem est, ac *Doctoris Legis*, vel *Legisperiti Evangelici*; & innuit, hominem in primis Judaicarum Legum cognitione præstantem.

℣. 14. DISCANT AUTEM ET NOSTRI BONIS OPERIBUS PRÆESSE.] Vidimus jam ℣. 8. hanc loquendi rationem [7], *bonis operibus præesse*, quæ significat toto pectore, ac studio bona opera exercere; peragere ea, quæ ad charitatem pertinent certatim: vel hoc publice profiteri; inde honorem, atque voluptatem percipere. Quidam [8] hoc alio intelligunt in sensu: *nostri, fideles vacent honestis artibus*, ut victum sibi comparent, vel ut inertiam, atque turpe illud probrum evitent, quo Cretenses, tamquam *ventres pigri* damnantur, atque ednitantur, ut nemini graves sint, sed laboribus suis propriæ consulant egestati: *ad usus necessarios non sint infructuosi*, quæ explicatio optima quidem videtur, atque aptissima. Patres [9] hoc intelligunt, quasi S. Paulus vellet, ut Cretenses abunde Zenæ, & Apollinis egestatibus subvenirent; explicant enim *bona opera* in sensu operum charitatis, atque temporalis subsidii.

℣. 15. SALUTA EOS, QUI NOS AMANT IN FIDE.] Saluta fideles, qui vere fideles sunt, & veritatis amici, vel *qui nos vere amant* a fideles, & sinceros amicos nostros [10]. Denique dici potest, S. Paulum isthic distinguere amorem, qui est in fide, vel quem fides producit, vel qui est secundum fidem, ab amore naturali, ab amicitia, quæ naturali quodam studio aliquem complectimur, vel ea, quæ inter amicos versatur. Amor, de quo S. Paulus verba facit, charitati, atque pietati innititur. CHRISTI fidelis parentes suos, consanguineos, amicos, atque inimicos etiam fidei amore diligit [11]: nam in iis omnibus Dei imaginem, dona, opus, Imperium aspicit.

Græca exemplaria typis edita ad Epistolæ hujus calcem hanc legunt subscriptionem: *Epistola ad Titum primum Cretæ Episcopum scripta fuit Nicopoli Urbe Macedoniæ*: & Syrus addit, *missam fuisse* per Zenam, & Apollinem. Veteres complures MSS. simpliciter legunt [12]; Epistola ad Titum *Nicopoli scripta fuit*, quin dicant, hanc esse Nicopolim Macedoniæ, vel Titum primum fuisse Insulæ Cretæ Episcopum. Sed Græci, atque Latini in hoc omnes consentiunt, ut dicant, Nicopoli scriptam fuisse: alii vero subscriptionem hanc prorsus omittunt. Consulenda est Præfatio.

1 Μετὰ μίαν, καὶ δευτέραν νουθεσίαν. Clarom. & S. Germ. Μετὰ μίαν, καὶ δὶς: *Post unam correptionem, & duo devita*. 2 Hieronym. *Hæretici in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes: quæ recessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio.* 3 Vide Est. Hamm. Grot.
4 Hieronym. Baron. Usser. Tillemon. Erasm. Est. Ligf. 5 Chrysost. Theodoret. Theophyl. Capell.
6 Ζηνᾶν τὸν νομικόν. Vide Matth. 22. 35. Luc. 7. 30. Idem 10. 25. 11. 45. 46. 52. 14. 3.
7 Καλῶν ἔργων προΐστασθαι. 8 Grot. Pricæ. Hamm. Le Clerc, Sculret.
9 Hieronym. Chrys. Theodoret. Theophyl. 10 Grot. Est. Men. Theophyl.
11 Hieronym. *Sola Sanctorum dilectio in fide diligit; in tantum ut etiam si ille qui diligitur, infidelis sit, tamen Sanctus in fide eum diligat*, &c. 12 Alex. Petit. 1. Syr. Arab. & alii quidam.

Finis Commentarii in Epistolam S. Pauli Apostoli ad Titum.

PRÆ-

PRÆFATIO IN EPISTOLAM S. PAULI AD PHILEMONEM.

PHilemon, locuples Colossarum civis, ab Epaphra Pauli Discipulo Fide initiatus. Onesimus Philemonis servus, quibusdam rebus hero surreptis, ab eo profugus [1], Romam ad Paulum primis ibi vinculis devinctum transmigravit, eique studiosum adeo famulatum exhibuit, ut diligentius ipse Philemon impendere minime valuisset. Paulus vero de fuga, & furto Onesimum suaviter increpatum, mysteriis deinde Fidei imbutum, baptismo initiavit; pauloque post una cum hac, quam modo explanamus, Epistola ad Philemonem remisit.

Hac profecto in Epistola singularis Apostoli eloquentia plurimum elucet [2], qua Paulus Philemonem undique adigit, ut Onesimo veniam indulgeat. Authoritatem precibus, commendationibus laudes, pietati comitatem interserens vivida adeo, & convincentia adhibet argumenta, ut ad Dominum cum servo conciliandum nihil esse reliquum arbitremur. Optime res cessit. Philemon non modo Onesimum comiter excepit, verum etiam paulo post ad Paulum Romam remisit, ut ei carcere detento studiosissime famularetur: qui deinde Epistolis deferendis ab Apostolo adhibita, una cum Tychico literas ad Colossenses detulit; quibus etiam Romanæ Ecclesiæ, & Apostoli præsertim statum aperuit, cum vinculis, a quibus Paulus paulo post solutus fuit, adhuc detineretur.

Cum Appia uxor, cæterique domestici Fidei nomen dedissent, Philemon ædes suas in Ecclesiam destinavetat, seque Fidelibus patrem, & refugium præstabat: quare Apostolus ejus fidem, charitatem, liberalitatemque commendat. Una cum Uxore Appia, & Aristarcho amico eum sub Nerone in Martyrologiis, ubi etiam die 22. Novembris ejus memoria colitur, martyrium consummasse legimus [3]. Theodoreti ætate [4], Philemonis domus Colossis adhuc videbatur.

Theodoretus ad vers. 1. ab Archippo Philemonem Fidei mysteriis initiatum putat; nos vero ab Epaphra Colossarum Episcopo verosimilius arbitramur; saltem si ei domicilium Ephesi non fuerit, ut Grotius ad Philem. vers. 1. defendit. Si autem ibi morabatur Philemon, ab ipsomet Paulo potuit erudiri, ut iis Pauli verbis insinuari videtur vers. 19. *Ut non dicam tibi quod & te ipsum mihi debes*. Philemon tunc Ephesi constitisse potuit, cum Paulus ibidem Evangelium enunciaret, vel alibi saltem Apostolum prædicantem audisse, præterquam Colossis [5], quo Paulus non abiisse ante hoc tempus, & ubi Philemon, cum Apostolus hanc ad eum Epistolam scriberet, domicilium tunc habuisse videtur.

Onesimus vero, quem Paulus veluti suorum vinculorum triumphum ostentabat, Diaconus, seu Christi Ecclesię minister ab Apostolo constitutus, Evangelicis ministeriis se prorsus addixit [6]. Apostolorum Constitutiones l. 7. c. 46. Berœę in Macedonia Episcopatu a S. Paulo initiatum tradunt. Quędam Martyrologia Onesimum non alium ab eo esse ferunt, de quo, anno Christi 107. veluti de Ephesi Episcopo meminit Martyr Ignatius: cujus tamen sententię validum nullum est argumentum [7]. A Martyrologiis Apostolus vocatur, & Martyrio consumptus docetur.

Hanc ad Philemonem Epistolam eodem, quo illam ad Colossenses, tempore ab Onesimo delatam Hieronymus ad vers. 1. censet. Theodoretus vero ad vers. 14. & Interpretum cæteri, postquam Onesimus Romam secundo redierat, eum ab Apostolo datam ad Colossenses tulisse verosimilius ducunt. Cum Marcionitæ, Tertulliano teste l. 5. contr. Marcion. c. ult. cæteras Pauli Epistolas vitiaverint, hanc incolumem excepere. *Soli huic Epistolæ brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet*. Iisdem fere verbis rem perhibet Hieronymus proœm. in Philem. *Pauli Epistolam ad Philemonem saltem, Marcione authore, doceantur: qui cum cæteras Epistolas ejusdem vel non susceperit, vel quædam in his mutaverit, atque corroserit, in hanc solam non est ausus manus mittere, quia sua illam brevitas defendebat*. Hanc nihilominus a Marcionitis penitus vitiatam Epiphanius ingemit contr. hæres. l. 1. c. 42. n. 9.

Olim nonnolli [8] de hujus Epistolæ authoritate idcirco ambigebant, quod sine Spiritus Sancti præci-
puo flamine eam Paulus scripserit, utpote quæ non totam Ecclesiam sed rem Apostolo peculiarem afficeret.
Forte a Paulo non exaratam addebant, nulliusque esse momenti, cum solam profugi servi Domino suo
commendationem ferat. Verumtamen Patres, ut infirma hæc argumenta everterent, & Criticis ora ob-
struerent, ostenderunt, ab Ecclesia huic, veluti ab Apostolo per Spiritus Sancti flamen exaratæ, Fidem
semper adhibitam; ipsumque Marcionem eam ab Apostoli Epistolis nunquam rejecisse; non a fusa ver-
borum dimensione authoritatem creari, cum Prophetarum vaticinia hac Epistola nihilo prolixiora in Ve-
teri Testamento occurrerent; Spiritum Sanctum se non minus præsto exhibuisse Apostolo, cum ad Fide-
les scribens, ea, quæ comitatis, & grati animi erant, adimpleret, quam cum de sublimioribus myste-
riis loqueretur; paucissimas denique Pauli Epistolas veluti canonicas accipiendas, si earum singulæ, quæ
res tantummodo Apostolo peculiares attingerent, rejiciendæ essent. Cæterum plurima servis & Dominis,
& Episcopis in suas oves utilissima, & Fidelibus omnibus ad sui solatium & ædificationem accommodata,
ab eadem hac Epistola recenseri fatentur.

---

1 Vide Philem. vers. 18. Chrysost. Prolog. alii.
2 Scultet. hic: *Si quid in genere suo serio admirandum est, certe hæc Epistolion est. In ista enim brevitate singulis fere verbis singula argumenta sunt subjecta*.
3 Vide Canis. t. 2. p. 918. Martyrol. Rom. 22. Novembr.
4 Theodoret. in Philem. Prolog.
5 Cajet. Est. ad vers. 18.
6 Hier. Ep. 62. c. 2.
7 Vide Cl. de Tillemont. not. 70. in S. Paulum.
8 Quidam apud Hieron. Proœm. in Ep. ad Philem. Ita & alii apud Chrys. & Theoph.

COM-

COMMENTARIUM LITTERALE IN EPISTOLAM S. PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM.

CAPUT UNICUM.

Philemoni suadet, ut recipiat Onesimum servum suum, qui cum ab illo aufugisset, Romam ad Apostolum venerat, & ab eodem fuerat baptizatus.

1. PAulus vinctus Christi Jesu, & Timotheus frater; Philemoni dilecto, & adjutori nostro. 2 Et Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tua est. 3 Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo. 4 Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, 5 Audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jesu, & in omnes Sanctos: 6 Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat, in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu. 7 Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tua: quia viscera Sanctorum requieverunt per te, frater. 8 Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet: 9 Propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem & vinctus Jesu Christi: 10 Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, 11 Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi utilis, 12 Quem ego remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe: 13 Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii: 14 Sine consilio autem tuo nihil volui facere, ut ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. 15 Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum reciperes: 16 Jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime mihi; quanto autem magis tibi, & in carne, & in Domino? 17 Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me: 18 Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet: hoc mihi imputa. 19 Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod & teipsum mihi debes: 20 Ita frater. Ego te fruar in Domino: Refice viscera mea in Domino. 21 Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens, quoniam, & super id, quod dico, facies. 22 Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis. 23 Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu, 24 Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas, adjutores mei. 25 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum Spiritu vestro. Amen.

℣. 1. PAULUS VINCTUS CHRISTI JESU [1].] Sanctus Paulus Romæ erat in vinculis, Nerone imperante an. JESU CHRISTI 61. quo hanc Epistolam scripsit: meminit vero vinculorum, aut carceris sui, ut Philemonem disponat ad Onesimum recipiendum, quod præcipuum erat harum litterarum argumentum. *Necessaria auctoritas vinculorum*, S. Hieronymus inquit, *rogaturus pro Onesimo, talis rogare debuit, qui posset imperare, quod posceret*. Addit etiam secum *Timotheum*, alium intercessorem, quem noverat Philemon Concivem suum, & præterea celebrem in Ecclesia, indivisum ferme Sancti Pauli socium, & qui tunc cum eodem Romæ erat.

PHILEMONI DILECTO, ET ADJUTORI NOSTRO.] Philemonis historiam in Præfatione tradidimus. Sanctus Paulus illum *dilectum*, amicum [2] vocat, non quod ex visu, & familiaritate cognosceret, vel eumdem ad fidem convertisset: sed illum cognoverat ex nomine, ejusque conversioni nonnihil contulerat per Epaphram discipulum suum. Illum etiam adjutorem suum vocat, quod in Colossensi Ecclesia officium forraste aliquod obtinuerat, vel quod Apostoli sequutus exemplum ad Evangelii prædicationem, atque infidelium conversionem appulerat animum.

℣. 2. ET APPIÆ SORORI CARISSIMÆ.] MSS. quidam legunt *Apphiam* [3], vel *Apphiadem* [4], vel *Amphiam* [5]. Græcus Vulgaris non legit *Sororem*: exemplaria vero Græca optima, & vetustissima legunt simpliciter *Apphiæ sorori nostræ*. Sed S. Hieronymus, Ambrosiaster, & Scholiastes vetus, qui S. Hieronymi nomine circumfertur, cum Vulgata legunt. Theodoretus hic narrat, nonnullis hoc epithetum non arrisisse *Appiæ sorori carissimæ*; quasi Apostolicam gravitatem minime deceat. Verum omnes qui pravo sunt animo affecti, illud in sequiorem sensum possunt detorquere. Hæc vox in se ipsa, & ex origine nihil continet, nisi honestissimum, & maxime serium. Appiam carissimam vocat, quod fidelis erat, atque virtutibus ornata. S. Chrysostomus, atque Theodoretus animadvertunt quoque, Apostolum hujus Epistolæ initio contra morem salutem dicere uxori Philemonis [6], ut utrumque magis Onesimo servo ipsorum conciliet.

ET ARCHIPPO COMMILITONI NOSTRO.] Archippus erat vel Diaconus, vel Sacerdos, vel etiam Episcopus Colossarum, ubi Philemon permanebat [7]. Apostolicæ Constitutiones l. 7. c. 46. aliique nonnulli dicunt, illum Episcopum fuisse Laodiceæ in Phrygia: sed fidei magis consonum videtur, ipsum Colossis permansisse, non quatenus Episcopum; eam quippe dignitatem Epaphram obtinuisse [8] censemus: sed quatenus Presbyterum, atque pro Epaphra Ecclesiæ illius curam gerentem, cum Præsul Romæ esset apud S. Paulum [9]. Apostolus anno subsequenti scribens ad Colossenses jubet, Archippum admoneri, ut consideret ministerium, quod ipse a Deo receperat, ut rite omnibus muneribus ejusdem perfungeretur. Græci Festum illius diem recolunt 10 Kal. Decembris, & dicunt, Colossis sub Nerone martyrio fuisse coronatum. Latina vero Ecclesia 11. Kal. Aprilis illius recolit festivitatem.

ET ECCLESIÆ, QUÆ IN DOMO TUA EST.] *Ecclesiam* vocat familiam, & domesticos Philemonis [10]. Liquet olim magnis in domibus domesticorum numerum ingentem fuisse, atque parvulæ cujusdam Reipublicæ speciem exhibuisse. S. Paulus plures, quam potest, ad hanc Onesimo gratiam obtinendam usurpat, eique intercessores quærit inter ipsos Philemonis servos, atque domesticos [11].

℣. 3. GRATIA VOBIS, ET PAX.] Vobis benevolentiam suam, & pacem, animo tranquillitatem, quodvis felicitatis genus concedat. Quam gratiam vobis expetere possum, nisi fratri vestro pepercceritis? Quam pacem sperare potestis, nisi cum illo in gratiam redieritis [12]?

℣. 5. AUDIENS CHARITATEM TUAM, ET FIDEM.] B Deo gratias ago, quod tibi vividam fidem, ardentemque charitatem contulerit: quæ mihi confidentiam tribuunt, ut deprecer pro Onesimo, quem ad te remitto. Ipse nunc est ex numero Sanctorum, atque fidelium, pro quibus tantam foves charitatem, & quorum adeo tangeris miseratione.

℣. 6. UT COMMUNICATIO FIDEI TUÆ EVIDENS FIAT.] Vidimus jam non semel *communicationis nomen* [13] in S. Pauli stylo liberalitatem, & eleemosynas pauperibus erogatas significare. Pro iis verbis *evidens fiat*: Græcus legit [14]: *efficax fit*, vel activa in suis effectibus effulgeat. Sed Vulgata lectio meliorem hoc in loco sensum adstruit, & magis conformis est consilio Apostoli [15] cupientis, ut Philemonis liberalitas nota fiat mortalibus omnibus in bonorum operum cujuslibet C generis exercitatione: *in agnitione omnis boni*: Fides enim sine operibus mortua est [16].

℣. 7. GAUDIUM, ET CONSOLATIONEM.] Græcus legit [17]: *gratiam, & consolationem*, sed eximii plures MSS. & Patres plerique a Vulgata non recedunt, uti neque Syrus, Arabs, & Cophtus; & hæc lectio meliorem sensum affert, quam Græcus Vulgaris. Hoc naturale erat, ut S. Paulus gaudio, & consolatione repleretur, audiens Philemonem large, effuseque charitatem suam in omnes Sanctos effundere, quia *viscera Sanctorum requieverunt per te*. Sanctorum viscera, cor illorum afflictum, viscera fame confecta in eleemosynis tuis solatium invenere. Deficiens spiritus, atque obrutos dolore in liberalitate tua laboribus, atque egestatibus suis subsidium, atque solatium invenere.

D ℣. 8. IMPERANDI TIBI, QUOD AD REM PERTINET.] Uti possem jure meo, & quatenus Apostolus JESU CHRISTI tibi præcipere, ut Onesimum domi reciperes, eique gratiam tuam iterum præberes: qui in re nihil nisi æquum, atque justum poscerem: *quod ad rem pertinet*: vel cum Græco [18]: *quod decet*, vel etiam, *quod convenit* [19], hoc est, fugitivum servum recipere, qui conversus, ac pœnitens ad te revertitur.

℣. 9. PROPTER CHARITATEM MAGIS OBSECRO.] Amor, quo te complector, efficit, ut auctoritate mea uti nolim, sed malim tecum precibus agere: licet ita sim, qui sum, Paulus videlicet, & jam senio confectus, & ad hoc *vinctus* JESU CHRISTI, vel pro JESU CHRISTO in vinculis positus [20]. Hæ tres sunt rationes, quibus fretus ex te exigere possem, ut Onesimum reciperes:

1 Παῦλος δέσμιος Χριστοῦ Ἰησοῦ. Quidam: Ἀπόστολος Χριστοῦ Ἰησοῦ. Ita Clarom. & S. Germ. G. L. Med. alii; Δοῦλος Χριστοῦ Ἰησοῦ. Ita Genev. Cov. 4. apud Mill. 2 Græc. Ἀγαπητῷ.
3 Apphiadi. Clar. & S. Germ Lat. Græc. Ἀπφίᾳ. 4 Bornet. G. L. Roe. 2.
5 Alexand. Clarom. S. Germ. Borner. GG. LL. Cophr. Colb. 7. Cov. 2.
6 Chrysostom. Theodoret. hic. Gentil. alii. 7 Hieronym. Chrysostom. Theodoret. Theophylact. alii passim. 8 Vide Coloss. 1. 7. & 4. 12. 9 Philemon. vers. 23.
10 Chrysostom. Theodoret. Est. Gent. Confer Rom. 16. 1. Cor. 16. 19. Coloss. 4. 15.
11 Theodoret. Vide & Chrysostom. Hieronym. Est. Tirin. 12 Vide Chrysostom. Theophylact.
13 Κοινωνία dicitur. Theophylact. 14 Ὅπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου ἐνεργὴς γένηται. Quidam; Evargec, evidens. Ita Velez, & Hieronym. Clarom. Lat. S. German. Lat. Hieronymiani. Ita Latini plerique omnes. Ambrosiaster; *Accepta*. 15 Mill. var. Lect. hic, Est. 16 Jacob. 2. 20. 26.
17 Χάριν γὰρ ἔχομεν πολλήν, καὶ παράκλησιν. Alii: Χαρὰν, ... καὶ παράκλησιν. Ita Alex. Clarom. Verhel, altera Edit. Laud. 2. Petit. 2. Colb. 7. Barb. 1. alii apud Mill. Syr. Arab. Cophr. Claromon. Lat. S. German. G. L. Borner. G. L. Copht. Ambros. Hieronym. Chrysostom. &c. Theophylact. Χαράν, τέρψιν, χαράν.
18 Ἐπιτάσσειν σοι τὸ ἀνῆκον. Chrysostom. Τὸ εὔλογον. Oecumeo. Τὸ πρέπον.
19 Erasm. Pagn. Castal. Illyr. Tig. Mont. Grot. Gentil. Men. Tir. 20 Δέσμιος Ἰησοῦ Χριστοῦ: *Captivus, qui pertinet ad J. C. Vir J. C. qui in carcere detinetur.*

peres : *Paulus*, Apostolus JESU CHRISTI : *Paulus senex* [1], ideoque talis, ut illius majos adhuc ratio habenda sit : denique *Paulus vinctus Christi*, ideoque singulari dignus amore, & reverentia. Verum harum rerum omnium oblivifcor, ut supplicis voce utar apud te. Non Apostolus, non senex, non vinctus te orant, sed orat Paulus omnino nudus, teque obsecrat per eam charitatem, quam erga omnes Sanctos exerces. Ne prohibeas reditum in gratiam tuam Onesimo ante hac servo tuo, hodie vero fratri.

℣. 10. PRO MEO FILIO.] Animadverte, Paulum nondum Onesimi protulisse nomen, sed nihil intentatum reliquisse, ut Philemonis animum flecteret iis omnibus ex locis, qui magis sensibiles sunt : antequam invisum illi nomen exhibeat. Meus filius est, quem ad te remitto, & filius eo magis carus mihi, quod illum peperi in vinculis meis : Onesimus est servus tuus antea fugitivus, fur, inobediens, inutilis. ℣. 11. *Qui tibi aliquando inutilis fuit*. In Scriptura *Servus inutilis* Servum nequam significat [2] : ex quo servus domino suo utilis non est, jam servus nequam censetus : nam ideo emptus fuit, ut serviret. Alludit S. Paulus ad nomen *Onesimi* [3], quod Græco *utilem* significat. Onesimus, hactenus contra nominis sui significationem inutilis fuit : nunc vero factus est utilis, & vere *Onesimus*, & tibi, & mihi : tibi per conversionem, atque consilium fideliter, atque utiliter toto vitæ suæ spatio inserviendi : mihi vero ea opera, quam in vinculis meis sedulo præstitit.

℣. 12. QUEM REMISI TIBI.] licet eo in statu, in quo sum, eodem indigerem : atque oro te, ut illum tamquam viscera mea recipias, velut me ipsum, velut quidquid mihi jucundissimum, & carissimum, *ut mea viscera*, ut filium meum, quem ego ipse peperi, & quem tamquam mei ipsius partem considero [4].

℣. 13. UT PRO TE MIHI MINISTRARET.] Si amorem, vel egestatem meam tantummodo consuluissem, illum apud me retinuissem, ut ea mihi officia præstaret, quæ, si adesses, arbitror, te mihi non denegaturum. Sed ℣. 14. *Sine consilio tuo nihil volui facere*, & sine tua voluntate. Minime volui in servum tuum eam inducere auctoritatem, quam tu mihi contulisses : atque ex illo eam operam expetere, quam non satis probare posses, optans, *ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*. Volui hoc me omnino debere voluntati tuæ ; illam prævertere nolui, neque illa uti, antequam antea animus tuus mihi esset explosatus. Semper in meliorem partem judicium ferendum est de bona amici voluntate ; sed non semper eadem in rem propriam convertenda amico inconsulto. Cum de fugitivo servo agitur, Dominus semper cautus esse debet, & suspicione carere non potest.

℣. 15. FORSITAN IDEO DISCESSIT AD HORAM [5].] Permisit Providentia Onesimi fugam, ut & tu, & ipse longe majus bonum consequeremini. Ille a te brevi discessit, ut illum semper in æternitate possideres. Ita Joseph fratres suos consolabatur, a quibus venditus fuerat Mercatoribus, qui ipsum in Ægyptum adduxerant : *præmisit me Deus, ut reservemini super terram, & escam ad vivendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*, Gen. 45. 7.

℣. 16. JAM NON UT SERVUM.] Sed ut fratrem. Quatenus CHRISTI fidelis dupliciter causa tibi carus esse debet : primum *in carne*, quia tuus est secundum carnem, & mundum [6] : Christiana enim Religio servi, aut liberi capitis conditionem non mutat : secundum *in Domino*, quod tuus est secundum Deum. Tibi adhæret adstrictus vinculis Religionis, eorumdem Sacramentorum, eorumdemque spiritualium bonorum communione. Tamquam servus tuus membrum est familiæ tuæ, & pars bonorum tuorum : tamquam Christianus, non secus ac tu, membrum est mystici Corporis JESU CHRISTI, Filius adoptivus Patris, & hæres Regni Cœlestis. Illum tibi restituo, velut servum tuum ; Corpus ejus pertinet ad te : sed memento, illum magis esse Dei, quam tuum ; & Christianæ Religionis characterem, quo insignitus est, aliquam apud se observantiam mereri. Græcus legit [7] : *jam non ut servum, sed plusquam servum ; fratrem dilectum*.

℣. 17. SI ERGO HABES ME SOCIUM.] Si putas me amicum tibi, præbe mihi amoris tui specimen, hunc tamquam me ipsum recipiens. Hunc tamquam alterum me ipsum cogita. Græcus [8] : *si reputas me tamquam sodalem tibi*, tamquam in eadem militia contubernalem, earumdem promissionum hæredem, negotiorum, & amoris vinculis tibi conjunctum, ne deneges mihi gratiam, quam posco.

℣. 18. SI ALIQUID NOCUIT.] Onesimus a Domino fugiens aliquid fortasse subripuerat, & fortasse poterat etiam Philemoni non nihil debere iis in rationibus, quæ sibi erant reddendæ [9]. S. Paulus Onesimi crimen imminuit ; explicite non meminit furti, & loquitur tamquam dubitans, num aliquid ex illius domo abstulerit Onesimus : denique vero ait : Si quid tibi debet, ego tibi reddam : hoc nomini meo adscribe, illius me vadem, atque sponsorem promitto.

℣. 19. EGO PAULUS SCRIPSI MEA MANU.] Si verbi fides non sufficit, en chyrographum mea manu scriptum, atque signatum. Utique pro Onesimo sponsorem me futurum profiteor. Videtur Apostolus universam hanc Epistolam propria manu scripsisse [10]. Servus nihil debere potest Domino suo, quo ad civiles effectus ; totus enim ipsius est, sed illi debet, quo ad jus naturale [11]. Onesimus non præstiterat domino suo eam, quam debebat, obedientiam, observantiam, fidem, & hoc in sensu S. Paulus spondere poterat, Onesimum persoluturum quidquid Philemoni debebat, & præterita omnia reparaturum.

UT NON DICAM TIBI, QUOD ET TE IPSUM MIHI DEBES.] Jure exigere possem ea, quæ peto, neque illa mihi denegares ; omnia enim mihi debes, quippe qui per me ad veritatis cognitionem adductus fuisti : ad te nihilominus supplex accedere volo, atque pro Onesimo me tibi debitorem statuere. Non loquor de iis, quæ mihi maxime debes, tamquam Christianus ; id solum gratiæ loco ex te posco, quam rationibus meis subscribi volo. S. Paulus Colossis non fuerat, ubi Philemon permanebat ; sed illuc miserat Epaphram, qui Philemonem erudierat, atque converterat [12]. Fortasse etiam Philemon vidit, & audiit S. Paulum Ephesi, ubi satis diu permansit Apostolus.

℣. 20. ITA, FRATER, EGO TE FRUAR IN DOMINO [13].] Quandoquidem omnia mihi debes, adest modo occasio, qua te indigeo. Permitte mihi [14], ut meo jure utar ; te oro, Onesimi gratiam ne deneges mihi. Græcus [15] verti potest : *hunc ex te fructum recipiam*. Meus es ; saltem exercere possim in te hunc auctoritatis actum, cum gravissima urgeat necessitas. Quid mihi prodest te filium habere, si hoc mihi nunc renuis [16] ?

℣. 21. CONFIDENS IN OBEDIENTIA TUA.] Cum mihi persuasum sit, te satis nosse ea, quæ mihi debes,

1 S. Paulus tunc 63. annum agere poterat. Hanc Epistolam anni 61. J. C. esse censemus.
2 Vide Matt. 25. 30. Luc. 17. 10.
3 Ὀνήσιμον τόν ποτέ σοι ἄχρηστον, νυνὶ δὲ εὔχρηστον.
4 Est. Gentil. Menoch. Hieronymiast. *Filium nostrum carissimum*. Ita & Syr.
5 Ἴσως γὰρ διὰ τοῦτο ἐχωρίσθη πρὸς ὥραν, ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς.
6 Καὶ ἐν Κυρίῳ.
7 Οὐκέτι ὡς δοῦλον, ἀλλ' ὑπὲρ δοῦλον, ἀδελφὸν ἀγαπητόν. Alii : Ἀλλ' ὑπὲρ δοῦλον : *Sed pro servo*, &c. Ita Clarom. & S. German. Lat. Ambrosiaster, Hieronymiast. Vulgat.
8 Εἰ οὖν ἐμὲ ἔχεις κοινωνόν.
9 Vide Grot. hic.
10 Vide Estium, Chrysostom. Theophylact.
11 Vide Gentil. ad versic. 18. & Grot. ad versic. 19.
12 Vide Præfat. ad Colossens. & Est. Grot. alios hic.
13 Theophylact.
14 Vide Gentilem.
15 Ἐγώ σου ὀναίμην.
16 Vide Grotium hic : Πάντα σοι τοῦτον ἐστιν ἀνθρώπῳ, καὶ δίκαιον εἶναι. Poeta Philemon.

& obedientiam, quam mihi negare non potes; spero te non solum postulata mea non negaturom, sed plura quam peto, mihi concessurum. Injurius essem virtuti tuę, si de animi grati virtute tua dubitarem, atque tuam obedientiam in dubitationem accerserem.

℣. 22. SIMUL AUTEM ET PARA MIHI HOSPITIUM.] S. Paolus Romæ in vinculis erat; non dobitabat tamen, quominus quamprimom Dominus ipsom in libertatem vindicaret. Confidentia quam huic Viro testator, & honor, quem illi deferebat, ejus domum eligens sibi in hospitium, recentes adhuc rationes erant, quibus Philemon impelleretor ad Onesimum recipiendum. Qua enim fronte S. Paulum recepisset, cui Servi recipiendi gratiam negasset? vel quomodonam propter adeo tenue negotium vellet jacturam subire tanti honoris, quanto affici potuisset, domi suæ hospitio hunc Apostolum recipiens?

Mirantur nonnulli, quod Apostolus, qui adeo simplicem vitam agebat, atque in somma paupertate virn hujus commuda respuebat, nunc velit sibi hospitium parari, cum tantum temporis absit, antequam eo proficiscatur. Quidam dicunt hoc simpliciter ab eo factum, ne sibi a Philemone ea, quam petebat, gratia negaretur: sed S. Hieronymus credere videtur, satis amplo Paulum hospitio indiguisse, cum aliquandiu in Urbe quadam permaneret; quippe tenebatur domi sue recipere non fideles solum, qui ad religionis exercitationem illuc convenire consueverant; verum etiam infideles, qui ut illum audirent, & ab eodem edocerentur, eo sese conferebant.

NAM SPERO PER ORATIONES VESTRAS.] S. Paulus libertatem, ac vitam ea tantum ex causa in pretio habebat, quod fratrum suorom salutem, & ædificationem quærere poterat. Deus illi concessit, ut non multo post carcere solotos esset, neque ambigimus, quo minus Colossas venerit sub annum JESU CHRISTI 64. atque apud Philemonem permanserit, quemadmodum hic illi pollicetur. Qui putant, Epistolam hanc scriptam fuisse Romę a S. Paulo, cum postremum in carcere positos esset, fatentur, S. Paulum promissi fidem non persolvisse; nos vero eruditissimos sequimur Chronologos, asserentes hoc litterarom datum fuisse, cum primum in Romanum carcerem conjectus fuit.

A ℣. 23. SALUTAT TE EPAPHRAS. CONCAPTIVUS MEUS.] In Epistolam ad Colossenses vidimus Epaphram fuisse Apostolum, & Episcopum Colossensium [1]. Ille primus Evangelium ea in Urbe prædicaverat, atque inter cæteros Philemonem converterat. Cum vero esset Romæ, in vinculis una cum Magistro suo positus fuit; quam ob rem Apostolus dixit, Philemonam sibi omnia debere, & hic ait, Epaphram suum esse *concaptivum*.

℣. 24. MARCUS, ARISTARCHUS &c.] Omnes hi Sancti Viri, quorom nomina congerit Apostolus, erant Philemonis amici, eosque adfert tamquam totidem intercessores, qui pro Onesimo deprecentur [2]. S. Hieronymus credit, Marcum, de quo hic sermo, esse hujus nominis Evangelistam: alii vero [3] putant, esse B Joannem Marcum S. Barnabæ Consobrinum, de quo in Actis Apostolorum est sermo [4]: alii vero tertium *Marcum* esse putant, qui *Aristarchus* vocabatur, ita ut *Marcus*, & *Aristarchus* hoc in loco unom, eumdemque virom significent [5]. Hanc difficoltatem tollere non satis est facile. De *Joanne Marco* Barnabæ Consobrino non semel in Actis verba fecimus; de S. *Marco Evangelista* in Præfatione in ejusdem Evangelium; de Aristarcho in Actis 19. 29. 20. 4. *Colos.* 4. 10.

Demas cognoscitur etiam ex eo, quod S. Paulo adhæsit, donec novissime in carcerem Romę conjectus fuit; tunc enim ille amore Mundi victus, ab eodem recessit [6]. S. Lucam novimus ex Evangelio, & Actis Apostolorum ab eodem conscriptis, & quod constanter in prosperis æque & adversis, in itineribus, & vincu-C lis S. Paolum consectatus est.

℣. 25. GRATIA CUM SPIRITU VESTRO,] sic cum vobismet ipsis [7]: vos cumulet omnibus supernaturalibus donis Spiritus Sancti; vel efficiat, ut secundum hominem interiorem gratiam in oculis suis inveniatis. Eadem loquendi ratio videtur *Galat.* 6. 18.

In Græcis exemplaribus ad calcem hujus Epistolæ legimus, *hanc Romæ scriptam fuisse, & per Servum Onesimum missam*. Ms. Alexandrinus nihil omnino legit: alii vero habent [8]: *Epistola ad Philemonem, & Apphiam dominos Onesimi, & ad Aristarchum Colossensis Ecclesiæ Diaconum, Roma per servum Onesimum missa fuit.*

---

1 Vide ad Coloss. 1. 7. & Gentil. Est. Men. hic. 2 Est. Gentil. hic. 3 Grotius.
4 Act. 12. 12. 25. 20. 4. 27. 2. 5 Vide in id Spanhemium oper. t. 2. p. 276.
6 2. Timot. 4. 9. 7 Est. Grot. alii.
8 Cod. Bezæ, alius Regiæ Bibl. teste Cotelerio. Lin. Cov. 2. apud Mill. hic.

Finis Commentariorum in Epistolam ad Philemonem.

PRÆFATIO
IN EPISTOLAM S. PAULI AD HEBRÆOS,

EPistolam ad Hebræos inter pretiosissima monumenta, quibus Ecclesia Catholica ditetur, habendam ducimus. Rerum in ea amplitudo, & magni ponderis argumenta a phrasium nobilitate, & stili elegantia plurimum decorantur. In hac præ cæteris maxime laborarunt Interpretes, quod de hac præ cæteris plurima in controversiam adducta sint. Fuere primo, qui de firmissima ejus authoritate ambigerent; alii etiam, qui Paulo ereptam S. Clementi Papæ, vel S. Lucæ, vel Apollini, aut Barnabæ tribuerent. Quo idiomate, seu Græco, seu Hebraico conscripta fuerit, non conveniunt. Discrimen præterea de loco, ad quem missa; de tempore, quo scripta; de iis, ad quos directa, & demum de ordine, quem cæteras inter Pauli Epistolas sibi vendicat. Nos hæc omnia perpendentes, utrinque argumenta afferemus, & ei, quæ veri speciem magis prætulerit, sententiæ de nostro more adhærebimus.

ARTI-

ARTICULUS I.

De Authore Epistolæ ad Hebræos.

POstquam Origenes ea [1], quæ de hujus Epistolæ Anthore feruntur, diu perpendit, a Deo solummodo rem perspectam haberi tandem fatetur. Quamvis autem eam plures S. Clementi Papæ Apostolorum coævo, plures etiam S. Lucæ Evangelistæ tribuerint, addit nihilominus de sua sententia res, & argumenta Apostolo, stilum vero, texturam, & ordinem tribuenda esse alteri, qui S. Pauli sensibus plurimum instructus, in hac Epistula eosdem congesserit. Stilum denique, & periodos præ cæteris Epistolis politiores, atque elegantiores esse defendit: cujus sententiæ omnes, qui S. Pauli opera perlegerint, vel hac in re peritiores habeantur, testes exposcit. Conceptus vero eam sui admirationem vendicans, ut eorum cuiquam, quæ majoris numeri Apostoli scripserint, non sint posthabendi.

Qui Origenis ætate hanc Epistolam Clementi Papæ tribuebant, eo ducebantur, quod hac cum Clementis ad Corinthios Epistola collata, simillimus utriusque stilus appareat [2]; quod præterea Clemens & conceptus, & phrases Epistolæ ad Hebræos, quin eam alleget, sæpissime adhibeat, quo ad ipsummet eam pertinuisse insinuari videtur [3]: *Multis*, post Eusebium Cæsariensem inquit Hieronymus, *de Epistola, quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur, non solum sensibus, sed juxta verborum quoque ordinem abutitur.*

Eusebius licet utriusque Epistolæ stili similitudinem, & Epistolæ ad Hebræos fragmenta, quæ suæ Clementis ad Corinthios Epistolæ inseruit, satis animadverterit; ei nihilominus & Epistolam ad Hebræos tribuere non audet, tantumque ab eo Pontifice ex Hebræo Græce redditam plurimos arbitratos esse testatur [4]. Cujus quidem opinionis ipsum fundamentum infra evertemus, cum nunquam eam Epistolam Hebraice fuisse exaratam ostendemus. A stili vero similitudine utramque Epistolam ad eumdem pertinere Authorem, certo deduci non posse arbitramur [5]. Fatemur quidem, a S. Clemente aliquem Epistolæ ad Hebræos locum, quin eadem Epistola allegetur, usurpari: is vero usus satis convaluerat, ut videre est & apud S. Polycarpum, & S. Ignatium, qui Apostolorum, & ipsius Christi verba, veluti propria suis periodis interseruere, sive id præstiterint, ut ad sermonis ornatum conferrent, sive ut suis verbis authoritatem compararent. Omnes præterea, quæ in ea Epistola animadvertuntur, circumstantiæ S. Clementi nullatenus conveniunt, quem aliunde Ecclesia Authorem canonicum nunquam duxit; hujus vero Epistolę Authori, veluti divino lumine afflato, a Christianæ Religionis initio fidem semper adhibuit.

Patres, qui præ cæteris Clementi favent, eam illi non firmissime, sed ambigue tribuunt, & S. Lucæ tributam fatentur a pluribus, quorum alii S. Lucam primum, & verum Authorem putant, alii vero dumtaxat Interpretem, seu ut summum a Secretis, qui politiori, atque elegantiori stilo Græce reddiderit, quod humilioribus verbis ab Apostolo acceperat, cujus etiam rei argumentum, & stili similitudinem, & S. Lucæ cum S. Paulo necessitudinem, & familiaritatem præferunt.

His omnibus leviotibus prætermissis, in stili similitudine operæ pretium est fusius aliquanto immorari. Qua etiam in re satis non conveniunt Authores. S. Clemens Alexandrinus eosdem, quos in Lucæ Operibus, characteres legere, eumdem gustum percipere, eosdem in ea Epistola se intueri colores fatebatur [6]. Plures in eadem Epistola phrases Lucæ familiares Grotius deprehendit [7], quamvis autem sublimiori quam Acta, & Evangelium, stilo contextam asserat, Lucam tamen semper non esse sibi similem, &, cum potest, suo genio indulgere, suæque ampliorem eloquentiæ aditum patefacere, veluti cum verba Jesu Christi referre non cogitur, se longe se ipso elegantiorem præbere ostendit. Erasmus hujus Epistolæ stilum vel eumdem cum stilo Actorum, vel ei proxime accedentem cognoscit [8]: *Ne Lucas quidem ipse in Actis Apostolicis parum abest ab hujus Epistolæ eloquentia*; nihilominus Lucæ illam tribuere non ausus, S. Clementem potius ejusdem Authorem appellat. *Admodum probabile est, quod subindicavit D. Hieronymus, Clementem Romanum Pontificem a Petro quartum authorem hujus Epistolæ fuisse.* Grotius vero, non Græco idiomate a Luca redditam, neque de Apostoli voluntate, elegantiori stilo donatam; sed suo marte contextam, & ad Hebræos ultro missam asseruit.

Spanhemius e contra S. Lucæ idcirco potissimum nullatenus tribuendam ducit, quod ab ejusdem consueto stilo longissime absit [9]: *Stilus Epistolæ a dictione, & phrasi Lucæ magis Græcanica longissime distat.* Jacobus Capellius Epistolæ ad Hebræos Authorem alium prorsus a Luca constituit, quod stili animadverterit diversitatem [10]: *Cum hujus epistolæ stilus stilo Lucæ sit dissimillimus.* His sibi mutuo adversantibus sententiis, quanti nobis faciendi sunt Critici peritiores, cum de eloquentiæ vel similitudine, vel diversitate decernunt?

Sunt qui S. Barnabæ Epistolam ad Hebræos tribuant, quorum primus Tertullianus de Pudic. c. 20. *Extat*, inquit, *& Barnabæ titulus ad Hebræos.* Quod vero admirationem magis ingerat, ejus Epistolæ Authorem sine ulla hæsitatione Barnabam statuit, ac si & in Africana, in qua degebat, & Romana, quam oppugnabat, Ecclesia ita vulgo sentirent. D. Hieronymus [11] pluribus in locis, post quem & S. Philastrius Brixiensis Episcopus hær. 41. eamdem, quin tamen approbent, opinionem recensent. Ex Recen-

1 Origen. hom. in Ep. ad Heb. apud Euseb. l. 6. c. 25. hist. Eccl. 2 Idem ibid. 3 Hier. in Catalogo v. Clemens. Euseb. Hist. Eccl. l. 3. c. 38. Vide Clemen. Epis. §. 17. 36. 43. 58. 4 Euseb. hist. Eccl. l. 3. c. 38. 5 Spanhem. de Author. Ep. ad Heb. par. 1. c. 7. n. 7. 8. 6 Clem. Alex. l. Hypotypos. apud Euseb. Hist. l. 6. c. 14. 7 Grot. in Ep. ad Heb. Præf. 8 Erasm. sub fin. annotat. in Ep. ad Heb. 9 Spanhem. loc. cit. 2. c. 7. & p. 3. c. 1. n. 9. 10 Jacob. Capell. præfat. in Ep. ad Hebr. 11 Hier. in Catalog. in voce Paulus. *Epistola, quæ fertur ad Hebræos, non Pauli creditur propter stili, sermonisque dissonantiam, sed vel Barnabæ, juxta Tertullianum: vel Lucæ Evangelistæ, juxta quosdam: vel Clementis, Romanæ postea Ecclesiæ Episcopi.*

ctoribus, Camero eniae defendit, & peculiari sibi ingenio omnium verosimillimam ducit [1].

Huic sane sententiæ stili similitudo non favet, cum Epistola ad Hebræos, & ea, quam Barnabæ tribuerunt, longissime distent; sed postrema hæc, cum sit adhuc discrimen an ad Barnabam pertineat, nullum inde hac de re deduci potest, quod urgeat, argumentum. Neque eidem opinioni veterum Patrum opitulatur authoritas; eorum enim nemo sive provectior, sive posterior, sive Tertulliano coævus, Epistolæ ad Hebræos Authorem Barnabam appellavit. Nil ex eadem Epistola, nil ex Barnabæ vita, nil denique ex Ecclesiastica Historia deduci potest, quod hanc sententiam fulciat; quam etiam unde Tertullianus eduxerit, penitus ignoramus. Cum de quadam Barnabæ solo nomine sibi cogniti Epistola audisset, & hanc, an Pauli fuerit, in dubium revocari sciret, eamdem esse Barnabæ forte putavit. Hanc deinde conjectura ductus, temeritate sibi satis consueta, eam Epistolam Barnabæ facile tribuit; quam postea sententiam ejus singularitate ducti alii etiam recensuerunt. Argumenta vero, quibus Camero innititur, adeo infirma ducimus, ut in iis refutandis immorantes inanem prorsus laborem susciperemus [2].

S. Martyr Hippolytus [3] in Libro adversus hæreses, & S. Irenæus in Stephano Gobar Tritheita, apud Photium Cod.232. Paulum Epistolę ad Hebręos Authorem alium ab Apostolo esse contendunt; cujus tamen rei argumentum nullum afferunt. Quis præterea Paulus iste, & unde fuerit? quando vixerit? Vir adeo disertus, & Scriptor emeritus, quicunque ille fuerit, ab omnium memoria sane non excidisset.

Nonnulli hanc Epistolam [4] Apollo ad Fidem converso adscribunt, Viro utique diserto, Scripturarum perito, Divini honoris tuendi ardore incenso, & apud Ecclesias celeberrimo, quem S. Lucas in Actis 18. 24. & D. Paulus in prima ad Corinthios 1. 12. quamplurimum commendant. Si per veteres Ecclesiæ Patres hæc conjectura defendi satis posset, forte in neminem justius, quam in Apollo, hujus Epistolæ honor conferretur. Verum hujus sententiæ fautores, præterquamquod recentiores sint, validis argumentis adeo destituuntur, ut neque mentem suam certo statuant, neque eam prodentes ab animi hæsitatione prorsus abstineant.

Qui eamdem epistolam D.Marco [5] adscribunt, adhuc infirmioribus argumentis nituntur; qui vero ejus Authorem [6] Tertullianum statuunt, ab ipso Tertulliano, eam Barnabæ tribuente, & a Veteribus Tertulliano provectioribus, eam veluti Apostolis coævam, & a Paulo ipso exaratam allegantibus, refelluntur.

Reliquum est, ut sententiam perpendamus, qua Græcæ, & Latinæ Ecclesiæ ad Hebræos Epistolam S. Paulo uno ore, & consensu adscribunt. Omnia profecto, Veterum authoritas, ejusdem Epistolæ Characteres, Apostoli vitæ circumstantiæ, argumentorum denique, quibus alteri Authori tribuitur, infirmitas, huic sententiæ opitulantur. Præterea si ad eorum quempiam, quibus adscripta est, nullatenus pertinet, ab Apostolo datam verosimillimum jure ducimus.

Favet primo Apostoli Petri authoritas [7], de quorumdam sententia [8], Epistolæ ad Hebræos mentionem agentis in secunda sua Epistola, quam ipse paulo ante mortem dederat, & biennio postquam ad Hebræos tradita fuerat [9]: *Charissimus Frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

Eo in loco Petrum de Epistola ad Hebræos loquutum hi Authores inde colligunt, 1. quod Petrus Paulum scripsisse dixerit ad illos, ad quos & ipse, nempe certo ad Hebræos ad Fidem conversos, ut satis profertur ex iis verbis [10], *Hanc ecce vobis secundam scribo Epistolam*, collatis cum primæ Epistolæ initio: *Petrus Apostolus Jesu Christi electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bithyniæ &c.*

2. Quod Petrus in ea Epistola suam maxime sapientiam a Paulo exhibitam testetur. Pauli equidem sapientia, & præstantissima arcanorum Dei, & fidei mysteriorum cognitio, quam in Epistola ad Hebræos, nullibi magis elucet.

3. Quod huic Epistolæ plurima capita difficillima intersetantur, quibus pravi spiritus & abuti possunt, imo & abusi fuere: hujusmodi illud est: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati .... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam* [11].

4. Denique quod Petrus Paulum dixerit ad Hebræos de iisdem scripsisse, de quibus & ipse: *Loquens in eis, (Epistolis) de his.* Petrus autem in secunda Epistola ad morum integritatem, ad Dei Judicium opperiendum, & ad pœnitentiam exercendam Fideles hortatur. De his omnibus & Paulus in Epistola ad Hebræos [12]; in cæteris Epistolis de his simul omnibus non meminit, neque in cæteras, nisi in hanc tantummodo, hi omnes characteres conveniunt. De hac igitur ad Hebræos Epistola loquutus est Petrus; quamvis enim nonnulli eam, de qua Petrus, a nobis deperditam asseverent, nullo prorsus argumento, nullaque conjectura id enunciant.

Hæc sane Epistola eam præfert authoritatem, ut non nisi cuidam ex Apostolis convenire possit. Hanc nihilominus nemo eorum scripsit, qui per ipsummet Christum eruditi fuere: vir autem eam dedit, qui ab iisdem Apostolis instructus est, quique prodigia, quibus iidem Apostoli ad suam prædicationem comprobandam apud Judæos inclaruerant, testatur [13]. *Ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est.* Hinc Paulum Epistolam non dedisse nonnulli [14] idcirco intulere, quod alibi enise semper incumbat, ut se ab ipsomet Christo eruditum exhibeat [15], ac ea propter se non ab hominibus, neque ab aliis Apostolis missum ostendat.

Verum-

1 Camero quæst. 2. in Ep. ad Hebr. 2 Videri possunt refutata a Spanhemio Tract. de Author. Ep. ad Hebr. part. 2. c. 8. 3 Hippolyt. l. contr. hæref. apud Phot. Cod. 121. 4 Luther in Genes. 48. 20. Beza in Ep. ad Hebr. 5 Quidam apud Spanhem. loc. cit. part. 2. c. 9. 6 Quid. apud Sixt. Sen. Biblioth. l. 7. c. 8.
7 2. Petr. 3. 15. 8 Baron. ann. 66. Pearson. Oper. posth. p. 58. Spanhem. & alii.
9 Nos Epistolam ad Hebræos anno Christi 63. & Epistolam Petri anno 65. statuimus.
10 2. Petr. 3. 1. 11 Hebr. 6. 4. & 10. 26. 27. & 12. 15. 18. 12 Heb. 9. 19. &c. & 12. & 13. & 10. 25. 37. & 6. 12. 13 Heb. 2. 3. 14 Quidam apud Oecum. Præf. in Ep. ad Heb. Vide Calvin. in Heb. 2. 3. Grot. alios ibid. 15 Galat. 1. 11. 12. *Evangelium quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, sed per revelationem.* Vide & Ephes. 3. 3. & 1. Cor. 15. 1. 2. 3.

Verumtamen inter ea discernendum est, quæ Paulus ab ipsomet Christo per revelationem didicit, & ea, quæ ab Apostolis, & Discipulis, qui Dominum cognoverant, accepit. Christus per se ipsum præcipua Fidei mysteria, & potissimas Catholicæ Religionis veritates Paulo aperuit; ei vero peculiaria Domini gesta, & prodigia, ejusque mortis, & resurrectionis circumstantias Apostoli, & Discipuli renunciarunt.

Epistolæ Author, sibi itineris comite Timotheo fratre assumpto [1], ad Hebræos invisendos se collaturum eisdem pollicetur: quo quidem ejusdem Author ita præfertur Apostolus, ut de quorundam Eruditorum sententia ad discrimen ea de re penitus dirimendum nil ulterius postulandum sit [2]. Suorum etiam vinculorum in ea meminit, ut in cœteris, quas in Italia dedit [3]. Methodus eadem, quæ in cœteris, idem allegandi, & Scripturas explanandi mos, allusiones eædem, & locorum simillimæ appositiones recurrunt. In id, quod sibi semper potissimum statuit, præ viribus incumbit, ut Legalia inania, Aaron Sacerdotium, & sanguinis sacrificia abrogata, vetus Fœdus abolitum, novum constitutum, illud absolutum, istud denique æternum perspicue ostendat. Hujus Epistulæ epilogus cum iis omnino convenit, quibus Epistola ad Romanos, & utraque ad Thessalonicenses absolvuntur. Vota, salutationes, preces, & peculiaria plurima, quæ in Pauli stylo, & eloquentia exercitatis optime dignoscuntur, hanc Epistolam Apostolo omnino tribuendam satis ostendunt,

Quod etiam validissime probat unanimis Ecclesiarum, Patrum, & Interpretum consensus, quo Paulus ejus Epistolæ Author una voce statuitur. Apud Græcam Ecclesiam nulla unquam hac de re ambiguitas; Ecclesia vero Latina, quamvis ab ea inter Pauli Epistolas recensenda aliquando abstinuerit; mature tamen satis cum Græcis Patribus convenit, & a quarto sæculo ad nostrum usque, nullum de hoc inter utramque discrimen.

S. Clemens Alexandrinus Pauli nomine sæpe allegat, quamvis a S. Luca Græce redditam arbitretur [4]. Origenes etiam, cujus testimonium jam recensuimus, eodem Pauli nomine producit [5]: quamvis vero alibi de ejus Authore nonnihil dubitaverit, Apostoli nihilominus sensus ab ea præferri fatetur: & si hue usque aliqua Ecclesia Pauli nomine legit, suam ab ea traditionem non esse dimittendam statuit [6]; *Non enim, inquit, eam frustra Veteres Paulo tribuerunt*. Eusebius Cæsariensis pluribus in locis huic sententiæ subscribit [7], Dionysii Alexandrini, & Alexandri Alexandriæ Episcopi Epistulæ, sicut Literæ Antiocheni Concilii ad Paulum Samosatenum, S. Athanasius, Cyrillus Jerosolymitanus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Amphilochius, Epiphanius, Concilium Laodicenum, omnes denique Græci hanc ad Hebræos Epistolam S. Paulo adscribunt [8].

Latini Patres inter se non omnino cohærent. S. Cajus Ecclesiæ Romanæ Presbyter, tertii sæculi Scriptor, hac ad Hebræos S. Paulo erepta, cœteras ejus Epistolas tresdecim tantummodo recenset [9]; *Epistolas quoque Pauli tresdecim tantum enumerans, decimam quartam, quæ fertur ad Hebræos, dicit ejus non esse*. Quibus addit Hieronymus: *Sed & apud Romanos usque hodie quasi Pauli Apostoli non habetur*. Cum vero S. Doctor eam Epistulam allegat, ut plurimum animi sui ambiguitatem præfert; ait v.g. [10] *Si quis tamen ad Hebræos Epistolam suscipit*, vel [11]: *Licet de ea multi Latinorum dubitent, quæ scribitur ad Hebræos*; vel denique [12], *Relege ad Hebræos Epistolam Pauli Apostoli, sive cujuscumque alterius eam esse putas*. Cum nihilominus ad Dardanum scribit [13], ab omnibus Orientis, & Græciæ Ecclesiis eam S. Paulo adscribi testatur; & si Latinorum quis adhuc ambigit, per se satius esse ducit, ut cum Veteribus ea de re conveniat.

Quamvis Augustinus sua etiam ætate alios sciret [14], qui hanc Epistulam Paulo eriperent, & alios, qui inter Canonicas recensere formidarent [15], quod D. Pauli nomen in ea non invenirent, Orientis nihilominus Ecclesiarum, sicut & cœteras S. Pauli, & hanc veluti canonicam suscipientium authoritati adhærendum statuit [16]: quam & ipse interdum Pauli nomine allegat, sæpius, tamen *Epistolam ad Hebræos* tantummodo appellat.

Ex Latinis Patribus nemo occurrit, qui tribus prioribus Ecclesiæ sæculis Pauli nomine aperte produxerit. Quædam Opera S. Cypriano falso adscripta, v. g. Liber de Operibus Cardinalibus, & Symboli expositio, veluti ab Apostolo conscriptam allegant; nunquam tamen ita præfertur in genuinis hujus Patris Operibus. An Pauli hæc fuerit, Eusebii Cæsariensis ætate [17] inter Ecclesiæ Romanæ Authores adhuc non conveniebat. Philastrius a plurimis S. Paulo eam eripi testatur, una vero hanc opinionem hæresis nota inussit [18]. S. Isidorus Hispalensis in suo Opere de Ecclesiasticis Officiis, & Rabanus Maurus de Clericis educandis, seu veterum, v. g. Hieronymi, testimonia tantum transcripserint, sive alicujus sibi coævi Authoris sententiam produxerint, plures Latinos an Apostolus hanc Epistolam tradiderit, adhuc ambiguos tum fuisse enunciarunt: *Ad Hebræos Epistolas plerisque Latinis ejus esse incerta est, propter dissonantiam sermonis*.

Hæc omnium validissima sunt, quæ ad nostram sententiam oppugnandam afferantur. Quibus tamen testimoniis objicienda omnium Latinorum Patrum authoritas, & consensus, qui a quarto, & quinto ab hinc sæculo Pauli nomine eamdem Epistolam allegarunt [19]. Hujusmodi sunt SS. Hilarius, Ambrosius, Presbyter Romanus Faustinus, Gaudentius Episcopus Brixiensis, Rufinus, Paulinus, Innocentius I. in Sacrorum Librorum Catalogo, Idacius, Bacchiarius, Sedulius, Cassianus, Cerealis; Faustus Regiensis, Victor Uri-

---

1 Hebr. 13. 23. Fratrem adhuc Timotheum vocat 2. Cor. 1. 1. Coloss. 1. 1. & 1. Thessal. 3. 2. &c. 2 Petsson. Dupini Tillemont. Mill. 3 Hebr. 10. 34. Legit Vulgata: *Nam & vinctis compassi estis*. Græcum vero habet: *Vos meis vinculis compassi estis*. 4 Clem. Alex. hypot. apud Euseb. hist. Eccl. l. 6. c. 14. & Strom. l. 2. p. 420. & l. 4. p. 514. & alibi. 5 Origen. l. 3. contra Cels. p. 143. Philoc. p. 17. 55. Protrep. ad Mart. & l. de orat. p. 89. 97. 99 hom. 1. 2. 3. 4. in Cant. Comment. in Joan. p. 56. 58. 416. & alibi passim. 6 Idem apud Euseb. l. 6. Hist. Eccl. c. 5. 7 Euseb. Hist. Eccl. l. 3. c. 3. et 32. et alibi. 8 Videri possunt testimonia congesta apud Spanhem. tr. de Auth. Ep. ad Heb. p. 1. c. 6. Tillem. not. 72. in S. Paul. Mill. Prolog. Ep. ad Heb. 9 Hier. Catal. de Cajo, & Euseb. l. 6. c. 24. 10 Hier. in Ezech. 18. 11 Idem in Matt. 26. 12 Idem in Ep. ad Tit. 2. 13 Idem Ep. 129. *Hanc Epistolam, quæ inscribitur, Ad Hebræos non solum ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro Ecclesiis, & Græci sermonis Scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi*. 14 Aug. l. 16. de Civ. c. 22. 15 In Ep. ad Rom. Expositio inchoata p. 911. n. 11. 16 De peccat. merit. l. 1. c. 27. 17 Euseb. l. 3. hist. c. 3. 18 Philastr. hæres. 41. 19 Vide apud Spanhem. tract. de Authore Ep. ad Hebr. part. 1. cap. 7.

Uticensis, S. Gregorius Magnus, & alii sexcenti; omnes enim ferme Patres, & Concilia illo ab hinc tempore in hanc sententiam convenere.

Ex recentioribus paucissimi sunt, qui sibi peculiarem opinionem invexerint. Grotius in Ep. ad Hebr. Epistolam hanc S. Lucæ adscribit, Clementi Papæ Erasmus in c. 12. ad Heb. Lutherus in Gen. 48. 20. & Beza in Ep. ad Hebr. Apollo; D. Barnabæ Camero qu. 2. in Ep. ad Heb. aut S. Lucæ, aut S. Clementi Calvinus; Joseph Scaliger in excerpt. voce Hellenista, Hellenistæ cuidam; Ludovicus Vives in lib. 16. c. 22. D. August. de Civ. Cardinalis Cajetanus in ep. ad Hebr. Erasmus, Schmidius, Tanaquillus Faber l. 2. ep. 14. Salmasius de Primato Papæ apparat. p. 29. & forte alii nonnulli, an vere Apostoli habenda sit, ambigebant. Quanti vero paucissimos hos criticos faciam, si cum ferme innumeris ætatum, Societatum, & Communionum omnium Scriptoribus conferantur, qui una voce Epistolam ad Hebræos S. Paulo adscribendam esse censuerunt?

Objectiones, quæ hanc sententiam oppugnant, facile etiam evertimus; quas equidem, cum adversas refelleremus opiniones, aliquatenus jam refutavimus. Validissimum adversarii argumentum inde educunt, quod hujus Epistolæ stylus a cæteris Pauli Epistolis longissime absit. De hac, quam perspicuam ducimus, dissonantia non disceptamus. Anne, quod & nunc sæpe accidit, suum stylum in alium Paulus convertere non potuerit? Anne Epistolam, Tractatum, Dissertationem diversimode non intexuerit? Utrum hæc ad Hebræos Epistola, seu Liber fuerit, adhuc incertum. Epistolarum modo plane non incipit; Author insuper de operis brevitate excusationem postulat [1]. Si Liber, utique perbrevis; si Epistola longa nimium.

Paulus præterea aut Lucæ, aut Clementis opera uti forte non valuit, ut stylo politiori hanc Epistolam instrueret [2]? Ita in dies amicorum opera solemus exercitationes nostras restaurare, ut rudiores phrases expoliant, ut denique de iis idiomatis erroribus, in quos vel diligentiores sæpe incidunt, admoneant. Quin Pauli sensus in aliis ejus Epistolis minuerentur, utique & clariores reddi possunt & elegantiores. Quod forte & huic Epistolæ contigit. Eorum hic sententiam prætermus, qui Epistolam a Paulo Hebraice primum exaratam, & ab alio deinde Græce redditam arbitrantur. Quod nos utique nullatenus defendi posse paulo post ostendemus.

Spanhemius, qui in hanc rem laboris plurimum impendit, hujus Epistolæ stylum ab aliis Pauli Epistolis non longissime distare testatur; plurimasque phrases, quæ in cæteris occurrunt, eadem ratiocinia, eandem methodum, easdem periodos, ipsos Pauli hebraismos, rariores quidem & politiores, satis tamen perspicuos, etiam huic Epistolæ ita interseri ostendit, ut ejus Author, sicut & cæterarum, Paulus apertissime dignoscatur.

ARTICULUS II.

Quonam idiomate hæc Epistola scripta fuerit?

Duplex hac de re sententia, quarum altera Hebraice, altera Græce scriptam defendit. S. Clemens Alexandrinus Hypotyp. apud Euseb. l. 6. c. 14 hist. Eccl. Eusebius hist. l. 3. c. 38. Theodoretus Præf. in Ep. ad Hebr. Græcos Anonymus apud Oecomenium Præf. ad Ep. ad Hebr. S. Hieronymus [3], & nonnulli recentiores [4], S. Paulum quod ad Judæos scriberet, patrio eorum idiomate ad eos Epistolam hanc dedisse, & S. Lucam, seu S. Clementem Græcam illam reddidisse suspicati sunt. Hinc, juxta Hieronymum, factum est, ut præ cæteris elegantior sit; etenim Paulus, qui Judæus esset, proprio idiomate comptius scribebat, quam scriberet extero; Lucas vero, qui Græce eam descripsit, præ Paulo Græcum callebat. Quare mirum non fuerit, si Epistolam Hebraica locutione diserte editam, eleganter in Græcam transtulit. *Scripsit*, inquit Hieronymus, *ut Hebræus Hebræis Hebraice, idest suo eloquio disertissime, ut ea, quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentius verterentur in Græcum; & hanc causam esse, quod a cæteris Pauli Epistolis discrepare videatur.*

Pauli Originale Hebræum brevi deperditum fuisse ferunt, cum ex Veteribus nemo unus se vel vidisse, vel novisse meminerit. Quod tamen admirationem non ingerat, cum S. Matthæi Evangelium plurimis in locis maximo honori habitum, & ab Origene, & Hieronymo perfectum, duodecim ab hinc retro sæculis penitus interciderit. Nil felicius & huic Epistolæ forte obtigit. Ejus autem Græca versio, quam Lucas reddidit, facile in causa fuit, ut in Hebræo Originali servando studium remissius adhiberetur; cum omnes & Palæstinæ & Provinciarum Judæi ad Fidem conversi Græco idiomate vulgo loquerentur.

Eruditi nonnulli, ut Vidmanstadius, & Guido Fabricius, qui omnium primi Novum Testamentum Syriace excusum ediderunt, Epistolam ad Hebræos, qui nunc Syriace extat, Pauli Originale duxerunt. Paulum enim, & quidem jure, Syriaci idiomatis peritum putabat: quod sane idioma & Judææ, & Syriæ Hebræi tanquam vernaculum adhibebant. Verumtamen ipse Textus Syriacus hanc opinionem refellit, plura suppeditans argumenta, quæ versionem utique vetustissimam a Græco depromptam esse satis ostendunt. Extat etiam hæc epistola Hebraice edita, quam tamen recentiorem esse versionem, & a Græco desumptam omnes conveniunt.

Qui primum Græce scriptam defendunt, infrequentiores sunt numero, sed validioribus præstant argumentis. Clemens Alexandr. Eusebius, & Hieronymus, qui Hebraice primo editam credidere, auctoritate sua veterum plerosq; in eamdem sententiam impulerunt. Quæ quidem opinio ad id contulit, ut difficultatē a stili diversitate deductam, & eos, qui epistolam S. Paulo adscribunt, quammaxime urgentem, facile solverent. Paulus enim, inquiunt, Hebraice scripsit, adeoq; eloquentius, cum patrio & naturali idiomate scriberet. Stili vero similitudinem inter Epistolam ad Hebræos, Epistolam Clementis Papæ, & Acta Apostolorum, inde or-

1 Hebr. 13. 22. *Etenim perpaucis scripsi vobis.* 2 Origen. apud Euseb. Histor. Eccl. l. 6. c. 25. Est. in Ep. ad Hebr. qu. 2. Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei c. 27. Hipperius Prologom. in Epist ad Hebr.

3 Hieron. Catalog. in voce Paulus Agobard. Epist. ad Fredegis. 4 Ambrosiast. Primas. Haymo, Tena prælud. 4. Ribes. Baron. Albert. Vidmanstad. Guido Fabricius, Matth. Galenus, Cornel. a Lap. Quidam Codd. Græci apud Mill. ad calcem hujus Epistolæ, Tussan. Zanchius, Salmas. de Hellenistica parte 1. alii plures apud Spanhem.

de ortam statuunt, quod Epistolam illam Lucas, seu Clemens ex Hebræo in Græcum transtulerint.

Si vero hæc propius dispiciamus, nil forte nobis levius, nihil infirmius. Clemens Alexandrinus Hebræum Originale neque oculis vidisse se asserit, neque agnovisse nomine, sed conjectando tantum meminit. Apud Origenem [1] rerum harum peritissimum, & Hebræis Originalibus investigandis prorsus addictum, mirum de eo silentium: qui tamen hanc Epistolam Græce exaratam memorat; stili vero diversitatem in S. Clementem, aut S. Lucam refert, qui de S. Pauli consensu, sua eloquentia eandem Epistolam exornaverint. Eusebius & Hieronymus neque rem investigarunt diligentius, neque Hebræum Originale agnovere; quod sane minime extitisse præfertur, cum eorum uterque in id genus monumentis effodiendis solertissime laboraverint. Hebræum Matthæi Evangelium, quod eorum adhuc ætate extatet, & producunt, & allegant; nunquam vero Hebræam ad Hebræos Epistolam.

Si quis Syriæ, & Palæstinæ Hebræos, ad quos potissimum Epistola directa dicitur, nonnisi Hebraice loqui solitos arbitretur, ipse se decipiat; hæ enim Provinciæ Græcum æque ac Hebræum vulgo adhibebant [2]. Si vero cum Spanhemio [3] ad omnium Provinciarum Orientalium Hebræos Epistola missa statuatur, ut Hebraice scriberetur, nil postulasset; in omnibus enim Orientis regionibus, in quibus Israelitæ degebant, ab Alexandri Magni victoria, Græcum idioma ita invaluerat, ut Hellenistarum plerique, qui incolebant Provincias, vel Syriacam ignorarent [4]. S. Petrus, S. Jacobus, & S. Joannes, æque ac S. Paulus, ad Hebræos, non Hebraice tamen, sed Græce scripsere; cur igitur & Paulus ad eos Hebraice scripserit?

Quod Hebræum idioma patrium, & naturale Paulo fuerit, vernaculum autem, ut ajunt, idioma perfectius quam externum callemus: Duo hic falsa. 1. Naturale Pauli idioma Græcum quidem fuit; Tharsi enim celeberrimæ urbis cives, Ciliciæ Metropolis, quæ scientiam & dicendi venustatem æque ac Alexandria & Athenæ ostentabat [5], Græco idiomate loquebantur, cujus utique Paulus peritissimus & Poetas evolverat. Quod vero ejus Epistulæ nobis obscuræ videantur, in causa est cum nostra Græci idiomatis ignoratio, tum Viri ingenium acrius, vividum, atque fœcundum. Neque profecto ea stili obscuritas Hebraici idiomatis indoli tribuenda esset; quippe quod ad ejus potius lumen & claritatem idcirco contulisset, quod ab iis inversionibus, & transpositionibus, quibus Græcum difficile sæpe redditur, prorsus abhorreat. Græcum igitur Paulo naturale: Hebræum per studium paratum. 2. Naturali ornatius quam per studium acquisito idiomate nos semper loqui, minime constat: contrarium potius experimento pluries compertum. Quare licet Syriacum Paulo naturale, & Græcum per studium comparatum fateremur, adhuc is eleganter minus, minusque diserte Græco quam Syriaco idiomate loquutus, jure non inferretur.

Græce vero primum scriptam fuisse, ipsa per se Epistola satis ostendit. Allusiones in ea, quæ tantum in Græco valent [6]; phrases, periodi, stilus perspicuum & quidem origine, non versione Græcum preferunt. Pauciores in hac, quam in cæteris Pauli Epistolis, hebraismi; quos, si Hebraice primum, vel Syriace scripta fuisset, frequentiores utique reperiremus. Ejus Author non juxta Hebræum, sed juxta Græcam Versionem Scripturas allegat, & ratiocinationes a Græcarum vocum significationibus juxta Hellenistarum, seu Græcorum stilum, depromptas quandoque interserit: quæ si Hebraicarum vocum valorem servent, vim omnem amittunt. Septuaginta ex. g. Hebræum *Berith* ut plurimum vertunt *DiatheKe*. *Berith* fœdus, *DiatheKe* Testamentum sonat: quare juxta Hellenistarum idioma *confirmare Testamentum* fœdus *confirmare* significat; Hujus Epistolæ Author, nulla habita ratione Hebraicæ significationis vocis *Berith*, *DiatheKe*, testamentum, usurpat; & hinc ratiocinium deducit, quod ad *fœderis* valorem nullatenus refertur. Hebræorum denique, de quibus meminit, nominum, v. g. *Melchisedech*, interpretationem exhibet [7], unde argumenta depromit: quæ, si Epistola scripta fuisset Hebraice, frustra, & extra rem prorsus caderent.

Veteres, qui hanc Epistolam a S. Clemente Græce versam duxerunt, in quam sententiam, post Eusebium Cæsariensem, vulgo concessum est, S. Clementem Hebræum natu minime fuisse, ipsumque Hebraici Idiomatis peritum nullo argumento exhiberi posse non animadverterunt. Prisci saltem Scriptores eumdem aut Græcum putarunt, aut Romanum. Nulla itaque veri species, quod Epistolam ad Hebræos ex Hebræo in Græcum transtulerit. Qui vero eidem Clementi Epistolam omnino adscribunt, meliori quidem ratiocinio ducuntur, sed falsum prorsus enunciant, ut nos præcedenti articulo satis ostendimus. Hujus igitur Epistolæ Author certe Paulus, qui eamdem, sicuti & cæteras, Græce exaravit. Ita Origenes, & Critici peritiores [8].

ARTICULUS III.

Ubi, quando, ad quos, & qua occasione hæc Epistola scripta fuerit.

ANte Jerosolymitani Templi eversionem hæc Epistola scripta esse ex iis satis præfertur, quæ de Sacerdotibus & Legis Sacrificiis Author enunciat; qui adhuc eamdem in Italia se dedisse ostendit, quod Hebræis Italorum Fratrum nomine valedicat: *Salutant vos de Italia Fratres*. Hebr. 13. 24. S. Chrysostomus in Ep. ad Rom. Prolog. Theodoretus Prolog. In Rom. Ms. Alexandrinum [9], aliique nonnulli Romæ scri-

1 Origen. apud Euseb. l. 6. c. 26. hist. Eccl.
2 Talmud. Megilla. fol. 71. col. 2. & 3. & in Sota fol. 21. col. 2. & in schekalim par. 3. halac. 2.
3 Spanhem. par. 1. c. 2. de Auth. Ep. ad Hebr.
4 Hieronym. Proœmio in Ep. ad Galat.
5 Strabo l. 16.
6 Vide Hebr. 1. 7. & 2. 7. & 4. 12. & 5. 6.
7 Hebr. 7. 2.
8 Est. Prolog. in Ep. ad Hebr. Du Pin. Spanhem. de Auth. Ep. ad Hebr. p. 2. c. 2. Mill. var. lect. in Ep. ad Hebr. Grot. Pisc. Jac. Capell. Ligfoot. Hamm. Le Clerc. alii plures.
9 Ms. Alex. ad calcem hujus epist.

scriptam esse perhibent [1], paulo ante, vel paulo post quam Paulus suis vinculis solveretur: alii vero in quadam ex Italiæ Urbibus datam malunt; si enim Romæ scripsisset, Apostolus, id saltem vel insinuasset, neque Hebræos Italorum, sed Romanorum Fratrum nomine salutasset.

Utcumque id fuerit; eam profecto scripsit, cum vinculis omnino solutus, vel proxime solvendus esset, de his enim, veluti de se præterita meminit [2]: *Nam & vinculis meis compassi estis*; seque una cum Timotheo ad eos adventurum pollicetur. Nos itaque cum veterum & recentiorum Interpretum, & Chronologistarum plurimis [3], anno Christi 63. Neronis imperantis 10. hanc Epistolam Paulum dedisse tum credimus, cum postquam biennio Romæ carcere detentus fuerat, tandem fuit a Nerone dimissus. Paulo post quam ad Philippenses 4 & ad Philemonem [5], scripsit, quos etiam se citius invisurum spondet.

Cum Judæi increduli Fideles Hebræos acriter vexarent [6], cumque eorum bona impune invadentes ad miserrimam egestatem eos redegissent [7]; miserorum solatio hanc potissimum ad eosdem Epistolam misisse Apostolum arbitramur, qua ad patientiam, & ad Divini Judicii expectationem omnes hortatur: unaqua forta studet, ut a mœrore, quem de Jacobi Minoris sui Episcopi, circiter ante annum, Anano jubente, e Templi fastigio deturbati fuere perceperant, animos erigant, solatioque acquiescant [8]. Huc forte intuebatur, cum scriberet [9]: *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum, conversationis imitamini fidem*. Gratias præterea iis agit, quod sibi vinculis obstricto condoluissent [10].

Cum veritatis lumen in omnes regiones effundere appeteret, & de Legalium, & Sacrificiorum, quæ in Templo offerebantur, vanitate, sicut sibi persuasum fuerat, ita cœteros persuasos vellet, de Christi magnitudine primo sermonem instituit, eumque laudibus cumulatum & Angelis, & Moysi præfert. Ejus deinde Sacrificii, & Sacerdotii virtutem confirmat; hinc Sacerdotii Aaron, & Sacrificiorum legalium abrogationem concludit; novum Fœdus, novumque Testamentum, quod Veteri successurum Prophetæ promiserunt, Christi esse Religionem ostendit. Longo demum Patriarcharum, Propheratum, & Veteris Testamenti Sanctorum, quorum merita & Fidem effert, catalogo intexto, per Fidem nos Deo acceptos fieri demonstrat.

Cum vero non modo apud Judæos incredulos invidiam sui nominis creatam sciret, sed etiam apud Judæos infideles, quod se Legis, & cœremoniarum hostem ducerent; prudenter nomen suum reticet, suamque Apostoli dignitatem neque initio præponit, neque ullibi per totam Epistolam interserit [11]. Veritates autem, quas stabiliendas aggreditur, ita confirmat, validis adeo argumentis fulcit, eaque animi moderatione proponit, ut vel pervicaciores & ab eo magis alieni, dulci quadam vi in ejus sententiam pertrahantur. Præterea, quod proprie Hebræorum non esset Apostolus [12], sapienter a suo nomine abstinuit, ne quod ad solamen, & documentum scripserat, in offensionem & perniciem verteretur. *Principium salutatoriam*, inquit S. Augustinus Exposit. inchoata ad Rom. n. 11. p. 911. *de industria dicitur omisisse, ne Judæi, qui adversus eum pugnaciter oblatrabant, nomine ejus offensi, vel inimico animo legerent, vel omnino legere non curarent, quod ad eorum salutem scripserat.* Illud etiam accedit, quod propter studiosissimam erga Christum, de quo per totam Epistolam disserendum sibi statuerat, reverentiam, a suo nomine, & dignitate abstinuerit [13].

Quod Pauli nomen ab Epistola non præferatur, quosdam idcirco Pauli non esse opinatos scimus [14]. Veteres quidem, ut eam Paulo eriperent, hoc usi sunt argumento [15]. Alii Epistolæ initium intercidisse censuerunt [16]. Nos vero in adversarios argumentum cum Primasio optime retorquemus [17]: Si enim Pauli non fuerit hæc Epistola, quod Pauli nomen non præferat; neque erit alterius, cum nullius nomine inscribatur; vel ad summum, si ad aliquem, ad Authorem incognitum, & anonymum pertinebit. Verum iis characteribus hanc Epistolam instrui, ut Paulo omnino tribuenda sit, & revera a Græcis semper, a Latinis vero quarto ab hinc sæculo ei adscriptam fuisse, satis superque paulo ante ostendimus: quare & in præsentia Paulus ejusdem Author censendus est, quamquam in ea Pauli nomen non legitur.

Veterum, & Recentiorum Interpretum plerique ad Jerosolymæ & Palæstinæ Judæos hanc Epistolam directam statuunt [18], quibus sane Hebræorum nomen potissimum congruebat, cum cœterarum Provinciarum Hebræi Hellenistarum nomine appellarentur. Cum Apostolus ad eos invisendos se adventurum [19] spondet, nonnisi Palæstinos, & Jerosolymitanos præsertim alloquitur: quomodo enim omnes omnino Imperii Provincias se peragraturum promitteret? Cœterum eos peculiariter describit, ubi eos æquo animo bonorum rapinam pertulisse meminit [20]. Judæi, qui nomen Christo dederant, crudelioribus in Judæa, quam in cœteris orbis partibus, calamitatibus ab ipsis eorum fratribus afficiebantur, quod Hebræi Fidei hostes potentiores ibi essent, & studiosiores, ut Christi nomen prorsus everterent.

Si vero Paulum ad Palæstinæ Judæos potissimum scripsisse constat, quomodo cum eo cohæreat, quod ante asseruimus, videlicet S. Petrum de hac ad Hebræos Epistola, in sua ad eosdem per varias Asiæ Provincias

1 Capell. append. ad hist. Apost. Spanhem. part. 2. c. 4. n. 8. Baron. Blondel. Usser.
2 Hebr. 10. 34. 3 Chrys. Theodoret. Prolog. in Ep. ad Rom. Theophyl. Prolog. in Ep. ad Hebr. Baron. Blondel. Usser. Spanhem. Tillemont. alii passim.
4 Philipp. 1. 26. *Per meum adventum iterum ad vos.* 5 Philem. vers. 22. *Para mihi hospitium, nam spero per orationes vestras donari me vobis.* 6 Hebr. 10. 32. 33. 7 Hebr. 10. 34.
8 Ann. Christ. 62. in Paschat. fest. Vide Euseb. l. 2. c. 23. hist. Eccl.
9 Hebr. 13. 7. 10 Hebr. 10. 34. 11 Clem. Alex. apud Euseb. hist. Eccl. l. 6. c. 14. Hieronym. catalog. voce Paulus. *Quia Paulus scribebat ad Hebræos, propter invidiam sui apud eos nominis, titulum in principio salutationis amputavit.* Idem in Ep. ad Gal. 1. Theodoret. Ambrosiast. Chrysost. Præf. in Ep. ad Hebr.
12 Clem. Alex. apud Euseb. l. 6. c. 6. hist. 13 Clem. Alex. loc. citato, Theodoret. apud Oecumen. Hier. in c. 1. ad Gal. *Non fuit congruum, ut ubi Christus Apostolus dicendus erat, ibi etiam Paulus Apostolus poneretur.*
14 Cajet. Calvin. Erasm. Grot. Camero. 15 Vide Athanas. Dialog. 1. de Trinit. & Theodoret. Prolog. in Ep. ad Hebr. 16 Gerhard. & Hyper. in Ep. ad Hebr. 17 Primas. Præfat. in Ep. Pauli: *Si propterea Pauli non erit, quia ejus non habet nomen, nec alicujus est, quia nullius nomine titulatur. Quod si absurdum est, ipsius magis credenda est, quæ tanta doctrina sui fulget eloquio.* 18 Chrysost. Theodoret. Theophyl. Ambrosiast.
19 Hebr. 13. 23. 20 Hebr. 10. 34.

cia effusos, idcirco meminisse, quod Petrus ad eosdem, ad quos & ipse, Apostolum jam scripsisse sentiret?

Hanc eversurus objectionem Spanhemius [1] respondet, 1. eam forte Epistolam ad omnium Asiæ Provinciarum Judæos fuisse directam; quod utique iis, quæ ante diximus, innixi penitus improbamus. 2. Apostolum ad Palæstinæ Hebræos potissimum scripsisse, & ea propter iis præsertim se cito ad eos adventurum promisisse: quo tamen minime prohibebatur, quominus Epistola ad omnes, ad quos Petrus post annum circiter scripsit, perveniret; quare Petrus de captu difficillimis antea Paulum ad eos scripsisse, merito in eorum memoriam reduxit. Hæc plausibilior, quæ afferatur, solutio; sed nihilominus pluribus difficultatibus adhuc obvolvitur.

Illud utique in hac Epistola animadvertendum, quod Paulus solos Hebræorum Fideles alloquatur, neque ullo vix documento eorum Præsules instituat [2]. Hebræos tantummodo rogat, ut suis Præsulibus suo nomine salutem impertiant, ut eisdem cultum, & obedientiam præstent, ut eorum mores, & fidem imitentur, ut denique munera omnia erga ipsos æquo animo adimpleant. Quod quidem in Pauli sapientiam & modestiam referendum ducimus; Ecclesiæ enim Jerusolymitanæ Præpositis, qui vel ex Apostolis erant, vel ex Christi Discipulis, in quos nulla sibi erat authoritas, se noluit Præceptorem exhibere.

Animadvertendum præterea, a Vetustis plurimis Mss. [3], & ab iis ferme omnibus, quæ D. Epiphanius evulgavit [4], a Theodoreto, a Synopsis sub Athanasii nomine Authore, ab Euthalio, a Ms. Alexandrino, & ut alia plurima prætereamus, ab altero Coislinianæ Bibliothecæ vetustissimo [5], quinti nempe, ut ajunt, vel sexti sæculi, statim post secundam ad Thessalonicenses hanc ad Hebræos Epistolam recenseri. Qua de causa id præstitum fuerit, incertum. Sunt qui putent, ut Epistolæ ad Ecclesias simul coogestæ, ab iis, quas Paulus ad quosdam peculiariter dederat, secernerentur [6]. Ecclesia, juxta Theodoretum Præfat. in Ep. ad Hebr. post Epistolas ad Thessalonicenses, hanc statim constituit, ut inter Canonicas Epistolas, & inter Pauli opera & hanc a se enumeratam ostenderet. Addit præterea Theodoretus, hanc inde ab Arianis amotam, post Epistolas ad Titum & Philemonem locatam fuisse, ut eam S. Paulo eriperent, & canonicam ejus authoritatem everterent.

ARTICULUS IV.

De Canonica authoritate Epistolæ ad Hebræos.

POstquam hanc Epistolam S. Paulo tribuendam satis aperte probavimus, an inspirata, seu canonica sit, facile est pronunciare. S. Paulum Authorem Spiritus Sancti lumine perfusum, nemo unquam negavit; qui vero canonicam hujus Epistolæ authoritatem oppugnant, eo ducuntur, vel quod Pauli non esse defendant, ut Ariani [7], vel quod vitiatam, & præcisam velint, ut Marcionitæ [8]. S. Clementem Papam, cui eam nonnulli tribuere, inter Divinos & inspiratos Authores Ecclesia nunquam recensuit. Sententia, quæ S. Lucæ, seu Barnabæ eam adscribit, nullo argumento valide probatur. Si igitur hæc ad Hebræos Epistola ab Apostolo contexta fuit, ut luce clarius ostendimus, & inspirata ducenda est, & Divinæ Authoritatis habenda.

Ad hanc canonicam authoritatem, quam veluti intrinsecam appellamus, potissimum Partum testimonium, & unanimis Ecclesiæ consensus accedit. Græci semper, Latini vero a quarto & quinto sæculo veluti canonicam exceperunt. S. Clemens Alexandrinus apud Euseb. l. 6. c. 14. hist. Eccl. Origenes apud Euseb. l. 6. c. 25. hist. Eccl. Eusebius l. 3. c. 32. hist. Eccl. Dionysii Alexandrini, & Concilii Antiocheni ad Paulum Samosatenum Epistolæ, Alexandri Alexandrini ad Concilium Constantinopolitanum Epistola apud Theodoret. l. 1. c. 3. hist. Eccl. S. Athanasius de Nicen. Decret. de Synod. Epist. ad Serapion. &c. S. Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 4. Concilii Laudiceni canon sexagesimus, S. Epiphanius hæres. 42. & 69. S. Basilius Constit. Mon. c. 22. & alibi. S. Gregorius Nazianzenus carm. 34. & orat. 2. S. Gregorius Nyssenus de hypost. t. 3. p. 35. S. Amphilochius apud Græc. Naz. car. 125. S. Gregorius Thaumaturgus Exposit. fidei altera. Titus Bostrensis comm. in Luc. 23. S. Ephrem Ser. de virtut. & vit. p. 51. de tormont. infern. p. 204. & alibi, & alii canonicam & Divinam & acceperunt, & allegarunt, & Hæreticorum nota eamdem rejicientes inusserunt.

Theodoretus Præf. in Ep. ad Hebr. veteres increpat, quod hanc Epistolam rejecerent contra Ecclesiæ, quæ sua jam ætate veluti S. Pauli fœtum agnoverat, authoritatem, & contra ipsum Eusebii testimonium, qui veluti a Paulo exaratam & canonicam eamdem jam allegaverat, quamvis hunc suorum dogmatum Patronum appellarent. S. Hieronymus hæc habet: *Illud nostris dicendum est*, inquit Hieronymus Ep. 129. ad Dardan. *hanc Epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesiis Orientalibus, sed ab omnibus retro Ecclesiis, & Græci sermonis Scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi.* Et Ep. 126. ad Evagrium etiam absolute ait: *Epistolam ad Hebræos omnes Græci recipiunt, & nonnulli Latinorum.*

Diutius equidem Latina Ecclesia rem perpendit, & serius Paulum ejus Authorem agnovit, & inter canonicas eamdem recensuit. Eusebii Cæsariensis, Hieronymi, Augustini, Philastrii, Isidori Hispalensis, & Rabani Mauri ea de re sententiam supra attulimus. Cajus Ecclesiæ Romanæ Presbyter, anno 210. Pontifice Zephirino regnante, Romæ disceptans, omissa Epistola ad Hebræos, cæteras Pauli tresdecim tantum enumerat. Author Commentarii in Apocalypsim sub nomine S. Victorini, nihil habet de Epistola ad Hebræos.

1 Spanhem. de Auth. Ep. ad Hebr. part. 1. c. 2. n. 8. 9. 2 Hebr. 13. 17. &c.
3 Alex. part. 3. Reg. 2. Colb. 7. Tres MSS. penes Bezam, & Cod. 29. Biblioth. Coislin.
4 Epiphan. hæres. 42. Marcionis. 5 Cod. 202. Biblioth Coislin. 6 Beza, Mill.
7 Vide Theodoret. Præfat. in Ep. ad Hebræos.
8 Epiphan. hæres. 42. Hieronym. Proœm. in Ep. ad Titum.

Hebræos. Hilarius Diaconus, & Pelagius, qui Apostoli Epistolas interpretati sunt, hanc ad Hebræos prætermisere. Neque Cyprianus, neque priorum trium sæculorum Patres eam unquam producunt; Eusebius vero sua adhuc ætate a pluribus Ecclesiis veluti a Paulo alienam testatur l. 6. c. 20. hist. Eccl.

S. Hieronymus inter Canonicas Scripturas a Latinis Ecclesiis non recenseri solitam affirmat Ep. 129. ad Dardan. *Quod si eam Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas &c.* Et Epist. 103. ad Paulin. *Paulus Apostolus ad septem scribit Ecclesias: octava enim ad Hebræos a plerisque extra numerum ponitur.* Et Comment. in Isai. 8. *Eam Latina consuetudo inter Canonicas Scripturas non recipit.* Demum in Zachar. 8. *De monte hoc* (Sion), *& de hac Civitate* (Jerusalem) *& Apostolus Paulus, si tamen in suscipienda Epistola* (ad Hebræos) *Græcorum authoritatem Latina lingua non respuit &c.* D. Augustini ætate ab ea inter Canonicas recensenda abstinebant, quod Pauli salutationem ei præpositam non invenirent [1]. *Unde nonnulli eam in Canonem Scripturarum recipere timuerunt.* Quo etiam S. Doctore teste, plerique Paulum ejus Authorem esse, nonnulli vero non esse, defendebant [2]. *Quamplures Apostoli Pauli esse dicunt; quidam vero negant.*

Augustinus nihilominus in Libro 2. de Doctrina Christiana c. 8. quatuordecim Pauli Epistolas enumerat, adeoque inter cæteras, quarum nullum discrimen, hanc etiam recenset, eamque veluti canonicam ubique allegat; quam & Carthaginense Concilium [3] Librorum Sacrorum Catalogo insertam exhibet. S. Hieronymus, qui ei quandoque parum favere videtur, eam sæpe tanquam Scripturam Sacram laudat, & in Epistola ad Dardanum veterum potius, quam Latinorum quorumdam eam respuentium, authoritati adhærens, se veluti canonicam excipere profitetur [4]: *Nos tamen utraque* (Apocalypsim, & Epistolam ad Hebræos) *suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum authoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis, non ut interdum de apocryphis facere solent, sed quasi Canonicis & Apostolicis.*

A quarto & quinto sæculo tamquam Pauli & canonicam a Latinis Patribus sæpissime allegatam scimus, videlicet a S. Hilario l. 4. de Trinit. p. 21. Lucifero Calaritano de non conveniendo cum hæreticis. S. Ambrosio de fide ad Gratian. l. 1. c. 4. &c. Rufino Exposit. Symbol. apud Cyprian. Salviano l. 4. ad Eccles. Catholic. Cassiano collat. 1. c. 14. Innocentio I. in Epistola ad Exuperium, Hilario Diacono, seu Ambrosiastro in secundam Epistolam ad Titum cap. 1. Phœbadio lib. contr. Arianos. Victorino adversus Arium l. 1. 2. & tract. de Homous. & demum a cæteris, quos ad Latinorum Patrum eam tamquam Pauli excipientium Traditionem comprobandam, paulo ante recensuimus. Concilia etiam, Mss. & Ecclesiæ Latinæ Scriptores in Scripturarum Canonicarum Catalogis, quos exhibent, quatuordecim Pauli Epistolas enumerant.

Latini priorum etiam sæculorum Authores non defuere, qui hanc veluti Divinam produxerint. S. Clemens Papa in suis sæpe Operibus & phrases, & ejus loca interserit, quamvis ejusdem Authorem non prodat. S. Irenæus in Libris contra hæreses ejus authoritatem adhibet [5]. Tertullianus [6] eamdem allegat, quamvis alibi S. Barnabæ adscribat. Novatianus in Libro de Trinitate cap. 15. ejusdem testimonium producit. Hieronymus ad Dardan. Ep. 129. a Veteribus Latinis exceptam insinuat, cum Veterum authoritati inhærens, quidquid sibi velint Recentiores, eam se suscipere profiteatur: *Nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum authoritatem sequentes.* Stephanus Gobar ab iis [7], qui Epistolam ad Hebræos receperunt, Hippolytum & Irenæum tantummodo excipit; & inter eos, qui Apostolum ejus esse Authorem agnovere, S. Clementem Papam, & Eusebium recenset. Cæterum ab Irenæo tamquam canonicam allegari paulo ante meminimus. Ipsi Ariani in hæresis exordio eam minime rejecerant; Marcion denique ejus Authorem Paulum non negavit, sed ab aliis vitiatam censuit.

Novatianorum hæresim, quæ sub tertii sæculi exitum irrepere cœperat, in causa esse credimus, quod Latina Ecclesia ab hac Epistola inter Canonicas recensenda tamdiu abstinuerit; cum enim Hæretici illi quibusdam ejus locis [8] ad suos de pœnitentia errores comprobandos abuterentur, sapienter Ecclesia ei Epistolæ authoritatem adjungendam non esse censuit, quam nefarii in Fidei perniciem detorquebant. Cum vero deinde Ariani sub quarti sæculi exordium in Ecclesiam irruentes, ad suas in Consubstantialitatem, & æternitatem Verbi hæreses confirmandas aliis ejusdem Epistolæ [9] locis improbe uterentur, ejus authoritatem e re fuit silentio adhuc præterire. Marcionitas, qui secundo Ecclesiæ sæculo Italiam invaserant, eidem silentio satis contulisse Spanhemius arbitratur [10]. Utcumque fuerit, illud sane constat, quarto & quinto sæculo de Epistolæ ad Hebræos authoritate canonica Latinam Ecclesiam cum Græca convenisse; quod tredecim ab hinc sæculis Apostolus sibi denique eidem Apostolo vindicaverit etiam Tridentinum Concilium, a quo & inter canonicas, & inter Pauli Epistolas enumeratam scimus.

---

1 Aug. Exposit. inchoata in Ep. ad Rom. n. 11. 2 Aug. l. 16. de Civit. Dei c. 22.
3 Concil. Carthag. I. l. l. c. 27. 4 Hier. Ep. 129. ad Dardan.
5 Iren. l. 2. c. 55. & l. 4. c. 21. 24. 6 Tertull. contr. Judæos c. 2. & contr. Marcion. l. 2. c. 8. & de Pudicit. c. 20. 7 Apud Phot. Cod. 232.
8 Vide Hebr. 6. 4. & 6. & 10. 26. 27. & 12. 15. 16. 16. 9 Hebr. 1. 3. 4. & 3. 2.
10 Spanhem. de Author. Ep. ad Hebr. part. 1. c. 8. art. 11. 12. 13. 14.

DISSERTATIO

DE MELCHISEDECHO.

Praeclari adeo tantique sunt characteres, quibus S. Paulus in sua ad Hebraeos Epistola Melchisedechum [1] decorat, adeoque sibi mutuo adversari videntur, ut ipse Apostolus de eo disserendi difficultatem fateatur, quamvis Hebraeos Scripturarum peritos, & metaphoricas Synagogae Doctorum explanationes audire solitos alloqueretur [2]: *De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum*. Quibus Apostoli verbis, & rei magnitudine, & difficultate Hieronymus territus, a verbis de eo faciendis omnino abstinuit; semperque abstinuisset, nisi nimis Evagrii amici sui precibus, ut quidquam efferretur, tandem adductus fuisset [3]. Alii vero Critici [4], postquam de Melchisedecho hucusque prodita, satis expenderint, tam multum adhuc abesse, ut e tenebris omnino emergat, enunciant. Sibi denique mutuo adversantium de Melchisedecho opinionum varietas nil nisi rem in dies captu difficiliorem fieri ostendit.

Orientales, & Graeci fabulis addictissimi quamdam Melchisedech genealogiam effodiunt, per quam & avorum, & Parentum nomina producunt. Cum vero mendacium per sui ipsius oppugnationem saepe corruat, alii hoc, alii illo modo eamdem genealogiam intexunt. Hi Aegyptium, illi Chananaeum, alii Assyrium Melchisedechum statuunt. Plures cum Patriarcha Sem, plures cum Cham, plures etiam cum Enoch confundunt. Sunt qui Angelum, qui Divinam Virtutem, qui Spiritum Sanctum, qui denique ipsum Dei Filium constituunt. Nonnulli a Phaleg Heber filio ejus originem ducunt; nonnulli cujusdam Praeadamitarum stirpis Genitorem appellant; alii eumdem, ut Paulum, qui absque genealogia Melchisedechum asseruit, interpretentur, ex humili, & pudenda progenie ortum censent; neque desunt, qui nothum seu non legitimum defendant.

Varias has sententias, & earum praecipua argumenta hic modo exhibebimus; & ubi, quae omnino absona sunt, rejecerimus, quae majorem veri speciem praeseferunt, producemus.

S. Epiphanii aetate fuerunt, qui parentes Melchisedechi certis nominibus designarent [5], *Heraclem* nempe, sive *Heraclam* patrem illius, matrem vero *Astaroth*, sive *Asteriam* appellantes. Catena Arabica in Genes. 9. ejus genealogiam paternam ex Sem, maternam ex Japhet derivans, *Heracleam*, sive *Heraclim* patrem Melchisedechi, filium *Phaleg* filii *Heber*, seu verius *Phaleg* nepotem, & *Heber* filium facit; matrem vero, quam *Salathiel* appellat, filiam statuit *Gomer* filii *Japhet*, filii *Noe*.

Josephus [6] Gorionides, Hebraeus Scriptor circa undecimum saeculum [7], Melchisedecho alterum nomen, *Johoram* nempe, seu *Jeram* inducit, ejusque astrui praesidens *Sedech* (Planeta est Jovis) appellat; Urbem vero, cui praeerat, primum *Jebus*, dein *Sedech* (unde nomen Melchisedech, seu Regis *Sedech*) postea Salem denominatam, testatur. Inanibus his refutandis non immoramur: satis sit ea proferre, ut eorumdem vanitas dignoscatur.

Michael Glycas *Annal*. p. 135. Georgius Cedrenus

A *lib. c. p.* 27. & alii [8] Melchisedechum ex *Aegypto* derivant, cui patrem tribuunt *Sidonem*, seu *Sidam*, urbis *Sidonis* conditorem, & filium Regis *Aegypti*. Illum vero addunt in monte Sion urbem *Salem* aedificasse, atque post exactos in virtutibus exercendis, & Virginitate colenda tredecim imperii annos, sine liberis obiisse. Idcirco, subdit Cedrenus, a S. Paulo sine patre, sine matre, & sine genealogia appellatur; quod ex electa progenie ortum non duxerit, quod ejus parentes improbi fuerint, quod & ipse in Chananaeorum regionibus imperaverit.

Suidas in Melchised. ex eadem, uti credimus, fonte, qua praefati Authores, nempe ex Libris apocryphis, Melchisedechi ortum exhausit. Hunc Dei Sacerdotem, Chananaeorum Regem, in monte Sion urbis *Sa-*
B *lem* (urbis nempe pacis) conditorem statuit, & post Regni tredecim annos, ne ducta quidem uxore, e vita excessisse credit: quod denique ex Chananaeorum improbo genere prodiisset, ejus genealogiam a Scriptura praetermitti testatur.

Cedo hic historiolam [9], seu verius fabellam depromptam ab incognito authore Graeco, & quidem vetustissimo, cum in Mss. a septem retro saeculis exaratis occurrat. Idem Author, ut authoritatem operi suo adjungat, Athanasii nomine, tanti quidem Doctoris injuria, temere inscribitur. Regina quaedam, Salem appellata, in urbe ejusdem nominis imperans filium Salaad peperit. Salaad ab uxore accepit Melchi, qui deinde Salem ducta, duos filios genuit, majorem natu Melchi, juniorem Melchisedech. Cum autem Mel-
C chi utriusque pater Diis (erat enim Ethnicus) immolare statuisset, Melchisedech filium septem bobus seligendis misit. Paruit ille; sed inter eundum Divino lumine illustratus, vacuus ad Patrem rediit, cui etiam Idololatriae vanitatem exprobravit. His dictis offensus Melchi, filium ad quaerendas iterum victimas misit. Interim Salem uxorem allocutus e suis filiis alterum Diis omnino immolandum esse asseruit; quare majorem natu Melchi sortito eductum sacrificio destinavit. Tres supra quingentos filios eorum patres, & trecentos matres, aliasque innumeras victimas una cum Filio Regis mactandas ultro obtulerunt. Redux Melchisedech, cum tantum facinus ferre non posset, in montem Thabor se recepit, ibique a Deo flagitavit, ut terra dehiscens omnes, qui ad Idolorum Templum,
D sed & urbs ipsa, & omnes incolae repentino telluris ex concussione hiatu absorti sunt.

Quae ut ille eo reversus aspexit, terrore correptus, montem Thabor iterum ascendit, & opacam sylvam ingressus, ibi septennio substitit, sine indumentis, sylvestribusque tantum fructibus pastus, rorem, quem super herbas delapsum lambebat, in potum adhibens. Interim ejus ungues ad magnitudinem palmarem crevere, comae ad usque latera descenderunt, & testacea crusta dorsi pellis incalluit. Septennio elapso, Abraham a Deo monitus virum quaesivit: quem nactus vestibus fovit, atque benedictionem ab illo e Deo jussus, petiit. Uterque deinde e monte descenderunt, & triduo post Melchisedech oleo Abrahamum inno-

1 Hebr. 7. 1. 2. 3. &c. 2 Hebr. 5. 11.
3 Hieronym. ad Evagr. seu ad Evangelium; *Fateor volui dissimulare sententiam, nec me periculoso immiscere tractatui, in quo quodcumque dixissem, reprehensores habiturus forem: sed rursum cum Epistolam relegerem, & invenissem in extrema pagella miris me obtestationibus adjuratum, ne spernerem precatorem, revolvi Veterum Libros, &c.* Et post multa: *Paulus difficultatem rei prooemio exaggerat, dicens: De quo multus nobis sermo est, & interpretabilis. Si vas electionis stupet ad mysterium, & de quo disputat, ineffabile confitetur, quanto magis nos vermiculi, & pulices solam debemus scientiam inscientiae profiteri!*
4 Vide Schlegell. quaed. de persona Melchised. initio, Spanhem. de Author. Ep. ad Hebr. part. 1. cap. 5. num. 4. Abul. Cajet. 5 Epiphan. haeres. 55. cap. 2. 6 Ben-Gorion. l. 6. c. 31.
7 Vide Basnag. l. 7. cap. 7. Edit. Paris. 8 Simon. Logoth. apud Cang. ad Chronic. Pasc. p. 500.
9 Apud Athanas. tom. 3. pag. 239. nov. Edit.

innexia, benedixit, nomenque Abram in Abraham commutavit. Successu temporis, Abrahamo post caesum exercitum Chodorlahomor, & foederatorum regredienti occurrit Melchisedech, vinum panemque afferens, in quam latenter panis frustulum injecerat. Vinum illud non modo Abraham potui dedit, sed trecentis etiam, & duodeviginti viris, qui Abrahamum comitabantur, quique trecentos, & duodeviginti Niceni Concilii Patres referebant; sicut panis ille, & vinum oblationis in nostris Altaribus faciendae mysterium erant.

Si solummodo ejus novitas perpendatur, tota fabella facile corruit. Concilii Niceni veluti diu antea peracti meminit; Melchisedech Sacerdotem Altissimi in aeternum manere, Author statuere videtur. Apud Veteres de Melchisedechi parentibus perpetuum silentium, & de eodem Pauli testimonium per se ipsum corrueret, si eorum solo verbo Scriptura meminisset. Omnes denique hujus fabellae inanes circumstantiae ejus commentum, & vanitatem proferunt.

Ad graviora nos converramus. Author quidam [1], cujus & nunc opusculum in tertio recens excuso Augustini volumine [2], Melchisedechum non hominem fuisse, sed Spiritum Sanctum, qui specie hominis assumpta, Abrahamo se videndum obtulisset defendit.

Opusculum istud *Evagrius*, seu verius *Evangelius*, vel *Evangelius* [3], ad S. Hieronymum transmisit, ejus de eodem sententiam rogans. Cum igitur ea occasione S. Doctor veteres Patres consuluisset, deprehendit Origenem, & Dydimum in ea esse sententia, ut Melchisedechum Angelum crederent; verum, inquit, S. Hyppolytus, Ireneus, Eusebius Caesariensis, Eusebius Emissenus, Apollinaris, Eustathius Antiochenus, diversis quidem verbis, sed uno sensu, virum Chananaeum fuisse, & Regem Salem, alio nomine Jebus, sive Jerusalem, satis conveniunt. Haec utique sententia plurimos prae caeteris nacta est fautores, & magis ad veri speciem accedit. Ostendit praeterea Hieronymus, hunc Regem satis expressam JESU CHRISTI figuram exhibuisse, utpote qui Rex Salem, sive Rex pacis esset, Rex simul & Sacerdos, Sacerdos vero in aeternum ante Legem, ut JESU CHRISTI Sacerdotium praesignaret. Ejus insuper Genealogiae, atque parentum in Scripturis nullam fieri mentionem, non quod ille Dei unius manu efformatus, e coelo dilapsus esset, sed quod in Abrahami historia recenseatur, ne indicata quidem ejus genealogia, atque obitus, vel ortus tempore. Haec omnia mysterium continent, quod quidem Apostolus in Epistola ad Hebraeos divina nobis eloquentia reserat.

En argumenta praecipua, quibus Auctor ille Melchisedechum Spiritum Sanctum esse convincere nitebatur. Melchisedecho alia ab Abrahami, & humana praestantior debuerat esse natura, cum Abraham meritis, & virtute tantus vir, cum eo collatus, minimus exhibeatur: *Sine dubio, quod minimum est, a meliore benedicitur*, inquit Apostolus, cum de [4] benedictione ageret, quam Abrahamo Melchisedechus impertiit. Sacerdotes ordinarii sibi ipsis interdum longe justioribus benedicunt; quare Sacerdotium illud coram Deo eminentiorem virum per seipsum minime constituit. Cum igitur Melchisedechus neque meritis, neque justitia, neque Sacerdotio Abrahamo praestantior esse potuerit, reliquum est, ut ei natura praestiterit. *Per haec apparet Melchisedech ultra hominem esse, quia non erat unde melior esset Abraham, nisi solo praecedat illum natura.*

2. Melchisedechi seu principium, seu finem, seu Genealogiam, seu parentes reperire non fuit: ille neque nativitate coepit, neque consumptus est obitu: nonne igitur Deus habendus? 3. utique & juxta Apostolum, *Assimilatus Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum* [5]. Filii vero Dei similitudinem referre non potest, nisi eadem natura polleat. Filius itaque Dei primus Sacerdos in aeternum, Melchisedech secundus est reputandus. Filius Vicarius est, atque Altissimi Sacerdos; is profecto est & Spiritus Sanctus: quamvis vero uterque per eamdem naturam constituantur, Personarum ordo exposcit, ut Filius ante Spiritum recenseatur.

Quibus omnibus ita occurrimus. 1. Apostolus per totam ad Hebraeos Epistolam, & hic potissimum de Melchisedecho disserens, juxta tunc temporis Judaeorum morem, de CHRISTI Sacerdotio, quod cum Sacerdotio Aaron confert, allegorice loquitur. Quod Melchisedech CHRISTUM, ejusque Sacerdotium referret, eum idcirco Aaron praestantiorem ostendit. Vel de eo meminerit, vel de illo Scriptura siluerit, in ejus laudem vertit. Quidquid Sacri Libri de Melchisedecho praeclarum ferunt, in CHRISTO penitus adimpletur. De ejus ortu, morte, & genealogia silentium mysterio vacuum non censetur ab ipso Apostolo, qui ad Melchisedechum, & JESUM CHRISTUM prae Aarone efferendum, inde argumentum derivat.

2. Et utique, de quo explicantur, quae de Melchisedecho asseruntur, allatae rationes optime congruunt: quae, si de alio quolibet enuncientur, omne statim robur amittunt. Quid enim convinceret, qui ita argueret: Seu Parentum, seu ortus, seu obitus Thesbitae Eliae Scriptura non meminit; ille est igitur aeternus, atque immortalis? Apostolus praeterea ad Fideles de Christi Divinitate, ejusque aeterno Sacerdotio jam certiores, allegoricis Scripturarum explicationibus assuetos alloquebatur, quae quidem dicendi methodus aliot minime urgeret. Melchisedechum enim Messiam exhibuisse, Messiam vero aeternum Sacerdotem esse, atque immortalem, principio simul, & fine prorsus immunem, Deum denique verum, verumque hominem esse si quis Ethnico enunciet, ille aenigma quoddam sibi proponi putabit, eaque omnia sibi perspicue probentur exposcet. Apostolus vero eos, quos alloquebatur, de his omnibus optime conscios norat.

3. Benedicentem in hac saltem caeremonia eo, cui benedicitur, praestantiorem esse ultro fatemur; quare hac habita ratione, Abrahamo digniorem Melchisedechum agnoscimus. Hic verum de Abrahami virtutibus, aut meritis cum Melchisedechi sanctitate collatis minime inquirimus; sermo tantummodo fit de benedictione, quam Sancto Patriarchae Sacerdos sanctus impertit. Ea in actione Melchisedecham Abrahamo majorem inficiatur nemo. Hinc vero alterius fuisse naturae, inde colligi non potest, quin plus aequo ratiocinatio Apostoli protrahatur. Allegorica autem argumenta nimium nunquam investiganda.

4. Similitudo, qua Melchisedechus Dei Filium refert, non naturam afficit, sed Sacerdotium. Hic Pauli mens sistit, neque fertur ulterius. Spiritus Sanctus nunquam Sacerdos a Scriptura appellatur, nunquam per hominis speciem se Patriarchis videndum exhibuisse, nunquam Abrahamo impertiisse benedictionem, nunquam ab eo decimas accepisse, numquam tandem in Salem imperasse narratur. Haec omnia vere, atque historice de homine, referuntur. Apostolus utique non Trinitatis Personam, sed hominem cum CHRISTO comparat. Haec omnis Veteris Testamenti cum Novo collati oeconomia, ut scilicet persona aliqua constituatur in figuram Messiae, & ejusdem ad eumdem Messiam relatio instruatur. Hic de Christo explicandus occurrit Melchisedech, alibi vero vel Isaac, vel

1 Is Author creditur esse Hilarius Diaconus Romanus sub Liberio postea Schismaticus Luciferianus. Bellarminus lib. 1. de Sacram. cap. 10. & lib. de Script. Eccles. Erasmus praefat. in idem Opus, Viegas in Apocalyps.

2 Estius in cap. 7. Epist. ad Hebr. & alii credunt, hoc opus esse, quod Evangelus ad S. Hieronymum transmisit. Vide nov. Edit. S. Augustin.

2 Quaestiones ex utroque Testamento mixtim pag. 106. 107. 108. *Similis Dei Filio non potest esse, nisi sit ejusdem naturae. Et quid incredibile videtur, si Melchisedech ut homo appareat, cum intelligatur tertia esse persona? ... Jam ambo similes esse leguntur, & unius esse dispensationis, quia unius sunt, & naturae.*

3 Vide nov. Edit. S. Hieronym. t. 2. pag. 570. ubi dicuntur omnia MSS. habere Evangelum, seu Evangelium pro Evagrio. 4 Hebr. 7. 7. 5 Hebr. 7. 3.

vel Moyses, seu David, Sampson, Salomon, Paulus denique hic [1] *Filio Dei assimilatum* Melchisedechum asserit, adeoque eodem posteriorum statuit; omnino igitur absonum, quod Melchisedechus Spiritus Sanctus habeatur; is enim consubstantialis Filio est, coæternus, & prorsus æqualis.

Theodotus Trapezita, Theodoti Coriarii discipulus, tertio ineunte sæculo, hæresim *Melchisedechianorum* invexit [2]. Hanc sectam, quod Theodoti Coriarii errores profiteretur, S. Epiphanius hæres. 55. Theodotianorum ramum appellat, qui JESUM CHRISTUM, licet e Matre Virgine ortum, & Spiritus Sancti virtute progenitum, hominem tantummodo esse defendebant [3]. Melchisedechiani igitur Melchisedechum non hominem esse, sed cœlestem Virtutem ipso JESU superiorem mentiebantur; Melchisedech enim [4], dicebant, mediator est Angelorum; hominum vero tantum CHRISTUS. Addebant, eumdem CHRISTUM nonnisi imaginem Melchisedechi exhibuisse juxta Psalmum 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Huic denique viro neque patrem fuisse, neque matrem, ejusque principium, & finem nullatenus comprehendi posse asserebant.

Hæresim hanc S. Epiphanius fusius refellit, & Melchisedechum ex iis, quæ de eo ex Moyse accepimus, & ex ipsis Apostolis verbis Hebr. 7. 6. *cujus generatio non annumeratur in eis &c.* hominem fuisse satis ostendit. Non igitur, inquit, sine genealogia Apostolus Melchisedechum statuit, sed eam tantummodo inter Hebræorum genealogias non recenseri admonet. Si Melchisedechus, addit, Paulo teste Hebr. 7. 3. *assimilatus est Filio Dei*, eodem Filio Dei prior est, & superior; non enim speciosum habetur, quod Dominus v. g. servo, aut superior inferiori assimiletur.

Suis fabellis asserendis Melchisedechiani libellos quosdam supposuerunt, quos canonicorum Authorum nominibus inscribebant [5]. Hæc hæresis brevi exstivit. Tertio exeunte sæculo, ætate, qua Diaconus Hilarius suam, quam paulo ante post S. Hieronymum refutavimus, sententiam prodidit, hanc hæresim apud Ægyptios innovavit Hierax, qui patria Leontinus, Scripturarum peritissimus, & professione integerrimus, Melchisedechum eumdem cum Spiritu Sancto esse venditabat.

Spiritum vero Sanctum æternum esse Sacerdotem inde probabat, quod Paulus ad Romanos scripserit 8. 26. *Spiritus Sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ostendebat præterea Spiritui Sancto, non secus ac Dei Filio, neque Patrem fuisse in cœlis, neque in terris Matrem; quam opinionem apocrypho de Isaiæ Ascensione Textu fulcire conabatur: *Et Angelus ostendens mihi sedentem a dexteris Dei loquutus est ad me, dicens: Quis est ille? & ego dixi: Tu scis, Domine mi. Qui dixit: hic est Filius unicus, & dilectus Dei. Et ego rogavi, dicens: Quis est ille sedens a sinistris, & similis Filio Dei? Respondit Angelus: Spiritus Sanctus, qui loquitur in vobis, & in Prophetis, qui assimilabatur unico Filio Dei.* Postrema hæc verba ad loctum Epistolæ ad Hebræos respiciunt: *Assimilatus manet Sacerdos in perpetuum.*

Quæ Hieracis argumenta ita evertimus, 1. Quod Spiritus Sanctus pro nobis gemitibus inenarrabilibus postulet, æternum esse Sacerdotem jure non statuitur. Hos gemitus in nobis excitat; ad preces nos impellit; piis sanctisque votis nos imbuit; ut veniam mereamur, impetrit; & quæ a Patre flagitamus, nobis consequitur. Quæ tamen omnia nequaquam, ut Sacerdos præstat. 2. Plus nimio intercedit inter ea, quæ de Melchisedecho e Scriptura asseruntur [a], quod scilicet parentibus, & principio, & fine careat, ut ejus parentum nomina, & ortus, & mortis tempora a Moyse fuisse silentio prætermissa, designetur; & inter ea, quæ Hierax enunciat de Sancto Spiritu, cui utique neque principium, neque finem, neque parentes esse consequit, cum Deus, & ipse sit æternus atque infinitus. 3. Ascensionis Isaiæ authoritatem nihil moremur; illius enim opusculi author, cui ab Ecclesia numquam illa fides, iisdem forte, quibus Hierax, erroribus adhærebat.

Aliud Melchisedechianorum genus [6] Cedrenus, & Zonaras commemorant, quos appellatos dicunt *Athinganos*, quasi scilicet, ne contaminarentur, alios attingere non auderent: recentiores erant, & Manichæorum ramus videntur. Circumcisionem, & Sabbathum respuebant; propterea neq; Judæi erant, neq; Ethnici, neque Christiani. Eorum sedes potissimum in Phrygia. Si quid illis offerebatur, manu capere renuebant: quin & e quibuslibet ex alio accipiendis abstinebant; si quid unum alteri tradere, aut vicissim recipere voluissent, illud vel in terra deponebant, vel depositum capiebant. Summus apud eosdem Melchisedechi cultus, cujus tamen rei gratia, ignoratur.

Judæi, authore S. Hieronymo Ep. ad Evang. & tradit. Hebr. in Gen. & Samaritæ, referente S. Epiphanio hæres. 55. Melchisedechum eundem esse ac Patriarcham Sem filium Noe putabant; quorum opinioni nostra ætate quamplures adstipulantur [7]. Sem natum credimus anno ab orbe condito 1558. vixisse vero annos sexcentos, & tandem anno 2158. occubuisse. Abraham natus anno 2008. annum agens 75. regionem Chanaan ingressus est ann. 2083. Melchisedechi vero benedictione donatus est anno 2092. annis 66. antequam Sem e vivis excederet. Hinc Chronologia allatæ sententiæ minime adversatur; aliunde tamen argumenta suppetunt, quare minime credamus, quod Sem in Cham portionem secuntulerit; & Scriptura, quæ toties Sem memorans, ejus verum propriumque nomen adducit, nulla de causa illud immutaverit.

Apostolus præterea Melchisedechi genealogiam, atque parentes omnino latere asserit. Sem vero Noe filium scimus; genealogiam etiam ab Abraham usque ad ejus ortum, & ab ejus ortu usque ad Abraham, & adhuc ulterius perspicuam habemus. Moyses denique ejus nativitatis, & obitus annos recenset. Qui vero nullos Altissimi Sacerdotes Abrahamo superiores, præter solum Sem, tunc temporis existere potuisse defendunt, pluribus obvolvuntur erroribus. Putant enim, Sem ex Noe filiis natu majorem, quod satis adhuc ambiguum; statuunt præterea Sacerdotii dignitatem ad solos Primogenitos jure pertinuisse, quod pariter prorsus incertum. Quod de Abrahami meritis cum Sacerdotis ei benedictionem elargientis virtute collatis ante meminimus, hic præterimus. Quemlibet Sacerdotem, cum alteri benedicit, alteri illi, in ea saltem cæremonia, præstantiorem esse nemo ignorat.

Qui Melchisedechum cum Sem confundunt, illud præstiture, ut Hebræorum plurimi [8], & plurimi etiam ex veteribus, & recentioribus Interpretibus [9], Rebeccam ad Melchisedechi consilium tum confugisse putaverint, cum de duobus parvulis, quos utero gerebat, illud audiverat: *Major serviet minori*, Gen. 25. 23.

Novus Author [10], sententiarum temeritate celeberrimus, Melchisedechum eundem cum Cham esse defendit. Quomodo vero laudes, quibus Scriptura Melchisedechum cumulat, & characteres similitudinis, quos Melchisedechum inter & Messiam Paulus ostentat,

1 Hebr. 7. 3. 2 Theodoret. hæret. fabul. lib. 2. cap. 6.
3 Tertull. in Catalog. ad finem lib. de præscript. 4 Tertull. loc. cit. August. hæres. 34.
5 Vide Epiphan. hæres. 55. & Philastr. cap. 52. 6 Vide Cedren. Zonar. Scaliger. ad Euseb. pag. 241. Timoth. Presbyt. CP. de receptione hæretic. pag. 392. t. 3. Monument. Græc. Coteler.
7 Vide Lyran. Abul. Cajet. Pagab. in Genes. 14. Rupert. in Matt. 1. Gelat. de Arran. lib. 10. cap. 6. Genebr. in Chronic. Torniel. Annal. Moler. in Psalm. 110. Montacut. pag. 116. Hugo Brougton, & Joh. Vallef. Suarez, alii apud Zenum, & Schlegel. 8 Jonathan. Jerosolym. alii Rabb. plerique.
9 August. quæst. 72. in Genes. Theodoret. qu. 76. in Genes. Cosm. Monach. l. 3. pag. 129.
10 Jurieu hist. Critic. Dogmat. lib. 1. Gallice.

cum iis cohæreant, quæ de Cham a Mopse accepimus, Genes. 9. nn. 25. 26. qui præterquamquod ei in filio suo Chanaam Deus maledixerit, potius reprobi nobis typum refert, quam Messiæ Prædestinatorum capitis figuram? Hoc sane opinio satis superque refellitur ab Authoribus, qui majori, quam res mereretur, studio in eam data opera scripserunt [1].

Gallus quidam in suo [2] Opusculo, quod *Melchisedech confutatus* inscribit, Melchisedechum eundem esse profert ac Patriarcham Henoch, qui adhuc e vita non excessit, & de quo etiam hic dicitur: *neque finem vitæ habet*. Quem Authorem Salianus valide retundit [3].

Alter, qui Librum quemdam edidit *Epiphanium* inscriptum, insulsam hanc de tribus Magis fabulam intenuit [4]. Hos enim esse defendit Henochum, Melchisedechum, & Eliam. Tum de Melchisedecho ita sentit: cœlestem nempe esse hominem, non terreno, sed cœlesti constantem corpore, qui non ex Adami stirpe descendens, ante Adam ipsum, imo ante lucis, & Mundi exordium procreatus est a Deo. Cum vero de Melchisedecho Apostolus scripserit, Heb. 7. *Assimilatum esse Filio Dei*, inde statim inducit, Filium Dei paulo ante Melchisedechum ejusdem cum Melchisedecho naturæ procreatum: orbis initio quosdam homines a Deo cœlestes conditos, ut Dei Filium, & Melchisedechum; quosdam vero terrestres, ut Adam, defendit; ad quos Paulum respexisse autumat in verbis, 1. Cor. 15. 47. *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de Cœlo cœlestis*. Dominum tandem Jesum bis hominem esse factum, primum cœlestem, cum cœleste corpus induit sub orbis initium, deinde terrenum, carne e Virgine assumpta. Ab inani hac refutanda opinione abstinemus, quod Petavius ejus vanitatem simul, & impietatem calidissime confutarit [5].

Judæorum nonnulli ex vitiato concubitu natum illum temere dictitarunt: cum sice de ejus genere, sive de parentibus nihil in Sacra Scriptura [6]; cujusmodi nothorum parentes, quod incogniti, & incerti sint, silentio solent prætermitti. Illos Horatius suggillat, l. 1. Sat. 6. *nullis majoribus ortos*; Livius etiam de Anco Martio Romanorum Rege ait l. 4. c. 3. *Ancus patre nullo, matre serva*. Seneca demum Ep. 108. *Duos Romanorum Reges esse* asserit, *quorum alter patrem non habet, alter matrem: nam de Servii matre dubitatur: Anci patre nullus; Numæ nepos dicitur*. Verumtamen quod Scripturæ silentium hanc de parentibus Melchisedechi rationem habuerit, non modo nullibi certo profertur, sed neque ullam veri speciem ostendit. Etenim ex eo silentio neque Melchisedechi laudandi argumentum Paulus eruisset, neque similitudinis cum Messia characterem induisset.

Melchisedechum filium Dei esse, qui per hominis speciem se Abrahamo videndum exhibuit, nonnulli Melchisedechiani autumarunt [7]. Quæ quidem opinio identidem nacta est fautores. Theodosio Juniore imperante, Solitarium Ægyptium virum integerrimum in hanc sententiam venisse ferunt [8]; quare ad S. Cyrilli Alexandriæ Archiepiscopi consilium confugiens, & ab eo ad preces remissus, Deum triduo exoravit; & ad Cyrillum reversus, Melchisedechum non esse filium Dei, sed hominem fassus est, quem & Patriarcharum ab Adamo prognatorum comitem per visum inspexerat.

Eidem sententiæ & Rabbini quidem subscribunt [9], quam præ cæteris Petrus Cunæus enixe defendit [10]; Porro vir iste doctus omnes elegantiæ, & eruditionis suæ nervos in eamdem sententiam probandam intendit: sicc autem eruditione, sive elegantia valet plurimum; ex quo argumentum capere licet, quanto nisu in asserenda sententia, cujus etiam confessione singulari, enitatur. Melchisedechum ille non hominem, sed Messiam statuit, qui Abrahamo a quatuor Regum cæde regredienti se obvium exhibuit. Abraham vero, subdit, primo hominem credidit, sed statim majus quid, & divinius eum ducens, ut Messiam venturum agnovit, & muneribus, & decimis cumulatum adoravit. Putat præterea, eumdem Dei Filium aliquibus post annis a duobus Angelis stipatum iterum se Abrahamo obtulisse; quibuscum & ejus tentorium ingressus, ejus quoque mensæ accubuit.

Hanc inter utramque apparitionem, addit Cunæus, illud tantum intercedit, quod ubi Filius Dei Abrahamo in convalle Mambre se exhibuit, perspicue Dominus a Scriptura appellatur; ubi vero ei fuit obvius in itinere, Melchisedechus dicitur: cujus rei mysterium Davidi, & Apostolo aperiendum Scriptura ipsa reliquit. Quare David id præstiturus in Psalmo 109. 4. enunciat: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, nempe sicut Melchisedech; quod utique Paulus fusius tunc explicat, cum scribit c. 7. Melchisedechum *assimilatum esse Dei Filio*, nempe, eodem Cunæo authore, *Filium Dei, tum in ola Abrahamo occurreret, eum vultum, eumque habitum corporis sibi finxisse, quem postea gessit in terris*.

Hoc denique, ait, respexit Jesus, ubi dixit Judæis, Joan. 8. 56. *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit, & gavisus est*. Quod tunc factum esse insinuavit, cum Filius Dei, seu Melchisedech Abrahamo se obtulit.

De Melchisedecho quiddam affert Chronicon Paschale, quod ad Cunæi opinionem satis refertur [11], Abraham die quadam Deum alloquutus: Domine, inquit, si Angelum tuum mea ætate missurus es, tribue, quæso, ut videam. Cui Dominus; Angelum quidem meum non aspicies, sed ejus diei videbis imaginem. Descende, Jordanem trajice, & videbis. Flumen trajecit, Melchisedechum sibi obvium aspexit, agnovit, adoravit, diem Domini vidit, & gavisus est.

Hic vero Author a Cunæo valde discedit, quod Melchisedechum a Cham prognatum, & a Deo extra patriam regionem uti Abraham, edoctum putet; quem præterea ultra seu ad Jordanis Orientem, sicuti Abraham citra, seu ad Jordanis occasum constitit, stationem sibi posuisse testatur. Qua tamen in re toto Cœlo aberrat, cum Authorum nemo Salem urbem, Melchisedechi imperantis sedem, ultra Jordanem constituat. His autem verbis, *Abraham diem Domini vidit*, vel Isaaci ortum, vel eumdem ab immolantis patris cæde divinitus ereptum, Dominus designavit, Genes. 22. vel forte ad eos Angelos respexit, quos sibi obvios in convalle Mambre hospitio Abraham excepit, eosque ita alloquutus est, veluti Deum ipsum alloqueretur, Gen. 18.

Ad Cunæum revertamur. Quidquid de Melchisedecho recenset Apostolus, de suo Melchisedechi systemate explicat. Præ cæteris vero, iis Pauli verbis innititur, Hebr. 7. 8 In Lege Levitæ *morientes homines*

1 Lud. Borges. hist. critic. Melchised. c. 4. 5. Christoph. Viehmanshaus. Melchised. ab injuria defens. Philipp. Olear. Disput. de Cham Maledicto, apud Fabric. Cod. Pseudepigr. V. T. p. 333.
2 Vide Salian. in præfat. in tom. 5. Annal.
3 Salian. ibid.
4 Auzoles de la Peire impr. Paris. 1626. in 4.
5 Petav. tom. 3. Dogmat. Theol. Tract. de Opificio sex dierum l. 1. c. 4. art. 5.
6 Apud Selden. curis secundis sect. 1. de Decimis.
7 Epiph. hæres. 55.
8 Coteler. Monum. Græc. t. 1. p. 423. 424.
9 Rab. Moses Hadarsan.
10 Petr. Cunæus de Republ. Hebr. l. 3. c. 3. *Quoniam recepta opinioni adversari ipsa ratio mihi videtur, valentior esse omni authoritate debet veritas. Ego sic existimo, Melchisedechum non hominem utique ex hominibus genitum, sed divinioris naturæ fuisse. Profligaverat prælio Reges impios Abrahamus, & victrices reducebat copias. Forte tunc in itinere obvium se illi tulit Filius Dei specie humana, habitu Sacerdotis, Regisque indutus. Statim Abrahamus esse hoc majus quiddam, consensuque sensit. Itaque quod sub imagine latebat, mente coluit, & Messiæ summo Regi, Sacerdotique, quem mortalibus olim dandum intelligebat, præsenti præsens munera, decimasque obtulit.*
11 Chronic. Pasc. p. 49. Edit. Cang.

nes accipiunt decimas. Cum quibus illud Psalmi 109. 4. conferens: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; hic, inquit, de Melchisedecho, seu vitam adhuc agente sermo instituitur: si ergo Davidis adhuc ætate Melchisedech superstes fuerit, minime equidem mortalis erat. Cæteras denique hujus loci interpretationes minimi facit, & prorsus rejicit: *Agantur, versentque in omnes partes si, quos & præsint, & prius mens tulit: nihil nisi nubes, atque inania prensabunt nequicquam, & suis se tenebris involvent*.

Hæc de Melchisedecho sententia probata etiam fuit Petro Molineo, & annis post duodetriginta Jacobus Gailleard Tractatu fusiori, anno 1686. Lugduni Batavorum excuso, eamdem defendendam suscepit. Melchisedech non singularis hominis nomen, sed genericum statuit, quo Messias per suam *Justitiæ Principis* qualitatem innuitur, sicuti alibi etiam per Sacerdotis æterni, pacifici Regis, Emmanuelis nomina designatur; *Salem* vero non urbem peculiarem censet; sed appellativum nomen, quo Messias Rex Pacis futurus pronuncietur. Opinionis suæ denique fautores plurimos allegat [1].

Christophorus Schlegelius [2], qui fuse de Melchisedecho scripsit, fuse etiam Cunæo refutando incumbit. Nos neque ejus methodum, neque prolixitatem imitantes, sed Moysis, Davidis, & Apostoli Textus simplici, & naturali explicatione interpretantes, hoc uno Cunæi sententiam nullatenus defendi posse ostendemus. Nullo primum negotio Melchisedechum hominem fuisse probamus, cum Moyses ejus nomen, & domicilium, & dignitatem præferat: *Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Altissimi*, Gen. 14. 18. Hic Sodomis, & Gomorrha, quas Abraham strenuissime defendendas assumpserat, non procul degens, ejus animi virtute captus, a Regum fœderatorum cæde revertenti occurrit, & gratiis de beneficio toti regioni præstito actis, exceptum, & benedictionibus cumulatum *pane, & vino* refecit, ei nempe, & victricibus ejus copiis opulentam refectionem exhibuit. Abraham vicissim Religione, & Altissimi, cujus Sacerdos Melchisedech, cultu, una etiam hujus Principis comitate affectus, prædarum decimas, quæ neque ad Sodomæ Reges, neque ad eorum fœderatos pertinebant, eidem obtulit. Quæ omnia hominem excelsius in Melchisedecho nil præferunt.

Nihil etiam homine majus ei tribuit David, qui diu post Moysem magnitudinem, & Messiæ regnum prænuncians, Dominum Christo suo dixisse asserit, Psal. 109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Non Melchisedechum, sed Messiam æternitas afficit, Melchisedechi vero ordo Aaronico ordini hic opponitur. Tu Sacerdos in æternum, non instar Sacerdotum, quos Aaron progenuit, sed instar Melchisedechi Sacerdotis Altissimi, cujus Sacerdotium in suos posteros minime demigravit; cum ex eo progenies minime effloruerit, quæ sicut progenies Aaron, per generationes plurimas Sacerdotii dignitatem possederit. Tu vero solus, & in æternum Sacerdos appellaberis.

S. Paulus cum Sacerdotio Aaronis Jesu Christi, seu Messiæ Sacerdotium conferens, & hujus præ quibuslibet præstantissimis efferendo incumbens, quidquid laudis de Melchisedecho Scripturæ recensent, congerit, & quidquid Melchisedechus olim in se ipso, in suis actibus, in suis Sacerdotalibus, & Regiis dignitatibus de Messia per figuram exhibuit, ab ipso Christo modo longissime præstantiori adimpletum ostendit. Melchisedechum Christi esse typum primo statuit, eamque idcirco phrasim adhibet *Melchisedech assimilatus Filio Dei*, ut e Scripturæ Christi adventuri imaginem consequeremur. Quare Christum Melchisedechi similitudinem prætulisse non enunciat, ne Melchisedechum ante Christum extitisse, numque exemplum, Christum vero exemplar putaremus. Christus utique exemplum fuit, Melchisedechus exemplar, quod quidem mundo exhibitum est ante Christum, in quem veluti in primum exemplum Scripturæ semper respexit.

Regis *Salem*, seu Regis pacis dotem, qua insignitus erat Melchisedech, Apostolus affert, & ab ejus nomine, quod *Regem Justitiæ* sonat, e Sacerdotio, a Decimis, quas ab Abrahamo acceperat, & a benedictione, quam eidem Patriarchæ impertiit, similitudinis cum Messia characteres, & argumenta deducit, quibus ejusdem Sacerdotium Sacerdotio Aaronico antecellere ostendat. De parentibus denique, & Melchisedechi genealogiæ silentii mysterium aperiens, id factum esse docet, ut Christus vere in cœlis sine matre, sine patre in terris, & novæ Legis æternus esse Sacerdos ostenderetur. Quem locum veteres Ecclesiæ Patres, omnesque ferme recentiores Interpretes ita explicant, & huc etiam per totam Epistolam Apostolus intendit.

En Textum, quo de Cunæi sententia, Melchisedechus non homo, sed Dei Filius invicte probatur: *Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt; ibi autem contestatur* (de Melchisedecho) *quia vivit* Hebr. 7. 8. Si certo Melchisedechum e Levitis idcirco differre constet, quod hi obierint, ille autem vivat, Melchisedechum, & Levitas vel natura ipsa diversos esse inter se compertum utique habemus. Necesse vero est, ut omnem Apostoli ratiocinationem animadvertamus, de Melchisedecho enim Scripturam meminisse primum asserit Hebr. 7. 3. quin ejus parentes, & genealogiam recensuerit, statimque subdit: *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum*.

Hinc Melchisedechi Sacerdotium æternum statuitur; æternitas autem in ipso quidem figurate, in CHRISTO vero reipsa. Ita Melchisedech ex Abraham, & in Abraham ex Levitis ab eo prognatis decimas accipiens, vere ex Abraham, & eodem sensu, quo æternus est, nempe figurate, etiam ex Levitis accepit. CHRISTUS, cujus figuram Melchisedech præferebat, vere æternus, ejusque Sacerdotium vere æternum, & Aaronico Sacerdotio longe excelsius; Melchisedech autem Levitis nonnisi figurate superior, quod nempe Sacerdotii Filii Dei speciem referret.

Non defuere, qui ab allato Apostoli Texto non modo Melchisedechum, verum etiam JESUM CHRISTUM vivum, & immortalem respici defenderint [3]. Explicatio vero, quam prætulimus, cum litera, & cum reliquo Apostoli ratiocinio magis cohærere videtur.

Iis, qui Melchisedechum Angelum esse statuebant, refutandis non immoramur, quorum opinionem satis tum evertimus, cum Melchisedechum & hominem, & Urbis Salem in Palæstine Regem exhibuimus. Hæc itaque tam Vetus, quam Novum Testamentum nos edocent, quæ adhuc hac ratiocinatione probantur. Melchisedech certe Filium Dei speciem referebat, *Assimilatus est Filio Dei*, inquit Apostolus. At Sanctus Spiritus, & Dei Filius se se hominibus videndos offerentes, Messiæ seu typum, seu figuram per se ipsos minime poterant exhibere; Melchisedech igitur neque Angelus erat, neque Dei Filius, neque Spiritus S.

Ut in Veteri Testamento, vel per vaticinia prænunciaretur, vel per figuras exprimeretur Messias, Deus sæpe homines excitavit. Noe v. g. Isaacum, Davidem, Salomonem, quos Filii sui dotes, virtutes, & actiones referentibus characteribus decorabat; sæpe etiam Spiritu suo Prophetas afflavit, ut Messiam veluti per colores describerent, & ejus adventus, mortis, resurrectionis circumstantias vel suis verbis, vel interdum suis actionibus exhiberent. Huc semper Vetus Testamentum respexit; huc ipsius Dei Filii & Apostolorum seu colloquia, seu conciones collimarunt. Jesus CHRISTUS nonnisi verba, & Prophetarum, seu veterum Pa-

1 Vide Act. Eruditor. Lips. ann. 1686. pag. 150.
2 Schlegel. Dissert. de persona Christi, ad calcem Tanæ in Epist. ad Hebr.
3 Heins. Exercit. in hunc loc. Ita Ambrosiast. *Quis est qui vivit? Ille etiam qui secundum ordinem Melchisedech factus est Sacerdos in æternum*. Ita Jacob. Capell. Knatchbull. in Hebr. 7. 8.

triarcharum actiones nobis allegat, cum se Messiam probat, vel in se ipso characteres a Scriptura designatos exhibet, vel denique Legis figuras, & Prophetarum promissa in se ipso adimpleri ostendit. Quem morem vel in concionibus vel in Epistolis, & Apostoli retinent.

Si quis ex Patribus in Veteris Testamenti apparitionibus, quandoque JESUM CHRISTUM agnoscit [1], minime ejus fidei adversamur; imo & una cum ipsis, & eodem, quo ipsi, sensu CHRISTUM intelligemus; illum quem Abraham adoravit, & *Iehovah*, & *Omnipotentem* Scriptura Gen. 18. 1. 2. 14. 20. 25. appellat; illum, qui in ardenti Rubo Moysi se obtulit, & in Sinai monte Legem tradidit, Filii Dei speciem prætulisse fatemur, fuisse nempe Angelos, ut ab ipsa Scriptura Act. 7. 30. 35. 52. Galat. 3. 19. Hebr. 2. 2. edocemur, qui Deum referebant, & Dei nomine loquebantur. Nos vero Melchisedechi, & Abraham occursum nullatenus apparitionem fuisse defendimus, ut ex tota ipsius Moysi narratione satis præfertur. Esto tamen, apparitio hæc fuerit; utique Dei Filius se tunc Melchisedecho non obtulit, non enim per se ipsum poterat sui ipsius figu- A ram exhibere, cum exemplum ab exemplari necessario differat. Esto etiam, fuerit Angelus; adhuc fane Angelos, qui CHRISTI typum præferrent, a Deo adhibitos non esse constaret; Dei enim Filio assumenda erat hominum [2], non Angelorum natura; quare hominibus tantummodo congruum erat, ut Messiæ adventuri speciem exhiberent.

Ut tandem Dissertationem concludamus, cum Patrum [3], & Interpretum plerisque asserimus, Melchisedechum Regem Chananæum fuisse, qui Deum verum colens, & justitiæ adhærens, in Urbe *Salem*, alio nomine *Iebus*, dicta postea *Ierusalem*, imperabat. Hic, cum Abraham a quatuor fœderatorum Regum, qui Pentapolim invaserant, & Sodomæ, et Gomorrhæ Reges vicerant, cæde reverteretur, victori occurrit, B refectionem afferens, & benedictionem impertit, eum nempe laudibus cumulavit, et Deo Altissimo, cujus erat Sacerdos, pro ejus salute vota, & supplicationes exhibuit. Abraham vero per Melchisedechum prædarum decimas Deo obtulit, ut ejus ope sibi paratam victoriam testaretur [4].

---

1 Vide Tenam in Epist. ad Hebr. c. Difficult. 2. sect. 2.
2 Hebr. 2. 16. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*
3 Hippolyt. Iren. Euseb. Cæsar. Euseb. Emissen. Apollinar. Eustat. apud Hieronym. ep. ad Evangel. Ipse Hieronym. Joseph. lib 1. Antiqu. cap. 11. & lib. 7. de Bello cap. 18. Egesipp. lib. 3. cap. 9. de excid. Jerosolym. Philo de congress. quær. erud. grat. pag. 418. Theodoret. qu. 65. in Genes. Oecumen. in Hebr. 7. Chrysost. in ep. ad Hebr. homil. 12. Theophylact. alii passim. 4 Singulas historiæ hujus circumstantias in Commentario in Genesim, sicut & in Commentario Epistolæ ad Hæbræos egimus de sensu allegorico ab Apostolo intento.

COMMENTARIUM LITTERALE IN EPISTOLAM S. PAULI AD HEBRÆOS.

CAPUT PRIMUM.

Deus qui hominibus loquutus est per Prophetas in Veteri Testamento, illis loquutus est per Filium suum sibi æqualem in Novo. JESUS CHRISTUS Angelis superior per originem, imperium, potestatem, & gloriam.

1. MUltifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis:
noviffime 2 Diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit
hæredem universorum, per quem fecit & fæcula: 3 Qui cum fit splen-
dor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, pur-
gationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis: 4 Tanto
melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. 5 Cui e-
nim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rur-
sum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? 6 Et cum iterum in-
troducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.
7 Et qui ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros
suos flammam ignis. 8 Ad filium autem: Thronus tuus, Deus, in fæculum fæcu-
li: virga æquitatis, virga regni tui. 9 Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem,
pro-

propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis. 10
Et: Tu in principio, Domine, terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœ-
li. 11 Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut vestimentum veterascent:
12 Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni
tui non deficient: 13 Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dex-
tris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? 14 Nonne
omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæredita-
tem capient salutis?

℣. 1. MULTIFARIAM MULTISQUE MODIS.] S. A Paulus novū Testamentum veteri præfert duplici ex causa: primo ex qualitate Ministrorum; secundo ex variis rationibus, quibus ibi Deus suas nobis voluntates aperuit. Primi fœderis Minister fuit Moyses; JESUS CHRISTUS alterius. Prior erat simplex homo, alter homo-Deus. Dominus in priori Testamento suas voluntates hominibus per Prophetas revelavit, quos variis subinde temporibus ad illos misit, et quibus multifariam se se communicavit. In altero vero nobis loquutus est per Filium Unigenitum sibi coæternum, et consubstantialem, cui Spiritus Sancti plenitudinem communicavit, et qui unus plures nobis veritates, atque mysteria, quam omnes Prophetæ simul, aperuit. Deus ad Prophetas loquebatur in somnis, visionibus, apparitionibus, B figuris [1]: JESUS CHRISTUS æterna veritas, fons omnis lucis, splendor in Prophetarum cordibus effulgens, illuxit mundo; ipse per se ipsum nobis loquutus est, nobis Spiritum suum tradidit, nos omnem veritatem edocuit. Prophetæ veteres typi erant Salvatoris [2]: *in manu Prophetarum assimilatus sum*. Quidquid Judæis accidebat, figura erat eorum, quæ per JESUM CHRISTUM facta sunt, et quæ ejus Ecclesiæ acciderunt: *omnia in figura contingebant illis* 1. Cor. 10. 11.

Deus idem et Moysem misit, et JESUM CHRISTUM, et Veteris Auctor est, et Novi Testamenti [3]. Hoc autem semper prius in ejus mente, et quavis in occasione hoc a se præferri, atque magis diligi, ostendit. Primum illud, ut ita dicam, per modum provisionis erat dumtaxat, donec veniret alterum. Primo in vi- C neam servos suos misit; at demum misit Filium suum [4]. *Novissime* designat tempora Dominici adventus in Scripturis designata, tamquam dies novissimos, vel horam extremam [5].

℣. 2. QUEM CONSTITUIT HÆREDEM UNIVERSORUM.] Dei Filius secundum naturam Divinam, semper absolutus fuit rerum omnium Dominus; sed secundum naturam humanam, et quatenus homo-Deus, a Deo in hæreditatem gentes omnes recepit, juxta ea verba Psalm. 2. 8. *Filius meus es tu, ego hodie genui te; postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Apostolus isthic vocationem Gentilium ad fidem indigitat. JESUS CHRISTUS non missus est dumtaxat ad Jacob; sed venit, ut gentes omnes salvas faceret, atque vocaret [6]. Ipse *hæres* est, atque rerum omnium, ho- D minumque [7] Dominus. In ipsa nativitate sua omnium Gentium hæres est constitutus: sed hæreditatis hujus possessionem plenius, atque perfectius addidit post resurrectionem suam, cum ad dexteram Patris ascendit [8], & Ecclesiam suam ex Judæis simul, & Gentilibus composuit, quam Scriptura sæpe Regnum Dei, vel Regnum Cœlorum appellat.

PER QUEM FECIT ET SÆCULA.] Hoc est omnia tempora, & quidquid omnibus sæculis accidit; quidquid extitit in tempore. Sæculi nomen sæpius pro Mundo, & iis, quæ in Mundo continentur, usurpatur [9]. Deus omnia creavit per Verbum suum, per Filium, per Sapientiam suam; non quod Dei Filius simplex fuerit mandatorum ejus Minister, vel instrumentum, quo usus est, ut quælibet entia produceret: sed Verbum, Sapientia fuit tamquam exemplar, secundum quod Creator omnia creavit. Non secus ac Architectus magnum ædificium adimplet secundum ideam, quam de eodem animo concepit; ita Pater Mundum creavit per increatam Sapientiam, quæ Verbum suum est, ac Filius suus [10]. S. Paulus de JESU CHRISTO loquens tamquam per gradus insurgit. Primum de eodem loquutus est secundum humanam illius naturam; nunc vero secundum Divinam. Confer Prov. 8. ℣℣. 22. 30. Joan. 1. ℣℣. 2. 3. Psal. 32. 6.

℣. 3. CUM SIT SPLENDOR GLORIÆ.] Filius Dei est splendor, aut fulgor paternæ gloriæ. Non secus ac lampadis lux ejusdem naturæ est, ac lampas ipsa; ita Filius ejusdem naturæ est, ac Pater. Pater est *Gloria*; Filius [11] est Gloriæ splendor: Deus de Deo, lumen de lumine. At ne credas, hoc esse tamquam mutuatum lumen, vel accidens corporis lucidi; lumen est, & splendor substantialis a Patre emanans, sine diminutione, aut detrimento generantis, & sine principio, ac submissione geniti. Arca fœderis [12], & columna nubis [13], quæ dux fuit Hebræorum in deserto, nonnumquam *gloria Domini* appellantur, eo quod erant tamquam præsentiæ ejus symbola. Prophetæ, puta Moyses [14], Elias [15], & C Isajas [16] aliquem Dominicæ gloriæ radium nonnumquam detexere: homines Spiritu Sancto afflati aliquando Divinæ Majestatis lumine quodammodo illustrati fuerunt: sed hic est ipse fulgor, & splendor Paternæ Gloriæ; est JESUS CHRISTUS, qui hoc lumen est, hic splendor essentialis Infinitus, Æternus, Consubstantialis Patri [17].

ET FIGURA SUBSTANTIÆ EJUS [18].] videlicet character substantiæ ipsius. Cum Apostulus non satis adhuc ea sententia explicuisset præstantiam naturæ Filii Dei, dicens, illum esse Patris splendorem; ne quis crederet, hanc esse quamdam simpliciter luminis participationem illi similem, per quam in tabula imaginem, vel faciem in speculo intuemur, vel tamquam splendorem, qui exoritur in accensa face, & qui objecta quælibet circum D undique illustrat; nos admonet, ipsum esse characterem substantiæ Patris; figuram permanentem, simillimam, substantialem [19]. In rerum natura nullum hoc aptius inveniri potest exemplum ad perfectam Patris, Filiiq; consubstantialitatem, personarumque distinctionem innuendam; licet in hac similitudine non desit aliqua difficultas; nam annulus, atque sigillum semper alterius sunt substantiæ ab ea re, quæ in ipsis exhibetur. Verum nemo sperare potest in rebus creatis in-

1 Theodoret. Est. Ten. alii. 2 Osee 12. 10.
3 Chrysostom. Theophylact. 4 Matth. 21. 37.
5 Isai. 2. 2. Jerem. 23. 20. 48. 47. Dan. 2. 28. 10. 14. &c. Act. 2. 17. 1. Timoth. 4. 1.
6 Chrysostom. Theophylact. 7 Chrysostom. Grot. Est. alii.
8 Vide 1. Cor. 15. 25. 26 27. Ephes. 1. 20. 21. 22. 9 Matth. 28. 20. Hebr. 11. 3. Est. Menoch. Grot. alii
10 Augustin. Tena, Menoch. Est. alii. 11 Chrysostom. hic, homil. 2. Theophylact.
12 1. Reg. 4. 22. Psalm. 77. 61. 13 Exod. 16. 10. 24. 16. Num. 16. 19.
14 Exod 33. 18. .... 22. 15 3. Reg. 19. 10. 11. 12. 16 Isai. 6. 1. 2. 3.
17 Vide Owen. Est. Grot. Tirin. 18 Καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ.
20 Chrysostom. Augustin. Theodoret. Est. Menoch. Grot. alii passim.

invenire posse exempla, quæ nihil desiderandum relinquant in eo mysterio, quod tantopere naturæ Leges excedit.

PORTANSQUE OMNIA VERBO VIRTUTIS SUÆ.] Dei Filius etiam omnium Creator est, & Conservator. Ea sustinet, gubernat, fovet, & per infinitam potestatem suam vetat, ne redeant in nihilum, unde educta fuerunt [1]. Non ait autem, ipsum sustinere per potestatem suam, sed *verbo virtutis suæ*, *vel virtute verbi sui*; ad innuendam vim, & omnipotentiam mandatorum Dei, ac verbi ipsius, quo omnia fecit [2]. Verbum sæpius pro imperio usurpatur [3].

PURGATIONEM PECCATORUM FACIENS.] Apostolus, postquam de Filio Dei, tamquam de rerum omnium Creatore, & Conservatore, loquutus est, isthic illius dignitatem Salvatoris, Sacerdotisque [4] commendat. B Ipse nos ab omnibus peccatis expiavit merito sanguinis sui, & gratia baptismi, atque justificationis, quam ab illo recepimus. Sacerdotes Legis, vel simpliciter mundos edicunt, qui ea, quæ in lege præcipiuntur, expleverunt; vel pro eorum expiatione offerunt sacrificia. Jesus CHRISTUS vero nos emundat *per se ipsum*, quemadmodum est in Græco textu [5]: per mortem suam, per merita sua, quæ per fidem, atque Sacramenta in nos transferuntur. Vide infra *Hebr.* 9. 12. 10. 12. & 1. *Petr.* 1. 22.

SEDET AD DEXTERAM MAJESTATIS.] Jesus CHRISTUS, postquam in terris explevit opus sibi e Cœlesti Patre commissum, & operatus est humani generis redemptionem, ascendit ad Cœlum, & sedet ad dexteram Patris. Dextera, & sessio innuunt infinitam gloriam, qua ille circumdatus est [6]. Dextera honoris locus apud Hebræos habebatur [7]: ac nemo unquam dictus est ex hominibus sedisse ad dexteram supremæ Majestatis. C Credunt nonnulli [8], Apostolum comparare velle introitum Jesu CHRISTI in Cœlum cum ingressu Summi Sacerdotis in Sanctuarium: sed magis vero simile est, ipsum attendere solum ad gloriam, qua post resurrectionem suam gavisus est; non quod antea eadem non fuerit gavisus, sed quod mortalis vitæ suæ tempore illa non apparebat [9]: *Et nunc clarifica me tu Pater*, ajebat ille Joan. 17. 5. *claritate, quam habui priusquam Mundus esset, apud te*.

℣. 4. TANTO MELIOR ANGELIS.] Superius Jesum CHRISTUM prætulit Prophetis, Patriarchis, & Sacerdotibus antiquæ Legis; hic vero super Angelos etiam extollit. Textus [10] habet: *qui factus fuit superior Angelis*, non quod creatus fuerit, ut Angeli, licet præstantioris naturæ: sed quod post resurrectionem humanitas Sancta ejus Divinitati hypostatice conjuncta D evecta fuit ad eam gloriam, qua ante non perfruebatur; & ille, qui humanam naturam assumens servi formam induerat, post Resurrectionem suam evectus fuerat super Angelos, & Archangelos, infra quos secundum humanitatem se se dimittere fuerat dignatus [11]. Ut autem aliquam gloriæ illius animo ideam concipias, satis est nomen ejus considerare cum Angelorum nomine comparatum: nomen *Filii* cum nomine Servi; vel Nuncii; *Angelus* enim non aliud, quam Nuncium significat.

S. Paulus ait, JESUM CHRISTUM hoc filii nomen *hæreditasse*, non velut aliquid recens quæsitum, & quod antea minime obtinuisset [12]; sed illud *hæreditavit*, pos- A sedit ab æterno tanquam suum, tanquam patrimonium suum, quo semper gavisus est, & cui quodammodo novum aliquod jus adjecit, quoad humanitatem suam per obedientiam Patri, atque suam humilitatem [13]. Illius filiatio, atque æterna generatio hominibus declaratæ fuerunt per ejus Incarnationem, prædicationem; atque multo magis per glorificationem, atque exaltationem in Cœlum.

℣. 5. CUI ENIM ALIQUANDO ANGELORUM.] Deus nunquam Angelo alicui tantum honorem contulit, ut illum Filium suum vocaret eodem in sensu, quo JESUM CHRISTUM. Quamvis enim in Scripturis Angeli nonnunquam *Filii Dei* [14] appellentur; illud tamen longe aliter accidit. Deus Pater est hominum, & Angelorum; illos creavit, & ex nihilo eduxit; illos produxit in tempore, ab illis colitur, & adoratur, atque B ad pedes solii ipsius, vel in genua procumbunt, vel ad summum stantes. At Filius unicus genitus est ab æterno, *ego hodie genui te*; sedet ad dexteram Patris, atque simul cum Patre ab hominibus adoratur, & conglorificatur.

Critici quidam [15] fatentur, Psalmum, unde hæc verba deprompta sunt: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, partim de David, partim de Jesu CHRISTO, explicari posse; & hæc verba: *ego hodie genui te*, si de David intelligantur, hoc unum significare: ego hodie te ad Regni solium evexi, tibi supremam contuli auctoritatem: animadvertentes, Hebraicam vocem *Ialada*, quæ proprie *generare* significat, usurpari etiam pro supremam auctoritatem conferre, & Regum inaugurationem nonnunquam eorum *nativitatem* vocari C [16]. At si de Jesu CHRISTO explicetur, qui illius argumentum est magis directum, atque litterale, intelligitur, vel de æterna generatione [17], vel de illius Incarnatione, & nativitate temporali [18], de Resurrectione [19], vel potius de glorificatione in Cœlis: Apostolus enim hoc in loco verba facit de iis, quæ Jesu CHRISTO post suam Ascensionem in Cœlum acciderunt. ℣. 3. *Sedet ad dexteram majestatis in Excelsis*, ℣. 4. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit: cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?*

EGO ERO ILLI IN PATREM.] Ego ero illius Pater, ille mihi Filius: non autem: ego Patris locum erga ipsum, ipse vero erga me locum filii obtinebit; D quemadmodum Latinus Textus vertendus esse videretur; sed Hebraica loquutio optime patitur, immo petit etiam nonnumquam quemadmodum hoc in loco propter subjectum de quo sermo, ut ita vertatur: *ego ero Pater illius*, quod alioquin vertendum esset: *ego ero illi in Patrem*. Quævis lingua suas habet veneres, atque proprias loquendi rationes [20].

Verba, quæ a S. Paulo adferuntur, desumpta sunt ex 2. Regum 7. 7. & 1. Paralip. 17. 12. & 27. 10. ubi Deus de Salomone loquens, hæc ait: *Cum completi fuerint dies tui, obdormieris cum Patribus tuis, suscitabo semen tuum post te . . . . ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam Thronum Regni ejus usque in sempiternum: ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*. Sermonis decursus ostendit, palam ea in loco de Salomone ad litteram verba fieri, nam Dominus addit:

1 Est. Ten. Menoch. Tirin. Theophylact.   3 Est. Ten. Erasm. Menoch. Tirin.
2 3. Reg. 1. 27. Luc. 5. 5. Heb. 11. 3.   4 Est. Menoch. Ign. Gem. alii.
5 Δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Alii omittunt: δι' ἑαυτοῦ. Ita Alex. Paris. 3. Roc. 2. Colb. 7. Vulg. Alii legunt: *Per ipsum*. Ita Claromont. S. German. Lat. Æthiop. Cyrill. l. 8. contra Julian. Alii, ut Theodoret. Δι' αὐτοῦ: non δι' αὐτοῦ.   6 Theophylact. Est. Tirin. alii.
7 Genes. 48. 17. 18. 19. 3. Reg. 2. 16. Psalm. 44. 9. Matth. 20. 22. 25. 34.
8 Owen. Gem. Junius.   9 Theodoret hic.   10 Τοσούτῳ κρείττων γενόμενος.
11 Chrysostom. Est. Ten. alii   12 Theophylact. Vide Est. Grot. Erasm. Tirin.
13 Philipp. 2. 8. 9. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem; mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*.
14 Job. 1. 6. *Quidam die cum venissent filii Dei*. Et 2. 1. & 38. 7. *Cum jubilarent omnes filii Dei*.
15 Gemar. Est. Grot. Vide & Tenam hic, & Bosh. Mun, Bossuet. in Psalm. 2.
16 Vide Cene, Projet d'une nouv. Version cap. 15. art. 7.   17 August. in Psalm. 2. Cassiodor. Est. Ten. hic, alii apud Theophylact.   18 Theodoret. Fulgent. Athanas. Euthym. Genebr. in Psalm. 2. alii in Theophylact. hic.   19 Vide Origen. Hilar. Chrysost. & alios in Psalm. 2. Ambros. l. 5. de Sacram. Vide Act. 13. 33.   20 Vide 2. Reg. 19. 25. Isai. 12. 5. 42. 22.

dit: *Si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum*: verum hoc non prohibet, quo minus expliceter etiam de JESU CHRISTO, cujus Salomon erat figura: neque dici potest, hoc in loco figuratum sensum non satis concludere; nam quemadmodum scire animadvertit Tena, sensus mysticus, & litteralis æque sunt in intentione Spiritus Sancti; quemadmodum ambigere nefas est, utrum hic locus spectet ad JESUM CHRISTUM, ubi semel de eodem S. Paulus illum explicuerit. Cæterum, ut Auctor idemcum Estio docet, hoc probandi genus mirum in modum Hebræis arridebat, ad quos S. Paulus has litteratum dabat. Hujusmodi explicationibus semper assueti, earumdem vim melius, quam cæteri ceplorata habebant; denique post necessarias, atque certissimas rationes scientiæ omnes consueverunt probabiles etiam, atque minus fortes adferre.

℣. 6. ET CUM ITERUM INTRODUCIT PRIMOGENITUM.] Biblia sæpe id fieri dicunt, quæ prædicuntur [1]: ita hoc in loco S. Paulus ait, Deum rursus introduxisse Filium suum in Mundum; & significat, prædixisse alterum adventum ejus, cum apparebit in gloria, omnes homines judicaturus; & ea verba: *adorent eum omnes Angeli Dei*, ad Dei Filium referri, tamquam Judicem viventium, atque mortuorum. S. Paulus eum vocat *Primogenitum* Patris, non quod JESUS CHRISTUS alios habeat naturæ ejusdem fratres, vel quod Deus alios ce substantia sua post illum genuerit. *Primogenitus* hic significat solum magnitudinem ejus, Angelis, atque hominibus superiorem, qui nonnunquam in Scripturis, licet in sensu prorsus alio, tamen Dei Filii vocantur. Hic vero de altero adventu agi probatur: primo ex verbis Textus: *cum iterum introducit*, quod refertur ad priorem, quæ præcessit, introductionem. Secundo Psalmus 96. 7. unde hic locus desumptus est: *adorent eum omnes Angeli Dei*, ad alterum adventum omnino spectat. Ita denique plerique intelligunt Interpretes [2]: non desunt tamen Patres plurimi [3], qui priorem Filii Dei introductionem de æterna illius intelligant generatione; alteram vero de Incarnatione, vel temporali illius nativitate.

℣. 7. ET AD ANGELOS DICIT [4]: QUI FACIT ANGELOS SUOS SPIRITUS.] Hic locus desumptus est ex psalmo 103. 4. ubi Psalmista ait, Deum uti ministerio ventorum, flammarum, vel fulminis; absoluta cum potestate de elementis disponere [5]; vel Propheta ibi Angelorum naturam describit: illos mere spirituales, & subtiles, æque ac flammam ignis creavit [6]. Apostolus præcipue ostendere voluit hoc in loco Angelos, licet super materialia quælibet positi sint, creatos esse tamen, atque in tempore productos [7], cum Dei Filius increatus sit, atque æternus; illos Servos esse, atque mandatorum Dei Ministros, cum JESUS CHRISTUS Dominus sit, & Angelis etiam imperans. Veterum nonnulli Angelis subtilia, aerea, vel ex natura ignis corpora tribuerunt, quorum sententiæ hic psalmi locus favere videtur. Verum hodierna die Philosophi, atque Theologi nostri in hoc consentiunt, ut Angelos Spiritus esse ab omni materia prorsus expeditos affirment. Judæi S. Pauli ævo Angelos maxime colebant, uti vidimus *Coloss.* c. 18. ideoque de industria Dei Filium super Angelos isthic extollit, quorum Judæi adeo sublimem ideam animo imbuerant.

℣. 8. AD FILIUM AUTEM [8]: THRONUS TUUS DEUS.] Psalmus 44. unde hic locus excerptus est,

A vulgo in historico sensu explicatur tamquam epithalamium, vel canticum in nuptiis Salomonis compositum; verum nonnulla adsunt, quæ huic Principi nequaquam conveniunt, & quæ nonnisi de Messia cum veritate possent applicari. Hujusmodi est versiculus ille ab Apostolo allatus: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi*. Judæi Veteres fatebantur, Psalmum hunc ad Messiæ personam referri [9], & Scriptura numquam Salomoni Dei nomen tribuit. *Elohim* Hebraica de homine aliquo privatim nullibi dicitur [10], licet hoc nomine Principes, vel Judices nonnumquam vocentur. Aquila, quamvis Christianæ religioni maxime esset infensus, hujus loci tamen sensum ita explicuit, ut inanes recentiorem Rabbinorum explicationes penitus tolleret [11]: *Thronus tuus, Deus, thronus est æquitatis*, ubi Judæi vertere mal-

B lent [12]; *Deus est thronus tuus*; vel, sedes super thronum Dei.

℣. 9. PROPTEREA UNXIT TE DEUS, DEUS TUUS OLEO LÆTITIÆ.] Justitiam dilexisti, ideoque, o Deus, Deus tuus inunxit te unctione lætitiæ multo præstantius, quam cæteros, qui tecum lætitiæ ejusdem participes sunt. Alii vertunt: *propterea Deus, Deus tuus unxit te*: sed versio, quam primò attulimus, probatur ab eodem Symmacho vetere Græco Interprete, qui JESU CHRISTI Divinitatem impugnabat. Deus Pater, Deus Filii, quatenus hic nostra humanitate indutus est, huic humanitati contulit unctionem *olei lætitiæ*, effusionem, atque plenitudinem Spiritus Sancti, & omnium donorum ejus. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, Joan. 3. 34. cum interim Sancti, at-

C que Prophetæ, qui majoribus privilegiis enituere, nonnisi in mensuram acceperint, & quantum illis Deus de plenitudine sua dignatus fit impertiri: *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Joan. 1. 6.

Hæc unctio remuneratio est justitiæ, & æquitatis Filii Dei: *dilexisti justitiam . . . . propterea unxit te Deus*. JESUS CHRISTUS ad extremam usque humilitatem se se dimisit, & illum Deus ad gloriam maxime sublimem extulit. *Oleum lætitiæ* est, vel effluentia gratiarum, & donorum Spiritus Sancti, quæ JESUS CHRISTUS secundum humanitatem suam recepit eodem tempore incarnationis suæ, & quo hypostatice se se cum humana natura conjunxit; vel earum, quas in baptismate suo recepit, cum Cœlum patefactum est, & Spiritus Sanctus sub Columbæ specie super illum descen-

D dit; vel denique gloriam, qua inderos fuit post suam ascensionem in Cœlum, cum sedit ad dexteram Patris; tunc enim quodammodo inunctus fuit, & possessionem adiit Regni, quod per suam obedientiam, atque passiones suas promeritus: non secus ac regali chrismate inungitur Imperator, qui thronum ascendit, suis laboribus, atque victoriis partem, licet sibi nativitatis suæ privilegio jam debitum. Philip. 2. 9. 10.

Unctio, quam recepit, longe præstantissima est earum omnium, quibus inuncti fuerunt, qui ejusdem consortes sunt, sive de Spiritus Sancti donis, sive de Cœlesti gloria intelligatur. JESUS CHRISTUS super Sanctos omnes infinite enituit, neque aliquis est, qui primas eidem valeat denegare.

Salomon, qui historicum est objectum Psalmi, un-

E de hic locus desumptus fuit, non erat primogenitus filiorum David, Regnique competitorem habuit Adoniam. Præ reliquis tamen Fratribus ad Regnum assumptus fuit, & regio chrismate inunctus, eo quod Deus benedictionibus, atque optione sua illum præ-

verte-

1 Vide Act. 10. 15. Isai. 6. 10. &c. Glass. Gramm. P. 3. l. 3. c. 15. Grot. hic.
2 Quid. apud Theophyl. in Heb. 2. 5. Cajet. Riber. Est. Ten. Cornel. Camero, Gemar. alii.
3 Chrysost. Theophyl. Oecum. Ambrosiast. hic, Cyrill. Alex. de fide ad Reginas.
4 Καὶ πρὸς ἀγγέλους λέγει. Præpositio πρὸς, posita est pro περὶ. *Dicit Angelus*, dicit de Angelis loquens. Vide Genes. 20. 2. Isai. 41. 7. Rom. 10. 21. Luc. 20. 19. Vel πρὸς ponitur pro *quoad*. *Quoad Angelos, dicit &c.* Vide Heins. Pisc. Camerar. &c. 5 Jans. Gand. Est. Grot. Theodoret. in Psal. 103.
6 Est. Men. Gem. Pisc. Tir. Jon. 7 Theodoret. Euthym. Ten. Est. alii.
8 Πρὸς δὲ τὸν υἱὸν. Ut inter hunc & præcedentem versiculum relatio servetur, hic, non secus ac illic vertendum esset, *De Filio autem dixit*; perinde ac haberetur: Περὶ δὲ τοῦ υἱοῦ, Psalmista de Filio loquens ait: *thronus tuus Deus, est thronus æternus*. 9 Vide Owen. Est. Tir. Targ. in Psal. 45.
10 Grot. Est. hic. 11 Aq. Ὁ θρόνος σου, Θεὸς εἰς αἰῶνα, καὶ ἔτι.
12 Sym. apud Theophyl. hic: Διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε, Θεὲ, ὁ Θεός σου ἐλαίῳ χαρᾶς, &c.

verterat. At non opus fuit, ut JESU CHRISTUS peculiariter a Deo Patre eligeretur; neque ut competitoris sanguis effunderetur; sed jure suo possessionem adiit propriæ hæreditatis. Quidquid gratiæ, vel gloriæ possident Sancti, hoc tenent ex gratia Dei, tamquam emanans ex plenitudine gratiæ & gloriæ, quibus ille in Cœlis cumulatus est.

℣. 10. ET TU DOMINE IN PRINCIPIO TERRAM FUNDASTI.] Hæc verba deprompta sunt ex Psal. 101. 25. ubi Psalmista exprimit dolorem Judæorum in Babylonis captivitate, eorumque gratiarum actiones pro liberatione proxima, atque restitutione Civitatis, ac Templi Jerosalem. Liquet, Babylonis captivitatem symbolum fuisse status, in quo humanum genus ante JESU CHRISTI adventum misere versabatur; reditum vero ex eadem captivitate symbolum esse redemptionis B humanæ per Dominum nostrum. Apostolus hoc transfert ad Salvatorem [1]: *Tu Domine in principio Terram fundasti*, illum fatetur Creatorem esse, non solum Mundi sensibilis, & materialis, quem creavit cum Patre suo; verum etiam Mundi Spiritualis, videlicet Ecclesiæ, in qua æternum regnabit. Cœlum, & Terra transibunt: ℣. 11. *omnes, ut vestimentum veterascent* ℣. 12. *velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. Psalmista addit: *filii Servorum tuorum habitabunt* in Jerusalem: *& semen eorum in sæculum dirigetur*. Hoc numquam vere in Judæis adimpletum est, qui pluribus abhinc sæculis ex Patria terra ejecti, exsorres, exulesque profugerunt: sed in JESU CHRISTI Ecclesia fideles aderunt omnibus sæculis, & post vitæ hujus dies æterna beatitudine per- C fruentur in Cœlis.

Hoc in loco tria probat Apostolus. Primum, Filium Dei æternum esse, quoniam ante Mundi creationem vigebat: alterum, Creatorem esse, ideoque coæternum, & ejusdem naturæ cum Patre, cui Scripturæ fere semper creationis opus attribuunt. Tertium denique, Ecclesiam ipsius ad sæculorum usque finem permansuram, quæ & in hac re longe præstat Synagogæ, cujus novissimi dies in Messiæ adventu erant præfiniti.

℣. 11. IPSI PERIBUNT.] In hunc locum tres afferuntur sententiæ. Prima, Cœlos in Mundi finem ad nihilum esse redigendos: altera, solum quoad exteriorem, atque accidentalem formam esse immutandos: tertia, in melius esse convertendos [2], quæ postrema probatior est, atque plures habet asseclas. Hoc vero fu- D sius ad examen vocabimus in Dissertatione de Mundi fine, & igne, quo Terra est absumenda.

℣. 12. VELUT AMICTUM MUTABIS EOS.] Græcus [3]: *eos involves*, vel complicabis *tamquam pallium*, aut velum. Involves eos quemadmodum vestis antiqua complicatur: vel tamquam indumentum, quo uti amplius nolumus; vel tamquam tabernaculum, quod divulsum est, alio transferendum [4]; sed optimi Græci MSS. iidemque Vetustissimi legunt [5], *mutabis* pro *complicabis*, quemadmodum Vulgata, S. Irenæus, ac Tertullianus legerunt; idque Hebraico textui magis est conforme [6].

℣. 13. AD QUEM ANGELORUM DIXIT ALIQUANDO: SEDE A DEXTRIS MEIS?] Pergit S. Paulus, dignitatem Filii Dei super Angelos extollere. Angeli

A coram Deo non accedunt, nisi prostrati, vel reverentiæ ergo faciem suam velantes; Deus illos mittit, eisque præcipit tamquam Servis, & in hoc gloriam suam constituunt, quod ejus mandata facessunt: at Filium suum Deus ad dexteram suam sedere jussit, & inimicos ejus posuit scabellum pedum illius. Hoc autem dicitur, non quod Filius propria uti nequeat auctoritate ad inimicos obterendos, atque pedibus suis subjiciendos: sed quodammodo gloriosius est, atque ejus majestate dignius, quod Pater Cœlestis sub illius pedibus inimicos subjiciat [7]. Inimici autem JESU CHRISTI sunt dæmones, increduli, pertinaces Judæi, impii: qui semper quidem subjecti fuerunt pedibus Divinæ Majestatis ipsius: sed ille post Ascensionem suam magis adhuc sensibile, gloriosum, atque absolu- B tum exercet imperium in Mundum, Dæmonem, peccatum, & mortem propter aliorum quidem interitum, & aliorum conversionem; propter idololatriæ exscidium, atque Regni peccati eversionem, propter Ecclesiæ suæ institutionem, atque electorum glorificationem.

Particula illa *quo ad usque* non significat certum tempus, quo elapso inimici Domini eidem non debeant amplius esse subjecti. Subjecti illi erunt, & in tempore, & in omni æternitate, licet ratione longe diversa. In tempore quidem, Ecclesiæ persecutores, increduli, hæretici, impii, inviti JESU CHRISTO obediunt, ejus consiliis, atque Electorum saluti inserviunt: in æternitate vero iis torquentur cruciatibus, qui nullum invenient finem. Recentiores quidam Judæi de David C explicare volunt Psalmum 109. unde hic locus desumptus est: at Hebræi Veteres fidei erant melioris, cumque de Messia intelligendum esse confitebantur [8]. Ipse etiam JESUS CHRISTUS ævi sui Judæos fateri coegit, psalmum illum in hoc sensu esse explicandum, quem legas satis est, ut ad litteram Davidi convenire minime posse cognoscas.

℣. 14. NONNE OMNES ADMINISTRATORII SPIRITUS SUNT?] ideoque longe inferiores JESU CHRISTO, qui sedet a dextris Patris, rerum omnium Creator, Filius æternus & consubstantialis Patri, constitutus supremus Angelorum, Archangelorum, omniumque Potestatum in Cœlis, atque Terris Dominator? Angeli non aliud sunt, quam Servi, exequendis imperiis Patris destinati. Si Filius Patri obtemperavit, si Ser- D vi formam assumpsit, hoc ille fecit, quia voluit. Sed Angeli creati sunt, atque destinati ut serviant, & obtemperent, *in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Hoc vero minime significat, Angelos in electorum custodiam tantummodo fuisse destinatos [9]. Certum est electis æque, ac reprobis custodes Angelos adesse; Regna quoque, & Respublicas sub Angelorum esse tutela: sed primum Dei consilium, ac præcipuum hac in re objectum illud est, ut consulat saluti prædestinatorum, eosque ad finem, ad quem sunt destinati, deducat [10]. Non temere, neque inconsulto Apostolus JESU CHRISTI magnitudinem super Angelos prædicat; quippe ad Judæos scribebat, de Beatorum Spirituum potestate, atque præstantia alta nimis sentientes [11].

1 Ten. Est. Tir. Jon. Owen. 2 Chrysost. Theophyl.
3 Καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτούς. 4 Vide Est. Grot.
5 Clarom. & S. Germ. G. L. Ἀλλάξεις: *Mutabis*. Ita Tertull. & Iren. & Velez. Vide Grot. Erasm. Est. Ham.
6 כלבוש תחליפם 7 Vide Chrysostom. Theophyl.
8 Vide Matth. 22. 42. Saad. Gaon ad Dan. 7. 13. Bereschit Rabb. ad Genes. 18. 1. Midras Tehillim ad Psal. 18. 35. 9 Vide Tenam difficult. 15. sect. 3. Est. Menoch. Owen.
10 Vide Est. hic. 11 Coloss. 2. 18. Vide Theophyl. hic.

CAPUT II.

Reverentia, quæ debetur Evangelio. JESUS CHRISTUS Angelis minorem se præbuit. Ille nobis salutem sua humilitate promeruit. Fideles fratres suos vocat. Factus est similis nobis, ut disceret misereri infirmitatum nostrarum.

1. PRopterea abundantius oportet observare nos ea, quæ audivimus, ne for-
te pereffluamus. 2 Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus
est firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit justam mer-
cedis retributionem: 3 Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salu-
rem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt,
in nos confirmata est, 4 Contestante Deo signis, & portentis, & variis virtu-
tibus, & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. 5 Non
enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. 6 Testa-
tus est autem in quodam loco quis dicens: Quid est homo, quod memor es
ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? 7 Minuisti eum paulo minus
ab Angelis: gloria, & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera
manuum tuarum. 8 Omnia subjecisti sub pedibus ejus: In eo enim quod omnia
ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia
subjecta ei. 9 Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus
Jesum, propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum: ut gratia Dei
pro omnibus gustaret mortem. 10 Decebat enim eum, propter quem omnia,
& per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eo-
rum per passionem consummare. 11 Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur,
ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur, fratres eos vocare, di-
cens: 12 Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.
13 Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego, & pueri mei,
quos dedit mihi Deus. 14 Quia ergo pueri communicaverunt carni, & sangui-
ni, & ipse similiter participavit eisdem: ut per mortem destrueret eum, qui ha-
bebat mortis imperium, id est, diabolum: 15 Et liberaret eos, qui timore
mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. 16 Nusquam enim Angelos ap-
prehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. 17 Unde debuit per omnia fratri-
bus similari, ut misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret
delicta populi. 18 In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est
& eis, qui tentantur, auxiliari.

℣. 1. PROPTER QUOD ABUNDANTIUS.] Si JESUS CHRISTUS tantopere præstat Moysi, Prophetis, atque ipsis etiam Angelis, quemadmodum nuper ostendimus, qua cura, qua observantia a nobis excipienda sunt illa, quæ dixit? Hoc monitum promiscue non pertinebat ad Judæos, qui legis suæ, atque traditionum sublimem nimis existimationem conceperant. Hic enim amor nimium pertinax efficere poterat, ut omnem laborum suorum fructum amitterent: ne forte *pereffluatis*, ne forte similes sitis aquæ præterfluenti [1].

℣. 2. SI ENIM, QUI PER ANGELOS FACTUS EST SERMO.] Si Lex Moysis, quam tradidit Deus huic Legislatori Angelorum manu [2] *ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, quemadmodum alibi inquit; si hæc Lex, inquam, inviolabilis permansit diuturno adeo tot B sæculorum spatio, ita ut transgressiones omnes, quæ acciderunt, Divina, vel humana ultione punitæ fuerint,

A ℣. 3. *quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem*, Evangelium videlicet JESU CHRISTI, *quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt*, ab Apostolis *in nos confirmata est* [3]; illis vitæ ipsius etiam periculo, eamdem probantibus, & prædicantibus? Ex hoc loco inferunt, Epistolæ hujus Auctorem nequaquam eruditum fuisse per JESU CHRISTI revelationem, sed testem fuisse operum, quæ miraculose ab Apostolis perficiebantur; atque inde Oecumenius præfat. in ep. ad Hebr. aliique nonnulli post illum argumentati sunt, S. Paulum Epistolæ hujus Auctorem non esse. Vide, si lubet, Præfationem, & Spanhemium par. 3. c. 5. in tractatu de Epistola ad Hebræos.

℣. 4. CONTESTANTE DEO SIGNIS,] quæ illi in ejus nomine fecerunt, & distributione gratiarum Spiritus Sancti, atque supernaturalium donorum, quibus illos Deus cumulavit, & quæ secundum suam voluntatem

1 Græc. Μή ποτε παραῤῥυῶμεν: *Ne forte præterfluamus*. Chrys. Μή ποτε ἀπολώμεθα, ἐκπέσωμεν.
2 Galat. 3. 19. Vide & Act. 7. 53. *Qui accepistis Legem in dispositione Angelorum, & non custodistis*. Deut. 33. 2. Chrys. Est. Theodoret. Theophyl.
3 Luc. 1. 2. 3. & Act. 1. 8. 22. 2. 32. 10. 42. 1. Cor. 15. 15. 1. Petri 5. 2.

catem illis distribuit. Evangelium Legi supereminet; primum, quod Lex quidem Moysi per Angelos fuit tradita; Evangelium autem ab ipso JESU CHRISTO suis Apostolis creditum: secundo, quod JESUS CHRISTUS plurima fecit miracula, eamdemque virtutem Apostolis suis communicavit; cum Moyses non miraculorum dono excelluerit. Tertio, quod Filius Dei Spiritum suum ad Apostolos misit, eisque & illis qui crediderant in se, Spiritum Sanctum, & miraculosa, ac supernaturalia dona distribuit [1]; quam gratiam numquam sub lege contulerat. Hæ omnes prærogativæ mirum in modum probant, Novum Testamentum Veteri præstare, ideoque summa cum observantia Evangelium, & quidquid in eo præcipitur, esse recipiendum.

℣. 5. NON ENIM ANGELIS SUBJECIT DEUS ORBEM TERRÆ FUTURUM.] Futurus hic Orbis Terræ ille est, quem Evangelium frequenter adeo Cœlorum Regnum appellat, vel Regnum Messiæ in fideles [2], quod Hebræi futurum putaverant, tamquam miræ felicitatis tempus, ubi citra turbas, bella, injustitiam, errorem, pax, & justitia in terris erant regnaturæ. Regnum, ubi se visuros sperabant Messiam, veluti Imperatorem, cui omnes Terrarum Gentes subjectæ essent, cum intelligendum esset de Regno veritatis, atque interioris justitiæ in corde fidelium, & pacis animarum, quam JESUS CHRISTUS attulit in mundum eodem tempore, quo professus est, se attulisse gladium [3], atque dissensionem fidelem inter & infidelem; justum inter, & impium; discipulos autem suos inter homines fore, tamquam Agnos in medio Luporum [4], atque Regnum suum omnino interius esse, non autem de hoc Mundo, Joan. 18. 36.

Credunt alii, futurum hunc Mundum [5] esse JESU CHRISTI Regnum, post alterum adventum ipsius, novissimumque Judicium, cum omnes homines resuscitati, alii quidem æternam beatitudinem consequentur, alii vero suppliciis addicentur æternis. Sed prior sententia melior videtur propter oppositionem, quam statuit inter hunc futurum Orbem, ac tempus, quo omnia sine exceptione JESU CHRISTO erunt subjecta. ℣. 7. 8. Apostolus igitur hic ait, Deum subjecisse Ecclesiam regimini non Angelorum, sed ipsius JESU CHRISTI. Antiqua Lex per Angelos irrogata fuerat; Angelus S. Michael Hebræorum Dux fuerat, atque Patronus; apparitiones Patriarchis, atque Prophetis, per Angelos fiebant; illis Deus mysteria credebat, quæ revelabat; sed in JESU CHRISTI Ecclesia Dei Filius novi, fidelisque populi Legislator est, Patronus, Caput, & Pater.

℣. 6. TESTATUS EST, DICENS: QUID EST HOMO.] S. Paulus probaturus, JESUM CHRISTUM Ecclesiæ Caput esse secundum suam humanitatem, hoc loco utitur, qui in litterali sensu de omnibus hominibus, vel de homine generatim intelligitur; eumque transfert ad JESUM CHRISTUM hominem [6]. Quemadmodum Adam a Deo obtinuit in omnem terram, atque omnia continentia dominationem; ita JESUS CHRISTUS a Patre suo recepit in omnem Ecclesiam, & fideles omnes imperium; sed peculiaris auctoritas, quam exercet in Ecclesiam suam, quatenus homo-Deus, minime excludit absolutum, & universale imperium, quod quatenus Deus in omnem Mundum, omnesque Creaturas exercet. Patres quidam, atque Interpretes [7] tenent, psalmi verba non esse de Adam, & homine generatim intelligenda; sed opposita sententia magis videtur verisimilis. S. Pauli argumentum innititur similitudini, quæ est inter Adam innocuum, & JESUM CHRISTUM [8]. Non secus ac Deus omnia priori subjecit, ita Ecclesiam alteri subjicit. Rabbini, atque Judæi Veteres fatentur, prærogativas Adæ, antequam laberetur, earum esse figuram quibus præditus est JESUS CHRISTUS. Hoc argumentum ingentis erat roboris apud Hebræos, ad quos S. Paulus scribebat.

QUID EST HOMO, QUOD MEMOR ES EJUS?] Considerat naturam humanam, antequam hypostatice cum verbo conjungeretur: eo in statu, quodnam erat illius meritum, & quid efficere potuit, ut in illam oculos suos converteret Deus, eamque ad supremum honoris cumulum attolleret? Ostendit S. Augustinus [9] contra Pelagianos, humanitatem non meruisse, ut Dei Filius se cum illo conjungeret; sed illum carnem induisse, & humanam assumpsisse naturam ex mero suæ misericordiæ effectu, & prædestinationem Filii Dei, quatenus hominis exemplar esset illius omnium prædestinatorum, ideoque prorsus gratuitam [10]: *Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut Caput nostrum esset; ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt in Adam, & regnet, quæ regnat, Dei gratia &c.*

℣. 7. MINUISTI EUM PAULO MINUS AB ANGELIS.] JESUS CHRISTUS, quatenus homo Angelis quodammodo inferior fuit; primo, quod mortalem carnem induit; secundo, quod re ipsa se se egestatibus, infirmitatibus, passionibus, humilitati nostræ obnoxium se præbuit [11]. Alii [12] reatum vertunt [13]: *reddidisti paulisper illum Angelis inferiorem*, quæ probatior est explicatio: nam quamvis JESUS CHRISTUS sit quodammodo inferior Angelis, quatenus nostra indutus humanitate, verum est tamen, hoc etiam in sensu Angelis esse superiorem [14]: illis tamen inferior visus est brevi eo tempore, quo passus, supplicio affectus, & mortuus est; vel ad summum, vitæ suæ mortalis intervallo.

GLORIA, ET HONORE CORONASTI EUM.] Adam creatus fuit, tamquam potissimum opus manuum Dei, & pretiosissimis donis ejus cumulatus, justus, innocens, felix, qui mortem posset effugere, si in re facillima Creatori suo voluisset obtemperare. Receperat ille imperium in omnia opera Domini, & in Terra, tamquam parvus Deus fuerat constitutus [15]; et per inobedientiam horum omnium bonorum fructu caruit. Attamen Filius Dei ingentem hanc calamitatem feliciter reparavit, induens naturam humanam, eamdem ad majorem evexit dignitatem, quàm cujus detrimentum passa fuerat. Si brevi temporis intervallo, hoc est, diebus vitæ suæ humilis, atque acerbæ, præsertim vero in passione sua, & de Cruce pendens Angelis inferior visus est, quamprimum naturalem gloriæ suæ statum, potestatem, atque majestatem adeptus est, resurgens, ascendens, & sedens ad dexteram Patris: ubi supremum, atque omnipotens suum exercet imperium, non in Ecclesiam suam tantum, verum etiam in creata omnia, quæ in Cœlis sunt, super Terram, & in Inferno. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.*

℣. 8. IN EO, QUOD OMNIA EI SUBJECIT.] Cum ait, Deum omnia subjecisse JESU CHRISTO, tamquam homini Deo, nihil excipit; ideoque Angeli etiam cum

---

1 Marc. 16. 17. Vide Actor. 2. 4. & seqq.
2 Vide, si placet, Chrysostom. Riber. Ten. Ovven. Ligfoot. Jac. Capell. Par. Gem. &c. In Isaia 9. 6. juxta 70. Messias appellatur, *Pater futuri sæculi*. Vide Exempl. Alex. Editiones Complut. & Aldin.
3 Matth. 10. 34.   4 Luc. 10. 3.   5 Cajet. Lyr. Men. Est. Camero. Grot. alii. Vide Theoph. hic.   6 Vide Ten. Est. Grot. hic. Euthym. & Jans. in Psalm. 7. 5. Theodoret. hic.
7 August. in Psalm. 7. D. Thom. Vide Riber. Jun. Lud. de Dieu, &c.
8 Rom. 5. 14. 1. Cor. 15. 27. & 45.   9 Vide August. Oper. imperfecti contra Julian. lib. 1. cap. 138. 139. 140.   10 Augustin. de Prædestinat. SS. cap. 15.
11 August. lib. 2. de Symb. cap. 4. Gregor. homil. 8. in Ezech. Est. Menoch. alii.
12 Origen. Athanas. Chrysostom. Div. Thom. Est. Grot. alii.   13 Ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' Ἀγγέλους.   14 Vide Chrysostom. & Theophylact. hic.
15 Vide Genes. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit, bestiis, universæque terræ.*

cum ceteris, præsens Mundus cum futuro; visibilia omnia cum invisibilibus illi subjecta fuerunt. At enim quorsum, inquies, non omnia perfecte illi obediunt, & adhuc tot erant Populi, ipsius mandatis rebelles, ejusque, & Apostolorum ipsius verbo increduli? Huic objectioni non directe, neque explicite hoc in loco respondet: sed illi jam satis, superque satisfacit præcedenti capite, ubi ostendit ℣. 6. ab omnibus Angelis in futuro Mundo, hoc est, in Cœlo, Dei Filium adorari: & ℣. 8. ubi dixit, thronum ejus esse thronum æternum, & ℣. 13. ubi huc locum adfert: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* [1]. Dicendum igitur, omnia Jesu Christo nunc esse subjecta; licet in Ecclesiam suam, atque fideles persecutiones insurgant: tamen sub finem seculorum, & post Resurrectionem Regnum suum absolutius, atque perfectius futurum.

Quidam [a] hoc ita explicent: ut autem probent ea verba, quæ modo retuli, non respicere Adam, vel homines generatim, sed Jesum Christum; nonne videmus hactenus omnia homini subjecta non esse? Alius ergo quærendus est, in quo hæc Domini promissio adimpleatur, & cui omnia aliquando subjiciantur. Hic autem est Jesus Christus Deus, & Homo, cui omnia obediunt in Cœlo, atque in Terra; præsertim vero, *postquam cum paulisper Angelis inferior factus fuisset* in hac vita mortali, *gloria, & honore coronatus est propter mortem, quam passus est*, atque in suæ obedientiæ remunerationem, Philip. 2. 10.

℣. 9. Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.] Voluit clementissimus Deus, ut pro omnibus mortem oppeteret. Vel, hæc peculiaris est Dei gratia [2], quod Jesus Christus secundum humanitatem pro omnibus hominibus mortem fuerit perpessus. Græcus textus omnino Vulgatæ conformis est, tum in editis, tam in Manuscriptis, qui reliqui sunt [4]: sed olim non deerant Græca, & Latina Exemplaria, quæ pro *gratia Dei* legebant sine Deo [5], vel excepto Deo; quasi avertere voluissent sensum, qui in Lectoris animo potuisset oboriri, Jesum Christum videlicet mortuum esse secundum humanitatem, non autem secundum Divinitatem: *absque Deo*. Inde vero variantis hujus lectionis patet antiquitas, quod deprehenditur in Origene in Joan. S. Ambrosio de fide ad Grat. l. 2. c. 4. S. Hieronymo in Galat. l. 2. Vigilio Tapsensi l. 2. contra Eutych. Theodoreto pluribus in locis, S. Fulgentio l. 3. c. 20. ad Trasimund. & Oecumenio: quorum novissimus Nestorianos insimulat, quasi loci hujus textum vitiaverint, ut erroribus suis faveret, ubi diceret, Jesum Christum sine natura Divina passum fuisse.

Juxta hanc pravam legendi rationem, credidit Origenes, Dei Filium mortuum esse pro omnibus, excepto Deo: atque ita mortem illius utilem fuisse non hominibus solum, verum etiam Angelis, atque Dæmonibus. Theodoretus hic palam hunc sequitur sensum in hujus loci explicatione; & nescio, utrum ilsum, tacito nomine Oecumenius indigitet illius efferens sententiam. Notandum est, omnes ferme extraordinarias, erroneasque sententias, quæ in Origene inveniuntur, decerptas fuisse vel ex quibusdem apocryphis scriptis, quibus nimium auctoritatis deferebat, vel ex aliquibus Scripturæ locis, quos perperam legebat. Hæc eadem occurrit lectio, *absque Deo*, in quibusdem Syriacis Exemplaribus [a].

S. Chrysostomus hic, aliique nonnulli crediderunt, hanc loquendi rationem, *ut gustaret mortem*, innuere, Jesum Christum mortuum esse dumtaxat, ita dixetim, ut mortem gustaret, non ut mortis effectus experiretur. Ille quidem ad breve tempus occubuit, sed statim resurrexit.

Verum in Hebræorum stylo [7], *Gustare mortem, videre mortem*, proprie, ac vere mortem subire significat: quemadmodum in convivio omnes in orbem tenentur bibere, & gustare vinum, quod singulis in poculo circumfertur; ita omnes homines damnati sunt, ut mortem gustent, quæ non est evitabilis ulli.

℣. 10. Decebat enim eum, propter quem omnia.] Hoc est, Deum Patrem [8], qui ad gloriam plures adoptivos Filios per filii sui merita adducere vellet, *consummare*, vel devovere passioni illum, qui futurus erat salutis nostræ Caput, Princeps, & Auctor; Deus bonorum omnium Auctor, rerum omnium Creator, ad quem omnia, tamquam objectum, & finem suum sunt referenda. Voluit Sapientiæ, atque Justitiæ suæ effectu, ut Jesus Christus Unigenitus suus, quem destinaverat nobis Redemptorem, & Salvatorem, passione suum sacrificium perficeret, atque ita electis quidem salutem, sibi vero infinitam gloriam, qua indutus est, mereretur [9]. Verum si Sapientiæ Divinæ erat, ut Unicus Filius in gloriam, nonnisi per passiones ingrederetur [10]; nonne æquum est, ut eadem insistamus via, quandoquidem ille nobis præbuit exemplum, ut vestigia sua sequeremur [11]? Ita S. Paulus aufert scandalum Crucis, quod Judæis invisum adeo erat, & quod ipsis a Messiæ dignitate adeo abhorrere videbatur.

℣. 11. Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes.] Idem Jesus Christus, qui nos sanctificat, redimit, salvos facit, Patri suo pro peccatis nostris satisfacit; & nos ipsi, qui salvi sumus, redempti, & purificati, omnes eamdem naturam humanam habemus [12]. Quemadmodum sub Lege Sacerdos, & Populus ejusdem erant naturæ, ut posset Sacerdos misericordiæ duci ob infirmitates populi, quoniam in semet illas experiebatur [13]; ita in Lege gratiæ voluit Deus per Sapientiam suam, ut noster Salvator, atque Sacerdos; Mediator noster, ac Sponsor naturam nostram indueret, nostrasque infirmitates perciperet, ut illis magis afficeretur, eique majorem exerceret curam, ut nobis opitularetur.

Propter quam causam non confunditur fratres vocare.] Fideles, Apostolos suos. Vide Matt. 28. 10. *Ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam*. Joan. 20. 17. Rom. 8. 29. Et denique Psal. 21. 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. Psalmus hic in omnibus fere partibus suis miram in modum Jesu Christo convenit: atque in Veteri Testamento non aliud opus est, ubi magis explicite Salvator indigitetur.

℣. 13. Et iterum: Ego ero fidens in eum.] Jesus Christus loquitur in Psalmo 17. 3. vel in Isaiæ 12. 2. vel 8. 17. in omnibus enim iis hæc legimus verba, vel aliquid non absimile. Ex iis, quæ hactenus dixit, probare vult S. Paulus, Dei Filium ejusdem esse naturæ, ac nos [14], quandoquidem tamquam unus ex nobis ait, se in Deo omnem spem suam collocare.

Et iterum: Ecce ego, et pueri mei.] Locus hic desumptus est ex Isaiæ 8. 18. ubi Propheta loquens, tamquam Messiæ figura [15], ait, se filiosque suos in omnibus fuisse constitutos, ut signum essent in Israel: ita ut quidquid sibi accideret, & faceret, sæpius esset figura eorum, quæ universo Israel erant eventura. Locum hunc transfert Apostolus ad Jesum Christum, ut ostendat, illum nequaquam fuisse al-

terius

a Vide Ribir. Menoch. Jun. & S. Chrysostom. Theophylact. &c.
2 Grot. Bez. Camero. 3 Joann. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. 4 Ὅπως χάριτι Θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου.
5 Χωρὶς Θεοῦ. 6 Vide Grot. Bez. Trostium apud Mill. hic.
7 Matth. 16. 28. Marc. 9. 1. Luc. 9. 27. Joann. 8. 52. Vide Est. Ten. Bez.
8 Chrysostom. Ita Theophylact. & alii passim. Erasm. Est. Grot. Menoch. Hammond. &c.
9 Philipp. 2. 10. 10 Luc. 24. 26. 46. 11 1. Petri 2. 21.
12 Ita Ten. Est. Ribei. Ovven. alii. 13 Vide Hebr. 5. 2 & sequ.
14 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Vide Est. Gemes. Camero. alios. 15 Ita Gemar. & Grot. hic.

terius naturæ a discipulis, & fidelibus suis. Sicuti Pater ejusdem est naturæ, ac filii; ita Dei Filius homo factus ejusdem naturæ est, ac nos; quoniam nos suos filios appellat. Vide ℣. 14.

℣. 14. UT PER MORTEM DESTRUERET EUM, QUI MORTIS HABEBAT IMPERIUM.] Ecce quanam in re Dei Sapientia præsertim enituit. Voluit, ut mors morte vinceretur: Dæmon, qui hominem vicerat, vicissim superaretur ab homine, & Mundi salus in carne fieret, quemadmodum ejus excidium ex carne fuerat profectum [1]. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Dignatus est JESUS CHRISTUS æquis quodammodo viribus cum Dæmone certamen inire, ut suus gloriosior esset triumphus [2]: *ut inventor mortis diabolus, per ipsam, quam vicerat, vinceretur; in quo conflictu pro nobis inito, magno, & mirabili æquitatis jure certatum est: dum Omnipotens Dominus cum sævissimo hoste, non in sua Majestate, sed in nostra congreditur humilitate: objiciens ei eamdem formam, eamdemque naturam* &c.

℣. 15. ET LIBERARET EOS, QUI TIMORE MORTIS.] Ante JESU CHRISTI adventum, omnes homines, ipsi etiam Judæi, erant quodammodo sub mortis mancipio. Usque ad JESUM CHRISTUM mors, atque peccatum regnarunt in Mundo [3]. Viri, qui sanctitate præstabant, moriebantur quidem in spe salutis, immortalitatis, & resurrectionis; verum hæc bona ita existimabantur, ut mortem, nonnisi gravissimum malum esse possent arbitrari. Nunc vero cum Messias, & Liberator apparuerit, inter nos vixerit, per resurrectionem suam mortem profligaverit, de obscuris carceribus Sanctorum animas ibi conclusas eduxerit, eis Cœli januas aperuerit; erroris, idololatriæ, peccati, & dæmonis imperium per Evangelii sui prædicationem everterit: veri fideles mortem considerant, tamquam beatæ Æternitatis initium [4].

℣. 16. NUSQUAM ENIM ANGELOS APPREHENDIT.] Græca vox [5], quam Vulgata reddidit, *apprehendit*, significat, capere, comprehendere, veluti cum capitur servus fugitivus, vel retinetur homo, qui in præceps ruit, vel fera fugiens comprehenditur: vel etiam significat manum extendere super aliquem ad eum manu mittendum, atque in libertatem vocandum; vel manum alicui tendere, ut auxilium illi afferatur, vel de vinculis, servitute, periculis, &c. educatur. S. Paulus igitur hic ait, JESUM CHRISTUM non redemis-

A se rebelles Angelos, illis labentibus, manum non extendisse, eos in nequitia, & rebellione dereliquisse; sed illi satis fuisse redimere genus Abraham: non quod non redemerit etiam alios homines, quoniam pro omnibus mortuus est, quemadmodum alibi inquit [6]; sed scribens ad Hebræos, quibus redemptio præ cæteris fuerat promissa, satis erat illis ostendere, Dei Filium fidem præstitisse eorum, quæ olim parentibus ipsorum spoponderat [7]. Ad hæc cum fideles omnes sub nomine *seminis Abrahæ*, vel *Israel Dei* contineantur, quemadmodum alibi probat Apostolus [8]; satis erat genus Abraham indigitari, ut ii omnes comprehenderentur, qui futuris sæculis promissionum participes erant futuri.

Græci, & Latini Patres, atque plures notæ melioris Interpretes locum, de quo agitur, ita vertunt:
B *non Angelicam, sed humanam naturam assumpsit.* Hypostatice non conjunxit seipsum cum Angelica, sed cum humana natura [9]: quæ explicatio licet verissima, Criticis tamen minime satisfacit, priorem, quam attulimus, præferre gaudentibus. Animadverterunt autem, si Sanctus Paulus innuere voluisset Verbi unionem cum Angelica natura, præterito usurum fuisse tempore; cum in Græco præsenti utatur: *non enim assumit Angelos*, vel illis non offert auxilium suum, illos de captivitate non eripit. Ad hæc duriuscula videtur hæc loquendi ratio, *non assumit Angelos*, ut innuat, se Angelis non conjungi hypostatice.

℣. 17. UNDE DEBUIT PER OMNIA FRATRIBUS ASSIMILARI.] Quoniam esse voluit Redemptor noster, & Pontifex nos sanctificans, & de servitute peccati eri-
C piens, decebat ejusdem esse naturæ, ac nos, *ut misericors fieret, & fidelis Pontifex* [10]. Ille nobis similis est per omnia, hoc est, in omni qualitate communi, & naturali hominum, velut morte, ærumnis, communibus egestatibus; non autem peccato, concupiscentia, ignorantia, errore, qui effectus sunt non naturæ, sed peccati humani.

℣. 18. IN EO, IN QUO PASSUS EST, IPSE TENTATUS.] Ex iis passionibus, per quas ille probatus fuit, virtutem præcipit iis opitulandi, qui & ipsi tentantur. Vel simpliciter [11]: *cum traductus fuerit per omnia mala, quæ passus est, proclivis* [12] *redditur ad succurrendum illis, qui & ipsi tentantur.* Pœnæ, quas pertulit, ratio sunt, propter quam facilius fratrum suorum miseretur, eisque indigentibus opem non negat.
D Virgilius Æn. 1. ver. 634.

Non ignara mali miseris succurrere disco.

---

1 Rom. 5. 18. 19. 1. Cor. 15. 21. 2 Div. Leo Magn. serm. 1. de Nativ. Domini.
3 Rom. 5. 12. 14. 17. 1. 4 Rom. 7. 2. 8. 2. 1. Cor. 15. 26. 54. 55. Vide Est. Men. Tir. hic.
5 Οὐ γὰρ δήπου Ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται. 6 Heb. 2. 9. 2. Cor. 5. 14. 15.
7 Est. Grot. Riber. Owen. alii. 8 Rom. 9. 6. 7. 8. Galat. 4. 28. Rom. 4. 17. 18. Galat. 3. 6. 7. & 6. 16. 9 Chrysostom. Ita Theodoret. Theophylact. alii Græci. Ita Ten. Tirin. & Gemar. hic. Bernard. de gradib. humilit. 10 Vide infra Heb. 5. 1. & sequ.
11 Ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι.
12 Δύναται, *potest; aptus, idoneus, proclivis, redditur ad succurrendum.* Est. Men. Tir. Owen. &c.

CAPUT III.

JESUS CHRISTUS Moysi superior. Noster est Apostolus, & Pontifex. A nobis audiendus est, ne Dei indignationem subeamus. Qui pertinaces fuerint, & aures verbis ejus obstruxerint, ut olim Israelitæ in deserto, punientur.

1. UNde, fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum, & pontificem confessionis nostræ Jesum: 2 Qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo ejus. 3 Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam. 4 Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia

mnia creavit, Deus est. 5 Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus
tamquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant: 6 Christus vero
tamquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei
usque ad finem firmam retineamus. 7 Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus:
Hodie si vocem ejus audieritis, 8 Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacer-
batione, secundum diem tentationis in deserto, 9 Ubi tentaverunt me patres ve-
stri, probaverunt, & viderunt opera mea: 10 Quadraginta annis: Propter quod
infensus fui generationi huic, & dixi: Semper errant corde. Ipsi autem non co-
gnoverunt vias meas, 11 Sicut juravi in ira mea; Si introibunt in requiem me-
am. 12 Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis,
discedendi a Deo vivo: 13 Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec
Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. 14 Parti-
cipes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem
firmum retineamus. 15 Dum dicitur: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite ob-
durare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione. 16 Quidam enim audi-
entes exacerbaverunt, sed non universi, qui profecti sunt ex Ægypto per Moy-
sen. 17 Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis, qui pecca-
verunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto? 18 Quibus autem juravit non
introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? 19 Et videmus, quia
non potuerunt introire propter incredulitatem.

℣. 1. UNDE FRATRES SANCTI VOCATIONIS COELESTIS PARTICIPES [1].] Quoniam igitur JESUS noster Salvator est, & Pontifex, naturæ ejusdem, ac nos, & nostris malis affectus, quemadmodum nuperrime probavi; & quandoquidem digni habiti estis, qui ad fidem vocaremini, & Dei Filium cognosceretis humana carne indutum, qui inter nos vixit, atque Religionis nostræ Apostolus, & Pontifex est: *Apostolus* quidem tamquam missus a Patre [2], ut nobis bonum Nuntium sui adventus adferret; *Pontifex* autem, quod se ipsum obtulit pro nostra salute, usque sanctificatione: audiamus hodie Divini hujus Magistri, & Apostoli salutis nostræ vocem: fidenter confugiamus ad hunc Pontificem, qui expiet peccata nostra; & si justitiam, & innocentiam assequuti sumus, sedulo pretiosum hoc depositum servemus, & caveamus, ne ubi de nostra salute agitur, vel pertinaces, vel negligentes simus. Hæc ferme est totius capitis hujus analysis. Moyses Hebræorum Nuntius fuit, Minister, Apostolus; Aaron vero ejus frater illorum fuit Pontifex; JESUS CHRISTUS autem in se utramque hanc dignitatem in gradu longe superiori conjunxit.

℣. 2. QUI FIDELIS EST EI, QUI FECIT ILLUM.] JESUS CHRISTUS, & Moyses hoc habent commune, quod uterque in domo Dei constituti fuerunt, tamquam fideles Ministri, & dispensatores; Moyses quidem in Synagoga; JESUS vero in Ecclesia. Alibi [3] jam adnotavimus, *fidelem*, Hebraice *Neeman* nonnumquam in generico sensu explicari de promocondo, & domus Principis alicujus curatore. Ita Moyses erat *Neeman* fidelis in domo Dei Israel, & JESUS CHRISTUS in Ecclesia Christiana.

℣. 3. AMPLIORIS ENIM GLORIÆ ISTE PRÆ MOYSE DIGNUS EST HABITUS.] JESUS CHRISTUS erat, veluti Architectus, Moyses vero, & universus Hebræus Populus veluti ædificium. Quemadmodum ergo Architectus longe ædificio, cujus est auctor, præcellit: ita JESUS CHRISTUS est Moyse præstantior. Hebræi semper Moysis sui gloriæ fuere studiosissimi: Illum super alios Prophetas extollunt, & ægre fatentur, ipsum a Messia quolibet in sensu iri superatum [4]. Apostolus, quin aliquid detrahat merito, aut gloriæ Moysis, hoc in loco tuetur superiorem JESU CHRISTI dignitatem, quæ illi præ Legislatore Israel debetur. Ait, Moysem, universum Hebræorum Populum, universam Judæorum Ecclesiam esse ædificium Filii Dei: Moysem ipsum non aliud præstitisse, quam quæ ab eodem jussus fuerat, & secundum Dei graphidem ædificasse. Hoc omni dubio caret, ex quo agnoscitur JESUS CHRISTUS, tamquam Dei Filius, Sapientia, & Verbum Patris, versic. 4. *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creavit, Deus est.*

℣. 5. MOYSES FIDELIS ERAT . . . . TAMQUAM FAMULUS.] Magna in domo varii sunt servorum gradus. Ipse etiam domus curator, licet ceteris servis adeo præstet, & ipse tamen servus est [5]. Moyses primus erat Synagogæ Minister; verumtamen non erat aliud, quam Minister Domini. JESUS CHRISTUS e contra Dominus est Domus, & hæres Patris, *& tamquam Filius in domo sua* habet auctoritatem. Moysi imperatum fuerat, ut populo supremi Domini voluntatem annunciaret *in testimonium eorum, quæ dicenda erant*, neque dicebat, nisi quod dicere jubebatur. Hæc dicit Dominus: Dominus ad me loquutus est, mihique præcepit, ut vobis dicerem; ita ille loquebatur in populo; sed JESUS CHRISTUS tamquam Dominus, & a nullo pendens, summa loquitur cum auctoritate [6].

℣. 6. QUÆ DOMUS SUMUS NOS.] Nos, qui in illum credidimus, & illius Ecclesiam componimus. Innuit, Synagogam non esse amplius, proprie loquendo, domum Dei; & Ecclesiam in illius prærogativas subiisse; cumque Synagoga habuerit Moysem Ministrum, Ecclesiam habere JESUM CHRISTUM Caput suum, atque Patronum. Nostrum singuli in spirituale domus hujus ædificium ingredimur, tamquam totidem lapides vivi, atque electi [7], superædificati super eumdem JESUM CHRISTUM, qui lapis est electus, pretiosus, angularis: *ad quem accedentes lapidem vivum, & ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, &c.*

SI FIDUCIAM, ET GLORIAM SPEI.] Non satis est, Christianum virum credere in Deum, & Evangelii

Sss 2 veri-

1 Α'γιασμένα ἢ ἐπουράνιοι. Chrysostom. Theophylact. 2 Vide Theodoret. Theophylact. Est. Grot. Menoch. Jun. Vide Genes. 49. 10. Joann. 9. 7. 3 Num. 12. 7. 4 Vide Ludov. de Dieu hic. 5 Theophyl. 6 Matt. 7. 29. 7 1. Petri 2. 4. 5.

veritatem amplecti in fide, & spe bonorum, quæ præstolamur; opus est etiam, ut perseveret. *Gloria spei*, Hebraica est loquutio, quæ sonat spem, qua aliquando nos gloriam consequuturos confidimus, vel spem, in qua omnem gloriam nostram, & felicitatem statuimus, & quæ inter vitæ hujus adversa, & calamitates nobis affert solatium. Hæc Apostolos adeo constantes efficiebat in laboribus suis, hæc inter persecutiones lætissimo gaudio eos cumulabat: *ibant Apostoli gaudentes a conspectu Consilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati* Act. 5. 41. Et S. Paulus Rom. 5. 2. *gloriamur in spe gloriæ Filiorum Dei; non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes, quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem &c.*

℣. 7. 8. HODIE SI VOCEM EJUS AUDIERITIS, NOLITE OBDURARE CORDA VESTRA.] Hæc est illatio ex consilio nuper Hebræis tradito. Quandoquidem JESUS CHRISTUS est nostrum Caput, Apostolus, & Pontifex noster; nos vero illius fratres, filii, & domus, ad finem usque perseveremus, confidentiam, ac spem in illius ope, & promissionibus collocantes: sedulo, atque attente audiamus, & exerceamus verbum illius, atque vereamur, ne obdurantes corda nostra contemptu verbi ipsius, atque inobedientia, vel peccato [1], a cœlesti felicitate prohibeamur, velut Hebræi, qui de Ægypto egressi contra Deum rebelles fuere, ideoque a Terræ promissæ aditu prohibiti.

SICUT IN EXACERBATIONE, SECUNDUM DIEM TENTATIONIS IN DESERTO.] Novimus solum castra Raphidim [2], quibus *tentationis*, & *contradictionis* nomen impositum est: cum enim populo aqua defuisset, hic furore correptus contra Deum, & Moysem murmuravit, dubitans, an sibi posset Deus aquam in deserto suppeditare; & hæc dubitatio proprie *tentatio* fuit appellata [3]. Credunt alii, Psalmistam innuere velle, quod accidit, ubi redierunt exploratores, qui omnem Chananitidem lustraverant, & qui nunciaverant, Chananæos populum esse terribilem, eorumque terram fere invisam propter Civitates, quibus erat munita: tunc enim Israelitæ defecerunt, atque in Ægyptum voluerunt reverti [4]. Non desunt denique, qui putent, hic verba fieri de iis, quæ ad aquas contradictionis acciderunt [5], cum Moyses, & Aaron ad rupem Cades Dominum non glorificarunt. *Dies tentationis* significat, quod accidit in loco, cui nomen tentationis; quemadmodum *dies Madian* [6] pro Madianitarum internecione, & dies Jerusalem pro die, qua capta, atque eversa ea Civitas est, usurpatur.

℣. 9. UBI TENTAVERUNT ME.] Et periculum facere voluerunt, utrum illic in deserto aquam suppeditare possem, licet toties jam illis potestatem, atque clementiam meam probassem, eos de Ægypto educens, & per Erythræum mare sicco pede traducens.

℣. 10. QUADRAGINTA ANNIS, PROPTER QUOD INFENSUS FUI.] Quidam [7] annos quadraginta præcedentibus connectunt: *illi tentaverunt potestatem meam, & viderunt ingentia prodigia, quæ annis quadraginta operatus sum*, sed altera explicatio, quæ vertit: *populum hunc pertuli ægerrime annos quadraginta*, plures habet asseclas, licet parum intersit, alterutram sequi velis: utraque enim sensum optimum affert. Deus enim quadraginta annis iratus fuit contra populum suum, quod hic toto eo tempore inobediens fuit, atque rebellis [8]. Ex Commentariis in Psalmum 94. 10. peti possunt varii hujus versiculi sensus. Græci quidam MSS ea omittunt verba, *propter quod*, ut conjungant *annos quadraginta* cum *infensus fui*, quemadmodum profecto hæc & in Hebræo, & in Græco textu Psalmi 94. unde hæc emxia desumpta sunt, conjuncta videntur.

NON COGNOVERUNT VIAS MEAS.] Illi animum non appellunt, ut agnoscant, & exerceant voluntates, jussa, consilia mea. Vel, non inveniunt, ut intelligant, quas vias ego sequar; quorsum sit ratio, qua operor, & quantopere consilia mea præstent consiliis hominum [5].

℣. 11. SI INTROIBUNT IN REQUIEM MEAM.] Hæc usitata est loquendi ratio in juramentis, in qua subintelligitur aliquid: e. g. me plectat Deus, nisi effecero, ut inimici mei pœnas luant; vel mendax habear, si ingressi fuerint in requiem meam, in locum habitationis meæ, in Chanaanitidem, quo me illos introducturum spoponderam. Hoc juravit Deus [9], cum post reditum Legatorum, qui Terram Chanaam exploraverant, obmurmurarunt Israelitæ, & voluerunt in Ægyptum reverti. Tunc juravit Dominus ex universa illa hominum multitudine, duos tantum, Jusue, & Caleb promissionis terram adituros.

℣. 12. NE FORTE SIT IN ALIQUO VESTRUM COR MALUM.] Quidquid Israelitis accidebat, erat figurativum. Illorum exitus de Ægypto, transitus maris rubri, iter in deserto, conversionem, baptismum, et vitam in Christianæ Religionis professione repræsentabant. Promissa terra, requies Dei, cœlestem significant Beatitudinem, quam si toto pervenire cupimus, ea omnia nobis evitanda sunt, quæ tantam Hebræis calamitatem peperere, murmur, infidelitatem, inobedientiam, ac spiritum defectionis; quæ omnia S. Paulus hoc in loco vocat *cor malum*, vel ingrati animi vitium, sive nequitiam, quæ omnia in sequiorem sensum detorquet, & *incredulitatem*, diffidentiam, quæ Deum tentat, atque de illius clementia, & potestate dubitat.

℣. 13. SED ADHORTAMINI VOSMETIPSOS [10].] Invicem quotidie mutuis adhortationibus vosmet confirmate, ne quis decidat in obdurationem. Mutuis consiliis, atque exemplis vosmet ad perseverantiam adhortamini. Confirmate eos, qui sunt infirmi in fide, illos, qui ceciderunt, attollite, ut vitæ hujus dies, quos Scriptura diem hodiernam appellat, *hodie*, dies hos adeo breves, & ærumnosos transigatis, quin cor vestrum obduretur; *ut non obduretur quis ex vobis, fallacia peccati*, peccati fraus, voluptatis illecebræ, Dæmonis astus in obdurationem, atque infidelitatem vos non conjiciant.

℣. 14. PARTICIPES ENIM CHRISTI EFFECTI SUMUS.] Per Baptismum cum illo, ut ita dicam unum corpus effecti sumus [11]: *quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Facti estis participes meritorum, gratiarum, hæreditatis, promissionum ejus; illius quidem fratres, Patris vero Cœlestis filii adoptivi: *Si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus*. Hoc autem *initium substantiæ ejus*, ex Patrum sententia [12], non aliud est, quam fides, per quam subsistimus, in qua novam quodammodo nativitatem accepimus. Nonnulli [13] hoc explicant de promissionibus, quas initio nostræ conversionis fecimus in Baptismo; vel de spe, quam habuimus ab initio [14], vel de prima hac vita, quam in JESU CHRISTO gustavimus, postquam fidem [15], & justificationem recepimus quod non abhorret a sententia Patrum, de qua sumus loquuti. Non satis est credere in JESUM CHRISTUM; sed in hac fide, atque Christianæ vitæ exercitatione persistendum est. Omnia perseverantiæ promissa fuerunt.

℣. 15. DUM DICITUR.] Non antiquis solum Hebræis,

1 Vide Est. Menoch. Deut. 15. 7. 10. 16. 2 Exod. 17. 7. *Vocavit nomen loci illius Tentatio, propter jurgium filiorum Israel*. Hebræus habet: *Vocavit nomen loci illius Massa, & Meriba*, seu Tentatio, & Confutatio, ob contestationem filiorum Israel. Vide quoque Deut. 6. 16
3 Vide Theophylact. 4 Numer. 14. 2. & seq.
5 Num. 20. 13. Vide Geneb. Tenam. 6 Isai. 9. 4. 7 Riber. Owen. Pisc. alii.
8 Confer Isai. 55. 8 9 Numer. 14. 28. 29.
10 παρακαλεῖτε ἑαυτούς. Theophylact. 11 Galat. 3. 27.
12 Chrysostom. Ita Theodoret. Theophylact. 13 Camerar. Schindl.
14 Grot. Camer. 15 Riber. Varab. Zeger. Est. Menoch. Tena, Pareus. &c.

breis, qui sub Davide vivebant, dictum est: *nolite obdurare corda vestra*. Hæc verba nos æque, ac illos respiciunt ℣. 16. nam quamvis eorum quidam, qui ea audiverunt, obdurati fuerint; hoc tamen non accidit *universis qui profecti sunt ex Ægypto per Moysem*. Josue, & Caleb Domino fideles fuerunt, & nos eorum successores sumus, atque imitatores: caveamus solum, ne simus degeneres, atque ne Dei indignationem subeamus, imitati Israelitas murmuratores;, & inobedientes. Mirari non debetis ob exiguum fidelium numerum, in fide perseverantium: ex tanta enim Hebræorum multitudine, qui ex Ægypto egressi sunt, Scriptura duos tantum Josue, & Caleb in terram promissam ingressos fuisse testatur.

Divus Chrysostomus, & qui illum sequuntur [1], credunt, versiculum 15. connectendum esse cum initio capitis subsequentis, & quidquid continetur in versiculis 16. 17. 18. 19. intra quandam veluti parenthesim esse concludendum. ℣. 15. *Dum dicitur, hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*: Caput 4. ℣. 1. *Timeamus, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse*. Sed alii [2] hoc subnectunt cum iis, quæ præcedunt ℣℣. 13. 14. *Adhortamini vosmet ipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*. 14. (*vocati enim fuimus ea conditione, ut in fide perseveremus*) adhortamini inquam alterutrum, *dum dicitur; hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*.

℣. 16. QUIDAM ENIM EXACERBAVERUNT.] Qui de Ægypto egressi sunt, meriti sunt per murmur suum, ut Deus illos in deserto disperderet, & a promissa terra prohiberet. Sed hoc malum non accidit Caleb, & Josue, qui fideles permanserunt. Nobis inter hæc exempla relinquitur optio, utrum imitatores esse velimus exigui numeri animarum electarum, an multitudinis obmurmurantium.

Theodoretus Græcum vertit addita interrogatione [3]: *qui enim non exacerbaverunt Dominum?* numquid aliquis illi fidelis permansit? pauci profecto; sed tamen *non universi, qui profecti sunt ex Ægypto per Moysem*, illum exacerbaverunt, & possumus minorem numerum sequi. Hæc legendi ratio contemnenda non est: non enim rite diceretur: *quidam Dominum exacerbaverunt*, cum ex sexcentis millibus virorum duo tantum sint excipiendi, qui Dominum non irritaverunt.

℣. 17. QUIBUS AUTEM INFENSUS EST?] Nisi murmuratoribus? Deus non punit Israelitas omnes promiscue; illius ira in eos tantum exarsit, a quibus fuerat irritatus. Nullius negotii vobis est, Divina adjuvante gratia, eos imitari, Domino obtemperando, atque summa fide mandata illius exercendo.

1 Vide Chrysostom. Theophylact. Erasm. Grot. &c.

2 Est. Camero. Riber.

3 Τίνες γὰρ ἀκούσαντες παρεπίκραναν, ἀλλ᾽ οὐ πάντες.

C A P U T IV.

Hebræi rebelles a Dei requie, atque Terra promissam prohibiti. Christi fideles in eorum locum substituti sunt, nisi per scelus mereantur, & ipsi illinc prohiberi. Fides nos illuc aditum aperit. Verbi Dei virtus. JESUS CHRISTUS est noster Pontifex; fidenter accedamus ad illum.

1. Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse. 2 Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis: sed non profuit illi sermo auditus, non admistus fidei ex iis, quæ audierunt. 3 Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus, quemadmodum dixit. Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis. 4 Dixit enim in quodam loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. 5 Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam. 6 Quoniam ergo superest introire quosdam in illum, & iis, quibus prioribus annuntiatum est: non introierunt propter incredulitatem. 7 Iterum terminat diem quemdam, Hodie, in David dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. 8 Nam si eis ejus requiem præstitisset, numquam de alia loqueretur, post hac, die. 9 Itaque relinquitur sabbathismus populo Dei. 10 Qui enim ingressus est in requiem ejus: etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus. 11 Festinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. 12 Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. 13 Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo. 14 Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum filii Dei: teneamus confessionem. 15 Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

16 Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ : ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

℣. 1. TIMEAMUS ERGO NE FORTE RELICTA POLLICITATIONE.] Hæc est conclusio eorum omnium, quæ superiori capite dicta fuerunt. Quandoquidem tot Israelitæ ab introitu in Terram Chanaam prohibiti fuerunt, timeamus, ne & ipsi obmurmurationis, & inobedientiæ eorum imitatores facti non a Terra Chanaam, sed a cœlesti hæreditate prohibeamur [1]; cujus Regio illa non aliud erat, quam figura imperfectissima : quemadmodum enim ℣. 2. illis hæc regio promissa fuerat, ita & nobis promissa fuit hæreditas Cœli, & sicuti illis non profuit Domini verbum audire, quoniam fides defuit, & obedientia; ita & ipsi de iis, quæ nobis promissa fuere, decidere possumus.

S. Chrysostomus, & alii, qui, quemadmodum vidimus vers. 15. cap. superioris, capitis hujus initio conjungunt, hoc ita explicant : *dum dicitur : hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, timeamus*, ne aliquis se promissionibus indignum præbeat, atque a Terra promissa prohibeatur. Textus habet : *timeamus ergo*, sed expunxerunt particulam *ergo* propter longiloquitatem verborum, ad quæ refertur, & propter parenthesis longitudinem.

℣. 2. NON ADMIXTUS FIDEI EX IIS, QUI AUDIERUNT.] Hebræi omnes audierunt verbum Dei, sed non omnes, uti opus est, receperunt illud, neque in actiones suas converterunt; non immiscuerunt illud, ut ita dicam, corpori vitæ suæ, suæque disciplinæ. Græcus editus Vulgatæ similis est [2], & refert eam vocem *admixtus* ad *sermonem Dei*, qui præcedit. Sed complures MSS. Veteres hoc referunt ad Judæos incredulos [3], ita ut vertendum sit : *non profuit illis non admixtis fidei* earum rerum quas audiverant. Vel cum aliis [4] : fidei eorum, qui verbum audiverant. S. Chrysostomus hoc intelligit de Josue, & Caleb, qui fide repleti se se non immiscuerunt rebelli populo in eo verbo, quod audiverant. Discrimen majus est in verbis, quam in sensu : quoniam fatentur omnes, promissiones inutiles factas fuisse populo propter scelus illius, seu quod se non immiscuerit verbo, quod audierat, seu quod verbum in corpus actionum ejus non migraverit.

℣. 3. INGREDIEMUR ENIM IN REQUIEM, QUI CREDIDIMUS.] In requiem videlicet, quæ promissa fuit iis, qui Domino fideles sunt. At ne credas, me loqui de requie, vel permansione in Terra Chanaam. Populus jam pridem illuc ingressus est; & David, qui in allato Psalmi loco requiem illis pollicetur, ad quos verba facit, hoc proculdubio non intelligebat de introitu in eam regionem, cujus tot ab hinc annis possessionem Israel adierat : neque de requie Sabbathi, quo dicitur Deus post sensibilium rerum creationem quievisse; hoc enim jam dudum acciderat. Tertia adhuc requies igitur est, de qua loqui vult, ea videlicet, qua perfruemur in cœlo [5], quod S. Paulus explicat ℣℣. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

ET QUIDEM OPERIBUS AB INSTITUTIONE MUNDI PERFECTIS.] Non loquitur ergo Psalmista de requie, quam tunc cepit Deus, & in cujus memoriam diem Sabbathi instituit; loquitur enim de re futura, non præterita.

℣. 6. QUONIAM IGITUR SUPEREST.] Nonnisi de requie futura hoc est intelligendum; at nec requies Sabbathi, nec illa post Terræ promissæ possessionem, amplius erant futuræ : non igitur de illis verba facit Psalmista.

℣. 7. ITERUM TERMINAT DIEM QUAMDAM.] David multo post Josue vixit. Loquitur de requie futura. Hæc igitur requies non ea est, quam Josue populo procuravit : ℣. 8. *Nam si eis Jesus requiem præstitisset*, veram videlicet requiem, & ultra quam alia spectanda non esset, David *nunquam de alia loqueretur posthac die*, neque de alia mansione.

℣. 9. ITAQUE RELINQUITUR SABBATISMUS POPULO DEI.] Hoc Sabbathum, hæc requies, postrema hæc inhabitatio igitur reservata est populo Dei, veris imitatoribus fidei, & obedientiæ Caleb, & Josue, veris filiis Abrahæ, Israelitis secundum spiritum, nobis, qui in JESUM CHRISTUM credidimus, & qui illius verbum, & baptismum recepimus, atque divina favente gratia aliquando beata æternitate perfruituros speramus.

Veteres quidam [6] ex hoc loco probare nitebantur, Mundum ultra sex annorum millia non permansurum : quibus elapsis Sancti annos adhuc mille in terris permanerent, atque deinde in Cœlum ascenderent, per omnem æternitatem ineffabili bono perfruituri. Sex annorum millia, quibus Terrarum Orbis permansurus dicitur, exhibentur in diebus sex creationis; millenarius vero quietis in die Sabbathi, quo Deus quievit, at tandem æternitatis dies octava die designatur, cujus diuturnitas nullo est limite præfinita. Verum hujusmodi sententiæ plurimis ab hinc sæculis obsoleverunt; excussa enim fuit quorumdam librorum auctoritas, qui hujusmodi sententiis pondus adjecerant. Locus S. Pauli, quem explicamus, illis minime favet; & alter ille Apocalypsis [7], de quo loco suo verba faciemus, in sensu figurato est explicandus. Millenariorum sententia Judaicis fabulis originem debuit; initium suum in Christiana Religione Cerinthi nequitiæ; robur suum inter JESU CHRISTI fideles, credulitati Papiæ; incrementum vero nimiæ antiquorum nonnullorum facilitati, qui levissime illam adoptaverunt, quin diligentius ad examen vocarent eos fontes, unde hæc sententia emanaverat [8].

℣. 10. QUI ENIM INGRESSUS EST IN REQUIEM EJUS.] In Æternam Beatitudinem, requiem capit ex laboribus suis, quemadmodum Deus post opera sua requievit. Ita & Sabbathum, & introitus in Terram promissam erant figuræ ejus quietis, quæ nobis in Cœlo promittitur. Quidam [9] Græcum Textum ita vertunt [10] : *nam IESUS ingressus in requiem suam* per Resurrectionem, vel ascensionem suam in Cœlum, *& ipse a laboribus suis requievit, quemadmodum Deus die septima requievit ab operibus suis*. Ecce igitur duo Sabbatha; alterum Dei, alterum JESU CHRISTI : primum Judæis convenit; alterum Christianis. Judæi Sabbatho a laboribus corporis abstinent, Christiani vero sperant, se in cœlo æterna felicitate, atque laborum suorum mercede perfruituros.

℣. 11. FESTINEMUS ERGO.] Sollicite ergo enitamur, ut ad Beatitudinem perveniamus, & probemus nos dignos remunerationibus, quas Dei Filius nobis spo-

1 *Existimetur ex vobis aliquis deesse* : Δοκῇ τις ὑστερηκέναι.
2 Οὐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς ἐκείνους μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι.
3 Οὐκ ὠφέλησεν ἐκείνους μὴ συγκεκραμένους τῇ πίστει. Ita Alexand. Claromont. & S. Germ. Steph. α. δ. ε. ι. ια. Roe. 2. Pet. 1. 2. alii. Arab. Æthiop. Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Oecumen. alii.
4 Τῇ πίστει τῶν ἀκουσάντων. Ita Claromont. G. L. German. Lat.
5 Vide Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Est. Tir. alios.
6 Vide Iren. lib. 5. cap. 28. & 29. Origen. lib. 2. contra Cels. Lactant. lib. 7. cap. 14. Hilar. in Canon. 20. in Matth. Hieronym. Epist. ad Cyprian. Vide & Augustin. de Civit. lib. 20. cap. 7. Gregor. Nyssen. Exposit. in Psalm. 6. & Not. Menardi in Epist. ad Barnab. pag. 196. 197. 202.
7 Apoc. 20. 5. 3. 4. 4.
8 Vide Dupinii Dissertationem in Millenarios.
9 Owen. Jun. Lud. de Dieu.
10 Ὁ γὰρ εἰσελθὼν εἰς τὴν κατάπαυσιν αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς κατέπαυσεν ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ, &c.

ſpopondit; & vereamur, ne decedat aliquis in inobedientiam ſimilem illi Iſraëlitarum incredulorum; ideoque Cœli aditus nobis prohibeatur. Ad litteram Vulgata Græcum expreſſit [1]: *ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum*; vel in hanc incredulitatem, cujus improbi Iſraëlitæ inſigne nobis reliquerunt exemplum [2].

℣. 12. VIVUS EST ENIM SERMO DEI, ET EFFICAX [3].] Complures antiqui Patres [4], & recentiores Interpretes [5] pro Dei ſermone, iſthic Divinum Verbum intelligunt, Æternam Sapientiam, alteram SS. Trinitatis Perſonam. JESUS CHRISTUS eſt Verbum Dei vivum, & efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti, qui pertingere poſſit uſque ad diviſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoque, & medullarum. Horum nihil Filio Dei, Æterno Verbo negari poteſt. Videt omnia, cognoſcit omnia, ſcrutatur omnia, poteſt omnia. Ipſe Dominus eſt Spirituum, & cordium; & quocumque vult, illa convertit; illuſtrat mentes, & ſuaviter ſimul, & fortiter quomodo vult, & quando vult appellat. Denique ſeveriſſime ulciſcitur injurias Patri ſuo, ſibique ab Infidelibus incredulis, & impiis illatas.

Sed hæc ſententia impugnatur, primo quod hic non agitur de Verbo Dei; ſecundo, quod S. Paulus, ut plurimum non utitur voce *logos* ad Filium Dei innuendum: tertio quia conjunctio *enim* ſatis oſtendit, hunc verſiculum a ſuperiori pendere, ubi non agitur de requie æterna, & viis, quibus illam aſſequimur. Igitur aptius eſt hoc explicari de verbo, vel juſſu, & voluntate Dei [6]. Hebræi Domini Verbum exhibent, tamquam ens aliquod agens animatum, omnipotens, ultionem repoſcens, illuminatum, omnia videns, & omnia penetrans. Ita dicitur [7], *homo non in ſolo pane vivit, ſed ex omni verbo, quod procedit ex ore Dei*: hoc eſt ex iis omnibus, quibus Deus alendi, nutriendique virtutem impertit. Alibi [8] etiam dictum eſt, Hebræos a ſerpente demorſos, non herbis, neque medicaminibus ſaluſſecutatos, ſed *Dei ſermone, qui ſanat omnia*. Et Sap. 18. 15. ubi ſermo eſt de morte primogenitorum Ægypti: *Omnipotens ſermo tuus Domine, exiliens de Cœlo a regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminii terram proſilivit*. In Iſaja 55. 11. Dominus mittit Verbum ſuum, illius mandata faceſſitur, neque revertens niſi defunctum imperio; & in Evangelio Luc. 7. 7. Centurio ad JESUM, ait: *dic verbo, & ſanabitur puer meus*.

In omnibus his locis Dei Verbum deſcribitur tamquam ens aliquod intelligens, atque Domini voluntatem adimplens. Hic autem S. Paulus, poſtquam Prophetæ locum retulit, homines hortatus ad incredulitatem, atque defectionis ſpiritum effugiendum, ne ab aditu quietis æternæ prohibeantur; concludit dicens, contemnendum non eſſe Verbum Spiritus Sancti, quod vivum eſt, & efficax, & omni ancipiti gladio penetrabilius. Eos, qui illud audire, eique parere noluerint, ſeveriſſimo ſupplicio eſſe conſtringendos, ac neminem ſperare poſſe, ſeveritatem illius ſe evitaturum: penitiores cordis latebras illum pervadere, & animæ, mentiſque cogitata ſcrutari, & non in apertam dumtaxat inobedientiam, atque infidelitatem, verum etiam in cogitationes ipſas determinatas, & deſideria Dei imperio adverſantia animadvertere.

PERTINGENS USQUE AD DIVISIONEM ANIMÆ, ET SPIRITUS.] Tamquam anceps gladius interiorem animæ ſedem pervadit, eamque a corpore ſejungit, ita Dei Verbum ſecretiores cogitationes, & occultiores motus ſecernit [9]; vel potius tangit, concutit, pervadit cor, & animam. *Anima, & Spiritus* hoc in loco unum, & idem ſignificant. Apoſtolus extollit virtutem verbi Dei, illius effectus comparans ancipiti gladio. Philo hoc ipſum omnino ait de verbo Dei [10].

℣. 13. NON EST ULLA CREATURA INVISIBILIS IN CONSPECTU EJUS.] Semper loquitur de verbo Dei, tanquam de ipſo Deo. Illud omnia videt, omnia cognoſcit, nihil illud latere, nihil fallere poteſt. *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo*. Græci Textus [11] verba nos adhuc revocant ad gladii metaphoram. Dei Verbum, de quo loquimur, eſt tamquam gladius anceps, cui omnia cedunt, omnia ut ita dicam, cervices tendunt jugulandas; hæc enim vera eſt Authographi Textus ſignificatio. *Ad quem nobis ſermo* iſthic poſitum eſt pro *de quo nobis ſermo* [12]; non ſecus ac ſupra cap. 1. ℣. 7. *Et ad Angelos quidem dicit*, pro *de Angelis dicit*.

℣. 14. HABENTES ERGO PONTIFICEM MAGNUM.] Superius JESUM CHRISTUM comparavit Moyſi, qui populum eduxit de Ægypto, ſed qui minime potuit Judæorum murmur in deſerto coercere, neque illos in terram promiſſam, & Domini requiem inducere. Hic vero comparat eumdem Filium Dei Aaroni Fratri Moyſis, qui cum eſſet Summus Hebræorum Pontifex, non valuit a populi ſui cervicibus Divinæ iræ effectus deflectere, neque illi ingreſſum in Terram Chanaam procurare: cum JESUS CHRISTUS toto Cœlo & Moyſe, & Aarone præſtantior re ipſa nobis promeruerit, quod illorum neuter neque ſibi, neque populo ſuo a Deo conſequi valuerunt. Habentes igitur hujuſmodi Pontificem magnum, qui poſſit compati infirmitatibus noſtris, & cujus infinita poteſtas eſt, quippe *qui penetravit Cœlos*, & ſedet ad dexteram Patris, *teneamus confeſſionem* [13], ſcilicet permaneamus in fide, quam ſumus profeſſi; & omnia a Summo Pontifice nobis ſperanda eſſe intelligamus.

℣. 15. NON ENIM HABEMUS PONTIFICEM &c.] Ipſe naturam noſtram induit quemadmodum ſuperius c. 2. 17. oſtendimus; ipſe infirmitates noſtras expertus eſt, & labores noſtros paſſus; igitur miſerebitur noſtri, & nos rogatus exaudiet; *tentatum per omnia pro ſimilitudine* [14] *abſque peccato*. Mala omnia expertus eſt, non autem concupiſcentiæ motum, non peccatum, non ignorantiam, non errorem, non morbum, qui ſunt effectus peccati intemperantiæ, quorum JESUS CHRISTUS compos non erat, Cæterum vero in omnibus ſimilis factus eſt nobis. Aaron hoc habebat ſimile cum Filio Dei, quod humanis infirmitatibus obnoxius erat, immo & quo ad peccatum, & concupiſcentiam, quod in JESU CHRISTO non erat: ſed Aaron poteſtatem minime habebat, neque auctoritatem ſervandi, purificandi, & ſalvos faciendi; cum Salvator per ſe ipſum peccata remittat, Aaron preces tantum offerre poterat, & populum redarguere; JESUS CHRISTUS vero præcipit tanquam Dominus, & Patri ſuo offert hoſtiam meriti infiniti. Capite inſequenti videbimus, quibus in rebus JESU CHRISTI Sacerdotium Aaronicum illud ſuperaverit.

ALEA-

---

1 Ἵνα μὴ ἐν τῷ αὐτῷ ὑποδείγματι πέσῃ τῆς ἀπειθείας. Claromont. Ἐν τῷ αὐτῷ ὑποδείγματι ἀληθείας: *Cadat a veritate*. S. German. & Claromont. Lat.

2 Eſt. Grotius.

3 Hieronym. in Iſai. 66. *Vivus, & evidens*, perinde ac legiſſent ἐναργὴς pro ἐνεργὴς.

4 Ambroſ. l. 4. de fide cap. 3. l. 2. in Luc. cap. 2. lib. 1. de Abel c. 3. Cyrill. Alex. l. 2. in Joan. c. 37. Theodor.

5 D. Thom. Lyran. Oecumen. Cajet. Gloſſ. ordin. Corneſ. Tena, Owen. Jun. Ribes. alii.

6 Chryſoſtom. Theodoret. Theophylact. Heſſel. Eſt. Gagn. Capell. Gerard. Camero.

7 Sap. 16. 26. Matth. 4. 4. Deut. 8. 3.

8 Sap. 16. 12.

9 Prov. 20. 27. *Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ inveſtigat omnia ſecreta ventris*.

10 Philo lib. Quis rerum divin. hæreſ.

11 Οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ, πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος.

12 Ita Eraſm. Grot. Tigur. Caſtal. Piſc. Bez. Jacob. Capell. alii.

13 Vide ſupr. 3. 1. Ribes. Eſt. Grot. Quædam Exemplaria Latina legunt *confeſſionem ſpei noſtræ*: quod ſumptum eſt e cap. 23. Eſt. Zeges.

14 *Pro ſimilitudine*; id eſt, *ſimiliter*, *juxta ſimilitudinem*. Arab. Grot. Eſt. Ten. Caſtal.

℣. 6. ADEAMUS ERGO . . . . AD THRONUM GRATIÆ,] vel ad Thronum Dei gratiarum Auctoris, ad pedes Filii Dei Pontificis nostri, qui repletus est misericordia [a]. Credunt alii, S. Paulum loqui de Throno Patris misericordiarum [b]: Thronus Domino, & judici convenit, non autem Pontifici. Deus duplicem habet Thronum, inquiunt Hebræi, *Thronum Judicii*, A vel severitatis, & *Thronum gratiæ*; vel misericordiæ; ad quem nobis per JESUM CHRISTUM patet accessus: *ut gratiam inveniamus in auxilio opportuno*: ut inveniamus gratiam in oculis ejus, & illud gratiæ suæ subsidium obtineamus, cujus in gravissimis necessitatibus nostris maxime indigemus.

a Chrys. Theophyl. &c. Est. Ten. Riber. Menoch. alii. b Est. Pisc. Owen. Grot.

CAPUT V.

Summi Sacerdotis officia. JESUS CHRISTUS hæc ad unguem adimplet. Ipse legitimus est Pontifex, & secundum ordinem Melchisedech. Ipse obtinuit quidquid petiit. Doctrinæ hujus præstantia supra captum eorum, ad quos S. Paulus loquebatur.

1. OMnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis: 2 Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: 3 Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. 4 Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. 5 Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. 6 Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. 7 Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. 8 Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam. 9 Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. 10 Appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech. 11 De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. 12 Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei: & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. 13 Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ: parvulus enim est. 14 Perfectorum autem est solidus cibus: eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, ac mali.

℣. 1. OMNIS PONTIFEX EX HOMINIBUS ASSUMPTUS.] Commendat hoc in loco S. Paulus merita Sacerdotii JESU CHRISTI, & ostendit, quanam in re simile sit Sacerdotio Aaronis, & qua in re ab eodem differat, probans ea omnia discrimina, quæ inter duo hæc Sacerdotia occurrunt, in JESU CHRISTI dignitatem omnino cedere. Hoc illi cum Aarone commune est, quod electus est ex hominibus, & quod constitutus est *in iis, quæ sunt ad Deum* [1], ut offerat Sacrificia Deo pro hominibus; seu ad eorum peccata expianda, seu ad confitendum supremum Dei in illos dominium, seu ad gratias pro collatis beneficiis referendas. At S. Paulus de piacularibus præsertim Sacrificiis hic verba facit.

℣. 2. QUI CONDOLERE POSSIT IIS, QUI IGNORANT.] Græca vox [2] quæ vertitur, *condolere*, proprie significat, cum clementia, & moderatione, in iras A non exardescere contra eos, qui erraverint, sed infirmitatis eorum misereri, eisque facilem veniam concedere. JESUS CHRISTUS summus Pontifex noster exploratam habet infirmitatem, atque inscitiam nostram; tranquillo, & moderato spiritu scelera nostra intuetur; & ex quo eorumdem in nobis dolorem intelligit, paratus est, ut nos recipiat, & parcat. Apostolus ut magis adhuc Filii Dei misericordiam ostendat, atque id præverat, quod sibi objici potuisset de peccatoris nequitia, & peccati deformitate, hujusmodi loquutionibus utitur, *qui ignorant, & errant*, ubi dicere debuisset; qui peccant, & prævaricantur; his verbis innuens, Deum non quærere, ut in nos sua utatur severitate, sed sæpe misericordi oculo scelera nostra respicere, tanquam ignorantiæ & infirmitatis effectus.

Profecto dici potest nullum esse peccatum, quod quodam in sensu non sit peccatum ignorantiæ [3]; *omnis malus*

1 *In iis quæ sunt ad Deum*. Græc. Τὰ πρὸς τὸν Θεόν: *In rebus divinis. Ut populi vice apud Deum sit conciliator, mediator, interpres &c.* 2 Μετριοπαθεῖν δυνάμενος: *Qui possit clementer affici, moderate compati, ignoscere, placabilis esse*. Theophyl. 3 Theophyl. Vide Riber. Est.

minus ignorat. Si mortalis nosset, quid sibi inferat detrimenti, & quid boni sibi auferat dum peccat: si intelligeret, quanta est magnitudo, & majestas illius, quam lædit, si sciret pulchritudinem justitiæ, quam violat, atque turpitudinem iniquitatis, quam operatur; ne ille quidem peccatis numquam animum adjiceret. Apostulus hoc in loco minime excludit peccata nequitiæ, & scelera ea libera, scienti, atque volenti cognitione profecta, quasi ea Divinus Pontifex noster expiaturus minime venisset [1]. Hebræi *ignorantiam* vocabant etiam peccata ex nequitia profecta: sed ille de industria sceleris horrorem minuit, & gravia nomina evitat, ut Summi Sacerdotis clementiam, & misericordiam extollat.

QUONIAM ET IPSE CIRCUMDATUS EST INFIRMITATE.] Cum Sacerdotes vulgo homines sint, & humanis infirmitatibus, atque peccatis [2], quemadmodum & populus, obnoxii, proniores esse debent, ut alienarum infirmitatum misereantur, quam si vacui essent ab omni peccato, neque in illud labi possent, ut Angeli. Hac in re JESUS CHRISTUS ab aliis Sacerdotibus differt, quippe qui non errori, non ignorantiæ, non peccato obnoxius est.

℣. 3. PROPTEREA DEBET QUEMADMODUM PRO POPULO.] Sacerdotes piaculares victimas offerunt pro se etiam, non secus ac pro aliis [3]; cum peccato non secus ac minimus e populo quisque pateat. JESUS CHRISTUS hac in re ab aliis Sacerdotibus differt [4]: *Sanctus, Innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior Cælis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi*. Ipse enim nunquam peccati labem contraxit, & Sacrificium illud, quod obtulit pro peccatoribus, semel obtulit tantum; quoniam meriti est infiniti: *hoc enim fecit semel, se ipsum offerendo*.

℣. 4. NEC QUISQUAM SUMIT SIBI HONOREM.] Aaron nonnisi Dei jussu, & auctoritate [5] ad summum Sacerdotium evectus est, ejusque electio miraculo fuit comprobata, arida virga ipsius florescente [6]. Videtur Apostolus indirecte eorum ambitionem perstringere, qui ævo suo ad supremum Sacrificii apicem obrepebant ea via, quæ primæ institutioni esset opposita [7], vel pretio hanc sibi dignitatem comparantes, vel eamdem officiis atque muneribus ambientes.

℣. 5. SIC ET CHRISTUS NON SEMETIPSUM CLARIFICAVIT.] Non obrepsit ille ad hanc dignitatem; sed eamdem recepit a Deo Patre suo ab æterna usque generatione, licet ejusdem munere nonnisi in tempore fuerit perfunctus. S. Paulus in ℣℣. 5. & 6. JESU CHRISTI Sacerdotium cum illius generatione conjungit [8] quod utrumque æternum est, & quod quatenus Dei Filius, electus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech [9]. Objici autem potuisset, JESUM CHRISTUM, qui ex tribu Juda originem duxerat, frui nequaquam potuisse prærogativis Sacerdotii, quæ ad Aaronis sobolem spectant: verum hanc occupat objectionem dicens, quemadmodum antequam a Deo eligeretur Aaron, huic viro nullum jus erat ad Sacerdotium; ita JESUM CHRISTUM a Deo electum omne jus obtinuisse, ut eminentem hanc dignitatem consequeretur. Ad hæc ait, Sacerdotium Filii Dei tanto esse Sacerdotio Aaronis præstantius, quanto est antiquius. JESUS CHRISTUS Sacerdos est ab Æterno; Aaronis vero Pontificatus ab ipso, atque in tempore ducit initium. JESUS CHRISTUS Sacerdos est secundum ordinem Melchisedech; Judæi vero Sacerdotes secundum ordinem Aaron, qui ipso Melchisedech est multo recentior. Hoc autem fusius infra videbimus. Sacerdotium ratione Aaron honor est, & honor etiam est ratione humanitatis JESU CHRISTI, sed ratione Divinitatis, ejusdem est humiliatio [10].

Putant nonnulli [11], JESU CHRISTI generationem, quam hic Apostolus adfert Sacerdotium illius probaturus, non aliud esse, quam illius resurrectionem, vel glorificationem in Cœlo, cum perfecto in Cruce sacrificio suo, in Cœlum ingressus est tamquam in Sanctuarium, ubi semel quotannis Summus Sacerdos ingredi poterat. Certum est, Salvatoris resurrectionem nonnumquam generationis nomine designari [12], quemadmodum dies, qua regum tempora diademate redimentur, nativitas eorum vocatur. Alii vero [13] credunt, S. Paulum hunc attulisse locum, quo æterna Salvatoris generatio probatur, ut illius Pontificatum confirmaret; namque ex jure veteri, & naturali Sacerdotium primogeniti est prærogativa. Cum autem JESUS CHRISTUS sit primogenitus Patris [14], atque cum illo coæternus, supremum Sacerdotii decus hac ex causa illi debebatur. Ego tamen priorem explicationem antesferendam esse censerem.

℣. 6. TU ES SACERDOS IN ÆTERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH,] nempe secundum rationem, ritum, conditionem, vel similitudinem Melchisedech. Regnum & Sacerdotium in persona Melchisedech simul erant conjuncta; utrumque similiter in te niret. Melchisedech hanc ex ipsa nativitate prærogativam obtinebat; tu eamdem ex tua generatione obtines, propter quam tibi dixit Deus: *tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*.

℣. 7. QUI IN DIEBUS CARNIS SUÆ,] hoc est vitæ suæ mortalis: non quod post resurrectionem carnem, atque naturam humanam reliquerit; sed quod inter homines non versatus est amplius vivens, passibilis, & mortalis, ut illi [15]. Postquam ostendit, JESUM CHRISTUM æternum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, hoc in loco ait, Salvatorem omnia Sacerdotii sui munera adimplesse: *preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerentem*. Fortasse loquitur de oratione, quam in horto, & altera quam de Cruce effudit, paulo ante quam Deo suo animam redderet [16]: *exauditus est pro sua reverentia*. Evangelistæ non narrant, JESUM CHRISTUM, vel in horto, vel in Cruce lacrymas effudisse: sed hanc circumstantiam vel ex traditione, vel ex revelatione S. Paulus didicerat [17].

PRECES SUPPLICATIONESQUE,] quas tum effudit, solemnia erant sui Pontificatus officia, quæ præcesserunt, & concomitata sunt Sacrificium vitæ, & sanguinis sui, quod in Ara Crucis obtulit. *Exauditus est pro sua reverentia*, hoc est pro ea reverentia, qua Patrem suum coluit, vel pro illius obedientia, quam Patri præstitit, & propter quam mortem Crucis subivit. Græcus legit [18]: *& exauditus pro reverentia* ℣. 8. *velut Filius didicit obedientiam ex iis, quæ passus est*; nam hi duo versiculi simul sunt connectendi. Vulgatæ Auctor, qui legit *pro sua reverentia*, addidit *sua*, quod non legitur in Autographo; credens fortasse, S. Paulum innuere voluisse, Filium exauditum fuisse propter eam reverentiam, quam Pater illi deferebat, & pretium, in quo ipse, atque preces ipsius a Patre habebantur: quæ sententia inter Veteres, atque recentiores Interpretes non paucos habuit sectatores [19].

Alii vero [20] potiori jure credunt, S. Paulum verba facere de humillima Filii erga Patrem reverentia: & sane

---

1 Riber. Est. Oeven. Bez. alii. 2 Ἱερατεύειν τὴν ἱερωσύνην. Oecumen. Riber. Camero. Est.
3 Levit. 4. 3. 16. 6. 11. 17. 4 Heb. 7. 26. 27. 5 Exod. 27. 28. 29.
6 Num. 17. 6. 7 Chrys. Theophyl. 8 *Ego hodie genui te; & tu es Sacerdos in æternum &c.*
9 Chrys. Theophyl. Vide Oeven. 10 Philipp. 2. 6. 7. Heb. 2. 10. Vide Esr. Jun.
11 Vide Grot. hic, Oeven. 12 Act. 13. 33. 13 Cajet. Riber. Grot.
14 Rom. 8. 29. Coloss. 1. 15. Hebr. 1. 6. 15 Theophyl. Riber. Jun. alii.
16 Matt. 27. 46. 17 Chrys. Theophyl. Est. &c. 18 Καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας.
19 Chrys. Theophyl. Oecumen. Anselm. Cornel. a Lap. Paræ.
20 Chrys. Phot. Rib. Esr. & alii plures.

sane reverentia dicitur inferioris erga superiorem, & filii erga Patrem. Noonulli [1] Græcum vertunt. *Exanditus fuit*, & liberatus *ex eo terrore, qui illum apprehendit* in horto olivarum, & in Cruce. Ibi cum lacrymis, & clamore magno preces effudit propter metum iræ Dei, cujus omne pondus intuebatur, tamquam jam jam super ipsum se irruere deberet. Græca vox, quæ vertitur *reverentia*, nonnumquam pro *timore* etiam usurpatur: sed non teor in Scripturis inveniri ad innuendum terrorem illum, ac metum, de quo hic sermonem esse contendunt. Hæc vox *Eulabeia* ut plurimum Dei timorem, pietatem, religionem significat, Timor cum quadam desperationis specie conjunctus, de quo hic Calvinus, & Beza loquuntur, minime convenit JESU CHRISTO, vel inter gravissimos dolores mœrenti. Syrus sensum adfert prorsus alium ab illis, quos B vidimus: *obtulit cum lacrymis . . . . preces suas ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, & exauditus est. Et quamquam esset Filius Dei, didicit obedientiam in timore, & pœnis, quas passus est.*

℣. 8 CUM ESSET FILIUS, DIDICIT EX IIS, QUÆ PASSUS EST, OBEDIENTIAM.] Ubi semel induit Redemptoris, atque Pontificis nostri dignitatem, oblitus est, ut ita dicam, se Dei Filium esse, Patri suo æqualem, ut ad extremum usque Spiritum exerceret obedientiam. *Didicit obedientiam*, experientia; ostendit, se in eadem satis exercitum esse, eamque perfecte cognoscere. Hæc virtus præcipua fuit pars, & Sacrificii sui, & nostræ sanctificationis.

℣. 9. ET CONSUMMATUS [2].] Cum sacrificium suum consummasset in Cruce, ibique Sanguinem suum C effudisset, extremum emittens spiritum, exclamavit; *Consummatum est*. Perfeci, Domine, expiationis Sacrificium mihi impositum; adimplevi mandata tua, defunctus sum muneribus Summi Pontificis; salvos feci eos, quos mihi dedisti [3].

℣. 10. APPELLATUS A DEO PONTIFEX.] Jesus destinatus est, vel prædestinatus Pontifex ab æterno, quemadmodum vidimus in ℣℣. 5. 6. muneris hujus exercitationem adiit ex ipso suæ Nativitatis initio: sed illud præcipue tempore suæ passionis exercuit. Et cum hoc magnum nostræ redemptionis opus assumpsit, tunc præcipue appellatus fuit *Pontifex juxta ordinem Melchisedech*, quemadmodum Aaron primum quidem Sacerdotio destinatus fuit, mox sacro huic ministerio applicitus; & tandem Sacerdos perfectus, cum sacrificium D suum absolvit, & Sanctuarium ingressus est.

℣. 11. GRANDIS SERMO ET ININTERPRETABILIS [4].] Nobis multa essent dicenda, quæ facile explicari non possunt, quod captum vestrum excedunt. S. Paulus de JESU CHRISTI Sacerdotio verba faciens, plura cogitavit, quæ non potuit, vel potius quæ minime voluit nobis aperire, quod illi, ad quos loquebatur, iis intelligendis pares non erant: *non quia Apostolus non potuerit id interpretari; sed quia illius temporis non fuerit*, inquit S. Hieronymus ep. ad Evagr. Hebræi, ad quos loquebatur, *segnes* [5] erant ad intelligendum, & erant auribus incircumcisis, quemadmodum loquitur S. Stephanus in Actis 7. 5. Erant velut homines, qui sub Lege senuerant, atque intermortuus in ipsis erat auditus ad ea, quæ lenius excederent, intelligenda [6].

℣. 12. QUÆ SINT ELEMENTA EXORDII SERMONUM DEI,] Evangelii [7], quod nonnisi in superficiem intelligitis, & cujus sensus abditos non assequimini. Vel, elementa Legis antiquæ [8], in quibus latet, & invenitur figura JESU CHRISTI, virtutum ejus, mortis, & Sacrificii. Vel demum, quod respicit JESU CHRISTI humanitatem, & quod minus sublime est, quam quod spectat ad Divinitatem [9].

QUIBUS LACTE OPUS SIT.] Infantes adhuc estis in via Dei, cum jam perfecti esse deberetis viri. In Oriento dicuntur Nutrices Alumnis suis decem, vel duodecim mensium spatio lac præbere sine alio cibo; deinde vero illis qualibet esculenta tribuere, primum quidem ab illis mansa, & mox in puerorum os ingesta [10]. S. Paulus Hebræos, ad quos scribit, hujusmodi lactentibus adhuc pueris comparat.

℣. 13. EXPERS EST SERMONIS JUSTITIÆ.] *Expers* hoc in loco ponitur pro *inexperto* [11]: non novit sermones justitiæ, neque ea, quæ spectant ad justitiam, perfectam Sanctitatem, Christianæ perfectionis præ- C stantiam [12], & veritatem nostræ religionis magnitudinem. Hæc Hebræorum conversorum potissima erat ægritudo, quod mordicus nimis hærebant ceremoniis legis, atque Veteris Testamenti figuris. Apostolus, ut eorum parcat infirmitati, sese cohibet, & reticet magnam partem eorum, quæ in ejus mente versantur de legalium ceremoniarum abrogatione, deque Sacramentorum Novæ Legis, & Sacerdotii JESU CHRISTI subrogatione.

℣. 14. QUI PRO CONSUETUDINE [13] EXERCITATOS HABENT SENSUS.] Qui diutino, serioque studio Sacris Scripturis vacarunt, easque jugiter meditantes abditos earum sensus investigarunt. Facile erat, ut viri sapientes, & eruditi, præsertim vero post ea, quæ Jesus Christus docuerat, intelligerent, Legis ceremo- D nias amplius non esse ad salutem necessarias, & doctrinam, Sacerdotium Salvatoris, divinæque illius disciplinæ exercitationem, nec non confidentiam in gratia, & meritis ejus, esse finem Legis, atque veræ justitiæ consummationem.

---

1 Grot. Bez. Camerar. Gerhard. Jac. Capell. Le Clerc. 2 Τελειωθείς. Photius apud Oecum. Nobis apparuit bonitatis, misericordiæ consummatæ, quia pro nobis passus est.
3 Joan. 6. 37. 10. 17. 11. 12. 18. 9. 4 Plura vetera Biblia, ea etiam Sixti V. legunt, *interpretabilis*. Sed vera lectio est *ininterpretabilis*, quod interpretari non potest, facile non est. Græc. Δυσερμήνευτος λέγειν.
5 Νωθροὶ ταῖς ἀκοαῖς. 6 Clem. Alex. Vide Est. 7 Est. Menoch. Tir. Grot.
8 Ovvenus hic. 9 Theophyl. 10 Belloo. observ. l. 3. c. 11. Vide Aristophan. Equit. Act. 2. scen. 2.
11 Ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης. 12 Ribei. Men. Tir. Est.
13 Græc. Διὰ τὴν ἕξιν: *Propter habitum*. Aug. l. 12. de Trinit. c. 23. Ambrosiast. *Propter assuetudinem*.

CAPUT VI.

Monita ad præcipuos fidei articulos spectantia. Baptismus non iteratur. Illis, qui post baptismum ceciderint, Dei maledictio metuenda. Hebræos hortatur, ut in charitate, patientia, & imitatione Abraham perseverent.

1. QUapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, 2 Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque

manuum,

manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicii æterni. 3 Et hoc faciemus, si
quidem permiserit Deus. 4 Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati,
gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, 5 Gu-
staverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, 6 Et pro-
lapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium
Dei, & ostentui habentes. 7 Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem,
& generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a
Deo. 8 Proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima:
cujus consummatio in combustionem. 9 Confidimus autem de vobis dilectissimi,
meliora, & viciniora saluti; tametsi ita loquimur. 10 Non enim injustus Deus,
ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui
ministrastis sanctis, & ministratis. 11 Cupimus autem unumquemque vestrum ean-
dem ostentare solicitudinem ad expletionem spei usque in finem: 12 Ut non se-
gnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide, & patientia hæreditabunt pro-
missiones. 13 Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per
quem juraret, majorem, juravit per semetipsum, 14 Dicens: Nisi benedicens be-
nedicam te, & multiplicans multiplicabo te. 15 Et sic longanimiter ferens, ade-
ptus est repromissionem. 16 Homines enim per majorem sui jurant; & omnis con-
troversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum. 17 In quo abundan-
tius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, in-
terposuit jusjurandum: 18 Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est
mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam pro-
positam spem: 19 Quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, &
incedentem usque ad interiora velaminis; 20 Ubi præcursor pro nobis introivit Je-
sus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.

℣. 1. INTERMITTENTES INCHOATIONIS CHRISTI SERMONEM.] Superiori capite dixit, tantum abfuisse, ut Hebræi essent homines perfecti, & solido cibo percipiendo pares, quod adhuc erant instar puerorum lacte indigentes: hic vero illos hortatur, ut humiles hos sensus, atque puerilem hanc infirmitatem relinquant, & se se attollant ad cognitiones sublimiores, perfectioresque virtutes. Relinquite jam rudimenta prima, & ad eas scientias nisum contendite, quæ ætatem vestram magis deceant. Vide supra cap. 5. ℣. 13.

NON RURSUM JACIENTES FUNDAMENTUM POENITENTIÆ AB OPERIBUS MORTUIS ET FIDEI AD DEUM.] Vultis perfectionis Christianæ ædificium extruere, tempus non est amplius jaciendi fundamenta; jam procedere opus est, & ædificium assurgat, oportet. Fundamentum quidem est necessarium: Et quemadmodum imprudentis esset ædificare, quin antea rite consultum fuisset iis, quæ totum ædificii pondus debent sustinere; ita & dementis esset, semper velle jacere fundamenta, quin animus adverteretur ad ea, quæ incœpta sunt, perficienda. Hebræi ad fidem conversi, qui baptismum recipere cupiebant, serio adlaborabant, ut per pœnitentiam præterita crimina expiarent; magis magisque convalescebant in fide, atque ea, quæ ad mortuorum resurrectionem spectant, diligentius edoceri cupiebant, solliciti, ut acquirerent Spiritus Sancti dona, quæ tunc per impositionem manuum ab Apostolis conferebantur. Hoc secundo hujus Capitis versiculo dicitur. Illos hortatur deinde, ut pergant, & magis magisque in fide ac spe Dei confirmentur: mox vero cap. 7. redit ad sublimius argumentum, a quo discesserat cap. 5. ℣. 11. videlicet ad Sacerdotium Melchisedech, de quo mira prorsus narrat.

Pœnitentia pro operibus mortuis ea est, quæ baptismum præcedit [1], per quam homo a præteritis sceleribus sese expiat, ut labore, atque dolore pœnitentiæ præparatus facilius Sacramenti effectus consequatur,

A nec aliquid illos vel prohibere, vel remorari valeat. Peccata mortua opera appellat; peccatum enim mortem animæ infligit [2], eamque in oculis Dei immundam efficit, atque sordidam, non secus ac hominum oculi cadaver immundum perhorrescunt.

FIDEI AD DEUM.] Primi fidei nostræ articuli sunt fundamenta ædificii, quod erigendum suscipimus; credere Jesum Christum, hunc fateri Filium Dei, Messiam, Salvatorem Mundi &c. hæ sunt necessariæ dispositiones, ut aliquis baptismum recipiat, atque in Christianam religionem ingrediatur. Hoc tamen satis non est, ut ædificium ad summam usque coronidem adducatur; addenda fidei sunt opera, practicæ veritates theoreticis.

℣. 2. BAPTISMATUM DOCTRINÆ.] Ea videlicet,
B quæ docentur de baptismate, vel pertinentia ad baptismata. Licet enim in Ecclesia unum dumtaxat Baptismi Sacramentum agnoscamus, quod non iteratur; alia tamen non desunt baptismata, quæ Novæ Legis Sacramenta non sunt; veluti baptismus Joannis, lacrymarum, sanguinis, & pedum ablutio, quæ cum hospitibus fieri consuevit. Extrasse etiam S. Paulus *baptismatum* nomen numero multitudinis potuit propter ingentem eorum numerum, qui hoc Sacramento initiantur [3], vel propter interna baptisma ab exteriori distinctum; vel denique *baptismata* pro baptismate usurpatum est [4]. Mss. quidam [5] legunt baptismum numero singulari, quemadmodum etiam S. Augustinus, & Syrus legerunt. Quidam [6] seorsim legunt *baptismatum*, *doctrinæ* vel instructionis: semper in id
C unum intenti, ut edoceamini, & ad baptismum præparemini, quin tamen ea efficiatis, quæ oportet ad illum reipsa suscipiendum.

IMPOSITIONIS MANUUM,] vel Sacramenti confirmationis, quod ab Apostolis, vel Episcopis manuum impositione conferebatur, & per quod recipiebatur Spiritus Sanctus, atque supernaturalia dona, quæ tunc illud concomitabantur. Judæi, quemadmodum S. Pau-

1 Esr. Riber. Men. Jac. Capel. Var. Pisc. Ten.
2 Coloss. 2. 13. 1. Timot. 5. 6.
3 Theodoret. hic.
4 Vide Rib. & Esr.
5 Mss. hic. Riber.
6 Paræus hic.

Paulus 1. Cor. 1. 22. indigitat, miraculorum mirum in modum erant cupidi. *Judæi signa petunt.* Supernaturalia dona quæ effundebantur super eos, qui baptismum, & confirmationem recipiebant, illos in admirationem rapiebant. Flagrabant & ipsi desiderio, ut tot munerum participes essent: sed hæc ratio non satis sublimis erat, qualem S. Paulus optabat. Duo, & septuaginta discipuli ex missione quadam reversi, quo Jesu Christi jussu fuerant profecti, ad illum redière gratulabundi, & dicentes se omnia morborum genera curasse, & dæmones ipsos sibi paruisse [1]; at Salvator respondit, ob hanc rem illis non esse gloriandum, sed gloriandum potius, quod nomen ipsorum esset in libro vitæ descriptum. Hoc ipsum dici posset de illis, quibus admirationem injiciebant ea miracula, quæ primi Christi fideles passim operabantur, & qui eorum participes esse cupiebant, baptismum, & manuum impositionem recipientes [2].

Resurrectionis mortuorum.] Hoc dogma erat in Synagoga receptum æque, ac in Ecclesia Jesu Christi; cum hoc tamen discrimine, quod Hebræi ex Synagoga minime ejiciebant negantes illud, veluti Saducæos, & quod alioquin Judæorum plerique hac de re longe aliter a Christianis sentiebant. Credebant illi quamdam justorum resurrectionem, postquam diutius inter delicias in terris essent vitam traducturi. Christiani vero credebant resurrectionem universalem, postquam æternum beatitudinis regnum incipiet. Liquet ex S. Paulo, ævo illius plurimos errores fuisse inter Judæos de mortuorum resurrectione; ex eorum enim numero egressi erant ii omnes, qui erroneis sententiis suis in hunc fidei nostræ articulum Ecclesiam turbabant. Oportebat igitur, ut qui Christianam religionem profiteri vellent, diligentius illa edocerentur, quæ in re hac erant credenda.

Et judicii æterni.] Summa cura iis, qui Sacro baptismate fuerant abluti, in horum duorum articulorum fide confirmabantur; mortuorum videlicet resurrectione, & æterno judicio. Hæc sunt objecta spei, atque timoris Christi fidelium. Judicii timor illos in innocentia coercet, & ab omni culpa deterret: spes resurrectionis illos inter pericula, persecutiones, atque cruciatus confirmat [3].

℣. 3. Et hoc faciemus.] De his rebus aliquando pertractabimus, si Deus otium permiserit. Sperabat fortasse, alias ad Hebræos se daturum Epistolas, si Deus ipsi occasionem obtrudisset. Hoc autem ait, ut ostenderet, ea, de quibus loquutus est, a se nullo in discrimine non haberi, sed operæ pretium ducere nunc de sublimioribus argumentis habere sermonem. Græcus [4] in MSS. quibusdam legit: *faceremus hoc*. Hæc argumenta pertractaremus, si nobis tempus suppeteret; vel si vos indigeretis; si Deus hoc ex me deposceret. Toto hoc in capite de quibusdam ex his articulis verba facit, sed cap. 7. ad propositum redit.

℣. 4. Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati.] Fateor & ego, necesse esse, ut in fundamentalibus Religionis veritatibus, in pœnitentiæ operibus, timore judiciorum Dei, & Resurrectionis spe confirmemini. Hi enim obices sunt, ne quis in scelus ruat, & pietatis fervor tepescat. Tandem enim ubi semel baptismate ablutus es, & peccatorum tuorum veniam es consequutus, non adest alterum aquæ baptisma [5]; & fieri omnino minime potest, ut peccata iterum eadem cum facilitate expientur, qua primum deleta sunt, ubi per illud Sacramentum ablutus es, quod tibi in Christianam Religionem aditum præbuit.

S. Paulus minime excludit Baptismum lacrymarum,

A & pœnitentiæ ad expianda ea scelera, in quæ post regenerationem cecidimus, quandoquidem ille etiam nos semel eumdem commendat, & Corinthiacum incestum recepit in Ecclesiam post illud scelus, pro quo eumdem anathemate afflaverat. Salvator S. Petro, aliisque Apostolis ligandi, atque solvendi conferens potestatem, nullum peccatum excepit: *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*, Matth. 16. 19. Non igitur de pœnitentiæ baptismo, quemadmodum Novatiani, atque Tertullianus asserebant; sed de aquæ baptismo hic verba facit S. Paulus, quem opponit baptismis, vel lustrationibus Judæorum, quæ toties iterabantur, quoties recentes sordes contrahebantur. Sententia hæc est omnium

B ferme Patrum, qui vocem illam *impossibile* ad litteræ apicem explicant.

Alii vero [6] ita intelligunt: fieri non potest, ut Christiani, qui in scelere, atque in impœnitentia decesserunt, in altera vita peccatorum suorum veniam consequantur; ubi neque baptismus est, neque Sacramentum pœnitentiæ, neque ulla ratio alia, qua mortalia peccata expientur.

Credunt nonnulli, *impossibile* isthic pro difficili simpliciter usurpari. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 36. in Vulgari sermone quinque deprehendit sensus, in quibus aliquid *impossibile* dicitur. Aliud est impossibile ex natura sua, aliud ex consuetudine, tertium ex æquitate, & justitia, quartum ex voluntatis affectu, quintum denique absolute, atque realiter est im-

C possibile. Dicimus, e. g. puerum luctari non posse, neque canem vix natum objecta videre posse: sed alter quidem luctari poterit, ubi adoleverit, alter vero videre post aliquot dies. Secundo Urbs in montis vertice posita celari non posse dicitur, quod et plurimum verum est: hoc tamen omnino, & absolute non est impossibile: quoniam latere potest post montem alium adhuc altiorem. Tertio, dicuntur pronubi jejunare non posse, donec Sponsus cum illis est: hoc est, id neque justum esse, neque decere. Quarto dicitur in Evangelio Jesus Christus non potuisse multa in Nazareth operari miracula propter Civium incredulitatem [7]: hoc est, noluisse illis potestatem suam probare, in quam satis fidei non habebant. Denique omnino fieri non potest, ut totum sit parte sua majus, &

D Deus sit injustus.

Eo in loco, de quo agimus, recentiores complures [8] credebant, S. Paulum innuere velle gravissimam eam difficultatem, quæ occurrit, ut sceleris veniam recipiat, qui in gravissima crimina proruerunt, atque præsertim fidem abdicarunt: quam sententiam confirmant veteris Ecclesiæ consuetudine, pœnitentiæ aditum prohibentis illis, qui in tria ceciderint capitalia flagitia, adulterium, homicidium, & idololatriam: non quod crederent hæc omnino remitti non posse: sed illis satis erat privatis precibus Deo commendare eos, qui hac labe fuissent infecti; ceterum vero Divinæ misericordiæ eos relinquebant. Testatur etiam Tertullianus de Pœnit. semel ad pœnitentiam eos recipi consuevisse, qui in alia etiam a tribus memoratis scelera cecidissent: *collocavit Deus in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat sed jam semel, quia jam secundo, sed amplius numquam, quia proxime frustra. Nonne & hoc semel satis est?* S. Ambrosius [9] hoc ipsum testatum reliquit: semel tantum, ait ille, gravioribus peccatis venia conceditur, ne excellens adeo medicina contemnatur, ubi nimis fuerit vulgaris. *Sicut unum baptisma, ita una*

---

1 Luc. 10. 17. 2 Vide Riber. Est. Menoch. Laveson.
3 Riber. Grot. Jac. Capell. 4 *Καὶ τοῦτο ποιήσομεν*. Alii plures: Τοῦτο ποιήσωμεν: Ita Alex. Alii Erasm. Edit. 1. alii apud Mill. hic. 5 Chrysostom. Theodoret. Ita Theophylact. Oecum. Ita & Ambros. lib. 2. de pœnit. cap. 2. August. exposit. inchoata in Epist. ad Roman. Damascen. lib. 4. de fide, cap. 10. Hieronym. lib. 2. contra Jovin. Haimo. Sedul. Primas. alii plures.
6 Lombard. & Hugo Victor. quæst. 61. in hanc Epistolam. 7 Matth. 13. 58.
8 Lyran. Zeger. Rib. Erasm. Grot. hic, Cene projet d'une nouvelle Version, p. 503. 504.
9 Ambros. lib. 2. de Pœnitentia, cap. 10. num. 95. & de pœnitent. lib. 2 cap. 11. num. 104. *Quæ pœnitentia, si semel fuerit usurpata, nec vite celebrata, nec prioris fructum obtinet, & aufert usum posterioris.*

non pœnitentia, quæ tamen publice agitur: unum quotidianæ non debes pœnitere peccati. A

Attamen de hac severitate non nihil sæpe remissum fuit primis etiam illis temporibus, præsertim vero in Occidente, & in Ecclesia Romana: quæ indulgentia licet minime arriserit Novato, Novatiano, & Tertulliano: plures tamen ejus articuli a Patribus Nicæni Concilii probati fuerunt, immo etiam adoptati. Verum hic locus non est, ut fusius de hac disciplina verba faciamus, & satis est ostendisse secundum Ecclesiæ mentem, atque plurimorum eruditorum Interpretum sententiam, hoc in loco impossibilia nomine intelligi posse, quod est perdifficile; & quamquam nullum est peccatum omnino irremissibile: non deesse aliqua tamen, quæ Christianæ Religionis perfectioni, & spiritui adversantur, adeo ut visa fuerit Ecclesia omnem B abjicere spem de eorum pœnitentia, qui per nequitiam, vel imbecillitatem in ea cecidissent, eaque semper dubitaverit de eorum sinceritate, qui post tale facinus ad se redissent.

Semel illuminati.] Baptismus olim dicebatur illuminatio, vel Sacramentum illuminationis: seu innuere vellent, in hoc Sacramento nos intrinsecus illuminari, seu alluderent ad ea, quæ ad aquas fontis Siloe acciderunt, ubi cæcus a nativitate oculorum aciem obtinuit [2], vel denique vellent designare invisibilem Sancti Spiritus ignem, de quo Joannes Baptista loquebatur, dicens, Luc. 3. 16. nos a Salvatore in igne, & Spiritu Sancto esse baptizandos. S. Petrus Apostolus in 1. Ep. 2. 9. ait, nos per baptismum de tenebris in lucem adduci, & S. Paulus infra cap. 10. 32. hac C eadem utitur loquutione, *illuminatos* appellans, quos baptismate ablutos indigitat: eaque est communis Patrum, & Catholicorum Interpretum explicatio [3].

Sed recentiores quidam [4] hoc intelligunt de iis documentis, quibus fideles ante baptismum imbuebantur, & de illis, quibus in Ecclesia imbuimur. Qui semel imbuti fuerunt Jesu Christi doctrina, & qui ab eadem per apostasiam discesserunt, vel omnino non possunt, vel difficillime possunt veniam consequi suæ infidelitatis. Putat Glassius, *semel* hoc in loco significare perfecte: & Owenus credit, nomen illuminationis non nisi post alterum, vel etiam tertium Jesu Christi sæculum usurpatum fuisse ad baptisma indigitandum. Sed si Patrum consensus post secundum, aut tertium Ecclesiæ sæculum non sufficit ad statuendam significa- D tionem ejus vocis, qua hoc in loco Apostolus utitur, nescio, quænam auctoritas sequi possit, ut in Scripturarum explicatione nos in aliquem sensum debeat impellere, præsertim cum in toto hoc loco nihil inveniatur, quod huic sententiæ non perfecte respondeat.

Gustaverunt etiam donum Dei.] Hoc aliis, aliisque modis explicatur, sed omnes explicationes ad eamdem ferme redeunt [5]: *donum Dei* significare potest vel Spiritus Sancti dona, vel gratiam justificantem, vel interiorem pacem, vel fidei gratiam, vel charitatem, vel Sanctam Eucharistiam [6]. Ego quidem eam præfero explicationem, quæ hoc de supernaturalibus, atque exterioribus Spiritus Sancti donis interpretatur, quæ tunc passim in Confirmationis Sacramen- E to deferebantur.

Et participes facti sunt Spiritus Sancti.] Hoc intelligitur vel de miraculosis, atque exterioribus Spiritus Sancti donis, de quibus sermo jam fuit; vel de gratia interiori, & justificante; de lumine, atque suavitate spirituali, quam in corda nostra Deus effundit, & per quam Deum, & quidquid illi placet, cognoscimus, atque diligimus: *inspiratio flagrantissima, & luminosissima charitatis*, quemadmodum eam S. Augustinus appellat [7]; vel, *inspiratio dilectionis, ut cognita Sancto amore faciamus*; quemadmodum idem S. Pater loquitur [8].

℣. 5. Gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum.] Evangelii doctrinam [9], monita Apostolorum, & Ministrorum Dei: verbo, participes fuerunt promissionum, & Sancti fœderis a Jesu Christo instituti. In Scripturis *bonum verbum* idem est, ac *verba consolatoria* [10], vel status melioris promissio. *Suscitabo verbum bonum* [11].

Virtutes sæculi venturi.] Magnalia futuri sæculi [12], beatitudinis æternitatem [13], Regnum Cœlorum, gloriæ perfruitionem. Prægustaverunt ineffabilem hanc felicitatem in interiori lætitia, qua in baptismo cumulati fuerunt, vel in iis simpliciter, quæ illis fuerunt in Evangelio promissa. Alii [14] hoc intelligunt de dono miraculorum, quod effulgebat in Ecclesia, & quod fidelibus per manuum impositionem conferebatur. Ecclesia dicitur *futurum sæculum*, Regnum Cœlorum, Regnum Messiæ, novus orbis: quæ loquendi ratio in Sacris Bibliis vulgo communis est; ubi tempus Novi Testamenti dicitur sæculum Novum, & *novissimi dies*, vel *novissimum tempus*. Hæc explicatio satis apta videtur.

℣. 6. Et prolapsi sunt.] In apostasiam, infidelitatem [15], enormia scelera, veluti homicidium, idololatriam, adulterium; idque scientes, atque volentes, data opera, atque deliberata voluntate. Qui ceciderint in obdurationem, atque impœnitentiam, fieri fere non potest, vel difficillimum est, per pœnitentiam resipiscere: *rursus renovari ad pœnitentiam*. In ipsis obices inveniuntur fere insuperabiles eorum conversioni, licet pressius loquendo nihil sit, quod omnino facere nequeat Deus, qui obduratissima licet corda potest convertere [16]; cum in peccatore etiam numquam eo usque occalluerit obduratio, ut Deus gratia sua eamdem flectere minime possit. *Gratia, qua occulte humanis cordibus Divina largitate tribuitur, a nullo corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis durities primitus auferatur* [17].

Patres, & Interpretes, qui hæc verba: *rursus renovari ad pœnitentiam*, intelligunt de secundo baptismo, qui priori similis sit, nomen illud *impossibile* ℣. 4. ad litteræ apicem explicant. Si semel cecidimus in infidelitatem, vel in ea peccata, quæ S. Joannes [18] *peccata ad mortem appellat*, nobis sperandum non est, futurum ut per baptismi Sacramentum mundemur; reliqua tantum est pœnitentia, quam Patres [19] alteram post naufragium tabulam vocant.

Rursus crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei.] Sperare non debent, se ad alterum baptismum posse confugere, neque futurum, ut Jesus Christus iterum de Cœlo descendat, mortem pro illis subiturus, & resurrecturus. Quemadmodum enim semel tantum passus est, mortuus est, & resurrexit, ita & semel cum illo mori possumus, Mundum, & Dæmonem abdicantes, semel tantum cum ipso in aquis baptismatis sepeliri possumus, & semel resurgere ex salutari hoc lavacro emergentes. Velle alterum baptismum recipere, idem est quodammodo, ac velle iterum Jesum Christum morti Crucis, & passionis opprobrio rursus objicere. Ita Apostolus ad Rom. 10. 6. dicit; quærere, quis in Cœlum ascendere poterit? hoc

1 Clem. Alex. Pædagogi l. 1. Nazianz. orat. de sanctis luminib. &c. Syr. hic, & ad Heb. 10. 7. Theodoret.
2 Joann. 9. 7. & sequent.
3 Est. Ten. Riber. alii.
4 Owen. Grot. Jun. Pare. Piscar. Calv. Gemar. &c.
5 Chrysostom. Theophylact. Oecumen. Rib. Tena, alii.
6 Haimo. Primas. Est.
7 August. de gratia Christi, contra Pelag. cap. 35. num. 38.
8 August. lib. 2. de peccat. meritis, lib. 2. cap. 19.
9 Theophylact.
10 Zachar. 1. 13.
11 Jerem. 29. 10. & 33. 14.
12 Δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος.
13 Est. Menoch. Ribera, Jac. Capell.
14 Chrysostom. Theophylact. Pasc. Hamm. Owen.
15 Est. Menoch. Grot. Bez. Gemar. Owen. Hammond. Vatabl. alii.
16 August. de grat. & liber. arbitr. cap. 22.
17 Aug. de prædestin. SS. cap. 8.
18 1. Joann. 5. 16.
19 Hieronym. ad Demetriad. Concil. Trid. sess. 6. c. 14. &c.

esse Jesum Christum deducere; & idem, ac si quis ambigeret, utrum Jesus Christus jam descendisset; cuperetque, ut ille iterum descenderet ad suæ incarnationis veritatem probandam. Hoc in loco Christi fidelis, qui baptismi sanctitatem coinquinat, vult quodammodo, ut Jesus Christus rursus veniat, Sanguinem suum effusurus de Cruce, ut peccatur alterius baptismi particeps esse possit; ita Patres complures locum hunc explicuerunt [1].

Qui vero credunt, Apostolum hic loqui solum de difficultate, quæ adest, ut qui post baptismum in scelus ceciderunt, iterum justificationis gratiam recipiant per pœnitentiam [2], hæc verba: *rursus crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei*, explicant de injuria, quam homines hujusmodi sceleribus suis inferunt Domino, qui Cruci ejus insultare videntur, & conculcare meritum Sanguinis ejus, fœdus illius abrogantes, & deserentes Evangelium, atque veritates, quas ibi didicerant; quasi taciti innuere vellent, sibi impositum fuisse, & ipsum Jesum Christum esse mendacem. Vel nova illi præbent mortis subeundæ, & Sanguinis effundendi argumenta, criminibus suis inutile efficientes, quidquid ille fecit, & pertulit [3]: denique se se quodammodo consociant illis, qui Jesum Christum crucifixerunt, eique in Cruce insultarunt, eumdem lacessentes, & milere ab eodem deficientes. At mihi arridet potius Sancti Chrysostomi, Theodoreti, aliorumque Patrum explicatio, quam superiori versiculo retulimus.

℣. 7. Terra enim venientem super se bibens imbrem.] Fert eos fructus, qui expectantur, & *accipit benedictionem a Deo*. Homines illi amplam, prorsus Divinam, atque insuetam tribuunt benedictionem; vel Deus ipse illi recentem priori copiosiorem benedictionem impertit, & illius auget fertilitatem. Quod non assolet semper in materialibus agris, ubi anni unius ubertatem subsequentis uberior fertilitas non excipit; in morali statu adimpletur, ubi Deus eam fidelitatem, qua prioribus gratiis usi fuimus, aliis uberioribus remuneratur [4].

℣. 8. Proferens autem spinas.] Non secus ac Agricola odit arva ingrata, & sterilia, quæ laboribus suis fructum non referunt, illa derelinquit, vel illis ignem admovet, ut pravæ herbæ comburantur, & si fieri potest, cineres ipsi prosint, ut facilius agri afferant fructus. Liquet in sterilibus agris nonnumquam aliquot annos spinas, & mala arbusta relinqui, ut illis deinde combustis, pravarum etiam plantarum cineres arvis fœcunditatem impertiant, quæ aliquot annos [5] vigeat, donec rursus effœta, & exhausta iterum adurantur. Virgilius l. 1. Georg.

Sæpe etiam steriles incendere profuit agros,
Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis.

Eamdem hanc consuetudinem Plinius commendat [6], ad quam S. Paulus hoc alludit in loco.

In morali vero sensu, anima quæ cœlestibus gratiis irrigata, Dei verbo innutrita, Spiritus Sancti donis saginata, vel nullos fructus adfert, vel malos, Deo invisa est, eique divina imminet maledictio, ac tandem si nihil proferens in sterilitate sua perstiterit, ignis æternis flammis addicitur.

℣. 9. Confidimus de vobis meliora.] Ne putetis, me ad vos transferre velle ea, quæ nuper dixi, spero Deum in vobis perfecturum esse opus, quod incœpit, atque vos dignos futuros, ut gratiam suam vobis elargiri perseveret propter fidelitatem vestram, qua bonorum operum fructus, quos ille præstolatur, affertis. Quæ scribo, a me profecta sunt ex amore, atque timore, ne pietas vestra defervescat, & ne ex eo statu decidatis, in quo vos Deus ipse constituit.

℣. 10. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.] Et eorum, quæ olim tacite fecistis. Quandoquidem dignatus est vos eligere ex tot aliorum numero, quos evocaret ad fidem, sua gratia præveniret, in aquis baptismi justificaret, & quibus Spiritus sui primitias conferret; quandoquidem recepistis verbum Evangelii sui, & hactenus exercuistis opera justitiæ; fieri minime potest, ut Deus vos deserat, nisi primum deseratur a vobis [7]: neque verisimile est, ut vos illum relinquatis, cum toties fidem, & amorem vestrum illi probaveritis. Hæc est meræ probabilitatis argumentatio: justi enim gratia excidere possunt; & si in infidelitatem, atque scelera deciderint, obliviscetur Deus eorum omnium, quæ ante recte fuerint operati. *Si averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*, Ezech. 17. 1. 21. 24.

Ut obliviscatur vestri, & dilectionis.] Græcus [8]: *ne obliviscatur bona opera vestra, & laborem charitatis vestræ*. Sed vetustissimi, iique optimi MSS. Græci [9], Syrus, atque Æthiops Vulgatæ similes sunt, neque legunt *laborem*, quæ vox plane huc migravit ex prima ad Thessalonicenses Epistola cap. 1. ℣. 3. Charitas, quam exercuistis, & exercetis adhuc erga Sanctos Palæstinæ fratres vestros, me in recta opinione, firmaque spe confirmant, futurum, ut vobis Deus perseverantiæ gratiam largiatur; dicit enim in Evangelio Matth. 13. 12. *habenti dabitur*.

℣. 11. Eamdem ostentare solicitudinem ad expletionem spei.] Cavete, ne pietas vestra in bonorum operum, præsertim vero in charitatis exercitatione, tepescat: instaurate zelum vestrum, atque fervorem, ut Deus vestram, nostramque adimpleat spem, & possitis aliquando eam assequi coronam, quam præstolamini [10]. Vel potius, ut ita viventes in jugi bonorum operum exercitatione vestra spes magis, magisque, atque solidior in dies confirmetur [11].

℣. 12. Ut non segnes efficiamini, verum imitatores.] Ne sitis inertes, ac tardi sine zelo, atque sine fervore, in justitia, & charitate exercenda. Ac semper ob oculos vestros Veteres Patriarchæ, omnesque Sancti Viri versentur, *qui fide, & patientia hæreditabunt promissiones*. Patriarchæ Abraham, Isaac, & Jacob, nequaquam hæredes fuerunt temporalium promissionum, neque terræ promissæ possessionem adierunt; ipsi etiam Moyses, & Aaron illuc ne pedem quidem intulerunt, qui tamen fructu spei suæ caruisse dici minime possunt; namque in vera viventium terra, in beata Æternitate id multo excellentius nacti sunt, quod in eorum gratiam hac in vita non fuit adimpletum. Nulla ab ipsis vera bona ducebantur, neque veram illi patriam suam habebant, nisi quam eminus salutabant, & quæ illis deesse minime poterat, in Dei timore, atque dilectione viventibus [12].

℣. 13. Abrahæ namque promittens Deus.] Arrepta occasione eorum, quæ Patriarchis fuere promissa, & quibus illis in hoc Mundo perfrui non contigit; Apostolus hic ostendit earumdem promissionum fundamentum, atque certitudinem, ne Hebræi, ad quos hoc litterarum dabat, spem abjicerent futurum, ut adimplerentur ea, quæ sibi Dominus pollicebatur; licet

1 Vide Chrysostom. Theophylact. Theodoret. August. Epiphan. Athanas. Ambros. alios.
2 Grot. Hammon. Owen.
3 Est. Menoch. alii.
4 Augustin. de gratia Christi contra Pelag. cap. 22. num. 24. & alibi.
5 Pallad. de Re rust. l. 1. tit. 6. *Loca sterilia sylvis tecta esse patiaris, quia hæc beneficio levantur incendii. Sed sic incensa distingues, ne nisi incensum agrum post quinquennium revocaris &c.*
6 Plin. l. 18. cap. 25. *Sunt qui accendunt in agro, magno Virgilii præconio .... ut herbarum semen exuratur, & ita amplius fructificent.*
7 Concil. Trident. sess. 6. cap. 11.
8 Ἐπιλαθέσθαι τοῦ ἔργου ὑμῶν, καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης ἧς ἐνεδείξασθε, &c.
9 Non legunt τοῦ κόπου. Alexand. Steph. 1. Claromontan. & S. German. G. L. &c.
10 Vide Est. Menoch. Tirin. alios.
11 Πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος.
12 Hebr. 11. 13. *Defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes.*

cet hoc fieri minime posse videretur in hac vita, crucibus, atque periculis circum undique confita. Promissiones Abrahæ ad vos tamquam legitimos illius heredes pertinent. Abraham illarum in hoc Mundo complementum non vidit; igitur in altera remunerationem recepit. Vobis ergo dubitandum non est, quo minus juxta ejus exemplum in altera vita perfectum promissionis ejus complementum videatis; adstat quippe Dei fides, & jusjurandum [1].

QUONIAM NEMINEM HABUIT, PER QUEM JURARET MAJOREM.] Numquam jusjurandum concipitur per ea, quæ juranti sunt inferiora. Nostrum jusjurandum actus est Religionis, quo Deum testem vocamus eorum, quæ pollicemur, atque ultro nosmet illius ultioni submittimus, nisi fidem præstiterimus. Hoc in sensu, & vere jusjurandum minime convenit Deo. Omnia illius verba, atque promissiones totidem sunt juramenta, quæ necessario effectus subsequitur [2]. Cum nullum adsitens super illum, atque ipse neque falli, neque fallere omnino possit; non potest alium seipso majorem testem proferre, neque homo expetere debet, ut ille veritatis, atque fidelitatis suæ ulteriora pignora deferat. Docet tamen Scriptura, ipsum jure jurando promisisse futurum, ut benediceret, atque tueretur Abraham, atque frequentem posteritatem tribueret [3]; ipsum tamen per se ipsum jurasse, cum neminem haberet, per quem juraret se ipso majorem [4]. Hoc igitur jusjurandum esset quoddam veluti pignus ex abundanti, quod tribuit Deus veris heredibus Abraham, se certissime in illis adimpleturum, quod eorum parenti recepit.

℣. 15. LONGANIMITER FERENS EST ADEPTUS REPROMISSIONEM.] Imitamini patientiam, atque firmam ipsam Abrahæ, qui licet nulla adesset veritatis species, credidit tamen, & vidit promissionum Domini effectus. JESUS CHRISTUS in hoc Mondo suum patrocinium, suamque gratiam vobis promisit inter persecutiones, atque passiones; in altera autem vita vobis æternam spopondit felicitatem. Ne dubitare igitur de fide promissionum ejus, & sperare, futurum ut adimpleantur. Considerate Abraham senectute confectum, sterilemque Saram, qui nihilominus facti sunt plurimarum, earumque frequentissimarum Nationum origo. Omnipotenti Deo nihil est arduum. Abraham e vita decessit, sperans futurum, ut certo posteri sui possiderent terram, quam sibi promiserat Deus; se vero fidei suæ mercede perfruiturum. Neque illum spes sua fefellit; vidit enim in spiritu JESUM CHRISTUM, atque inde gaudio fuit cumulatus: *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit & gavisus est*, Joan. 8. 56.

℣. 16. OMNIS CONTROVERSIÆ EORUM FINIS EST JURAMENTUM.] Juramentum quamtumvis sacrum sit, & sanctum, usurpari minime debet, nisi cum necessitas urget, atque ad tollendas graviores quæstiones, quæ inter homines oboriuntur. Plures sunt casus, in quibus juramentum unica via est litium, & quæstionum dirimendarum; e. g. vel cum rationes, vel testes, ad aliquid probandum non suppetunt, tunc ad jusjurandum confugitur [5]. In promissionibus etiam, & officiis, ad quæ aliquis alteri se se obstringit, nihil inter homines sanctius, & tutius est jure jurando. Ægyptii juramentum vocabant fidem promissionum, qua homines inter se nullam majorem habebant [6].

℣. 17. IN QUO [7] ABUNDANTIUS VOLENS DEUS OSTENDERE.] Quoniam jusjurandum certissimum est pignus, quod promissiones habere valeant, Deus ex mera clementia suæ indulgentia dignatus est jurare, atque confirmare ea, quæ promiserat Abrahæ. Verum minus pro illo Patriarcha, cujus fides tantopere in Scripturis celebratur, quam pro nobis tradidit illi Deus hoc pignus immutabilis suæ voluntatis: *immobilitatem consilii sui*. Quædam sunt promissiones mere conditionales; sed ea, quas Deus fecit Abrahæ, prorsus erant absolutæ: hoc est irrevocabile decretum, omnes videlicet fidei, & obedientiæ Abraham imitatores, heredes esse promissionum ejus, & beatitudinis, quæ illis in altera vita promittitur.

℣. 18. UT PER DUAS RES IMMOBILES.] Scilicet promissionem, & Dei ipsius juramentum [8], *Fortissimum solatium habeamus*, & certam spem, futurum ut promissis bonis perfruamur; *qui confugimus ad tenendam propositam spem*. Nos Christi fideles, & veri filii Abrahæ, qui strenue hujus vitæ bona, & fallaces Mundi promissiones contempsimus, ut omnem spem nostram in cœlestium bonorum perfruitione collocaremus. Liquet ex Actis 4. 32. primos Jerosolymæ fideles omnia bona sua in commune adduxisse, atque abjecisse dominium eorum omnium, quæ possidebant, ut ferrent illa ad pedes Apostolorum: quod brevi illos ad summam redegit inopiam. Ad hos præcipue Epistolam hanc scribit Apostolus, eosque his laudibus cumulat. Ex Apostolo eodem [9] intelligimus, illos cum gaudio passos fuisse bonorum suorum jacturam, quæ Judæi infideles illis violenter rapuerant, tunc fortassis cum sæviit ea persecutio, quæ Sancti Stephani mortem est subsequuta.

℣. 19. QUAM SICUT ANCHORAM HABEMUS ANIMÆ.] Non secus ac anchora Navem adversus fluctuum vim, atque tempestatis furorem confirmat, ita spes, quam habemus in auxilio Dei, & promissionibus ejus, nos confirmat inter eas tentationes, ærumnas, persecutiones, quibus jugiter hac in vita sumus obnoxii.

INCEDENTEM USQUE AD INTERIORA VELAMINIS.] Spes, quam in Dei promissionibus nobis est tamquam suavissimi odoris thymiama, quod a Summo Sacerdote usque in Sanctuarium, & ultra pretiosum illud velum, quod obtenditur ante januam Sancti Sanctorum, & quod Sanctum dividit a Sanctuario, defertur. Redit Apostolus ad JESU CHRISTI Sacerdotium, de quo verba facere desierat ad finem capitis 5. ℣.℣. 10. 11. 12. & seq. Quemadmodum Sanctuarium exhibebat Cœlum, ita inferius ait [10], spem usque in Sanctuarium pervadentem spem esse Christifidelium, quæ usque ad Cœlum assurgit, & quæ circa æterna, & invisibilia bona versatur [11].

℣. 20. UBI PRÆCURSOR PRO NOBIS INTROIVIT JESUS.] JESUS minime ingressus est in Jerosolymitani Templi Sanctuarium, cum non esset ex progenie Aaron, cui uni illud patebat; sed ingressus est in Sanctuarium Cœli, & illius nobis aditum reseravit, ita ut illud jam per spem nostram, & in persona Salvatoris præcursoris, & Summi Pontificis nostri possideamus. Cum boni alicujus possessionem adimus per procuratorem, certissima jam adest spes, nos eodem bono perfruituros; immo illud jure tamquam nostrum ducere possumus. JESUS CHRISTUS ascendit ad Cœlum, ejusque nostro quodammodo nomine possessionem accepit. Illuc præcessit, ut ipse ait [12], locum nobis præparaturus, atque illuc introivit, quemadmodum Summus Sacerdos Sanctuarium ingrediebatur, ut multitudini veniam obtineret [13]. Nullus est præcursor, quem non aliquis subsequatur, & ut plurimum breve intercedit temporis spatium inter præcursoris, & subsequentis adventum [14]. Dei promissiones in nobis non multo post adventum JESU CHRISTI in Cœlum adimplebuntur.

1 Vide Riber. Est. Menoch. Jun. Theodoret. 2 Philo de allegor. Legis pag. 98. 99.
3 Genes. 22. 16. 17. *Per memetipsum juravi dicit Dominus: Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas . . . . & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ &c.*
4 Philo de Allegor. 5 Vide Exod. 20. 9. 10. 11. Philo. de Allegor. Legis pag. 89.
6 Diodor. Sicul. lib. 1. 7 Ἐν ᾧ περισσότερον βουλόμενος: *Quapropter volens Deus &c.* Ita Syr. Est. Ribet. Menoch. Theophylact. 8 Est. Ribet. Grot. Menoch. alii.
9 Hebr. 10. 34. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam.* 10 Heb. 9. 12. &c. 11 Theophylact. hic. Vide & Theodoret.
12 Joan. 14. 3. 13 Est. Grot. Menoch. Tirin. Vide Levit. 16. 3....26. 14 Theophylact.

CAPUT VII.

Prærogativa Sacerdotii Melchisedech, & multo magis Pontificatus JESU CHRISTI præ Aaronis Sacerdotio. Abraham, & Levi benedictionem acceperunt a Melchisedech, eique decimas persolverunt. Aaronici Sacerdotii immutatio, & abrogatio. Discrimen inter Sacerdotium Melchisedech, & Aaronis. Qualitates JESU CHRISTI æterni Pontificis, ejusque Sacerdotii præstantia.

1. Hic enim Melchisedech, rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obviavit A-
brahæ regresso a cæde regum, & benedixit ei: 2 Cui & decimas om-
nium divisit Abraham: primum quidem, qui interpretatur rex justitiæ:
deinde autem & rex Salem, quod est, rex pacis: 3 Sine patre, sine matre, si-
ne genealogia: neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatum autem
Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. 4 Intuemini autem, quantus sit hic,
cui decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. 5 Et quidem de filiis Le-
vi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum
legem, id est, a fratribus suis: quamquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ.
6 Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham;
& hunc, qui habebat repromissiones, benedixit. 7 Sine ulla autem contradictio-
ne, quod minus est a meliore benedicitur. 8 Et hic quidem decimas morientes
homines accipiunt: ibi autem contestatur, quia vivit. 9 Et (ut ita dictum sit) per
Abraham, & Levi, qui decimas accepit, decimatus est: 10 Adhuc enim in lum-
bis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech. 11 Si ergo consummatio per
sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc ne-
cessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non
secundum ordinem Aaron dici? 12 Translato enim sacerdotio, necesse est, ut &
legis translatio fiat. 13 In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua
nullus altari præsto fuit. 14 Manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Domi-
nus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est; 15 Et am-
plius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedech exsurgat alius
sacerdos, 16 Qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum
virtutem vitæ insolubilis. 17 Contestatur enim: Quoniam tu es sacerdos in æter-
num, secundum ordinem Melchisedech. 18 Reprobatio quidem fit præcedentis
mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: 19 Nihil enim ad perfectum
adduxit lex, introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. 20
Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti
sunt: 21 Hic autem cum jurejurando, per eum, qui dixit ad illum: Juravit Do-
minus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum:) 22 In tantum me-
lioris testamenti sponsor factus est Jesus. 23 Et alii quidem plures facti sunt sa-
cerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. 24 Hic autem eo quod
maneat in æternum, sempiternum habeat sacerdotium. 25 Unde & salvare in per-
petuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellan-
dum pro nobis. 26 Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, inno-
cens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus; 27 Qui
non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis
hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. 28
Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes; sermo autem jurisju-
randi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

℣. 1. Hic enim Melchisedech.] Cum de Melchisedech fusius sermonem instituerimus in peculiari Dissertatione, huic Epistolæ præposita, erimus in Commentariis breviores. Aperit hoc in loco Apostolus Hebræis mysteria, sublimesque veritates, quæ sub figura Melchisedech delitescunt. Ostendit JESU CHRISTI æternam generationem, Divinitatem, Sacerdotium, digni-

gnitatem Regis justitiæ, Principis pacis, & Filii Dei. Hæ sunt sublimes veritates, solida esca, de qua loquutus est cap. 5. ℣℣. 12. 13. 14. & cap. 6. ℣℣. 1. 2. Hi sunt magnæ difficultates, atque inexplicabiles sermones, de quibus supra verba fecit cap. 5. ℣. 11. In dubium vocarunt nonnulli [1], utrum *Salem* ubi Melchisedech imperitabat, eadem esset ac Jerusalem: sed eam sententiam explodimus in Genesim cap. 14. 19.

Melchisedech erat *Sacerdos Dei Summi* [2], Dei *Elion*: quod nomen in prophanis Auctoribus [3] invenitur ad innuendum Principem Deorum, magnum Deum Phœnicum, atque Pœnorum. Ego quidem reor, jusjurandum illud per *Anchialum*, quod in Martiali invenitur [4], & de quo adeo multa scripta fuerunt, non aliud esse, quam *Acchai Elion*, vivit Omnipotens. Melchisedech ea cognomine erat notus, qui in Chananitide, ac finibus ejus dominum verebantur, & cognoscebant. Eminebat ille inter cæteros pietate, justitia, & dignitate Regis Salem, atque Sacerdotis Altissimi. Reges olim, ut plurimum, erant Reges simul, & Sacerdotes, & Hebræicum nomen *Cohen* Principem, & Sacerdotem significat. Revertenti Abraho ex prælio, quo persequutus fuerat quatuor fœderatos Reges Sodomæ, atque Gomorrhæ victores, obvius occurrit Melchisedech, eum benedictionibus cumulavit, eique pro ipsoque, ac pro exercitu annonam obtulit [5].

℣. 2. Cui et decimas omnium divisit.] Consuetudo decandi Deo partem exuviarum ex hoste captarum vetustissima est, atque in prophanis æque ac in Scriptura deprehenditur. Moyses explicite ait in Genesi 14. 20. Abraham decimam prædæ partem Regi Melchisedech obtulisse contra Rabbinorum sententiam, qui a Melchisedech Abraho oblatam fuisse contendunt. Hic igitur Patriarcha in persona Melchisedech noverat quemdam characterem dignitatis, propter quem illo esset inferior, cui talis esse non poterat, nisi quatenus Sacerdoti Domini. Abraham utitur jure victoriæ, sibi vendicans quidquid ex fœderatorum suorum hostibus ceperat, atque de illis tamquam Dominus disponit prædæ partem, decimam Melchisedech offerens.

Interpretatur Rex justitiæ.] S. Paulus postquam historicum factum enarravit, ad figuratam, Propheticamque illius explicationem descendit. *Melchisedech* [6] secundum nominis ethymologiam *Regem justitiæ* significat, qui in re figura est Jesu Christi veri justitiæ Regis [7]. *Dominus Justus noster*, atque suos omnis nostræ justitiæ, & sanctitatis: *factus est nobis sapientia a Deo, & justitia*, 1. Cor. 1. 30.

Rex Salem, quod est Rex pacis.] Melchisedech erat Rex Jerusalem, vel Salem. *Salem* pacem significat. Princeps iste exhibebat Jesum Christum Regem pacificum, Principem pacis [8], qui nos Deo Patri suo conciliat, Judaicum populum cum Gentili conjungit, qui nostra pax est, & consolatio [9].

℣. 3. Sine patre, sine matre, sine genealogia.] Melchisedech sine dubio homo & ipse erat, parentes suos habebat, & genus suum in terra: at Sacer Auctor Spiritu Sancto afflatus minime ait, cujus ille esset, quinam illius parentes essent, majoresque [10]: quod silentium mysterio minime caret. Innuere voluit, Jesum Christum, cujus ille symbolum erat, futurum ut in terris sine Patre quoad humanam naturam; sine Matre quoad naturam divinam; sine progenie, sine avis, ex quibus duxerit nativitatem, quemadmodum filius ex parentibus suis; & originem ejus prorsus esse divinam, Cœlestem, ineffabilem: *generationem ejus quis enarrabit?* Isai. 53. 8.

De veteribus quibusdam legimus, sine parentibus, ac sine majoribus fuisse: e. g. Seneca ep. 108. ait: Ancum Regem, Patre caruisse: *de Servii Matre dubitatur; Anci Patre nullus dicitur*, eo quod minime cognoscebatur. Titus Livius l. 4. c. 3. similiter ait, Servium natum esse ex *Corniculana*, quæ erat ancilla, & ex *Patre nullo*, hoc est ignoto. Et Horatius l. 1. Ser. Satyr. 6.

Ante potestatem Tulli, atque ignobile Regnum
Multos sæpe viros nullis majoribus ortos,
Et vixisse probos, magnis & honoribus auctos.

Hic autem longe aliter sentiendum est. Moyses reticens nomina parentum, Avorumque Melchisedech, nequaquam innuere voluit, illum obscuro loco natum fuisse, neque hoc fuit S. Pauli consilium, silentium Moysis celebrantis. Ut enim justa fieret ad Jesu Christi Personam explicatio, oportebat e contra, ut ex augusta atque sublimi origine, sed ignota hominibus, nativitatem duxisset.

Ad hæc Sacerdotium Melchisedech symbolum erat Pontificatus Jesu Christi, quatenus hæc erat prærogativa non adhærens nativitati, quale erat Aaronis Sacerdotium; sed quatenus uni illi delatum fuerat; & sicuti a parentibus in illum non migravit, ita ex illo ad filios non transiit. Ita Jesus Christus non ingreditur in Sacerdotium per successionem, neque dignitatis suæ relinquit hæredes filios secundum carnem. Sacerdotium ejus æternum est, neque desinit in persona illius; qui vero hæredes ejus habentur, vices illius tantummodo gerunt. Ipse est Sacerdos Sacerdotum, & qui ad sanctum Ministerium vocantur, eamquam tantum exercent partem illius potestatis, cujus plenitudo in ipso invenitur.

Neque initium dierum, neque finem vitæ habens.] Melchisedech, non secus ac homines reliqui, natus est, & denatus; sed Moyses neque nativitatis, neque mortis ejusdem tempus memoravit [11], ut in illius persona Jesu Christi imaginem nobis delinearet, qui secundum divinitatem suam, neque initium habet, neque finem, & cujus Sacerdotium ante omnia sæcula fuit, & in omnem æternitatem subsistet: *Manet Sacerdos in æternum*. Hoc in figura quidem de Melchisedech, in se autem de Jesu Christo est intelligendum [12].

℣. 4. Intuemini quantus sit hic.] Considerate, quantus fuerit Melchisedech, quandoquidem Abraham illi persolvit decimam prædæ partem, quam ex hoste retulerat. Quo majori in pretio, atque existimatione apud vos est Abraham, (& sane numquam satis æstimare, & colere potestis tantum virum, adeo acceptum Deo, & cui genus vestrum quidquid gloriæ, quidquid utilitatis consequutum est, omnino debet:) eo majori reverentia venerari oportet Melchisedech, quandoquidem illi ipse Abraham detulit decimam manubiarum partem, & hoc pacto se illo inferiorem confessus est, quemadmodum inferius ostendet Apostolus. Textus legit, ipsum [13] illi dedisse decimam partem eorum, quæ optima erant; sed intelligi simpliciter potest de parte decima exuviarum; ea enim vox, quæ id significat, quod melius, atque præstantius, usurpatur quoque ad id innuendum, quod post relatam victoriam Diis offerebatur [14].

℣. 5. Et quidam de filiis Levi sacerdotium

1 Hieronym. Epist. ad Evagrium, Tena, Jacob. Capell. alii. Vide ad Genes. 14. 18. 19.
2 Genes. 14. 18 כהן לאל עליון Græc. ἱερεὺς Θεοῦ τοῦ ὑψίστου.
3 Plaut. in Pænulo Siseona. 4 Martial. lib. 2. Epigr. 95.

Ecce negas, jurasque mihi per Templa Tonantis,
Non credo Jura, Verpe, per Anchialum

5 Vide Genes. 14. 18. 19. 20. Joseph. Antiqu. lib. 1. cap. 11. האל עליון
6 מלכי ... צדק Rex justitiæ. 7 Jerem. 23. 6.
8 Isai. 9 Princeps pacis, &c. 9 Ephes. 2. 14 Ipse enim est pax nostra.
10 Ita Syr. Arab. Est. Grot. Theophylact. Theodoret. Chrysostom. Epiphan.
11 Vide Est. Hror. Menoch. &c. 12 Vide Knatbull. hic.
13 Δεκάτην ἔδωκεν ἐκ τῶν ἀκροθινίων: Decimas dedit de præcipuis. 14 Hesychius. Ἀκροθίνια, ἀπαρχαί. Vide Hamm. hic. & Auctores ab eo citatos.

ACCIPIENTES.] Hoc est Hebræi Sacerdotes ex Tribu Levi & ex progenie Aaronis decimam partem recipiebant ab aliis Israelitis fratribus suis, licet omnes essent ex semine Abraham. Ita ut Tribus Levi, & familia Aaronis tamquam Ministri, & Sacerdotes Domini præ fratribus suis aliquid dignitatis obtineant, & eisdem excellant. At Melchisedech non ex Hebræis tantum, verum etiam ex eorum Patriarcha decimam recepit; non ex Levitis, sed ex Patre Sacerdotum, & Levitarum, qui tunc omnes in Abraham Patre suo continebantur. Hinc ergo abunde cognoscitis, quantum pere Sacerdotium Melchisedech, Aaronis, atque successorum ejus præstet Sacerdotio.

Operę pretium est hic adnotare, familiam Levi in tres præcipuas familias fuisse distributam, quarum capita fuere Gerson, Caath, & Merari. Hæ tres familiæ Domini ministerio erant dicatæ, sed familia Aaron, quæ ex Caath profecta erat, universa Sacerdotio erat devota. Levitæ a cœteris Israelitis decimas recipiebant, easque jure exigebant [1], quippe quibus non alia erat hæreditas in Israel; quam ob rem S. Paulus ait, Dominum illis præcepisse, ut ex populo decimas caperent: *mandatum habent decimas sumere a populo*; cum dicere debuisset, populum jussum fuisse Levitis decimas erogare. Hæc igitur Levitis mandata erat provincia, ut decimas has undequaque perciperent, & mox earum partem decimam ad Sacerdotes afferent. Primitiæ omnes ad Sacerdotes tantum, non autem ad Levitas spectabant [2], de quibus rebus fusius, ac diligentius sermonem instituere abs se censuit Apostolus, utpote qui apud Hebræos, qui hæc omnia callerent, verba faciebat.

℣. 6. CUJUS GENERATIO NON ANNUMERATUR IN EIS.] Melchisedech, de quo nuper verba fecimus, quin nullam haberet cum Levitarum Tribu, vel cum familia Aaronis rationem, recepit partem decimam ex Abraham, benedixit summum hunc Virum, *qui habebat repromissiones*, & ex cujus merito vos estis filii promissionum, & fœderis. ℣. 7. *Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur*; Abraham ergo minor erat Melchisedech. Loquor autem de ea benedictione, quæ cum auctoritate fit, de benedictione Sacerdotali, quæ ex officio a superiori in minorem confertur [3]: Liquet enim, Creaturam benedicere Creatori suo, subditum Principi, egenum eleemosynam sibi eroganti; sed non loquitur de hujusmodi benedictione isthic post Moysem Apostolus. Agnovit Abraham in Moyse gradum aliquem auctoritatis, & Sacerdotii sui superiorem, quandoquidem Abraham ipse erat Altissimi Sacerdos. Melchisedech fortasse senior erat, atque potentior Abraham, & Sacerdotii munere ubicumque terrarum perfungebatur, cum Abraham in familia sua tantum, & pro eadem offerret sacrificia.

℣. 8. ET HIC [4] QUIDEM DECIMAS MORIENTES HOMINES ACCIPIUNT.] Levitæ, & Sacerdotes nullum obtinent contra mortem privilegium, sed Melchisedech, cujus Sacerdotium illud exhibet Jesu Christi, habetur quasi adhuc viveret; quoniam mortis ejusdem non meminit Scriptura [5]. Quo ad personam, ipsum obiisse nemo ambigit, sed illum, cujus ipse typus erat, æternum esse cognoscimus: *ibi autem contestatur, quia vivit*. Non desunt, qui putent [6], S. Paulum isthic non de Melchisedech verba facere, sed de Jesu Christo, de quo in psalmo 109. 4. dictum est: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, & quemadmodum inferri minime potest, Aaronem vivere ex eo, quod dicitur Eleazar filius ejus vivere, & Sacerdos esse secundum ordinem Aaronis, ita inferri minime posse, Melchisedech vivere, quod Jesus Christus, cujus Melchisedech erat figura, est Sacerdos vivens, atque æternus secundum ordinem Melchisedech.

Cunæus, & qui tenent, locum hunc ad litteram de Melchisedech esse intelligendum, hinc rationem elicere putant, quæ sibi pro illius immortalitate probanda videtur invicta. Scriptura, inquiunt, hoc in loco filios Aaron & Melchisedech comparans, eosque distinguit, quod alter vivens est, alii mortales; non licet ergo ambigi de Melchisedech immortalitate. Respondent tamen, S. Paulum hoc in loco non aliud innuere voluisse, nisi Melchisedech in Genesi exhiberi tamquam neque initium habentem, neque finem ad realem æternitatem, & veram Jesu Christi immortalitatem innuendam; Melchisedech in figurato sensu, Jesum vero re ipsa, atque actu esse immortalem.

℣. 9. PER ABRAHAM . . . . ET LEVI DECIMATUS EST.] Levi, qui ab aliis Israelitis decimas recipiebat, ipse etiam easdem persolvit Melchisedech; minor igitur est hoc Summo Pontifice. At quomodo nam illam persolvit in persona Abrahæ Avi sui, quem quodammodo in semetipso continebat [7], quandoquidem Levi ex Jacob Nepote illius erat nasciturus [8]? Patris, Avique bona, & prærogativæ jure ad filios, nepotesque migrant, & spectant ad illos. Si ergo Abraham decimas persolvit Melchisedech, Levi etiam pronepos illius persolvisse censetur, & si Abraham sese inferiorem Melchisedech confessus est, Levi nullum dedecus cedit, si in eodem saltem sensu se se illo inferiorem cognoscat [9]. Cum hoc argumentum audaciusculum videri possit, S. Paulus illud iis verbis lenit, *ut ita dictum sit*; quasi innuat, sermonem hunc ad litteræ apicem intelligendum non esse.

℣. 10. ADHUC ENIM IN LUMBIS PATRIS ERAT.] Levi adhuc erat in Abraham veluti filius in Patre, & planta in semine, cum Abraham ad Melchisedech decimas attulit. Pluribus in locis Scripturarum animadverti potuit, Hebræus in lumbis generationis fontem statuere [10]. At enim numquid & ipse Jesus Christus non erat in lumbis Abrahæ, non secus ac Levi, quandoquidem & ipse ex semine Abraham originem ducit? Verum quidem est, Jesum Christum secundum naturam humanam ex Abraham natum: at ille non secundum humanitatem est Sacerdos æternus, atque superior Melchisedech; sed est per Divinitatem hypostatice cum humana natura conjunctam [11].

Ad hæc, quemadmodum decimæ, quas Abraham deferebat ad Melchisedech, innuebant, ipsum indigere summo liberatore & Medico ad vulnus illud curandum, quod Adæ peccatum universo humano generi inflixerat, Jesus Christus non in sensu in Abraham non erat [12]; quoniam cum originalis peccati vulnus non pertulisset, neque figuræ, neque realitatis hujus peccati particeps erat. Ex Abraham venit, sed longe aliter ac Levi cæterique hominum: in eo erat secundum carnem, non autem secundum concupiscentiam, quæ generationem aliorumque hominum nativitatem subsequitur: *Levi in lumbis fuit Abrahæ secundum concupiscentiam carnalem; Christus autem secundum substantiam corporalem*, ait S. Augustinus [13].

℣. 11. SI CONSUMMATIO PER SACERDOTIUM LEVITI-

1 Num. 18. 21. *Filiis Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio quo serviunt mihi in Tabernaculo fœderis*. 26. *Cum acceperitis a filiis Israel decimas, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ*. 2 Num. 18. 8. & seq. 3 Vide Est. Riber. Grot. &c.
4 Τότε οι ἐνθάδε, 5 Est. Riber. Men. Grot. Drus. Lud. de Dieu, alii. Ita & Patres.
6 Vide Ambrosiast. Heins. Jac. Capell. &c. 7 Vers. 4. *Adhuc enim in lumbis patris erat, quando decimatus est*. 8 Chrysost. Theodoret. Est. Men. alii. 9 Theophyl. Grot. Est.
10 Genes. 35. 11. *Reges de lumbis ejus egredientur*. 2. Par. 6. *Qui egredietur de lumbis tuis*. Psal. 37. 8. *Lumbi mei impleti sunt illusionibus*. Act. 2. 30. *De fructu lumbi ejus sedere, &c.*
11 Riber. Est. Gemur. 12 Aug. l. 10. de Genesi ad litt. c. 20. *Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertineat, illud in Abraha curari decimabatur, quod curabatur; non illud unde curabatur*.
13 Aug. loco citato, Hugo Victor. l. 2. de Sacram. c. 5. Lombard. l. 2. sent. dist. 3. Est. hic.

VITICUM ERAT.] Si Leviticum Sacerdotium perfectos homines potuisset efficere, quid alio opus erat Sacerdotio secundum ordinem Melchisedech? Quid opus erat, ut Messias in Mundum veniret, ut vetus Sacerdotium abrogaret, & recens inveheret? Apostolus per gradus descendit, ut Hebræis ostendat Novi Sacerdotii necessitatem, & antiquationem Veteris, ideoque etiam abrogationem Legis, quæ sine Sacerdotio vigere non potest. Hebræi mordicus nimium antiquis cæremoniis suis adhærebant; neque sibi persuadere poterant, Leviticum Sacerdotium, Legem, Circumcisionem esse abrogandas, & Jesum Christum venisse, ut hæc omnia perficeret, fœdus, novamque Legem, ac novum Sacerdotium Legi veteri, & Levitico Sacerdotio subrogans.

Non ait illis aperte, & repente legem nihil perficere, & non deducere mortales ad eum finem, ad quem illos destinat Deus; Sacerdotium Aaronis par non esse eluendis peccatis, animæ sordibus detergendis, atque nobis Deo reconciliandis. Hanc illis veritatem innuit tantummodo: *Si consummatio per Sacerdotium Leviticum erat, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem?* At vobis nuper ostendi, non deesse Sacerdotium aliud ab Aaronico, Sacerdotium æternum quod ante Abraham, & ante Legem erat, & quod æternum futurum est: Sacerdotium igitur Levi non sufficit, ut nos ad perfectionem adducat.

℣. 12. TRANSLATO ENIM SACERDOTIO.] Nulla Lex, nulla religio sine Sacerdotio, & sine cæremoniis vigere potest [1]: at Sacerdotium Aaronis immutandum est, abrogandum, transferendum: oportet igitur, ut Lex Moysis has easdem vices, & immutationes patiatur. Probavit superius, Sacerdotium Leviticum fuisse mutandum. Græcus, & Latinus ad litteram [2]: *Sacerdotium Aaron transferendum est*, quod nonnulli intelligunt de Sacerdotio ex Tribu Levi in Tribum Juda translato, ex qua Jesus Christus erat nasciturus; sed verbum *transferre*, sæpius pro *immutare* usurpatur: asserere igitur præstat, Sacerdotium Legis abrogatum fuisse, quam dicere simpliciter, in Tribum Juda fuisse translatum.

℣. 13. IN QUO ENIM HÆC DICUNTUR.] JESUS CHRISTUS, qui verus est Sacerdos æternus secundum ordinem Melchisedech, est e Tribu Juda, non Levi; igitur necessario in illius persona agnoscendum est Sacerdotium omnino recens, atque aliud a Levitico. Porro cum in Terris una tantum esse possit vera religio, unum verum Sacerdotium, hinc sequitur, Leviticum fuisse abrogandum, ut Sacerdotio JESU CHRISTI locum faceret.

℣. 14. MANIFESTUM EST ENIM, QUOD EX JUDA.] De hoc facto apud Judæos omnes constabat, atque apertissime liquet ex Genealogiis, quas S. S. Matthæus, & Lucas conscripserunt; quorum hic tradit genealogiam Mariæ Matris JESU [3]; ille vero eam S. Joseph Sanctissimæ Virginis Sponsi. Prophetæ apertissime prædixerant Messiam ex Juda proditurum [4], qua de re nihil JESU CHRISTO fuit umquam obtrectatum. Si ambiguum fuisset, utrum ex ea esset Tribu; nemo illum secutus fuisset, nemo Messiæ loco illum habuisset. At certissime constat, legale Sacerdotium nullatenus ad Tribum Juda spectasse: Psalmista ergo loquitur de alio Sacerdotio, quod Messias erat possessurus.

℣. 15. AMPLIUS ADHUC MANIFESTUM EST.] Translatio, vel immutatio, & abrogatio Mosaycæ Legis, & Levitici Sacerdotii [5] apertius adhuc videntur ex iis, quæ dicturus sum. Sacerdotium Aaronis constitutum est ℣. 16. *secundum Legem mandati carnalis* [6]; in Aarone quidem incœpit, & de Patre in filium usque ad Templi excidium permansit; at Sacerdotium JESU CHRISTI, de quo loquimur [7], statutum est secundum ordinem Melchisedech, atque sine ulla carnali successione, quod semper viguit, semperque vigebit ℣. 16. *secundum virtutem vitæ insolubilis*: hoc est, quoniam innititur æternitati, atque immortalitati Messiæ. Hoc igitur omnino differt ab Aaronis Sacerdotio. Leviticum & initium habuit, & finem habere potest; alterum vero neque initium habet, neque finem. Cum igitur incipiet JESUS CHRISTUS Sacerdotium suum exercere, tunc necessario Leviticum cessabit; quoniam ostendimus, unum dumtaxat esse debere Sacerdotium, quia una tantum esse debet religio. Ante Aaronem JESU CHRISTI Sacerdotium vigebat, viguit etiam ævo illius, sed non exercebatur ab illo, ad quem spectabat, quoniam nondum sese cum humana natura conjunxerat, & nonnisi multo post muneris sui possessionem aditurus erat. Sacerdotes, qui Omnipotenti legitime litarunt tum ante Legem, tum sub Lege; non aliud fuere, quam JESU CHRISTI Vicarii. Eorum Sacerdotium dignitas erat quodammodo, quam mutuati fuerant, ab ipsis aliena. Ad hanc quoque diem Sacrificuli, qui in Ecclesia incruentam offerunt hostiam, Summi Sacerdotis locum tenent, ejusque Sacerdotium exercent, vel potius hoc ille per manus eorum perfungitur.

℣. 16. NON SECUNDUM LEGEM MANDATI CARNALIS FACTUS EST.] Aaron quidem jussu Dei constitutus est Pontifex; sed Sacerdotii illius instituta, consecrationis ritus, atque illius cæremoniæ historia leguntur in Lege Moysis, quæ quodammodo carnalis est Lex, quatenus fere vacat sensibilibus cæremoniis, & corporalibus observantiis præcipiendis [8]: at JESUS CHRISTUS constitutus est ab æterno Pontifex in virtutem æternæ suæ generationis. Alii hoc explicant in sensu, quem sequenti somus superiori versiculo: Aaron Sacerdos *factus est secundum Legem mandati carnalis*, hoc est secundum ordinem successionis de Patre in Filium, ita ut illo hac vita defuncto, dignitas ejus ad hæredes esset transitura: cum JESUS CHRISTUS, quatenus immortalis, & æternus, neque hæredes habeat, neque in hac suprema dignitate successores. Novissima hæc explicatio priori magis ad Apostoli mentem videtur accedere.

℣. 18. REPROBATIO QUIDEM FIT PRÆCEDENTIS MANDATI [9].] Huc tendebat Apostolus in iis omnibus argumentis, quæ vidimus. Hebræis ostendere cupiebat, Sacerdotium, Legalesque cæremonias per Sacerdotium JESU CHRISTI, ejusque Evangelium fuisse abrogatas. Lex antiquata fuit non tamquam mala, aut perniciosa, sed tamquam inutilis, atque impar curandis vulneribus nostris, atque opem ferendo egestatibus nostris [10]. Sciebat illa quidem bonum præcipere, atque ostendere; verum nullas addebat vires, ut servaretur; quod mirum in modum perficit Lex gratiæ per Spiritum Sanctum inhabitantem in nobis [11].

NIHIL ENIM AD PERFECTUM ADDUXIT LEX.] Neminem illa per se, & virtute propria ad veram justitiam, perfectamque Sanctitatem adduxit; Hominem a peccatis nullum expiavit, neque internas illius sordes abstersit. Ne inferas tamen, sub Lege neminem salvum factum fuisse, neminem justificatum. Certissimum enim est, post Moysem in Israel complures fuisse justos, sanctosque viros: sed neque Lex una, neque

Lega-

1 Aug. l. 19. c. 11. contra Faust. *In nullum Religionis nomen seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

2 Μετατιθεμένης γὰρ τῆς ἱερωσύνης. Verbum μετατίθεσθαι, usurpatur sæpe pro *mutare*. Vide Grot. Jac. Capell. Heb. 11. 5. Galat. 1. 6. Jud. 4.

3 Vide in id Dissertationem nostram in S. Lucæ fronte.

4 Isai. 4. 2. 4. 9. 6. 7. 11. 1. Jerem. 23. 5. 31. 14. 15. Zach. 3. 8. 6. 12. &c.

5 Vat. Est. Men. Grot. Zeger.

6 Est. hic. Theodoret. Vide & Theophyl.

7 Est. Riber. alii, Theodoret. &c.

8 Chrysost. Tena, Riber. alii.

9 Græc. Ἀθέτησις μὲν γὰρ γίνεται: *Reprobatio enim certe fit*, &c. Sed veteres MSS. Latini omittunt *enim*. Clarom. & S. Germ. & Syr. Vide Est.

10 Theodoret. hic.

11 Theophyl. Vide Est. Riber. Tir.

Legale Sacerdotium, neque sensibilis caeremoniarum observantia, sed gratia Salvatoris, charitas, fides in illum, & spes in promissionibus ejus illos justos, atque Deo præbuit acceptos. Justi Veteris Testamenti ex cordis sui affectu omnes ad novum fœdus pertinebant [1]. Confer ea, quæ dicta sunt Rom. 8. 3. Galat. 3. ℣. ℣. 11. 21. 22.

INTRODUCTIO VERO MELIORIS SPEI.] Lex vetus, Leviticumque Sacerdotium circa sensibilia, & corporalia tantum versabantur; bona, quæ pollicebantur, sordes, quas detergebant, scelera, quæ expiabant, externa erant dumtaxat: sed novum fœdus, novumque Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, quod JESUS CHRISTUS exercuit, alia nobis bona pollicetur, æterna præmia proponit, gratiam, internamque justitiam confert, secretiora etiam peccata detergit, nosque ad Deum perducit [2]. Quidam [3] hoc ita explicant: Aaronis Sacerdotium, & Lex Moysis per se ad perfectionem minime perducebant, sed quædam erant species introductionis, ut spes meliores conciperentur. Promittebant, designabant, emitus ostendebant, quid sub veteri fœdere esset sperandum. Sed prior sensus aptior videtur.

℣. 20. ET QUANTUM EST NON SINE JURE JURANDO.] Quandoquidem scriptum est: *juravit Dominus, & non pœnitebit eum; Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: quæ alia insignis est circumstantia, qua JESU CHRISTI Sacerdotium e Levitico secernitur; quod videlicet hoc sine jure jurando est constitutum. Jus jurandum, quod adfuit in JESU CHRISTI Sacerdotio, ejus immutabilitatem, atque æternitatem significat; cum hujus circumstantiæ defectus in Pontificatu Aaronis, ejusdem quodammodo translationem, immutationem, abrogationem, atque inutilitatem indigitet. Hæc verba [4]: *& quantum est*, varie vertuntur: *Quanam hæc est prærogativa*, quod non sine jure jurando fuerit constitutum? vel spes nostra *eo melius* constituta est, *quo* JESUS CHRISTUS non sine juramento constitutus est Pontifex. Vel denique meliorem habemus spem *in eo quod* JESUS CHRISTUS sine juramento Pontifex fuit constitutus. Hæc circumstantia Sacerdotii ipsius præstantiam, ejusque æternitatem confirmat.

℣. 22. IN TANTUM MELIORIS TESTAMENTI SPONSOR.] Quidquid hactenus dictum est, plane probat, novum fœdus, cujus mediator est JESUS CHRISTUS, toto Cœlo præstantius esse, perfectius, atque diutius duraturum præ vetere illo, cujus Moyses Minister fuit. Græcus ad litteram [5]: *Jesus est sponsor*, fidejussor *novi fœderis*. Interposito Patris sui nomine æterna se nobis præmia collaturum recepit; quemadmodum Moyses in nomine Dei sese obstrinxerat, Hebræis Chananitidem traditurum, eosque suis benedictionibus cumulaturum. Sed JESUS CHRISTUS plura nobis præstitit, quam simplex fidejussor; internuncius ille fuit nostræ reconciliationis cum Deo Patre suo, pro peccatis nostris justitiæ illius satisfecit, atque morte sua nobis æterna bona comparavit. Lex Moysis per se non aliud efficiebat, quam mancipia, filios Agar [6]: novum autem fœdus efficit adoptivos filios Patris. Sacramenta, & cæremoniæ legis antiquæ majori erant in numero, difficiles quæ exercerentur; animo vero nihilum vel parum proderant, & simplices erant eorum figuræ, quæ in Evangelica Lege erant eventura.

Sacramenta vero, atque cæremoniæ novæ Legis minori sunt in numero, faciliores, quæ observentur, validissimos effectus proferunt, & re ipsa operantur, cum antiqua promitterent solum, vel præsignarent. *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit*, loquitur S. Augustinus [7]; qui alibi [8] etiam ait, post Dominicam resurrectionem nos adeptos esse beatam filiorum Dei libertatem, neque amplius obrutos esse signorum, Sacramentorumque frequentia: *sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina*.

℣. 23. ET ALII QUIDAM PLURES FACTI SUNT SACERDOTES:] cum enim mortales essent, semper esse non poterant. Aaron successores habuit filios suos Eleazarum, Phinees, & sic de aliis: sed JESUS CHRISTUS immortalis, atque æternus Sacerdotium possidet, nullum umquam finem habiturum, & quod non per successionem de Patre in Filium in omnem generationum seriem subsistit. *Sempiternum habet Sacerdotium*. Græcus ad litteram [9]: *Sacerdotium ad alium non migrans*.

℣. 25. UNDE ET SALVARE IN PERPETUUM POTEST [10].] JESUS CHRISTUS semper vivens potest etiam semper nostras preces recipere, easque Patri offerre. Hic Mediator est, atque Intercessor, qui non moritur, & cujus existimatio, atque potestas non imminuitur. Sacerdotium ejus, neque tempore circumscribitur, neque locis coarctatur. Æternum est, infinitum est. Æque nunc salvos facere potest in Cœlo permanens, quemadmodum tunc salvos faciebat, cum in terris versaretur. Pro nobis apud Patrem preces effundit, atque deprecatur, illi exhibens ea, quibus indigemus, eique testatus cupiditatem nostræ salutis, quam fovit, fovebitque semper, donec in hoc viatorum statu versabimur. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Græcus [11], & egregia quædam Latina Exemplaria legunt: *pro ipsis*.

Non constat inter Patres, atque Interpretes, quomodo JESUS CHRISTUS in Cœlo Patrem suum oret, atque pro nobis, quatenus æternus Sacerdos intercedat: non satis enim liquet, quomodo in una, eademque persona simul esse possint, & supplicis habitus, & gloria Regis in omnia creata exercentis imperium. Quidam [12], illum non orare, putant: alii [13] contrarium affirmant, qua in re forsasse nominis tantum difficultas occurrit. Qui illum orare negant, admittunt quidem ipsius mediationis effectum, quoquo modo fiat, sive oratio formalis sit, & presius sumpta, sive interpretativa tantum sit oratio, qualis esset, Cœlesti Patri sua vulnera, sui Sanguinis, suæque passionis, laborumque meritum ostendere, quæ omnia quam maxime ad misericordiam ciendam, iramque Dei Patris leniendam valere possunt. Qui vero putant, illum re ipsa preces effundere, plures afferunt Scripturarum Textus, ubi habemus, JESUM CHRISTUM in Cœlis secundum humanitatem suam orare Patrem, quemadmodum eumdem orabat in Terris; licet utrobique fuerit, & sit æque semper Omnipotens [14].

℣. 26. TALIS DECEBAT, UT NOBIS ESSET PONTIFEX.] Qualis est JESUS CHRISTUS, Æternus, Innocens, Misericors, Omnipotens, &c. Aaronis Sacerdotium,

---

1 Aug. de Catechiz. Rudibus, c. 3. n. 6. *Neque enim ob aliud ante adventum Domini scripta sunt omnia quæ in Scripturis sanctis legimus, nisi ut futura præsignaretur Ecclesia . . . adjunctis, atque annumeratis omnibus Sanctis, qui etiam ante adventum ejus in hoc sæculo vixerunt; ita eum venturum esse credentes, sicut nos venisse.*
2 Theodoret. Est. Men. Riber. alii. 3 Vat. Jac. Capell. Bea. &c.
4 Καὶ καθ' ὅσον ὁ χωρὶς ὁρκωμοσίας. Chrysost. 5 Τοσοῦτο ἔγγυος Ἰησοῦς. Theophyl. Ἐγγυητὴς, *μεσίτης. Sponsor, fidejussor, mediator*. 6 Galat. 4. 24. 7 Aug. Ep. 54. nov. Edit. olim. 118.
8 Idem l. 3. c. 9. de Doctrina Christiana. 9 Ἀπαράβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην.
10 Τοὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ Θεῷ. Quidam Latini Codd. mss. & impressi: *Accedens per semetipsum*. Ita Sixti V. Edit. & aliæ non paucæ. Vide Brug. & Bukentop.
11 Εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν. Quid. Ὑπερεντυγχάνει αὐτῶν. *Pro ipsis*, Clarom. & S. Germ. & alii plures. Vide Mill. 12 Vide Gregor. l. 22. Moral. c. 22. Rupert. l. 9. de Divin. Officiis. D. Thom. hic.
13 Nazianz. orat. 2. de Theologia, Greg. in Psal. 5. Pœnitential. August. in Psalm. 29. alii, ut Riber. Est. Cornel. a Lapide, Tena, &c.
14 Joann. 14. 13. Rom. 8. 34. *Qui etiam interpellat pro nobis*.

dotium par non erat, ut nos salvos faceret, nobilque Cœli beatitudinem conferret, deficiente virtute, atque merito, ut hoc assequeretur Summi Hebræorum Sacerdotes homines erant, & ideo neque ac nos naturæ nostræ infirmitatibus obnoxii: illorum potestas apud Deum, exigua sane finibus erat circumscripta: non satis ingens erat virtus eorum sacrificii, & in eo erat posita, ut a legalibus, caeterisque sordibus expiaret. In JESU CHRISTO nihil simile occurrit, sed en dotes, quæ requiruntur, præstantissimo in gradu in eodem eluceot. Talem esse oportebat summum Novi Testamenti Pontificem.

℣. 27. QUI NON HABET NECESSITATEM.] Lex, quæ jubet, piacularia quædam pro peccatis offerri sacrificia, non ad Sacerdotes minus, quam ad caeteros pertinet. Aaron, ejusque filii iisdem prorsus inquinari poterant sordibus, ac simplices Laici; iisdemque viribus erant expiandi [1]. Ad hæc, solemnis expiationis die [2] Summus Sacerdos pro sua, & pro familiæ suæ peccatis offerebat sacrificia; & licet peccato, atque legalibus expiationibus subjectus esset, quemadmodum caeteri Israelitæ, poterat tamen populum ab iisdem sordibus expiare, cum antea easdem in semet ipso expiasset.

Verum multiplici ex causa JESUS CHRISTUS Leviticum Sacerdotem exsuperat: primum, quod nulla unquam peccati labe pollutus fuit, ideoque nullo indiguit piaculo: secundo, Aaron sibi, aliisque Legalium sacrificiorum virtute non aliud, quam externam munditiem poterat procurare; Jesus Christus vero, quin ipse aliqua expiatione indigeret, nos Patri suo reconciliavit per merita Sanguinis sui, nobisque salutem æternam promeruit. *Hoc enim fecit semel seipsum offerendo*. Tertio, tenebatur Aaron sæpe sua Sacra, suasque expiationes iterare, quod earum meritum exiguum erat, earumque effectus in posteritas tantum actiones pateret; cum JESU CHRISTI sacrificium infinitæ virtutis sit, ejusque pretium in omnia Mundi peccata præterita, præsentia, & futura effundatur.

Cum Apostolus ait: *Aaron necessitatem habuisse quotidie*, vel toties, quoties urgebat necessitas, *prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo*, addit, JESUM CHRISTUM *hoc fecisse, semel seipsum offerendo*; cave, credas, S. Paulum innuere, quod JESUS CHRISTUS pro se primum, mox pro aliis mortem subierit: hic enim Soccini error est, a quo Grotius in hunc locum non longe abhorruit. Nos vero scimus, JESUM CHRISTUM numquam peccasse [3]: *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. Verum semel se obtulit piaculum pro peccatis nostris, quorum ipse pœnam subire dignatus est, ut justitiæ Patris sui faceret satis.

Denique cum ait, ipsum se obtulisse *semel*, hoc minime excludit Ecclesiæ Christianæ sacrificium; quemadmodum neque Jesu Christi Sacerdotium Christianorum Sacerdotium excludit. Sacerdotes nostri Summi hujus Pontificis vices gerunt, a quo omnem suam potestatem obtinent, & cujus munera exercent. Sacrificium nostrum illud ipsum est, quod in Cruce oblatum est: quotidie enim illud incruente in Ara offertur, quod cruente semel in Cruce oblatum fuit. In Sacrificio Altaris Jesus Christus realiter, & substantialiter latet sub panis, & vini speciebus; in Cruce vero realiter, atque sensibiliter pro mortalium omnium peccatis fuit immolatus. Hic merita mortis Jesu Christi nobis applicantur; in Cruce vero nobis comparata fuerunt. Utrobique idem est sacrificium; in Calvario expletum, & realiter in Ara repræsentatum [4]. *Christus reliquit nobis sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret.*

℣. 28. LEX ENIM HOMINES CONSTITUIT SACERDOTES.] Lex Moysis constituit Leviticum Sacerdotium in persona hominum infirmorum, atque mortalium. Dei Verbum prolatum apud Davidem in ps. 109. multo postquam Lex fuit irrogata, constituit cum juramento Pontificem æternum secundum Ordinem Melchisedech, neque alius hic Pontifex est, quam Jesus Christus Filius Dei, Sanctus, *perfectus* [5], æternus, immortalis. Adnotat S. Paulus, tamquam insignem circumstantiam, Pontificem *post Legem* fuisse prædictum, ut inde necessario legalis sacrificii abrogationem arguat: nam si hoc abrogandum non erat, Davidis Prophetia fallax esset, & inutilis. Ait ille, Dei Verbum constituisse Filium Sacerdotem æternum, hoc est, prædixisse, illum in Sacerdotio esse constituendum. Sæpe Scriptura ait, Sacerdotes facere, & exequi, quod simpliciter annuntiant, vel quod minitantur. Ita jubet Dominus, Isajam [6] indurare corda, obstruere aures, claudere oculos Israelitarum: hoc est prædicere, futurum ut illi indurent corda, aures obstruant, & oculos claudant.

---

1 Levit. 9. 3. 2 Levit. 16. 6. 3 1. Petri 2. 22. Isai. 53. 9.
4 Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. Theodoret. ad cap. 8. vers. 4. Ep. ad Hebræos.
5 Τετελειωμένον. Grot. *Ita profectus, ut nec morti, nec ullis adversis subjaceat*. Menoch. *Non infirmitatem habentem, ut Levitici Sacerdotes*. Pagn. Pisc. Jun. Jac. Capell. *Sanctificatum, & Sacerdotii legitime perfunctum*. Theodoret. Τέλειον δὲ ἐνταῦθα τὸν ἀθάνατον λέγει. 6 Isai. 6. 10.

CAPUT VIII.

Præstantia Sacerdotii JESU CHRISTI præ Levitico, quod JESUS CHRISTUS est Sacerdos in Cœlo, & Minister fœderis præ Veteri longe perfectioris. Prophetia, quæ Novum fœdus pollicetur, unde Vetus infertur esse abrogandum.

1. CApitulum autem super ea, quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, 2 Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo. 3 Omnis enim pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: unde necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat: 4 Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cum essent, qui offerrent secundum legem munera, 5 Qui exemplari, & umbræ deserviunt cœlestium. Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: Vide (inquit) omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in

est in monte. 6 Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris
testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. 7
Nam si illud prius culpa vacasset: non utique secundi locus inquireretur.
8 Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo
super domum Israel, & super domum Juda, testamentum novum; 9 Non secun-
dum testamentum, quod feci patribus eorum, in die, qua apprehendi manum
eorum, ut educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in
testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus: 10 Quia hoc est testa-
mentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus. Dando le-
ges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas: & ero eis in
Deum, & ipsi erunt mihi in populum. 11 Et non docebit unusquisque proxi-
mum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quo-
niam omnes scient me a minore usque ad majorem eorum: 12 Quia propitius
ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor. 13 Dicen-
do autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur, & senescit, pro-
pe interitum est.

℣. 1. CAPITULUM AUTEM SUPER EA, QUÆ DICUNTUR [1].] Hoc est summa, & compendium eorum omnium, quæ diximus. Aaronis quidem Sacerdotium in Terra; Jesu Christi vero exercetur in Cœlo. Aliter [2]. Hoc est caput, vel cumulus eorum omnium, quæ hactenus dicta sunt; inter omnes Sacerdotii novi fœderis prærogativas hæc haud dubie primas tenet: quod Jesus Christus etiam in Cœlo suum Sacerdotium exercet. Cœlum illi est idem, quod Sanctuarium Summo Legis Pontifici. Salvator Cœlum ingressus est, ut per ipsum illuc ingredi mereremur, & a Cœlesti Patre ea, quæ nobis necessaria sunt, obtineremus. Vide supra c. 7. ℣. 25. & Rom. 8. ℣. ℣. 34. 35.

℣. 2. SANCTORUM MINISTER [3], ET TABERNACULI VERI.] Aaron Minister erat Sanctuarii, & Tabernaculi a Moyse constituti; illius successores in Salomonis Templo ministrarunt: Tabernaculum, æque ac Templum erant opera manuum hominum peritura, neque diu duratura. Jesus Christus vero noster Summus Pontifex sacrum suum ministerium exercet in ipso Cœlo, quod verum est Tabernaculum, *quod fixit Dominus, non homo*. Quidam [4] *Ministrum Sanctorum* explicant, non de *Ministro Sanctuarii*, sed fidelium: & alii [5] pro *vero Tabernaculo*, Jesu Christi humanitatem intelligunt, in qua, tamquam in Templo suo divinitas residet, & cum qua illa Cœlum ingressa est, ut ibi Sacerdotium æternum exerceat. Sed prior explicatio vera est. Apostolus Cœleste Mosaico Tabernaculo opponit, & primum illud *verum* appellat *Tabernaculum*, eo quod alterum illius erat tantum figura. C

℣. 3. OMNIS ENIM PONTIFEX AD OFFERENDUM MUNERA, ET HOSTIAS &c.] Hoc omnibus Sacerdotibus, illis etiam, qui in falsis religionibus ministrant, commune est. Docet Moyses, hæc in re quænam essent Aaronis, & filiorum ejus officia; S. Paulus vero infra cap. 9. ℣. 12. dicet, quænam sint oblationes, & victimæ a Jesu Christo oblatæ; propria videlicet persona, vita, sanguis. Ut igitur verum Pontificis nomen mereretur, opus erat, ut aliquid Altissimo posset offerre. Opus igitur erat, ut carnem indueret, quam cum vita, & Sanguine suo offerret Patri. Ut autem hoc Sacerdotium, vel potius hujus Sacrificii oblationem perpetuam efficeret, constituit in Ecclesia Sacrificium Corporis, & Sanguinis sui [6], quod ille Deo offert super terram per manus Sacerdotum eodem tem- D pore, quo seipsum jugiter offert in Cœlo pro peccatorum totius humani generis expiatione.

℣. 4. SI ERGO ESSET SUPER TERRAM, NEC ESSET SACERDOS.] Si Sacerdos super Terram tantummodo futurus erat, Sacerdos omnino esse non potuisset [7], quandoquidem ibi alii erant Sacerdotes, æquas Deo oblationes, & sacrificia offerentes. Opus igitur fuit, ut ascenderet ad Cœlum, & ingrederetur Sanctuarium illud non manufactum, ubi Novi, Æternique Sacerdotii muneribus perfungeretur. Non deerant in Terris Sacerdotes, at deerat unus in Cœlo [8]. In Terris duo simul Sacerdotia esse non poterant: ubi si Jesus Christus permansisset, Sacerdotii munia explere non potuisset, potestatem obtinentibus Filiis Aaron, Sacerdotium suum in Templo Jerosolymitano exercendi. Opus igitur erat, ut ex humanis decederet, & ad Cœlum avoheretur; alioquin legale Sacerdotium non cessasset, neque in hujus locum Jesu Christi Pontificatus successisset [9]. Incepit ille quidem in Terra muneris Sacerdotalis exercitationem ex eo sacrificio, quod consummavit in Cruce; pergit autem illud offerre in Cœlo, & in Ecclesia Christiana, ubi res in figuræ locum successit, & ubi Corpus, & Sanguis hominis Dei pro Sanguine agnorum, hircorum, taurorumque immolantur.

℣. 5. QUI EXEMPLARI, ET UMBRÆ DESERVIUNT COELESTIUM.] Sacerdotes ex Aaronis progenie ministrant in Tabernaculo, vel in Templo Jerusalem, quod erat Templi cœlestis figura. Josephus, & Philo non abnuunt ea, quæ inquit S. Paulus; & partes Tabernaculi ævo illorum allegorice explicari consuevisse videntur. Hujus tres erant partes. Josephus Antiqu. lib. 3. c. 9. ait; vestibulum, Sanctum, & Sanctuarium; priores illæ duæ Terram, & Mare significabant, quas ut ita dicam, Deus hominibus tradidit. Sanctuarium vero erat Cœli symbolum, mortalibus invium. Duodecim panes in aurea mensa dispositi, duodecim anni menses indigitabant. Rami septem, vel septem lampades candelabri significabant planetas septem; & quatuor colores in Tabernaculi velaminibus intermicantes elementa quatuor, Aerem, Terram, Aquam, & Ignem designabant. Hujusmodi allegoriis Philo diffluit.

S. Paulus ad Hebræos eo loquebatur pacto, cui cum consuevissent, facillime intelligi poterat, illis dicens, materiale Templum, & Sacrificia æterni Tabernaculi

1 Κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις: *In summa. Summatim dicere, recapitulare.*
2 Chrysostom. hic. homil. 13. Theodoret. Grot. Riber. Jun. Piscat. *Quod caput est, & præcipuum.*
3 Τῶν ἁγίων λειτουργός: *Sacrificus Sanctorum*: id est, *Templi*, vel Sanctuarii, quæ dicuntur Sancta. Psalm. 10. 19. 150. 1. Eccli. 4. 14. Hebr. 9. 12. Ita Theophylact. & alii plerique.
4 Chrysost. Quidam apud Theophyl. 5 Jun. Pareæ. Piscat. Gemar.
6 Est. Menoch. Tir. 7 Theophylact. 8 Grot. Riber. Zeger. Men. Tirin.
9 Oecumen.

li esse figuras, ac terrenum hoc Sacerdotium non aliud esse, quam imaginem illius, quod exercetur in Cœlis; cumque ad Judæos conversos loqueretur, facile intelligebant, Jesum Christum in Cœlo Summum esse Novi Testamenti Pontificem, quemadmodum Aaron Sacerdos erat fœderis in Sinai sanciti. Sola difficultas in eo posita est, ut ostendatur, Sacerdotium, quod Jesus Christus exercet in Cœlo, simul esse non potuisse cum eo, quod Aaron exercet in Terra; ideoque posterius hoc abrogandum, delendumque fuisse, ut priori vacuum locum præberet.

OMNIA FACITO SECUNDUM EXEMPLAR.] Adest igitur exemplar, atque typus tabernaculi, ad cujus imaginem Tabernaculum Moysis positum fuerat; at authographum Tabernaculum verum est, & hoc illud est, cujus Sacerdos est Jesus Christus; cum Aaron illius tantum Pontifex fuerit, quod ad exemplar ejus fuit ædificatum. Philo de vita Mos. scite animadvertit, Legislatorem in monte vidisse spirituales ideas ædificii a se extruendi, vel Tabernaculi a se erigendi, tamquam futurarum, atque spiritualium rerum imaginem. Vide Exod. 25. 40. Voluit Deus in imagine, quam in Monte Sinai obtulit Moysi, eidem graphidem exhibere ejus Ecclesiæ, quæ erat aliquando spiritualiter, atque eminenter per Messiam ædificanda [1]. Hæc Ecclesia, ejus Sacerdotium, & Sacrificium in Deo a Mundi initio subsistunt. Hujus speciem quamdam, & umbram in monte videt Moyses. Hebræi vero illius imaginem viderunt in Tabernaculo, sed Jesus Christus nobis illam manifestavit, cum in Mundum venit, præsertim vero post ascensionem suam per abrogationem cæremoniarum Templi, & Sacerdotii Judæorum.

ỳ. 6. NUNC AUTEM MELIUS SORTITUS EST MINISTERIUM.] Sacerdotii, & ministerii dignitas ex objecti ejusdem præstantia æstimatur. At Sacerdotium, & mediatio Jesu Christi respiciunt æternum, & infiniti meriti Sacerdotium. Fœdus novum est semper duraturum, homines Divinitati insolubilibus vinculis conjungens: Sacerdotium igitur Jesu Christi, ejusque officium mediatoris toto Cœlo præstant Moysi, & Aaroni, quoniam Aaronis Sacerdotium versabatur circa ministerium, quod brevi duraturum erat, & quod paucissime proderat, cum officium mediatoris, quod exercuerat Moyses, subsisteret in Lege Judæis tradita, quæ quoad cæremonias erat abroganda, ut locum faceret Evangelio.

ỳ. 7. NAM SI ILLUD PRIUS CULPA VACASSET.] Si fœdus cum Israel in Monte Sinai percussum, & propter quod Lex irrogata fuit; si hoc fœdus, inquam, perfectum fuisset quovis in sensu, atque per se, homines ad sanctitatem perduxisset [2], ita ut ultra nihil requireretur; *non utique secundi* præstantioris, sanctioris que *locus inquireretur*.

ỳ. 8. VITUPERANS ENIM EOS,] qui Legem Moysis receperant, & qui in primum fœdus introierant, dicit: *ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Juda Testamentum Novum*, aliud ab eo, quod cum Patribus eorum in Deserto percussi. Illi infideles fuere iis rebus, quibus se obstrinxerant; ideoque eos contempsi [3], abjeci, neglexi, dereliqui, Dominus inquit. Fregi, & abrogavi fœdus illud antiquum, eique recens aliud subrogavi. Hic Jeremiæ locus [5], quem S. Paulus adfert, aperte adeo designat, cæremonias, & legale Sacerdotium esse antiquanda, ut nihil profecto adjici posse videatur. Duæ hic sunt Leges, duo fœdera optime descripta, alterum ab altero distincta, non simul subsi-

A stentia, sed deinceps sibimet succedentia; primum quidem Hebræis peculiare, alterum vero generale omnibus hominibus; prius imperfectum, & ad tempus traditum, alterum perfectum, atque æternum [6].

ỳ. 10. HOC EST TESTAMENTUM, QUOD DISPONAM DOMUI ISRAEL.] Judæ videlicet, & Israel simul conjunctis, hoc est, universo populo meo. Israel innuere etiam potest Ethnicos, Juda vero Judæos [7], atque ita Prophetia ad novum fœdus latissime sumptum pertinebit. Salus, ac bonum advenientis Messiæ nuntio, primum quidem Judæis fuit annunciatum; apud illos juratum, confirmatum, signatumque fuit Salvatoris Sanguine Novum Testamentum. Qui primi in hoc ingressi sunt, illudque prædicarunt, Judæi erant; sed mens Dei Auctoris Novi hujus Testamenti hæc erat, ut omnibus Terrarum populis esset commune. *Euntes*, inquit Salvator, Matth. 28. *docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

POST ILLOS DIES.... DANDO LEGES MEAS IN MENTEM EORUM.] Credunt nonnulli, ob oculos Jeremiæ versatum prius fuisse fœdus ab Esdra, & Nehemia in nomine Domini cum populo recens de captivitate reverso instauratum [8]; at negari non potest, quo minus ille in sublimiori sensu, atque magis directe indigitaverit fœdus a Messia cum Nationibus omnibus feriendum. In Ecclesia Christiana ad unguem adimpleta ea vidimus, quæ hic ait Propheta [9]: *dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens: cognosce Dominum; quoniam omnes scient me, a minore usque ad majorem eorum.* JESUS CHRISTUS nihil scriptis reliquit [10]. Apostoli ejus vivæ vocis oraculo præcepta exceperunt, & ad eos missus fuit Spiritus Dei, qui Legem in cordibus eorum imprimeret [11]: hic autem Spiritus non in Apostolos tantum, verum etiam in fideles omnes cujuslibet ætatis, & conditionis [12] per interiora, & exteriora dona, quibus illos replevit, seipsum effudit: cui simile nihil in gente sua post Jeremiam accidisse umquam ostendunt Judæi. Igitur referendum est ad Christianæ Ecclesiæ institutionem quidquid Dei verbis Israeli, & Judæ Propheta hic pollicetur.

ỳ. 11. NON DOCEBIT UNUSQUISQUE PROXIMUM D SUUM [13].] Fanatici hinc inferunt, a Lege nova unumquemque sequi debere lumen internum illuminans, quin ministrorum, & Ecclesiasticorum superiorum, quorum regimen omnino inutile est, expectant documenta. Crediderunt Patres quidam [14], prophetiam hanc perfecte in Cœlo tantum esse adimplendam, ubi singuli supernaturali lumine illustrabuntur, & clara Dei visione perfruentur. Credunt alii, hoc esse intelligendum de primis fidelibus, qui adeo facile conversi sunt, & qui tantam luminum, & gratiarum affluentiam in ipso Christianæ Religionis exordio obtinuerunt, ut facile intelligi posset, illos divinitus interiori lumine afflatos esse, validisque gratiæ ipsius illecebris perductos. Ita Apostolus 1. ad Corinthios 1. 5. e. g. dicebat; *in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo,* E *& omni scientia*; & S. Joannes in 1. ep. 2. 27. *unctio, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus &c.* Et S. Paulus 1. ad Thessal. 4. 9. *de charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem.*

Alii

1 Vide Bedam, Anselm. Men. Tir. Est. &c. 2 Chrysostom. Theodoret. Vide Est. Ribes. &c.
3 Μεμφόμενος γὰρ αὐτοῖς; Incusans, vituperans, reprehendens.
4 Κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν. Hebr. ואנכי בעלתי בם 5 Jerem. 31. 31. juxta 70.
6 Justin. Dialog. cum Tryphone. 7 Vide Erasm. Est. Riber. bis. Hieron. in Jerem. 31.
8 Grot. & alii apud Est. hic. 9 2. Esdr. 9. 37. 38. 10. 1 & seq.
10 Chrysostom. Theophylact. 11 2. Cor. 3. 3. *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*
12 Vide Joann. 14. 2. 17. 26. 15. 26. 16. 13. 1. Joann. 2. 27. Ezech 36. 26. Joel. 2. 28. Act. 2. 1. 2. 5. &c.
13 Τὸν πλησίον αὐτοῦ. Alii: Τὸν πολίτην: *Civem suum*. Ita Alex. & Clarom. G. L. alii plures.
14 Aug. de spiritu, & litt. c. 24. 25. Primas. Anselm. Cajet. D. Thom. Theodoret.

Alii hoc ita explicant [1]: ante Messiam, & sub Lege Moysis veri Dei, veræque Religionis cognitio apud Judæos tantum erat, apud quos paucissimi Divinæ Legis perfectam, practicamque cognitionem habebant, quæ in Sacerdotibus quibusdam, atque Prophetis continebatur. Verum sub Lege nova Domini cognitio ad gentes omnes effunditur; plurimi lumen Evangelii receperunt, & minimus quilibet fidelium magis intelligit Religionis mysteria, prophetiarum complementum, Messiæ characteres, viam salutis, quam ii essent ut plurimum, qui sub Lege scientissimi ferebantur. In Ecclesia Christiana a primis ejusdem initiis ad hanc usque diem in omni sæculorum serie plus sanctitatis, virtutis, veræque cognitionis Divinæ Legis, & obedientiæ mandatis ejus enituit, quam in Synagoga umquam acciderit.

Hæc satis, superque sunt ad propheticæ prædictionis veritatem probandam. Apostoli verba non sunt ad litteræ apicem intelligenda; aliquam enim hyperbolis speciem complectuntur [2]. De Nova Lege loquitur, quatenus opposita Veteri, & cum eadem comparata. Nec loquitur de iis omnibus, qui ex CHRISTI nomine appellantur. Plurimi enim per schisma, & hæresim ab Ecclesia recesserunt; neque desunt alii, qui externa tantum communione eidem adhærent, tamquam putrescentia, atque intermortua membra. Hujusmodi homines nequaquam profecto illi sunt, in quorum corde, & mente ait, Legem Dei insculptum iri, ita ut eorum nemo a proximo suo sit edocendus: sed hoc intelligendum est de veris CHRISTI fidelibus; qui Dei Spiritu repleti sunt de filiis promissionis, ac Novi Testamenti [3]. Hoc eodem in sensu explicanda sunt illa Isajæ verba [4]: *universos filios tuos doctos a Domino*; & alibi [5]: *repleta est Terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes*.

℣. 12. QUIA PROPITIUS ERO.] In nova Lege perfecta invenitur peccatorum remissio per Sacramentorum virtutem, quæ Dei Filius nobis ad sanctificationem nostram reliquit. Lex antiqua per se legales tantum sordes eluebat. Si veniam conferebat, hoc accidebat ex virtute eorum, qui cœremonias exercebant, & offerebant sacrificia. In Novo autem Testamento, Sacramenta salutem, atque sanctificationem operantur. Recte etiam animi nostri affectiones in id concurrunt, non tamquam causæ præcipuæ, sed quatenus amovent obices omnes, qui in nobis efficere possunt, ne ea Sacramenta effectum suum pariant.

℣. 13. DICENDO NOVUM, VETERAVIT PRIUS [6].] Hoc est, prius illud in numerum rerum præteritarum, & antiquarum rejecit. Non semel jam animadvertimus Hebræos crebro dicere, a Prophetis id fieri, quod ab ipsis portenditur. Jeremias, dicens, Legem Moysis obsoletam fore, & antiquandam esse illam, quodammodo antiquavit, & fecit, ut obsolesceret. Hoc prophetiarum perspicuam certitudinem innuit. Si Lex esset æterna, non veterasceret, si incorruptibilis, numquam deficeret.

---

1 Vide Riber. Est. Jun. &c. 2 Vide Riber. Grot. alios.
3 Vide Est. hic. 4 Isai. 54. 13. Joan. 6. 45. 5 Isai. 11. 9.
6 Πεπαλαίωκε.

C A P U T IX.

Cœremoniæ Legis Veteris cum Novæ conferuntur. Priorum infirmitas, posteriorum perfectio. Quid significaverint Sanctuarium, & Sanctum Sanctorum. JESUS CHRISTUS ingressus est in Sanctuarium Cœli. Ipse etiam est victima, cujus Sanguis in Sanctuarium infertur. Veniet ille in altero adventu suo, peccatis nostris nequaquam onustus.

1. HAbuit quidem & prius justificationes culturæ, & Sanctum sæculare. 2 Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta. 3 Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum: 4 Aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, 5 Superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non est modo dicendum per singula. 6 His vero ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: 7 In secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua, & populi ignorantia: 8 Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. 9 Quæ parabola est temporis instantis: juxta quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, & in potibus, 10 Et variis baptismatibus, & justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis. 11 Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis: 12 Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. 13 Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: 14 Quanto magis

magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum
Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo vi-
venti? 15 Et ideo novi Testamenti mediator est: ut morte intercedente, in re-
demptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissio-
nem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. 16 Ubi enim testamentum est,
mors necesse est intercedat testatoris. 17 Testamentum enim in mortuis confirma-
tum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est. 18 Unde nec pri-
mum quidem sine sanguine dedicatum est. 19 Lecto enim omni mandato legis a
Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum, cum aqua,
& lana coccinea, & hyssopo; ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit,
20 Dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. 21 Etiam ta-
bernaculum, & omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. 22 Et omnia pene
in sanguine secundum legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio.
23 Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari; ipsa autem cœle-
stia melioribus hostiis, quam istis. 24 Non enim in manufacta Sancta Jesus in-
troivit, exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei
pro nobis: 25 Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat
in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: 26 Alioquin oportebat eum fre-
quenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum,
ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. 27 Et quemadmodum statu-
tum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium: 28 Sic & Christus se-
mel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: secundo sine peccato apparebit
expectantibus se, in salutem.

℣. 1. HABUIT ET PRIUS JUSTIFICATIONES CULTURÆ [1].] Postquam, probavit Aaronis Sacerdotium, vetusque Testamentum esse antiquatum, ostendit, Tabernaculum quoque finem habiturum esse, & cæremonias, quæ ibi exercebantur, non semper esse duraturas. *Prius* testamentum [*] leges suas habuit, ad Dei cultum spectantes. Sed hæ Leges, & cæremoniæ symbola erant tantummodo eorum, quæ sub Testamento novo erant futura.

ET SANCTUM SÆCULARE [2].] Sanctuarium terrestre, hoc est cum Theodoreto, Sanctuarium, Mundum universum exhibens. Non accipit *Sanctuarii* nomen in pressa ejus significatione pro Sancto Sanctorum, sed pro Templo; quatenus Sanctum, & Sanctuarium complectitur. Sanctum, ex hujus auctoris sententia B eam vitam innuebat, quam in hoc orbe ducimus; Sanctum vero Sanctorum eam, quam in Cœlo sumus traducturi. Sanctus Chrysostomus, atque Theophylactus pro *Sancto sæculari*, vel *Mundano* intelligunt eam Templi partem, in quam populo, & alienigenis etiam patebat aditus; Atrium videlicet populi, & Atrium Gentilium. Alii [4] tandem hoc explicant ea ratione, quæ æquior, & menti Apostoli propior videtur de Sancto, & Sanctuario Tabernaculi, vel Templi Jerosolymitani, quæ *mundana* dicuntur, vel quod ad breve tempus duntaxat hoc in Mundo erant permansura, vel quod aliud non erant, nisi figuræ, vel symbola Cœlestia, æternique Tabernaculi, cujus Summus Sacerdos est JESUS CHRISTUS. Hoc eodem in sensu in Epistola ad Galatas 4. 3. Moysis Legem *Mundi elementa vocat*, & in Epistola ad C Titum 2. 12. terrenarum harum rerum cupiditates *sæcularia desideria* nuncupat, quatenus rerum cœlestium desideriis opponuntur.

℣. 2. TABERNACULUM ENIM FACTUM EST PRIMUM.] Ut Apostoli mentem assequamur, animo primum concipienda est distincta Tabernaculi idea a Moyse in deserto erecti; quod Tabernaculum compendium erat quodammodo Templi, quod mox Jerosolymæ fuit ædificatum; complectens atrium, quo populus ingredi poterat, nisi ob aliquam immunditiam prohiberetur. Hoc in atrio aderat holocaustorum ara, super quam offerebantur victimæ, atque panis, vini, aliarumque rerum oblationes. S. Paulus de atrio hoc præsenti in capite verba non facit, mea quidem sententia, licet aliter sentiant nonnulli Interpretes, qui *Sanctum sæculare*, de hoc atrio fuerunt interpretati. In penitiori hujus Atrii parte aderat fœderis tentorium, vel Tabernaculum ex duabus præcipuis partibus constans, *Sancto*, & Sanctuario, vel *Sancto Sanctorum*. In Salomonis Templo aderat etiam Atrium pro Levitis, aliud ab Atrio populi, nec deerat vestibulum pro iisdem in aditu Sancti: sed in Tabernaculo a Moyse instituto hæ duæ partes non videbantur; ideoque non meminit earum Apostolus.

In Sancto vero aderat, quemadmodum hic ait S. Paulus, primum aureum candelabrum, septem ramos gerens, in meridionali plaga positum; secundo Altare aureum, vel Thymiamatum positum in plaga boreali; ac tertio ara, ubi panes coram Domini facie statuebantur. Aureum candelabrum septem habebat ramos, totidemque lampades, quæ quotidie, & vespere accendebantur, & mane extinguebantur: Ara Thymiamatum ex auro erat confecta, & Sacerdos, qui forte per hebdomadam huic muneri præerat, bis quotidie Sanctum ingrediebatur, ibique mane, & vespere in batillo quodam, vel acerra, quæ super ara eadem relinquebatur, thus adolebat: denique mensa panum propositionis, & ipsa aureis circumquaque laminis erat obducta. In hac mensa singulis Sabbathis duodecim panes apponebantur, qui hinc inde in duarum columnarum speciem compositi per hebdomadam relinquebantur, atque inde Sabbatho insequenti auferebantur, cum novi apponerentur. Hoc omnia, si lubet, fusius videre potes in Exodo.

℣. 3. POST VELAMENTUM AUTEM SECUNDUM.] Nam

1 Δικαιώματα λατρείας. Theophylact. Τουτέστι σύμβολα, ἢ θεσμοὶ, νομοθεσίαι: *Symbola*, *instituta*, *legislationes*.
2 Εἶχε μὲν οὖν, καὶ ἡ πρώτη σκηνή. Primum tabernaculum. Sed plures MSS. Veteres legunt simpliciter: Ἡ πρώτη absque σκηνή. Alexand. Claromont. G. L. S. German. G. L. alii plures. Alii legunt. Ἡ πρώτη διαθήκη. Ita Arab. Æthiop. Barb. 1. Ita explicant Phot. & Chrysost. hic: Ἡ πρώτη τίς; ἡ διαθήκη.
3 Τὸ τε ἅγιον κοσμικόν. Theodoret. Grot. Riber.
4 Est. Jac. Capell. Bez. Jan. Grenas.

velamentum primum, de quo verba superius minime fecit, sciens, Hebræos, ad quos loquebatur, facile iis supplere posse, quæ omitteret iis in rebus, quæ omnibus erant comperta, atque explorata; Hoc inquam primum velamentum erat in aditu Sancti, Templum dividens ab atrio, atque prohibens, ne populus, immo Sacerdotes etiam, & Levitæ intra Sanctum oculorum aciem possent intendere. Alterum aderat etiam velum Sanctum a Sanctuario separans, de quo hic S. Paulus verba facit.

Post velamentum autem secundum, Tabernaculum, vel ea Tabernaculi pars, quæ dicitur *Sancta Sanctorum*, vel Sanctuarium ℣. 4. *aureum habens thuribulum, & Arcam Testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens Manna, & Virga Aaron, quæ frondueras, & Tabulæ Testamenti*. Animadvertendum est, S. Paulum hic loqui de Tabernaculo, quod Moyses erexit, eoque in statu, in quo erat in deserto, dum hic viveret Legislator; deinceps enim nonnihil immutatum est, & in Templo, quod deinde fuit ædificatum, plurima addita fuerunt, quæ in Tabernaculo non erant, & plurima, quæ ibi erant adempta. Arca fœderis, & Legis Tabulæ non inventæ fuerunt amplius, neque positæ in Templo post reditum de captivitate [1]. Probari minime potest, Salomonis ævo urnam Mannæ, & Aaronis virgam adhuc in Arca, vel prope eamdem fuisse [2]. In Templo, Salomonis Sanctum sejunctum erat a Sanctuario solido muro, validisque ligneis valvis [3]. In hoc eodem Templo satis magnum patebat vestibulum ante Sanctum, quorum nihil erat in Moysis Tabernaculo. Ad hæc in Salomoneo Templo circumundique Sanctum, & Sanctuarium plurima ambiebant conclavia, in triplicem circumundique contignationem assurgentia [4], quæ in Tabernaculo profecto non erant. Itaque nemo hic inanem sumat operam oportet, varios Scripturæ locos conciliaturus, quorum alii de Tabernaculo, alii de Templo primum a Salomone, alii de eodem iterum a Zorobabel ædificato loquuntur. Hæc enim inter se longa discrepant.

℣. 4. AUREUM HABENS THURIBULUM.] Hic unus ex iis locis est, qui in hac Epistola majorem afferunt difficultatem, & qui præ ceteris contulit, ut illius auctoritas ab antiquis in dubium revocaretur. Nullibi quidem Moyses ait, in Sanctuario aureum fuisse thuribulum; non diffitemur; verum ait [5], summum Sacerdotem quotannis solemnis expiationis die Sanctuarium ingredi consuevisse cum aurea acerra, & thymiamate, quod igni adolebat, neque ait, acerram eamdem ex Sanctuario educi consuevisse; verisimile igitur est, hanc ibi toto anni spatio permansisse, neque a summo Sacerdote inde ex Arcæ conspectu ademptam fuisse, nisi cum anno subsequenti die eadem recentem illuc inferebat acerram. Hæc autem acerra, vel thuribulum, quod summus Sacerdos inferebat in Sanctuarium, aliud erat ab Ara Thymiamatum, quæ erat in Sancto, & quæ superiori versiculo *aurea mensa* vocatur. Quidquid studiosissimi comminiscantur Interpretes [6], nimia vis inferenda est textui S. Pauli, ut ex eo huncce sensum extorqueas; Aram videlicet Thymiamatum ad Sanctuarium spectasse: *aureum habens thuribulum*.

ARCAM TESTAMENTI, IN QUA URNA AUREA.] Arca Testamenti capsula erat ex pretiosis lignis compacta, aureisque laminis convestita, ubi duæ Legis tabulæ depositæ fuerant, & in qua clausa erat urna referta ea Manna, qua Hebræi in deserto fuerant nutriti. Vide Exod. 16. 33. ubi dicitur Moyses imperasse, ut gomor Mannæ in vasculo poneretur coram Domino in testimonium futuris generationibus asservandum: *repone coram Domino ad asservandum in generationes vestras*. Quemadmodum Arca erat elaborata, neque erectum tabernaculum, non ait explicite in Arca Mannam positam fuisse: at S. Paulus fortasse has circumstantias ex Patrum suorum traditione didicerat [7].

Ibi etiam ex Apostoli testimonio videbatur, *virga Aaron, quæ fronduerat*, dum Core, ejusque conjurati familiæ Aaronis Sacerdotium eripere studuerunt [8]. Moyses Dei jussu miraculosam hanc virgam arripuit, atque intulit in Tabernaculum, testimonii defectionis Israelitarum contra Aaronem monumentum futuram: *refer virgam Aaron in Tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel*.

Non abhorret a veri specie, urnam auream, & Aaronis virgam, quas Moyses in Arca collocari jusserat, ibi permansisse tantum, donec iter deserti absolutum fuit, vel ad summum usque ad tempus, quo Arca in Templum translata fuit; atque tunc ex Arca eductas positas fuisse in thesauris Templi, vel in alio quodam digno, atque decenti loco [9]; nam in tertio Regum libro 8. 9. & in 2. Paralip. 5. 10. legimus in Arca, ubi in Templi Sanctuarium illata fuit, præter duas Legis Tabulas nihil fuisse. *In Arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ &c.*

Nonnulli, iique notæ melioris Interpretes [10] putant, S. Pauli [11] textum ita verti posse: *prope arcam* pro *in arca*; & urnam Manna refertam, & Aaronis virgam, quæ floruerat, non in Arca, sed apud eamdem fuisse positam. Non diffiteor quidem, in sacris Auctoribus non deesse locos, ubi propositio *in* pro *juxta* usurpatur: sed in hoc loco nullam video necessitatem, propter quam ad hanc solutionem sit confugiendum. Ad hæc cum Apostolus iisdem utatur vocibus, ut dicat, Legis tabulas in Arca fuisse, & innuat ibi quoque fuisse urnam, & virgam, æquum est, ut utrumque eodem in sensu intelligatur.

℣. 5. SUPER EAM ERANT CHERUBIM GLORIÆ [12].] Arca, uti dictum est, pretiosa erat capsula, ubi lapideæ Legis tabulæ continebantur, quæ erant veluti chyrographum fœderis, quod cum Israel ferire Dominus dignatus fuerat. Superior hujus Arcæ pars mobili operculo claudebatur antiquorum more, quemadmodum in omni Oriente ad hanc quoque diem passim videtur. Hæ capsulæ clavibus minime clauduntur; neque sera, aut vinculis ferreis operculum adnexum est, sed ubi illæ claudendæ sunt, funiculis circumligantur, atque obsignantur.

Arcæ operculum in Scripturis dicitur *propitiatorium*, in cujus extremis partibus hinc inde Moyses celari jusserat duo Cherubim, quæ compositæ erant imagines, & hieroglyphicæ cum alis, quarum altera ad alteram se se extendens quamdem efficiebant throni speciem Divinæ Majestati, quæ habebatur veluti super alas Cherubim insidens [13]. Hæc singula aliquid significabant. Verum Apostolus non omnes affert allegoricas explicationes, quæ variis hisce tabernaculi partibus possunt appingi; sed ea scrutatur solum, quæ Sacerdotii JESU CHRISTI super eminentiam, Legis Antiquæ abrogationem, & Novæ præstantiam possunt probare.

℣. 6. IN PRIORI QUIDEM TABERNACULO.] Sacerdotes tempore quolibet in primum Tabernaculum, vel potius in primam Tabernaculi partem, quæ Sanctum erat

1 Vide in hoc Dissertationem nostram in Macchabæorum initio.
2 Vide dicta in 3. Reg. 8. 9. 3 3. Reg. 6. 31. 4 3. Reg. 6. 5.
5 Levit. 16. 12. *Assumptoque thuribulo quod de prunis Altaris impleverit . . . . ultra velum intrabit in Sancta.* Septuaginta passim vertunt Hebræum מחתה per πυρεῖον. Joseph. ἐσχάρα. Græc. θυμιατήριον. Etiam pro thoribulo. Vide 70. Ezech. 8. 11. 2. Par. 26. 19. Heb. מקטרת 6 Jacob. Capell. Grot. Est. Riber.
7 Theophylact. Est. alii. 8 Num. 17. 2. 3. & seq. 9 Vide Grot. hic.
10 Ludov de Dieu, Jacob. Capell. Buxtorf. Bochart. Drus. Gemar. Est. Riber. Menoch. Tir. Anselm.
11 Ἐν ᾗ στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ μάννα, κα. ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα, καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης.
12 Cherubim gloriæ, idest, fulgentes, magnifici, ob aurum quo erant conflati, vel quia tamquam Dei thronus spectabantur. 13 Vide Exod. 25. 18. Num. 7. 89. & 1. Reg. 4. 4. & 2. Reg. 6. 2. & 4. Reg. 19. 15. Psalm. 79. 2. 98. 1. Isai. 37. 16.

erat, ingredi poterant. Illuc quotidie bis mane, & vespere ingrediebantur super aureum Altare, Thymiama oblaturi, quæ erat unius tantum Sacerdotis Provincia per hebdomadam; singulis enim Sabbathis recens sorte eligebatur, qui in superioris locum succedebat, ut in hebdomadam subsequentem ministraret; Sacerdotes enim vices suas per hebdomadas peragebant, intra quas semper permanebant in Templo, quin unquam domum reverterentur. Videri possunt a nobis adnotata in S. Lucam 1.8. ubi sermo est de Zacharia S. Johannis Baptistæ parente.

SACRIFICIORUM OFFICIA CONSUMMANTES.] Donec actu Sacerdotalibus muneribus suis perfungerentur; quæ est Græci Textus sententia [1]. Liquet, sacrificia non in Sancto, sed tantum in Atrio, & sub dio offerri consuevisse super æneum altare e conspectu januæ Sancti positum. Unus e Sacerdotibus per hebdomadam, cui hæc sorte ministerii Provincia contigerat, quotidie Sanctum ingrediebatur, thus in aureo Altari adoleturus.

℣. 7. IN 2. AUTEM, SEMEL IN ANNO SOLUS PONTIFEX.] Uni autem Pontifici, vel summo Sacerdotis patebat aditus in secundum Tabernaculum, vel in Sanctum Sanctorum, idque semel in anno, solemnia expiationis die, decima videlicet Tisri. Illuc primum inferebat Thymiamata, quæ in auream conjiciebat acerram [2]; de qua sermo fuit ℣. 4. Mox vero afferebat immolati vituli sanguinem, cujus guttas aliquot digito septies aspergebat Arcam, inter & medianum velum, quod Sanctum inter & Sanctuarium erat obtentum [3]. Mox egressus accipiebat sanguinem hirci immolati, quem tertio ingressus in Sanctuarium situ eodem inter velum, & Arcam fœderis effundebat [4]. Cum ergo dicitur *semel* tantum ingredi consuevisse, significat una solum in occasione, atque uno die per annum intrasse: sed die eodem ter ingrediebatur, quemadmodum diximus, & ex Levitico 16. innotescit. Moyses de Kotzi, & Grotius post illum credunt, illum quater eadem die fuisse ingressum, quod sane dicendum est, si supponas, summum Sacerdotem primum ingredi consuevisse, ut auream auferret thuribulum, quod igni repletum, mox in Sanctuarium referret. At recte potius novam acerram intulisse, atque simul eam abstulisse, quæ ibi anno superiore reliquerat, ideoque ter tantum ingrediebatur.

QUEM OFFERT PRO IPSO, ET POPULI IGNORANTIA.] *Ignorantiæ* nomine Scriptura, ut plurimum, omnium peccatorum genera complectitur [5]. In Levitico [6], ubi Moyses hæc omnia fusius persequitur, dicitur summus Sacerdos *pro peccatis suis*, & populi, vitulum, hircumque obtulisse. Peccator quilibet ignarus est, & insipiens, dum peccat. Si sciret jacturam, quam facit, periculum, cui se se objicit, quem ipse lędit, quænam peccati sit turpitudo, atque deformitas, ille nequaquam peccaret.

℣. 8. HOC SIGNIFICANTE SPIRITU SANCTO.] Spiritus Sanctus harum cæremoniarum, sacrorumque Bibliorum, quibus edocemur, Auctor; Deus ipse, qui Moysem afflabat, & S. Pauli mentem illustrabat, significabat [7]: *nondum propalatam esse Sanctorum viam*, veri videlicet Sanctuarii viam nondum esse apertam, eo quod unus tantum Sacerdos in Sanctuarium ingredi poterat. Ante JESUM CHRISTUM Cœli porta clausa erat, nemo illuc nisi post illius Resurrectionem ingressus est, & hoc fortasse innuebat fractura veli, quo Sanctuarium claudebatur, & quod a summa usque deorsum Dominicæ mortis momento scissum est [8]; deinceps autem verum Sanctuarium Cœli apertum fuit, quo cum Jesus Christus ascendisset, aditum ejusdem omnibus etiam electis suis reseravit. Credunt nonnulli [9], hoc in loco *viam Cœli* esse Evangelii prædicationem; quæ sane via ante JESUM CHRISTUM, neque aperta erat, neque cognita. Sancti Veteris Testamenti peculiari, & supernaturali lumine viam hanc noverant, quod ad fœdus novum jam pertinebant: sed Lex per se viam hanc minime aperiebat, neque conferebat necessarias gratias, ut per eamdem quispiam incederet. Alii denique [10] hoc explicant: Judaici Tabernaculi structura significabat Deus in Sanctuarium aditum non patere, donec sanctum apertum non erat, ita JESUM CHRISTUM in Cœlum ingredi minime posse sacerdotii sui munere perfuncturum, neque nobis licere eumdem illuc sequi, donec Legale sacerdotium, & cæremoniæ non abrogarentur.

℣. 9. QUÆ PARABOLA [11] EST TEMPORIS INSTANTIS.] Quæ erat imago eorum, quę tunc temporis accidebant, vel quę hodierna die accidunt. *Tempus instans* significat tempus præsens: sed quemadmodum Templum, Lex, cęremonię, & Legale sacerdotium apud Judęos vigebant adhuc, cum Apostolus Epistolam hanc daret, cumque simul Evangelium prędicaretur, & Jesus Christus regnaret, suumque in Cœlo sacerdotium exerceret; hoc tempus instans ad Legem, vel ad gratiam, ad Ecclesiam, vel ad Synagogam referri potest, qua in re variant Interpretum sententiæ.

Credunt quidam [12], Apostolum innuere velle, eamdem Tabernaculi structuram symbolum esse eorum, quæ sub Lege fiebant, quæque ibi usque ad Legis abrogationem erant facienda. Profecto Tabernaculum fuit, tamquam prototypum Templi, & Salomonis, & Zorobabel; & quidquid in Tabernaculo sub Moyse fiebat, factum est etiam in Israel, quoad substitit Templum. Reliqua hujus versiculi pars allatæ explicationi, suffragatur: *juxta quam & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem.*

Credunt alii [13], S. Paulum conferre tempus Moysis cum eo, quo ipse vivebat. Cum Moyses erexit Tabernaculum Domini, cogitabat Spiritus Sanctus nobis graphidem exhibere eorum, quæ hodie fiunt, JESUM CHRISTUM in Cœlum ascendisse, in verum nempe sanctuarium; Templum adhuc subsistere, & sacerdotes ibi muneribus suis perfungi. Quemadmodum non poterat summus sacerdos ingredi in sanctuarium, quin cortina auferretur, qua illud a sancto dividebatur; ita JESUS CHRISTUS plene, atque perfecte summum sacerdotium suum exercere non potuit, nisi sanctum, quo Synagoga indigitatur, eversum fuerit, & cæremoniæ fuerint antiquatæ. Sanctum synagogam; sanctuarium vero Ecclesiam significat; prius illud designat sacerdotium Aaronis, alterum vero Jesu CHRISTI. Loquens Apostolus ad Judæos conversos, qui mordicus cæremoniis Legalibus adhærebant, & qui persuaderi non poterant, Templum in æternum esse diruendum, & Judaicæ Religionis cæremonias penitus abrogandas, debebat has illis veritates cautius aperire, ne illi irritarentur, atque in irritum cederent labores sui, quibus eos erudire admitebatur. Verum satis innuebat, Templum quam primum esse evertendum, & JESUM CHRISTUM in Cœlesti sanctuario plene, perfecteque sacerdotio suo non perfuncturum, nisi prius sacerdotium, Legalesque cæremoniæ antiquarentur. Hic sensus mihi quidem ad litteram magis videtur accedere, & cum præsentis Epistolæ argumento congruere.

QUÆ NON POSSUNT JUXTA CONSCIENTIAM.] Quæ ex semetipsis, & virtute propria nequeunt emundare conscientiam, vel sacerdotum ea sacra offerentium, vel Hebræorum, pro quibus offeruntur. Sacrificia quidem

1 Οἱ ἱερεῖς τὰς λατρείας ἐπιτελοῦντες. 2 Levit. 16.12.
3 Levit. 16. 14. 4 Ibidem vers. 15.
5 Vide Tob. 3. Judic. 5. 20. Eccl. 51. 26 1. Macc. 13. 39. Ribei. Est. Bez. Grot. alii.
6 Levit. 16. 3. 4. 5. 21. 22. 30. &c. 7 Theodoret. Grotius.
8 Matth. 27. 51. 9 Vide Est. Grotius. 10 Vide Est. & Ludov. de Dieu, Theodoret.
11 Ἥτις παραβολή. Chrysostom. Τύπος, typus, repræsentatio. Vatabl. Menoch. Tirin.
12 Riber. Est. Jan. Tena, Grot. Græc. Complutens. Εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα. Alii: Εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον ἐνεστηκότα. Ita Græc. impress. 13 Vide Jacob. Capell, Grot.

dem bonis viris peccatorum veniam promerebantur, sed ex virtute fidei, & charitatis eorum, qui vel pro se ipsis illa offerebant, vel ab aliis offerri jubebant; & omne eorum meritum ex fide, in futurum liberatorem, & charitatem, quæ hujusmodi oblationes consequebatur, omnino pendebat [1].

℣. 10. SOLUMMODO IN CIBIS, ET POTIBUS.] Probat inutilitatem cæremoniarum, & cultus legalis per enumerationem eorum, quæ in Lege præcipiebantur. Hæc quidem enumeratio generalis non est, sed primoribus, ut ita dicam, labiis, dumtaxat loquitur apud eos homines, quibus explorata erant ea, quæ dicebantur. Ait igitur, universum hunc cultum in oblationibus, sacrificiis, expiationibus, abstinentia a cibis, & potionibus quibusdam consistere. Quid de carnium abstinentia præcipiat Moyses, nemo unus ignorat [2]. Aquæ, in quas immundum aliquod animal, vel aliæ sordes cecidissent, immundæ censebantur, neque in usum aliquem poterant converti. Vinum etiam, aliique liquores ab alienigenis expressi, illis erant interdicti. Sacerdotes, dum actu ministrarent in Templo [3], & Nazaræi toto Nazaræatus sui tempore [4] vino abstinebant. Quædam sancita erant ablutiones, vel purificationes ad immunditias eluendas, seu voluntariæ essent, seu involuntariæ, seu ex immunde alicujus rei attactu contractæ, seu ex casu aliquo profectæ, quorum plurimi ultro hominibus, & mulieribus accidunt [5]. Hæc omnia vigere debebant solum *usque ad tempus correctionis*, donec veniret Messias, novumque fœdus institueret. Animadverte, Legem non dici omnino evertendam, sed corrigendam simpliciter, *usque ad tempus correctionis*; atque ita JESUS CHRISTUS [6], se venisse professus est, non ut Legem tolleret, sed ut perficeret. Abusus, qui obrepserant, abstulit; abrogavit quidquid erat inutile, addidit, quod deerat, & carnali cultui spiritualem subrogavit, *Jo.* 4. 23.

℣. 11. CHRISTUS ASSISTENS PONTIFEX [7] FUTURORUM BONORUM.] Loquutus de Tabernaculo, atque sacerdotio legali, redit ad JESUM CHRISTUM, æternum Sacerdotem, illius dignitatem præ Aaronis sacerdotio celebraturus. JESUM CHRISTUM vocat *Pontificem futurorum bonorum*, æternorum, spiritualium, atque Cælestium, quæ ille nobis sua morte, suique sanguinis sacrificio promeruit. *Introivit semel in Sancta per amplius, & perfectius Tabernaculum*. Sanctuarium Cælum est, Tabernaculum vero, per quod, vel cum quo illuc ingressus est, est natura humana, quam induit, & cum qua ad Cælum ascendit, ut locum nobis præpararet, & pro nobis intercederet [8]. Hoc Tabernaculum est *non manufactum*; Jesus Christus neque natus, neque conceptus est ut hominum cæteri, sed Spiritus Sanctus illum supernaturali ratione in Sanctissimæ Virginis sinu efformavit. *Non hujus creationis*, non ut alii, efformatus est ab homine; sed Spiritus Sancti operante virtute conceptus.

℣. 12. SED PER PROPRIUM SANGUINEM.] In Ara Crucis effusum, sanguinem illum novi fœderis, quem pro omnibus hominibus fudit [9]. *Ingressus est* non semel quotannis, ut summus Judæorum Sacerdos, sed *semel in æternum, æterna redemptione inventa*. Illius sacrificium non est iis simile, quæ offeruntur in Templo, quæ ex semetipsis animam non emundant, & quæ toties sunt iteranda, quoties in recentia deciditur flagitia. Expiatio, quam nobis promeretur, effectus suos gignit in ipsam usque æternitatem, cujus nobis aditum aperit; emundat nos a qualibet interiori sorde, gratiam, justitiam, & innocentiam confert; atque ab æterna morte nos liberat.

Verum quidem est, gratiæ, quam accepimus jacturam fieri posse, & futura peccata baptismo nequaquam deleri: verum cum JESU CHRISTI mors infiniti sit meriti, quotiescumque per pœnitentiam resurgimus, hoc semper accidit virtute mortis, & sacrificii ejusdem, cujus merita in nos transferuntur. Non actio, sed pretii applicatio iteratur quotidie.

℣. 13. SI ENIM SANGUIS HIRCORUM, ET VITULORUM.] Qui in sacrificium offeruntur, & adspersio aquæ, cui immixtus fuerit *cinis vitulæ cinis* [10], quæ immolata, & cremata fuerit, atque cinis hominibus in populo distributus, ut per eumdem se se expiarent ab iis sordibus, quibus in funeribus fuissent affecti; hæc, inquam, virtutem habebant expiandi eos, qui exteriorem, & carnalem aliquam immunditiam contraxerant, *ad emundationem carnis*. ℣. 14. *quanto magis Sanguis CHRISTI, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?* Opera mortua sunt peccata [11]; non secus ac corpus hominis, vel animalis, quod ex semel obierat, sordibus aspergebat eos, a quibus attingeretur, ita peccatum animas nostras coinquinat, easque in oculis Dei invisas facit. Cadaver facile contabescit, atque emittit gravissimum, & non ferendum putorem; peccatum etiam nos fœdat, atque in oculis Dei invisos efficit. Igitur si sanguis, vel cinis animantium ratione carentium effusi citra eorum voluntatem, quæ mactata fuerunt, quin hoc ipsa cognoscerent, possunt tamen ab exterioribus sordibus expiare, quo magis sanguis JESU CHRISTI Dei simul, & hominis per mirabilem electionem, amore, & voluntate ejusdem effusus, ut nos redimeret, nos ipsos emundabit ab intrinsecis sordibus, & peccatis, quorum symbolum, & figura erat immunditia, quæ ex cadaveris attactu contrahebatur? Et si exterior expiatio, quam hic sanguis, & cinis afferebat, efficiebat, ut sacerdotes, aliique Judæi ad sacra possent accedere, & Divini cultus participes fieri, quo magis JESU CHRISTI sanguis emundabit nos, ut digni efficiamur, qui Deo viventi in spiritu, & veritate famulemur?

℣. 14. QUI PER SPIRITUM SANCTUM SEMETIPSUM OBTULIT.] Quidam [12] *Spiritum Sanctum*, per quem Salvator se se Deo Patri obtulit sacrificium, intelligunt de voluntate illius, quæ ad id ex libera electione se se determinavit: sed Vulgatior sententia, & quæ magis verisimilis videtur [13], hæc est, Spiritum Sanctum tertiam Sanctissimæ Trinitatis personam, cui Scriptura accepta referre consuevit opera bonitatis Dei erga nos, nostræque sanctificationis, non secus ac plurealias extrinsecas JESU CHRISTI actiones, puta cum a spiritu in desertum adductus fuit [14], cum Dæmones per Spiritum S. ejecit [15], cum mandata sua Apostolis per Spiritum Sanctum tradidit [16], cum unctus fuit Spiritu Sancto [17], &c. Alii [18] denique hoc pro *Æterno Spiritu*, ita enim in Græco [19] legimus, intelligunt Divinitatem hypostatice humanitati conjunctam, & motum, atque impetum, quo JESUS CHRISTUS Deus & homo pro totius Mundi salute mortem subire dignatus est.

℣. 15. ET IDEO NOVI TESTAMENTI MEDIATOR EST.] JESUS CHRISTUS meritus est nomen amplissimum Mediatoris Novi fœderis per eum Sanguinem, quem illud obsignaturus effudit, & reconciliationem, quam inter Deum, ac nos est operatus. Moyses quidem

1 Galat. 3. 21. Vide Est. hic. 2 Levit. 11. 3 Levit. 10. 9.
4 Num. 6. 2. 3. & seq. 5 Levit. 12. 13. 14. 15. 17. 21. Num. 19.
6 Matth. 5. 17. 7 Παραγενόμενος ἀρχιερεὺς Adveniens, seu postquam advenit.
8 Chrysostom. Theophylact. Theodoret. Ribera alii. 9 Matth. 26. 28. 1. Cor. 10. 16. & 11. 25.
10 Num. 19. 2. 3. 4. & seq. 11 Theodoret. Vide Hebr. 6. 2. Chrysost. Riber. Grot. &c.
12 Vide Grot. & Pisc. 13 Ribera Est. alii plerique.
14 Matth. 4. 1. 15 Matth. 12. 17. 18. 16 Act. 1. 2.
17 Act. 10. 38. 18 Jun. Gemar. Bez. &c.
19 Διὰ πνεύματος αἰωνίου Plures MSS. Vulgatæ consonant; veluti Claromont. G. L. German. G. L. Lin. Baroc. Velez. Copht. Idac. Chrysost. alii: Διὰ πνεύματος ἁγίου.

dem Mediator fuit, internuntius, Minister Testamenti Veteris Dominum inter, ac Israelitas, quod confirmatum fuit cruore victimarum, ad radices montis Sinai immolatarum [2]; Jesus Christus vero Mediator est Novi per Sanguinem suum quem effudit, ut peccata nostra expiaret, nobisque dignitatem filiorum Dei promereretur *in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento, ut repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis*. Sacrificia, quæ sub Lege offerebantur, satis non erant, ut emundarent nos ab iis sceleribus, per quæ a Cœlesti Regno prohibemur; alterius igitur opus fuit sacrificii, per quod veniam assequeremur.

℣. 16. Ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris.] Nomen *Testamenti* in Scriptura, quod Hebraice *berith*, Græce vero *diatheke* appellatur, sæpe *fœdus* significat [a]. S. Paulus etiam hoc in sensu illud usurpat, cum ait, Jesum Christum *Novi Testamenti esse mediatorem*. Verum cum ille consueverit ea mortuis aas eruere allusiones, quibus utitur, nunc a *Testamento*, quod fœdus significat, ad *Testamentum* proprie dictum, gradum facit. Ut Testamentum, de quo sermo est, effectum suum consequatur, oportet ut quemadmodum in communibus Testamentis accidit, mors intercedat Testatoris, citra quam vi, atque effectu caret Testamentum. Igitur Jesu Christo moriendum erat, antequam nos, qui sumus hæredes illius, & pro quibus ille testatus est, in partem venire possemus bonorum ejus, & promissionum ejus fieri consortes.

Quemadmodum *Testamenti*, & *fœderis* nomen nonnumquam in sensu proprio usurpatur pro iis promissionibus, quas fecit Deus populo suo, dummodo fidelis mandatis ejusdem perstiterit; jure hoc in loco asserere potuit Apostolus, opus esse, ut mors Testatoris intercedat, antequam Testamentum locum habeat, & consequatur effectum. Promissiones enim omnes innitebantur merito mortis ejusdem, neque adimpleri poterant, nisi postquam ascendisset in Cœlum; ita ut minime recedendum esset a communi acceptione nominis *Testamenti*, fœdus significantis, neque *Testatoris* illum innuentis, qui alicui se se obstringit, & in contractu pars est potissima. Ita facili negotio conciliari possent eruditorum nonnullorum sententiæ, qui hoc argumentum prolixis laboribus in utramque partem exhaurire conati sunt [3]; sed ℣℣. 15. 16. 17. mea quidem sententia apertissime probant, S. Paulum de industria a *Testamento*, quod *fœdus* significat, ad *Testamentum* proprie dictum gradum fecisse.

℣. 17. Testamentum enim in mortuis confirmatum est.] Hoc assolet in vulgaribus Testamentis; ut locum habere non potuit in Testamento Dei erga populum suum, quoniam Deus non moritur. Sed cum Jesus Christus naturam humanam induisset, & factus fuisset mortalis; Testamentum ejus nonnisi post mortem ipsius locum potuit invenire. Oportuit ergo, illum mori, ut hæreditatem nobis promissam adire possemus.

℣. 18. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est [4].] Primum Testamentum, vel fœdus a Deo cum Israelitis in Monte Sinai percussum [5], & ipsum confirmatum fuit sanguine victimarum [6], quæ quodammodo Testatoris mortem præfigurabant: Deus per effectum summæ indulgentiæ suæ erga populi infirmitatem permiserat, ut victimæ mactarentur, ut intelligeremus inde sensibili ratione, eum ex contrahentibus, qui fidem minime præstaret, mortem mereri. Ita Deus licet immortalis quodammodo se se huic pœnæ objiciebat: vel potius hac ceremonia præsignabat Jesu Christi mortem, qui deinceps perfecturus erat fœdus in Sinai delineatum, & veros imitatores fidei Abrahæ inducturus in possessionem veræ promissæ telluris, quæ Cœlum est, & cujus umbra tantummodo erat Terra Chanaam.

℣. 19. Lecto enim omni mandato Legis.] Moyses legit, quidquid continetur in capitibus 20. 21. 22. 23. Exodi [7], quæ præcipuos Dominici fœderis cum Israel articulos complectuntur; cumque Sacrificia offerri jussisset, *accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua*; intincta in eadem *lana coccinea, & hyssopo*, ex quibus fasciculum quemdam, vel aspergillum composuit, *ipsum quoque librum*, fœderis conditionem complectentem, *& omnem populum aspersit*, atque ita confirmavit fœdus tunc a Deo cum Israel sancitum.

Moyses in Exodo, ubi hoc factum narratur, explicita non meminit hircorum immolatorum, non aquæ sanguini immixtæ, non fasciculi ex lana coccinea confecti, non hyssopi: sed hæc addidit S. Paulus, quæ ex traditione, vel peculiari revelatione didicerat. In allato Exodi loco dicitur Moyses *vitulos, & holocausta* immolasse [8], vitulos quidem in Sacrificiis pacificis, hircos vero fortasse in holocaustis. Quod autem spectat ad aquam cum sanguine immixtam ad lustrationes perficiendas; hoc ut plurimum fiebat [9], ne coalesceret sanguis. Denique usitatum est, ut ex ramo hyssopi rubra, vel coccinea lana involuto fiat aspergillum [10]. Ita S. Paulus nihil non certissimum attulit.

℣. 20. Hic sanguis Testamenti.] Hic sanguis signum est, vel confirmatio fœderis a Deo cum vobis percussi. Ad litteram [11], *fœderis, quod mandavit vobiscum*, in quo, & pro quo vobis tradidit ea præcepta, quæ in hoc libro continentur, & quæ vos observaturos esse recepistis.

℣. 21. Etiam Tabernaculum, et omnia vasa.] Hoc accidit alia in occasione, & post sex circiter menses, ex quo confirmatum fuerat fœdus illud, de quo verba fecimus. Cum erigendum, ac dedicandum fuit Tabernaculum, & omnis Sacra supellex, rursus oblata fuerunt Sacrificia; omnia sanguine irrorata, & oleo inuncta fuerunt [12]; ipse etiam Aaron, ejusque filii, eorumque vestes sacro oleo delibutæ, & victimarum sanguine fuerunt aspersæ.

℣. 22. Et omnia pene sanguine.] Utitur voce *pene* eo, quod illi mens non erat, ut perfectam, sedulamque rerum omnium institueret enumerationem: certum est omnia ferme sanguine expiari; peccata populi, peccata Sacerdotum, peccata singulorum: ac certum quoque est, sordes ex cadaveris attactu contractas expiari per aspersionem aquæ, cui cinis vitulæ rufæ fuerit immixtus; aliasque nonnullas immunditias simplici ablutione lustrari consuevisse innotescit. Sed pleræque majoris momenti sordes nonnisi cruentis hirci, hædi, Agni, Turturis, aut Aviculæ cujusdam Sacrificiis eluebantur.

℣. 23. Necesse est ergo exemplaria quidem Coelestium.] Tabernaculum videlicet, ejusque vasa animantium sanguine expiari. Cum voluerit Deus, ut Tabernaculum, & quidquid ad illud spectabat animantium sanguine lustraretur, quasi attineret quodammodo ad fœdus a Deo cum Israel percussum; æquum erat, ut Cœleste Tabernaculum, cujus terrenum non aliud erat, quam figura, & ipsum quoque Sanguine Filii Dei expiaretur. Sed quodnam hoc est Cœleste Tabernaculum expiandum? Est, ex nonnullorum sententia [13], Cœlum, quod quidem in semet nulla indiget expiatione; sed cum homines, qui illuc ingredi debent, neque immundi ingredi possunt, expiari sint, Cœli quoque in sensu quodam mundati esse dicantur.

Cre-

2 Exod. 24. 4. 5. & seq. — a בְּרִית Διαθήκη: *Testamentum*.
3 Vide Codurci Dissert. in hunc loc. in Critic. Londin. & Vindicias testamentarias Guicardi, ad calcem Comment. Lud. Tenæ, & Est. ad ℣. 17. — 4 Ἐγκεκαίνισται. Chrys. Βέβαιον γέγονεν, ἐκυρώθη: *Consecratum, Initiatum, dedicatum*. — 5 Est. Men. Riber. alii. — 6 Exod. 24. 6. 8. &c.
7 Grot. Est. Jac. Capell. &c. — 8 Exod. 24. 5. — 9 Levit. 14. 49. 50. Ribet. Est. Gemar.
10 Levit. 14. 49. 50. Exod. 12. 22. & 25. 4. — 11 Ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς.
12 Exod. 40. Totum. Levit. 8. 10. 11. & sequ. Joseph. antiq. l. 3. c. 9.
13 D. Thom. apud Ribet.

Credens elit [1], hoc esse Jesu Christi Corpus, quod nonnumquam [2] *verum, & Cœleste Tabernaculum* appellatur; quod licet nulla indiguerit expiatione pro peccatis suis, quandoquidem infinita est illius munditia, & integritas; dici tamen potest, seipsum expiasse a nostris sceleribus, quorum ille pondus subierat, effundens Sanguinem suum, ut nos Patri reconciliaret. Denique complures [3] potiori jure credunt, Cœleste Tabernaculum, de quo hic sermo, non aliud esse, quam Jesu Christi Ecclesiam, quam ille suo Sanguine ebluit, ac effecit Sponsam Sanctam, mundam, & immaculatam.

De Jesu Christi immolatione verba facit Apostolus tamquam de pluribus victimis, & melioribus hostiis [4], seu propter praestantissimam hujus hostiæ dignitatem, seu quod illam proponit unam tamquam amplissimam præter omnes Veteris Testamenti; vel simpliciter vulgata usus est loquendi figura, per quam pluralis numerus pro singulari usurpatur; præsertim vero, ubi sermonis contextus invitat, quemadmodum hoc in loco numerus multitudinis, qui in superiori membro invenitur.

℣. 24. NON ENIM MANUFACTA SANCTA JESUS INTROIVIT.] Non ingressus est Tabernaculum a Moyse erectum, neque Templi Sanctuarium a Salomone ædificatum; hæc non erant aliud, quam figuræ, vel exemplaria Cœlestis Tabernaculi, quod Moyses vidit in Monte Sinai, & quod illum imitari jussit Dominus in Tabernaculo, quod ipse erat conditurus [5]. Summus Sacerdos vi Legis semel in anno Templi Sanctuarium ingrediebatur, ut se se offerret coram illo, qui sedet super Cherubim: at Jesus semel tantum ingressus est in verum Cœli Tabernaculum, æternum ibi permansurus cum Deo, & pro nobis intercessurus [6].

℣. 25. NEQUE UT SÆPE OFFERAT SEMETIPSUM.] Summus Judæorum Sacerdos una tantum anni die Sanctuarium introibat: sed quotannis illuc introibat cum iisdem cæremoniis, & semper cum plurium victimarum Sanguine. Jesus vero semel ingressus est Cœleste Sanctuarium, se se Throno Dei obtulit, ibi semper adest, inde numquam digreditur, sanguis ejus semper clamat, sacrificium illius semper efficax est, quin illud reiterare debeat, vel ea huc egredi Sanctuario, illuc iterum, vel tertio rediturus.

℣. 26. ALIOQUIN OPORTEBAT, EUM FREQUENTER PATI.] Si opus esset, ut Jesus Christus quotannis in Cœleste hoc Sanctuarium ingrederetur cum recenti Sanguine, quemadmodum summus Hebræorum Sacerdos Templi Sanctuarium ingrediebatur, opus etiam esset, ut sæpius mortem obiret, & pluries suum effunderet Sanguinem. Sed cum mors ejus infiniti sit pretii, pro omnium totius Mundi peccatorum expiatione sufficit, & illius meritum in generationes omnes præteritas; præsentes, atque futuras, se se effudit. Horum meritorum applicatio, quæ in Sacrosancto Missæ Sacrificio, aliisque Sacramentis peragitur, sufficit, ut salvi fiant, qui virtuti illius obices non opponunt.

Addit Apostolus; *nunc autem semel in consummatione sæculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit*. In Scripturarum stylo *consummatio sæculorum, plenitudo temporum, dies novissimi, Mundi finis*, sæpe designant tempus adventus Messiæ, & nonnumquam etiam alterum ejusdem adventum: quæ loquutiones inde profectæ sunt, quod Judæi Messiæ adventum, ejusque Regnum in Terra respiciebant tamquam finem temporum, & generalem naturæ totius instaurationem. Hoc alio modo intelligebant, at accidit alio. Arbitrabantur, Messiæ Regnum terrenum futurum, mutationem sensibilem, atque externam fore quoad ipsorum rempublicam, & libertatem; cum Jesu Christi Regnum omnino sit spirituale, & hæc mutatio nonnisi ad cor, animum, moresque pertineat.

℣. 27. ET QUEMADMODUM STATUTUM EST HOMINIBUS SEMEL MORI.] Sors hominis in tribus his certis continetur, vivere, mori, judicari. Hæc Lex certa est, atque pro omnibus hominibus constituta. Nascimur, ut moriamur; & morimur, ut judicemur. Judicium, quod nobis fert Deus, de beata, vel ærumnosa æternitate nostra disceptat. Universale Judicium, cui omnes interesse debemus, non aliud erit, quam solemnis promulgatio peculiaris sententiæ, quæ in singulorum morte fuerit prolata.

Hæc est S. Pauli argumentatio. Quemadmodum semel nascimur, & semel morimur, ita Jesus Christus nonnisi semel nasci debet, & mori: & quemadmodum post mortem omnes ad Dei Tribunal accedimus, ibi sententiam audituri, quæ de statu nostro in omnem æternitatem dijudicet, ita Jesus Christus iterum veniet, judicio huic interfuturus, quatenus Judex, suppliciis, vel præmiis affecturus homines pro meritis singulorum. ℣. 28. *Semel oblatus est* velut eivem hostia super Altare, *ad multorum exhaurienda peccata* [7]; non quod passionis meritum minime sufficeret, ut omnes homines salvos faceret; sed quod non omnes illius participes per proprium scelus non sunt. Mortuus est pro omnibus [8], sed non omnes fructum perceperunt ex merito passionis ejus. *Secundo* in altero ipsius adventu sub Mundi finem *sine peccato apparebit expectantibus se in salutem*. Novissimo Judicii die veniet non hominum peccata expiaturus, sed in Regni Cœlestis possessionem illos introducturus, qui per fidem, spem, & charitatem id meriti fuerint; & æternis addicturus suppliciis, qui per incredulitatem, atque nequitiam se se iisdem dignos præbuerint.

---

1 Gemarus. 2 Hebr. 8, 2. 9. 11.
3 Est. Men. Zeger. Tir. alii. 4 Κρείττοσι θυσίαις. 5 Exod. 26. 27. Hebr. 8. 5.
6 Rom. 8. 34. Hebr. 6. 17. 7 *Ad multorum exhaurienda peccata*. Græc. Εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας. Chrys. Theophyl. Oecumen. 8 1. Timoth. 2. 6. Rom. 5. 19. Chrysost. Ita Theodoret. Theophyl. &c.

CAPUT X.

Legis Sacrificia pluries propter suam infirmitatem iterata. Non iteratur Sacrificium JESU CHRISTI. Hic nobis aperit Sanctuarium Cœli per passionem suam. Morum præcepta, quæ S. Paulus educit ex iis principiis, quæ in hac Epistola statuit. Nullum datur secundum baptisma. Severitas Judicii, quam exercebit Deus in illos, qui acceptam gratiam contempserit. Adhortatio ad patientiam, fidem, & bona opera.

1. UMbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere: 2 Alioquin cessassent offerri:

ideo

ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati: 3
Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. 4 Impossibile enim
est, sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. 5 Ideo ingrediens mundum
dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: 6 Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. 7 Tunc dixi: Ecce venio: in capite
libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. 8 Superius dicens: Quia hostias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluisti nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur. 9 Tunc dixi: Ecce venio, ut
faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat. 10 In qua
voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. 11 Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata: 12 Hic autem unam pro peccatis
offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei. 13 De cœtero expectans:
donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. 14 Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. 15 Contestatur autem nos, & Spiritus
Sanctus. Postquam enim dixit: 16 Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, & in
mentibus eorum subscribam eas: 17 Et peccatorum, & iniquitatum eorum jam
non recordabor amplius. 18 Ubi autem horum remissio: jam non est oblatio pro
peccato. 19 Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, 20 Quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id
est, carnem suam, 21 Et sacerdotem magnum super Domum Dei: 22 Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, 23 Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem
(fidelis enim est, qui repromisit) 24 Et consideremus invicem in provocationem
charitatis, & bonorum operum: 25 Non deserentes collectionem nostram, sicut
consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem, 26 Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. 27 Terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. 28
Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur, 29 Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium
Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus
est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? 30 Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia judicabit Dominus populum suum. 31
Horrendum est incidere in manus Dei viventis. 32 Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum: 33 Et
in altero quidem opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem
socii taliter conversantium effecti. 34 Nam & vinctis compassi estis, & rapinam
bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, &
manentem substantiam. 35 Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. 36 Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. 37 Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit. 38 Justus autem meus ex fide vivit: quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. 39 Nos autem non
sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.

℣. 1. UMBRAM HABENS LEX FUTURORUM BONORUM, NON IPSAM IMAGINEM.] Imaginis nomen rerum veritati, & realitati nonnumquam opponitur: hic vero opponitur umbræ, ipsamque realitatem significat [1]. Non secus ac in pictura magnum intercedit discrimen inter primam graphidem, vel delineamenta, & tabulam suis apte coloribus imbutam; ita inter Hebræorum Sacrificia, & illud Jesu Christi, no- A væque Legis infinitum plane discrimen interest [a]. Pergit S. Paulus hoc in loco exhibere, quid intercedat inter Novum, Vetusque Fœdus. Lex futura bona præsignabat: Evangelium illa promittit, & ostendit, Jesus Christus ea donat. *Futura hæc bona* ea sunt, quæ conferuntur in Cœlis, ubi Jesus Christus est Pontifex, quemadmodum dictum est capite superiori ℣. 11. Hæc est gratia justificationis, peccatorum remissio, quam in Ecclesia recipimus, & quæ non recipitur in Synagoga

1 Chrysostom. hic homil. 17. Theophylact. a Theodoret. hic.

goga. Antiqua Sacrificia nos a Legalibus fordibus emundabant, Sacrificium Jesu Christi ab omni interiori culpa nos liberat.

S. Gregorius Nazianzenus [1], aliique nonnulli Interpretes credunt, Apostolum hoc in loco innuere velle, Legem esse velut umbram, Evangelium tamquam imaginem, aut repræsentationem; Cœlum, vel futura bona, rem ipsam & veritatem. Legis Sacrificia umbra erant sine corpore, sine re, sine effectu. Ecclesiæ Sacramenta sunt vero, & realis imago solidos effectus producens, sed quæ tamen non conferunt realitatem futurorum bonorum, quibus in Cœlo tandem perfruemur. Ecclesiæ igitur Sacramenta illa antiquæ Legis exsuperant; sed cedunt futuris bonis, quæ nobis promittuntur in Cœlo.

℣. 2. ALIOQUIN CESSASSENT OFFERRI [2].] Si B sacrificia, quæ in Jerosolymitano Templo offerebantur, internas hominum sordes potuissent eluere, a quibus, & pro quibus offerebantur, tandem non viguisset eorum sacrificiorum usus: qui enim semel peccatorum suorum remissionem fuissent assequuti, non accessissent rursus, recentia sacrificia oblaturi. Ubi convaluimus, omnibus pharmaciis valedicimus.

At enim inquiunt Judæi: ideo Sacrificia iterantur, quod sæpius mortales in eadem decidunt scelera. Si homines non relaberentur, illa numquam pro eodem bis offerrentur; non secus ac in Christiana Ecclesia, si post baptismum obnoxii peccato non essemus, opus minime esset, ut ad pœnitentiæ medicinam, vel ad Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI Sacrificium confugeremus, nosmet confirmaturi, commu- C nituri, & ea lapsu etiam recreaturi.

His respondemus; primo Moysis Legem sine ullo discrimine sceleris patrati, vel non patrati, quibusdam in casibus præcipere, ut Sacrificium iteretur; puta, solemnis expiationis die quotannis recurrente: igitur non ad peccatorum remissionem obtinendam solum, verum etiam ad infirmitatem suam, atque ignorantiam confitendam, & supremum Dei dominium, atque infinitam sanctitatem recolendam id fiebat [3]. 2. Certissimum signum, vulneri inutilem esse medicinam, illud est, cum semper idem pharmacum admovendum est: & e contra illud præsens est, & optimum, quod semel vulneri admotum, illud perfecte sanat [4]. Non ita accidit sacrificiis, vel Sacramentis Novæ Legis, si cum Veteri conferantur. Veteris qui- D dem Legis Sacrificia sæpius iterabantur, quod vulnus ad cicatricem non revocabant. Illud erat enthema invalidum, quod eodem in statu vulnera relinquebat: at opus non est, ut Novæ Legis Sacramenta iterentur; curant enim perfecte, atque in æternum.

Hoc quidem verum est, quod minime prohibeat, ne rursus decidamus, & ubi semel convaluerimus, recentibus vulneribus confodiamur. At neque S. Paulus ait, Christi fideles numquam peccare: asserit solum, ea Sacrificia, quæ Hebræi toties offerebant, illorum morbis medicinam præsentem non attulisse; quam ob rem sæpius erant iteranda, ut saltem vulnus obtegeretur, & ut jam curatum esse existimaretur. At Jesu Christi Sacrificium, ejusque Ecclesiæ Sacramenta repente ægritudinem auferunt, neque opus est iterari, nisi ægrotantis culpa Sacramenti virtus prohibeatur, vel novum accidat vulnus, quod novo pharmaco indigeat.

Immo JESU CHRISTI Sacrificium nunquam omnino iteratur; illius memoria tantum instauratur, & recens applicatur indigenti. Eadem semper realiter est A victima, idem Sanguis, Corpus idem; quod in Cruce immolatum fuit, quod repræsentatur, atque reproducitur miraculose pro salute fidelium infinitis simul in locis [5]. Hæc non sunt plura Corpora, sed unum, idemque Corpus, neque plures JESU CHRISTI, sed unus ubique.

℣. 3. SED IN IPSIS COMMEMORATIO PECCATORUM.] Hoc non est pharmacum, sed instauratio, atque reiterata peccatorum accusatio [6]; tum eorum, quæ præteritis annis jampridem, tum quæ anno præsenti acciderunt. Profecto Summus Sacerdos ea in Oratione, quam in hac profert celebritate, de peccatis generatim verba facit sine ulla coarctatione. Atqui si in præcedentibus Sacrificiis præterita scelera expiata fuissent, eorum commemoratio iteranda non esset [7].

B ℣. 4. IMPOSSIBILE ENIM EST SANGUINE TAURORUM .... OFFERRI PECCATA.] Cruenta Sacrificia quatenus talia, & veluti sensibiles, corporeæque cæremoniæ ex semet peccata remittere nequeunt. Nullam habent naturalem, directamque rationem, vel cum peccato, quod est interius, vel cum persona, quæ peccavit, & quæ omnino differt a victima, quæ immolatur. Oportuisset igitur, ut Deus hujusmodi Sacrificiis supernaturalem contulisset virtutem ad peccata expianda, quod ipsum fecisse nullibi legimus, vel ut peccator per se ipsum satisfaceret Deo, quod facere minime potest, nisi se cum JESU CHRISTO conjungens, & accedens ad Sacramenta, quæ rivuli sunt, per quos nos meritorum suorum fieri voluit participes.

℣. 5. IDEO INGREDIENS MUNDUM DICIT.] Da- C vid loquens in Messiæ persona venientis in Mundum, atque in incarnatione naturam nostram induentis [8], inquit: Domine *hostiam, & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi*. Ante ipsam Messiæ incarnationem hujusmodi victimæ minime placuerant Deo, quemadmodum ille sæpe per Prophetas edixerat [9]. Ut igitur illius justitiæ faceret satis, eique acceptam oblationem offerret, Salvator ait: *holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio; ut faciam, Deus voluntatem tuam*. Hactenus nihil in Mondo fuerat Divina Majestate dignum. Ita Hebræi ne nimium Legalibus cæremoniis, cruentisque Sacrificiis vestris confidite: Deus illa numquam exquisivit, sed ex mera erga vestram infirmitatem indulgentia ea toleravit [10]. Cupiebat ille, frœnum vobis immittere, ne in idolo- D latriam caderetis, atque mentes vestras iis obstringere cæremoniis, ne in aliquid pejus prorueretis.

CORPUS AUTEM APTASTI MIHI.] In incarnatione mea, ut illud per mortis meæ Sacrificium tibi offerrem. Septuaginta, unde S. Paulus deprompsit eorum omnium locorum versionem, quos in hac Epistola protulit, in psalmo 39. 9. una cum Vulgata, & Græco hujus loci textu legunt [11]: *Corpus autem perfecisti mibi, vel præparasti*. Sed in Psalterio Hebræo, & Vulgata, & quidam etiam Græci MSS. & Scholia quædam Psalmi ejusdem legunt [12]: *aures autem perforasti mihi*, ubi alludit Psalmista ad Hebræorum consuetudinem, servis suis aurem perforantium, cum anno Sabbathico hi uti minime vellent Legis privilegio, per quod in libertatem vendicabantur [13]. At quomodocumque legas, hoc facile ad JESUM CHRISTUM transferri potest. Videns, neque holocausta, neque victimas pro peccato placere tibi, memet tibi obtuli, ut tuas voluntates explerem, & de me quidquid tibi placuerit, efficeres. In perpetuum me tuo servitio addixi: in æternæ servitutis signum *aurem mihi perforasti*; vel *corpus aptasti mibi*, quale tibi placuit, ut illud tuo servitio devoverem,

1 Gregor. Nazianz. Orat. de Pasc. apud Theophyl. Tena, &c.
2 Græc. Ἐπεὶ ἂν οὐκ ἂν ἐπαύσαντο προσφερόμεναι: alioquin non cessassent ea offerre. At plures MSS. Græci Vulgatæ conformes sunt: Ἐπεὶ ἂν ἐπαύσαντο προσφερόμεναι: Vulg. Syr. Æth. Theod. Photius, Steph. 2. Alii: Ἐπεὶ καὶ.
3 Vide Cajet. Est. 4 Chrysost. homil. 17. Ita Theophyl. Tena, &c.
5 Chrysost. hic. Ita Theophyl. Est. 6 Theodoret. Theophyl.
7 Grot. Est. Men. Jac. Capell. 8 Est. Men. Tir. Zeget. ex Chrysost. Theophyl &c.
9 Isai. 1. 11. Jerem. 6. 20. Amos. 5. 22. Psal. 50. 18. &c. 10 Jerem. 7. 22. *Non præcepi patribus vestris in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum, &c.*
11 Σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. 12 אזנים כרית לי Ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι; vel, ἐνωτία μοι; seu, κατηρτίσω μοι. 13 Exod. 21. 5. 6. Deut. 15. 17.

verem, atque per illud gloriam tuam procurarem.

Et sane Salvator se sedemisit eo usque, ut Servi formam acciperet; ad mortem usque, immo & Crucis mortem [1], obediens fuit; corpusque suum contumeliis, vulneribus, atque cruciatibus tradidit; saturatus est opprobriis, effudit Sanguinem suum, vitam suam tradidit, ut injuriam Patri illatam repararet, & illi populum sanctum, mundum, & majestate illius dignum acquireret.

℣. 6. HOLOCAUSTOMATA, ET PRO PECCATO.] Hebræus, & Septuaginta [2]: *hæc non postulasti*, quasi ea cuperes; sed additamentum illud fuit duntaxat Legibus moralibus, quas Hebræis irrogasti, cum illis & sacrificia adjecisti: *Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes*, inquit Dominus apud Jeremiam 7. 21. *quia non sum loquutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo Holocaustomatum, & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis.*

℣. 7. TUNC DIXI: ECCE VENIO.] Videns nihil eorum, quæ offerebantur in Lege, tibi acceptum esse: memet obtuli iis omnibus, quæ placuissent tibi. *Tunc*: ante sæcula Incarnationis decretum jam erat constitutum: illud exequi incœpit Dei Filius, humanam carnem assumens, idque perfecit omnino tunc tandem, cum in Cruce animam exhalavit.

IN CAPITE LIBRI SCRIPTUM EST DE ME.] Non satis distincte liquet, utrum hæc verba: *ut faciam Deus voluntatem tuam*, sint id, quod in capite libri scriptum est: an simpliciter, utrum ibi scriptum sit, Dei Filium esse venturum; venio, quemadmodum scriptum est in capite libri, tua mandata expleturus. Ad hæc, non satis liquet, in cujus libri capite scriptum sit, Dei Filium venire, ut faciat voluntatem Dei.

Huic loco plures tribuuntur sensus, quorum summam tantummodo afferemus, quoniam de illis fusius in Commentariis in Psalmos disseruimus. Primo, primus officii mei articulus, & prima servitutis meæ conditio hæc est, Domine, ut omnem voluntatem tuam ad novissimum usque apicem expleam [3]. 2. in capite libri Geneseos scriptum est de me. *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram.* Hoc principium ex nonnullorum Patrum sententia [4] est Dei Filius. 3. Hebræus legit [5]: *Scriptum est de me in volumine libri*, & hoc fortasse innuere voluerunt Septuaginta [6]: quod enim *Caput* vertitur, innuere potest cylindrum, circa quod Legis liber involvebatur; ideoque hoc intelligendum esset de Sanctis Scripturis generatim, ubi nulla fere pagina est, in qua mentio minime fiat illius obedientiæ, quam Patri suo debet Dei Filius, nostra carne indutus. Posteriorem hunc sensum omnes fere sequuntur Interpretes.

℣. 9. AUFERT PRIMUM, UT SEQUENS STATUAT.] Ait, hostias antiquas, sacrificia animantium, quæ offeruntur in Templo, antiquanda esse, atque unum JESU CHRISTI sacrificium asservatum iri [7]. Quoniam sacrificia antiqua Deo grata non sunt, & Messias venit aliud sacrificium instituturus; hoc manifestum est, prima illa tollenda esse ad alterum hoc permansurum. Hæc est conclusio totius argumenti, quod attulit S. Paulus post ℣. 5.

℣. 10. IN QUA VOLUNTATE SANCTIFICATI SU-
A MUS.] Propter hanc Dei voluntatem adimplendam JESUS CHRISTUS in Terras descendit; huic nostram sanctificationem, atque salutem omnino debemus. Si Deus nos reliquisset sub jugo Legis antiquæ, & placuissent illi vetera Sacrificia, versaremur adhuc in peccatorum nostrorum sordibus, & nulla nova spes affulgeret, futurum ut salutem consequeremur.

℣. 11. OMNIS SACERDOS PRÆSTO EST QUOTIDIE.] Vide supra ℣. ℣. 2. 3. hujus capitis; sed ℣. 12. JESUS CHRISTUS *unam pro peccatis offerens hostiam*, cum semel se Deo Patri pro scelerum nostrorum expiatione obtulerit: Sacrificium illud non iterat amplius, neque in Terras venit, iterum ibi moriturus, sed in Cœlo permanens, *in sempiternum sedet in dextera Dei*.

℣. 13. DE CÆTERO EXPECTANS.] Postquam ille
B in Terris Patris sui voluntatem expleverit, & pro peccatis hominum justitiæ illius satisfecerit, quid reliquum est, nisi ut Pater vicissim exequatur, quidquid Filio spopondit, se videlicet sub pedibus illius inimicos ejus prostraturum [8]: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Innuere videtur Apostolus, inimicos, qui quamprimum ponendi sunt scabellum pedibus Domini, Judæos esse incredulos semper [9] JESU CHRISTO, ejusque doctrinæ, & Apostolis infestissimos; mordicus nimium inhærentes cæremoniis, quæ usque ad Messiæ adventum sunt permansuræ.

℣. 14. UNA ENIM OBLATIONE CONSUMMAVIT [10].] Perfecte adeo omnes illorum sordes eluit, ut minime opus sit illum rursus sacrificium suum offerre Patri, neque rursus applicare baptismatis medicinam, quæ
C illos meritorum JESU CHRISTI fecit participes. Vide ℣. ℣. 2. 3. S. Paulus hanc sæpe tundit incudem; hæc enim veritas maximi erat momenti ad eam rem, de qua habet sermonem. Persuadenda erat Judæis sacrificiorum Legis ad salutem inutilitas, eisque probanda virtus infinita sacrificii JESU CHRISTI.

℣. 15. CONTESTATUR AUTEM NOS SPIRITUS SANCTUS [11].] Nobis confirmat veritatem, quas vobis proposui; antiqua videlicet sacrificia non emundasse animam sordibus, & Jesum Christum unica ea oblatione, quam fecit Parenti suo, adeo perfecte ab omni labe nos abstersisse, ut unicum illius sacrificium iterari minime oporteat; hoc enim ait Spiritus Sanctus per os Jeremiæ [12], cujus loci magnam partem jam attuli supra cap. 8. v. ℣. 8. 9. 10. 11. 12. Postquam Propheta ait:
D *post illos dies*, tempore videlicet adventus Messiæ, novique Testamenti, *dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas*, addit [13]; *& peccatorum, & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius*. Novissimis his verbis ostendit post Jesu Christi oblationem, & post meritorum ejus per baptismum factam nobis applicationem, nulla in nobis amplius esse peccata, ideoque opus non esse, ut iterum hostia ad illa expianda offeratur. ℣. 18. *Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato* [14]. Hoc enim idem esset, ac vulneri curato inutilem adhuc medicinam apponere.

℣. 19. HABENTES ITAQUE FIDUCIAM IN INTROITU SANCTORUM.] In Cœli Sanctuarium, quod nobis per Jesu Christi Sanguinem reseratum est; in puri-
E tate, atque firma fide accedamus ad illud. Postquam Hebræis necessaria tradidit monita, et illis probaret novi fœderis præ veteri præstantiam, veterum sacrificiorum inutilitatem, Novique effectus admirabiles, Aposto-

1 Philipp. 2. 7. 8. 2 Hebr. לא שי לת 70. Οὐκ ἠθέλησας. 3 Grotius in hunc locum. 4 Tertull. contra Praxeam. Hieronym. & Ambros. in Psalm. 39. 11. Hilar. in Psalm. 2. 5 במגלת ספר כתוב עלי 6 70. Ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ. Aquila: Ἐν εἰλήματι: in volumine. Symmach. Ἐν τεύχει: Alius: Ἐν τόμῳ. Origen. in Joann. pag. 90. [illegible] τὰς γραφὰς τὰς ἀπαγγελλούσας περὶ αὐτοῦ ἐν τοῖς ψαλμοῖς κεφαλίδα ὀνομάζει βιβλίου αὐτός. Ita Interpretes pleique, Vide Grot. hic. 7 Theodoret. 8 Psalm. 109. 1. 9 Chrys. Theophylact. 10 Μιᾷ γὰρ προσφορᾷ τετελείωκε. 11 Græc. Μαρτυρεῖ δὲ ἡμῖν, καὶ τὸ Πνεῦμα; Contestatur nobis. 12 Jerem. 31. 33. 34. 13 Vers. 15. . . . . . Μετὰ γὰρ τὸ προειρηκέναι. Vers. 16. Αὕτη ἡ διαθήκη, &c. 17. Plures MSS. legunt: Τότε λέγει, Καὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν . . . Οὐ μὴ μνησθῶ ἔτι. Alii: Τότε λέγει. Alii: Ὕστερον λέγει κύριος. Alii: Τότε εἴρηκε. Verum optimi MSS. & editi nihil horum legunt, & Vulgatæ conformes sunt; ex quo arguere licet, hæc verba ab Amanuensibus addita fuisse.
14 Ὅπου δὲ ἄφεσις τούτων, οὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας.

postolus ad morum disciplinam transit, & ex præpositis principiis solida eruit argumenta pro eorum ædificatione, ad quos scribit. Hæc altera est pars hujus Epistolæ, ubi Hebræos ad fidem, pietatem, patientiam, atque perseverantiam hortatur.

Quoniam per gratiam Domini nostri, & merita passionis ejus futurum speramus, ut aliquando in æternum Tabernaculum, & Cœleste Sanctuarium ingrediamus, quo ante nos Jesus Christus Summus Pontifex ingressus est, & cujus aditum Sanguine suo nobis aperuit ꝟ. 20. sequamur, *quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, idest, carnem suam*. Viam novam, & viventem, vel ad vitam adducentem [1], eam vocat, quod ante Jesum Christum nemo illam fuerat sequutus: neque explorate fuerat Aaroni, Moysi, cæterisque Patriarchis; qui etiam, si illam cognoverunt, & prædixerunt, eamdem sequi, aliisque aperire minime potuerant. Unus Jesus Christus Cœli viam nobis ostendit, primus illam ingressus [2]: *viventem* autem eam viam dicit, quatenus oppositus viæ veteri, & cæremoniarum Legis. Hæc non deducebat ad vitam, nec liberabat e morte, cum Evangelii via, quam nobis Jesus Christus indigitavit, nos ad Cœlum, atque beatitudinem adducat [3].

Addit autem, Jesum nobis ostendisse viam *per velamen, idest, carnem suam* [4], alludens ad velum, quod Sanctum a Sancto Sanctorum sejungebat, & quod Summus Sacerdos amovebat, Sanctuarium ingressurus. Non secus ac Summus Sacerdos semel quotannis Sanctum Sanctorum ingrediebatur, hinc inde separans veli partes, quibus aditus obstruebatur; ita Dei Filius in Cœli Sanctuarium ingressus non est, nisi cum per mediam carnem suam, quæ in passione [5] aperta, & separata fuit clavis, lancea, spinea corona, flagellisque aditum sibi reseravit. Fractura veli, quod erat in Templo, & quæ in Salvatoris morte contigit [6], erat figura hujus viæ recentis, quam morte sua nobis Jesus Christus aperuit, ut ad Cœlum perveniremus.

Divus Chrysostomus, atque Theophylactus hoc ita explicant: ille nobis Cœlum aperuit per velamen carnis suæ: postquam illius Caro in Crucem elevata fuit, & ad Cœlum ascendit, nos cœlestia deteximus; nam nisi velamine ablato illa, quæ retro delitescunt, videri non possunt. Theodoretus, non secus ac Summus Sacerdos in Sanctuarium ingredi minime poterat, nisi emota cortina, quæ januæ obtendebatur, ita fideles in Cœlum non ingrediuntur, nisi postquam Dominicæ Carnis participes fuerint effecti, & Sacro illius Corpore pasti.

ꝟ. 22. ACCEDAMUS CUM VERO CORDE.] Sine simulatione, sine nequitie, sine felle, sine diffidentia, eos pietatis sensus foventes, quos ex nobis expetit Christianæ Religionis professio [7]; *in plenitudine fidei* e fidem habentes promissionibus Jesu Christi, & credentes, hoc Tabernaculum, atque invisibile Sanctuarium licet corporeis oculis non conspiciatur, realiter tamen subsistere, & nos certissime a Jesu Christo illuc admittendos esse, si ab ea via, quam ipse nobis indigitavit, ne transversum quidem unguem, ut ajunt, aberraverimus.

ASPERSI CORDA A CONSCIENTIA MALA. ꝟ. 23 ET ABLUTI CORPUS AQUA MUNDA.] Baptismatis [9]. Lustrationes in Lege institutæ abluebant corpus dumtaxat, legalesque solum sordes expiabant; at Christiana Religio majorem adhuc ex nobis perfectionem exposcit. Ex quo semel lustralibus aquis baptismi fui-

A mus abluti, hanc puritatem sedulo teneamus; & caveamus, ne iterum aliquibus sordibus coinquinemus.

ꝟ. 23. TENEAMUS SPEI NOSTRÆ CONFESSIONEM INDECLINABILEM [10].] Constantes simus in ea professione, quam fecimus, ut spem hanc conciperemus. Vel cum aliis exemplaribus; *firmi maneamus in spe, quam sumus professi*, vel *in spei nostræ professione*. Nihil spem nostram concutiat, nihil efficere possit, ut fidem, quam semel professi estis, derelinquatis. Nostis, qua conditione Christianam fidem estis amplexi, quid Filius Dei vobis promiserit, & quod vobis exemplum ostenderit. Non igitur amplior, nisi ut ea, quæ Deo promisistis, adimpleatis, si illum vobis fidem præstare cupitis; promissiones enim illius vestris respondent.

ꝟ. 24. CONSIDEREMUS INVICEM IN PROVOCATIONE CHARITATIS.] Nostrum singuli attente proximi
B sui virtutes, præclarasque dotes perpendant, ut eas imitentur, atque ex illius exemplo proficiant [11]. Si quis intepuerit, illum vestri fervoris exemplo, vestrisque adhortationibus excitate.

ꝟ. 25. NON DESERENTES COLLECTIONEM NOSTRAM.] Si quis vos lædit, vel scandali causam tribuit, ne ideo fidelium cœtum relinquatis [12], neque recedatis a communione precum fratrum vestrorum, quemadmodum nonnulli facere consueverunt, hanc prætexentes causam, se ab Ecclesia recessisse propter fratrum suorum infirmitates, & vitia, quos patienter ferre, & suaviter cum charitate ad frugem reducere debuissent. Vidimus jam in Epistolis ad Romanos 14. 2. & 1. ad Corinthios 8. 8. primis illis Ecclesiæ tem-
C poribus non defuisse validas contentiones propter Legis observantiam, & ciborum discrimen, cum qui magis illustrati essent, omni prorsus cibi genere vescerentur, quin Legis interdicta ipsis negotium facesserent; alii vero magis pavidi, minusque illustrati sibi cæremonialibus legibus usquequaque obtemperandum esse arbitrarentur. Hoc sententiarum discrimen eousque progrediebatur nonnumquam, ut quidam a fidelium cœtu recederent, & nollent cum illis communicare, qui Evangelii libertate perfruerentur. Huic errori fortasse Apostolus isthic afferre studet Medicinam.

QUANDO VIDEBITIS APPROPINQUANTEM DIEM.] Judicii [13], de quo in capitis hujus decursu verba facit; vel fortasse diem mortis, qui numquam nimis longe
D abest, & qui dies est peculiaris uniuscujusque judicii. Denique intelligi etiam potest de justitia a Deo quamprimum in Jerusolymitanos Judæos verbo suo incredulos, Ecclesiæque suæ persecutores exercenda, quæ quidem sententia mihi aptior videtur. Jerosolymitanum excidium post septem circiter annos accidit, ex quo hæc Epistola scripta fuit. Sacri Auctores novi Testamenti, ut plurimum, factum illud exhibent sub imagine secundi adventus Jesu Christi. Magnum quidem veris fidelibus tentamen erat allatura ærumnosæ illius civitatis calamitas, ubi tot insontes una cum criminosis pœna erant afficiendi, qui etiam si omnes æque scelesti fuissent, non ideo minus luctuosum fuisset excidium. Ubi viri boni impios interire vident, inde semper humilitatis, atque timoris causam nanciscun-
E tur; nemo enim justus est, qui justitiæ jacturam pati non possit [14], neque ulla scelera sunt, in quæ ruere minime possimus, nisi gratia Salvatoris adsistat [15].

ꝟ. 26. VOLUNTARIE ENIM PECCANTIBUS &c.] Expectandum amplius non est, ut iterum veniat JESUS CHRISTUS pro nobis moriturus. Ejus sacrificium uni-

cum

---

1 Ὁδὸν πρόσφατον, καὶ ζῶσαν. 2 Chrysostom. 3 Idem ibidem.
4 Διὰ τοῦ καταπετάσματος, τουτέστι, τῆς σαρκὸς αὐτοῦ. 5 Vide Grot. Gemar.
6 Matth. 27. 51. 7 Theophylact. 8 Ἐν πληροφορίᾳ πίστεως. Vide Theodoret.
9 Vide Chrysostom. & Theophylact. 10 Κατέχωμεν τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινῆ. Alii; Τὴν ἐλπίδα τῆς ὁμολογίας. Alii; Τὴν ἐπαγγελίαν τῆς ἐλπίδος. Alii: Τὴν ὁμολογίαν τῆς πίστεως. Vide Mill. hic.
11 Theophylact. Chrysostom. Grot. Riber. Menoch. Est.
12 Chrysostom. Est. Grot. Menoch. Zeger. Tir. 13 Vide Hebr. 9. 26. 27. 28. Ita Est. Men. &c.
14 1. Cor. 10. 12. *Qui stat, videat, ne cadat.* 15 August. Confess. l. 4. c. 1. *Quid enim sum ego mihi sine te, nisi dux in præceps.* Et serm. 99. c. 6. nov. Edit. p. 523. *Nullum est peccatum, quod facit homo; quod non possit facere & alter homo, si desit rector, a quo factus est homo.*

eum est, neque iteratur, quemadmodum loquitur supra ostendis Apostolus[1]: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel*[2]. Hoc idem est ferme, ac illud, quod capite sexto 4. 5. 7. dixit: *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei Verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Quemadmodum Jesus Christus bis mori non potuit, ita bis recipere non potestis baptismum, qui symbolum est mortis ejus; quoniam consepulti estis cum illo in aquis salutaribus, & ex sacro eo lavacro emergentes cum illo quodammodo resurrexistis[3].

Hæretici quidam, puta Novatiani, his locis abutebantur, ut negarent pœnitentiam illis, qui post baptismum in scelus ceciderant; & hoc fortasse prohibuit, ne Ecclesiæ quidem, nonnisi sero in Scripturarum Canonem hanc Epistolam reciperent. Verum cum S. Paulo sex confiteri debemus veritates, inter quas nulla adest repugnantia. Primo, baptismum non iterari. Secundo, Jesum Christum bis mori non posse. Tertio, majora peccata post baptismum nonnisi difficile remitti. Quarto, nullum scelus esse prorsus irremissibile, nisi desperationem, atque finalem impœnitentiam. Quinto, in Moysis Lege nullas esse victimas peccatis expiandis pares; sexto denique, unicam etiam ad scelerum post baptismum veniam obtinendam Sanctum esse pœnitentiæ Sacramentum, cujus aditum nemini prohibuit Ecclesia, licet primis sæculis Ecclesiæ quædam peculiares Divinæ misericordiæ tradiderint gravissima quædam flagitia, existimantes externa reconciliatione in sinum suum iterum admittendos non esse, qui per tantum nefas Sanguinem fœderis polluissent, & contempsissent Spiritum gratiæ, quem receperant.

Interpretes complures[4] credunt, scelus, de quo hic verba facit Apostolus, esse Apostasiam, & abnegationem fidei, atque Religionis Christianæ, cum sponte, nequiter, & invita conscientia aliquis ab Ecclesiæ corpore secedit, ejus doctrinam impugnat, mores, & disciplinam per calumniam, & obtrectationem discerpit. Putant alii[5], hoc esse peccatum contra Spiritum Sanctum, de quo sermo est in Evangelio Matt. 12. 31. ego tamen generatim intelligere malim de omnibus gravioribus sceleribus, præsertim vero de iis, quæ magis veritati Religionis adversantur, qualia sunt idololatria, apostasia, hæresis: quæ crimina illis respondent, quæ in veteri Testamento, *peccata elata manu* dicuntur.

℣. 27. TERRIBILIS AUTEM QUÆDAM EXPECTATIO &c.] Nihil aliud reliquum est, quam terribilis judicii expectatio, & ardor ignis; ad litteram[6] *zelus ignis*, quasi innueret, hoc elementum præ ira, & zelo in eos exardescere, qui Deo suo infideles fuerunt, & quodammodo ultionis suæ cupiditati satisfacere, eos devorans, & ob læsum Creatoris sui honorem pœnas exposcens. Peccatoribus hujusmodi minime expectanda est recens victima prò peccato, sed terribile Dei judicium, & ignis vehemens, quo in omni æternitate vorabuntur, quin absumantur. Apostolus alludere videtur ad ea Moysis Deut. 4. 24. verba; *Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator.*

℣. 28. IRRITAM[7] QUIS FACIENS LEGEM MOYSI.] In aliquo ex articulis ejus, ubi capitis supplicio proposito aliquid interdicitur, hic sine ulla miseratione ex duorum, vel trium Testium fide morte damnatur; quo igitur potiori jure, qui flagitiosissimis, publicisque sceleribus Evangelicam Legem perfregerint? vel potius: si qui populos in errorem student impellere, prophetiam, aut revelationes prætexendo, aut qui illum in Idolorum cultum, vel in apostasiam pellicere conantur[8], vel quicumque palam Domini Legem relinquunt, ut Idolorum cultui se mancipent, alienamque Religionem sectentur[9]; si homines hujusmodi apud Judices accusati ex duorum, vel trium testimonio sine miseratione damnantur, cur illi, qui Christianam Religionem abdicaverint, & fœderis Sanguinem conculcaverint supplicia scelerum suorum magnitudini paribus non afficerentur?

℣. 29. QUANTO MAGIS PUTATIS DETERIORA MERERI, QUI FILIUM DEI CONCULCAVERIT, ET SANGUINEM TESTAMENTI[10] POLLUTUM DUXERIT?] S. Paulus hoc in loco horrentem exhibet graphidem eorum, qui a Christiana Religione secedunt. Dei Filium pedibus obterunt, fœderis sanguinem polluunt, contumeliosi sunt Spiritui Sancto: quæ verba sine horrore audiri minime possunt: Attamen verum est, nihil in illis esse hyperbolicum, ubi justa exhibenda sit idea scelerum Apostatæ, in Idololatriam, vel infidelitatem relabentis, postquam baptismi Sacramentum recepit, particeps fuit Corporis & Sanguinis Jesu Christi, atque gratiæ illius dulcedinem, ac Spiritus Sancti dona gustavit.

℣. 30. SCIMUS ENIM, QUI DIXIT; MIHI VINDICTA.] Hæc verba deprompta sunt ex Deuteronomio 32. 35. ubi Dominus loquitur contra populi sui ingratitudinem, infidelitatem, & Idololatriam, eaque S. Paulus æquissime transfert ad Christi fideles, qui in Idololatriam, Apostasiam, Hæresim cadere. Vos æque ac ego novimus, quanta sit potentia, & justa severitas illius, qui sibi propriarum injuriarum ultionem reservavit, & qui ibidem ℣. 36. dixit: *judicabit Dominus populum suum*, eum reget, proteget, injurias, & contumelias eidem illatas persequetur[11]. Videtur sensus hic magis ad litteram accedere verborum Moysis, quæ Apostolus transfert ad Ecclesiam e Christianis nequam, & ab Apostolis contumeliis affectam, atque discerptam.

℣. 31. HORRENDUM EST INCIDERE IN MANUS DEI VIVENTIS.] Atque in omnem æternitatem iræ, & indignationis ipsius pondus subire[12]. Mortalis inimicus ad suam usque, vel nostram mortem potest ad summum nobis esse contumeliosus; & sæpe etiam ira ejus lenitur: at Deus æternum vivit, & non mutatur; atque præsertim post mortem inimicis brachii sui pondus ostendit.

℣. 32. REMEMORAMINI PRISTINOS DIES.] Quibus Jesu Christi fidem estis amplexi, & *illuminati* per baptismum, qui a Patribus Sacramentum illuminationis appellatur[13]. Alii[14] hoc simplicius intelligunt de præceptis, quibus fuerant imbuti, cum mysteriis initiati fuerunt, eisque detectum fuit, quidquid in Christiana Religione secretissimum est: Tunc summo cum fervore incœpistis, & *magnum certamen sustinuistis passionum*, quibus fratres vestri vos petere non destiterunt. JESU CHRISTI Ecclesia in ipsis prope incunabulis omnes incredulorum Judæorum hostiles conatus perferre debuit. Ex Actis Apostolorum satis liquet, quinam fuerit illorum animus contra JESU CHRISTI discipulos, primosque fideles.

℣. 33. ET IN ALTERO QUIDEM OPPROBRIIS, ET TRIBULATIONIBUS SPECTACULUM FACTI[15] &c.] Directe injuriis ipsi, bonisque vestris, indirecte autem

1 Heb. 9. 25. 26. 27 & 10. 10. 12. 14. 18. 2 Rom. 6. 9. 3 Rom. 6. 4. & seq. Coloss. 2. 12.
4 Hessel. Menoch. Est. Riber. Cathar. Tirelm. Hamm. Erasm. Varabl.
5 Bez. Gerhard. Gemar. 6 Καὶ πυρὸς ζῆλος, Confer Ezech. 36. 5. *In igne zeli mei*. Sophon. 1. 18. *In igne zeli ejus devorabitur omnis terra*, &c. Riber. Est.
7 Ἀθετήσας: *Qui contempsit, abjecit, violavit, abrogavit*, &c. 8 Deut. 13. 1. 2. 3. & seq.
9 Deut. 17. 2. 3. & seq. 10 Τὸ αἷμα τῆς διαθήκης κοινὸν ἡγησάμενος. Oecumen. Τὸ μηδὲν τῶν ἄλλων διαφέρον, *Commune, pollutum, profanum, immundum*. 11 Grot. Est.
12 Confer 2. Reg. 24. 14. *Melius est ut incidam in manus Domini*. Eccli. 2. 18. Dan. 13. 23.
13 Vide Hebr. 6. 4. Theodoret. Est. Riber. Drus. Menoch. alii passim.
14 Chrysostom. Theophylact. Riber. Grot. Jun. Jacob. Capell. &c.
15 Θεατριζόμενοι: *In theatrum producti spectaculo expositi*.

autem in fratribus vestris lacessiti; vel: in personis vestris exagitati, & afflicti in personis amicorum vestrorum, quantum dolor, & afflictio in vos cecidit, eo quod mœroris eorum participes vos præbuistis, & auxilium illis adferre actu estis adnisi.

℣. 34. NAM ET VINCTIS COMPASSI ESTIS.] Per occasionem mortis S. Stephani plurimi Christiani comprehensi fuerunt, & in vincula positi. *Factum est in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis*, inquit S. Lucas Act. 8. 1. & quicumque inde elabi potuerunt, in omnem Judæam, & Samariam dissipati sunt. Tunc forsasse fidelium bona direpta fuerunt, vel asportata, in populari seditione, atque Judicum, & Magistratuum auctoritate publicata. *Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*. Hoc neque fidem vestram labefactavit, neque vobis timorem injecit, sed calamitatem hanc, tamquam Cœli favorem recepistis. Plerique fidelium Jerosolymæ in commune sua bona contulerant [1], alii vero ea reservabant, ut in opera charitatis impenderent. Sed utrique simul bonis exuti ad extremam egestatem redacti fuerunt, quod coegit Apostolos, ut illos commendarent charitati fidelium, qui in Provinciis remotis aderant [2]: & ex superioribus Epistolis liquet, quo zelo, & sedulitate S. Paulus ex Ecclesiis Græciæ, Asiæ, & Macedoniæ opem illis congerere adnisus est.

Pro his verbis, *& vinctis compassi estis*, Græcus editus legit [3], *misericordes estis vinculorum meorum*. Alii [4]: *misericordes estis vinctorum*. Alii [5]: *vinculorum fratrum*. Sed MS. Alexandrinus [6], Claromontanus, aliique plures, Syrus, Cophtus, S. Joannes Chrysostomus &c. Vulgatæ omnino similes sunt.

COGNOSCENTES VOS HABERE MELIOREM, & MANENTEM SUBSTANTIAM.] Græcus [7]: *Scientes, vosmet in vobismet ipsis habere alia bona, in Cœlo divitias permansura*; sed optima non pauca exemplaria Vulgatæ similia sunt. Hoc hominibus solatio est, quod thesauros suos habent in Cœlo, quos neque hominum nequitia, neque vis pervadere potest [8], & ubi nemo ipsis spei eorum objectum potest eripere.

℣. 35. NOLITE AMITTERE CONFIDENTIAM VESTRAM.] Tot, tantaque pro justitia, & veritate passi ne despondeatis animos; cavete, ne retrocedatis, atque inimicorum vestrorum impotentiæ cedatis; constanter fidem vestram tueamini, neque per summam ignaviam patiamini jacturam eorum bonorum, quæ in Cœlo sperantur [9], & quæ sunt objectum vestræ confidentiæ, vel ne abjiciatis confidentiam vestram, atque constantiam, cum qua hactenus JESUM CHRISTUM estis confessi.

℣. 36. PATIENTIA ENIM VOBIS NECESSARIA EST.] Non satis est bene incœpisse, nisi ad finem usque perseveraveritis [10]. Vel; opus est, ut merces, quam præstolamini, vobis solatio sit in omnibus malis, quæ vobis sunt perferenda [11]. Mementote, hanc esse condi-
A tionem, sine qua in Cœlum ingredi non potestis, recordamini; *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei*, Act. 14. 21. hæc est via, quam nobis JESUS CHRISTUS ostendit, & per quam ille primus incessit.

℣. 37. ADHUC ENIM MODICUM ALIQUANTULUM.] Videtur Apostolus in hoc, & sequenti versiculo ob oculos habuisse Habacuc 2. ℣. ℣. 3. 4. Deus veniet, singulis secundum opera eorum redditurus. Si ad mortem usque perseveraveritis, laborum vestrorum mercedem recipietis: & qui veritatem reliquerint, suppliciis æternis adjudicabuntur. Mors, ut ita dicam, in foribus adest. Momentum illud de rebus omnibus disceptabit. Quidam [12] hoc intelligunt de ultione, quam post septem annos, vel octo sumpturus erat Dominus de Jerusalem,
B quæ Prophetas, & Dei servos necaverat. Quamprimum videbitis diem Domini, & persecutores sub justitiæ Dei pondere obruentur. Liquet, in Sacris libris adventum Filii Dei, novissimumque Judicium sæpius cum prædictione Jerosolymitani excidii commisceri, quod quidem gravissimum fuit iræ Divinæ exemplum, atque apertissima Judicii extremi, & universalis imago.

℣. 38. JUSTUS AUTEM MEUS EX FIDE VIVIT; QUOD SI SUBTRAXERIT SE, NON PLACEBIT ANIMÆ MEÆ.] Propheta Habacuc [13], unde hic locus desumptus est, in Hebraico textu, hæc ait: *anima, quæ est incredula, non erit recta in oculis ejus*, vel in oculis Dei; *sed justus ex fide vivet*. Apostolus subvertit ordinem verborum, quæ protulit ex versione Septuaginta [14]: *si distuleris, anima mea non placebit. Sed justus vivet*
C *ex fide*. Si cum superioribus hæc connectantur, alius jam illis tribui sensus potest: visio, quam videtis, quamprimum adimplenda est, & non deficiet; si distulerit Deus illius complementum, expectate, quoniam certe veniet, & non tardabit. Si dicunt: *hoc adhuc longe abest, Deo minime id placebit; sed justus vivet ex fide mea*. Tuebitur Deus, & eruet justum ex periculo, quod illi impendet in fidei, atque justitiæ illius remunerationem.

Quod de ævi sui incredulis ajebat Habacuc, S. Paulus hic ad incredulos, impios, & a Christiana Religione apostatas transfert. Qui dereliquerint fidem, quam fuerit amplexi, vel qui hæc omnia, tamquam inanes minas esse censuerint, vim iræ Dei experientur: sed justi Fideles, viri boni, qui metuent Dominum,
D & perseverabunt in fide, æternum vivent, atque præmiis, quæ sibi præparata sunt, perfruentur.

℣. 39. NOS AUTEM SUMUS SUBTRACTIONIS FILII [15].] Defectionis, incredulitatis. Non sumus ex illis, qui retrocedunt, qui per ignaviam, & apostasiam veritatis, atque justitiæ partes derelinquunt; absit, nos imitari hujusmodi homines, de quibus loquutus sum, qui animis despondent, vel qui in infidelitatem labuntur. Nos autem favente Deo firmi permanebimus in fide *in acquisitionem animæ*.

---

1 Act. 4. 35. 2 Galat. 2. 10. 3 Καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε.
4 Τοῖς δεσμίοις συνεπαθήσατε. Ita Origen. protreptic.
5 Claromont. & S. German. Latini. 6 Τοῖς δεσμίοις συνεπαθήσατε. Ita Steph. 1. ζ. &c.
7 Γινώσκοντες ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς κρείττονα ὕπαρξιν ἐν οὐρανοῖς, καὶ μένουσαν. Alii: Γινώσκοντες ἔχειν ἑαυτούς. Ita Syr. Arab. Æthiop. Alex. Clem. Alex. German. Lat. Claromont. Lat. &c. Alii: Ἔχειν ἑαυτοῖς. Ita Steph. 4. & alii plures tam Edit., quam MSS. apud Mill. Ἐν οὐρανοῖς deest in Alex. Claromontan. & S. German. G. L. Colbert. 7. Copht. Æthiop. Vulg. Clem. Alex. 8 Matth. 6. 20.
9 Est. Menoch. Tirin. 10 Vide Matth. 10. 22. 24. 13. Grot. hic.
11 Erasm. Est. 12 Vide Grot. Med. alios ad vers. 25.
13 Habacuc 2. 4. הנה עפלה לא ישרה נפשו בו וצדיק באמונתו יחיה
14 Ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ. Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται. Paul. hic: Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. Alii: Ὁ δὲ δίκαιός μου. Et ita Alex. & Edit. Ald. in Habac. 2. & Alex. hic. Theodoret. Ep. 22. Vulg. Clem. Alex. Alii item: Ἐκ πίστεώς μου. Claromont. & S. German. G. L. Syr. Copht. Theodoret. in Habac. Cyprian. ad Quirin. l. 1. parag. 5. & l. 3. paragr. 42. Euseb. Demonstr. Evang. l. 6. c. 14.
15 Οὐκ ἐσμὲν ὑποστολῆς εἰς ἀπώλειαν: *Non sumus subtractionis ad perditionem*; omisso, *filii*.

CAPUT

CAPUT XI.

Natura, elogium, effectus fidei. Per hanc Patriarchæ, & Prophetæ tot miracula operati sunt. Sine nobis mercedem sibi promissam illi non assequentur.

1. EST autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. 2 In hac enim testimonium consecuti sunt senes. 3 Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. 4 Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur. 5 Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. 6 Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit. 7 Fide Noe, responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum: & justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus: 8 Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit, nesciens quo iret. 9 Fide demoratus est in Terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac, & Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem. 10 Expectabat enim fundamenta habentem civitatem: cujus artifex, & conditor Deus. 11 Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat. 12 Propter quod & ab uno orti sunt (& hoc emortuo) tamquam sidera cœli multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis. 13 Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram. 14 Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. 15 Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi. 16 Nunc autem meliorem appetunt, idest, cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem. 17 Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones: 18 Ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen; 19 Arbitrans, quia & a mortuis suscitare potens est Deus: unde cum & in parabolam accepit. 20 Fide & de futuris benedixit Isaac, Jacob, & Esau. 21 Fide Jacob, moriens singulos filiorum Joseph benedixit: & adoravit fastigium virgæ ejus. 22 Fide Joseph, moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandavit. 23 Fide Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum. 24 Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, 25 Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, 26 Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem. 27 Fide reliquit Ægyptum non veritus animositatem regis: invisibile enim tamquam videns sustinuit. 28 Fide celebravit Pascha, & sanguinis effusionem: ne qui vastabat primitiva, tangeret eos, 29 Fide transierunt Mare rubrum tamquam per aridam terram: quod experti Ægyptii, devorati sunt. 30 Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum septem. 31 Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis: excipiens exploratores cum pace. 32 Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, & prophetis: 33 Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, 34 Extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum: 35 Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. 36 Alii vero ludibria, & verbera experti, insuper & vincula,

cula, & carceres: 37 Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: 38 Quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ: 39 Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, 40 Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.

℣. 1. EST AUTEM FIDES SPERANDARUM SUBSTANTIA RERUM [1].] In capite superiori S. Paulus hortatus est Hebræos ad patientiam, & perseverantiam, eisque dixit, illorum fidem dumtaxat charitate animatam, atque bona opera exercentem, illos tueri posse [2] ab ira Dei, quæ in impios, & incredulos erat sævitura. Hic vero illis ostendit, quanam in re hæc fides consistat, eisque egregia proponit exemplaria in personis, & factis antiquorum Patriarcharum, & Prophetarum.

Fides, quam vobis commendo, *est substantia rerum sperandarum*. Hæc vobis exhibet bona, earum quodammodo realitatem vobis tribuit, & in earum possessionem vos adducit. Ipsa est eadem substantia rerum, quæ spei vestræ objectum constituunt, inquit S. Chrysostomus; est tamquam oculus animæ vestræ, inquit Theodoretus, ut videatis eas res, quæ non videntur, sed quæ sperantur. Illa quodammodo producit, quod nondum est; per illam videmus corpora in tumulis putrescentia, quasi jam ob oculos nostros resuscitata versarentur. Fidei objectum sunt non ea modo, quæ sperantur, sed quæ creduntur etiam. Ita Apostolus in duobus membris definitionis suæ, vel potius descriptionis Fidei ostendit, ipsam esse *substantiam*, fundamentum, realitatem, essentiam earum rerum, quæ speramus, & *argumentum*, demonstrationem, certissimam probationem *non apparentium* rerum, quæ tamen a nobis creduntur. Hæc non est definitio pressius secundum Logicæ Leges concinnata, sed elogium, & descriptio fidei ex effectibus ejus. Non loquitur de præcipua causa fidei nostræ, quæ est auctoritas Dei, sub qua mentem nostram in captivitatem redigimus, ubi ille ea nobis revelat, quæ sunt a nobis credenda.

℣. 2. IN HAC TESTIMONIUM CONSEQUUTI SUNT SENES.] Cum Scripturæ illis amicorum, & servorum Dei nomen tribuant, & ipse etiam Dominus testimonium perhibuerit eorum sanctitati, & merito per ea miracula, quæ ipse in eorum gratiam, & per illos operatus est; Hebræi, ad quos S. Paulus hoc dedit literarum, nonnisi summa cum voluptate audire poterant, quæ sibi de majoribus suis dicerentur; & hæc domestica exempla illos quam maxime debebant afficere.

℣. 3. FIDE INTELLIGIMUS APTATA ESSE SÆCULA [3] VERBO DEI.] Et sane quanam alia ratione hoc intelligere potuissemus? Adam nondum erat creatus, immo post omnia sensibilia, & ad finem sextæ diei creatus fuit. Oportet igitur, ut Deus, vel illi creationem revelaverit, vel Moysi, qui ejusdem historiam conscripsit. Isai. 44. 7. hanc celebrat Judæorum prærogativam, qua præ cæteris populis eminebant, eo quod noverant, quid ab initio fecisset Deus, cum reliquæ Nationes ex historiis suis nihil tale cognoscerent. *Ego primus, & ego novissimus*, inquit Dominus, *& absque me non est Deus. Quis similis mei? vocet & annunciet præterita: & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: ventura, & quæ futura sunt, annunciet.*

Philosophia omnes nisus suos intendit, ut creationis A rerum omnium causam, modum, ac tempus cognosceret; sed nequicquam. Transitus a non esse ad esse, mysterium est humanæ menti ignotum, & omnes cogitationes nostras exsuperans [4]. Entia ab æterno esse probari minime possunt. Mundi vero novitas sexcentis argumentis probatur. Omnipotens virtus Verbi Dei, & infinita Creatoris Sapientia, quæ nobis in Sacris libris deteguntur, has solæ difficultates hujusmodi possunt expedire. Deus *dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt*, Psalm. 32. 9. Hic terminus est omnium Philosophicarum quæstionum; atque omnis mentis humanæ aufertur dubitatio, ubi fidei lumina effulgent.

UT EX INVISIBILIBUS VISIBILIA FIERENT [5].] Ne credatis, Mundum a Deo præexistenti, sed invisibili B ratione fuisse creatum. Ipsa in etiam Cahos ex nihilo eduxit; ex chaos vero qualibet coria, ut in eum statum, atque ordinem, quem tenent, collocaret: vel, quemadmodum ait Auctor alterius Macchabæorum libri c. 7. 28. illa ex non esse eduxit, ut ad esse deduceret. Cum ait Apostolus, a Deo visibilia facta, quæ erant invisibilia, ita est intelligendus; Deum scilicet ex rudi, informi, confusa, atq; invisibili materia *rudi indigestaque mole*, entia omnia eduxisse visibilia, & sensibilia. Vel etiam *invisibile* pro *non existenti* usurpatur. Videmus, homines ab hominibus produci, arbores ex arboribus nasci, & statuarium in terris simulacri conficiendi materiam invenire; sed primis illis temporibus nullum erat ens, quod suum simile produceret, neque materia ulla, unde posset Deus entia materialia efformare [6].

C ℣. 4. FIDE PLURIMAM HOSTIAM ABEL [7].] *Abundantem*, copiosam: sed Interpretes fatentur, meritum hostiæ Abel minus in ejusdem magnitudine, & copia fuisse positum, quam in affectu cordis eamdem offerentis. Fides Abel effecit, ut ipsius victima præ oblationibus Cain anteferretur; & per eamdem *testimonium consequutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo*. At quomodo nam hoc illi Deus testimonium perhibuit? igne de Cœlis misso, Patres [8] inquiunt, quo absumpta fuerunt ea, quæ apposita erant in ara, quod victimæ Cain fratris ejus non accidit. At de hoc fusius in Genesim 4. 4.

PER ILLAM DEFUNCTUS ADHUC LOQUITUR.] Dicitur in Genesi sanguis Abel ad Deum clamasse de terra, ubi fuerat effusus: *vox sanguinis fratris tui clamat ad* D *me de terra*, Gen. 4. 10. ad quod S. Paulus isthic [9] alludit. Sanguis Abel ultionem postulans, & cujus vocem exaudit Deus, probat Sancti hujus Patriarchæ fidem, eumque Deo acceptum esse demonstrat. Abel loquitur, & vivit in oculis Dei etiam post sui corporis cædem [10].

Quidam Græcum ita vertunt [11]: *Abel licet mortuus ad hanc quoque diem celebratur*. Vel, loquitur per os eorum omnium, qui illius justitiam, atque innocentiam commendant; Fides ejus ad hanc quoque diem loquitur, & valida, elataque voce ad mortales clamat: discite vereri Deum, atque servire Creatori, fideles omnes invitans ad fidem, atque constantiam suam ad mortem usque imitandam.

FIDE

1 August. tract. 79. & 95. in Joan. *Est autem fides sperantium substantia &c.*
2 *Justus autem meus ex fide vivit.*
3 Πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας.
4 Vide Chrysostom. hic homil. 22.
5 Εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι.
6 Theodoret. Chrysost. hom. 22. hic. Vide Grot. &c.
7 Πλείονα θυσίαν.
8 Ita Chrysostom. Theophylact. alii. Vide ad Genes. 4. 4. 5. Grot. Est. Riber. Menoch. Jun. Pisc. alii.
9 D. Thom. Est. Grot. Riber.
10 Philo. lib. *Quod pejor insidietur meliori*.
11 Καὶ δι' αὐτῆς ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖται. Sed plerique legunt: Ἔτι λαλεῖ. Ita Cod. Alex. & 9. Froben. Ald. Vulg. Syr. Clem. Alex. Epiphan. Theodoret. Theophylact.

℣. 5. FIDE HENOCH TRANSLATUS EST.] Propter A fidem hanc illi Deus gratiam concessit, ut non gustata morte ex hoc Mundo auferretur. In altera vitæ nactus est ille magnæ fidei suæ mercedem; atque in persona ejus Deus nobis specimen tribuere voluit immortalitatis, & felicitatis æternæ. Non quærimus hoc in loco, quo Henoch fuerit translatus; id enim fusius in Genesim 5. 24. ad examen revocatum est. In Apocalypsi 11. 3. autem videbimus, Henoch in Mundum cum Elia iterum venturum esse ante judicium novissimum, homines ad supremi Judicis adventum præparaturum.

℣. 6. SINE FIDE AUTEM IMPOSSIBILE EST PLACERE DEO [1].] Hoc præcedentibus subnectendum est. Scriptura testatur, Henoch, antequam de Mundo efferretur, Deo placuisse: *ambulavit Henoch cum Deo*, ait Moyses Gen. 22. 24. placuit in oculis ejus, illi acceptus fuit. *Sine fide autem impossibile est placere Deo*. B Fides enim virtutum omnium fundamentum est. Henoch igitur fide repletus fuit; quod erat S. Paulo probandum. Ostendit mox fieri minime posse, ut aliquis Deo sine fide placeat: credere enim *oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Nemo se se submittit illius servituti, qui non est, & qui ob officia sibi præstita remunerari non potest. Perspicuæ sunt hujusmodi veritates, Ethnicis quoque ipsis exploratæ. Si Dii rebus humanis se se non immiscent, jam nulla est religio, Tullius ait [2]: non satis est credere, Deum beatum esse, atque immortalem, Plutarchus inquit [3]: credendum est quoque, illum amare homines, eorum cura tangi, atque negotiis illorum interesse. *Neque honor ullus deberi potest Deo, si nihil præstat colenti; nec ullus metus, si non irascitur non colenti*, C Lactantius ait.

℣. 7. FIDE NOE RESPONSO ACCEPTO.] Per fidem admonitus Noe divinitus diluvium esse immittendum, credidit quidquid sibi dixit Deus; & licet nulla tunc adesset species eorum, quæ post centesimum, atque vigesimum annum dumtaxat erant eventura [4], incœpit tamen Arcam ædificare, & factis magis adhuc annunciare, quum verbis prope esse, ut ira Dei in universum genus humanum detonaret [5]. Ita palam *damnavit Mundum* in Dei oblivione, omniumque scelerum cœno alte demersum. Sic *justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus*, atque propter fidem justus inventus est in oculis Dei: *Noe vir justus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit*, ait Moy- D ses Gen. 6. 9. ideoque illum Deus cum universa ejus familia servavit, atque in fidei, virtutisque mercedem Mundum universum ei tradidit in hæreditatem: *justitiæ, quæ per fidem, est hæres est institutus*.

℣. 8. FIDE QUI VOCATUR ABRAHAM, OBEDIVIT.] Propter fidem, qui antea vocabatur Abram, & qui mox Abrahæ nomen obtinuit [6], de Chaldæa egressus, Urbem Ur reliquit, ubi natus erat, & alteram etiam deinde Charam, ubi rerum suarum sedem posuerat, venturus in Chananitidem, ubi numquam antea fuerat, quam minime noverat, & quæ tunc a frequenti, eoque flagitiosissimo populo possidebatur. Credidit tamen promissionibus Dei, qui illi spoponderat, se hanc Terram eidem aliquando traditurum; ibique, tamquam inquilinus, & advena cum filiis suis vixit, quin ne unum quidem E terræ pedem possideret [7], Urbem aut domum ædificaret; & ex humanis decessit; quin ulla umquam species fuisset futurum, ut quæ promiserat ipsi Deus, adimplerentur. Nihil horum tamen illius fidem, firmamque in Domino confidentiam deterruit.

℣. 9. IN CASULIS HABITANDO CUM ISAAC, & JACOB.] Abraham cum Isaac annos quinque, & septuaginta, cum Jacob autem quindecim tantummodo vixit. Isaac vero, & Jacob imitati sunt eam rationem, qua Abraham vixerat, sub Tabernaculis, Nomadum instar, viventes.

℣. 10. EXPECTABAT FUNDAMENTA HABENTEM CIVITATEM, CUJUS ARTIFEX, ET CONDITOR DEUS.] Cœlestem videlicet Jerosolymam, æternum viventium habitaculum [8]. Repletus cœlestis beatitudinis spe neglexit ille in Terra sedem sibi ponere, atque domos ædificare.

℣. 11. FIDE ET IPSA SARA STERILIS [9].] Liquet, Saram, & Abraham ad senectutem usque pervenisse, quin ullos liberos genuissent. Abraham centum annos natus, Sara nonagenaria erat, atque ex natura sua sterilis, cum Deus illis filii nativitatem spopondit [10]. Sara, quæ post ostium Tabernaculi latebat, hanc audiens promissionem risit. Angelus vero, qui cum Abraham loquebatur, Saræ risum exprobravit, quem quidam incredulitatis effectum fuisse crediderunt. Non abhorret a fide, illam primum quidem promissionem hanc impossibilem credidisse; sed cognita mox dignitate, & merito promittentis animum advertens ad Dei Omnipotentiam, promissionibus Domini constanter credidit [11], & pariendi gratiam est consequuta [12].

℣. 12. AB UNO ORTI SUNT, ET HOC EMORTUO.] Hæc est justa merces fidei Saræ, & Abrahæ, quorum altera jam senio erat confecta, & ad hæc sterilis; alter vero adhuc senior, & jam *emortuus*; hoc est senectute effœtus, & liberis gignendis impar: *nec consideravit corpus suum emortuum*, quemadmodum Apostolus inquit ad Romanos 4. 19. Deus igitur non sine miraculo contulit Saræ concipiendi, Abrahæ vero gignendi virtutem, quemadmodum Judæi Doctores, quibus plurimi Interpretes velificantur, crediderunt: quamquam [13] credat S. Augustinus non sine verisimilitudine, satis fuisse, ut Deus Saræ concipiendi virtutem impertiret, Abraham vero, licet ad eam ætatem pervectum, gignendo parem adhuc fuisse, quod liquet ex conjugio paulo ante cum Agar inito, & altero, quod mox iniit cum Cethura, ex qua plures liberos habuit [14]. Dicitur ante corpus ejus emortuum fuisse, non in se, sed habita ratione Saræ sterilis, & senio confectæ.

℣. 13. JUXTA FIDEM DEFUNCTI SUNT OMNES ISTI.] Quin viderint effectum promissionum Dei. Obiit Abraham, quin possiderit bipalmare Terræ spatium in Terra Chanaan, quæ sibi fuerat promissa. Sara decessit, antequam Isaac filius suus Uxorem duceret. Vidit quidem Abraham nepotes suos Jacob, & Esau: verum quid hoc cum ingentibus pollicitationibus, quas e Deo receperat de posterorum suorum numero, atque viribus? Abel, Henoch, Noe in hac vita nulla umquam nacti sunt præmia, virtuti, meritisque suis paria. Isaac vero, & Jacob nihilo magis, quam Patres sui felices fuerunt, neque in Terra aliquid possederunt. Fides illos inter vitæ hujus ærumnas communivit *a longe aspicientes, & salutantes* [15] Cœlestem Patriam suam, nauterum instar, qui ex longo itinere reversi

1 Græc. Χωρὶς δὲ πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι. Non legit *Deo*; nec antiquiores Codd. Latini. Vide Est.

2 Cicero de nat. Deor. l. 1. 3 Plutarch. lib. de communib. notitiis. Vide Grot. hic, & lib. 2. cap. 20. art. 46. de jure belli, & pac. 4 Chrysostom. Theophylact. Vide Matth. 24. 37. 38.

5 1. Petri 3. 20. 21. 2. Petri 2. 5. 6 Gen. 17. 5. 7 Act. 7. 5.

8 Vide Est. Menoch. Riber. Jun. Zeger. Capell. Hamm. alii. Ita Patres.

9 Græcus impressus non legit *sterilis*, extat tamen in vetustioribus MSS. Græcis, in Cophta, Syr. Æthiop. &c.

10 Genes. 18. 10. 11. 12. &c. 11 Vide Theodoret. Riber. Pareæ. alios.

12 Δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβε: *Virtutem ad dejectionem, emissionem, ejaculationem seminis*, vel *ad recipiendum, seu concipiendum semen viri*. Chrysostom. hom. 23. Theophyl. Ita sentiunt Grot. Drus. Jen. Gemar. Pisc. Alii negant mulierem emittere semen, ut Est. Bez. Jac. Capell. Aristot. lib. 1. cap. 20. lib. 2. cap. 4. de gener. animal. Averroes, Vicenna, alii non pauci e recentioribus.

13 August. lib. 16. de civit. cap. 8. & quæst. 35. in Genes. Vide Perer. in Rom. 4. 19.

14 Genes. 25. 1. 15 Ἀλλὰ πόρρωθεν αὐτὰς ἰδόντες, καὶ πεισθέντες, καὶ ἀσπασάμενοι: *Sed a longe videntes, & persuasi, & salutantes eas a longe*. At πεισθέντες, *persuasi*, non legitur in optimis MSS. G. & L. Clarom. S. German. Alex. Colb. 7. Cant. 2. 3. alii plures, Syr. Arab. Æthiop. S. Chrysost. &c.

cum portum, ac Patriæ mœnia prospectant, eminus A illam salutant. Se in terris tamquam advenas existimabant, atque non ægre relinquebant eam Terram, quæ licet speciosa, & deliciis affluens videretur, levissimam tamen illis præbebat imaginem, vel umbram veræ Patriæ, quæ Cœlestis est, & quo omnia cordis sui desideria tendebant.

CONFITENTES QUIA PEREGRINI SUNT.] Veluti unus Abraham dixit filiis Loth, Gen. 23. 4. *advena sum, & peregrinus apud vos*. Et Isaac tamquam peregrinus Geraris [1], & in Palæstina permansit. Jacob etiam Ægyptio Regi profitetur, Gen. 47. 9. *dies peregrinationis suæ centum triginta annorum esse*. ℣. 14. *qui hæc dicunt, significant* se nullam habere Patriam, neque certam sedem, sed Cœlestem Patriam inquirere. Si enim putassent, se Cives esse Ur, vel Haran, facile B ipsis erat illuc reverti, ait Theodoretus.

℣. 16. IDEO NON CONFUNDITUR DEUS, VOCARI DEUS EORUM.] Reges terræ nomen desumunt ex Regno suo, & ex populis, quibus imperant, & qui in ditione sua permanent. Deus Moysi de rubo loquentes, Exod. 3. 6. se Deum Abraham, Isaac, & Jacob appellat; ita ostendens, Sanctos hos Viros subditos suos esse, atque hæredes Cœlestis Regni sui, Jerusolymæ spiritualis, eique invisibilis [2].

℣. 17. FIDE OBTULIT ISAAC CUM TENTARETUR.] Ut exerceretur ejus virtus, & obedientia, nobisque perfectæ fidei, atque submissionis erga mandata Dei præberetur exemplum [3]. Apostolus ait, Abraham obtulisse Isaac; hoc est nihil per se intentatum reliquisse, quo minus illum offerret [4]. *Immolari sibi Deus filium jussit; Pater obtulit, & quantum ad defunctionem cordis pertinet, immolavit*. C

℣. 18. AD QUEM DICTUM EST.] Dominus dixit ad Abraham. *quia in Isaac vocabitur tibi semen*. Vel, Abraham obtulit Deo primogenitum suum, *de quo dictum est &c.* Ad quem positum est, pro *de quo*; non secus ac supra cap. 4. 13. *ad quem nobis sermo*, & Heb. 1. 7. ad *Angelos*, *pro de Angelis &c.*

℣. 19. QUIA ET A MORTUIS SUSCITARE POTENS EST.] Ad conciliandam obedientiam, quam præstabat Deo immolans Isaac, cum promissione, quæ Deus per Isaac frequentem posteritatem se illi daturum spoponderat, credidit Abraham, Isaac post mortem suscitatum esse resuscitandum: alioquin enim inter Dei promissiones, & mandata oppositio aliqua visa fuisset. D

UNDE EUM ET IN PARABOLAM ACCEPIT.] Nempe veluti figuram Resurrectionis, quam a Deo in gratiam suam effectum iri credebat. Credidit illum a Domino resuscitandum; & sane quodammodo resuscitatus fuit Patri redditus. Hunc de manu Domini recepit Abraham tamquam de manu mortis ereptum [5]; vel illum recepit tamquam imaginem Resurrectionis JESU CHRISTI [6]. Isaac in pyrha positus referebat Dei Filium in Cruce; idem Isaac Patri redditus JESUM CHRISTUM resuscitatum præsignabat.

℣. 20. FIDE ET DE FUTURIS BENEDIXIT ISAAC.] Deus illi aperuit oculos mentis, eumque extulit super ea, quæ coram fiebant, ut prædiceret Jacob, & Esau ea, quæ eventura erant, non solum autem ipsis, verum etiam eorum posteritati [7]. Jacob, qui minor erat natu, Esau natu majori præfertur; & quamquam E Abraham, & Isaac nihil in Terræ Chanaam possedebant, Isaac regionis hujus hæreditatem Jacob filio suo tradidit, velut eam rem, de qua jure disponere poterat propterea, quæ Patri suo fuerant promissa. Jacob, & Esau erant figura duorum populorum, Judæi, atque Gentiles [8]; alterius quidem electi, alterius reprobati. Isaac huc usque fortasse mentis suæ oculos intendebat, cum benediceret Jacob, tamen non sine detrimento Esau.

℣. 21. FIDE JACOB MORIENS.] Benedixit Manasse, & Ephraim, utrique; & superiori ductus lumine prætulit Ephraimum Manasse fratri illius contra nativitatis ordinem, & mentem Josephi parentis eorum [9]; prænoscens profecto Tribum Ephraim validiorem futuram, & Regnum decem Tribuum diutius possessurum.

ET ADORAVIT FASTIGIUM VIRGÆ EJUS.] Et inclinavit sese coram virga, quam filius suus deferebat. Ita eruditi Interpretes nonnulli [10] intelligunt Textum Septuaginta hoc in loco, & in Genesi [11]. Jacob B fide repletus ante virgam Imperatoriam, vel sceptrum, quod Joseph gerebat, profunde sese inclinavit, in eo signo agnoscens auctoritatem JESU CHRISTI, cujus figura erat Joseph, vel Regiam auctoritatem, quæ in Tribu Ephraim residere debebat.

Alii Græcum vertunt [12]: *adoravit Deum* innixus *fastigio virgæ suæ*. Supponitur Jacob in cubitum surrexisse, ut ad Joseph loqueretur, & ex illo jusjurandum exigeret, quod corpus patris ille in sepulchrum Patrum suorum inferret: Et inde inclinasse caput super baculum suum, Deum adoraturum, eique gratias acturum, quod omnino sua vota adimplesset: quem sensum Græcus facile admittit.

Denique S. Hieronymus, Aquila, Symmachus, C atque Interpretes Hebraico Textui adhærentes ita vertunt [13]: *adoravit Isaac Deum, conversus ad lectuli caput*. Alii vero simplicius: *reclinavit se ad caput lectuli*. Surrexerat ille in cubitum suum, quemadmodum diximus, cumque exorasset Josephum, ut sibi jurejurando promitteret non passurum, ut corpus suum in Ægypto permaneret; sed curaturum, ut in Terram Chanaam transferretur, Jacob, qui per ætatem, atque infirmitatem diutius cubito inniti non poterat, iterum cervicali suo reddidit caput. Hic sensus fortasse simplicior est, & Hebræo magis conformis. Sed S. Paulus in universa hac Epistula semper versionem Septuaginta sectatur.

℣. 22. FIDE JOSEPH MORIENS DE PROFECTIONE FILIORUM ISRAEL.] Joseph fidei, & Prophetiæ spiritu D repletus fratribus suis prædixit, futurum ut eos Dominus visitaret [14], eosque rogavit, ut secum sua ossa transferrent, cum in Terram Chanaam ingrederentur. Cura hæc ossium suorum resurrectionis spem videtur innuere.

℣. 23. FIDE MOYSES NATUS, OCCULTATUS EST.] Amram, & Jocabed parentes Moysis noverant Pharaonis Imperium, & periculum, quod subibant, filium suum conantes abscondere. Sed cum scirent promissiones, quas fecerat Deus Abrahæ Patri suo, se eorum genus, tamquam Cœli stellas multiplicaturum, & futurum, ut aliquando Israel de Ægypto erueretur, ultro periculum subire voluerunt, Regis iram experiendi, ut Dei consilium explerent, servantes filium sibi a Deo traditum, & cujus eximie species Divinæ erga ipsum E prædilectionis nota illis visa est, & fortasse etiam indicium eorum, quæ de filio decreverat Deus [15]. Josephus enim Antiqu. l. 2. c. 5. narrat, Amram Patrem Moysis, cum Deum orasset, & ex eo precibus quæsivisset, quid sibi faciendum, si Jocabed Uxor sua, quæ ventrem ferebat, puerum enitereretur, Deum illi declarasse

1 Genes. 26. 1. 2. 3. & seq.
2 Vide Theodoret. Est. Grot. Jun.
3 Vide Theodoret. Est.
4 Salvian. de Gubern. Dei lib. 1. pag. 26.
5 Grot. Castal. Le Clerc, alii.
6 Theophylact. Ita & Theodoret. & alii quamplurimi.
7 Genes. 27. 27. 28. &c.
8 Rom. 9. 10. 11. 12. & seq.
9 Genes. 48. 13.
10 Chrysostom. Theodoret. Est. Menoch. Tirin. alii.
11 Genes. 47. 31. Καὶ προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ.
12 August. quæst. 162. in Genes. Diodor. & Gennad. ad Genes. 47. Hieronym. Quæst. Hebr. Grot. hic. Erasm. Jun. Jacob. Capell. &c.
13 וישתחו ישראל על ראש המטה Aquil. Προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῆς κλίνης. Symmach. Ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλίνης. Vulg. Genes. 47. 31. *Adoravit Israel Deum conversus ad lectuli caput*. Alii: *Reclinavit se ad caput lectuli*. Jun. Jacob. Capell. Le Clerc. &c.
14 Genes. 50. 25.
15 Vide Grot. Est. Menoch. Tirin. &c.

ra, filium, qui nasceretur, eum esse, a quo Israelitæ quidem de Ægypto erant liberandi, Ægyptii vero iis omnibus malis obruendi, quæ evitare cupiebant, Hebræorum filios enecando. Certiorem fecit Jocabed Uxorem suam hujus somnii, & paribus consiliis decreverunt, filium, qui nasciturus erat, esse servandum. Jocabed autem facili, & felici partu filium edidit, enixa, quin Regii satellites intelligerent. Hæc narrat Josephus ex Veteri Patrum suorum traditione.

Vetera quædam exemplaria Græca, & Latina [1] ad hujus versiculi finem hæc verba legunt: *fide Moyses cum adolevisset, occidit Ægyptium, miserans injuria fratrum suorum*, quod desumptum videtur ex Actis 7. 24. Zegerus credere videtur, hunc locum fuisse in primis hujus Epistolæ exemplaribus, & inde mox ablatum librariorum incuria propter ea verba: *fide Moyses grandis factus*, quæ in ℣. 24. leguntur.

℣. 24. FIDE MOYSES GRANDIS FACTUS [2].] Deus maturato Moysis mentem illustravit; seu ille ex Parentibus audierit, quid ipsis ante nativitatem suam fuerat revelatum, & quod mox acciderat; seu immediate, & supernaturali, interiorique lumine hæc ille cognoverit, abdicavit quidquid ex adoptione filiæ Regis sperare poterat [3], & maluit cum fratribus suis inter labores, atque ærumnas vitam trahere, quam diutius in aula versari. Majoris in pretio habuit promissiones, quas Avis suis fecerat Deus, quam eas, quæ sibi Regina large, effuseque pollicebatur; prætulitque dignitatem servi Dei Ægyptio Imperio. Josephus enim Antiqq. l. 2. c. 5. ait, Reginam Thermothim cogitasse, ut hic Regni hæres crederetur, quoniam ipsa filios non pepererat.

℣. 25. MAGIS ELIGENS AFFLIGI.] Maluit cum Hebræis fratribus suis laboribus, atque ærumnis obnoxium esse, quorum tamen sciebat, Deum esse Patronum; *quam temporalis peccati habere jucunditatem*. Calamitosam Hebræorum vitam prætulit aulæ deliciis, quas gustare non poterat, quin se crimine macularet; credidisset enim peccare, si quin fratrum laboris sibi negotium facesseret, inter aulæ voluptates vitam [4] duxisset. Ex quo cognovit, se a Deo electum esse Israelitici populi liberatorem, omnem operam, & studium suum transmisit, ut ingens hoc consilium expleret.

℣. 26. IMPROPERIUM CHRISTI,] vel illud est, quod quis propter ipsum, & amore ipsius patitur; vel simile illi, quod ipse passus est [5]. Cum Moyses esset JESU CHRISTI figura in contumeliis, quas ferebat, eas exhibebat, quas passurus erat JESUS CHRISTUS [6]. *Improperium Christi* loquutio est illi ferme similis, quam alibi vidimus apud S. Paulum [7], *vinctus Christi* pro vinctus pro Christo; & Coloss. 1. 24. *afflictiones Christi* pro iis afflictionibus, quæ propter amorem illius perferuntur. Apostolus de industria hac utitur ratione loquendi ad Hebræorum solatium, quibus scribebat, & qui pro JESU CHRISTI nomine plurimis contumeliis proscindebantur.

℣. 27. FIDE RELIQUIT ÆGYPTUM, NON VERITUS ANIMOSITATEM REGIS.] Inter ceteras causas, propter quas Pharao Israelitas vexabat, ea vel potissima erat, ut prohiberet, ne Ægypto egrederentur [8], & in aliam Regionem concederent. Cum Rex, populusque Ægyptius ex Hebræis omne opus illud exigerent, quod ex mancipiis abjectissimis recipitur, illorum intererat non pati, ut hi ex ea regione dilaberentur. Moyses vero cum cognitus esset, quod in aula permanserat, facile intellexit, si recederet, Regem in iras exarsurum,

A se se ubicumque diligentius iri perquisitum, ut Pharaoni traderetur. Sed fidei omnia æque pericula contempsit, in Madianitarum Terram secessit e conspectu Ægypti, a qua Madian sola dividitur latitudine Maris Erythræi, quod eo in loco non admodum patet. Neque ibi latuit; immo Uxorem duxit filiam Jethro Sacerdotis, vel Principis Madianitarum, fretus, Deum, qui sibi revelaverat, se ad populum suum liberandum ex Ægypti servitute [9] divinitus esse destinatum, non defuturum, quin sibi vias aperiret, ut invito Rege tantum opus exequeretur.

At enim quomodo conciliari possunt ea, quæ S. Paulus inquit, aufugisse Moysem, quin Regis iram metueret, cum iis, quæ in Exodo scripta sunt [10], illum videlicet effugisse, veritum Pharaonis iram, qui cum ipsi nuntiatum fuisset, ab Moyse Ægyptium interfectum, illum ubique ad mortem quærebat? Respondetur I. Moysem timuisse periculum, quemadmodum cuilibet homini cordato timendum est; verum non eo usque timuisse, ut ab officio recederet, & confidentiam, quam in Deo habebat, abjiceret: II. metuisse immensus periculum, & eas sequutum fuisse vias, quas illi providentia sternebat, ut inde evaderet, non eousque tamen timuisse, ut tentaret Deum, & ex illo intempestiva miracula posceret. Minime dubitavit, quo minus se Dominus ex eo periculo erueret, & ex adimpleret consilia, quæ de eodem inierat. Quidam ast metus prudens, sapiens, & cautus, qui non constantiæ, & magnanimitati, sed temeritati, atque imprudentiæ adversatur.

S. Joannes Chrysostomus, atque Theophylactus merum, fugamque Moysis in Exodo memoratam cum illius fortitudine, & constantia, de quibus hic sermo, conciliant, dicentes, illum metuisse quidem Regis iram fugiendo, atque in Terram Madian secedendo; sed testatum fuisse animi sui magnitudinem, in Ægyptum revertendo, ubi a Deo jussus fuit, quin Regis iram metueret, ad quem Dei nomine minime jucunda erat nuntiaturus. Credit Theodoretus, animum illius, & fortitudinem enituisse [11], ubi Ægyptium occidit; prudentiam vero, ubi Ægyptum reliquit: *fide reliquit Ægyptum, non veritus indignationem Regis*, hoc est per fidem, quin Regis iram metueret, occidit Ægyptium, quo facto debuit fugam arripere.

℣. 28. FIDE CELEBRAVIT PASCHA.] Moyses decima die ante exitum de Ægypto [12], juxta imperium Dei præceperat, ut in singulis Israelitarum domibus singuli Agni, vel hædi præpararentur immolandi nocte eadem, qua cædes accidit primogenitorum Ægypti, ab Angelo exterminatore interfectorum [13], qua eadem nocte de Ægypto Israel egressus est. In hoc facto Moysis fides maxime enituit imperando, primum, ut agnus ante decimum diem præpararetur, 2. Hebræis, ut ab Ægyptiis commodata reciperent aurea vasa, & argentea, quæ illis numquam erant reddituri, 3. ne Agnus Paschalis immolaretur tamquam victima, ut se se ad iter, atque exitum de Ægypto disponerent, licet ab hac facultate illis concedenda Rex abhorreret, 4. ut postes Hebræorum sanguine adspergerentur [14], ne illuc exterminator Angelus ingrederetur, & aliquem occideret.

℣. 29. FIDE TRANSIERUNT MARE RUBRUM.] Moyses, & Israel universus tunc temporis præclarum fidei suæ specimen præbuerunt, ingressi Erythræi maris sinum, quod hinc inde secesserat, ut illis locum præberet; quin vererentur, ne in caput suum laberentur

1 Cod. Claromontanus Πίστει μέγας γενόμενος Μωϋσῆς ἀνεῖλεν τὸν αἰγύπτιον, κατανοῶν τὴν ταπείνωσιν τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ. Clar. & S. Germ. Lat. *Fide magnus factus Moyses, occidit Ægyptium, considerans dolorem fratrum suorum.* Ita & alii quid. apud Erasm. & Zeger. 2 40. annum habebat, ut ait S. Stephanus Act. 7. 23.
3 Exod. 2. 10. Act. 7. 21. 4 Chrysost. Theophyl. Oecum. Ribei.
5 Chrys. Alii plures. 6 Theodoret. D. Thom. Grot. Est. 7 Philem. vers. 1. & vers. 9. & Ephes. 3. 1.
8 Exod. 1. 10. *Venite sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur .... & expugnatis nobis, egrediatur de terra.* 9 Act. 7. 25. *Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis.* 10 Exod. 2. 14. *Timuit Moyses, & ait: Quomodo factum est palam verbum istud? Audivitque Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen; qui fugiens de conspectu ejus, &c.*
11 Theodoret. 12 Exod. 12. 3. 4. 13 Exod. 11. 4. 5. 12. 23. 29. Sap. 18. 5. &c.
14 Πίστει πεποίηκε τὸ πάσχα, καὶ τὴν πρόσχυσιν τοῦ αἵματος.

A flactua, iisque medii in alveo maris obruerentur. Vide, si lubet, nostram de transitu maris rubri Dissertationem, Exodo propositam.

℣. 30. Fide muri Jericho corruerunt.] Per fidem Israelitarum, præsertim vero Josue, atque Sacerdotum, qui septies cum fœderis Arca Jericunthis mœnia circumiverunt, muri ex semetipsis die septima ad ingentem totius exercitus clamorem corruerunt. Hæc autem omnia adimpleta sunt juxta promissionem Domini, quam Josue populo nunciaverat. Josue 6. 3.

℣. 31. Fide Rahab meretrix.] Rahab Chananæa mulier, Idolorum cultrix, & quæ ad hoc quæstum corporis faciebat, supernaturali lumine illustrata, hospitio recepit exploratores a Josue missos, credidit, Dominum populo suo universam Chananæitidem traditurum juxta ea, quæ Patriarchis promissa fuerant; & B tantum abfuit, ut de Jerichuntino excidio dubitaret, quod etiam juris jurandi fidem ab exploratoribus expetiit, qui nomine Josue promiserent futurum, ut ipsi, ejusque domesticis parceretur.

℣. 32. De Gedeon, Barach, Samson,] aliisque? Cum loqueretur Apostolus apud Hebræos, qui perfecte Bibliorum Sacrorum historiam noverant, obiter tantum ingentia hæc nomina attingit, quorum vitæ, atque res gestæ erant celeberrimæ. Facillimum erat ostendere, quemlibet ex his summis viris fidei suæ merito inter cæteros enituisse. Verbum tantum addit de eorum singulis, sequentibus versiculis, quin illorum iteret nomina [1].

℣. 33. Qui per fidem vicerunt regna.] Josue Reges complures in Terra Chanaam superavit [2]. C Barach insignem retulit victoriam de Sisara Jabin Regis Asor Imperatore Judic. 4. 5. Gedeon Madianitas profligavit Judic. 6. 7. 8. Jephte Ammonites, & Moabitas Judic. 11. Samson Philisthæos sæpius Judic. 13. & seq. Samuel precibus suis a Deo insignem de iisdem Philisthinis victoriam impetravit 1. Reg. 7. 9. David fidei suæ merito obtinuit Regnum Judæ, quod sibi Dominus per Samuelem spoponderat, & eadem fide animatus plurimos subegit populos, atque in suam ditionem redegit.

Operati sunt justitiam.] Barach, Gedeon, Jephte, Samson, Samuel, Judices fuerunt Israel, cumque illos Dominus elegisset, provinciam suam ita procurarunt, ut in Scripturis laudibus exornentur. Non censemus tamen, omnes eorum actiones a crimine nobis esse vindicandas. In Samsonis vita complura D occurrunt flagitia; Jephte iisdem non caruit, licet non aliud quam filiæ suæ sacrificium in ipso deprehenderetur. Sic Sacri Auctores, qui eorum recte facta, eorumque crimina enarrant, nequaquam hæc laudibus exornata contendunt, cum priora meritis extollunt encomiis.

Adepti sunt repromissiones.] Barach, & Gedeon victorias sibi a Domino promissas retulerunt. Samson terror fuit Philisthinorum, quemadmodum Angelus parentibus illius pollicitus fuerat. David postquam graves, diuturnasque persequutiones passus fuisset, vidit tandem eas adimpleri promissiones, quibus Dominus sa illi populisai Regnum traditurum spoponderat. E

Obturaverunt ora leonum.] Hoc præsertim ad Samsonem spectat, qui Leonem in vinea interfecerat Judic. 14. 5. ad David, qui Sauli dicebat, se contra Ursos, & Leones dimicasse 1. Reg. 17. 34. ac tandem ad Danielem, qui in Leonum lacum conjectus, inde incolumis evaserit. Dan. 7. 22.

℣. 34. Extinxerunt impetum ignis.] Daniel, A sociique illius in ardentem fornacem injecti fuerunt, quin igni læderentur. Dan. 3. 49.

Effugerunt [3] aciem gladii.] Gladium Jezabelæ Elias, Saulis David, Achabi Michæas, Joram Elisæus effugerunt &c.

Convaluerunt de infirmitate.] Job, & Ezechias divinitus, & in fidei suæ præmium convaluerunt. S. Chrysostomus, quique illum sectari consueverunt, hoc explicant de captivitate Babylonis, quam Scriptura sæpe exhibet tanquam statum mortis, atque languoris. Deus inde eripuit Hebræos, illos viribus & fortitudine replevit; ita ut Macchabæi Ducibus validissimos fugarint Exercitus: *fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*. Hoc transferri etiam potest ad eos Duces, de quibus primum loquuti sumus; B sed præsertim Macchabæos videtur respicere. Nulla unquam major fides, zelus, & religio enituit, quam in his bellatoribus viris; & nunquam omnipotens Dei patrocinium magis effulsit, quam in iis bellis, quæ contra Reges Syriæ Duces illi bellarunt.

℣. 35. Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.] Mulier Sunamitis Elisæi [4], & Vidua de Sarepta Eliæ [5] hospitæ filios suos jam vita defunctos eorum Prophetarum precibus iterum ad vitam revocatos receperunt. Hujusmodi resurrectiones eque præmium sunt fidei earum mulierum, ac merces meritorum, precum, & fidei sanctorum virorum, quos nuncupavimus.

Alii autem distenti sunt.] Plures [6] credunt, Apostolum loqui de equulei supplicio, ubi sontes summa C vi distendebantur, ita ut eorum ossa sejungerentur. Alii hoc explicant de toto pœna [7], ubi calamitosi eo in stetu distendebantur, ut gravissimum dolorem perciperent. Alii [8] de capitis obtruncatione; alii [9] tandem de tormentis generatim intelligunt. Sed ille verus est sensus, quem Theophylactus affert, & quem Oecumenius, aliique plures [10] sequuti sunt, vertentes, *alii virgis ad necem cæsi sunt*. Ad hoc supplicium infligendum ad hanc quoque diem in Orientem vulgatissimum, reus humi distenditur supinus, eique plantæ pedum, quæ sursum tolluntur, nonnunquam ad mortem usque, aliquando vero ad certum usque verberum numerum, cæduntur. Hæc communis erat ratio, qua ad quæstionem calamitosi apponebantur. Auctor Vulgatæ, qui Græcam vocem vertit, *distenti sunt*, inD nuere voluit corporis statum, in quo ii collocabantur, qui erant hoc supplicio afficiendi. Nullus dubito [11], quin Apostolus hoc in loco alludat ad Senis Eleazari Martyrium, de quo in 2. Macchabæorum 6. 19. sermo est; profecto iisdem utitur verbis Apostolus, ac librorum illorum Auctor. Vide nostram de suppliciis Hebræorum Dissertationem, Deuteronomio præpositam.

℣. 36. Alii ludibria, et verbera experti.] Elisæus ab ipsis pueris irrisus fuit 4. Reg. 2. 23. & alii Prophetæ sæpe tamquam nebulones, & Pseudo-Prophetæ habiti fuerunt. Jeremias a Phassur verberibus cæsus fuit, & in carcerem conjectus [12]. Michæas filius Jemle colaphis percussus fuit a pseudo-Propheta Sedecia filio Chanaana, 3. Reg. 22. 24. Macchabæi omnia hæc simul tormenta, aliaque plurima pertulerunt, 1. Macc. 9. 34. & 2. Macc. 5. 24. E

℣. 37. Lapidati sunt.] Veluti Naboth, 3. Reg. 21. 13. & Zacharias, qui jussu Regis Joas Templum inter, & Altare fuit interfectus, 2. Par. 24. 21.

Secti sunt.] Ostendimus alibi [13], serræ supplicium olim in Oriente fuisse commune [14]. Hebræi ex traditione tenent, Prophetam Isajam Manassæ Regis imperio serra bifariam sectum fuisse: quod olim in vata-

---

1 Theodoret. hic. 2 Josue per totum.
3 Græc. Ἔφυγον: *Effugerunt*. Sed plures Vulg. Libri: *Effugaverunt*. Et ita Edit. Sixti V. 1590.
4 4. Reg. 4. 34. 35. 5 3. Reg. 17. 22. 6 D. Thom. Cajet. Grot. Vide Gataker adversar. c. 46.
7 Vide Hamm. 8 Chrys. hic, & Theophyl. & Oecum. Strigel. Cast. Camer.
9 Vide Gatakes, Syr. Tremel. Jun. 10 Ἐτυμπανίσθησαν. Oecumen. Theophyl. Ita Suid. Hesych. Phavorin. Erasm. Drus. Pisc. Gataker. Est. Le Clerc. 11 Grot. Est. Men. Ham. Le Clerc, alii.
12 Jerem. 20. 2. & 37. 15. 13 In Dissertatione de Suppliciis in capite Deuteronomii.
14 Vide 2. Reg. 12. 31. 1. Par. 20. 3. Amos 1. 3. Matth. 24. 51.

veteri apocrypho libro legebatur Origenis ævo [1], atque in sententia, & Patres etiam complures versantur [2].

TENTATI SUNT.] Intrinsecus, atque extrinsecus; blanditiis, & minis, suppliciis, & contumeliis. Vel, si cum sequentibus connectere malis: *tentati sunt in occisione gladii; mortui sunt*. Quidam [4] omittunt, *tentati sunt*, & alii non sine veritatis specie putant, in Textu ea verba fuisse apposita pro *secti sunt*; *epirasthesan*, pro *episthesan*. Cum non satis intelligeretur, quid sibi vellet hoc verbum *secti sunt*, Librarii subrogarunt, *tentati sunt*.

IN OCCISIONE GLADII MORTUI SUNT.] Veluti Michæas, Zacharias, S. Joannes Baptista, S. Jacobus frater S. Joannis, aliique nonnulli, & Machabæorum ævo longe plurimi, 1. Macc. 1. ℣. ℣. 32. 52. 61. 2. Macc. 5. ℣. 13. 6 ℣. 9.

CIRCUIERUNT IN MELOTIS.] Ovina, aut caprina pelle induebantur, videlicet vestimentis omnium pauperrimis, & simplicissimis ex una in alteram civitatem confugere coacti ad Principum, & Magistratuum persecutiones evitandas, & eludenda populorum odia, qui nullibi eos quiescere patiebantur. Elias pellibus induebatur, quemadmodum Scriptura testatur 4 Reg. 1. 8. neque aliter indui consuaverat S. Joannes Baptista, Matt. 3. 4.

℣. 38. QUIBUS DIGNUS NON ERAT MUNDUS.] Mundus adeo nequam erat, ut tantis luminibus diutius perfrui non mereretur. Non permisit Deus, ut omne eorum meritum cognosceretur, & ex eorum aspectu ea omnis, quæ poterat, utilitas caperetur. Abjecit illos Mundus a societate sua, eosque contempsit; ipsi vero Mundum vicissim contemnentes, non ægre, neque gravate eum reliquerunt.

IN SOLITUDINIBUS ERRANTES.] Hoc vidimus in persona Eliæ [5], a facie Jezabel aufugientis, & in Elisæo ejus discipulo in agris, ut plurimum, cum filiis Prophetarum permanente [6]. Judæi Domino fideles, Antiocho Epiphane persequente, inter specus, atque antra delitescere coacti sunt [7], ubi plurimi interierunt, Sabbatho ensem stringere abnuentes.

℣. 39. HI OMNES TESTIMONIO FIDEI PROBATI SUNT.] Quid summi viri isti præstolabantur? ut videlicet Deus ipsos tueretur ab hostibus, neque pateretur, ut eorum vi, atque conatibus cederent. At permisit tamen, ut eam vitam in dolore, & mœrore transegissent, tandem inter cruciatus, atque tormenta animam efflarent. Et sane si rem æstimare velimus juxta communes ideas, atque sententias, quisnam Prophetarum vitæ suæ finem meritis, atque virtutibus suis satis dignum invenit?

Sed prima hæc spes, qua in hac vita putabant sibi Dei patrocinium non defuturum, & quæ inanis fuisse videri potest, alteri sublimiori spei erat subordinata, æternæ videlicet felicitatis, quæ tanto certior erat, quanto magis vitæ hujus commodis illi carebant. Hæc merces primum erat, atque præcipuum spei illorum objectum, & hæc eadem præmium fuit fidei, ac laborum suorum altera in vita.

℣. 40. DEO PRO NOBIS MELIUS ALIQUID PROVIDENTE, UT NON SINE NOBIS CONSUMMARENTUR.] Rant, S. Paulum isthic illud ipsum ferme innuere voluisse, quod JESUS CHRISTUS ait in Evangelio Matth.

A 20. 1. in parabola de Operariis a Patre familias in vineam missis, qui licet variis subinde horis missi fuerint, omnes tamen simul eadem hora sub finem diei mercedem eamdem recipiunt. Patriarchæ, Prophetæ, Justi, qui omnibus sæculis vixere, & qui JESU CHRISTI adventum præcesserunt, hanc pro nobis prærogativam obtinent, quod primi vocati fuerunt, ut Domino servirent; verum alia nobis præ illis est prærogativa, quod distinctius salutis veritates cognovimus, apertius æternæ beatitudinis promissiones recepimus, ac tandem firmiorem spem habemus, quam primum eum antiquissimis e justorum numero resuscitandi, ac simul omnes perfruendi gloria post resurrectionem in statu perfecto, hoc est cum corporibus simul, & animabus [8]. Ex S. Joannis Chrysostomi, atque Theophy-

B lacti sententia hoc idem est, ac si magna in familia Pater imperaret filiis suis, ne mensæ accumberent, antequam fratres, qui in agros abierunt, pervenerint, ut simul omnes comedere possint, atque lætari. Qui expectant, haud impatienter expectant; qui vero expectantur, honorem sibi a Patre, fratribusque deferri putant. Simul omnes resurgent, & simul ad convivium ingredientur, sibi ab ipsis usque Mundi primordiis præparatum.

Alii, iique magno in numero tenent, & hæc est Ecclesiæ fides, ante Salvatoris Resurrectionem Cœli januas nondum apertas fuisse [9], & justorum animas in Limbo vixisse in statu felici quidem, sed nondum glorioso, præstolantes adventum communis Liberatoris, qui post Resurrectionem eas ad gloriam erat traducturus.

C Hebræis ergo conversis singularissimum erat Divinæ Clementiæ beneficium, quod illorum beatitudo, & gloriæ nullam moram pateretur, sed in Cœlum statim post mortem, & ut ita dicam, eodem tempore ingrederentur, quo Veteres illi Patriarchæ, qui paulo ante fuerant ingressi. Hebræi conversi, ad quos Sanctus Paulus hoc litterarum dabat, majori ex parte JESUM CHRISTUM videre potuerant, cumque non satis diu vivere possent, sperabant, se in Cœlum ingressuros eodem ferme tempore, quo Patriarchæ, qui illuc cum JESU CHRISTO paucis annis ante fuerant ingressi. Privilegium, de quo loquitur S. Paulus, commune est omnibus CHRISTI fidelibus, qui deinceps venere, quoniam habentur, tamquam constituentes unum populum, unamque Rempublicam cum iis omnibus, qui

D eos præcesserunt, & qui subsequentur.

Patres quidam antiqui, puta Tertullianus de Anima c. ult. Lactantius l. 7. c. 22. Victorinus in Apocal. 6. & Recentiores nonnulli, veluti Calvinus, & Græci Schismatici putant, Beatorum animas De visione non perfrui ante novissimum Judicii diem; ita ut primi, æque ac novissimi electorum simul omnes, eodemque tempore, laborum suorum mercedem sint recepturi. Verum Ecclesia primam non probavit sententiæ hujus partem, asserentem, electorum animas non nisi post Judicii diem beata felicitate gaudere; quemadmodum etiam proscripsit eorum opinionem [10], qui tenent, Sanctos a Mundi initio usque ad JESU CHRISTI Resurrectionem in Cœlis possedisse beatitudinem, & gloriam, sibi in omnem æternitatem destinatas: sed probat so-

E lum duas illas explicationes, quas prius in hunc locum proposuimus.

a Origen. Epist. ad African. Idem in cap. 23. Matth. & in Isai. præfat.

2 Ita Tertullian. lib. de Patientia, cap. 14. & Scorpiac. cap. 8. Justin. contra Triphonem. Hieronym. lib. 15. in Isai. Augustin. lib. 18. de Civitate, cap. 24. &c.

3 Ἐπειράσθησαν ἐν φόνῳ μαχαίρας, ἀπέθανον. Vulg. legit: Ἐπειράσθησαν, ἐν φόνῳ μαχαίρας ἀπέθανον.

4 Ἐπειράσθησαν deest apud Origen. Epist. ad African. Euseb. Præpar. lib. 12. cap. 10. Chrysostom. Theophyl. Syr. Æth. alios quosdam apud Mill. hic. Erasm. Grot. Bez. adjectitium putant. Junius legendum conjicit, Ἐπυρώθησαν, *Combusti sunt*. Gatak. Ἐπρίσθησαν. Tanaq. Fab. Ἐπηρώθησαν, *Obcæcati sunt*.

5 3 Reg. 17, 3. & 18. 13. 6 4. Reg. 6. 1.

7 Vide 1. Macchab. 1. 53. 2. 28. 29. 30. & 2. Macchabæor. 5. 27. 10. 6.

8 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. August. Epist. olim 99. nunc 164. & Tract. 124. in Joann. Riber. Est. Ten. Primasius, Haymo, Menoch. Tirin. Vide Joann. 5. 28. 29.

9 Vide Cornel. a Lapide in hunc loc. & in Hebr. 9. 8. & Fromond. hic. 10 Beza hic. Vide & Grot. Gemar. Hamm.

C A-

CAPUT XII.

Patientia necessaria juxta exemplum Sanctorum, & JESU CHRISTI. Omnis filius a Patre suo corripitur. Inertia, ira, & prophana vita fugienda. Novi foederis elogium, atque utilitas.

1. IDeoque & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum: per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. 2 Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. 3 Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. 4 Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversum peccatum repugnantes; 5 Et obliti estis consolationis, quae vobis, tamquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris. 6 Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. 7 In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? 8 Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filii estis. 9 Deinde patres quidem carnis nostrae, eruditores habuimus, & reverebamur eos, non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, & vivemus? 10 Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id, quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus. 11 Omnis autem disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet justitiae. 12 Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, 13 Et gressus rectos facite pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. 14 Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum: 15 Contemplantes ne quis desit gratiae Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi, 16 Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua. 17 Scitote enim, quoniam & postea cupiens haereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. 18 Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, 19 Et tubae sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum. 20 Non enim portabant, quod dicebatur: Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. 21 Et ita terribile erat, quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum, & tremebundus: 22 Sed accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem, & multorum millium Angelorum frequentiam. 23 Et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in coelis, & judicem omnium Deum, & spiritus justorum perfectorum, 24 Et testamenti novi mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. 25 Videte, ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur: multo magis nos, qui de coelis loquentem nobis avertimus. 26 Cujus vox movit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens: Adhuc semel: & ego movebo non solum terram, sed & coelum. 27 Quod autem, adhuc semel, dicit, declarans mobilium translationem, tamquam factorum, ut maneant ea, quae sunt immobilia. 28 Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam serviamus placentes Deo, cum metu, & reverentia. 29 Etenim Deus noster ignis consumens est.

Ideo-

℣. 1. IDEOQUE ET NOS TANTAM HABENTES IMPOSITAM NUBEM TESTIUM.] Omnes hi Patriarchæ, Prophetæ, Martyres, eximii ceteris Testamenti viri, quorum exempla vobis attuli, & quorum fidem, atque patientiam commendavi, sunt veluti nubes Testium, qui nobis undique circumstant, & qui nobis auxilio futuri sunt eo in prœlio, & confessione, quam de JESU CHRISTI nomine sumus habituri. Hic exhibet fideles, tamquam reos coram Judice prodeuntes, & qui cum causam suam sint peroraturi, circum undique magna stipantur testium caterva, pro illis stantium. Credit Hammondius, S. Paulum alludere ad ea, quæ in ludorum publicorum pretiis distribuendis accidere consueverant. Præter Judicem, qui victori pretium deferebat, aderant etiam Testes, qui non procul a meta locum obtinebant, B ut viderent, quinam prior illam attingeret; & utrum qui currerent, præscriptas Leges servarent. Ex eorum fide, & consentiente totius cœtus plausu Judex eum remunerabat victorem, qui juxta spectaculorum Leges ceteris melius stadium absolverat. Putant alii [1], ipsum alludere ad columnam nubis, quæ in deserto Hebræos ambiebat. Hammondii explicatio probabilior videtur, neque refugit Apostolus similitudines ex arena desumptas [2]. Hoc in versiculo explicite de illa verba facit: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen*.

DEPONENTES OMNE PONDUS, ET CIRCUMSTANS NOS PECCATUM.] Qui in arenam descendunt, ut currant, omnia deponunt, quæ cursorem tardare, aut impedire possunt; vestimenta, calceos, & generatim C quidquid liberum, facilemque membrorum usum potest prohibere. *Circumstans nos peccatum* significat peccati occasiones, quibus undequaque circumsepti sumus, vel peccatum, quod facile adeo nos impedire potest, & efficere, ut decidamus. Quidam Græcum ita vertunt [4]: *deponentes omnem præsumptionem*, hoc est, peccatum, quo facile adducimur in periculum. Sed prior versio melius cohæret cum similitudine hominis in stadio currentis, & abjicientis, quidquid sibi esse potest moræ, & impedimento.

PER PATIENTIAM CURRAMUS AD PROPOSITUM NOBIS CERTAMEN [5].] Cursum ingressi sumus, ut infiniti pretii bravium referamus, & cursus hic non aliud est, quam patientia in adversis, & perseverantia in virtutis exercitatione. Alacriter ergo curramus, & D strenue absolvamus stadium, quod sumus ingressi.

℣. 2. ASPICIENTES IN AUCTOREM FIDEI.] JESUS CHRISTUS noster est Judex, præmiorum, coronarumque distributor. Ipse nobis currendi leges imposuit, & ne conquereremur, primus ille cucurrit, ac pretium reportavit [6]; simul & Judex noster est, & exemplar. Ipse *Auctor* est *fidei* nostræ; ipse nos illuminat, nos erudit, nos per gratiam suam vocat, nobis fidei donum impertit: ipse etiam consummator est fidei nostræ, quoniam nobis donum perseverantiæ, & mercedem fidei nostræ in beata æternitate concedit.

QUI PROPOSITO SIBI GAUDIO.] Potuisset JESUS CHRISTUS mortem non subire: Illius cruciatus in ipso omnino voluntarii fuerunt. Cupiebant Judæi illum apprehendere, eique Regnum deferre; at ipse aufugit [7], & maluit Crucis mortem pati, quam in pace, A atque temporali felicitate versari. Aliter [8]: JESUS CHRISTUS, cum in Mundum venisset, ut Patris sui voluntatem, & decreta adimpleret, gaudium dumtaxat, atque cœlestem gloriam sibi proposuit, *proposito sibi gaudio*; quam ut assequeretur, mortem omnium turpissimam, atque acerbissimam elegit: quam ob rem Deus illum extolit, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen [9], *atque in dextera sedis Dei sedere*. Prior explicatio magis conformis est significationi Græcæ loquutionis [10]. Latina quædam exemplaria [11] non legunt: *proposito sibi gaudio*; sed: *pro proposito sibi gaudio*. Quæ lectio ex Estii, & Riberæ sententia melior est.

℣. 3. RECOGITATE EUM, QUI TALEM SUSTINUIT A PECCATORIBUS ADVERSUM SEMET IPSUM [12] CONTRADICTIONEM.] Ut alacrius perferatis, oculos B conjicite in JESUM CHRISTUM, qui toto prædicationis suæ tempore a Pharisæis, & Judæis incredulis, atque pertinacibus tot calumnias, improperia, contradictiones, & mala perpessus est [13]. Vos illo neque justiores estis, neque melioris conditionis.

℣. 4. NONDUM USQUE AD SANGUINEM RESTITISTIS.] JESUS CHRISTUS ad mortem usque passus est, ita ut novissimam usque sanguinis sui guttam effunderet: vos autem piget leves ærumnas aliquot, & contradictiones ab inimicis perpeti: hoc non est prœlium ad mortem; non agitur, ut contra peccatum deprœliantes ad sanguinis effusionem certetis; patientia tantum, & perseverantia requiritur. Calumniæ, improperia, bonorum vestrorum jactura, hi sunt vestri C inimici.

℣. 5. ET OBLITI ESTIS CONSOLATIONIS,] vel *adhortationis*; nam Græcus [14] utrumque significare potest. Obliti estis eorum verborum Sapientiæ [15] vos hortantis, ut strenue dimicetis. Persequitur allegoriam ex publico certamine desumptam. In arena pugiles non coronarum, præmiorumque dumtaxat aspectu, verum etiam ipsis spectatorum acclamationibus, & plausibus excitabantur. Sapientia ipsa inter passiones vestras vobis ait: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris*: parentis instar, vestram utilitatem, atque felicitatem quærentis.

℣. 6. QUEM ENIM DILIGIT DOMINUS, CASTIGAT.] Non omnes, quos punit Deus, non ideo amici sunt, vel D filii ejus: verum neminem filiorum suorum abire sinit, quin illum erudiat, atque corripiat [16]. Si peccatores sibimet ipsis desereret, hæc maxima esset indignationis ejus nota [17]. Distinguenda sunt supplicia, quibus Deus irritatus impios persequitur; correptionibus, quibus filios suos efficit vel sapientiores, vel meliores, vel perfectiores, vel fortiores, vel gloriosiores. Si Deus nos propter peccata nostra castigat; gratias illi agamus, oportet. Efficit, ut in hoc Mundo illa expiemus scelera, pro quibus fortasse suppliciis addiceremur æternis. Si corrigit, ut meliores fiamus, multo magis amandus est, velut Pater, qui filii sui studet felicitati, eumque perfectum, atque dignum se conatur efficere.

℣. 7. IN DISCIPLINA PERSEVERATE. TAMQUAM E FILIIS VOBIS OFFERT SE DEUS.] Si adversa non sunt Divinæ erga vos bonitatis; cur illa non eo in lo-

co

1 Illyric. & Parker. in Gataker. 2 1. Cor. 9. 24. 25. 26.
3 Καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν. Alii: Ἀπερίστατον. Stephan. &c.
4 Ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα: Omnem præsumptionem. Jac. Capell. Ludov. de Dieu, Schmid.
5 Δι' ὑπομονῆς τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα. Plura vetera exemplaria non legunt: ad; & hoc in loco superabundat. Legendum: Per patientiam curramus propositum nobis agonem, vel certamen.
6 Chrysostom. hic. Ita & Theodoret. Theophylact. Oecumen. Ribet. BuKentop. lib. 1. *Lux de luce* p. 120.
7 Joann. 6. 15. 8 Vide Est. Div. Thom. Menoch. Tirin. Jun. Pisc. Grot. & Latini plerique.
9 Philipp. 2. 9. Vide & Joann. 12. 28. 17. 1. 2. 3. 4. Luc. 24. 26.
10 Ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, &c. 11 Clarom. & Germ. Lat. & Edit. Bibl. Antuerp.
12 Græc. Τὸν τοιαύτην ὑπομεμενηκότα ὑπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν εἰς αὐτὸν ἀντιλογίαν. Syr. & S. Germ. Græc. Εἰς ἑαυτούς. Theodoret. Εἰς αὐτόν; id est: εἰς τὸ εἰς ἑαυτόν. Clarom. & S. Germ. Lat. *In vobis*.
13 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Erasm. Riber. Est. &c.
14 Καὶ ἐκλέλησθε τῆς παρακλήσεως. 15 Proverb. 3. 11.
16 Chrysostom. homil. 29. 17 Isai. 54. 9. *Juravi, ut non irascar tibi, et non increpem te*. Ezech. 16. 42. *Quiescam, nec irascar amplius*. Chrys. hic, hom. 29.

eo haberis, quo sunt habenda? Græcus [1]: *Si correptionem sufferetis, Deus vobiscum agit, tamquam cum filiis suis*; vel vobiscum operatur, tamquam cum filiis Pater. Alia Exemplaria Vulgatæ similia sunt; sed Græcus sensum adstruit meliorem.

℣. 8. QUOD SI EXTRA DISCIPLINAM ESTIS &c.] Numquid Pater æque nothorum, ac legitimorum filiorum suorum curam gerit? Numquid Ismael Abrahæ æque carus fuit, ac Isaac? Igitur si Deus vobiscum non agit, tamquam cum legitimis filiis, quomodo credere potestis, vos ab illo haberi pro suis? S. Pauli argumentatio hæc est: Deum indiscriminatim severe in omnes, qui vere sunt filii sui, animadvertere; quod timorem, atque tremorem illis debet incutere, quorum vita prospero rerum omnium cursu lætatur, atque solatiis, & voluptatibus diffluit.

℣. 9. NON MULTO MAGIS OBTEMPERABIMUS PATRI SPIRITUUM?] Opponit Patrem Spirituum *Patribus carnis nostræ*. Si patres, qui nobis temporalem tantummodo nativitatem dederunt, a nobis colendi sunt, eorumque monita, & correctiones a nobis sunt habendæ tamquam indicia amoris, & curæ, qua id quærunt, quod vere nobis prosit; quo potiori jure æquum est, ut nosmet subjiciamus iis correctionibus, quæ proficiscuntur a Cœlesti Patre, vitæ animæ, nostrique spiritus auctore [2], & qui æternam nobis hæreditatem est collaturus? Quidam [3] hæc verba *Patrem Spirituum* explicant de Auctore donorum spiritualium, & supernaturalium Spiritus Sancti gratiarum; vel de Auctore spiritualis generationis nostræ, per quam sumus adoptivi filii Dei, & fratres JESU CHRISTI.

℣. 10. ET ILLI QUIDEM IN TEMPORE PAUCORUM DIERUM.] In correptionibus carnalium patrum, atque magistrorum nostrorum sæpe affectus, libido, utilitas dominantur [4]. Pater conatur filium suum prudentiorem efficere, vel parem summis dignitatibus reddere adimplendis, vel opibus congerendis. At Pater Cœlestis ex amore tantum, atque ex nostra utilitate agit; non studet nos ditiores, aut potentiores efficere in exiguum temporis hujus vitæ spatium; sed beatos in æternitatem. Non cupit mentem nostram inanibus scientiis replere, sed studet, ut reres simus *recipiendæ sanctificationis ejus*; nos mundos, sanctos, justos, irreprehensibiles, & ea beatitudine, ad quam nos destinat, dignos quærit efficere.

℣. 11. FRUCTUM PACATISSIMUM EXERCITATIS PER EAM.] Donec athleta in exercitationibus suis versatur, laborat, sese continet, atque a voluptatibus abstinet: cum actu in stadio est, & currit pretium relaturus, suos conatus, ac vires exerit; cum tandem ad cursus finem pervenit, cum voluptate suavem recipit mercedem, quæ sibi quietem concedit, fruiturque fructu laborum, quos est perpessus. Ita in spirituali vitæ Christianæ militia, qui ad finem usque in patientia perseveraverunt, gloriæ, & pacis coronam, atque patientiæ, justitiæque suæ præmium recipient. *Fructum pacatissimum justitiæ*.

℣. 12. PROPTER QUOD REMISSAS MANUS, &c.] Versiculus hic, & qui subsequitur, sunt conclusio eorum omnium, quæ dixit Apostolus. Ex Scripturis mutuatur loquutiones aptissimas ad confirmandos eos fideles, qui cum ex Hebræorum Sectis in JESU CHRISTI fidem transiissent, persecutionibus falsorum fratrum, & Judæorum incredulorum patebant.

℣. 13. UT NON CLAUDICANS QUIS ERRET.] Si quis in fide, vel in officiis suis, vel in patientia labascit, seipsum confirmet iis rationibus, quas supra proposui. Græcus: *ne qui claudicat, corrumpatur*, vel ne omnino cadat, *sed potius convalescat*. Qui infirmi sunt, non superentur adversis, sed potius novas vires acquirant, & confirmentur.

℣. 14. PACEM SEQUIMINI CUM OMNIBUS.] Eam vitæ rationem instituite, ut nemo vos exprobret; neminem irritetis, eidem injuste resistentes, cedite persequentibus: verbo [5]; si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete [6], quærite quidquid paci conferre possit, quatenus Fides, Religio, & Dei voluntas patiuntur.

ET SANCTIMONIAM, SINE QUA NEMO VIDEBIT DEUM.] Sanctitas generalis est virtus animæ, corporis, vitæque puritatem complectens. Hæc virtutum omnium continet exercitationem, & hoc in sensu certissimum est, sine illa neminem visurum esse Deum. Hæc enim certissima sententia [7] est, nihil pollutum ingredi in Regnum Cœlorum. Græca vox [8] potius castitatem significet, sive quæ in conjugio, sive quæ extra servatur, & est cum continentia conjuncta. Apostolus ait, sine hac neminem visurum esse Deum; & sane alio in loco Apostolus, ubi peccata pudoris, & honestati opposita recensuit, ait, eorum neminem, qui hæc fecerint, Regnum Dei esse possessurum [9]. Pleraque peccata castitati adversantia ex natura sua inferunt mortem.

℣. 15. CONTEMPLANTES, NE QUIS DESIT GRATIÆ DEI.] Vestrum quilibet fratrum suorum saluti prospiciat, & caveat, ne a recta fidei, & veritatis semita declinet, ne deserat Religionem, ad quam Deus illum vocavit, & ne retro respiciat, ubi semel aratro manum admoverit; summa fide respondeat vocationi, & gratiæ, quam sibi contulit Deus. Vel, si publicorum ludorum metaphoram persequi velis: excitate fratres vestros, & verbo, & exemplo, ut currant indesinenter, feliciter metam, & præmium assequuturi. Hoc non accidit, quemadmodum in spectaculis, ubi unus tantum est victor. Quicumque fortiter dimicant, & jugiter currunt, hi certi sunt, se coronam adepturos, ac immortalis remunerationis futuros participes. Cavete igitur, *ne quis desit gratiæ Dei*, vel ne quis destituatur gloria, quæ sibi præparata est, non satis belle respondens gratiis, quas recepit, neque in lucro ponens talentum sibi concreditum; vel demum, ne quis Dei iram in semetipsum succendat.

NE QUA RADIX AMARITUDINIS SURSUM GERMINANS IMPEDIAT.] Alludit ad eum Deuteron. 29. 18. locum: *ne forte sit inter vos vir . . . cujus cor aversum est hodie a Domino Deo nostro: ut vadat, & serviat Diis illarum gentium, & sit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem*. Moyses hoc in loco de illis loquitur, qui avitam Religionem relinquebant, ut infidelitati, atque Idololatriæ se manciparent. S. Paulus loquebatur ad Hebræos, qui Scripturas noverant, & qui satis intelligebant, quidquid ille vel primoribus labiis proferret. Nemo vestrum Ecclesiam deserat, ut in Synagogam revertatur; quibus verbis hæresim præcipue, & apostasiam indigitat [10]. S. Ignatius Martyr Ep. ad Ephes. c. 10. non semel Hæreticos plantas dæmonis vocat, pestifera germina, mortales fructus gignentia, & venenum inferentia illis, qui illa gustaverint: plantas, quas Salvator JESUS minime plantaverit &c.

℣. 16. NE QUIS FORNICATOR, AUT PROPHANUS, AUT ESAU.] Putant nonnulli, *fornicatorem*, & *prophanum*

---

[1] Εἰς παιδείαν ὑπομένετε. ὡς υἱοῖς ὑμῖν προσφέρεται ὁ Θεός. Alii plures: Εἰ παιδείαν ὑπομένετε, Ita Vulg. Æthiop. Syr. Arab. Coph. Alex. Claromont. S. Germen. G. L. Εἰς παιδείαν *In disciplinam*. Augustin. seu alius, Tract. de tempore Barbarica cap. 6. alii plures Mss. apud Mill. Quidam hic interpungunt: Μαστιγοῖ δὲ πάντα υἱὸν ὃν παραδέχεται εἰς παιδείαν· ὑπομένετε. Ὡς υἱοῖς ὑμῖν, &c. *Castigat autem filium, quem recipit in disciplinam. Sustinete. Quasi erga filios agit circa vos Deus*.

[2] Riber. Est. Chrysostom. Gomar. Pisc. Drus. Menoch. Beza &c.

[3] Chrysostom. homil. 29. [4] Idem ibidem. [5] Rom. 12. 18.

[6] Rom. 14. 19. [7] Apoc. 21. 27. [8] Καὶ τὸν ἁγιασμόν. Chrysostom. Theophylact. Vide & Theodoret. Est. Jacob. Capell. &c. [9] 1. Cor. 6. 9. 10. 1. Cor. 15. 50. 1. Timoth. 1. 10.

[10] Μή τις ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα ἐνοχλῇ. Grot. Mill. conjiciunt legendum ἐν χολῇ pro ἐνοχλῇ, ut i Deut. 29. 18. Hinc vertendum esset, *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans sit in felle*. Amaritudo posita est pro veneno.

phanum ad Esau refert [1], priorem vocem in figurato sensu explicantes, alteram in sensu proprio [2] de homine, qui sacrum aliquid vendidit, hellnone, prophano, qui nullo in discrimine, vel in contemptu habet sanctissima quæque, qualis erat Patris benedictio, & alia jura, quæ primogeniti prerogativæ adhærebant. Credit [3] Theodoretus, *fornicatorem* appellari posse propter illius cum prophanis, ac alienigenis mulieribus connjugia; sed S. Chrysostomus, Theophylactus, & pleriique Interpretum *fornicatorem a prophano* sejungunt; & postremum hoc tantum nomen ad Esau referunt. Hebræi, ad quos S. Paulus scribebat, his monitis indigere poterant. Eorum complures non satis abhorrebant a fornicatione, præsertim vero cum mulieribus, quæ Judææ non erant [4]. Judæi ad Christianam Religionem traducti undequaque tentationibus urgebantur, ut in Judaicam superstitionem redirent, primogenitorum prærogativas desererent, atque in numerum imitatorum Esau abirent. In Genesim [5] ad examen vocavimus, quænam essent jura primogenitorum, & utrum Esau simoniæ crimen admiserit, vendens primogenita, quemadmodum complures Auctores contendunt [6], qui credunt Sacerdotium rerum prærogativarum fuisse præcipuam [7].

℣. 17. REPROBATUS EST.] Hoc non est intelligendum de æterna reprobatione [8], quæ aditum ad Cœlestem beatitudinem intercludit; sed de temporali reprobatione, per quam obtinere non potuit, ut Pater antiquaret eam benedictionem, quam contulerat Jacob, *quamquam cum lacrymis inquisivisset eam*. Hæ circumstantiæ non leguntur in Genesi, ubi c. 27. 34. dicitur solum, quod Esau, cum audisset, Patris benedictionem a Jacob fuisse perceptam, *irrugiit clamore magno*, & dolore confectus dicit: *benedic etiam mihi, Pater mi*. Cui respondit Isaac: *Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres ejus servituti illius subjugavi: frumento, & vino stabilivi eum, & tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam?*

NON INVENIT LOCUM POENITENTIÆ.] Non potuit patrem Isaac de sententia dimovere, licet optimus senex intellexisset, factum sibi dolum: minime tamen, se reluctari posse Spiritui, quo se actum sensit, cum benediceret Jacob.

Textus ad literam [9] e Vulgata redditus est: illius clamores, precesque inutiles fuerunt. Multi hoc explicant [10] de pœnitentia, quæ commissorum scelerum veniam non impetravit. Ejus pœnitentiæ Deo accepta non fuit, quod minime erat conjuncta cum iis circumstantiis, quæ requiruntur. Non erat ille sincerus dolor, profectus ex timore Dei, & pollutione donorum ejus, quæ illocci fecerat, primogenita vendens; sed ira, rabies, odium in fratrem suum hæ illi lacrymas eliciebant. Verum sensus, qui hoc explicat de inutilitate conatuum ejus, ut patrem de suscepta sententia deturbaret, & ut benedictio fratri collata antiquaretur, magis est litteralis.

℣. 18. NON ENIM ACCESSISTIS AD TRACTABILEM MONTEM, & ACCENSIBILEM [11] IGNEM.] Vestrum singuli vivant in ea sanctitate, & puritate, quæ digne sint vocatione, ad quam Deus vos vocavit. Perfectiores sensus concipite, quam quos sub Lege fovebatis. Longe majorem a vobis Deus exigit perfectionem, quoniam non recepistis Evangelium, quemadmodum olim patres vestri in Monte Sinai Legem receperunt. Ea fuit Lex severitatis, atque timoris. Deus ibi in Patrum vestrorum animos tonitruum, atque fulminum fragore terrorem incussit: at Lex JESU CHRISTI Lex est suavitatis, & amoris. Sequentibus versiculis videbimus Legis utriusque antithesim, & rationem, qua utraque fuit irrogata. Dominus apparuit in Sinai inter ignes, fulmina, & procellas [12] cum apparatu, qui ad Hebræos perterrendos maxime erat idoneus: JESUS CHRISTUS in Mundum venit sine fulgore, sine nitore, sine pompa, ut nobis humilitatis, & charitatis Legem indiceret. Complura antiqua Græca exemplaria [13] hoc in loco *montis* nomen non legunt, sed simpliciter: *non enim accessistis ad tractabilem, & accensibilem ignem*.

℣. 19. ET VOCEM VERBORUM.] Vel tonitrui, quemadmodum enim sæpius animadvertimus, Hebræi tonitru *Dei vocem* vocabant. Creditur, dum Mons

B undique ardere videbatur, & populus universus terrore correptus erat, effecisse Deus, ut veluti tonitrui vox audiretur, quæ perspicue decem Legis mandata pronunciavit Exod. 19. 19. sed tantus Hebræis terror incessit, ut Moysem orarent, ne ultra sibi Dominus loqueretur, sed Moyses ipse Dei voluntatem ipsis aperiret: *loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*, Exod. 20. 19. In Lege nova res aliter omnino accidit. Ore ad os loquitur JESUS CHRISTUS; nostram ille naturam induit; nostræ infirmitati se se submisit, & tamquam filiis pater, nobis ille præcepta sua tradidit.

℣. 20. NON ENIM PORTABANT, QUOD DICEBA-

C TUR.] Non ferre poterant hujus comminationis, vel potius hujus edicti severitatem [14]: *si bestia tetigerit montem, lapidabitur*. In Exodo 19. 13. mandatum hoc ita habetur: *omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis: sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet*. Græca exemplaria typis edita hoc in loco legunt: *lapidabitur, vel sagittis confodietur* [15]: sed veteres complures Græci MSS. [16] minime legunt hæc novissima verba: sagittis confodietur, quæ in Vulgata, atque Latinis exemplaribus non extant, sed ex Exodo 19. 13. huc migraverunt.

℣. 21. MOYSES DIXIT, EXTERRITUS SUM.] Hæc verba non leguntur in Exodo, ubi Moyses narrat, quid acciderit, cum Deus Legem populo suo irrogavit;

D neque in alio quopiam loco, qui ad eum referatur; ideoque creditur Apostolus hanc circumstantiam ex patrum suorum traditione didicisse [17]. Pater Martianæus ita vertit, *& quod videbatur, adeo erat terribile ex Moysis testimonio, ut ego ipse terrear, & metu corripiar, ad vos loquens*; & sane Græcus Textus hunc sensum non respuit [18].

℣. 22. SED ACCESSISTIS AD SION.] En quid acciderit Christicolis, oppositum iis, quæ contigerant, Deo Legem suam Judæis irrogante. Non ad radices montis Sinai undequaque ignibus accensi, atque nubibus involuti fœdus cum Domino percussistis, sed in Sion, in Civitate Dei viventis, in Cœlesti Jerusalem, & inter multorum millium Angelorum frequentiam. At quomodonam dici possunt Judæi novam Legem recepisse,

E & fœdus cum Domino in Cœlesti Jerusalem, vel in Cœlo sanxisse? Respondetur primo, Christifideles Cives esse Cœlestis Jerusalem [19], illos cum ad hanc pertineant,

---

1 Theodoret. 2 Theophylact.
3 Theodoret. hic, Chrysostom. seu alius homil. 2. de Patientia Job. Gloss. Ordin. D. Thom.
4 Vide Grot. hic, & Comment. nostr. ad Exod 20. 14. 5 Vide Commentar. in Genes. cap. 25. 33. Vide etiam Exod. 19. 22. 6 Vide Gloss. Ordin. Primas. D. Thom. Cajet. hic.
7 Vide Grot. Hamm. Riber. Menoch. Jacob. Capell. alios. 8 August. lib. 16. de Civit. cap. 27. Tostat. Perer. in Genes. 27. 9 Μετανοίας γὰρ τόπον [illegible]
10 Chrysostom. Vide & Theodoret. Theophylact. Est. &c. 11 Plura Exemplaria legunt *accessibilem* sed vera lectio est *accensibilem*. 12 Exod. 19. 16.
13 Οὐ γὰρ προσεληλύθατε ψηλαφωμένῳ [illegible] Plures omiserunt, ὄρει. Ita Alex. Syr. Aethiop. Copht. Claromont. & S. German. Lect. Codd. multi Latini, teste Erasmo. Nec attingunt Chrysostom. & Theophylact. in Comment. 14 Τὸ διαστελλόμενον. 15 [illegible]
16 Desunt in Alex. Claromont. G. L. German. Lat. Copht. Syr. Arab. Aethiop. Chrysostom. Theodoret. Theophyl. aliis pluribus apud Mill. hic. 17 Est. Tirin. Gerhard.
18 Καὶ οὕτω φοβερὸν ἦν τὸ φανταζόμενον, (Μωϋσῆς εἶπεν,) [illegible] 19 Ephes. 2. 19.

ncant, atque in cœlestium bonorum spe vivant, quodammodo jam in Cœlis versari [1]. e. JESU CHRISTI Ecclesiam [2] jure appellari Sion, Jerosolymam Cœlestem, Dei viventis Civitatem, Sanctorum Angelorum cœtum, quoniam est Regnum JESU CHRISTI, sedes ejus Sponsa, quia Sancti Angeli eam regunt, & protegunt, & quod unam tantum veluti Rempublicam, & Civitatem constituit cum Ecclesia Triumphanti, quæ proprie, & vere Jerusalem Cœlestis, & viventis Dei Civitas appellatur. In Apocalypsi 3. 12. nobis JESU CHRISTI Ecclesia exhibetur tamquam Civitas ex auro conflata, & pretiosis lapidibus ornata, de Cœlo descendens in Terram velut Sponsa, omni muliebri Mundo decora, ad Sponsum accedens.

℣. 23. ECCLESIAM PRIMITIVORUM.] Fœdus, quod in Ecclesia percussistis, in Cœlo confirmatum est, ubi scripti sunt, atque beatitudine perfruentur *primitivi*; hoc est primi illi justi viri, & Patriarchæ, qui ante Legem vixerunt, & illi etiam, qui sub Lege viventes ad novum fœdus per fidem, charitatem, & cordis affectiones spectabant. Alii [1] hoc explicant de Apostolis, qui sunt Ecclesiæ primogeniti, quoniam JESUS CHRISTUS illos ante cæteros vocavit, & genuit ad fidem, & ipsi primi sunt, qui condiderunt Ecclesiam: eorum nomina scripta erant in libro vitæ. *In hoc nolite gaudere*, Salvator ait Luc. 10. 20. *quia Spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in Cœlis.* Nomina Hebræorum, qui Legem receperunt in Sinai in viventium albo scripta fuerunt, atque in numero servorum, & populi Dei descripta: sed nomina Christi fidelium in Cœlo scripta sunt. Civium omnium nomina in quolibet Civitate peculiari in columnis describuntur, & Jerosolymæ terrestris incolæ scripti sunt in Civitatis illius nomenclatura [4]: qui vero Cives sunt Cœlestis Jerosolymæ, in hujus Civitatis tabulis recensentur: *vos estis Cives Sanctorum, & domestici Dei*, Ephes. 2. 19. Denique hoc explicatur de fidelibus omnibus, & electis [5], qui *primogeniti Dei* vocantur, quia sunt primitiæ servorum ejus præ cæteris ad fidem vocati; & omnium primi spiritus, & adoptionis primitias receperunt. Liquet, juxta Scripturarum stylum [6] electorum nomina in Cœlis esse descripta.

ET JUDICEM DEUM.] Cum Dominus Hebræis antiquis Legem irrogaret, explicite interdixit mortis etiam pœna proposita, ne quis ad eum montem accederet, ubi manifeste præsentiæ suæ signa præbebat: vos autem sine timore accessistis ad Dominum, qui mortalium omnium est Judex: accessistis, inquam, per fidem, charitatem, & Christianæ vitæ professionem, eumque Patrem vestrum vocastis [7].

ET SPIRITUS JUSTORUM PERFECTORUM [8].] Quorum sanctitas consummata est, qui ad curriculi sui finem pervenerunt, qui feliciter certaminis suscepti palmam obtinuerunt, & qui gloria coronati sunt [9]. Fideles accesserunt ad illos per fidem, & charitatem suam, facti sunt eorum fratres, & amici; Cives ejusdem Civitatis, filii ejusdem Patris, eorumdem bonorum hæredes.

℣. 24. TESTAMENTI NOVI MEDIATOREM JESUM.] Patres vestri eo tempore, quo Legem receperunt in Sinai ad Moysem confugerunt [10] fœderis hujus internuncium, qui tamen & ipse homo erat, Domini verbo fœdus vobis proponens, ad certum tantummodo tempus duraturum. Vos autem accessistis ad JESUM CHRISTUM Deum, & Hominem, æternique fœderis Auctorem. Pro sanguine victimarum, quo tunc populus universus aspersus fuit, irrigati fuistis sanguine JESU CHRISTI *melius loquente, quam Abel*. Sanguis Abel contra Cain interfectorem suum poscebat ultionem [11]; Sanguis vero JESU CHRISTI pro vobis postulat misericordiam, cum fuerit effusus pro vestra salute. Knatchbulleus ita Græcum vertit [12]: *aspersio Sanguinis JESU CHRISTI melius clamat, quam illa sacrificiorum oblatorum ab Abel*. Jucundissima quidem fuere Deo Abel sacrificia ex fide Scripturarum [13]; sed sacrificium JESU CHRISTI merito, & virtute sua fuit toto cœlo jucundius.

℣. 25. VIDETE NE RECUSETIS LOQUENTEM.] Si Patres vestri audivere Moysem, ac summa cum observantia Legem sibi irrogatam receperunt; si Deus tanta cum severitate eos percussit, qui illam contempserunt, eamque detrectaverunt; quid vobis metuendum non erit, si abjeceritis, quod Jesus CHRISTUS ipse vos docuit, & cujus exemplum vobis ostendit? Moyses non erat aliud quam homo; JESUS CHRISTUS est Deus; Moyses de terra loquebatur; JESUS CHRISTUS loquitur de Cœlo. Lex Moysis omnino carnalis erat; Lex JESU CHRISTI omnino Cœlestis. Alii [14] hoc ita intelligunt: Si Israelitæ, qui contempserunt Deum, vel Angelum ad se loquentem verbis Dei super Terram, pœnam effugere non potuerunt; quanto minus illam effugere poterimus, si JESUM CHRISTUM contempserimus, nobis de Cœlo loquentem?

℣. 26. CUJUS VOX [15] MOVIT TERRAM TUNC.] Cum Deus, vel Angelus ejus nomine ad Moysem loquutus est in Sinai, contremuit terra, & montes ipsi terrore capti fuerunt; quo potiori jure, cum nunc loquatur per JESUM CHRISTUM Legislatorem nostrum, si opus erit, Cœlum, Terramque movebit, ut nos puniat, & nos vehementius in nosmet ipsos nominis sui terrorem, Legemque suarum observantiam incutiat? In Moyse non satis explicite legimus, commotam fuisse Terram, cum Dominus Moysi in Sinai loquutus est; Sed alibi hoc legitur in Scriptura, e. g. in Psalmo 67. 9. *Terra mota est, etenim Cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel*; & Debora in Cantico suo Judic. 5. 4. *Domine cum exires de Seir, & transires per regiones Edom, Terra mota est, Cœlique, ac nubes distillaverunt aquis.* Habacuch cap. 3. 10. paria ferme ait.

℣. 27. QUOD AUTEM ADHUC SEMEL DICIT.] Dominus in Aggeo 2. 7. ait: *adhuc unum modicum, & ego commovebo Cœlum, & Terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes: & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam*, novum hoc Templum *gloria*; loquitur autem de Templo, quod post reditum de captivitate Babylonis ædificatum fuit. Jam Cœlum, Terramque commoverat, cum in Sinai descendit, Legem Israelitis irrogaturus; pollicetur adhuc, se iterum eadem commoturum, ubi secundam Legem tulerit, novumque fœdus confirmaverit, cujus erat figura reditus de captivitate, atque alterius Templi reædificatio. Dicens, se *adhuc semel* commoturum Cœlum, & Terram, ait, se pro novissima vice hoc facturum; & postmodum quidquid stabile, atque immotum permansurum. Igitur post novum fœdus JESU CHRISTI sanguine signatum, & in Christiana Ecclesia constitutum Lex nulla, nullum fœdus expectandum est. Nullus amplius erit motus, nulla immutatio, nulla perturbatio.

Cœlum, & Terra, atque natura universa in morali, & figurato sensu commota fuerunt, cum nova Lex fuit instituta. JESUS CHRISTUS Religionem suam ædificare non potuit, nisi ex ruinis Judaicæ, atque Ethnicæ superstitionis. Quos motus, quas turbas, atque procellas vix Oriens Ecclesia in se circum undique, & ab Judæis,

1 Theophylact. Oecumen. Grot. Vide & Chrysostom. Theodoret.
2 Ribera. Est. Menoch. Tirin. 3 Gant. Hamm. 4 Psalm. 86. 2. 2. 3. & seq.
5 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Oecumen. Est. Jacob. Capell. &c.
6 Luc 10. 20. Philipp. 4. 3. Apoc. 13. 8. 17. 8. 7 Matth. 6. 26. Joan. 16. 27. Rom. 8. 15. Galat. 4. 6.
8 Καὶ πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων. 9 Ita Chrysostom. Theodoret. Theophylact. Grot. Est. Ribera.
10 Exod. 24. 7. 8. 11 Genes. 4. 10. Vide Chrysost. Est. Menoch Zeger. Erasm. &c.
12 Αἵματι ῥαντισμοῦ κρεῖττον λαλοῦντι παρὰ τὸν Ἄβελ. Plures legunt Παρὰ τὸ Ἄβελ.
13 Genes. 4. 4. 14 Theodoret. Theophylact. Est. Menoch Grot. Pasm. &c.
15 *Cujus vox, nempe Dei, vel Angeli, movit terram; vel etiam vox Moysis, id est, Dei ad Moysen.* Theophyl.

Judais, & ab Ethnicis insurgere vidit ; quem motum non peperit lapsus Reipublicæ ac Religionis Judaicæ in Templi, atque Jerosolymæ excidio ? Quas artes, quos conatus non exeruit Dæmon, ne Evangelii doctrina, & disciplina institueretur, a qua imperium suum in nullam reditus spem evertebatur. Hic alter est ille motus, de quo loquebatur Aggæus [1]; motus, inquam, cujus umbra, & symbolum dumtaxat fuit ille, qui in Sinai personuit.

℣. 28. ITAQUE REGNUM IMMOBILE SUSCIPIENTES HABEAMUS GRATIAM [2].] Quandoquidem ergo per misericordiam Dei Cives sumus Regni JESU CHRISTI, quod numquam delendum est; quoniam sumus ingressi in fœdus novum, quod immobile, atque æternum futurum est subrogatum Mosaicæ Legi, quæ delenda erat, & abroganda; diligentissime a nobis servandum est hoc tantum boni, & fortiter adhærendum fœderi, quod Christi Religionem amplectentes juravimus. Vel: nobis summa cura asservandum est depositum fidei, & gratiæ Spiritus Sancti, quam in Baptismo recepimus; efficere debemus, ut fructus afferat bonorum operum, & cavere, ne quis nos insimulet, quod in vacuum receperimus donum Dei, vel quod iniquius adhuc est, illud nequissimo vivendi genere contempserimus, & polluerimus.

CUM METU, ET REVERENTIA.] Græcus [3]; *cum pudore, & reverentia*; vel *cum verecundia, & religione*; accedentes ad majestatem Dei, & coram eadem ea observantia, & Religione, qua decet, viventes. Vel; viventes, coram Mundo quidem cum pudore, modestia, urbanitate; coram Deo autem altissimæ reverentiæ, atque metus vere religiosi sensus foventes.

℣. 29. ETENIM DEUS NOSTER IGNIS CONSUMENS EST.] Hæc verba sunt ea Moyse Deut. 4. 24. deprompta. Servite Deo cum terrore, neque illum vel contemptu, vel infidelitate irritate; ipse enim ignis est devorans. Deus est zelotes, atque terribilis in ira sua. Ignis licet ardens, atque urens imperfectissime tamen exprimit severitatem, celeritatem, vim suppliciorum, quæ Deus in illos, qui clementiam suam irritaverunt, exercet.

1 Ita Sst. Tena, Riber. Menoch. Pisc. Jun. alii plerique.
2 Græc. impress. Ἔχωμεν χάριν. Alii; Ἔχομεν χάριν. Ita Claromont. & S. Germen. Lat. Steph. 8. 5. Laud. 2. Arab. alii.
3 Μετ' αἰδοῦς, καὶ εὐλαβείας.

C A P U T XIII.

Adhortatio ad charitatem, hospitalitatem, aliarumque virtutum exercitationem. Apostoli imitandi. Externa doctrina, novaque res evitandæ. Pastoribus obtemperandum. Petit, ut pro se Hebræi orent, & salutationibus Epistolæ finem imponit.

1. CHaritas fraternitatis maneat in vobis. 2 Et hospitalitatem nolite oblivisci;
per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. 3 Mementote vinctorum, tamquam simul vincti: & laborantium, tamquam & ipsi
in corpore morantes: 4 Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus. 5 Sint mores sine avaritia,
contenti præsentibus: ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam: 6
Itaut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi
homo. 7 Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei,
quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. 8 Jesus Christus heri:
& hodie: ipse & in sæcula. 9 Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci. O-
ptimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus
in eis. 10 Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui taberna-
culo deserviunt. 11 Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in san-
cta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. 12 Propter quod &
Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est: 13
Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes 14 Non enim
habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. 15 Per ipsum ergo
offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomi-
ni ejus. 16 Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim
hostiis promeretur Deus. 17 Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi e-
nim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc
faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. 18 Orate pro nobis:
confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes con-
versari. 19 Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vo-
bis. 20 Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in
sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum. 21 Aptet vos in

omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum: cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. 22 Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis. 23 Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celerius venerit) videbo vos. 24 Salutate omnes præpositos vestros, & omnes Sanctos. Salutant vos Italia fratres. 25 Gratia cum omnibus vobis. Amen.

¶. 1. CHARITAS FRATERNITATIS MANEAT IN VOBIS [1].] Charitas fraterna semper fuit character eorum, qui veri Ecclesiæ sunt filii. JESUS CHRISTUS, & Apostoli nihil enixius commendarunt, quam exercitationem hujus virtutis, plures alias in se continentis. Hebræi, ad quos S. Paulus scribebat, non satis æque, ut libenter intuebantur, quod Gentiles, qui in JESU CHRISTI castra transirent, ceremonialem Legis observantiam minime amplecterentur. Apostolus eos hortatur, ut charitatem præcipue servent erga hos alienigenas, qui fidem amplectebantur, neque damnent vel ipsos, vel eos, qui illis permittebant, ut libertate, quam hac in re nobis JESUS CHRISTUS comparavit, uterentur.

¶. 2. HOSPITALITATEM NOLITE OBLIVISCI.] Paupertatem prætexentes [2] ne deseratis hujus virtutis exercitationem, quæ est fraternæ charitatis effectus; neque nimis eos eligatis, quibuscum eamdem exerceatis; ne meliorem eligere cupientes, actionis vestræ meritum amittatis [3]. Recordamini Abraham & Loth, qui primum quidem credentes, se hospitio mortales tantum excipere, Angelos, immo ipsum Deum Angelorum [4] exceperunt. Mementote, quinam honor, & quæ utilitas ipsis ex eorum cessit hospitalitate [5].

Latina quædam exemplaria [6] pro iis verbis, *propter hanc enim latuerunt quidam Angelis hospitio receptis*, legunt: *placuerunt quidam* Deo, quod Angelos receperunt: vel potius placuerunt Angelis, quos hospitio receperant. Alii [7] Vulgatam sequuti hoc ita explicuerunt: quidam merito hospitalitatis *latuerunt*, veluti Loth, & ejus familia, cum Sodomorum Cives invenire non potuerunt ostium domus Loth [8], postquam hic Angelos hospitio receperat. Sed hic sensus longe abest a vero, quem superius proposuimus post Græcos Patres, atque nostros meliores Interpretes [9]. S. Augustinus legebat [10]: *nescientes, hospitio receperunt Angelos*, quod optime loci hujus sensum exprimit. Patres quidam [11], & ipsa etiam Ecclesia in officio suo videtur innuere, tres Angelos, qui apparuerunt Abrahæ, Unitatem Trium Personarum Divinarum repræsentasse: *Tres vidit, & Unum adoravit*. Sed quamvis Abraham deinde cognoverit, hospites suos Angelos esse, atque coram illis Deum adoraverit; hoc certum est, illos tanquam homines ab Abraham statim fuisse receptos.

¶. 3. MEMENTOTE VINCTORUM, TANQUAM SIMUL VINCTI.] Illis testimonium perhibuit supra c. 10. 34. quod misertí fuerint eorum, qui pro fide JESU CHRISTI in carceris squalore versabantur. S. Paulus paulo

A ante e carcere evaserat, & summo dolore ex illius ærumnis Hebræi affecti fuisse putantur [12]. Eos igitur hortatur, ut perseverent in charitatis, & misericordiæ exercitatione erga eos, qui pro veritate tuenda patiebantur. Qui est, vel fuit in periculo, in vinculis, in adversis, ut plurimum facilius eorum miseretur, qui patiuntur; quam si nunquam hæc mala fuisset expertus. Sed qui eadem catena, ac alter vinctus est, facere non potest, quin de fratris sui calamitate cogitet. Ita misereri debemus fratrum nostrorum, qui in vinculis positi sunt, quasi iisdem vinculis constringeremur [13]; & eorum, qui ægrotant, tanquam ejusdem corporis membra, vel potius tanquam iisdem infirmitatibus obnoxii: *tanquam, & ipsi in corpore*.

B ¶. 4. HONORABILE CONNUBIUM IN OMNIBUS.] Quacumque in ætate, & conditione sis, summo cum pudore, & honestate conjugii fidem serva. Serva conjugalem castitatem, atque modestiæ leges in ipso usu Conjugii [14]. Aliter; nemo conjugium damnet tanquam malum, & perniciosum; honestum est in institutione sua, quoniam Deus illud constituit; necessarium est, quoniam per illud humanum genus perennari voluit Deus; utile est, quoniam est remedium contra impudicitiam: ideoque *honorabile connubium in omnibus* [15].

ET THORUS IMMACULATUS.] Conjuges non solum inviolabilem mutuo sibi fidem servent, sed in ipso etiam usu Conjugii debitum non exigant, neque reddant, nisi ut Conjugii finem assequantur; hoc est ut C liberos gignant [16]. *Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam; concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum Conjuge, propter thori fidem, venialem habet culpam; adulterium vero, sive fornicatio lethalem habet culpam*. Vel, si Apostoli verba tanquam sententiam, non tanquam consilium, vel adhortationem sumas: ne vituperes usum conjugii: thorus immaculatus est, & honestus. Deus abusum damnat, atque intemperantiam condemnat [17]. *Concubitus enim necessarius causa generandi, inculpabilis, & solus Ipse nuptialis est. Ille autem, qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur*. In ipsis Ecclesiæ primordiis non defuerunt Hæretici, conjugium damnantes, veluti Carpocratiani, Marcionitæ, discipuli Saturnini, Tatianus, Gnostici. S. Chrysostomus hic puD tat inter Hebræos etiam fuisse, qui in hac sententia versarentur.

¶. 5. SINT MORES SINE AVARITIA [18].] Christiana Ecclesia paupertatem laudat, atque suadet: opes vero,

1 Ἡ φιλαδελφία μενέτω. Non legit: *In vobis*, sicut nec antiquissima Latina; Claromont. S. Germ. Donati, Leodi. Mulmundan. Vide Brug. hic. 2 Chrysost. Theophyl. Est.
3 Vide Ambros. l. de Abrah. c. 5. & de Offic. l. 2. c. 21. l. 3. c. 7. & Aug. Ep. 58. nov. Edit. n. 2. p. 82. olim Ep. 149.
4 Chrys. Theod. Theophyl. alii. Grot. hic; Ἔλαθον ξενίσαντες; locutio bene Græca; nam sic loquuntur Aristoph. Plato, Xenophon. subaudito αὐτούς, quod interdum exprimitur.
5 Vide, si lubet, Philon. de Abraham, pag. 386. 6 Ita Sixti V. & Lovaniens. & plerique ante Correctionem Clementinam. Velex Ἤρεσαν. 7 Faber. Stapul. & Ambros. Catharin.
8 Genes. 19. 11. Sap. 19. 16. 9 Vide Riber. Est. Grot. Syr. alios.
10 Aug. l. 2. de Trinit. c. 2. l. 3. contra Maxim. c. 26. l. 16. de Civit. c. 29. Quæst. 33. 34. 42. in Genes. &c.
11 Hilar. de Trinit. l. 4. & Aug. de Trinitate, l. 2. c. 11. 12. Ambros. de Abrah. l. 1. c. 5. n. 35. 36. 38.
12 Vide Heb. 10. 34. Quædam Græca exemplaria legebant: *compassi estis vinculis meis*.
13 Theophyl. 14 Vide August. l. de Bono conjugali, c. n. 7. Idem ibid c. 11. *Decus erga conjugale est castitas procreandi, & reddendi carnalis debiti fides. Hoc est opus nuptiarum.... Exigendi autem debiti ab alterutro sexu immoderatior progressio conjugibus secundum veniam conceditur*. Vide eumdem de Nuptiis, & Concupisc. l. 1. c. 15. & contra Julian. Peleg. 5. c. 12. &c. 15 Vide Theodoret. Theophyl. Est. Grot. &c.
16 August. de Bono conjug. l. 6. 17 Aug. de Bono conjug. c. 10.
18 Ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος.

vero, quæ in optimum usum convertuntur, non damnat; sed horret avaritiam, tanquam gravissimum humanæ mentis, & cordis flagitium. Non ignorabat S. Paulus, Hebræos ad JESUM CHRISTUM conversos admodum pauperes fuisse; at sciebat, avaritiam in pauperibus æque ac in divitibus inveniri, atque Deum non odisse temporalium bonorum possessionem, sed eorundem amorem, incompositam habendi, & acquirendi cupiditatem, ac metum, ne vel desint, vel eorum fiat jactura [1].

Addit: *contenti præsentibus*, iis scilicet, quæ habetis: ne sollicitæ opes quærere festinetis [2]. Non exigit Deus, ut ignavam, inertemque vitam ducamus, quasi illam nobis providentia promisisset, se non passuram, ut aliquid desit. Vult ille, nos laboribus vacare, & eas adhibere artes, quibus victum comparare æque possimus. Qui aliter ageret, Deum tentaret, ejusque irritaret clementiam. Verum damnat etiam inanes sollicitudines nostras, quibus ad divitias congerendas anhelamus. Laborate quidem, quin tamen essentialia officia vestra negligatis; & in ope Dei potius, quam in industria vestra confidentiam collocate [3].

℣. 6. UT CONFIDENTES DICAMUS: DOMINUS MIHI ADJUTOR.] Quoniam Deus nobis dixit: *non te deseram, neque derelinquam*, in illo confidere, & ad eum debemus in egestate nostra confugere, dicentes illi: *Dominus mihi adjutor; non timebo quid faciat mihi homo*. Me persequatur, me calumniis proscindat, mea bona diripiat; Deus est præsidium meum, & spes mea; non patietur, spem meam inanem esse, atque fraudari.

℣. 7. MEMENTOTE PRÆPOSITORUM VESTRORUM,] Apostolorum JESU CHRISTI, ejusque discipulorum, a quibus vitæ verbum accepistis. Illos ea, quæ par est, observantia, atque animi grati officio recipite; & eorum *intuentes exitum conversationis, imitamini fidem*. Plerique martyrium perpessi sunt, ut eas tuerentur veritates, quas vobis prædicaverunt; illorum zelum, atque constantiam imitemini; eorumque exemplum in fide, quam per illos recepistis, vos confirmet. S. Stephanus, S. Jacobus frater Joannis, qui Minor dicebatur, & S. Jacobus Jerosolymitanus Antistes, qui frater Domini nuncupatur, jam passi fuerant Martyrium. S. Petrus jam carcerum pœnam pertulerat, & complures inter Ecclesiæ primores, vel morte affecti fuerant, vel persecutiones exhauserant [4]. S. Chrysostomus, atque Theophylactus hæc omnia de pastoribus viventibus interpretantur, & Græcus ita verti potest [5]: *mementote pastorum vestrorum, qui vobis Dei verbum annunciarunt, & eorumdem vitæ rationem intuentes, imitamini fidem*. Eorum ita vitam imitamini, quemadmodum fidem sequimini.

℣. 8. JESUS CHRISTUS HERI, ET HODIE, IPSE EST IN SÆCULA.] Ne rebus novis circumferamini; JESU CHRISTO fortiter adhærete; cum æternus & immutabilis ille sit, fides quoque, & doctrina similiter sunt; & idem est hodie, qui erat heri, & omnibus seculis erit [6]. Aliter: ne fucum vobis fieri patiamini ab iis, qui de alio Messia verba faciunt [7]. JESUS CHRISTUS erat heri, est hodie, eritque in æternum Messias vester, & Christus. Denique alii hoc referunt ad præcedentia: imitamini Apostolos, & præpositos vestros; ille, qui eos suscitavit, erudiit, protexit; hoc in omnia sæcula facere perseverabit. Similiter quoque faciet vobiscum, si fideles exemplum illorum eritis sequuti.

℣. 9. DOCTRINIS VARIIS ET PEREGRINIS NOLITE ABDUCI.] Inter Judæos magna erat sententiarum varietas ob eas sectas, in quibus dividebantur. Judæi complures ad Christi fidem traducti in hanc invehere studebant non circumcisionem solum, aliasque cæremonias, verum etiam Rabbinorum fabulas, ac diversas Pharisæorum traditiones. Alii vero periculosas fovebant de mortuorum resurrectione, & JESU CHRISTI Divinitate sententias. Quidam etiam ex Ethnicis philosophica scita quædam doctrinæ Salvatoris commiscere adnitebantur. Superioribus Epistolis vidimus, quot certamina sustinuerit Apostolus, ut veritatem tueretur adversus hos omnes inimicos, qui eamdem labefactare quærebant, contra quos isthic præmunit Hebræos, ad quos scribit. Ne vos vobis subliminí permittatis, neque in errorem impelli ab eorum eloquentia, & acumine. Constanter immutabilem JESU CHRISTI doctrinam sequimini, neque recesseritis ab iis, quæ vos docuerunt Apostoli.

OPTIMUM EST ENIM GRATIA STABILIRE COR, NON ESCIS [8]] & aliis cæremoniis, & expiationibus, vel Sacrificiis cruentis, & victimarum pro peccato, *quæ non profuerunt ambulantibus in eis*. Gratia Dei, Evangelicarum veritatum cognitio, sunt esca spiritualis magis solida, atque apta ad nos alendos secundum hominem interiorem, quam sint epulæ corporeæ ad corpus alendum, & valetudinem, vitamque fovendam. Qui corporalem tantum escam quæsiverunt ex. gr. Hebræi in deserto, qui toties contra Deum murmurarunt, ut carnes & aquam obtinerent, mortem evitare non potuerunt. Minime illis profuit exquisitissimis cibis famem satiasse: hactenus in ore eorum erant, cum ira Domini in ipsos detonuit [9]. Recte, hunc verum esse hujus loci sensum. Liquet, pseudo-Apostolos, qui doctrinarum suarum novitate turbabant Ecclesiam, homines fuisse, abdomini natos, & helluones [10]. Explicari etiam hoc potest de idolothytis, & victimis, quæ offerebantur in Templo: cui explicationi sequens versiculus suffragatur.

℣. 10. HABEMUS ALTARE.] Arrepta occasione spiritualis escæ, fidei veritatis Evangelicæ, & gratiæ JESU CHRISTI, de quibus nuper loquutus est, hic de alio cibi genere loquitur, quem fideles tantummodo noverant, & qui toto Cælo sublimior erat, magisque efficax, & idoneus ad nos alendos, expiandos, & sanctificandos, quam quidquid sanctissimum erat in Templo Jerosalem, quod adhuc vigebat. Ne obtrudatis mihi carnem victimarum Eucharisticarum, quibus omnes vesci possunt, dummodo sordibus careant; neque hostiarum piacularium, quas Sacerdotes tantum in Templo comedere possunt [11]. Esca, de qua loquor, longe majoris est pretii: alimur enim Corpore, & Sanguine hominis-Dei, & cum Sacro hoc cibo corporaliter vescimur, animæ nostræ aluntur, saginantur, confirmantur, sanctificantur [12].

℣. 11. QUORUM ENIM ANIMALIUM INFERTUR SANGUIS PRO PECCATO IN SANCTA.] Solemnis expiationis die [13] vitulus primum pro Sacerdotum peccatis; mox hircus pro peccatis populi offerebatur. Aliis vero temporibus cum Summus Sacerdos in aliquod ignorantiæ crimen ceciderat, tunc etiam pro peccato suo vitulum immolabat [14], & in omnibus hujusmodi occasionibus super Altare holocaustorum offerebat adipem victimæ, & non reliquas ejusdem partes efferri jubebat e Castris, ubi comburebantur; quas qui cremasset, in castra reverti non poterat, nisi prius sua seipsum abluisset [15]. Hoc fortasse innuere vult isthic Apostolus. Extra Castra [16] immolabatur quoque solemnis expiationis die vitula rufa, cujus cineribus utebantur in lustratioui-

1 Vide Chryſ. & Theophyl. & Eſt. 2 Theophyl.
3 Vide Matth. 6. 34. Theodoret. Theophyl. Eſt. Grot. &c. 4 Theodoret. Eſt. alii plerique.
5 Μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ὧν ἀναθεωροῦντες τὴν ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς, μιμεῖσθε τὴν πίστιν. 6 Eſt. Caſtal. alii. 7 Chryſ. Theophyl.
8 Theophyl. Ita Eſt. Menoch. Bez. &c. 9 Pſal. 77. 30.
10 Rom. 16. 18. *Domino non serviunt, sed suo ventri*. Philipp. 3. 19. *Quorum Deus venter est*, &c.
11 Levit. 7. 6. 7. 12 Vide Auguſt. Tract. 27. in Joan.
13 Levit. 16. 3. 15. 14 Levit. 4. 3. 4. 5. & ſeq.
15 Levit. 16. 27. 28. & Levit. 4. 2. 3. 4. & ſeq. 16 Num. 19.

tionibus, ubi aliquis expiandus esset, qui cadaver tetigisset, quemadmodum capite 9. 13. superius sumus intuiti.

Hæ Victimæ exhibebant imaginem Sacrificii, quod Jesus CHRISTUS obtulit, Sanguinis sui, propriæque vitæ in Ara Crucis, extra Urbem Jerusalem, in monte Calvario. Nam quod Lex ait de castris in deserto, ex æquo intelligendum est, ex Rabbinorum sententia, de Civitate Jerusalem, postquam ibi Templum fuit ædificatum [1]. Castra Israel universæ Civitati Jerusalem respondebant; Levitarum tentoria erant totus Templi mons a radicibus ejusdem ad portam usque, quæ Nicanoris appellabatur. Denique Domini Tabernaculum erat tota Templi magnitudo.

In communibus Sacrificiis expiatoriis, Sacerdotes majorem victimæ pro peccato partem comedebant [2]; ex his vero gustare nemo non poterat, ut ostenderetur, neque Sacerdotes, neque alios Judæos, qui mordicus Legis cœremonias persequebantur, JESU CHRISTI & meritorum ejus esse posse participes; Sacrificium ejus consummatum fuit extra Castra, hoc est extra Jerusalem, quasi innueret, se Synagogam deserere, atque salutis lucem, & peccatorum veniam ad Gentiles ferre, qui extra Legis fœdus erant, & qui erant fœdus Evangelicum ingressuri.

℣. 12. EXTRA PORTAM PASSUS EST.] Præter rationem mysticam, de qua loquuti sumus, altera etiam occurrit, quod videlicet Lege sancitum erat, ut sontes extra Civitatem [3] capite plecterentur, sive propterea quod peccatum, & peccatores in horrore esse debere innueret; seu ut evitarentur sordes, quæ ex mortui attactu, & propinquitate oriebantur [4].

℣. 13. EXEAMUS IGITUR AD EUM EXTRA CASTRA.] Etiamsi oporteret cum illo ad Crucem pergere, & ferre eas omnes contumelias, & opprobria, quibus fuit laturus; nos ne pigeat Dominum nostrum sequi; castris egrediamur, inutiles Legis cœremonias deseramus [5], relinquamus Judæos obduratos in infidelitate sua; gloriam nostram in eo constituamus, si ab eorum Synagogis ejiciamur, & ab eorum Ecclesia [6] excommunicamur; felices nosmet existimemus, si passionum, & humilitatis Salvatoris nostri possumus esse consortes [7].

℣. 14. NON ENIM HABEMUS HIC MANENTEM CIVITATEM.] Ne pigeat nos, si ex terrena Patria nostra, & societate Judæorum concivium nostrorum ejicimur ad JESU CHRISTI imitationem, qui extra Jerosolymam eductus fuit, ut ad supplicium raperetur. Christi fidelis nullam jam amplius in Terris Patriam habet; vera illius sedes est in Cœlis. Philosophus quidam audacter asserebat, sapienti viro nullam esse in hoc mundo Patriam, sed illi Mundum universum esse Patriam [8]. Potiori jure Christi fidelis dicere debet, sibi nullam hic sedem esse, & veram Patriam suam esse Cœlum; Terram nihil esse, mala & bona hujus vitæ illum nequaquam afficere, nisi quatenus prosunt, ut perveniat ad Cœlum, ubi per amorem jam est, & ubi thesaurum suum collocavit. *Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit*, Matth. 6. 20.

℣. 15. PER IPSUM OFFERAMUS HOSTIAM LAUDIS DEO.] Pro cruentis illis sacrificiis, quæ olim statis diebus Sacerdotum manu offerebantur, hodie per JESUM CHRISTUM Salvatorem nostrum, æternumque Pontificem laudis victimam offerte Omnipotenti [9]. At quænam sunt hæ laudum hostiæ? gratiarum actio. Altaris

A Sacrificium, ubi sub panis, vinique speciebus JESUS CHRISTUS immolatur; hymni & cantica ad gloriam ejusdem, cultus sanctus, purus, religiosus, spiritualis. *Fructus labiorum*: pro oblationibus fructuum, & primitiarum earum rerum, quas Terra producit, & quæ Templo offerebantur, laudes, hymnos, gratiarum actiones offerte. Hæc loquutio *fructus labiorum* desumpta est ex Osea [10], ubi in Hebræo legimus *vitulos labiorum*, quod durius adhuc sonat; hoc est sacrificia, quæ vovimus, vel sinceram nostræ infirmitatis cognitionem, confessionem, nos omnia ex illius manu obtinere, nos illi omnia debere, nos ad illum referre cupere, quidquid ab illo recepimus.

℣. 16. BENEFICENTIÆ ET COMMUNIONIS [11] NOLITE OBLIVISCI.] Hebræi conversi locupletes non erant,
B quemadmodum vidimus [12]: attamen illos hortatur Apostolus ad charitatem exercendam, & bona sua pauperibus communicanda. Charitas nequaquam in eo posita est, ut eroges multa, sed ut ex animo, & libenter tribuas, idque propter JESUM CHRISTUM, qui seipsum tradidit nobis, & pro nobis, ut nos Deo Patri reconciliaret, & nos illi tanquam victimam suavissimi odoris offerret [13]. Addit Apostolus: *talibus enim hostiis promeretur Deus* [14], per opera charitatis, hospitalitatem, & eleemosynas peccata expiantur, & recentes a Deo gratias promeremur, opera nostra bona cum meritis JESU CHRISTI conjungentes, eaque per illum Æterno Patri offerentes. *Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam*, Rom. 5. 2.

℣. 17. OBEDITE PRÆPOSITIS VESTRIS.] Adno-
C tandum est, S. Paulum hanc Epistolam non ad Apostolos, neque ad Jerosolymitanum Episcopum, vel ad illius Ecclesiæ Sacerdotes, sed ad simplices fideles scribere, ideo infra ℣. 24. eos, ad quos scribit, orat, ut salutem dicant præpositis suis: hic vero illos hortatur, ut Ecclesiasticis Superioribus suis subditi obtemperent. S. Jacobus Frater Domini nuncupatus anno superiori e viventium numero decesserat, eique ad Jerosolymitanum Episcopatum successerat Simon filius Cleophæ, qui tunc ea aderat in Civitate. Ibidem etiam fortasse quidam esse poterant Apostoli, & Salvatoris discipuli: non deerant certe Sacerdotes, & Diaconi: quos omnes *præpositorum* nomine complectitur. Verum Episcopos præsertim intelligit [15], qui sunt immediati Apostolorum Successores, & in quibus residet
D plenitudo potestatis, quam JESUS CHRISTUS ministris suis contulit.

IPSI ENIM PERVIGILANT &c.] Hæ rationes vos impellere debent, ut præpositis vestris eam reverentiam, atque observantiam profiteamini, quam justitia, & grati animi officium deposcunt. Quid deberes Medico, omne opus, tempusque suum transmittenti, ut valetudini tuæ consulat; vel duci nullum vitæ periculum detrectanti, ut certam tibi viam ostendat? Episcopi, & Ecclesiastici Antistites aliquid majus adhuc præstant, quoniam non sine animæ suæ, æternæque salutis periculo vos in viam salutis deducendi Provinciam assumunt. Obedite igitur præpositis vestris in iis omnibus, quæ Divinæ Legi non adversantur; illis obedite, & subditi estote, quamvis eorum vita ipsorum cha-
E racteri minime responderet: *Omnia quæcumque dixerint vobis, servate & facite; secundum opera vero eorum nolite facere* Matth. 23. 3. Grex sine pastore luporum furori patet; sed grex pastori suo non obediens eidem periculo obnoxius est. Quo terroris, atque tremoris sensu

1 Grot. ex Maimonide. 2 Levit. 7 6. 7.
3 Levit. 24. 14. Num. 15. 35. Deut. 17. 5. Josue 7. 24. 25. Act. 7. 58.
4 Deut. 21. 23. *Non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur; quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno; & nequaquam contaminabis terram tuam, &c.* 5 Theodoret. Zeger. Tirin. &c.
6 Joan. 9. 22. 16. 2. 7 Act. 5. 41. Matth. 5. 11.
8 Laert. de Diogene, Lucian. de eodem, in Vitarum Auctione. 9 Sup. Hebr. 4. 5 7. 8.
10 Osee 14. 3. נשלמה פרים שפתינו 70. Ἀποδώσομεν καρπὸν χειλέων ἡμῶν.
11 Τῆς δὲ εὐποιΐας, καὶ κοινωνίας: *Beneficentiæ, & eleemosynarum*. Vide Rom. 13. 26. 2. Cor. 8. 4. &c.
12 Heb. 10. 34. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis*. 13 1. Petri 3. 18.
14 Τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός: *Promeretur Deus*, sensu passivo; ut Plin. l. 7. c. 28. *Quæ Campis corona merita?* Vide Grot. hic: *Promeretur, placatur, conciliatur*, &c.
15 Vide Theophylact. hic, Iren. l. 4. c. 43. Ignat. Epist. ad Trall.

sensu.Ecclesiasticæ Provinciæ essent ineundæ, si hæc, A quæ Apostolos inquit, sedulo reputarentur? Si fidas adeliffet, quinam auderet provinciam periculosæ adeo plenam aleæ suscipere? alienæ salutis, neque unius solum, sed eorum omnium, quibus præes, rationem severissime tibi esse reddendam, idque, cum propriæ salutis periculo? Nonne hoc tibi horrorem injicit? Nescio, inquit S. Chrysostomus hic hom. 34. utrum unus tantum salvus fiat ex iis audacibus hominibus, qui ultro ad animarum regendarum opus se se obtrudunt, quin illud perpendant periculum, cui se se objiciunt.

Ut cum gaudio hoc faciant.] Eorum onus satis est grave, quin ex indocilitate, atque inobedientia vestra ponderis accessio fiat. Nonne districte puniet Deus ingrati animi vestri vitium, atque vestram erga hujusmodi pastores duritiam. Gemitus, & lacrymæ, quas illi coram Deo pro vestra effundunt salute, clamores sunt, qui in vos ipsos insurgunt, & in vos Dei furorem irritant. Adnitimini potius, ut propter progressum, atque sanctificationem vestram lætentur, quin doleant ob vestros lapsus, vestræque salutis incuriam. Bonus pastor aliquam ex ovibus suis interire videns, semper summo dolore conficitur, licet sine ulla ipsius culpa intereat. Addit Apostolus, quod *non expedit* fidelibus lacrymarum causam pastori suo præbere. Deus illius gemitum exaudiet, & vestram nequitiam, ingratique animi vitium puniat. Quidam pro [1] *hoc non expedit vobis*, e contra legunt: *expedit vobis*, si vos illi obtemperaveritis, & illi cum gaudio, & mentis tranquillitate provinciam suam procuraverint.

℣. 18. Orate pro nobis: confidimus enim, C quia bonam conscientiam habemus.] S. Paulus apud Hebræos suspectus aliquantulum erat [2]. Suspicio enim inde in ipsum erat oborta, quod dicebatur docere, Moysis Legem penitus esse derelinquendam, omnesque illius cæremonias negligendas. Sed non prohibebat Apostolus, quo minus Judæi, qui convertebantur, in Legalium cæremoniarum exercitatione persisterent; at asserebat solum, illas ad salutem necessarias non esse, & Gentiles, qui in Ecclesiam ingrediebantur, Judæorum ritibus non esse constringendos. Amovet igitur eam suspicionem, quæ de se percrebuerat: audistis, quænam sit doctrina mea circa Legem, Sacrificia, & cæremonias; earum inutilitatem, & abrogationem vobis ostendi; conscientia hac in re me non redarguit; nihil docui, nisi secundum imperium Dei, & juxta veritatem; ratio vitæ meæ omnibus in rebus semper D integerrima fuit atque irreprehensibilis.

℣. 19. Quo celerius restituar vobis.] Sanctus Paulus tunc e carcere egressus erat; sed plurima illi adhuc erant facienda in Italia, Græcia, & Asia, antequam in Judæam revarteretur. Hebræos ergo rogat, ut pro se vota, precesque iterent, ut Deus ipsi facilem aperiat viam in Judæam profecturo, & ut negotia ipsius, quam celerrime, & facillime expediantur.

℣. 20. Deus pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem verum.] Deus Pater, qui nos in sua misericordia recepit, & Sanguinem Filii sui pro nostra reconciliatione, & salute effusum admisit; *qui eduxit de mortuis JESUM CHRISTUM Pastorem magnum ovium*, qui nos alit sua carne, & Sanguine, qui nos regit suis E præceptis, atque exemplis, qui nos sua gratia conservat. Jesus Christus in Evangelio non semel Pastoris nomen, & officium ad se traduxit [4]; Ipse est *magnus Pastor*, omnes homines sunt oves illius, sed qui in Ecclesia versantur, qui illius charactere insigniti sunt, qui in baptismate fidei, & Spiritus Sancti donum receperunt; hi peculiariter magis ejus oves censentur,

& longe magis singulari ratione hac prærogativa fruuntur, qui electi sunt, & ad gloriam prædestinati.

In sanguine Testamenti æterni.] Vel proprio suo Sanguine, quo æternum obsignavit inter Deum, & homines Testamentum. Primum fœdus illud, cujus mediator fuit Moyses, perfunctorium erat, & ad certum tantum modo tempus duraturum; Prophetæ vero aliud prænuntiaverant, quod stabilius, atque diuturnius erat futurum: & hoc illud est, quod Jesus Christus percussit, cujus ille mediator est, sponsor, minister, & victima [5]; quodlibet enim fœdus sanguine confirmatur.

℣. 21. Aptet vos in omni bono.] Vos aptos efficiat, ut omne bonum consequamini, velut primam quamlibet actionem possitis adniti. Vel cum aliis [6]; B *perfectos vos reddat in omni opere bono*. Effundat lumen quidem suum in mentes vestras, gratiam vero in corda vestra, ut cognoscatis, & exerceatis, quodcumque bonum vestræ conditioni, & vocationi convenit. *Ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram se per Jesum Christum*. Hinc liquet, quanta ipse tribuat gratiæ, quæ nos prævenit, quæ nos illuminat, quæ efficit, ut bonum operemur per Dominum nostrum Jesum Christum, omnis boni, omnisque perfecti doni Auctorem, & qui in nobis & velle, & facere secundum voluntatem suam operatur [7].

℣. 22. Ut suffératis verbum solatii.] Æquis auribus, animisque excipite, quidquid dico, ut vos consoler, vel horter. Nam quemadmodum non semel jam dictum est, Græca vox, quæ consolari significat, C etiam pro adhortari usurpatur [8]. Eos in hac Epistola hortatur, ut patientiam habeant, perseverent in fide, & bonum indesinenter exerceant.

Perpaucis scripsi vobis.] Hæc Epistola haud est quidem brevissima, sed longe fusior esse potuisset, si voluisset Apostolus prolixius verba facere de iis, quæ ob animum illius versabantur: illis vero præsertim, quæ spectant ad Tabernaculum, & cæremonias, quæ in Sacrificiis observari consueverant, de quibus in ipso corpore Epistolæ dixit, se prolixius habere nolle sermonem [9]: *de quibus non est modo dicendum per singula*.

℣. 23. Cognoscite Timotheum dimissum.] S. Paulus ex Italia Jerosolymam scribebat, vel saltem ad Hebræos Palæstinæ, qui nonnisi difficillime audire poterant, quid in regione adeo longinqua, & ultra mare D posita acciderat. Amabant illi S. Timotheum, tamquam virum Dei, qui pro Evangelio admodum elaboraverat, & qui Circumcisionem recipere dignatus fuerat, ut se illis conformem efficeret [10]. S. Timotheus Romæ erat cum S. Paulo, cum hic primum in vinculis esset, quandoquidem scribens ad Philemonem, Philippenses, & Colossenses secum in trium harum Epistolarum initio simul etiam Timothei nomen apponit. Verum inde liquet, illum in carcere non fuisse cum S. Paulo, quod Apostolus ad Philippenses II. 19. ait, se sperare, ut quamprimum eumdem ad ipsos mittat.

Non satis constat, utrum S. Timotheus in carcerem conjectus fuerit Romæ sub finem anni postremi, quo ibi S. Paulus permansit, an in itinere Philippos versus, de quo nuper fuit sermo: constat tamen, cum S. Paulus E hæc litterarum daret, Timotheum abfuisse, & non multo pridem a carcere fuisse dimissum [11]. Nuntiat Apostolus Hebræis dilecti hujus discipuli libertatem, tamquam Nuntium illis gratissimum propter existimationem, & benevolentiam, quam illi erga Timotheum fovebant. Addit: *cum quo (si celerius venerit) videbo vos*. Timotheus non multo post ad illum accessit, et in Orientem subsequutus; & omnis adest varietatis spe-

1 Ἀλυσιτελὲς γὰρ ὑμῖν τοῦτο. Cophe. & Prosper. l. 2. de Vita contempl. c. 3. *Hoc enim expedit vobis*.
2 Chrysostom. Theodoret. Theophylact. &c.
3 Ὁ ἀναγαγὼν ἐκ νεκρῶν τὸν ποιμένα, &c. Quidam Ὁ ἀναγαγὼν ἐκ τῆς γῆς: *Ex terra*. Ita Didym. lib. 3. de Spiritu Sancto, Chrysostom. hic, Cyrill. Catech. 14. Rufin. Exposit. symboli.
4 Joann. 10. 2. 11. 14. 15. & sequ. Matth. 26. 31. 12. 11. 12. 18. 12. & seq.
5 Theodoret.
6 Καταρτίσαι ὑμᾶς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ. Alii: Ἐν παντὶ ἀγαθῷ. Ita Vulgat. Clarom. & S. Germ. Lat. Ἐν παντὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ. Ita Alex. ex 2. Thessalon. 2. 17. ut videtur.
7 Philipp. 2. 13. Vide D. Thom. & Est. hic.
8 Chrysostom.
9 Hebr. 9. 5.
10 Chrysostom. hic, Theophylact. Est.
11 Chrysost. præfat. in Ep. ad Heb. p. 296. Tillemont. alii quidam.

species, illos simul Judææ iter suscepisse [1], licet nullum satis certum monumentum hoc testetur aperte. Hoc scimus tantum, Apostolum, cum in Asiam venisset, Ephesi reliquisse Timotheum, ut regeret eam Ecclesiam [a], inde vero in Macedoniam profectum, demum Romam rediisse, ubi martyrio fuit coronatus.

℣. 24. SALUTATE OMNES PRÆPOSITOS VESTROS.] Episcopos, atque Presbyteros; illos præsertim, qui sunt in Ecclesia Jerosolymitana, aliisque Ecclesiis Palæstinæ, & Syriæ, quæ pleramque ex Judæis conversis, & Judaizantibus, hoc est, Legis cæremonias observantibus, erant compositæ. S. Paulus non scripsit ad illarum Ecclesiarum Capita, fortasse ne inter illos conflaret invidiam.

SALUTANT VOS DE ITALIA FRATRES 3.] Judæi ad JESU CHRISTI fidem traducti, qui non Romæ solum, verum etiam in aliis aderant Italiæ Civitatibus, vincti erant necessitudinis vinculis cum Ecclesiis trans mare positis, Jerosolymæ, & Palæstinæ, quam semper putabant, veluti communem ipsorum Patriam, & fontem, unde lux Evangelii in omnes Terras se effuderat; *de Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Jerusalem*, Isai. 2. 3.

℣. 25. GRATIA CUM OMNIBUS VOBIS. AMEN.] Deus suis favoribus, atque benedictionibus vos cumulet; gratia Dei semper vobiscum permaneat, jugiter in vobismet ipsis augeatur, & ibi ad finem usque perseveret. S. Paulus Epistolarum suarum initium, & finem ducere consuevit, Dei gratiam expetens illis, ad quos scriberet; & sane hoc maximum bonum est, quo in Terris homines perfruantur; per gratiam enim ascensus est ad gloriam.

In Græcis exemplaribus vulgo ad hujus Epistolæ calcem hæc verba leguntur 4: *scripta fuit de Italia, & per Timotheum missa*; sed hæc subscriptio neque in MSS. pluribus, neque in editis compluribus invenitur. MS. Alexandrinus hanc Romæ scriptam fuisse testatur, sed nullam adfert rei hujus rationem. Si S. Paulus hanc Romæ scripsisset, profecto non dixisset generatim, *fratres de Italia*, sed *Romani fratres vos salutant*. Quod vero additur de Timotheo, qui hanc attulerit Epistolam, minus adhuc probari potest, quoniam S. Paulus supra ℣. 23. inquit: *cum quo (si celerius venerit) videbo vos*. Aberat ergo Timotheus. Oportet igitur eos, qui hæc apposuerunt, *per Timotheum missa*, ita intellexisse ea verba ℣. 23. *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum*, quasi innuerent; cognoscite, & summa cum observantia excipite *Timotheum missum ad vos* 5: quem sensum nonnulli Græco Textui appingere maluerunt, contra plerorumque Patrum, Interpretumque sententiam. Hæc omnia fusius in Præfatione ad examen revocata fuere.

---

1 Ἀπολελυμένον: *A vinculis solutum*. Ita Patres, & Interpretes passim. Vel, *absolutum a criminatione*. Jun. Vel, *dimissum*, forte *Athenis*, ubi erat, Theophylact. Jacob. Capell. melius; *A carcere dimissum*. Covaruv.

2. Ἀπολελυμένον περὶ ὑμᾶς, Vide subscriptionem Epistolæ.

a 1. Timot. 1. 3. 4.

3 Græc. omittit, *fratres*: Ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας. Ita MSS. Latini plures.

4 Πρὸς Ἑβραίους ἐγράφη ἀπὸ τῆς Ἰταλίας διὰ Τιμοθέου.

5 Vide notam in vers. 23.

Finis Commentarii in Epistolam ad Hebræos.

IN EPISTOLAS CANONICAS

PRÆFATIO.

Septem Canonicas, seu Catholicas Epistolas appellamus, quas post Pauli Epistolas Biblia nostra recensent, videlicet Epistolam S. Jacobi, S. Petri geminas, tres S. Joannis, ultimam S. Judæ. *Canonicarum*, quo insigniuntur, nomine (1) illud insinuari videtur, quod ad mores componendos regulas, & de Fidei mysteriis documenta exhibeant. Græca vox *Canon*, unde *Canonicum*, propriè regulam sonat.

Catholicæ (2) etiam & frequentiùs à Veteribus appellantur; quo nomine juxta Theodoretum Prolog. in Ep. Cathol. in edit. Roberti Steph. idem ferme venit, ac si *Circulares Epistolæ* dicerentur, quòd non uni tantùm Ecclesiæ, sed omnibus scriptæ Fidelibus, vel iis saltem, qui è Judæis ad Christi Fidem accesserant, & in omnes ferò mundi regiones sese effuderant, quod per *Catholici* vocem, quæ propriè *universale* sonat, satis innuitur. Orientales hanc Epistolarum collectionem appellant *Catholicon*, ita passim loca ex illis Epistolis laudantibus eorum Theologis: *S. Petrus in Catholico*.

Non eodem ordine, præsertim apud Latinos, distribuebantur. Prologi in Canonicas Epistolas Author, sive hic Hieronymus fuerit, ut plures statuunt (3), sive non, ut alii defendunt (4), ab Orthodoxis Græcis aliter quàm à Latinis distributas enunciat (5); & in Versione, quam ipse ex Græco deprompsit, easdem priori naturali ordini se restituisse addit, & permagni ponderis Textum primæ Joannis Epistolæ 5. 7. inseruisse, quem Latini Amanuenses, immeritò quidem, divulserant, nempè: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.*

Illas eo ordine, quo nunc apud nos, à Græcis collocari solitas, ex Patribus, & Græcis Mss. habemus, primò nempe S. Jacobi, deinde 2. S. Petri, postea 3. S. Joannis, ultimò demum S. Judæ. Quo etiam ordine ab Eusebio l. 2. c. 23. hist. Eccl., à Gregorio Nazianzeno Carm. de Canon. Script. à Laodicensi Concilio Can. 60., ab Athanasio Ep. Fest. & à Damasceno l. 4. de Fide Cathol. c. 18. distribuuntur. Aliter recensentur à Latinis, ut videre est apud Augustinum, & celeberrimum Claromontanum Ms. ubi primùm S. Petri geminæ, tres deinde S. Joannis, postea unica S. Judæ, S. Jacobi postrema enumerantur. P. Martianæus Colbertinæ Bibliothecæ Ms. Latinum profert, quo primò statuuntur geminæ S. Petri, deinde illa Jacobi, tres S. Joannis, unica denique S. Judæ. Clementis Alexandrini in Canonicas Epistolas Commentarius, quem Latinè versum apud Cassiodorum habemus, primò S. Petri priorem, unicam deinde S. Judæ, ultimò primam & secundam S. Joannis recenset; tertiam verò Joannis, Petri secundam, & S. Jacobi præterit. Idem Cassiodorus de Institut. div. Script. c. 8. *juxtà S. Hieronymum Sanctos Libros* distribuens, ita Apostolorum Epistolas constituit: 1. S. Petri geminas, 2. quatuordecim S. Pauli, 3. tres S. Joannis, 4. unicam S. Jacobi, 5. unicam S. Judæ, 6. Acta Apostolorum, & Apocalypsim. Innocentius 1. ad Exuperium scribens, S. Joannis Epistolas primas, S. Jacobi unicam postremam collocat.

Ultimus Apostolorum Canon primò Petri, deinde Joannis, postea Jacobi, ultimò Judæ Epistolas numerat; cui quidem ordini in Libro de Fide & operibus c. 14. Augustinus favet. Alibi tamen (6) primò Petrum, deinde Joannem, postea Judam, ultimò Jacobum collocat. Eusebius l. 3. c. 5. hist. Eccl. statim post Epistolas Pauli, primam Joannis, & deinde primam Petri, de quibus nullum unquam discrimen; alibi verò Jacobi Catholicarum primam absolutè appellat (7). Rufinus in Exposit. Symbol. Carthaginiense Concilium (8), Junilius sexti sæculi Africæ Episcopus (9), & Veteres Sacrorum Librorum Catalogi apud Cotelerium in Nosis in S. Barnabam, S. Petri Epistolam cæteris Canonicis præponunt. In elegantissimo Codice PP. Præmonstratensium Mussiponti, Epistolæ Canonicæ mediæ inter Acta, & Epistolas Pauli leguntur; locus de tribus testibus in Epistola S. Joannis priori desideratur.

Hinc

(1) Concil. Laodicen. can. 60. Cassiodor. de Institut. Divinar. Literar. c. 8. Hieronym. seu alius Prolog. in Epist. Canonic. (2) Ita Patres passim. (3) Erasm. Buxentop. Cleric. Katner. &c.

(4) Mill. P. Martianæus, Roger. Simon. (5) Prolog. in 7. Ep. Canonic. *Non idem ordo est apud Græcos, qui integre sapiunt, & fidem rectam sectantur, epistolarum septem, quæ Canonicæ nuncupantur, qui in Latinis codicibus invenitur. Quòd quia Petrus primus est in numero Apostolorum, primæ sunt etiam ejus Epistolæ in ordine cæterarum.*

(6) De Doctr. Christ. l. 2. c. 8. (7) Euseb. l. 2. c. 23. Hist. Eccl.

(8) *Concilium duas Petri primas statuit, unicam Jacobi postremam.* Ann. 397. can. 47.

(9) Junil. l. 1. de Part. Divin. Leg. c. 5. *qui tantùm quinque Epistolas Canonicas numerat, nempe Jacobi unicam, Petri secundam, unicam Judæ, & duas ultimas Joannis, Paulò tamen ante post Pauli Epistolam ad Hebræos, primam S. Petri, & primam S. Joannis recensuerat.*

Hinc nullum Canonicis Epistolis ordinem neque apud Græcos, neque apud Latinos olim fuisse præscriptum, persuasum habemus; quare in has Epistolas Præfationis, quam Hieronymo tribuunt, Author à Latinis potissimùm S. Petri, utpotè Apostolorum Principis, Epistolam cæteris præponi solitam jure merito asseruit: *Quia Petrus primus est in numero Apostolorum; prima sint etiam Epistola in ordine cæterarum*. Græci ut plurimùm Epistolam S. Jacobi cæteris priorem habebant, sivè quòd illam S. Petri Epistolis vetustiorem crederent; sive quòd Jacobus Jerosolymis Episcopus constitutus esset, antequam Apostolorum cæteri certam sibi sedem ubpiam locassent; sivè demùm quòd hæc utpotè ad duodecim Tribus per orbem effusas vagè directa, cæteris magis Catholica sive (1) universalior haberetur. Utcunque id evenerit, Epistolarum ordinem prorsùs arbitrarium scimus: quamvis autem S. Petri Epistolæ cæteris non præponantur, primæ idcircò ejus dignitati nihil sanè detrahitur.

In his Epistolis recipiendis concors non fuit Veterum sententia, juxta ac S. Gregorius Nazianzenus Carm. de Script. Canon. observat; alii enim singulas, alii tres tantùm probabant, primam nempè S. Joannis, primam S. Petri, & unicam S. Jacobi. Cujuslibet Epistolæ initio de earum canonica authoritate, quæ olim agitata sunt, discrimina afferemus. Duas Joannis postremas, licèt ad quosdam peculiariter directas, ideò fortè inter canonicas recensuerunt, ne eas ab ejusdem Apostoli prima disjungerent, quæ circularis quidem fuit, & dubiæ nunquam authoritatis. Optima etiam argumenta non desunt, quibus earum utramque urbanitatis & commendationis Epistolas esse, quas Joannes ad peculiares Ecclesias dederit, demonstratur.

Harum Epistolarum (2) Scriptores toti sunt in asserenda bonorum operum necessitate adversùs Simonianos, Nicolaitas, aliosque id genus Hæreticos, qui libertate nobis per Evangelium parta plus æquo abutebantur, & Apostoli sententias detorquentes, Fidem sine operibus ad salutem satis esse dictitabant, quasi de Fide per Charitatem agente perspicuè Apostolus non enunciasset Galat. 5. 6.: *Fides quæ per Charitatem operatur*. In cæteris suis Epistolis sæpè etiam Paulus in Pseudo Apostolos insurgit, quòd vel per nova dogmata, vel per falsam libertatem, vel per pravam suæ ipsius doctrinæ ad moralis eversionem, & ad veritatis Evangelicæ contemptum, & corruptionem, Ecclesiis perturbationem inducerent.

S. Jacobus bonorum operum necessitatem negantes apertè retundit. S. Petrus Simonis asseclas, falsos Doctores, & Hæreticos omnes oppugnat; S. Petri secunda, & Judas qui ejusdem S. Petri secundæ plures phrases adhibet, insurgunt in Pseudo-Apostolos, qui sanctis Veritatibus abutentes, pravam in Fideles doctrinam invehere conabantur. S. Joannis prima eosdem hæreticos & novatores aggreditur, & bonorum operum perseverantisque Fidei necessitatem ostendit.

Verum uniuscujusque Epistolæ characterem tum nobis exhibuit Hieronymus, cùm scripsit ad Paulinum: *Jacobus, Petrus, Joannes, Judas septem Epistolas ediderunt, tam mysticas, quàm succinctas, & breves pariter ac longas: breves in verbis, longas in sententiis, ut rarus sit, qui non in earum lectione cæcutiat*. Qui SS. Petri, Jacobi & Joannis, antequam à Christo vocarentur, & Spiritu Sancto perfunderentur, infirmitatem cum animo, virtute, gravitate, & sententiis, quæ ab iis Epistolis proferuntur, seriò confert, is sanè permaxima sapientiæ, potentiæque Divinæ admiratione teneatur necesse erit.

(1) *Scholiast. Græc. anonym in Ep. Jacob in Cod. Mss. Reg. n. 705.* apud Mill. pag. 592.
(2) August. lib. de Fide & operib. c. 14.

IN EPISTOLAM
CATHOLICAM S. JACOBI
PRÆFATIO.

De hujus Epistolæ Authore diu disceptatum; alii enim Jacobum Majorem Zebedæi filium, & Joannis fratrem, quem Herodes Agrippa capite multavit (1); alii verò Jacobum Alphæi filium, cognomento Minorem, & Fratrem Domini; alii denique Jacobum cognomine Justum, Jerosolymorum Episcopum, de quo sermo est apud S. Clementem Alexandrinum, Hegesippum, & Eusebium (2), ejus Authorem constituunt. Eusebius sanè l. 2. c. 23. Hist. Eccl. & Hieronymus (3), sive suam, sive aliorum sententiam proferant, an Jacobi hæc fuerit, ambiguum relinquunt,

(1) An. Christi 44. à Christi obitu an. 10. Act. 12. 2.
(2) Clem. Alex. & Hegesipp. apud Euseb. l. 2. hist. Eccl. c. 23.
(3) Hier. de Script. Eccl. in Jacobo. *Jacobus, qui appellatur Frater Domini, unam tantùm scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est, quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit authoritatem,*

quunt, piures esse testati, qoi faisò S. Jacobi nomine vulgatam putariot. His Recentiores quidam adhærentes, suam temeritate nimia tunc temporis opioionem protulere, cùm unanimis Ecclesiæ consensos, & certa tot sæculorum fides illud saitem præstitisse debuerant, ut aodaces ab hac in eam censura absterreret (1).

Qui S. Jacobo Zebedæi filio eamdem adscribnot, postquàm S. hic Apostolus in Hispaoiis Evangelium enunciaverat, & Jerosolymas reversus fuerat, haoc ad illos dedisse Epistolam sentiune: quam quidem omoium Sacrarum Novi Testameoti Scripturarom primam is Authot statuit, qoi Syriacam Versionem à Vidmanstadio editam argumentis inscripsit. Arabica etiam Versio, quam Cornelios à Lapide allegat, S. Jacobo Zebedæi filio illam tribuit; cujus tameo rei nil apud Syriacam, nil apud Arabicam, in Aogiicis, & Parisieosibus Polyglottis impressas. Vetus Italica Versio à P. Martiaozo vulgata (2), sub hujus Epistolæ exitum hæc profert: *Explicit Epistola Jacobi filii Zebedai*.

S. Jacobus Zebedæi filius duodecim Tribubus dispersis apod Hieronymum (3) Evangelium nunciasse dicitur; quo & ad eos hanc Epistolam scripsisse iosiouari videtur. Hoic tamen loco oolla fides, cùm S. Doctoris Textui additus certò constet. Pseudo-Locius Dexter in suis Chronicis, Vitæ & Mortis Sanctorum Author (4), Mozarabom Liturgia, & falsa Sixti III. Epistola (5), allatam sententiam ruentur. Gaspar Saochez in suo Tractatu de S. Jacobi io Hispaoias itinere, omnia hæc testimonia recenset, qoæ præterea minimè improbare videtur (6).

Cùm verò S. Jacobus Zebedæi filios à Domini Asceosiooe decem post annis martyrio interierit, io tot raotosqoe per orbem dispersos Judæos Evangelium tanto progressu, quantus ab hac Epistola præfertur, jam tum sese effudisse, veri nullam speciem osteodit. Scriptas præterea ad Galatas & ad Romaoos Epistolas, ad quas Jacobi Epistola alludit, in iis scilicet, quibus Fideles judaizantes erudiunt, & eorum abusus improbaot, noodum Apostolus dederat, cùm S. Jacobus Zebedæi filius capite multatus interiit. Aothores denique, quos attulimus, nimiùm studiosi sunt, ut S. Jacobi in Hispaoias missionem defeodaot, nimiùmque recentes, ut de re tam veteri fidem mereantur. Ioscriptiones, & subscriptiones, quibus Apostolorum Epistolas obsigoatas Mss. præferunt, ut plurimùm iocertæ, & levissimæ authoritatis.

Qoi Jacobum cognomine Justom Jerosolymorom Episcopom ab utroque Majori & Minori Jacobo discernunt (7), Clemeotis Alexaodrini & Hegesippi, quos sibi faventes putant, testimonio ducuntur. Quò verò magis eorum Textum perpeodimus, Jacobum Justum, & Jacobum Fratrem Domini eomdem omoioò ab ipsis constitui, eò magis suademur. Josephos enim, quem allegat Eosebius, hujus Jacobi Justi, velutı Fratris Jeso Christi, memioit Antiqo. l. 20. c. 8.; Jacobus autem Domini Frater, alius otique non fuit ab Apostolo Jacobo Minori, quem & Paulus Apostolum appellavit Galat. 1. 9.: *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum Fratrem Domini*. Jacobus igitor Justus ab Jacobo Domini Fratre minimè secerneodus.

Fateor quidem ea de re inter Veteres non convenisse. Omnes fermè recentiores Græci (8) alterom ab altero sejungont. S. Chrysostomus in Matth. hom. 5. & in Act. hom. 33. S. Gregorius Nyssenus, t. 3. p. 413. Apostolorum Constitutiones l. 6. c. 12. Ambrosiaster in Galat. 1. 19. Martyrologia vetera, S. Epiphanius hæres. 79. c. 3., & alii otrumque invicem secernere videotur. Hieronymos ea io se sibi minimè concors, ambiguitatem suam ostendit. Cæterùm plosimi utrumqoe omoioò eundem esse statuoot (9). Si itaqae Jacobus Jostos Alphæi filius, à Jacobo Domini Fratre alias nuoqoam extitit, ei otique hæc Epistola nunqoam adscribenda est.

Tribuenda igitur Jacobo Minori, Domini Fratri, quemadmodum & Veteres, & Recentiores vulgò ferme conveniunt: Ab Origene io Rom. 5. t. t. 2. p. 520. & hom. 3. io Exod. ab Athanasio orat. 4. in Arrian. & de Nycen. Decret. p. 252. Hilario de Trinit. 1. 4. p. 20. Cyrillo Jerosolymitano Cathec. Mystag. 5. Ambrosio de arbore interdicta. Epiphanio hæres. 70. c. 3. Basilio de Baptismo l. 1. c. 2. pluries ab ipso Hieronymo in Helvid. c. 7. & in Isai. 17. & Epist. 103. & de Vis. Illustr. ab Augustino in Crescent. l. 2. c. 37. & Ep. 29. p. 42., & ab aliis plurimis S. Jacobi Minoris nomine allegatus.

Plura vetera Exemplaria Latina, nonnoila etiam Græca hujus Epistolæ initio, ubi nunquam Apostoli nomen occurrit, S. Jacobum, teste Sixto Senensi, Apostolum vocant. Titulus, quo in Vulgata ioscribitur: *Epistola Catholica Beati Jacobi Apostoli*, in quibusdam etiam Græcis exemplaribus reperitur. Vetus verò Italicom, & Exemplaria plora tam Græca, qoàm Latina S. Jacobi Epistolam tantùm appellant. Cæterùm ejusmodi titoli, præsertim si intes

(1) Luther. Hunnius, Centuriatores, Cajet. Vide & Erasm.
(2) Vid. not. Martian. in Ep. Jacob. p. 191. (3) Hier. de Script. or. Eccl. sub finem articuli de S. Matthæo
(4) Isidor. de vita & morte SS. c. 73. (5) Biblioth. PP. (6) Sanch. tract. 3. de Profect. S. Jacobi in Hispan. cap. 42. (7) Vid. Grot. & Hamm. Laurent. Erasm. (8) Cotelet. Not. in Barnab. & alios script. p. 175.
(9) Vide Tillemont, not. 1. in S. Jacobum Minorem, ubi rem fusiùs agit.

inter se non cohæreant, infirmæ nimiùm authoritatis; quare ea bis nihil, quod S. Jacobo Apostolo faveat, cui quidem favent validiora argumenta.

S. Jacobus Minor matrem habuit Mariam, Beatæ Virginis germanam, filiam Cleophæ, & Alphæi uxorem, quam, quòd ab Joanne 19. 25. *Maria Cleophæ* dicatur, alii filiam, alii Cleophæ uxorem appellant. Verùm plures (1) S. Jacobum cognomento Fratrem Domini filium esse putarunt alterius uxoris, quàm S. Joseph duxerat, antequam Beatæ Virgini desponderet; quod quidem nullatenus defendi potest, nam Maria Cleophæ Jacobi mater, Christi patientis ætate, in vivis adhuc agebat. S. Jacobus præterea fratres habuit Josem, seu Josephum (2), & S. Judam (3), fortè etiam S. Simonem (4), qui omnes *Fratres Domini* vocabantur, ex Matre nempè Consobrini, seu tantùm juxtà hominum opinionem Cognati Jesu Christi, si verè omnes patrem habebant Cleopham, quem Veterum plures S. Josephi patrem enunciant.

Quare S. Jacobus *Minoris* appellationem obtinuerit, ignoramus; nisi fortè ut ab Jacobo Zebedæi filio, seu natu seu statura majori, secerneretur. Vocatus est etiam *Justus & Oblias*, agger nempe, & auxilium populi. Hegesippo teste, Sacerdos Domini fuit, & ex Mateis utero Leges Nazaræatus ad mortem usque implevit (5). Christus Dominus cùm ad cælus ascenderet, sedem in terris suam ei credidit; & juxta aliquos, Hierosolymitanam Ecclesiam commendavit (6); alii verò ab Apostolis post Domini Ascensionem Hierosolymorum Episcopum constitutum putant (7). Episcopatus fortè & Sacerdotii insigne, auream laminam in fronte gestabat (8); quàm & S. Joannes Evangelista (9), & S. Marcus (10) gestasse leguntur. Frugi oppidò vitam agens, à vino semper abstinuit, neque panem, neque quidquam, quod vitam haberet, in cibum adhibuit; olei ad corpus fovendum, sandaliorum, vestium lanearum usum omninò respuit, sola tunica ac pallio ex lino contentus; tam crebrò in terram oraturus prosternebatur, ut frons & genua Camelorum instar calluissent.

Cum apud omnes Viri Sancti famam obtinuisset, religiosæ etiam & castissimæ vitæ merito Justus cœpit appellari. Ejus quoque mentio in Talmud, ubi Jacobus Jesu Fabri Discipulus nuncupatus. Præstantissimam Sancti Viri virtutem testatus Josephus Antiq. l. 20. c. 8. cujus etiam testimonio Veteres bellum à Romanis illatum, & omnia mala, quæ ea de causa Judæos oppresserunt, Jacobi Justi, Domini Fratris, neci ulciscendæ cælitus permissa fuisse asserebant (11). Ejus verò mortem Ananus filius illius Anani, seu Annæ, de quo in Evangelio, ita molitus est. In Templi pinna Jacobus constitutus (12), & quid de Jesu Christo credendum esset, interrogatus, alta voce respondit: Jesus tamquam Dei Filius dexteræ Dei Patris assidet, unde in vivos, & mortuos judicium pronunciaturus adveniet. His vocibus plures ad Catholicam Fidem convolarunt. Scribæ verò & Pharisæi in eum illicò irruentes, è pinnaculo præcipitem egerunt. Dum verò è lapsu adhuc superstes genibus flexis pro inimicis orabat, de Anani imperio lapidibus obrutus est; quem deindè sepulturæ mandarunt juxta Templum eodem in loco, ubi martyrium consummavit.

Hanc Epistolam, in qua Jacobus iis, quæ anno Christi 58. ad Romanos, & anno 55. de legis abrogatione, & Legalium vanitate Apostolus ad Galatas scripserat, videtur alludere, datam fuisse credimus paulo ante ejus obitum, qui ad annum Christi 63. Neronis verò imperantis octavum, seu nonum consignatur. Bonorum operum necessitas in ea astruitur adversùs pravam quorumdam interpretationem, qui dicto S. Pauli, nempè Fidem, non opera Legis esse, quæ justificat, abutebantur (13). Fideles præterea qui ab Judaismo ad Fidem accesserant, S. Jacobus solatur, iisque in calamitatibus & persecutionibus perferendis patientiam commendat (14). Novit Doctoribus temeritatem exprobrat, qua lumine, sapientia, virtute, & missione destituti, Præceptorum munera usurpaverant (15). Acriter divites increpat (16), & eos qui levissimis de causis fratribus detrahebant (17), & plura à Lege interdicta adhibendi per Evangelium collata nobis libertate abutebantur. Jurisjurandi (18), odii, detractionis, divitiarumque amoris fugam suadet; orationis virtutem extollit (19); de unctionis extremæ (20), de Confessionis (21) peccatorum Sacramentis meminit. Diem Domini, ejusque adventum properantem annunciat (22), quibus Jerosolymæ & Templi excidium, & Judæorum dispersionem in foribus esse insinuat. Octo post ejus mortem annis evanera.

Ejus stilus brevis & sententiosus, cui neque certos rei agendæ præscribit fines, neque sententias invicem intexit. Quemadmodum in Proverbiis Salomon, & in præsentia etiam Orien-

(1) Hieronym. in Helvid. Epiph. hæres. 78. c. 7 & 78 Euseb. l. 2 c. 1. hist. Eccl. (2) Marc. 15. 40. (3) Judæ vers. 1. (4) Marc. 6. 3. (5) Vide Hegesipp. apud Euseb. l. 2. c. 23. Hist. Eccl. (6) Hieronym. in Galat. Epiphan. hæres. 88. c. 7. (7) Clem. Alex. apud Euseb. l. 2. c. 1. hist. Eccl. Athanas. in Synopsi, Hieron. de Vir. Illustr. Ambrosiast. in Galat. l. 19. (8) Epiphan. hæres. 78. Nazarænorum. (9) Polycrat. Ephes. apud Euseb. l. 5. c. 24 Eccl. hist. (10) Hist. Manuscrip. Martyrii S. Marci apud Vales. Not. in Euseb. l. 5. c. 24. p. 104. (11) Origen. contr. Cels. l. 1. p. 35. in Matt. p. 223. Hieron. de vir. Illustr. Euseb. l. 2. c. 23. p. 65. *Eusebii tamen verba in Josepho non reperimus*. (12) Euseb. l. 2. c. 23. hist. Eccl. Hieron. de Vir. Illustr. Epiphan. &c. [13] Jacob. 1. 22. &c. & 2. 8. &c. 26. [14] Jacob. 1. 2. &c. & 5. 7. 8. &c. [15] Jacob. 1. 19. & 3. 1. 2. 13. 14. 18. [16] Jacob. 5. 1. &c. [17] Jacob. 4. 11. &c. [18] Jacob. 5. 12. [19] Jacob. 5. 16. &c. [20] Jacob. 5. 14. [21] Jacob. 5. 19. [22] Jacob. 5. 7. 8.

Orientales, nampè per sententias sejunctas, non ratiocinando, morum regulas docet; suam porrò doctrinam Scripturis fulcit, & exemplis, sacrisque allusionibus ornat. Quædam denique loca allegat (1), quæ iisdem verbis in Scriptura non referuntur. At Novi Testamenti Scriptores, præsertim cùm Hebræos Scripturarum peritos, & allusiones intelligentes alloquerentur, verbis serviliter non inhærebant, sensus & Sacrorum Scriptorum mentem referre contenti (2).

Græcè scripsisse creditur, cùm juxtà Septuaginta Scripturam alleget, locum illum e. g. qui hoc sensu apud eorum Versionem tantummodò (3): *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Quamvis Hebræi in quaslibet Provincias effusi, ad quos potissimùm hæc directa erat Epistola, Hebraico, seu Syriaco idiomate aliquatenus uterentur, vulgò nihilominus Græca lingua loquebantur; hæc enim ab Alexandri Magni Imperio apud Orientales undique obtinebat. Versionem, cujus nunc usus apud Latinam Ecclesiam, Hieronymus Latinè reddidit. Olim adhibitam, & ab Authore nobis incognito versam, P. Martianæus typis vulgavit. Hujus nos varias quasdam lectiones produximus, Veteris Italicę nomine allegatas.

Veteres quosdam Canonicæ hujus Epistolæ authoritati olim adversatos attigimus (4), de qua & Novatores nonnulli disputationem instituunt. Verumtamen ab Athanasio in Synopsi, à Cyrillo Jerosolymitano Cath. 4. à Concilio Laodicensi Can. 60. & tertio Carthaginensi Can. 47., à Gregorio Nazianzeno t. 2., ab Amphilochio apud Gregor. Nazianz. tom. 1. p. 194., à Rufino Exposit. Symbol., ab Augustino l. 2. de Doctr. Christ. c. 8. ab Innocentio I. Ep. 3. ad Exuper. can. 7., à cæteris denique Patribus, à quibus, ut prætulimus, S. Jacobo Apostolo, & Domini Fratri adscribitur, in S. Scripturarum Catalogo recensetus. Hieronymus & Augustinus veluti Scripturam assertæ fidei sæpè producunt, adeò vel ab ea ætate certa invaluerat ejus authoritas. A Veteribus quidem perrarò allegatam ultrò cum Eusebio Hist. Eccl. l. 2. c. 23. fatemus; verùm maximam deinde fidem eidem adhibitam Eusebius ipsa testatur.

Fuere aliàs, qui S. Jacobo quædam tribuerint, quæ nunquam Scripturarum Canonem obtinuere. E. g. Evangelium S. Jacobi, Alphæi filii, Gelasius rejicit. Origenes in Matth. pag. 223. edit. Huet. de quodam S. Jacobi Opusculo meminit, quem falsò S. Petri Evangelio jungit. Ebionitæ, Epiphanio teste hæres. 30. c. 23., ejus nomine plura vulgarunt. Hebræum S. Matthæi Evangelium Græcè ab eo redditum apud Athanasium in Synopsi, fertur. Quædam ei adscribitur Liturgia, quę apud nos in Patrum Bibliotheca. Hujus mentio in Oratione, quam S. Proclo Archiepiscopo Constantinopolitano tribuunt; mentio etiam in trigesimo Canone Concilii, quod Constantinopoli in Palatii Imperialis Trullo celebratum ferunt Ann. 692. Eruditi verò hanc Liturgiam vel ei omnino affictam, vel temporum progressu permaximè vitiatam enunciant. Apud Veteres Patres perpetuum de ea silentium. Apostoli pręterea, Basilio teste de Spiritu Sancto cap. 27., qui in primordiis Ecclesię certos ritus præscripserunt, in silentio debitam mysteriis servavere dignitatem. Nullam igitur S. Doctor Liturgiam ab Apostolis vel scriptam, vel vulgatam esse sentiebat.

---

[1] Iacob. 4. 5. [2] Vide Io. 7. 38. Io. 12. 34. Ephes. 5. 14. &c. [3] Iacob. 4. 6.
[4] Vide Euseb. l. 2. c. 23. & Hieron. de Script. Eccles. in Iacobo.

DISSERTATIO
DE ITINERE ROMANO S. PETRI
ad 1. Petri 5. 13.

PEtrum Romæ fuisse, unde utramque suam Epistolam scripserit, ibique Ecclesiam erexisse, erectæ præfuisse, Romam denique Babylonis nomine designasse iis verbis: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta*, usque ad decimum sextum Ecclesiæ sæculum omnibus persuasum fuit. Ex his, & iis, quæ S. Petro Christus spoponderat, factum est, ut omnes omnino Fidelium Provinciæ Romam Ecclesiarum principem, & unitatis centrum, supremosque Pontifices, Petri successores, visibiles, gregis Christi Pastores esse, certò semper agnoverint. Qui præ cæteris Sanctæ Sedi adversati fuere, eò nunquam veneArunt, ut primam Romæ dignitatem eriperent. Ethnici ipsi unanimi omnium voce, & studiosissimo erga ipsam Fidelium cultu satis persuasi, Mundi Christiani Metropolim, principis Dignitatis, & authoritatis Sedem ducebant, neminemque extra ejus communionem verè Christianum, aut Catholicum se profiteri posse fatebantur. Tertullianus jam Montanista, titulum illum Romano Pontifici à Catholicis collatum irridet in lib. de Pudicitia c. 13 *Episcopus Episcoporum & Pontifex supremus* Ammianus Marcellinus Ethnicus Author, præcipuam inter Catholicos apud Episcopum Romanum authoritatem agnoscit l. 15. c. 7.

Postquam postremæ Ecclesiam invaserunt hære-
ses,

ses, deque his dotibus cum Romana Ecclesia & de suo Primatu cum Pontifice cœptum est certamen; an Petrus Romam venerit, sedemque ibi suam constituerit, dubitatum est. Novatores sententiam suam defensuri, Babylonis nomen, de quo in primam Petri Romæ urbem designasse negaverunt, de vera Babylone accipiendum statuentes. Cùm verò plures Urbes eo nomine appellentur, Protestantes Authores ad hanc usque diem in diversa distrahuntur; alii enim celeberrimam Babylonem secùs Euphratem in Chaldæa; alii Babylonem Ægypti Petri verbis designatam ferunt, per quam eumdem Petrum, postquam Alexandriæ Ecclesiam constituerat, transisse defendunt.

De hac quæstione, de qua plurima plures, ordine acturi, quædam primùm statuemus, quibus huic quæstioni ritè applicatis, Petrum se Romam contulisse, ex veteribus quæ extant monumentis demonstrabimus, adversariorum simul argumenta evertentes.

I. Rem quamdam historicam, quam vel coævus, vel fermè coævus clari nominis, & integræ fidei Author refert, nisi à vetustiori altero, vel peritiori improbetur, Critici omnes certam tenent.

II. Factum publicum, cui Fideles omnes, imò & Hæretici, & Schismatici per sæcula quindecim fidem adhibuerint, pro certo habendum est, etiam si præter hanc traditionem, & consensum, nihil et opituletur, tum præsertim, cùm Libros periisse constat, & monumenta plurima, in quibus fortè id expressè doceretur.

III. In materia facti non modò Libris & Scriptis, sed publicis etiam monumentis, sepulchris erectis, Templis constructis, diplomatibus, Bonis, & privilegiis in quædam loca, quosdam populos, quasdam Communitates collatis, fides est adhibenda. Hæc enim omnia certam rei authoritatem adjungunt.

IV. Jus Gentium, ut ita dicam, publicam fidem exposcit, ut cuilibet Urbi de iis, quæ ad ejus historias & jura pertinent, deferatur. Quis enim perfectiùs rem calleat? cujus rem tutiùs servare interfit?

V. Demum, ut factum Historiis coævis seù fermè coævis probatum, consensui unanimi, & vetustissimæ tot sæculorum traditioni, innumeris publicis monumentis, sepulchris, ædificiis, privilegiis, & omnium denique fidei innixum evertatur, infirma corruunt quælibet argumenta, nisi historicæ, penè dixerim, demonstrationes afferantur.

Iter itaque, quo S. Petrus Romam profectus est, inter facta ejusmodi est recensendum. Ejus enim mentio apud Papiam S. Joannis Evangelistæ Discipulum, apud Clementem Alexandrinum, Origenem, Tertullianum, & secundi, tertii, & sequentium sæculorum alios innumeros, imò & apud ipsos Ecclesiæ hostes, qui S. Petrum Romam profectum enunciarunt. Vetustissima plura monumenta, quæ adhuc Romæ extant, Petrum Romæ moratum testantur. Apostolorum sepulchra, eorum martyrii locus, Templa eorum nomini erecta vel à primis Ecclesiæ sæculis Romæ ostendebantur. Romani Pontifices à SS. Petro & Paulo ad hanc usque diem principem in Ecclesia dignitatem, & cæteras ei connexas prærogativas obtinuere. Is Primatus, eorum hæreditas; hunc tuentur; hunc & documentis & juribus defendunt. Nullo igitur jure factum hujusmodi revocari potest in dubium, nisi saltem valida, convincentia, & certa adeò proferantur argumenta, ut allata omnia principia sibi prorsùs faventia præferant.

Ad Romani S. Petri itineris argumentum, ipsum S. Petri producendum esset testimonium, quo se Epistolam dedisse asserit Babylone, nempe Romæ, ut Veteres omnes interpretantur. Hoc planè satis, ut omnem prorsus difficultatem evertat. Cùm verò ea de explicatione discrimen fuerit invectum, ab eadem afferenda abstinemus, nun enim quidquid ab adversariis objicitur, adhuc retudimus. Apostolus, inquiunt, se Babylone scripsisse expressè asserit: cur ejus verba sint allegoricè recipienda? An Epistolis, quæ stylo simplici & naturali scribuntur, quemadmodum hanc Petrus scribebat, allegoriæ interseri soleant, quin Lectoris animus ad figuras antea præparetur? Nihil hic sanè aut allegoricum aut allegoricæ speciem præferens.

Allegoriam tamen hanc idcircò fortè Petrus adhibuit, 1. Ne, ubi moraretur, indicaret; Apostolorum enim prudentiæ fuerat, ut innumeris inimicorum, quorum odia in ipsos ardebant, persecutionibus se se temerè non offerrent. 2. Quod scriberet ad Hebræos ad Fidem adductos, qui ab ineunte ætate propheticas, & figuratas phrases audire, imò & easdem adhibere consueverant; per Sodomam enim e. g. Urbem vitiis corruptam; per Ægyptum, regionem idololatriæ deditam; per Chanaan, populum maledicto obnoxium; per Babylonem denique Urbem flagitiis addictam inducebant.

3. Fuerat Babylon eorum parentum captivitatis infelix carcer, & Chaldæorum Judaici Imperii eversorum infensa Metropolis. Ab hac nil propè aberat Domina Mundi Roma, cujus Imperatores Judæam pulcherrimis privilegiis spoliatam in Provinciam redegerant; & Christianos iniquissimis persecutionibus exagitantes, populorum in eos odium concitaverant. Quare, cum Petrus Romæ degens ad Judæorum Fideles in Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, & Asiam scriberet, æquum fuit, ut per Babylonis speciem eis Romam exhiberet; quo etiam nomine & ipsi eam Urbem appellare consueverant, cum & ab Joanne in Apocalypsi 14. 8. & 16. 19. & 17. 5. & 18. 2. 19. 21. ita nuncupetur, ut Veteres Patres conveniunt (1), & ipsi adversarii fatentur (2).

Papias, Joannis Evangelistæ Discipulus, qui sæculo secundo florebat (3), Petrum primam Romæ Epistolam scripsisse, & hanc Urbem allegoricè sed apertè asserit designasse iis verbis: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta*. Scimus sanè Papiæ nomen, quem citat Eusebius, non huic, sed præcedenti ejusdem Epistolæ textui à Cl. Valesio referri, ubi Papias, de ipsius Valesii sententia, Romanorum Fideles enixis precibus S. Marcum adduxisse testatur, ut Evangelium scriberet, quod Petrus eis tum enunciaverat, cùm Romam profectus Simonem Magum oppugnavit (4).

Licèt verò Papias allato Epistolæ textui non faveret, faveret sanè itineri, quo Petrus Romam profectus Apostolum ibi, & Episcopum se gessit, in quo utique totus disceptationis cardo. Favet etiam testimonium Eusebii, qui Veterum, seu ipsius Papiæ, seu Clementis, quem paulò ante allegaverat, ore loquens, Romam Babylonis nomine venire testatur.

Cæterùm ipse Valesius nequit, quin eos increpet, qui Romæ Petrum non fuisse defendunt; *Nihil* enim, inquit, *in tota historia Ecclesiastica illustrius, nihil certius, atque testatius, quam adventus Petri Apostoli in Urbem Romam*. De quo sanè adventu spectatissimæ authoritatis testes S. Clemens Alexandrinus, Dionysios Corinthi Episcopus Epist. ad Soter. Pap. Presbyter Cajus Discept. advers. Proclum, Irenæus, Origenes, & cæteri omnes. Eos verò, addit, qui Babylonis nomen

(1) Tertull. l. 3. contr. Marcion. c. 13. Andreas & Arethas in Apoc. 17. Hieron. in Isa. 24. & 47. & lib. 2. contr. Iovin. August. &c. (2) *Lutherus Babylonis nomine Romanam Ecclesiam designans de captivitate Babylonica Librum contexuit*. (3) Papias apud Euseb. hist. Eccl. l. 2. c. 14. seu 15. edit. Vales.
(4) Vales. not. in eumd. Euseb. locum. *Epistola allatum textum à Rufino & Musculo, eo, quo à nobis, sensu explicatum asserit. Ita omnes etiam qui in eum scripsere.*

nomen de Imperii Assyriorum (seu potiùs Chaldæorum) Metropoli explicant, Veterum Patrum authoritas omninò retudit. Id enim, quod à Veterum nemine adstruitur, qua impudentiâ defenditur? Proferant illi Ecclesiæ Babylonicæ Commentarios, & sicuti nos Romæ, ita illi continuatam ejus urbis Episcoporum successionem exhibeant. Hæc Valesius.

S. Clemens Alexandrinus (1) in sexto Hypotyposeon, seu Institutionum Libro, divino consilio factum esse asserit, ut Simone Mago à Dæmone Romam deducto, & Petrus eò pergeret, ut quidquid deceptor ille struxerat, Apostolus hic everteret, & deletis errorum tenebris, lumini suo restitutam veritatem ostenderet. Irenæus, qui secundo sæculo floruit, & Apostolorum Discipulos agnovit, *maximas* asserit *& antiquissimas a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatas, & constitutas Ecclesias* (a).

S. Dionysius Corinthiorum Episcopus, ejusdem secundi sæculi Author, Petrum & Paulum Apostolos Corinthi & Romæ fidem annunciasse, & Romam profectos eodem tempore Martyrium ibi consummasse, ad Romanos scribit (3). Cajus Romanæ Ecclesiæ Presbyter, qui sub Pontifice Zephyrino florebat, adversùs Proclum Montanistam scribens Apostolorum Petri & Pauli, qui Romanam Ecclesiam condiderant, trophæa se posse Romæ ostendere testatur, quorum alter in Vaticano, alter secus viam Hostiensem quiescit (4).

S. Petrus, teste Origene tom. 3. Explan. in Genes. apud Euseb. l. 3. c. 1. hist. Eccl. postquam Evangelium enuncians Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, & Asiam peragraverat, Romam tandem se contulit, ubi capite inverso, ut expetiverat, crucifixus interiit.

Teste etiam pluribus in locis Tertulliano (5), Petrus Romæ constitit, Martyrium subiit, Sedem ibi constituit, & nactus est Successores. *Hæretici*, inquit ille, *edant origines Ecclesiarum, & evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentium, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit Authorem, & antecessorem; hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert*. Et alibi (6): *Ista quàm felix Ecclesia, cui tantam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus Passione Dominicæ adæquatur*.

S. Cyprianus Epist. 55. ad Cornel. Pap. in Romana Ecclesia Petri Sedem, præcipuam authoritatem, & Sacerdotalis unitatis centrum agnoscit: *Ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est*. Arnobius l. 2. Hegesippus de Excid. Jerosol. c. 3. & c. 1. Ambrosius ser. de basilicis hæreticis non tradendis, Hieronymus Ep. 17. ad Marcell. & l. 2. contr. Jovinian. & in Catalog. Eusebius Hist. l. 2. c. 13. 14. 15. Augustinus de hæres. c. 1. & alibi non semel, Lactantius l. 4. c. 21. Theodoretus Epist. 113. ad Leon. Magn. Paulus Orosius l. 7. c. 4. Optatus Milevitanus l. 2. contra Parmenian. Epiphanius, Chrysostomus, Athanasius, Concilia, uno verbo Veteres omnes, Petrum Romæ sedisse, & Martyrium consummasse, nemine refragante, docuerunt.

In ea Petri Epistolæ primæ verba, *Salutat vos Marcus filius meus*, scribit Clemens Alexandrinus, Petrum quibusdam Imperatoris Ministris Fidei mysteria explicasse, eosque Marcum Petri Discipulum coram rogavisse, ut per calamum eis redderet, quod à Petri ore paulo ante acceperant: (7), S. Hieronymus Catalog. de vir. Illust. in Marco, Beda in 1. Petr. 5. 13. Oecumenius; & vulgò Veteres omnes hujus Epistolæ Interpretes Babylonis nomine Romam à Petro designatam docent.

Itaque neque Historicorum Ecclesiasticorum, neque Patrum authoritates nobis adversarii objiciunt, sed silentium tantummodò S. Scripturæ, & quædam incongruentia argumenta, quorum vim majoris faciunt, quàm hunc unanimem Veterum consensum, quem utique permaximi & ipsi penderent, si eorum sententiæ faveret.

Sunt etiam ex Protestantibus, qui Petrum Romæ fuisse ultrò fateantur. Pearsonius Oper. posthum. pag. 27. 31. 32. 43. à Veteribus nunquam in dubium revocatum asserit, vel quòd Petrus Romanam Ecclesiam erexerit, vel quòd Pontifices eidem succedant. Grotius in 1. Petr. 5. 13. & Hammoodus Babylonis nomen, de quo Petrus in sua Epistola, à Veteribus de Roma semper explicatum fuisse conveniunt: quorum præterea sententiæ se adhærere Grotius fatetur: *De Babylone diffident veteres & novi interpretes. Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse nemo verus Christianus dubitabit. Novi Babylonem in Chaldæa. Ego Veteribus assentior*.

Petrum & Paulum Romæ imperante Nerone obiisse, sicuti vulgò Veteres, ita Usserius ad an. Christ. 66. 67 testatur; qui prætereà secundam ad Ponti, Galatiæ, Bithyniæ, & Cappadociæ Judæos Fideles Epistolam Româ à Petro datam asserit, unde & primam dedisse insinuat.

Chamier Panstart. tom. 2. l. 13. c. 4. unanimem Patrum de Petri adventu Romam consensum tanti esse fatetur, ut ei levissime adversari neminem deceat. Romanam Ecclesiam à Petro & Paulo erectam & confirmatam Blondellus asserit de Primatu &c. pag. 14. 19. &c.; Franciscus verò Junius, Scaliget, Casaubonus, Petrus Molinæus, Samuel Petit, Seldenus, Vedelius, & ii omnes, qui in S. Ignatii Epistolas scripserunt, quarum una, nempe ad Romanos, hæc habet; *Non ut Petrus & Paulus præcipio vobis*, Petrum se Romam contulisse vulgò testantur. Petri martyrium Romæ consummatum adeò liquet, ut Patricius Junius sine temeritate in incertum revocari non posse fateatur. Hammondus verò Dissertat. 5. de Episcopis, & Presbyteris &c., post Caji Ecclesiæ Romanæ Presbyteri, & Dionysii Corinthiorum Episcopi testimonium, adeò exploratum habet, ut nulli discrimini jure subesse possit.

Ludovicus Capellius Hist. Apostolorum Babylonis nomen de Jerosolymis explicandum per conjecturam ducit, quòd ea Civitas post Domini mortem Viros justos violentia exagitans, & Christi asseclas carcere afficiens, veluti in spiritalem Babylonem conversa fuerat. Novit utique is Author, quàm ii sibi non cohæreant, qui Babylonem vel Chaldeæ Metropolim, vel Babylonem Ægypti propè magnam Cairum ad literam accipiunt; cùm verò prorsùs ab eorum sententia discedere nollet, alibi Babylonem constituit, Jerosolymis nempè, quò tamen tunc temporis idololatria adhuc non invaserat; imò ubi adhuc Judaicæ Religionis sedes non corruerat, cum & Apostoli ipsi, & Hebræi ad Fidem traducti ejus cæremonias in eadem Urbe servarent.

Joseph Scaliger in Chronic. Euseb., Salmasius de Primatu Pontific., D. de Marca de Concordia Imperii & Sacerdotii part. 1. l. 6. c. 1. n. 4., & D. Basnagius in Continuat. Joseph. Babylonem à Petro designatam celeberrimam Chaldææ Urbem esse defendunt. Drusius verò in Petri secunda, quam, sicuti & primam, Babylone datam ferebant, quædam Babylonici idiomatis vestigia se deprehendisse putat;

(1) Clem. Alex. apud Euseb. l. 2. hist. Eccl. c. 14. & 15. (a) Iren. l. 3. contr. hæres.
(3) Dionys. Corinth. apud Euseb. lib. 2. Hist. Eccl. c. 24. seu 25. (4) Apud Euseb. ibid.
(5) Tertull. de Præscript. c. 22. (6) Ibid. de Præscript. c. 36. Vide Scorpiac. c. 15. & l. 4. contr. Marcion. c. 5. & l. de Baptismo. (7) Clemens Alex. in Latinis Cassiodori in 1. Petr. 5. *Marcus Petri sectator palàm prædicante Petro Evangelium Romæ, coram quibusdam Cæsareanis equitibus, petitus ab eis scripsit de his, quæ à Petro dicta sunt, Evangelium*.

putat; Petrus enim (si verè *Bosor* pro *Beor* scripserit) A *Balaam* vocat filium *Bosor*, seu ex Patria *Bosor*, pro ex Patria Pethor, *Phe* in *Beth*, & *Schin* in *Thau*, vel *Hain* in *Schin* immutans.

Babylonem prætereà incolis non fuisse tunc temporis destitutam, neque post Asinæi obitum & Anilæi, aliorumque Judæorum, quos Seleucienses interfecerunt, cædam, Judæos omnes inde egressos (1) non abiisse tuentur: Petrum insuper in Ægyptum perrexisse, & Babylonis Ægyptiæ, & Alexandriæ Ecclesias constituisse, nusquam satis ostendi perhibent, sed eum Antiochia in Orientem transmigrasse, & Babylone, ubi Judæorum plurimi degebant, constitisse, verosimilius censent. B Ad hæc, Petrus utique, refragante nemine, in Bithyniam, Galatiam, Pontum, & Cappadociam Evangelium intulit, quas Provincias Euphrati satis proximas tum fortè peragravit, cum Babylonem perrexit, vel inde reversus est in Syriam. Porrò, veluti Pater suos filios, vel suos Neophytos Apostolus, earum Provinciarum Judæos alloquitur, eorum tentationum meminit, eorumque lætitiæ, vel per Epistolas, quas ab ipsis acceperat, vel per contubernium, quod sibi cum ipsis fuerat, de omnibus sese instructum ostendit; in hac demùm Epistola primùm ad Provincias Babyloni propinquiores, ultimò ad remotiores sermonem suum dirigit. C Neque cursim tantummodò Babylonem percucurrit, sed ibidem diu constitit, cùm se illius urbis Idioma nonnihil didicisse per suas Epistolas satis exhibeat. Hæc hujus sententiæ majoris momenti argumenta.

Qui verò stant pro Babylone Ægyptia, Chaldææ Babylonem, qua Judæi expulsi fuerant, incolis permaximè destitutam perhibent. Verùm cum Urbem, cui verè, non figuratè Babylonis nomen competat, studiosè inquirant, ad Ægyptiam Babylonem confugiunt, ubi plurimos tum Judæos constitisse, & quò Petrum, postquàm Fidem Alexandriæ enunciaverat, perrexisse defendunt. Ita D fit, ut quod ab his adstruitur, ab aliis invicem evertatur. Veritas autem media via incedens, de vera Babylone indaganda nil cogitat, & mysticam & allegoricam Babylonem hic designari tuetur.

Eo sanè tempore, quo datas à Petro Epistolas Judæi acceperant, Babylonis nomine neque Chaldæorum, neque Ægyptiorum Babylonem Judæi ipsi intelligere poterant. Non primò Babylonem Ægypti, quam Ponti, Galatiæ, Bithyniæ, Cappadociæ, & Asiæ Judæi, ad quos hanc Epistolam Petrus direxerat, vel vix noverant, vel penitus ignorabant. Hanc Urbem Persæ quidam tum condidere, cùm à Cambyse, qui Ægypto potitus fuerat, permissi in ea regione sibi sedem constituerunt. E (2) Strabonis ætate, altera è tribus Romanorum Legionibus Ægypto tuendæ mancipatis, in eam tamquam in arcem munitissimam se receperat (3). Tum seu Christianorum, seu Judæorum aliquem in ea commorantem nusquam invenimus, & Petrum velcò perrexisse, vel ibi prædicasse Veterum nemo unquam recensuit. De Babylonis prætereà Episcopis per sæcula plurima perpetuum silentium. Horum primum, juxta Spanhemium (4), Cyrum agnoscimus, cujus nomen in prima Concilii Chalcedonensis actione occurrit. Baronius verò primum vocat Zozimum, qui sæculo quinto, Justino Juniore imperante, ei Ecclesiæ præfuit. Illius mentio apud Sophronium. Credibile ne fuerit, Eccle- F siam ab ipso Petro erectam tandiu incognitam persetisse? Si Petrus de hac urbe ad Judæos scripsisset, per quoddam epithetum, vel per phrasim clariorem eam utique designasset; illi enim Babylonem audientes, congruum sanè fuerat, ut potiùs Magnam Chaldææ Babylonem perciperent; urbem

A suis regionibus propinquiorem, in suis Historiis frequentiorem, & ipsorum calamitatibus celeberrimam.

Quæ tamen olim florentissima Civitas, tum, cum Petrus scriberet, ea fuerat, ut lapidum potiùs congeries, quam Civitas videretur: *In solitudinem*, ait Plinius, *rediit, exhausta vicinitate Seleucia, ob id condita a Nicanore* (5). Strabo desertam fermè refert; Diodorus minimam ejus partem vix populo frequentatam memorat. Cajo prætereà regnante, paulò ante Claudium ejus successorem, quo imperante suam hanc Petrus dedit Epistolam, Judæi Babylone profugi, Seleuciam contenderant. Fu- B siùs rem narrat Josephus (6). Babylonii Anilæo, ejusque sociis cæsis, Judæos invaserunt; qui se ad confligendum impares sentientes, Seleuciam confugerunt, ubi per quinquennium nulla affecti sunt injuria. Sexto verò anno peste in Babylonem grassante, Judæorum reliqui, qui deinde adhuc non discesserant, Seleuciam & ipsi commigrarunt, ubi omnium pessima eos obruit calamitas. Græci enim & Syri urbis incolæ malè inter se dissentientes, ea lege pacem & amicitiam pepigerunt, ut Judæos omnes perderent, quare eos ex improviso aggressi, supra quinquaginta virorum millia interfecerunt. Si verò quibus à Seleuciæ, & Babylonis, utraque enim in eorum perniciem con- C spiraverat, cæde evadere contigit, Neerdæ, & Nisibi præ cæteris urbibus tutiores se rati, eò convenere. Hæ utique circumstantiæ minimè iis favent, qui Petrum tunc temporis Babylone commorantem, ibique florentem Fidelium Ecclesiam statuunt.

Prætereà quod Petrus Euphratem trajecerit, aut Babylone constiterit, neque Scriptura, neque Ecclesiasticæ Historiæ usquam meminerunt. Cur igitur nullo innixi argumento rem tanti momenti asseramus? Quare ab unanimi Patrum & Interpretum, Babylonis nomen de Roma explicantium, consensu discesserimus? Judæi, ad quos Petrus scri- D psit, neque de Chaldææ, neque de Ægypti Babylone id accipere poterant; quin, ut ostendimus, congruum erat, allegoricè sumerent, & de Roma explicarent, quam, utpote flagitiis deditam, Justis infensam, & idololatriæ sedem, Babyloni simillimam agnoscebant.

Locus sanè, de quo hic agimus, ex iis minimè fuerit, quorum sensus, quòd res intellectuales, & à Lectorum plerisque neglectas afficiat, per plura sæcula vagus & incertus oberrat. Quicumque, hunc vel audiant, vel perlegant, illico percipere appetunt, an allegoricè, an verò ad literam sit explicandus. An Petrus verè Babylone constiterit, E seu Roma hanc Epistolam scribens, eamdem urbem per phrasim allegoricam designaverit, non periti modò, sed & rudiores indagassent; quare ubi semel rem tetigissent, fieri sanè non poterat, ut eamdem per oblivionem deperderent. Quis verò inter Veteres vel minimum ex de re discrimen memorat? Quis Babylonem de altera urbe, prætereà quàm de Roma, hic explicat? Nos ipsi, si Epistolam perlegamus, nonne statim Babylonis nomine Romam percipimus? Ex quibus omnibus illud sanè fit, ut hæc habenda sit traditio, quam ab ipsis Apostolis, & ab eorum Discipulis derivamus, & cui Recentiores & argumentis, & authoritate de- F stituti, nullo jure possunt adversari. Prætereà eorum non de levissima quadam circumstantia, sed de potissima ipsius rei difficultate dissidium sententiam hanc incertam omnino prætert, & prorsùs evertit. Olim, ut paulò antè ostendimus, non convenere, & in præsentia inter se non cohærent. Veritas utique una est, quæ potissimùm ibi elucet, ubi eam consensus omnium detendit. Patres & inter-

(1) Vid. Ioseph. Antiqu. l. 18. c. ult. (2) Ioseph. Antiqu. l. 2. c. 5. (3) Strabo l. 17.
(4) Spanhem. Dissert. De temerè credita Petri in urbem Romam profectione art. 4.
(5) Plin. l. 6. c. 26. (6) Ioseph. Antiqu. l. 18. c. ult.

interpretes omnes Babylonis nomine in prima sui A Epistola à Petro designatam fuisse Romam, ab Ecclesiæ exordio ad hæcusque tempora, nemine refragante, docuerunt. Hunc igitur locum de Roma solummodò explicandum, liquidò constat.

Nonnulli ex Catholicis Scriptoribus, De Marca, Joannes Baptista Mantuanus, Michael Cesænas, Marsilius Paduanus, Joannes Aventinus, Joannes Lelandus, Carolus Molinæus, & forte alii, qui ea in re nonnihil hæserunt, frustra nobis objicerentur; eorum enim animus anceps distrahebatur ab his Protestantium argumentis, quæ jam perpendimus, & quæ ejusmodi sunt, quibus ipsius eorum sententiæ fautores minimè acquiescant. B

In nostram adhuc sententiam insurgunt, quòd nempè de anno, quo Petrus Romam contendit, inter Veteres non conveniat. Quare, ajunt, traditio, quam præferimus, utpote incertis innixa argumentis, penitùs corruit. Lactantius sub Nerone Petri adventum statuit in lib. de Morte persecutorum. Eusebius in Chronic. Hieronymus Catalog. in Petro, Ado, & alii plures Claudii anno secundo: Paulus Orosius l. 1. c. 6. ejusdem imperantis exordio; quamquam anno Claudii secundo, recurrente Paschatis Festo, Petrum Jerosolymis extitisse (1), & à Rege Agrippa in vincula conjectum Angeli ope divinitus evasisse certo scimus.

Veterum plures annis quinque & viginti Romæ C Episcopum sedisse ferunt (2); Claudii nihilominus anno decimo Concilio Jerosolymis coacto interfuisse (3), & anno post Concilium Antiochiam profectum, ibique à Paulo redargutum, constat (4). Paulus, qui Roma plures scripsit Epistolas (5), nusquam Petri meminit, quod utique, Petro Romæ degente, non præteriisset. Juxtà eorum hypothesim, qui Petrum annis quinque & viginti Romæ sedisse statuunt, quarto Neronis anno in ea sanè Urbe degebat; Paulus verò eodem anno ad Romanos scribens, plurimos, quibus valedicit, enumerans, Petrum penitùs præteriit. Porrò apud Lucam in suis Actis de Petri D Romam adventu perpetuum silentium.

Ubi Paulus Romam pervenit (6), Fideles omnes ad eum confluxere; Petrus verò neque venientem excepit, neque captivum invisit. Invisere quidem Synagogæ Primarii, à quo & de Catholica Religione postularunt (7): *Nam de secta hac notum nobis, quia ubique ei contradicitur*; qui eam utique non prætulissent inscitiam, si à Claudii imperantis exordio Petrus Romam profectus, sedem ibi suam erexisset, erectamque firmasset. Petrus insuper & Paulus ita inter se convenerant, ut Evangelii laboribus sibi composito distributis, Paulus Ethnicos in Fide erudiret, Petrus Judæos (8): *Cùm vidissent, quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis, dederunt dexteras mihi & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisione.* Quare cum Roma Ethnicorum esset E Civitas, non ad Petrum, sed ad Paulum pertinebat. Præterquamquòd Claudius Imperator Imperii anno 9. & Christi 49. seu aliquantò post, Judæos omnes Roma ejecit: abiisset igitur & Petrus; quomodò enim ibidem invito Imperatore consisteret, præsertim cùm ejus mora conferre minimè posset ad circumcisos Christianos, qui unà cum Judæis, à quibus non secernebantur, ab Urbe discedere coacti fuerant.

Hæc omnium, quæ adversùs sententiam nostram F afferantur, validissima; cætera enim minimi prorsùs facienda. Quibus tamen omnibus facilè occurrimus. Quod attinet ad Scriptores nostros, qui de anno, quo Petrus Romam adiit, non conveniunt, respondemus:

1. Ecclesia neque hanc probat epocham, neque illam improbat, neque horum sententiam accipit, neque illorum respuit, tantùmque eò respicit, ut Petrum Romæ constitisse confirmet. Semel, aut bis, sive primo, sive secundo, sive denique tertio Claudii anno Petrus Romam venerit, minimè inquirit; hæc verò omnia Chronologistis discutienda relinquit.

2. Qui Claudii anno secundo, & qui ejusdem imperantis exordio Petrum Romam profectum statuunt, inter se minimè pugnant; annus enim secundus Imperii, quod annis tredecim, mensibus octo, & diebus viginti Claudius gessit, optimè Imperii, initium adhuc appellatur. Nihil verò prohibet, quo minùs Petrus in Paschate anni secundi Jerosolymis adfuerit, & eodem Claudii anno sub æstatis exitum Romam pervenerit.

3. Petrum verò annis quinque & viginti Romæ sedisse neque omnes asserunt, neque nos assertò defendimus. Quando autem id nobis tueri liberet, singulis vigintiquinque annis ita eum Romæ constitisse, ut nunquam inde discesserit, minimè statueremus. Potuisset utique inde egredi, & eo annorum intervallo pluries iter modò in Orientem, modò in Occidentem instituere, ut Ecclesiæ necessitas, & Spiritus Sancti ductus expostulassent. Quare nil prohibet, quin Concilio Jerosolymis coacto præfuerit, & Romanam Sedem nihilominùs non reliquerit; sicuti à suis Sedibus discedere non dicuntur Episcopi, qui ad Concilia conveniunt. Ab anno Claudii secundo, usque ad Neronis ultimum, quo Petrus Martyrium consummavit, quinque & viginti circiter anni intersuerunt.

Scriptorum igitur in anno, quo Petrus Romam venit, assignando discrepantia adversariis nostris nequaquam favet. Hac in re duo nobis secernenda, quorum alterum ad rem pertinet, alterum accedit; alterum nempè, an Petrus verè se Romam contulerit, quærit; alterum, quo anno eò venerit, quandiu ibi constiterit, an per hanc, an per illam Urbem transierit, investigat. Veteres quidem de primo unanimes conveniunt. Dissidium verò agitari potest de secundo, quin primum vel levissimè concutiatur. An, quod de anno, quo Christus obiit, inter Veteres non conveniat, etiam de ejus morte ambigamus? Circumstantiarum, quæ factum ponunt, dissidium eidem potiùs confirmando, quàm evertendo conducit.

Præterea, cum Petrus à Caligula usque ad Neronem, quo imperante interiit, pluries Romam contenderit, adversæ sententiæ inter se facilè veniunt conciliandæ. Fortè enim Petrus exordio, anno nempè Claudii imperantis secundo, juxta Eusebium, Hieronymum, & Orosium, Romam venit, eòque etiam se contulit duodecimo, seu decimo tertio Neronis anno, paulò antequàm martyrio afficeretur. Reverà Veterum plures Petrum, ut Simonem Magum retunderet, Romam adiisse; sibique unà cum Paulo in carcerem conjectum simul martyrio interemptum ferunt (9).

Mirum neque fuerit, si Paulus vel Roma ad alios, vel aliundè ad Romanos scribens, nunquam Petri meminerit; fortè enim tum, cum Paulus scriberet, Petrus Roma aberat; vel in alia illius amplissimæ urbis regione degebat; vel iis, ad quos Apostolus Epistolas dedit, præcipua cum Petro seu societas, seu necessitudo non fuerat; vel denique mille aliis de causis contigit, quas divinare non vacat.

Quæ verò adversùs nos urgentur, quòd Judæi Romæ degentes Paulum adierint, eique de Christiana Religione interrogato illud tantùm se scire asseruerint, quod huic sectæ ubique contradicere-

(1) Act. 12. 3. &c. (2) Pontific. Damas. Beda, Isidor. Hispal. Ado alii. (3) Act. 15.
(4) Galat. 2. 11. (5) Epist. ad Coloss. ad Philipp. ad Ephes. & 2. ad Timoth.
(6) Neronis ann. 6. Christ. 60. (7) Act. 28. 22. (8) Galat. 2. 8. Vide Salmas. de Primatu Petri.
(9) Ann. Christ. 66. Neron. ultimo.

tur: Judæi hujusmodi ex Fidelibus minimè fuerant, & falsis, quas ab Judææ Hebræorum Epistolis & calumniis hauserant, opinionibus imbuti, Religionem Catholicam solo nomine noverant. Itaque cùm Paulus ex Judæa Romam advenisset, eum, quem doctum virum habebant, facilè adivere, ut de Christianis, in quos omnium Synagogarum odia exarserant, erudirentur. Siquidem autem tam ex Judæis, quàm ex Ethnicis plurimi, qui Fidem amplexi fuerant, Romæ degerent; attamen, cum hi in Judæorum Synagogam minimè convenirent, Epistola, quam paulò ante ad eos scripserat, facilè ad Judæorum infideles non pervenit: quare mirum non fuerit, si de Pauli rebus, de Fidei, ad quam ipse se contulerat, progressu, & de causis, quibus Romam adductus fuerat, se minimè certiores exhibuerint: *Nos neque literas accepimus de te à Judæa, neque aliquis fratrum adveniens nuntiavit, aut locutus est de te malum.* Act. 18. 21.

Cùm Evangelicos labores Petrus & Paulus ita inter se distribuere, ut à Paulo Ethnici, à Petro erudiendi essent Judæi, quid uterque Apostolus verè senserit, quid potissimùm in munere suo exercendo servarint, ignoramus; uterque enim Judæos & Ethnicos promiscuè edocuere, quorum plurimos ad Fidem genitos baptismo initiarunt. Petrus utique Cornelium, ejusque familiam baptismate abluit (1); & in Concilio Jerosolymis coacto, ut Gentibus Evangelium prædicaret, easque ad Fidem perduceret, se à Deo jam diu antea selectum testatus est (2). Paulus verò, quocumque iter faceret, nonne Judæos ad Fidem primùm instituebat, & tum ad Ethnicos convertebatur, cùm inter illos Evangelio aditum patefaciendi spes sibi affulgeret? (3) Petrus igitur, quin Gentes negligeret, Judæis præcipuè erudiendis; Paulus verò, quin Judæis deesset, Gentibus potissimum edocendis se addixerant.

Esto tamen, Petrus solis Judæis ad Fidem instituendis incumberet: & Romæ perplurimi, quos excoleret, Judæi degebant. Herode è vivis sublato quinquaginta Legatis, qui Jerosolymis Romam dimissi fuerant, ut à Regum imperio in posterum liberari postularent, duodecim Judæorum millia sese adjunxere (4). Imperante Caligula, maximam Romæ trans Tiberim partem, à Judæis frequentatam scribit Philo Legat. ad Cajum. Claudius tot tantosque se regnante Judæos Romæ numerabat, ut seditionem veritus, eos inde expellere ausus minimè fuerit, ne unà simul convenirent, vetare contentus (5). Expulit tandem, anno, ut ferunt, imperii sui nono, quòd causa Christianorum tumultus assiduè excitarent (6).

Tunc & Petrus fortè discessit, quod tamen minimè prohibet, quominùs sexto Neronis anno, qui Christianos tantùm, non Judæos infectabatur, iterum eò fuerit reversus, ubi Judæorum & Christianorum plurimos nactus est (7). Sub Neronis imperantis exitum, Petrus & Paulus permaxima animi alacritate Romam suptemùm redierant, ubi, ut Veteres omnes scribunt, martyrium consummarunt.

Illud præterea, quod ex S. Lucæ in Actis silentio argumentum sibi adversarii statuant ad Petri Romanum iter evertendum; ac si S. Evangelista Petri historiam sibi referendam suscepisset, cujus utique post decimum sextum Actorum caput videtur oblitus, ut Pauli solius mentionem instituat. De Petri Romano itinere plurimas vulgatas esse fabulas fusè Sphanhemius ostendit; plurima nempè & Romæ, & in aliis Italiæ urbibus monumenta, Ecclesias, & loca ab ipso Petro consecrata exhiberi, plures etiam Urbium celeberrimarum coli Episcopos, quos itineris sui comites à Petro adhibitos ostentant; plurimas denique & temporis & loci ambigua, & commentitias circumstantias producit, ut hujus itineris fidem vel ambiguam reddat, vel omninò evertat (8).

Nostri verò Critici doctiores neque his fabulis, & ambiguis circumstantiis fidem præstant, neque omnibus ea de re popularibus traditionibus adhærent. Hæc tamen minimi facienda nemo excogitasset, nisi iter hujusmodi omnes exploratum habuissent. Si traditiones inanes, & falsa commenta, quibus Apostolorum, & ipsa Christi acta seu improbè, seu levissimè interseruntur, ea forent argumenta, ut authenticæ historiæ rejicerentur, ad quas hodie redigeremur angustias, cùm tot tantisque fabulis, quas sæculorum ignorantia invexit, totius fidei, certæque authoritatis facta obvolvantur? Criticorum peritia non omnia penitus rejicit, sed digniora seligit, & vera à falsis, certa ab ambiguis, historias authenticas ab incertis circumstantiis secernit.

Ut Romano Petri itineri, & nostræ interpretationi, qua Babylonem de Roma explicamus, fidem adimant, Veterum Scriptorum authoritatem, à quibus utrumque accepimus, infirmare conantur. Papiam exilis ingenii virum, simplicem, & credulum vocant, & quasdam ejusdem traditiones producunt, incertas prorsus. S. Ignatii Martyris Antiocheni Episcopi textum commentitium perhibent, & Epistolam, quam Smirna ad Romanos scribit, ei affictam blaterant. S. Irenæum, S. Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Origenem, plus nimio credulos, & quibusdam tam facti, quàm juris erroribus obnoxios appellant, & ea, in quibus à veritate aberrarunt, curiosè recensentes, illos ut alibi, ita & hic criticæ, diligentiæ, & inquisitioni deesse potuisse ostentant.

Optimum sanè contra Patrum authoritatem perfugium! Si trium priorum sæculorum Patres nullius fidei, & authoritatis, viri etiam simplices & creduli habendi sint, à quibus nos de Religione erudiemur? Protestantes, qui Præceptorem quemlibet, præter trium eorumdem sæculorum Patres, rejiciunt, quomodo in dogmatis & doctrinæ rebus, eorum testimonio fidunt, si in facti & historiæ rebus nulla eis fides sit adhibenda? Quot nostræ Religionis dogmata factis innituntur, vel saltem cum eisdem ita nectuntur, ut secerni non possint? Si Ignatius, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus nullam sibi fidem vendicant, eorumque testimonium prorsùs rejiciendum ducitur, quos testes majoris fidei, ingenii, nominis, & authoritatis adhibebimus?

At enim pluries decepti sunt. Et eos homines fuisse fatemur. Verùm & hic deceptos esse validis argumentis adversarii ostendant. Concludit ne ratiocinium: Et hic, sicut alibi, decipi potuere; ergo reverà decepti sunt? Errorem probent, hallucinationem proferant; & non ultro fatebimur. Quin nisi probent, nobis utique maximi habenda eorum authoritas, præsertim cùm de facto agatur publico, cognito, celeberrimo, & quod Religionis, & Ecclesiasticæ Disciplinæ permagni interesset, ne tanti ponderis res lateret, ubi nempè præcipua resideret authoritas, quò in controversiis confugiendum, & quod unitatis, doctrinæ, & communionis centrum omnibus habendum foret. Plurimi denique eorum ducendum est testimonium de facto, de quo, quamvis re inconcussa non aullam levissimi ponderis circumstantiam immutent, omnes unanimi voce conveniunt.

Concludamus igitur, Romanum Petri iter certò constare, & omnium Veterum, imò plurium etiam ex doctioribus Protestantibus Criticorum testimonio

---

(1) Act. 10. 47. &c. (2) Act. 15. 5. 7. 8. 9.
(3) Act. 13. 46. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes &c.* (4) Joseph. Antiq. lib. 17. c. 12. p. 610.
(5) Diod. lib. 9. hist. (6) Sveton. in Claudio. Judæos impulsore Christo assiduè tumultuantes Roma expulit.
(7) Act. 28. 17. &c. (8) Spanhem. Dissert. de temere credita Petri in Urbem Rom. profectione art. 1. & 2.

stimonio exploratum haberi. Textum verò primæ Petri epistolæ, quo Babylone scripsisse innuitur, neque de Chaldææ, neque de Ægypti Babylone, neque de Jerosolymis, sed de Roma solummodò cum omnibus vetustæ ætatis Authoribus esse explicandum; eos denique, qui huic vetustissimæ, validissimisque argumentis innixæ sententiæ adversantur, neque dignos esse, quibus respondeamus, cùm vel negativa argumenta, vel circumstantiarum diversitatem tantummodò objiciant, quæ rem minimè evertunt.

DISSERTATIO
DE LIBRORUM SACRORUM Inspiratione, ad 2. Petr. 1. 21.

ARTICULUS PRIMUS.

Certa Librorum S. Scripturæ Inspiratio.

SUnt qui ingenii perspicaciam ostentantes, & supra Vulgi præjudicia sese efferentes, nil de Religione excipiant, quod argumentorum trutina non habuerint exploratum. Unde Scriptura, quam allegamus, suam authoritatem derivet, assiduè postulant; nobis verò respondentibus, à Spiritu Sancto, à quo Ecclesia certò inspiratam se novit; unde hoc certò sciat, reposcunt; quibus si Ecclesiam errare non posse dixerimus, quòd ipse Dominus se commissurum spopondit, *ut portæ Inferi non prævaleant adversùs eam* (a), minimè acquiescunt; imò quid, subdunt, ad Ecclesiæ falli nesciæ argumentum Scripturæ authoritas producitur, cum de Scripturæ authoritate sit controversia? Circulum utique vitiosè ducimus, & incertis ambigua probamus. Quare directa sibi petunt exhiberi argumenta, positivè Scripturarum inspirationem evincentia.

Ut his satisfaciamus, conabimur. Nisi Scripturæ essent divinitùs inspiratæ, in maximum Religio nostra discrimen adduceretur; & nisi id à nobis perspicuè queat ostendi, Fidei hostes nimiam de nobis victoriam obtinerent. Si Religio humanis tantummodò argumentis innititur, vera Religio prorsùs corruit; de ea enim certis, & inconcussis destituta principiis quisque, ut sibi collibitum erit, decernet; hic alterum rejiciet articulum, alteri ille adhærebit; hic marte suo Fidei dogma instituet; ille ritum Religionis inducet; neque inde cultus & Fides proba, & rationi concors exsurgeret, sed monstrum ex variis, & nullo inter se nexu copulatis opinionibus compactum produceretur. Quæ utique Religio à vera Religione longissimè abesset. Quare necesse est, certo & immutabili principio fides nostra fulciatur.

Quod sanè principium Deum ipsum esse defendimus, Deum, inquam, qui suas nobis veritates in Scripturis aperuit, easque tuendas, & explicandas credidit Ecclesiæ, cui, sicuti & Sanctorum Librorum Authoribus, lumen falli nescium impertiit. Hæc in nostra Dissertatione probanda. Eos verò cum quibus hæc nobis disceptatio, satis persuasos credimus de existentia Dei, de animæ immortalitate, & de necessitate veræ Religionis, qua Deo Fidem, amorem, & famulatum pro viribus præstandos esse erudiamus.

Eos præterea, qui Librorum Sacrorum inspirationem impugnant, rogamus, ut illos saltem, veluti Libros authenticos, verasque historias referentes excipiant, tantique habeant, quanti Libros, quos Ethnici, & prophani Authores fide digni, & rerum, de quibus agunt, periti dedere. Ea sanè fides Moysi & Evangelistis neganda non est, quæ Thucydidi, Julio Cæsari, Suetonio, aliisque Historicis. Si hæc nobis dederint, & pugnandi cupidinem, cæteraque falsa præjudicia ex animis expellant, Libros, quos Sacros, & inspiratos defendimus, hujusmodi verè esse, ipsis liquidò nos ostensuros nobis pollicemur.

Si Deus est, est etiam Religio: homini enim quædam necessariò præstanda sunt, quibus Deum supremum esse Dominum, se verò famulum profiteatur. Religio autem minimè subsistit, nisi expressè revelentur, quæ Deus ab homine exigat, & quomodò cultus, & famulatus sibi velit impendi. Si enim homini indulgeret, ut is quemcumque vellet, sibi cultum tribueret, omnibus, ut libitum cuique esset, fidem, & cultum instituentibus, in errorum, & superstitionum congeriem Religio transmutaretur.

Hæc insuper revelatio subsistens, æquabilis, & permanens esse debet. Si Deum, quæ nobis & credenda, & exercenda sunt, singulis seorsum revelare dixerimus, phanatismo utique & impietati aditum pandemus; se quisque deciperet, Deumque sibi inspirasse putaret, quod ipse per se ipsum excogitasset. Quare nil fixum, nil certum, adeoque nulla Religio in Religione esset; incerta enim Religio à re nulla magis quàm à veca Religione discedit.

Revelatio fixa & certa esse nequit, nisi 1. in publicis, communibus, & hominum captui accommodis documentis tradatur: hujusmodi sunt Scripturæ, quas inspiratas dicimus; nisi v.g. ubi obscura & æquivoca occurrant, & de horum documentorum explicatione dissidium oboriatur, nisi, inquam, saltem in re aliqua sensili subsistente, loquente, & eodem Spiritu, quo is, qui Scripturas dictavit, perfuso, eas explicandi, earumque sensum stabiliendi jus & potestas resideat. Quæ quidem 1. in nostris Sacris Libris implentur, in quibus nihil cuium desideres, quæ ad cultum nostramque Religionem instituendam sunt necessaria; 2. in Ecclesia, cui ad Scripturas, ut par est, explicandas tota authoritas.

Subsistentis verò in Libris Sanctis revelationis necessitatem rationis lumen, & insita omnibus persuasio demonstrat. Gentes omnes tenent, populis necessaria esse sacra quædam monumenta (2), quæ Religionis, quam profitentur, regulas & articulos complectantur (3). Quamobrem Hebræt, Indi,

(1) Matth. 16. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*

(2) Plato in Timæo de Ægyptiis pag. 23. Item Joseph l. 1. contr. Appion. pag. 1052. Ita & Diodor. l. 2. de Romanis. Vid. Macrob. Saturnal. l. 3. Aul. Gell. l. 5. Tull. l. 2. de Oratore. (3) Vid. Strabonem l. 16 pag. 722. *Veteres*, inquit, *oracula consulebant. Legislatores Minos & Lycurgus Leges sibi ab Jove revelatas dictitabant. Amphiaraus Trophonius, Orpheus, Musæus, Zamolxis, & alii se inspiratos jactabant. Tales erant Gymnosophistæ apud Indos, Magi apud Persas, Chaldæi apud Assyrios, Aruspices apud Romanos, & Moyses apud Hebræos.*

Indi, Ægyptii, Romani, Græci, Mahometani A tenus habent Scripturas Sacras, quibus plurimam venerationem exhibent, earumque Authores inspiratos, & supernaturali lumine perfusos ostentant.

At enim: Libri, quos sacros habent Ægyptii, Indi, Mahometani, & alii, erroribus undique scatent; quis verò & Judæorum, & Christianorum Scripturas ab iis minimè viriatas certò nobis ostendat? Judæorum & Christianorum Scripturæ per se ipsas Divinitatis characterem præferunt; B à Viris falli nesciis, Prophetis, Jesu Christo, Apostolis authoritatem accipiunt; comprobantur denique ab Ecclesia, quam Dominus in iis decernendis errori nunquam obnoxiam futuram promisit. Hoc statim probandum aggredimur. Iterum verò ab adversariis petimus, ut Moysis Libris, cæterisque Judæorum & Christianorum Scripturis tamquam veris historiis fidem tantummodò adhibeant; quam quidem Moyses, cæterique id genus Scriptores, eorum etiam tantummodò habita ratione, meritò sibi vendicant, cum sint Authores & C ingenii præstantia, & fide præ ceteris commendandi.

Moyses Pentateuchi Scriptor sese inspiratum testatur; prodigiosam utique vocationem suam narrat Exod. 3., se à Deo ad Pharaonem missum asserit, ut Dei nomine ad Hebræos libertati restituendos Regem adduceret, cui muneri cùm ægrè nimiùm acquiesceret, Dominus opem ei suam spondens, *Quis*, inquit Exod. 4. 11. *facit os hominis, aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem, & cæcum? nonne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo*. Refert præterea signa, quæ Dei vir- D tute præstitit; quomodo Legem à Deo in monte Sinai acceperit, memorat Exod. 19. 3. &c.; & ore ad os, seu facie ad faciem, ut amicus amicum alloquitur, Deum sibi loquutum testatur (1). Cùm è Domini consortio maximum oris fulgorem hausisset, post obductam velo faciem populo se videndum exhibebat (2). In Moysis Libris passim occurrit: *Locutus est Dominus ad Moysen dicens &c. seu locutus est Dominus ad me &c.* Futura Moyses præci- E nuit, præterita etiam sed incognita prodidit; quæ quidem utraque hominis virtutem prætergrediuntur. Mundi v. g. creationem exhibet, quam quidem nonnisi per revelationem acceperat: hominum enim nemo, neque Adam ipse, nonnisi post cætera à Deo sexta die creatus, Mundi constructioni adfuerat. Post obitum suum Hebræorum à fide defectionem (3), Messiæ, seu Magni Prophetæ adventum (4), sui ipsius interitum prænunciavit. Neque se, neque fratrem suum Aaron pro- F missionis regionem ingressuros (5), eamdem ab Josue comparandam (6), & Tribubus sortitò distribuendam prædixit; imò ac si sortes ipse dirigeret, cuilibet Tribui portionem suam designavit (7); quarum plerisque quidquid eventurum fuerat, prænunciavit (8): Leges denique tradidit, quæ Divinitatis characterem apertum præferunt, sivè earum præstantiam, sivè Moralis, quam docent, puritatem intueamur, sivè illud miremur, quòd hæ cum ratione, & cum hominum erga Deum, & erga proximos officiis permaximè cohæreant; vel quòd omnes vaticinium, & eorum quæ in Christo & Ecclesia adimplenda fuerant, figuram exhibeant.

Testis pro Moyse Josue, testis pro Josue Moyses. Omnes Veteris Testamenti Authores sibi mutuum testimonium præstant. Christus Moysem cæterosque Librorum Sacrorum Authores commendat (9), eosque veluti inspiratos & Divina authoritate probatos allegat (10). Hinc fit, ut vel Moyses, cæterique Veteris Testamenti Scriptores habendi sint inspirati, vel Moyses cæterique omnium maximi impostores judicandi; & ipse Christus ad eos nos remittens, eorumque Opera veluti Divina producens, clausis oculis eorum fraudes dicendus sit præteriisse: Deus præterea, horum Authorum plerosque miraculorum & prophetiæ donis cumulans, eorum mendaciis & malitiæ favisse, nosque in errorem idcircò impulisse, quòd eos tot suæ authoritatis, opis, & amoris characteribus decoraverit. Quæ quidem nemo dixerit, nisi qui Dei ideam prorsùs exuerit, & rationis lumen omninò extinxerit. Moyses igitur, Prophetæ, & cæteri Veteris Testamenti Scriptores inspirati Authores certò habendi.

Quod sanè & de Novi Testamenti facilè ostendimus, modò adversarii historias Novi Testamenti veras, Christum verò Messiam esse fateantur; si enim res nobis sit cum hostibus, qui Christum illusorem vocent, & Scriptores nostros mendacii, Scripturas verò falsitatis insimulent, alia utique via nobis incedendum esset. Christus Apostolis suis Spiritum Sanctum, à quo de veritatibus omnibus erudirentur, se missurum spopondit (11); à quo præterea Spiritu perfundendos, & nunquam relinquendos asseruit (12); quare de iis, quæ coram Judicibus & Principibus pronuncianda essent, minimè cogitarent, tunc enim eo lumine, ac sapientia, quam necessitas postularet, instruendos, neque ipsos per se, sed Dei Spiritum per eorum vocem loquuturum (13).

Acta, & Apostolorum Epistolæ hujusmodi promissa impleta ostendunt. Apostoli, & Discipuli inspiratos, & Spiritu Sancto afflatos se perhibent (14): quos reverà Divino & supernaturali lumine perfusos scripsisse, illud ostendit, quod in eorum Scriptis ea scientia, & sapientia effulgeat, quæ scientiis omnibus, quas sibi naturaliter comparare poterant, præcellebat; eorum enim plerosque rudes & ignaros fuisse scimus. Deus præterea quæ ab ipsis dicebantur, miraculis innumeris comprobavit. Et ipsi igitur Authores inspirati erant; secùs, omnium mendacissimi sunt illusores, & omnia vel eorum calami, vel eorum ætatis monumenta inter historiolas & fabellas sunt numeranda. Quis verò hæc egerat, nisi naturæ, & rationis lumen, quo verum à falso secernat, prorsùs amiserit?

Quòd si Novi Testamenti Scriptores inspiratos fatemur, & Veteris Testamenti Authores item dicamus oportet; Christus enim & Apostoli passim Veteris Testamenti Scripturas veluti sanctas & inspiratas allegant; Petrus verò & Paulus ad eos Libros,

(1) Num. 12. 8. *Ore enim ad os loquor ei, & palam & non per ænigmata Deum videt.* (2) Exod. 34. 29. &c. *Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam: sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos.*
(3) Deuter. 32. 35. (4) Deuter. 18. 15. Confer. cum Ioan. 1. 45. Act. 3. 22. (5) Deuter. 3. 21. & 31. 2. & Num. 27. 13. (6) Deuter. 31. 3. 7. 8. (7) Deuter. 33. 5. 6. &c. (8) Deuter. 33. 6. 7. 12. 13. ... 17. 19. 20. 22. 23. 24. 25. (9) Matth. 13. 2. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ &c.* Luc. 16. 29. *Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos.* Io. 1. 45. *Quem scripsit Moyses in Lege*, & c. 5. 46. *De me enim ille scripsit &c.*
(10) Ioann. 5. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* 10. 35. *Non potest solvi Scriptura.* Matth. 22. 29. *Erratis nescientes Scripturas.* (11) Ioan. 14. 26. *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia &c.* (12) Ioan. 14. 16. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* (13) Matt. 10. 19. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Vide & Luc. 12. 11. (14) 1. Cor. 13. 3. *An experimentum quæritis ejus, qui loquitur in me Christus?* Ibid. 7. 40. *Puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam.* Galat. 1. 8. *Sed licèt nos aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præter quàm quòd evangelizavimus vobis, anathema sit.*

bros, quòd Sacri, & Divinæ sint authoritatis, legendos hortantur (1).

Si Christus Dei Filius est, Messias, æterna Veritas, utriusque etiam Testamenti Libri inspirati sunt atque Divini. Christus enim se ità semper Ecclesiæ suæ adfuturum promisit, ut hæc de Inferis victoriam assiduè referens, nunquam in errorem pertrahatur. Cùm igitur Ecclesia utriusque Testamenti Libros inspiratos doceat, vel hi ejusmodi sunt, vel Ecclesia decepta est, atque Christus in re permaximi ponderis defuit.

Quosdam quidem Scripturæ Libros, & quædam Moysis, aliorumque Authorum loca, quibus ea, quæ sine revelatione nosci non poterant, referuntur, inspirata esse fortassè quis afferat: hæc tamen paucissima occurrere. In cæteris verò nil naturæ viribus majus, nec inspirationis ad ea congerenda necessitas est ulla, cujusmodi sunt Regum, & Paralipomenon historiæ, à coævis Authoribus scriptæ, vel à Scriptoribus junioribus ex Regum Juda & Israel monumentis depromptæ; morales Proverbiorum, & Ecclesiastici sententiæ; Ecclesiastes; Cantica, & Psalmorum plurimi. S. Lucas nil se scripsisse asserit (2), quod priùs seriò non perpenderit, vel ab oculatis vitæ & mortis Christi testibus non acceperit. Secundi Macchabæorum Author in Præfatione ita profitetur, ut cæteri vulgò scriptores, qui in spisso Opere contrahendo plurimùm insudassent (3), enixeque incubuissent, ut eorum quæ Originale complectebatur, nil præterirent, & unà ad oblectamentum, & ad Lectorum utilitatem conferrent.

His respondemus, 1. Donec argumenta subsistent, quæ SS. Librorum canonicam & Divinam authoritatem probant, omnes omnino, & in omnibus sui partibus habendi sunt inspirati. Secùs decepta esset Ecclesia, eversa Religio, Christus & Apostoli ad Veteris Testamenti Scripturas promiscuè nos remittentes, nihil monitosque inspirata vel secùs habenda sint (4), in errorem & fraudem nos impulissent.

2. Quò utriusque Testamenti historiis ea sit authoritas, ut erroris omnino immunes sine ulla hæsitatione excipiantur, omnes omnino earum Authores inspirati necesse est absolutè reputentur; aliàs Religio, quæ revelatis innititur, solidis suis fundamentis destitueretur. Si enim hoc e. g. in controversiam revocatur, quare non vocetur & illud? Veteris Testamenti ita inter se facta cohærent, ut nullum secerni possit, quin Oraculorum detrahatur veritati, quorum argumenta nonnisi ab eventu historico rerum ducuntur. Quomodò enim v. g. Christum ex Davidis progenie juxta Prophetias natum certo sciamus, si Regum historiæ & Genealogiarum, quæ in Paralipomenis & alibi recensentur, veritas impugnetur?

3. S. Scripturæ Authores Prophetas & inspiratos fuisse, facilè ostendimus. A Prophetis Samuele, Gad, & Nathan historias suo Davide contextas per Scripturam 1. Par. 29. 29. scimus. Nathan, Gad, Addo & Ahias sub Salomone 2. Par. 9. 29. sub Roboam Addo, & Semeias 2. Par 12. 15. Addo etiam sub Abia 2. Par. 13. 22. sub Asa Hanani 2. Par. 16. 7. Jehu Hanani filius, Eliezer, & Jahaziel sub Josaphat 2. Par. 20. 14. 34. 37. sub Osia & Ezechia Isaias 2. Par. 26. 22. & 32. 32. Osai sub Manasse 2. Par. 33. 19. sub Josia, ejusque filiis Jere-

A mias (5), historias suas edidere: Nehemias & Esdras, sicuti & uterque Tobias, ex Prophetis erant.

Quis David & Salomonem Divino Spiritu ductos non asserat, quos ingenii perspicacitate & sapientia à Deo cumulatos Scriptura commemorat (6)? Quis & eorum opera inspirata & divina non fateatur? An Spiritu Sancto indignum quid in eisdem sit reperire? Quis Judith, Esther, Macchabæos, Sapientiam, & alios quosdam Libros conscripserit, ignoramus. Ab Authoribus verò inspiratis contextos inde satis compertum, quòd in suo

B Canone eosdem Ecclesia recensuerit.

Validius adversariorum argumentum à vitioso ratiocinationis circulo, quem nobis imputant, deducitur. Ecclesia à Deo infallibilitatem accepit; Ecclesia eadem utriusque Testamenti Libros inspiratos docet; sunt igitur inspirati. Ecclesiam verò infallibilem esse ex eo Evangelii textu probamus, quo Christus asseruit: *Et portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam*. Quare Ecclesia à Scriptura suam authoritatem, Scriptura verò suam ab Ecclesia repetit: quo utique circulus vitiosè constituitur;

C per id enim, de quo quæritur, aliud, cujus est discrimen, probatur. Qui Scripturarum inspirationem rejiciunt, etiam Ecclesiæ infallibilitatem necessariò respuunt. Esto tamen, Ecclesiam faterentur infallibilem, hinc nihilominus minimè fieret, ut Scripturæ Libros inspiratos necessariò crederent, quos tantùm veros ducere possent, & ab Authoribus conscriptos, qui ea, quæ Christus suos Apostolos docuit, certa fide referant.

Illi planè in Scriptura historica relatione certum discerent, Christum infallibilem Ecclesiæ suæ ve-

D ritatem promisisse, eamque idcirco nunquam decipiendam fore sibi possent suadere, quin tamen Sacros Scriptores sibi statuerent inspiratos. Tunc autem nomine inspirationis, quæ Ecclesiæ promissa est, illud tantùm infirmatam crederent, quòd Sacri Libri veri, & certæ fidei sint. Hæc verò ad secundam hujus Dissertationis partem attinet.

Ut primæ difficultati, quæ & præcipua est, & rei nucleum tangit, directè respondeamus, hunc, quem dictitant, ratiocinii circulum neque omninò circulum, neque veram principii petitionem

E esse defendimus. Quod ut fiat perspicuum, ratiocinium nostrum paulò fusiùs explicemus. Principium, cui potissimùm, nos innitimur, illud statuimus, quòd nempe Deus necessariò sit ipsa veritas, neque nos in errorem adducere possit. Cùm igitur certiores fieri volumus, an per Librum, qui inspiratus præfertur, v. g. Pentateuchum, aut S. Matthæi Evangelium, Deus verè nos alloquatur; juxta rectæ rationis lumen perpendimus, quis sit hujus Libri Author, quibusve circumstantiis decoretur. Si Authorem Divino perfusum lu-

F mine, & Deum ejus verba & mores commendasse, & signis supernaturalibus comprobasse percipimus, veluti inspirato ei statim adhæremus, & infallibilem ita ratiocinantes pronunciamus: Deus nos in errorem non potest adducere; adduceret verò, si Librum hujusmodi non inspirasset; verè igitur inspiravit.

Rationem verò habentes Ecclesiæ, quæ nobis Librum aliquem inspiratum esse testatur, hac via incedimus: Ecclesia Evangelium v. g. S. Matthæi inspiratum asserit, seque infallibilitatis munere à Deo donatam ideò perhibet, quòd Christus nunquam

(1) 1. Timoth. 4. 13. *Dum venio, attende lectioni*. Rom. 15. 4. *Ut per consolationem Scripturarum spem habeamus*. 2. Timot. 3. 15. 16. & 2. Petr. 1. 20. & 3. 16. (2) Luc. 1. 1. *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum, visum est & mihi, assecuto omnia diligenter à principio, ex ordine tibi scribere &c.* (3) 2. Maccab. 2. 25. &c. (4) Jo. 5. 39. Matth. 21. 42. & 26. 54. Luc. 24. 27. &c. Act. 8. 35. & 17. 2. & 18. 28. Rom. 1. 2. & 15. 4. 2. Timoth. 3. 6. &c. (5) Jerem. 16. &c. & 2. Par. 35. 25.

(6) 2. Reg. 23. 1. & sequ. *Dixit David filius Isai, dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius Psaltes Israel. Spiritus Dei locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam*. Act. 1. 16. *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David*. Matth. 22. 43. *Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum &c.* 3. Reg. 4. 29. *Dedit quoque Deus Sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis &c.* 3. Reg. 3. 12. *Dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit.*

quam erroris immunem fore permiserit, ut ex ipso Libro, quem inspiratum præfert, perspicuè producitur. Antequam & Ecclesiæ, & ejusdem Libri authoritati obsequamur, ei semper inhærentes principio, quòd nempè Deus nos in errorem adducere non possit, de Libri Authore, de ejus vitæ circumstantiis, de iis, de quibus scribit, studiosè investigamus. Omnibus deindè præjudiciis abjectis, Opus evolvimus, & Authoris mores, & characteres disquirimus. Si hunc Divino Spiritu revera plenum, & illud certissimæ authoritatis esse cognoscimus; inspiratum ergo Librum, & infallibilem Ecclesiam esse concludimus. Quamobrem Ecclesiæ infallibilitas, quam ex eodem Libro percipimus, nobis novum Fidei, & Libro novum authoritatis fit argumentum. Si verò primùm unica ratione ad ei, veluti inspirato, fidem adhibendam ducebamur, modò duplici argumento de ejusdem inspiratione suademur. Hæc duo principia inter se ita cohærent, ut se invicem fulciant, & eorum utrumque suam in alterum mutuò lucem regerant. Hanc igitur geminam ratiocinationem, quarum utrumque medium ad idem concludendum confert, circuli nota quis jure inurat? Hinc sanè minimè fit, ut SS. Librorum Inspirationis fides infirmetur; quin potius inde validius confirmatur.

ARTICULUS II.

De Inspirationis ratione,

Fideles omnes de Scripturæ inspiratione conveniunt; Theologi verò de Inspirationis ratione minimè inter se cohærent. Sunt enim, qui Spiritum Sanctum Sacris Authoribus adeò adfuisse putent, ut nihil omninò seu re, seu phrasibus scripserint, quod à Deo inspirante non acceperint. Quam quidem sententiam Patres omnes, qui de Inspiratione egerunt, & omnes Theologi, qui usque ad decimum sextum sæculum scripsere, amplexi esse videntur (1).

Sunt alii, qui eam Spiritus Sancti in Sacris Authoribus satis esse asserant conteri præsentiam, quæ illud eis præstiterit, ut in iis, quæ vel ab aliis audiverunt, vel per studium perceperint, referendis, minimè decipi potuerint. Addunt verò, eosdem Authores peculiari non modò rerum, sed & phrasium inspiratione tum fuisse afflatos, cùm ea, quæ per solam revelationem scire poterant, retulere.

Dummodò de re præcipua, nempè Scripturas omnes inspiratas & infallibiles esse, nihilque præter Dei verbum complecti conveniamus, consentaneum videtur, ea nobis potestas fiat, ut, quod verosimilius ducimus, de Inspirationis ratione pro libito cogitemus. Lovaniensis nihilominus & Duacensis Academiæ, anno 1588. hæc, illa 1587. has propositiones à Lessio, & Hamelio anno 1586. editas censura inusserunt: 1. *Ut aliquid sit Scriptura Sacra, non est necessarium singula ejus verba inspirata esse à Spiritu Sancto.* 2. *Non est necessarium ut singulæ veritates & sententiæ sint immediatè à Spiritu Sancto ipsi Scriptori inspiratæ.* 3. *Liber aliquis, qualis fortè est secundus Macchabæorum, humana industria sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura Sacra.*

Jesuitæ suam validè sententiam tuentes, Apologiam edidere, cui Lovanienses Doctores ab Episcopis jussi die 17. Augusti 1588. respondentes, suam pro viribus censuram defenderunt. Cornelius à Lapide in Ep. 2. ad Timoth. 3. 16. sub sæculi deci-
A misseptimi initium fratrum suorum opinioni subscribit, pro qua sunt etiam Bonfrerius Prolog cap. 8. sect. 1. Mariana Tract. de Vulg. edit. & Bellarminus Tract. de Verbo Dei. Mariana ante Cornelium à Lapide scripsit, Bellarminus verò ante Lovanii censuram; Bonfrerium denique in Pentateuchum anno 1625. vulgatum accepimus.

Ab his Scriptoribus hanc sententiam non esse primò inventam Simonius asserit (2); quam etiam apud Cajetanum in Lucam Comment. annos supra quinquaginta ante Jesuitarum, & Lovaniensium Doctorum disceptationem, se reperisse testatur. Ferdinandus de Ascalante in suo Concionatorum
B Clypeo, teste eodem Simonio, eamdem doctrinam docuit (3). P. Frassen Bonfrerio adhærens disquisit. Biblic. tria in Sacris Libris Inspirationum genera distinguit, quarum primam *antecedentem*, *concomitantem* alteram, ultimam *consequentem* appellat. Fit *antecedens*, cum Sacer Author, quæ sibi inspirata sunt, scribit, sicut discipulus ea scripto excipit, quæ sibi à Præceptore dictantur. Fit verò *concomitans*, cum quin verba inspiret, ita Spiritus Sanctus Scriptori adest, ut in errorem quemlibet illum adduci minimè permittat. *Consequens* denique fit, cùm ea, quæ quis sua industria & studio, quin ulla inspiratio, & auxilium supernaturale interfuerit, literis tradidit, deindè Ecclesia
C certæ authoritatis esse decernit, & Divinas inter Inspirationes enumerat.

Inspirationem geminam Melchior Canus de loc. Theolog. l. 2. c. 16. 17. agnoscit, alteram nempè peculiarem, qua Sacer Scriptor ea percipit, quæ aliundè penitùs nescit; alteram, quam directionis & præsentiæ vocat, qua Scriptor dirigitur, ne in iis, quæ refert, decipiatur. Hanc verò sententiam plurimorum Patrum authoritate fultam Canus idem defendit; equidem ante Lovanii censuram, ejus enim Opus anno 1562. à Matriti Censoribus, & anno 1573. à Censoribus Belgii probatum fuit. Cano Contensonium jungimus, qui Scripto-
D ribus Sacris proximam semper minimè adfuisse inspirationem docet, sed quandoque eos speciali tantùm directos fuisse præsentia, ne in errorem traherentur: *In omnibus igitur habuerunt non revelationem, sed assistentiam, & auxilium, ne laberentur.*

Cum de SS. Librorum inspiratione Simonius agit, hanc eandem opinionem propugnat (4), & Lovanienses Theologos, & Arnaldum, qui Scriptores Sacros peculiari semper & proxima Spiritus Sancti inspiratione afflatos asserentes, sine ea de S. Scripturarum Divinitate certiores omnino nos esse non posse defendebant, fusè refellit. Cæterùm idem Simonius, sive per novam inspirationem, sive per
E peculiare lumen, quo Scriptores Sacri in verbo quolibet, & in qualibet sententia, ne in errorem seu oblivionem inciderent, illustrati fuere, omnium omnino S. Scripturarum Authorem Spiritum Sanctum esse testatur.

D. Abbas du Pin Inspirationis nomine, cum de omnibus SS. Libris agitur, directionem, & peculiarem præsentiam accipiendam esse asserit, qua Spiritus Sanctus Scriptori præsto est, ne in errorem incidat, cùm ea, quæ aliundè scit, literis mandat (5). Qua in re Spiritus Sanctus duo Scriptoribus præstat: primò, fixam iis, constantem, & infallibilem vera referendi voluntatem; secundò, eo lumine eosdem perfundit, ut in iis, quæ aliun-
F dè noverant, congerendis, neque oblivioni, neque errori obnoxios unquam fieri contingat. Quod utique Divinæ & infallibili utriusque Testamenti authoritati stabiliendæ satis conducit.

Eras-

(1) Vid. Irenæ l. 2. c. 22. Origen. Philocal. c. 10. & lib. 5. contr. Cels. Cyprian. serm. de opere & eleemosyn. Thaumaturg. serm. 2. de Annunciat. B. M. V. Clem. Alex l. 2. Strom. Euseb. Hist Eccl. l. 5. c. ult. Epiphan. hæres. 96. Nyssen. orat. 7. contr. Eunom. Chrysost. hom. 26. in Genes. Hieron. & August. plurib. loc. Vide & Tertull. cont. Hermog. c. 22. (2) Vid. D. Simon. histor. Critic. Nov. Testam. c. 23. 24. (3) De Ascalante l. 1. c. 4. (4) Hist. Critic. N. T. c. 23. & 24. (5) Dissertation. Præliminar. in Bibl. l. 1. c. 2.

Erasmus à Patribus, qui SS. Authores proximè inspiratos, & omnia omnino tum re, tum phrasibus, Deo authore, in Scripturis congesta asseruere, diversa & absona sentire insimulatus, Apologiam contra quosdam Hispaniarum Monachos scripsit.

Hac in re Protestantes à Patrum sententia non dissentire; & eorum primum (1) Grotium fuisse credimus, qui in iis, quæ aliunde noverant, referendis Spiritum Sanctum peculiari tantum directione, & præsentia Scriptoribus, ne erroribus obvolverentur, adfuisse defenderit. Spinosa omnem penè SS. Librorum inspirationem evertit, cùm supernaturali nullo dono præditos, nulla eorum Authores peculiari, & Divina præsentia directos agnoscat.

Anonymus ille, cujus sententiam undecima Batavorum Theologorum Epistola fusè recenset, cum Spinosa fermè convenit (†); omne enim supernaturale auxilium à Sacris Authoribus rejicit, nisi tantummodò eum peculiare quid nonnisi Divino lumine afflati referre potuerunt. S. Historicis memoria tantummodò & diligentia opus fuisse; Prophetas verò recordationis eorum, quæ vel per somnium, vel per visionem perceperant, ut eadem deinde vel scriptis tradarent, vel scribenda dictarent: quare ad supernaturalem inspirationem confugiendum non esse statuit, ut, quomodò scripserint, percipiamus. Libros morales, & Psalmos, in quibus vaticinia nulla, Jobum v. g. Proverbia, Ecclesiasten, Cantica, ab Authoribus piis, sapientibus, studiosis, veracibus & instar proborum omnium hominum Spiritu Sancto perfusis conscriptos perhibet. Quo satis superque fieri asserit, ut eorum Opera tamquam proba, certa, & intemeratæ fidei excipiamus.

Sacras præterea historias nullatenus idcircò inspiratas asserit, 1. Quòd earum Authores seu à Veterum monumentis hausisse, vel ab aliis audisse, vel denique propria industria, & studio se eas percepisse fateantur. 2. Quòd ubi duo, seu plures Authores idem referunt, quandoque inter se minimè conveniant. 3 Quod numeros interdum certo non statuant, sed phrasi Spiritus Sancti infallibilitati minimè consentanea has voces adhibeant: *circiter, quodam tempore, duobus, seu tribus diebus &c.*

Inspirationem quoque, quam nos Apostolis tribuimus, omninò rejicit, quòd iis minimè fuerit necessaria. Illi enim, inquit, Religionis Judaicæ principia optimè noverant: quæ Evangelium Judaismo addat, sæpius à Jesu Christo audierant; quæ ad Messiam pertinent, satis didicerant: ipsis etiam ipse Christus & miraculis plurimis, & argumentis Messiam, & tandiu expetitum Servatorem se esse ostenderat; quare quæ viderant, quæque audiverant, tamquam certa, & infallibilis authoritatis poterant utique recensere. Miraculorum verò potestas, qua à Christo donatos scimus, illud etiam præstare valuit, ut firmiori memoria, & clariori lumine instruerentur. Quod planè satis erat, ut nos eorum Scripturas tanquam vitæ nobis dirigendæ normam exciperemus. Hoc Anonymi systema.

Ex his tres sententias, seu tria de Inspiratione systemata formantur. Primum nil supernaturale in Sacris Authoribus statuit, & in Historicis illis fidem tantummodò & memoriam; in Moyse suas Leges recensente studiosam in iis, quæ sibi Deus mandaverat, referendis curam; in Prophetis firmam ad ea, quæ sibi Deus revelaverat, retinenda, eademque deinde seu scribenda, seu dictanda recordationem; in Scriptoribus moralibus pietatem, lumen, sapientiam, & Spiritus Sancti eos perfundentis præsentiam; in Apostolis denique certam in iis, quæ à Domino audierant, recensendis fidem exposcit.

Secundum à Patribus constituitur, qui Sacros Scriptores & actu, & proximè ita inspiratos ferunt, ut nihil omninò tum re, tum phrasibus, in omnibus Scripturæ Libris exhibuerint, quod à Deo non acceperint.

Tertium geminam Inspirationem statuit, quarum prima Sacros Authores afficit, cùm ea scribunt, quæ nullatenus scribere possent, nisi actu per inspirationem & quid sibi scribendum esset, & quomodò explicandum, edocerentur; altera verò ad eos attinet Authores, qui peculiari Spiritus Sancti directione, & præsentia instruuntur, ne in iis, quæ vel per seipsos didicerant, vel ab aliis acceperant, referendis unquam decipiantur, utque suis Scripturis infallibilem vindicent authoritatem.

Horum primum systema inspirationem evertit, adeoque & Religionem, quæ, ut ostendimus, dempta inspiratione, corrueret. Ad humanam tantummodò fidem Ecclesiam redigit, cùm utriusque Testamenti Scriptores, nisi inspirati fuerint, divinam sibi fidem nullatenus vindicent. Ipsam quoque Scripturam oppugnat; legimus enim (a): *Omnis Scriptura Divinitùs inspirata*; & alibi (3): *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Denique adversatur Ecclesiæ, cui Christus infallibilitatem promisit, & quæ omnes omninò utriusque Testamenti Scripturas divinnus inspiratas esse decrevit.

Ejus systematis Author hunc perpetuò paralogismum urget: Necesse minimè fuerat, ut Sacras historias Deus inspiraret; revera igitur non inspiravit. Cui statim facilè occurrimus. Authores Sacros inspiratos fuisse ita nobis perspicuè constat, ut inde inspiratos verè fuisse sit concludendum. Factum, seu dogma Scripturæ authoritate, & validissimis principiis quam maximè fultum anne per inanem ratiocinationem evertatur? Necesse utique non fuit, ut ad homines redimendos Verbum Divinum & carnem assumeret, & mortem obiret; ergone neque carnem assumpsit, neque mortem obivit, concludamus? Nullum fermè factum revelatum occurreret, quod hujusmodi abutentes principio non everteremus.

Deum utique absque necessitate & consilio miracula non multiplicare fatemur. Idcirco igitur Sacros inspiravit Authores, quòd illos inspirandi perplurima sibi fuerint argumenta. Historicus sanè, quin divinitùs inspiretur, veram potest, certamque intexere historiam: potest Sacer Orator absque peculiari inspiratione validis, & evincentibus veritatibus utilem Orationem exhibere; Historicus verò, certæ licèt fidei, & acutatæ diligentiæ, nunquam Divinæ & infallibilis authoritatis historiam contexet; neque Concionator veluti infallibilem morum normam, & supernaturalis Fidei argumentum, Orationem exhibebit, nisi diligentiæ & memoriæ Historici, & pietati, ac Concionatoris scientiæ cæleste, quod eorum Operi præfuerit, lumen addatur; vel nisi saltem utrique peculiaris & Divina adfuerit præsentia, quæ errorem, & quamlibet humanæ naturæ infirmitatem ab eis averterit.

Author, cujus systema impugnamus (4), juxta suam hypothesim Sacras Scripturas quòd soli hominum testimonio nitantur, sola humana fide credendas asserit. Addit præterea, Librum, quem Mat-

(1) Grot. Votum pro pace Ecclesiast. tit. de Canone Scripturar.
(†) Quorumdam Batav. Theolog. sententiæ, Epist. 11. pag. 230. 233.
(2) 2. Timoth. 3. 16. *Ab initio sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum*. (3) 2. Petr. 1. 20.
(4) Sententia quorumdam Batav. Theologor. Epist. 11. pag. 233.

Matthæi Evangelium dicimus; Matthæi verè esse, à nobis etiam credi humana fide, unanimi nempè Christifidelium consensu, qui humanum testimonium non excedit; quam tamen fidem æquè ac geometricas demonstrationes certam esse defendit. Imò & ipsam Fidem Divinam humanæ fidei inniti perhibet: cur enim, inquit, in Christum, & de Christo credimus, nisi quòd ejus historiam veram esse ducamus? cur adhuc ejus historiam veram ducimus, nisi quòd eam oculati testes conscripserint, & ad sui testimonii veritatem defendendam mortem usque pertulerint? Per quem denique hæc nos certò scimus, nisi per historias? Ita fit, ut humana fides Fidem Divinam effulciat. Hæc Batavi Theologi, seu Author ille, cujus de SS. Librorum inspiratione systema prætulimus.

Ea verò sunt hìc secernenda, quæ Scriptor iste confundit. Divina Fides, cùm Dei nobis revelantis authoritati potissimùm innitatur, & ipsa necessariò certa est, atque infallibilis, quòd Veritate, quæ neque decipere, neque decipi potest, præcipuè fulciatur. Fides verò humana, quamlibet certam authoritatem præferat, infallibilitatem nunquam attingit; nunquam enim eò pervenit, ut omnem omninò ambiguitatem propulset. Fieri semper potest, ut homo in errorem incidat, nosque sive dolo malo, sive per inscitiam, in fraudem pertrahat. Fidem, quam homini, quicumque is fuerit, nos adhibemus, Deus nihili facit, illud quidem jubet, ut, quidquid nobis revelat, fide Divina credamus idcircò tantummodò, quòd nobis illud revelaverit. Si credentes aliorum testimonio ducimur, fides nostra nec Divina est, nec ad meritum confert. Necesse est, fides nostra sit consentanea rationi, à qua quidem longè discederet, si, quæ homo, vel plures etiam Viri, peritiores licèt & sapientissimi dixerint, nos certa omninò fide crederemus; ii enim decipi primùm possent, nos deinde in errorem adducere. Si homini ut ipsi Deo credimus, si ulli homini authoritati, veluti certæ & infallibili fidem habemus, per fidem nostram Deo injuriam irrogamus, cultum enim, & credulitatem, Deo soli tribuendam, homini exhibemus.

Qui nos ea, quæ Fide Divina credimus, à testimonio humano percipere asserit, & nostram fidem humanæ inniti authoritati inde concludit, paralogismum instituit. S. Joannes v. g. Verbum Deum esse testatur: anne Christi Divinitatem, quòd illam testetur Joannes, credimus? Minimè quidem. Idcircò credimus, quòd Deus per Joannem revelaverit. Joannem Dei vocem & instrumentum esse, Deum verò per ejus os alloqui, nosque per ejus Scripta erudire scimus. Cæterùm eo ratiocinio omnes cognitiones, & scientiæ, ipsæ etiam certissimæ demonstrationes errori obnoxiæ esse ostenderentur, quòd à sensibus, qui falli quidem possunt, dependeant. Nostri utique sensus neque principium neque fundamentum, sed medium tantummodò & instrumentum se nobis præstant, quibus per animadversiones, & intellectus nostri perspicaciam, & studium res ipsas & demonstrationes attingimus. Non secùs nostra fides nullam ab eo qui vel scribit, vel loquitur, vim sibi vindicat, sed omnem à Deo, qui per Evangelistam, vel Scriptorem Sacrum loquitur, authoritatem ducit. Balaam pravus erat & nequam, dignus idcircò, cui, ejus habita ratione, nulla fides præstaretur; nihilominus eundem inspiratum

A scimus, ejusque habemus vaticinia, quorum veritatem eventus implevit. Non homini igitur, sed Spiritui Sancto hominem inspiranti fides nobis est adhibenda.

Nostrum verò est certò percipere, an Deus per ejus, qui loquitur, os verè loquatur; qua de re nobis perspicuè statim constat, modò ea animadvertamus, quæ in prima hujus Dissertationis parte tradidimus; an nempè Ecclesia Authorem inspiratum agnoscat; an ejus Opus omnes inspirationis characteres præferat; an denique Deus miraculis, & supernaturalibus suæ præsentiæ signis Scriptori

B authoritatem adjunxerit.

Argumenta, quibus adversarii SS. Scriptorum inspirationem impugnant, quòd scilicet Authores Sacri ab alio historias acceperint; vel quòd eas proprio studio, atque solertia scripserint; vel quòd interdum inter se non conveniant; vel denique quasdam ambiguitatis speciem præferentes phrases adhibeant, nihili prorsùs habeamus. Scripturarum repugnantia prima quidem facie, re nunquam pugnant, quippe quæ pluries ab Authoribus conciliata sint. Accuratio, studium, & Historicorum solertia eorum inspirationi nil detrahunt; quin &

C post demonstratam historiæ veritatem iis ipsis, qui Sacros Scriptores perindè habent ac vulgares cæteros, eorum etiam divinitatem apud illos commendant, cùm Deum suæ Ecclesiæ infallibilitatem, suis verò famulis inspirationem promisisse indè liquidò percipiatur. Phrases denique, quæ ambiguitatem præferunt, loquendi phrases sunt hominum idiomati sæpissimè familiares, qui passim quidem in Scripturis occurrunt, & Dei, ut nos erudiat, nostri idiomatis infirmitati suas sententias accommodantis erga homines indulgentiam ostendunt.

D Veterum Patrum de SS. Authorum inspiratione systema ipsi innititur Scripturæ, & Jesu Christi, & Apostolorum authoritati, à quibus omnes omninò SS. Librorum Authores Spiritu Sancto perfusos docemur, & ad omnes omnino Scripturas veluti ad Divinæ Fidei, & infallibilis authoritatis Libros promiscuè remittimur. Ecclesia denique utriusque Testamenti Libros inspiratos fuisse absolutè decernit.

Teologi verò, qui duo, vel tria inspirationum genera statuunt, & cum Patribus Scripturam inspiratam, & authoritatis infallibilis esse con-

E veniunt, ab iisdem Patribus non sunt secernendi; non enim aliam conducunt sententiam, sed Patribus honorem habentes, id clariùs explicant; quod illi rudiori methodo defenderunt: neque varia inspirationum genera inducunt, nisi ut faciliùs Hæreticorum ora præcludant, & dogma, quod nonnullæ difficultates obnubilant, dilucidius exhibeant.

Qui eos impugnarunt, quamvis ea de re & Patrum conclusiones, & Ecclesiæ decreta exciperent, ab ejusdem Ecclesiæ & Patrum spiritu eosdem di-

F scessisse putarunt. Verumtamen nulla sanè apud ipsos, quàm vocum, & phrasium varietas. Cùm porrò res seriò perpenditur, difficillimè ab eorum distinctione abstineri posse invenimus; unàque utilitati illud conducere agnoscimus, si Sacros interdum Authores, ut Divinam sibi vindicarent authoritatem, Spiritus Sancti, à quo ducerentur, ne in errorem inciderent, directionis & præsentiæ tantummodò indignos fuisse fateamur.

DISSER-

DISSERTATIO
IN ILLUD,
Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. ad 1. Jo. 5. 7.

Quamquam in Sacris utriusque Testamenti Libris lectionum varietas sæpè occurrit, nulla quidem tanti ponderis sese offert, ut eam attingat, quam ex quinto primæ S. Joannis decerptam perpendendam aggredimur. Variarum lectionum pleræque quædam verba pro aliis afferunt, quasdam omittunt phrases, quasdam addunt: hæc rarò varietas ad Religionem pertinet, aut Fidem. Hic vero de integra agitur periodo, quæ in plurimis exemplaribus deest; ejus autem omissio maximi interest. Fidei enim hostes hac abutuntur, ut Ecclesiæ de Trinitate dogma impugnent, suamque pravam, adversùs æqualitatem, & unam Divinarum Personarum substantiam, sententiam fulciant.

Non modò Trinitatis adversarii neque authenticum, neque legitimum esse asseruerunt: plures etiam ex iis, qui Trinitatem, æquè ac nos, fatebantur, sivè Exemplarium, in quibus hic locus deerat, multitudine suaderentur, sivè critici animi ducerentur cupidine, ea de re non cautè, ut par erat, disseruere. Erasmus e. g. in prima Testamenti Novi Græcè & Latinè redditi Editione hunc locum suppressit (1). Lutherus in sua Germanica Versione eumdem præteriit; quem neque plurimæ per Catholicos, de quibus nulla in Trinitatis Fide suspicio (2), vulgatæ Editiones afferebant.

Simonius (3) suis criticis in utrumque Testamentum scriptis celeberrimus, hunc Locum nostris Bibliorum exemplaribus additum & genuinum S. Joannis non fuisse & fusè, & expressè defendit: Christophorus Sandius Socinianus, quidquid ad suspicionem de eo creandam confert, accuratè congessit. Quidam ab Arrianis suppressum; quidam verò à Chatholicis additum putavere. Grotius denique ipsorum Arrianorum calliditate S. Joannis textui insertum fuisse suspicatus est.

Eruditissimorum verò Criticorum plerique, sivè Catholici sint, sive Protestantes, legitimam, atque authenticum agnovere. Stunica advers. Erasmum in 1. Joan. 5. 7. Compluti 1519. P. Alexander in N. T. tom. 1. art. de Epistol. Canonic. Millius Dissert. in 1. Jo. 5. 7 ad calcem Variar. Lection. in Epist. 1. Jo., P. Bukentop Lux de Luce l. 2. pag. 306., Kettnerus Defens. hujus loci Dissertat. singular., Seldenus l. 2. de Synedriis c. 4. pag. 133. & sequ., P. Martianæus not. in Prolog. Catholic. pag. 1659. 1670. tom. 1. nuv. Edit. Hieronymi. Schmithus, & demum Rugerius Dissert. Critic. Theolog. in hunc loc. Paris. 1713. expressè authenticum esse tuentur. Commentaria hic prætermittimus, à quibus fermè omnibus ejusdem veritas & authoritas defenditur.

Ad Lectores perfectè erudiendos utrinque argumenta referemus, ut causa plenè cognitâ, judicium æquabile valeant pronunciare.

A

ARTICULUS I.

Argumenta in Canonicam authoritatem hujus Textus.

Exemplaria omnia sive impressa, sive Mss. ad tria genera redigimus; hæc locum, de quo quærimus, prorsùs omittunt; illa servant omnino, Vulgatæ nostræ perfectè respondentia; postre-
B ma denique eumdem locum diversimodè exhibent, vel enim margini inscribunt, vel Textui ità inserunt, ut versus octavus septimum præcedat (4): *Tres sunt, qui testimonium dant*, seù *dicunt in terra, Spiritus, aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dicunt in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus; & hi tres unum sunt*; vel hæc tantummodò proferunt (5): *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus, & hi tres unum sunt*: & ea, quæ subduntur: *tres sunt qui testimonium dant in terra &c.* prorsùs omittunt; vel deni-
C que versum octavum sic legunt (6): *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis*; & prætermittunt: *& hi tres unum sunt*. Quæ ultima verba à veris Exemplaribus nunquam fuisse allata S. Thomas defendit Opuscul. 24.

Lorino, Luca Brugensi, & Hessellio testibus, à pluribus Latinis Exemplaribus locus iste minimè proditur; qui neque legitur in Polyglottorum Complutensium Latino & Græco, neque in duobus S. Germani Pratensis Mss. n. 43. & 44. neque
D demùm in Mss. Alexandrino, & Anglico, cujus postremi apud Erasmum mentio.

Sunt & Exemplaria, quæ addant (7): *Et hi tres unum sunt in Christo Jesu*; ne spiritus, aqua, & sanguis unum eo modo esse crederentur, quo unum sunt Pater Verbum, & Spiritus Sanctus. Græca Exemplaris pro *Et tres unum sunt*, ferunt: *Tres in uno sunt*. Vigilius Tapsensis, & Pseudo-Epistolæ Hygini Author legunt: *In nobis sunt*.

Præcipuum adversariorum hujus loci authori-
E tati argumentum inde instituitur, quòd à Græcis Mss. Originalibus, à Syriaca omnium Orientalium vetustissima Versione, ab Arabica, ab Æthiopica, à plurimis demum Latinis Exemplaribus non afferatur; quòd præterea neque a priscis Græcis & Latinis, qui Arium impugnarent, Patribus, neque à Conciliis adversùs hunc Hæresiarcham coactis allegetur: quem ea propter Veteres ignorasse videntur, hunc enim præ omnibus ad Arium oppugnandum produxissent. Si ergo se-
F nior antiquitas, & clariora Ecclesiæ sæcula hujusmodi Textum ignoravere, primis quidem Originalibus tum defuisse, S. Joannis verò Exemplaribus, plurimis post ipsum sæculis, insertus satis ostenditur.

Producuntur etiam Alexandrinum, & Vaticanum

(1) Ann. 1516. & 1519. Basileæ. (2) Edit. Aldi Venetii 1518. Volfii Argentor. an. 1524. Colinæi Paris. an. 1534. Vide & Edit. Lovaniens. Lugdun. ann. 1568. (3) Simon. Critic. N. T. & in Dissertat. in calce sui Critic.

(4) Vid. Cod. Corbei. n. 2. apud Martian. pag. 1675. Ita & Eugen. Carthag. l. 1. de Cathol. Fide. Vide & Idacium advers. Varimand. & Fulgentium Resp. contra Arrianos, & multa Vulgatæ exemplaria. Roger. p. 128.

(5) Ita Cod. duo Muraic. & unus Compend. à me visi, & alii quidam.

(6) Omitit. Complut. & Cod. Britann. Codd. Latt. Lovan. 25. (7) Ita Clem. Alex. in Latinis Cassiodor. Ambros. l. 3. c. 11. de Spiritu Sancto. Vigil. Tasp. seu alius lib. de Fide ad Theophyl. & lib. de unica Trinitatis Deitate

num Mss. fortè omnium, quæ extant, vetustissima, in quibus hæc solummodò: *Tres sunt, qui testimonium dant, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt:* cætera verò prætermittuntur, quæ desiderantur etiam in quindecim, aut sexdecim quæ à Millio, in quinque Regiæ & in les Colbertinæ Bibliothecæ Græcis Mss. quæ à Simonio allegantur. Burnetus Salisburgensis Episcopus gemina Mss. in Veneta & Basileensi Bibliothecis invenit. Vindobonensis singulare & Lincestrensis Bibliothecæ alterum Mss omittit: *In cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt, tres sunt, qui testimonium dant in terra.*

Græcæ Aldi Venetæ Editiones anni 1518. Basileenses Erasmi 1516. & 1519. Hagenonensis 1521. Argentoratensis 1524. & Parisiensis Simonis Colinæi 1534. eadem prætermittunt. Robertus Stephanus in Græca Novi Testamenti editione an. 1550. hunc locum, ut affertur à Vulgata, & à Græcis exemplaribus post ipsum excusis, S. Joannis Textui inseruit; notam verò margini adscribit, qua ab Editione tantummodò Complutensi eam lectionem se hausisse fatetur. Quare inter septem Græca Mss. Canonicarum Epistolarum, quæ ipse consuluerat, nec unicum (1) reperire fuit, quod cum nostris Bibliis eo de loco conveniret.

Editionis verò Complutensis, cui Robertus adhæsit, authoritatem magni non esse faciendam ostendunt. Cardinalis Ximenius, cujus opera Complutensia Polyglotta edita fuere, Rhodiensi tantummodo, & nonnullis Romanis, quæ Leo X. ad eum miserat, Græcis Mss. usus est, à quorum utrisque hunc locum minimè allatum scimus. Jacobus Lopez Stunica, qui Græca Exemplaria pro Complutensi Editione adhibita viderat, in disceptatione, quam hac de re cum Erasmo instituit, nullum, quod locum præferret, allegavit. Cùm verò, Urbano VIII. Ecclesiam gerente, omnia congesta sunt Mss., quæ Romæ in Bibliothecis seu Vaticana, seu Barberina asservabantur, ut Novi Testamenti Græca Editio recuderetur, octo tantummodò inventa sunt, quæ Canonicas complecterentur Epistolas, nullum verò eorum locum, de quo disserimus, afferebat (2).

Manuscriptum, quod Seidelus ab Oriente Berolinum transtulit, & cujus in sua nova Novi Testamenti Millii an. 1710. Editione Kusterus meminit, eumdem locum omittit: quem & Simonius in Regia Bibliotheca nullibi se reperisse testatur, quamvis octo ibi saltem Mss evolverit, quorum quædam cum recentissima essent, illud suadent, quòd is locus apud Græcos Recentiores, æquè ut apud Veteres, nullius haberetur authoritatis. Alia tria Mss. eidem Regiæ Bibliothecæ à D. Le Tellier Rhemensi Archiepiscopo dono tradita producit Rogerius, à quibus locus idem prorsùs omittitur (3).

Mss. Latina prorsùs ad Vulgatam accedunt; quorum tamen plurima extant, quæ Textum, de quo quærimus, omnino prætereunt. Prologi in Canonicas Epistolas Author, qui Hieronymi nomen præfert, & de quo nos fusiùs infrà, de Amanuensibus idcircò queritur, quòd suis Exemplaribus hunc exactè locum non inseruerint; ea quo quidem eumdem tunc pluribus defuisse satis constat. Eum verò Prologum, qui in vetustissimis (4) Mss. occurrit, octavo sæculo minimè posteriorem credimus; quare vetustissimus est sinè controversia.

Ab Erasmo duo Latina Bibliothecæ S. Donatiani Brugensis Exemplaria, quatuor verò post Gilbertum Burnetum allegantur à Millio, quo-
A rum duo in Bibliotheca Argentoratensi, alterum in Basileensi, postremum in Tigurina asservantur, & vetustatem suam ad annos suprà octingentos protrahunt; hæc autem omnia allato Epistolæ Joannis Textu penitus carent. Quinque Mss. quæ suorum Bibliorum margini à Lovaniensibus Doctoribus inscribuntur; unicum vetus Mss. è Bibliotheca Bodleiana; alia tria S. Germani Pratensis; aliud S. Aubini, & aliud S. Sergii Andegavensium, utrumque vetustate spectatissimum; aliud S. Martini de Campis, Carolo Calvo imperante conscriptum; Ludovici Pii pulcherrima Biblia, ex Colbertina Bibliotheca; Vetus Bibliorum
B Correctorium à Luca Brugensi productum; plurima demum Mss. Latina eumdem Joannis Textum omninò prætereunt.

Latina alia in corpore omissum margini adscribunt; hujusmodi sunt Ms. Antuerpiense Fratrum Ordinis S. Francisci, quod Erasmus allegat; aliud ex Regis Bibliotheca sub numero 3584. quod à Simonio citatur, & hæc margini designata producit: *In cælo Pater, Verbum, & Spiritus; & tres sunt, qui testimonium dant in terra; & hi tres unum sunt:* aliud ex Bibliotheca Colbertina sub numero 158. in cujus margine ad illa verba Textus: *Tres sunt, qui testimonium dant,* respondet; *In
C Cælo Pater, Verbum, & Spiritus; & tres sunt, qui testimonium dant in terra, sanguis, aqua, & caro.* Vetus Ms. S. Germani Pratensis Versum septimum eadem manu, qua totum volumen, margini adscriptum ostendit. Sunt & alia Mss Græca æquè ac Latina, à quibus in margine designata verba afferuntur, quæ, licèt quandoque phrasim variam, sensum tamen semper eumdem præferunt.

A quibusdam Mss. versum octavum septimo præponi jam suprà tetigimus: quæ tamen varietas lectioni nunc ab Ecclesia acceptæ minimè adversatur. Orientales Versiones, præter Armenam, hunc locum omnes omittunt. Syriaca, Arabica, Æthiopica, Ruthenica, & Cophtica habent tan-
D tummodò vers. 8. *Tres sunt, qui testimonium dant, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres sunt, unum sunt,* prætermissis iis verbis, *terra*, quæ à Græca & à Vulgata efferuntur. Tremellius Syriacæ Versionis Editioni ann. 1569. vers. 7. inserit; quem tamen Textui non adjungit, sed margini tantùm adscribit. Gutbirius verò cum Textu nectit. Illud planè constat, quòd Mss. omnia, & veteres Syriacæ Novi Testamenti Editiones anno 1562. per Vidmanstadium evulgatæ, locum hunc penitùs omittunt.

Quem profectò Veteres seu Græci seu Latini Patres minimè agnoverunt: tum saltem non allegarunt, cùm vel ea, de quibus agebant, vel
E quas defendebat, causæ id exposcerent. S. Irenæus l. 3. c. 18. num. 16. in nov. edit. Jesu Christi Divinitati probandæ incumbens, sæpe hanc Joannis Epistolam, imò & ipsum Epistolæ quintum caput producit, versus tamen septimi nunquam meminit. S. Dionysius Alexandriæ Episcopus ad Paulum Samosatenum scribens, versum octavum pluries allegat; versum septimum, qui Christi Divinitatem, & ipsam Trinitatem, quam tuebatur, luculenter probat, nunquam producit.

Hunc etiam à Patribus Græcis, ante Nicænum Concilium, nunquam allegatum Millius putat. S. Athanasius, qui vitam fermè omnem Arianismi oppugnatione transmisit, quamvis nullam
F Scripturæ authoritatem sibi faventem præterire soleret, hujus sibi quammaximè conducentis nunquam meminit. S. Epiphanius, Sardicensis Concilii Patres, S. Basilius Magnus, S. Alexander Alexandriæ Episcopus, S. Gregorius Nyssenus, S. Gre-

(1) Vid Roger. Dissertat. § 3. pag. 9. & seq. Hæc Mss. sunt 4. 5. 7. 9. 10. 11. 12. (2) Vid. Præfat. Joann. Matth. Caryophilli ad calcem Caten. Græc. edit. Petr. Possini in Marc. Romæ 1673.

(3) Codd. 2242. 1869. 3425. (4) *Est in duobus Bibliis Mss. S. Aubini, & S. Sergii Andegavensis, quorum alteru 900. alteru saltem 800. annorum vetustatem ostentant. Est etiam in aliis vetustis Bibliis, Carolo Calvo imperante exaratis.*

S. Gregorius Nazianzenus, Didymus, S. Chrysostomus, S. Cyrillus Alexandrinus, & alii perplurimi, qui cum hostibus Jesu Christi, & Spiritus Sancti Divinitatem impugnantibus, disceptationes pluries instituerunt, nunquam hoc usi sunt Testu, qui ad unam Trinitatis substantiam comprobandam præ ceteris confert. Quamobrem ab eorum exemplaribus nunquam allatum fuisse certò constat; si enim Textum adeò Trinitati faventem invenissent, tot utique Patres eum minimè neglexissent.

Cujus etiam Latini Patres, æquè ac Græci, ignari fuisse videntur. Author Tractatus de Hæreticorum baptismate, omnium consensu vetustissimi, S. Cypriani operibus inserti, sextum & octavum hujus quinti capitis versus connexos affert, septimum omittit. Novatianus in Libro de Trinitate ad verbi Divinitatem probandam plura congerit; hunc locum, qui præ cæteris probasset, non memorat. S. Hilarius, qui plurimum de Trinitate scripsit, eumdem præterit; Lucifer Calaritanus neque in Tractatu *de non conveniendo cum hæreticis*, neque in aliis ejus unquam meminit.

S. Ambrosius l. 3. de Spiritu S. c. 11. sextum & octavum versiculum nectit, septimum omittit: *Per aquam & spiritum venit Christus Jesus. Non solum in aquam, sed per aquam & sanguinem, & spiritus testimonium, quoniam spiritus est veritatis. Quia tres sunt testes, spiritus, aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt in Christo Jesu.* Apud S. Phæbadium Aginensem Episcopum, & Faustinum, qui & de Trinitate, & contra Arianos scripsere, hujus loci nulla mentio. Apud S. Hieronymum de eo perpetuum silentium. S. Augustinus, præterquamquòd ejus nunquam meminit, suis Exemplaribus eumdem defuisse satis insinuat (1); postquam enim hæc citaverat: *Tres sunt, qui testimonium dant, spiritus, sanguis, & aqua*, à tribus his Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum designari asseruit, & aliis Scripturæ locis vi quadam eò deductis probavit. Si verò in suis Exemplaribus legisset: *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*, anne & hic, & alibi hæc verba, quæ Filii & Spiritus Sancti Divinitatem, & unam cum Patre substantiam perspicuè præferunt, producere præteriisset?

De quo etiam loco ne verbum quidem apud Leonem Magnum, cujus in Epistola ad Flavianum, eumdem producere magni intererat. Facundus Hermianensis Episcopus l. 1. c. 3, octavum versiculum affert, eumque de Trinitate explicans, *Spiritus*, inquit, Patrem refert, juxta illud: Jo 4. 24 *Deus spiritus est*; *aqua* Spiritum Sanctum, de quo illud Jo. 7. 38.: *Qui credit in me*, nempe Spiritum Sanctum accipit, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*; *sanguis* denique Jesum Christum nostra carne indutum designat. Quæ explicatio ab Augustino deprompta vulgò deindè afferebatur; nemo verò ad eam confugisset, si in suis Exemplaribus versiculum septimum legisset. Cerealis contrà Maximinum scribens, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unitatem conatur ostendere: licèt verò plurimas ea de re authoritates proferat, hanc Joannis præ cæteris sibi faventem silet.

Beda demum, cæterique qui in hanc Joannis Epistolam scripsere, nunquam celebris hujus loci meminerunt, quem in suis Exemplaribus minimè reperisse, satis superque ostendunt. Didymus, Clemens Alexandrinus, Oecumenius, sex Græcorum Catenæ, quas Simonius hac de re consuluit, septimum versiculum omittunt. S. Eucherius Quæst. in N. T. explicans: *Tres sunt qui dant testimonium, aqua, sanguis & spiritus*, ab aqua Patrem, Christum à Sanguine, à Spiritu Spiritum Sanctum designari asseruit; & septimum versicu-

A lum, quemadmodum S. Augustinus, & Facundus, ad suam sententiam quammaximè conferentem, nequaquam exhibuit.

Ex quibus omnibus satis ostenditur, septimum hunc versiculum, usque ad septimum, & octavum sæculum, lectum minimè fuisse ab Ecclesiis Orientalibus, neque Syriaca, neque à Romana, & Africana, neque à Mediolanensi, & Gallica, neque demum à Sardiniensi, & Britannica. Non primùm ab Ecclesiis Orientalibus, quod à Græcis & Mss. & Patribus nunquam afferatur; non à Syriaca, quòd ejus, & cæterarum etiam Ecclesiarum Græco idiomate non utentium Biblia eundem locum & in præsentia omittant; non à Romana,
B quòd Leo, & Novatianus ejus nusquam meminerint; non ab Africana, quòd is ab Augustino, Cereali, Junilio, & Facundo nullibi allegetur; non à Mediolanensi, quòd apud Ambrosium perpetuum de eo silentium; non à Gallicana, quod S. Hilarius, S. Phæbadius, & S. Eucherius eum nunquam producant, neque in Lectionario recenseatur, quem ab hac Ecclesia quondam adhibitum P Mabillonius evulgavit; non denique à Sardiniensi & Britannica, quòd eum Lucifer Calaritanus, & Ven Beda ne verbo quidem unquam tetigerint. Quamobrem illud undique veri speciem magis præfert, quòd locus iste primùm glossarum
C instar aliquorum Exemplarium margini adscriptus, in ipsum deinde Textum irrepserit.

Quæ quidem veri similitudo inde sibi majorem vindicat fidem, quòd ei certo facto innitatur, quo & locus in disceptationem adductus est, & à plurimis Latinis Mss. vetustissimis adscriptus margini exhibetur. Cùm verò & alia à Librorum margine in eorundem Textum effluxisse sciamus, & hic idem contigisse non immeritò arbitramur. Catholici fortè nonnulli Fidei studiosi, qua vi locus iste Arianos, Macedonianos, & cæteros Trinitatis adversarios oppugnasset, animadvertentes, ab Exemplarium margine in Textum transtulere.
D Quod profectò tum minimè præstitum fuit, cùm disceptatio arderet; Ariani enim Textum vitiatum Catholicis exprobrassent: sed nono, seu decimo sæculo cæptum fieri putamus, cùm ab ea ætate in Textum sensim irrepsisse videatur. De Arianis verò, quòd locum à Textu divulserint, suspicio meritò esse non potest; Catholici enim, quorum semper frequentia floruit, fraude producta, eos pravæ fidei insimulassent. Exemplaria præterea, quæ apud præcipuas Orientis & Occidentis Ecclesias asservabantur, Arianorum potestati minimè erant; quare iis, quam liber sibi fidem vindicassent, ne verbum quidem ab Joannis Textu divellere un-
E quam licuisset.

Grotius non modò ab Arianis versiculum septimum non evulsum, sed ab iisdem insertum suspicatur, ut Patris, Filii, & Spiritus Sancti unitatem, non esse unitatem substantiæ, sed testimonii, ei similem, qua spiritus, aqua, & sanguis unum sunt, ostenderent. Quæ tamen conjectura nullo valido innititur argumento: locus etiam, de quo quærimus, multò magis, quàm faveat, Arianis adversatur. Veterum prætereà nemini hujusmodi nunquam de Arianis suspicio fuit. Ipsi Ariani ad sua dogmata stabilienda eum locum nunquam allegant; & Patres, qui eos impugnarunt, ad unam
F Trinitatis substantiam comprobandam, versiculum octavum de Spiritus, aquæ, & sanguinis testimonio proferunt; septimum verò, multò magis sibi faventem, si nossent, utique protulissent.

Celebris affertur locus, quem S. Hieronymo tribuunt, ubi S. Doctor Interpretibus, qui S. Joannis Epistolam ex Græco Latinè reddiderunt, infidelitatem exprobrat, quod nempè Patris, Verbi, & Spiritus Sancti quammaximè Catholicæ Fidei con-

(1) Aug. l. 2. contr. Maximin. c. 22. n. 3. pag. 729.

ftravisse videtur, ut eum versiculum præterirent, quem & in sua anni 1518. Aldus Manutius omisit. Hagenoensis verò editio anni 1521. Argentoratensis 1524. & Parisiensis Colinæi 1534. ex Manuscriptis non videntur depromptæ; ea enim de re nil apud Typographos, aut Editores: quare editiones ex aliis editionibus exscriptę tantummodò habendę.

Alias igitur producere, uti à Christophoro Sandio factum est, utpotè quæ ex iisdem decerptæ sunt, supervacaneum ducimus; hæ enim omnes unicam tantùm constituunt, cùm vel priorum Erasmi vel Manutii sint exempla. Erasmum tandem veritatem amplexum supra retulimus, cum in tertia anni 1522. Editione septimum versiculum Textui inseruerit; quamvis deindè à sua sententia satis discessisse videtur, quòd Anglici Manuscripti, cui primum adhæserat, authoritatem vel prorsùs evertere, vel saltem infirmare laboraverit.

Simonius (1), quamvis versiculo septimo adversetur, Mss. in quibus deest, sexcentos antiquitatis annos non prætergredi, & in vetustis plurimis eumdem locum margini adscribi, ultro fatetur. Græca, quæ nunc est, Ecclesia eumdem ita probat, ut ab ejus Lectionario Venetiis anno 1602. edito, quod in Ecclesia legit, & *Apostolos* vocat, locus idem referatur; & à Rubrica diei Jovis hebdomadæ à Paschate trigesimæquintæ eumdem expressè legi jubeat. Quæ præterea Ecclesia in sua Fidei Confessione ultimò edita unam omnium Trinitatis Personarum essentiam esse testatur: quod insuper probatura, hujus Dissertationis locum apertè producit.

Marchionis de Velez Mss. hic præterimus, quòd ad Vulgatam restaurata credantur; quare ad lectionem, de qua quærimus, conferre minimè valent. In quodam Mss. Græco, satis recenti, de quo meminit P. Le Long (2), & in Græco Concilii Lateranensis sub Innocentio III. fragmento, in quo judicium quoddam, seu ejusdem Concilii, ad quod & Græci convenere, instructio exhibetur; sententiam hanc totidem verbis legimus; quam etiam afferunt Armena Versio (3), & Versio Italica, quam ex Græco depromptam edidit Antonius Brucioli Venetiis anno 1532.

Ejusdem verò lectio in Latinis Mss. frequentior, quàm in Græcis. Duo Constantiæ Latina Mss. & tertium Basileæ, quæ locum exhibent, Erasmus, allegat. Joannes Gerardus, & Ketnerus duo Senensis Academiæ Mss. & Lucas Brugensis aliud S. Andreæ memorant, quæ locum producunt. Ms. optimum apud PP. Prædicatores Parisiis anno 1234. ut ajunt, Jordanis Ordinis ejusdem Generalis jussu exaratum; & Vetus Sorbonæ Correctorium, juxtà Simonium, sæculo decimo exscriptum, locum eumdem ostendunt.

Lucas Brugensis, qui de Lovaniensium Theologorum mandato Vulgatam cum Mss. triginta & quinque contulit, eorum quinque tantùm recenset, quibus versiculus iste deesset. In pluribus ex his Exemplaribus Canonicas fortè Epistolas defuisse fatemur; sed mirum profectò, quòd quinque tantummodò easdem complecterentur.

In quodam Vetustissimo Abbatiæ S. Germani à Pratis Ms. anno 809. exarato, nostrum quidem, sed paulò varium, locum exhibet (4), quem adhuc plurima ex Regis. & Colberti Bibliothecis Vetera Mss. margini adscriptum afferunt. Hesselio teste, in pluribus etiam Missalibus invenitur, & olim canebatur, sicuti & nunc canitur in ultimo Matutini responsorio, Dominica qualibet à Festo SS. Trinitatis usque ad Adventum (5). A' plurimis denique & Mss. & editis Vulgatæ exemplaribus affertur (6), licèt in eorum nonnullis octavus versiculus septimo sic præferatur: (℣. 8.) *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.* (℣. 7.) *Et tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum sunt.*

Quamvis Lutherus aliquibus Græcis illius ætatis, Hagenoensi v. g. anni 1521. aut Aldi 1518. Editionibus fortè ductus, versiculum septimum in Germanica Versione, suppresserit; Lutherani nihilominus in suis deinde Bibliis inseruerunt; quod addebant, & ab ipso Luthero præstitum sanè fuisset, si adhuc vivens Roberti Stephani Editionem vidisset: celeberrimum hunc Typographum tantì faciebat (7).

Calvinistæ eumdem in suis Bibliis constanter retinent. Theodorus Beza, licèt à pluribus Græcis exemplaribus omissum sciret, tamen non omittendum tuetur; quem & Diodati in sua Italica Versione servavit.

Ad Patrum testimonium nunc progrediamur. Primò tamen unà cum D. Bossuet Meldensi (8) Episcopo, Patrum authoritatem præ Mss. habendam esse advertimus, tum quòd Patres formè omnes Mss. quæ ad nos pervenere, vetustiores sint; ubi enim illud Ms. quod v. g. Tertulliani aut S. Cypriani ætatem attingat? tum quòd Patrum testimonium cum eorum ætatis historiis, & cum ejusdem temporis Ecclesiæ authoritate cohæreat: undè etiam fit, ut Patres præ Mss. majorem sibi fidem vindicent, & dignitatem. St S. Cyprianus, & Tertullianus septimum versiculum allegent, utique eorum ætate illum Exemplaria afferebant, qui se vel tunc doctrinam & Ecclesiæ Fidem referebat; non enim quid indifferens præfert, sed nostræ Fidei dogma præcipuum: quamobrem utrumque æquè difficile & arduum, vel ab Exemplaribus divellere, si aderat, vel iisdem interserere, si deesset.

Tertullianus (9) huic loco alludit, cùm scribens contra Praxeam, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unam esse substantiam asserit, non verò unam tantùm personam: *Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paraclito tres efficit cohærentes alterum ex altero, qui tres unum sunt, non unus. Quomodo dictum est: Ego & Pater unum sumus; ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem.*

S. Cyprianus quorumdam hæreticorum baptismum nullum esse defendens, ità ratiocinatur Epist. ad Jubajanum. *Si baptizari quis apud hæreticos potuit, utique & remissam peccatorum consequi potuit: si peccatorum remissam consecutus est, & sanctificatus est, & Templum Dei factum est. Quæro cujus Dei? Si Creatoris; non potuit, qui eum non credidit: si Christi; nec hujus fieri potest Templum, qui negat Deum Christum; si Spiritus Sancti, cum tres unum sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus esse ei potest, qui aut*

(1) Simon. Dissert. Critic de Mss. N. T. (2) Biblioth. Sacr. tom. 2. pag. 672. Vid. & Roger. Dissert. in hunc loc. pag. 120. 121. (3) Mill. ex Guillelm. Gisio. (4) Ms. hæc habet: *Sunt tres, qui testimonium dant, Spiritus, aqua, & sanguis, & tres unum sunt & tres sunt, qui de Cælo testificantur, Pater, Verbum, & Spiritus, & tres unum sunt.* Super lineam ad illud, *testimonium dant*, adjectum legitur, *in terra*.

(5) In quodam Breviario Romano Ms. annorum quadringentorum in nullo ex novem Responsoriis Matutini SS. Trinitatis legitur; sicuti neque in succedentibus ordine Dominicis, in quarum tertio nocturno repetenda hæc Responsoria præscribuntur. Sed Capitulum Tertiæ Festi SS. Trinitatis ita conceptum est: *Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas: quia tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* (6) Cod. S. Andreæ à Luc. Brugensi citatus. Codd. 2. Constantiens. ab Erasmo laudati. Cod. Dominicanorum Paris. Codd. 5. Biblioth. Bodlejanæ, Cod. S. Germani ann. 809. Codex Argentorat. Cod. Venet. & Cod. Florentin. visi à Gilberto Burneto, Idacius contra Varimand. & alii.

(7) Tubingens. Lutherani contr. Sherrerum & Scherrer. ipse apud Serra. qu. 1. in cap. 5. Libri Judith. & Commentar. in 1. Joan. 57. Vid. Roger. Dissert. pag. 132. 133. (8) Censura contr. N. T. Simonis.

(9) Tertull. contr. Praxeam cap. 25.

Patris aut Filii inimicus est? Alibi etiam clariùs Patris, & Filii & Spiritus Sancti unam tantummodò esse substantiam per Scripturam præferri testatur (1): *Dixit Dominus: Ego & Pater unum sumus: & iterum de Patre & Filio, & Spiritu Sancto scriptum est: Et hi tres unum sunt.*

Simonius tanta authoritate perculsus, (2), S. Cyprianum explicare conatur. S. Martyr, inquit, non versiculum septimum, qui Patris, Verbi, & Sancti Spiritus testimonium complectitur, allegavit, sed versiculum octavum: *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.* Quare, addit, *Spiritus* nomine Patrem, nomine *sanguinis* Filium, *aquæ* demum nomine Spiritum Sanctum designavit. Quam quidem conjecturam Facundi Hermianensis Episcopi (3) testimonio fulcit, qui sexto sæculo scribens, versiculum octavum eadem explanatione interpretatur, & suam S. Cypriani authoritate sententiam confirmat.

Quin verò ad varias hujus difficultatis solutiones confugiamus, hanc satis est exhibere. Facundus in suo Epistolæ S. Joannis Exemplari versiculum septimum minimè legebat, sed tantummodò octavum, de quo inter omnes convenit. Cùm verò ad unam Trinitatis essentiam comprobandam à S. Cypriano illud advertisset adhibitum, *Et hi tres unum sunt*, quod totam evolvens Scripturam nonnisi in octavo capitis quinti primæ Joannis Epistolæ versiculo invenerat, S. Augustini seu figuratam, seu SS. Trinitati accommodatam hujus 8. versiculi explanationem produxit, eique se maximam vindicaturum authoritatem credidit, ubi eamdem S. Cypriani nomine vindicasset.

S. Augustinus contr. Maximin. l. 2. c. 22., & Facundus de una Trinitatis substantia cum S. Cypriano utique conveniebant; at locum, quo Cyprianus ad suam sententiam confirmandam usus est, ignorantes, eidem Mysterio alium accommodarunt. Verùm inter vim & efficaciam loci à S. Cypriano adhibiti, & explicationem à S. Augustino & Facundo præstitam valdè quidem interest. Cypriani enim textus sententiam suam perspicuè & ad literam comprobat; Augustinus verò & Facundus aliis textibus & interpretationibus allatam explicationem idcircò fulciunt, quòd locum, quem allegant, non ad literam, sed figuratè accipiant; figuratæ autem explicationes, cùm de Fidei rebus agitur, nil certè adstruunt.

His adhuc vetustiores ejusdem Africanæ Ecclesiæ testes producimus, Fulgentium nempè, & Eugenium, hunc Carthaginensem, illum Ruspensem Episcopos, Vigilium Tapsensem, & quadringentos alios Episcopos, qui ad Trinitatis Fidem stabiliendam eumdem septimum versiculum proferunt. Quibus major ne adhibenda est fides, an Facundo qui in remotissima degens regione, Byzantii scilicet, suum de tribus Capitulis Tractatum edidit, & S. Cyprianum ita loquentem induxit, ut nihil minus quam Cyprianum referat? S. enim Martyr allegoricas, & figuratas explicationes rarissimè profert. An verò Fulgentio, Eugenio, Vigilio, & quadringentis Episcopis, qui media in Africa simplici & naturali stilo scripserunt?

A Ecce eorumdem Episcoporum verba, quibus Hunerico Vandalorum Regi in quadam Fidei Professione anno 484. suam de Trinitate sententiam exhibuere (4): *Et ut adhuc luce clarius unius Divinitatis esse cum Patre & Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur: ait namque: Tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt.*

Iste igitur locus in Ecclesiæ Africanæ Exemplaribus legebatur. Eumdem igitur Episcopi omnes, qui memoratæ Fidei Professioni subscripsere, authenticum probarunt; de cujus canonica authoritate non modò apud Catholicos ambiguitas nulla; sed etiam apud ipsos Hunerici subditos Arianos; quibus enim sese contumeliis tot Episcopi non obtulissent, si Ecclesiæ Fidem defendentes sub Ariano, & ab Arianis Episcopis assiduè stipatu Principe, locum ab iisdem vel non agnitum, vel rejectum allegassent? S. Fulgentius non semel tantum, sed ter in tribus contra Arianos Operibus eum profert, & à S. Martyre Cypriano, eodem, quo à se ipso afferebatur, sensu allegatum asseruit (5). Vigilius Tapsensis, qui sexto sæculo in Africa scribebat, ejusdem meminit; & Author Pseudo-Decretalium, quas Hygino, & Joanni II. Pontificibus adscribit; versiculum apertè producit. Octavo fortè sæculo is floruit, & eumdem à Bibliis locum semper allatum fuisse pro certò habuit, quòd duos eum allegantes inducat Pontifices, quorum alter secundo, alter sexto sæculo imperabat.

D Iterum hic non meminimus quod jam prætulimus de Authore Præfationis in Epistolas Canonicas, Hieronymi nomine evulgatæ, qui eumdem locum apertè profert. Is verò plusquam novem ante sæcula floruit, ejus enim Præfationem in ejusdem ætatis MSs. habemus. Idacius septimum, de quo agimus, versiculum in opere contra Varimadum lib. I. cap. 7. expressè affert, sivè id Opus juxtà plures Criticos Vigilius Tapsensis sexti sæculi Scriptor confecerit, sive Idacio Hispano Galiciæ Episcopo quinti sæculi authori juxtà P. Montfauconem tribuatur (6) Tapsensis in opere, quod ipsius esse ambigit nemo (7), licèt S. Athanasio quondam adscriberetur, eumdem versiculum allegat. Usque huc testes Ecclesiæ Latinæ: ad Græcos pergamus.

Author Disputationis adversùs Arianos in Concilio Nicæno habitæ, quam S. Athanasio tribuunt, ad unam trium Personarum naturam probandam hæc veluti Joannis verba allegat: *Et hi tres unum sunt* (8). Hunc verò, licèt Athanasium non esse certò sciamus, vetustissimum tamen esse vulgo conveniunt. Author Tractatus *de unita Deitate Trinitatis* totum ita Textum producit (9): *Dicente Joanne Evangelista in Epistola sua: Tres sunt qui testimonium dicunt in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.*

Patres Lateranenses sub Innocentio III. cui Synodo Constantinopolitanus, & Jerosolymitanus & per suos Legatos Alexandrinus etiam, & Antiochenus Patriarchæ unà cum plurimis Græcæ Ecclesiæ Episcopis interfuere, Instructionum ediderunt, quâ Joannis locus utrique pro-

(1) S. Cyprian. de unitat. Eccles. [2] Simon. Histor. Critic. N. T. c. 18. (3) Facund. l. 1. c. 3. de tribus Capitulis.

(4) Apud Victor. Vitens. l. 3. de Persecution. Vandal. [5] Fulgent. l. de Trinit. c. 4. *Ego, inquit, & Pater unum sumus, unum ad naturam referre nos docet, sumus, ad personas; similiter & illud: Tres sunt, qui testimonium dicunt in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus; & hi tres unum sunt.* Idem in defensione Fidei. Item in lib. Responsionum contr. Arianos Resp. 10. *Beatus enim Joannes Apostolus testatur dicens: Tres sunt qui testimonium perhibent in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus, & tres unum sunt. Quod etiam beatissimus Martyr Cyprianus in Epistola de unitate Ecclesiæ confitetur dicens ...... Dicit Dominus: Ego & Pater unum sumus; & iterum de Patre & Filio, & Spiritu Sancto scriptum est: Et tres unum sunt.*

[6] Bernard. de Montfaucon. admonit. in lib. de Trinitat. Athanas. supposit.

[7] Vigil. Altercat. advers. Arium, Sabellium, & Photinum l. 2. num. 45.

[8] Author Disput. in Concil. Nic. inter Opera S. Athanasii.

(9) Inter opera S. Athanas.

probatus Ecclesiæ (1) ad Fidei dogma fulciendum affertur. Ibi etiam verba, *Et hi tres unum sunt*, a quibusdam Exemplaribus post octavum versiculum collocati fit mentio; quod tamen Innocentius III & S. Thomas Aquinas, & Patres hujus Concilii hoc inverso ordine in bonis Exemplaribus seu lectum, seu legendum improbarunt. Manuel Calecas sæculi decimitertii Scriptor, qui Lugdunensi Concilio adfuit, eumdem locum veluti Canonicum producit (2).

Postquàm & faventia, & hujus loci authoritati adversantia argumenta attulimus, statuendum manet, an veluti canonicus sit excipiendus, seu veluti commentitius rejiciendus. Res verò tota in eo sita est, ut an ab initio S. Joannis Epistola locum semper attulerit, nos percipiamus; si enim tum defuit, nulla quidem authoritate adigi possumus, ut veluti canonico subscribamus. Ipsa Ecclesia, quæ sint Scripturæ Sacræ, potest utique pronunciare; non verò, quæ authenticæ non sint, per se ipsam canonicas constituere. Authorum plerique, duobus innixi principiis, eumdem locum Joannis esse certò credunt, & canonicum tuentur. 1. Quòd veterum Scriptorum plurimi veluti Joannis textum allegaverint; & Africæ Ecclesia quinto sæculo solemni & publico actui ad Arianum Regem deferendo inservierit; & demum à veterum Exemplarium Græcorum æquè ac Latinorum plurimis afferatur.

2. Quòd Concilium Tridentinum omnes utriusque Testamenti Libros cum omnibus suis partibus & sacros & Canonicos agnoverit (3): *Si quis Libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgata Editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, anathema sit.* Cum verò & locus iste à Vulgatæ exemplaribus afferatur, & capitis quinti primæ Joannis Epistolæ partem constituat, cæterorum instar sub anathematis pœna veluti authenticus est excipiendus. Hæc argumenta sunt, quibus ad fidem textui veluti Canonico adhibendam omnino adigimur.

Protestantes seu Lutherani, seu Calvinistæ Veterum monumentorum, Patrum & Exemplarium, à quibus affertur, fide tantummodo ducti, eidem subscribunt. Sociniani, iique omnes, qui eorum exemplo ejus veritatem impugnarunt, à Græcis S. Joannis Originalibus nunquam allatum fuisse defenderunt. Cur igitur à Tertulliano, S. Cypriano, S. Fulgentio, Vigilio Tapsensi, Eugenio Carthaginensi, & à tota Africæ Ecclesia adversùs Arianos scribente disertè allegatur? Cur Ariani, quorum illum evertere tanti intererat, nunquam ausi sint ejusdem falsitatem producere? Quomodo veteri Anglico Mf. & Latinis plurimis vetustate præclarissimis insertus fuit? Cur denique eorum, quibus deerat margini adscriptus?

Eum quidem, præter Africanam Ecclesiam, Veteribus Græcis & Latinis Patribus videri incognitum, neque ab eorum exemplaribus allatum, & usque ad septimum & octavum sæculum rarò nimium in Mss. inveniri, ultrò fatemur. Id verò inde fortè factum est, quòd ex primis Exemplaribus aliquod vel incuria, vel nimia Amanuensium celeritate imperfectè hòc in loco ex originali exscriptum occasionem attulerit, ut deinde Exemplaria, & Versiones ab eodem deprompta imperfecta evaserint. Quare his per Orbem ita diffusis, cultus qui vetustati habebatur, & Exemplaria cum originali conferendi impotentia, Exemplaria etiam correctiora, quæ locum afferebant, in suspicionem adduxere; tot propterea defluxere sæcula, antequam error, & loci defectus deprehensus fuerit; quem, cum primùm nonnisi subobscurè nosceretur, plures margini tantùm adscribebant. Veritas deinde paulatim clarescens, id præstitit, ut ducentis & quinquaginta ab hinc annis inter utramque Ecclesiam Græcam & Latinam ea de re omnino conveniret.

Quod de Exemplaribus ab originali depromptis, & fortuitò ab Amanuensibus vitiatis diximus, neque præter fidem est, neque præter morem. Et in Veteris Testamenti exemplaribus plures diu perstitere errores, quos sola Amanuensium inscitia, vel incuria invexerant (4). Quod sanè & quotidie contingit, præsertim cùm Textus, in quibus eadem verba pluries recurrunt, exscribuntur; nisi enim permaximam quis accurationem, & consueto majorem in recensendo diligentiam adhibeat, error facilè subrepit. Itaque cum hæc verba, *Hi tres unum sunt*, bis statim hic recurrant, à primis ad postrema Amanuenses desiluere; cùmque ea intermissione periodus significationis vim non amiserit, error diu latuit, donec per veterum Exemplarium collationem tandem deprehensus est.

Cæterùm illud nobis advertendum, quòd primis Ecclesiæ sæculis Canonicarum Epistolarum exemplaria rariora videbantur; sicuti & nunc in vetustis Mss. perrarò inveniuntur. Prima Christianorum ætas nimis exagitata est persecutionibus. S. Joannis prætereà Epistolæ neque ita necessariæ erant, neque ita communes & publicæ, quemadmodum cæteræ, quarum pleræque ad præcipuas Ecclesias missæ fuerant. Hæc præsertim Joannis prima, juxtà Veteres, data fuit ad Parthos, nempè ad Judæos, qui ultrà Euphratem Fidei se addixerant; à quibus sanè remotissimis regionibus & valdè Imperio Romano infensis, exscripta ejusdem Epistolæ exemplaria difficile nimiùm obtineri poterant.

(1) Fragment. Concil. Later. IV. in Edit. Labb. *Quomodo in Canonica Joannis Epistola legitur: Quia tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt. Rectè addit, sicut in aliquibus Codicibus invenitur.* In Editione Conciliorum vacuum quoddam spatium relinquitur post illa verba. *Rectè addit*; postea subditur: *Sicut in quibusdam codicibus &c.* Omissum hoc loco integrum versiculum 8. suspicans P. Cossartius, illum ad marginem supplevit. Verùm D. Simonius Græco Bibliothecæ Regiæ consulto, nullum reperit spatium vacuum; & egregiè demonstrat, illis verbis insinuari tantùm illa, *Et hi tres unum sunt*, in quibusdam Mss. ad octavum tantum versiculum legi. Id autem probat ex loco Decretalis Innocentii III. ad Episcopum Ferrariensem, & S. Thomæ in Joachimum Abbatem. Vide Simon. Dissert. Crit. Mss. N.T.
(2) Manuel Calecas lib. de Princip. Fidei Catholic. apud Combefis Auctuar. p. 519. (3) Concil. Trid. sess. 3. (4) Vid. P. Martyanæus Not. in Prolog. S. Hier. in Ep. Canon. & Roger. Dissert. In hunc loc. §. 30. pag. 171.

DISSERTATIO
DE MOYSIS OBITU, ET SEPULTURA
Vide Ep. Judæ ℣. 9.

INsita in res miras animi propensione rapimur omnes; simplicibus eventibus, & tactia communibus parum tangimur: miranda poscimus, etsi fabulosa sint & ad libitum excogitata. Hinc amor, quo poesim & inventa prosequimur; hinc voluptas, quam ex iisdem percipimus. Qui primùm ea Græcia scripserint, Poetas scimus (1); cùm verò aggressi sunt historias intexere, quadam poeseos specie easdem instruebant. Herodotus novem suarum Historiarum Libros novem Musas appellavit, neque jucundiùs scribit, quàm cum mirabiliter gesta, & fabulosas populorum, de quibus agit, traditiones recenset (2).

Si verò mirabilibus rapimur, præ cæteris sanè veritatis amore ita capimur, ut iis omninò nusquam acquiescamus, quæ à veritate discedunt. Mirabilia eadem, & poetica inventa, quibus maximè oblectamur, minimè arridene, nisi veri speciem præseferant. Nemo falli vult, neque rudibus & incongruis inventis pasci; & fabulosa omnibus jucunda accidunt, usque dum veri coloribus exhibentur. Sacri utriusque Testamenti Libri utraque, quibus adeò oblectamur, verum nempè & mirabile mutuò ità connectunt, ut veluti quidam mirabilium textus videantur, quibus omnia & amorem, & reverentiam vindicant, cum in eis undique veritas elucescat.

Judæi pessima gustus pravitate, & nimio mirabilium amore ducti, Bibliorum miraculis amplificandis eousque studuerunt, ut nil sibi supernaturale occurrat, quod suis novis inventis non adauxerint. Hinc factum est, ut sine gustu, sine discretione, sine ingenio, quodque deterius est, sine reverentia, quæ veritati, & Historiis Divinis & Scripturis omninò est adhibenda, prodigiis prodigia sæpissimè cumulaverint.

Vita & obitus Moysis præ cæteris Bibliorum historiis vitiatæ sunt ab inanibus inventis, quibus Authores Hebræi perpetuo abuti consuevere. Josephus Historicus Antiq. l. 2. c. 5. præcipua de Moysis vita recenset, quæ utique nonnisi à Veterum traditionibus acceperat, vel à Libris Apocryphis, non aliis ab iis, quos Gaulminus anno 1629. Parisiis edidit, atque ita inscripsit: *Vita Moysis, & Assumptio*, seu Mors *Moysis*.

Quos Libros nos ita parvipendimus, ut, quantum ad nos, æternæ oblivionis traditi penitus intercidissent. Cùm verò S. Judas de morte & sepultura Moysis quid peculiare produxerit, quod ab aliqua apocrypha hujus Legislatoris vita exhaustum fuisse creditum est, nos, ne quod S. Judas refere, cum hujus insulsi Operis reliquis confundatur; ne etiam eidem Operi immerita proinde fides adhibeatur; ne denique S. Judæ narrationi obsequium & authoritas adimantur, Librum vitæ Moysis producere, & id, quod inde S. Judas exhausit, quodque sacrum, & authenticum habemus, animadvertere statuimus, ut idem à cæteris secernatur, quæ nulla, Rabbinica excepta, authoritate nituntur.

S. Judas, ut à blasphemiis, & à contumeliis omninò abstinendum ostenderet, *Cùm*, inquit ℣. 9., *Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercare-*
A *tur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Dominus*. In Canonicis Libris hæc verba nusquam reperiri, inter omnes convenit, quamvis eadem illis Zachariæ 3. 2. alludant: *Increpet Dominus in te, Satan*. Cùm verò à S. Juda eadem allegentur, authoritatem canonicam sibi vindicant, & certissimam præferunt veritatem.

Undè S. Judas ea verba exhauserit, discrimen. Quidam ipsa Dei revelatione percepisse volunt;
B quidam à Patribus suis didicisse statuunt, etenim ab Judæis plura scriptis minimè tradita, per seniorum traditionem nota erant. Doctissimi autem viri (3) verosimiliùs autumant, S. Judam ea deduxisse verba è Libro *de Assumptione Moysis*, Libro quidem apocrypho, qui tamen vera plurima plurimis immixta fabulis referebat. Sacri Authores, utpotè cœlesti lumine perfusi, vera à falsis secernere optimè norant; quare quidquid certum ab iisdem recensetur, certiorem ab eorum, quàm ab homi-
C num cæterorum testimonio, sibi vindicat authoritatem. Hinc est, ut idem S. Judas de Libro Henoch, quem prorsùs ignoramus, aliquid alleget (4); & S. Paulus de Janne & Mambre Pharaonis Magis, qui Moysi obstiterunt, meminerit (5). Quæ quidem nos in Veteri Testamento nusquam legimus; Apostoli verò nonnisi vel per traditionem, vel per Judæorum Libros Apocryphos agnovere.

Quòd Judæi honorem nimio majorem Moysi haberent, plura quammaximè incerta de ejus morte audacter pronunciarunt. Fuere, qui eum mini-
D mè mortem obiisse, sed viventem adhuc in Cælos assumptum putaverint; quam quidem opinionem & plures inter Christianos Authores defendunt (6). Fuere qui inter amplexus, & Dei oscula occubuisse crediderint. Alii, quemadmodum cæteros, è vivis migrasse autumant; alii incertam rem profe-
runt. *Moyses*, inquit Josephus Antiqu. l. 4 cap. ult. *unà cum Eleazaro & Jesu in monte Abari constitutus, cum post mutuos complexus eis ultimum vale diceret, inter loquendum repentina luce circumdatus in vallem*
E *quamdam est ablatus. In Sacris autem Voluminibus scripsit se mortuum, veritus ne propter excellentem ejus virtutem a Deo raptum prædicarent*. Is itaque Author Moysem mortuum & in valle sepultum clare asserit; neminem verò ejus morti & sepulturæ interfuisse testatur.

Philo quoque de vita Mosis ad finem pag. 696. eum morte sublatum, & sepulturæ traditum ducit: *Jam*, inquit, *assumendus, tum divinitus afflatus, vivens adhuc prophetavit de seipso tamquam mor-*
F *tuo, ante obitum narrans se mortuum, sepultumque inspectante nemine, videlicet manibus non mortalium, sed virtutum immortalium*.

Hebraici Codices *Petirath Mose* (7) seu Moysis Assumptio inscripti, prolixum Dei cum Moyse, antequam moreretur, colloquium ineptè referunt, & Moysem ostendunt pro viribus conatum, ut superstitem adhuc vitam à Deo obtineret, usquedum regionem Chanaan, Israelitis diu ante promissam, intueretur; eumque pueriliter adeò loquentem inducunt, ut sermones illos inanes nos pudeat describere. Ajebat e. g. Quoniam, Domine, à me Jordanem minimè trajiciendum, & populum tuum in hanc

(1) Strabo l. 1. p. 17. (2) Strabo l. 1. p. 16. (3) Est. Grot., Vide Athanas. in Synops. Clem. Alex. l. 6. Strom. & in Ep. Jud. Didym. in Ep. Jud. Evod. Ep. 259. inter Augustinian. Orig. l. 3. Periarchon. (4) Jud. ℣ 14. (5) 2. Timoth. 3. 8. (6) Vid. Ambros. l. 1. de Cain & Abel, c. 2. n. 8. Isidor. Hispal. de vita & Morte SS. Rupert. in Deuter. l. 2. Catharin. (7) Vid. Gualmin. de vit. Moys. p. 2. Paris. 1629.

in hanc regionem non inferendum jurejurando te obstrinxisti, saltem veluti Josue famuli mei famulum, vel in piscem, aut in avem conversum eò me ferri indulgeas. Quibus Domino non annuente, quindecim vel duodeviginti leucis supra nubes efferri, & in eam regionem illinc aditum sibi fieri; vel se in frusta concisum ultra Jordanem projici, & statim ad vitam revocari poposcit. Denique horum nihil sibi Domino indulgente, eandem saltem regionem oculis suis petiit exhiberi; cui tandem Dominus acquiescens, octoginta telluris milliaria per suam virtutem ita contraxit, ut omnem regionem instar pictæ tabulæ ejus oculis videndam obtulerit; quare Moyses remotiora, sublimiora, & profundiora omnia unico obtutu permira facilitate lustravit.

Samael interea Dæmonum Princeps, postremum Moysis momentum, ut ei præfocato vitam adimeret, admodum expetebat; quem ea de re nimis festivum S. Michael populi Israelis Patronus in lacrymas effusus ita increpavit: *Infelix, dum fleo, rides?* Juxta alios verò: *Non utique exilies, pessima bellua; animo quidem de Moysis morte concidi, at per Josue à Deo loco Moysis populi Principem constitutum, qui & unum supra triginta Chananæos Reges interficiet, animo pristino sum restitutus. In primi & secundi Templi eversione ipse tenebris obvolvar; sed ubi Messias advenerit, suo me Deus lumine perfundet.* Postrema hæc verba, quæ in utroque per Gaulminum edito Libro habentur, post Christi adventum & Templum secundum à Romanis eversum, hoc Opus contextum fuisse ostendunt.

Aliquandiu post Moyses, cùm supremam authoritatem, & populi regimen in Josue contulisset, Dominum allocutus, illuc usque ab eo se vitam flagitasse, tum verò se prorsus ejus voluntati committere protestatus est. Tum S. Gabriel, & S. Michael, licèt à Domino jussi, Moysi necem inferre detrectarunt, ne sexcenta hominum millia in se concitarent; S. Zinghiel etiam se Moysis præceptorem ostentans, Domino, qui sibi Moysis necem commiserat, Discipulum suum interimere se non posse respondit.

Dominus postremò Samaeli Dæmonum Principi, ut Moysem interficeret, imperavit; qui statim stricto gladio lætus in eum irrupit. Cùm verò Moyses instar Angeli lucem emitteret, & ab oculis & vultu flammas effunderet, ejusque verba veluti solis radii nitescerent, Samael territus à cæde abstinuit, & Angeli omnes eam rem viribus suis omninò majorem asseruerunt. Verùm Deus in Samaelem iratus, minis increpatum ad Moysem interimendum iterum misit; cui rursùs stricto gladio in se irruenti, Moyses ipse virga assumpta, qua Dei nomine inscripta tot miracula perpetraverat, Dæmoni occurrit, eumque in fugam adactum urgens, denique assecutus, gloriæ suæ lumine obcæcavit.

Moyses tandem cum ad vitæ exitum jam pervenisset, humi prostratus, Deum ne Angelo mortis se interimendum committeret, exoravit; cui Deus indulgens, se statim adventurum, eumque sepulchro traditurum respondit. Nec mora, Angelis Michaele, Gabriele, & Zinghiele secum assumptis, ad Moysem descendit. Gabriel sepulturæ instruendæ incubuit, Michael purpuram Moysi morienti supponendam instravit, Zinghiel Moysis vestes partim ad pedes, partim ad caput, hinc Michaele, Gabriele inde constitutis, composuit. Secundus *Tetbirath*, seu Moysis Assumptio, pulvinar Moysi egredienti supponendum à Zinghiele compositum refert, & Gabrielem ad dexteram, ad sinistram Michaelem, Zinghielem denique ad pedes collocat.

Moyse igitur decumbente, & Domini jussu clausis oculis, & utraque manu supra pectus compositis, Deus ejus animam alloquens filiam vocavit; eique, ut postquam centum & viginti annis corpus illud animaverat, inde statim egrederetur, præcepit; illi vero roganti, ut, quoniam Moyse puriorem invenire non posse putaret (1), diuturniorem in eo moram sibi indulgeret, iterum mandavit, ne egredi cunctaretur, quod in suæ gloriæ Throno propè Angelos, Seraphin, & Cherubin esset illico constituenda; quæ nihilominus respondit. Optimè hic ego maneo; Angeli, Aza, & Axiel, ubi in terras devenere, innocentiam suam infecerunt (2); Moyses verò, postquam ei te in Rubo exhibuisti, ne suam quidem uxorem tetigit: quare ne hinc egredi cogar, iterum flagito. Deus verò Moysem amplexus, per osculum ejus animam libavit, juxta illud Deuter. 34. 5.: *Mortuus est Moyses servus Domini in osculo Domini.*

Tum Dominus Moysis funus lugens, Quis, inquit, ei succedet? Flebant Angeli: Ubi invenietur Sapientia? Justus, clamabant Cæli, de terra discessit; tellus verò ab hominibus æquitatem evasisse querebatur. Cælum, Sol, Luna, Planetæ & S. Spiritus nunquam in Israel Prophetam Moysi similem adventurum ingemuere. Frustra è vivis ereptum Josue quæsivit. Metraton Angelus Deo dixit: Tuus fuit Moyses, cùm viveret; tuus post mortem erit.

Hæc summa eorum, quæ afferuntur in duobus Libris per Gaulminum vulgatis, quorum uterque Moysis mortem, quamvis diversimodè, recenset; S. Michaelis verò cum Dæmone de Moysis corpore altercationis neuter meminit. Quamobrem Librum *de Moysis Assumptione*, quem Patrum Græcorum Veteres agnovere, à duobus *Tetbirath* alium esse, & eundem nunc omnino deperditum judicamus.

Ejus altercationis aliquid tangit Origenes l. 3. ex Anabasi Mosis, ubi ait S. Michaelem Dæmoni exprobrasse, quod Adam & Eva per ipsum cecidissent, prava nempè suasione, qua eos per Serpentem decepit. Factum, quod eodem in Opere refertur, S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 6. memorans, Josue, inquit, & Caleb in montem, ubi Moysi è vivis emigrandum erat, profecti Moysem viderunt. Josue verò præ Caleb duos Moyses aspexit, alterum in monte, alterum medium inter Angelos; quorum alteri in vallem translato justa persoluta, & luctus institutus. Caleb, quod è monte ante Josue descendisset, hæc non conspexit; verùm Josue, quòd purior, & majori donatus lumine esset, omnia intuitus, singola Israelitis narravit.

Evodius etiam ad S. Augustinum scribens Ep. 259. inter Augustinianas, hunc ejusdem Operis locum producit, Moysemque, ubi in montem moriturus ascenderat, in duo corpora discretum refert: *Ut aliud esset, quod terræ mandaretur, aliud, quod Angelo comitanti sociaretur.* Quod quidem cum quorumdam Veterum idea cohæret, qui præter rude & terrestre corpus, quo instruimur, & quibusdam peractis annis per mortem solvitur, animam nostram alteri subtiliori, & aereo, à quo vel post obitum non sequestratur, adhærere arbitrantur:

Loca denique ex eodem *de Moysis Assumptione* Volumine hausta hæc producuntur (3). S. Michael cum Dæmone disceptans: *Nos*, inquit, *à Spiritu Dei creati sumus*; atque: *Spiritus à facie Dei egressus est, & nos omnes creati sumus.* Alibi etiam (4) Moyses morti proximus ita Josue compellasse fertur: *Deus antequam orbem conderet, me sui fœderis mediatorem futurum prævidit.* In *Tetbirath* Codicibus per Hebræos contextis, qui & nunc obtinent, de his ne verbum quidem. Liber igitur de Moysis Assumptione alius omnino est ab his Codicibus; quem si verè S. Judas hic allegavit, ut Origenes, Didymus, & Pa-

(1) Locus iste Metempsycosis sententiam infuit. (2) Falso Henoch Libro hic alluditur, ubi Angeli ad filias hominum ingressi dicuntur. (3) Ex Actis Synod. 1. Nicæn. l. 2. c. 2. & 10. (4) Ibid. l. 2. c. 18.

& Patrum & Interpretum plerique senserunt, necesse utique, ut ante Christi adventum conscriptus fuerit; ubi è contra ii, quos nunc Hebræi Hebraicè exaratos servant, post secundi Templi eversionem, ut ante tetigimus, conscripti fuere.

Verùm S. Michael & Dæmon qua de re disceptarunt? S. Judas de Moysis corpore eos decertasse asserit; sed quare decertaverint, non dicit. Oecumenius sanè à Veterum traditione doctus, illud in causa fuisse prodit, quòd cum S. Michael illustriori sepulchro Moysi instituendo incumberet, ei Dæmon validè obstitit, quod corpus Moysis, utpotè qui Ægyptium, de quo Exodi 2. 11., interfecerat, ad se spectare, & sepulchri bonore prorsùs indignum esse dictitaret (1). Quamobrem S. Michael ut Dæmonem retunderet, Domini imperium indixit: *Imperet tibi Dominus*. S. Epiphanius etiam hæres. 9. & 84. contr. Origen. & Philo de vita Mosis ad finem. Moysem Angelorum opera sepulturæ mandatum tradunt, ne, ut veteres Patres (2) censent, Hebræi ad idololatriam proclives, Legislatoria virtute capti, si ejus sepulchrum nossent, Divinos eidem cultus fortè exhiberent.

Quod quidem Hebræis jure merito cautum fuit; etenim quidam Arabiæ Petreæ populi, Idumæi nempè, & alii, quos Moyses nequaquam sibi devinxerat, ei nihilominus, teste Epiphanio hæres. 55. quæ est Melchisedech., Divinos honores impenderunt. Hunc facilè cornibus instructum exprimebant; quo factum esse suspicamur, ut Arabes sub ea imagine Bacchum coluisse crederentur. Reverà plura Moysis gesta Baccho adscripta constat.

Fuere, qui putarint Dæmonem vel per Magos Moysis corpus jam tumulo conditum suscitari, vel Hebræis saltem patefieri contendisse, ut deinde populis Deum esse suaderet (3). Alii non de Moysis sepultura, sed ne ejus anima in deliciarum & pacis locum inferretur, Dæmonem decertasse docuerunt (4). Conjectura Serarius ducit, Dæmonem corporis Moysis virtutem veritum, S. Michaeli obstitisse, ne in Moab regione Idolorum cultui addicta tumularetur; sicuti diu post in Daphnes propè Antiochiam luco, ubi Apollo potissimùm colebatur, S. Martyris Babylæ corpus sepulchro traditum fuisse conquestus est.

Patrum, & Interpretum nonnulli in Deuter c. 34. 5. Moysem minimè obiisse, sed Henoch instar & Eliæ in Cœlum vel in terrestrem Paradisum translatum, sibi persuasisse videntur. S. Clemens Alexandrinus Moysem, postquam in Cœlum sublatus est, Melchi appellatum refert L. 1. strom. S. Hilarius in Matth. c. 20. n. 10. S. Ambrosius l. 1. c. 2. de Cain & Abel, S. Hieronymus in cap. 8. Amos, S. Isidorus Hispalensis, Rupertus Abbas, & alii, quemadmodum cæteros homines, Moysem occubuisse non putant; quam quidem opinionem ab aliquo Apocrypho, qui periit, Libro fortè exhauserant, ut his verbis S. Hilarius insinuat: *Si quis conditionem & mortis, & sepulturæ, & sepulchri Moysis diligenter adverterit, & secretam Scripturam, secundum Apostoli authoritatem, intelligat omnia ita esse tractata, ut Moyses poenerit jam videri.*

Ex eo Moysem non obiisse quidam defendunt, quod in Transfiguratione Domini & ipse apparuerit; non verò ab eorum Patrum plerisque illud tantummodo innui voluisse ibidem ostendimus (5), quòd Hebræorum Legislator non, quemadmodum homines cæteri, interierit; sed ejus animam in quietis & deliciarum locum sublatam fuisse. Iis verò, qui Moysem non occubuisse, sed translatum seriò putant, perspicuam objicimus Scripturæ authoritatem, qua Moyses mortuus, & sepulchro traditus apertè denunciatur.

Quis verò Moysem sepulchro mandaverit, incertum, cum à Scriptura non proferatur: *Mortuus est Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino, & sepelivit eum in valle Terræ Moab*. Deuter. 34. 5. Nonnulli ea verba, *Et sepelivit eum*, ad Dominum proximè ante enunciatum referentes, Moysem ab eodemmet Deo, vel potiùs juxta Hebræorum & Christianorum traditionem ab Angelis sepultum statuunt. Ferunt alii, eadem verba: *Et sepelivit eum*, de eodem Moyse, qui semetipsum sepeliverit, explicantes esse ita vertenda: *Et ipse semetipsum sepelivit*; se nempe Moyses in specu, ubi statim decessit, composuit, ibique omnibus incognitus hucusque delituit. In monte Nebo, & Phasga Moysem occubuisse, & in vallem inde delatum, ab Josue & Eleazaro sepulturæ fuisse traditum, Sacer Textus videtur innuere. Quid enim ad miracula tum confugiamus, cùm neque postulet necessitas, neque Scriptura meminerit? Josue & Eleazarus ea erant prudentia, ut optimè periculum nossent, in quod Israelitę incurrissent, ne propter Moysem in Idololatriam adducerentur, de quo fortè etiam discrimine ipse Moyses utrumque pręmonuit; idque sanè malum prorsùs avertere eorum maximè intererat. Moysis itaque morti eos interfuisse, & postrema à S. Legislatore verba excepisse, simillimum vero ducimus; qui deinde ejus cadaver à montis cacumine in vallem delatum in abdito specu condiderunt, eumdemque specum cautè occlusum nemini unquam prodidere: quare *non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem* Deuter. 34. 6.

Librorum *Petirath*, quos jam allegavimus, Hebræi Authores, Deum per semetipsum Moysi sepulturam præstitisse, sepulchrum verò Gabrielem composuisse testantur. Moyses, addunt, decubuit, animam egit, eodemque statu corporis, eodemque, ubi osculum à Deo accepit, loco conditus delituit. SS. verò Angeli Michael, Gabriel, & Zinghiel, qui eidem morienti adfuere, & lectum, & sepulchrum præstiterunt.

Sunt, qui Moysis sepulchrum ab Jeremia tum inventum velint, cùm S. Propheta, paulo antequam Jerusalem à Nabuchodonosore caperetur, Tabernaculum, Arcam, & Altare thymiamatis in monte Nebo occuluit. *Tabernaculum, & Arcam jussit Propheta comitari secum, usquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem. Et veniens ibi Jeremias, invenit locum speluncæ, & Tabernaculum, & Arcam, & Altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit* 2. *Macch* 2. 4. 5. . Ea tamen verba: *Invenit locum speluncæ*, verti etiam possunt: *Invenit locum cujusdam speluncæ*, & omnia, quæ detulerat, illuc intulit. Antra quidem in montibus sæpissimè occurrunt. Idumæa, Palæstina, & Regio Moab montuosæ sunt & cavernosæ ad incolarum perfugium, ubi hostes arva invadunt. Res autem tunc poscebat, ut ex his specubus aliquis inveniretur commodior, atque occultior, eique ita ostium obstruerent, ut non per arduum laborem recludi contingeret. Ex his quosdam ita occlusos se vidisse Itinerantes testantur, ut qua via illuc aditus pateat, quave arte effodi possint, via percipiatur.

Prodigium à Cedreno Histor. l. 1. accipimus. Lucida, inquit, nubes Moysis sepulchrum ita contegit, ut veluti interjecto pariete intuentium oculos ulteriùs progredi non sinat; quamobrem illud hactenus nemo hominum novit. Inventum nihilominus putant anno 1655. Rem verò Georgius Hornius ita narrat (6): Cum Pastores quidam

Maro-

[1] Oecum. in Jud. Ep. Ita & Glycas part. 2. Annal. & Pantaleon Carthophylax &c.
[2] Chrysost. hom. 5. in Matth. Theodoret. qu. 45. in Deuter. Procop. in Deuter. Adde Joseph. Antiq. l. 4. c. ult.
(3) Ambrosiast. in Gal. 3. (4) Martyrius Syntag. de statu morientium & Etherianus de regressu animarum c. 9.
[5] Vid. Comment. in Deuteron. 34. 10. [6] Vid. Horn. histor. Eccles. Basnag histor. Joseph. continuat.

Maronitæ Octobris mense anni 1655. in montibus Nebo, & Abarim capellas pascentes, earum aliquas identidem duorum vel trium dierum itinere a grege secedere, regressas verò mirificè redolere advertérunt. Rem itaque percepturi, errantes prosequuti, ad altissima prærupta loca devenere; in quorum imo contracta quidem, sed gratissima vallis, ad quam nonnullæ perarduas rupes, quas à proximis montibus terræmotus fortè præciderant, aditus patebat. Illuc profecti, antrum, & in medio antro loculum in viva rupe excisum, panciíque, quos percipere non potuere, characteribus inscriptum invenerunt. Antrum undique suavissimè redolebat, regressique Pastores odorem illum vestibus suis ita contraxerunt, ut hæ mirificè redolerent.

Ad Mataxat Maronitarum Patriarcham in monte Libani in Monasterio Canobem Kadischa Mariæ degentem re delata, duo probati Sacerdotes, Aben Ulcph præterea sapientia & scientia spectatissimus, missi eò fuere; qui antrum ingressi, sepulchri inscriptionem ita legerunt: *Moyses Defunctus*. Eventu hilaris Patriarcha ad Damasci Præsidem profectus, sibi sepulchri custodiam permitti, rogavit. Græci verò, Armeni, Judæi, & Franciscani, tanti sibi quisque obtinendi corporis spe ducti, & precibus, & pecuniis etiam plurimis, ut sibi sepulchri cura committeretur, enixè elaborarunt; Judæi præ cæteris, quòd Moyses eorum esset Legislator, sibi conati sunt adjudicari. Turcarum Princeps, quòd Jesu Christi Jerosolymis, Mahometi Meccæ, & Moysis sepulchro in monte Nebo potiretur, quammaximè efferebatur.

Jesuitæ, Hornius subdit, omnium spem eversuri, illud à Turcis impetrarunt, ut sepulchro, & viis omnibus eò ferentibus occlusis, ne quis se illuc conferret, capitis pœna interdiceretur. Quamobrem Damasci Præfectus Morat Sanjaco Jerusalem, & Saeptæ imperavit, ut antrum, & ad illud aditum omnem intercluderet, Jesuitarum verò metus erat, ne corpus Moysis subreptum in Europam ipsi transveherent. Quibusdam itaque montis Libani Drusis assumptis ad antrum clam profecti, recluso sepulchro nihil invenere. Cum nihilominus ipsius sepulchri quidquam asportare conarentur, Jerusalem Sanjacus re cognita, milites misit, qui illorum inceptos à cœpto opere prohibuerunt; saxisque ingentibus eò devolutis, viam omnibus omnino imperviam reddidere. Quæ quidem maximam Byzantio turbationem crearunt: verùm inter Sapientes, quid de eo sepulchro cogitandum, non conveniebat; donec Judæus quidam filius Gad Sareptæ incola, Jechonias nomine, Librum edidit, quo inventum loculum non Moysis Hebræorum Legislatoris, sed alterius longè junioris Moysis sepulchrum esse ostendit. Tum de invento Moysis sepulchro spes omnis evanuit.

Hæc Hornius, quæ plurimis sanè difficultatibus obvolvuntur. 1. Jechoniam filium Gad Sareptæ incolam, qui inventum Sepulchrum Moysis non esse scripsit, nunquam exstitisse putamus (1). 2. Maronitarum Patriarcha anni 1655. non Mataxat, sed Joannes vocabatur; cui anno 1657. Georgius Besbobel successit. 3. Damasci Præfectus, qui eam Provinciam gerebat, Beschis non Morat appellabatur; qui deinde summus Visirius constitutus, Damasci regimine in filium suum Maimed collato, quadraginta post novam dignitatem diebus præfocatus interiit. 4. Arduum nimis & incredibile, quòd Pastores Libani usque ad montem Nebo, leucis septuaginta dissitum ad pascua greges suos agerent. Neque illud similius vero, quòd capellæ trium dierum itinere à grege secederent, & ad Pastores suos deinde reverterentur. Cæteræ demum hujus historiæ circumstantiæ fabellam undique præferunt; quare & hanc inter ea numeramus, quæ ab Judæis in Moysis Petirath recensentur.

Illud verò de Moyse certò scimus, quòd non morbo, aut senio confectus sit; in mortis enim articulo nec oculi ejus caligaverant, nec moti fuerant dentes (2), sed Domino jubente interierit; & quòd ad calcem montis Nebo, seu Phasga sepulturæ traditus fuerit; quamvis an Eleazar & Josue eumdem tumulaverint, an verò Deo mandante per se ipsum Moyses in loco, ubi decessit, sese composuerit, ignoramus. Scimus præterea, S. Michaelem cum Dæmone de Moysis corpore disceptasse; quo in discrimine S. Michael gravioribus verbis Dæmonem minimè excepit, enunciasse contentus: *Imperet tibi Dominus*. Hujus verò disceptationis circumstantiæ latent; quæ quidem sensibili modo instituta non fuit. S. Michael, Deo sic imperante, mediis hominum ignotis, & suæ Dæmonisque naturæ accommodatis, eumdem prohibuit, ne Moysis sepulchrum Judæis proderet, eosque ad idololatriam facilè impelleret.

Locum denique, quem S. Judas producit, ab apocrypho Libro, *de Moysis Assumptione* inscripto, longè alio ab utriusque, quos Gaulminus Parisiis 1629. edidit, & *Pethirath Mose* appellavit, S. Apostolus, juxtà Patres, exhausit. Ipsum verò Librum *de Moysis Assumptione*, à nobis omnino deperditum, ante Christi adventum, eodem fabularum gustu, quo uterque *Petirath* post Templum à Romanis eversum, Græcè conscriptum arbitramur.

---

(1) Bartolocc. tom. 3. p. 930. Basnag. Continuat. Histor. Judæor. tom. 4. l. 6. cap. 7. edit. Paris.
(2) Deuter. 34. 7.

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN
CANONICAM
SANCTI JACOBI
EPISTOLAM

CAPUT PRIMUM.

Gaudium inter adversa. A Deo Sapientia petenda. Deus omnium bonorum auctor. Parce loquendum, & libenter audiendum. Nota veritas exercenda. Vera Religio in bonis operibus posita.

1. JAcobus Dei, & Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus,
quæ sunt in dispersione, salutem. 2 Omne gaudium existimate, fratres
mei, cum in tentationes varias incideritis: 3 Scientes, quod probatio fi-
dei vestræ patientiam operatur, 4 Patientia autem opus perfectum habet: ut
sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes. 5 Si quis autem vestrum indiget
sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: &
dabitur ei. 6 Postulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis
est fluctui maris, qui a vento movetur, & circumfertur. 7 Non ergo æstimet
homo ille, quod accipiat aliquid a Domino. 8 Vir duplex animo, inconstans
est in omnibus viis suis. 9 Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua.
10 Dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit. 11 Exor-
tus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor
vultus ejus deperiit: ita & dives in itineribus suis marcescet. 12 Beatus vir,
qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ,
quam repromisit Deus diligentibus se. 13 Nemo cum tentatur, dicat, quoniam
a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.
14 Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus. 15
Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum
consummatum fuerit, generat mortem. 16 Nolite itaque errare, fratres mei di-
lectissimi. 17 Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est,
descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis
obumbratio. 18 Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium
aliquod creaturæ ejus. 19 Scitis, fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis ho-
mo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. 20
Ira enim viri justitiam Dei non operatur. 21 Propter quod abjicientes omnem
immunditiam, & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum,
quod potest salvare animas vestras. 22 Estote autem factores verbi: & non audi-
tores tantum, fallentes vosmetipsos. 23 Quia si quis auditor est verbi, & non
factor; hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: 24
Consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit. 25 Qui

autem

autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. 26 Si quis autem putat, se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. 27 Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est: Visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

℣. 1. JACOBUS DEI SERVUS, DUODECIM TRIBUBUS [1].] S. Jacobus Episcopus Jerosolymitanus, & Apostolus scribit Epistolam suam ad Fideles, e Judæa Religione conversos, qui in omnibus terrarum plagis erant dispersi. Judæi post Assyriam, atque Babylonicam captivitatem in omnes Orientis æque ac Occidentis Provincias, Insulasque secesserant. Eorum plerique, qui trans Euphratem fuerant traducti, inde non redierant, licet illinc Jerosolymam, atque in Judæam ex omnibus duodecim Tribubus, ut alibi demonstratum est, rediissent [2]. Sed qui in Asia, Ægypto, Syria permanserunt, longe majori in numero fuerunt, quam qui inde postliminio reversi sunt. Apostoli, primique JESU CHRISTI Discipuli statim post Pentecosten, atque Spiritus Sancti descensum varios in locos discesserunt, variasque Provincias lustrarunt, ubique Evangelium prædicantes, præsertim vero Judæis, quod non exigua pars in Christianorum sacra transierant Legis cæremonias Christianæ Religionis commiscentes officia.

Ad hos igitur e duodecim Tribubus Israelitas, Epistolam hanc S. Jacobus scribit; non autem, quemadmodum Interpretes nonnulli contendunt [3], ad eos tantum Israelitas, qui post S. Stephani mortem fuerant dispersi [4], neque signanter ad eos, qui ex veteri sua captivitate nunquam redierant. Generatim omnes Judæos ad JESUM CHRISTUM conversos alloquitur, qui extra Judæam erant, quacumque in regione essent, & quacumque de causa eo concessissent [5]. S. Pauli Epistolæ, ut plurimum, Ethnicis conversis datæ fuerunt, quoniam ille Gentilium Apostolus præcipue fuerat declaratus: hæc vero scripta est ad Judæos, qui CHRISTI fidem susceperunt, non secus ac illa, quam modo explicuimus S. Pauli ad Hebræos, & illa S. Petri, quam infra ad examen vocabimus.

℣. 2. OMNE GAUDIUM EXISTIMATE.] Judæi generatim loquendo summum sibi apud cæteros odium, atque contemptum ubique conflaverant, quod eorum vivendi ratio longe a communi usu discreparet, atque ab aliorum societate abhorreret. Qui Christianæ Religioni nomen dederant, & qui hujus simul, & Judaicæ ritus conjungere adnitebantur, fratrum suorum, qui in incredulitate permanserant, odium in se converterant; apud Ethnicos vero in dies majori flagrabant invidia, quod & societatis osores, & Deorum hostes habebantur. S. Jacobus igitur eos ad patientiam hortatur, eisque suadet, ut in ærumnis suis omnis lætitiæ cumulum collocent. *Omne gaudium*, videlicet lætitiam cumulatissimam, perfectam [6]; vel lætitiam, quæ omnia Mundi gaudia excedat: omnimodam lætitiam; cum variis adversitatibus obnoxii eritis, cum fidei vestræ periculum fieri cœperit: *Cum in tentationes varias incideritis*.

Vitæ hujus adversa a Deo proficiscuntur, virtutis nostræ periculum faciente. Vult, vel nobis nostram infirmitatem ostendere, vel virtutem nostram confirmare, vel mundo nostræ fortitudinis exempla prabere. Primi illi, qui JESU CHRISTI fidem amplexi sunt, experti sunt, quidquid in illos & dæmonis ira, & hominum nequitia valuit comminisci. Fratres, consanguinei, affines, amici, alieni, omnes illis bellum indixerunt. Hoc ipsis prædixerat JESUS CHRISTUS Matth. 10. 17. eis præclarum tribuerat maximæ patientiæ exemplum inter gravissimas atque iniquissimas persecutiones; dixeratque illis Matth. 5. 12. hoc nihil optatius contingere posse, quoniam æternam ipsis gloriam promerebantur. Hæc sunt veri Christiani insignia, patientia videlicet: *Gloriamur in tribulationibus*, S. Paulus ajebat Rom. 5. 3. & 2. Cor. 12. 10. *mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini Nostri Jesu Christi*. Sancti *non modo patienter, sed & libenter, verum & ardenter* patiuntur, inquit S. Bernardus serm. de tripl. gener. bon.

℣. 3. SCIENTES, QUOD PROBATIO FIDEI VESTRÆ PATIENTIAM OPERATUR.] Periculum, quod in hoc mundo per tribulationes fidei nostræ fieri permittit Deus, patientiam nostram perficit, magis firmam, atque constantem reddit [7], eique tandem eas promeretur coronas, quæ illis tantum promittuntur, qui in finem usque perseveraverint [8]. Virtus nonnisi repetitis actibus perficitur. Hujus vitæ mala præbent occasionem patientiæ crebro exercendæ; efficiunt quodammodo, ut callum obducamus ad laborem ferendum, nosque in adversis fortiores exhibent: non autem per se; non enim afflictio, neque in malis induratio, neque Stoicorum stupiditas patientiam efficiunt, sed per Spiritus Sancti gratiam, quæ facit, ut non gravate, vel etiam hilariter, prout illa in nobis magis, minusve abundat, quæcumque mala feramus. Christiana patientia neque Philosophi virtus est, neque bellica fortitudo, sed humilis divinæ voluntati submissio, permittenti, ut ærumnis angamur, atque gratiam elargienti, qua freti nulla nos mala deterreant.

S. Paulus ad Romanos 5. 4. nonnihil videtur afferre, quod huic S. Jacobi loco adversatur. Docet Apostolus, quod *patientia probationem* operatur; cum S. Jacobus inquit, *probatio operatur patientiam*. Sed non ægre utrumque conciliaveris, dicens, *patientiam*, hoc est, afflictionum tolerantiam *operari probationem*, nosque probatos, & Deo jucundos efficere. *Probationem* vero, hoc est mala, ac tribulationes, quibus virtutis nostræ periculum facit Deus, *operari patientiam*, & nos magis humiles, obedientes, patientesque præbere. Multa adversa patiendo patientiæ habitum comparamus.

℣. 4. PATIENTIA AUTEM OPUS PERFECTUM HABET.] Græcus [9]: *Patientia perfecta sit in operibus suis*; vel, *opus patientia perfectum sit*. Ne patiendo defatigeris; ad finem usque persevera. Ne sinas opus tuum dimidiatum; illud perfice, ad mortem usque, ut olim JESUS CHRISTUS cruci adhæsit, ut moriens cum illo dicere valeas: *Consummatum est*. Joan. 19. 30. Mihi impositum opus numeris omnibus absolvi. Joan. 17. 4.

Aliter, *Patientia vestra perfecta sit*, nihil illi desit; non tantum patientes, verum hilariter etiam ferte. Non parva solum, sed & majores etiam ærumnas, neque ad tempus, sed ad finem usque tolerate. Patientia vestra libera sit, constans, læta, perseverans, charitate succensa, spe suffulta, ex interiori Spiritus Sancti gratia recte factis formam, meritumque conferente, profecta. Tertullianus de Patient. c. 11. 12. prolixum.

1 *Τοῖς ἐν τῇ διασπορᾷ*. Confer. 1. Petri 1. *Initio*. Syr. *Dispersis inter Gentes*.
2 Dissert. de reditu decem Tribuum in regionem suam, Ezechieli præfixa.
3 Beda Gagnæ. Ribera in Osee. Est. alii plures.
4 Act. 8. 1. *Omnes dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ*.
5 Vat. Grot. Men.
6 Confer 1. Timoth. 1. 15. Eccle. 12. 13. Vide Grot. Est. Men. alios.
7 Est. Grot.
8 Matth. 10. 22.
9 *Ἡ δὲ ὑπομονὴ ἔργον τέλειον ἐχέτω*. Plures Codd. Latini emendati, *opus perfectum habeat*; antiq. Italica a Martianæo edita. *Sufferentia autem opus consummatum habeat*.

ixam adfert inductionem, ut probet, nullam esse sine patientia virtutem. Nulla esset fides, nulla spes, nulla charitas, si patientia deesset. *Fides, quam Christi patientia induxit; spes, quam hominis patientia expectat; dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur.*

UT SITIS PERFECTI, ET INTEGRI IN NULLO DEFICIENTES.] Patientiæ vestræ victima omnes hostiæ perfectæ qualitates obtineat; sana sit, integra, sine macula, & veluti holocaustum suavissimi odoris, in ara ad novissimam usque partem ardeat, quin ne minimum quid valeat superesse. Ita vos quoque perfecti eritis in oculis Dei, quin aliquid vobis desit in spiritualibus gratiæ donis: *Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia*, quemadmodum inquit S. Paulus 1. Cor. 1. 7. vel ne desit aliquid meritis atque remunerationibus vestris; vel ne desit aliquid patientiæ vestræ; sed in finem usque perseveret, & nulla unquam calamitate vincatur. *Ita ut nihil vobis desit*. Græcus verti potest [1]: *Ne decidatis*: ne deficiatis, antequam curriculum vestrum absolvatis.

℣. 5. SI QUIS AUTEM VESTRUM INDIGET SAPIENTIA.] Hebræi Sapientiæ nomine, ut plurimum, omnes morales virtutes complectuntur, & eas præsertim, quæ in vitæ civilis officiis consistunt, & sæpe illas etiam, quæ pietatis & Religionis exercitationem respiciunt. Aliquando vero intelligunt cognitionem veritatum cum theoreticarum, tum practicarum, cum naturalium, tum supernaturalium. Tandem nonnunquam hoc nomine prudentiam, calliditatem, industriam complectuntur. Hoc autem in loco S. Jacobus Sapientiam proprie dictam intelligit, quæ in eo posita est, ut divina, & moralia, quæ ad salutem, atque æternitatem referuntur, cognoscantur. Si inter persecutionum, ærumnarumque æstum, quibus estis agitati, lumen deest vobis, ut intelligatis, quid iis in circumstantiis, in quibus versemini, ex vobis reposcat Deus, ad eum confugite, certi, hunc vobis precibus vestris subscripturum. Si præceptum, quod modo vobis proposui, ut in afflictionibus vestris gaudeatis, vobis durum ac minime ferendum videtur, ad Deum preces vestras convertite, & ipse vobis conferet Sapientiam, quæ illius omnem veritatem, atque excellentiam aperiet.

QUI DAT OMNIBUS AFFLUENTER, & NON IMPROPERAT.] Græcus [a]: *Qui dat omnibus simpliciter*. In Hebræorum stylo simplicitas, cum de donis sermo est, liberalitatem, & affluentiam significat; hilariter elargiri, cum cordis effusione, & sine personarum acceptione. Ita apud S. Matthæum 6. 22. *oculus simplex* liberalitatem significat, ac opponitur *oculo nequam*, qui significat invidiam, atque avaritiem. Et apud S. Paulum Rom. 12. 8. *Qui tribuit in simplicitate*. Et 2. Cor. 8. 2. *Altissima paupertas abundavit in divitias simplicitatis eorum*. Paupertas eorum protulit summæ liberalitatis divitias. Et 2. Cor. 9. 11. *Ut abundetis in omnem simplicitatem*; ut affluentes eleemosynas elargiamini.

Si ergo sapientia indigetis, quia autem non indigeret? At potius dicamus. Quandoquidem omnes jugiter sapientiæ lumine, ac cœlestibus gratiis egetis, ut salutares veritates cognoscatis, ac utiliter virtutem exerceatis, præsertim vero in adversis patientiam, ad eum confugite, qui perennis est fons omnium bonorum, & ne vereamini futurum, ut vel vestræ illudat paupertati, vel quod assiduis precibus eum fatigetis, queratur: vel deinde vobis exprobret, quod semel tribuerit. Precibus nostris se coli putat; nihil a nobis expectat; sine spe, & citra quamlibet retributionis cogitationem exaudit. Si novissimo Judicii die vos improperabit; ideo vos redarguet, vel quod frigide illi preces effuderitis, vel gratias ipsius neglexeritis, vel munera ejus contempseritis. Homines parum tribuunt, & plura petunt. Deus omnia erogat, ac vestram dumtaxat felicitatem, atque sanctificationem exposcit. Non queritur, quod gratias minime retuleris; sed queritur, quod per donorum suorum usum vosmet beatos non effeceritis.

℣. 6. POSTULET AUTEM IN FIDE NIHIL HÆSITANS [3].] Nemo a Deo petit, qui in illum non credat [4], sed ille rogari potest, & potest in illum fides haberi, quin precum effectus obtineatur, quod satis firma fide, atque confidentia in illius misericordiam minime creditur. Viva fides, & charitate succensa, utiliter semper, atque efficaciter petit. Nisi Deus dare vellet, non ille quidem ad petendum toties nos invitaret. *Petite*, inquit Matth. 7. 7. *& accipietis; quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis*. Et Matt. 21. 24. *Dico vobis: omnia, quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*.

Quorsum ergo ii, qui fulgidiori præstant sanctitate, quique perfectiores feruntur, sæpe ea petunt, quæ minime consequuntur? Hoc non inde semper oritur, quod male petierint; sed quod vel minime prodest illis voti damnari, vel quod aliquid melius a Deo ipsis confertur. *Quando non dat, ideo non dat, ne obsit, quod dat*, S. Augustinus in Psal. 85. ait; vel denique dare differt, ut petentis patientiam, atque virtutem exerceat: *Non exaudit ad voluntatem, exaudit ad salutem* [5]. Nihil veræ orationi magis adversatur, quam diffidentia, ac dubitatio. Cum Moyses diffidentiam testatus fuit, ubi rupem Cades percussit, dicens Num. 20. 10. *Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* iratus Dominus illi aditum in terram promissam prohibuit: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*.

QUI ENIM HÆSITAT, SIMILIS EST FLUCTUI MARIS.] Mare ventis agitatum jugi motu turbatur; ita anima diffidens, atque hæsitans, semper fluctuans est, atque incerta. Quomodo vero hoc in statu preces suas Deo potest effundere, & ex eo illa, quorum indiget, petere? Quomodo attente esse potest, ac rite nuncupet vota? Hinc peccatorum suorum obtutus, suæque indignitatis consideratio illam deterrens; inde vero Divinæ bonitatis cognitio eam ad orandum impellit. Cum his agitata fluctibus æstuet, quomodonam fidenter orare potest? Omnem ergo mentis tumultum ejicite, ac omnem spem vestram in Dei misericordia collocate.

℣. 7. NON ERGO ÆSTIMET HOMO ILLE.] Animæ suæ dispositio insuperabilem divinæ clementiæ obicem statuit. Non fidem, non confidentiam, non spem habet in illum; quomodo autem tire orare posset, ac Deum colere, illi sua nuncupans vota, & preces effundens? Duo plerunque precum nostrarum prohibent effectum: superbia videlicet, ac diffidentia. Prior illa Dei misericordiam irritat; altera hanc eumdem lacessit. Humilitas vero, & confidentia duæ sunt orationis alæ. Vult Deus, ut egestatem nostram intelligamus, et non vult, ut potestatis, ac largitatis suæ obliviscamur.

℣. 8. VIR DUPLEX ANIMO,] qui animum in res varias distractum habet, in omni vivendi ratione inconstans est [6]. Hæc animæ distractio non solum est dissipatio, & defectus attentionis in precibus; sed præcipue est in omni vivendi genere inconstantia, & consilii incertitudo, qua nunc ad bonum raperis, nunc malum amplecteris; nunc frugi, nunc nequam es; nunc Deum sequeris, nunc Mundum diligis; nunc ad severitatem usque imperterritus, nunc usque ad ignaviam mollis. *Assidua mutatio propositi, & nusquam residentis animi volubilitas, ac vita pendens*, quemadmodum a Seneca describitur. Nihil Christianæ Religioni, ac precum spiritui magis adversatur, quam hæc circumstantia, & hæc vitæ fluctuantis mobilitas: hæc enim

1 Ἐν μηδενὶ λειπόμενοι. 2 Ἁπλῶς καὶ μὴ ὀνειδίζοντος. Qui dat omnibus simpliciter, & non improperat. 3 Μηδὲν διακρινόμενος. Nihil discernens, nihil ambigens. Antiq. Ital. nihil dubitans. 4 August. serm. 36. de Verbis Domini, nunc 115. Si fides deficit, oratio perit .... fides est fons orationis. 5 Aug. ad Psal. 21. enarr. 2. n. 4.
6 Oecumen. Antiq. Ital. Homo duplici corde.

enim labantem fidem significat, ideoque inanem, ac minime parum iis assequendis, quæ a Deo invitati nos deposcit. Vide ℣. 7.

℣. 9. GLORIETUR AUTEM FRATER HUMILIS IN EXALTATIONE SUA.] Initio statim paradoxum proposuit, dicens, afflictiones maxima esse bona, quæ Christiano viro possint accidere: hic vero alterum adfert, videlicet humilitatem, quam quis Religionis ergo, ac fidei spiritu ductus amplectitur, solidissimam esse gloriam, ac maximam dignitatem, quam mortalis assequi valeat. Si vos negligit mundus, atque in tenebris, & caligine delitescitis, ne animos despondeatis: æterni præmii vos confirmet intuitus; & qualitas filiorum Dei, ac servorum JESU CHRISTI apud vos locum obtineat maximarum dignitatum, & præstantissimæ gloriæ, quam vobis Mundus posset unquam conferre.

℣. 10. DIVES AUTEM IN HUMILITATE SUA.] Qui ex fratribus vestris gloria fulget, ac rerum affluentia perfruitur, se vere pauperem ducat, ac veris bonis egenum [1]; non quod terrenæ divitiæ omnino simul esse non possint cum Religione Christiana, & cordis humilitate, atque paupertate spiritus, quæ in Christiano viro omnino requiruntur; sed propter ingens periculum, ne superbia intumescas [2], atque Mundi hujus bonis adhæreas, cui divites sunt indesinenter obnoxii.

Alii [3] ita explicant: glorientur quidem divites, si ita lubet, in opibus suis, ac suæ dignitatis fulgore. Habent illi profecto potius, quod erubescant, & confundantur, quam se se jactent, atque intumescant; eorum ulterio prorsus mundana, sua est humilitas; divitiis suis ad salutem tunc solum præclare uti possunt, ubi illas contempserint, easque pauperibus erogaverint. Universus hic splendor, quo sunt circumsepti, est tamquam flos fœni, qui intra diei unius intervallum evanuscit.

℣. 11. EXORTUS EST SOL CUM ARDORE.] Talis est divitum in opibus suis confidentium conditio: similes sunt flori nitenti, sed brevi momento flaccescenti: *Flores natura in diem gignit, magna hominum admiratione, quæ spectatissimo florent, celerrime marcescere* [4]. Sol ardens exoritur, & flores decoquit. Ita dives, qui hodie tanta circumseptus luce emicare videtur, brevi moriens contemptu, & oblivione obruetur. *Ita & dives in itineribus suis marcescet* [5]. Decidet veluti flos, cum magis prospera fortuna aura lætabitur; ille summa cum pompa incedit, omnia sub pedibus illius flectuntur, & contremiscunt, sed in medio cursu evertetur: *in itineribus suis*. Pernicissime ruet ad interitum; si ad supremum prosperitatis apicem ascendit; ideo ascendit, ut lapsu graviore ruat: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, & ecce non erat*, Psal. 36. 36.

℣. 12. BEATUS, QUI SUFFERT TENTATIONEM.] Qua Deus patientiæ ipsius periculum facit: hæc enim via est, per quam Deus vult ad æternam felicitatem adducere. *Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*. Coronam semper florentem, ac virentem longe dissimilem a floreis sertis, quæ marcescunt, ac pereunt; æterna, atque infinita gloria in cœlis coronabitur. In certaminibus, quæ in Græcia celebrabantur, athletæ virtutis, ac virium suarum specimen præbebant ob oculos omnium regionis illius populorum, qui ad ea spectacula confluebant. At nemo coronam merebatur, qui in arenam minime descendissent, atque juxta ludorum leges palmam retulisset. Hoc ipsum accidit in spirituali certamine, quod suscepimus: Deus illis tantum,

Tom. VIII.

A qui virtutis suæ præclarum dederint specimen, coronam impertiet. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*, 2. Timoth. 2. 5. Adversa, & afflictiones, quibus nos urgeri patitur Deus, ea sunt virtutis nostræ egregia monumenta, quibus coronam promeremur.

℣. 13. NEMO CUM TENTATUR, DICAT, QUONIAM A DEO TENTATUR.] Tentationis nomen duo significat [6], & ea mala, quibus nos objici permittit Deus, & quibus ipse etiam nos objicit aliquando, quemadmodum olim tentavit Abraham, ex eo petens, ut sibi filium in sacrificium offerret [7]; & significat etiam internas, vel externas tentationes, quibus salutis nostræ acerrimus hostis nos fallere conatur, atque in laqueos suos impellere, sive ad id illecebris, seu terroribus, vel promissionibus utatur. Posteriori hoc in B sensu Deus neminem tentare potest; Non quærit enim Deus nostrum excidium, neque in interitu nostro delectatur [8]: *Non enim delectaris in perditionibus nostris*. Deus nostri periculum facit, at Dæmon nos in fraudem inducere studet, ait Tertullianus: *Diabolus tentat, Deus probat*. Veteres quidam heretici, puta Simon, Apelles, Hermogenes, Valentinus, Marcion, Manes duo esse putant rerum principia, alterum bonum, malum alterum; hoc nos in malum rapit, illud nos ad bonum impellit. Hanc illorum sententiam obiter Sanctus Jacobus explodit. Deus numquam in malum nos inducere potest; alioquin non esset amplius Deus. Unus dumtaxat Deus est, & unum principium. Qui vero in malum nos trahit, Dæmon est, Dei, hominumque inimicus [9]. *Deus non est auctor earum, quorum est ultor*.

C DEUS AUTEM INTENTATOR MALORUM EST [10].] Nos quidem, uti dictum est, tentare potest, ubi ad bonum nos exhortetur, vel in virtute confirmet, vel illi inserviendi præbeat occasionem: ita Moyses Hebræis dicebat Deut. 13. 3. *tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non*. Haud ille quidem animi vestri studia ignorat, sed efficere vult, ut illa Mundus agnoscat, & a vobismetipsis cognoscantur: non potest ille tentare vos, atque insidias struere, ut in peccatum decidatis [11].

Alii Græcum alio intelligunt in sensu: Non potest Deus in malum tentari; neque peccatum novit, nec quid in illud impellere valeat: verbo; neque alios sollicitare, neque potest ab aliis sollicitari [12]. Aliter: *Deus non tentat impios*, sed bonos. Tentat Abraham, D probat David, periculum facit populi sui; at sinit impios in peccatorum suorum viæ abire: dæmonique permittit, ut illos tentet, atque seducat [13]. Alii eandem vertunt: *Intentator malorum*, quasi esset *dissuasor malorum*: sed duæ illæ explicationes, quas primum attulimus, præstant.

℣. 14. UNUSQUISQUE TENTATUR A CONCUPISCENTIA SUA [14].] Concupiscentia fomes est peccati, illud studium, quo in malum rapimur, incompositus ille voluptatis amor, ex gloriæ, existimationis, scientiæ libido, quam post originale peccatum singuli in nobismet experimur: Hæc vera est nostrarum tentationum origo. Nisi intra nosmet ipsos hostem hunc foveremus, neque illicitarum voluptatum illecebræ, neque obje-E ctorum, quibus sensus nostri percelluntur, lenocinia, neque dæmonis fraudes nobis essent pertimescendæ. Quidquid nobis objiceretur, ordini, justitiæ, veritati, rationi minime consentaneum, fastidio nos afficeret, atque non sine horrore, animique repugnantia ad illud cogitationem intendere possemus. Concupiscentia igitur proprie in malum nos rapit, & trahit: ipsa e-

Bbb enim

1 Grot. Est. Menoch. 2 August. serm. 5. de Verbis Domini. *Vermis divitiarum est superbia*.
3 Beda, D. Thom. Lyran. alii plerique. 4 Plin. lib. 21. cap. 1. Histor. Natural.
5 Antiqu. Ital. *Sic & locuples in actu suo marcescit*.
6 Vide Est. Menoch. August. lib. 2. de Consensu, cap. 30. *Alia significatione intelligitur tentatio seductionis alia probationis*. 7 Genes. 22. 1. *Tentavit Deus Abraham*.
8 Tob. 3. 22. & Sap. 1. 13. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum*.
9 Fulgent. lib. 1. ad Monim. 10 Antiq. Ital. *Deus autem malorum tentator non est*.
11 Tertull. de orat. cap. 8. *Absit, ut Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cujusque, aut dejicere sit confestinus. Diaboli est infirmitas, & malitia*.
12 Oecumen. Cajetan. Est. Menoch. Piscat. Vorst. Erasm. 13 Clem. Constitut. lib. 2. cap. 8. Salmeron. 14 Antiqu. Ital. *Unusquisque tentatur a sua concupiscentia, abducitur, & allidictur*.

enim prima est omnis corruptionis origo in nobis: & eadem abutuntur hostes, ut nos fallant, & sine illa, quævis lenocinia, quævis illecebræ nos ne minimum quidem afficerent. Nos illa trahit, quin tamen necessitatem injiciat: nos illa seducit, quod illi non consentimus: nos quidem sollicitat, verum non cogit.

℣. 15. CONCUPISCENTIA CUM CONCEPERIT, PARIT PECCATUM.] Hoc in loco distinguit Apostolus gradus eos, per quos homo decidit in peccatum, & mortem. Primum quidem concupiscentia nos in malum sollicitat: nos commoveri patimur, cedimus, peccatum jam conceptum est: illud committimus, jam partum est: cumque commissum est [1], *generat mortem*: animam nostram occidit, nobisque damnationem promeretur. Mors animæ, peccatum, & consensus peccato, cogitatione tantum distinguuntur: cum enim externam actionem committimus, anima jam mortis vulnere confossa fuit. Videtur tamen hoc in loco mortis nomine innuere velle S. Jacobus Dei damnationem, æternamque infelicitatem.

Hebræi passim utuntur similitudine voluptatis, conceptionis, partus [2], ubi varios peccati gradus distinguunt. Sensus, & motus concupiscentiæ non sunt peccata, licet fructus sint peccati. Si quando illa S. Paulus peccata vocavit [3], minime intellexit, nos per eadem coram Deo sontes fieri, nisi assensi fuerimus. Illa iis tantum obesse possunt, qui ipsis minime obstiterint; iis vero, qui certamen iisdam indixerint, præclaram victoriæ præbent occasionem [4].

℣. 16. NOLITE ERRARE. ℣. 17. OMNE DATUM OPTIMUM DESURSUM EST.] Hebræi complures nimium liberi arbitrii viribus deferebant: Pharisæi præsertim ex se met concupiscentiæ resistere posse credebant, atque legem exercere, quin precibus, & Dei gratia indigerent [5]. Adversus perniciosissimam hanc sententiam S. Jacobus fideles præmunit. Ne decipiamini; ne vobis vindicetis vestrorum bonorum operum merita, neque supernaturalem Dei virtutem; sine cujus ope stare minime poteritis. Credunt alii [6], Apostulum Simonis, aliorumque nonnullorum Hæreticorum, qui Deum tentationum auctorem ferebant, & nos ab illo in peccatum impelli, arbitrabantur, hæresim impugnare. Cavete, ne id cogiteris; hæc enim horribilis est coram Deo blasphemia. Dominus iniquitatem prohibet, damnat, punit; ille nobis bonam injicit voluntatem, ipse efficit, ut bona opera conemur. Gratiæ suæ illecebris nostram voluntatem prævertit; eam libare, & efficaciter in bonum impellit, eam in virtutis exercitatione regit, nobisque tribuit perseverantiam. Cum illo possumus omnia; sine illo nihil possumus, quod nobis vitam æternam promereatur.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum significare possunt lucidissimum lumen, perfectissimamque charitatem; vel donum patientiæ, & constantiæ in malis, vel denique omnia supernaturalia gratiæ munera, quibus in vitæ hujus, quibus premimur, malis possumus indigere. Deum vocat *Patrem luminum*; ipse enim illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum; ipse in nostris animabus salutis veritates imprimit, ipsa nobis earum amorem inspirat, & efficit,

A ut sua adjuvante gratia easdem exerceamus: *Per inspirationem flagrantissimæ, & luminosissimæ charitatis*, quemadmodum ait S. Augustinus [7].

APUD QUEM NON EST TRANSMUTATIO &c. [8]] Creata qualibet mutationi sunt obnoxia. Sydera fulgidissima Eclypsim subinde patiuntur; animæ sanctissimæ, atque perfectissimæ sæpius gravissime decidunt; & optimus quisque amicus nonnumquam, ubi gravis urgeat necessitas, nos derelinquit. Deus tamen nullam admittere potest immutationem, numquam deficere, vel infirmari potest; lumen est semper ardens, amicus semper fidelis, protector potens, & immortalis; & ut verbo omnia complectar, Pater luminum, sed luminum, quæ nullam umquam patiuntur eclypsim: *Accedite ad eum, & illuminamini*; vosmet intrinsecus cum

B hac immutabili claritate [9] conjungentes, vos ipsi quodammodo fietis immutabiles [10]. *Sancti, dum immutabili veritati studiosi semper inhærere desiderant, inhærendo agunt, ut immutabiles fiant.*

℣. 18. VOLUNTARIE ENIM GENUIT NOS.] Ut fideles ad Deum fidentius confugiant, S. Jacobus animadvertit, Deum Patrem luminum nos fidei genuisse per verbum veritatis, quod nobis prædicari voluit, & per quod nobis cor, ac mentem aperuit [11]. Hoc autem fecit *voluntarie* [12]; ex gratuita, & libera suæ voluntaria electione, atque ex infinito aliorum numero nos elegit, atque prædestinavit, ut vocaret ad vitam [13], *ut simus initium aliquod creaturæ ejus* [14]. Ex terræ, atque animantium fructibus, quidquid pulcherrimum, & exquisitissimum erat, eligebatur, ut velut primitiæ in

C Templum offerretur. Jusserat Deus, sibi omnia primogenita, omnesque primos arborum fructus offerri. Ita in Ecclesia sua collegit primitias eorum, quæ inter creata ipsi erant carissima. Quid ergo pro vobis non efficiet, quibus adeo aperta prædilectionis suæ jam tradidit argumenta [15]?

Hebræi, quibus S. Jacobus scribebat, affluentius præ aliis quibusdam gratiæ spiritum receperant; ipsi erant primitiæ fidelis Ecclesiæ, & primi ad salutem vocati. Salus de Sion erat egressa, & Verbum Domini de Jerusalem. Erant tamquam primogeniti, ac primi hæredes familiæ Jesu Christi. Hæ prærogativæ tacentem illos inspirare debebant confidentiam erga Patrem Misericordiarum, novumque zelum, ut huic famularentur.

D ℣. 19. SCITIS, FRATRES MEI, SIT AUTEM OMNIS HOMO VELOX AD AUDIENDUM.] Græcus [16]: *Ideo dilecti fratres mei*. S. Jacobus hac in Epistola minime appulit animum, ut rite connexum sermonem texeret; plures isthic proponit morales sententias, inter quas nulla videtur connexio. Hic docet fideles, quomodo loqui debeant; illis modestiam, atque sapientiam in sermonibus commendat: multa audire, pauca loqui, libenter discere, parca docere, veritatis exercitationem, non autem prædicationem præferre; non enim qui Legem norunt, nec qui illam prædicant, sed qui eamdem exercent, coram Deo justificentur [17]. Flumen exundans quamprimum sordescit, & fluit lutulentum. *Cito lutum colligit amnis exundans*, inquit S. Ambrosius [18], Sapiens alios loquentes audiens, quotidie

1 Vide August. homil. 42. inter 50. cap. 8. *Si consenseris, si amplexatus fueris, concipit, &c.* Vide & lib. 5 contra Julian. & alibi. 2 Job. 15. 35. Psalm. 7. 15. Isai. 59. 4.

3 Rom. 7. 20. 23. 25. 8. 2. 4 Concil. Tridens. sess. 5. *Manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit. Quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet: quinimo qui legitime certaverit, coronabitur.*

5 Vide Commentarium in Sanctum Lucam 18. 9. 12. & Grot. Tirin. Cornel. & Dissertationem nostram de Sectis Judæorum. 6 Est. Menoch. Tirin. Cornel. alii.

7 August. de Grat. Christi contra Pelag. & Celest. cap. 35. num 38.

8 Græc. Παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. Antiqu. Ital. *Apud quem non est permutatio, vel modicum obumbrationis*. 9 Psalm. 33. 6.

10 Gregor. lib. 12. Moral. cap. 17. 11 Act. 16. 14. *Cujus Dominus aperuit cor*.

12 Βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς. Antiqu. Ital. *Volens peperit nos*. 13 Act. 13. 48. *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. 14 Εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων. Antiqu. Ital. *Ut simus primitiæ conditionum ejus*. 15 Vide Bed. Est. Grot. Tirin. alios.

16 Ὥστε ἀδελφοί μου ἀγαπητοί, Vulg. legit: Ἴστε, *scitis*. Ita Alex. Barb. 2. Velez. Copht. Aug. Bed.

17 Rom. 2. 13. 18 Amb. l. 1. Officior. cap. 3.

dic sit sapientior, Proverbior. 15. 5.

Et tardus ad iram.] Statim in iras exardescere hominis vitium est admodum perniciosum. *Ira furor brevis est*, cui ubi semel temere tradideris, jam impos es tui, rationis usum amittis, neque integrum amplius tibi est, quid verum sit, quid justum cognoscere. *Maximum remedium est iræ, mora: desinet, si expectas*. Primi iræ motus nequaquam deliberati sunt; sed quantulumcumque rationis superfit, semper differri potest ejus rei complementum, quem ira suggerit, & tunc facili negotio lenitur, ac superatur. Ratio iterum imperium suum sequitur, illi suppetias fert Religio; & quod displicebat, jam minus displicet, vel omnino non displicet: *Melior est patiens viro forti*, ait Salomon Prov. 16. 32. *et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*. Et Eccle. 7. 10. *Non sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit*.

B ℣. 20. Ira enim viri justitiam Dei non operatur.] Ira hominis affectus est violentus, & ceci, qui profecto iis opponitur, quæ Deus a nobis exigit. Vult Deus, ut rationis nostræ usu illum agnoscamus, amemus, eique serviamus; ira vero nubes offundit menti, voluntatem perturbat, atque in omne facinus nos agit præcipites; quæ omnia displicent Deo. Hæc ergo est loquendi ratio, hujus affectus turpitudinem, atque deformitatem innuens [1]: *ira viri justitiam Dei non operatur*: hoc est, ira Dei Justitiam offendit.

Aliter [2]: hominis ira destinata non est, ut Divinæ Justitiæ sit ultrix. Gloriamur aliquando, nos zelo, atque amore justitiæ ductos operari, cum iræ motum motus sequamur; sed non elegit Deus iræ nostræ impetus, ut ultionem suam exerceret: ad id Judices, ac Principes instituit, gladium deferentes. Prior explicatio melior est.

℣. 21. Propter quod abjicientes omnem immunditiam.] Quoniam sapientiam cupitis, atque ad salutem pervenire exoptatis, a vobis amovete, quidquid prohibere potest, ne ad finem hunc perveniatis, & eas omnes dispositiones assumite, quæ ut illuc assequamini, perquiruntur. Emundate corda vestra ab omnibus sordibus impudicitiæ, avaritiæ, affectus erga hujus terræ bona, & voluptates incompositi; habete puerilem simplicitatem, perfectam mansuetudinem, modestiam, humilitatem, atque in vobis met ipsis recipite verbum salutis, quod salvas facere potest animas vestras.

Insitum verbum.] Verbum, quod vos ipsi accepistis, cui credidistis, quod sola sit vestra fiducia, atque felicitas. At si hoc verbum insitum est in illis, quomodo eos hortatur, ut illud recipiant? Quidam Græcum [3] ita vertunt; in mansuetudine recipite, *hoc verbum purum, et naturale* [4], non autem in vobis *insitum*. Innuere vult verbum Evangelii, quod jam receperant, sed optabat, ut illud jam in opera sua, atque exercitationem transmitterent. Plerique hoc ita explicant; innutriti estis in Legis, ac Prophetarum lectione, hæc planta est, ut ita dicam, in fundo vestro nata, & quæ ab adolescentia vestra radices jecit; hoc unum vobis reliquum est, ut in illa Evangelii verbum inseratis. Illud ergo recipite, si nondum illud recepistis: vel si recepistis illud, efficite, ut fructum afferat, in vobis radices jaciat, vobiscum inseratur, non secus ac germen unum fit arbor cum planta, cui insitum est. At non secus ac germen sylvestris arboris naturam immutat, atque recentem tribuit formam, ut bonus fructus afferat, ita vos fructus afferre decet, qui non veteris trunci, sed novi germinis succum sapiant, & qui non Legis, sed Evangelii spiritu foveantur.

A ℣. 22. Estote factores verbi, et non auditores tantum [5].] Non enim sufficit credere, sed vivas oportet, ut credes. Plurimi novissimo judicii die [6] dicent, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? nonne per auctoritatem tuam miracula operati sumus? At responsum ferent; recedite, nescio vos. S. Pauli Epistolæ tunc in Ecclesia ingentem rumorem excitaverant: ibi docere videbatur Apostolus, bona opera ad salutem necessaria non esse, & solam fidem sufficere. Complures perperam sententiam illius in pravum sensum detorquebant, ejusque doctrina abutebantur. Ex Judæis conversis, aliis quidem hæc sententia scandalum ingesserat; & S. Paulum tamquam Legis hostem considerabant; alii vero Legem tamquam inutilem habere incipiebant: Ut hoc auferat scandalum, ac veros Apostoli sensus fidelibus explicet, hoc in loco S. Jacobus ostendit, fidem sine bonis operibus inutilem esse, quod geminum est illi S. Pauli ad Romanos scribenti loco. *Non auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur*, Rom. 2. 13. atque alteri ibi, ubi docet, fidem charitate animari oportere [7], & sine charitate ardenti, atque activa cætera nihil prodesse [8].

℣. 23. Hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo.] Qui postquam ibi diligentius suam faciem adspexit, abit, quin cur auferet maculas, quas ibi deprehendit. Quid illi prodest, se ipsum in speculo respexisse, & ibi maculas suas notasse, si easdem abstergere negligit? Ita quid vobis prodest officia vestra cognoscere, atque certe vestra, tamquam in speculo, in verbo Dei, in C Lege, vel Evangelio intueri, nisi serio animum appellitis, ut ad frugem recertemini, atque vitam vestram ab omni peccati sorde emundetis? *Vultus nativitatis* significat naturalem oris habitum [9] eo in statu, in quo est; non autem illum, qui non sine arte conformatus est, velut eorum, qui in speculo se ipsos componunt, ne semet fallant, ac proprios defectus dissimulent.

Supponit Sanctus Jacobus, eos, quos alloquitur, semet in Verbi Dei speculo attentius perpendere, quin sibi assententur, & ibi sincere suas deformitates agnoscere. Dei Verbum speculum est fidele, dummodo nosmet ipsos minime fallamus. *Renuntiavit sibi speculum faciem suam*, S. inquit Augustinus in Psalm. 103. conc. D 2. *Sicut speculum non favit adulatorem, sic nec te palpet*. *Evangelium*, teste D. Bernardo serm. 1. de sept. pan. *Speculum veritatis nemini blanditur; nullum seducit; talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit*. Noster in his terris labor, cura nostra ea esse debet, ut in nobis veteris hominis deleamus imaginem, uti ibi hominis novi formam imprimamus: *Hæc nostri generis est dignitas, si in nobis quasi quodam speculo divinitatis forma resplendeat*, ait S. Leo serm. 2. de Quadrag.

℣. 24. Statim oblitus est, qualis fuerit.] Duo evitandi sunt defectus iis, qui se met in speculo considerant; alterum quod non cum sinceritate se ipsos intuentur, neque sua agnoscunt vitia, cum sibi a speculo deteguntur: alterum quod non satis attente se ipsos perpendunt, atque citius obliviscuntur eorum, quæ E ibi deprehendere potuerunt. Hoc plerumque accidit, cum ibi aliquid adspicimus, quod non satis placet. Claudianus l. 1. in Eutropium:

Atque reformidat speculo damnante senecta.

Sedulo igitur, sæpe, attente, ac serio inspiciendum est speculum Verbi Dei, neque speculi nobis est accusanda infidelitas, sed nostra deformitas. *Primo accusa fœditatem suam* [10].

℣. 25. Qui autem perspexerit in legem per-

[1] Div. Thom. Erasm. Est. Grot. Menoch. Tirin. alii plerique.
[2] Cajet. hic. Vide & Dioson. [3] Antiqu. Ital. *Per clementiam suscipite genitum verbum, qui potest salvare*, &c. Græc. Ἐν πραΰτητι δέξασθε τὸν ἔμφυτον λόγον. [4] Ita Heins. Exercit. Sacr.
[5] Καὶ μὴ μόνον ἀκροαταί. In quibusdam deest μόνον: sed maxima pars habet. Antiqu. Ital. *Estote factores verbi, & non auditores tantum, aliter consiliantes*. Græc. Παραλογιζόμενοι ἑαυτούς.
[6] Matth. 7. 21. 22. 23. & seq. [7] Galat. 5. 6. *Fides, quæ per charitatem operatur*.
[8] 1. Cor. 13. 1. 2. 3. Vide Grot. Est. Gatak. alios passim. [9] Πρόσωπον τῆς γενέσεως. Antiq. Ital. *faciem natalis sui*. [10] August. in Psalm. 103. Serm. 1. num. 4.

FECTAM LIBERTATIS [1].] Nova Lex, Lex Evangelica, quæ nos ex servitute legalium cæremoniarum deducit in libertatem, atque Dei filios efficit [2]. *Non auditor obliviosus factus, sed factor operis*, non satis ducet se se in speculo intueri, ubi etiam defectus suos considerabit, & corriget; non obliviscetur eorum, quæ vidit, sed illa exercebit. S. Paulus in omnibus Epistolis suis non aliud prædicabat, quam Legis novæ libertatem, figuratum finem, cæremoniarum abrogationem, gratiam adoptionis filiorum, servituti Legis oppositam. Judæi, qui illum oderant, ejus verba in sequiorem sensum detorquebant: quidam vero eorum, qui Apostolum summo in pretio habebant, atque doctrinam ejus sequebantur, eadem abutebantur, asserentes Legis observantiam necessariam non esse, & ab Evangelio nos ex illius jugo liberari. S. Jacobus Apostoli mentem interpretatur, dicens, Evangelium quidem legem libertatis esse; sed non ideo minus ad ejusdem observantiam teneri, qui semel illam fuerint amplexi. *Et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis* [3]. Christiani beatitudinem non in audienda, sed in exequenda Dei voluntate consistere. *Beatus in facto suo erit*. Nobis in mentem sæpe ea esse revocanda, quæ toties in Evangelio JESUS admonuit, lege nova veterem nequaquam eversum iri, sed iri perfectum, atque ad verum finem adductum: *Non veni legem solvere, sed adimplere*, Matt. 5. 17.

℣. 26. SI QUIS PUTAT SE RELIGIOSUM ESSE [4] NON REFRÆNANS LINGUAM SUAM.] Ipse se seducit, ejusque est vana religio. Fideles ex Judaica Religione conversi, ad quos hæc scribitur Epistula, seduli semper erant Legis observatores. Templum subsistebat adhuc, & Apostoli non solum non docebant legales cæremonias esse deserendas; verum etiam illos hortabantur, ut eisdem fidelius adhærerent, quin tamen in illis tamquam in salutis suæ causa confiderent. Synagoga cum honore ad tumulum erat efferenda, neque erat in illam insurgendum non sine Judæorum imo & Gentilium ipsorum scandalo. Hoc magis obfuisset Evangelio, quam omnes simul persecutiones; non ita facile erat efficere, ut populus integer ab iis legibus desuesceret, in quibus fuerat innutritus.

Complures Judæi conversi justæ hujus moderationis fines minime servabant; alii quidem mordicus asserentes Legem omnem sub damnationis pœnam observandam esse; alii vero oppositum affirmantes, ex quibus quæstionibus dissidia quædam, & contentiones oriebantur; quas ut inhibeat, S. Jacobus istheic declarat, futurum ut nisi linguam suam coercuerint, atque suis quæstionibus finem imposuerint, omnis Religio eorum nihil ipsis conferat ad salutem. Nequicquam gloriamini, vos Legem prorsus observare, atque ardenti zelo flagrare erga omnes illius cæremonias, quas cum Evangelii obedientia conjungitis; si vobis deest charitas, prudentia, moderatio; inanis est vestra Religio, non secus ac eorum, qui Christianam libertatem tuentur, quam nimis adaugent, & quam numquam cognoverunt. Religio, quam profitemur, in pace, charitate, bonorumque operum exercitatione consistit. S. Jacobus in hac Epistola sæpius redit ad ea mala, quæ obtrectatio, improbæque linguæ gignebant, ex quo licet conjicere hæc mala nimis fuisse frequentia apud eos, ad quos scribebat.

℣. 27. RELIGIO MUNDA APUD DEUM &c.] Nostra Religio non in quæstionibus, inanibusque speculationibus, sed in charitatis exercitatione consistit. Recenset partem operum, quæ ex nobis Religio postulat, ut inde & reliqua existimentur [5]. Charitas erga proximum, integritas vitæ in iis, quæ Mundi hujus sunt: *Immaculatum se custodire ab hoc sæculo*: doctrinam, spiritum, peccata, prava illius exempla evitare, illum contemnere, fugere; aliud enim sæculum expectamus [6]: *Spes nostra non est de hoc sæculo; ab amore ejus versati sumus, ut aliud sæculum speremus, & diligamus*.

---

1 Ἐν νόμῳ τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας. Sixti V. Et alia edit. *in lege perfectæ libertatis*.
2 Oecumen. Est. Grot. Menoch. Hamm. Lud. de Dieu, alii passim. Confer Galat. 4. 5. 2. Cor. 3. 6. Hebr. 7. 18. 8. 7.
3 Antiq. Ital. *Et perseveraverit non audiens oblivionis factus*. A'ugustin. αὐτὸς παραμείνας.
4 Ἐν ὑμῖν θρησκὸς εἶναι.
5 Est. Grot. alii.
6 Augustin. tract. 40. in Joan.

CAPUT II.

Personarum acceptio damnata. Pauperes non contemnendi. Lex ad unguem fideliter observanda. Fides sine operibus mortua est.

1. FRatres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Je-
su Christi gloriæ. 2 Etenim si introierit in conventum vestrum vir aure-
um annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordi-
do habitu, 3 Et intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis
ei: Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: Tu sta illic: aut sede sub scabel-
lo pedum meorum: 4 Nonne judicatis apud vosmetipsos, & facti estis judices
cogitationum iniquarum? 5 Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit
pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit De-
us diligentibus se? 6 Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per po-
tentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad judicia? 7 Nonne ipsi blasphe-
mant bonum nomen, quod invocatum est super vos? 8 Si tamen legem perfici-
tis regalem secundum scripturas: Diliges proximum tuum sicut te ipsum: bene fa-
citis, 9 Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege qua-
si transgressores. 10 Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in

uno,

uno, factus est omnium reus. 11 Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit &,
Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor le-
gis. 12 Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judi-
cari. 13 Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam: su-
perexaltat autem misericordia judicium. 14 Quid proderit, fratres mei, si fidem
quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare
eum? 15 Si autem frater, & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano,
16 Dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini;
non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? 17 Sic &
fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. 18 Sed dicet quis: Tu fi-
dem habes, & ego opera habeo, ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego
ostendam tibi ex operibus fidem meam. 19 Tu credis, quoniam unus est Deus;
Bene facis, & dæmones credunt, & contremiscunt. 20 Vis autem scire, o ho-
mo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? 21 Abraham pater noster
nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? 22
Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides consum-
mata est? 23 Et suppleta est scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & re-
putatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est. 24 Videtis, quoniam
ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum? 25 Similiter & Rahab
meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, & alia via eji-
ciens? 26 Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operi-
bus mortua est.

℣. 1. NOLITE IN PERSONARUM ACCEPTIONE HABERE FIDEM DOMINI.] Animadvertimus jam in hac Epistola nequaquam exquirendam esse argumentorum connexionem, neque concinnam sermonis texturam. Nuper commendavit exercitationem operum charitatis, & morum integritatem; isthic injustam personarum acceptionem condemnat. Defectus hic charitati, & justitiæ adversatur. Charitas quidem jubet, nos omnes homines fratrum loco habere, & tamquam nos ipsos diligere: justitia vero petit, ut singulis, quæ debemus, reddamus. Processibus, virisque in dignitate constitutis debetur reverentia, hæc autem neque divitiis, neque vestium pompæ debetur. Summa quidem existimatio debetur veris meritis, & qualitatibus re ipsa æstimabilibus, non item qualitatibus, atque denominationibus mere extrinsecis. Vir justus, probus, fidelis, liberalis hic nostram existimationem meretur; & hujus in conventu vestro rationem habere vos decet. A

Vos divites nullum in JESU CHRISTI Ecclesia majus vindicare vobis jus debetis, quam novissimus ex fratribus vestris. Si exteriora vobis reverentiæ signa tribuuntur, hæc tamquam gratiam, non veluti debitum existimare debetis: vos autem fideles de fidei vestræ merito, atque præstantia ferre judicium assuescite ex ipsius natura; non autem ex eorum, qui illa profitentur nobilitate [1]. Non elegit Dominus, quod in terris ditius erat, atque præstantius, sed quod infirmius, 1. Corinth. 1. 27. B

FIDEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI GLORIÆ.] Gloriosam hanc fidem, quæ nos reddit nobiliores, nos Dei filios efficiens, opponit falsci hujus Mundi gloriæ, inani huic fulgori, quo se falli fideles patiuntur intuiti divites in conventum suum ingredientes. Mementote dignitatis vestræ, atque præstantiæ fidei vestræ: Scitote vos esse JESU CHRISTI, ac nominis sui charactere vos esse insignitos, eumque veram potestate magnitudinem, quæ vos in oculis Dei magnos constituit [2]. C

℣. 2. ETENIM SI INTROJERIT IN CONVENTUM VESTRUM [3].] Primis illis temporibus, Christianorum conventus non satis erant frequentes, & Magistratuum, ac Potestatum ordo nondum secundum eorum dignitatem erat institutus, quod deinde contigit. Quandoquidem ergo Ecclesia cœtus est, ubi fratres intersunt, qui omnes æquales sunt, quatenus filii Dei; nulla habeatur ratio divitiarum, cum ordo assignandus est, vel saltem divites eam, quæ ipsos minime decet, reverentiam non exigant, & pauperes non contemnantur, neque in novissimum locum rejiciantur. Credidit Hammondius hoc de judiciariis cœtibus esse intelligendum. Verum sermonis decursus ostendit isthic ordinem in conventu Religionis spectari.

S. Jacobus locupletem hominem designat ex annulo aureo, quem deferebat, candidaque veste, qua erat indutus [4]. Consuetudo annulos deferendi passim apud veteres obtinuerat, & de eadem non semel in Commentariis nostris locuti sumus [1]. Apud Romanos Patribus tantum, & Equitibus licebat aureum gestare annulum [6]. Baronius ad an. Ch. 34. & Pineda de rebus Salom. l. 6. c. 5. crediderunt annulum hunc fuisse *fibulam*, qua divites isti pallium suum nectebant; sed Græce vox annulum significat, non fibulam. *Vestis candida* omnibus erat elegantior, atque vulgatior. Purpurea enim vel Principum erat vitetum tantummodo, vel in solemnitatibus adhibebatur; ut plurimum enim veste alba induebantur.

℣. 3. TU SEDE HIC BENE.] Diviti amplissimum locum præparas, cum interim pauperi dicas: *Tu sta illic sub scabello pedum meorum* [7]. Vitium, quod S. Jacobus coarguit, innuebat fideles nimiam fovere existimationem erga rem adeo contemptibilem, qualis sunt hujus orbis divitiæ, nimiumque contemnere paupertatem, quam tantopere JESUS CHRISTUS dilexit, atque non satis cognoscere filiorum, atque amicorum Dei dignitatem. S. Paulus Corinthiis nonnihil simile exprobrat, cum ait in cœtibus eorum, & charitatis conviviis divites minime velle, ut mensæ eidem pauperes accumbant,

1 August. Ep. olim 29. nunc 167. nov. edit. cap. 6. num. 18. *Peccat cum apud seipsum latius ita judicat, ut ei tanto melior, quanto ditior ille esse videatur.* 2 Vide Var. Grot. Ham. Gatak. Est.
3 Ἐὰν γὰρ εἰσέλθῃ εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν. Antiqu. Ital. *Si intraverit in Synagogam vestram.*
4 Χρυσοδακτύλιος καὶ ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ. Antiqu. Ital. *In veste splendida.*
5 Genes. 38. 18. 25. 41. 42. Isai. 3. 19. Luc. 15. 22. 6 Dio. lib. 48.
7 Ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου. Antiq. Ital. *Sub scabello meo.*

ac participes sint bonorum suorum; atque dum alii rerum omnium affluentia lætantur, alios maxime indigere [1]. Vetustissimus ergo abusus est, ut locupletes in Ecclesia eos sibi honores vendicent, qui ipsis minime debentur; quod ex parva pauperum fide, atque ex divitum superbia profectum est.

S. Martinus [2], cujus fides summopere ardens, & humilitas summa erat, in Maximi Imperatoris aula ostendit, quo in pretio ipsum JESU CHRISTI Sacerdotem censeret habendum, cum primum Sacerdoti, qui secum Imperatoriæ mensæ accumbebat, calicem obtulit, quem omnes Imperatori offerendum esse putabant. Neq; ideo apud Cæsarem aliquid imminutum est de sapientissimi hujus Præsulis existimatione, qui coram illo id facere ausus fuerat, quod alius quilibet Episcopus coram aliquo gregario judice ausus minime fuisset.

B Hic S. Jacobi locus ad Homeri lucernam concinnatus videtur, ubi Poeta refert, Ulyssem, cum Regi alicui, aut viro in dignitate constituto, obvius fieret, illi dicere consuevisse: Ne timeas, o felix, hic sede, ac alios sedere jube: sed cum pauperem in turba clamantem inveniebat, illum sceptro percutere, eique dicere: Tace, infelix, quiesce, & alios audi; tu ad omnia ineptus es, neque pacis, neque belli artibus aptus. Sociatis inimici illum insimulabant, quod crebro his verbis uteretur, quasi hortaretur, ut pauperes conviciis, & contumeliis proscinderentur.

℣. 4. NONNE JUDICATIS APUD VOSMETIPSOS [3].] Numquid hoc est injustam personarum acceptionem admittere? Ubi fides vestra est, æquitas vestra? Ita ne C facere consuevit JESUS CHRISTUS? Unquam ne visus est divitem egeno præferre, & coram Potestatibus contremiscere? Quosnam elegit, ut sui essent Parentes, Apostoli, Discipuli? Numquid coram Deo locupletes aliquid majos sunt, quam pauperes? *Nonne ostenditis vos esse Judices iniquos*. Ad litteram [4] Vulgata Græcum vertit: *Facti estis Judices cogitationum iniquarum*? Christiani omnes fratres sunt, & æquales quatenus Filii Dei. Non deest igitur injustitia, ubi dives pauperi præfertur. Opes hanc æqualitatem minime evertunt.

℣. 5. NONNE DEUS ELEGIT PAUPERES IN HOC MUNDO?] Si quæ sunt opes, quæ in terris honorem aliquem mereantur, fidei profecto sunt opes [5]: hæ quippe solum veræ sunt, solidæque divitiæ, quæ in D hoc sæculo, atque in æternitate subsistant. At pauperes elegit Deus, ut illis fidem, atque spiritualia dona communicaret: divites ergo nequaquam merentur, ut illos in cœtibus vestris tanto cum honore excipiatis. Apostoli ex plebe electi fuerunt; primi fideles fere pauperes erant. Ipse etiam JESUS CHRISTUS erat pauperrimus; atque testatus erat, nec semel, opes obicem esse fidei, atque saluti ferme insuperabilem. Pharisæi dicebant cæco a nativitate [6]: *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis*; & S. Paulus Corinthiis [7]: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt Mundi, elegit Deus, ut confundat Sapientes: & infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia*.

E ℣. 6. VOS AUTEM EXHONORASTIS PAUPEREM [8].] En judicii vestri errorem, atque actionis vestræ malum. Testatur Deus paupertatem sibi esse perjucundam, pauperes eligens, quibus pretiosissima sua munera impertiat; vos autem contemnitis hos pauperes, qui cum

A Mundi bonis indigeant, supernaturalibus gratiis copiosissime diffluunt? *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus: honorat autem, qui miseretur pauperis*, Sapiens ait Prov. 14. 31.

NONNE DIVITES PER POTENTIAM OPPRIMUNT VOS [9].] Divites, ut plurimum, vobis sunt infestissimi; & illi ipsi, qui in cœtus vestros ingrediuntur, quos tanto in honore habetis, nonne vobiscum agunt superbius, ubi ad illos acceditis; nonne injusta a vobis exigunt officia, atque molestam sibi deferri poscunt obedientiam? Quæ igitur causa vos impellere potest, ut tantopere illos a vobis colandos esse censeatis? Num utilitas vestra, an existimatio? Timor, an Amor? Apostolorum ævo divites, qui in Christianorum numero recensebantur, pauperibus erant molesti.

B Superbiæ, dominationis, atque injustitiæ spiritus vix unquam ab opibus sejungi potest [10].

TRAHUNT VOS AD JUDICIA.] Ut æs vobis creditum vos cogant dissolvere; vel ut a vobis ea extorqueant officia, quæ a vobis illis deberi non creditis. Conqueritur etiam Paulus de hoc abusu, qui apud Corinthios passim grassabatur [11]. Jurgia apud illos lites oboriebantur; & pauperes a divitibus ad Infidelium tribunalia traducebantur: quæ lites, atque dissidia Religioni contemptum conflabant.

℣. 7. IPSI BLASPHEMANT NOMEN BONUM.] Non Christiani divites JESU CHRISTI nomen blasphemiis proscindunt, sed causa sunt, ut Ethnici sanctissimum nomen blasphement, & de ea Religione obloquantur a quæ pacis, charitatis, & paupertatis amorem etiam, C atque etiam commendat; & in qua non desunt divites, qui pauperibus lites nectant propter bona temporalia. *Blasphemant* hoc in loco usurpatur pro *blasphemari faciunt*, ex plurimorum Interpretum sententia [12]. Hæc verba: *nomen, quod invocatum est super vos*, significat nomen, ex quo appellamini. Sponsi nomen super uxorem ejus invocatum, nomen heri super servos, nomen Dei super populos Deo illi devotos. Hæ loquendi rationes familiares sunt apud Hebræos. JESUS CHRISTUS est Deus noster, Pater, Dominus, Sponsus noster.

℣. 8. SI TAMEN [13] LEGEM PERFICITIS REGALEM.] Exterioris observantiæ notas, quibus divites, & viros in dignitate constitutos excipitis, haud equidem damno, dummodo id sine charitatis jactura fiat, paupe-D res nunquam contemnantur, & Religio nihil detrimenti patiatur. Honor, qui divitibus defertur, ideo solum vituperandus est, quod vel est immodicus, vel simpliciter innititur existimationi divitiarum, quæ pluris fiant, quam dignitas Christiani, & filii Dei, quæ toto cœlo majorem existimationem meretur: *Lex regalis* est, vel Dei lex [14], quæ profecto suprema Lex est, Lex Regni æterni, & immortalis, vel Evangelium [15], quod est Lex JESU CHRISTI Regis nostri; vel Lex, quæ præcipit, ut sine ostentatione, ac personarum acceptione, singulis ea, quæ ipsis debentur, reddantur. Lex quæ nemini assentatur, Lex exacta justitiæ; vel denique Lex charitatis [16], qua proximum nostrum tamquam nosmetipsos amare jubemur; & quæ ideo vetat, ne divitem pauperi anteferamus, sed impe-E rat ut huic ea omnia præstemus, quæ nobis nos ipsi præstari cuperemus. Postremus hic sensus melius cohæret cum textu, ac plures habet sectatores.

℣. 9. REDARGUTI A LEGE [17].] Prohibente ne injusta personarum acceptio admittatur [18]. Prohibebat Lex

1 1. Cor. 11. 21. 2 Sever. Sulpit. Vita Sancti Martini, num. 23.
3 Καὶ οὐ διεκρίθητε ἐν ἑαυτοῖς Mss. quidam omittunt negationem οὐ; sed ea non officit legendo interrogative.
4 Καὶ ἐγένεσθε κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν. 5 1. Cor. 1. 5. *In omnibus divites facti estis*.
6 Joan. 7. 48. 7 1. Cor. 1. 27.
8 Græc. Ὑμεῖς δὲ ἠτιμάσατε τὸν πτωχόν. Antiq. Ital. *Vos autem frustratis pauperem*.
9 Καταδυναστεύουσιν ὑμῶν. *Per tyrannidem opprimunt vos*. 10 Ὕβριν τοι τίκτει πλοῦτος. Euripid.
11 1. Cor. 6. 1. 12 Est. Grot. Menoch. Pisc. Cornel. alii. Vide Ezech. 36. 21. 22. & Rom. 2. 24.
13 Εἰ μέντοι τελεῖτε. *Si tamen, si quidem, quod si, sane si, &c.* Antiq. Ital. *Si tamen lege consummamini regali*.
14 Syr. Lud. de Dieu. 15 D. Tho. seu alius. Hugo, Gloss. Grot. 16 Est. Vorst. Grot. Tirin. Cornel. alii. 17 Antiqu. Ital. *A lege traducti*. 18 Levit. 19. 15. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo*. Deut. 1. 17. *Nulla erit distantia personarum &c.* 16. 19. *Non accipies personam*.

Lex personarum in judiciis acceptionem; jubebatque divitem æque, ac pauperem judicari, quia dives metueretur, vel pauperi parceretur; & justitiam tantum meritamque causæ considerari, quin ulla personarum ratio haberetur: sed justitia, & charitas, quæ principium sunt, & anima Legis hujus apud Judices, locum etiam habere debent in omnibus judiciis, quæ de proximis nostris efferimus, & in omni nostra erga illos actione. Laudandi, colendi, amandi sunt fratres nostri secundum intrinseca singulorum merita, quin nobis negotium facessant ea, quæ externa sunt dumtaxat, atque ab illorum personis aliena. Hæc omnia semper intelligenda sunt cum justo quodam limite sine recti ordinis præjudicio, & quia denegetur debitus honos Potestatibus legitime constitutis, quem divinæ, & humanæ Leges exposcunt, qua de re isthic quæstio non est.

℣. 10. QUICUMQUE AUTEM TOTAM LEGEM SERVAVERIT.] Hæc erat Stoicorum doctrina, asserentium peccata quælibet esse æqualia [1], & qui semel vel transversum, ut ajunt, unguem a recta justitiæ semita declinasset, hunc æque nocuum esse, ac qui omnia præcepta violasset. *Siquidem est peccare, tamquam transire lineas: quod cum feceris, culpa commissa est. Quam longe progrediare cum semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet*, inquit Cicero in paradoxis. Pharisæi eadem ferme in sententia erant, ac Stoici, Josepho teste lib. de vita sua, & inde fortasse profecta erat cura, qua vel minimam traditionem arripiebant, & ea religio, qua Leges omnes servabant. Rabbini, quorum plerique Pharisæi sunt, docent etiam [2], illum, qui præceptum infringit, æque noxium esse, ac si in omnibus delinqueret, quoniam aliud ab alio pendet, & eum, qui unum Legis præceptum rejicit, & cætera admittit, omnia rejicere, atque violare. Hæc eadem sententia occurrit in quarto Macchabæorum Libro cap. 2. At absit, nos S. Jacobo Pharisæorum errores, vel Stoicorum deliramenta imputare, qui, quemadmodum S. Augustinus ait ep. 167. nov. edit. *de paritate peccatorum soli Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani*. Communis omnium hominum sensus, omnium populorum mores, naturalis æquitas huic sententiæ repugnant. Horatius Serm. l. 1. Sat. 3.

Queis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est; sensus, moresque repugnant,
Atque ipsa utilitas justi prope mater & æqui.

Alius ergo huic loco sensus tribuendus est, & cum S. Augustino [3], Beda, aliisque pluribus dicendum, S. Jacobum plane de charitatis Lege, de qua antea locutus est, verba facere voluisse, dicentem, illum, qui hanc infringit, perinde reum esse, ac si omnem Legem violasset, quoniam virtutem, a qua omnis Lex pendet, violavit. *Fit omnium reus, quia contra charitatem facit, unde tota Lex pendet; reus itaque fit omnium faciendo contra eam, in qua pendent omnia.* At non inde sequitur, ut qui præceptum charitatis unum dumtaxat ex parte perfregerit, æque coram Deo reus habeatur, ac si quamlibet præcepti ejusdem partem fregisset. In peccatis contra charitatem datur plus, & minus [4]; & licet qui essentialem ejusdem violat articulum æternam damnationem mereatur æque ac ille, qui Legem universam [5] violaverit; minime credendum est, adeo gravibus afficiendum esse suppliciis, ac si nullum præceptorum servasset. Sicarius æque morte damnatur si unum, ac si viginti homines interemerit; una tantum illi auferri vita potest; neque enim plures habet.

Alii ita explicant [6]; Dei Lex fœdus est a Deo cum hominibus percussum: qui fœderis caput aliquod infringit, fœdus omnino violare censetur: est similis concentui musico; una tantum obstrepit corda opus est, ut omnis modulorum ratio turbetur; similis est pretiosæ vesti, cui cum unica tantum labes insederit, omne illius pretium ademit; vel tamquam catena, ex qua annulum aufers. Bonum omnium partium suarum postulat integritatem, quarum ubi una deest, bonum amplius non est; cum malum e contra ex uno tantum defectu oboriatur. Vir non potest virtute præditus censeri, nisi omnes virtutum numeros obtineat; improbus vero ex uno tantum pravo habitu, ex uno scelere improbus est. Si Fides, vel charitas tibi deest, cætera nihilum prosunt. Observa Leges charitatis erga proximum, omnia pauperibus tua bona distribue, miracula ad populorum conversionem operare, nisi Deum amaveris, hæc omnia nulla sunt.

Ita verum est hoc in sensu eum, qui Legem omnem observat, & unam dumtaxat illius particulam infringit, reum esse perinde ac Legem omnem violaverit; illum æternis quidem addicendum esse suppliciis; non autem æque gravibus, si unum dumtaxat mortale peccatum patrasset, ac si pluribus sese coinquinasset. Atque ut doctrinam hanc ad eum transferamus casum, de quo isthic verba facit S. Jacobus: qui interiorem erga divitem fovens existimationem, atque pauperem re ipsa contemnens, pauperem diviti postponit, quin ullam habeat rationem ad Christiani dignitatem, qua pauper est insignitus, & quæ omnibus terrarum divitiis maxime præstat; si alterum ita in honore habuerit, alterum vero ita contempserit, ut essentiales justitiæ, & charitatis leges infringat; qui in hoc scelus ceciderit, ita coram Deo nocens est, ut æternam damnationem mereatur, non secus ac in omnia flagitia cecidisset.

Putant nonnulli [7], Apostolum hoc in loco nonnullorum Judæorum impugnare sententiam [8], existimantium, eum qui aliquam Legis partem servasset, minime damnandum esse, licet alias Legis partes neglexisset: namque apud Deum nullum meritum excidit. Hæc sententia apud Judæos adhuc communis est: in æternum damnant exiguum dumtaxat Israelitarum numerum, qui fundamentales articulos negant, vel qui gravissimis sese flagitiis mancipant. Testatur S. Augustinus hunc quorumdam etiam Christianorum ævi sui errorem fuisse, quem in *Enchiridio* c. 27. confutat. Vide primam S. Johannis Epistolam cap. 3. 4.

℣. 11. QUI ENIM DIXIT; NON MOECHABERIS.] Hæc genuina est eorum, quæ dixi ratio: *quicumque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*: quod videlicet Deo Legum omnium auctori infertur contumelia. At contumelia afficere Legum Auctorem, est labefactare quidquid ille constituit. Si Deus non meretur, ut sibi præstetur obedientia, cum prohibet adulterium, num jam meretur, cum cædem vetat? Qui ergo Legem in aliqua ejus parte perfringat, Legem omnem violat, vel saltem paratus est, ut eamdem in qualibet illius parte violet; non enim vel Legum reverentia, vel metus Legislatoris, vel sceleris horror illum coercent. Si eam minime perfregit, hoc accidit, quod illi non sese obtulit occasio, vel quod cupiditas illi oborta non est, vel quod suppliciorum metus, vel alia id genus humanæ rationes illum cohibuerunt.

Hæc tamen nequaquam intelligendum est sine explicatione; nam licet verum sit, eum, qui in Dei contemptum cecidit, paratum esse, ut in quodlibet peccatorum genus ruat, non inde sequitur, illum a Deo esse puniendum, quasi re ipsa *omnia* patrasset peccata, neque ex sola cordis dispositione æque noxium esse, ac si in actum ea omnia, quæ potest, redegisset. Deus in homine deliberatam dumtaxat peccandi voluntatem, vel ipsum actum peccati ponit. Omnium scelestorum nequissimus potest non habere voluntatem omnia scelerum genera patrandi, immo difficile etiam est, ut omnia

1 Horat. serm. lib. 1. satyr. 3. v. 95. Tull. Paradox. & orat. pro Murena, & Aug. Ep. 29. ad Hieron. nunc 75. nov. edit.
2 Vide Drus. Pesichta 50. 1.
3 August. Epist. 167. n. 16.
4 Idem ibidem. *Magis facit contra charitatem qui gravius peccat: minus qui levius: tanto quisque plenior iniquitate, quanto inanior charitatis.*
5 Gatak. Grot. Castal. Menoch. Est. Oecumen.
6 Vide Gatak. Streigel. Tirin. alios.
7 Burgens. & alii apud Cornel. a Lapide.
8 Vide Rab. Mos. & R. Salom. in *Deut.* tit. 1. de Pœnit.

nia committat. Deus nequaquam nobis ea imputat mala, quorum culpa vacamus.

℣. 12. SIC LOQUIMINI, & SIC FACITE, SICUT PER LEGEM LIBERTATIS &c.] vel per Legem Evangelii, quam post S. Paulum [1] *Legem libertatis* appellat, quo nomine superius jam cap. 1. ℣. 25. *Legem perfectam libertatis* eam nuncupavit. In omnibus actionibus, & sermonibus vestris, cavete, ne in Dei judicio ab Evangelica Lege, quæ Lex est libertatis filiorum Dei, condemnemini. Ne ex libertate, qua vos JESUS CHRISTUS donavit, accipiatis occasionem Legum illius infringendarum; scitote prævaricationem unius duntaxat ex Legibus ejus, æternum vobis constare posse damnationis incendium; ac vos frustra cætera præcepta servaturos, si defueritis præcepto fraternæ charitatis, vel alteri naturæ ejusdem, vel ejusdem momenti.

℣. 13. JUDICIUM ENIM SINE MISERICORDIA [2].] Deus in Judicio suo nobiscum aget, quemadmodum nos cum aliis egerimus; si pauperes contempserimus, nos ille contemnet; atque in justitiæ suæ severitate in nos animadvertet [3]. Sin autem illorum misertî fuerimus, eisque opitulati, Deus quoque nostri miserebitur, nobisque indulgentiorem se probebit. JESUS CHRISTUS ea describens, quæ in novissimo judicio sunt eventura, ait Matth. 25. 33. Supremum Judicem damnatis dicturum; ite maledicti in ignem æternum; esurivi enim, & escam non dedistis mihi; sitivi, & potum non præbuistis; electis vero e contra dicturum: venite benedicti Patris mei, possidete Regnum vobis a mundi initio præparatum; esurivi enim, & escam mihi suppeditastis &c. quasi homo vel mereri, vel demereri posset, tantummodo misericordiæ opera exercens, vel omittens.

SUPEREXALTAT AUTEM MISERICORDIA JUDICIUM.] Hoc bifariam potest intelligi, vel de Dei, vel de hominis misericordia. Misericordia Dei semper vincit severitatem [4]: hoc Dei proprium est, ut benefaciat, & misereatur: *Deus, cui proprium est misereri semper & parcere*, quemadmodum canit Ecclesia. Cum punit, opus a se alienum conari videtur Deus [5]; *Irascetur, ut faciat alienum opus ejus. Ut operetur opus suum; peregrinum est opus ejus ab eo*. Nonnulli ex hoc loco inferunt, prædestinatorum, & eorum, qui salutem æternam consecuti sunt, numerum majorem esse numero reproborum: sed Scriptura inquit explicite [6], eorum, qui vocati sunt, numerum ingentem quidem esse, eos vero, qui electi essent, esse paucos; & Patrum, atque Theologorum plerique merito putant, numerum eorum, qui ex ipsis Christianis in interitum eunt, esse majorem. Cæterum hic sensus ab hoc loco omnino alienus videtur.

Innuit Apostolus, ex nota melioris Interpretum sententia [7], illum, qui misericordiam erga suos fratres exercuit, Judicium Dei non vereri; coram Supremo Judice fidenter prodire, se se cum gaudio illi offerre certum promissionum, atque remunerationum Dei sui. Græcus ad litteram legit [8]: *Misericordia gloriatur contra Dominum*; coram Judice accedit, non ut se defendat, vel damnationem subeat, sed ut solemni pompa recipiat justas laudes, quæ bonis operibus suis debentur. Confer ea, quæ Salvator ait ad electos Judicii die, & quæ superiori articulo attulimus. *Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*, inquit Tobias c. 4. v. *Beati misericordes*, Salvator ait Matth. 5. 7. *quoniam ipsi misericordiam consequentur*. *Non memini*, S. Hieronymus ad Nepotian. inquit, *me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit; habet enim multos intercessores; & impossibile est, multorum preces non exaudiri*.

℣. 14. QUID PRODERIT, SI FIDEM QUIS DICAT SE HABERE, OPERA AUTEM NON HABEAT?] Hic locus erat, quo S. Jacobus contendebat, ut inhiberet, ne abusus, in quem S. Pauli Epistolæ detorquebantur, ulterius progrederetur. Apostolus ille in Epistola ad Romanos 1. 17. & in illa ad Galatas 3. 2. juxta Prophetæ Abacuch 2. 4. verba, docerat, justum ex fide vivere, & fidelem hominem per fidem sine Legis operibus justificari: *Ex operibus legis non justificabitur, omnis caro coram illo*. Et item: *Arbitramur, hominem justificari per fidem sine operibus Legis*, Rom. 3. 20. 28. Inde vero perperam arguebant, Legem ergo inutilem esse, & sine bonis operibus salutem obtineri posse. Quilibet judicium ferre potest, quos malos effectus, & quod scandalum pepererit hujusmodi doctrina sine ulla explicatione, ac modificatione sumpta. S. Jacobus isthic ostendere aggreditur, fidem sine bonis operibus mortuam esse, ac ideo inutilem.

Qua in re perfecte cum S. Paulo consentit, qui non aliud docuit, quam cæremonialia legis opera in se metipsis ad salutem minime prodesse post Evangelii prædicationem, nisi ea fides, & charitas comitentur; & fidem charitate succensam, solam, & citra cæremonialia Legis opera nos justificare, nobisque salutem posse promereri. At tantum abest, illum excludere voluisse opera moralia, & justitiæ, misericordiæ, aliarumque virtutum officia, ut omnes illius epistolæ diffusæ adhortationibus, quibus suadet, ut caste, ac frugi vita ducatur, & veritates, quas docuit JESUS CHRISTUS, opere compleantur.

Ex omnium Hæreticorum numero, qui maxime noxias illationes ex Apostolorum Doctrina de operum Legis inutilitate deduxerint, fuit Simon Magus [9]. Docebat iste, animæ nihil sperandum esse nisi a gratia, quin bona opera illi negotium facesserent; cum actiones omnes, ajebat ille, in semetipsis in neutram partem inclinent, neque bonæ, neque malæ sint, quippe quæ ab Angelis institutæ fuerunt ad homines sibi subjiciendos; ideoque eos, qui in ipsum, Helenamque ipsius sperabant, ab omni superstitione vacare, eisque integrum esse, quidquid vellent conari. Hic error, S. Augustini ævo [10], revixit per Christianos quosdam credentes, eos, qui fidei bona opera addebant, esse tamquam illos, de quibus Apostolus loquitur [11], qui super fundamentum collocant aurum, argentum, lapidesque pretiosos: eos vero, qui fidem servare volunt, quin & opera addere adnitantur, ab illis ædificatoribus exhiberi, qui super fundamentum statuunt ligna, stipulas, aliaque hujusmodi: quod Sanctus ille Doctor serio confutat in Libro suo de octo Quæstionibus ad Dulcitium, & in altero illo de Fide, & operibus.

Commentitii quoque Religionis Repurgatores novissimo sæculo consueverunt, opera ad salutem necessaria non esse, saltem tamquam causas meritorias: fidem in JESUM CHRISTUM sufficere, justitiæ, meritorumque ejus imputationem nos salvos facere: Sacramenta non esse veras nostræ Sanctificationis causas, sed simplicia tantum signa, vel pignora justitiæ JESU CHRISTI, qua induimur per fidem, ita ut prædestinati illius jacturam numquam facere valeant. Opinionum monstra, quas plurimi etiam ex Protestantibus perhorrescunt. Grotius sane hac de re non contemnendo loquitur. *Revera est hoc infelici sæculo ea sententia, & quidem sub nomine repurgatæ doctrinæ, cui omnes, qui pietatem, & salutem proximi amant, se debent opponere. Cæterum*, ait ille, *nulla*

1 Rom. 8. 21. *Vocati in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Galat. 4. 31. *Qua libertate Christus nos liberavit*. 5. 13. *In libertatem vocati estis*.
2 Ἡ γὰρ κρίσις ἀνίλεως. Antiq. Ital. *Judicium autem non miserebitur ei, qui non fecit misericordiam*.
3 Matth. 5. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*.
4 Gregor. homil. 13. in Evangel.
5 Isai. 28. 21.
6 Matth. 20. 16.
7 Est. Menoch. Castal. Tirin. Erasm. Vorst. Piscat. Alii.
8 Καὶ κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως. Antiq. Ital. *Superglorîatur autem misericordia judicium*.
9 Iren. lib. 1. cap. 20.
10 Vide August. de Fide & operibus, cap. 1. *Retenta fide Christiana, sine qua in æternum periret, in quolibet scelere immunditiaque permanserit; salvum eum futurum tanquam per ignem*. Vide & lib. de octo quæstionib. ad Dulcit. q. 1. n. 3.
11 1. Cor. 3. 2. & seq.

nulla cuiquam fides proficit sine tali opere, quale semper promittebat, quemadmodum liquet ex latrone; qui cum JESU CHRISTO cruci affixus fuit.

Hebræi complures, quemadmodum jam adnotavimus in ℣. 10. credebant, Israelitas omnes, qui ad finem usque perseveraverant in Judaicæ Religionis professione, æternæ vitæ futuros participes, licet etiam pluribus in rebus Legem violassent. Verum non hæc fuit communis Synagogæ sententia. Judæi tenent, bona opera esse ad salutem necessaria. Hæc sunt clypei instar hominem adversus Dei justitiam protegentis; & non secus ac qui navem mari iter facturus conscendit, commeatus sibi comparare tenetur, quos mediis in fluctibus non inveniet; ita dum vitam hanc vivimus, bona nobis opera comparemus, oportet: hoc enim Judicii die non amplius nobis integrum erit. Hoc certe ausim asserere, in Sacrorum bibliorum singulis paginis bonorum operum necessitatem, vel indigitari, vel supponi, vel explicite ostendi.

℣. 15. SI AUTEM FRATER] Nudus sit, & non illi opem feras, ei simpliciter dicas: vade in pace: det tibi Deus, unde vestiaris: ad quid hæc proderunt verba? Ita ℣. 17. *Fides, si non habeat opera, mortua est in semet ipsa* [1]. Inanis est, inutilis; arbor nullos afferens fructus, vanus est sermo, vanum desiderium, quod nullum parere effectum potest. Verbo; falso id genus mortales, fidem se habere gloriantur: si enim veram haberent fidem, vivam, charitate animatam, atque, uti oportet, illustratam, haud illi quidem inertes essent: sed fides sua se se in operibus proderet. Quemadmodum vota vestra pauperi huic, qui nudus est, minime prosunt, ita fides vestra operibus destituta, ad salutem inutilis erit. *Mortua est in semetipsa*. Græcus significare potest [2]: *mortua est, cum sit sola* [3], hoc est, bonis operibus viduata, neque charitate suffulta. Vel, *mortua est per semetipsam* [4]; vel, *tota quanta est* [5].

℣. 18. TU FIDEM HABES.] Quid est ergo hæc sterilis fides, quam jactas, quonam in re illam constituis? quomodo mihi probas, te illam habere, si illius opera non facis? Ego quidem habeo opera, & hæc optima est meæ fidei probatio. Non est, cur laborem, fidem meam probaturus; opera ipsa loquuntur, homines boni testantur: Deus amplissimam mihi mercedem spopondit. Tibi vero, neque homines perhibent testimonium, neque Deus aliquid debet, donec nihil pro illo operaberis. Græcus legit [6]; *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam fidem meam ex operibus meis*: ubi Vulgata legit: *ostende mihi fidem tuam sine operibus; & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*. Posterior hæc lectio multorum, eorumque præstantissimorum MSS. Græcorum auctoritate probatur, quibus adde Syrum, Cophtum, Æthyopem, & Græcas etiam Editiones nonnullas [7]. Vetus Italica habet: *ostende mihi fidem ex operibus, & ego tibi de operibus fidem*.

℣. 19. DÆMONES CREDUNT, ET CONTREMISCUNT.] Non ergo satis est credere, imo neque satis est, coram Suprema Majestate expavescere, & contremiscere; Dæmones quippe ipsi & timent, & tremunt. Requiritur præterea ardens fides, a charitate animata, & in bonis operibus exercita. Credunt Dæmones, vel per habitum, qui ex supernaturali fide in illis reliquus est, quemadmodum Scholastici nonnulli, atque Interpretes quidam contendunt [8]; vel ex naturali fide; hoc est, rerum veritate, atque evidentia, nec non miraculorum certitudine victi, non secus ac alii Deum credunt [9] majori cum verisimilitudine, atque eum timent non filiali metu, quemadmodum Sancti Angeli, de quibus canit Ecclesia: *Tremunt Potestates*, neque eo timore, qui donum est Spiritus Sancti, & qui salutem operatur in Sanctis: sed timore servorum, atque reorum, qui lacessitum herum timent, vel metuunt Judicem, cujus severitatem, atque justitiam cognoscunt.

℣. 21. ABRAHAM PATER NOSTER NON EX OPERIBUS JUSTIFICATUS EST?] Ostenderat in Epistolis suis S. Paulus, non ex Circumcisione, neque ex Legis operibus Abraham justitiam fuisse consecutum [10], sed a fide sua fuisse justificatum. *Credidit Abraham Deo, & ei reputatum est ad justitiam*. Simonis Discipuli, aliique mali Christiani, inde opera ad salutem inutilia esse inferebant. Eorum errorem istbic S. Jacobus perstringit, & ostendit, Abrahæ fidem nequaquam mortuam fuisse, sterilemque, sed illum credidisse, & egisse, in omni vita perfectam obedientiam, atque integerrimam Domino fidelitatem servasse, cujus insigne præbuit documentum, ubi celeberrimum illud aggressus est opus, filium suum Domino in holocaustum offerendi. Ipse etiam S. Paulus non semel non fidem solum, verum etiam fidelitatem, & obedientiam Abrahæ celebraverat [11]; & explicite testatus fuerat, non eos, qui Legem audiebant, sed qui eamdem exercebant coram Deo justificari [12]. S. Augustinus non semel adnititur [13], ut hac in re S. Jacobum cum S. Paulo conciliet.

℣. 22. FIDES COOPERABATUR OPERIBUS ILLIUS [14]] Fides Abrahæ minime otiabatur, sed activa erat, atque efficax. Fides, & opera illum justum, atque Deo jucundum cœperunt efficere. Fides fuit veluti radix arboris, opera vero tamquam fructus ejusdem: *Ex operibus fides consummata est*, atque perfecta. Sine operibus informis erat, iners, mortua, inutilis; neque Abrahæ contulisset unquam justi, & hominis secundum cor Dei qualitatem, nec illi æterna præmia promeruisset. Protestantes Interpretes ex hoc loco se se expeditum laborant, quippe oppositus est sententiæ suæ, opera ad salutem minime necessaria esse asserentis.

℣. 23. ET SUPPLETA EST SCRIPTURA [15].] Scriptura hæc in Abraham, adimpleta tunc tandem est, cum non solum credidit Domino contra spem, sibi promittenti filium eo tempore, quo per ætatem liberis gignendis impar habebatur, præsertim vero ex Sara conjuge sua, quæ sterilis erat, atque senio confecta; verum etiam postquam illi obtemperavit patriam, & consanguineos relinquens, atque migrans ad eam terram incolendam, quam ab ipso in posterorum suorum persona possidendam Dominus pollicebatur. Denique fidem, suaque bona opera quodammodo obsignavit, cum jubente Deo, sibi filium ejus Isaac a patre offerri, non hæsit Abraham, atque sacrificium statim accepit. Tunc ille hoc elogium meritus est: *Credidit Abraham Domino, & fides illi imputata est ad justitiam, & amicus Dei appellatus est* [16]: quæ novissima verba in Genesi quidem non extant; verum Abraham hoc nomine in aliis Scripturarum locis designatur [17]; & pii viri ævi illius, qui-

1 Antiqu. Ital. *Fides, si non habeat opera, mortua est sola*. Idem vers. 14. *Numquid potest fides eum sola salvare*. 2 Νεκρά ἐστι καθ' ἑαυτήν. 3 Vatab. Erasm. Syr. Est. Menoch.
4 Erasm. Pagn. Piscat. Grot. 5 Vide Grotium.
6 Δεῖξόν μοι τὴν πίστιν σου ἐκ τῶν ἔργων σου, κἀγὼ δείξω σοι ἐκ τῶν ἔργων μου τὴν πίστιν μου.
7 Δεῖξόν μοι τὴν πίστιν σου χωρὶς τῶν ἔργων σου. Vide Grot. Est. Bez. Mill. Ita leguntur Stephan. [illegible] Alex. Cov. 2. Barb. 1. Colb. 7. edit. Colinæi. 8 Durand. in 3. dist. 23. quæst. 9. art. 2. Alens. 3. parte, quæst. 64. memb. 7. Catharin. & Salmeron. hic. Magist. sententiar. in 3. dist. 23. Parag. *aliud est*. Justinian. & Tir. hic.
9 D. Thom. 2. 2. qu. 5. art. 2. Thom. Angl. hic. Valentia, & Cornel. hic, & Scholastici passim.
10 Vide Rom. 4. 3. Galat. 3. 6. Genes. 15. 6. 11 Hebr. 11, 17. 18.
12 Rom. 2. 13. 13 August. de Fide, & operib. cap. 14. & de Prædestinatione Sanctorum, cap. 7. & Præfat. enarrat. Psalm. 31. & quæst. 76. inter 83. Vide Estium.
14 Ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ. Antiq. Ital. *Fides communicat cum operibus suis*.
15 Hugo, & Thom. *Impleta est*. Ita & Græc. Καὶ ἐπληρώθη, &c.
16 Vide Est. Grot. Jacob. Capell. Bellarm. Gorak. alios. 17 2. Par. 20. 7. *Dedisti eam (terram) semini Abraham amici tui*. Judith. 8. 22. *Per multas tribulationes probatus & amicus effectus est*. Isai. 41. 8. *Semen Abraham amici mei*. Dan. 3. 35. *Propter Abraham dilectum tuum*.

quibus Abrahæ meritum exploratum erat, illum tam- A
quam Dei amicum venerabantur. Melchisedech illum benedictionibus cumulavit [1]; & cives Hebron tamquam Principem Deo charum exceperunt [2]. Dominus ipse profitetur Abimelech, Abraham Prophetam esse, & eirum sibi jucundissimum, Gen. 20. 7.

ỷ. 25. RAHAB MERETRIX NONNE EX OPERIBUS JUSTIFICATA EST.] Rahab nequaquam simpliciter justificata fuit, quod credidit promissionibus Domini, qui Hebræis Terram Chanaan spoponderat, ejusque minis, quibus portendebat futurum, ut Chananæi delerentur. Non deerant alii Chananæi, qui hoc ipsum crederent. *Novi*, ajebat illa exploratoribus a Josue missis [3], *quod Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror vester; & elanguerunt omnes habitatores terræ*. Sed una fuit Rahab, quæ fidei suæ lumine B
secura domi suæ exploratores excepit, illis opitulata est, eisque fugam aperuit; quod illi justificationem, vel saltem justitiæ incrementum promeruit [4]. Illa in Judæorum sacra transivit, progenies illius illustris facta est in Israel, eamque inter Davidis, Salomonis, immo & JESU CHRISTI avias recensemus.

SUSCIPIENS NUNTIOS [5].] *Exploratores*, quemadmodum Græca quædam legunt Exemplaria. Alia *nuntios Israel*, quos Josue Israelitarum Dux miserat Jerichuntem. Vide Josue 2.

ỷ. 26. SICUT CORPUS, SINE SPIRITU MORTUUM EST.] Nihil magis apertum afferri potest ad necessitatem operum pro salute probandam; verum cum Patribus confitendum etiam est, pueros, qui post Baptismum, & ante rationis usum vitam cum morte commutant, unius fidei, & Sacramenti virtute salvos fieri, & hoc ipsum in adultis etiam contingere posse, qui in extremo vitæ suæ spiritu sacro baptismate regenerantur, & in iis, qui proprio cruore regenerantur. S. Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 15. & D. Chrysostomus Orat. de fide boni latronis afferunt exemplum, cui fides sola, æternam salutem procuravit. *Fides integra*, Tertullianus inquit lib. de Bapt. *secura est de salute*: sed hæc semper in hujusmodi personis certissimam supponit voluntatem non perseverandi solum in fide, verum etiam bona opera exercendi, si Deus ipsis aliquod vitæ spatium reliquerit, easque circumstantias aperuerit, in quibus eadem valeant exercere [6].

---

1 Genes. 14. 19. 2 Genes. 23. 6.
3 Josue 2. 9. 10. & seq. 4 Vide Estium. 5 Ὑποδεξαμένη τοὺς ἀγγέλους. Alii ἀγγέλους τοῦ Ἰσραήλ. Alii κατασκόπους. Ita Steph. &c. Col. Syr. Arab. Æthiop. Copht. Antiq. Ital. *Exploratores*.
6 August. lib. 83. quæst. qu. 76. *Quod si cum crediderit, mox hac vita decesserit, justificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, sed gratia pervenit: nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur.*

CAPUT III.

Non optandum, ut magister fias. Linguæ mala; ejusque coercendæ difficultas. Discrimen inter Mundi, ac Dei sapientiam.

1. NOlite plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quoniam majus judicium
sumitis. 2 In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit: hic perfectus est vir. Potest etiam fræno circumducere totum
corpus. 3 Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus. 4 Ecce & naves cum magnæ sint, & a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit: 5 Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat.
Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit! 6 Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a gehenna. 7 Omnis enim
natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt a natura humana: 8 Linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero. 9 In ipsa benedicimus Deum, & Patrem: & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. 10
Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc
ita fieri. 11 Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam?
12 Numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque
salsa dulcem potest facere aquam. 13 Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. 14
Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, & mendaces esse adversus veritatem. 15 Non est enim ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica. 16 Ubi enim zelus, & contentio: ibi inconstantia, & omne opus pravum. 17 Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.
18 Fructus autem justitiæ in pace seminatur facientibus pacem.

NOLITE

℣. 1. NOLITE PLURES MAGISTRI FIERI [1].] S. Paulus [2] in pluribus Epistolarum suarum locis, edicta quædam sancire coactus fuit ad evitandam perturbationem, quæ ex eorum multitudine, qui in Ecclesia docere volebant, oriebatur. Cum Spiritus Sancti dona tunc essent frequentia, vulgo accidebat, ut complures in fidelium cœtibus loqui vellent, qua in re neque Mulieres sibi temperabant. Qui linguarum ignotarum donum, alterumque illud Scripturas interpretandi receperant, non alia sui missione, aut facultate indigere arbitrabantur, ita ut qui populis præerant, ægerrime hunc abusum inhibere, atque ordinem in Ecclesiis possent constituere: cui malo hoc in loco videtur S. Jacobus occurrere.

In hoc etiam sensu intelligi potest: *Cavete vobis a desiderio, quo multi magistri fieri desiderant.* Christiani Judaizantes præ ceteris hac ambitione efferebantur, & sæpe conqueritur S. Paulus ob ea mala, quæ pravis doctrinis, atque rebus novis, quas invehere studebant, in Ecclesiis gignere consueverant. Ex hac schola omnes fere primi illi hæretici prodierunt, Simoniani, Ebionitæ, Cerinthiani, Nicolaitæ, Gnostici, qui per hunc docendi pruriginem, omnium Evangelii doctrinam nequissime vitiabant, & infinitos in Ecclesia errores serebant, utpote qui inscitia, vanitate, avaritia, & nequitia erant refertissimi [3]. S. Paulus eorum nobis aliquando graphicas reliquit imagines, quæ illis quidem minime adulantur, sed quæ nobis pravitatis eorum animi, ac mentis [4] ideam adstruunt infensissimam. Ait illos non Domino, sed abdomini laborare; ventrem Deum illorum esse [5], illos Crucis JESU CHRISTI esse inimicos [6], ad evitandam tantummodo persecutionem prædicare [7], canes esse [8] adversus sibi contentione latrantes. Hi omnes pravi Doctores ex Christianorum judaizantium grege prodibant.

Denique Interpretum plerique [9] hoc explicant de eorum ambitione, qui Ecclesiastica munera quærunt, & qui non vocati ad sacrum ministerium obrepunt, quod quidem Angelis ipsis est formidandum. S. Joannes Chrysostomus in Heb. 13. 17. dubitat, utrum aliquis ex ejusmodi temerariis hominibus, qui audacter adeo Ecclesiastica sibi vendicant munera, salvus fieri possit; si enim, inquit ille, qui inviti ad illa pertrahuntur, nullam tamen excusationem afferre poterunt, cum perperam munere suo perfunguntur, quid de illis existimandum, qui sollicite adeo per fas, & nefas, utcumque sibi illuc viam aperire festinant?

℣. 2. IN MULTIS ENIM OFFENDIMUS OMNES.] Quicumque in verbis, atque in vitæ suæ ratione multa peccat, is iste quidem aliis præesse non quærat. Qui populis præficiendus esset, hic, si fieri posset, irreprehensibilis esse deberet, atque se ipsum tamquam virtutum omnium, atque perfectionis absolutissimum exemplar proponere. Alios erudiendi officium, non in eo tantum positum est, ut illis sanam, ac puram doctrinam infundat; quod ita facile non est, ubi multa loqui velit, cum multa minime sciat: verum exemplum quoque præbeat oportet, atque non sermonibus solum, verum etiam moribus, atque operibus illos erudiat. Patres, atque Theologi sæpius hoc sermone contra Pelagianos usi sunt, ut illis ostenderent, hominem licet justificatum, sine peculiari ope Dei minime posse studium illud in semet superare, quo in malum rapitur, neque diu, ne dicam toto vitæ curriculo peccatum evitare posse, quemadmodum Hæretici illi affectabant [10].

SI QUIS IN VERBO NON OFFENDIT, HIC PERFECTUS EST VIR.] Profecto errata, quæ loquentes committimus, adeo communia sunt, atque in ea sæpe, atque multifariam adeo prorumpimus; naturæ ipsius ingenio ita rapimur ad verba temere effundenda, & omnes affectus in id nos adeo vehementer impellunt, ut dici queat, hominem, qui linguam suam coercet, & qui loquens numquam excidit, hunc vere esse perfectum. Neque dicens universam hominis perfectionem in hoc esse positam, ne temere, ac perperam loquatur, & quicumque vel male non loquitur, vel omnino non loquitur, hunc adeo perfectum esse; verum hæc non modica perfectio est, & qui linguam compescere potest, majora etiam efficere poterit: *potest etiam fræno circumducere totum corpus*; totum videlicet actionum suarum corpus, vel reliqua membra sua, vel totum corpus Ecclesiæ. Ego vero præferrem totum vitæ suæ corpus, reliquas actiones suas. Nihil & in Scripturis, & ab Ethnicæ Religionis Sapientibus crebrius commendatur, quam silentium, atque in verbis proferendis vigilantia.

℣. 3. SI AUTEM [11] EQUIS FRÆNA IN ORA MITTIMUS.] Eos quocumque nobis libet agimus; ita si linguæ nostræ frænum injicere possumus, reliquis etiam actionibus nostris dominabimur. Incipiamus quidem verba moderari; alios etiam quamprimum defectus facile superabimus. In Platone epist. ad Axioch. hæc eadem occurrit similitudo, linguæ videlicet cum equo, aut navi comparatæ, quorum alter fræno, altera regitur gubernaculo.

℣. 4. ET NAVES CIRCUMFERUNTUR A MODICO GUBERNACULO.] Nihil ferme artis mirabilius opus occurrit, quam quod in navibus intuemur. Immanem illam lignorum struem, quæ ingentia adeo pondera ferre potest, atque fluctuum vim, ac impetum ferre, exiguus regit homuncio ope gubernaculi, quod facillime attrectat. Lucretius:

Et manus una regit quantovis impete euntem,
Atque gubernaclum contorquet quolibet unum.

℣. 5. ITA ET LINGUA.] Græcus ad litteram [12]: *Et lingua se se glorificat*; superbe se se extollit, atque imperiose incedit. Videtur S. Jacobus alludere ad equum, qui superbus, & elata cervice ambulat; lingua coercenda, atque frænanda est, non secus ac ardentes equus reprimitur. Intelligi quoque Vulgata potest de effectibus, quos Lingua, & bonos, & malos parit in utramque partem: *Magna exaltat* [13]. Minime nos fugit quid quorumdam summorum Oratorum efficiat eloquentia, seu ad animos excitandos, seu ad lenitatem ciendam, seu ad suadenda facta quælibet omnis aleæ refertissima, vel adeo dissuadenda, in quæ majori animi studio rapimur.

ECCE QUANTUS IGNIS [14] QUAM MAGNAM SYLVAM INCENDIT.] Unica ignis scintilla, vel parvula pruna ingentem sylvam late, ac celeriter comburit; quod satis crebro experientia nos docet. Linguæ mala magis adhuc aperta sunt, certa magis, atque communia. Non semel ob unam voculam temere elapsam ingentia bella exarserunt, & quotidie eadem de causa dissidia, atque odia plusquam Vatiniana oboriuntur. Cum ignis deficere, ubi circumundique ad suos ignis nutrimenta, perquam caute, ac diligenter inceditur. Lingua tamen nostra adhuc nequior est, ac pertinacior. ℣. 6. *Lingua ignis est.*

UNI-

1 Μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε. Antiq. Ital. *Nolite multi magistri esse.*
2 1. Cor. 11. 14. 13. 14. 3 Vide Timoth. 1. 7. 6. 3. 4. 5. & 2. Timoth. 1. 13. 4. 3. Tit. 1. 9. 2. 1. 1. Cor. 1. 2. 3. Galat. 4. 7. 4. 16. 17. &c. 4 Rom. 16. 18. 5 Philip. 3. 19.
6 Philip. 3. 18. 7 Galat. 6. 12. 8 Philip. 3. 2.
9 Grot. Est. Erasm. Menoch. alii. 10 Vide Concil. Milevit. cap. 6. Tridens. c. 6. can. 23. Est. Tir. hic.
11 Græc. impress. Ἰδὲ τῶν ἵππων τοὺς χαλινοὺς εἰς τὰ στόματα βάλλομεν, *Ecce equorum ori fræna imponimus.* Alex. Pet. 3. Colb. 7. Lin. εἰ δὲ. Alii ἴδε Steph. Pet. 1. hunc. 1. alii. εἰ δὲ. Ut Vulg. Antiqu. Ital. & Steph. 3. Magd. 1. Cov. 2. Coph. Oecum. alii Quidd. Codd. Lat. *Sicut autem.*
12 Καὶ μεγαλαυχεῖ. Vulg. *Et magna exaltat.* Beda. *Et magna exultat.* Antiq. Vulg. *Et magna gloriatur.*
13 Vide Oecumen. E. Cornel. Menoch. Hamm.
14 Ἰδοὺ ὀλίγον πῦρ ἡλίκην ὕλην ἀνάπτει. Alii. ἡλίκον πῦρ. Alex. Barb. 1. Velez. Col. Vulg. Hieronym. in Isai. ult. *Parvus ignis quam grandem succendit materiam.*

℣. 6. UNIVERSITAS INIQUITATIS.] Hæc origo est pleroromque malorum, quæ in mundo videntur. Omnium iniquitatis generum congeries: nihil est tam pravum, quod illa aggredi minime valeat: in pacatissimas etiam domos dissidium immittit; optimos quoslibet amicos sejungit; innocentissimis labem adspergit; sceleſtiſſimus crimina abſolvit; certissimis rebus tenebras offundit; veritatem, justitiam, integritatem ſusque deque perturbat. Dicitur *universitas iniquitatis* eodem in ſensu, quo *malorum oceanus*, *scelerum illuvies*, *ærumnarum Ilias* dicuntur.

Quidam [1] Græcum textum alio intelligunt in ſensu [2]: *Lingua ignis est Mundum iniquitatum comburens*: Lingua ſcintilla eſt: mundus ligna. Non ſecus ac ignis terribile parit incendium; ita lingua in mundo infinita mala producit. Alii vertunt [3]: *Lingua ignis est, ornamentum iniquitatis*. Conator iniquitatis amorem conciliare, & odium auferre, quo illam perſequimur.

QUI MACULAT TOTUM CORPUS, ET INFLAMMAT ROTAM NATIVITATIS NOSTRÆ [4].] Nos in ſexcenta impellit crimina, quæ animam noſtram coinquinant; omnem vitæ noſtræ curriculum inflammat. Ex quo incipimus proferre verba, atque ratione uti, dici nequit vel ullum immune eſſe momentum, quo pravarum linguarum telis obnoxii non ſimus, vel quo vacui ſimus ab iis erroribus, quos verbis noſtris committimus: ardemus ſemper, vel igne, quem nos ipſi ſuccendimus, vel qui in nos ab aliis inflammatur. *Rota nativitatis* vitæ noſtræ curriculum ſignificat, vel naturæ curſum rotæ inſtar prætervolantis [5], vel denique ſeriem omnium generationum; quarum aliæ aliis ſibi ſuccedunt, & quæ omnes linguæ periculis obnoxiæ ſunt. Rota inconſtantiæ ſymbolum eſt; eamque in Templis ſuis collocabant Ægyptii [6]. Numa quoque [7] hoc ex Pythagoreis expreſſerat, qui rotam imaginem aſſumebant, & divinitatis, cujus nullum initium eſt, nullus finis; & vitæ humanæ ſemper inconſtantis.

INFLAMMATA A GEHENNA.] Hoc inſtrumentum eſt, quo Dæmonis utitur nequitia ad noſtrum æque, ac aliorum interitum. Hic non ſimplex eſt ignis, ſed ignis inferni univerſum vitæ noſtræ curriculum inflammans, ſed aliquando tandem & ipſa viciſſim in Inferno cremabitur [8].

℣. 7. OMNIS ENIM NATURA BESTIARUM DOMATUR.] Oſtendit experientia, nullum fere brutorum eſſe genus licet ferociſſimum, quod temporis beneficio non manſueſcat, atque domentur [9]: urſi, lupi, leones, ipſæ etiam tigres ad manſuetudinem poſſunt vocari; cujus rei ſexcenta in Romana hiſtoria occurrunt exempla. Animalia quælibet, quæ magnitudine, & viribus præſtant veluti elephas, taurus, bubalus, monoceros ſubiguntur: piſces etiam, atque ſerpentes nequaquam indomiti ſunt; & homo ſcrutatus eſt quomodo illos aut vi, aut eſca, aut inſidiis ſuperaret: quemadmodum ex eruditis naturæ ſcrutatoribus liquet.

℣. 8. LINGUAM AUTEM NULLUS HOMINUM DOMARE POTEST.] Dei quidem favente gratia poteſt coerceri, & ad tempus in officio contineri: frenum illi apponi poteſt, atque jugis impendi vigilantia, at quis gloriari poſſet, ſe eam penitus perdomuiſſe? Quis affirmare ſe olim, vel polliceri ſe impoſterum lingua vel non peccaſſe, vel non peccaturum? *Homo domat feram, non domat linguam*, S. Auguſtinus ait ſerm. 4. de Verbis Marc. *domat ipſe, non domat ſeipſum . . . . Ergo intelligamus, quia ſi linguam nullus hominum domare poteſt; confugiamus ad Dominum, qui domat linguam noſtram*. A Quinam alienam cohibere linguam valet [10], ne de ſe obloquatur? quis efficere, ne alienis injuriis, obtrectationibus, contumeliis proſcindatur? *Domine*, ajebat Pſalmiſta Pſalm. 119. 3. 4. 5. *libera animam meam, a labiis iniquis, a lingua doloſa. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis*.

Pro *ſerpentibus, & cæterorum*, quod eſt in Vulgata eruditi quidam [11] critici legi vellent: *Serpentium, & cæterorum*; quæ lectio in Latinis quibuſdam Exemplaribus invenitur, Eſtio teſtante; eique Græcus [12] ſuffragatur; qui legit ſerpentes, vel *reptilia, & animantia, quæ vivunt in mari*. At alii [13] Vulgatæ lectionem tuentur, quæ omnibus, quæ novimus, Latinis Exemplaribus cum MSS. tum editis probatur; B cum alioquin fieri potuerit, ut Auctor Vulgatæ legerit *Allon*, pro *Enalion* [14]; *alia animantia*, pro *marinis animantibus*. Vetus Italica legit: *Beſtiarum, ſive volatilium, repentium, & natantium*.

INQUIETUM MALUM [15], PLENA VENENO MORTIFERO.] Lingua volubilitatis eſt non coercendæ, manus quidem, pedeſque inhibere poſſumus, linguam non poſſumus. Obtrectator velut ſerpens eſt virus ſuum in audientes inſtillans, ac ſimul & eum, de quo loquitur, & eum ad quem loquitur, occidens. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labiis eorum*, inquit Propheta Pſalm. 139. 4.

℣. 9. IN IPSA BENEDICIMUS.] Hoc oſtendit inconſtantiam, & improbitatem partis hujus corporis noſtri pernicioſiſſimæ, quæ in rebus adeo oppoſitis C impenditur. Veriſſimum profecto eſt, quod inquiebat Æſopus, linguam ſcilicet e partibus humani corporis ſimul eſſe, & optimam, & nequiſſimam; & Salomon Prov. 18. 21. *Mors & vita in manu linguæ*.

℣. 11. NUMQUID FONS DE EODEM FORAMINE.] Fieri nequaquam poteſt, ut fontis unius tubus uno eodem tempore, eodemque momento ſimul & amaram, & dulcem aquam emittat, frigidam ſimul, & calidam. Verum amittere poteſt variis ſubinde temporibus, qualis ille, de quo Plinius l. 2. c. 103. verba facit, cujus aquæ ſub meridiem frigidæ ſunt, ſub veſperam tepentes, calidæ, & ſalſæ vero nocte concubia: vel qualis alter ille, de quo Caſaubonus in Ephemeridis ſubinde ſpatiis nunc dulcem, nunc ſalſam aquam effundens. Ita lingua, cum maledicta evomit, non D poteſt ſimul erga perſonam eamdem laudes etiam proferre, licet utrumque aliis identidem horis præſtare valeat. Verum non ſecus ac ubi hoc accidit in fonte, monſtri, & prodigii contra naturam loco habetur; ita etiam lingua tamquam iniquitatis, & nequitiæ portentum habendum eſt.

℣. 12. NUMQUID POTEST FICUS UVAS FACERE?] Hoc in rerum natura numquam accidit, ſed in morali paſſim qui bonus erat fit nequam, & malos fructus affert, & e contra, qui erat improbus, probus fit, & bonos adit fructus. Sed hæc varietas, quæ in homine deprehenditur, vera eſt imperfectio. Si talis eſſet, qualis eſſe debet, bono conſtanter hæreret, duobus dominis non ſerviret, non ferret viciſſim, ac modo malos, modo bonos fructus. JESUS CHRISTUS in Evange- E lio eadem ferme, ac S. Jacobus, utitur argumentatione; apud S. Matthæum 7. 16. ait, ſe pſeudo-Prophetas ex operibus tantum cognituros; bonam arborem malos fructus ferre non poſſe, nec malam fructus bonos; & certum eſt, ſi moraliter loquamur, bonum virum bonas, malum malas actiones efficere.

NEQUE

1 Vide Syr. Tirin. Grot. Jon. Eſt. 2 Καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας. Antiqu. Ital. *Lingua ignis ſæculi iniquitatis*. Grotius putat legendum eſſe cum Syro: Ἡ γλῶσσα πῦρ τῷ κόσμῳ τῆς ἀδικίας.
3 Heinſius, Cene, proj. de reductione. 4 Φλογίζουσα τὸν τροχὸν, (*Rotam*; vel τροχὸς *curſum*.) Τῆς γενέσεως. 5 Syr. Tremel. 6 Clemen. Alexand. lib. 5. Stromat. & Dionyſ. Thrac.
7 Plutarch. in Num. *Rota ſymbolum*. 8 Vide Syr. Grot.
9 Seneca l. 2. cap. 29. de Benefic. *Cogita quanta nobis tribuerit parens noſter; quanto valentiora animalia ſub jugum miſerimus, quanto velociora conſequamur, quam nihil ſit mortale non ſub ictu noſtro poſitum*.
10 Eſt. Grot. 11 Eraſm. Eſt. Gagn. Cajet. Salmeron. Oecumen.
12 Ἑρπετῶν καὶ ἐναλίων. 13 Vide Mill hic. Bukentop Zeger.
14 Ἄλλων, pro ἐναλίων, pro ἐναλίων. 15 Antiqu. Ital. *Inconſtans malum*. Ἀκατάσχετον κακόν. *Incoercibile malum*. Alii: Ἀκατάστατον. *irrequietum*. Ita Alexand. Coph. Vulg. Steph.

NEQUE SALSA DULCEM POTEST FACERE AQUAM.] Fons aquæ salsæ non potest dulcem aquam effundere. Hoc est perspicuum, & Græco typis edito simillimum [1]: sed plures egregii MSS. Græci [2], uti Vulgata legunt: *Neque salsa dulcem potest facere aquam*. Ex maris imo dulcis non haurietur aqua; neque salsa dulcis fieri potest.

℣. 13. QUIS SAPIENS, ET DISCIPLINATUS?] qui specimen suæ præbeat sapientiæ, atque pietatis. Ex fructibus arbor cognoscitur, Salvator ait [3]. Ubi sunt, qui ex vobis Doctores haberi volunt, & opera ad salutem necessaria non esse contendunt? probent se vere sapientes esse, atque illustratos, ex operibus suis, ex sua vivendi ratione, æquitate, modestia, suavitate. Hoc satis erat manifestum, pseudo-Apostolos, veluti Simonianos, aliosque eorum temporum hæreticos, fuisse corruptissimos: In primum versiculum nonnihil de eorum vita attigimus: ita S. Jacobus, ut fidelibus errorem auferret, & rubore fictitios hos Sapientes offunderet, qui nova ferebant dogmata, nullam magis facilem invenire viam poterat, quam ad eorum mores, ac vivendi rationem eos provocando. Hic lapis est lydius omnium hominum.

℣. 14. QUOD SI ZELUM AMARUM HABETIS,] atram in proximum vestrum invidiam, propter quam terrenæ illius felicitati invidetis, vel hitquis, ut ajunt, oculis insuemini & benedictionem, quam super ejus labores Dominus effundit, & gloriam, cujus fulgore nitet: *nolite gloriari*, quasi sapientes effectis, & nolite *mendaces esse adversus veritatem*. Justi vestium met ipsorum æstimatores estote, & confitemini, vos minime pares esse aliis edocendis, ac veritatibus salutis prædicandis. Spiritus JESU CHRISTI Spiritus est suavitatis, mansuetudinis, pacis, & charitatis. Præbete harum virtutum indicia, & haud ægre fatebimur, veram vobis inesse sapientiam. S. Jacobus mirum in modum causas aperit, propter quas plerique hi pseudo-Doctores Judaizantes operabantur, Provincias lustrantes, Ecclesiasque perturbantes, cum lumine, sapientia, charitate vacui penitus essent, ac nullam missionem haberent.

℣. 15. NON EST ISTA SAPIENTIA DESURSUM DESCENDENS.] Invidia, livor, contentio, non est secundum JESU CHRISTI spiritum. Quantumlibet scientiæ, atque sapientiæ obtineas, si charitas, & Christiana suavitas tibi deest, jam inanis est sapientia tua, *terrena, animalis, diabolica*. *Terrena* quidem, non enim aliud quærit, quam vitæ hujus commoda, & bona; *animalis* vero, humana, mundana, vilis, carnalis, quia nihil sublime vel in objecto suo est, vel in rationibus; *diabolica* tandem, a spiritu nequam profecta; nec alium characterem præseferens nisi ambitionem, superbiam, invidiam. S. Paulus alicubi testatur [4] se non secundum mundi, neque carnis, & Principum hujus terræ sapientiam prædicasse; quæ loquendi rationes, terrenæ, animali, ac diabolicæ huic sapientiæ respondent, de qua isthic S. Jacobus verba facit, & cui *Divinam* opponit Sapientiam, spiritualem, a Deo profectam.

℣. 16. UBI ENIM ZELUS.] Spiritus JESU CHRISTI Spiritus pacis est, & suavitatis. Invidia ergo, & contentiones nequaquam signa sunt Spiritus Dei, neque vestræ ad Evangelicum ministerium vocationis argumenta. Ut judicetis, cujus sitis, & quo spiritu ducimini, considerate vestræ prædicationis effectus: quid illa in animis, ac mentibus parit? contentiones sane, dissensiones, rixas; & inde quot mala proficiscuntur! inimicitiæ, doli, jurgia, scandala, calumniæ.

℣. 17. QUÆ DESURSUM EST SAPIENTIA;] quæ Deum habet Auctorem, ac fontem, omnino differt ab ea, quam vobis descripsi: hæc *pudica est*, *pacifica*, *modesta*, *suadibilis &c.* Operæ pretium est primum adnotare, Hebræos sapientiæ nomine complecti scientiam, prudentiam, bonam disciplinam, pietatem, religionem, & nonnumquam etiam calliditatem, astum, dolum, sequioremque prudentiam. Hic vero sapientia intelligitur de cognitionibus, & qualitatibus, quibus insignitum esse debet, qui docendi, aliosque regendi in iis, quæ ad Religionem pertinent, subit provinciam. Hic sapientiam quidem habere debet, non carnalem, non humanam, non discordiæ, & invidiæ spiritu accensam; sed divinam in principio suo, *pudicam* [5], puram, & castam, ab omni carnis corruptione, omnique pravo studio expeditam; *pacificam* cum omnibus, & suo potius jure decedere, quam litem, pacemque turbare, cupientem; *modestam*, moderatam, humilem, non inflatam, neque ab aliis in honore haberi quærentem. Græcus [6] significat potius, *æquam*, omnia æqui, bonique facientem, comem, facilem, suavem.

Suadibilis. Græcus ad litteram [7]: quæ facile credit, quæ sibi facile persuaderi sinit. S. Paulus omnino simile charitati epithetum addit 1. Cor. 13. 7. *Omnia credit*: quod oppositum est pervicaciæ, atque obstinato animo, quæ signa sunt superbiæ, atque jactantiæ, quæ directe opponuntur Spiritui Christianæ Religionis, quæ nobis docilitatem, simplicitatem, atque obedientiam inspirat. Addit S. Jacobus, sapientiam, de qua verba facit, *plenam esse misericordia*, quæ facile aliorum miseretur, alienis doloribus afficitur, eisque opem adfert: *& fructibus bonis*, intentam ut in cœlo bonarum actionum thesaurum sibi congeras; beneficia sua plenis manibus in pauperum sinum effundentem; quæ ideo in Cœlis uberrimam remunerationem inveniet, mensuram plenam, & coagitatam, & supereffluentem, quemadmodum inquit Evangelium Luc. 6. 38.

Denique *non judicans* leviter, nec inique de proximo suo: omnia in æquiorem sensum interpretans, alienis sese negotiis minime immiscens. Græcus [8]: *non discernens*, non ita religiosius personas, vel res distinguens, velut ii, qui curiosa nimis electione injustas personarum acceptiones vel in judiciis suis, vel in suarum distributione gratiarum admittit. Sapiens, quantum in ipso est, omnibus benefacit, quin nimia personarum merita scrutetur. Christiana denique sapientia esse debet *sine simulatione* [9], sine hypocrisi. Sæculi hujus Sapientes non exiguam prudentiæ suæ partem in eo collocant, si sensus suos celent, atque dissimulent [10]; Christianorum vero Sapientia simplex est, atque sincera.

Post verbum illud, *suadibilis*, Vulgata legit, *bonis consentiens*, quærens, quæ bona sunt, quod neque in Græcis Exemplaribus, neque in vetustissimis quibusdam Latinis MSS. invenitur. Vulgata vetus ante S. Hieronymum legebat: *Primum sancta est, deinde pacifica, & verecundiæ consentiens, plena misericordiæ, & fructuum bonorum, sine dijudicatione, irreprehensibilis, sine hypocrisi*. Et ubi Vulgata legit, *non judicans*, *sine simulatione*, Sixti V. Editio legit: *judicans sine simulatione*.

℣. 18. FRUCTUS AUTEM JUSTITIÆ IN PACE SEMINATUR.] Si veram justitiam cupit acquirere, ejus-

1 Οὔτως οὐδεμία πηγὴ ἁλυκὸν καὶ γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ. 2 Alex. Colb. 7. Cov. 4. Genev. Syr. Æth. Copht. Οὔτε οὐδὲ ἁλυκὸν γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ. Quam lectionem probant Est. Grot. Brug. Antiq. Ital. *Sic non salmacidum, dulcem facere aquam.* 3 Matth. 12. 33. *Ex fructu arbor cognoscitur.*

4 Rom. 8. 7. *Sapientia carnis inimica est Deo.* 1. Cor. 1. 20. *Stultam fecit Dominus sapientiam hujus mundi.* 2. Cor. 1. 12. *Non in sapientia carnali.* 1. Cor. 2. 6. *Non loquimur sapientiam hujus sæculi, neque principum hujus sæculi.* 5 Πρῶτον μὲν ἁγνή ἐστι. *Primum quidem pudica; seu casta est.* Antiq. Vulg. *Sancta est.*

6 Ἐπιεικής. *Modesta.* 7 Εὐπειθής. Vulg. *Suadibilis, morigera, obsequiosa.* Antiq. Ital. *Verecundiæ consentiens.* Jungit cum, εἰρηνική. 8 Ἀδιάκριτος. *Nihil dijudicans, discernens, disceptans.* Antiq. Ital. *Sine dijudicatione, irreprehensibilis.* Bis eamdem vocem vertit. 9 Ἀνυπόκριτος. *Non simulans; sincera.* Antiq. Ital. *Sine hypocrisi.* 10 Greg. Magn. lib. 10. cap. 16. Moral. in Job. *Hujus mundi sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare... at contra sapientia justorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare.*

que amorem, & praxim aliis infundere, in pace serenda est: Justitia fructus est concordia, quicumque serit in Evangelio dissidii, atque discordiæ spiritum, nullum umquam proferet fructum. Altera manu evertit, quod ædificat altera. S. Jacobus semper loquitur contra falsos Doctores, qui erant inquieti, seditiosi, ambitiosi.

Græcus etiam verti potest [1]: *Qui vivunt in pace, ferunt in pace fructum justitiæ*: hoc est, viri boni, qui vivunt in concordia, & pace, ferunt in hoc sæculo bona opera, quæ sibi in altero beatitudinis æternæ fructus producent. At prior explicatio mihi melior videtur, & melius cum precedentibus cohæret, quæ spectant ad Judaizantes Christianos, qui sine vocatione, atque sapientia, alios edocere cupiebant. Discant illi bene vivendi rationem, atque in pace permaneant, *Fructus justitiæ in pace*.

1 *Καρπὸς δὲ τῆς δικαιοσύνης ἐν εἰρήνῃ σπείρεται τοῖς ποιοῦσιν εἰρήνην.*

CAPUT IV.

Concupiscentia jurgiorum causa. Quæ petuntur, non obtinentur, eo quod male petantur. Amicitia Mundi inimica Deo. Dæmoni resistendum, plorandum, obtrectatio fugienda, divinis parendum imperiis.

1. UNde bella, & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris,
quæ militant in membris vestris. 2 Concupiscitis, & non habetis:
occiditis, & zelatis: & non potestis adipisci: litigatis, & belligeratis,
& non habetis, propter quod non postulatis. 3 Petitis, & non accipitis: eo
quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis: 4 Adulteri, nescitis,
quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse
sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. 5 An putatis quia inaniter scriptura di-
cat: Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis? 6 Majorem au-
tem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem
dat gratiam. 7 Subditi ergo estote Deo: resistite autem diabolo, & fugiet a
vobis. 8 Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, pec-
catores: & purificate corda, duplices animo. 9 Miseri estote, & lugete, &
plorate: risus vester in luctum convertatur, gaudium in mœrorem. 10 Humilia-
mini in conspectu Domini, & exaltabit vos. 11 Nolite detrahere alterutrum
fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & ju-
dicat legem. Si autem judicas legem: non es factor legis, sed judex. 12 U-
nus est legislator, & judex, qui potest perdere, & liberare. 13 Tu autem
quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibi-
mus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lu-
crum faciemus: 14 Qui ignoratis, quid erit in crastino. 15 Quæ est enim vi-
ta vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Pro eo ut
dicatis: Si Dominus voluerit. Et: Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. 16
Nunc autem exultatis in superbiis vestris. Omnis exultatio talis maligna est. 17
Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.

℣. 1. UNDE BELLA, ET LITES IN VOBIS? NONNE HINC, EX CONCUPISCENTIIS VESTRIS?] Græcus [1]: *ex voluptatibus vestris*? Immodici affectus ambitionis, voluptatum, divitiarum generatim concupiscentiæ, aut voluptatis nomine continentur. Omne malum tres illæ sorores gignunt [2]; *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, concupiscentia vitæ*. Illinc publice, privatæque omnes in Rebuspublicis, atque familiis dissensiones oriuntur. In Christianam Religionem jam tunc acerba obrepserant dissidia, quæ homines voluptatem, honorumque nimium studiosi pepererant. Hic erat primorum Hæreticorum spiritus.

Cæterum inter Hebræos plures erant sectæ, puta Pharisæorum, Saducæorum, Herodianorum, vel Judæ Galilæi Discipulorum. Qui ex illis sectis in JESU CHRISTI castra transibant, illuc sua præjudicia afferebant, atque cupiditate sensus suos servandi, vel efficiendi, ut ab aliis etiam reciperentur, pacem summo cum damno turbabant. Hinc tot eorum temporum Hæretici juxta Saducæorum dogmata resurrectionem negabant, alii vero mordicus Traditionibus inhærebant; juxta Pharisæorum principia. Tenebant alii, JESUM CHRISTUM non alium fuisse, quam simplicem hominem secundum plerorumque tunc temporis Judæorum principia, temporale Messiæ regnum expectantium. Alii sæcularibus potestatibus subesse renuebant secundum Herodianorum sententiam, qui Deum tantum, vel Prin-

1 Ἐκ τῶν ἡδονῶν. Antiq. Vulg. *Ex voluptatibus vestris*.

2 1. Joan. 11. 16.

Principes ab eo constitutos agnoscere, eisque parere volebant. Hinc fit, ut SS. Petrus, & Paulus in Epistolis [1] tanta sollicitudine commendent, ut sæcularibus Principibus subjiciamur. Spiritus, quo illi hæretici animabantur, erat voluptatis, gulæ, ac libertatis amor, omnium litium, ac dissensionum fons in Ecclesia.

℣. 2. CONCUPISCITIS, ET NON HABETIS.] Quid in causa est, quod eum nullam pacem servare potestis? id nempe, quod desideriis vestris dominari nescitis. Numquid vobis aliquid deest? ardenter illud concupiscitis, sollicite quæritis, ideoque vel lurandum est, vel jurgandum, vel occidendum. Effrenis vestra concupiscentia ad hæc omnia mala vos rapit; vel si abstinetis, metus videlicet, humanæque rationes vos coercent. Et sane ubi aliquis se se suis tradiderit desideriis, nullum est flagitium, cujus compos non sit.

Quædam suboritur in iis verbis difficultas: *occiditis, & zelatis*. Naturale non est, ut in gradatione zelotypiæ cædes præponatur; potius enim invidia, zelotypia cædi est præferenda. Critici nonnulli [2] credunt, pro *occiditis* a S. Jacobo scriptum fuisse, *invidetis*, *Phthoneite*, pro *phoneuete*: sed eorum castigatio nulla MSS. antiquorumque Versionum auctoritate probatur. Syrus, & Vulgata vetus Græco in communibus Bibliis edito similes sunt. Quidam [3] *occidendi* verbum in improprio explicant sensu, pro vexare, affligere, contumeliam inferre: torquetis proximum vestrum, illum opprimitis per violentam invidiam, quæ in ipsum vos proripit: sed in textu, atque vulgari explicatione nihil immutari vellem. Sacri Auctores haud ita semper religiosi sunt in vocum ordine instituendo. Invidia plurimas parit cædes. *Occiditis, & zelatis*, pro occiditis, *quia zelatis, & non potestis adipisci*.

ET NON HABETIS PROPTER QUOD NON POSTULATIS.] Vos met incompositis desideriis vestris traditis, & omnibus conatibus vestris id consequi non potestis, quod concupiscitis; quoniam & homines injustis cogitationibus vestris adversantur, & Deus id vobis renuit, quod ex ipso petere dedignamini. Intelligite igitur aliquando laborum vestrorum inutilitatem, injustamque concupiscentiam vestram coercete.

℣. 3. PETITIS, ET NON ACCIPITIS.] Esto quidem, vestrum aliqui ex Deo illa petant, quorum indigent, eorum tamen preces non exaudiuntur, eo quod perperam effunduntur, atque circa prava objecta versantur. *Male* petitis, sine spe, sine humilitate, sine fide, sine charitate, cor invidiæ, & odio, manus vero fraudibus, & iniquitatibus repletas habentes. *Quæritis, ut in libidines vestras erogetis* [4], hoc est, a Deo petitis instrumenta, quibus illum lædatis, & vosmetipsos in interitum præcipites detis. Quid autem pejus pro infensissimo inimico expeti posset? Quid gravius in ira sua vobis Deus concedere? Vultisne promissionum Dei, & precum vestrarum effectus obtinere? *Petite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis*, Matth. 6. 33. Petite in nomine JESU CHRISTI Salvatoris vestri Joan. 16. 23. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. *At ille in nomine Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad rem salutis pertinet*, S. Gregorius inquit hom. 27. in Evang.

℣. 4. ADULTERI, NESCITIS.] Græcus [5]: *Adulteri, mares, & fœminæ, nescitis &c.* Amicitia hujus mundi generatim significat noxium amorem bonorum, voluptatum, honorumque hujus mundi. Adulterii nomen in proprio sensu, vel in figurato desumi potest pro illis, a quibus Christianæ Religionis Sanctitas, & fides, quam Deo promiserunt, violantur. Optimi complures Interpretes [6] posteriorem hunc sensum præferendum arbitrantur; non enim fidei consonum est, inter primos illos fideles, tales adulteros extitisse: Scriptura sæpe fornicantium, & adulterorum nomine appellat impios, & eos qui terrenas, ac illicitas voluptates sequuntur. Duobus Dominis servire non possumus [7]; Mundi simul, & JESU CHRISTI non possumus esse, alterutrum eligendum est. *Fecerunt civitates duas amores duo*, S. Augustinus ait [8]; *terrenam scilicet amor sui, usque ad contemptum Dei; cælestem vero amor Dei usque ad contemptum sui*.

℣. 5. AN PUTATIS, QUIA INANITER SCRIPTURA DICIT.] Constat inter omnes, locum a S. Jacobo allatum de verbo ad verbum in Scripturis non inveniri: sed plures notantur loci, ad quos ille potuit alludere. Plures huic loco sensus tribuuntur, sed qui ad duos redigi possunt. Primum, numquid ignoratis, Scripturam nequaquam frustra dicere, quod *Spiritus Sanctus in vobis inhabitans, spiritu zelotypiæ vos amat* [9]? quod referri potest ad omnes Bibliorum locos, ubi se comparat viro, qui zelotypia flagrat propter amorem, ac fidem populi sui, quem sæpe tamquam sponsam suam exhibet, & cujus scelera, tot veluti adulteria, exaggerat [10]. Locus, qui huic sensui magis convenire, & S. Jacobi verbis magis conformis esse videtur, Ezechielis est c. 23. 25. *Ponam zelum meum in te*. Amavi te amore zelotypiæ, & contemptum amorem meum in te ulciscar.

Ratio altera, qua locus hic explicatur, hæc est [11]: *Numquid ignoratis, minime frustra dici in Scriptura Spiritum in vobis inhabitantem, vastum Spiritum, zelotypiæ sensus severa?* Quasi diceret; Nescitis ne, vos in vobismetipsis deferre spiritum, pravum studium, quod jugiter vos trahit in invidiam, odium, inimicitiam adversus proximum vestrum? Spiritus hic eodem in sensu usurpatur, ac a S. Paulo Galat. 5. 17. *Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem*. Qui hanc explicationem sequuntur, putant, Apostolum ad eos locos alludere, ubi de originali peccato, vel de concupiscentia, ac studio, quo in malum rapimur, verba fiunt: exempli gratia Gen. 6. 5. *Vidit Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum*. Et Gen. 8. 21. *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines, sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia*. Altera hæc explicatio pluribus arridet [12]; ego tamen priori calculum adderem.

Quidam apposita legunt interrogatione [13]: *Putatis ne, Scripturam frustra loqui? Spiritus, qui in vobis est numquid vos in zelotypiam impellit?* Vel [14]: *Creditisne Scripturam nequiquam, & per invidiam contra vos loqui?* Scriptura vos fallere nequit, neque injustum, & non ferendum jugum vobis imponere? Credunt alii [15], S. Jacobum ad Numerorum 11. 29. alludere, ubi cum Josue conquestus esset apud Moysem, quod Eldad, & Medad in castris prophetarent, Moyses illi respondet: *Quid æmularis propter me?* Quasi diceret: Credis ne, Spiritus Sanctus zelotypiæ amore me diligat, & ego invideam illis, quibus divinus hic Spiritus se, ut mihi, communicat? Absit a me hujusmodi cogitatio. Quis mihi dabit, ut populus universus prophetet, ac Dei spiritu repleatur. Ita, fratres mei, dicere potest S. Jacobus, ne invideatis fratribus vestris, ne turbetis illos, dum iis perfruuntur bonis, quæ de manu Dei receperunt. Nullæ sint inter vos lites, nullæ querimoniæ, nulla dissidia.

℣. 6. MAJOREM AUTEM DAT GRATIAM.] Spiritus Sanctus in vobis inhabitans, vos diligit amore zelotypiæ, majoresque vobis confert gratias pro ratione fidelitatis, humilitatis, & amoris vestri erga fratres: vel potius; prorsus gratuito amoris affectu vobis gratiam suam confert; propter quod dicit: *Deus superbis resistit*,

1 Rom. 13. 1. Tit. 3. 1. 1. Petri 11. 13. 14. 2 Græc. Φθονεῖτε, καὶ ζηλοῦτε. Erasm. edit. 2. & Colon. Φθονεῖτε, καὶ ζηλοῦτε. Vide Grot. Bez. Est. Cajet. Clar. Vat. 3 Vide Drusium.

4 Ἵνα ἐν ταῖς ἡδοναῖς ὑμῶν δαπανήσητε. Antiq. Vulg. *Ut in libidines vestras erogetis*.

5 Μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες, οὐκ οἴδατε. Antiq. Ital. seu Vulg. *Fornicatores, nescitis, &c.*

6 Vide Est. Grot. Menoch. Bez. Capell. Cornel. 7 Matth. 6. 24. 8 August. lib. 14. de Civit. cap. 28.

9 Vide D. Thom. Cornel. Est. Menoch. Pair. Pisc. Jac. Capell. alios.

10 Exod. 20. 5. Deut. 4. 24. 5. 9. 6. 15. Nahum. 1. 2. Psal. 78. 5. Ezech. 16. 38. &c.

11 Ἢ δοκεῖτε ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει. Πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ὑμῖν.

12 Plures in Beda, Hassel. Est. 13 Beda. Vide Est.

14 Oecumen. 15 Jun. Pisc. Capell. Glass.

fistis, humilibus autem dat gratiam. Resistit illis, qui A in semetipsis confidunt, ac meritum habere arbitrantur; humilibus vero, qui in ipsum omnem transferunt confidentiam, qui ad eumdem de semet humiliter sentientes summa cum humilitate accedunt, dat gratiam.

Aliter: *Deus vobis eo majorem tribuit gratiam, quo minor est vestra erga fratres invidia*: quo minor est in vobis concupiscentiæ spiritus, qui adversus fratres vestros in vobis invidiam accendit, eo majoribus gratiis vos cumulat Deus; qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Superbi illi sunt, qui in alios dominari cupiunt, qui eorum bona invadere, ac usurpare quærunt, qui torvis oculis fratrum suorum felicitatem intuentur: his Dominus resistit; at beneficiis cumulat humiles, pacificos, illos qui animi sui affectus, & ambitionem coercent.

Locus hic: *Deus superbis resistit, humilibus autem* B *dat gratiam*, nullibi de verbo ad verbum in Veteri Testamento legitur secundum Vulgatam; legitur tamen in Versione Septuaginta *Prov. 3. ℣. 34. Dominus superbis resistit, humilibus vero suam gratiam impertit*; ubi Hebræus, & Vulgata legunt: *Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam*. Inde S. Petrus [1] desumpsit eamdem sententiam, quam hic S. Jacobus adfert: & uterque Scripturam afferunt secundum eam Versionem, quæ sola tunc in usu erat apud Græcos. Græca quædam [2], & Latina Exemplaria totum hunc Versiculum omittunt; nec desunt Eruditi Critici [3], qui putent, hæc verba primum ab aliquo in textus sui margine descripta, mox a Librariis Textui inserta fuisse, unde profectum est, ut hodierna die in plerisque Græcis e- C xemplaribus, & omnibus ferme Latinis inveniantur. At hæc conjectura laborat. Exemplaria Mss. & edita, Versiones Orientales, Vulgata Latina vetus constanter locum hunc, qualis hodie legitur, legerunt.

℣. 7. SUBDITI ESTOTE DEO.] In omnibus vosmet Deo subjicite, Providentiæ illius decreta veneramini, quocumque in statu ab illa fueritis constituti; ne invideatis fratribus vestris, neque doleatis, si iisdem subditi eritis. *Resistite diabolo*, qui vobis humilitati, submissioni, patientiæ oppositos sensus studet immittere; *& fugiet a vobis*; vestra humilitas, & resistentia illum in fugam conjicient: Superbus hic spiritus, humiles ferre non potest; & ubi semel victus est, pudore suffunditur, nec adeo facile redit [4].

℣. 8. APPROPINQUATE DEO.] Precibus ad Deum D confugite, opem illius implorate, ad illum per sinceram pœnitentiam revertimini, si per peccatum ab illo recessistis: *& appropinquabit vobis*, vos recipiet, exaudiet, in gratiam vobiscum redibit, vos sua misericordia cumulabit. Facite, quod potestis, quod vero minime potestis, a Deo petite. Deus non repellit sincere quærentes se, ex corde ad ipsum redeuntes. Si vobis immittit desiderium ad ipsum revertendi, numquid vos rejicere posset, ubi interiori voci illius, ejusque afflatus obtemperaveritis?

EMUNDATE MANUS.] Iniquitatem abdicate, scelera vestra expiate, dignos pœnitentiæ fructus facite: qui furabatur, non furetur, qui opes, ac voluptates quærebat, nunc in paupertate vivat, atque abstineat. *Purificate corda vestra, duplices animo*, quibus deest æ- E quitas, atque sinceritas; qui cum Deo, & proximo vestro recta non ambulatis, qui modo Dei, modo Belial estis [5], qui in utramque partem claudicatis. Deus scrutator cor vestrum, illi comperti sunt affectus vestri: proximum puta, ac sincera charitate [6] non diligitis; duplices estis corde; aliud ore profertis, aliud celatis in animo: *In corde, & corde locuti sunt*. Psal. 11. 3.

℣. 9. MISERI ESTOTE.] Vos pœniteat; vos sub potenti manu Dei humiliate, coram illo gemite, corda vestra in peccatorum vestrorum dolore conterite.

Laboriosam pœnitentiam, quæ unica est via; qua ad Deum revertitur, qui per peccatum ab illo discesserat, his verbis exprimit S. Jacobus: *Miseri estote, & lugete, & plorate: risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem*. Superiori versiculo expressit fructus pœnitentiæ, vitæ mutationem, morum correctionem: alterum sine altero esse non debet: frustra ingemiscitis, & cor dolore conteritur, nisi peccatum sincere horretis, nisi illius occasionem deseritis, & nisi Deo pœnitentiæ operibus satisfacere conamini. Vel potius, si dolor vester sincerus est, atque interior, non subsistet in lacrymis, & in ululatibus, sed stabilem, & constantem in vobis salutem operabitur per realem exantlatæ vitæ immutationem.

℣. 10. HUMILIAMINI IN CONSPECTU DOMINI.] B Sicut enim dixit ℣. 6. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Deum lædimus superbia nostra; ad lenitatem flectendus est humilitate nostra; ab illo recessimus inani in viribus nostris confidentia, ad illum redeamus oportet sincera infirmitatis nostræ confessione: illata ipsi injuria a nobis est reparanda, si cum eo in gratiam redire cupimus [7]: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis*; die videlicet mortis nostræ, novissimique Judicii. Humilitate nostra nobis gradum ad gloriam æternam adstruimus.

℣. 11. QUI DETRAHIT FRATRI, DETRAHIT LEGI [8].] Judicare hoc in loco pro condemnare usurpatur [9]. S. Jacobus illos adoritur, qui Fratrum suorum Judices esse volunt, ac temere, & superbe da- C mnant eos, qui a suis sententiis, ac moribus discrepant. Id genus homines & seipsos, & Dei legem condemnant, temere in semet judicium ferentes, dum id faciunt, quod in aliis corripiunt, et sibi jus illud usurpant, quod sibi in Lege Deus reservavit [10]. Moleste ferunt, si ab aliis redarguantur, atque damnantur; cur ergo alios redarguere, ac damnare contendunt? Prohibet Deus obtrectationes, atque temeraria judicia; & illi maledictis iniquisque judiciis suis Dei mandata perfringunt.

Abusus, quem S. Jacobus condemnat, nimium communis erat primis Ecclesiæ temporibus, præsertim vero in Hebræis ad fidem traductis, qui voluissent, ut Ethnici Legis cæremoniis se se submitterent, & quorum plerique ægre, & gravate ferebant, quod Genti- D les fidei initiati, & complures etiam Judæi fideles plurimas cæremoniales leges fungi facerent, puta eas, quæ ad carnium discrimen, atque ad expiationes pertinebant. Coactus fuit S. Paulus, ut scriberet contra hujusmodi pseudo-doctores, qui inanem præseferebant zelum, & universum terrarum orbem in mores suos compellere admitebantur [11]. *Is, qui manducat promiscue ex omni ciborum genere, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit*. Vide etiam primam ad Corinthios cap. 8. & Acta cap. 10. versic. 34. 35.

℣. 12. UNUS EST LEGISLATOR, ET JUDEX [12].] Divinum usurpatis jus, de fratrum vestrorum moribus E judicium ferre ausi; num ignoratis, Deum unum esse Legislatorem, & Judicem? cur ergo vestris fratribus vestris illud jugum imponere, quod illis Dominus ipse minime imposuit, & ex quo Jesus Christus per mortem suam illos eripuit. Cur damnatis eos, qui vobiscum simul proditores sunt in Judicium Dei, summique Judicis sententiam subituri? Cur hanc proverbialem sententiam, quæ illis fortasse grata erit, & vobis ingrata? Si frater legem infringit in iis, quæ certe vetita sunt, pro illo preces effundite, illi suaviter, & cum charitate errorem ejus ostendite; sin autem abest a sententia,

---

1 1. Petri 5. 5. 2 Hunt. 1. Cod. Basil. 2. Froben. Oecum. Alii Codd. GG. & LL. 3 Erasm. Grot.
4 Hermas, lib. 2. mand. 12. *Si resistatis diabolo, fugiet a vobis confusus*. 5 Vide sup. c. 8. 2. Cor. 6. 15.
6 3. Reg. 18. 21. 7 1. Petri 5. 6. 8 Antiq. Ital. *Qui retractat de fratre, & judicat fratrem suum, retractat de fratre, & judicat fratrem suum*. 9 Κρίνει τὸν ἀδελφόν. 10 Deut. 1. 17. *Quia Dei Judicium est*.
11 Rom. 14. 1. 2. 3. 4. 12 Græcus non legit, *& Judex*: Εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης ὁ δυνάμενος σῶσαι καὶ ἀπολέσαι. At plures Mss. legunt, ut Vulgata, Εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης καὶ κριτής. Ita plures apud Mill. Syr. Copht. Æth. &c.

tentia, & pravi vestra iis in rebus, quæ ambiguæ sunt, atque neutræ, harum rerum Deo judicium relinquite, vestrumque zelum coercete.

℣. 13. TU AUTEM QUIS ES, QUI JUDICAS PROXIMUM [1]] Græca quædam exemplaria addunt [2]; *gressus enim hominis non sunt in manibus hominum, sed Dei*; quod desumptum est ex libro Proverbiorum, & ad ℣. 15. capitis hujus refertur. Simplicibus fidelibus nullus est character, ut de fratrum suorum facto judicent; judicium Deo relinquendum est, vel illis, qui ejusdem in terris obtinent locum.

ECCE NUNC QUI DICITIS.] Græcus [3]: *Qui dicitis: Eamus hodie, vel cras in illam civitatem, & ibi annum immoremur*, &c. Sed quidam Græci MSS. Syrus, Arabs, Æthiops, vetus Italica, omnes Vulgatæ nostræ similes sunt; & ea loquendi ratio, quæ dicit, *Ibimus*, multo magis reprehensibilis est, quam quæ dicit, *Eamus*; majorem enim in viribus suis confidentiam indigitat. Licet quidem inire consilia, & magna conari, dummodo in se non confidat mortalis; sed humiliter omnia in Dei manibus esse cognoscat; submissionem, atque infirmitatem suam fateatur; Dominum oret, ut quid sibi sit faciendum, edoceat, in consiliis maturandis viam aperiat, eisque faustum, ac fortunatum exitum tribuat; omnia enim ab ipso dependent. Sine illo omnia consilia nostra, labores, meditamenta, sapientia, adinventa, lavor, bona, vires nihilum prosunt. Amoveat ille, satis est, suam dexteram a nobis, & statim in nihilum revertemur: *In cujus manu anima omnis viventis, & spiritus universæ carnis hominis*, Job 12. 10.

℣. 15. QUÆ EST ENIM VITA VESTRA? VAPOR EST [4].] Qui eodem evanescit momento, quo videri cœpit. Vapor subtilissima est aquæ pars, quæ ignis, necis, vel solis opere sejungitur, & quæ in aerem sublata nonnumquam concrescit, & mox aut ventorum, aut caloris vi dissipatur, nisi ex pluribus vaporibus simul concretis nubes fiant. Sacri Auctores sæpe hominis vitam cum vento, fumo, vaporibus in auras evanescentibus compararunt. *Memento, quod ventus est vita mea*, inquit Job. 7. 7. *Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet*. Et 8. 9. *Hesterni sumus, & ignoramus; quia sicut umbra dies nostri super terram*. Et Psalmista psalm. 143. 4. *Homo vanitati similis factus est: dies ejus sicut umbra prætereunt*. Eædem etiam loquendi rationes apud profanos quoque Auctores inveniuntur. Seneca Tragicus.

Nemo tam divos habuit faventes
Crastinum ut possit sibi polliceri.

PRO EO, UT DICATIS; SI DOMINUS VOLUERIT.] Dicere deberetis, vel saltem interinsecus credere eventus omnes, vestramque vitam ipsam in manu Dei positam esse. Nullum vobis ineundum consilium est, quod a justitia, & Dei voluntate dissentiat: & quæ justissima, atque majoribus laudibus digna videntur, inscipienda non sunt, nisi ad Domini nutum, ac fatendum humiliter, eorum exitum ex illo pendere, ac dies nostros in nostra potestate non esse. S. Paulus in Epistolis suis nihil ut plurimum pollicetur, quin addat [5]: *si Dominus voluerit: si Dominus permiserit, in voluntate Dei*. Socrates Alcibiadem monebat, semper dicendum esse, si Dei tulerit voluntas: *Socratis vox est, si Dæmonium permittat*, ait Tertullianus in Apolog. *Si Deus dederit; vulgi iste naturalis sermo est*, ait Minutius Felix in Octavio. Homerus semper memorat supremam Dei in res humanas auctoritatem. *Tutissimum est raro experiri*, ajebat Seneca de animi tranquill. c. 13. *sed semper de fortuna cogitare, & nihil sibi de fide ejus promittere*. Christiana autem Religio omnes has locutiones rectificat, dicens, in uno Deo spem, vim, salutem, ac felicitatem esse collocandam.

℣. 16. EXULTASTIS IN SUPERBIIS VESTRIS [6].] Loquimini, & egistis, quasi immortales essetis, & a nullo penderetis. Ea consilia, nosque conatus suscipitis, ut temporum, ac eventuum Domini videamini. Horatius l. 2. Ode 16.

Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa?

Quænam dementia est in propriis viribus, existimatione, salute, vita, bonis gloriari, quibus ne unum quidem momentum certi sumus nos perfruituros: Quæ stultitia, ingentes fovere spes, & magna inire consilia, ubi rei tam fragili, qualis vita est, tantummodo innitamur! *Quam stultum est ætatem disponere? ne crastino quidem dominamur. O quanta dementia est spes longas inchoantium*; Seneca ep. 101.

℣. 17. SCIENTI IGITUR BONUM FACERE.] Hebræi JESU CHRISTI sacris initiati, nullam afferre poterant excusationem, nisi bonum operabantur; non enim eum Gentilibus prætexere poterant Legum Dei, & officiorum Christianæ Religionis ignorantiam. S. Jacobus satis illos in hac epistola admonuit; ubi retigit pleraque Religionis officia, ac præcipuos abusus, qui tunc apud illos inoleverant. Nunc vero, nisi ad frugem revertimini, inexcusabiles estis. *Ille servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*, Luc. 12. 47. 48. hoc tamen supposito, quod illius ignorantia neque ex nequitia, neque ex voluntate proficiscatur; hoc enim in casu ignorantia sua, quin peccatum imminuat, illud adauget.

---

1 Græc. impress. Σὺ τίς εἶ, ὃς κρίνεις τὸν ἕτερον. Alii plures optimæ notæ: Σὺ δὲ τίς εἶ ὁ κρίνων τὸν πλησίον. *Qui judicas proximum*. 2 Codd. Hunt. 1. Cov. 3. Oecumen. Cod. Coll. novi apud Mill. Ὅτι οὐκ ἐν ἀνθρώποις, ἀλλ' ἐν Θεῷ τὰ διαβήματα ἀνθρώπων, Ex Proverb. 20. 24.

3 Σήμερον καὶ αὔριον πορευσόμεθα εἰς τήνδε τὴν πόλιν, καὶ ποιήσομεν, &c. Alii: Πορευσώμεθα.... καὶ ποιήσωμεν.

4 Antiqua Italica legit: *Quæ autem vita vestra? momentum enim est per modica visibilis, deinde & exterminata*. Græc. Ἀτμὶς γάρ ἐστι. 5 1. Cor. 4. 19. & 16. 7. Hebr. 6. 3. Rom. 1. 10. Philipp. 2. 24. Act. 18. 21. 6 Καυχᾶσθε ἐν ταῖς ἀλαζονείαις ὑμῶν. Antiq. Ital. *Gloriamini in superbia vestra*.

CAPUT V.

Divites avari severe puniendi. Patientia inter vitæ hujus mala. Jusjurandum evitandum. Infirmorum curatio. Peccatorum confessio. Orationis Justorum effectus. Errantes in virtutis viam revocandi.

1. AGite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. 2 Divitiæ vestræ putrefactæ sunt: & vestimenta vestra a tineis comesta sunt.

sta suot. 3 Aurum, & argentum vestrum ærugioavit, & ærugo eorum in testi-
monium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis
iram in novissimis diebus. 4 Ecce merces operariorum, qui messueruot regiones
vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domioi Sa-
baoth introivit. 5 Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda ve-
stra in die occisionis. 6 Addixistis, & occidistis justum, & non restitit vobis.
7 Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola ex-
pectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, &
serotinum. 8 Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra: quo-
niam adventus Domini appropinquavit. 9 Nolite ingemiscere, fratres, in alteru-
trum, ut ooo judicemioi. Ecce judex ante januam assistit. 10 Exemplum accipi-
te, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in no-
mine Domini. 11 Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job au-
distis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, & miserator.
12 Ante omoia autem, fratres mei, nolite jurare neque per cœlum, neque per
terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester: Est, est:
Non, oon: ut non sub judicio decidatis. 13 Tristatur aliquis vestrum? oret:
Æquo animo est? psallat. 14 Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ec-
clesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomioe Domini: 15 Et ora-
tio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Domious: & si in peccatis sit, re-
mittentur ei. 16 Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invi-
cem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua: 17 Elias homo
erat similis nobis, passibilis: & oratione oravit, ut oon plueret super terram,
& non pluit annos tres, & meoses sex. 18 Et rursum oravit: & cœlum dedit
pluviam, & terra dedit fructum suum. 19 Fratres mei, si quis ex vobis erra-
verit a veritate, & converterit quis eum, 20 Scire debet, quoniam qui converti
fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operiet
multitudinem peccatorum.

℣. 1. AGITE NUNC DIVITES.] Quod hic ait S. Jacobus, atque in ℣. ℣. sequentibus usque ad ℣. 7. videtur dictum divitibus, qui erant extra Ecclesiam [1], & Christi fideles opprimebant. Septimo vero tandem versiculo fideles alloquitur, eosque ad patientiam hortatur. De divitibus superius jam verba fecit cap. 2. 2 & sequen. sed satis ostendit, se de iis verba fecisse, qui erant in Ecclesia. Hic autem nihil simile indigitat. Licet divites, qui Christiani non erant, ad eum minime spectarent, seu Judæi essent, seu Gentiles; non supervacaneum tamen erat hanc immiscere huic Epistolæ, quam ad Judaizantes fideles scribit, invectivam; proderat enim illis, qui divitiarum affectum nondum satis cavebant; atque solatium hauriebant pauperes audientes verba fieri de periculo divitum, & de malis, quæ iisdem imminebant.

PLORATE ULULANTES IN MISERIIS VESTRIS.] Quid intumescatis, & gloriemini ob ingentes opes vestras, plorate, clamores emittite, contremiscite ad aspectum malorum æternorum, quæ malis divitibus, avaris, superbis, iis, qui opibus suis abutuntur, ut se se voluptatibus ingurgitent, Dei obliviscantur, ac pauperes opprimant, præparata fuerunt. *Væ vobis, qui saturati estis: quia esurietis: væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis, et flebitis*, Luc. 6. 24.

℣. 2. DIVITIÆ VESTRÆ PUTREFACTÆ SUNT.] Avari, perplacet vobis potius, opes vestras computrescere, quod in bonum usum convertere easdem in pauperum sinum effundentibus, vobisque thesaurum in cœlis thesaurizantibus. Quid prodest aurum humi defossum, vel in arca conclusum? cur non potius ad cœlum comparandum impenditur? *Custos est non Dominus*

A *facultatum, qui aurum terra infodit*, S. Ambrosius inquit de Naboth c. 14 *minister utique ejus, non arbiter. Vende potius aurum, et eme salutem; vende lapidem, et eme Regnum Dei*.

VESTIMENTA VESTRA A TINEIS COMESTA SUNT.] Cum interim pauperes nudi sint, & inclementis temporis injuriis pateant. Hæc vestimenta in vestiariis vestris abdita ultionem ex Deo in vos ipsos deposcunt. Pauperes, qui algent, quibus deest, unde cooperiantur, novissimo Judicii die in vos ipsos insurgent, duritiam, atque avaritiam vestram damnantes. Alibi jam animadvertimus, Veteribus olim ingentes vestiarias cellas fuisse, ubi ne a tineis servarentur indumenta, aromata, aliæque res suavi odore præstantes congerebantur. Fidei autem proximum est nondum illos didi-
B cisse artem lanæ eluendæ, qua res tineis magis obnoxia efficiebant vestimenta.

℣. 3. AURUM, ET ARGENTUM VESTRUM ÆRUGINAVIT.] Argentum quidem, non aurum rubiginem contrahit; quemadmodum physicarum rerum studiosi viri animadvertunt [2]. Verum tamen est diuturno temporis decursu metalli hujus pondus imminui, ejusque notam fieri sequiorem. At S. Jacobus aurum, & argentum hic memoravit pro omnibus pretiosis metallis; quorum pleraque rubigine conficiuntur. Hæc ærugo aliquando in testimonium contra avaros consurget, eorumque *manducabit carnes, sicut ignis*. Hic illis thesaurus est iræ in novissimis diebus; quæ loquendi rationes vividæ sunt, ac figuratæ. Michææ hoc ipsum fermè dixit cap. 6. 10. *Adhuc ignis in domo impii thesauri ini-*
C *quitatis, et mensura minor iræ plena*. Et S. Paulus Rom. 2. 5. *Secundum duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi Judicii Dei*.

1 Ita Beda apud Estium, Grot. hic, Garak.
2 Plin. lib. 33. cap. 3. *Super cætera non rubigo ulla, non ærugo, non aliud ex ipso, quod consumat bonitatem, minuatve pondus*. Pindarus aurum vocat incorruptibile.

℣. 4. ECCE MERCES OPERARIORUM.] Quam vel negat, vel differt illis, clamat contra te. Divites enim, & potentes duriores sunt erga pauperes, atque in artificibus, quorum opera utuntur, mercede eroganda negligentiores: quod Legi oppositum est præcipienti, ut die eadem merces illis persolvatur: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane*, Levit. 19. 13. & Deut. 24. 15. *Eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum*. Vulgata vetus legebat [1]: *Ecce mercedes operariorum, qui araverunt in agris vestris, quod abnegastis clamabunt, & voces eorum, qui messi sunt, ad aures Domini Sabaoth introierunt.*

℣. 5. EPULATI ESTIS.] Græcus [1]: *In deliciis, ac stupris vixistis, saginastis corda vestra tamquam in diem qua victima est immolanda*. In comporationibus, atque luxuriis enutriti estis tamquam victimæ, quæ ad solemne sacrificium præparentur. Ultionis dies veniet, ac aœditatem supplicii, & contemptum patientiæ suæ diuturnitate, ac severitate vindictæ Dominus compensabit. In Evangelio nobis dives nequam damnatus exhibetur hac præsertim de causa, quod in deliciis, & epularum nitore aleretur, neque miseratione duceretur videns Lazari præ foribus suis jacentis paupertatem, Luc. 16. 19.

Quidam [2] ita explicant. In comessationibus, ac deliciis vixistis, & comedistis *tamquam die solemnis sacrificii*; quo die publica convivia fiebant. Alii hoc sequentibus adnectunt [3]: *Damnastis, & occidistis justum tamquam in die prælii*, vel *cædis*. Illum interfecistis, quin aliquis vobis adversaretur, & quin ipse vobis resisteret: *& non restitit vobis*.

℣. 6. ADDIXISTIS, & OCCIDISTIS JUSTUM [4].] Complures [5] hoc explicant de J. C. Justo antonomasticè, qui injuste a Judæis cæsus fuit ea die, qua Pascha immolabatur; *in die occisionis*. At præstat generatim de Justis intelligere, qui quovis tempore a divitibus cæsi fuere [6]. Vide supra cap. 2. 6. Nonne divites per potentiam *opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad judicia*. Latina quædam Exemplaria pro *addixistis*, legunt *adduxistis*. Vetus Italica: *Condemnastis, & occidistis*.

℣. 7. PATIENTES IGITUR ESTOTE [7].] Postquam in divites invectus est, ad Fideles erudiendos convertitur. Ne deficiatis igitur animo in malis vestris, tamquam si Deus vestri oblitus esset. Vigilat ultionem sumpturus de hostibus vestris; quamprimum dolores vestri invenient finem, impiorum vero malum incipiet: ℣. 8. *quoniam adventus Domini appropinquavit*. Loquitur de bello, quod Romani Judæis erant illaturi, ac de calamitosa illius populi dispersione, quæ brevi erat eventura. Indigitat etiam universale judicium [8], quod Scriptura cum prima ea calamitate conjungere consuevit juxta constantem Sacrorum Scriptorum morem, qui rei figuratæ characteres cum ipsa figura commiscent. Romanorum adversus Judæos bellum; urbis, Templique excidium; Judæorum captivitas, atque dispersio; mala, quibus tunc obruti fuere, semper erunt apertissimum Judicii novissimi symbolum.

AGRICOLA EXPECTAT PRETIOSUM FRUCTUM TERRÆ [9] . . . . DONEC ACCIPIAT TEMPORANEUM, ET SEROTINUM.] patienter expectans, donec Deus vernam, atque autumnalem pluviam immittat. Vulgata non exprimit *pluviam*, quæ neque in Æthiopica versione, neque in Græcis quibusdam MSS. legitur [10]: verum alii longe plures, omnesque editi legunt, *& vernam pluviam, et autumnalem*, de qua sæpe in Bibliis est sermo [11]. Vetus Italica legit: *Usquequo accipias matutinum, et serotinum fructum*: neque aliter legit Victor Antiochenus [12]. In Scripturis [13] æque dicuntur fructus temporanei, & serotini, ac imber vernus, & autumnalis. Hordea, frugesque fructus erant temporanei; uva autem, aliique fructus arborum serotini.

℣. 8. ADVENTUS DOMINI APPROPINQUAVIT.] Diximus jam hoc indigitasse, vel Judicii diem, vel Romanorum bellum contra Judæos. Patres antiquitus Judicium imminere arbitrabantur, fortasse quod non satis distinguebant characteres ad bellum, de quo locuti sumus, pertinentes ab iis, qui ad novissimum spectant Judicium. Licet Fideles, ad quos S. Jacobus loquebatur, penitus evasuri non essent ex divitum jugo, dum Jerusolyma caperetur, atque hoc in sensu bellum eos non ingenti lætitia deberet afficere; verum est tamen illos tunc saltem liberatos fuisse ex iis persecutionibus, quas in eos ciebant principes Judaicæ nationis, qui pertinaciter Evangelicæ veritati adversabantur; eosque hoc spectaculo in fide solidius fuisse confirmatos, qui ad litteram apicem adimpleri videntes Jesu Christi minas contra Judæos, ambigere non potuerunt, quin illius promissiones æternitatem respicerent, & æque certe essent, ac postquam pro Deo aliquid in hac vita pertulissent, æternam in altera mercedem consequerentur.

℣. 9. NOLITE INGEMISCERE IN ALTERUTRUM, UT NON JUDICEMINI [14].] Ne invicem de aliis conqueramini, ut non condemnemini. Græcus, & Latinus ad litteram [15]: *ne ploretis*; vel potius, *ne clametis alii adversus alios*. Ne vosmet invicem accuseritis, ne invicem vobis litem intendatis. *Ingemiscere* propriè dolorem significat, internam querimoniam, vel murmur secretum. Sed in stylo Septuaginta Græca vox *stenazo* usurpatur etiam pro clamore, & dolore, qui in fletus erumpit. Utrumque displicet Deo; vult, nos pati, quin conqueramur; vel saltem vult, ut pro virili fletus, & ejulatus inhibeantur, & suffocentur.

JUDEX ANTE JANUAM.] Hoc idem est, quod superius jam dixit ℣. 8. *Adventus Domini appropinquavit*; & quod legitur in Genesi 4. 7. *In foribus peccatum aderit*; hoc est, prope est, ut peccati pœna ingrediatur, ac super vos irruat. Loquitur semper de imminenti Jerusalymæ, ac Templi excidio, & de Judæorum a Romanis devictorum dispersione.

℣. 10. EXEMPLUM ACCIPITE EXITUS MALI [16] . . . PROPHETAS.] Inter persecutiones, quæ in vos oboriuntur, oculos conjicite in Prophetas, & videte, quomodo fuerint accepti. Quid a Principibus, Sacerdotibus, populo passi non sunt? Quot injuriis & contumeliis affecti? nonne plures inter carnificum tormenta animam effuderunt? Macti igitur estote, & Dei momenta præstolamini. Nondum ad sanguinem usque restitistis [17]. *Exitus mali* hoc in loco non malum finem

1 Ἐτρυφήσατε, καὶ ἐσπαταλήσατε, ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν, ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς. Alii. *Enutristis carnes*, vel *corpora vestra*. Ἐθρέψατε τὰς σάρκας ὑμῶν. Ita Bibl. 1. Euthal. Syr. Antiqu. Italica legit: *Fruiti estis super terram, & abusi estis; cibastis corda vestra in die occisionis*.

2 Erasm. Vatab. Menoch. Tirin. Piscat. Gatak. 3 *In die occisionis* (vers. 6.) *addixistis, & occidistis justum*. Vid. Bed. Bez. 4 Κατεδικάσατε, καὶ ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον.

5 Oecumen. Beda. Gagn. Titelm. Hugo. D. Thom. Salmer. Cathar. Gros. Zeger. &c.

6 Katak. Cajet. Est. alii. 7 Μακροθυμήσατε.

8 Vide Est. Grot. Menoch. alios. Confer 2. Thessal. 2. 2. Rom. 8. 23. 9 Antiq. Ital. *Honoratum fructum terræ*. Τὸν τίμιον καρπόν. 10 Ἕως ἂν λάβῃ ὑετὸν πρώϊμον, καὶ ὄψιμον. Quidam omittunt ὑετόν. Steph. ιγ. 11 Deut. 11. 14. Genes. 27. 28. Amos 7. 1. Job. 19. 23. Joel 2. 23. Zach. 10. 1.

12 Victor. Antiochen. homil. 110. 13 Levit. 26. 10. Cant. 7. 13.

14 Ἵνα μὴ κατακριθῆτε. *Ut non condemnemini*. Alii plures ἵνα μὴ κριθῆτε. *Ut non judicemini*. Vide Mill.

15 Μὴ στενάζετε κατ' ἀλλήλων. In stylo Septuaginta, στενάζειν significat clamare. Vide Job 24. 12. 31. 38. Vide Heins. Gatak. Cathar. 16 Ὑπόδειγμα τῆς κακοπαθείας. *Exemplum afflictionis*. Antiqua Ital. vers. *Accipite experimentum de malis passionibus, & de patientia Prophetas*. Beda. *Exitus mali, & longanimitatis, & laboris, & patientiæ*.

17 Heb. 12. 4. *Nondum usque ad sanguinem restitistis*.

nem; sed vitæ hujus afflictiones significat.

℣. 11. BEATIFICAMUS EOS, QUI SUSTINUERUNT [1].] Nemo nostrum est, qui ei non invideat felicitati, qua illi fruuntur: cur ergo eorum in malis patientiam, & constantiam in persecutionibus non imitamur? Si eumdem finem, eamdemque mercedem consequi optamus, cur non eadem insistimus via? Nonne Jesus Christus beatos dixit Matth. 5. 10. qui pro justitiæ persecutiones patiuntur, & nonne illis Regnum Cælorum spopondit?

SUFFERENTIAM JOB AUDISTIS, ET FINEM DOMINI VIDISTIS.] Nostis quousque sancti illius viri patientia probare fuerit, ac scitis, quæ illi præmia concesserit Deus. *Finis* sæpe *præmium* significat [2]: *Reportantes finem fidei vestræ*, hoc est *mercedem*: & S. Paulus ad Romanos 6. 21. *Finis illorum mors est*, hoc est remuneratio. Ita, *finis Domini* hoc in loco præmium significat, quo patientiam Job Deus est remuneratus [3].

Nonnulli [4] per *finem Domini*, Jesu Christi passionem intelligunt, quæ in Evangelio [5] ejus finis, exitusque vocatur. Plurimi ex Judæis conversis viderant, vel vidisse poterant Domini finem; *finem Domini vidistis*; sed non noverant Job, & nonnisi ex Bibliis didicerant, quid vel ante, vel post calamitatem ipsius illi accidisset. Quid autem, ait Scriptura de præmiis Job? hoc unum sane, quod Deus illi reddidit duplicia eorum, quæ amiserat. Fideles nihil tale prostolabantur: ideoque *finis Job* non satis videtur idoneus ad illos in patientia confirmandos; quomodo esse potest passionum Jesu Christi cogitatio: *Finis Domini*. En quid adferent ad sententiam hanc confirmandam; sed prior mihi magis litteralis videtur. Fidelibus persuasum erat, Deum patientiam Job infinitis bonis in æternitate fuisse remuneratum.

℣. 12. ANTE OMNIA NOLITE JURARE.] S. Jacobus hic repetit, quod J. C. fidelibus suis commendaverat, ne omnino jurarent: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino* Matth. 5. 34. At num ideo omnia Christianis juramenta sunt interdicta? Quid ergo dicendum de S. Paulo, qui in Epistolis suis passim Deum testem vocet eorum, quæ affirmat [6]? Nonne liquet jusjurandum actum esse Religionis [7], dummodo in veritate fiat, in judicio, & in justitia: *Jurabis, vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia*. Attamen S. Johannes Chrysostomus [8], Theophylactus, aliique nonnulli veteres [9] crediderunt, jusjurandum absolute fidelibus interdictum fuisse, & in Judæis propter eorum duritiam dumtaxat toleratum fuisse. At communis Patrum, atque Theologorum sententia, & Ecclesiæ praxis docent, jusjurandum licitum esse, dummodo necessitas, veritas, & justitia illud concomitentur, & fiat cum ea reverentia, quæ Dei nomen decet: quemadmodum Constantiense Concilium decrevit adversus Vicleffistas [10]. Adi, si lubet, nostros in S. Matthæum Commentarios cap. 5. 34. Vide etiam S. Augustinum lib. 1. *de Sermone Domini in Monte*, c. 17. *& lib. de Mendacio cap.* 15.

UT NON SUB JUDICIO DECIDATIS.] Græcus editus legit [11]: *ne decidatis in hypocrisim*, vel in simulationem: sed plurimi atque optimi MSS. veluti Alexandrinus, Editi nonnulli, Syrus, Arabs, Æthiops, Itala vetus, Vulgatæ similes sunt: *ne sub judicio decidatis*, vel in condemnationem; judicium enim sæpe pro damnatione usurpatur, quemadmodum non semel adnotavimus. Non satis patet nexus superiorum cum his juxta communem Græci textus lectionem: *Ne omnino juraveris; ne in hypocrisim decidatis*. Sed Grotius vertit: *ne decidatis in mendacium*, & ostendit, *hypocrisim* nonnumquam hoc significare [12]. Ita totus hic locus optimum adstruit sensum, & satis perspicuum; sed versio, quam Vulgata sequitur, melior videtur.

℣. 13. TRISTATUR ALIQUIS VESTRUM? ORET &c. [13]] Qui animo deficiat, atque desperet, ubi molestum, & grave aliquid acciderit, ad orationem confugiat, cor suum coram Deo effundat, illi suos dolores exponat, opem ejus imploret, illi omnem curam, & cogitationem relinquat, & solatium inde percipiet. Prospero autem, & æquabili rerum cursu lætatur? Quin se se voluptatibus abdat, atque profana solatia sectetur, lætetur in Domino, sanctos hymnos concinat, spirituali gaudio exultet, Dei magnalia meditatus, ejusque majestatem, ac laudes concelebrans. Hoc modo omnes vitæ status sanctificabit, seu prospere arrideat fors, sive jactetur adversa. Hac mente Ecclesia & e Ministris suis, & fidelibus Psalmos David concini voluit, ubi inveniuntur sensus pietatis, omnibus humanæ vitæ egestatibus accommodati [14].

℣. 14. INFIRMATUR QUIS IN VOBIS? INDUCAT PRESBYTEROS.] Catholici Interpretes antiqui æque, ac nuperi locum hunc de Extremæ Unctionis Sacramento explicant; & ita intelligendum esse decreverunt Concilium Florentinum [15], & Tridentinum [16]: atque Ecclesia in ea formula, qua utitur, hoc Sacramentum conferens, explicite hoc indigitat: *Domine Deus, qui per Apostolum Jacobum locutus es: Infirmatur, quis in vobis &c.* Palam illa proscripsit Armenios, Valdenses, Albigenses, Vicleffum, nuperosque Protestantes Calvinistas, & Lutheranos, negare ausos, Unctionem, de qua hic loquitur S. Jacobus, verum esse Sacramentum novi Testamenti; & credit, unctionem qua vivente adhuc Domino nostro utebantur Apostoli, ægros curaturi, & de qua loquitur S. Marcus [17], fuisse quoddam hujus Sacramenti proludium [18]. Hæc igitur veritas in dubium revocari minime potest, quin articulus Catholicæ fidei labefactetur, neque excusari potest Cajetani præsumptio, qui licet Extremam Unctionem novæ Legis Sacramentum esse non inficietur, tenet tamen, hunc locum esse explicandum de Unctione miraculosa, quam adhibebant Apostoli ad curandos ægros ante Salvatoris mortem, & antequam Sacerdotii characterem accepissent. Hæc eadem sententia in Oecumenio deprehenditur, eamque pleraque Protestantes tuentur.

Negari minime potest, Judæos nonnumquam ad ægrotorum morbos leniendos unctionibus usos fuisse: hæc naturalis est medicina, pluribus morbis utilis, & efficax. Orientales præ omnibus passim Unctionibus utebantur. Ezechiel 16. 9. *Lavi te aqua, & emundavi sanguinem tuum ex te, & unxi te oleo*. Samaritanus, de quo loquitur Evangelium Luc. 10. 34. vinum, & oleum infundit in vulnera hominis illius, quem secus viam Jerichuntis saucium invenit. Apostoli oleo ungebant [19] plurimos ægrotantes, quibus in Jesu Christi nomi-

1 Μακαρίζομεν τοὺς ὑπομένοντας. *Eos qui sustinent*. Alii: Τοὺς ὑπομείναντας. Steph. 8. 1. m. 17. Lin. Laud. a. Petit. 3. Cov. 2. 3. Complut. &c. hic. Et antiqu. Ital. *Eos qui sustinuerunt*.
2 1. Pet. 1. 9. 3 Dionys. Cajet. Salmer. Syr. Grot. Piscat. Menoch. Gatak. Est. Alii plures.
4 August. lib. 1. de Symbolo cap. 3. & Ep. 120. Beda hic. Hugo, Glossa. Alii quidam.
5 Luc. 9. 31. *Dicebant excessum ejus*. 6 2. Cor. 1. 23. Philip. 1. 8. Rom. 9. 1. 1. Cor. 11. 31. Gal. 1. 20.
7 Jerem. 4. 2. Vide & Deut. 6. 13. 8 Chrysostom. & Theophylact. in Matt. 5. 34.
9 Oecumen. hic. 10 Ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε. Alii: Ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε. Antiq. Ital. *Ne in judicium incidatis*. 11 Ὑπόκρισις pro mendacio. 1. Timoth. 4. 2. Ὑποκρίνεσθαι pro mentiri. Prov. 16. 28. in vers. Sym. Ὑποκριτὴς pro mendace. Job. 34. 30. & 36. 13.
13 Editio Sixti V. *Tristatur autem aliquis vestrum? Oret aque animo & psallat*. Græc. Κακοπαθεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσευχέσθω. Εὐθυμεῖ τις, ψαλλέτω. 14 Vide, si placet, Basil. seu alius prooemium in Psalm.
15 Concil. Florent. in Decreto unionis. 16 Triden. sess. 14. cap. 1. *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere, & proprie Sacramentum, & a Christo Domino nostro institutum; & a Beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit*.
17 Marc. 6. 13. *Ungebant oleo multos ægrotos, & sanabant*.
18 Concil. Tridens. sess. 14. cap. *A Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum &c.*
19 Mar. 6. 13.

nomine salutem conferebant. Ligfoot Chronol. 145. ex quibusdam locis Talmud Jerosolymitani, ac Babylonici ostendit, medicas hujusmodi unctiones apud Judæos passim usurpari consuevisse, quibus nonnulli carmina quædam immiscent, ut illæ vim majorem indipiscantur. Neque negaverim, ipsos etiam Christi Fideles nonnumquam in eumdem finem inungi. Narrat Tertullianus ad Scapul. c. 4. Christianum quemdam nomine Proculum salutem reddidisse Imperatori Severo, quem oleo fovebat. Innocentius I. ait, licere Laicis ipsis oleo benedicto ægros inungere [1].

Sed unctio, de qua S. Jacobus verba facit, ab his omnibus longe differt. Primo enim, Apostolus non ait simpliciter: *si quis ægrotat*, & communi morbo laborat, vel ea infirmitate, ex qua convalescere speret; Græcum enim verbum [2] eam significat ægritudinem, quæ est ad mortem [3]: quapropter in Ecclesia hæc unctio nonnumquam dicitur *Sacramentum morientium*, & iis tantum confertur, qui jam jam animam efflaturi videntur [4]. Secundo, non omnes Presbyteri donum curationum obtinuerant; igitur si voluisset S. Jacobus simpliciter, hanc unctionem adhiberi, ut æger convalesceret, dixisset, accersendum esse aliquem ex Presbyteris, qui eo dono præditus esset, non autem absolute, *inducat Presbyteros*. Tertio, unctiones, quæ a Sacerdotibus, vel Apostolis, vel simplicibus fidelibus fiebant pro ægrotantium bona valetudine, ad aliud non proderant: hæc vero ipsa etiam peccata remittit: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*. Quarto, ægrotorum per unctiones, ac manuum impositionem curatio, res erat accidentalis, ac usus perfunctorii, & quæ non necessario suum gignebat effectum. Hæc vero plerumque erat permanens, & certissime effectum suum afferebat, saltem quoad remissionem peccatorum. Quinto, miracula ad infidelium conversionem tantummodo erant destinata: hæc ergo non erat unctio miraculosa illi similis, de qua loquebatur S. Marcus cap. 6. vers. 13.

INDUCAT PRESBYTEROS.] Episcopum, vel Sacerdotes, vel utrosque simul, vel unum tantum Ecclesiæ Presbyterum. Addit autem *Ecclesiæ*, ut ostendat, hoc non intelligendum simpliciter de senioribus [5], sed de Episcopis, vel Sacerdotibus, qui præsunt Ecclesiæ. In Oriente ad hoc Sacramentum administrandum plures, & passim septem Sacerdotes adhibentur: In Occidente vero unus est satis. Hæc materie fusius videri potest apud Controversiarum Scriptores, atque Theologos, qui de Sacramentis peculiariter conscripserunt.

ORENT SUPER EUM, UNGENTES EUM OLEO.] Orent pro illo; vel orent, manum super eum imponentes; vel denique orent eodem tempore, quo oleo Sancto ipsum inungunt. Ecclesiæ Ministri in Sacramenti hujus administratione preces effundunt, cum unctiones peragunt, dicentes: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum, odoratum, etc. deliquisti*. Adsunt etiam in Rituali orationes aliæ, quæ hanc cæremoniam præcedunt, vel sequuntur. Ungitur æger oleo ex oliva ab Episcopo benedicto; hæc saltem est Occidentalis Ecclesiæ consuetudo; sed in Oriente Sacerdotis unius sufficit benedictio. Hoc autem Sacramentum confertur *in nomine Domini*, in nomine JESU CHRISTI, per illius auctoritatem. Sacerdos non egit nomine suo, sed tamquam Domini Minister, illius inductus auctoritate, illius verbo, & promissionibus innixus.

℣. 15. ET ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMUM [6].] Ministri oratio, cui comes adsit ægrotantis fides, vel fides utriusque laboranti solatium afferent, & ille convalescet, si ita Dominus censuerit, atque profuturum sit saluti animæ illius [7], quæ præcipuum est hujus, non secus ac cæterorum Sacramentorum objectum. Seldenus [8] in hunc S. Jacobi locum conjecturam adfert prorsus singularem, quam præterire non possumus, quin saltem illius meminerimus. Primum ait, hic agi de ægrotis ad extremum vitæ spatium redactis, de morientibus, vel etiam de mortuis, ac jam jam efferendis: neque ambigi potest post eas rationes, quas attulit, quin verba *Asthenein* [9], & *Camnein* [10] sæpius usurpentur, primum quidem pro ægrotantibus gravissimis morbis confectis, alterum vero pro mortuis. Itaque S. Jacobus, ex hujus Auctoris sententia, non suadet, ut Presbyteri advocentur, ut extremæ unctionis Sacramentum conferatur, neque ut medicam unctionem adhibeant; sed solum ut ægris oculos claudant, postquam obierint, vel etiam ut illos oleo inungant, cum exequiis efferantur. Ex Rabbinis [11] ostendit, cum morienti oculi erant claudendi, inter palpebras parum olei infundi consuevisse: quæ res, ubi sermo est de cadaveribus inungendis, & aromatibus condiendis, nullam patitur difficultatem. Hoc enim liquet ex iis, quæ Joseph ab Arimathæa, & Nicodemus JESU CHRISTO post mortem præstiterunt officia [12], & ex iis, quæ Mariæ sorori Marthæ ait Jesus, ubi illa super ipsius pedes effudit unguentum: *Sinite illam, ut in die sepulturæ meæ servet illud* cn. 12. 7.

Igitur S. Jacobus ex Seldeni sententia ait, si quis eo morbo laboret, ut vita illius sit in desperatis, seniores loci, vel familiæ advocentur, ut morienti oculos claudant, vel post mortem unguentis oblinant; promittens, eorum preces, vel ægrum curaturas, vel etiam mortuum resuscitaturas, & Deum illi peccata condonaturum, si quæ adhuc superessent expianda. Sancti Jacobi Textus ad litteram verti potest: *Aliquis vestrum gravi morbo laborat? vocet seniores vestros*, vel Ecclesiæ, *ut orent pro illo, postquam illum in nomine Domini oleo inunxerint* [13], *et oratio fidei salvum faciet morientem*, vel mortuum, *et Dominus resuscitabit illum, et si fuerit in peccatis, remittentur ei*. Hæc loquendi ratio: *Dominus resuscitabit illum*, vel pressius intelligi potest de Resurrectione mortui; quam potestatem explicite Discipulis suis JESUS CHRISTUS contulerat; *Mortuos suscitate*, Matt. 10. 8. vel simpliciter de hominis jam morituri curatione.

Facile quivis intelligit, Auctorem hunc adeo violentam, atque adeo remotam a communi eruditorum omnium, qui locum hunc legerunt, & explicuerunt, sententiæ scrutatum fuisse explicationem dumtaxat, ne hic agnoscere cogeretur Extremæ Unctionis Sacramentum, quod Ecclesia Græca, & Latina agnovere. Vult, *Ecclesiæ Presbyteros* nequaquam indigitare viros in Ecclesiastica dignitate constitutos, sed senes tantum, quicumque sint, charactere aliquo insignitos, vel secus, licet eædem voces in ipsum quodammodo insurgant, & clamitent. Denique quis umquam audiit, in Ecclesia Christiana remedium adfuisse commune, consuetum, & certum ad curandos infirmos, animam jam agentes, eos oleo inungendo, vel etiam ad eos resuscitan-

1 Innocent. I. Epist. ad Decent. & Concil. Vermat. c. 9e.   2 Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν.
3 Vide Selden. de Synod. lib. 2. cap. 7. num. 11. pag. 351. & num. 12. pag. 361.
4 Rituale Rom. *Debet hoc Sacramentum infirmis præberi, qui tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videantur.*   5 Προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς Ἐκκλησίας.
6 Καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα. Antiqu. Ital. *Oratio in fide salvabit laborantem, & suscitabit illum Dominus.*   7 Vide Grot. Est. Cornel. Vide 2. Cor. 12. 9. 1. Tim. 5. 23. 2. Tim. 4. 20.
8 Selden. lib. 2. de Synedr. cap. 8. num. 11. 12. 13.   9 Idem loc. cit. pag. 361. 355. 356.
10 Idem pag. 365. Homer. Iliad. Ψ.
Τῆλέ με εἴργουσι ψυχαί, εἴδωλα καμόντων.
Didym. Καμόντων, τῶν τεθνηκότων.
11 Talmud. Babylon. apud eumdem, pag. 359.   12 Joann. 19. 39. 40.
13 Καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος. Antiqu. Ital. vers. *Et oratio in fide salvabit laborantem, & suscitabit illum Dominus.*

fcitandos pharmaco eodem, ubi jam animam efflassent? Quis umquam audiit, Ecclesiæ Presbyteros, vel, si mavis, loci seniores solemniter accersitos fuisse, ut morientibus oculos clauderent, vel illos post decessum aromatibus condirent? Reor, hæc uni tantum Seldeno in mentem venisse.

ET SI IN PECCATIS SIT, REMITTENTUR EI.] Hic præcipuus est Sacramenti Extremæ Unctionis effectus. Sæpe Deus, præsertim vero illis temporibus fidelium peccata, vel negligentiam puniebat, illis morbos immittens. Si hac de causa Deus illos infirmitate percussit: Sacramenti virtus illis veniam merebitur, idemque consequenter etiam ægritudinis curationem [1]. Concilium Tridentinum [2] ait, hoc Sacramento *delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergi*. Hæ autem peccati reliquiæ vel sunt peccata venialia, vel etiam mortalia, sed abdita, & ignota, vel pœna peccatorum, quæ expianda supersunt, vel prava studia præteritorum peccatorum effectus. Sacramentum nos adversus hæc prava studia communit, vel hæc nostra crimina eluit.

℣. 16. CONFITEMINI ERGO [3] ALTERUTRUM PECCATA VESTRA.] Si cupitis, ut fratres vestri vobis veniam obtineant, ac Ministri Domini vobis absolutionem impertiant secundum potestatem sibi collatam [4]; denique si vultis, ut fratres vestri illatas sibi injurias remittant, confitemini alterutrum peccata vestra: confitemini coram Ecclesia, si publica sunt; veniam petite ex fratribus vestris, si illos læsistis [5]: denique si in secretum aliquod scelus decidistis, secreto illud Ecclesiæ ministro confitemini, ut absolutionem consequamini. Hic judex est, hic a Deo potestatem obtinuit ligandi, atque solvendi: at neutram ex his potestatibus exercere potest, nisi distincte peccata vestra fueritis confessi. Hic medicus est animarum vestrarum, & apta adhibere debet ægritudini pharmaca. At quomodo hoc ille præstare poterit, nisi sincera confessione illi omnia vulnera vestra, ac spirituales infirmitates aperueritis [6]? *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.*

ORATE PRO INVICEM, UT SALVEMINI: MULTUM ENIM VALET ORATIO JUSTI.] Hoc referri potest ad ea, quæ præcedunt: seu corporalibus morbis afflictemini, seu in peccatum cecideritis, orate Ecclesiam; atque servos Dei, ut pro vobis preces effundant: hoc enim plurimum prodesse potest, ut veniam, & opem qua indigetis, consequamini. Vel si mavis in absoluto sensu hoc intelligere, & tamquam recens monitum a S. Jacobo fidelibus traditum: alterutrum orate, ut ad salutem perveniatis; fratrum vestrorum auxilio indigetis, ut peccatorum vestrorum veniam obtineatis, & in justitia perseveretis. Sacerdotes, & Ministri Domini pro grege suo deprecentur, simplices fideles orent pro Pastoribus suis; justi pro peccatorum conversione, & eorum, qui in recta virtutis via sunt, jugi perseverantia preces effundant. Deus libenter audit vota, quæ in cordibus nostris charitas succendit, & quæ Spiritus Sanctus in nos pro fratribus nostris immittit.

MULTUM ENIM VALET DEPRECATIO JUSTI ASSIDUA.] Græce verti potest [7]: *Omnipotens est oratio efficax*, ardens, vivida, constans hominis justi. Scatent Biblia exemplis, quæ orationis virtutem ostendunt: hæc Dei iram lenivit jam jam integrum populum deleturam: hæc a Deo ea obtinuit miracula, quæ omnium sæculorum mortales obstupescunt: hæc inaudita obtinuit gratias & iis, qui illam Domino obtulere, & pro quibus oblata fuit. Oratio unica nobis patet via, ut Cœli gratiam, opemque assequamur cum pro nobis, tum pro fratribus nostris; per hanc jugem cum Cœlo inimus consuetudinem, atque commercium, illuc laudes, adorationes, gratiarum actiones, pœnitentiam, ac petitiones nostras mittentes, inde vero lumina, solatia, auxilia, quibus indigemus, referentes. Ut autem audiatur oratio, humilis esse debet, fervens, & constans; atque proficisci debet ex animo recto, ac justo; vel saltem ad optimas has affectiones anhelante. *Oratio justi assidua*. Deus non audit peccatores [8] sine charitate, sine fervore, sine attentione, sine justitiæ amore precantes, neque ex animo sincerum exoptantes reditum ad Deum, e cujus bona gratia exciderunt.

℣. 17. ELIAS HOMO ERAT.] Adorationis vim, virtutemque probandam adfert exemplum Eliæ, qui precibus suis Cœlum tres annos cum dimidio clausum tenuit, & qui precibus iisdem illum aperuit, ubi operæ pretium duxit, ut gloria, & potestas Domini magis effulgerent. Hæc historia in tertio Regum libro narratur [9]. Cum Achab Rex Israel prædecessorum Regum flagitia omnia æmulatus esset, recens prioribus addidit uxorem ducens Jezabel, filiam Ethbaal Regis Tyrii a qua illum in Deorum suorum cultum illexit, ita ut Achab delubrum ædificaverit Baal Samariæ, ibique Idololatriam exercuerit. Elias divino correptus Spiritu Regem adiit, eique dixit: *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxta oris mei verba*: Post quæ præcepit illi Deus, ut recederet, ac delitesceret in valle trans Jordanem; unde in Sareptæ urbem se contulit.

Tribus annis elapsis jussus Propheta a Domino, ut se se Achab ostentaret, pluviam enim immissurus erat, profectus est, eique Achab, *Tune es ille*, inquit, *qui conturbas Israel? Et ille ait: non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim*. Verum coge in Carmelum montem Prophetas Baal, & Israel universum. Illuc porro ascendit Rex cum pseudo-Prophetis suis, & populo; ubi Elias ostendit Idolorum vanitatem provocans Ministros Baal, & ut ipsi ignem de Cœlo super sacrificia elicerent; quod ille summa eum inspectantium admiratione perfecit. Postquam autem Domini honorem ultus esset pseudo-Prophetarum interitu, jussit, Regem, & populum celerrime reverti, uberrima enim imminebat procella, cum in aere ne minimum quidem nubeculæ vestigium videretur. Verum se se prostravit Elias, positoque inter genua capite, Dominum oravit, ac paulo post imber præceps ingruit. Hic autem S. Jacobus ait, Prophetam orationibus suis Cœlum clausisse, & spatio trium annorum una cum dimidio numquam pluisse, quæ duæ circumstantiæ in Scripturis explicite non reperiuntur; sed illas fortassis ex revelatione, vel patrum suorum traditione [10] didicerat. Prophetæ miracula non operabantur virtute propria, quomodo Jesus Christus Salvator noster, sed illa precibus suis impetrabant [11].

℣. 19. SI QUIS EX VOBIS ERRAVERIT.] A via veritatis errare possumus decidentes, vel in errorem aliquem contra fidem, vel in aliquod flagitium contra morum disciplinam. Si quis alterutro modo aberraverit, atque frater monitis suis, atque prudentibus correptionibus summa cum charitate conjunctis illum de errore, vel scelere eripuerit; hic non exiguum coram Deo meritum nanciscetur, quoniam salvam fecit animam fratris sui, quam de periculo eduxit, & cui præbuit occasionem, ut ad Deum rediret, & per pœnitentiam peccatorum suorum veniam consequeretur [12].

Ali-

1 Vide Est. Grot. &c. 2 Concil. Trident. sess. 14. cap. 3.
3 Græcus non legit *ergo*. Ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα. Sed addunt οὖν. Steph. 3. ... Syr. Alexand. Col. & alii nonnulli. 4 Matth. 16. 19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, &c.* Joann. 20. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.*
5 Vide Bed. Est. Grot. Cornel. 6 Vide Alcuin. Epist. 26. Concil. Senon. decret. 10. Hugo Victorio. lib. 2. de Sacram. parte 14. cap. 1. Bonavent. Alens. Alii plurimi.
7 Πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη. Antiqu. Vulg. *Multum potest petitio justi frequens*.
8 Joann. 9. 31. 9 3. Reg. 17. 18. 10 Grot. Gatak.
11 Estius hic. 12 Vide Est. Grot. Gatak. Piscat. Drus. alios.

Aliter, qui, uti oportet, fraternam correctionem, atque eruditionem exercet, meretur, ut sibi suorum peccatorum veniam, & animæ salutem Deus elargiatur; atque se ipsum salvum facit, alienæ invigilans incolumitati [1]. Græcus [2] typis editus, huic sententiæ maxime favet, quam qui sequuntur [3], in Latino textu legunt: *Salvabit animam suam a morte, & operiet multitudinem peccatorum suorum*. Sed prior explicatio ad litteram mihi magis videtur accedere.

---

1 1. Timoth. 4. 16. *Attende tibi, & doctrinæ. Insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* 2 Ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου, καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν. Quidam legunt; ψυχὴν αὐτοῦ Steph. [illegible] Alex. Baroc. Barber. 2. Colon. Vulg. Syr. Æthiop. Copht. Codices Latini alii legunt *animam eius*, alii: *Animam suam*. Italic. vers. Antiqu. *Salvat animam de morte sua, & operiet multitudinem peccati*. Alii *peccatorum suorum*. Alii: *Peccatorum eius*. Vide Bed. Est. Cornel. hic.
3 Vide Bedam, Hug. Carthus. Gloss. Joan. 8. Ep. 38. Vide & D. Thom. Titelm. Cornel. a Lapid. Fevardent. Vorst. Ham. Vide Est. & Origen. homil. 2. in Levit. Cassian. Collat. 20. cap. 2.

Finis Commentarii in Epistolam S. Jacobi,

P R Æ F A T I O

IN PRIMAM S. PETRI EPISTOLAM.

PEtrus, alio nomine Simon, Joannis sive Jonæ filius, Bethsaida, seu Juliade, Galilææ urbe, ultra Jordanum, prope ejusdem fluminis fauces ad Lacum Genezareth sita oriundus, & S. Andreæ germanus, a quo ad Jesu Christi sequelam invitatus est [1]. Ædes habebat in Capharnaum, ubi cum uxore morabatur [2]. Una cum fratre Andrea tum piscationi incumbebat, cum a Christo vocatus est ad Apostolatum [3]. Suum erga Præceptorem studium assidue exhibuit, quod etiam ceteris Apostolis præstitit. Christus vero potissima amoris argumenta ei semper ostendit; Transfigurationis suæ testem adhibuit [4]; Petram quoque Eum esse voluit, super quam Ecclesiam ab inferorum conatibus nunquam evertendam sibi construere constituerat [5].

Quamvis nimia animi imbecillitate a Christo in ejus passione defecerit, Christus nihilominus post resurrectionem nova amoris argumenta ei præstitit [6], & supremam Dignitatem non modo non ademit, verum etiam de suo amore ter postulatum suæ Ecclesiæ visibile caput expresse constituit Joan. 21. 15. &c. *Simon Joannis diligis me plus his?* a quo cum totidem se ab eodem enixe diligi accepisset, *Pasce*, ei subdidit, *agnos meos, pasce oves meas*.

Post S. Spiritus in Apostolos & Fideles omnes una congregatos illapsum, Petrus utpote sacri cœtus caput in Templum se conferens, Spiritu Sancto ita plenam ad populum concionem habuit, ut hominum tria millia ad Fidem statim adduxerit, Act. 2. 14. &c. Aliquot post diebus, cum in Templo ad populum adhuc loqueretur, Sacerdotum & Saducæorum jussu captus, carceri addictus est, Act. 4. 1. &c. quin tamen vel ardorem fidei remiserit, vel animo defecerit. Coram Magistratus Patribus, & Sacerdotum Principibus deinde accitus, intrepide de Jesu Christo ad eos dixit, & Deo magis quam hominibus obtemperandum professus est.

In singulis Petri gestis hic recensendis non immoror, præcipua tantum attingo, ut ad eam, qua hæc scripta est Epistola, ætatem legentes deducam. S. Stephano per martyrium absumpto, Fideles omnes, præter Apostolos, Jerosolymis profugi, dispersi sunt in diversa, Act. 8. 1. &c. Ea occasione S. Philippus Diaconus Evangelium Samariam invexit, quo & S. Petrus se contulit, ut baptismo initiatis Spiritum Sanctum conferret, Act. 10. 9. &c. Quam Spiritum S. conferendi virtutem Simonem Magum oblato pretio comparare sibi tentantem, S. Petrus a Christi Ecclesia rejecit.

Aliquandiu post & Gentibus ad Fidem & Evangelium velle aditum patefieri, cœlesti visione Deus Petro Joppe versanti ostendit, in qua cum Apostolus linteum reptilibus plenum coram se a Cœlo demitti spectasset, jussus est occidere, & manducare. Baptismo Cornelium abluit, Act. 10. 47. neque amplius ab Ethnicorum consuetudine duxit abstinendum. Antiochiam paulo post profectus [7], primam ibi sedem constituit. Anno circiter Christi 37. Jerosolymam reversus, Paulum, qui ad se eo invisendum venerat, comiter excepit: ubi quindecim diebus mutua consuetudine exactis, Paulum dimisit, qui præter Petrum, & Jacobum Fratrem Domini, Apostolorum neminem vidit, quod ceteri ad Evangelium annunciandum sese alio contulissent.

Nil in posterum de S. Petro apud S. Lucam usque ad ejus carcerem, cui anno Christi 44. addictus fuit. Cui temporis intervallo nempe ab An. 37. usque ad 44. deputamus ea, quæ in Ecclesiastica Historia de ipso leguntur [8], Provincias scilicet Asiæ, Bithyniæ, Cappadociæ, Galatiæ, & Ponti excurrisse. Romam deinde, ut suam ibi sedem erigeret, profectus, hanc primam inde Epistolam dedit; cum vero pluries Romam eum migrasse putemus, an ante annum 44. quo certo Jerusalem ad Paschalem solemnitatem profectus

---

1 Joan. 1. 42. 2 Matth. 8. 14. Luc. 4. 38. 3 Luc. 5. 8. 4 Luc. 9. 28 &c. Matth. 17. 2.
5 Matth. 16. 18. 6 Matth. 16. 7. 7 Hieron. in Gal. 2. Chrys. tom. 5. hom. 12. Vide Concil. tom. 2. pag. 269. & tom. 5. 8 Euseb. l. 3. c. 1. Hier. de Viris Illustr. c. 1. Leo Magn. ser. 3.

fectus ab Herode Agrippa conjectus est in carcerem, Act. 12. 1. &c. an vero postquam secundo Romam venerat, eam scripserit Epistolam, ignoramus.

Illud sane constat, 1. Quod Christi Discipuli tunc in Provinciis Christianorum nomine, appellabantur [1]: quo quidem nomine, juxta S. Lucam, Act. 11. 26. nonnisi anno Christi 43. Antiochiæ Discipuli cœpti sunt appellari. 2. S. Marcus una cum S. Petro tum Romæ versabatur, neque in Ægyptum adhuc migraverat, quo nonnisi circa annum 49. perrexisse arbitramur. 3. Asiæ, Bithyniæ, Galatiæ, & Ponti Ecclesiæ, ad quas Petrus scribebat, jam satis excreverant, & ab Judæis incredulis & a Gentibus plurima perferebant [2]. 4. Petrus demum in hac Epistola diem Domini proximam prænunciat [3], quo quidem proximam Jerosolymæ eversionem designare videtur. Quamobrem nil certius decernentes, inter Christi annum 45. & 50. hanc Epistolam collocamus.

Cum Petrus Hebræorum, sicuti Paulus Gentium, Apostolus esset, ad Hebræos potissimum ad Fidem genitos suam Epistolam dirigit. Quod quidem juxta S. Augustinum [4], aliosque Interpretes [5], non prohibet, quominus & Gentium Fideles Judæis immixtos alloqueretur. Quædam præterea ibi occurrunt, quæ nonnisi Ethnicos ad Fidem traductos afficere videbantur; cum v. g. ii, ad quos Petrus scribit, ante conversionem flagitiis, & idololatriæ dediti memorantur [6]; aut Christum, quem non viderant, diligere dicuntur &c. Nos vero cum aliis plurimis [7] nihil in eadem Epistola deprehendi posse putamus, quod de Judæis jam Christo addictis tantummodo explicari non valeat.

Illud sibi potissimum Apostolus proposuerat, ut Fideles, ad quos scribebat, in Fide confirmaret, iisque ad perferendas persecutiones animos adjungeret, unaque se cum Paulo & de doctrina, & de Simonis, & Nicolaitarum, qui Fidem sine operibus ad salutem sufficere dictitabant, erroribus refutandis, omnino cohærere ostenderet. Quamobrem ut probis operibus incumbant, & a Christi Fide nunquam deficiant, enixe hortatur; de eorum Vocationis felicitate, & de bonis, quæ per Baptismum consequuti sunt, sæpe meminit; Superioribus Ecclesiasticis, conjugibus, & famulis præclara monita impertit; Principibus denique a Deo constitutis obedientiam commendat.

Variæ in ea Epistola similitudines, & phrases occurrunt, quæ ad eas, quas Paulus affert, prorsus accedunt: de Jesu Christi v. g. prædestinatione; de ejus mortis fructibus; de Baptismate; eadem quoque ad Episcopos, & Conjuges monita eadem ad perferenda adversa, & ad obtemperandum Principibus & Magistratibus cohortationes adveruntur. Eam & gravitate & eloquentia & fidei ardore, & Apostolorum Principe dignam Grotius appellat [8]. Erasmus vero & Estius [9], Apostolica Majestate plenam, & plurimis in paucu verba congestis sententiis undique refertam testantur.

Hanc primam Epistolam Hebraice a S. Petro scriptam, Græce vero a S. Marco versam Baronius conjectura ducit, attamen, quamvis ad Fideles Hebræos directa, Græce primum exarata vulgo creditur, Provinciæ omnes, in quibus Judæi dispersi versabantur, Græco utebantur idiomate; Petrus adhuc juxta Septuaginta Versionem, per totam Epistolam Scripturas allegat. S.Hieronymus [10] in S.Petri Epistolis styli, characteris, & methodi varietatem agnoscit, quam in varios Apostoli Interpretes refert. Familiarem S. Petri Interpretem S. Marcum ferunt, quem præterea, quod Fidelibus, ad quos data est Epistola, valedicat [11], una cum S. Petro tum Romæ extitisse scimus. Hos ad Interpretes non ex Græco aut Syriaco, quæ Apostoli dictabant, in Græcum vertere spectabat, sed ad stilum elegantiorem redigere, quæ Græce, vel Latine, quemadmodum a Spiritu S. afflabantur, pronunciabant. Licet enim plurium linguarum munere ab eodem S. Spiritu donati essent, diserte nihilominus & perfecte omnino loquendi potestatem, ob arcana Dei consilia, non acceperant. S. Hieronymus Interpretis operam S.Paulo Titum præstitisse asserit, quod Apostolus *Divinorum sensuum majestatem digno non poterat Græci eloquii explicare sermone.*

Tertullianus [12], & S. Cyprianus [13] hanc *ad Ponticos Epistolam* vocant, quod horum in ea mentio primum fiat. Erasmus [14], & post hunc Grotius ad 1. Petr. 5. 12. his verbis ducti [15]; *Per Sylvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi*, ante hanc Epistolam, ad Hebræos Fideles in Asiæ Provincias dispersos aliam a S. Petro datam fuisse senseront. Sed ea verba de eadem hac Epistola per Sylvanum ad eos missa, brevi quidem, si cum rerum, de quibus agit, magnitudine conferatur, & scite & ad literam explicantur.

Cæterum hæc Epistola, Origene apud Euseb. l. 6. c. 25. & in Jo. p. 88. & Eusebio hist. l. 3. c. 3. & Veteribus aliis, a quibus sæpe allegatur, testibus, canonicam semper authoritatem obtinuit. Secunda hujus Apostoli Epistola, ut in Prolegomeno ad illam ostendemus, discrimini diu fuit obnoxia. Apocrypha quædam, Itinerarium nempe, Acta, Evangelium, Apocalypsis, Prædicatio, & Judicium S. Petri, eidem S. Petro adscripta fuere [16].

---

1 1. Petr. 4. 16. 2 1. Petr. 1. 6. 7. & 2. 20. &c. & 4. 12. &c. 3 1. Petr. 4. 17.
4 Aug. in Psal. 146. & in Faust. l. 22. c. 89. 5 Vide Est. Præfat. D. Thom. Bedam, Glossam, Lyran. & Theodoret. Præfat. apud Mill p. 552. 6 1. Petr. 2. 10. & 4. 3. & 1. 8.
7 Euseb. l. 3. Hist. Eccl. c. 4. Hieron. Catalog. Scriptorum Eccl. Didym. Oecum. Cajet. P. Titelman. Canus l. 2. de locis. Alii plures. 8 Grot. Præfat. in hanc Ep. *Epistola valde conveniens Principi Apostolorum.*
9 Erasm. Est. Præfat. in Ep. 1. Petr. *Est autem epistola profecto digna Apostolorum Principe plena authoritatis, & majestatis apostolicæ; verbis parca, sententiis referta.* 10 Hier. Ep. 150. qu. 11. l. 1. p. 139. *Duæ Epistolæ, quæ feruntur Petri, stylo inter se & charactere differunt, structuraque verborum; ex quo intelligimus pro necessitate rerum diversis eum usum esse Interpretibus.* 11 1. Petr. 5. 13. 12 Tertull Scorpiac. c. 12.
13 Cyprian. l. 3. c. 36. Testim. 14 Erasm. Præfat. 15 1. Petr. 5. 12. 16 Hieron. de Script. Eccl.

COM-

COMMENTARIUM LITTERALE IN PRIMAM SANCTI PETRI EPISTOLAM

CAPUT PRIMUM.

S. Petrus gratias agit Deo de vocatione fidelium ad fidem, atque vitam æternam. Ad hanc nonniſi per tribulationes aditus patet. Hæc a Prophetis fuit annunciata. Vita noſtra munda eſſe debet, utpote qui JESU CHRISTI Sanguine redempti ſumus. Æternum verbum illius nos genuit ad æternitatem.

1. PEtrus Apoſtolus, Jeſu Chriſti, electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ,
Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ, 2 Secundum præſcientiam Dei Patris,
in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Je-
ſu Chriſti: Gratia vobis, & pax multiplicetur. 3 Benedictus Deus, & Pater Do-
mini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos
in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis, 4 In hæreditatem
incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem, conſervatam in cœlis in
vobis. 5 Qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem, paratam revelari
in tempore noviſſimo. 6 In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari
in variis tentationibus. 7 Ut probatio fidei veſtræ multo pretioſior auro (quod
per ignem probatur) inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem in revelatione
Jeſu Chriſti: 8 Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non vi-
dentes creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata: 9
Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum. 10 De qua ſalute exquiſierunt,
atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt: 11
Scrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti: prænun-
tians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias: 12 Quibus re-
velatum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nun-
tiata ſunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cœ-
lo, in quem deſiderant Angeli proſpicere. 13 Propter quod ſuccincti lumbos men-
tis veſtræ, ſobrii perfecte ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam in revela-
tionem Jeſu Chriſti: 14 Quaſi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignoran-
tiæ veſtræ deſideriis. 15 Sed ſecundum eum, qui vocavit vos Sanctum: & ipſi
in omni converſatione ſancti ſitis: 16 Quoniam ſcriptum eſt: Sancti eritis, quo-
niam ego ſanctus ſum. 17 Et ſi patrem invocatis eum, qui ſine acceptione per-
ſonarum judicat ſecundum uniuſcujuſque opus, in timore incolatus veſtri tempore
converſamini. 18 Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti
eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis: 19 Sed pretioſo ſanguine,
quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati. 20 Præcogniti quidem ante mun-
di conſtitutionem, manifeſtati autem noviſſimis temporibus propter vos, 21 Qui

per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides vestra, & spes esset in Deo: Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius: 23 Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum. 24 Quia omnis caro ut fœnum: & omnis gloria ejus tamquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos ejus decidit. 25 Verbum autem Domini manet in æternum: hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos.

℣. 1. PETRUS APOSTOLUS &c.] *Electorum* nomine nonnumquam intelliguntur fideles [1], gentiles conversi, a Deo electi, & ad Evangelii cognitionem vocati. Hic vero intelligendi sunt Judæi electi, & efficaciter ad Jesu Christi fidem accersiti. Apostolus enim S. Petrus proprie scribit solum ad Christianos Hebræizantes, qui in Asiæ Provinciis erant dispersi. Quidam [2] eam vocem *electis* connectunt cum subsequenti versiculo: *secundum præscientiam Dei Patris*. Omnes enim electi & ad gratiam fidei, atque vocationis prædestinati; & S. Petrus charitate doctus sperare poterat, ipsos ad gloriam quoque electos esse: quod tamen minime probant hæc verba; nec alia etiam epitheta, & elogia, quibus Apostoli Christi fideles in Epistolis celebrant, non omnibus conveniunt, sed iis solum, qui majori sanctitate, & perfectione eminent inter illos, ad quos eæ dantur Epistolæ. Omnes electi fuimus, ut Sancti essemus: *elegit nos in Christo, ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate*, Ephes. 1. 4. At non omnes eam sanctitatem assequimur, ad quam per vocationem nostram destinati sumus. Complures vocationis gratiam recipiunt, sed pauci illi fideles sunt, & pauci in ea perseverant. Hoc in sensu multi vocati sunt, pauci autem electi, Matt. 24. 16.

ADVENIS DISPERSIONIS PONTI.] Theodoretus, & Oecumenius [3] Pontum, & Galatiam conjungunt, quasi S. Petrus Epistolam suam mittere voluerit ad Judæos ad fidem conversos, qui in Galatia Ponti erant dispersi; ut illos distinguant ab aliis Galatis, quæ Celtarum est, vel Gallorum, & quæ est Galatia proprie dicta; Græci enim Gallos dicunt Galatas: verum hoc in loco inutilis est hujusmodi distinctio: satis enim intelligimus, S. Petrum ad Judæos in Ponto, & Galatia dispersos scribentem minime loqui voluisse de Gallis, neque de Celtis. Pontus, & Galatia duæ sunt Provinciæ, finitimæ quidem, sed inter se maxime distinctæ. Ait autem, hos *advenas* esse ea in regione, licet plerique jam diu ibi sedem rerum suarum statuissent; Judæi enim quocumque in loco sint extra Judæam, semper tamquam advenæ considerantur.

Asia vel in generali sensu intelligitur pro quarta Mundi parte, quæ ab Europa, Africa, & America distinguitur; vel pro Asia minori, quæ plurimas complectitur Provincias inter Pontum Euxinum, Mediterraneum & Ægæum mare sitas; vel denique pro ea minoris Asiæ Provincia, cujus caput erat Ephesus [4]. Ex Provinciarum recensione, quæ a S. Petro hic habetur, satis innotescit, posteriori hoc in sensu Asiam esse intelligendam; nam Bythinia, Galatia, & Pontus, inter Asiæ minoris Provincias continentur.

℣. 2. SECUNDUM PRÆSCIENTIAM DEI PATRIS.] Hæc verba connectuntur *electis* versiculi primi; *electis secundum præscientiam Dei Patris* [5], eodem in sensu, quo S. Paulus in quibusdam Epistolis suis [6] *se Apostolum* dicit *secundum voluntatem Dei*. Sed prior distributio pluribus arridet. Deus ex mera misericordia sua vos elegit ab æterno, ut essetis electus populus ejus, & singulari prædilectione inter cæteros fratres, qui in incredulitate permanent, vos prædestinavit, ut vobis conferret *sanctificationem Spiritus*, vocationem, fidem, gratiam sanctificantem in baptismo, dona Spiritus Sancti in Confirmationis Sacramento; ut obediretis Jesu Christo, & Legibus Evangelii; atque ut vitam vestram ad vitæ illius exemplar c[illegible]poneretis: ut Sanguine illius adspergeremini, & [illegible]ticipes fieretis meritorum passionis ejus. S. Pe[illegible] secundam Scripturarum consuetudinem prædestina[illegible]nem, & vocationem attribuit Patri, sanctificationem Spiritui Sancto, redemptionem Jesu Christo, licet opus universæ Sanctissimæ Trinitati sit commune.

GRATIA VOBIS, ET PAX.] Deus vos gratia, & pace sua cumulet, vel vobis ille concedat gratiam suam, favorem, & quodlibet genus felicitatis. Pacis nomine omnes temporalium, & spiritualium bonorum species continentur.

℣. 3. QUI REGENERAVIT NOS IN SPEM VIVAM,] futurum ut aliquando vitæ æternæ consequeremur hæreditatem. Spes viva isthic opponitur spei mortuæ, languenti, infirmæ, titubanti; vel secundum aliorum sententiam [7] significat *spem vitæ æternæ*, eodem modo, quo dixit Jesus Christus, se *panem* esse *vivum* [8], hoc est panem, qui vitam tribuit; & S. Paulus Hebr. 10. 20. ait, Jesum Christum nobis ostendisse *viam novam, & viventem per velamen*; hoc est ipsam per mortem suam abstulisse velum, quo Cœli aditus claudebatur, nobisque novam viam ad vitam aperuisse. Ita hoc in loco *spes viva incorruptibilis hæreditatis*, significare potest spem vitæ æternæ, quæ in ea posita est, ut Cælesti beatitudine perfruamur. Hæc non est spes illi similis, quæ olim tradita fuit majoribus nostris, futurum ut Chananæitidis Terræ possessionem adirent: ea enim spes quodammodo mortua erat, eo quod respiciebat homines mortales [9], & hæreditatem ad breve tempus duraturam possidendam. Spes, quam nobis præbuit Jesus Christus, viva est, ejusque objectum est vita æterna, atque sponsorem habet Deum hominem, qui resurrexit; & qui eadem perfruimur, fac ipsi eam jam immortalitate, atque incorruptione aliquando induemus.

PER RESURRECTIONEM JESU CHRISTI.] Hæc verba referri possunt vel ad *regeneravit*; Deus regeneravit vos per Jesu Christi resurrectionem, quæ vitam, & salutem vobis promeruit [10]; vel ad *spem vivam*; Deus vobis spem vivam contulit per resurrectionem Jesu Christi. Illius resurrectio fundamentum est spei nostræ [11]; quoniam per illam nobis Cœlum aperuit, & solida spe replevit, futurum ut aliquando resurgemus, atque in Terra viventium æterna felicitate, quam nobis spopondit, lætissime perfruamur.

℣. 4. IN HÆREDITATEM INCORRUPTIBILEM.] Viva spes, quo sumus repleti, versatur circa æternam, atque

1 Rom. 8. 33. & 16. 13. Colloss. 3. 12. 2. Timoth. 2. 10. Tit. 1. & 1. Petr. 2. 6. 9.
2 Bed. Lyran. Est. Men. Tir. Grot. Piscat. Alii plures. 3 Oecumen. hic. ex Theodoreti Præfat. in hanc Epistol. 4 Hieron. in locis. Act. Apost. *Specialiter ubi Ephesus civitas est, Asia vocatur.*
5 Ita Cyril. de recta Fide Oecumen. 6 Rom. 1. 1. *Paulus vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei.* 1. Cor. 1. 1. *Paulus vocatus Apostolus per voluntatem Dei.* Et 2. Cor. 1. 1. *Paulus Apostolus J.C. per voluntatem Dei, &c.* 7 Quidam legunt: Ἐλπίδα ζωῆς. Spem vitæ, ita Steph. ex Syr. Hieronym. lib. 1. contra Jovin. cap. 4. *Spem vitæ æternæ.* Aug. lib. 1. de peccat. merit. cap. 27. Vide Est. Zeger. Grot. alios passim.
8 Joan. 6. 51. 9 Oecumen. hic. 10 Confer Rom. 4. 25. *Resurrexit propter justificationem nostram*, & Rom. 6. 5. Et 1. Petr. 3. 21. Vide Est.

atque incorruptibilem Cœli hæreditatem, quæ longe differt a Terra, Patribus nostris promissa, qua omnia in spe gavisi sunt, & quæ toties fuit nostrorum scelerum, atque malorum theatrum; ex qua toties *ejecti* fumus, & ea qua jam pridem vos abestis. Æterna autem hæreditas *in Cœlis vobis est conservata*, vobis est promissa, vobis destinata. Absolutæ promissiones Dei certissimæ sunt, ejusque decreta in irritum abire non possunt: verum ne obliviscamini viam, quæ vobis indigitata est, ut illuc assequamini, neque ea memoria excidant ea, quæ Jesu Christi fidem amplectentes estis polliciti. Via Cœli, via est tribulationum; hæreditas, de qua loquor, hac vobis conditione promissa fuit, si Jesum Christum Caput vestrum per imitationem perfectam sequuti fueritis. Hoc autem in Epistolæ decursu videbitur:

℣. 5. QUI IN VIRTUTE DEI CUSTODIMINI.] Deus, qui hæc vobis promisit, explebit etiam in vobis efficacem opem tribuens, ut voluntates suas exequamini; in rectam viam vos adducet, in ea vos conservabit, atque Spiritum suum vobis conferet, qui efficiet, ut in ea ad finem usque perseveretis [1]. Infirmitas igitur vestra vobis humilitatem debet immittere, & vos impellere, ut in Deo omnem confidentiam collocetis, atque summa vigilantia, & cura in id incumbatis: verum cavete, ne animos despondeatis, atque in desperationem decidatis; cæterum nihil vobis arduum erit, ubi illius auxilium adfuerit: *omnia possum in eo, qui me confortat* Philip. 4. 13. Deus vos custodiet *per fidem in salutem*; vobis fidem tribuat, per quam una cum charitate conjuncta de mundo [2], Dæmone [3], carne [4] victoriam referatis.

Vel, accepistis per fidem spiritum Dei, illius virtutem [5], & gratiam, quæ vos custodit, & efficit, ut ad salutem perveniatis. Qui vos vocavit, atque justificavit, perficiet in vobis opus suum; vosque per gratiam deducet ad gloriam, *paratam revelari in tempore novissimo*. Numerus Electorum in Deo certus est, merces eorum stata, & plurimi jam ea gloria perfruuntur, quæ ab æterno illis præparata fuit; sed electio nostra nobis prorsus incerta est, et quotidie cum timore, & tremore [6] ad extremum usque spatium salutem nostram operari debemus, & vereri, ne qui stat cadat, & evertatur [7]. Sed novissimo Judicio, & sub finem sæculorum plane, atque aperte videbimus, quinam fuerint illi, quos Deus ad beatitudinem evehere decrevit, cognoscemus gradum gloriæ singulis destinatæ, qua in omnem æternitatem fruentur? Sciebat S. Petrus, Fideles, ad quos scribebat, a Deo electos fuisse, ut populum ipsius constituerent, eosque justificationem, fidem, & Spiritus Sancti primitias recepisse; credebat quidem, illos ad beatam æternitatem fuisse prædestinatos, sed fatetur eorum statum, gloriam, felicitatem hominibus nonnisi post sæculorum finem compertum iri, atque exploratum.

℣. 6. IN QUO EXULTABITIS [8], MODICUM NUNC SI OPORTET CONTRISTARI.] Felicitatis spes, & pignore Divini amoris, quæ recepistis, gaudio vos cumulare debent etiam cum permittit Deus, *modicum nunc vos contristari in variis tentationibus*. Namque *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* [9]: *id enim quod in præsenti est, momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* 2. Cor. 4. 17. Judæi ad Christianam Religionem conversi sexcentis erant tentationibus, & persecutionibus obnoxii, non solum propter fratres suos, qui in incredulitate permanserant; verum etiam propter Ethnicos, qui Judaismum tolerabant quidem, tamquam antiquam Religionem, & jam pridem in Romano Imperio toleratam, sed quibus Christiani nominis professio erat invisa eo, quod habebatur tamquam novitas quædam omnium religionum inimica.

UT PROBATIO VESTRÆ FIDEI.] Non secus ac aurum, quod in fusoria fornacula igni probatur, purius fit, pretiosius, atque nitidius [10], ita fides vestra per tot ærumnas, atque tentationes traducta a Jesu Christo Salvatore nostro glorioso adventus sui die laudes, atque præmia merebitur. Dicet ille tunc vobis: venite benedicti Patris mei, recipite Regnum, quod vobis præparatum est a principio Mundi, Matth. 25. 34. *vos enim estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum*, Luc. 22. 28.

℣. 8. QUEM CUM NON VIDERITIS, DILIGITIS.] Judæi Palæstinæ Salvatorem viderant, quoniam triennio omnes eorum Terras lustraverat, prædicans, docens, & ægros curans: sed qui in remotis Provinciis permanebant, illum nonnisi ex nomine, & Apostolorum prædicatione cognoverant. Præsentia corporalis Jesu Christi, ejus sermones, & miracula, quæ illum quocumque sequebantur, validæ erant illecebræ, ut populos ad illius sequelam, & in fidem ejus alliceret: aliunde tamen illius humilitas, modestia, paupertas, nativitatis obscuritas, ingentes erant obices fidei illorum, qui eumdem nostra indutum infirmitate videbant. Itaque si invidemus eorum felicitati, qui eumdem cum hominibus conversantem viderunt, feliciores adhuc illi existimandi sunt, qui non viderunt illum, sed audierunt prodigia, quæ non in vita solum, sed etiam post mortem operatus est per Resurrectionem suam, atque miraculosam virtutem, quam Apostolis suis communicavit: Primi enim obnoxii erant scandalo humilitatis, & Crucis illius; alteri vero in hoc etiam inveniunt fidei suæ argumentum, quoniam Crux illis facta est Divinæ virtutis, atque Sapientiæ miraculum, 1. Cor. 1. 24.

Elogium igitur, quo S. Petrus isthic celebrat Judæos Provinciarum, qui in Jesum Christum crediderant, licet illum minime vidissent; huic rei innititur, quod eorum fides quodammodo defæcatior erat, integrior, & sublimior, quam fidelium Palæstinæ, qui Salvatorem viderant, qui testes fuerant miraculorum, & Resurrectionis ejus, & qui ut ita dicam Divinum Verbum viderant, perspexerant, attrectaverant [11]; cum Hebræis, qui alibi, & procul inhabitabant, nihil simile contigisset. Rationes omnes, quæ Judæorum remotas Terras incolentium animos afficere poterant, valebant etiam in Judæis Palæstinæ conversis: non autem vicissim e contra. Aliud est credere propter ea miracula, quæ tumetipse oculis tuis vides, aliud credere ex eorumdem miraculorum rumore, qui auribus accidit. Horum quidem fides longe majoris meriti est, quam fides illorum.

IN QUEM NUNC QUOQUE NON VIDENTES CREDITIS, CREDENTES AUTEM EXULTABITIS.] Græcus [12]: *in quem nunc quoque, non videntes illum, sed in illum credentes exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata*. S. Irenæus, Syrus, S. Polycarpus hæc omittunt verba: *in quem nunc quoque non videntes creditis*. Græ-

1 Vide Estium, & Grot. 2 1. Joan. 5. 4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*.
3 1. Petri 5. 9. *Diabolus circuit quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide*.
4 Rom. 6. 13. 14. *Peccatum vobis non dominabitur, non enim estis sub Lege, sed sub gratia*. Et 1. Joan. 3. 9. *omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit*.
5 Luc. 24. 49. *Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto*. 6 Philip. 2. 12.
7 1. Cor. 10. 12. 8 Ἐν ᾧ ἀγαλλιᾶσθε. *In quo exultatis*. Ita MSS. Latini plurimi. August. *Gaudete*. Alii: *Exultabitis*. Ἀγαλλιάσεσθε. Origen. in protreptic. Syr. Vulg. Velez. Præsens pro futuro positum. *Exultetis* pro *exultabitis*. Oecumen. 9 Rom. 8. 18.
10 Vide Prov. 17. 3. Malac. 3. Job. 23. 10. 11 1. Joan. 1. 1.
12 Εἰς ὃν ἄρτι μὴ ὁρῶντες, πιστεύοντες δὲ ἀγαλλιᾶσθε χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ καὶ δεδοξασμένῃ. *Exultetis*, Vulg. *Exultabitis*. August. lib. 2. ad Catechum. cap. 7. *Gaudete*. MSS. plurimi. Lat. *Exultate*.

tiam, quam vobis contulit Deus, oculus, & cor apemens [1], vobisque docilem, atque intelligentem spiritum tribuens [2], cum tot alii in ignorantia, & pertinacia persistant, reputare minime potestis, quin ineffabili voluptate perfundamini, & dignus grati animi sensus concipiatis: quin exultetis lætitia *glorificata* videntes honorem, quem vobis contulit Deus, amorem, quem vobis testatus est, gloriam, ad quam vos evexit, felicitatem, quam vobis destinavit. *Lætitia glorificata* significare potest vel illam, quæ proficiscitur ea gloria recepta, vel quæ versatur circa gloriam speratam; vel simpliciter, quæ opponitur gaudio Mundi, quod inane est, perfunctorium, atque sæpe etiam turpe in suo principio, & objecto.

℣. 9. REPORTANTES FINEM FIDEI VESTRÆ.] En quid constituat lætitiam, & gloriam nostram, firma videlicet spes, futurum ut aliquando fidei vestræ cum charitate conjunctæ, & bonis operibus consociatæ, sine quibus fides mortua est [4], & ad salutem inutilis, præclaram mercedem recipiatis. Hoc quidem in sæculo recipitis per fidem vestram initium aliquod salutis, sed in altera tantum vita perficietur. Illis promittit *salutem animarum*, ne credant, Christianæ Religionis spem temporali felicitate circumscribi [5], qualis a Moyse Israelitis promittebatur, antequam Terram promissam ingrederentur.

℣. 10. DE QUA SALUTE EXQUISIERUNT.] Prophetæ Veteres Messiæ adventum, conversionem Israelitarum plurimorum, & plurium adhuc Ethnicorum ad Jesu Christi fidem prædixerant. Eminus felix illud tempus prospexerant, in quo vos estis; optaverant distinctius summas has veritates scrutari, & cognoscere tempus Dominici adventus, circumstantias missionis ejus, institutionem Regni ipsius, conversionem, & salutem vestram inchoatam quidem ea vestra vocatione ad fidem, in novissima autem Resurrectione, atque in sæculorum fine absolvendam. Hæc illi cognoverant, sed ænigmatice, & confuse; atque optaverant cortinam auferri, ut distinctius illa viderent. Salvator in Evangelio Luc. 10. 23. idem ferme dicebat: *beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt*. Et Joan. 8. 56 *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavisus est*. Et Balaam Num. 24. 17. *videbo eum, sed non modo, intuebor illum, sed non prope*. Et Jacob Genes. 49. 18. *salutare tuum expectabo Domine*. Et Isaias 45. 8. *rorate Cœli desuper, & nubes pluant justum*.

℣. 11. SCRUTANTES, IN QUOD, VEL QUALE TEMPUS.] Spiritus Sanctus, qui illos afflabat, & qui a Patre, Filioque procedit, jure Jesu Christi Spiritus appellatur. Patret haud ægre dixerunt, Prophetas Jesu Christi Spiritu afflatos fuisse: *ille est Propheta Prophetarum*, inquit S. Clemens Alexandrinus [6], *et Dominus omnis Spiritus Prophetici*. Dei Verbum in Prophetis futura portendebat, ait S. Justinus Martyr Apolog. 1. *Ipse erat, qui in Prophetis loquebatur sermo, Filius Creatoris*, ait Tertullianus l. 4. c. 13. contra Marcion. *Prophetæ erant discipuli JESU CHRISTI*, inquit S. Ignatius Martyr ep. ad Magnes. c. 9. *in Spiritu illum tanquam magistrum suum præstolabantur Prophetæ, a Verbo Prophetiarum accipientes charisma*, inquiunt SS. Barna-**A** bas [7], & Irenæus l. 4. cap. 37. *et prædicaverunt ejus secundum carnem adventum*.

Injuria Sociniani hic explicant *Spiritum JESU CHRISTI* quasi spiritum, qui revelabat ea, quæ ad Jesum Christum pertinent: eadem quippe de causa eum vocare etiam possent spiritum Antichristi; quoniam Prophetis illa inspirabat, quæ ad hunc Jesu Christi inimicum pertinebant. Prophetæ igitur accuratius scrutabantur, quonam tempore adimplenda essent ea, quæ ad Messiæ adventum, passiones, gloriam, etunia tormenta Resurrectionis, & Ascensionis triumphum, regnum in Ecclesia, & sedem ad Patris dexteram spectabant.

S. Petrus duo isthic in Prophetis distinguit; primum quod revelabat illis Deus de Messiæ morte; alterum, **B** quod illi studio suo, & sedula mentis cogitatione scrutari poterant, illa perpendentes, quæ sibi fuerant revelata; sæpius enim Deus alicui Prophetæ mysterium revelabat, cujus sensum, & explicationem alteri detegebat. Daniel diutius, & enixius oravit, ut assequeretur mysterium hebdomadarum septuaginta, quæ Jeremiæ fuerant revelatæ [8]; & non cum lacrymis, & jejuniis petiit, quid eventurum esset populo suo, postquam in Terra Chanaam reversus esset, quæ omnia anno eodem Deus ab Angelo illi explicata fuere [9]. Ex iis monitis, quæ S. Paulus Corinthiacæ Ecclesiæ irrogavit [10], satis liquet, quamplures eorum, qui linguarum, & Prophetiæ donum obtinuerant, non semper intelligentiæ, atque interpretationis donum obtinuisse. Eos, qui linguarum donum acceperunt, hortatur, **C** ut a Deo & donum explicationis precibus impetrent: *qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur* 1. Cor. 14. 13.

℣. 12. QUIBUS REVELATUM EST &c. [11]] Deus generatim illis ostendit ea, quæ ipse revelabat, non eorum, sed vestrum tempus respicere. Sciebant, Messiæ adventum longe adhuc abesse, et invidebant quodammodo illis, qui participes futuri erant tantæ felicitatis [12], quam vos recepistis per ministerium Apostolorum, qui vobis prædicarunt Evangelium, atque ad fidem perduxerunt Spiritu Sancto animati, quem ad illos miserat Jesus Christus secundum suam promissionem: *Evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto misso de Cœlo*.

IN QUEM DESIDERANT ANGELI PROSPICERE.] Superius ℣. 10. dixi, Prophetas omnibus votis concu-**D** pivisse nosse tempus adventus Messiæ; hic ait, & Angelos hoc peroptasse [13], & ad hanc quoque diem in Cœlo ubi beatitudine, & visione Dei, atque Jesu Christi perfruuntur, summa cum voluptate & gaudio semper recenti, quod desiderii nomine indigitat, illum intueri [14]. Græcus sensum meliorem videtur adstruere [15]: *Ipsi annunciarunt vobis ea, quæ Angeli ipsi scrutari desiderant*. Angeli licet illuminati sint, & in primis calleant ea mysteria, quæ vobis prædicata fuerunt, quamquam testes fuerunt eorum, quæ Jesus Christus fecit in Terra, et Prophetiarum, quæ in illius persona adimpletæ sunt; tamen flagrant adhuc desiderio videndi complementum reliquarum prophetiarum, quæ spectant ad illius Regnum in Terris, gentium conversionem, novissima tempora, dies secundi adventus **E** Domini, Sanctorum resurrectionem, et glorificationem [16].

Quidam [17] hæc verba: *in quem desiderant Angeli*

1 Act. 16. 14. 2 Ezech. 36. 26. Isai. 51. 7. Jerem. 24. 7. *Dabo eis cor ut sciant me*.
3 Irenæus duobus in locis hæc verba prætexit. 4 Jacobi 2. 14. 10. 26.
5 Vide Est. his. 6 Clem. Alex. lib. Quis dives Salv. cap. 6.
7 Barnab. Ep. cap. 5. *Prophetæ a Christo habentes donum in illum prophetaverunt*.
8 Dan. 9. 2. Jerem. 25. 11. 29. 10. 9 Dan. 10. 11.
10 1. Cor. 14. 1. 2. 3. 4. 5. 11 Græcus legit *nobis*. Οὐχ ἑαυτοῖς, ἡμῖν δέ. Verum Exemplaria Latina leguntur *vobis*; & plurimi optimæ notæ MSS. Græci legunt: Οὐχ ἑαυτοῖς, ὑμῖν δέ, &c.
12 Est. Grot. Erasm. Menoch. Alii. 13 Εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν Ἄγγελοι παρακύψαι.
14 Vide Bed. Gloss. D. Bern. serm. 1. & 4. de omnibus SS. Hugo, Thom. Titelman.
15 Εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν Ἄγγελοι παρακύψαι. Latini: *In quem*. Ita Alex. *adumbrat*. in Epist. Petri. Cassiodor. Latini Irenæi lib. 2. cap. 24. & lib. 5. cap. 32. sed alibi congruit cum Græcis l. 2. c. 24. & l. 4. c. 67.
16 Vide Cyrill. de Incarnat. unigen. cap. 28. Oecumen. Didym. Syr. Gagn. Cajet. Cath. Vat. alios.
17 D. Thom. 1. parte qu. 58. art. 1. ad 2. Isidor. lib. 1. Sent. cap. 12. Petri Damiani serm. 11. Qui est de annunt. Basil. & Didym. de Spiritu Sancto, Cornel. a Lapide.

geli prospicere, referunt ad Spiritum Sanctum, de quo immediate supra sermo fuit. Non cupiunt Angeli videre Spiritus Sancti essentiam, atque personam, quoniam eamdem semper vident videntes Patrem, et Filium, qui ejusdem sunt essentiæ cum illo; sed cupiunt videre opera Spiritus Sancti, fidelium sanctificationem, peccatorum conversionem, Ecclesiæ ædificationem: hæc summa est votorum suorum, non secus ac intuitus Patris, Filii, et Spiritus Sancti supremam illorum felicitatem constituit. Miraculosa, atque exteriora Spiritus Sancti dona tunc erant apud fideles passim communia: ac S. Petrus magis ea celebrare non poterat, neq; sublimiorem conceptum novis Christianis immittere, quam dicens Angelos ipsos cum gaudio videre effusiones Spiritus Sancti in eorum personas: sed Græcus huic explicationi minime favet.

℣. 13. SUCCINCTI LUMBOS MENTIS VESTRÆ.] Commendata fide, & felicitate vocationis Judæorum conversorum, illos S. Petrus hortatur, ut eam vitam traducant, quæ conditionis suæ sanctitatem maxime deceat. Jubet illos paratos esse tamquam viatores, aut milites, quibus longum iter ingrediendum est, & qui ubi editum fuerit signum statim sunt discessuri. Alte illi succincti, calceosque induti permanent, velut qui discessionis momentum præstolantur. Orientales quippe, qui oblongis vestibus induebantur, & domi suæ ut plurimum nulla zona succincti ambulabant, alte sese præcingere debebant, cum iter susciperent, vel aliquod opus aggredi vellent [1]. Jesus Christus in Evangelio discipulos suos hortatur, ut semper lumbi eorum succincti sint, & lampades ardentes habeant servorum instar dominum redeuntem præstolantium, ut, cum advenerit, illum expeditissime recipere possint. Luc. 12. 35.

Addit S. Petrus, *sobrii* estote, atque moderati; vel cum Græco textu [2], *vigilantes, expectate in spe perfecta gratiam, quæ vobis in Jesu Christi adventu tribuitur*. Servi singulis momentis domini sui reditum expectantes haud profecto in utramque aurem stertent, vel bibendo, & manducando vacabunt. Vigiles erunt, & sobrii, præsertim vero si dominus illis, quos attentos, & vigilantes invenerit, infiniti pretii remunerationem promiserit. Jesus Christus vero nobis æternam vitam pollicetur, & Cœli gloriam in die manifestationis suæ, vel alterius adventus sui; hoc est, mortis nostræ, qui nobis quidem idem est, ac secundus Domini adventus. Hæc autem beatitudo novissimo die perficietur cum post resurrectionem, novissimumque Judicium Jesus Christus omnes inimicos suos scabellum posuerit pedum suorum, omnesque electos in perfecta beatitudine congregaverit [3].

℣. 14. QUASI FILII OBEDIENTIÆ.] Expectate adventum Dei Patris, ac Domini vestri tamquam obedientes, & ingenui filii, non autem tamquam prava mancipia, & inutiles servi, qui coacti tantummodo serviunt, & dominum suum obliviscuntur, statim ac ab oculis ipsius recesserunt. Ne versemini, ut olim in *ignorantia*, somno, mentis evagatione, mancipati *desideriis*, atque pravis cordis vestri cupiditatibus. Estote velut filii lucis, & obedientiæ: sequimini lumen fidei, quam recepistis, eique vitæ vestræ rationem accommodate. Vigilate opperientes Dominum, & Judicem vestrum.

℣. 15. SECUNDUM EUM QUI VOCAVIT VOS SANCTUM.] Integram adeo, sanctamque vitam ducite, ut in vobis deprehendantur vestigia sanctitatis Patris Cœlestis, qui vos ad Christianam religionem vocavit, & qui populo suo dixit: [4] *sancti eritis, quia ego sanctus sum*. Omni nisu ad altiorem perfectionis gradum contendite, quoniam Salvator vobis dixit Matth. 5. 48. *estote perfecti, sicut & Pater vester Cœlestis perfectus est*. Pater, & Filius sunt vobis exemplar; imitamini eorum sanctitatem, bonitatem, summamque puritatem. Dignos vos facite, qui majestati adeo perfectæ, puræ, atque sublimi inserviatis.

℣. 16. SANCTI ERITIS [5], QUONIAM EGO SANCTUS SUM.] Hæc verba non semel in Lege Moysis inveniuntur [6], neque semper eodem in sensu explicantur. Deus nonnumquam his verbis hortatur populum suum, ut se a legalibus sordibus immunem præstet, ut sedulo eas Leges observet, quæ prohibent carnium quarumdam usum, & aliquarum rerum attactum, quæ habebantur immundæ. Alibi vero sacerdotibus suis commendat, ut diligenter, & sedulo cultus sui cæremonias observent. Alibi denique vero præcipit populo suo, ut vivat in innocentia, atque justitia, & ea evitet peccata, quæ animam polluunt: quo præsertim in sensu ea verba S. Petrus isthic intelligit. Salvator perspicue satis in Evangelio Matth. 15. 11. declaraverat non exteriores, sed interiores sordes hominem coram Deo immundum efficere.

℣. 17. SI PATREM INVOCATIS EUM.] Quoniam Jesus Christus vobis comparavit libertatem vocandi Deum Patrem vestrum [7], vos cum illo reconcilians, atque participes efficiens qualitatis filiorum Patris Cœlestis [8], filialem erga eumdem metum debetis induere, neque degenerare a tanto hoc honore, quem vobis confert in filiorum suorum albo recipiens. At tantum hoc dignitatis superbiam atque licentiam vobis non immittat; Deus enim, qui Pater vester est, est quoque Judex vester, & sine ulla personarum acceptione reddit unicuique secundum opera ejus. Filii, qui obliviscuntur obedientiæ, timoris, & amoris, quæ Patri debent, longe acerbius judicium experientur. Reputate vos tamquam advenas in Terra, & anhelate ad Patriam vestram [9], domum Patris vestri, quæ Cœlum est.

℣. 18. SCIENTES, QUOD NON CORRUPTIBILIBUS.] Redemptionis vestræ, atque filiationis felicitatem eo habete in pretio, in quo habenda est; & de eo loco, in quo a vobis habenda est, judicium ferte ex pretii magnitudine, quo vobis fuit comparata. Ut vos redimeret Deus, non aurum, neque argentum impendit, sed Filii sui Unigeniti vitam effudit, & sanguinem.

DE VANA VESTRA CONVERSATIONE, PATERNÆ TRADITIONIS.] Hebræi antequam ad Jesu Christi fidem converterentur, omnes Legis inanes observantias sectabantur, atque religiosissime Patrum suorum traditionibus inhærebant. Evangelium oculos illis aperuit, ut hæc omnia viderent, vocavit illos in libertatem filiorum Dei, & jugum illud excussit. Intellexerunt Leges cæremoniales saluti necessarias non esse, & plerasque Pharisæorum traditiones nulla auctoritate constare, nullamque existimationem mereri, alias vero, utpote spiritui Legis oppositas, omnino esse contemnendas. Judæi conversi perstiterunt profecto Moysis Legem semper observantes illo tamen spiritu, & sensu, qui longe abhorrebat ab eo, quem conceperant antequam lux Evangelii ipsis affulsisset [10]. Qui credunt [11] hanc Epistolam ad Gentiles conversos scriptam esse, hoc explicant de superstitionibus, atque abominationibus Idololatriæ, quas Ethnici receperant a parentibus suis. Sed in Præfatione palam ostendimus hæc omnia ad Judæos conversos spectare.

℣. 19. SED PRETIOSO SANGUINE.] Non auro, vel argento, neque holocautomatum, & victimarum sanguine redempti estis, & a peccatorum vestrorum sordibus abluti; sed sanguine Jesu Christi, qui Agnus est sine macula, & salutaris Hostia, quæ ultro sese tradidit pro nobis. ℣. 20. *Præcogniti quidem ante Mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos*. Deus Pater misericordiarum, qui ab æterno Adæ pec-

 catum

1 3. Reg. 18. 46. 4. Reg 4. 29.
2 Νήφοντες τελείως ἐλπίσατε. *Sobrii, seu vigilantes, perfecte sperate: vel vigilantes perfecte, sperate.*
3 Vide Est. Men. alios. Coloss. 3. 4. 1. Joan. 3. 2. 3. 4. &c.
4 Exod. 19. 6. 22. 31. Levit. 11. 44. 45.
5 Græc. Ἅγιοι γίνεσθε. *Sancti estis*. Alii *Sancti eritis*. Ἅγιοι ἔσεσθε. Ita plures MSS. Græci.
6 Levit. 11. 45. 19. 2. 20. 26. 21. 8.
7 Rom. 8. 15. Galat. 4. 6.
8 Ephes. 1 5. Galat 4. 5.
9 Ephes. 2. 19.
10 Vide Est. Gagn. Cajet. Vorst. Grot. alii.
11 Vide Bed. hic.

ctum prænoverat¹, decreverat etiam humanum genus redimere, atque ad illud in persona dilecti Filii sui mittere Salvatorem ¹. Hoc decretum revelatum fuit protoparenti nostro, & Sanctis Patriarchis, & mox etiam Prophetis; eaque traditio semper in Judæo populo viguerat, quippe qui fuerat electus veræ religionis, atque revelationis sequester. Denique tempora a Prophetis præsignata, & in æternis decretis præstituta, cum adimpleta fuerunt, Deus Messiam suum manifestavit. Salvator noster, hic Agnus sine macula pro nostra redemptione in Sacrificium oblatus fuit; quæ igitur nostra felicitas est, si cum Patribus nostris conferatur? Vos vidistis, & recepistis illum, quem ipsi tandiu expectarunt, & tantopere concupierunt. Hoc autem, quos ex vobis animi grati, & benevolentiæ sensus erga illum exquirit? Quomodo exigit, ut vitam ducatis Deo, atque vocationis vestræ sanctitate dignam?

℣. 21. PROPTER VOS, QUI PER IPSUM FIDELES ESTIS.] Quamvis Dei filius pro redemptione vestra ante ipsam Mundi creationem fuerit prædestinatus, atque Patribus vestris promissus; quamvis ille venerit, & obierit, ut Mundum universum salvum faceret, atque electi a primo usque ad novissimum horum meritorum participes fuerint; & in hoc sensu ² fuerit *occisus ab origine mundi*: vos tamen peculiarem Deo gratiam debetis, quod vobis Filium suum manifestaverit, atque hac ætate vestra illum in Terras miserit; nam post adventum illius gratiæ copiosiores sunt, veritates expeditiores, subsidia majora, salus facilior. Omnia Patribus vestris contingebant in figura, sed vos rem ipsam obtinuistis; vos inquam, *ad quos fines sæculorum devenerunt*. 1. Cor. 10. 11.

UT FIDES VESTRA, ET SPES ESSET IN DEO.] Voluit Deus, ut Filius suus in Terram descenderet, resurgeret, gloria cumulatus esset, ut in illo fidei, & spei argumentum deprehenderetis. Patres vestri ominus illum viderunt, expectaverunt, crediderunt, & speraverunt in illum; sed vos beatiores, qui videtis, & possidetis id, cujus illi confusam tantummodo cognitionem, remotamque spem conceperunt. Venit Jesus Christus pro omnibus nobis, quasi pro singulis venisset: singuli peculiariter illi redemptionem nostram debemus, tanquam pro singulis animam efflasset ³, quoniam gratiæ illius divisio, atque infinita ejus copia nihil imminuit, quod sperare possumus: quo plura petimus, eo majora nobis conferuntur; quippe fons est inexhaustus. Ita hoc in sensu verum est dicere, Jesum Christum propter nos venisse, mortuum esse, resurrexisse, & ad Cœlum ascendisse, *ut fides nostra, & spes esset in Deo*.

℣. 22. ANIMAS VESTRAS CASTIFICANTES.] Hæc est hucusque dictorum conclusio. Quoniam Deus pro dilectione prorsus gratuita tantum hoc boni vobis conferre dignatus est; æquum est, ut amori illius respondeatis perfecta vitæ puritate, *obedientia charitatis*, cultu spirituali, & filiali amore, *in fraternitatis amore simplici*. S. Petrus hoc in versiculo omnis Christiani omnia officia complectitur; vitæ castitatem, obedientiam amantissimam, vel cultum fidelem cum Dei amore conjunctum, & proximi charitate. Lex Moysis expiationes dumtaxat præcipiebat, quæ pertinebant ad corpora; exteriorem tantummodo, atque servilem cultum instituebat, terroremque incutiebat. Sed Christiana religio petit animæ puritatem; cultum ex amore profectum, & sinceram charitatem efflagitat.

IN FRATERNITATIS AMORE SIMPLICI, EX CORDE INVICEM DILIGENTES.] Tres hæ sunt qualitates, quas habere debet amor, quo proximum nostrum diligimus; primo ut sit *simplex*, purus, rectus, sine ulla prophani, improbique amoris commixtione; ut illum amemus, quia frater est, & quia illum a Deo amare jubemur, quin nostra spectetur utilitas; tunc enim non proximum nostrum, sed nosmet ipsos diligeremus. 2. ut sit *ex corde*, sine ulla simulatione. 3. ut jugiter extrinsecus seipsum probet operibus; *attentius*, vel cum Græco ⁴ *intense*, aut *extense*, fortiter, ardenter, jugiter, sine intermissione, sine remissione, sine limite, omni tempore, & erga omnes.

℣. 23. RENATI NON EX SEMINE CORRUPTIBILI.] Mutuo vosmet diligite, quoniam fratres estis ⁵, & ex eodem patre nati. Non loquor autem de temporali nativitate, aut generatione, vel filiatione communi, quæ cum sint corruptibiles, corruptos, atq; mortales homines pariunt; sed loquor de regeneratione spirituali, quæ in vobis fit per verbum Dei, & ex cujus virtute facti estis fratres Jesu Christi, filii adoptivi Patris, & Cœli hæredes. Cum generationis hujus principium sanctum sit atque incorruptibile, Sanctos producit, & desinit in ea filiatione, quam neque mors, neque tempus evertent. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate Carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Joan. 1. 12. 13. Vel quemadmodum hic ait S. Petrus: *per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum*. Non satis ex Græco ⁶ patet, utrum hæc verba *vivi, & permanentis in æternum* ad Deum, vel ad verbum sint referenda: qua in re dissentiunt Interpretes, sed aptius est, illas referri ad Deum; qui in scripturis ut plurimum Deus vivus, atque æternus vocatur; & licet hoc intelligeretur de verbo Dei, semper tamen hoc in Deo esset considerandum, ut vivere, & in æternum permanere dici posset.

℣. 24. OMNIS CARO, UT FOENUM.] quod momento exarescit, & abit; ℣. 25. *verbum autem Domini manet in æternum*. Hoc ex Isaia 11. 6. desumpsum est. S. Petrus id confirmaturus, quod dixit de eo discrimine, quod inter temporalem, & corruptibilem nostram generationem, atque inter æternam, & incorruptibilem regenerationem, quæ fit per Dei verbum, & gratiam, intercedit; hæc adfert Prophetæ verba dicentis carnem omnem corruptibilem esse, & verbum Dei in æternum permanere; unde facile inferre est, quæcumque ex carne nascuntur esse corruptioni obnoxia, quemadmodum quidquid nascitur ex verbo Dei est incorruptibile, quia quidquid sequitur naturam principii, unde originem ducit. Prophetæ mens non ea erat fortasse, ut probaret, quæ hic ait S. Petrus; sed cum principium illud generale sit, plurima inde inferri possunt, & sane quod Apostolus infert, æquissimum est, atque aptissimum. Quod vero addit, *hoc verbum, quod evangelizatum est in vos*, ita est intelligendum: quod generatim dixit Isajas de verbo Dei, mirum in modum adimpletur in Evangelio, quod vobis fuit prædicatum; vivit, atque permanet in æternum; æterna atque immutabili veritate innititur, atque vos ad eam vitam adducit, quæ nullum unquam inveniet finem. Ducite igitur vitam dignam hac incorruptibili regeneratione, quam recepistis, nihil de hoc Mundo concupiscite, quoniam super eumdem estis translati: *nihil appetere de sæculo potest, qui sæculo major est* ⁷.

---

1 Rom. 16. 25. 26. *Secundum revelationem mysterii æternis temporibus taciti, quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum, &c.* Tit. 1. 2. *In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora sæcularia*. Vide & Rom. 3. 25. Ephes. 3. 11. 2. Timoth. 1. 9. Galat. 4. 3. &c.

2 Apoc. 13. 8. *Agnus occisus ab origine mundi*.

3 August. lib 3. Confess. cap. 11. *O tu bone, omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, tamquam solum cures; & sic omnes tamquam singulos*.

4 Ἐκ καθαρᾶς καρδίας ἀλλήλους ἀγαπήσατε ἐκτενῶς.

5 Rom. 8. 29.

6 Διὰ λόγου ζῶντος Θεοῦ, καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα. *Per verbum Dei viventis & manentis in æternum*. Erasm. Grot. Est. alii. Vide Dan. 6. 26. Unde sumpta hæc verba.

7 Cyprian. lib. 2. Ep. ad Donat.

CA-

CAPUT II.

Christiani pueris recens natis comparati. Amare debent lac spirituale, & inniti lapidi angulari. Sunt populus sanctus, & electus. Abstinere debent a cupiditatibus Mundi, Principibus obtemperare, & gloriam suam in hoc constituere, si secundum JESU CHRISTI exemplum patiantur.

1 DEponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & in-
vidias, & omnes detractiones. 2 Sicut modo geniti infantes, rationabile si-
ne dolo lac concupiscite; ut in eo crescatis in salutem. 3 Si tamen gustastis, quo-
niam dulcis est Dominus. 4 Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus qui-
dem reprobatum, a Deo autem electum, & honorificatum: 5 Et ipsi tamquam lapi-
des vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales
hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. 6 Propter quod continet Scriptura:
Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: & qui credi-
derit in eum, non confundetur. 7 Vobis igitur honor credentibus: non credentibus
autem, lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. 8
Et lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo
& positi sunt. 9 Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, popu-
lus acquisitionis; ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admira-
bile lumen suum. 10 Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non
consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. 11 Charissimi, obse-
cro vos tamquam advenas, & peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ mi-
litant adversus animam. 12 Conversationem vestram inter gentes habentes bonam: ut
in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos
considerantes, glorificent Deum in die visitationis. 13 Subiecti igitur estote omni hu-
manæ creaturæ propter Deum: sive regi, quasi præcellenti. 14 Sive ducibus, tam-
quam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: 15 Quia sic est
voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignoran-
tiam: 16 Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut
servi Dei. 17 Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem hono-
rificate. 18 Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & mo-
destis, sed etiam dyscolis. 19 Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam susti-
net quis tristitias, patiens injuste. 20 Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphi-
zati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis; hæc est gratia apud Deum. 21
In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exem-
plum, ut sequamini vestigia ejus. 22 Qui peccatum non fecit, nec inventus est do-
lus in ore ejus: 23 Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non
comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste: 24 Qui peccata nostra ipse pertu-
lit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sa-
nati estis. 25 Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem, & epi-
scopum animarum vestrarum.

℣. 1. DEPONENTES IGITUR OMNEM MALITIAM.] Quoniam per nativitatem omnino spiritualem estis regenerati, vivite tanquam filii recens nati in vitæ recentis integritate, atque innocentia; vobis enim in baptismo exuenda fuit omnis veteris hominis nequitia [1], dolus, hypocrisis, astus, invidia. Hos astus ante regenerationem vestram producebatis, nunc oportet, ut prorsus oppositos adferatis: quemadmodum gessistis hominis terreni imaginem, ita & Cœlestis hominis imago vobis est gerenda [2]; quam tamen gerere non potestis, nisi Jesum Christum induatis [3]: *imaginem Cœlestem portare non possumus, nisi in eo, quod nunc esse cœpimus Christi similitudinem præbeamus; hoc est enim mutasse, quod fueras, & cœpisse, quod non eras, ut in te Divina nativitas luceat* [4].

℣. 2. SICUT MODO GENITI INFANTES.] Per spiritualem regenerationem, quam in baptismo recepistis, tanquam homines prorsus novi nullo amplius habere in discri-

1 Coloss. 3. 9. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis.* Ephes. 4. 22. *Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem.* Rom. 6. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.*
2 1 Cor. 15. 47. 3 Galat. 3. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*
4 Cyprian. de Zelo & Livore.

discrimine eas escas, quæ olim vobis fuerant in deliciis; sed lac spirituale, & innocuum tantummodo desiderate; *rationabile sine dolo lac concupiscite* [1]. Hæc verba *sine dolo* ad *lac* referuntur. Lac sine fraude, sine astu; omnia studia, omnemque Christianorum rationem significat, quibus in simplicitate, innocentia, ac puerili mansuetudine vivendum est. Addit propterea opus esse, ut lac sit *rationabile*, spirituale; ut significet se non loqui de cibo sensibili, & corporeo, neque de reali pueritia, sed de vita innocenti & puerili simplicitate.

Alii [2] hoc *rationabile lac*, *& sine dolo* explicant de Evangelio, & verbo Dei. S. Paulus non semel in Epistolis suis [3] ait: se illos tanquam filios amasse, eisdem lac tribuisse, non solidam escam. Hic vero *lac rationabile*, *& sine dolo*, vel sine immixtione sanam, & genuinam Evangelii doctrinam significat. S. Petrus Hebræos ad fidem traductos hortatur, ut sibi caveant ab Hæreticis, & pseudo-Apostolis sanam Jesu Christi, Apostolorumque doctrinam lanciare cupientibus. Lacti immiscebant gypsum, ut ait S. Irænæus [4], hoc est erroris venenum lacti veritatis.

Lac etiam desumi potest tanquam symbolum mansuetudinis, candoris, sinceritatis; opponitur enim acerbitati, sævitiæ, hypocrisi. S. Petrus jubet fideles vitam traducere ita, ut habeat similitudinem cum iis qualitatibus, quæ lactis characterem constituunt. Recens baptizatis gustandum præberi consuevisse lac simul cum melle, testis est Tertullianus [5]; *inde suscepti lactis, & mellis concordiam prægustamus*.

Alii per hoc *rationabile*, aut *verbale* lac, quemadmodum S. Clemens Alexandrinus l. 1. Pædag. c. 6. vertit, Verbum Incarnatum intelligunt. Jesus Christus in humilitate sua nostrum est lac, ait S. Augustinus tract. 3. in epist. Joan. Alii hoc explicant de Eucharistia, quæ profecto infirmorum quidem lac est, & perfectorum solida esca [6]. Olim tribuebatur, & ad hanc quoque diem in Ecclesia Græca recens baptizatis tribuitur; sed hæ postremæ explicationes spirituales potius haberi debent, quam litterales.

UT IN EO CRESCATIS IN SALUTEM:] ut hoc innocuum lac vos ad robustiorem ætatem perducat, atque feliciter tandem salutem assequamini. In Oriente, & in Græcia pueri lacte tantum aluntur, donec matris, vel nutricis papillas exsugunt, deinde vero quælibet esca illis tribuitur, ita tamen ut nutricis primum dentibus mansa in alumni os ingeratur [7]. S. Petrus jubet, novos Christianos tanquam modo genitos infantes vesci lacte verbi Dei, ac in perfecta mansuetudine atque innocentia vitam traducere de virtute in virtutem progredientes, & magis magisque in veritatum Christianarum exercitatione sese confirmantes, donec ad perfectam ætatem pervenerint: *donec occurramus omnes in Virum perfectum, in mensuram ætatis, plenitudinis Christi*; quemadmodum S. Paullus ait ad Ephesios 4. 13. In Græco hujus loci Textu non legitur, *in salutem* [8], sed hæc verba in plurimis Græcis Mss. Syro, Cophto, Æthyope, & apud Origenem, atque S. Clementem Alexandrinum inveniuntur: ita ut si additio est, profecto sit vetustissima.

℣. 3. SI TAMEN GUSTASTIS QUONIAM DULCIS EST DOMINUS.] Reor, vos jam gustasse ea solatia, atque eam dulcedinem, quam perfundit Deus in eorum animas, qui ad ipsum ex toto corde revertuntur. Et cum de lacte spirituali loquor, puto vos intelligere, quæ dicam; frustra enim vos hortarer, ut in dies majori flagraretis desiderio ineffabilis hujus dulcedinis, quæ in Dei servitute, & in rectæ conscientiæ pace gustatur; si eam nunquam fuissetis experti. Alludit S. Petrus ad psalmi 33. 9. *gustate, & videte quam suavis est Dominus*. Græca quædam exemplaria legunt *Christos* pro *Chrestos* [9]. Si gustastis, quam suavis est Jesus Christus. Hic in Evangelio Joan. 6. 31. Mannæ, & Joan. 4. 14. fonti viventis aquæ in æternam usque vitam salientis comparatur. Ipse est dulcedo nostra, spes nostra, solatium nostrum; ille nobis gratiæ suæ vim, atque suavitatem communicat, ut bonum aggrediamur, atque in eo perseveremus.

℣. 4. AD QUEM ACCEDENTES LAPIDEM VIVUM.] Hæc recens est metaphora ex Scriptura desumpta Messiam angulari lapide comparante, *lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*, ait Psalmista psal. 117. 22. & Isajas 8. 14. Dominus erit salus vestra & sanctificatio vestra, objectum cultus, & terroris vestri; *Erit in lapidem offensionis & in petram scandali*. Et 28. 16. *ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum*. Jesus Christus est lapis, de quo loquitur S. Petrus, & qui in Evangelio dicitur in ruinam & in resurrectionem multorum [10] futurus. Judæi increduli, Gentiles veritati rebelles abjecerunt hunc lapidem, impegerunt in illum, ceciderunt, illisi sunt; sed nihilominus factus est hic lapis in caput anguli; qui ceciderunt in illum, ibi felicitatem suam invenerunt. *Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum*. Luc. 20. 18.

℣. 5. TANQUAM LAPIDES VIVI SUPERÆDIFICAMINI.] In litterali sensu vivus lapis vocari potest, qui in latomia concrescit, & qui inde tanquam ex sinu matris educitur; lapis solidus, integer, firmus, durus, qui temporis injurias eludere & totum ædificii pondus sustinere possit; qui opponitur lapidi mortuo, friabili, qui neque frigoris, neque pluviæ vim patitur. Vel qui propter inflexibilem duritiam suam cedi non potest, malleum non patitur, & in nullum ædificii usum potest impendi. Sed in morali sensu lapis vivus, lapis est spiritualis in structuram ædificii ejusdem naturæ destinatur. Jesus Christus est lapis vivus, fundamentum, ornatus, soliditas Ecclesiæ Christianæ. Quilibet etiam fidelis lapis est vivus, qui in Ecclesiæ ædificio super fundamentalem lapidem, qui est Jesus Christus superstruitur. Nos simul omnes ædificium componimus sententiarum, atque affectuum unitate belle compactum, & rite cementatum.

Alio in sensu nostrum singuli Templum sumus [11], vel sacrum ædificium. Jesus Christus illius est fundamentum, nos vero lapides, & cementa suppeditamus: atque operibus nostris super hoc fundamentum superstruimus aurum, argentum, ligna, stipulas [12], prout actiones nostræ bonæ sunt, vel malæ; præmiis dignæ vel suppliciis. In communibus ædificiis lapides nullum habent motum, nullam actionem: cæsi sunt, levigati, a cementariis positi quin illi per se aliquid conentur; hic vero aliter omnino se res habet. Jesus Christus Cementarius est, & fundamentum; Ecclesia ædificium, nos lapides sumus. Ille tamen nihil sine nobis facit, uti neque nos sine illo aliquid facere possumus. Ille nos movet, & in opus redigit, sed nos quoque laborare debemus, & cooperari gratiæ illius, quæ nos prævertit. Si in ædificio collocati sumus, nostrum est Divina favente gratia in eo permanere, & perfici [13]. Nos illi quantum in nobis est Templum sanctum ædificamus, & ipse in nobis Sanctuarium, atque sedem ædificat sibi; omnia ille cum nobis operatur; & nos omnia cum illo. Ille in nobis, & bonam voluntatem, & bonam actionem

1 Augustin. homil. 353. n. 1. *Rationabile & innocens lac*. Quidam male legunt: *Rationabiles, sine dolo*. Velez. Oi λογικοὶ καὶ ἄδολοι. Clem. Alexand Pædag. lib. 1. omittit, ἄδολον. 2 Est. Menoc. Tirin. Cornel. Grot. alii passim. 3 1. Cor. 3. 2 Hebr. 5. 12. 13. 4 Iren. lib. 3. olim cap. 19. nunc 17. in nov. edit. ad finem. Vide Plin. lib. 36. cap. 24. 5 Tertull. lib. de Coron. Mil. cap. 3. & lib. 1. contra Marcion. cap. 14. 6 Vide Clem. Alexand. loc. cit. Salmeron. hic. Torrian. l. 2. de Eucharist. cap. 20. 21. 7 Vide dicta ad Genes. 21. 8. Aristoph. act. 2. scen. in Equit. 8 Ἵνα ἐν αὐτῷ αὐξηθῆτε. Sed plures addunt: εἰς σωτηρίαν. Ita Steph. quatuor. Alex. Genev. Barb. 7. Lin. Colb. 7. Syr. Æth. Copht. Alii. Clem. Alex. Pædag. lib. 1. cap. 6. Origen. in Ep. ad Rom. pag 497. Cyrill. Gild. 9 Mss. nonnulli Χς pro Χρηστός. Ita & Clem. Alex. lib. 1. cap. 6. Pædag. & alii. Vide Mill. 10 Luc. 2. 34. *Positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum*. 11 1. Cor. 3. 16. 17. 6. 19. 2. Cor. 6. 16. Ephes. 2. 21. 12 1. Cor 3. 12. 13. 13 Vide Est. hic.

nem producit [1]: *velle, & perficere*, quia tamen nostræ libertati, nostroque libero arbitrio officiat, sine quo non esset bona voluntas, non actio bona, non spirituale ædificium.

DOMUS SPIRITUALIS [2], SACERDOTIUM SANCTUM.] Non solum estis lapides vivi, ac Templum, vel domus Dei estis etiam Sacerdotes. Ut in ecclesiæ ædificium ingrediamini, Sanctos vos esse decet; ut sitis Dei Templum, majorem sanctitatem afferatis oportet; sed ut fungamini Sacerdotio Jesu Christi, longe major in vobis sanctitas, atque integrior puritas efflagitatur. Hinc autem conjicite, quænam esse debeat sanctitas vestra, quandoquidem in vobis hæc omnia valida colligitis officia, quæ tot recentes puritatis, & perfectionis gradus exquirunt. Quilibet ergo fidelis in spirituali sensu [3] Sacerdos est Domini, eique offert hostias spirituales: *offerre Spirituales Hostias Deo*; vota, preces, bona opera, eleemosynas; quod tamen non prohibet, quo minus in Ecclesia esse debeant Sacerdotes consecrati, & peculiari charactere insigniti, ut Deo terribile offerant sacrificium, iisque muneribus perfungantur, quæ Jesus Christus Apostolis, eorumque in sacrum ministerium successoribus reservavit.

Omnes Sacerdotes sumus eodem in sensu, quo sumus Reges: *regale Sacerdotium* infra ℣. 9. Participes sumus Sacerdotii, & Regni Jesu Christi. Patri bonas actiones nostras offerimus, quemadmodum ille Patri pro nobis obtulit Sacrificium. quidquid boni conamur, ea eo Sacrificio, & hac unione meritum suum desumit: ita in virtute Sacerdotii ejusdem, cujus participes facti sumus, speramus ad regnum Cœlorum, & Domini gloriam nos quoque perventuros. Baptismus ad supremam hanc dignitatem nos extulit; Spiritus Sanctus nos Domini sacerdotes inunxit, & in nobis sacrum characterem impressit: Ille clamat in cordibus nostris, nobisque suam gratiam confert, ut puras ad Deum manus extollere, eique sanctas, & acceptabiles hostias offerre possimus.

℣. 6. QUI CREDIDERIT IN EUM, NON CONFUNDETUR.] Jesus Christus est nostra spes, ac nostra fortitudo: quicumque in illum omnem suam transfert confidentiam, non fallitur, dummodo tamen confidentia, neque temeraria sit, neque fallax, neque audax. Qui male vivit, arbitrari non debet, se a Jesu Christo probari, & ab eodem salvum factum iri, nisi ex suis flagitiis emergat: qui dicit, se in Jesum Christum credere, atque in illum confidentiam suam collocare, hic se debet præbere dignum illius protectione, vitam traducens non abnormem a fide, quam profitetur, & a vocatione, ad quam fuit accersitus.

℣. 7. VOBIS IGITUR HONOR CREDENTIBUS.] In Dei Judicio cum honore excipiemini, & gloria cumulabimini [4]; vel in ædificii structura in specioso, atque amplissimo loco collocabimini; sed Judæis incredulis, qui Salvatorem abjecerunt, hic lapis angularis invitis etiam, & ægre ferentibus in superiori anguli parte constituetur, & fiet illis lapis offensionis, & petra scandali [5]. Ita etiam verti possunt hæc verba: *vobis igitur honor credentibus*. Hic lapis, de quo loquutus sum pro vobis, est pretiosus, spectabilis, pulcher [6]; quin illum abjiciatis, eundem eligitis, eique adhærescitis, atque gloriæ ducitis, illum tanquam Ecclesiæ fundamentum, ad quam pertinetis, habere.

Syrus hæc omnia omittit: *lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*: ita ut ℣. 7. hæc habeat tantummodo: *vobis autem credentibus* hic lapis *honorem* adfert. Vel: *honor est vobis credentibus; sed non credentibus hic lapis est offensionis, & petra scandali*. Grotius putat, perperam huc migrasse ea verba: *lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*, & illa ex S. Matthæo 21. 42. huc allata fuisse arbitratur.

Alii [7], veluti OEcumenius, quin aliquid in textu immutent, ita ordinem variant. ℣. 6. *Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum; quicumque crediderit, in eum non confundetur* ℣. 7. *hic vobis est lapis pretiosus, atque electus, incredulis vero lapis est offensionis, & petra, quam ædificantes reprobaverunt; quæ tamen facta est in caput anguli*, ut in unum ædificium fideles omnes connectat, sive ex Ethnica, sive ex Judaica religione fuerint profecti. [8]

℣. 8. HIS, QUI OFFENDUNT VERBO [9].] Dei verbum illis est petra scandali, eos irritat, & efficit, ut cadant in blasphemiam, & incredulitatem, *in qua & positi sunt*, & terribili, sed justo Judicio Dei eorum pertinaciam, & nequitiam punientis, atque *spargentis pœnales cæcitates super illicitas cupiditates* [10], ita ut earum tenebrarum caligo sese super illorum animos, & corda effundat. Ne credas tamen, a Deo aliquem destinari ad malum, vel incredulitatem; quemadmodum quidam asserere ausi sunt in hæc verba: *non credunt, in quo & positi sunt*. Deus non vult mortem peccatoris, immo mortalium omnium salutem desiderat: sed neque homini peccatori aliquid debet; ipse est gratiarum suarum Dominus [11].

Judæi increduli videntes humilitatem, quæ extrinsecus in Jesu Christo cernebatur, decepti fallacibus ideis, quas de Messia potenti atque victore conceperant, & rati Judæorum religionem, eorumque leges cæremoniales, in æternum permansuras, allisi sunt in lapidem angularem, ceciderunt in illum, & confracti sunt. Jesum Christum turpissima morte affecerunt, & Discipulos ejus ad necem usque persequuti sunt. Sed hic lapis vicissim cecidit super illos, eosque contrivit. Venerunt Romani, ut in eos Domini ultionem exercerent; Jerosolymam atque Templum everterunt [12], plurimos quidem Judæos interfecerunt, alios vero dissiparunt; ex quo lapsu calamitosa Natio nunquam sese recipere potuit.

Quidam [13] hunc locum explicant: *in quo positi sunt*: quasi diceret; ceciderunt in incredulitatem, & allisi sunt in lapidem angularem, super quem positi fuerant, & collocati. Profecto Judæorum religio Messiæ innitebatur, qui erat legis ipsorum finis, omniumque Prophetiarum argumentum [14]. Alii [15] hoc ita explicant: non crediderunt Jesu Christo, cui quodammodo erant destinati. Ad illum a Lege, atque Prophetis deducebantur, sed obstruxerunt oculos lumini, quod ipsos præibat, eosque ad Jesum Christum adducebat. Sed prior explicatio mihi magis arridet.

℣. 9. VOS AUTEM GENUS ELECTUM.] Fratres vestri, qui in incredulitate permanserunt, severissimos iræ Dei effectus passi sunt; vos autem gratiis ejusdem cumulabimini: *vos estis genus electum*, populus a Deo electus, ut Ecclesiam ipsius constituatis, ejusque familiam componatis; objectum amoris ejus, atque secretorum, & gratiarum ejus sequestres. Vos estis *regale Sacerdotium*, vel potius *progenies sacerdotum, simul & regum*, sublimem hanc utramque dignitatem in vobismet ipsis complectimini. *Sacerdotes* quidem eo in sensu, quem explicuimus ℣. 5. quatenus Deo offertis hostias puras, & sanctas, preces & vota vestra, opera misericordiæ, atque pœnitentiæ, laudum & gratiarum actionis sacrificia: *Reges* autem, quoniam participes estis Regni Jesu Christi, ac speratis, vos aliquando in Cœlo cum eodem regnaturos; & quia affectibus vestris dominamini, atque de Carne, Mundo, ac Dæmone victoriam referentes potiori jure Regum nomine decoramini,

1 Philipp. c. 2. 2 Beda. Quidam legunt: *Sursum ædificamini in domum spiritualem*. August. *In domum spiritualem*. In Psalm. 86. Alii, *domus spirituales*. Hieron. in Ezech. 22. Leo serm. 3. in Assumpt. Ambros. in Luc. 3. & 12. 3 Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 1. *Unusquisque ungitur in Sacerdotium, ungitur in regnum*. 4 Est. Menoc. Cornel. 5 Matth. 21. 44. 6 Est. Grot. Erasm. Pisc. Vat.
7 Vide Knatchbull, & Cene, projet d'une nouvelle traduction, pag. 690. 8 Oecumen. hic, & Cyrill. in MS. Catena apud Mill. 9 Οἱ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ 10 August. lib. 1. Confess. cap. 18. Vide eundem in Exod. qu. 28. *Quamvis uniuscujusque cordis in malitia qualitas, id est, qualis cor habeat ad malum, suo fiat vitio, quod inolevit ex arbitrio voluntatis* Vide Didym. Gagn. Salm. Est. 11 Vide Oecumen. hic. Cornel. a Lapide.
12 Vide Grot. Hamm. 13 Erasm. Titelm. Cajet. Var. Vide Menoc. Cornel. 14 Vide Bed. Lyr. Tir. Syr. alios.
16 Vide Apoc. 1. 6. & c. 10. & Exod. 19. 6.

tri, quam qui populis quidem dominantur, suæ tamen cupiditati atque ambitioni turpissime inserviunt. In Imperiis unus tantum est Rex, & pauci Sacerdotes; in Ecclesia Jesu Christi tot sumus Reges, & sacerdotes, quot fideles. Sacerdotes magno erant in honore apud Hebræos; sed illorum Sacerdotium multo erat inferius simplicium Christi fidelium Sacerdotio.

Gens sancta] in baptismo sanctificata, consecrata Deo, ad altiorem perfectionis gradum, & majorem sanctitatis apicem evocata, quæ religionem sanctissimam, atque divinissimam profitetur [1]. *Populus acquisitionis*, Jesu Christi Sanguine redemptus. Populus; quem Deus sibi reservavit tanquam hæreditatem suam, bonum proprium, & partem suam, quem de inferni potestate eripuit, & quem peculiari destinatione sibimet ipsi consecravit, eundem præ ceteris eligens. S. Paulus hæc elogia mutuatus est ex libris Moysis [2], ubi Judaico populo tribuuntur; sed in Christianorum persona, qui sunt hæredes promissionum, & veri filii Abrahæ secundum spiritum, potissimum adimplentur [3].

Ut virtutes annuntietis.] Status Judæorum ante conversionem suam status erat tenebrarum, si conferatur cum eo, in quem ingressi sunt, recipientes Evangelium. Lex, & Prophetæ sexcentis figuris, atque obscuritatibus erant involuti, quæ totidem erant veluti integumenta prohibentia, ne veritatum, & mysteriorum, quæ in illis continentur, cognitionem assequeremur. Jesus Christus hoc velum abstulit, nosque in sanctuarium usque introduxit [4], eaque ostendit mirabilia, quæ hactenus fuerant hominibus invia; inceperunt Judæi in Jesu Christo figurarum consummationem, Prophetiarum, ac promissionum complementum, abditissimarum veritatum revelationem, luminum gratiarum, & consolationis fontem detegere. Ita *populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis* [5]. Efficax fidelis populi vocatio merus est Divinæ potentiæ effectus, quæ illius mentem illuminans movit cor, illi cognitæ veritatis sincerum amorem infudit, eique tradidit oculos, ut videret, aures ut audiret, & cor, ut enarratas sibi veritates intelligeret.

℣. 10. Qui aliquando non populus.] Quidam [6] ex hoc loco inferunt, Epistolam hanc non ad Judæos conversos, sed ad Gentiles, qui in Jesu Christi sacra transierant, fuisse conscriptam: sed reliqua Epistola satis persuadet, S. Petrum loqui ad fideles ex Judaica religione vocatos, qui ante conversionem suam non erant populus Dei eo modo, quo post eamdem fuerunt. Primus eorum status, si cum altero conferatur, erat tanquam status alienigenæ populi cum proprio collatus. Oseæ c. 7. 8. & seqq. loquens ad Israelitas decem Tribuum illis verbis Domini ait; vos qui non estis populus meus, & quorum amore non tangor, eritis populus meus; vos mea misericordia præveniam; multiplicabo vos, & numerus vester erit tanquam arenæ maris. Hoc in mystico, & sublimiori sensu ad Christi fideles spectabat, ad quos illud jure S. Petrus hic transfert.

Cum Jesus Christus in Mundum venit, quid erat Judæorum Natio? Quæ Sacerdotum corruptio? Quæ in successione ad summum Pontificatum confusio? Quæ flagitia in Pharisæis, qui in populo præ ceteris illustri ac frugi existimabantur? Legis præcepta, ea etiam, quæ erant sanctissima, jam obsoleverant attrita explicationibus ineptis, & ex adverso, spiritui Legis oppositis. Populi obruti erant illius Legis jugo, quod neque ipsi, neque Patres eorum ferre potuerant [7]; Doctores in id vacabant, ut suas traditiones obtruderent, quas Legi exæquabant, vel præferebant. Doctrina prorsus humana revelationis, & salutaris scientiæ locum arripuerat; demum in iis, qui tanquam Synagogæ columnæ habebantur, hypocrisis tantum, fraus, ostentatio, avaritia, invidia dominabantur: quæ satis superque sunt, ut probetur S. Petri sententia, dicentis, Hebræos fideles ante conversionem suam nequaquam fuisse populum Dei, sed honorem hunc post eamdem fuisse assequutos.

℣. 11. Tanquam advenas, et peregrinos [8]] in hac vita, & in iis, quæ ad Mundum pertinent, *abstinete vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam*. S. Petrus hoc in loco distinguit, quemadmodum etiam S. Paulus in Epistola ad Romanos 7. 21. *desideria carnalia* concupiscentiam, Legem in membris nostris dominantem, pravum illud studium, quo intus in malum rapimur, a Lege spiritus, motu gratiæ, sanctis inspirationibus, quæ nos ad justitiam, & virtutem adducunt. Christiani in Mundo sunt tanquam in exilio, atque semper veluti Cœlestis Jerosolymæ Cives sese considerant [9]. Sunt quidem in Civitatibus, sed quasi viatores; rebus vitæ hujus fruuntur, sed veluti vitam aliam expectantes; in aliena terra tanquam in sua vivunt, in sua vero tanquam in aliena. In carne vivunt, sed non secundum carnem; in terra permanent, & eorum conversatio in Cœlis est. Ita Christi fidelium vitam S. Justinus Martyr, vel qui ad Diognetem scribit, delinear.

℣. 12. Conversationem vestram inter Gentes.] Inter gentes eam vitæ rationem instituite, quæ sancta sit, ut illi optime facta vestra intuiti, Deo gloriam reddant, veritatem agnoscant, & vos laudibus, atque benedictionibus cumulent pro illis obtrectationibus, atque dicteriis, quæ contra nomen nostrum effunduntur. Nihil magis profuit, ut Christiana religio progrederetur, quam primorum Christi fidelium integritas; ea enim instar erat jugis prædicationis, quæ multo efficacior erat, & ad persuadendum aptior, quam disertissimus quilibet sermo. Christi fidelibus vitio vertebatur, quod Principum Leges contemnerent, in cœtibus suis flagitiosissimis impudicitiis sese pollueerent, humanam carnem comederent, & tanquam Reipublicæ, humanique generis inimici habebantur. S. Petrus igitur illos hortatur, ut omnibus hujusmodi calumniis sanctam, innocuam, & irreprehensibilem vitam opponant, quæ acerrimos etiam persecutores deliniat. Bona vita, ubi constans atque uniformis sit, melior est, quam omnes apologiæ; cum vos accusabunt, quod Christiani sitis, atque aliis vulgo meliores; hujusmodi crimina vobis in uberrimam gloriam redundabunt. *Si quid patimini propter justitiam, beati*, 1. Petri 3. 14.

In die visitationis.] Cogantur inimici innocentiam vestram confiteri, *in die visitationis*, hoc est, cum Deus in ira sua venerit ad ultionem contra Judæos incredulos exercendam [10]. Romani videntes humilem vivendi rationem, quam Hebræi conversi in Provinciis ducebant, eorumque animum ab omni defectione alienum intelligentes, illis pepercerunt, & admirati sunt Religionem, quæ illis sensus tanta observantiæ, atque obedientia refertissimos erga Principes inspirabat [11]. Aliter [12], gloriam Deo tribuent *visitationis die*, cum per clementiam suam Deus illis oculos aperiet, eisque tribuet gratiam, lumine, suavitate, atque vi cumulatam, quæ illos pertrahet ad fidem; & utetur etiam eorum ipsorum, qui jam crediderunt, exemplo, ut illos ad se ipsum perducat.

Denique *dies visitationis* significare potest examen, quo Principes, & Magistratus ad trutinam revocabunt Christi fidelium vitam, atque doctrinam: tunc enim veritatis perspicuitate victi illorum integritati, æquo sancti-

1 Λαὸς εἰς περιποίησιν 70. Exod. 19. 5. Περιούσιος. Heb. סגלה *Thesaurus, peculiaris, acquisitus, redemptus.*
2 Exod. 19. 6. *Et vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens sancta.* Deut. 4. 20. *vos autem tulit Dominus de Ægypto, ut haberet populum hæreditarium.* 3 Vide Galat. 4. 22. 23. & seq. 4 Hebr. 9. 8. 22. 24.
5 Isai. 9. 2. Matth. 4. 16. 6 Vide Grot. Est. 7 Act. 15. 10. 8 Confer 1. Petri 1. 8. 17. 2. Cor. 5. 6. Hebr. 11. 13. Philipp. 3. 20. 1. Cor. 7. 29. 9 Ephes. 2. 19.
10 D. Thom. Hugo. Grot. Hamm. 11 Gloss. Dionys. Gag. Cathar. Vet. Salmer.
12 Oecumen. Arias, Est. Gerhard.

fanctitati praclarum testimonium perhibere cogeretur. Hucre vera accidit, cum Plinius Junior Asiæ Proconsul [1] intelligere intus, & in cute voluit, quodnam esser Christianorum tealus; intelleait enim, in hoc positum esse, ut ante lucem simul coovenirent, & in Jeso Christi honorem laudes concinerent. Hoc ille Trajano per Epistolam nuntiavit, cui respondit Imperator, non esse ad necem conquirendos; sed pæcepit, ut qui adducerentur, & in sua confessione persisterent, secundum leges plecterentur. Hujus responsionis iniquitatem belle Tursullianus in Apolog. exaggerat; si nosii sunt, cur non conquirendi, si innoxii, cur supplicio afficiendi? *O fruerusiam necessitate confusam! Negat inquirendos innocentes, et mandat puniendos nocentes.* Longe æquior fuit Antoninus Imperator [2], qui vetuit, ne Christiani nomine Religionis vis inferretur, & eos, qui eosdem accusarent subeundæ legum severitati constanter addixit.

℣. 13. SUBJECTI ESTOTE OMNI HUMANÆ CREATURÆ.] Communis erat tunc temporis contra Christi fideles crimicatio, quod populis defectionis animum injicerent, atque contra Principes, legitimasque Potestates illos instarent, & deorum, atque antiquæ religionis contemptum immitterent. Postremum hoc criminationis caput manifestum erat, & Christiani neque Idolorum Templa, neque Religiosos Ethnicorum coetus adibant; sed primum omnino falsum erat; immo Jesus nihil discipulis suis tantopere commendaverat, nisi ut potestatibus subditi essent. Herodiani, vel Judæ Galilæi discipuli illum tentaverant, ut inspicerent, utrum suæ faveret sententiæ, qua se Romanis subditos nequaquam esse asserebant; sed illos summo rubore suffusos dimisit [4]. Principes quoque Sacerdotum illum coram Pilato accusaverant, quod tutius regionis populos concitaret [5], at hujus criminis, ne minimum quidem argumentum produxerunt. Cum Judæi Christiani nominis inimici has calumnias illi adspergerent, easque in omnes terras disseminarent; Apostoli Petrus, & Paulus [6] serio animum adverterunt, ut fictos hos rumores delerent, atque fidelibus immitterent eos seorsus, eamque vivendi rationem, quæ inimicos ipsos mendacii redargueret.

Textum ad litteram Vulgata vertit: *subjecti estote omni humanæ creaturæ*, hoc est, omnibus hominibus in dignitate constitutis, cujuscumque nationis, & Religionis sint: nam discipuli Judæ Galilæi non tenebant obtemperare Principibus Nationis suæ a Deo constitutis; sed alienos, atque idololatras Principes respuebant. Non vult S. Petrus, a Christianis hoc discrimen haberi. Ea quo providentiæ imperio aliquis vobis præest, ne quæraris, quisnam sit, sed memeotote solum, hunc esse superiorem vestrum, eique esse obtemperandum.

SIVE REGI QUASI PRÆCELLENTI.] Hæc Epistola Claudio imperante, scripta fuisse videtur, qui Judæis, atque Christianis se se inexpiabilem præbuit; Judæos quidem ex omni Italia ejecit, Suetonio teste l. 5. c. 25. ferre non valens tumultus, quos indesinenter excitabant, impulsi a Viro quodam, cui nomen *Krestus*, vel potius per occasionem JESU CHRISTI, quem Judæi obdurati confiteri nolebant, sub Religionis specie persequentes Judeos, qui conversi fuerant, fratres suos. Christiani vero tunc a plerisque Ethnicorum non habebantur, nisi quædam Judæorum secta, vel Religionis eorumdem reformatio, ideoque publicæ persecutiones, quæ contra Judæos mandabantur, in ipsos etiam Christi fideles recidebant, licet immunes a Judæorum sceleribus.

℣. 14. SIVE DUCIBUS TAMQUAM AB EO MISSIS.] Romani Imperatores in Provincias mittebant Prætores, Proconsules, aliosque Magistratus, qui eisdem præessent, eodem ferme pacto, quo Pro-Reges in Hispania, & Moderatores in Gallia. Illis subordinatam præstemus obedientiam; subordinatam quidem primum illi, quam Deo, mox quam Regi debemus. Si Pretor, vel Magistratus aliquid nobis preceperint, quod Legi Dei, vel Principis imperio reluctetur, mandati eorumdem nullam nobis ratio habenda est; cæterum illis omnino obtemperemus. Hi constituti sunt *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Hoc est Magistratuum officium. Si rite his muneribus perfunguntur, nos illi grati esse debemus; illi enim impiorum conatus coercent, atque contra injusta eorum facinora pacem nostram tuentur.

Sin autem sua potestate abutantur, si vita illorum flagitiosa fuerit, & prava Religio; hoc tamen satis causa non est, ut eam, quam illis debemus, obedientiam renuamus; Regem suum habent, a quo judicantur in Terris; habent & Deum, a quo judicentur in Cœlis. Hoc veri Christiani omnium seculorum senserunt; hæc etiam fecerunt. *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit* &c. [7]

Non sufficit S. Petro simplex obedientia, sed eam prestari jubet *propter Deum*; vel quemadmodum loquitur S. Paulus Rom. 13. 5. *propter conscientiam*. Utilitas, timor, amor, possunt quidem ad tempus subditos in officio coercere; sed Christiana Religio alias proponit causas perpetuas, immutabiles, & quæ humanam rationem excedunt. Licet utilitas, metus, amor Principis, cesset, cessare non potest Dei amor, & quæ mandatis illius debetur, reverentia.

℣. 15. QUIA SIC EST VOLUNTAS DEI.] Conantur vos in suspicionem vocare, tamquam Reipublicæ, atque Principum inimicos? Perfecte obedite omnibus hominibus, in dignitate constitutis. Vobis objiciunt flagitiosissima scelera, atque libidinosissima crimina? Pro vobis ferte vitam innocuam, pudore, & æquitate refertam. Non aliter melius inimicorum criminationes potestis eluere.

℣. 16. QUASI LIBERI, ET NON QUASI VELAMEN HABENTES MALITIÆ LIBERTATEM.] Ut malum committatis. JESUS CHRISTUS de jugo dæmonis vos eripuit, at non liberavit vos ab ea submissione, quam legitimis potestatibus debetis. Vos in libertatem vocavit quoad Legis cæremonias; hoc tamen vobis occasionem non præbeat, ut fratribus vestris per licentiam, atque scelera scandalum inferatis [8]. Judei obdurati in fratrum suorum ad Christi fidem traductorum vivendi ratione inquirebant, si quem pertinaciæ, & nequitiæ suæ colorem possent prætexere. Christiana Religio, ajebant, ut illis odium conflarent, Religio non est, sed mera licentia; non paret Legibus Moysis, vel Imperii: lucem odit, & sua abscondit mysteria. Cur autem illa abscondit, si nihil malum continent? Professus est Jesus Christus, se venisse, ut Moysis Legem non everteret, sed adimpleret; cur ergo illius discipuli eam derelinquunt?

S. Petrus prudentia uti vult, ut hæc probra, & calumniæ tollantur: neque semper jure suo uti in iis rebus, quæ licent: quibus consiliis similia propemodum ad Corinthios [9], & Galatas [10] tribuit S. Paulus. Hi Apostoli verebantur, ne sub specie Religionis, & servitutis, quæ Deo debetur, ac libertatis per JESUM Christum quæsitæ aliquis occasionem tribueret, ut per imprudentes sermones, quos vel de Republica, vel de Principibus habere potuissent, vel per contemptum nimis

1 Plin. lib. 10. Epist. 97. ad Trajan.
2 Apud Euseb. lib. 3. Hist. cap. 12.
3 Ὑποτάγητε οὖν πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει. *Omni humanæ ordinationi, seu constitutioni*. Oecumen. Didym. Grot. Zeger. Bez. Pisc. alii. Seu potius juxta Vulgatam. *Omni creaturæ humanæ* κτίσει, significat proprie, *creaturam*.
4 Matth. 22. 16. 17. & seq.
5 Luc. 23. 5. 6.
6 Rom. 13. 1. 2. Timoth. 2. 1. 2. 1. Tit. 3. 1.
7 Tertull. ad Scapul. cap. 2.
8 Rom. 6. 13. 16. 17. 18. *Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ*. Joan. 8. 32. *Veritas liberabit vos*.
9 1. Cor. 8. 9. *Videte, ne licentia vestra offendiculum fiat infirmis*. Et 10. 21. & seq.
10 Galat. 5. 13. *In libertatem vocati estis; tantum ne libertatem in occasionem detis carnis*.

nimis apertum Judaicarum superstitionum, vel Ethnicæ impietatis, occasionem præberent, ut alii de ipsis conquererentur. Vide Coloss. 4. 5. & Ephes. 5. 16. quid dictum a nobis fuerit in ea verba: *redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*.

℣. 17. OMNES HONORATE.] Hæc exteriora urbanitatis officia Religionis partem constituunt, & meritoria fieri possunt, ubi pietatis, ac Divini amoris intuitu exerceantur. Inniti autem debent humilitati illa exercentis, charitati erga proximum, & præcepto Dei imperantis, ut nosmet subjiciamus, & colamus eos, quos ille constituit, ut nobis præessent. Quod vero pertinet ad æquales, & inferiores nostros, sublimes adhuc suppeditat rationes Religio nostra, ut æquum illis honorem, atque observantiam præbeamus. In illis amandum, & colendum est, quod in ipsis posuit Deus: in illis certe Dei imaginem, atque similitudinem intuemur. Si sunt Christi fideles, gerunt characterem Jesu Christi; illius Sanguine redempti sunt, ad Regnum illius vocati sunt, membra sunt mystici Corporis ejus. Si boni sunt, in illis deprehenduntur gratiæ dona, quæ eosdem toto Cœlo evehunt super ea, quæcumque in Mundo maximi, fiunt. Sunt filii Dei, fratres Jesu Christi, Judices Mundi. Qua observantia dignus non est, vel minimus Electorum? Quomodo autem scire potes, utrum qui ad pedes tuos jacet, ex eo numero sit? Ad hæc si serio nosmet ipsos inspiciamus, quot infirmitates, quot peccata intuebimur? Quæ causa, ut humiliemur sub potenti manu Dei, ac nosmet demittamus infra omnes homines, qui nobis circumstant.

FRATERNITATEM DILIGITE.] Tamquam vos met ipsos. Cujuscumque nationis, conditionis, professionis fuerint, fratres vestri sunt, creatura, & filii Cœlestis Patris vestri. Si fideles sunt, hæc recens est ratio, ut illos enixius diligatis; si minime sunt, illis amorem testemini, ut Deo illos lucrari possitis. *Deum timete*, & hic timor vobis sit norma ea in obedientia, quam potestatibus præbetis, & ea in charitate, qua fratres vestros diligitis. *Regem honorificate*; post Deum meminit Regis. Quicumque ille sit, & cujuscumque Religionis sit [1], illi eum honorem, obedientiam, observantiam, quæ ipsi debetur [2], deferte; vos neque judices estis vitæ illius, neque interiorum affectionum ejus censores. Illius judicium Deo relinquite, qui & illius Dominus est, & vester.

SERVI SUBDITI ESTOTE.] Dominos ea, qua par est, observantia colite, eam obedientiam, quæ decet, illis præstate, non solum cum adsunt, verum etiam cum absunt; *non ad oculum servientes*, Ephes. 6. 6. non solum cum mites sunt, moderati, clementes; sed etiam cum immites sunt, austeri, difficiles [3]. Primis illis Ecclesiæ temporibus servi complures Jesu Christi fidem amplexi sunt, ideoque Apostoli ad eos peculiaria præcepta, atque monita direxerunt [4]. Sæpius servorum, ancillarumque sapientia, & lenitas ad fidem perduxit eorum dominos, dominasque. Rerum Ecclesiasticarum Scriptores [5] ferunt, Hiberiam Asiaticam ad Christianam Religionem fuisse perductam opera ancillæ cujusdam, quæ Jesu Christi nomine invocans Reginam a gravissimo morbo curavit.

℣. 19. HÆC ENIM EST GRATIA [6].] Meritum est, si propter Deum ea etiam, quæ injusta sunt, perferamus. Duo exigit S. Petrus, ut passiones nostræ sint

A meritoriæ: primum, ut propter Deum patiamur, alterum, ut patiamur cum persequentium quidem injustitia, nostra vero cum innocentia. *Propter Dei conscientiam*, monentem a nobis ea non facienda, quæ contra justitiam ea nobis extorquere vellent: vel quod intrinsecus nobis persuasum est, Deum testem esse eorum, quæ pro ipso patimur, & aliquando justitiam, & fidem nostram ipsum esse remuneraturum. Vel denique, si sustinetis *propter cognitionem, quam habetis de Deo* [7]; si vos cogere cupiunt, ut fidem abdiceritis, atque contra conscientiæ vestræ lumina operemini; insignis est vestra felicitas, præclarumque meritum, si resistitis, & potius fanda, & infanda omnia sustinetis, quam a veritate, & fide vestra desciscatis.

℣. 20. QUÆ ENIM EST GLORIA, SI PECCANTES, ET COLAPHIZATI SUFFERTIS.] Græcus [8], aliæque
B versiones ita legunt: *quæ est gloria vestra, si ex culpa vestra hæc mala suffertis*. Græca quædam exemplaria legunt: *si peccantes, & colaphis percussi suffertis*. Non vult S. Petrus, ut Christiani ex culpa sua injurias sibi conflent, & contumelias. Patiantur quidem, sed pro justitia, & quin occasionem suis malis præbuerint. Hoc nos docet Salvator in Evangelio Matth. 5. 10. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum*.

℣. 21. IN HOC ENIM VOCATI ESTIS.] Ut ab inimicis Jesu Christi injustas persecutiones, atque contumelias sustineretis; cum hac conditione in Jesu Christi sacra transiistis. Hoc Jesus Christus vobis prædixit, ille primus injurias, tormenta, & mortem ipsam per-
C tulit [9]; *vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*. Si Magister, & Dominus licet innocens hæc pertulit, quid discipulis, & servis renuendum est? Si caput spinis coronatum fuit, & in Cruce suffixum, numquid membra erunt delicatiora, aut majori privilegio fruentur? Si Jesus Christus passus est pro nobis peccatoribus, qui illum nondum cognoveramus, quid nobis faciendum est, illum cognoscentibus, atque in illum credentibus? Ille ultro, & sine ulla necessitate passus est; nobis vero utiles sunt, & necessariæ passiones; hanc enim ille nobis necessitatem imposuit, cum ad sui sequelam nos evocaret. *Qui non accipit crucem suam; non est me dignus*, ait in Evangelio Matth. 10. 38. Crux, & passiones sunt Christi fidelium gloria: *mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri*
D *Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego Mundo*, inquit Apostolus Galat. 6. 14. & 5. 24. *qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis, semper mortificationem Jesu in corpore circumferentes*, 2. Cor. 6. 10.

℣. 22. QUI PECCATUM NON FECIT.] Jesus Christus, licet innocens, pro peccatoribus mortem subire voluit. Quid nobis igitur faciendum, ut peccata nostra expiemus, Dei gratiam mereamur, conformes Domino, & Capiti nostro efficiamur, & adimpleamus in nobismetipsis ea, quæ desunt passionum Christi [10]? Quomodo toto pectore adnitendum nobis non est, ut illi similes evadamus [11], atque in nobismet ipsis humilitatis, & ignominiæ illius imaginem exprimamus?

℣. 23. QUI CUM MALEDICERETUR.] Cum vocare-
E tur dæmoniacus, seductor, Samaritanus, rebellis, blasphemus, helluo, publicanorum, & peccatorum amicus, ejector dæmonum in nomine Beelzebub, numquam exarsit in iras. Jesus Christus numquam injuriis inju-

1 Vide Ignat. Epist. 9. ad Philadelph. & Ep. ad Smirn. Vide Est. ad vers. 13. & Rom. 13. 5.
2 Τὸν βασιλέα τιμᾶ. Τίμα ἄρχοντα αὐτῷ, ὑποτασσόμενος αὐτῷ, ἀγαπῶν ὑπὲρ αὐτοῦ. Theophylact. Antioch. lib. 1. ad Antolyc.
3 Οὐ μόνον τοῖς ἀγαθοῖς, καὶ ἐπιεικέσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιοῖς.
4 Vide Ephes. 6. 5. 6. 7. Coloss. 3. 22. 23. 1. Timoth. 4. 1. Tit. 2. 9.
5 Rufin. lib. 1 cap. 10. Socrat. lib. 1. cap. 16.
6 Εἰ διὰ συνείδησιν Θεοῦ ὑποφέρει τις λύπας. Quidam Græci legunt, συνείδησιν ἀγαθήν. Syr. Cult. 7. Genev. Barbee. 1.
7 Ita Syr. Heins. Cene projet de traduction, p. 127. Cornel. Συνείδησιν εἰδώς. 1. Cor. 8. 9.
8 Ποῖον γὰρ κλέος (Quid. ποῦ γὰρ χάρις, & quidd. Latini: *Quænam autem gratia*.) Εἰ ἁμαρτάνοντες, καὶ κολαφιζόμενοι, ὑπομενεῖτε; Quidam: εἰ κολαζόμενοι ὑπομένετε.
9 Χριστὸς ἔπαθεν ὑπὲρ ἡμῶν, ἡμῖν ὑπολιμπάνων ὑπογραμμὸν, ἵνα ἐπακολουθήσητε τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ. Quidam: ὑπὲρ ὑμῶν, ὑμῖν ὑπολιμπάνων .... Alii: ὑπὲρ ἡμῶν, ὑμῖν, &c. Et ita Cod. Latini optimæ notæ.
10 Coloss. 1. 24. *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea*.
11 Rom. 8. 29. *Conformes fieri imaginis filii sui*.

injurias rependit; satis illi fuit, suam probare innocentiam, veritati testimonium perhibere, Patris sui causam tueri; quin tamen perfectæ moderationis finem excederet. In passione etiam cum de illius vita agebatur, & accusabatur, quod blasphemias evomeret, populos seduceret, & ad defectionem impelleret; ipse conticuit, Matth. 26. 63. Quid igitur nobis faciendum, cum aliquid perferendum est pro illo, pro fratribus nostris, pro peccatorum nostrorum expiatione? Ita præcipit Salvator in Evangelio Luc. 6. 28. *benedicite maledicentibus vobis, orate pro calumniantibus vos: & qui te percutit in maxillam, præbe & alteram.*

TRADEBAT AUTEM JUDICANTI SE INJUSTE.] Ultro se se tradidit Pilato, Caiphæ, Judæis acerrimis inimicis suis, quorum nequitia, furor, & injustitia illi satis erat explorata; sponte se se certæ obtulit morti. B Græcus legit [1]: *tradidit se juste judicanti*: hoc est Deo, qui justus est Judex; quin animum adverteret ad injustitiam hominum, & Pilati, aliorumque Judicum iniquitatem, a quibus injuste damnatus fuit. Humillime se se Deo Patri suo submisit, qui in justitiæ suæ decretis statuerat illum moriturum ad Mundi totius quidem peccata expianda, injuriam vero Divinæ illatam Majestati reparandam. Veteres quidam Latini Patres [2] in Latino legunt *juste* pro *injuste*. Syrus, Arabs, & Græci codices tum editi, tum MSS. similiter legunt; sed Latina exemplaria a Vulgata non recedunt. Sancti Cyprianus l. 3. ad Quir. c. 39. Leo serm. 63. Paulinus ep. 2. ad Sever. similiter legerunt, & Greci etiam nonnulli codices *injuste* legunt. Sed eruditi complures Interpretes [3] hanc Librarii castigatio- C nem fuisse putant, græcamque lectionem præferendam esse arbitrantur.

℣. 24. QUI PECCATA NOSTRA IPSE PERTULIT,] Crucis mortem sustinens, ut peccata nostra expiaret. Pertulit ipse in proprio corpore peccatorum nostrorum A pœnam, non obtulit Sacrificium alienæ victimæ, ut nos Deo conciliaret. Græcus verti potest [4]: *abstulit peccata nostra Corpore suo*, vel morte, quam in propria carne perpessus est: *delens, quod adversum nos erat, chirographum decreti, ipsum tulit de medio*, quemadmodum ait S. Paulus ad Colossenses 2. 14. Destruxit peccatum, cui nos eramus obnoxii, dignatus illius pondus subire, ac se pro nobis vadem præbere [5].

UT PECCATIS MORTUI, JUSTITIÆ VIVAMUS.] Jesus Christus mortuus est, ut moriamur cum illo; ad gloriam resurrexit, ut & nos quoque resurgamus ad gloriam; sed illuc aditus non patet nisi per justitiam, innocentiam, Christianarum virtutum exercitationem. Confer Rom. 6. ℣℣. 2. 4. 6. 7. 10. 11. & 7. ℣. 6. Galat. 2. ℣. 19.

B ℣. 25. ERATIS ENIM SICUT OVES ERRANTES.] Jesus Christus non semel usus est hac similitudine pastoris, & ovium errantium, ad innuendam eam curam, qua filios Israel ab errore, atque flagitiis revocare studebat. Chananææ Mulieri enixius deprecanti, ut filiæ salutem redderet, se missum ait dumtaxat ad oves, quæ de domo Israel erraverunt [6]. Apostolos atque discipulos ad errantem hunc gregem tantummodo mittit [7], & se similem dicit boni pastoris, oves nonaginta novem in jugis montium relinquentis, ut centesimam, quæ deerraverat, quæreret [8]. Corruptio, quæ tunc apud Hebræos grassabatur, pravæ explicationes, quas Doctores Legi appingebant, falsa præjudicia, quibus ante Messiam erant obnoxii, satis superque probant, quod hoc in loco ait S. Petrus; illos ante conversionem fuisse C tamquam oves errantes, sed post fidem receptam redisse *ad pastorem, & Episcopum animarum suarum. Episcopos* Græca illum significat, qui rei alicujus curam gerit. Hoc nomen melius exprimit supremum Jesu Christi dominium, quam nomen Pastoris, quod amoris est, atque benevolentiæ.

---

[1] Παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως. [2] August. tract. 21. in Joan. *Commendabat illi qui juste judicat.* Fulgent. ad Trasimund. *Commendabat autem judicanti juste.*
[3] Erasm. Vat. Zeger. Bukentop. Cornel &c. [4] Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ.
[5] 2. Cor. 5. 21. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Vide Joan. 8. 46. Rom. 5. 19. 8. 3. Galat. 3. 13. 1. Joan. 3. 5. [6] Matth. 15. 24. [7] Matth. 10. 6.
[8] Matth. 18. 12. & seq.

CAPUT III.

Uxores subditæ sint Viris suis, & in vestium ornatu modestæ. Viri similiter Uxores suas colant. Omnes virtutem exerceant. Lingua moderanda; pro justitia patiendum. Arca Noe figura baptismi.

1 Similiter & mulieres subditæ sint viris suis: ut & si qui non credunt verbo, per mulie-
rum conversationem sine verbo lucrifiant. 2 Considerantes in timore castam con-
versationem vestram. 3 Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri,
aut indumenti vestimentorum cultus. 4 Sed, qui absconditus est cordis homo, in incor-
ruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. 5 Sic enim
aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris.
6 Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cujus estis filiæ benefacientes,
& non pertimentes ullam perturbationem. 7 Viri similiter cohabitantes secundum scien-
tiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredibus
gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes vestræ. 8 In fine autem, omnes unani-
mes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles: 9 Non
reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicen-
tes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. 10 Qui enim
vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, & labia ejus
ne loquantur dolum. 11 Declinet a malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequa-

tur eam: 12 Quia oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum; Vultus
autem Domini super facientes mala. 13 Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmu-
latores fueritis? 14 Sed & si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem
eorum, ne timueritis, & non conturbemini. 15 Dominum autem Christum sanctifica-
te in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de
ea, quæ in vobis est, spe. 16 Sed cum modestia, & timore, conscientiam habentes
bonam: ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bo-
nam in Christo conversationem. 17 Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei ve-
lit) pati, quam malefacientes. 18 Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus
est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus au-
tem spiritu. 19 In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit:
20 Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe,
cum fabricaretur arca: in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam:
21 Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium,
sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi. 22 Qui
est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ heredes efficeremur: profectus in
cœlum, subjectis sibi angelis, & potestatibus, & virtutibus.

℣. 1. SIMILITER & MULIERES.] Incipit S. Petrus capite superiori verba facere de Christi fidelium officiis erga potestates sæculares, & servorum erga dominos suos: hoc vero Conjugum inter se exponit officia. Non secus ac Christiani quidem Principibus, atque Magistratibus, Servi autem dominis suis debent subesse, quin Christianorum dignitas, & libertas, quam Jesus Christus illis comparavit, eos ab hujusmodi officiis exolvant [1]; ita fideles mulieres, quæ nupserant, vel Judæis, vel etiam Ethnicis minime conversis, nequaquam prætexere possunt eam gratiam, quam illis contulit Deus, ipsas ad fidem vocando, ut jugum excutiant, & viris suis obedientiam detrectent. S. Paulus hæc eadem docet Ephesios c. 5. 22. Colossenses 3. 18. & Corinthios 1. ep. c. 14. 34. atque præcipit Tito 2. 5. ut Cypriis, quorum erat Episcopus, eadem traderet documenta.

UT & SI QUI NON CREDUNT VERBO, PER MULIERUM CONVERSATIONEM SINE VERBO LUCRIFIANT [2].] Optima vivendi ratio illos magis afficiet, quam omnium Evangelii præconum sermones. Admirabuntur viri vestram modestiam, & suavitatem, patientiam, pudorem; ac sensim imbuentur amore, & reverentia religionis vestræ, eamque haud ægre amplectentur. Ducti integritate vitæ vestræ, erudiri cupient, & facile credent, quod amare, atque æstimare inceperunt, antequam perspicue cognoscerent. Cum ait, *sine verbo lucri fiant* nequaquam intelligendum est de conversione incepta, sed de proxima dispositione, ut ad Deum revertantur. Tunc enim omnino lucrifient, cum crediderint; sed credere non poterunt, nisi verbo salutis erudiantur. Nam *fides ex auditu*, quemadmodum ait S. Paulus Rom. 10. 17.

℣. 2. CONSIDERANTES IN TIMORE,] Cogitantes, Dei timorem vobis adeo puram vivendi rationem inspirare. Vel cum Græco [3]: *considerantes vestram vivendi rationem adeo castam, & cum timore conjunctam*; videntes religiosum timorem, qui in licito etiam conjugii usu vos cohibet: *ut penes Sanctos officia sexus, cum honore ipsius necessitatis, tamquam sub oculis Dei modeste transigantur*, ait Tertullianus ad Uxor. c. 2.

℣. 3. EXTRINSECUS CAPILLATURA,]. S. Paulus non prohibet uxoribus muliebrem adhibere mundum, ut viris suis placeant [4], sed S. Petrus illis eam rationem præscribit, quo sese debent exornare. Præcipit pri-

A mum, ut accuratius animas suas, quam corpora exornent; a. ut ad capitis, & faciei decus simplices dumtaxat, atque modestos ornatus adhibeant, non fucum, non calamistros, non aureos ornatus, non pretiosos lapides, non splendidas vestes, quæ nihil addunt pulchritudini, sed quæ vanitatem, & luxum alunt, quæ fovent philautiam, & quæ sæpius fiunt in laqueum illis, quibus placere non licet, & in causam excidii, atque interitus familiarum. *Tu scis necessitatem meam*, Domine, ajebat Regina Esther [5], *quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud, quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentii mei*; & cum in secessu meo consistere possum, quin accedam ad Regem. Hoc animo esse deberent Mulieres omnes,
B quarum conditio, vel quædam Lex Urbanitatis, vel etiam virorum voluntas cogunt, cum muliebri mundo, atque magnifico ornatu prodire.

℣. 4. SED QUI ABSCONDITUS EST CORDIS HOMO.] Hæc potissima esse debet mulierum cura, ut hominem invisibilem, & in corde latentem exornent, ut affectus, mentem, cogitationem, animum regant, atque utilibus cognitionibus repleant, studia, amoremque suum moderentur, animi ægritudines, incompositosque motus frustrentur, veterem hominem exuant, atque in semet Jesu Christi describant imaginem. Immodici, ac vani ornatus honestas mulieres non decent, ait S. Cyprianus [6]; & fuca, quæ illæ hæc inania quærunt, exiguum pudorem ipsarum profitetur. *Nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor*
C *vilis est*. Pudor, atque modestia pretiosissima sunt mulieris ornamenta; nihil illas magis Deo acceptas, & hominum amore dignas efficere potest, dummodo ratione ducti diligant; periculosum enim est iis placere, qui non hoc pacto diligunt.

IN INCORRUPTIBILITATE QUIETI, & MODESTI SPIRITUS.] Græcus ad litteram [7]: *In incorruptione spiritus mansueti, & tranquilli*: quod tria continet. *Puritatem*, vel charitatem, & innocentiam; *mansuetudinem*, patientiam, moderationem; & denique *tranquillitatem*, vel silentium, cum aliquis alienis se se non immiscet negotiis, in familia sua, se se continet, atque domesticis curis implicitus: quæ virtus non minima est laus Christianæ mulieris. S. Paulus [8] etiam, atque etiam Viduis adolescentibus commendet, ut pa-
cem

1 Ὁμοίως αἱ γυναῖκες. Alii: Ὁμοίως καὶ αἱ γυναῖκες. Ita Vulg. Syr. Arab. Æth.
2 Syr. Est. Pompon. Oecum. *absque contradictione, & absque responso*; vel denique absque *sermonis auxilio*.
3 Ἐποπτεύσαντες τὴν ἐν φόβῳ ἁγνὴν ἀναστροφὴν ὑμῶν. Clem. Alex. & Cov. 3. Τῶν το λόγῳ. *In verbo*.
4 1. Cor. 7. 34. 5 Esth. 14. 16. 6 Cyprian. de habitu Virgin. *Ornamentorum & vestium insignia & lenocinia formarum, non nisi prostitutis & impudicis feminis congruunt*.
7 Ἐν τῷ ἀφθάρτῳ τοῦ πραέος, καὶ ἡσυχίου πνεύματος. 8 1. Timoth. 5. 13.

rem faceant, curiositatem evitent, alienis negotiis se se non commisceant: *simul & otiosæ discunt circuire domos; non solum otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ*. Mulier fortis, cujus elogium Salomon adfert, domesticis tantum rebus invigilat, Prov. 31. 15.

℣. 5. SIC & SANCTÆ MULIERES SPERANTES IN DEO [1] ORNABANT SE.] Mulieres Sanctæ, quarum nomina, & facta in Scripturis leguntur, majori cura cor suum, quam corpus exornare quærebant, & Deo magis, quam hominibus placere studebant. Quid igitur Christianis mulieribus faciendum, quæ in baptismate sæculi pompas abdicarunt, & quæ digne habitæ sunt, ut ad Deum pertinerent, Crucem tantummodo, & Mundi contemptum prædicantem.

℣. 6. SARA OBEDIEBAT ABRAHÆ, DOMINUM EUM VOCANS:] exempli gratia, cum ait Gen. 18. 12. *postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Athenienses [2], & Romanæ [3] Mulieres similiter viros suos dominos vocare consueverant; & Euripides apud Stobæum ait: Uxorem prudentem se se tamquam viri sui ancillam existimare. Dicunt Hebræi [4], uxorem coram viro suo stantem prodire debere, & summa cum observantia illi tamquam ancillam famulari, eumque dominum appellare. Sapiens quædam Mater, dum in thalamum filiam abduceret, hæc dixisse fertur: Coram viro tuo, o filia, prodi velut ancilla, eique humillime quodvis officium præsta: ita enim illum servum tuum efficies, teque veluti dominam colet: at si in illum insurrexeris, ipse erit dominus tuus, & coram illo tamquam ancillarum omnium abjectissima habeberis. Hujusmodi sunt Hebræorum instituta. Id autem omne Dei innititur imperio, primam mulierem Adæ viro illius subjicientis: *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, Gen. 3. 16.

Bona Conjux, loquit S. Ambrosius in c. 31. Prov. c. 3. *non solum vocat virum dominum suum, sed hoc sapit, hoc sonat, hoc gestat corde, hoc profitetur ore: tabulas matrimoniales instrumenta emptionis suæ deputat; est ergo ancilla, dono optio ancillis*. Et S. Hieronymus [5] ad Romanam Mulierem scribens hæc jubet: *servetur in primis Viro auctoritas sua, totaque a te discat domus, quantum illi honoris debeas: tu dominum illum obsequio tuo, tu magnum illum tua humilitate demonstra; tanto ipsa honoratior futura, quanto illum amplius honoraveris*.

Sara Abrahæ paruit, patriam terram relinquens, & illum sequuta quocumque concessit. Illi paruit in delicatissima occasione, quæ se se illi umquam obtulerit, cum ut Abraham vitam tueretur, semel quidem Pharaoni, iterum vero Abimelech Regi Geraræ dicere coacta fuit, se illius esse sororem [6]. Illi etiam paruit, cum jussa fuit panem subigere pro tribus hospitibus, qui advenerant [7], & erat Angeli erant. Qui credunt, illi exploratum fuisse Abrahæ consilium Isaac immolaturi, in hoc etiam insigne obedientiæ, & submissionis viro suo nanciscuntur exemplum.

CUJUS ESTIS FILIÆ.] Illius estis filiæ, ex ea quippe genus duxistis; ac longe perfectius filiæ ejus estis, illius Sanctitatem, atque obedientiam imitantes; *& non pertimentes ullam perturbationem*: ne vereamini igitur, quod viri vestra obedientia abutantur, ut eos opprimant, & in quamdam servitutis speciem vos redigant; quo majorem illis obedientiam præstiteritis, eo majorem erga vos existimationem, amoremque fovebunt. Imitamini Saræ confidentiam in amore Dei dum Abrahæ obtemperaret; credidit, Deum non permissurum, ne vel Pharao, vel Abimelech pudori suo inju-

riam inferrent; sed erepturum & ipsam, & virum suum ex eo periculo, cui erant obnoxii. Non expavit illa, ubi audiit a Deo Sacrificium Isaac deposci, sed humiliter voci Dei, & Abrahæ obtemperavit.

℣. 7. VIRI SIMILITER COHABITANTES SECUNDUM SCIENTIAM [8],] vel secundum Evangelii regulas, & ea, quæ ab Apostolis didicistis. Sequimini leges sapientiæ, urbanitatis, rationis, humanitatis: verbo, illis utimini, quemadmodum utendum esse cognoscitis; non addo plura de officiis vestris, teor enim, vos illa tenere: *tamquam honore excipies tamquam sexum infirmiorem* [9]. Ne abutamini auctoritate, quam Dei Lex, scientia vestra, ac vires vestræ in easdem vobis conferunt: cum illis versamini prudenter cum honore & observantia. Quo infirmius est vas, eo cautius adhibetur; Corporis partes magis infirmæ, minusque nobiles, magis sunt necessariæ, & diligentius celantur, ait S. Paulus 1. Cor. 12. 22. Uxor os est de ossibus tuis, & caro de carne tua Gen. 2. 23. atque *adjutorium simile sibi*, quod tibi tradidit Deus Gen. 2. 18. ita ne contemnas illam, ne illi sis contumeliosus; rationem habe imbecillitatis sexus ejusdem; cum illa moderate, atque prudenter versare in iis, quæ licent in Conjugio; ne abutaris libertate, quam tibi confert Sacramentum, ut inordinatam, atque brutalem libidinem expleas [10]. S. Paulus hoc ipsum ferme ait in 1. ad Thessalonicenses 4. 3. *sciat unusquisque vestrum vas suum*, hoc est corpus suum, quod etiam intelligitur de Uxore sua, *possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant Deum*.

TAMQUAM COHÆREDIBUS GRATIÆ VITÆ [11].] Duplex ratio, propter quam illas amare, atque in honore habere debetis, hæc est, quod & ipsæ ad Christianam Religionem evocatæ fuerunt, & sunt æternæ felicitatis heredes. Illæ etiam ut vos ad Deum pertinent, illius Sanguine redemptæ, spiritu ejus repletæ, participes dignitatis filiorum adoptivorum Patris, fratrum Jesu Christi, membrorum corporis mystici ejusdem. Hæ rationes efficere debent, ut cum honore uxores habeantur, & libertate, quam conjugium tribuit, verecunde, & prudenter utatur: *ut non impediantur orationes vestræ*. Hoc ipsum fere ait S. Paulus 1. ad Cor 7. 5. *nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis Orationi*. Ita operamini, ut nihil prohibeat, quo opportune orationi vacetis; custodire corpora vestra munda ab omnibus sordibus, quæ Christianæ Religionis sanctitatem minime decent, atque perfectam animorum concordiam servate.

℣. 8. IN FINE [12] AUTEM OMNES UNANIMES.] Hoc ad omnes fideles spectat. Quæ hactenus dixi, ad quosdam peculiares status pertinent; hoc autem simul ad omnes. Pacem, atque concordiam servate, vosmet invicem tamquam veros fratres diligite, & charitatem cum indulgentia, mansuetudine, & humilitate fovete: *Fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles*. Græcus [13] tria tantum verba legit: *habete fraternitatem, misericordiam, benevolentiam*: hæc verba, *modesti, humiles*, uni Græcæ voci respondent, quæ adhuc legitur in antiquis MSS. & in quibusdam editionibus *pro habete benevolentiam*, quod in editorum plerisque invenitur.

℣. 9. IN HOC VOCATI ESTIS, UT BENEDICTIONEM HÆREDITATE POSSIDEATIS.] Quam merebimini benedicentes maledicentibus vos, & bonum pro malo retribuentes. Hæc est omnium Christifidelium vocatio, ut patienter ferant, non ulciscantur, mansueti sine in-

1 Æthiop. omittit. *sperantes in Deo*. Mill. suspectum habet.
2 Aristoph. in Equitib. Ad quæ verba Scholiast. *Mittenda est Domino* . . . .
3 Lucretia apud Ovid.
4 Vide lib. Musar. cap. 6. apud Drus. hic.
5 Hieronym. Epist. ad Celantiam.
6 Genes. 12. 12. 13. 14. Vide & 20. 1. 2. 3.
7 Genes. 18. 6.
8 Συνοικοῦντες κατὰ γνῶσιν.
9 Ὡς ἀσθενεστέρῳ σκεύει τῷ γυναικείῳ ἀπονέμοντες τιμήν.
10 Hieronym. lib. 1. contra Jovin. Beda. & Oecumen. hic. Lorin. Erasm. Zeger. Est. Menoch. alii.
11 Ὡς καὶ συγκληρονόμοι χάριτος ζωῆς. Alii plures: Ὡς συγκληρονόμοις. Ita Steph. ια. Cov. 3. Syr. Arab. Æthiop. Oecumen. Ambros. &c.
12 Quid. Codd. Latini, *in fide*. Velez. melius, *in fine*. Græc. Τὸ δὲ τέλος. *Denique, in summa, quod superest*.
13 Φιλάδελφοι. εὔσπλαγχνοι, φιλόφρονες. Alii plures: Εὔσπλαγχνοι, ταπεινόφρονες. Ita Steph. Alex. Lin. Petit. Colb. 7. Genev. Colin. Oecumen. utrumque legit.

ter iratos, humiles inter superbos, moderati inter violentos, boni, atque benedictionibus nos cumulantes, qui illis injurias inferunt, eosque maledictis proscindunt [1]. Hæc nequaquam est mera theoria, & pictura sine re: talis fuit primorum Jesu Christi Discipulorum vita, & talis nunc nostra quoque esse debet; lex enim Evangelii mutationem non patitur.

℣. 10. QUI ENIM VULT VITAM DILIGERE.] Hic locus desumptus est ex Psalmo 33. 13. Psalmista ibi præcepta tradit, ut in hoc Mundo felix, & tranquilla vita ducatur, atque ut Dei benedictiones promereamur. Verum S. Paulus in vita præsenti non conquiescit; fideles hortatur, ut lenes sint, atque patientes, non solum, ut pacata, & beata vita in hoc Mundo perfruantur, sed ut in alia etiam æternam vitam consequantur [2].

℣. 11. INQUIRAT PACEM.] Eam servet etiam, cum persequentibus illam; ad tantum bonum assequendum temporalia negotia, voluptates, atque ultionis cupiditates impendat; summo in pretio eam custodiat, si possidet illam; sedulo illam inquirat, si illius jacturam est passus.

℣. 12. OCULI DOMINI SUPER JUSTOS.] Ut illos protegat, illis opituletur. Hos quidem amat, & diligit; impios vero abominatur. *Vultus autem Domini super facientes mala:* vultus sæpius pro ira usurpatur, e. g. Psalm. 20. 10. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui*, vel iræ tuæ. Et Psalm. 67. 3. *sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.*

℣. 13. ET QUIS EST QUI VOBIS NOCEAT, SI BONI ÆMULATORES FUERITIS?] Græcus 3: *si imitatores fueritis boni*; sed Veteres complures Græci MSS. 4 Vulgatæ similes sunt. Si sedulo bonum, virtutem, pietatem, fraternam charitatem quæsiveritis, quis malum vobis inferre poterit? loquor autem de vero malo; numquid enim malum est pro justitia pati, calumniis proscindi, exagitari, cum sciat hæc omnia viam esse, quæ nos ad beatam æternitatem adducit? Hæc omnia, si recte intelliguntur, potius optanda sunt, quam metuenda. Hæc enim est hæreditas nostra, hæc gloria nostra, hæc supremæ nostræ felicitatis origo.
℣. 14. *Si quid patimini propter justitiam, Beati*; quippe Jesus Christus dixit Matth. 5. 10. *beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum Cælorum.*

℣. 14. TIMOREM EORUM NE TIMUERITIS.] Ne vereamini illos, licet maxime terribiles videantur; occidere quidem possunt corpus, animam vero non possunt occidere, Matth. 10. 28. eripere possunt temporalia bona, libertatem auferre, nomini, atque existimationi labem offundere; at numquid auferent virtutem, innocentiam, futurorum bonorum spem, gaudium Spiritus Sancti, fidem, quæ thesaurus vester est, charitatem, quæ vestra fortitudo? Numquid surripient coronam gloriæ, in Cœlis a supremo Judice vobis reservatam?

℣. 15. DOMINUM CHRISTUM SANCTIFICATE [5].] Vel cum Græco impresso sanctificate Dominum Deum in cordibus vestris. Deus autem sanctificatur optimo vivendi genere, fideli præceptorum illius observantia, puro & sincero cultu, vera morum sanctitate, humili fide, ardenti charitate, spe firma in promissionibus ejus, inconcussa fortitudine in vitæ hujus malis, quæ pro veritate, atque justitia toleramus. S. Petrus in hoc, & superiori ℣. alludit ad Isajæ 8. 13. populi istius *timorem ne timeatis, neque paveatis: Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester, & ipse terror vester.* Illum adorate, metuite, eique cultum ejus magnitudine, atque majestate dignum deferte.

PARATI SEMPER AD SATISFACTIONEM OMNI POSCENTI.] Ethnici credulitatem vestram irridebunt, & Judæi increduli ex vobis rationem, cur Jesu Christo, ejusque Evangelio tantopere adhæreatis, ex vobis quærent, quænam sint hæc futura, & invisibilia bona, quæ speratis: illorum minas, atque irrisiones contemnite, illis reddite fidei vestræ rationem in spiritu humilitatis, patientiæ, & mansuetudinis; hoc enim eorum nequitiam, atque pravam voluntatem avertet. Cavete, ne illos per superbiam, & contemptum, vel sermones vehementes, atque iracundos irritetis.

℣. 16. CONSCIENTIAM HABENTES BONAM.] Coram Deo & hominibus puram adeo, atque irreprehensibilem vitam ducite, ut minime vereamini rationem reddere vitæ vestræ, & qui Jesu Christi religionem, & vitam, quam secundum illius præcepta ducitis, in contemptum, & jocum trahere desiderant, rubore summo suffundantur, cum recte, & in cute facta vestra perpenderint, eorumque integritatem cognoverint: *ut in eo, quod detrahunt de vobis, confundantur.* Veteres nostræ Religionis Apologistæ continenter ad Christifidelium mores, & vitam provocant. Incesti homines, scelerati, humanæ carnis voratores, homines sine fide, sine verecundia, numquid ita viverent, quomodo ipsi vivimus? Ea paterentur, quæ ipsi patimur? ferrentur, atque cognoscant, quomodo in cœtibus, in familiis, in negotiis nostris versemur.

℣. 17. MELIUS EST, BENEFACIENTES PATI.] Quamplurimi dicunt: sustinerem, si hæc meritus fuissem: at nonne melius est innocentem pati, quam hæc mala merentem? Hæc est Socratis ad Apollodorum [6] responsio querentem, quod injuste in illum Judices judicassent: quid autem, ait ille; Cuperes ne, ut tamquam nocens damnatus fuissem?

℣. 18. QUIA ET CHRISTUS SEMEL PRO PECCATIS MORTUUS EST [7].] Jesum Christum colere, & quantum in vobis est, imitari debetis illum, qui innocens mortuus est, ut peccatores redimeret.

JUSTUS PRO INJUSTIS.] Ut nos offerre posset Deo tamquam Sanguinis sui pretio redemptos, ut nobis in Cœlum, & ad Patrem aditum aperiret [8]: *per ipsum habemus accessum ad Patrem*, ut nos cum illo reconciliaret, & gratiam promereretur, ut in filiorum ejus numero reciperemur. Aliter: *ut nos offerret Deo* tamquam suavissimum odoris sacrificium [9], cum passiones nostræ cum suis sunt conjunctæ. Græcus etiam verti potest [10]: *ut nos adduceret ad Deum*, tamquam oves errantes, quas ad gregem reducit.

MORTIFICATUS QUIDEM CARNE [11].] Jesus Christus mortem subiit in carne sua; omisit fragilem, & mortalem hanc vitam per nequitiam, & impotentiam inimicorum suorum, sed resurrexit, & novam, æternamque vitam adeptus est. Vel potius *resurrexit per Spiritum*, per divinam virtutem, quæ erat in ipso. *Crucifixus est ex infirmitate*, S. Paulus inquit 2 Cor. 13. 4. *Sed vivit in virtute Dei.* Et Rom. 8. 11. *Si Spiritus ejus, qui suscitavit JESUM CHRISTUM a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit JESUM CHRISTUM a mortuis, vivificabit, & mortalia corpora vestra, per inhabitantem Spiritum ejus in vobis.*

℣. 19. IN QUO ET HIS, QUI IN CARCERE ERANT SPIRITIBUS, VENIENS PRÆDICAVIT.] Latina quædam exemplaria [12] singulari numero legunt *Spiritu* pro *spiri-*

---

2 Ignat. Epist. ad Ephes. §. 10.   3 Vide Est. Grot. &c.   3 Ἐὰν τοῦ ἀγαθοῦ μιμηταὶ γένησθε.
4 Alii plures; Ἐὰν τοῦ ἀγαθοῦ ζηλωταὶ γένησθε. Ita Steph. β. η. Alex. Cor. 4. Genev. Pet. 3 Col. Arab Syr. Æth. Copht. Clem. Alex.   5 Græc. impress. Κύριον δὲ τὸν Θεὸν ἁγιάσατε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Alii plures: Κύριον δὲ τὸν Χριστὸν ἁγιάσατε. Ita Steph. α. Alex. Vulg. Syr. Copht. Clem. Alex. Strom. lib. 4.
6 Diogen. Laert. l. 2. in Socrat. Xenophon. in Apolog. id tribuit Apollodoro. Vide Menag. not. in loc. Laert.
7 Græc. Ἀπέθανε περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε. Quidam, περὶ ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Multi Latini non legunt, nostris. Quid. Περὶ ἁμαρτιῶν, ὑπὲρ ἡμῶν, alii; ὑπὲρ ὑμῶν.   8 Ephes. 2. 18. Rom. 5. 2.
9 Syr. Grot. Est. Gerhard.   10 Ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ. Justin. Dialogo cum Tryph. pag. 176.
11 Antiqua exemplaria Latina, sive etiam Sixti V. editio, olim legebant: *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu*. Græc. Θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι.
12 Codd. Latini Multi apud Est. Valer. πνεύματι.

spiritibus, & alia longe plurima [1] legunt *carne* pro *carcere*; sed constat, has lectiones mendosas esse. Vulgata ad unguem Græcum exprimit [2], cui bi vacil sensus possunt appingi. Qui vero inter cæteros probatior est, & qui prior se se legentibus hunc locum offert, hic est; Jesum Christum post Resurrectionem suam, per virtutem spiritus ejusdem, qui illum resuscitaverat [3], in carcerem descendisse, hoc est in locum, ubi Sanctorum Patriarcharum animæ detinebantur, & ubi pacate adventum illius præstolabantur, easque illarum quidem liberationem, suum autem adventum annunciasse. Ita plerique Patrum, atque Interpretum [4] hoc explicant juxta symbolum, quo docemur, Salvatorem ad inferos descendisse: *descendit ad inferos*. Hactenus omnibus Sanctis Patriarchis, atque Prophetis Cœli aditus fuerat interclusus [5], eumque illis Jesus Christus per mortem, atque resurrectionem suam reseravit.

S. Justinus Martyr Dialog. cum Tryph. & S. Irenæus l. 4. c. 22. in hanc rem afferunt locum tamquam ex Jeremia profectum, sed qui in Prophetæ hujus exemplaribus non extat, ubi dicitur: *recordatus est Dominus mortuorum suorum dormientium in terra sepulchri sui, descendit ad illos, ut eam illis salutem annunciaret, quam ipsis procuravit*. Patres complures [6] de Jesu Christi ad Inferos descensu illud etiam interpretati sunt, quod est apud S. Matthæum 12. 40. *sicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ*; hoc est, & illorum sententia, in Inferno, ut justos, qui ibi tamquam in carcere versabantur, consolaretur.

Veteres quidam crediderunt [7], Salvatorem cum ad Inferos descendisset, ibi Gentilibus etiam, atque Infidelibus prædicasse; atque etiam salvos fecisse nonnullos, qui minus erant nocentes, & qui illum cognoverant, & prædicationi ejus crediderant. Sed hæc sententia fidei Ecclesiæ adversatur, docentis, in Inferno nullam salutem esse sperandam, & qui semel damnati sunt, ibi esse in æternum damnatos. Ita in æquiorem sensum explicandi sunt Patres, qui hanc sententiam sequuti fuerunt, & quæ ex nimia eorum clementia, atque nimis ingenti conceptu de misericordia Dei profecta est. Quæstionem de quorumdam Infidelium salute, in peculiari Dissertatione Epistolæ ad Romanos præposita pertractavimus.

Putant alii [8], S. Petrum hoc in loco verba facere de prædicatione Evangelii ad Ethnicos, quam Jesus Christus percepit, & Apostoli ejus nomine, & per Spiritum ejus exequuti sunt. Allegorice explicant nomen *carceris* de tenebris ignorantiæ, in quibus alte demersi erant Gentiles, antequam ad Evangelium vocarentur: *venit hora*, ait in Evangelio Joan. 5. 25. Jesus Christus, *& nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent*: Quod de Gentilium vocatione ad fidem explicatur; & in S. Luca 4. 18. Salvator ad seipsum ea transfert Isajæ verba: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde*. Isajas ipse de Messia loquens, inquit cap. 42. 6. *ego dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris*; quod vulgo de Evangelii ad gentiles prædicatione explicatur. S. Paulus non semel [9] ad hunc carcerem, hanc captivitatem, & tenebras, ubi Gentiles erant, antequam Evangelium recepissent, alludit.

Alii [10], *Carceris* nomine intelligunt corpus, tamquam animæ carcerem; ajunt, Jesum Christum per Spiritum suum, quo replevit Noe, incredulis eorum temporum hominibus prædicasse, ut agerent pœnitentiam, & Dei iram lenirent, qui jam jam in universam Terram diluvii aquas erat immissurus. S. Peter tempore homines isti increduli erant in carcere inferni, sed tempore Noe in vita erant, & in corpore. Itaque versiculus hic, & qui subsequitur, per paraphrasim ita possunt efferri. Jesus Christus cum replesset Noe spiritu suo, misit illum, ut incredulis ævi sui prædicaret, qui hodie in Inferno detinentur. Jesus Christus etiam illuc quodammodo profectus est, quoniam misit hominem spiritu suo animatum. Tunc quidem homines isti vivente erant, nunc vero illorum animæ, & spiritus in Inferni carcere squalent.

Postremæ hæ duæ explicationes ab eruditissimis Interpretibus probantur, neque adeo facile rejiciendæ sunt; quippe quæ omnes tollunt difficultates, quæ in Texto oboriuntur, qui videtur asserere, Jesum Christum ad Inferos descendisse, ut prædicaret hominibus, qui extiterant ante Noe, & qui cum incredulitate, atque impœnitentia diem obiissent, erant ideo damnati. Ad hæc, quomodo conciliari potest, quod Jesus Christus prædicaverit hominibus, qui tot ab hinc sæcula ex humanis decesserant, qui si converti possent, atque scelerum suorum agere pœnitentiam [11]?

Sententia, quæ putat, Jesum Christum ad Inferos descendisse, ut antiquis Patriarchis adventum suum annuntiaret, & illos de hoc veluti carcere educeret, ubi jam pridem illum opperiebantur, omni prorsus caret dubitatione, eamque tamquam fidei nostræ articulum veneramur: verum licet ambigere, utrum hic sit S. Petri hoc in loco sensus. Non desunt alii Scripturarum loci, qui explicite hanc Ecclesiæ sententiam probent de Jesu Christi ad Inferos descensu. ex. gr. Zach. 9. 11. *tu quoque in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*. Et Ecclesiasticus 24. 45. *penetrabo omnes inferiores partes Terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*. S. Petrus hic palam verba facit de incredulis, qui ævo Noe vivebant, non autem de justis, qui Redemptoris adventum præstolabantur; nisi dicere complures eorum hominum, qui Noe prædicationem audiverant, se se convertisse; quod quidem Interpretes nonnulli [12], sed temere, & sine ulla ratione asseruerunt.

Clericus in hunc locum intelligit Custodes Angelos pro spiritibus, qui erant in carcere; neque Græcus illi adversatur [13]. Credit, divinitatem, vel spiritum, qui Jesum Christum resuscitavit, prædicasse hominibus incredulis, qui vivebant ævo Noe, stipatum Custodibus Angelis, ad litteram: *Angelis, qui sunt in statione*, ut illos ad pœnitentiam revocarent. Non ait vero, Deum, vel Angelos per seipsos, & in persona prædicasse: sed Scriptura illis attribuit, quod illi inspirarunt Noe, & quod præstitit Noe ex eorum auctoritate, jussu, & auxilio. Ita in Epistola ad Ephesios 2. 17. dicitur Jesus Christus prædicasse iis, qui *longe erant*, hoc est Gentilibus, non secus ac iis, qui erant *prope*,

1 *Carne*, pro *carcere*. Vide Bed. Syr. Æth. Arban. Alii quidam. Vide Mill. & Est. hic.
2 Ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν. Quidam legunt: *Qui in carcere inferni conclusi erant*.
3 Ἐν ᾧ. *In quo*, seu, *per quem spiritum*. Scil. de quo antea. 4 Athan. Ep. ad Epictet. Cyrill. de Fide ad Regin. Epiphan. hæres. 77. Clem. Alex. lib. 6 Strom. Justin contra Tryph. Iren. lib. 5. cap. 23. Hieronym. in Isai. 54. Hilar. in Psal. 118. vers. 82. Ambros. in Ephes. 4. Ita & Scholastici & Interpp. plerique.
5 Vide Chrysost homil. 4 in Matt. Hieron. Epist. ad Heliodor. Greg. Magn. l. 12. moral. cap. 6. D. Thom. 3. p. q. 52. &c. 6 Hieronym. & Theophyl. in Matth. Nyssen. orat. 1. de Resurrect. Tertull. lib. de Anima, cap. 31. & 55. Iren. lib. 5. c. 31. Ambrosiast. in Ephes. 4. 7 Vide, si placet, Clem. Alexand. lib. 6. Strom. Epiphan. hæres. 46. Ambrosiast. in Ephes. 4. Nazianz. orat. 42. sub finem, & Nicetam, ad eundem, &c.
8 Hessel. Vorst. Grot. Hamm. Confer 1. Petri 4. 6. Joan. 5. 25. Luc. 1. 40. Ephes. 2. 1. &c.
9 Ephes. 2. 17. 4. 8. 5. 8. Coloss. 1. 13. 1. Thess. 5. 4. 10 Aug. Ep. olim 99. nunc 164. c. 3. 4. Bede, Aug. Dionys. D. Thom. 3. p. qu. 52. art. 2. ad 3. Vide & Bez. Jun. Gemar. Gerhard. Piscat.
11 Vide S. Augustinum ep. 99. vel 164. recentis editionis c. 4. 5. 2. 7.
12 Hieronym. quæst. Hebr. Est. Ticin. Menoch. Cornel. 13 Τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι.

prope, hoc est Judæis; non quod per se Gentilibus prædicaverit, sed quod illis prædicare jusserit Apostolos suos. At vereor, ne hæc sententia litteræ satis hærere videatur; Græcus enim Textus, ubi totus simul versiculus assumatur, alium sensum videtur exposcere.

Dupinius Differt. iv. in Apocalyp. art. 8. duplicem proponit in celebrem hunc locum explicationem. S. Petrus, ut Fidelibus præbeat exemplum divinæ erga homines misericordiæ, illis narrat, quid ante diluvium acciderit. Non defuerunt quamplurimi, qui minime crederent, diluvium nequaquam venturum, & hi sunt increduli, *qui vivebant in diebus Noe cum fabricaretur Arca*, quos per patientiam suam Deus patiebatur. Eo tempore Verbum Dei (hoc enim Apostolus per *Spiritum JESU CHRISTI* intelligit) ostendit hominibus, quos cœcitas tanquam in carcere retinebat, illud excidium, quod universo humano generi imminebat. Hæc tamen monita inutilia fuerunt; & unus Noe tantummodo cum familia sua ex ingenti eo cataclysmo erepti fuerunt.

Locus hoc in sensu explicatus nullam continet difficultatem, quandoquidem non agitur amplius vel de Jesu Christi ad Inferos descensu, vel de ejusdem prædicatione ad animas incredulorum temporibus Noe. Sed hæc explicatio nonnulla audacter supponit, quorum nullam rationem adfert, & æque magnas ferme complectitur difficultates, ac illas, quas vellet evitare. Primo quidem explicat *Spiritum IESU CHRISTI* de illius divinitate, non autem de anima. 2. intelligit de hominibus super Terram viventibus, quod dicitur de Spiritibus in carcere inclusis; 3. carcerem de hominum eorum cœcitate interpretatur. Has ipsas difficultates allatus Auctor animadvertit, quæ sane prohibent, ne sententiam hanc amplectamur.

Altera vero, quam proponit, explicatio simplicior videtur: Jesus Christus descendit ad Inferos, & adventum suum annuntiavit non solum animabus Justorum, qui in pace opperiebantur, verum etiam animabus eorum, qui ante diluvium Noe credere noluerunt ipsi prænuntianti malum nuntianti. Hoc tamen non prohibebat, quo minus verum Deum metuerent, eique adorarent, & pœnitentia ducti, cum universæ eluvionis imber decidit, ad Deum confugerint, & scelerum suorum partem expiaverint in aquis, quæ universam Terram submerserunt. Cum autem Salvator in limbum descendit, illorum animas ibi nactus est, quæ per tot secula incredulitatis suæ pœnas dabant, aliasque inde cum antiquorum Patriarcharum animabus eduxit. Hæc ratio explicandi hunc S. Petri locum, neque inepta est, neque improbabilis.

B

C

℣. 20. QUI INCREDULI FUERANT ALIQUANDO [1].] Satis liquet, quanta fuerit humani generis Noeticis temporibus corruptio, & quo usque mortalium nequitia pervaserit. Illorum scelera meruerunt, ut Deus omnes homines perderet, octo solum exceptis, Noeticam familiam constituentibus. Centum & viginti annos [2], antequam Deus Diluvii aquas immitteret, præcepit ille Noe, ut secundum traditas dimensiones Navem ædificaret, eique suum aperuit consilium, quo decreverat, aquis Diluvii universum genus humanum perdere. Noe Dei Spiritu afflatus ita prædicavit, quæ sibi a Deo fuerant revelata; Arca vero ipsa, quam ille ædificare inceperat, aliud erat concionis genus, quod magis, quam verba simplicia, animos illorum debebat afficere; attamen perstiterunt homines in obduratione sua, per-

D

E

A peram existimantes Deum immutaturum esse consilium, ejusque justitiam, patientiam, atque clementiam ipsius victum iri. Prædicavit igitur Jesus Christus non in persona, neque palam; sed per Spiritum suum, quem communicaverat Noe.

OCTO ANIMÆ [3].] Noe videlicet, & uxor ipsius, tres illius filii cum uxoribus eorum. Ex Scriptura non liquet, aliquem ex Gigantibus, & hominibus ævi illius se te convertisse, & complures notæ meliores Theologi omnes damnatos fuisse arbitrantur. Attamen S. Hieronymus quæst. Hebr. in Gen. Rupertus Abbas in Gen. 6. aliique recentiores [4] oppositum tenent. Putant, Lamech Patrem Noe, e. g. & Mathusalem, quorum alter sexto ante diluvium anno, alter vero eodem ipso anno diluvii occubuerant, salvos factos esse cum aliis plurimis, atque his Jesum Christum apud Inferos prædicasse, iisque annunciasse, quod liberationis eorum tempus advenerat. Confer ea, quæ dicit Jesus Christus in Evangelio [5], de iis, quæ ævo Noe, & diluvii tempore acciderunt. Hæc sane haud ita favent eorum sententiæ, qui mortalium illorum salutem propugnant.

SALVÆ FACTÆ SUNT PER AQUAM.] Salvæ factæ sunt in medio aquarum, vel salvæ factæ sunt favore aquarum [6]; qui posterior sensus sequentibus belle cohæret. Non secus ac Noe, ejusque familia generale excidium evaserunt, quo cæteri homines involuti sunt ope, & gratia aquarum sustinentium Arcam, ubi erant conclusi: ita quicumque recipiunt baptismum, cujus figura erat diluvium, quatenus Terrarum Orbem ab impiorum sceleribus emundabat, ab excidio, & generali damnatione salvi sunt facti.

℣. 21. VOS NUNC SIMILIS FORMÆ SALVOS FACIT BAPTISMA.] Diluvium, quatenus est iræ divinæ instrumentum ad perdendos incredulos homines, & Mundum flagitiis corruptum, esse nequit figura baptismi; cujus figura est tantummodo habita ratione Noe, & filiorum ejus, quos ex communi cæterorum hominum interitu eripuit. S. Justinus in Dialogo cum Tryphone hæc adfert verba tanquam Isaiæ [7]: *ego te salvavi*, ait Dominus ad Jerusalem, *in diluvio Noe*. Hoc non significat, Deum hanc Urbem ex Noetico diluvio eripuisse, quandoquidem diu post illud condita fuit: sed designat baptismi mysterium, quod eos omnes salvos facit, qui illud recipiunt, & quod in diluvio Noe præfigurabatur.

NON CARNIS DEPOSITIO SORDIUM, SED BONÆ CONSCIENTIÆ INTERROGATIO APUD DEUM.] Non Judæorum baptismus, qui in eo positus est, ut carnem a legalibus sordibus emundet; sed qui conscientiam inducens, ut se mundam coram Deo servet per Jesu Christi resurrectionem, nos salvos facit. Ad litteram [8]: *sed qui per interrogationem bonæ conscientiæ apud Deum nos emundat*, justos, & salvos facit *per Jesu Christi resurrectionem*. Loci hujus difficultas in eo posita est, ut explicetur, quid sit *bonæ conscientiæ interrogatio*. Quidam [9] hoc intelligunt de testimonio, quod viro bono perhibet conscientia sua, quæ nihil illi exprobrat, & quæ constanter credit, ipsum in baptismo peccatorum suorum remissionem recepisse [10]. Credunt alii, S. Petrum alludere ad ea, quæ ex iis quæruntur, qui ad baptismum recipiendum accedunt, utrum decreverint dæmoni, & pompis ejus renunciare, & fidem, atque Jesu Christi religionem amplecti; qui si responderint *in bonæ conscientia*, sincere, & ex corde; atque mundo renunciaverint, ac ita baptismum receperint; hi certi sunt, Deum sibi concessurum peccatorum veniam, & gratiam sanctificantem per Jesu Christi merita, quæ per baptismum etiam

---

1 S. Augustinus, S. Hieronymus, Idacius, Beda, Dionysius Carthusianus legunt: *Expectabat Dei patientia*: quod conforme est Græco. Alii: Ὅτε ἅπαξ ἐξεδέχετο. Alii: Ἀπεξεδέχετο, *semel expectabat* (Noe,) vel, *expectabatur* (ab incredulis,) *Dei patientia*. Vox *semel*, non videtur cognita a veteribus Latinis, qui hunc locum laudant, ait Estius. *Semel* denotat irrevocabilitatem decreti Dei, qui omnes homines morti damnaverat, excepto Noe, ejusque familia.

2 Gen. 6. 3.

3 Gen. 7. 7.

4 Cornel. a Lapide hic, & in Genes. 6. 5. Est. Menoch. Tir. &c.

5 Matth. 24. 37. Luc. 17. 26. 27.

6 Vide Est. hic.

7 Hic locus non occurrit amplius in Isaia.

8 Οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν, δι᾽ ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.

9 Vide Erasm. Est. Men. &c.

10 August. Tract. 8. in Joan. Beda hic. Ambros. de his qui Myster. initiantur, cap. 3. 4. Est. Vide Grot.

etiam repræsentatur, quemadmodum passim ait S. Paulus [1].

Alii hoc explicant [2] de solemni promissione, qua in baptismo pollicemur Deo, nos illi credituros, eidem fideles futuros, & mandata illius servaturos: quæ sententia non longe abludit a nuper proposita. *Interrogatio* nonnumquam promissionem significat, qua quis sese obstrinxit, ubi interrogatus fuit, utrum alicui rei assentiretur. Patres [3] sæpius meminerunt promissionum, quas in baptismo facimus. Hæc explicatio mihi videtur optima inter eas omnes, quæ in hunc locum afferuntur; Arca Noe diluvii aquis innatans, & Noe, ejusque familiam salvam faciens, typus erat, & symbolum baptismi, qui nos per aquam emundat, non carnis sordes abstergens, sed animam nostram purificans per ea, quæ Deo promittimus, & per meritum resurrectionis Jesu Christi.

In libris Novi Testamenti verbum *interrogare* nonnunquam orare, & petere significat [4]; ideoque verti posset; baptismus nos salvos facit, non carnis nostræ sordes eluens, sed nobis fiduciam conferens, ut Deo in bona conscientia vota nuncupemus per merita Dominicæ resurrectionis. Hanc explicationem Interpretes quidam sequuntur [5], eique favet Syrus, at vereor, ne hic sit sensus Apostoli.

℣. 22. Deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur.] Hæc omnia in Græco non extant, sed leguntur in Latinis exemplaribus, S. Fulgentio [6], Beda in hunc locum. Allusio fit ad Isaiæ 25. 8. qui a S. Paulo etiam adfertur 1. Cor. 15. 54. *præcipitabit mortem in sempiternum*. Hebræus: *deglutiet mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymas ab omni facie*. S. Paulus legit: *absorpta est mors in victoria*.

Profectus in Coelum, subjectis sibi Angelis.] Jesus Christus post resurrectionem suam ad Cœlum ascendit, sedit a dexteris Dei, & ab omnibus Cœlestibus spiritibus adoratus fuit, qui illum venerati sunt, atque confessi tamquam hominem Deum, quem ab ipso usque creationis suæ primordio tamquam Deum colere nunquam destiterant. *Super omnium Cœlestium Creaturarum dignitatem humani generis natura conscendit, supergressura Angelicos ordines, . . . ut illius gloriæ sociaretur in throno, cujus natura copulabatur in Filio*, inquit S. Leo serm. 1. de Ascens.

1 Coloss. 2. 12 Rom. 6. 4. Ephes. 2. 5 6. 2 Vide Cornel. hic. & Vicecomit. lib. 2. de Ritib. Baptismi, cap. 27. Vide & Basil. lib. de Spiritu Sancto, cap. 15. Grot. Knatchbull. hic.
3 August. lib. 4. de Symbolo ad Cathec. cap. 1. Greg. Naziani. orat. 40. Ambros. de his qui Myst. initiant. cap. 2.
4 Matth. 16. 1. Marc. 9. 21. Rom. 10. 20. &c. 5 Vide Bez. & Gemar.
6 Fulgent. lib. de Fide ad Petr. cap. 2.

CAPUT IV.

Præterita vita mali habitus relinquendi. Orationi vacandum. Charitas exercenda. Ecclesiæ inserviendum. Omnia ad Deum referenda. In adversis lætandum.

1. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia
qui passus est in carne, desiit a peccatis; 2 Ut jam non desideriis hominum,
sed voluntate Dei, quod reliquum est, in carne vivat, temporis.
3 Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam,
his, qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus,
& illicitis idolorum cultibus. 4 In quo admirantur non concurrentibus
vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes. 5 Qui reddent rationem
ei, qui paratus est judicare vivos, & mortuos. 6 Propter hoc enim & mortuis
evangelizatum est: ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem
secundum Deum in Spiritu. 7 Omnium autem finis appropinquavit. Estote
itaque prudentes, & vigilate in orationibus. 8 Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis
charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.
9 Hospitales invicem sine murmuratione. 10 Unusquisque, sicut accepit
gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis
gratiæ Dei. 11 Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tamquam
ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per
Jesum Christum: cui est gloria, & imperium in sæcula sæculorum: Amen. 12
Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi
aliquid vobis contingat: 13 Sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut
& in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. 14 Si exprobramini in nomine
Christi: beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui
est ejus Spiritus, super vos requiescit. 15 Nemo autem vestrum patiatur ut homicida,
aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. 16 Si autem ut Christianus,
non erubescat: glorificet autem Deum isto nomine. 17 Quoniam tempus
est, ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eorum,
qui non credunt Dei Evangelio? 18 Et si justus vix salvabitur, impius, &
peccator ubi parebunt? 19 Itaque & hi, qui patiuntur secundum voluntatem
Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis,

℣. 1. CHRISTO IGITUR PASSO IN CARNE, ET VOS EADEM COGITATIONE ARMAMINI.] Pergit hic S. Petrus non secus ac capite superiori, hortari Hebræos ad patientiam in iis persecutionibus, quæ excitantur in ipsos. Quoniam Jesus Christus Caput vestrum, ac vester Dominus passus est in carne sua, dum inter homines versaretur; vos quoque constantiam, & patientiam ad illius exemplar induite, & patienter ferte quæcumque vobis permittit accidere. Serio cogitate, *quia qui passus est in carne, desiit a peccatis* [1]. Si participes fuistis passionum Jesu Christi, si eum illo mortui estis, & resurrexistis in spiritu; peccatum vobis ultra dominari non debet. Hic locus quoad sententiam similis est illi S. Pauli Rom. 6. 7. *qui mortuus est, justificatus est a peccato*. Qui mortuus est cum Jesu Christo per imitationem passionum ejus, est quoque a peccato, & a servitute liberatus. & quemadmodum Jesus Christus semel est mortuus, ut peccatum destrueret; & resurrexit ad gloriam, non ultra moriturus: *ita & existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo*: at quanam in re posita est hæc vita nova, quæ tota in Deo est? in hoc, ut corpora vestra exerceatis in servitutu Dei ad peccatum repellendum, & mala desideria coercenda ut in vobis justitia regnet, & quantum in vobis est, peccati Regnum evertatis. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*. Hæc est argumentatio S. Pauli, quæ pro commentario esse potest huic S. Petri sententiæ. Confer quoque *Galat.* 5. 24. *Colos.* 3. ℣℣. 3. 5. e 2. ℣℣. 13. 20.

℣. 2. UT JAM NON DESIDERIIS HOMINUM.] Explicat, quid pro hac peccati morte intellexerit, quæ in eo posita est, ut relucteris concupiscentiæ carnalibus affectibus, & iis quibuscumque consiliis, quæ caro, & sanguis suggerunt: sed sequaris afflatum spiritus Dei, illius amorem, & voluntatem; vitam omnino recentem vivas, magis magisque veterem hominem exuas, eumque Cruci affigas, induas Jesum Christum, & vitæ illius humili, absconditæ, patienti, teipsum conformes.

℣. 3. SUFFICIT ENIM PRÆTERITUM TEMPUS.] Sufficit, ut eo tempore, quod conversionem vestram ad fidem præcessit, vosmet abdideritis iisdem affectibus, quibus sese mancipant Ethnici. Absit, iterum vosmet eradatis illis flagitiis, in quibus olim vivebatis sequuti non Leges Domini, sed Gentilium exempla, inter quos versabamini. Græcus legit [2]: *sufficit nobis fecisse voluntatem Gentilium præterito vitæ nostræ tempore*. Sed complures optimi Mss. non legunt *nobis*, & si quid supplendum est, longe præstat supplere *vobis*. S. Petrus loquebatur ad Judæos, qui in Provinciis inter Gentiles vivebant, quorum sæpe flagitia, immo etiam Idololatriam imitabantur: *illicitis Idolorum cultibus* [3]: seu re ipsa falsa numina secreto venerarentur, seu Gentilium conviviis, & celebritatibus interessent [4], seu idololatria hic significet impudicitias, quæ in Ethnicorum cœtibus committebantur [5], seu denique hoc nomine intelligatur cultus Angelorum [6], cui Judæi plurimi adhærebant, quemadmodum ex Epistola ad Colossenses 2. 18. innotescit.

℣. 4. IN QUO ADMIRANTUR NON CONCURRENTIBUS VOBIS.] Obstupescunt illi, quod ultra illorum festivitatibus, spectaculis, conviviis, conventibus interesse nolitis, neque amplius scelerum suorum, impiarumque sordium participes sitis. Ideo vos maledictis proscindunt, & contumelias vobis ingerunt, blasphemantes.

℣. 5. QUI REDDENT RATIONEM EI] supremo Judici, qui viventes æque ac mortuos est judicaturus. Ne vereamini injurias, minas, contumelias. Judicem habent Jesum Christum, cui quamprimum debitas pœnas luent. Ille ut ita dicam præ foribus est; præstolatur momentum mortis eorum, ut illorum scelera, & iniquitates persequatur. In novi Testamenti Scriptura Judicium Dei filio reservatum est [7].

℣. 6. PROPTER HOC ENIM ET MORTUIS EVANGELIZATUM EST.] Hic locus plane refertur ad eum, quem superiori Capite ℣℣. 19. 20. explicuimus; ubi dicitur: & his qui in carcere erant spiritibus prædicavit: *qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe*. Quilibet eamdem sequitur isthic explicationem, quam priori ei loco tribuit. Jesus Christus, ut omnem omnibus auferret excusationem, tum iis, qui mortui sunt ante suum adventum, tum iis qui post eundem vixere, voluit, ut omnes adventum suum, suique Evangelii veritates edocerentur. Ipse etiam post resurrectionem suam illud prædicavit, atque in omnes Terrarum plagas Apostolos suos misit, ut omnibus populis Messiæ adventum nunciarent: *ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu*; hoc est, quanquam in oculis hominum puniti fuerint, & habiti quasi inferni suppliciis destinati, attamen Deus illis viam aperuit, ut salvi fierent, nisi eam abjicere voluissent; ita ut plures eorum, qui in æternum damnati censebantur, vivant nihilominus coram Deo secundum spiritum. Hanc sententiam veteres quidam sequuti sunt, & si aliunde non edoceremur, damnationis sententiam semel prolatam antiquari non posse, & eos, qui semel in infernum ceciderint, inde numquam emergere; hæc explicatio satis simplex atque apta videretur.

Oecumenius ita explicat: cum Jesus Christus in Infernum descendit, ibi damnavit mortuos, quos invenit, eos videlicet, qui dum viverent, omnibus sese vitiis ingurgitarunt: sed salvos fecit, & de captivitate eduxit, qui vixerunt secundum spiritum, & meriti sunt, ut ille virtutem, atque sapientiam suam coronaret. Hæc explicatio pluribus recentioribus arrisit [8], & nihil habet Orthodoxæ fidei non maxime consonum. Knactbullus hæc verba: *ut judicentur quidem secundum homines in carne; vivant autem secundum Deum in spiritu*, intelligit, quasi innuerent: mortuis prædicavi, ut qui vivebant secundum carnem, atque humanas concupiscentias, *secundum homines in carne*, damnarentur; e contra vero qui vivebant *secundum Deum in spiritu*, salvi fierent, & gloriam assequerentur. Credit, hunc locum geminum esse illi S. Pauli ad Romanos 8. 5. *qui secundum carnem sunt: quæ carnis sunt sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt*.

Alii [9] totum hunc locum ita explicant: permisit Deus, ut Evangelium prædicaretur non Judæis solum, qui ad Abrahæ fœdus spectabant, verum etiam ad Ethnicos, qui habebantur tanquam mortui, in erroris, atque ignorantiæ tenebris sepulti. Vel: voluit Deus, ut Evangelium prædicaretur illis, qui pro se mortem oppetierunt, quales fuerunt S. Stephanus, S. Jacobus, atque tot alii, qui jam pro Jesu Christo suam vitam effuderant, cum S. Petrus hanc Epistolam scriberet; *ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu*; & nunc beatitudine perfruantur, gloriosam resurrectionem suam præstolantes [10].

Alii [11] hoc ita intelligunt: Messias prædicavit; Evangelium suum annunciatum fuit omnibus hominibus, qui ante Jesum Christum vixerunt: *ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu*. At quomodonam Messias, & Evangelium ante Jesu Christi adventum hominibus annuntiata fuerunt? Judæis quidem fuerunt annunciata per Prophetas, aliis vero

1 *Ὅτι ὁ παθὼν ἐν σαρκὶ, πέπαυται ἁμαρτίας*. Quidam legunt, *ἁμαρτίαις peccatis*. Vulg. Velez. Barb. 1. Æth. Syr.
2 *Ἀρκετὸς γὰρ ἡμῖν ὁ παρεληλυθὼς χρόνος τοῦ βίου, τὸ θέλημα τῶν ἐθνῶν κατεργάσασθαι*. Plures omittunt, *ἡμῖν*. Ita Alex. Syr. Clem. Alex. August. Alii plures. Alii legunt, *κατειργάσθαι*, pro *κατεργάσασθαι*. Ita Alex. Syr. Aeth. Clem. Alex. August. alii. 3 *Ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις*.
4 Est. Grot. Vide 1. Cor. 10. 7. 14. 2. Cor. 6. 16. &c. 5 Hamm. ad 1. Cor. 10.
6 Rain. de lib. Apocryph. Prælect. 238. 7 Joan. 5. 22. 27. *Neque enim pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio*. Act 10. 42. 17. 31. &c. 8 Vide Est. Men. Tir. Knattbul. Alios.
9 August. Ep. olim 99. cap. 4. 5. 6. 7. nunc 164. Vide Vat. Hugon. Verst. Gemar. alios.
10 Grot. Le Clerc. 11 Bez. Vide & Fromond. hic.

vero populis per Judæos, ac lumen naturale, quod omnes homines officiorum suorum admonet, dummodo sine prejudicio, atque animi perturbatione aures adhibere illi velint: ita ut impii omnes inexcusabiles sint, quod Deum ignoraverint, eumque uti par erat, non coluerint [1]. Qui econtra secuti sunt lumen, vel revelationis, vel rationis ope gratiæ, atque spiritu Sancto illustrati, licet in oculis hominum mortui, & ad nihilum redacti viderentur, vivunt tamen, & aliquando resurgentes prodituri sunt ad supremi Judicis tribunal, fidei, laborumque suorum mercedem relaturi.

℣. 7. OMNIUM AUTEM FINIS APPROPINQUAVIT.] SS. Apostoli Petrus, & Paulus [2] ita loquuti sunt, quasi Mundi finis omnino impendisset. Grotius [3] ait, ipsos hoc vere credidisse; & errorem hunc aredit simul esse potuisse cum ea inspiratione, qua erant repleti. Docent alii [4], S. Petrum hic verba facere de Jerosolymæ excidio, & Judaicæ Nationis dispersione. Ne vos deterreant, fratres, persequutiones omnes, quæ in vos excitantur. Quam primum judicabit Dominus inimicos vestros, & a domo sua ultionem facere incipiat. Sanhedrin Jerosolymæ, Sacerdotes, Capita Nationis in vos mortales omnes excitarunt, Ethnicos simul, & Judæos: at vos quamprimum ex hujusmodi inimicis liberabimini. Hic sensus contemnendus non est. Auctores Sacri Novi Testamenti, & ipse etiam JESUS CHRISTUS sæpe nobis exhibent tempus excidii Jerusalem, & Templi, tamquam diem iræ, & Judicii Domini.

Alii [5] hoc intelligunt de fine Prophetiarum, qui est JESUS CHRISTUS, ejusque Ecclesiæ institutio; vel de singulorum morte [6], quæ simul est hora judicii, quod subituri sumus, & qua de beata, aut infelici æternitate nostra disceptabit. In hoc Mondo vivite, quasi in eo non essetis; nam omnia prætereunt, nec longe abest finis noster; Mundus etiam diu subsistere non potest, si cum ea tempora, quo permansit, conferatur. *Filioli novissima hora est*, inquit S. Joannes 1. Ep. 2. 18. Tempus adventus Messiæ super terram sæpe in Prophetia novissimorum dierum nomine significatur: & S. Paulus 1. Cor. 10. 11. ait, nos ad sæculorum finem jam pervenisse: *ad quos fines sæculorum devenerunt*.

ESTOTE ITAQUE PRUDENTES, ET VIGILATE IN ORATIONIBUS.] Græcus verti potest [7]: *estote itaque sobrii, & vigilantes in orationibus*. Estote attenti, vigilantes, temperantes; Jejunium, sobrietas, temperantia remotæ sunt precum dispositiones; vigilantia vero, attentio, reverentia proximæ. In expectatione Judicii, mortis, & Dominici adventus, bonos servos imitari debemus, de quibus sermo in Evangelio Matt. 24. 42. qui vigilant, & presto sunt, ut pulsanti Domino ostium aperiant.

℣. 8. ANTE OMNIA.] Græce [8]: *præ cæteris habete charitatem constantem*, assiduam, firmam, perseverantem, *alternis: charitas enim operit multitudinem peccatorum*. Hæc nobis promeretur scelerum nostrorum veniam; hæc aliis etiam multa remittit: hæc sibimet ipsi proximi sui defectus abscondit; hæc illis parcit, eos excusat, eorumque crimina corrigit, quin in vulgus ferat, & amplificet: sed pacem fovet, querimonias aufert, & omnes sollit dissensiones. S. Jacobus similiter ferme ait cap. 5. 20. *qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum*: sibi quidem scelerum suorum veniam merebitur, fratri vero suo multa auferet delicta, eumdem de errore, & flagitiorum cœno subducens. S. Petrus ad Proverbiorum 10. 12. alludit: *odium suscitat rixas: & universa delicta operit charitas*; ea excusat, remittit, & quantum in ipsa situm est, etiam abscondit.

Patres quidam [9] hoc intelligunt de charitate erga Deum, & erga proximum. Perfecta charitas, quæ efficit, ut Deum super omnia, & proximum nostrum tamquam nosmet ipsos diligamus, nos Deo, & hominibus jucundos facit, omnia peccata nostra corrigit, eorumque veniam meretur. Explicatio, quæ de proximi charitate hoc intelligit, magis litteralis videtur.

℣. 9. HOSPITALES INVICEM SINE MURMURATIONE.] Hospitalitatem exercete erga fratres vestros, erga omnes, quantum in vobis situm erit, quin de hospitum multitudine, sumptibus, & exercitationis hujus labore conqueramini. Meminerit is, Dominum aliquando dicturum: *hospes eram, & collegistis me* [10]. Recordamini ea munera, quibus Deus remuneratus est hospitalitatem Abraham, & Loth. Non satis est hospites recipere, ultro, hilariter, & cum omnibus amoris officiis sunt recipiendi, & nonnumquam in eorum persona Jesus Christus est adorandus [11]. *Peregrini ad hospitium non solum invitandi, sed etiam trahendi sunt* ait, Gregor. M. hom. 23. in Evang.

℣. 10. UNUSQUISQUE SICUT ACCEPIT GRATIAM.] Temporibus illis Spiritus Sanctus supernaturalia sua dona communicabat recens conversis secundum suam voluntatem [12]. Aliis quidem spiritum prophetiæ, aliis donum linguarum, huic munus curationum, illi discretionem Spirituum. S. Petrus hortatur fideles, ad quos scribit, ut hoc dona impendant in fratrum suorum utilitatem, singuli juxta donum, quod receperunt a Deo. S. Paulus non semel hoc ipsum suasit [13]. Hujusmodi Spiritus Sancti gratiæ in proximi utilitatem præcipue conferuntur, eisque abutitur, & agit, quodammodo contra mentem Auctoris earumdem, qui in se illa retinet, & quodammodo defodit [14].

℣. 11. SI QUIS LOQUITUR QUASI SERMONES DEI.] Loquatur tamquam Dei Nuntius, Propheta, vir Divino Spiritu afflatus. Græcus ad litteram [15]: *si quis loquitur, loquatur tamquam oracula Dei*; veritatibus, quas annuntiat, non immisceat errores, humanasque sententias, veritates non dissimulet, fuco illas non obliniat, neque vel affectate, vel nimium humiliter loquendo illas in jocum, vel in contemptum adducat. Dei verbum ea, qua par est dignitate, majestate, reverentia pertractet, quæ ut dotes mereatur, Deum indesinenter, & anxius oret, minus sua fretus eloquentia, atque sapientia, quam gratia Dei, & lumine, quod Spiritus ipsius in audientium animos infundit: *ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur, pietate magis orationum, quam oratorum facultate agi non dubitet*, inquit S. Augustinus l. 4. de Doctr. Christ. c. 15. 16. 32.

SI QUIS MINISTRAT TAMQUAM EX VIRTUTE, QUAM ADMINISTRAT DEUS.] Loquitur de ministeriis Ecclesiasticis generatim, immo etiam de officiis, quæ Laici pauperibus, viduis, pupillis, ægrotis, hospitibus possunt erogare. Quilibet a Deo suum donum recepit, quilibet illud secundum vocationem suam impendat, & juxta imperium superiorum suorum; gratiis exterioribus, & supernaturalibus, quas recepit, ita utatur, quasi eas a Deo receperit, easque ex illius bonitate prorsus gratuita obtinuerit. Ne intumescat, neque inanem auram aucupetur [16], sciens, se rationem esse Domino redditurum. Alter ministerio suo perfungatur cum zelo, virtute, constantia, tamquam Dei

1 Rom. 1. 21. 2 1. Cor. 15. 53. & 1. Thessal. 4. 17. 3 Vide Grot. hic, & ad 1. Thessal. 4.
4 Hamm. Ligfoot. Joseph. Med. pag. 819. Alii. 5 Oecumen. Est.
6 Est. Cornel. Alii. 7 Σωφρονήσατε οὖν, καὶ νήψατε εἰς τὰς προσευχάς. Vide Oecumen. hic.
8 Πρὸ πάντων δὲ τὴν εἰς ἑαυτοὺς ἀγάπην ἐκτενῆ ἔχοντες. 9 Vide Tertull. in Scorpiac. August. Tract. 1. & 5. in Ep. Joan. Clem. lib. 2. Strom. cap. 6. Ambros. De fuga sæculi, cap. 2. 10 Matth. 25. 35.
11 S. Benedicti Reg. cap. 53. *Christus in eis (hospitibus) adoretur, qui & suscipitur.*
12 1. Cor. 12. 11. *Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.*
13 Ephes. 4. 11. Rom. 12. 4. 5. 6. 1. Cor. 12. 4. 7. 8. 14 Matth. 24. 45. 25. 14. Luc. 12. 42. 19. 12. &c. Vide Greg. Magn. lib. 28. Moral. cap. 21. & August. Tract. 10. in Joan. 15 Εἴ τις λαλεῖ, ὡς λόγια Θεοῦ.
16 Vide Oecumen.

Dei Spiritu animatus, gratia, & potestate ejus suffultus [1]. Vel denique sit liberalis, & eleemosynam exerceat, quin aliquid sibi defuturum vereatur, sciens, Deum omnia suppeditare, eumque pollicitum fuisse, non permissurum, ut aliquid alicui desit [2], donec nomine illius egerit, & tamquam ipsius dispensatorem, atque Oeconomum se consideraverit: *ubi pater familias largus est, dispensator non debet esse tenax* [3]. Hic sensus Græco Textui videtur incumbere. Hebræi sæpissime bonis temporalibus *virtutis* nomen tribuunt.

UT IN OMNIBUS HONORIFICETUR DEUS.] Quidquid facitis, ad Deum, tamquam ad postremum finem suum referatur; nihil gloriæ ex iis aucupemini, quæ feliciter vobis cedere permittit Deus; dona, quæ pauperibus erogatis, ne existimetis vestra esse, sed Dei, ut quicumque vos vident, ædificentur, & laudent Deum, qui vobis bonam contulit voluntatem, & vires tribuit, ut bonum & inciperetis, & perficeretis.

℣. 12. NOLITE PEREGRINARI IN FERVORE.] Verbum *peregrinari* apud Latinos proprie quidem significat *iter facere*, sed Græca vox, quæ illi respondet [4], sæpius pro *admirari* usurpatur. Vidimus jam illud hoc in sensu positum in capite ℣. 4. ubi vertitur *admirari*, quemadmodum & hic quoque in loco S. Cyprianus, S. Hieronymus, & Beda [5] legerunt. Tertullianus Scorp. c. 12. *ne expavescatis*. S. Fulgentius ad Trasimund. *nolite expavescere*, quasi aliquid vobis mirum, atque inauditum acciderit. Ne existimetis vos tamquam hospites, & rudes, si quid adversi vobis acciderit; Jesus Christus ad Crucem, ad passiones, atque cruciatus vos evocavit. *Fervor tentationum*, vel ignis afflictionum, communis est apud Sacros Auctores loquendi ratio, allusionem continens ad ea, quæ metallis accidunt, quæ in fervida fornacula ponuntur, ut emundentur [6].

℣. 13. COMMUNICANTES PASSIONIBUS CHRISTI GAUDETE.] Lætamini, quod pro illius gloria, veritatis defensione, atque ad testimonium Evangelio ipsius perhibendum sufficietis, participes facti passionum ejus, atque imitatores illius, ferentes propter justitiam, quemadmodum & ille perpessus est: *ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes*, in altero illius adventu, cum vivente & mortuos venerit judicaturus, & cum vobis post resurrectionem coram illo erit prodeundum.

℣. 14. SI EXPROBRAMINI.] Si vobis contumeliæ inferuntur propter nomen Jesu Christi, ut veritatem illius tueamini, & tamquam Christianis, beatos vos existimare debetis, *quoniam honor, gloria, virtus Dei, & eius spiritus super vos requiescit*. Græcus [7] etiam verti potest: *Quoniam eius spiritus gloriæ, honoris, virtutis Dei super vos requiescit*. Spiritus Dei *est Spiritus gloriæ*, quoniam nos ad gloriam Cœli deducit, atque efficit, ut nostram gloriam, atque honorem in Cruce, & in passionibus reperiamus; *spiritus virtutis* vel fortitudinis, quoniam in adversis nos confirmat, atque replet omnibus supernaturalibus donis suis, quorum ope futura prædicimus, ignotis linguis loquimur, morbos curamus; hujusmodi enim gratiæ apud primos Christianos erant communes. Quam confidentiam, atque animi constantiam vobis afferre debet sensibilis Divini hujus Spiritus præsentia? & si certas adeo salutis vestræ arrhas obtineris, numquid ambigere potestis, utrum Deus inter adversa, & ærumnas vobis opem sit allaturus? S. Petrus alludit ad ea Isajæ verba cap. 11. ℣. 2. *requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus Sapientiæ & intellectus*.

Exemplaria Græca typis edita [8] ad versiculi hujus calcem hæc legunt, quæ in Latinis exemplaribus non inveniuntur: *qui blasphematur ab illis, & glorificatur a vobis*. Spiritus Sanctus in vobis inhabitans infidelibus est scandali occasio; irritantur intuiti miraculosa dona, quæ vobis contulit Deus; sed vos Deo gloriam defertis præclare illis utentes ad majorem illius gloriam, ut cultus ejus magis progrediatur, & illius cognitio, & amor plerisque infundatur. Legebat quidem S. Cyprianus ep. 56. hæc verba in exemplaribus suis, sed pro *Spiritu Sancto*, legebat nomen Dei, quod nomen est gloriæ & potestatis, a Judæis quidem incredulis, & Ethnicis blasphematum, a fidelibus vero summo habitum in honore. Additio, quam nuper vidimus, non legitur in pluribus veteribus Græcis MSS. [9] in Syriaca versione apud Tertullianum Scorpiac. c. 12. S. Ambrosium, Bedam, neque in Latinis exemplaribus invenitur.

℣. 15. NEMO VESTRUM PATIATUR UT HOMICIDA ... AUT MALEDICUS:] vel cum Græco [10]: *ut homicida aut malefactor* tamquam reus eorum scelerum, quæ Legum Civilium severitate constringuntur, vel tamquam addictus alicui ex iis vitiis, quæ societatis odium conflant, quamquam Leges nullum decreverint supplicium contra illos, qui eo crimine imbuti sunt, veluti contra maledicos, eos, qui alienis se se negotiis immiscent, subdolos, hypocritas, quæ hominum genera Mundus odit, & quæ sunt humanæ societatis pestes & labes.

AUT ALIENORUM APPETITOR.] Græcus [11]: *tamquam homo, qui alienis negotiis se se immiscet* [12]. Sed numquid hoc crimen est, Magistratuum judicio, pœnisque civilibus obnoxium? Quænam in Republica si ad supplicium conquiruntur, qui curiosi sunt, inertes, & qui iis occupantur, quæ ad ipsos minime pertinent? Homines hujusmodi patimur, atque contemnimus. Hic autem videtur S. Petrus omnino aliud innuere velle, & profecto Autographi nomen designare potest hominem, qui aliena scrutatur bona, ut iisdem potiatur [13]; quem sensum Auctor Vulgatæ voluit innuere. Homines hujusmodi non Divina tantum lege damnantur, quæ non solum furtum, & pravas acquirendi rationes, verum etiam desideria bonorum alienorum condemnat; verum etiam Civilibus Legibus constringuntur, eos non modo plectentibus, quibus e sententia cessit, ut furarentur; verum etiam qui furtum solummodo tentaverunt.

℣. 16. SI AUTEM UT CHRISTIANUS, NON ERUBESCAT.] Nomen *Christiani* fidelibus impositum fuit primum Antiochiæ [14] sub annum tertium, & quadragesimum Jesu Christi, fortasse tertio, vel quarto, antequam hæc Epistola conscriberetur; sed ea celeritas, qua Christiana religio se se in omnes terras effudit, effecit, ut hoc nomen brevi in omnibus Provinciis fieret insigne. Ex hoc loco liquet, nomen illud omnino fuisse commune; & singulare videtur, quod nullibi in Epistolis suis eodem usus fuerit S. Paulus Apostolus. Cum non aliud vobis exprobrari poterit, nisi nomen Christiani, felices eritis: hoc nomen erit gloria vestra, atque felicitas. Deo gratias agite, quod dignos vos fecerit, qui pro illius fide pateremini: *glorificet Dominum in isto nomine*. Græcus: *in ista parte*. Sed complures Græci MSS. Veteres Vulgatæ similes sunt.

℣. 17. TEMPUS EST, UT INCIPIAT JUDICIUM A DOMO

1 Est. Men. Cornel. 2 Matth. 6. 25. & seq. Luc. 12. 18.
3 Opus imperf. in Matth. homil. 41. 4 Μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν [illegible] ὑμῖν [illegible]. Vide Grot. ad vers. 4. Hamm. Gerhard. 5 Cyprian lib. 4. Ep. 56. Hieron in Amos 4. Beda hic. *Nolite mirari*. 6 Prov. 27. 21. Jerem. 11. 7. Judith. 8. 22. Dan. 11. 15. Vide & Psalm. 16. 3. 65. 10. Isai. 48. 10. Grot. Oecumen. alius hic. 7 Ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται. Non leguntur nomina *honoris & virtutis Dei*, in Græco edito, sed occurrunt in pluribus Exemplaribus Græcis. Ita Alex. Barb. 2. Colb. 7. Steph. 8. 1. 12. Plures alii. Ita Arab. Aeth. Copht. Cyprian. & Quid. Latini Codices. 8 Κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται.
9 Non leguot, Alex. Cov. 4. Colb. 7. Genev. Copht. Velez. Aeth. 10 Ὡς [illegible]. Quidam legunt, [illegible] 11 Ὡς ἀλλοτριοεπίσκοπος. Tertull. *Alieni speculator*.
12 Grot. Erasm. Vatab. Tigur. Pagn. Mont. alii plures. 13 Hems. Crit. projet de traduction, page 629. Est. Men. Cast. Bez. Vat. 14 Act. 11. 26.

DOMO DEI.] S. Petrus alludit ad ea Domini verba apud Ezechielem 9. 5. *signa Thau super frontes virorum gementium, & dolentium . . . transite per Civitatem sequentes eum, & percutite; non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, & Virginem, parvulum, & mulieres interficite usque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis, & a Sanctuario meo incipite.* A Templo incipite, & nulli parcite: sed S. Petrus hoc in alio intelligit sensu, quam Propheta. Ezechiel innuere volebat ultionem a Deo in illos exercendam, qui nomen suum, atque Templum polluissent, ibi Idola venerantes; at S. Petrus innuere vult, Deum ad suos probandos permissurum, ut illi pateant suppliciis omnibus, quæ fidei inimici in illos poterant excogitare; & neminem ob hac persecutione immunem futurum; immo suos domesticos, Sanctos, amicosque ante cæteros his suppliciis esse afficiendos.

Salvator in Evangelio Matt. 24. 9. Luc. 21. 21. prædixerat ante generale Jerosolymæ excidium, atque Judaicæ Nationis dispersionem, servos suos tribulationibus, afflictionibus, odio, & morti etiam obnoxios futuros; illos fore tamquam scopum omnibus gentibus, & Deo gratum facere existimaturos, qui eosdem persecuti fuerint, & contumeliis affecerint; ipsos tradendos esse, atque prodendos a parentibus, fratribus, & amicis: verum eodem etiam tempore illis promiserat futurum, ut ne capillus quidem capitis eorum interiret, & illi in patientia animas suas salvas facerent. S. Petrus fideles, ad quos scribit, monet, hæc tempora jam advenisse.

SI AUTEM PRIMUM A NOBIS, QUIS FINIS EORUM?] Si a nobis incipit, qui illius servi sumus, atque fideles, quinam erit finis eorum, qui Evangelium abjiciunt? Ethnicorum videlicet, & Judæorum incredulorum, qui vos lacessunt, & persequuntur. Hoc jam prædixerat Jesus Christus, dixeratque Apostolis suis, persecutiones, quas illi & amici eorum sustinerent, non aliud esse, quam malorum præludia, quæ Judæi infideles, & persecutores paterentur. *Hæc autem initia sunt dolorum* [1]. Fideles suos hortabatur, ut fugerent, ubi has persecutiones viderent, ne & ipsi cum inimicis suis eadem calamitate opprimerentur. Si Deus tanta cum severitate domesticos, amicosque suos excipit; si afflictionum igne illos emundat, atque expiat, quid expectandum illis, quos in ira sua respicit, & quos tamquam justitiæ suæ victimas mactabit?

℣. 18. ET SI JUSTUS VIX SALVABITUR.] Si diebus illis iræ *justus* vix evadere poterit, quid de impiis fiet? Cum incœpit Deus ultionem suam in Judæos exercere, permisit primum, ut Christiani plurimis afflictionibus, & persecutionibus paterent: sed postquam ita domum suam emundavit, atque electorum suorum virtutem probavit, illos admonuit, ut Jerosolyma, finitimisque locis excederent, atque trans Jordanem se se reciperent. Historici Ecclesiastici narrant, illos concessisse Pellam in ditionem Agrippæ Regis, qui cum Romanorum socius esset, & amicus, eo usque ignis belli minime pervasit. Sed reliqui Judæi victorum furorem, ac vim experti sunt, qui Templum atque Jerosolymam ita solo æquarunt, ut aratrum illuc induxerint, cæsis undecies centenis millibus Judæorum. S. Petrus alludit ad Proverbiorum 11. 31. *si justus in Terra recipit, quanto magis impius & peccator?* Apostolus sequutus est versionem Septuaginta.

Hoc etiam in morali sensu potest intelligi: si justi ipsi in hac vita ærumnis atque temporalibus pœnis sunt expiandi, quid non metuant peccatores, qui profunda pace, & fatali impunitate fruuntur [2]? Si incœpi plectere Urbem, in qua invocatum est nomen meum, & quæ Civitas Sancta, & Civitas Altissimi appellatur; si feci, ut biberet ex Calice iræ meæ: numquid vos eritis immunes o Populi Babylonis, & Ægyptii, Nationes pravæ, quæ me non cognoscitis? *Et vos quasi innocentes, & immunes eritis? Et non eritis immunes*, sed ad ebrietatem usque bibetis, & usque ad fæces Calicem exhaurietis [3]. Si hoc in viridi, quid in arido? Luc. 23. 31.

℣. 19. HI QUI PATIUNTUR SECUNDUM VOLUNTATEM DEI.] Justi, qui persecutioni patent propter justitiam, & nomen Dei, animos ne despondeant: sed vitam suam, animam, salutem, incolumitatem in manu sui Creatoris constituant. Quidquid acciderit, in illius sapientia, & providentia confidant; interim virtutem exercere non cessent, *in benefactis* persistant, & Deus illos ex iis omnibus malis præservabit, quæ, in illos permittit ingruere. Deus similis est Patri, Filium suum in occasionem adducenti, in qua sibi gloriam acquirat: veruntamen illum ibi eo usque non deserenti, ut pereundi periculum subeat; dummodo tamen filius hic parentis sui mandatis obtemperet, & temere sese periculo non objiciat; vel cum adfuerit occasio, animos non despondeat.

Hic etiam Græco sensus tribui potest [4]; *qui patiuntur ex voluntate Dei*; illi, quos Deus in pugnam, atque tentationem impulit, ut eisdem gloriam procuraret, *commendent animas suas Creatori*. Si permiserit Deus, ut inimicorum vi superentur, & pro illius gloria vitæ jacturam subeant, hoc illis metum non injiciat [5]: *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Vitam vestram in manu Dei collocate, & omnia ab illius justitia, & misericordia sperate. Persecutiones, quæ in vos excitantur, charitatem vestram erga inimicos etiam non avertant: illis pro virili gratificamini [6], & pro malo bonum rependite.

---

1 Matth. 24. 8. Luc. 21. 21. & seq. 2 Aug. lib. 20. contra Faust. Ambros. lib. 2. Apolog. David. cap. 3. Beda, hic. 3 Jerem. 25. 28. 29.
4 Οἱ πάσχοντες κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, ὡς πιστῷ κτίστῃ παρατιθέσθωσαν τὰς ψυχὰς ἑαυτῶν ἐν ἀγαθοποιΐᾳ.
5 Matth. 10. 28. 6 Ἐν ἀγαθοποιΐᾳ, vel, Ἐν ἀγαθοποιΐαις. Erasm. Est.

C A P U T V.

Sacerdotes monentur, ut gregis sui curam gerant, adolescentes vero, ut majoribus pareant. Vivendum cum humilitate, atque submissione erga providentiæ mandata. Dæmoni per fidem, atque temperantiam resistendum.

1. SEniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior, & testis Christi passionum; qui & ejus quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator. 2 Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed sponta-

nee

nce secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: 3 Neque ut dominantes io cleris, sed forma facti gregis ex aoimo. 4 Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. 5 Similiter adolescentes subditi estote seoioribus. Omnes autem invicem humilitatem insiouate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 6 Humiliamioi igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. 7 Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. 8 Sobrii estote, & vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: 9 Cui resistite fortes in fide: scientes eamdem passionem ei, quæ io mundo est, vestræ fraternitati fieri. 10 Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos io æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. 11 Ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen. 12 Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi: obsecrans, & contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis: 13 Salutat vos Ecclesia, quæ est io Babylone collecta, & Marcus filius meus. 14 Salutate invicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Jesu: Amen.

℣. 1. SENIORES OBSECRO CONSENIOR [1]:] *Senior* Latine & *Presbyteros* Græce nonnunquam ætatem, & senectutem, aliquando vero Sacerdotum, & Episcoporum dignitatem significat, quibus in Ecclesia Christiana ab initio Presbyterorum, vel Seniorum nomen inditum fuit, Synagogæ exemplo præcipuos Ministros suos hoc nomine nuncupantis. Hoc in loco credunt quidam [2], S. Petrum loqui ad Senes, eosque hortari, ut invigilent moribus illorum, qui natu minores sunt. ℣. 5. *Similiter adolescentes subditi estote Senioribus*: hæc oppositio vel antithesis inter Senes, & adolescentes eorum favere videtur sententiæ, qui *Seniores* de ætatis senectute interpretantur. A

Verum opposita sententia [1], quæ hoc intelligit de Sacerdotibus, & Episcopis, una omnium probari potest, & in eam nos cogunt, quæ sequuntur; quoniam S. Petrus illos hortatur, ut pascant traditum sibi a Deo gregem, eique sedulo invigilent. Videntur immo hæc præsertim ad Episcopos dici, quos *Presbyterorum* nomine sæpe in Apostolorum scriptis constat indigitari [4]. S. Petrus humilitatis, & modestiæ gratia se ipsum in eorum numero adscribit, *Consenior*; licet illi Jesus Christus in gregem universum primas contulisset [1]. Ipse eorum frater erat, Coepiscopus, æqualis, quo ad Ordinationis Episcopalis characterem, sed longe majorem obtinebat jurisdictionem, potestatem, auctoritatem [6]. Illius exemplum sequuti ejus successores in Epistolis, quas ad Episcopos scribunt, nonnunquam illos fratres & Coepiscopos vocant, ad Ordinis æqualitatem indigitandam; & nonnunquam filios in Jesu Christo ad sedis, & jurisdictionis suæ amplitudinem indigitandam. B C

TESTIS PASSIONUM CHRISTI.] S. Petrus testis fuerat laborum omnium, quos Jesus Christus in suæ prædicatione pertulerat: viderat, quid in Olivarum horto acciderat, cum Jesus Christus Judæis traditus fuit; illum quoque inter militum manus coram Anna, & Caipha conspexerat [7]. Neque abhorret a fide, quod illum in Calvario etiam & Cruci confixum fuerit intuitus; licet Evangelistæ non meminerint. Testis etiam fuerat Dominicæ transfigurationis [8], quæ erat quoddam veluti specimen ejus gloriæ, qua aliquando erat induendus. Hæc autem revocat in mentem fidelium, ad quos scribit, ut adhortationibus suis major accessio ponderis fiat.

Poterat etiam alio in sensu vocare se testem passionum, & gloriæ Jesu Christi, quatenus utramque prædicabat, & utrique testimonium perhibebat vita sua, & laboribus, quibus pro Evangelio sese objiciebat [9]. *Martyris* nomen Græce idem significat, ac testis Latine. Apostoli sæpe præclaro hoc titulo decorantur, Jesu Christi testes appellati [10], & Salvator post resurrectionem suam ait explicite, illos testes futuros sibi in Jerusalem, & in universa Terra [11]. Cum etiam agebatur, ut in Judæ locum Apostolus eligeretur, S. Petrus ait, inveniendum esse testem Dominicæ resurrectionis, *testem resurrectionis ejus fieri unum ex istis*, Act. 1. 22. Pro *gloriæ communicator*, Græcus legit, *gloriæ particeps*. Innuit Apostolus sperare, se aliquando gloria perfruiturum, vel se hac beata sorte gavisum esse, ut in Thabor gloriæ Jesu Christi testis esset.

℣. 2. PASCITE QUI IN VOBIS EST, GREGEM DEI.] Non ait: curam habete gregis vestri; sed pascite gregem Dei, vel Jesu Christi, quemadmodum legunt quædam exemplaria [12]; ut ostendat, gregem hunc non esse illorum, sed illius rationem ipsis reddendam esse pastori summo, cujus illi Vicarii sunt. Oves regere debent tanquam pastores, non tanquam domini atque tyranni: *qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas esse velint, non Christi, se convincuntur amare non Christum* [13], ait S. Augustinus. Illas ergo & verbo, & exemplo, & precibus pascere debent, quemadmodum ait S. Bernardus ep. 201. *pasce verbo, pasce exemplo, pasce sanctarum fructu Orationum*.

PROVIDENTES NON COACTE, SED SPONTANEE.] Primis Ecclesiæ temporibus cum Episcopatus quædam esset ad martyrium vocatio, & in mortalium oculis nullum afferret honorem, nullum decus, nullam utilitatem, perraro quærebatur; sæpe immo evitabatur, & semper multis sese periculis objicere arbitrabatur, qui Ecclesiæ alicujus Provinciam susciperet. S. Petrus ergo Episcopis hoc in loco commendat, ut munere suo perfungantur ultro, alacriter, non inviti, strenue, atque integerrime: *neque turpis lucri gratia*, sed *secundum Deum*, ut mandatis ejus obtemperetis, Salvatoris charitatem imitemini, & expleatis ea, quæ ex vobis petit Deus

1 Πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ ὁ συμπρεσβύτερος. Quidam: Ὡς συμπρεσβύτερος.
2 Vide Cornel. Menoch. 3 Vide Bedam, Oecumen. Cornel. Est. Men. Hieronym. Ep. 85. alios passim.
4 Vide Act. 14. 22. 15. 2. 1. Timoth. 5. 17. Tit. 1. 5. 5 Joan. 21. 15. 16. 17.
6 Oecumen. Est. Cornel. Alii. 7 Vide Matth. 26. 58. Joan. 18. 15.
8 Matth. 17. 2. Luc. 9. 28. 2. Petri 1. 16. 47. 9 Vide Est. Menoch.
10 Luc. 24. 48. Act. 3. 15. 5. 32. &c. 11 Act. 1. 8. *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* 12 Ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ. Alii: Χριστοῦ. Ald. Froben. Oecumen. Cyrill. MSS. Quidam Erasm. Tig. Calvin. ita vertunt: *Pascite, quantum in vobis est*. Sed hæc interpretatio probata non est. Grot. Est. &c. 13 August. Tract. 230. in Joan.

Deus [1]. verbo, propter Deum, & intuitu Dei, *secundum Deum*. Hæc verba hodie in Græco typis edito non extant, sed in antiquis complutibus Mss. in S. Hieronymo ep. 2. ad Nepot. S. Augustino in Speculo, Beda hic, Cophto, Æthiope & Alexandrino Ms. inveniuntur.

℣. 3. NEQUE UT DOMINANTES IN CLERIS,] hoc est, in hæreditate Domini. Populus vobis creditus est, Domini hæreditas, electa pars illius [1]; vos pastores estis gregis sui: videte primum, utrum manu illius sitis constituti. *Dabo vobis pastores juxta cor meum*, ait Dominus in Jeremia 3. 15. *& pascent vos scientia doctrina*. Pastores estis, non ut dominemini, sed ut gregi vestro serviatis. Non vestra, sed gregis vobis est utilitas quærenda; non ille vos, sed vos illum pascere debetis, illi victum, subsidium, eruditionem præbere, & si opus fuerit, pro illo etiam vitam vestram impendere: *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*, Joan. 10. 15.

Complures legunt [2], *neque dominantes in Clero*; atque hoc intelligunt tanquam interdictum, quo S. Petrus prohibet, Episcopos imperium suum exercere in Clerum, in Sacerdotes, Diaconos, aliosque Ministros sibi subordinatos. Prohibet illos aliquid exigere ultra obedientiam, quæ secundum Leges Canonicas ipsis debetur; plurimi enim fortasse sunt, de quibus dici posset, quod aliis non ferenda onera imponunt, quæ ipsi neque extremo digito vellent attingere.

Vosmet exhibere debetis Ovium vestrarum exemplar solida virtute, & quæ vere ex animo proficiscatur: *sed forma* [3] *facti gregis ex animo*. Ita S. Paulus Philippensibus sese in exemplum proponebat c. 3. 17. *Imitatores mei estote, fratres, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram*. Et scribens ad Timotheum [4] Ephesi Episcopum ait illi: *exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*. Et item ad Titum Cretensem Antistitem c. 2. 7. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate*. *Quicumque Prælatus*, S. Hieronymus inquit in ep. ad Tit. c. 11. *sit instar archetypi, sive primariæ formæ, ex qua viva virtutum simulacra lineamentis vitæ honestæ in se translata exprimuntur*: & ep. 2. ad Nepotian. *Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent*; & quod verbo docet, opere compleat.

℣. 4. CUM APPARUERIT PRINCEPS PASTORUM] Jesus Christus. Judicii die, vos, qui estis illius Vicarii, & quibus tradidit curam gregis sui, *percipietis immarcescibilem gloriæ coronam*, longe aliam a coronis Athletarum, quæ statim exarescunt; vestra enim incorruptibilis erit, atque æterna. Græca vox [5] *Amarantinon* immarcescibilis, significare etiam potest coronam ex amaranto confectam, genere floris, qui nunquam emoritur [5], & qui nonnunquam in Athletarum coronis adhibebatur.

℣. 5. SIMILITER ADOLESCENTES SUBDITI ESTOTE SENIORIBUS.] Adolescentum nomine intelligit non eos solum, qui natu minores sunt, sed generatim eos omnes, qui Ecclesiastico munere non sunt decorati, neque Sacerdotum, vel Seniorum nomine, de quo superioribus versiculis sermo fuit, continentur. Quidam [7] vocem hanc coarctant ad ministeria, & inferiores ordines Ecclesiæ. Sed prior explicatio mihi magis litteralis videtur [8].

OMNES AUTEM INVICEM HUMILITATEM INSINUATE.] Hoc spectat ad omnes fideles cum superiores tum subditos, cum Episcopos & Pastores, tum Laicos & Oves. Græcus [9] ad litteram: *cum sitis alii aliis subjecti, involvite vos* tanquam pallio honoris, & quasi magnifica veste, [10] *sensibus humilitatis*. Quidam [11] hoc explicant de vili indumento, & servorum proprio: Involvite vos humilitate, tanquam panno, qui vos contemptibiles efficiat in oculis Mundi. Græcæ voces *combos*, *comboma*, *encombosasthai* in omnibus his variis sensibus apud Græcos Auctores inveniuntur.

DEUS SUPERBIS RESISTIT, HUMILIBUS AUTEM DAT GRATIAM.] Hæc sententia desumpta est ex proverbiis Salomonis 3. 34. ubi secundum Vulgatam legimus: *ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam*. Sed septuaginta S. Petro conformes sunt. Hanc eamdem sententiam vidimus jam in Epistola S. Jacobi 4. 6. eamque non semel docuit in Evangelio *Jesus Christus* [12]: *qui se exaltaverit, humiliabitur; & qui se humiliaverit, exaltabitur*. Deus superbis resistit, illos humiliat, & sæpe in oculis hominum contemptibiles efficit. Illis eas denegat gratias, quas contemnunt, vel quas minime petunt; cum interim exaudiat humilium preces, illos sua gratia prævertat, eorum fidem remuneretur, eos sæpe in hoc Mundo, semper vero in beata æternitate cumulet gloria. Græcus significat [13] Deum quodammodo sese armare veluti contra inimicum gloriæ suæ; *tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam spirituale certamen*, ait S. Ambrosius in Psal. 118. octon. 7.

℣. 6. HUMILIAMINI IGITUR SUB POTENTI MANU DEI, UT VOS EXALTET IN TEMPORE VISITATIONIS,] hoc est die mortis, vel Judicii, vel liberationis; cum veniet Deus, opera singulorum ad trutinam revocaturus; hoc enim visitationis nomen passim in Scriptura significat [14]. Si ad veræ magnitudinis apicem pervenire vultis, humiliamini sub manu Omnipotentis, illius imperia adorate, voluntatibus obtemperate, providentiæ suæ legibus vosmet submittite; coram illo fatemini, vos nihil posse citra opem illius, salutem vestram esse in manibus ejus; & humiliamini etiam sub eorum potestate, quos ille vobis præposuit. Hæc omnia propter Deum facite humiliter de vobismet ipsis sentientes, quemadmodum decet vestram infirmitatem: *humilitas virtus est, qua quis ex verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit*, ait S. Bernardus [15]. Græcus [16] typis editus hic non ait *visitationis*, sed tantum *in tempore*: verum *visitationis* legitur in plurimis Mss. Græcis, Æthiope, Cophto, & in exemplaribus Latinis. Locus hic concinnatus videtur ad lucernam illius, qui est in Proverbiis 29. 23. *superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria*. S. Jacobus in eodem sensu ait c. 4. 10. *humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos*.

℣. 7. OMNEM SOLLICITUDINEM VESTRAM.] Deus est Pater vester, & pastor, quid vobis est metuendum? Ille vestri curam gessit, antequam essetis; numquid modo vos deseret, quos creavit [17], qui illi placere quæritis, qui in illius providentia confiditis, qui se-

cundum

1 Deut. 4. 20. 9. 29. Deut. 32. 9. 1. Petri 2. 9.
2 Septima Synod. General. can. 4. Hieronym. Ep. 2. ad Nepotian. Bern. Epist. 237. Alii.
3 Ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου. *Sed formæ facti gregis*. Ita legunt plures Codd. Mss. Latini. Est Græca non legunt: *Ex animo*. Sed legit Hieron. Ep. 2. ad Nepotian.
4 1. Timoth. 4. 12.
5 Plin. lib. 20. cap. 8. *Summa ejus natura in nomine est; appellata quoniam non marcescat*.
6 Philostrat. apud Grot. hic.
7 Cajet. Salmeron. Arias, Cornel. Men. &c.
8 Beda. Est. Hessel. Grot. Cajet. Carthus. alii.
9 Πάντες δὲ ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε. Quidam omittunt: ὑποτασσόμενοι. Ita Alex. Cov. 4. Barb. 1. Genev. Sor Antiochus homil. 109. & pro, ἐγκομβώσασθε. Complut. legit, ἐγκομβώσασθε. Alex. ἐγκομβώσατε. Oecumen. Τουτέστι, ἐνειλήσασθαι, περιβάλεσθαι.
10 Vide Suid. in Κομβώματα, Gataker. Cinn. lib. 1. cap. 9.
11 Vide Grot. Hamm. Ex Pollux. Onomast. lib. 4. cap. 18.
12 Matth. 23. 12. Luc. 14. 2. 18. 14.
13 Ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται.
14 Sap. 2. 20. 3. 7. 9. 13. 4. 15. 15. 11. 19. 14. Eccli. 16. 19. 18. 20. 23. 31. 37. 19.
15 Bernard. de Gradib. humilitatis.
16 Ἵνα ὑμᾶς ὑψώσῃ ἐν καιρῷ. Alii: Ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς, Steph. 8. 10. Alex. Cov. 2. Petit. 2. Lin. Colb. 7. Copht. Æth. Colon. & Hieronym. in Isai. 49.
17 August. in Psal. 39. 18. *Dominus qui habuit curam tui antequam esses, quomodo non habebit curam, cum jam hoc es, quod voluit ut esses? jam enim fidelis es, &c.*

eundum illius imperium [1] de futuro solliciti non estis? At si illum vestri curam gerere cupitis, vos ipsi vestri curam gerite, & in id animum, ac mentem transmittite, ut illi ea, quam postulet, fide inserviatis: *nunquam tibi deest, tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse* [2]. Prohibet supervacaneas omnes sollicitudines, non autem justas, & æquas [3].

℣. 8. SOBRII ESTOTE, ET VIGILATE.] Vitam traducite in sobrietate, modestia, temperantia (Græca enim vox [4] hæc omnia significat) & in vigilantia atque attentione preces effundite: *quia adversarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret*. Jesus Christus est pastor vester, vos collocavit in ovili Ecclesiæ suæ. Donec mandatis illius obtemperaveritis, carne, & verbo illius vosmet alueritis, & vixeritis ea in vigilantia, quam vobis commendat; adversarius vester *diabolus*, calumniator ille, qui vos ad Dei tribunal accusat [5], leo ille rugiens vobis nocere non poterit, nec vos lacessere, nisi volueritis, ac vosmet illi tradideritis [6]. *Diabolus, si aliquid suggerit, consentientem tenet, non cogit invitum*. At si ab unitate recesseritis, si pastorem vestrum reliqueritis, si vosmet tradideritis in desideria carnis, intemperantiam, & negligentiam; quam primum in dæmonis potestatem decidetis.

℣. 9. CUI RESISTITE FORTES IN FIDE.] Hæc sunt arma, quæ Mundum dæmonemque vincunt, fides videlicet nostra: *hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra* 1. Joan. 5. 4. Hoc illud est *scutum fidei, quo possumus omnia tela nequissimi ignea extinguere*, Ephes. 6. 16. Fides nobis aperit & bona, quæ sperare, & mala, quæ evitare, & artes, quas exercere debemus, ut hostibus nostris resistamus. Illa nobis & confidentiam in Deo, & spiritum precum, & vigilantiam, & salutem inimicorum salutis nostræ timorem immittit.

SCIENTES EANDEM PASSIONEM.] Scientes, fratres vestros in toto Terrarum orbe diffusos iisdem afflictionibus, ac vos obnoxios esse. Ita cum illis unum ut ita dicam exercitum componitis, communi hosti vim inferentem. Ne despondeatis igitur animos, quasi soli essetis in prælio; dux vester est Jesus Christus, omnes fratres vestri in omnes Terras effusi vobiscum simul deprælientur: æquum ne esset, ut vos inertes essetis, cum interim universa Jesu Christi Ecclesia in omnes Orbis plagas effusa manus conferit adversum Mundum, carnem, dæmonem, errorem, peccatum, persecutiones? Græcus [7] legit: eandem passionem *absolvi* in fratribus vestris; quasi innueret, vel hæc mala non fore diuturna, vel illa in Dei imperio, & decretis esse, & hoc in Mondo adimpleri, & absolvi, vel singulos fideles in semet quodammodo perficere ea, quæ desunt passionum Christi, quemadmodum loquitur S. Paulus [8]. Videlicet fidelibus imitanda esse ea, quæ pertulit Jesus Christus, pro illius amore, & ad exemplum illius.

℣. 10. DEUS AUTEM OMNIS GRATIÆ.] Deum objecto omnis gratiæ, bonorum omnium, omnium perfectorum donorum [9], & præstantissimarum gratiarum [10] Auctorem: Deum clementiæ & misericordiæ refertissimum, qui vos evocavit ad fidem, vobisque contulit Spiritum Sanctum suum; qui *modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque*. Perficiat in vobis, quod ibi sua gratia inchoavit; in afflictionibus confirmet vos, adsit in tentationibus, in bono, & in gratia vos ipsos communiat, & perseverantiæ donum vobis concedat; ut

A perveniatis ad gloriam, & mereamini coronam, quæ iis tantum conceduntur, qui ad finem usque dimicaverint; *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*, 2. Tim. 2. 5.

℣. 12. PER SILVANUM.] Quidam [10] ea verba, *ως λογίζομαι*, referunt ad Silvanum, qui mea quidem sententia unus est ex fidelibus fratribus vestris. Hic mihi visus est fidelissimus, & vestri amantissimus, & credidi, me hanc illi Epistolam committere posse. Existimat Grotius, S. Petrum loqui velle de alia Epistola, quam antea ad illos scripserit, & miserit per Silvanum. Arbitror, memini, alias jam brevi ad vos per Silvanum scripsisse: sed prior explicatio probabior est. Commentitiam hanc Epistolam, de qua Grotius verba facit, nemo novit, & dicens, Silvanum sibi visum fuisse fidelem, de illius fidelitate non nihil dubitasse videretur. Silvanus idem est, ac *Silas*, de quo in Actis Apostolo- B rum 15. 40. 16. 19. & S. Paulus etiam nonnunquam in Epistolis suis verba facit [12].

CONTESTANS HANC ESSE VERAM GRATIAM DEI.] veram religionem [13], veram salutis viam, eam esse, quam vobis annunciavimus, quam vos recepistis, in qua perseveratis [14], licet tot in vos excitentur persecutiones; quas jure existimatis veluti Dei beneficia, & experimenta, quibus vos in sua charitate confirmat, & ad beatam æternitatem adducit.

℣. 13. SALUTAT VOS ECCLESIA, QUÆ EST IN BABYLONE COLLECTA.] Istic Babylonis nomine cum veteribus [15] & recentioribus omnibus, qui in Romana communione permanserunt, intelligimus Urbem Romam. Nemo ante Calvinum in dubium revocaverat iter S. Petri in eam Urbem, neque Ecclesiæ Romanæ primatum C super cæteras Mundi Ecclesias. Hoc autem fusius in peculiari dissertatione probavimus. Grotius quoque in hunc locum fatetur, sub mutuato Babylonis nomine Urbem Romam veteres intellexisse, & in eorum sententiam concedit, ac palam ait, neminem Christianum negasse, S. Petrum Romam venisse. S. Joannes etiam in Apocalypsi 17. 5. & 18. 10. Romam Babylonis nomine appellat.

S. Petrus ait, Babylonis Ecclesiam *coelectam* fuisse, hoc est, quemadmodum & ipsos electam, non autem simpliciter *collectam*, uti legunt quædam exemplaria [16]. Græcus [17] non legit Ecclesiam; sed eam Syrus, Arabs, Æthyops, Oecumenius cum vulgata legunt. Fideles Romæ, qui æquo, ac vos a Deo electi fuerunt [18], & ad fidem evocati de medio Gentium infidelium, vel Judæo- D rum, qui in obduratione sua occalluerunt, vos salutant, & omnia bonorum genera vobis precantur.

Millius non admittit hoc loco nomen *Ecclesia*, & Græcam vocem *Syneclecte* intelligit tanquam epithetum Christianæ alicujus mulieris, qualis est illa, quam S. Joannes in secunda Epistola ℣. 1. & 13. electam appellat: vel etiam hanc arbitratur esse S. Petri uxorem, quam ille in itineribus suis, ut plurimum, secum adducebat, teste ipso Paulo [19], & quæ cum fuisset simul cum viro suo in Ponto, Galatia, aliisque locis, ubi prædicaverat, a fidelibus earum Provinciarum cognosci poterat. Igitur ex hujus Auctoris sententia ita vertendum esset: Uxor E mea, quæ mecum est Babylone, & quæ a Deo electa fuit, æque ac ego, vos cum Marco salutat. Sed hæc sententia nimis singularis est, neque admittenda, quippe quæ infirmissimis incumbens conjecturis, laborat. Veritati consonum non est, S. Petrum, qui adhuc ne unum

1 Matth. 6. 25. 26. & seq. 2 August. loc. citato. 3 Vide Hieronym. & alios in Matth. 6. 25.
4 Νήψατε, γρηγορήσατε. 5 Job. 1. Apoc. 12. 10. Joan. 8. 4. 44. 6 Aug. serm. 32. cap. 11.
7 Τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων τῇ ἐν κόσμῳ ὑμῶν ἀδελφότητι ἐπιτελεῖσθαι.
8 Coloss. 1. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*. 9 Jacobi 1. 17.
10 *Omnis gratiæ*, id est, *perfectæ gratiæ*. Hugo. Cathar. Salmer. Cornel.
11 Ligfoot. Camer. Piscat. 12 2. Cor. 1. 19. 1. Thess. 1. 1. 13 Est. Grot. Menoch. Cornel. alii passim. 14 1. Cor. 15. 1. *Notum vobis facio Evangelium quod prædicavi vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salvamini*.
15 Vide Papiam Joannis Evangel. Discipulum apud Euseb. lib. 2. cap. 15. Histor. Eccles. Hieron. in Marco & Ep. 17. & alibi sæpius. Alii plures. Beda, Oecumen. hic. Grot. hic. Veteres (quibus assentior) Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse nemo Christianus dubitavit. 16 Sixti V. edit. Et alii quid.
17 Græc. Ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή. 18 Ita Est. Grot. Drus. Menoch. Gerhard. Hammond.
19 1. Cor. 9. 5. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?*

unum quidem attulit de Uxore sua verbum, eamdem generali nomine *coelectam* appellare. Cur autem diceret, uxorem suam esse Babylone, si verum est, quemadmodum supponitur, illam Apostolum hunc in omnibus itineribus fuisse subsequutam? Dicere satis fuisset: Uxor mea vos salutat; simul sumus Babylone; pro, *quæ est in Babylone coelecta salutat vos*. Ad hæc *electæ* nomen in 2. S. Joannis Epistola potest fortasse innuere Ecclesiam, ad quam sanctus ille Apostolus scribebat, quemadmodum in Præfatione in illam Epistolam animadvertimus.

Et Marcus filius meus.] Nemo ambigit, quo minus hic sit S. Marcus Evangelista [1], qui discipulus, socius, immo atque Interpres S. Petri fuit. Hunc filium vocat, quia a se conversum, & eruditum, atque unum ex præcipuis discipulis suis. Sin autem scire cupis, quinam hic esset Evangelista, adi nostram in S. Marci Evangelium Præfationem.

℣. 14. Salutate invicem in osculo sancto.] Græcus [2]. *In osculo benevolentiæ*. Sed Syrus, & Græci quidam MSS. Vulgatæ similes sunt. Vidimus in S. Paulo [3] fideles nonnunquam ultro, citroque sibi pacis osculum dedisse cum ad illos afferebantur ab Apostolis litteræ, ut mutuam innuerent charitatem, & in eisdem sententiis, eademque fide unanimem, conflatumque consensum ostenderent. Osculamini invicem, quemadmodum ego vos osculor, & me oscularemini, si apud vos adessem.

Gratia omnibus vobis.] Utinam perseveretis in gratia Dei, & magis, magisque gratiæ, & benedictionis ejusdem incrementum mereamini. Græcus [4] *pacem* legit pro *gratia*.

In Græcis exemplaribus ad hujus Epistolæ calcem legimus ea, quæ sequuntur, *prima Catholica S. Petri Epistola* scripta fuit in ℣℣. 236. vel secundum alios 232. Quædam etiam exemplaria [5] eam Romæ scriptam fuisse testantur.

1 Ita plerique omnes. Est. Grot. Ligfoot. &c. Origen. apud Eusch. lib. 6. cap. 25. Hist. Eccl.
2 Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἀγάπης. Alii: Ἐν φιλήματι ἁγίῳ. Ita Steph. 3. MSS. Colleg. novi. 2. Barb. 2. Velez. Vulg. Syr. 3 Rom. 16. 16. 1. Cor. 16. 20. 2. Cor. 13. 12. 1. Thessal. 5. 26.
4 Εἰρήνη ὑμῖν πᾶσι. Beda. Gratia. 5 Ita Oecumen. Covel. 2.

Finis Commentariorum in primam S. Petri Epistolam.

PRÆFATIO

IN SECUNDAM S. PETRI EPISTOLAM.

Postquam S. Petrus primam suam Epistolam inter annum 45. & 50. Romæ, ut paulo ante ostendimus, exaratam miserat, in Palæstinam rediit, & anno 51. in Concilio Jerosolymis coacto Fideles jugo Legis non esse obstringendos pronunciavit, in quam sententiam S. Jacobus concessit, eique veluti a Spiritu S. decisæ Concilium omne subscripsit. Cœtu dimisso, S. Apostolus, ut ex Epistola ad Galatas 2. 12. constat, Antiochiam migravit. Quid vero deinde usque ad iter, quo Romam ultimo perrexit, singillatim præstiterit, ignoramus. Romam demum a Spiritu S. perductus, ut coram Nerone Fidei veritatem assereret, & Simonem Magum præstigiis suis plurimos seducentem retunderet, Paulum eo recens [1] profectum nactus est; statimque miraculis & prædicationibus huic Evangelii hosti oppugnando uterque incubuere [2].

Hanc secundam Epistolam Romæ scripsisse credimus; quamvis enim neque carceris, neque vinculorum meminerit, nihilominus postquam, ut Neronis persecutioni se subduceret, Roma discedens, Christum obvium habuerat, eam dedisse vero prorsus simillimum judicamus. Cum ad portas Urbis jam pervenisset, in Christum sibi occurrentem incidit: illum vero, quonam tenderet, interrogans, respondentem audiit: *Vado Romam iterum crucifigi* [3]. Horum verborum sensum illico assequutus, mortem sibi pro Deo citissime obeundam intellexit. Cui quidem visioni forte alludens scribit [4]: *Velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Jesus Christus significavit mihi*. Mox ab Ethnicis comprehensus, post toleratum novem mensibus carcerem, anno Christi 66. Crucis supplicio sublatus, Martyrium consummavit [5].

In hac secunda Epistola etiam atque etiam Fideles hortatur, ut nihil ea curantes, quæ a pravis Doctoribus vel doctrina vel exemplis docebantur, bonorum operum exercitio inhæreant. Quæ alias edocuerat, in eorum memoriam revocat; proximam suam mortem prænunciat; ut patientes in persecutionibus maneant, & sacris legendis Scripturis assidue incumbant, cohortatur. Pravos ejus ætatis Doctores in Ecclesia turbas creantes nigris coloribus pingit. Judicii postremi diem, & hominum resurrectionem impugnantes refutat. De Pauli Apostoli Epistolis meminit, easque laudibus prosequutus, una cum aliis Scripturis in pravum ab aliquibus detorqueri testatur, ut errores suos protegerent, bonorum præsertim operum inutilitatem, & libertatem nimiam, qua ad plura Legi adversa perpetranda, fratrum in fide adhuc infirmorum offensione, abutebantur.

S. Gregorius Magnus in Ezech. hom. 18. hanc Epistolam ab aliquibus, qui Cepham a S. Paulo Antiochiæ increpatum [6] a S. Petro secernunt, Cephæ eidem adscriptam refert, & nos hanc opinionem valide retundit. Eam sententiam, quæ hanc Epistolam Petro adimit, a remotiori fonte hausisse se Grotius ostentans, pro ea stare autumat Veteres illos, qui eamdem a Scripturis Canonicis rejecerunt; quod utique, si ejus Authorem Petrum nossent, minime præstitissent. Ejus stilum a prima longe alium, eamque va-

1 Ann. Christ. 65. 2 Vide Tillemont. S. Petri art. 13. 24. 3 Ambros. serm. 68. Origen. 6. L. in Joan. to. 2. p. 298. & 292. Gregor. Magn. ser. 8. in Psal. 102. 4 2. Petr. 1. 14. 5 Hæc epocha a quibusdam rejiciuntur. Vide Tillemont. not. 40. in S. Petr. 6 Galat. 2. 11.

rietatem ab Eusebio [1], & ab Hieronymo [2] agnitam affirmat. Quod præterea postremam Judicii diem proximum esse loca Author meminerit, post Jerosolymæ eversionem scriptam asserit; huic enim eversioni judicium præiturum nemo unquam putavit; adeoque a Petro datam negat, qui Nerone imperante Crucis supplicio interiit. Porro sub Trajano, & forte a Simone vel Simeone Jerosolymorum Episcopo, S. Jacobi Minoris successore, exaratam autumat. Quædam denique, a quibus S. Petrus ejusdem Author perspicue ostenditur, eidem addita ab iis ponit, qui veluti ab Apostolo Petro scriptæ authoritatem adjungere satagebant.

A' Veterum plurimis in Sacrorum Librorum Canone hanc Epistolam minime recensitam fatemur. Quidam falsam, Didymus vitiatam [3], Origenes in Jo. p. 88. incertam appellant. Eusebius unicam tantummodo Epistolam a S. Petro certo scriptam, & a Veteribus allegatam testatur hist. Eccl. l. 3. c. 3. & 25. S. Amphilochius apud Gregor. Nazianz. Carm. 125. sua ætate, an Petri fuerit, dubitatum refert; cujus discrimen ab Hieronymo etiam producitur.

Verum canonicæ authoritatis urgumenta per semetipsam præfert. Nihil S. Petro indignum, nihil ejus spiritui, & dignitati incongruum, nihil ejusdem ætatis circumstantiis adversum complectitur. Hujus Apostoli nomine inscribitur [4]: ab aliquo ex tribus Apostolis, qui Domini Transfigurationi adfuerunt, conscripta est [5]; primam denique S. Petri Epistolam, veluti ab eodem Authore contextam, inducit [6]; *Hanc ecce vobis secundam scribo Epistolam*. Loca omnia, de quibus apud Grotium suspicio, in omnibus vetustis Mss. recensentur. Origenes in Josue hom. 7. eam veluti S. Petri allegat. Novatianus lib. de Trinit. c. 8. Tertullianus coævus Epist. 75. S. Cyprianus, S. Justinus Martyr Dialog. cum Tryphon. vel eamdem citant, vel eidem alludunt. S. Judas in sua Catholica Epistola eadem hujus verba veluti ab Apostolis prænunciata laudat [7]: *Memores estote verborum, quæ prædicata sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores &c.* Quæ quidem in tertio hujus capite legenda sunt.

S. Cyrillum Jerosolymitanum [8], S. Athanasium [9], S. Gregorium Nazianzenum [10], S. Epiphanium, S. Hilarium [11], S. Augustinum [12], S. Ambrosium [13], S. Hieronymum [14], Facundum, Salvianum, S. Macarium, Laodicense Concilium [15], Carthaginense tertium [16], & cæteros deinde omnes, qui SS. Librorum Catalogum exhibent, hic producere supervacaneum ducimus, cum inter omnes de canonica hujus Epistolæ authoritate omnino conveniat. Si igitur de ejus canonica authoritate constat, de ejus Authore Petro etiam compertum; si enim S. Apostolus eam non dedit, necesse est scripserit nequissimus illusor. Ab aliquibus Syriacis Exemplaribus idcirco non affertur, quod de ea olim ambigeretur. Cæterum in aliis Syrorum exemplaribus utique recensetur. S. Ephrem [17], & S. Joannes Damascenus, uterque Syrus, eamdem allegant; & Damascenus præterea [18] inter Canonicos Libros enumerat.

Stili varietatem ab Hieronymo animadversam, e qua Grotius S. Petro eam adimendi argumenta depromit, Critici peritiores vix advertunt [19]; cujus etiam causam S. Hieronymus [20] in varios Interpretes refert; modo enim Petrus Glauciam [21], modo S. Marcum adhibebat. S. Marcus tum Petri comes Romæ erat, cum primam scripsit [22]. Roma vero aberat, cum alteram dedit.

Quod ad illud Grotii attinet, eam nempe post Jerosolymæ excidium a Simone Hierosolymitano esse exaratam, nil utique est, cur serio refutetur, cum validis nullis urgumentis innitatur. Loca, quæ in Author in Veteribus Mss. investigari cupiebat, ab iis omnibus, quæ solertissime Millius consuluit, expresse afferuntur.

Nos cum Interpretum plerisque ad Hebræos Fideles, ad quos S. Petrus primam dederat, & hanc missam putamus; quod S. Apostolus satis insinuat, cum scribit [23]: *Hanc ecce vobis secundam scribo Epistolam*. Eos præterea veluti Scripturarum peritos, & Prophetarum studio addictos alloquitur [24]. Author Libri *Promissionum*, quem S. Prospero tribuunt [25], *Epistolam ad Gentes* hanc vocat; & Author Sermonis de *Cataclysmo*, seu *Diluvio*, S. Augustini Operibus inserti [26], *secundam S. Petri ad Gentes Epistolam* appellat. Sunt qui putent [27], per hanc Epistolam utrosque affici posse & Ethnicos, & Hebræos; iisque ducuntur verbis [28]: *Simon Petrus Apostolus Jesu Christi iis, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt Fidem*, quibus Ethnicos æque ac Hebræos ad Fidem traductos designari volunt. Ea vero pronius quidem de Hebræis, qui tot inter pervicaces Judæos Fidei felicitatem consequuti fuerant, explicantur.

---

1 Nil ea de re apud Euseb. l. 3. c. 3. & 25. hist. Eccl. 2 Hieronym. de Vir. Illustr. c. 1. *Scripsit duas Epistolas, quæ Catholicæ nominantur, quarum secunda a plerisque ejus esse negatur propter stili cum priore dissonantiam.*
3 Didym. Comment. in hanc Epist. ad finem. *Non est ignorandum, præsentem epistolam esse falsatam: quæ licet publicetur, non tamen in Canone est.* 4 2. Petr. 1. 1. 5 2. Petr. 1. 18. 6 2. Petr. 3. 1.
7 Jud. vers. 17. Confer 2. Petr. 3. 3. cum Judæ vers. 18. 8 Cyril. Catech. 4. 9 Athanas. Synops. & orat. 2. contr. Arian. 10 Nazianz. Carm. 4. 11 Hilar. l. 1. de Trinit.
12 August. l. 2. c. 8. de Doctr. Christ. 13 Ambros. de Incarnat. c. 8.
14 Hier. l. 1. c. 24. contr. Jovinian. 15 Concil. Laodic. c. 60. 16 Concil. Carthag. 3. c. 47.
17 Ephrem. ser. contr. impudic. 18 Damasc. l. 4. c. 18. de Fide orthodoxa. 19 Magdeburg. Gemar. Gerhard Cajet. Est. Cornel. alii. 20 Hier. *Duæ Epistolæ, quæ feruntur Petri, stylo inter se & charactere discrepant, structuraque verborum; ex quo intelligimus pro necessitate rerum diversis eum usum Interpretibus.*
21 Clem. Strom. l. 7. p. 674. 22 1. Petr. 5. 13. 23 2. Petr. 3. 1. 24 2. Petr. 1. 19. 20.
25 Prosper. seu alius Promission. l. 4. c. 2. 26 Vide apud August. tom. 6. nov. edit. pag. 606.
27 Quidam apud Est. hic. 28 2. Petr. 1. 1.

COM-

COMMENTARIUM LITTERALE IN SECUNDAM SANCTI PETRI EPISTOLAM

CAPUT PRIMUM.

Dona Dei fidelibus concessa. His laborandum est in bonorum operum exercitatione, quæ certam faciunt salutem. S. Petrus proximam sibi mortem prædixit, & ait: se JESU CHRISTI gloriam in illius trasfiguratione vidisse.

1. SImon Petrus, servus, & Apostolus Jesu Christi, iis, qui coæqualem nobis-
cum sortiti sunt fidem in justitia Dei nostri, & Salvatoris Jesu Christi. 2
Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Jesu Domi-
ni nostri: 3 Quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, & pie-
tatem donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria, & vir-
tute, 4 Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc effi-
ciamini divinæ consortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ
corruptionem: 5 Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra
virtutem, in virtute autem scientiam, 6 In scientia autem abstinentiam, in absti-
nentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, 7 In pietate autem amorem
fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. 8 Hæc enim si vobiscum
adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri
Jesu Christi cognitione. 9 Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu
tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. 10 Qua-
propter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, &
electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. 11 Sic enim
abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, & Sal-
vatoris Jesu Christi. 12 Propter quod incipiam vos semper commonere de his: &
quidem scientes, & confirmatos vos in præsenti veritate: 13 Justum autem arbi-
tror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: 14 Cer-
tus, quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster
Jesus Christus significavit mihi. 15 Dabo autem operam, & frequenter habere vos
post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. 16 Non enim doctas fabulas se-
cuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem, & præsentiam: sed
speculatores facti illius magnitudinis. 17 Accipiens enim a Deo Patre honorem,
& gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est filius meus
dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. 18 Et hanc vocem nos audivi-
mus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. 19 Et habemus
firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucen-
ti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.
20 Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatio-
ne non fit. 21 Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed
Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

℣. 1. SIMON [1] PETRUS, SERVUS, ET APOSTOLUS.] Simon est Hebræum S. Petri nomen; *Cephas* vero nomen est Syriacum, illi a Jesu Christo impositum [2]. *Petrus* nomen est Græcum, *Cephas* respondens. Se ipsum vocat *Servum, & Apostolum Jesu Christi*; servum, quod illi cum cæteris Christianis est commune. Apostolum, quod illum a reliquis fidelibus distinguit, & quod magnum tribuit pondus suis sermonibus, atque præceptis. S. Petrus ubique de se modestissime loquitur, & licet esset Princeps Apostolorum, numquam tamen hoc se nomine appellavit.

IIS, QUI COÆQUALEM.] Græcus legit: *Iis, qui receperunt fidem æque pretiosam, ac illam, quam nos ipsi recepimus*. Fideles omnes eamdem habent fidem, quo ad objectum; omnes eadem credunt mysteria; eamdem sperant mercedem; ad eumdem scopum collimant, eadem habent fidei argumenta. Jesus Christus illos omnes æque gratuito vocavit; omnes vocavit *in justitia*, vel per meritum justitiæ suæ, vel ut illis traderet justificantem gratiam, quæ per fidem, & baptismum acquiritur; vel denique, *per justitiam suam*, hoc est, *per suam misericordiam*: misericordia enim in Scripturis sæpe justitiæ nomine designatur [3].

DEI NOSTRI, ET SALVATORIS JESU CHRISTI [4].] Hæc verba distincte designant Jesu Christi Divinitatem. Ipse Deus noster est, atque Salvator.

℣. 2. GRATIA VOBIS, ET PAX.] Vobis nequaquam desidero pacem, gratiam, posteritatem fluxam, atque temporalem; sed gratiam Cœli, & pacem cordis cum fidei vestræ incremento, vestra progressione ad fidem, & cognitione in dies perfectiori veritatum Religionis, & mysteriorum Jesu Christi. Verbo, utinam semper magis in officiorum vestrorum cognitione, in eorum exercitatione, in gratia, & justitia proficiatis.

℣. 3. QUOMODO OMNIA NOBIS.] Quomodo Divina Potentia Jesu Christi ea omnia nobis contulerit, quæ ad vitam, & pietatem pertinent, efficiant, ut Deum cognosceremus. Ita ℣. 4. nobis communicavit gratias, quibus nos Divinæ effecit naturæ participes, si concupiscentiæ corruptionem vellemus effugere. S. Petrus hoc in loco distinguit *potentiam Jesu Christi* nos vocantis ad fidem, *bonitatem* ejus, quæ nobis communicavit eas cognitiones, quæ vitam animæ possent conferre; *justificantem illius gratiam*, quæ nos participes efficit naturæ divinæ, dummodo fugiamus corruptionem concupiscentiæ, quæ una irritas efficere potest ejus gratias, & dona, si illius motum sequamur. Ideo ℣. 5. *vos curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam*. Conjungendi sunt simul hi versiculi 3. 4. 5. ut sensus completus sit.

S. Petrus fidelibus ait, illos beatissimos esse, quod Jesus Christus per Omnipotentem clementiam suam eos vocavit ad fidem, gratiam, atque justitiam. Sed ne dona irrita fiant, duo illis esse facienda: primum quidem concupiscentiæ studiis resistendum; secundo vero in praxim redigenda ea, quæ luminibus fidei, & Evangelii didicerunt: hæc est summa trium horum versiculorum, quorum sensus ad octavi usque finem suspensus est, & quorum stylus est impeditior propter synonyma, & epitheta, quibus sunt cumulati.

Ait autem ℣. 3. Jesum Christum nos evocasse *propria gloria, & virtute* [5]. Conversio nostra effectus est gloriosissimæ virtutis illius, suam gloriam, suamque Omnipotentiam in nostra vocatione maxime ostendit: nos convertit splendore miraculorum, quæ ob oculos nostros operatus est, lumine, quod menti nostræ affulsit, gratia, qua corda nostra replevit.

℣. 4. PER QUEM MAXIMA.] Per illum, per Deum Patrem suum, per gratiam, & misericordiam suam Jesus Christus *maxima, & pretiosa nobis promissa donavit*. Alii ita intelligunt: Deus nos cumulavit per Jesum Christum Filium suum iis favoribus, qui nobis fuerant promissi. Græcus [6]; *per hæc* nobis ingentes tradidit promissiones; per gloriosam hanc Jesu Christi potentiam; vel per illius gloriam, potestatem, miracula, & prædicationem. Vel simpliciter: ideo nobis donavit magna hæc fidei, gratiæ, justitiæ, adoptionis beneficia.

EFFICIAMINI DIVINÆ CONSORTES NATURÆ.] Consortes efficimur naturæ divinæ per fidem, gratiam, unionem, quam habemus cum Jesu Christo, per qualitatem filiorum Dei, quam ille nobis promeruit, per præsentiam Spiritus Sancti in nobis inhabitantis, per similitudinem, quam habemus cum Jesu Christo, per exercitationem virtutum, quarum ille nobis tribuit exemplum; at perfectius naturæ divinæ participes erimus in altera vita, cum illum facie ad faciem videbimus [7], & in ipsum transformabimur [8]: *revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu*.

FUGIENTES EJUS, QUÆ IN MUNDO EST, CONCUPISCENTIÆ CORRUPTIONEM.] Frustra recepistis pretiosa hæc dona, de quibus sermo fuit; si obsequimini concupiscentiæ, quæ in Mundo regnat, ambitioni, avaritiæ, vanæ curiositati, voluptatum amori. Quamprimum exuemini omnibus vestris prærogativis, similitudine, quam cum Deo habetis; & spe beatæ æternitatis, quam præstolamini. Non potestis simul duobus dominis servire, Matth. 6. 24. si Mundum sequimini, sequi non potestis Jesum Christum: corruptus quidem Mundus est sub Dæmonis potestate, 1. Joann. 5. 19. Jesus Christus vero suum imperium in illos exercet, qui carnem suam una cum incompositis cupiditatibus crucifixerunt, Galat. 5. 24.

℣. 5. VOS AUTEM CURAM OMNEM SUBINFERENTES.] Nihil vobis fides prodesset sine virtutis exercitatione. Deus vos vocavit, vos justificavit, vos interioribus, atque exterioribus donis suis cumulavit; Vestrum nunc est, illius bonitati cooperari. Vobis fidem tribuit; petit, ut & bona opera addatis: non renuet ille vobis auxilium suum; sed opus est, ut fideliter utamini iis adminiculis, quæ ad vestram sanctificationem vobis suppeditavit. Ille vos lumine replevit: vestrum est secundum illud vitæ rationem instituere.

IN VIRTUTE SCIENTIAM.] Multum est exercere virtutem; & parum est eamdem exercere sine cognitione, atque prudentia, sine qua virtus jam non est virtus [9]. Prudentia, ut ita dicam, virtutis currum agit [10], cui si minime præsit, periculum est, ne subvertatur, & in præcipitium ruat. Aliter [11]: addite *scientiam virtuti*. Scientiam mysteriorum Jesu Christi, & officiorum Christianæ Religionis, exercitationi virtutis. Virtus sine scientia est veluti cæcus ambulans, qui nesciat, quo vadat.

℣. 6. IN SCIENTIA AUTEM ABSTINENTIAM [12].] Morum scientia ultro ad temperantiam adducit. Salomon ait, Eccle. 2. 3. se tunc a vino abstinere decrevisse, cum studio sapientiæ vacare decrevit. Non exigua jam sapientia est intelligere, escæ, & potus abstinentiam viam esse facilem, ut ad eam perveniatur. Sapiens intelligit immodicum earum rerum usum; quæ ad vitam sunt necessariæ legi naturæ, imperio Dei, atque ratio-

1 Græc. impress. Συμεών. Alii: Σίμων. Ita Steph. a. β. γ. ε. Cophr. Syr. Arab. Oecumen. Alii: Συμεών. Ald. Colin.
2 Joan. 1. 42. 3 Psal. 29. 10. 30. 16. 142. 1. 2. Isai. 56. 1. Matth. 6. 1. 2. 2. Cor. 9. 10. &c.
4 Τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Alii: Θεοῦ καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ. Alii: Κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ. Syr. vel, Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν. Arab. 5 Διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς. Alii: ἰδίᾳ δόξῃ καὶ ἀρετῇ. Alex. Cov. 2. Colon. Vulg. forte Syr. & Aeth. 6 Δι' ὧν τὰ μέγιστα ἡμῖν, καὶ τίμια ἐπαγγέλματα δεδώρηται. Per quæ, &c. Alii: *Per quem*, δι' οὗ. Ita Steph. ια. Colinæ. Aeth. Vulg. Alii Vulgatæ libri: *Per quæ*. Beda, *per quam*.
7 1. Joan. 3. 2. 8 2. Cor. 3. 18. 9 Est. Men. Cornel. alii.
10 Bern. serm. 49. in Cantica. 11 Oecumen. 12 Ἐν δὲ τῇ γνώσει τὴν ἐγκράτειαν. Hæc postrema vox significat potius, temperantiam, seu continentiam, quam abstinentiam. Hic *abstinentia* late debet accipi pro, continentia, temperantia, moderatione, abstinentia.

rationi oppositum esse; intemperantiam eum quodammodo de gradu deturbare, atque infra bruta ipsa ponere, quæ in usu pabuli sui minime excedunt.

IN ABSTINENTIA AUTEM PATIENTIAM.] Qui temperans est, & moderatus, affectibus suis dominatur, iram, atque impatientiam frænat. Virtutes omnes mutuis se se fovent auxiliis, ita ut raro inveneris aliquem, virtutem quamdam perfecto in gradu possidentem, qui alias etiam aliquo saltem in gradu non possideat. Huic argumento innititur ea gradatio, quam adfert Sanctus Petrus in hoc, atque in sequentibus versiculis.

IN PATIENTIA AUTEM PIETATEM.] Christiana patientia innititur promissionibus Dei, timori suppliciorum, quæ ille minatur, obedientiæ mandatis illius, exemplo Jesu Christi, qui pro nobis qualibet cruciatuum genera perpessus est, denique justitiæ, & charitati, quæ volunt, ut pro peccatis nostris Deo satisfaciamus, & patiamur, quidquid ab ipso nobis acciderit. At hæc omnia non aliud sunt, quam *pietatis* erga Deum exercitatio [1], quæ nobis etiam, atque etiam hic commendatur.

℣. 7. IN PIETATE, AMOREM FRATERNITATIS.] Pietas erga Deum esse non potest sine charitate erga proximos nostros. Statim ac fratres nostros consideramus veluti creaturas, servos, filios Dei, jam nobis non licet eos non amare. Adde his explicitum Dei præceptum, imperantis, ut illos tamquam nosmet ipsos amemus; & prohibentis, ne illis faciamus, quæ nobis fieri minime cuperemus. Hæc autem generalia charitatis officia, quæ ad omnes homines spectant, multo magis valere debent inter eos, qui eumdem, ac nos Deum venerantur, qui eodem sanguine redempti sunt, qui eodem filiorum Dei charactere sunt insigniti.

IN AMORE FRATERNITATIS CHARITATEM [2].] Parum esset fratres vestros diligere eo amore, qui communis esset, carnalis, naturalis, vel etiam cum propria utilitate conjunctus: sed ea dilectione amandi sunt, quæ ex Dei amore proficiscatur, atque superiori intuitu religionis ipsius sunt diligendi.

℣. 8. HÆC ENIM SI VOBISCUM ADSINT, ET SUPERENT [3].] Namque si virtutes in vobis adfuerint, atque in dies semper increverint, efficient, ut fides vestra, & cognitio veritatum religionis sit vestræ saluti non inutilis. Quod si e contra minime adnisi fueritis, ut dignos pietate fructus feratis, vestra fides, vestraque lumina, quin vobis prosint ad æternitatem, vobis cedent ad interitum, & damnationem. Itaque ne sinatis vobis verba dari ab illis, qui persuadere conantur, sine bonis operibus fidem unam sufficere.

℣. 9. CÆCUS EST, ET MANU TENTANS.] Licet illustratus videatur ille, qui non habet exercitationem virtutum, de qua vobis loquor, plane dico, hunc cæcum esse, & fortuito pedem inferre, quo nescit. Hujusmodi erant Pharisæi, qui a Jesu Christo Matth. 15. 14. cæci cæcorum duces dicuntur; qui omnium eruditissimi in Lege habebantur, & in extrinsecis cæremoniis diligentissimi: sed quoniam charitas, atque humilitas illis deerant, erraverunt cæcorum instar, & offendentes in Jesum Christum, lapidem videlicet angularem, allisi, & contriti sunt, Luc. 20. 17. Salvatorem suum contempserunt, servos illius persecuti sunt, sibique damnationem, atque æterna mala conflarunt.

OBLIVIONEM ACCIPIENS PURGATIONIS.] En quid probet, illum vere cæcum esse, quod videlicet oblitus est sui baptismatis, & promissionum, quibus professus est, se juxta Leges Evangelii vitam traducturum; Mundo, pompis, Satanæ, ejusque Imperio abrenunciaturum. Profecto nonne officiorum suorum obliviscitur, qui illa non adimplet, neque ad eorum lucernam suam vivendi rationem conformat? Nonne cæcus est, neque videt, quid sibi maxime intersit, qui ex culpa sua bonum supremum amittit, atque se se in interitum adducit?

℣. 10. MAGIS SATAGITE, UT PER BONA OPERA.] Non omnes, quos Deus ad fidem vocavit, & ab infidelibus secrevit, ut illos in suam Ecclesiam transferret, ideo sunt ad gloriam prædestinati: *multi vocati, pauci vero electi*; & illi etiam, qui ad gloriam prædestinati sunt, bonis operibus electionem suam certam facere debent. Deus, qui providit, eorumque beatitudinem decrevit, prævidit etiam, quomodo hanc illi consequerentur; eisque vias stravit, quæ ad eamdem certissime ducerent [4]. Hæ autem viæ ex parte Dei lumina sunt, & gratiæ cum interiores, tum exteriores, quas illis tribuit: ex parte vero hominis fides, & cooperatio Dei gratiis, & beneficiis.

Græcus [5] non legit *per bona opera*, sed tantum *satagite, ut certam vestram vocationem, & electionem faciatis*: sed MS. Alexandrinus, Syrus, Æthiops, & complures Græci MSS. & Latina omnia exemplaria Vulgatæ similia sunt: atque sermonis S. Petri decursus satis ostendit, hunc esse hujus loci sensum [*]. Vult enim, ut quilibet pro virili ad eas virtutes incumbat, de quibus superioribus versiculis sermo fuit, ut eam consequi mereatur gloriam, quæ veris fidelibus, ac filiis Dei promissa est.

HÆC ENIM FACIENTES NON PECCABITIS ALIQUANDO [6].] Vel numquam de vocatione, & electione vestra excidetis. Si persiteritis in bonorum operum, atque virtutum exercitatione, non decidetis in infidelitatem, & gravia ea scelera, quæ efficiunt, ut omnino gratiæ Dei jacturam faciamus [7]: numquam expungetur nomen vestrum de libro vitæ, neque intercludetur vobis aditus in Terram viventium, cujus per baptismum legitimi hæredes facti estis: sed Dei favente gratia ad finem usque perseverabitis in fide, & charitate, & feliciter gloriam vobis destinatam assequemini. Cum in arena curritur, difficile est non labascere, ubi aliquid offenditur in via; sed fatale est, cadere, qui enim ceciderit ad metam, & coronam non pervenit.

℣. 12. INCIPIAM VOS SEMPER COMMONERE DE HIS [8].] Dicetis, vos hæc omnia probe tenere, monitis meis non egere; hæc utilia esse posse illis, qui recens in Christi fidem traducti sunt: sed ego novi horum præceptorum necessitatem, & quamdiu vixero, non prætermittam, quo minus hanc eamdem tundam incudem.

℣. 13. JUSTUM AUTEM ARBITROR, QUAMDIU SUM IN HOC TABERNACULO.] In hoc scilicet corpore, hæc vobis in memoriam revocare. Melius non poterat ostendere, se vitam hanc nullo in discrimine habere, quam dicens, corpus suum esse sibi tamquam viatoria tentorium, quod vespere erigitur, mane complicatur, sine amore possidetur, sine dolore relinquitur, cum labore defertur. Patria enim, & domus desideratur, quo quanto propius acceditur, tanto citius tentorium relinquitur. Mundus nobis exilii loco est, vita, quam ducimus, iter perenne, Cœlum nobis est Patria, Corpus nostrum Tabernaculum est, ubi immoramur, donec æternam sedem nostram assequamur. *Scimus*, ait S. Paulus 2. Cor 5. 4. *quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in Cœlis . . . . nam & qui sumus in hoc Tabernaculo, ingemiscimus gravati &c.*

℣. 14. CERTUS QUOD VELOX EST DEPOSITIO TABERNA-

---

1 Τὴν εὐσέβειαν. 2 Ἐν δὲ τῇ φιλαδελφίᾳ τὴν ἀγάπην.

3 Ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα καὶ πλεονάζοντα. Alii: Παρόντα καὶ πλεονάζοντα. Ita Alex. Syr. Cov. 2. Steph. 8. 10. 19. &c. 4 August. lib. de Dono perseverant. cap. 14. n. 35. *Hæc est prædestinatio Sanctorum nihil aliud; præscientia scilicet & præparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*. Vide Concil. Trident. sess. 6. c. 12. 5 Σπουδάσατε βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν, καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθαι. Alii: Σπουδάσατε ἵνα διὰ τῶν καλῶν ἔργων βεβαίαν ὑμῶν, &c. 6 Οὐ μὴ πταίσητέ ποτε. Ambros. lib. 3. de Fide cap. 6. *Non errabitis*. 7 Vide Est. hic. & Cornel. a Lap. Grot.

8 Οὐκ ἀμελήσω ὑμᾶς ἀεὶ ὑπομιμνήσκειν. *Non negligam: non omittam*, &c.

BERNACULI MEI.] Jesus Christus Dominus noster mihi revelavit mortis meæ tempus non procul esse, & quamprimum Tabernaculum hoc mihi relinquendum, ut æternam in Cœlis sedem meam consequar. Hæc Epistola scripta fuit anno ante S. Petri mortem, quinto supra sexagesimum Jesu Christi, quo tempore fortasse erat Romæ. Jesus Christus in Evangelio Joann. 21. 9. dixerat S. Petro: *cum esses junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* Sed præter hanc generalem revelationem, aliam etiam peculiarem multo ante mortem suam S. Petrus obtinuit, si fides est S. Leoni Serm. 80. c. 5. qua admonitus fuit, quamdiu adhuc illi in Terris esset permanendum.

S. Ambrosius Serm. 68. aliquid significantius adfert, narrans post eam victoriam, quam S. S. Petrus, & Paulus de Simone Mago retulerunt, Ethnicis in Sanctum Petrum irritatis, cum Christi fideles intellexissent, ipsum ad necem conquiri, illum orasse, ut ad breve tempus secederet, & ad Ecclesiam erudiendam, atque consolandam suæ incolumitati consuleret. S. Petrus eorum precibus victus noctu secessit, & erat jam ad Romæ portas, cum vidit Jesum Christum per eamdem ingredientem; quem cum fuisset percontatus, quonam pergeret? Respondit Jesus Christus, se Romam venire, iterum crucifigendum. Horum verborum statim assequutus est mentem S. Petrus, & relegens vestigia sua ad fideles reversus, illis visionem suam enarravit, deinceps vero comprehensus, in carcerem conjectus fuit, ubi novem menses usque ad martyrii sui diem permansit. Origenes quoque in Joan. t. 21. hæc citat Jesu Christi ad S. Petrum verba: *iterum Romam venio crucifigendus*; sed illa citat ex apocryphis Actis S. Pauli. De hac ergo prædictione fortasse verba facit S. Petrus.

℣. 15. DABO OPERAM FREQUENTER HABERE VOS POST OBITUM MEUM.] Verbum *habere* hoc in loco pro *posse* usurpatur [1] Græcorum more [2], immo & Latinorum, nonnumquam dicentium, *habes ne nobis dicere?* [3] potes ne nobis dicere? *De causa Regis habeo polliceri*, ait Cicero ep. Famil. quod spectat ad Regem, polliceri possum: ita hoc in loco significat, quasi diceremus; *studebo, ut post decessum meum possitis horum memoriam facere*; curabo, adnitar, ut etiam post mortem meum: vel cum Græco [4]: *post exitum meum possitis subinde*, vel frequenter *meminisse* rerum omnium, quæ vobis viva voce annuntiavi. S. Paulus ad id non aliam meliorem invenire poterat rationem, quam illas scribens, ut scribit; perfecte e voto illi cedit, præceptorum suorum memoriam perennat; non autem solum apud Ecclesias Asiæ, Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, verum etiam apud omnes Terrarum Orbis Ecclesias, quæ ad hanc quoque diem ex ejus Epistolis eruditionem, ædificationem, & consolationem recipiant.

Quidam [5] hoc ita explicant: *dabo operam etiam post mortem meam, ut meminerim vestri*, at pro vobis intercedam ad Deum, atque & mala deprecer, & opem vobis implorem. Verum hic sensus non multos habet sectatores, & ea ratio, qua S. Petrus loquitur, illi minime favet; si enim hoc innuere voluisset, aliter protulisset Græce loquutus fuisset. Auctor etiam, qui Sancti Chrysostomi nomine circumfertur, legit: *studebo post obitum meum vestri memoriam facere*; pro *studebo post obitum meum habere vos aliquando horum memoriam facere*, quod in Græco est.

℣. 16. NON ENIM INDOCTAS FABULAS SEQUUTI [6].] Gentilium Religio fabulis omnino innitebatur, pleraque etiam Rabbinicarum explicationum, & traditionum ex commentitiis factis profectæ sunt: sed Christiana Religio, quam recepistis, innititur verbo Jesu Christi, miraculis ejus [7], quorum omnes testes fuimus, & quibus testimonium ad mortem usque perhibemus, atque prodigiis, quæ in nomine illius operamur. Nequaquam sumus, tamquam Ethnicorum Poetæ, qui metamorphoses loquuntur, falsa Deorum suorum miracula ex aliorum Poetarum testimonio, qui & ipsi ex vago, incertoque fonte hoc didicerunt: nec veluti Judaicæ Religionis Doctores, quorum studium est Legi, & factis certis, quæ Sacrorum librorum fide probantur, alia superaddere facta, historias, atque mandata ex commentitiis majorum suorum traditionibus prolecta [8], quorum errores quidem certi sunt, Auctores vero, vel incerti, vel suppositii. Scimus, Simonianos, Cerinthianos, Gnosticos, aliosque primos Ecclesiæ Hæreticos ex numero Christi fidelium Judaizantium extitisse, atque fabulas, genealogias, aliosque errores produxisse de Angelis, de Jesu Christi persona, de Divinitatis attributis, de operum ad salutem inutilitate.

VIRTUTEM, ET PRÆSENTIAM [9].] Vel adventum Jesu Christi summa potentia refertum. Jesus Christus manifestavit suam potestatem, veniens in Mundum, & quod magis mirandum est, illam & humilitate, & passione sua manifestavit. Crux sua facta est illi gloriæ argumentum, instrumentum potentiæ, & signum Sapientiæ [10], postquam dignatus est Deus salvos nos facere per Crucem Filii sui.

SPECULATORES FACTI ILLIUS MAGNITUDINIS.] S. Petrus præ aliis audacius loqui poterat, cum ab initio Jesum Christum sequutus fuisset, atque fuisset testis miraculorum, quæ secretissime operabatur. Hic præcipua loqui vult de transfiguratione Domini, quemadmodum patet ex sequenti versiculo.

℣. 17. ACCIPIENS A DEO PATRE HONOREM, ET GLORIAM.] A Deo Patre honoris, & gloriæ testimonium recepit; vel glorificatus fuit a Deo Patre suo in Thabor; cum in ipsius transfiguratione Deus illi loquutus est de sinu nebulæ, ubi Dei gloria summo fulgore circumdata videbatur, eique dixit: *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*. Hoc refertur etiam ab Evangelistis [11]. Grotius qui credit hanc epistolam scriptam fuisse a Simone Episcopo Jerosolymitano sub Trajani tempora, hoc intelligit de voce, quæ in Templo exaudita est. (℣. 18. *in Monte Sancto*). Cum Jesus dixit Patri suo Joan. 12. 28. *Pater clarifica nomen tuum; venit vox de Cœlo: & clarificavi, & iterum clarificabo*. Sed hæc sententia probari minime potest; longe enim inter se differunt ea, quæ Pater dixit in Templo, & quæ in Thabor audita fuerant.

℣. 18. NOS AUDIVIMUS.] Jacobus, & Joannes filii Zebedæi, & ego simul a Jesu Christo præ ceteris electi, ut hujus miraculi testes essemus, hanc vocem audivimus.

---

a Ita Erasm. Est. Zeger. Vat. Clar. Cajet. Grot. Castal. Capell. alii.
2 Matth 18. 25. *Cum non haberet unde redderet*. Luc. 7. 42. *Non habentibus illis unde redderent*. 14. 14 *Non habent retribuere tibi*. Act. 4. 14. *Non habebant contradicere*. Marc. 14. 8. *Quod habuit, hæc fecit*, &c. Heb. 6. 13. Lactan. Οὐκ γὰρ εἶχεν δοῦναι. 3 A. Gell. lib. 17. cap. 23.
4 Σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι.
5 Vide Chrysost. aut alium serm. de SS. Petro & Paulo. Oecumen. hic. Ita & Petr Damian. lib. 3 Ep. 8. Salmer. Cathar. Gagn. Bellarm lib. 1. de SS. cap. 18. Suarez 3. parte t. 2. disp. 23. Cornel. a Lap. hic.
6 Οὐ γὰρ σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθήσαντες. Quidam Vulg. libri: *non enim indoctas fabulas*. Ita & Sixti V. Et alii plures ante eum; mendose. Valez. Ἀδιδάκτοις. 7 Justin. Dialog. cum Tryph.
8 1. Timoth. 1. 4. *Neque intendere fabulis, & genealogiis interminatis quæ quæstiones præstant magis, quam ædificationem Dei*. Et Tit. 1. *Non intendentes Judaicis fabulis, & mandatis hominum aversantium se a veritate*. Vide Hieron. in Galat. 5. 9 Χριστοῦ δύναμιν, καὶ παρουσίαν. Quidam Latini: *Virtutem & præscientiam*. Veler. Ἰσχύν vitiose. 10 1. Cor. 1. 24. *Christum crucifixum, Dei virtutem & Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. 11 Luc. 9. 35. Matth. 17. 5. Marc. 9. 6.

mus. Ex quibusdam locis Epistolarum S. Pauli [1] videntur falsi doctores, qui ut plurimum se discipulos S. Petri ferebant, in hoc argumenta sua collocasse, quod S. Petrus fuerat ex primis ad Apostolatum evocatis, atque testis præcipuorum miraculorum Salvatoris, quem S. Paulus ne ex facie quidem cognoverat. Illi etiam hanc Apostoli dignitatem in dubium vocabant.

℣. 19. HABEMUS FIRMIOREM PROPHETICUM SERMONEM,] cujus certitudo adhuc major est, quam testimonium nostrum, saltem apud vos [2], qui fortasse in dubium revocare possetis sinceritatem nostram, & Spiritum Sanctum in nobis loquentem: sed cum vos Prophetas summo in loco habeatis, eorumque verba tanquam Dei ipsius oracula existimetis; laudo quidem vestram fidem, atque docilitatem in iis omnibus, quæ illi portenderunt; & avertat Deus, quod alia vobis annunciemus ab iis, quæ ipsi docuerunt vos: sed certi sumus testimonium nostrum semper eorum verbis conforme futurum, & in scriptis eorum vos inventuros veritatis hujus confirmationem, Jesum Christum Unigenitum esse Patris, atque ut ad salutem perveniamus, ad hunc esse confugiendum, hunc esse audiendum, quippe qui via est, veritas, & vita.

S. Augustinus [3] animadvertit, S. Petrum nequaquam dicere, Prophetarum testimonium verius esse, & præstantius illo, quod Pater Filio suo in Monte Thabor perhibuit, sed tantummodo certius esse: certiorem sane dixit; *certiorem, non meliorem, non veriorem*: certiorem autem propter auditores, non propter se: *quid est ergo certiorem, nisi in quo magis confirmetur auditor?* Non desunt increduli, atque infideles, qui asserant, Jesum Christum magicæ artis vi sua miracula fuisse operatum; dicere hi possent, quæ S. Petrus, aliique duo Apostoli audiverunt in Thabor, præstigium fuisse: at numquid dixerunt magiæ vi Jesum Christum effecisse, ut Prophetæ de se ante nativitatem suam jam pridem loquerentur? *Si magicis artibus fecit, ut coleretur & mortuus, numquid magus erat antequam natus?* Prophetæ igitur apud homines hujusmodi certiores sunt, quam vel sermo Patris in Thabor, vel S. Petri testimonium, qui hæc vidit, audivitque.

QUASI LUCERNÆ LUCENTI IN CALIGINOSO LOCO.] Laudo vos, quod summo studio Prophetas legatis, & hortor, ut in illis Jesum Christum quæratis, quod facitis: *quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent* Act. 17. 11. ut hæc auferatis Sacra integumenta, quæ Jesum Christum abscondunt, figuras eas explicetis, quæ illum exhibent, divinos hos characteres cognoscatis beneficio hujus lucis *lucentis in caliginoso loco*. Profecto scripturæ veteris Testamenti erant quædam veluti obscura lux, quæ tunc solum suam perfectionem nacta est, cum Jesus Christus apparuit in Mundo instar solis Orientis, atque tenebras, & umbras, quæ ante ipsum incubuerant, dissipantis. Apostoli in sermonibus, & Epistolis suis sæpe utebantur Prophetarum auctoritate; fideles indesinenter studebant scripturis, ut erudirentur, & confirmarentur in fide. Lucerna noctu nitens imbecillum dumtaxat, atque titubans lumen emittit; attamen ad diem adducit. Soli quidem comparata obscuritas est, nocturnis autem comparata tenebris, lumen est.

DONEC DIES ELUCESCAT, ET LUCIFER ORIATUR.] Hic dies, & hic Lucifer non aliud sunt, quam Jesus Christus, ad quem omnes Testamenti veteris Scripturæ nos adducunt. At quomodo nam Lucifero simul, & dies comparatur? Nonne dies Luciferum excludit, quem Sol suæ claritate lucis abscondit? Quidam [4] Græcum ita vertunt [5]: *donec dies elucescat, & Sol oriatur in cordibus vestris*; asserentes, *phosphorum* nonnumquam solem significare [6]. Plerique putant, S. Petrum comparare velle tantummodo obscuram Legis lucem lumini, quod emicare cœpit, diluculo, cum oritur Lucifer, aut Venus, quæ stella Solis ortum præcedit [7], perfectam tandem nobis lucem afferentis. S. Petrus tres lucis gradus indigitat. Primo lucernæ noctu lucentis, & hic status est Judæorum sub Lege. 2. lumen auroræ, atque luciferi, quod innuit eorum dispositionem, qui Jesum Christum in Prophetis exquirunt. 3. clara dies, qui est status eorum, qui fidem assequuti sunt.

℣. 20. HOC PRIMUM INTELLIGENTES.] In Scripturarum [8], Prophetarum vero præsertim interpretatione ne sequamini ingenium vestrum, & mentis vestræ lumina. Ut hoc ex voto vobis cedat, repleti sitis oportet eodem spiritu, quo Prophetæ erant afflati, vel saltem illi sunt consulendi, qui in divinorum horum operum cognitione existimari jure queunt pietate, unctione, luminibus & gratiis cumulatissimi.

Primis Christianæ religionis temporibus in qualibet Ecclesia Prophetæ aderant, qui donum peculiare scripturas interpretandi receperant. Ad hos S. Petrus, vel ad Apostolos confugiendum esse ait, ut verus sacrorum librorum sensus intelligatur; non vult singulos Doctores, atque Magistros haberi hoc in studio, quod est adeo sublime, & supra communem hominum captum positum. Hodie cum nobis hæc supernaturalia desint auxilia, & Prophetia sensibilis in Ecclesia cessaverit, primo quidem in novi Testamenti libris, & scriptis Apostolorum quærenda nobis est scripturarum, & Prophetiarum veteris Testamenti interpretatio: 2. ad Ecclesiam, Apostolicos viros, & Patres confugiendum est, qui integerrime depositum fidei servarunt. Hanc autem viam Sacrosancta Tridentina Synodus nobis ostendit [9]: *nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeat.*

Hic etiam sensus Textui appingitur [10]; ante cætera scire debetis, *omnem scripturam Propheticam minime fieri ex hominis inventione*; hoc est Prophetas non proprio marte loquutos fuisse [11], sed afflatos a Deo, cujus, ut ita dicam, Interpretes, & lingua fuerunt [12]. Hic sensus mihi priore aptior videtur. Vox, quæ vertitur *interpretatio*, significare etiam potest inspirationem, enthusiasmum, vel etiam Prophetæ missionem. S. Petrus probare vult, fideles jure in Prophetiarum studio operam collocare, ut sese magis in fide confirment.

℣. 21. NON ENIM VOLUNTATE HUMANA.] Prophetia non est humanum adinventum, neque gratia, quam homo acquirere vel mereri possit, sed mera est gratia; quam aliquibus concedit Deus, est beneficium, quod homines uni Deo, & Spiritui Sancto, qui Prophetas illustravit, atque inspiravit, acceptum debent referre. *Spiritus, ubi vult, spirat* Joan. 3. 8. eligit, quos vult: Eliseum quidem de aratro 3. Reg. 19. 19. Amos vero de gregibus ovium, Amos 7. 14. Jeremias etiam invitus quodam-

1 Galat. 1. 2. 1. Cor. 9. 1. 2. Cor. 11. 5. 12. 11. 12.

2 Ita Beda, Hugo, Lyran. Dionys. Est. Cornel. Menoch. Gerhard. &c.

3 August. serm. olim 27. de Verb. Apost. cap. 4. nunc 43. nov. edit.

4 Vide Oecumen. hic, Syr. Gerhard.

5 Ἕως οὗ ἡμέρα διαυγάσῃ, καὶ φωσφόρος ἀνατείλῃ.

6 Φωσφόρος, solem significat apud Suidam.

7 Martial. *Phosphore, redde diem*. Virgil. Æneid. 2. *Ducit diem Lucifer*. Stat. Theb. 5. *Purpureo vehis ore diem*.

8 Vide Est. Men. Cornel. Gerhard. Gemar. Vorst. &c.

9 Concil. Trident. sess. 4. Decreto de edit. & usu sacror. Lib.

10 Ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται. Quidam legi volunt, [illegible]. *Impetu*, sed absque ulla codicum fide. Mill. hic.

11 Vide Grot. Jac. Capell. Cameron. Cornel. a Lap. Hamm. alii.

12 Philo de Præmiis & pœnis.

dammodo ad Prophetiæ munus pertrahitur [1]. Patres [2] docent sacras scripturas a nobis habendas esse tanquam Epistolam de Cœlo missam; afflatos vero homines existimandos veluti linguam spiritus Sancti, vel calamum, quo ille utitur ad voluntates suas describendas [3].

1 Jerem. 1. 6. 7. 2 Athanas. de S. Antonio. Chrysost. homil. 5. in 2. Thessal. August. Concion. 2. in Psalm. 90. n. 1. *De illa civitate unde peregrinamur, litteræ nobis venerunt. Ipsæ sunt Scripturæ sanctæ.* 3 August. lib. 18. de Civit. cap. 38. Cyprian. Serm. de Eleemosyn. Gregor. Magn. Moral. Præf. cap. 1.

CAPUT II.

Pseudo-prophetæ impuri, mendaces, impudici, avari. Pœnæ, quas Deus ex illis deposcet. Dæmones in infernum præcipites dantur. Increduli temporibus Noe diluvio puniti. Sodomitæ, & Gomorrhæi flammis absumpti. Falsi Doctores, ut antiqui ii scelesti populi, punientur.

1 Fuerunt vero pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem.
2 Et multi sequentur eorum luxurias,
per quos via veritatis blasphemabitur:
3 Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus judicium jam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.
4 Si
enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.
5 Et originali mundo non pepercit,
sed octavum Noe justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens.
6 Et civitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit: exemplum eorum, qui impie acturi sunt ponens.
7 Et justum Loth oppressum
a nefandorum injuria, ac luxuriosa conversatione eripuit.
8 Aspectu enim, & auditu
justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.
9 Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicii
reservare cruciandos:
10 Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non
metuunt introducere blasphemantes:
11 Ubi angeli fortitudine, & virtute cum sint
majores, non portant adversum se execrabile judicium.
12 Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & in perniciem in his, quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt.
13 Percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem
existimantes diei delicias: coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes, in conviviis luis
luxuriantes vobiscum,
14 Oculos habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti.
Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii:
15 Derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit,
16 Correptionem vero habuit suæ vesaniæ: subjugale mutum
animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam.
17 Hi sunt fontes
sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur.
18
Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur:
19 Libertatem illis promittentes, cum
ipsi servi sint corruptionis: a quo enim quis superatus est, hujus & servus est.
20 Si
enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu
Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus:
21 Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.
22 Contigit enim eis
illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum; & Sus lota in volutabro luti.

℣. 1. Fuerunt et pseudo-Prophetæ in populo [a], sicut et in vobis erunt Magistri mendaces.] Cum superiori Capite vos hortatus sum, ut Prophetas aliosque sacros libros legeretis, ne credatis, me vobis suasisse, ut eos omnes sequeremini, qui inspirati haberi volunt, & qui doctorum auram captantes se a Deo, vel ab Apostolis missos jactitant. Non secus ac olim plurimi fuerunt pseudo-Prophetæ in Israel; ita hodie quoque in Ecclesia multi sunt falsi doctores, hæretici, operarii nequam evertentes, quin ædificent, & lolium in agro domini tritico superserentes. Fere semper conqueritur S. Paulus Apostolus de hujusmodi Evangelicæ docti-

a Deest in nonnullis: *in populo.*

doctrinæ corruptoribus, præsertim vero in illos insurgit, scribens ad Galatas. Horum seductorum plerique ex synagoga prodierant, & quin vere ad Christianam religionem essent conversi, primorum Christi fidelium liberalitate, & docilitate abutebantur, ut ditescerent, atque inertem in ganeis, & lustris vitam ducerent. Videnda eorum descriptio, quæ a S. Paulo in Epistolis adornatur.

Qui introducunt sectas perditionis:] quales fuerunt hæreses Simonis magi, Nicolaitarum, quæ maturato inceperunt, & quæ jam satis late pervaserant, dum S. Petrus hoc litterarum daret. Illæ omnes habebant, veræ hæresis characteres; monstra errorum ab Ecclesia damnata, & mordicus ab Auctoribus suis, atque sectatoribus confirmata.

Eum, qui emit nos, Dominum negant.] Simonis Magi discipuli, & ipse Simon Jesu Christi divinitatem negabant [1]; Nazaræi illum Messiam confitebantur, sed merum hominem esse putabant [2]. Cerinthus, atque post illum Gnostici plurimas in eum blasphemias proferebant [3]; Cerinthus præsertim distinguebat inter *Jesum*, & *Christum*; ajebat, Jesum quidem esse merum hominem, ut alios, ex Josepho, & Maria natum; Christum vero super illum descendisse, & in illum ingressum fuisse sub columbæ specie post baptismum illius, atque in virtute Christi Jesum tot miracula esse operatum. Hoc vere erat, Dominum, qui nos redemit, negare.

℣. 2. Multi sequentur eorum luxurias [4].] Hæretici, de quibus modo sermo fuit, erant mortalium omnium libidinosissimi. Simon Helenam suam quocumque ducebat, & cum illa quodlibet flagitii genus patrabat [5]; eam vero primam intelligentiam, & rerum omnium Matrem dicebat. Discipuli Magistri sui scelera imitabantur, immo & alia addebant [6]: ipsi etiam in libris suis confitebantur, stupore percelli eos, a quibus primum de sacratissimis mysteriis suis verba facientes audiebantur [7]. Cerinthus obscenissimus erat homo, atque in altera vita nihil prɶter carnis voluptates sperabat [8]. Dici possunt generatim ii omnes primi Hæretici, æque in moribus, atque in sententiis suis fuisse flagitiosi. Eorum sectæ celerrime, atque facillime percrebruerunt, tam quod turpissimam sibi licentiam vendicabant, tum quod nullis persecutionibus patebant, vel ab Judæis audientibus illos cum laude verba facientes de Legibus Moysis, licet perperam ab illis observarentur; vel ab Ethnicis, quod non satis distinguebantur a Judæis, quorum religio in Romano Imperio tolerabatur.

Per quos via veritatis blasphemabitur.] Christiana religio patebit blasphemiis, & probris Ethnicorum, atque Judæorum cum scandalo horum hæreticorum flagitia videntium, & illa discipulis Jesu Christi tribuentium. Hoc re ipsa accidit, & non semel in Christi fideles gravissimas persecutiones conflavit. Apud Fidei nostræ Apologistas ea videntur calumniæ, quæ Christiano nomini offundebantur, ut illud apud omnes Gentes in odium raperent.

℣. 3. In avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.] Quærunt fictis, blandisque verbis ad se vos pertrahere, cumque vos pellexerint, vos exuent bonis vestris, atque inde locupletabuntur. Non animarum vestrarum salutem, sed vestras divitias exquirunt; unicum eorum objectum utilitas est, quæ illis hinc maxima cedit.

℣. 4. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit,] licet ex omnibus creaturis ejus essent perfectissimi, multo magis non parcet hominibus adeo flagitiosis & nequam, sordidis simul, atque contemptibilibus, qui per summum ingrati animi vitium Salvatorem suum reliquerunt, illum abdicarunt, atque in id unum indesinenter laborant, ut illius diruant Imperium, & evertant Ecclesiam. De Angelorum peccato verba jam fecimus in Dissertatione Sancti Lucæ Evangelio præposita.

Sed rudentibus inferni detractos in Tartarum.] Communis Patrum, atque Theologorum sententia est, Deum non permisisse Angelis spatium pœnitentiæ, sed statim post defectionem illos in abyssum præcipites dedisse sine ulla reditus, vel salutis spe æternum cruciandos. Vidit Deus in illorum defectione obstinatam, pertinacemque nequitiam, quæ illos misericordia, & venia præbuit indignos. Eorum scelus, neque infirmitate excusari poterat, neque ulla circumstantia illis poterat suffragari. Luminibus, gratiis, & viribus repleti ad beatum, & gloriosum statum evecti uni Creatori inferiores erant; quid altra illis erat optandum? Nullus tentator extrinsecus illos urgebat, nulla intrinsecus eos concupiscentia trahebat; ideoque omnino inexcusabiles erant [9].

Rudentibus inferni.] Illos insolubilibus quodammodo catenis vinxit, iis adamantinis vinculis, quibus in inferno suos inimicos constringit, & eos, qui ab eo defecerunt: ita vero alligatos de Cœlo divulsit, atque in teterrimum tartarum præcipites dedit. Pro *rudentibus inferni*, Græcus [10] legit; *catenas tenebrarum*; hoc est, ea vincula, quibus opprimit eos, qui in tenebrosis inferni carceribus cohibentur. Vidimus jam non semel in Veteri Testamento [11] Hebræos credidisse, impiorum animas in imo terræ, in locis caliginosis, & horrentibus torqueri; & Josephus de Bello l. 2. refert, Essenios credidisse, improborum animas post mortem relegatas fuisse in tenebricosis locis, & glacie concretis, ubi æternis torquentur suppliciis. Quod ex Auctoris hujus sententia non longe abludit ab iis, quæ de Plutonis Regno Poetæ comminiscuntur, ubi Sisyphi, Ixiones, Tantali terribili modo cruciantur. S. Petrus de *rudentibus inferni*, vel de tenebrarum catenis loquens communi nationis suæ conceptui sese accommodat.

Detractos in tartarum.] Hoc tartari nomen nunc semel in Scripturis invenitur, & proprie profundissimum Terræ locum significat [12]; & Poetæ eodem utuntur ad infernum indigitandum [13]. Virgilius Æneid. 6. ait: Tartarum bis tantum infra terram subsidere, quantum supra Terram Cœlum attollitur.

.... tum tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad æthereum Cœli suspectus Olympum,

S. Augustinus [14], Beda, Grotius, aliique plures crediderunt, dæmones præcipites datos fuisse in aerem, ubi suam nequitiam exercent in homines, & sublunaria corpora; quapropter *aereæ potestates dicuntur* Ephes. 11. 2. Hic aer, qui nos ambit, cum infra Cœlum sit positum, unde Angeli mali præcipites dati sunt, *infernus* vocari potest, si comparetur cum Cœlo, quod eodem longe superius est. Sed plerique [15] credunt, Luciferum, ejusque sectatores ita in infernum datos fuisse præcipites, & ibi semper eorum quamplurimos æternis torqueri suppliciis, dum interim alii explicita Dei facultate in aere permanent, & super Terram, ut homines tentent, & in hos justam Dei ultionem exerceant. Videri potest nostra de bonis malisque Angelis Dissertatio.

TRA-

1 August. lib. 1. contra hæres. Origen. lib. 5. contra Cels. pag. 272. Iren. lib. 1. c. 26. 2 Theodoret. lib. 2. de hæres. 3 Iren. lib. 3. cap. 11. Epiphan. de hæres. 26. cap. 10. & hæres. 28. cap. 1. Iren. lib. 1. cap. 25.

4 Græc. impress. Ταῖς ἀπωλείαις. *Perditiones eorum*. Alii: Ταῖς ἀσελγείαις. Luxuriis. Ita plures MSS.

5 Justin. Apolog. 2. Iren. lib. 1. cap. 20. 6 Iren. lib. 1. cap. 20.

7 Euseb. Histor. Eccl. lib. 2. cap. 13. 8 Euseb. lib. 3. cap. 28. Theodoret. lib. 2. hæres. fabul. cap. 3.

9 Vide, si placet, Gregor. lib. 2. Moral. lib. 3. Cassian. Collat. 4. cap. 13. Prosper. lib. 1. de Vit. Contempl. cap. 3. Fulgent. de Fide, cap. 3. Anselm. lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 16. alios apud Est. & Cornel. hic.

10 Σειραῖς ζόφου ταρταρώσας, παρέδωκεν εἰς κρίσιν. MS. Alex. Σειροῖς ζόφου. Velez. Σειραῖς ᾅδου.

11 Isai. 14. 9. Ezech. 31. 17. 18. 32. 19. &c.

12 Grot. hic. Τάρταρα, *dicitur quod in quaque re infimum est, sive in terra, sive in aqua, sive in aere*.

13 Vide Vindet. de vita Fructorum statu. 14 August. lib. 8. de Civit. cap. 22. Tract. 95. in Joan. Hieronym. in Ephes. 6. 12. Chrysost. in Epist. 1. ad Thessal. cap. 11. Tertull. Apolog. cap. 22.

15 Vide Est. & Cornel. hic.

TRADIDIT CRUCIANDOS IN JUDICIUM RESERVARI.] Græcus [1] legit solum: *reservari pro judicio*. Alii: *reservari puniendos*. Liber Henoch refert, Deum præcepisse Archangelo Raphaeli, ut vinculis astringeret Azaelem Caput Angelorum rebellium, eumque in tenebras projiceret: aperi super eum, inquit, desertum Dudael, acutis illum obrue lapidibus, non videat amplius lumen, & judicii die conjiciatur in flammas, æternum ibi comburendus. Dixit quoque S. Michaeli, ut catenis alligaret *Semiazan* unum ex præcipuis rebellibus Angelis, eumque cum suis ad extrema terrarum abduceret usque ad septuaginta generationes, & Judicii diem, quo præcipites dabuntur in igneum cahos, in tormenta, & vincula carceris æterni.

Hæ loquendi rationes cum illis conjunctæ, quibus hoc in loco S. Petrus, & in Epistola sua S. Judas utuntur ℣. 6. *Angelos vero, qui non servaverunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit*, complures impulerunt e veteribus, ut crederent [2], dæmones in infernum non esse conjiciendos, nisi sub mundi finem, eosque nonnisi post novissimum judicium pœna ignis esse cruciandos. Sed cum liber Henoch apocryphus sit, nullum huic sententiæ pondus inde potest accedere. Patres, qui illum sequuti sunt, nihil ejus auctoritati addiderunt: Apostoli vero S. Petrus, & Judas explicari possunt dicendo, dæmones post lapsum realiter in infernum præcipites datos fuisse, & nunquam cessasse, quo minus justam defectionis suæ pœnam perferrent; sed novissimi Judicii die maximam illorum cruciatibus & desperationi accessionem futuram, & ad hoc doloris additamentum utrumque Apostolum alludere, dicentem, dæmones in judicii diem reservari torquendos. Ita hunc omnes Theologi atque Interpretes [3] hodie vulgo nunc explicant locum.

℣. 5. ORIGINALI MUNDO NON PEPERCIT:] Non pepercit hominibus, qui ante diluvium vivebant, sed illos aquis submersit, & *octavum Noe justitiæ præconem custodivit*. *Octavum Noe*, ipse enim erat octavus [4], cum reliqui septem essent, tres ipsius filii cum Uxoribus suis, & ipsa etiam Noe Uxor. Prædicavit Noe justitiam hominibus, & vita sua, & verbis; non cessavit, quo minus illis iram Dei intentaret, ob oculos eorum condidit Arcam, ubi aquas diluvii erat evitaturus: verum id minime incredulos, obduratosque Judæos afficit. At si Deus tanta cum severitate in veteres eos gigantes animadvertit; nunquid parcet falsis doctoribus, quorum vita adeo flagitiosa est, & cor adeo nequitia repletum? Gigantes ante ipsum diluvium sua habebant lumina, suasque gratias, quibus abusi sunt, & quas in corde suo extinxerunt, ut omnibus vitiis sese ingurgitarent.

Credunt quidam [5] hæc verba: *octavum Noe justitiæ præconem* ita esse intelligenda: Dominus salvum fecit Noe, qui octavus erat justitiæ præco. Hic in prædicatoris atque testis justitiæ munere successit Adæ, Abel, Enos, Enoch, Mathusalem, Lamech: ego tamen a priori explicatione nequaquam recesserim. Unde scimus octo dumtaxat, & hos octo fuisse ante diluvium præcones justitiæ? Ad hæc, quomodo dici potest Noe successor fuisse Mathusalem, quandoquidem hic novissimus sexcentos ante Noe vixit annos, & eodem tandem diluvii anno ex humanis decessit?

℣. 6. CIVITATES SODOMORUM IN CINEREM REDIGENS EVERSIONE DAMNAVIT [6].] Nemo unus historiam interitus Sodomorum, atque Gomorrhæ, earumque excidii causam ignorat. Hoc fuit maxime terribile iræ Divinæ exemplum, eorumque malorum, quæ Hæretici, & impii debent præstolari, quod veritatem corrumpunt, animosque simplicium avertunt ab ea obedientia, quam Jesu Christo debent & Ecclesiæ.

℣. 7. JUSTUM LOTH OPPRESSUM NEFANDORUM INJURIA [7] AC LUXURIOSA CONVERSATIONE.] Liquet ex Scripturis, Loth parvi in pretio apud Sodomorum Cives fuisse, ex ea contumelia, quam inferre conati sunt Angelis, quos ille hospitio receperat. Cum enim apud illos conquereretur de injuria, quæ sibi inferebatur [8] eum abjecerunt, dicentes, *recede illuc: ingressus es, ut advena, nunquid ut judices? Te ergo ipsum magis, quam hos affligemus*. Licet justitia Loth fortasse non satis erat perfecta [9], eum tamen S. Petrus justum hic vocat, quod Dominum venerabatur, justitiam colebat, & cum aliis concivibus suis collatus justissimus erat, & optimus. Procul dubio præstitisset, eum alibi, quam in Civitate adeo nefaria sedem suam collocasse; non enim patuisset tot probris, & contumeliis, neque eo devenisset, ut filias suas hominibus hujus vitæ prostitueret [10]. Hæc sane sunt crimina, quæ in vita Loth dissimulari non possunt.

℣. 8. ASPECTU, ET AUDITU JUSTUS ERAT.] Oculos, auresque pudicas habebat inter tot libidinosissima facta, & populum scelestissimum, cujus sermones & actiones illi summopere displicebant, ita ut supplicii loco haberet, vitam tot inter flagitia traducere, eorumque testem esse, quin illa posset avertere.

℣. 9. NOVIT DOMINUS PIOS DE TENTATIONE ERIPERE.] Cum Deus iram suam in impios depromit, novit parcere justis, qui scelerum eorum expertes sunt. Noe quidem de aquis diluvii, Loth vero de ignibus Sodomorum ab illo erepti fuerunt; noverit quoque vos ab errore tueri, atque adversus ultionis suæ jacula protegere, nisi participes fueritis horum seductorum, de quibus superius paulo loquutus sum; testes quidem eritis supplicii eorum, at eritis exortes: sin autem vobis fucum fieri sinetis, atque illorum falsæ doctrinæ illecebris falli, eorumdem & vos exitus manet.

INIQUOS VERO IN DIEM JUDICII RESERVARE CRUCIANDOS.] Hoc nequaquam significat, impios ante Judicii diem cruciandos non esse. Illorum animæ in inferno torquentur statim post peculiare Judicium, quod subeunt, de corporibus exeuntes; sed corporibus suis iterum conjungentur Judicii die, & utraque simul debitis suppliciis afficientur, anima licet jam sit calamitosissima, ad majora tamen post diem novissimum tormenta reservatur.

℣. 10. MAGIS AUTEM EOS, QUI POST CARNEM.] Hæc tormenta illis præsertim reservata sunt, qui impuris voluptatibus sese ingurgitant. Loquitur contra falsos doctores, de quibus jam sermo fuit, quorum vita erat flagitiosissima, in omni impudicitiæ genere immersa; præsertim vero contra Simonis Magi discipulos [11], qui impudicissimam libidinem impietati, atque hæresi consociabant. Alii etiam eorumdem temporum Hæretici nequaquam erant continentiores, quemadmodum ex SS. Irenæo, & Epiphanio innotescit [12].

DOMINATIONEM CONTEMNUNT,] Leges, Magistratus, Potestates legitime constitutas; neque aliam Legem habent, quam utilitatem, & voluptatem. Credunt nonnulli [13], S. Petrum isthic innuere velle, Dei auctoritatem ab illis contemni, Jesu Christo alios mediatores subrogantibus, & fabulas concinnantibus de Mundi creatione, & ea ratione, qua Deus illum gubernat.

1 Παρέδωκεν εἰς κρίσιν τετηρημένους. Alii: Τηρουμένους. Ita plures. Alii: Κολαζομένους τηρεῖν. *Cruciandos servare*. Ita Alex. Steph. 2. & 17. Lin. Barb. 1. Cov. 2. Baroc. Petr. 1. 2. 3. &c. Alii Syr. Arab. August. Fulgent.
2 Justin. Dialog. cum Tryphon. Iren. lib. 5. cap. 33. Hilar. can. 8. in Matth. Lact. lib. 7. cap. 26. Euseb. lib. 4. Hist. cap. 18. &c.
3 Vide Est. & Cornel. hic.
4 Vide 1. Petr. 3. 20. Est. Grot. Menoch. Zeger. &c. Noe decimus erat ab Adam.
5 Heinsius, Est. hic.
6 *Eversione damnavit*. Græc. Καταστροφῇ κατέκρινε.
7 Græcus non legit *injuria*: Τῶν ἀθέσμων ἐν ἀσελγείᾳ ἀναστροφῆς, ἐῤῥύσατο.
8 Genes. 19. 5. 6. 7. 8. 9.
9 Philo de Migrat. Arab. pag. 410.
10 Genes. 19. 14. *Loth locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus*.
11 Sever. in Caten. Græca Mss. in Colleg. nov. apud Mill. hic.
12 Epiphan. de Carpocrat. qui ex Simone & Nicolao ortum ducebant.
13 Vide Est. Men.

bernat. Primæ illæ hæreses plurimum deferebant Angelis, & quibusdam Potestatibus, quas tanquam Creatori subordinatas invexerant.

SECTAS NON METUUNT INTRODUCERE BLASPHEMANTES.] Græcus ita verti potest: *non verentur blasphemias evomere contra personas in dignitate constitutas*; quin Principes atque Magistratus revereantur, eos contumeliis proscindunt, & cum contemptu de eisdem loquuntur [1]. S. Judas ℣. 8 ad hunc S. Petri locum alludens ait: *dominationem autem spernunt, Majestatem autem blasphemant*. In Græco adest vox eadem, quæ *Majestati* respondet, & quæ hic vertitur *sectas*. Erasmus animadvertit, antiqua nonnulla exemplaria Latina omittere verbum *introducere*, quod in Græco non adest.

℣. 11. UBI ANGELI FORTITUDINE.] Angeli ipsi, **B** qui hominibus adeo præstant, nunquam in dæmonem excandescunt, execrationis, vel maledicti verba evomentes [2]; sed ea exequuntur solum, quæ sibi a domino contra illum præcipiuntur. Hæc explicatio confirmatur a S. Juda in Epistola sua ℣. 9. ubi postquam dixit, a falsis Doctoribus supremam auctoritatem contemni, & majestatem blasphemari, ait: *Cum Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit: imperet tibi Dominus*. Si igitur Angeli seipsos cohibent, cum etiam Dei inimicum lacessunt; atque sufficit illis præcipere in nomine Domini, quin maledictis, & execrationibus utantur; quid dicendum de his Magistris mendacii, qui neque Deum reverentur, neque illos, **C** qui Dei locum in terra obtinent, ejusque super omnes exercent imperium. Hic sensus ad litteram mihi magis videtur accedere.

Alii [3] hoc de dæmoniis intelligunt. Hi spiritus nequam licet fortitudine, & virtute præstent falsis Doctoribus, nequeunt tamen ferre damnationem, vel supplicia, quibus *a Deo* sunt addicti. (Hæc verba in Græco leguntur, sed non in Vulgata, neque in Orientalibus versionibus:) Quid fiet ergo de Hæreticis, & falsis Doctoribus, potestates a Deo constitutas blasphemantibus? Quod eorum erit supplicium, quæ pœna? Judicium, quo dæmones igni æterno damnantur, vocat *Judicium blasphemiæ*, damnationem execrationis, vel damnationem cum maledictione conjunctam: *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*, Matth. 25. 41. **D**

Quidam [4] ita explicant: non audent Angeli blasphemiam, & maledictum proferre, neque in eos ipsos Reges impios, qui magis adversantur Deo: quodnam ergo scelus erit eorum, qui audent obloqui de Ecclesiæ Principibus, vel terrenis potestatibus? sed prior præstat explicatio.

℣. 12. HI VERO VELUT IRRATIONABILIA PECORA, NATURALITER IN CAPTIONEM [5].] Hi autem tamquam animalia ratione carentia nata in hominum prædam, destinata vel ut ad laqueum trahantur, vel ut in venatione capiantur, atque occidantur, futura hominibus esca: hi inquam, hoc est hæretici *in his, quæ ignorant blasphemantes*, videlicet blasphemias evomentes in Christianam Religionem, ejusque mysteria, quæ supra suum captum sunt posita, justo Dei judicio *in* **E** *corruptione sua peribunt*, luent pœnas blasphemiarum suarum, suarumque libidinum. Similes sunt carnivoris illis animantibus, quæ temere in prædam irruen-

A tia, quin attendant ad illud periculum, cui sese objiciunt, ipsi sæpius eorum præda fiunt, quos impugnant. Ita falsi Doctores, Jesum Christum, ejusque Ecclesiam lacessentes, erunt victimæ ultionis illius, cujus sponsam contumeliis proscindunt, & cujus doctrinam blasphemant, quin illum cognoscant.

℣. 13 VOLUPTATEM EXISTIMANTES DIEI DELITIAS.] Hoc est in delitiis omnes vitæ suæ dies traducentes, vel potius [6] in singulos dies delitiis dediti, quin futura recogitent. Vel denique non pudet illos plena in luce eas impudicitias committere, quæ nocturnis tenebris celari consueverunt [7].

DELITIIS AFFLUENTES, IN CONVIVIIS SUIS LUXURIANTES VOBISCUM.] Plures [8] hoc explicant de turpissimis conviviis, quæ a Carpocratianis *agapæ* dicebantur, **B** ubi postquam abdomini inservierant, lucernæ extinguebantur, & obscœnissimis impudicitiis sese ingurgitabant, homines simul, & mulieres promiscue, & sine ulla distinctione commixti [9]. Pro *in conviviis suis*, Græcus editus legit, *in dolis suis* [10]; sed Manuscriptus Alexandrinus, aliique legunt *in agapis suis*, vel in conviviis charitatis, quod meliorem sane sensum adstruit. S. Judas in loco huic gemino hæc habet ℣. 12. *Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes &c.* S. Petrus isthic videtur innuere, fideles turpium eorum conviviorum fuisse participes: *in conviviis suis luxuriantes vobiscum*: sed innuere simpliciter vult, eos homines adlaborasse, ut hujusmodi impudicitias, vel aliquid simile inveherent in convivia charitatis, quæ erant apud fideles communia. **C** Fortasse etiam eorum hæreticorum flagitia nondum ad eum cumulum evaserant, in quo illa S. Clemens Alexandrinus describit [11]. Hæ agapæ, vel charitatis convivia initio quidem summa cum modestia, atque temperantia transigebantur, quoniam ibi JESU CHRISTI Corpus recipiebatur. Sed quamprimum plurimi invecti sunt abusus, de quibus S. Paulus etiam in Epistola 1. ad Corinth. 11. 20. conqueritur.

℣. 14. PLENOS ADULTERII, ET INCESSABILIS DELICTI.] Oculos habent lascivos, & impudicos, semper intentos, ut vel impurum amorem ipsi concipiant, vel aliis inspirent. Eos numquam claudunt, neque cessant intueri objecta, quæ in ipsis concupiscentiæ ignem succendant, eosque, ut ita dicam, in actu perennis peccati sustineant. Græcus ad litteram [12]: *oculos* **D** *plenos mulieris adulteræ, neque cessantes a peccato*. Sed alia exemplaria sunt Vulgatæ similia.

COR EXERCITATUM AVARITIA HABENTES [13].] Vidimus in Epistolis S. Pauli, avaritiam nonnumquam mala desideria significare, atque impurum amorem [14]; quo in sensu isthic explicari potest non secus ac de avaritia subdola, & insatiabili. Falsi Doctores æque & pecuniam, & voluptates deperibant.

MALEDICTIONIS FILII.] Qui Dei maledictionem merentur; quibus Deus aliquando dicet: abite maledicti in ignem æternum. *Filii maledictionis* dicuntur, quemadmodum filii iræ, filii gehennæ; quibus mors, ira, maledictio, præparatæ sunt.

℣. 15. DERELINQUENTES RECTAM VIAM ERRAVERUNT, SECUTI VIAM BALAAM.] Falsi Doctores erraverunt, relinquentes viam veritatis, atque justitiæ, & **E** incompositæ cordis sui desideria sequuti, imitati sunt Pseudo-Prophetam Balaam, qui ferre non potuit pollicitationes Balac Regis Moab, & pecuniam accepit, ut po-

1 Gagn. Pagn. Tigur. Cathar. Clarius, Salmeron. Erasm. Bez. Pisc. Grot. Est.
2 Adam. Gagn. Clarius, Salmeron. Ita & Grot. Gerhard. Est. Hammond. Cornel. hic. Vide & Oecumen.
3 Gloss. Lyran. Thom. Hugo. Dionys. Cathar. Tirin. &c.
4 Zeges. Pagn. Castal. Grot. Gem. alii.
5 Græc. Οὗτοι δὲ ὡς ἄλογα ζῶα φυσικὰ, γεγεννημένα εἰς ἅλωσιν. *Isti vero ut irrationabilia animalia, naturalia, in capturam & corruptionem*.
6 Ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν.
7 Erasm. Grot. Tig. Men. Gerhard. Est. alii.
8 1. Thessal. 5. 7. *Qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt*.
9 Vide Grot. hic. & Scholiast. in Mill. & Clem. Alex. lib. 3. Strom.
10 Ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν συνευωχούμενοι ὑμῖν. Alii ἐν ἀγάπαις. Ita MSS. Alex. Barb. Æth. Auth. Tract. de Singular. Cleric.
11 Clem. Alex. lib. 3. Strom. loco citato.
12 Ὀφθαλμοὺς ἔχοντες μεστοὺς μοιχαλίδος, καὶ ἀκαταπαύστους ἁμαρτίας. Alii Μεστοὺς μοιχείας, vel μοιχαλίας, vel μοιχαλίδος, & ἀκαταπαύστους ἁμαρτίας. Vide Mill. hic.
13 Καρδίαν γεγυμνασμένην πλεονεξίαις. Alii plures, πλεονεξίας.
14 Vide Ephes. 4. 19. Oecumen. hic. Est. Vide & Ephes. 5. 3. 5. Coloss. 3. 5.

ut populum Domini malediceret [1]. Sed videns, Deum non permittere, ut ei populo male imprecaretur, & in os sibi ingerere verba benedictionis in gratiam Israel, nequissimus hic Vates, diabolicum Moabitis consilium suggessit, quo Israelitæ in impudicitiam pertraherentur [2]; ratus futurum, ut Dominus hoc scelus in populo suo impune non pateretur. Ita magistri erroris, de quibus S. Petrus verba facit, se veros exhibent imitatores Balaam, in semetipsis omnem illius avaritiam, atque libidinem conjungentes.

Balaam ex Bosor.] Oriundus videlicet ex Bosor, quæ juxta hanc sententiam eadem esse debet Civitas ac Pachor, vel Phatura ad Euphratem, cujatem fuisse Balaam scimus [3]. Sed plerique [4] ita vertunt: *Balaam filius Bosor*, qui fortasse idem est ac *Beor* pater Balaam, de quo in Numerorum libris [5] est sermo. Græc. et quidam MSS. Syrus, S. Augustinus qu. 48. in Num. legunt *Beor* pro *Bosor*; & sane Authographi textus Syntaxis petit, ut de patre, non de Patria explicetur.

℣. 16. Subjugale mutum animal.] Nemo nescit historiam Asinæ Balaam, quæ hunc Prophetam allocuta est. Proprie quidem Angelus Domini illum injusti suscepti facinoris redarguit; sed Asinæ jam ad ipsum loqui cœperat [6], eique significaverat, institutum iter Deo acceptum non esse. Falsi Doctores ex hoc etiam loco sunt Balaam simillimi; licet enim re ipsa minime corripiantur e brutis ratione, & loquela carentibus; corripiuntur tamen ab iis, qui minori quidem, quam ipsi lumine præstent, sed illud in meliorem usum convertunt. Bona vita, & humilis simplicium fidelium docilitas damnationem efficiunt superborum earum mentium, in cogitationibus suis quidem errantium, in obscœna vero, atque flagitiosissima crimina prruentium.

℣. 17. Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatæ [7].] Prædicatores jure publicis fontibus, cuprosisque nubibus ubertatem ubique effundentibus comparantur: sed mali Prædicatores, de quibus hic S. Petrus verba facit, sunt veluti fontes exhausti, aquam promittentes, quin umquam ea tribuant; nubes in aere ventis, atque turbinibus agitatæ, quæ dissipantur, & aquam minime effundunt. Mendaces illi Doctores, quin populos erudiant, illos pervertunt, atque corrumpunt; virus in animos eorum instillant, quin illos sanæ doctrinæ aquis irrigent. Itaque illis *caligo tenebrarum reservatur*, in *tenebras exteriores* Inferni, de quibus sæpe in Evangelio sermo est [8], projicientur. Confer Epistolam S. Judæ ℣℣. 12. 13. *Nubes sine aqua, quibus procella tenebrarum servata est in æternum*.

℣. 18. Superba enim vanitatis loquens.] Priorum Hæreticorum doctrina tot scelerum monstris erat referta, ut via intelligere queas, quomodo illi discipulos invenire potuerint. Simon e.g. dicebat, Helenam suam fuisse Trojani belli occasionem [9], eamdem esse primam intelligentiam, & rerum omnium Matrem, atque per illam Patrem Angelos creasse; sed illam Creatoris voluntate perspecta inferius descendisse, & genuisse Angelos, aliasque spirituales potestates, quibus nullam Patris sui cognitionem tribuerat: has deinceps Angelos, has Potestates, mox Mundum, atque homines effecisse; sed ne illorum origo detegeretur, neque cognoscerentur ab hac Intelligentia producti, illam secum retinuisse, eamque sexcentis affecisse contumeliis, ne ad Patrem reverteretur. Eamdem etiam in variis mulierum corporibus conclusisse, inter cetera vero in corpore Helenæ Græcæ, & denique in ea Helena, quam ipse secum ducebat.

Se vero Christum esse, qui de Cœlo descenderet, ut Helenam suam redimeret, & per singulos Cœlos transeuntem (plures enim memorabat, & totidem intelligentias quibus regebantur) assumpsisse formam potestatis, quæ ibi dominabatur, tandem in terras dilapsum, hominis induisse figuram, licet re ipsa homo non esset, & in specie tantum e Judæis fuisset Crucifixus. Hoc satis, superque probat vanissimos ejus sermones.

Ad probandam vero Simonis vanitatem, atque superbiam dixisse sufficiat, Simonem, antequam baptismum reciperet, Samaritanis tamquam Dei virtutem se se venditasse [10]: asserebat ille, se ad homines descendisse [11], tamquam Patrem erga Samaritanos, Filium erga Judæos, & Spiritum Sanctum erga cæteras gentes. In quodam ex libris ab ipso conscriptis apud S. Hieronymum in Matth. 24. ajebat: ego sum Dei Verbum, ego pulchritudo, vel formosus Dei, ego paraclitus, ego Omnipotens, ego quidquid est in Deo. Alii temporis ejusdem Hæretici, ut qui illi successerunt, nomine Carpocratianorum, & Gnosticorum, neque magis erant modesti, nec æqui magis. At hæc sufficiant ad ea probanda, quæ a S. Petro hoc in loco dicuntur.

Pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ] Eos, qui paulo ante [12] Christianam Religionem fuerant amplexi, & qui ab hominibus errore imbutis recesserant. Corrumpunt corda, & animos eorum, qui ex Judaica, vel Ethnica Religione in Jesu Christi castra recens transierant, eisque errores suos, atque libidinis amorem inspirant. Hac illi utuntur illecebra, ut eos in sectam suam pertrahant. Aliquid jam superius attigimus de Simonianorum, Carpocratianorum, Cerinthianorum, Nicolaitarum impuritatibus. Omnes hujusmodi Hæretici jam male audiebant, etiam apud Ethnicos ipsos propter suas libidines, atque flagitia. Periculosissimæ struebantur insidiæ iis, qui recens Ethnicæ superstitionis nequitiam caverant, cum illis proponebatur nova Religio, quæ crassam quidem Idololatriam abdicabat, quin peteret tamen, ut impudicitia, & licentia, quæ ibi passim grassabantur, relinquerentur.

℣. 19. Libertatem illis promittentes.] Non solum a cæremoniis Mosaicæ Legis, verum etiam a mortificationibus, & austeritatibus, quas Jesu Christi Religio per Apostolos prædicata ab illis exigebat. Crux, humilitas, passio Salvatoris, Judæis quidem scandalum erant, gentibus autem stultitia [13]; falsi Doctores, & antiqui Hæretici viam invenerant, quomodo Judæorum, Ethnicorumque persecutiones effugerent, & auferrent Crucis scandalum [14], vel asserentes, Jesum Christum re ipsa non fuisse passum, vel dicentes, illum Deum non esse, vel hanc sibi licentiam vendicantes, ut extrinsecus religionem suam abdicarent, sensus dissimularent, immo extrinsecus etiam simularent, se Idola venerari, vel demum Ethnicam cum Christiana Religione conjungerent. Loco autem vitæ austeræ, castæ, & mortificationibus deditæ, quam Apostoli Discipulis suis inspirabant, hi novi Doctores quælibet impudicitiæ genera illis permittebant, dummodo ea clanculum patrarent, & fallerent Magistratus.

Nihil primis illis Hæreticis imputatur, cum hæc omnia de eorum sectatoribus dicuntur. S. Irenæus, S. Justinus, S. Epiphanius, Eusebius, & ut verbo me expediam, veteres omnes Ecclesiastici Auctores hanc eorum vitam fuisse, hæc præcepta testantur. Hoc S. Paulus sæpius illis exprobravit, hoc S. Petrus isthic indigitat, dicens, illos permittere sectatoribus suis *libertatem*, *cum ipsi servi sint corruptionis*, juxta illud axioma,

1 Num. 22. 7. 8. 9. & seq. 2 Num. 25. 2. 3. 4. 31. 8. Josue 13. 21.
3 Num. 22. 5. Grot. hic. 4 Ita Syr. Arab. Erasm. Adam. Cajet. Gagn. Est. Men. alii passim.
5 Num. 22. 5. 24. 3. 6 Num. 22. 31. 32. & seq.
7 Νεφέλαι ὑπὸ λαίλαπος ἐλαυνόμεναι. Alii plures: Καὶ ὁμίχλαι, ὑπὸ λαίλαπος, &c. Ita Alex. Steph. 8. *a. m. ry.* Barb. 2. Petr. 3. &c. 8 Matth. 8. 12. 22. 13. 9 Iren. lib. 1. cap. 20. Epiphan. hæres. 21. Justin. Apolog. 2. 10 Act. 8. 10. 11 Iren. lib. 1. cap. 20.
12 Τοὺς ὄντως ἀποφυγόντας. *Eos qui vere effugerant*. Alii: Τοὺς ὀλίγως, vel ὀλίγον ἀποφυγόντας. *Qui parumper vel ad breve tempus*. Vide Mill. V. Lect. hic. 13 1. Cor. 1. 23. 24.
14 1. Cor. 1. 17. & Galat. 5. 11. 6. 12. 13. 14. Philipp. 3. 18.

axioma; *a quo quis superatus est, hujus & servus est.* Hoc germanum est illi, quod apud S. Johannem Salvator ait Joan. 8. 34. *qui facit peccatum, servus est peccati;* & illi, quod S. Paulus ad Romanos 6. 16. inquit: *nescitis, quoniam, cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam?*

℣. 20. Si enim refugientes [1].] Si ubi ex Mundi corruptione evaserunt ad Christianam fidem conversi, & Dæmoni, atque Sathanæ in baptismate abrenunciantes, iterum se se subjiciunt servituti affectuum suorum, eorumque criminum, quæ expiaverant: *facta sunt eis posteriora, deteriora prioribus.* Hoc Salvator innuit in Evangelio Matth. 12. 45 per parabolam spiritus nequam, qui de sua sede ejectus loca arentia, atque deserta lustrat, recessum sibi conquirens, quo minime invento, secum septem alios spiritus se nequiores assumit, atque in priorem sedem revertitur, quam cum mundatam, atque desertam inveniat, illam rursus occupat, & posterior status illius, qui illa obsidetur, multo fit priori deterior. Cum Jesus Christus in Templo invenisset [2] paralyticum, quem post duodequadraginta ægritudinis annos curaverat, ait illi: *ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

At quomodonam calamitosior esse potest status illius, qui rursus, quam qui primum peccavit? videlicet, quod animus occallescit, recedunt gratiæ, peccandi habitus invalescit, & vulnera majori cum periculo refricantur. Peccator, qui in pristinum scelus relabitur, peccatis suis ingratitudinis etiam vitium adjungit, & Deus et plurimum ab illo recedit, eumque ipsi tradit secundum impœnitens cor illius. Non secus ac in morbis corporis, qui rursus iisdem afficitur, major in periculum adducitur, quam olim, quoniam viribus jam confectus est, neque par, ut accedenti morbo pristina cum virtute resistat; hoc ipsum pro ratione in animæ ægritudinibus accidit [3]. Salvator noster Pharisæis ajebat, Matth. 23. 15. illos terras, & maria lustrare, *ut proselytum facerent*, sed postmodum illum nocentiorem, atque magis dignum Inferni pœnis efficere, cum enim illis oculus aperuissent,

A ut Idololatriæ vanitatem videret, & impium illum cultum abdicaret; eumdem mox inducebant in gravissimas prævaricationes contra præcipua Legis præcepta, hæc in alienissimum sensum detorquentes. Et S. Paulus ad Christianos loquens, ait Heb. 6. 4. *impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum Cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti . . . & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam:* non quod Ecclesia, vel ipsis nequissimis peccatoribus pœnitentiæ aditum obstruat, sed quod eorum conversio perrara est, & perdifficilis.

℣. 21. Melius erat.] Minus nocentes fuissent, & error illorum magis venia dignus, si numquam veritatis viam cognovissent, *quam post agnitionem retrorsum converti.* Prævaricatione enim Sanctarum Christianæ
B Religionis Legum addunt ingrati animi vitium, infidelitatem, Apostasiam, contemptum Dei, & gratiarum, atque veritatum ejus. Ecclesia minus horret, ac timet inimicos suos extra sinum suum positos, quam infideles, rebellesque filios, qui intus illam onerant, dedecorant, atque discerpunt [4]: *indicavi, meliores esse inimicos foris positos, quam intus male viventes, quibus premitur, & gravatur Ecclesia*, ait S. Augustinus in Psal. 30. conc. 2.

℣. 22. Canis reversus ad vomitum.] Canis tantum cognoscitur immundum, atque impudens animal, qui iterum comedere possit ea, quæ semel evomuerit, quod cætera etiam horrent animantia. Judæi, vel Ethnici, qui Religionem Christianam amplexi eam relinquunt, et retrorsum convertuntur, similes
C sunt cani ad vomitum redeunti. Si Ethnica, & Judaica Religio bonæ erant, cur illas deseruerunt? sin autem malæ, cur ad easdem reversi sunt? S. Petrus ad Proverbiorum 26. 11. alludit: *sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam.* Hujusmodi sunt peccatores, qui peccata abominantur, in quæ quotidie rursus decidunt; *Sus lota* 4 *in volutabro luti*, quæ scilicet postquam lota fuit, iterum in luto se se volutat, hoc ipsum significat, & symbolum est animarum immundarum, quæ semper pravos habitus retinent, neque abjiciunt peccati, sordidatumque voluptatum amorem.

---

1 Ἐι γὰρ ἀποφυγόντες. Alii ὁι γὰρ. Et hæc vera lectio. Grot.
2 Joan. 5. 14.
3 Vide Chrysost. homil. de lapsu primi hominis.
4 Gregor. Magn. 3. parte Pastoral. admonit. 32.

CAPUT III.

Illusores novissimis temporibus venturi. Secundus JESU CHRISTI adventus. Mundus instaurabitur. JESUS CHRISTUS repente veniet; expectandus est. S. Pauli Epistolæ alicubi difficiles, quibus abutuntur insipientes.

1 HAnc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram ex-
cito in commonitione sinceram mentem: 2 Ut memores sitis eorum, quæ præ-
dixi, verborum a sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini
Salvatoris. 3 Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione
illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, 4 Dicentes: Ubi est promissio,
aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio
creaturæ. 5 Latet enim eos hoc volentes, quod cœli erant prius, & terra, de aqua,
& per aquam consistens Dei verbo, 6 Per quæ ille tunc mundus aqua inundatus pe-
riit: 7 Cœli autem, qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt,
igni reservati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum. 8 Unum ve-
ro hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille an-
ni, & mille anni sicut dies unus. 9 Non tardat Dominus promissionem suam, si-
cut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed

omnes ad pœnitentiam reverti. 10 Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. 11 Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, & pietatibus, 12 Expectantes, & properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent? 13 Novos vero cœlos, & novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat. 14 Propter quod, charissimi, hæc expectantes, satagite immaculati, & inviolati ei inveniri in pace. 15 Et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini; sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis. 16 Sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his; in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. 17 Vos igitur, fratres, præscientes custodite; ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate 18 Crescite vero in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria, & nunc, & in diem æternitatis. Amen.

℣. 1. HANC VOBIS SECUNDAM SCRIBO EPISTOLAM.] Priorem multos ante annos scripserat, quemadmodum ex Præfatione patet; & hic locus ostendit, hanc missam fuisse ad eosdem fideles ex Judaica Religione conversos, qui aderant in Provinciis Galatiæ, Bithyniæ, Ponti, Asiæ minoris, licet eorum nomina in Epistolæ hujus fronte minime legantur.

℣. 2. UT MEMORES SITIS EORUM.] De quibus in priori Epistola c. 1. locutus sum, cum dixi, Deum ipsis revelasse, quod vobis erat eventurum, & quæ nunc est felicitas vestra: His rebus illos olim maxime fuisse occupatos, atque studuisse, ut assequerentur sensum eorum, quæ hac de re illis Spiritus Sanctus revelaverat. Hodie quoque vobis commendo, quemadmodum & superius feci cap. 1. ℣. 19. 20. ut operam, B atque tempus transmittatis in studium Prophetiarum, quæ sunt tamquam lucerna lucens in caliginoso loco, & quæ vos in lucem adducit, ubi de Jesu Christo explicentur, & in illius persona complementum figurarum Legis antiquæ, Propheticarumque umbrarum ostendatur: *habemus firmiorem propheticum sermonem; cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat.*

ET APOSTOLORUM VESTRORUM.] Ne obliviscamini eorum, quæ viva voce ipse vos docui, neque eorum, quæ didicistis ex S. Paulo, qui & ipse vobis Evangelium prædicavit [1]. Scriptura in Actis non ait explicite, S. Petrum in Provinciis Asiæ docuisse, sed præter duas has Epistolas, quas scripsit ad earum Provinciarum fideles tamquam ad alumnos suos: habemus C etiam historicorum, veterumque Ecclesiasticorum Auctorum testimonium [2] referentium, Apostolorum Principem plures in Asia Ecclesias instituisse, & in Galatia, Bithynia, Ponto, Cappadocia prædicasse. S. Pauli autem itinera, & prædicationes in plerisque earum Provinciarum ex Apostolorum Actis, & Apostoli ejusdem Epistolis innotescunt.

Græcus ad litteram habet [3]: memento*te* sermonum Sanctorum Prophetarum, & *mandatorum nostrorum Apostolorum, Domini, & Salvatoris*. Vel: *mandatorum nostri, qui sumus Apostoli, Domini, & Salvatoris*. Pro *nostris Apostolis* exemplaria complura legunt, *Apostolis vestris*.

A Creditur in textu non deesse ordinis perturbatio, atque ita esse vertendum: mementote *præcepti eorum, quos Dominus, & Salvator vobis Apostolos dedit*. Hoc præceptum generatim omnem significat Apostolorum doctrinam, peculiariter vero id, quod S. Petrus in hac, & superiori Epistola illis inculcavit, ut fortiter adhæreant fidei, quam receperunt, quin a falsis doctoribus se falli patiantur.

℣. 3. VENIENT IN NOVISSIMIS DIEBUS IN DECEPTIONE ILLUSORES.] Hoc de iis explicatur, quæ ante novissimum Judicii diem eventura sunt [4], & de iis, quæ & ante, & post Jerosolymitanum excidium acciderunt [5]. Itaque hæc S. Petri prædictio duplex habet objectum, alterum proximum, alterum remotum. Pseudo-prophetæ, & seductores, qui ante, & B post Romanorum bellum contra Judæos bellatum apparuerant, præcursores sunt, & figuræ eorum, quæ ad Mundi finem sunt eventura. Salvator noster in Evangelio, & S. Paulus in Epistolis suis duo hæc objecta fere semper commiscent. Hæc est fere jugis Scripturarum, Prophetarumque consuetudo, præmittentium factum aliquod facti alterius multo post futuri figuram, & symbolum, atque pignus eorum, quæ mox debent accidere. Conferri possunt ea, quæ S. Paulus inquit 2. ad Timotheum 4. 1. & S. Judas in versiculo 18. Epistolæ suæ.

Illusores [6] isti, qui religionem in jocum traducunt, & sanctissima quoque vertunt in ludibrium, sunt Simoniani, discipuli Menandri, Valentini, Basilidis, Manes, Marcionis, Nicolaitæ, Carpocratiani, Ce- C rinthiani, Ebionitæ, Gnostici, ac tot alii pestes, quæ tribus, quatuorve primis Ecclesiæ sæculis grassatæ sunt; & ii, qui eisdem sæculis futuris successerunt in hæresi, aut schismate; numquam enim Ecclesia inimicis, & persecutoribus caruit.

℣. 4. UBI EST PROMISSIO, AUT ADVENTUS EJUS?] Plerique Hæretici, qui S. Petro vivo, & post mortem illius prodierunt, resurrectionem negabant. Hanc negabat Simon Magus, & Sectatores ejus [7], Nicolaitæ [8], Gnostici [9], Cerinthiani [10], Arcontici [11], Saturninos [12], Basilides [13], Valentiniani [14], Marcionitæ [15], Marcositæ [16], Apelles [17], Bardesanes [18], Cainitæ [19], Menander [20]. Nullum Christianæ re-

1 Vide Act. 13. 14. 16. 18. 20. & Epist. Galat. Ephes. Coloss. Philipp. 2 Euseb. Hist. Eccl. lib. 3. cap. 1. pag. 71. & cap. 4. pag. 73. Hieronym. de Viris Illustr. cap. 1. Leo Magn. serm. 80. Synops. S. Athanas. in Petro. Epiphan. hæresi 27. Theodoret. Præfat. in Galat. 3 Μνησθῆναι . . . καὶ τῆς τῶν Ἀποστόλων ἡμῶν ἐντολῆς, τοῦ Κυρίου, καὶ σωτῆρος. Alii plures: Τῶν Ἀποστόλων ὑμῶν. Ita Alex. Complut. Colin. Arab. & alii.
4 August. lib. 20 cap. 18. Medul, alii plures. 5 Vide Est. Cornel. a Lapide. Grot.
6 Ἐμπαῖκται. Hebr. לצים frequentes in Proverb. Plures Græci: Ἐν ἐμπαιγμονῇ ἐμπαῖκται. August. lib. 20. de Civit. cap. 18. *Illusione illudentes*.
7 Epiphan. hæres. 21. August. hæres. 1. 8 August. hæres. 18. 9 Epiphan. hæres. 26. cap. 15.
10 Epiphan. hæres. 28. cap. 6. 11 Epiphan. hæres. 40. cap. 2. 12 Tertull. Præscript. cap. 46.
13 Idem loco cit. 14 Idem ibidem, cap. 33. 15 Iren. lib. 1. cap. 29.
16 Epiphan. hæres. 45. cap. 2. 17 Epiphan. hæres. 24. cap. 4. 18 Epiphan hæres. 56. cap. 2.
19 August. hæres. 18. 20 Iren. lib. 1. cap. 21. Tertull. Præscription. cap. 46.

næ religionis dogmemegis in dubium vocatum fuit ; A
at nullum item melius ab Ecclesia probatum, & apertius ab Apostalis memeretum.

℣. 5. LATET ENIM EOS HOC VOLENTES.] Ex voluntaria ignorantia non considerant, a Deo Mundum verbo ipsius fuisse creatum, atque ejusdem imperio eu nihilo depromptum. Atqui si universum Orbem creare potuit, quis eegaverit, illum posse, & corpora nostra de puleere educere, novamque illis vitam conferre ? Ita etiam potest iotelligi : hujusmodi irrisorec per ludibrium quærunt ; quo eatidit promissio adventur Jesu Christi [1] ? Ajunt, omnia semper in eodem statu permenere, in quo erant ab initio, nullem adesse speciem, futurum et aliquando immutentor ; etque ita nullum futurum Mundi incendium, nullem corporum reforrectionem, oullum judicium, nullum B
Jesu Christi edventum. S. Petros illis respondet ; licet Mundus, hnc est terra, qoam habitamos, egressa sit de abysso, eel chaos, ubi eb initio erat immersa, & licet tot sæcolis eo io stato permanserie, in quo eamdem hodie videmus ; novisse ramen Deum potentia sua terras aquis iterum submergere, unde illas eduxerat, eum immisso diluvio universum humanum genus, Noe excepto, deleeit. Quis igitur ambigat, non posse Deum illas per ignem treducere, quemedmodum tunc treduxit per aquec ? numquid hoc Deo difficilius est ? Hic eeros esse Apostoli sensus videtor.

TERRA DE AQUA, ET PER AQUAM CONSISTANS DEI VERBO.] Terra de sinu abyssi, vel de chaos egressa est, qeemadmodum Moyses testatur [2] ; *tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Dei ferebatur super aquas .... & fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum .... dixit vero Deus : congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt in locum unum, & appareat arida : &* C
factum est ita. Ad hæc, *terra per aquam consistit* ; nisi eoim terra aquis madefieret, in pulverem redigeretoc, nullamque haberet, eel soliditatem, vel pulchritudinem, vel fertilitetem [3]. Alii Græcum ite vertunt [4] ; *aqua consistit in medio aquarum* ; undequaque aquis ambitur, illis innetat : atque eu dimidia parte illis quodammodo submergitur. Hæc est Orientelium sententie ; qui dicunt, Terrem equis innatare, pepoois instet. In Dissertatione de Mundi systemare eu Veterum Hebræorom sententie ostendimus, hæc illos de eerre cogiraffe, & complures eu antiquis Philolophis D
eedem sensisse [5].

℣. 6. PER QUÆ [6] ILLE TUNC MUNDUS.] Per aquas ipsas, per quas Terra subsistit, hæc tum temporis submersa fuie. Aliter ; *per Cælos* Terre aquis fuit submersa, cum apertæ sunt Cœli cataractæ, & ingentia aquerum supernatum receptecula se se effoderunt io Terras [7]. Alii [8] vertunt, *per quæ* ; ideo cum Mundus tune aquis diluvii fuerit submersoc, æquum est quodammodo, et Mundus hic reservetor flammis absumendus. ℣. 7. Profecto minus fieri posse eidebatur, aridum elementom, quod Omnipotentis mano ex aquis fuerat eductum, & qood, ot ita dicam, aqois tamquam fundamento innitebatur, & per aquas tantummodo subsistebet, per hoc ipsom elementum peritorem esse, quem eideatur perire posse per ignem, qui natu- E
ræ est prorsus oppositæ, natus ad ea omnia absumenda, quæ terra producit, eum eque è contra ortum, vitam, incrementum, & eim iis omnibus tribuet, quę sunt in terra, & super terram.

℣. 7. COELI, QUI NUNC SUNT, ET TERRA EODEM VERBO REPOSITI 9 IGNI RESERVATI.] Idem verbum Dei, quod Cœlos, Terrasque de nihilo eduxit, & jussit, terrem de abysso emergere, eamque diluvii aquis submersit ; hoc verbum, inquem, minitetum est, se Mundum hunc aliquendo per flammas esse traductorum. Hæ igitor minæ ad litterem eaplebuntur, licet facti hujus nulla species videatur. S. Petrus *Cœlum, Terramque* vocat Mundom, quem ipsi incolimus ; hoc est, Teeram, Aquac, plantas, animalia, & aerem universe ambientem. At minime reor, *Cœli* nomine intelligendos esse omnes Cœlestes globos, & sydera, quæ adeo supra nos sunt posita. Iguis, quo Terre ebsumenda est, fortasse illuc usque nun pervedet. Inflammabitur eer, & Terra, & aqua vel absumentur, vel immutabuntur. Hoc aurem fosius io Dissertetione de Mundi fine ad exemen vocatum est.

Traditio, quæ credit, Mundum igni absomendom, est eetustissima. Josephos Antiqu. l. 1. cap. 3. aic, Adam prædixisse, Moodum bis periturum, semel aquis, iterum flammis. Philosophi Veteres, sive hoc didicissent eu popolorom traditione, sive hnc ex naturalium causerum consideratione cognoeissent, hoc similiter prædixerant. Zeno etiem hoc Stoicos docuerat, Pythegoras, Heraelitus, Sophocles, Seneca, Ovidius [10], Luceaus, Sybillæ, hoc perspicuis eerbis trediderant. *Sydera syderibus incurrent, & omni flagrante materia, uno igne quidquid nunc ex dispositio lucet, ardebit*, ait Seneca ad Martiam io fine.

℣. 8. UNUM HOC VOS NON LATEAT.] At enim si Jesus Christos venturus est ad morteles omnes judicandos, & si Terra in ignem est redigenda, cur ejus rei nolla edhuc species visa est ? Numquid Mundus nondum seelerum suorum mensuram implevit ? Quot flagitia plurimis ab hinc sæculis Terrarum Orbem inunderuns, quæ sexcenties Dei iram armare debuissent, ut terram perderet, si quendo illam erat perditurus ?

At mementore, hanc sæculorum seriem, quæ vobis adeo diuturna eidetur, breve dumtaxat momentum esse coram Deo, & hanc Dei patientiam, quæ vobis qoodammodo scandelum infert, nihil esse Deo infinito, immortali, & æterno [11]. Nonne satis diuturnum vindictæ exercendæ contra impios homines in omni æternitate illi spatium supererit ?

Quamdiu Gigantum impotentiam, & scelera ante diluvium passus est ? Numquid tunc major eppparebat terribilis illius cataclysmi species, quam nunc totius Terræ generalis incendii videatur ? Quantæ ignis in Terræ visceribus, atque in fossilibus ejus ? Quantum materiæ ad ignem concipiendum aptissimæ ? Quot regiones jam Solaribus radiis exustæ ? Quot inhospiti propter ariditatem loci ? Omnia nobis ignem minitantur. Sydera, quæ lucent, ac tribuunt, ut ita dicam, naturæ universæ vitem, & motum, omnia in flammas redigerent, si aliquot gradibus ad nos propius accederent.

℣. 9. NON TARDET DOMINUS.] Videtur vobis hæc dies nimium differri : at veniet, eum tempus erit præstitutum [12]. Dominus *patientiam agit propter vos nolens aliquos perire*. Illi gratias agite ob ejus clementiam, neque hujus moræ vos tædeat ; hæc enim mora illius est patientiæ vos ad pœnitentiam invitantis, & vestram tantummodo felicitatem, atque salutem quærentis. Vos illi rationem reddituri estis temporis, quod vobis permittit, ut agatis pœnitentiam, & ad se revertamini. *Nolens aliquos perire*. Omnibus communia, & generalia præbuit subsidia, quibus ad nostrem salutem, ejus favente gratia, uti possemus. Si perimus, nobis tantum irascamur ; non clementiam, neque justitiam illius accusemus. Ejus cle-

1 Cornel. Menoch. 2 Genes. 1. 2. 3. & seq. 3 Vide Est. Men. Cornel. Jac. Capell.
4 Δι' ὕδατος συνεστῶσα. 5 Dissertat. io Systema veterum Hebræorum art. 4. & 6.
6 Δι' ὧν, *per quæ, qua de causa*. Alii, δι' ὅ, oempe λόγῳ Θεοῦ. Arab. δι' ὧ. Nempe Cœlos.
7 Genes. 7. 11. Ita Beda. Gloss. Vat. Est. Cornel. Gagn. Men. alii. 8 Pagn. Grot. Pisc. Knatchbul. Ben.
9 Τεθησαυρισμένοι εἰσί. *Quasi in thesauro providentia conditi & servati ad futurum incendium.*
10 Ovid.

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

11 Plutarc. de Consol. 12 Est. Menoch. Cornel. alii.

clementia semper est parata, ut nos recipiat; nos illa invitat, nobis manus tendit: justitia vero illius nostra tantum scelera punit, & iniquitates. Secreta, atque terribilia ipsius judicia adoremus; contremiscamus, & humiliemus nosmet sub potenti manu illius; non ignaviam nostram, non impœnitentiam excusemus.

℣. 10. ADVENIET DIES DOMINI UT FUR.] Græcus, & complura Latina exemplaria addunt [1] *tanquam fur in nocte*. In Apocalypsi 3. 3. & 16. 15. minitatur Dominus, se furis instar venturum, ubi securius vita ducetur. S. Paulus in Epistola prima ad Thessalonicenses 5. 2. habet: *dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet*. Complures etiam alii Patres [2] crediderunt, Judicii diem noctu venturum, & nocturno tempore in altero adventu suo Dominum in nubibus adfuturum. At quocumque tempore venerit, dubium non est, quo minus veniat *tanquam fur*, atque furtivo gradu, ut eos, qui in somno fallacissimæ securitatis quiescunt, deprehendat.

IN QUO CÆLI MAGNO IMPETU.] Græcus ad litteram [3]: *in quo magno sibilo Cæli transibunt*; Tanquam vehementes venti, aut veluti volucres volatus pernicissimi, aut sagittæ per aerem celerrime emissæ. Cæli transire, & evanescere nostris videbuntur oculis, quod Tellus ipsa violenter agitabitur, atque succendetur igni valido, rapidoque, cujus vi elementa, & metalla omnia liquescent, & Terra cum iis omnibus quæ continet, cito comburetur: *elementa calore solventur; Terra autem, & ea, quæ in ipsa sunt, opera exurentur*. Videri potest nostra de Mundi fine Dissertatio.

℣. 11. CUM IGITUR HÆC OMNIA DISSOLVENDA SINT,] quæ esse debet vitæ nostræ ratio, atque integritas? Si ultionem suam tanta cum severitate in ea ipsa, quæ anima carent, exercebit, eo quod profanata fuerunt per abusum hominum impiorum, quæ pœna manet peccatores ipsos, qui Dei Majestatem injuriis affecerunt, nominis ipsius sanctitatem polluerunt, & sanguinem fœderis ejusdem conculcarunt? Si ulla absque misericordia Cœlum, Terramque, formosas adeo, atque pretiosas Universorum partes dispendet, quid impiis accidet, qui tot rationibus Dei Omnipotentis majestatem irritaverunt?

℣. 12. EXPECTANTES, ET PROPERANTES IN ADVENTUM DIEI.] Quin in pertinacia, atque impœnitentia persistatis, temere sperantes, diem Domini non venturum, cur non ita vitam traducitis, ut desiderare debeatis ejus quam celerrimum adventum? [4] Vivite in vigilantia, pietate, virtutum exercitatione, quarum exemplum vobis tradidit Deus; ut terribilis ejus diei expectatio non terrorem, sed solatium vobis adferat, & objectum fiat votorum vestrorum. Græcus [5] verti potest: *Expectantes, & accelerantes quodammodo Dominici diei adventum vestris desideriis*.

℣. 13. NOVOS COELOS, ET NOVAM TERRAM.] Hæc verba perspicue satis indigitant, neque Cœlum, neque Terram in nihilum, aut in Chaos redituta, neque penitus interitura. Immutabuntur solum quo ad formam, atque extrinsecas qualitates [6]; sed substantialis eorum forma semper vigebit. Hæc erit Terra; illi erunt Cœli, sed puriores, atque perfectiores. Non deerunt incolæ in Terra; sed in illis justitia dominabitur: *in quibus justitia inhabitat*. Homines resuscitati novi illius Mundi incolæ nequaquam erunt, quales hodie A sumus injusti, perjuri, vani, superbi, mendaces, impii.

At quinam hi erunt novæ Terræ coloni? Theologi quidam [7] credunt, fore pueros sine baptismate, atque ante rationis usum denatos, qui post resurrectionem in Mundo vivent, quin vel beatifica visione, immo neque naturali beatitudine perfruantur, quæ fuit Theologorum nonnullorum sententia [8]. Perficientur eorum corpus & anima, ut in æternitate amare possint, & laudare Deum, qui illos a peccato actuali, & pœnis inferni liberavit. Terra, ex nonnullorum sententia [9] tunc iterum suis convestietur ornamentis; Ibi videbuntur flores, fructus, arbores, metalla, pretiosi lapides, quæ omnia & Mundi pulchritudini & innocentium incolarum voluptati maxime conferent.

B Antiqui Millenarii [10] credunt, electos post resurrectionem annos mille in Terra nova, quæ in Scripturis *Terra viventium* dicitur, permansuros. S. Joannes in Apocalypsin 21. 1. describens beatorum sedem, illam Cœlum novum, & Terram novam appellat; eamque describit tanquam Civitatem ornatissimam, in quam nihil pollutum, nihil immundum ingredietur, sed ibi eos tantum permansuros, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ Agni. Hic Mundus in sedes erit veritatis, atque justitiæ. Iniquitas & mendacium inde procul exulabunt, Creaturæ, quæ fuerant impietatis, & sceleris instrumentum, quantum in ipsis erit, pietati, atque justitiæ inservient. Tunc videbitur, quod dicit in Epistola ad Romanos 8. 20. S. Paulus: *vanitati Creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit* C *eam in spe, quia & ipsa Creatura liberabitur a servitute corruptionis*. Hoc accidet post resurrectionem, inquit S. Ambrosius [11], cum induti erimus immortalitate, & Creaturæ, quæ in hac jacent servitute, in qua vanitatis & corruptionis instrumenta esse coguntur, aliquando ex illa liberabuntur.

℣. 14. SATAGITE IMMACULATI, ET INVIOLATI EI INVENIRI IN PACE.] Pacem, & concordiam cum fratribus vestris servate, ut cum venerit Deus, viventes, & mortuos judicaturus, mundos, atque irreprehensibiles vos inveniat. Alii ea verba *in pace* ita connectunt: expectate *has res in pace*; expectate tranquille effectum promissionum Dei, & supremi Judicis adventum. Vivite eo pacto, ut terribilis ea dies vobis non sit metuenda; sed illa vos in pace, & vigilantia reperiat; D in pace cum Deo, cum proximo vestro, & cum vobismet ipsis [12]. Vel cum Grotio: satagite, ut Deus vos inveniat *in pace* puros, & sine macula pro æterna beatitudine vestra, & felicitate.

℣. 15. SICUT ET CHARISSIMUS FRATER NOSTER PAULUS.] S. Paulus scripserat ad Galatas, qui sunt ex eorum numero, ad quos duæ S. Petri Epistolæ inscriptæ sunt: sed cum S. Paulus ad fideles scriberet, qui ex Ethnica religione conversi fuerant, dici minime potest illi mens fuisse scribendi ad Hebreos ejus Provinciæ, qui in Jesu Christi fidem transierat. Hoc igitur explicandum est de S. Pauli Epistola ad Hebræos, cui omnes illi conveniunt characteres, quos in hoc loco memorat S. Petrus. E Primo quidem Apostolus ibi ostendit sapientiam, scientiam, atque rerum, verborumque magnitudinem, quam in aliis Epistolis, majorem. Secundo non desunt ibi quædam difficilia, quæ intelligan-

1 *Ut fur in nocte*. Græc. impress. Ὡς κλέπτης ἐν νυκτί, omittunt ἐν νυκτί. Alex. Colb. 7. Per. 3. Genev. Copht. Syr. Æth. Didym. August. alii. 2 Vide Hieronym. in Matth. 25. 6. Chrys. Theophyl. Euthym. ibidem. Lactant. lib. 7. c. 19. Prudent. Hymn. Cathemerin. 3 Ῥοιζηδὸν παρελεύσονται. Quidam e Ῥοιζηδόν. Alex. Petit. 2. Cov. 2. Sin. &c. Ῥοιζηδόν, σφοδρῶς ἠχητικῶς. Hesych.

4 Senec. ad Martiam, cap. 23. *Sapientis animus totus in mortem prominet: hoc vult, hoc meditatur, hac semper cupidine fertur in exteriora tendens.* 5 Προσδοκῶντας, καὶ σπεύδοντας τὴν παρουσίαν τῆς τοῦ Θεοῦ ἡμέρας. *Expectantes, & accelerantes, vel expectantes & optantes, &c.* 6 Est. Men. Tir. Vide Gennad. de Eccles. Dogm. cap. 70. Gregor. lib. 17. Moral. cap. 5. & Grot. hic. 7 Vide Lessium, de Attributis Divin. lib. 13. cap. 23. Ex D. Thoma, Scoto, Marsil. Dominic. Soto, & aliis. Cornel. hic.

8 Cathar. & Salmer. hic. 9 Anselm. in Elucidar. Catharin. hic Abulens. in Matth. 25. Serar. in Judith. 16. q. 2. Pic. Mirand. in Heptaplo. Vide Cornel. hic. Guillelm. Paris. apud Dionys. Carth. in 4. dist. 47.

10 Justin. Dialog. cum Tryphone. Auth. qu. ad Orthodox. qu. 95. Irenæ. lib. 5. cap. 32. 35. Victorin. Lactant. Sulpit. Sever. alii. 11 Ambros. Ep. 34. nov. edit. n. 5. Vide Est. in hunc locum.

12 Vide Est. Men. Tirin. &c.

gantur, & explicentur, veluti ea, quæ ait de veteri Sacerdotio cum recenti collato, de Melchisedech, de Mosaicæ Legis abrogatione. Tertio denique, quod magis adhuc notandum est, Apostolus ibi non semel easdem iterat veritates [1], quas S. Petrus superius proposuit, videlicet constanter Domini adventum esse expectandum; Dei patientiam illos expectare, ut eorum misereseat, ejusque mortis ad eorum salutem conferre. Vide Præfationem in Epistolam ad Hebræos.

℣. 16. SICUT ET IN OMNIBUS EPISTOLIS.] S. Paulus in omnibus Epistolis suis multa loquitur de Domini adventu, resurrectione, necessitate patientiæ, de bonis operibus, & vita æterna. Ubique falsos Doctores impugnat, illos Crucis Jesu Christi inimicos, quorum Deus venter est, & qui in iis suam gloriam constituunt, quæ illis pudorem, & verecundiam ciere deberent. Hoc significat, S. Pauli Epistolas jam tum in Ecclesia fuisse celeberrimas. S. Petrus Judæis conversis ostendit, se perfecte cum S. Paulo consentire, & eamdem utrique esse doctrinam. Credimus, S. Petrum, & S. Paulum simul tunc Romæ fuisse, paulo ante quam uterque martyrii coronam assequerentur.

IN QUIBUS [2] SUNT QUÆDAM DIFFICILIA INTELLECTU.] Nemo nescit, S. Pauli Epistolas partem esse Scripturæ difficillimam explicatu. Illæ præsertim crucem figebant, & difficultatem afferebant fidelibus ex Judaica religione conversis; nam S. Paulus tanquam Gentilium Apostolus ibi indesinenter fidei virtutem, cæremonialium operum inutilitatem ad salutem, novi Testamenti præ antiquo amplitudinem, purificationum Legalium, distinctionis ciborum, & circumcisionis abrogationem urgebat. Ubi declamabat contra Judæos Doctores, Gentilibus conversis non ferendum Legis jugum imponere cupientes; quæ omnia irritabant Judæos conversos, eorumque plurimis etiam scandalum afferebant: sed cum S. Paulus necessitate cogeretur, sustinere has fundamentales Christianæ religionis veritates, minus illos offendere verebatur, quam suum ministerium, & religionis causam in re tanti momenti deserere. Opus igitur erat, ut illos S. Petrus confirmaret, eisque diceret, ab Apostolo non aliud doceri, nisi doctrinam eamdem, quam alii etiam Apostoli tradebant; & quod illos offendere poterat, ideo tantum hunc affectum gignere, quod Pauli mentem non assequebantur, & quid ille innueret, non satis ipsi intelligebant.

QUÆ INDOCTI, ET INSTABILES DEPRAVANT.] Hoc etiam dictum est contra falsos Doctores, & Hæreticos eorum temporum, Scripturas veteris, novique Testamenti variis modis corrumpentium, quorum quidam ipsos Scripturarum textus depravabant, atque pro libidine immutabant. Antiqui Patres [3] plurimum conquesti sunt de Judæis, utpote qui ex Sanctis Bibliis plurimos expunxerint locos, qui Jesu Christo favere videbantur: alii vero, qui in textum attingerent, illum detorquebant in sensus veritati, fidei, & explicationi, Jesu Christi, atque Discipulorum ejus prorsus oppositos.

Alii Evangelia & Apostolorum scripta impugnabant: neque aliquis adeo rudis est, qui ignoret quorumdam Hæreticorum audaciam primis illis seculis falsa Evangelia, falsas Apostolorum Epistolas, falsa Acta, falsas historias obtrudere, & commentari conantium. S. Paulus Thessalonicenses monet [4], ne se decipi sinant ab iis, qui Epistolas tanquam ab ipso conscriptas ostentabant. Quidam veris Evangeliis addebant, quidam illis adimebant; Hæc fortasse mala nondum adeo late patebant, uti deinceps; sed jam incipiebant, nec deerant exempla.

Majores abusus, qui tunc invehebantur, spectabant S. Pauli Epistolas, quæ in omnium fidelium manibus versabantur, & quibus abutebantur, quidam quidem, ut Apostolum in invidiam raperent, tanquam Mosaicæ Legis inimicum; alii vero, ut affirmarent, opera ad salutem esse inutilia, ac solam Legem ad nostram justificationem sufficere. Alii denique inde inferebant, nos ab Evangelio in libertatem fuisse evocatos, & semel a Jesu Christo sanguinis sui pretio redemptos, liberrime posse omnibus nosmet vitiis ingurgitare, quin salus nostra ullum detrimentum patiatur. Flagitiosa complurium Hæreticorum vita, qui se Christianos ferebant, satis probat, hos abusus tunc re ipsa late percrebuisse. Non satis est Scripturam legere, & versare, audienda insuper est Ecclesia, ut verus illius sensus intelligatur. *Quæramus in nostro, & a nostris, & de nostro, idque dumtaxat quod salva regula fidei potest in quæstionem devenire*, ait Tertullianus de Præscript. *Cedat curiositas fidei; cedat gloria saluti; certe aut non obstrepant, aut quiescant.*

℣. 17. CUSTODITE NE INSIPIENTIUM] pravorum hujusmodi Doctorum scripturas, sanamque doctrinam adulterantium, *errore traducti excidatis a propria firmitate*, & in fide naufragium faciatis. Cavete ne illos imitemini, de quibus loquitur Salvator in Evangelio Luc. 8. 13. qui cum primum alacriter verbum receperint, firmas tamen radices non jaciunt, & in tempore tentationis & afflictionis recedunt.

℣. 18. CRESCITE VERO IN GRATIA.] Per fidem, atque zelum vestrum Christianas virtutes exercere, & quotidie novas gratias ab Auctore omnium perfectorum donorum mereri conamini. Divina ope favente adlaborate, ut in singulos dies Patris gratiam demereamini. *Crescite in gratia & in cognitione Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi*: utinam valeatis illius assequi mysteria, ejus magnalia cognoscere, & fateri, uti oportet, quidquid illi debetis, eumdem laudibus extollentes *& nunc, & in diem æternitatis, Amen.*

1 Hebr. 11. 10. 13. 14. 16. 40. 12. 1. 2. 3. 5. 6. 7. & seq. 12. 13. 14. 15. &c. 13. 1. 2. 3. . . . 10. 14. 4. 9. 10. 11. &c. 10. 32. 33. & seq.

2 Ἐν ἷς ἐστι δυσνόητά τινα. Alii; Ἐν οἷς ἐστι. &c. *In quibus*, supple, *Epistolis*. Ita Steph. 2. 3. 11. Alex. Barb. 2. Arab. Æth. 3 Justin. Dialog. cum Tryphon. Iren. lib. 3. cap. 24. & lib. 4. cap. 25. Origen. lib. contra Cels. & homil. 21. in Jerem. Epiphan. de Ponderibus & Mensuris.

4 2. Thessal. 2. 2. *Ut non terreamini neque per Epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini.*

Finis secundæ Epistolæ S. Petri.

PRÆ-

PRÆFATIO IN PRIMAM EPSITOLAM S. JOANNIS.

PRima S. Joannis Epistola Canonicam semper in Ecclesia authoritatem obtinuit. Unde, quando, quibus scripta fuerit, ignoramus, tantumque de ea varias producimus conjecturas. Augustinus, quæst. Evangel. l. 2. c. 39. & alii nonnulli [1] *Epistolam ad Parthos* appellant; quo nomine Grotius designatos censet omnes Judæorum Fideles, qui non Romanis, sed Parthis, tum cum Romanis de Orientis Imperio decertantibus parebant, eos vero potissimum, qui Neardæ, Nisibi, & alibi trans Euphratem versabantur.

Ex hac *Epistolæ ad Parthos* inscriptione Joannem ad Parthos prædicasse Baronius ad ann. 34. §. 30. deducit. Revera Fidei apud Indos propagatores ferunt, traditione Indos habere, quod Evangelium in eorum Regiones Joannes invexerit. Sed hæc maxime incerta. Apud Veteres, quod Joannes in eas regiones se contulerit, nulla mentio. Esto etiam, Epistolam hanc ad Parthos direxerit, anne proinde, ut eo migraverit, necessitas postulavit? S. Paulus enim ad Romanos scripsit, eos nondum viderat; scripsit etiam ad Colossenses, ad quos divertisse illum nullibi patet.

Ligfootus horæ Hebr. in 1. Cor. 1. 14. de Ecclesia, ad quam Joannes scripserit, aliam conjecturam producit. Joannes, inquit, in tertia sua ad Gajum Epistola [2] *se jam Ecclesiæ scripsisse* testatur; ei sane Ecclesiæ, in qua Gajus versabatur. Aliunde, Corinthi nonnisi Crispum & Cajum, seu Gajum ablutos fuisse Baptismate ab Apostolo Paulo scimus [3]. Quare ad Corinthi Ecclesiam hanc Epistolam dedisse jure Joannes creditur; quam enim aliam, præter hanc, ad eam Ecclesiam Joannes scripserit? Satius equidem hanc statuimus, quam aliquam aliam deperditam asseramus. Hæc Ligfootus, quæ tamen doctis dijudicanda relinquit. Nos vero huic sententiæ neminem facile adhæsurum putamus, quod conjectura sit imbecillior; maxime enim ambigitur, an Cajus, ad quem Joannes suam dedit Epistolam, Corinthi, an potius in Asia & ortum, & domicilium habuerit.

Discrimen etiam, an Joannes ad Ethnicos, an ad Judæos Fideles hanc eamdem scripserit. Plerique stant pro Judæis; cui nos opinioni adversum nihil per totam Epistolam advertimus. Bartholomæus Petri, qui Opus in hanc Epistolam ab Estio inceptum & prope perfectum continuavit, inde & ad Gentes Joannem scripsisse haurit, quod eos ad idololatriæ fugam cohortetur [4]: *Custodite vos a simulacris*. Quis vero prohibet, quominus S. Apostolus Judæos ita monuerit, ne in Regionibus cæteris, & in mediis Ethnicis & Idololatris degentes, facile ad Idolorum cultum perducerentur?

Hujus Epistolæ Author nullibi nomine suo adscripto, ita semper loquitur, ut se nullatenus prodat; proditur vero a stilo, a methodo, a sententiis, & potissimum a charitate, qua Joannes affluens per totam Epistolam undique redundat. Per eadem, per quæ Evangelium, verba exorditur: *In principio*, vocem *Logos* [5] adhibet, ut Dei Filium designet, & Græcum verbum *erotao* [6], quod *interrogare* significat, pro *rogare* usurpat. Suo vero nomine, inquit Grotius, quemadmodum Apocalypsim, & hanc Epistolam non inscripsit, ne Romanis, cum eam ad Regiones illis infensas per Mercatores Ephesios mitteret, de suis Epistolis suspicionem crearet, & in Christianos eorumdem odium, & persecutionem excitaret. Baronius *Epistolam ad Parthos* inscriptam, inscriptionem vero deperditam censet.

Paulo ante Jerosolymæ eversionem in Insula Pathmos hanc Joannem dedisse, Grotius antumat; & revera proximi Urbis Jerosolymæ excidii mentio fieri videtur, illis verbis [7]: *Filioli novissima hora est*. Verum Grotius, qui e Pathmos Insula scriptam asserit, S. Joannem annis pluribus [8] post Judæorum bellum & Jerosolymæ excidium in eam Insulam a Domitiano amandatum fuisse, reminisci debuerat.

Diu postquam ab exilio reversus fuerat, ab Joanne exaratam alii putant [9]. Verum adversus Cerinthi, & Simonis Discipulos, aliosque ejusdem ætatis hæreticos Christi Divinitatem impugnantes, & eum non vere, sed per speciem tantummodo venisse asserentes, scriptam fuisse & legentibus constat, & S. Clementis Alexandrini, S. Epiphanii, S. Hieronymi, aliorumque plurimorum testimonio probatur. Quamobrem paulo ante Romanorum, Judæorumque bellum, diuque ante ejusdem S. Joannis Evangelium exaratam patet; Cerinthus enim & Simon eadem, qua Paulus, ætate in vivis agebant, ut ex Pauli Epistolis [10], & Epiphanii etiam authoritate satis ostenditur [11]. Hinc fit, ut de hac Epistola, veluti de quadam in S. Joannis Evangelium præfationis specie, sit cogitandum.

Ephesi data a quibusdam subscriptionibus exhibetur; quod sane a vero procul non abest, cum S. Joannem diu in Asia Minori versatum a Veteribus accipiamus [12]. Quo tamen data fuerit anno, hucusque nemo certo constituit. Si ante Jerosolymæ eversionem, ante annum Christi 70. statuenda est, & quo anno Joannes 70. seu 74. annis natus in Asia forte morabatur. Si post ipsum Joannem ab exilio restitutum, & post suum Evangelium; post Christi annum 96. est collocanda, & tum Joannes annum prope centesimum agebat.

Hac in Epistola Joannes illos sibi retundere proposuerat, 1. qui bona opera ad salutem necessaria negabant [13], 2. qui Jesum a Christo separabant, & eum Christum minime esse asserebant [14]; 3. qui Christum non vere, sed per speciem tantummodo venisse dictitabant [15]. Hos errores, quos potissimum oppugnat, Simon Magus, Cerinthus, eorumque asseclæ ad Ecclesiæ perniciem evulgabant. Fideles præterea Dei filios, hæreticos vero & pravos Doctores filios Diaboli appellat [16]. Ut Fidei, & patientiæ inhæreant, Fideles hortatur; Dei erga nos, nostrum erga fratres amorem plurimum commendat; Pseudo Prophetas & Pseudo Doctores increpat; Fidem denique, innocentiam, & Charitatem, Fidelium esse characterem ostendit.

COM-

---

1 Possidius Indicul. Oper. S. Aug. Idac. Clar. contr. Varimand. Athanas. apud Bed. Prolog. in Epist. Canonic. Vide & Pseudo-Higyn. Epist. 1. c. 1. & Jo. 2. ad Valerium. 2 3. Jo. vers. 9. *Scripsissem forsitan Ecclesiæ; sed is, qui amat Principatum, Diotrephes, non recipit nos.* Græc. 3 1. Cor. 1. 14. 4 Jo. 5. 21.
5 1. Jo. 5. 7. 6 1. Jo. 5. 16. 7 1. Jo. 2. 18. 8 Tertull. Præscript. p. 345. Anth. Quæst. in Vet. & N. T. inter Opera S. August. qu. 72. tom. 3. Append. pag. 71. Sulpit. Sever. l. 2. Primas. & Victorin. in Apoc. alii.
9 Baron. ad an. Christ. 99. art. 7. 8. 10 Vide Comment. in Epist ad Galat. & ad Thessalon.
11 Epiph. hæres. 28. Vide Tillemont tom. 2. art. de Cerinthian. 12 In Asiam forte migravit circa ann. Chr. 66 anno eodem quo S. Petrus, & S. Paulus martyrium consummarunt. 13 1. Jo. 3. 4. &c.
14 1. Jo. 2. 18. &c. 15 1. Jo. 4. 1. 2. 3. 6. 8. 14. 18. 16 1. Jo. 3. 1. 15.

COMMENTARIUM LITTERALE IN PRIMAM SANCTI JOANNIS EPISTOLAM

CAPUT PRIMUM.

S. Johannes nihil dicit de vita, quod non audiverit. Societas, quam Christiana Religio nobis impertit cum Patre, & Filio. Peccatum hanc societatem evertit. Dicere, se immunem esse peccato, mentiri est, & Deum ipsum mendacii nomine accusare.

1 QUod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod per-
speximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ: 2 Et vita ma-
nifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam,
quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: 3 Quod vidimus, & audivimus, annun-
tiamus vobis, ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Pa-
tre, & cum Filio ejus Jesu Christo. 4 Et hæc scribimus vobis, ut gaudeatis, &
gaudium vestrum sit plenum. 5 Et hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, &
annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. 6 Si di-
xerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur,
& veritatem non facimus. 7 Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce; so-
cietatem habemus ad invicem, & sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab om-
ni peccato. 8 Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus: ipsi nos seducimus,
& veritas in nobis non est. 9 Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, & justus, ut
remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. 10 Si dixerimus,
quoniam non peccavimus; mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.

℣.1. QUOD FUIT AB INITIO [1].] S. Johannes epistolam ordìtur, quin suum Apostoli nomen, & dignitatem memoret, & quis indigitet, ad quem eamdem transcripserit: quod ab illo humilitatis ergo factum putat Eusebius Demonst. Evang. l. 7. cap. 5. licet alii censeant, cum ad Fideles omnes hæc scriberetur, necessum non duxisse ad aliquem populum, vel peculiarem aliquam civitatem mittere; inutile vero fuisse auctoris nomen affigere, quoniam illam Discipulis suis commendabat, a quibus quocumque varia illius exemplaria disseminarentur, & qui ubique testati sunt illarum Auctorem dilectum Domini Discipulum. Cæterum Auctor facile cognosci poterat ex stylo, & charitatis igne, qui ubicumque interlucet.

S. Johannes igitur hic ait, se fidelibus annuntiare, B
A quod erat ab initio; hoc est, non dubiam, non nuperam, non incertam doctrinam, sed veritatem æternam, certissimam, cujus nos ipsi testes sumus, quam nos vidimus, & audivimus ex ore ipsius Jesu Christi, Dei de Deo, atque essentialis veritatis. Ex illo *vitæ verbum* percipimus, Evangelium [2] salutis, bonum nuntium, quod nobis & viam, quam sequi, & felicitatem, quam sperare debemus, ostendit; *Manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ*, videlicet tetigerunt Verbum hominem factum [3], Jesum Christum, qui vita est essentialis, ac æterna veritas. In illius persona, veritas, vita, salus, Verbum sensibilia facta sunt. Illud non audicimus, atque intelleximus tantum, verum etiam vidimus, tetigimus, attrectavimus. Hæ omnes loquendi rationes vehementes sunt,
B & ad persuadendum aptissimæ; geminæ quodammodo illis

1 Αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς. *De verbo*, id est, *verbum*. Ut Psal. 71. 15. *Dabitur ei de auro*, id est, *aurum*. Joel. 2. 28. *Effundam de Spiritu meo*, id est, *Spiritum*. Est. Men. Tir. Gen. Pisc. alii.
2 Vide Grot. Vatst. alii quidam. 3 Ita Patres. Est. Zeger. Cornel.

illis ex Evangelio ejusdem Apostoli 1. 14. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.*

Animadvertit Eusebius histor. Eccles. l. 7. cap. 27. Evangelistam hunc eodem ferme pacto, & Evangelii, & Epistolæ initium ducere, utrobique Verbi gloriam, & incarnationem concelebrans adversus eos, qui negabant, Verbum re ipsa carnem induisse; cujus rei veritatem affirmat, dicens, se id annuntiare, quod vidit, quod audivit, quod attrectavit, *de verbo vitæ; & vitam manifestatam esse* in Verbi incarnatione, quod nostra vita est, felicitas nostra, & exemplar, ad quod nosmet componamus, oportet, ut ad salutem pervenire possimus.

℣. 2. ANNUNTIAMUS VOBIS VITAM ÆTERNAM, QUÆ ERAT APUD PATREM.] Verbum erat vita in Patre, antequam appareret in terris; erat lux hominum [1]: *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Hæc lux, & hæc vita carnem assumpsit, & hominibus se se prodidit; atque nos illam vidimus, agnovimus, intelleximus, tetigimus, contrectavimus. Ante incarnationem suam invia erat hominibus [2]: *lucem inhabitat inaccessibilem.* Sed nunc illam intuemur, & cum illa versamur.

℣. 3. UT ET VOS SOCIETATEM HABEATIS NOBISCUM.] Non sentiatis aliter a nobis, non abeatis post envas hæreticorum sententias, incarnationis, ideoque etiam passionis, mortis, & resurrectionis Jesu Christi veritatem negantium; qui errores in primo, & altero sæculo passim grassabantur. Simon Magus se Messiam ferebat, & affirmabat, se in speciem tantum Cruci fuisse confixum, atque hominis tedusse figuram, quin humanitatem assumeret [3]. Cerinthiani distinguebant Jesum a Christo. *Jesus* ex eorum sententia merus erat homo, tamquam alii, ex Josepho, & Maria natus; cui a Sancto Joanne Baptista baptizato, *Christus*, hoc est, Spiritus Sanctus se se sub columba figura conjunxerat, & a quo passionis tempore recesserat, eumque solum pati reliquerat [4]. Gnostici generatim, & Ebionitæ Jesu Christi Divinitatem negabant.

ET SOCIETAS NOSTRA SIT CUM PATRE.] Ea, quæ vobis dico de societate, quam simul habemus per eamdem sententiarum unitatem de Verbi incarnatione, ne putetis aliquid esse indifferens: hæc enim nobis obtinet societatem cum Patre, & Filio, hoc est, bonorum omnium maximum. Qui a nobis discesserunt, nullam habent cum Deo societatem; membra mortua sunt, a Jesu Christi corpore divulsa; filii sunt rebelles contra Patrem, de illius gratia, atque hæreditate exciderunt. Nos autem sumus filii, membra, hæredes, & amici illius. *Fidelis Deus* in promissionibus suis, inquit S. Paulus 1. Cor. 1. 9. *per quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu Christi Domini nostri. Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.*

℣. 4. HÆC SCRIBIMUS VOBIS, UT GAUDEATIS.] Ut confirmemini in ea, in qua estis sententia, & vobismet præcaveatis adversus turbas, quas hi mali doctores, veritatis inimici parere potuissent in vobis, nova ferentes; ideo scribimus, *ut gaudium vestrum sit plenum*, atque gaudeatis cogitantes unionem, quam habetis cum Deo, & Ecclesia, atque firmum vestræ fidei fundamentum, quæ innititur iis, quæ vidimus, audivimus, cognovimus, attrectavimus de Verbo vitæ. Dicant Simon, Cerinthus, eorumque sectatores, ubinam didicerint ea, quæ vos docent? Numquid Jesum Christum viderunt, cum eo collocuti sunt? quam fidem eorum testimonium meretur?

℣. 5. DEUS LUX EST.] En quid vos docuimus, & quod credidistis. Deus pura lux est, sine ulla tenebrarum immixtione. At hæretici, a quibus, ut caveatis, hortor, corrumpunt ideam, quam de Deo habere debemus. Simon se summum Deum, ac magnam Dei virtutem dicebat [5], Dei pulchritudinem, Paraclitum, Omnipotentem [6], Patrem erga Samaritanos, Filium erga Judæos, & erga cæteras Nationes Spiritum Sanctum [7]. Ille inventor est *Æonum*, ex quibus Valentiniani pleroma suum, atque phantasticam divinitatem componebant. Helenam suam, primam intelligentiam [8], rerum omnium matrem, & Spiritum Sanctum nuncupabat: credebatque, primam hanc intelligentiam, invito Patre, creasse Angelos, aliasque spirituales potestates; Angelos vero, aliasque potestates condidisse Mundum, & homines. Hæc sunt Simonis, & Simonianorum deliramenta. Nonne hoc est, Deum efficere tenebricosum? Gnostici, & Docetæ incarnationem negabant, & ea, quæ inde sequuntur. Hæ tenebræ sunt, hic error. Vos nihil tale didicistis. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.

Hæc omnia possunt etiam in morali sensu explicari, & Capitis hujus decursus huic explicationi maxime favet. Deus lux est: qui ergo nexum cum Deo servare cupiunt, debent & ipsi esse in luce. At lux non aliud est, quam veritas in sententiis, integritas in moribus, in vita, innocentia. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Salvator ait Matth. 5. 8. *Nox præcessit; dies autem appropinquavit; abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis*, Rom. 13. 12. *Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate*, Ephes. 5. 8.

℣. 6. SI DIXERIMUS, QUONIAM SOCIETATEM HABEMUS CUM EO, ET IN TENEBRIS AMBULAMUS.] In infidelitate, errore, schismate, scelere: si participes evadimus operum tenebrarum, quæ fiunt ab inimicis lucis; frustra gloriamur, nos societatem habere cum Deo luminis, & veritatis. Nos rejicit tamquam fautores inimicorum suorum, tamquam filios Belial. Hæretici, & Schismatici ab Ecclesiæ corpore sejuncti sunt, & vitæ, ac spiritus ejus non sunt consortes. Mali Christiani ab eadem non sunt divulsi: sed non vivunt ex Spiritu Dei, corpus hoc mysticum animantis. Corrupta sunt membra, quæ illi & dedecori, & oneri sunt? *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate; aut quæ societas luci ad tenebras?* 2. Cor. 6. 14.

℣. 7. SI AUTEM IN LUCE AMBULAMUS.] In puritate, innocentia, veritate cum illo perfectam habemus societatem; quippe Deus est lucis, & veritatis.

ET SANGUIS CHRISTI EMUNDAT NOS.] Licet Jesu Christi Sanguis effusus fuerit ad omnia mortalium omnium peccata eluenda, & quicumque sacro baptismate abluti fuerunt, participes facti fuerint meritorum mortis ejus: verum est tamen, eos, qui per hæresim, vel schisma ab Ecclesiæ unitate recedunt, & sanguinem fœderis flagitiosa, & improba vivendi ratione decurpant, non emundari a peccatis suis Sanguine Salvatoris. In pristinum statum recidunt, veluti sus, quæ vix abluta, eodem mox in luto volutatur [9]. Se ipsos nocentiores efficiunt, & sordidiores, quam antea. Non igitur satis est justificationis gratiam obtinuisse, ea sedulo etiam servanda est: neque satis fœdus cum Patre luminum iniisse, nisi ad finem usque in eodem permaneat.

℣. 8. SI DIXERIMUS, QUONIAM PECCATUM NON HABEMUS.] Inquies: Nos igitur, qui permanemus in societate cum Patre, & Filio, & servamus fœdus illud, quod in baptismo juravimus, sumus ne sine peccato, & *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato?* Ne decipiamini. Non dico, vos esse sine peccato, nemo perfectam hanc justitiam præ se ferre potest; quotidio

1 Joan. 1. 4. 2 1. Timoth. 6. 6.
3 Epiphan. hæres. 21. August. hæres. 1. Iren. lib. 1. cap. 20.
4 Epiphan. hæres. 28. cap. 1. Irenæ. lib. 1. cap. 25. & lib. 3. cap. 11.
5 Act. 8. 10. 6 Hieronym. in Matth. 24. 7 Iren. lib. 1. cap. 20.
8 Justin. Apolog. 2. Iren. lib. 1. cap. 20. Tertull. de Anima.
9 2. Petri 2. 22.

tidie pluries cadimus [1]: verum si in Ecclesiæ communione persistimus, & participes sumus orationum, & Sacramentorum ejus: nisi abdicaverimus societatem initam cum Patre, nobis semper adest præsens medicina, qua vulneribus nostris medeamur, & balneum, quo sordes omnes eluamus: lacrymarum scilicet baptismus, & pœnitentiæ Sacramentum, de quo sermo est ℣. subsequenti.

℣. 9. SI CONFITEAMUR PECCATA NOSTRA, FIDELIS EST, ET JUSTUS, UT REMITTAT NOBIS PECCATA NOSTRA.] Veruntamen ea nonnisi in Ecclesia remittit. Confitemini, oportet, peccata vestra post baptismum patrata; idque Deo, & Ministro ejus, qui illius in terris locum obtinet, & cui claves Regni Cœlestis tradidit, ut ligaret, & solveret. Hoc si feceritis, nihil non sperandum vobis est ab illius fidelitate, & justitia; fidelitate quidem, cum enim veniam vobis promiserit, si ad ipsum redieritis, fidem præstare debet [2]; justitia vero; cum enim satisfeceritis iis, quæ ex vobis postulat, non est illi amplius integrum, vobis respuere, quod Jesus Christus morte sua vobis promeruit. Vel si *instum* in benigni, misericordis sensu intelligas: Deus clemens est, neque abjicere potest eos, qui ipsum in veritate quæsiverint.

Ex sermonis decursu liquet, S. Johannem isthic loqui non posse, nisi de peccatis post acceptum baptisma

A peractis, quandoquidem fideles alloquitur, societatem habentes cum Patre, & Filio; & qui in baptismo peccati originalis, præteritorumque scelerum remissionem obtinuere. Hoc de concupiscentia dici nequit, non enim peccatum est, & neque baptismo, neque pœnitentia vel remittitur, vel deletur. Denique nonnisi de Sacramentali confessione hic sermo fieri potest, huic enim uni virtus est remittendi peccata [1].

℣. 10. SI DIXERIMUS, QUONIAM NON PECCAVIMUS, MENDACEM FACIMUS EUM:] Quippe asserimus oppositum eorum, quæ Sancti Libri nos docent; exempli gratia, cum dicunt in Job 14. 4. juxta 70. *Nemo mundus a sordibus; neque puer, cujus vita est unius diei super terram*: & in Ecclesiaste 7. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.*

B Et in Proverbiis 24. 16. *Septies cadit justus, & resurget; impii autem corruent in malum.* Et in Psalmis psal. 142. 2. *Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Confitemini ergo, vos noxios esse, nisi Deum mendacii nomine accusare vultis [4], sed optatis, ut *verbum ejus non sit in vobis*, atque ipsius doctrina, & veritas salvos vos faciant; vel si vultis, ut *Verbum ipsius in vobis inhabitet*; Jesus Christus, Verbum Patris per gratiam suam in vobis permaneat. At prior sensus magis est simplex.

---

1 Jacob. 3. 2. *In multis offendimus omnes.* Vide August. lib. 21. de Civit. cap. 27. *Quantumlibet juste in hujus vitæ caligine atque infirmitate vivamus, nobis non desunt peccata, pro quibus dimittendis debemus orare.* Leo Magn. serm. 7. de Epiphan. *Quis invenietur ita immunis a culpa, ut in eo non habeat justitia quod arguat.* Idem serm. 6. in Quadrag. Vide Est. hic. 2 Vide Isai. 30. 15. Jerem. 2. 1. . . . 7. 14. 22. & alibi passim.
3 Vide Est. & Cornel. hic. 4 Clem. Alex. & Didym. hic. Cajet. Carbar. Dionys. Est. Cornel.

C A P U T II.

Non peccandum. JESUS CHRISTUS advocatus noster, & nostra redemptio. Charitas vetus est, ac novum præceptum. Filii lucis, & tenebrarum. Mundus non amandus. Hæretici vitandi. Fortiter in Fide permanendum.

1 Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: 2 Et ipse est
propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius
mundi. 3 Et in hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. 4 Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in
hoc veritas non est. 5 Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei
perfecta est: & in hoc scimus, quoniam in ipso sumus. 6 Qui dicit, se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. 7 Charissimi, non mandatum
novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio: Mandatum vetus,
est verbum, quod audistis: 8 Iterum mandatum novum scribo vobis, quod verum
est & in ipso, & in vobis: quia tenebræ transierunt, & verum lumen jam lucet. 9
Qui dicit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. 10
Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. 11 Qui
autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quo eat:
quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. 12 Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. 13 Scribo vobis, patres, quoniam cognovistis eum, qui ab initio est; Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum.
14 Scribo vobis, infantes, quoniam cognovistis patrem. Scribo vobis, juvenes,
quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum. 15 Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est
charitas Patris in eo: 16 Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis
est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. 16 Et mundus transit, & concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem
Dei,

Dei, manet in æternum. 18 Filioli, novissima hora est: & sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus, quia novissima hora est. 19 Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis. 20 Sed vos unctionem habetis a Sancto, & nostis omnia. 21 Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam: & quoniam omne mendacium ex veritate non est. 22 Quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam Jesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium. 23 Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur filium, & Patrem habet. 24 Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat: Si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, & vos in Filio, & Patre manebitis. 25 Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam. 26 Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos. 27 Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos: manete in eo. 28 Et nunc, filioli, manete in eo: ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus. 29 Si scitis, quoniam justus est, scitote, quoniam & omnis, qui facit justitiam, ex ipso natus est.

℣. 1. HÆC SCRIBO VOBIS, UT NON PECCETIS.] A Superiori capite ostendit, infidelitatis, & hæresis crimine nos ab ea societate divelli, quam habemus cum Patre, & Jesu Christo: hic vero fideles hortatur, ut quodvis peccati genus effugiant. Ne credatis, satis esse, olim per baptismum justificatos fuisse, atque cœlesti lumine illustratos: iterum relabi possumus in tenebras, & de hoc justitiæ, & puritatis statu decidere. At enim quis umquam ad salutem pervenire potest, quoniam omnes in tot scelera ruimus? Non dico, peccatorum genus omne cum Religionis Christianæ professione simul esse non posse: quædam sunt quotidiana peccata, quæ facile remittit Deus, ubi sincere ex eo venia petatur. At licet per summum infortunium in gravissima quælibet scelera decideremus, *advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum*. Hic non obstruit nobis B januam misericordiæ, nisi hanc nobis per impœnitentiam [1], infidelitatem, atque pertinaciam in malo obstruxerimus. Hic ergo, & in capite superiori sedulo distinguenda sunt quotidiana crimina, aliaque humanæ fragilitatis peccata, quæ fideles in Ecclesia permanenter committunt, a sceleribus hæresis, infidelitatis, schismatis, impœnitentiæ, in quæ decidunt, qui a fidelium communione recedunt, & qui quodammodo abrenunciant meritis, & intercessioni J. C. qui noster est apud Patrem advocatus.

ADVOCATUM HABEMUS APUD PATREM JESUM CHRISTUM.] Jesus Christus orator noster est ad Patrem, eo quod illi sua exhibet merita, suumque Sanguinem, quem ad nostra expianda scelera effudit [a]. Hic Patrem C rogat, pro nobis postulat, nostras, & Ecclesiæ preces offert, ut peccatorum nostrorum veniam consequatur; nobis pœnitentiæ spiritum immittit, nos per spiritum suum ad Pœnitentiæ Sacramentum adducit, nos ablutæ lacrymarum baptismate, nobisque mortis, & passionis suæ meritum applicat. Non est autem veluti Orator, qui nonnumquam malam rei alicujus causam agit, & qui Judicem ad clementiam flectere admititur erga sontem, cui nullum est immutandæ vitæ consilium. Jesus Christus nobis impetrat primum, quod necessarium est ad veniam obtinendam, tunc vero illi arduum non est efficere, ut in oculis Patris gratiam inveniamus. Scriptura sæpe nobis repræsentat Dæmonem velut adversarium, nos coram Deo accusantem [3]: hic vero nobis A ostendit Jesum Christum, qui oratoris partem suscipit, & adversus actorem hunc, & fidelium omnium inimicum tuetur [4].

℣. 2. IPSE EST PROPITIATIO PRO PECCATIS NOSTRIS.] Ipse nobis est Pontifex, & hostia pro peccatis & sanguis ejus vehementius clamat, quam sanguis Abel Hebr. 12. 24. Ipse nos dilexit, & abluit a peccatis nostris in sanguine suo, Apoc. 1. 5. Et potestne Pater tanto huic intercessori aliquid negatum velle? Nullum tantum est ingrati animi vitium, nulla impœnitentia, quæ illius clementiæ obicem valeant statuere: nulla peccata sunt, quæ Jesu Christi sanguis expiare non valeat, dummodo peccator non obduret cor suum, & per pœnitentiam accedere velit ad Deum, ut particeps sit meritorum victimæ hujus piacularis. Nemo prohibe- B tur, qui consors esse queat beneficii Redemptionis, quod nobis procuravit Jesus Christus, seu Judæus sit, seu Gentilis, seu justus, seu peccator. Ille mortuus est *pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi*, pro illis, qui fuerunt, sunt, & erunt, sine ulla exceptione, vel discrimine sexus, ætatis, conditionis. Nemo perit, nisi ex culpa sua; Deus semper præsto est, ut nos recipiat, si ad illum sincere redierimus. Impœnitentibus vero, hæreticis, iisque omnibus, qui oculos aperire nolunt lumini, quod sibi offertur, quamvis dici nequeat, J. C. pro illis mortem non oppetiisse, attamen mortis ejus meritum efficaciter non applicatur, & illi sponte in tenebrarum suarum caligine, vitiorumque cœno permanent [5].

C ℣. 3. IN HOC SCIMUS.] Deus cognosci potest theoretice, solum, velut Philosophi [6], qui cum illum agnovissent, eum non coluerunt, uti opus erat, & traditi fuerunt in sensum reprobum, ut in graviora ruerent flagitia; quam qui minus eumdem cognoverant. Cognosci etiam potest, & in illum credi, sed inutili ratione, ut illum norunt Dæmones, qui J. C. confitentur [7], & in illum credunt, sed servili timore perterriti sine humilitate, & charitate eum metuunt: *Dæmones credunt, & contremiscunt* Jacob. 2. 9. Christianorum fides, & cognitio, quam de Deo habere debent, practica sit oportet, efficax, cum charitate, ac bonis operibus conjuncta: *Fides, quæ per charitatem operatur* Galat. 5. 6. S. Johannes primum quidem fidelibus commendavit, ut fortiter Ecclesiæ adhærerent, atque hære-

1 Grot. hic. *Si quis peccaverit*; adde, *& se Ecclesiæ regendum sanandumque tradiderit*. Infra 5. 16 *Quales illi*. Galat. 6. 1. 2. Cor. 2. 6. 1. Thessal. 5. 4. Thessal. 3. 15. Vide & Bed. & Est. hic. a Vide Grot. Est. Cornel. hic.

3 Apoc. 12. 9. 10. 1. Par. 21. 1. Job. 1. 6. 2. 1. 4. 7. Zach. 3. 1.

4 Hebr. 7. 25. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Joan. 14. 16. *Ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis*. Rom. 8. 34. *Christus . . . . Qui est ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis*.

5 Vide Est. hic, ex Cyrillo, lib. in Joan. cap. 16. 6 Rom. 1. 21. 7 Luc. 4. 34. 41.

hæreticos; falsosque Doctores evitarent, & in societate cum Patre, & J. C. persisterent; nos jussit, illos toto studio ea evitare peccata, quæ hanc societatem avertunt: hic denique præcipit, ut credant fide vivida, constanti, a charitate animata, & bonorum operum fructus gignente: Nam ℣. 4. *Qui dicit se nosse Deum*, atque in illum credere, *& mandata ejus non custodit, mendax est.*

℣. 5. QUI AUTEM SERVAT VERBUM EJUS.] Vel, qui obedit iis, quæ præcipit Deus, hic ad unguem adimplet præceptum amoris Dei. Sicuti enim Salvator ait in Evangelio Joan. 15. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.* Amor obedientia probatur, cum illius, qui diligitur, voluntas expletur. Perfectus amor in eum, quem amamus, nos ipsos transformat; neque jam aliud sumus, quam anima una, in duobus inhabitans corporibus [1]: *Dilige*, ait S. Augustinus [2], *& fac quod lubet*. Si enim dilexeris, uti oportet, id facies solum, quod a te Deus exigit. Charitas est bonorum omnium origo, quemadmodum malorum omnium fons est cupiditas [3]. Perfecte adimplebis quidquid in Sacris Bibliis præcipitur, si charitatem habueris: *Ille tenet, & quod patet, & quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus* [4]. *Plenitudo* enim *Legis est dilectio*, ut ait S. Paulus Rom. 13. 10.

℣. 6. QUI DICIT, SE IN IPSO MANERE.] Qui amat, pro virili se se similem probet illi, quem amat. Si amor, ut dictum est, efficit, ut una, eademque anima duo amicorum corpora, ut ita dicam, animet, fieri non potest, ut non eadem studia insint, eademque desideria. Si Dei charitas in nobis est, si spiritus ejus nos animat, nobis imprimet odium, & contemptum mundi, divitiarum, gloriæ, & voluptatis; quemadmodum Jesus Christus illa omnia odit, atque contempsit [5]. In omnibus Patri ejus placere quæremus, quemadmodum ille quæsivit in omnibus Patris sui voluntatem explere Joan. 15. 10. Christiano viro omnibus vitæ suæ diebus adlaborandum est, ut in semet Jesum Christum exprimat [6]; ita ut cum S. Paulo dicere valeat: *Vivo ego jam non ego; vivit vero in me CHRISTUS*, Galat. 2. 20.

℣. 7. NON MANDATUM NOVUM SCRIBO VOBIS.] Cum vos hortor, ut Deum, & proximum vestrum diligatis; neque vobis recens jugum impono: *Sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio*. Hoc in corde vestro a natura ipsa insculptum est; hoc primum hominis officium; hoc juris naturalis, omniumque officiorum nostrorum fundamentum [7]. Moyses ipse vetus hoc mandatum non irrogavit, sed instauravit; & in Evangelio Jesus Christus fusius, atque perfectius ostendit, quid Lex naturalis ex nobis expeteret, dissipans tenebras, quas veteri huic præcepto humani cordis nequitia offuderat. Sed hoc in loco S. Johannes de eo loquitur, quod initio conversionis suæ fideles didicerant, cum ad J. C. Religionem fuerant evocati [8]: *Mandatum vetus est verbum, quod audistis.*

℣. 8. ITERUM MANDATUM NOVUM.] Verus est in seipso, quoniam Deus illud in nobis insculpsit, atque in Legibus Moysis, & in Evangelio imperavit: at vobis, mihique novum est; immo & novum est quodammodo ratione J. C. propter explicationes ab illo traditas: quapropter Apostolis suis dixit in Evangelio Jo. 13. 34. *Mandatum novum do vobis; ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Novum quoque & vobis est, & mihi, quoniam vos hortor, ut in dies charitatem vestram excitetis, & novum aliquod illius specimen erga Deum, & erga fratres vestros præbeatis.

TENEBRÆ TRANSIERUNT.] Sub Lege a Pharisæis explicata, charitatis præceptum obsoletum erat quodammodo, & antiquatum; invenerant enim, quomodo illius observantiam eluderent filii erga patres, patres erga filios. Proximi iis tantum dicebantur, qui vel amici erant, vel nationis ejusdem; aliorum exposcere, & inimicos odisse fas ducebatur. At Jesus Christus hos omnes abusus abstulit, charitatis legem in eam vocavit amplitudinem, quæ decet, & omnia ejus officia in locum adduxit. Itaque fratres mei, quoniam *tenebræ transierunt, & verum lumen jam lucet* in cordibus nostris, sicut filii lucis ambulate [9]; præceptum hoc adeo vetus, simulque novum adeo, observate secundum omnem eam perfectionem, cujus Jesus Christus vobis præbuit exemplum. Non estis amplius sub Lege, sed sub gratia [10]: diligite alteratrum, quemadmodum vos Jesus Christus dilexit, Ephes. 5. 2.

℣. 9. QUI DICIT, SE IN LUCE ESSE.] Habere debet erga fratres suos charitatem perfectam; quos si odit, credat, se adhuc in tenebris esse; filius lucis non est; est in statu peccati, non vivit amplius de spiritu Christi; non pertinet amplius ad gratiam illius. Si permanet in Ecclesia, in statu mortis est; membrum est putre, atque corruptum. Qui e contra (℣. 10.) *diligit fratrem suum, in lumine manet* fidei, & charitatis; vere filius est lucis, & perfectus Jesu Christi Discipulus. *Scandalum in eo non est*; nihil illi est lapsus occasio; illustratus est; scit, quo pedem infert, nullum in via offensionis lapidem invenit; vel si aliquem invenit, illum novit evitare. *Si quis ambulaverit in die, non offendit*, Salvator ait Joan. 11. 9. *quia lucem hujus mundi videt: si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo*. Ita cum charitas viget, omnia feruntur, omnia excusantur, omnia in optimum sensum vertuntur, omnium miseremur [11]. Si fratres nostri nos oderunt, si nos persequuntur, eosdem officiis omnibus delinire adnitimur: si nos lædunt, illis parcimus, si labuntur, dolemus, eisque opem ferre gestimus, ut resurgant. Ita omnia conferunt ad Electorum salutem, Rom. 8. 28.

℣. 11. QUI ODIT FRATREM, IN TENEBRIS EST.] Erroris, peccati, præjudicii; Deus ab illo recedit; ille vero cordis sui nequitiæ se mancipat [12]: *Via impiorum tenebrosa; nesciunt, ubi corruant*. Vel simplicius: odium proximi est velut nubes, caliginem menti, animoque offundens. Nemo par amplius est rebus maturiori consilio, & cum æquitate inquirendis, ubi se odio rapi sinit. In sequiorem partem rapitur, quidquid pro illis fit, qui non diliguntur; bona etiam eorum officia irritant; iniquo animo prospicitur, quidquid illis præclare cedit; virus adspergitur, si quid bonum operantur; recte illorum facta infestis nominibus deteruntur; & non secus ac oculus per coloratum vitrum quidquid intuetur, omnia videt, eodem imbuta colore, quem vitrum refert; ita qui proximum suum odit; omnia malignus Interpres in deteriorem sensum convertit; & inimicitia objecta, quælibet oculis exhibentur, quodam illinit fuco. Optime dixit vetus quidam auctor, qui *iram brevem furorem esse dixit* [13]. In eo furor, & dementia posita est, ut de rebus non sanum adferas judicium, ita in nobis eumdem gignit effectum.

℣. 12. SCRIBO VOBIS, QUONIAM REMITTUNTUR VOBIS PECCATA.] Scribo ad vos tamquam ad filios meos, ratus, vos peccatorum vestrorum veniam in baptismate jam esse consecutos. Loquor ad vos tamquam ad veros Dei Filios; suppono, vos esse in ea charitate, cujus elogium nuper vobis proposui. Cavete, ne ex præla-

---

1 August. lib. 4. Confess. cap. 6. *Bene quidam dixit amico suo: Dimidium animæ meæ. Nam ego sensi, animam meam, & animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus.*
2 August. Tract. 7. in Ep. Joan. n. 8. *Breve præceptum: Dilige, & quod vis, fac.*
3 August. Serm. olim 39. de Tempore, nunc 350.
4 August. ibidem n. 2.
5 Prosper. lib. 2. de vita contempl. cap. 21.
6 Rom. 8. 29. & 1. Cor. 15. 49.
7 August. Cornel. Men. alii.
8 Est. Oecumen. Grim. Ham. alii.
9 Ephes. 5. 8.
10 Galat. 5. 18.
11 1. Cor. 13. 4. & seq.
12 Prov. 4. 19.
13 Senec. de Ira, cap. 1. Cicero Tusculan. cap. 4. Horat. lib. 1. Ep. 2. *Ira furor brevis est.*

præclara adeo prærogativa decidatis.

Aliter [1]: *Scribo ad vos, filioli, quoniam peccata vestra vobis remissa sunt in nomine JESU CHRISTI*. S. Johannes isthic ad peculiaria descendere incipit, & cuilibet ætati, apta earum egestatibus consilia tribuere. Filioli mei, qui tenella in ætate tantum boni estis consecuti, ut in Jesum Christum crederetis, & reciperetis baptismum, vobis gratulor, ac certiores facio, vos jam peccatorum vestrorum veniam [2] per Jesu Christi nomen, per fidem, atque baptismum recepisse.

S. Augustinus in hunc locum hoc explicat, quasi S. Johannes, puerorum, adolescentum, senumque nomine generatim innuere voluerit Christifideles, qui dicuntur *infantes*, quippe qui novam in baptismate nativitatem nacti sunt; *juvenes*, qui Spiritu Sancti virtute repleti; & *patres* veluti cognoscentes Deum Patrem æternum, qui antiquus dierum vocatur [3]: *in filiis figuratur nativitas, in patribus antiquitas, in juvenibus fortitudo*. Altera explicatio simplicior videtur, & litteræ propior.

℣. 13. SCRIBO VOBIS, PATRES.] Quoniam illum cognovistis, qui est ab initio, Creatorem Cœli, & terræ, Patrem Domini nostri Jesu Christi. Vos illum ante baptismum etiam cognoveratis, at non cognoscebatis illum, tamquam Salvatoris vestri Patrem; neque mundo, perfectoque cultu in spiritu, & veritate, quemadmodum hodie facitis, eum venerabamini.

SCRIBO VOBIS, ADOLESCENTES.] Juventus bello, ac laboribus apta est. Nomen dedistis militiæ, JESU CHRISTI castra estis ingressi, atque tamquam strenui bellatores adversus Dæmonem conflixistis, eumque armis fidei, & charitatis vicistis, & profligastis: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra*, 1. Joan. 5. 4. In hac igitur militia ad finem usque persistite, ut gloriæ coronam promereamini: *Nec coronabitur, nisi qui legitime certaverit*, 2. Timoth. 2. 5.

℣. 14. SCRIBO VOBIS, INFANTES.] Rursus ad infantes, qui piacularibus aquis baptismi fuerant abluti, orationem convertit. Filii, ut plurimum, parum prudentes sunt, eisque lumen deest, & sapientia. Vos autem penitiora Religionis mysteria estis assecuti: Deus vobis eum præstitit captum, quo illa cognosceretis, in ipsum crederetis, eumque amaretis. Vos majori mentis acumine, & vi præstatis, quam celeberrimi Philosophi, qui imperfecte tantummodo illum cognoverant, vel qui illum cognoscentes, non, ut oportuit, coluerunt.

In Græco [4], Syro, S. Augustino [5], Beda [6], Oecumenio, ac nonnullis Latinis exemplaribus initio versiculi 14. hæc verba leguntur: *Ad vos scripsi, Patres, quoniam novistis eum, qui erat ab initio*. Critici quidam ea ex Vulgata expuncta fuisse putant, velut inutilia: & sane mera est repetitio eorum, quæ superiori versiculo jam dicta fuerunt: at paucissimi sunt Græci MSS. ubi non extent.

JUVENES FORTES ESTIS, ... ET VICISTIS.] Repetit elogium, quo illos ℣. 3. commendavit. Hic autem addit: *Et verbum Dei manet in vobis*, quasi innuens, hanc esse virium suarum originem, causamque victoriæ. Fidem estis amplexi; verbum Dei recepistis; hoc vos contra inferorum potestates præbet invictos.

℣. 15. NOLITE DILIGERE MUNDUM.] Quandoquidem Dæmonem vicistis, cavete, ne Mundum diligatis, hoc est voluptates, solatia, gloriam, divitias Mundi. Ne illius præcepta, consilia, & studia sequamini; idem enim esset, ac iterum labi in laqueos Dæmonis, quem vicistis, atque vosmet hosti infestissimo subiicere. Mun-

A dus nequam non est, nisi quatenus ibi Dæmon suum imperium exercet [7], ac suum ibi spiritum effundit [8]. Amor Mundi cum amore Dei simul esse non potest [9]; neque duobus Dominis potest obtemperari [10].

℣. 16. OMNE, QUOD EST IN MUNDO.] Videte, utrum id conciliari queat cum ea charitate, qua erga Deum flagrare vos decet. *Concupiscentia carnis* continet omnes sensuum voluptates, gustus, tactus, & carnis. *Concupiscentia oculorum* complectitur ea, quæ ad visum pertinent, spectacula, inanem curiositatem, superfluos sumptus, pompam vestium, supellectilium, ædificiorum, ludos, inaniaque solatia, quæ mortales admirantur; laudes, hominumque existimationem; verbo, amorem bonorum, quæ in se nihil solidum habent, & quæ in cogitatione, & admiratione amatorum mundi B consistunt [11]. Denique *superbia vitæ* comprehendit ambitionem, amorem gloriæ, dignitatum, honorum, divitiarum, bonorum, & earum quarumcumque rerum, quæ ut plurimum divitias subsequuntur, amplissima officia, luxum, imperium, rerum affluentiam, fastum, aliorum contemptum, libertatem quælibet per fas, & nefas dicendi, audiendique, quin aliquis adversetur.

Mirabile hoc S. Johannis præceptum in Philone etiam, & antiquis quibusdam Philosophis deprehenditur; ex quo conjicere est, illud passim apud omnes jampridem fuisse commune. Bella omnia a Græcis, & Barbaris, vel inter se, vel adversus alios bellata, ex hoc eodem fonte profecta sunt, inquit Philo de Decal. videlicet, ex divitiarum, aut gloriæ, aut voluptatis cupiditate. Et Pythagoras apud Cliniam in Grotio hic: Homi- C nes justitiam non violant, nisi ratione aliqua impellantur; hæ autem rationes tres fere sunt, amor voluptatis in scortationibus, & impudicitiis, avaritia in divitiarum perquisitione; superbia in cupiditate inter æquales, vel inter similes eminendi.

℣. 17. MUNDUS TRANSIT, ET CONCUPISCENTIA EJUS.] Mundi favor, & speciosa amatorum suorum felicitas te minime fallant. Quidquid vides, & quidquid mundi sectatores ambiunt, momento prætervolat. Gloria, divitiæ, voluptates ultra breve hujus vitæ spatium non vigent; imo quot curis, adversis, sollicitudinibus immixtæ sunt? *Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum* [12]. Justus hoc in mundo solida felicitate perfruitur in virtutis exercitatione, ac testimonio, quod illi perhibet conscientia: infinitam præstolatur D beatitudinem, eam prægustat, & quodammodo jam possidet fidei, atque spei suæ virtute; tranquille diem suum obit, confidens in certissimis Dei sui promissionibus: & demum lætissima gaudet æternitate. Quodnam intercedit discrimen inter peccatoris, & Justi viri voluptates, gloriam, & bona?

℣. 18. FILIOLI, NOVISSIMA HORA EST.] Alia autem ratio, propter quam mundum contemnere, ac vigiles in charitate vivere vos oportet, hæc est, quod novissima jam imminet hora. Mundus quam primum, nobis saltem, est destruendus [13]. Novissima tempora jam accesserunt. Post Messiæ resurrectionem non alia expectanda est tanta in iis, quæ ad Religionem spectant, immutatio, quanta facta est. Extrema tantum expectanda dies est, & Domini adventus. Parati esse debe- E tis, ut videatis effectum eorum, quæ vobis Jesus Christus, ejusque Apostoli prædixerunt, novissimis Mundi temporibus Antichristos, & Pseudo-Prophetas non defuturos [14]. Hoc jam jam cœpit expleri. Quot hæretici, quot falsi Doctores, quot nequam Christi fideles, quot persecutores nominis Jesu Christi, quot Antichristi?

Apostoli, & Fideles primorum sæculorum sæpe verba fa-

1 Γράφω ὑμῖν, τεκνία, ὅτι ἀφέωνται ὑμῖν αἱ ἁμαρτίαι διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ.
2 Est. Cornel. Menoch. Ita & Clemens, Oecumen. Dionys. Gagn. Cajet. Cathar.
3 Dan. 7. 9. *Antiquus dierum sedit*.
4 Græc. impress. Ἔγραψα ὑμῖν, πατέρες, ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς. Vide Est. & Brugens. & Mill. Var. Lect. hic.
5 August. in hunc locum.
6 Beda Oecumen. Th. Anglic. hic.
7 Joan. 12. 31. *Princeps mundi hujus ejicietur foras*.
8 Joan. 5. 19. *Mundus totus in maligno positus*.
9 Jacobi 4. 4. *An nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei?*
10 Matth. 6. 24.
11 Eccle. 4. 8. *Non satiantur oculi ejus divitiis*. Et 5. 10. *Quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?* Prov. 27. 20. *Infernus & perditio numquam implentur, similiter & oculi hominum insatiabiles*.
12 S. Cyprian. lib. 3 §. 2. ad Quirin. & Calasii. pag. 312. addunt: *Quomodo & Deus manet in æternum*.
13 Oecumen. Didym.
14 Vide Aug. ust. Oecumen. Est. Corael. Gom.

ba faciunt de persecutionibus, & calamitatibus, quas ævo suo pertulit Ecclesia; non secus ac ea essent prævia novissimi judicii signa. Apostoli fortasse innuere volebant, hæc pignora esse, & figuras eorum, quæ sub Mundi finem erant eventura. Patres nonnulli [1] verba illorum nimis ad litteram intellexerunt, & tetio novissimum Judicium imminere crediderunt. Nonnumquam in Bibliis dies novissimi, & Domini Judicium non aliud significant, nisi Jerosolymitanum excidium, Templi interitum, & Judæorum a Romanis devictorum desolationem [2]. Si constaret, hanc Epistolam datam fuisse ante Romanorum bellum adversus Judæos, locus hic explicari posset de gravissima ea calamitate, quomodo Grotius, & Hammondius interpretati sunt; & hæc fortasse haberi posset explicatio, litteræ propior. Hoc potest conferri cum iis, quæ S. Paulus ait ad Thessalonicenses [3], & in utraque ad Timotheum Epistola [4].

SICUT AUDIVISTIS, QUIA ANTI-CHRISTUS VENIT.] De Anti-Christo fusius verba fecimus in Dissertatione peculiari. S. Johannes de hujus inimici Dei adventu verba facit tamquam de certissimo signo advenientis terrarum interitus, & veluti de præcursore alterius Domini adventus; & satis aperte singularem hunc Anti-Christum tunc apparitutum distinguit ab illis, qui sæculis omnibus Ecclesiam turbaturi sunt, & Fideles persecuturi. Jam tunc plures erant ea hoc numero: *Nunc Anti Christi multi facti sunt*; videlicet Simonis Magi discipuli, si ille inter viventes non numerabatur amplius: uti enim dictum est, de hujus epistolæ tempore non satis constat: Nicolaitæ, Cerinthiani, aliique hæretici, qui resurrectionem negabant. Hi erant falsi doctores, contra quos Apostoli SS. Petrus, & Paulus vehementer adeo invecti sunt: hæretici nempe, qui Jesu Christi Divinitatem in dubium vocabant. Omnes hi homines nequam ipsorum Apostolorum ævo, & antequam S. Johannes ex humanis decederet, prodierunt; veri præcursores Antichristi, ac simillimæ imagines hujus viri iniquitatis [5].

℣. 9. EX NOBIS PRODIERUNT; SED NON ERANT EX NOBIS.] Hæretici, & falsi Doctores, de quibus loquitur Apostolus, primum quidem baptismum receperant, & Jesu Christi fidem professi fuerant; in Ecclesiæ luce versati, & Christiani nuncupabantur: sed ab Ecclesia jam recesserant, & in ea numquam, uti oportet, se se gesserant [6]. Neque boni fuerant, neque veri Christiani; sed hypocritæ, ovina pelle lupi animam celantes, stipulæ malo immixtæ frumento; lolium in patrisfamilias agro satum; tabida membra, quæ ex se metipsis defluxerant, vel quæ Ecclesia a Corpore, & Communione sua divellere fuerat coacta [7]: *humores mali, qui quando evomuntur, tunc relevatur corpus* ait S. Augustinus.

SI FUISSENT EX NOBIS, PERMANSISSENT UTIQUE NOBISCUM.] Si in fide, & justitia solida fecissent fundamenta, ab Ecclesia minime secessissent, neque excogitassent errores, quos disseminarunt, ac disseminare persistunt. Veri Christi Fidelis character est humilitas, docilitas, simplicitas, obedientia, firma & constans cum Ecclesiæ corpore conjunctio: quem, cum hisce virtutibus ornetur, non permittet Deus, in hæresim, vel in capitalia scelera præcipitem ruere; nisi sensim superbia intumuerit, in Ecclesiæ capita insurrexerit, suosque sensus illis, qui in Fidelium communione recepti fuere, prætulerit. In Hæresim non nisi per gradus, ut plurimum descenditur. Superbia primus est gradus ad errorem, & character eorum, qui omnibus sæculis fuere Antichristi [8], extolli velle *supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in Templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus*; hoc est, legitimæ auctoritatis jugum excutere, ut in simplicium animos, & corda imperium constituatur.

SED UT MANIFESTI SINT.] Non permisit Deus, ut eorum hypocrisis, & superbia diu lateret. Fieri vix potest, ut simulatio, & præsumptio tandem aliquando se se non prodant, & pateat, quid sint. Vel Ecclesia ex sinu suo rejecit, qui illam turbant, discerpunt, ejusque auctoritatem contemnunt; vel illi ex se met recedunt, cum minime ferre possint censuras, quibus illa vel singulares eorum sententias, vel flagitiosum vivendi genus tenetur compescere. Non probatur, corpus aliquod corruptum esse, cum ex illo impii, & scelesti homines egrediuntur; immo e contra hoc in laudem cedit corporis ejusdem; Si enim ibi nequitia perferretur, inde non recederent impii. *Oportet, & hæreses esse*, S. Paulus ait 1. Cor. 11. 19 *ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*. Fides, & Religio a personis non probantur; sed personæ meritum a fide, & Religione recipiunt. *Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Avolent igitur, quantum volunt, paleæ levis fidei; eo purior massa frumenti in horreum Domini reponetur*, ait Tertullianus de Præscript.

℣. 20. SED VOS UNCTIONEM HABETIS A SANCTO.] Supervacaneum est hac de re vobis plura dicere; nostis hos Anti-christos, jure illorum nequitiam, & pravitatem horretis. Jesus Christus, ejusque Spiritus vos hac in re melius, quam ego valeam, edocuerunt [9]. Hoc ipsum repetit etiam ℣. 27. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed unctio ejus docet vos de omnibus*. Interior hæc unctio, hoc intelligentiæ donum, hic Spiritus Lucis, & cognitionis nobis in Baptismo confertur, & in Confirmationis Sacramento confirmatur. Exterior unctio, quam ibi recipimus, sacrum est, & efficax signum unctionis, qua interius sumus repleti [10].

Sanctus vel est Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus. Unctio, quam recipimus, totius Sanctissimæ Trinitatis donum est. Pater nobis tribuit unctionem, & adoptionem per Filium suum; Filius nobis hanc gratiam sanguine suo promeretur; Spiritus Sanctus illam in corda nostra effundit per divinam infusionem suam, & operationem. Hic Prophetas, & Apostolos unxit, & Fidelibus supernaturalia sua dona communicavit. Exterior unctio, quam recipimus, symbolum est luminis, atque intelligentiæ; & non secus ac oleum lampadi infusum ignem fovet, & lucem inde emicantem: ita interior unctio Spiritus Sancti, donec intra nos permanet, nos erudit, illuminat, consolatur, atque confirmat.

℣. 21. NON SCRIPSI VOBIS QUASI IGNORANTIBUS.] Quod vobis dico in hac Epistola, nequaquam dico velut iis, qui hæc ignorent. Non describo vobis fusius omnes artes, omnemque horum Antichristorum nequitiam; non moneo, quid vobis faciendum sit, ut illos evitetis; reor enim, vos satis hæc nosse, & inutile fore, vobis hac de re ulteriora præcepta tribuere. Spiritus Sanctus, quo estis repleti, & cujus vocem auditis, non sinet, vos falli, & in errorem induci. *Scitis, quoniam omne mendacium ex veritate non est*. Ita statim ac deprehendetis fraudem, atque mendacium recentium horum Doctorum, nihil ultra requiretur, ut illos abiiciatis. Spectant ad patrem mendacii; non pertinent ad J. C., nullus enim esse potest nexus, nullum vinculum inter ea, quæ adeo inter se sunt opposita. Quidquid adversatur fidei, quam recepistis, mendacium est, atque dolus:

1 Vide Cyprian. lib. 4. Ep. 6 Hieronym. contra Helvid. Greg. lib. 4. ep. 38. Lactant. lib. 7. cap. 25.
2 Matth. 24. & 1. Timoth. 4. 1. & 2 Timoth. 3. 2. 3 2. Thessal. 2. 1. 2. 3. Vide & 1. Thessal. 4. 12. 13. & 5. 1. 2.
4 1. Timoth. 4. 1. 2. 3. & 2. Timoth. 3. 2. &c. 5 Ita Est. Menoc. Tir. Cornel. alii.
6 Cyprian. lib. 4 Ep. 3. *Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit. Inanes paleæ tempestate jactantur.*
7 Ita Est. Men. Tir. Cornel. alii passim. August. hic. *Sic sunt in corpore Christi quomodo humores mali; quando evomuntur tunc relevatur corpus. Sic & mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur; & dicit quando eos evomuit, ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me.* 8 2. Thessal. 2. 4.
9 Beda Oecumen. Salmer. Lyr. Carthus. alii plerique. 10 Vide Cyrill. Cathech. Mystag. 3. Gregor. Mag. lib. 5. Moral. cap. 19. seu 20. Vide Bellarm. lib. 2. de Sacram. Confirm. cap. 5. & 8. Turrian. lib. 2. cap. 18. pro Epist. Pontif. Cornel. a Lapid. hic.

Ita sine alio examine ferte judicium. Hæc generalis est A
contra omnia nova sententia. Neque studium, neque scientia requiritur, ut sciamus, utrum quod dicitur, sit ex veteri fide nostra; alioquia enim error est; nam Fides nostra nihil novum admittit.

℣. 22. QUIS EST MENDAX?] Novi hi Doctores novum vobis Messiam annunciant? dubitationem vobis ingerunt de Jesu Christi missione, atque divinitate? Jesum a Messia sejungunt? Hinc illos mendaces habere debetis. Scitis enim, Jesum esse Messiam, esse Dei Filium, æqualem Patri, & Deum. Quicumque aliter loquitur, non loquitur per Spiritum veritatis, sed per Spiritum mendacii. Simon Magus, atque Cerinthus Jesum Messiam esse negabant, & merum hominem asserebant. Hic error erat plerorumque ejus temporis hæreticorum,
quemadmodum jam adnotavimus supra c. 1. ℣. 3. B

HIC EST ANTI-CHRISTUS, QUI NEGAT PATREM, ET FILIUM.] Qui negat, Jesum esse Messiam, simul & Patrem, & Filium negat: Patrem quidem, quia hic perhibuit testimonium Jesu Christo, dicens hunc esse dilectum Filium suum; filium vero, qui plurima operatus est miracula, ut se Messiam, & Dei Filium probaret. Si vulgatia tantum miracula Salvator operatus fuisset, haberi fortasse posset tanquam simplex Propheta, vel Sanctus vir; sed cum longe plurima fecerit, quæ inaudita, & maxime singularia sint, cumque illa fecerit ex propria virtute, & ad missionem, & Divinitatem suam probandam, qui illum Messiam esse non fatentur, nullam afferre possunt excusationem [1]. Necquiquam se Patrem confiteri gloriatur, qui negat Filium; qui alte-
rutrum negat, negat utrumque. ℣. 23. *Qui negat Fi-* C
lium, nec Patrem habet.

℣. 23. QUI CONFITETUR FILIUM, ET PATREM HABET.] Filios præclarum adeo Patri testimonium perhibuit, ut fieri minime possit, ut Patrem non noscit, qui Filium confiteatur. Prophetæ, qui nobis Filii adventum nuntiarunt, omnes de Patre locuti sunt. Filium sine Patre non cognosceremus; sed non adeo distincte cognosceremus Patrem, & cultum, quem a nobis petit, nisi venisset Filius, neque nobis nomine illius locutus fuisset. Pleraque Græca Exemplaria typis edita non legunt hæc verba: *Qui confitetur Filium, & Patrem habet*; eaque nonnulli Interpretes [2] perperam a Librariis addita fuisse arbitrantur: Alii vero credunt [3], per incuriam fuisse omissa. Hoc ta-
men certum est, ea legi in multis, iisque optimis MSS. D
in Syro, Cophto, Æthiope, in Latinis omnibus Exemplaribus, in Græcis quibusdam Editionibus, apud Ss. Cyprianum l. 2. ad Quirin. §. 26. Cyrillum l. 9. in Joan. c. 42. Hilarium lib. 6. de Trinit. Augustinum Tractat. 3. in hanc ep. Venerabilem Bedam, qui legit: *Qui confitetur Filium, & Filium, & Patrem habet.*

℣. 24. QUOD AUDISTIS AB INITIO, IN VOBIS PERMANEAT.] Nihil vos ab ea Fide deterreat, quam ab Apostolis, primisque Prædicatoribus vestris accepistis. Licet Angelus de Cœlo descenderet, novam hodie vobis doctrinam annunciaturus [4]; licet ob oculos vestros maxima, quælibet prodigia operaretur; dicite anathema illis omnibus, qui vobis prædicaverint ea, quæ ab initio conversionis vestræ non excepistis [5]. *Id tenendum, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit*, ait Tertullianus præscript. c. 21. *reliquam vero omnem doctrinam de mendacio prejudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.* Quid Hæreticis inter Fideles? Quid sunt, unde veniunt? Quis illis consulit jus nosmet in possessione nostra turbandi? Nos primi sumus, nos possessores antiqui; ori-
ginem, ac possessionem nostram ab illis obtinemus, ad quos ab initio spectabat hæreditas [6]. *Qui estis? Quando, & unde venistis? Quid in meo agitis, non mei . . . . Mea est possessio olim possideo, prior possideo. Habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum.*

℣. 25. HÆC EST REPROMISSIO.] Promissio, quam nobis fecit, non aliud est quam vita æterna. Non est inanis, ambigua, & parvi momenti remuneratio; sed vita æterna, & beata in Cœlis, qua perfruemur, cum perfectam cum Patre, & Filio societatem habebimus. Sed ut eam assequamur, hac in vita Fidem, quam recepimus, servare debemus, Ecclesiæ adhærere, & non Filium a Patre, neque Patrem a Filio separare.

℣. 26. DE HIS, QUI SEDUCUNT VOS:] ut hæ-
resis, quodcumque novum in facto Religionis obtruditur, ideoque evitetis Simonis, atque Cerinthi discipulos, qui vos fallere quærunt, dubitationes ingerentes circa qualitates Messiæ Jesu Christi, ejusque Divinitatem.

℣. 27 UNCTIONEM, QUAM ACCEPISTIS AB EO, MANEAT IN VOBIS.] Unctio, quam recepistis a Filio, vel Spiritu Sancto, vel etiam a Patre, quemadmodum in ℣. 20. explicuimus, maneat in vobis. Summo in pretio hanc Spiritus Sancti gratiam servate, quam in Baptismo, & in Confirmatione recepistis; nolite vivum hoc lumen extinguere [7], quod lucet in vobis, ne decidatis in tenebras, & insidias inimicorum vestrorum. Græcus editus legit [8]: Unctio,
quam recepistis, *manet*, non *maneat*, in vobis. Sed Vul-
gatæ lectio plurimorum, eorumque optimorum MSS. fide, atque nonnullarum Editionum auctoritate probatur.

SED SICUT UNCTIO EJUS [9] DOCET VOS DE OMNIBUS] non est, cur vos moneam, *sicut docuit vos, manete in eo.* Græcus [10], *Manebitis in eo, quod docet vos.* Sed MSS. plures Græci, Syrus, Æthiops, Ms. Alexandrinus, & Græcæ quædam Editiones Vulgatæ simillima sunt. Jubet igitur S. Johannes, Fideles constantes esse in fide, quam ab Apostolis receperunt, vel quam didicerunt in Ecclesia, & quam ipsis Spiritus Sanctus infudit, atque illius unctio ab initio conversionis eorum ipsos edocuit; ℣. 28. *Ut cum apparuerit* Filius Dei *habeamus fiduciam & non confundamur ab eo in adventu* ejus glorioso, ubi viventes, & mortuos
judicaturus accesserit. Per hæc verba innuit, Hære- D
ticos, & qui patrum suorum fidem relinquunt, damnandos esse, æternosque confusione in Judicio Dei esse obruendos.

℣. 29. SI SCITIS, QUONIAM JUSTUS EST;] vel potius, quoniam scitis, Deum justum esse, scire quoque debetis, *quoniam & omnis, qui facit justitiam, ex ipso natus est*; filius ejus est, electus, & hæres, non autem filius iræ, & tenebrarum; dummodo tamen in justitiæ exercitatione perseveret, & per infidelitatem suam non mereatur adscribi in numero inimicorum Dei, ac Filiorum Dæmonis, & cum illis ignis æterni flammis addici. Si vobis hanc Deus contulit gratiam, ut secundum justitiam vivatis, vobis fatendum est, non ex naturæ viribus, neque ex humanæ nativi-
E ratis vestræ vittore, sed virtute, & gratia Dei, quam propter regenerationem, atque adoptionem vestram vobis concessit, hoc accidisse [11]: *Qui facit justitiam, ex ipso natus est*; & hos omnes Anti-Christos, pseudo-Apostolos, & Hæreticos, quorum vita palam adeo flagitiosa est, Dei Filios non esse, & culpa sua de adoptionis dignitate excidisse [12], *Fuerunt isti ex multitudine vocatorum: ex electorum autem paucitate non fuerunt.*

1 1. Joan. 15. 24. 2 Knottbull. hic. 3 Est. Mill. Camer. alii.
4 Galat. 1. 8. 5 Confer sup. 2. 7. infra 3. 11. 6 Tertull. Præscription. cap. 37.
7 1. Thessal. 5. 19. *Spiritum nolite extinguere.* 8 Τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ, ἐν ὑμῖν μένει. Alii: Ἐν ὑμῖν μενέτω. Ita Steph. 3. 5. 7. 12. Colb. 7. Barb. 1. Cov. 4. Gener. Colin. adit.
9 Ἀλλ' ὡς τὸ αὐτοῦ χρίσμα διδάσκει ὑμᾶς. *Sed sicut ipsa hæc unctio.* Alii: Ἀλλ' ὡς τὸ αὐτὸ χρίσμα. *Unctio ejus.* Ita Steph. 3. 5. 12. 13. Barb. 1. Cov. 4. Syr. Arab. Genev. Colin. Τὸ αὐτὸ χρίσμα, ἤτοι τὸ πνεῦμα. Oecumen.
10 Καθὼς ἐδίδαξεν ὑμᾶς, μενεῖτε ἐν αὐτῷ. Alii: Μένετε ἐν αὐτῷ. Ita Steph. 3. 4. 12. Alex. Barb. 2. Petit 5. Cov. 4. Genev. Colb. Syr. Æth. 11 Vide Est. hic.
12 August. lib. de Corrept. & Grat. c. 9.

CAPUT

CAPUT III.

Dei erga homines clementia. Filii Dei. Filii Dæmonis. Amor proximi. Odium fratris. Fides, & Charitas omnia a Deo consequuntur. Qui servat mandata, in Deo manet, & Deus in eo.

Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, &
simus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum. 2
Charissimi, nunc filii Dei sumus: & nondum apparuit, quid erimus. Sci-
mus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti
est. 3 Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille san-
ctus est. 4 Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est
iniquitas. 5 Et scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret: & pecca-
tum in eo non est. 6 Omnis, qui in eo manet, non peccat: & omnis, qui pec-
cat, non vidit eum, nec cognovit eum. 7 Filioli, nemo vos seducat. Qui facit
justitiam, justus est: sicut & ille justus est. 8 Qui facit peccatum, ex diabolo
est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat
opera diaboli. 9 Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam
semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.
10 In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis, qui non est justus, non
est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum: 11 Quoniam hæc est annuntiatio,
quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. 12 Non sicut Cain, qui ex
maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam
opera ejus maligna erant, fratris autem ejus justa. 13 Nolite mirari fratres, si o-
dit vos mundus: 14 Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam,
quoniam diligimus fratres: Qui non diligit, manet in morte: 15 Omnis, qui odit
fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam
æternam in semetipso manentem. 16 In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam
ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere
17 Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem ha-
bere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? 18 Fi-
lioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. 19 In hoc
cognoscimus, quoniam ex veritate sumus: & in conspectu ejus suadebimus corda no-
stra. 20 Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum: major est Deus corde nostro,
& novit omnia. 21 Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam
habemus ad Deum. 22 Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam man-
data ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus. 23 Et hoc est
mandatum ejus: Ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi: & diligamus alte-
rutrum, sicut dedit mandatum nobis. 24 Et qui servat mandata ejus, in illo
manet, & ipse in eo: & in hoc scimus, quoniam manet in nobis de Spiritu, quem
dedit nobis.

℣. 1. VIDETE QUALEM CHARITATEM.] Ad probandam filiationem, & adoptionem, quam nobis per Jesum Christum conferre dignatus est Deus, adfert signa amoris illius, quæ simul ejusdem sunt causa, & effectus, signum, & argumentum. Prima hujus Filiationis nota nomen est, & dignitas Filiorum Dei, quam ille nobis permisit, & facultas, quam nobis elargitur, ut illum Patrem nostrum vocemus, & ad ipsum, quatenus Patrem nostrum, confugiamus. Parum esset, dici Dei Filios, nisi etiam essemus: *Qui nominantur, & non sunt; quid prodest illis nomen?* ait S. Augustinus hic; *Verum hic loquitur de nomine, quod a Deo tribuitur. Hic non est* A *discrimen inter dici, & esse.* In Deo vocari, & reapse esse, idem est. In Græco legimus tantum [1] *Ut Filii Dei nominemur.* Sed Vulgata, Syrus, Æthiops, Ms. Alexandrinus, aliique plures legunt, *nominemur, & simus* vere filii Dei.

PROPTER HOC MUNDUS NON NOVIT NOS.] Si Deum Mundus agnosceret, si illum amaret, si uti opus est, eidem serviret, cognosceret, amaret, distingueret illos, qui ad Deum pertinent; & eos æstimares, qui hoc honore donati sunt, ut sint Filii Dei. Sed hæc præstantissima dignitas Mundum non afficit, quod Deum non amat. Mundus, quin eos colat, qui charactere filiorum Dei insigniti sunt, illos contemnit,

1 Ἵνα τέκνα Θεοῦ κληθῶμεν. Quidam addunt, Καὶ ἐσμέν. Ita Steph. 8. [illegible] Alex. Barb. 2. Cop. 2. 3. 4. Copt. Œcumen. &c.

contumeliis proscindit, persequitur. Hoc tamen dolorem vobis afferre non debet; neque enim ipso Jesu Christo meliores estis. *Si Mundus vos odit*, ait ille Joan. 15. 18. *scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Mementote, illum hoc in Mundo non aliud promisisse vobis, quam probra, exilia, calamitates. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo; & hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Joan. 16. 3.

℣. 2. NUNC FILII DEI SUMUS; ET NONDUM APPARUIT QUID ERIMUS.] Ne mœrorem ingerant vobis ea mala, quibus Mundi amatores vos persequuntur; neque animos despondeatis, quasi Deus vos negligeret, atque contemneret. Qualitas Filiorum Dei, qua ornati sumus, speciosa quidem est, & nobilis, non autem in oculis Mundi; neque vere gloriosi erimus, nisi altera in vita. Tunc apparebimus in ea luce, quam nobis reservat Deus, & in ea gloria, quam talis adoptio nobis promeretur. Adhibimus possessionem hæreditatis promissæ; vita enim hæc exilium est, ubi origo, & dignitas nostra ignorantur.

QUONIAM CUM APPARUERIT [1], SIMILES EI ERIMUS.] In altero Domini adventu, & in gloria ejus illis similes erimus, gloria, atque immortalitate induti: *quoniam videbimus eum, sicuti est.* Non intuebimur amplius illum per velamen, & tamquam in ænigmate [2]; sed facie ad faciem, & in ipsum quodammodo transformabimur [3]. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.* Oportet enim, ut mortale hoc corpus induat immortalitatem, & corruptibile incorruptionem: Tunc morte & peccato devictis [4], gloriæ perfectæque beatitudinis statum assequemur.

℣. 3. QUI HABET HANC SPEM IN EO, SANCTIFICAT SE.] Si speratis in altera vita similes vos Jesu Christo futuros in immortalitate, & gloria, oportet, ut & in hac quoque vosmet illi similes præbeatis in sanctitate, & morum integritate; nemo enim in Cœlo immortalitate induetur, qui non induerit Jesum Christum in terra [5]. At quomodonam induere potestis Jesum Christum, nisi exueritis veterem hominem [6], & novi imaginem in vobismetipsis describatis per imitationem passionum, humilitatis, & mansuetudinis Jesu Christi [7]? *Sicut portavimus imaginem terrestris, portemus, & imaginem cœlestis.*

℣. 4. OMNIS, QUI FACIT PECCATUM, ET INIQUITATEM FACIT.] Reor, S. Johannem illud ipsum innuere, quod S. Jacobus ait in Epistola c. 2. 10. *Quicumque totam legem observaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Judæi vulgo credebant, eos, qui summa, & præcipua Legis capita observassent, minime damnandos esse, & quamdam malorum, bonorumque faciendam esse compensationem, quæ ab æternis vendicaret ignibus, qui bona quædam, non secus ac mala fecissent. Non deerant fortasse Christiani aliquot Judaizantes, qui & in nova Religione hanc sententiam retinuerant, vel qui arbitrabantur, solam fidem ad salutem sufficere, eamque omnia cooperire peccata, quæ post baptismum patrabantur. Ut hunc illis errorem auferat, S. Johannes ait, illum, qui peccatum committit, Legem infringere; & Legis prævaricationes, ubi magnæ sint, non nisi per pœnitentiam expiari, ac inferni pœnas mereri. Ne dixeris; verum est, me proximo vitam, bona, vel nominis existimationem abstulisse; at non commisi adulterium, Deos alienos non colui, Fidem Jesu Christi non abnegavi. Non potest me Deus propter patrata scelera damnare, quin simul & rationem habeat eorum, quæ bene operatus sum. Atqui illius Misericordia justitiam ipsius semper excedit; igitur salvus ero, ubi vel in hac, vel in altera vita pœnas aliquot pertulero, quibus pro peccatis meis satisfaciam.

At Scriptura æternis adjudicat suppliciis Legis, & fœderis cum Domino prævaricationes. Qui idololatriam prohibuit, prohibuit quoque furtum, & cædes [8]. Deus majorum eorum præceptorum prævaricationi æternam damnationem adjecit, licet inæqualiter pro peccatorum admissorum qualitate, circumstantiis, & numero. Ne putes ergo, te in Cœlis admissum iri, & Jesu Christo similem fore, aut indutum immortalitate, si in mortalia sceleraecideris. Si particeps esse cupis beatitudinis, & gloriæ Salvatoris, æque sanctus us oportet, ut ille. Hoc ille superiori versiculo dixit, ex quo iste consequitur. Quodammodo fidem, & dignitatem filiorum Dei abrenunciat, qui Leges illius infringit, & operatur iniquitatem. Lex si bene explicetur, atque ita late, uti æquum est, sensus illius protrahatur, complectitur quæcumque bona facienda sunt, & quæcumque mala evitanda. Amor Dei, atque proximi omnia continet vitæ nostræ officia. Satis est alterutrum ex illis præceptis in re gravi, & magni momenti perfringas, ut æternis addicaris suppliciis, nisi damnationem tuam pœnitentia præverteris; licet alioquin plurima recte facta fueris operatus.

℣. 5. SCITIS, QUIA ILLE APPARUIT UT PECCATA NOSTRA TOLLERET.] Scitis, illum humanam induisse carnem, inter nos similem nobis apparuisse, ut subiret peccatorum nostrorum pondus, quæ mox in Cruce expiaret, Æterni Patris sui justitiæ satisfacturus. In baptismo eam recipimus veniam, quam nobis sua passione promeruit; at quid proderit nobis, si rursus in scelera decidamus? Nonne hoc pacto Jesu Christi mortem inutilem nobis efficimus? Nequicquam ergo peccatores in Jesu Christi meritis acquiescunt, nisi ad illum seria conversione revertantur, neque crimina sua lacrymarum baptismo detergant: fieri enim minime potest, ut rursus per aquæ baptismum regenerentur: *Rursus crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei, & ostentui habentes*, Hebr. 6. 6.

℣. 6. OMNIS, QUI IN EO MANET, NON PECCAT.] Hoc nequaquam significat, Dei filios, & veros Christianos impeccabiles esse; Sanctus ipse Johannes superius cap. 1. 8. 9. nobis dixit; quod *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: verum addit; *si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Supponebat igitur nos etiam post baptismum in scelus aliquod labi posse, quod confessione, & pœnitentia possemus expiare: sed hic innuit, verum Christi fidelem, qui minime peccat, & pro virili Dei gratia suffultus in vitæ innocentia, atque integritate versatur; si quando fortasse cadit, citius resurgere; denique, perperam gloriari in nomine discipuli Dei, qui nomen illud turpi, atque flagitioso vivendi genere dedecorat. Simile prodigii est, Christianum in vitiorum cœno versari.

OMNIS, QUI PECCAT, NON VIDIT EUM.] Non pertinet vere ad Jesum Christum, qui novissimo Judicii die dicet ad eum; *quia numquam novi vos* [9]. Si Deum cognosceret, si vinculis charitatis cum Jesu Christo conjunctus esset, numquid illum offenderet, illi injuriam inferret, nomen ejus dedecoraret? Hinc inferendum non est, fideles, & prædestinatos numquam peccare; neque illos, qui aliquando peccaverint, posse esse prædestinatos; si peccant, resurgunt, & in peccato non perseverant.

℣. 7. QUI FACIT JUSTITIAM, JUSTUS EST.] Hoc refertur ad ℣. 4. Nemo vos fallat, asserens, dummodo non violetis Legem in iis, quæ explicite prohibentur, & per peccata commissionis, vos salvos fore. Nemo

salvus

---

1 Græc. Οἴδαμεν δὲ ὅτι ἐὰν φανερωθῇ, ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα. *Scimus autem, quod si apparuerit.* Ita Tertull. lib. de Resurr. carn. cap. 2.
2 1. Cor. 13. 12.
3 2. Cor. 3. 18.
4 1. Cor. 15. 53.
5 Galat. 3. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*
6 Ephes. 4. 22. Coloss. 3. 9. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem.*
7 1. Cor. 15. 49.
8 Jacobi 2. 11.
9 Matth. 7. 23.

salvus erit, nisi justus: atqui justus non est, qui justitiam non operatur; vel, quod idem est, nemo verè justus est, nisi qui justitiæ opera exercet, quemadmodum illa ipsa etiam Jesus Christus exercuit; *sicut & ille justus est* [1]. Nulla est sine bonis operibus justitia. Itaque sola fides non sufficit, sed opus est, ut cum charitate [2], & actionibus justitiæ conjungatur.

℣. 8. QUI FACIT PECCATUM, EX DIABOLO EST.] Ubi de Religione agitur, duo tantum sunt Domini: qui Dei non est, Dæmonis est; qui non est filius lucis, filius est tenebrarum; qui non est Jesu Christi, est adversarii illius. Itaque nullam speretis salutem, si peccatum commiseritis; Jesus Christus pro suis habet eos solum, qui, ut ipse, veritatem, & justitiam exercent.

AB INITIO DIABOLUS PECCAT.] Paulo post creationem suam a Deo defecit, atque ex tunc quærere incœpit sceleris sui socios. Per illius nequitiam peccatum in Terras invectum est, ille proto-parentes nostros impulit ad inobedientiam. *Invidia diaboli mors intravit in orbem Terrarum*, Sap. 2. 24. Ex hac autem inobedientia Adæ, & hac defectione Angeli contra Deum suum, omnia Mundi peccata profecta sunt; homo quippe in scelus trahitur, vel e concupiscentia sua [3], quæ est primi sui peccati pœna, vel dæmonis suasione numquam cessantis, quo minus nobis insidias struat, & ad malum sollicitet: *ab initio diabolus peccat*. Peccavit, & post lapsum suum jam peccare non cessat [4]. In Mundo quædam superest pœnitentia; non desunt intervalla quædam; in dæmone autem conversio nulla est, nulla intermissio. Hoc non significat, dæmonia nequitiam in singulos dies magis augeri: cum enim primum peccavit, tunc jam sceleribus suis cumulum addidit; sed innuit, nihil amplius cohibere posse nequitiæ ipsius magnitudinem [5], non suppliciorum severitatem, non timorem, non spem. Scelestus est, obduratus, desperatus, incorrigibilis, inflexibilis in malo. S. Joannes alludit ad ea Jesu Christi verba in Evangelio Joan. 8. 44. *vos ex patre diabolo estis*, loquitos ad Judæos incredulos, *& desideria Patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit . . . quia mendax est, & pater mendacii*.

IN HOC APPARUIT FILIUS DEI.] Dei Filius humanam carnem assumpsit, ut dæmonis opera everteret. Hæc autem sunt peccatum, injustitia, mendacium; generatim, quidquid malum est, atque corruptum. Ut simus vere Jesu Christi discipuli, nihil in nobis edisse oportet, eorum, quæ pertinent ad dæmonem: debemus in nobismet ipsis illius opera, atque studio destruere, in innocentia, justitia, & veritate viventes.

QUI NATUS EST EX DEO, PECCATUM NON FACIT.] Christi fidelis, qui recepit in baptismo regenerationem, unctionem Spiritus Sancti, & gratiam justificantem, cavet, ne peccatum committat, atque ita in semet deleat Jesu Christi imaginem, ejusque Spiritum in se inhabitantem contristet. Vide supra ℣. 6. Hoc non significat, justitiam, quam in hoc Sacramento recipimus, amitti non posse; neque Christi fidelem prædestinatum ad gloriam de suo justitiæ gradu posse decidere [6]: hæc enim sententia everteret penitus omnia, quæ huc usque docuit S. Joannes; supponentis ubique fideles ex filiis Dei fieri posse filios dæmonis; sed fieri non potest, ut qui Dei Filius est, donec eo in statu permanserit [7], decidat in mortale peccatum.

Vel: *qui natus est ex Deo*, qui ad gloriam prædestinatus est, *peccatum non facit*, in eo ad mortem usque non perseverat; vel Deus illum a peccato per gratiam suam præservabit, vel illi necessariam opem tribuet, ut resipiscat, & ad ipsum per pœnitentiam revertatur [8]; *Non peccat, id est, non permanet in peccato*, ait S. Bernardus Serm. 1. in Septuag. *quia conservat eum, ne perire non possit ea, quæ falli non potest generatio Cælestis*. Alludit ad ea ℣. 18. cap. 5. verba: *scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum*. Quod idem est, ac id, quod legimus isthic: *peccatum non facit, quoniam semen Dei in eo manet*. Hoc autem semen Dei est gratia Spiritus Sancti [9], in nobis bonorum operum, æternæque gloriæ fructus producentis. Præcipue vero finalis gratia, & perseverantiæ donum, quod electis suis tantummodo concedit Deus, in ipsis est hoc semen immortalitatis. Peccare neque possunt, neque volunt [10]; immo peccatum horrent quam maxime.

℣. 10. IN HOC MANIFESTI SUNT FILII DEI.] Ex memoratis huc usque characteribus, & justitia, sanctitate, integritate, Filii Dei a filiis dæmonis cognoscuntur. Ne inani spe fallamini, quasi fides sine operibus ad salutem sufficeret; vel quasi quod immunes estis a gravioribus sceleribus, idololatria, hæresi, infidelitate, ideo ab ira Dei effectis immunes. Nulla salus est, nisi filiis Dei, nec filii Dei sunt, nisi qui justi sunt, & ab omni crimine vacui, supra ℣. 6. 7. 8. & qui in charitate cum fratribus vivunt, quemadmodum hic dictum est.

℣. 11. HÆC EST ANNUNTIATIO.] Quod vobis annunciatum fuit, cum Evangelium prædicari cœptum est, hoc fuit, ut invicem diligeremini. Nihil hoc vobis fuit commendatius; & ex hac mutua charitate voluit Jesus Christus, ut discipuli ipsius agnoscerentur. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*, Joan. 13. 35.

℣. 12. NON SICUT CAIN, QUI EX MALIGNO ERAT.] Cain vetustissimum est, atque funestissimum fraterni odii exemplum; eo enim usque evasit, ut manu propria Abel fratrem suum interimeret. At undenam profectum est, quod illum interemerit? hinc sane, quod filius erat dæmonis, spiritu ejus repletus; illius audiit consilia, atque turpi invidia in fratrem suum se corripi passus est; verbo: *quoniam opera ejus maligna erant; fratris autem ejus justa*. Ostendit Deus, se præferre Abel; Cain inde irritatus fuit. At merebatur ne, ut a Deo tanto amore, quanto Abel, diligeretur? Nonne poterat Cain Domino exhibere, quemadmodum & frater suus, cultum mundum, & tanta dignum Majestate? Id si fecisset, ipsius etiam oblationes Deo fuissent acceptæ, non secus ac Abel sacrificia.

℣. 13. NOLITE MIRARI, SI ODIT VOS MUNDUS.] Viri boni semper ab impiis exagitati, & contempti fuerunt. Nulla vobis incedere debet admiratio, si vos non diligit Mundus, quoniam Mundi non estis; neque si vos odit, quoniam illum contemnitis, atque ejus instituta, & consuetudinem perhorrescitis. *Si de Mundo fuissetis, Mundus quod suum erat, diligeret*, ait Salvator in Evangelio Joan. 15. 18. *si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit*.

℣. 14. NOS SCIMUS, QUONIAM TRANSLATI SUMUS DE MORTE AD VITAM.] Scimus, nos esse filios vitæ, & ad Cælestem beatitudinem prædestinatos [11]; quoniam Deus eduxit nos de erroris caligine, & de morte peccati; id autem certa scientia non scimus, nisi Deus alicui hoc revelaverit, quemadmodum fortasse cum Apostolis fecerat; sed morali certitudine, & justa spe innixi, & gratiis, quibus a Deo fuimus cumulati, & bonæ conscientiæ nostræ testimonio, & bonis operibus, quæ non sine ope illius sumus operati. Denique vero hoc inde intelligimus, *quoniam diligimus fratres*. Igitur charitas fraterna signum est prædestinationis,

1 Hæc verba in quibusdam MSS. non leguntur. Vide Mill. Var. Lect. 2 Galat. 5. 6.
3 Jacob. 1. 14. 4 August. hic. *Non ab initio ex quo creatus est, sed ab initio peccati; quod ab ipsius superbia coepit esse peccatum*. 5 Vide Bedam hic. 6 Vide Concil. Trident. sess. 6. can. 23. Est. Cornel. alios hic. 7 Thom. Anglican. Cajet. Oecumen. hic. Hieronym. lib. 2. contra Jovinian.
8 Bern. lib. de Grat. & Lib. Arbitr. Fulgent. de Fide ad Petr. cap. 35. Est. hic.
9 Thom. Anglican. Hugo. Cajet. Lyr. Cornel. Vide & D. Thom. 1. parte, qu. 62. art. 3.
10 Οὐ δύναται ἁμαρτάνειν. 11 Joan. 5. 24. *Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam*.

tionis, & probat in corde nostro, gratiam esse sanctificantem, & ostendit e nobis amare Deum. Ita jure sperare possumus, participes nos fore promissionum ejus, quibus Regnum suum illis se traditurum pollicetur, qui fratres suos sincera, & vera charitate dilexerint.

QUI NON DILIGIT, MANET IN MORTE.] Odisse fratrem status est mortis; in eo autem statu perseverare character est reprobationis. De odio prorsus opposita dicenda forent iis, quæ de charitate, & amore fraterno diximus.

℣. 15. QUI ODIT FRATREM SUUM, HOMICIDA EST.] Talis est ex affectu cordis, quoniam inimici sui mortem desiderat; quem si non interficit, vel ei si non infert, quidquid mali potest, ideo non infert, quoniam metus illum coercet, vel aliis cogitationibus prorsus humanis deterretur; Ille tamen in animo est homicida. *Quicumque odit, etiamsi necdum gladio percusserit, animo tamen homicida est*, inquit S. Hieronymus ep. 36. ad Castorin. *Non longe sunt ab occidentibus, qui animo occisionis aderant*. Salvianus ait l. 8. de Provid. Leges ipsæ conspirationes, & meditata in Rempublicam, Principesque facinora puniunt [1]; *in maleficiis etiam cogitata scelera, non perfecta adhuc vindicantur cruenta mente, pura manu*. Deus nos judicat secundum nostri cordis affectus: punit scelera, quorum consilium initum fuit, & illa ipsa, quæ metu coerciti non patravimus, tamquam reipsa patrata, pari pœna puniuntur. Vide dicta in Sanctum Matthæum vers. 28. cap. 5.

℣. 16 ILLE ANIMAM SUAM PRO NOBIS POSUIT, ET NOS DEBEMUS PRO FRATRIBUS ANIMAS PONERE.] Ut judicemus, utrum vere fratres nostros amemus, nosmet consulamus, oportet, utrum parati simus vitæ pro illis effundendæ, quemadmodum Jesus Christus suam pro nobis effudit. Si in eo res vertitur, ut proximi nostri salutem procuremus, vel animæ illius interitum prohibeamus: corporis vitam in periculum adducere debemus, ut animam fratris nostri salvam faciamus [2]. Non autem salutem nostram in discrimen debemus vocare, ut vel corporali ejus incolumitati consulamus, vel etiam ut animæ ejusdem avertamus interitum. Nobis Deus imperat, ut proximum nostrum tamquam nosmet ipsos, non autem plus, quam nosmet diligamus; at illum magis, quam nos ipsos diligeremus, si pro minori, vel etiam pari bono salutem æternam, quæ nostrum summum est bonum, in periculum adduceremus.

Non desunt casus quidam, in quibus vitam nostram periculo objicere tenemur, ut proximi nostri incolumitati studeamus: e.g. debet pastor cum ipso vitæ suæ discrimine ovibus suis opem ferre: tenentur milites extrema quælibet subire, ut in prœlio Patriam, Principem, Ducem, Commilitones suos tueantur. Amicos vero potest quidem, sed non tenetur vitam pro amico impendere. Egregium quidem, & laude dignum factum illud est, non tamen imperatum [3]. Primi Christi fideles tanta se invicem charitate complectebantur, ut inter se admirabundi Gentiles dicerent [4]: *vide ut invicem se diligant, & ut pro alterutro mori sint parati*.

℣. 17. QUI HABUERIT SUBSTANTIAM HUJUS MUNDI.] Græcus ad litteram [5]: *qui vitam habet mundi*, vel qui habet, unde vivat in Mundo; qui bona possidet, & fratri suo eleemosynam denegat, & *clauserit viscera sua ab eo*, hiccine charitatem habet, & dici potest, quod *charitas Dei manet in illo*? At si neque Dei, neque proximi charitatem habet, quid erit de ejus salute cogitandum? *Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat*, ait S. Ambrosius Offic. l. 2. cap. 32. *si scias, eum sine sumptu esse; fame laborare, ærumnam perpeti; qui præsertim egere erubescat*,

NON DILIGAMUS VERBO, NEQUE LINGUA.] Non satis est charitatem, & misericordiam testari fratribus laborantibus, atque in necessitate positis; amandi sunt non lingua, sed *opere, & veritate*. Manus aperiendæ sunt, ut illis eleemosynam erogemus; festinandum est, ut eorum egestati opem feramus. Vivens, & realis charitas non iners est, non ignava. Si fidem haberemus promissionibus, atque minis Domini, cohibendi potius, quam exhortandi essemus, ut pauperibus ferremus opem. Nostra magis interest illis donare, quam sua intersit petere, & a nobis recipere. Dantes enim omnia lucramur. Cœlum, atque infinitas remunerationes meremur.

℣. 19. IN HOC [a] COGNOSCIMUS, QUIA IN VERITATE SUMUS.] Filii lucis, filii Dei, quemadmodum dixi, ita charitatem exerceamus. Vel, inde cognoscimus, nos veram, non fallacem charitatem habere: Effectibus enim *in conspectu Dei suadebimus corda nostra*, nobis veram charitatem inesse. Nequicquam vosmet ipsos fallere vultis, dicentes, proximum vestrum a vobis amari: insurgit enim in vos vestra conscientia, contra vos testatur, & ea voce, quam satis intelligitis, clamat, vos ultro vos fallere. Aliter: si charitatem exercemus non verbo, sed effectu: facile nobismet persuadebimus, Dei filios nos esse [7], vel magnam obtinebimus confidentiam ad Deum confugiendi [8], æternamque vitam sperandi. Vide ℣. 21. Nihil magis animæ pacem afferre potest, & contra mortis, & judiciorum Dei terrores confirmare, quam rectæ conscientiæ nihil nobismet exprobrantis testimonium.

℣. 20. SI REPREHENDERIT NOS COR NOSTRUM, MAJOR EST DEUS CORDE NOSTRO.] Magis videlicet perspicax, severus, æquus, potiori jure, atque majori cum severitate nos puniet. Perperam ergo quæritis vosmetipsos fallere, & conscientiæ vestræ clamores jugulare. Deus plura scit, quam cor vestrum. *Notior est illis homo, quam sibi*, Juvenalis ait, de Diis verba faciens. Temet tibi, non autem Deo potes abscondere. *Cor tuum abscondis ab homine, a Deo absconde, si potes*, ait S. Augustinus.

℣. 21. SI COR NOSTRUM NON REPREHENDERIT NOS, FIDUCIAM HABEMUS AD DEUM.] Illi audacter, atque fidenter preces nostras effundimus; omnino in illius pollicitationibus confidimus, judicii ipsius severitatem non timemus, illum Patrem nostrum vocamus, velut filii, qui certo sciunt, se a Patre amandos, donec ipsi illum dilexerint. Vide ℣. 19. qui eumdem sensum adferre videtur.

℣. 22. ET QUIDQUID PETIERIMUS.] Christi fidelis, qui sincere diligit Deum, & proximum suum, & cujus conscientia munda est, & fideliter servat mandata Patris sui cœlestis, proculdubio sperare potest, nihil sibi a Deo negandum, dummodo ipsa cum fide, spe, & perseverantia petierit; & illud petierit, quod Deus in misericordia sua valeat tribuere [9]. Si Spiritus Dei effinxerit in imo corde nostro preces, ita ut clamemus, Abba, Pater [10], clamor hic nubes ipsas pervadet, & ad Majestatis usque solium perveniet [11].

℣. 23. HOC EST MANDATUM EJUS, UT CREDAMUS.] Quidquid nos docet Evangelium, Jesum Christum Messiam esse, Dei filium, ipsum Deum, & ut ad finem usque in hac fide perseveremus; ac posthæc illum amemus, ejus exemplum imitemur, & quidquid ipse præceperit, observemus; præsertim vero *diligamus alterutrum*: hæc omnia namque ex fide ipsa ultro procedunt, cum sincera est, ac vera. In hoc omnis Christianæ Religionis perfectio consistit.

℣. 24. QUI SERVAT MANDATA EJUS, IN ILLO MANET.]

---

1 Apulej. Florid. 4. 2 Vide Est. Cornel Grot. Menoch. Tir. alii.

3 August. lib. de Mendacio, cap. 6. & de Amicitia, cap. 10. Hieronym. in Mich. 7. Ambros. lib. 3. Offic. cap. 12. Alii apud Cornel. hic. 4 Tertull. Apologet. cap. 39. *Vide ut invicem se diligant, & ut pro alterutro mori sint parati.* 5 Ὃς δ' ἂν ἔχῃ τὸν βίον τοῦ κόσμου. 6 Ἐξ ἀληθείας γινώσκομεν.

7 Vide August. Pagn. Vet. Syr. alios, maxime Oecumen. 8 Joan. Ferus. Hamm. hic.

9 Vide Est. Grot. Cornel. 10 Galat. 4. 6. Rom. 8. 15. 11 Hebr. 4. 16. Eccli. 35. 21.

MANET.] Deus illum spiritu, gratia, amore suo replet; Deus cum illo, & ille cum Deo intrinsecus conjunctus est. Unio, quæ Deum inter, & hominem inveniri potest, in hoc tantum posita est, quod homo Deo subjectus sit, obtemperet, inserviat, eumque colat, atque diligat; & Deus hominem sua gratia præveniat, illi opem afferat, præclaram in Cœlis quidem mercedem polliceatur, in hac autem vita eum illo misericordiam exerceat, atque suo amore dignetur, eum justum, ac fidelem efficiens. Hæc igitur nequaquam est veluti inter pares similitudo, ubi vicissim pro bono bonum, pro amore amor tribuitur. Homo nihil Deo conferre potest, quod ab ipso non receperit: Deus illi bonam voluntatem, rectam mentem, charitatem, & quidquid illum in oculis Creatoris sui jucundum efficere potest, immittit.

IN HOC SCIMUS, QUIA MANET IN NOBIS DE SPIRITU [1].] Per spiritum hoc nobis tribuit, ut sciremus, quod Deus in nobis permanet [2]. Nesciremus, utrum in nobis Deus, & nos in eo permaneremus, & neque utrum nos illius filii essemus, ipse vero Pater noster; si Sanctus ejusdem Spiritus nobis non perhiberet intrinsecus testimonium, quod ad illum spectamus: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*, Rom. 8. 16. Amor Dei, & proximi, quo flagramus, pignus est præsentiæ Divini Spiritus in nobis, & sanctæ conjunctionis, quam habemus cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto: *Deus enim charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. Joan. 4. 16. Si charitatem habes, certus es, Deum in te permanere, & te in Deo. S. Augustinus in hunc locum inquit: *Si enim inveneris, te habere charitatem, habes Spiritum Dei, & inhabitaris a tota Trinitate*. Hic sensus etiam huic loco potest appingi: *Per Spiritum Sanctum nobis Apostolis tradit, ut sciamus, quod Deus permanet in nobis*, ac nos Spiritus ejusdem lumine afflatos esse, ut ipsius veritates hominibus annunciemus.

---

1 Ἐκ τοῦ πνεύματος. Ex spiritu, &c. 2 Confer 4. 13.

C A P U T IV.

Discretio spirituum. Amor proximi. Amor Dei erga nos, ejusque effectus. Illum debemus diligere, quemadmodum ab illo dilecti fuimus. Confidentia, quam inspirat Charitas, quæ metum ejicit. Qui fratrem odit, non amat Deum.

1. CHarissimi, nolitè omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo
sint: quoniam multi pseudo-prophetæ exierunt in mundum. 2 In hoc co-
gnoscitur spiritus Dei: omnis spiritus, qui confitetur, Jesum Christum in
carne venisse, ex Deo est. 3 Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non
est, & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in mundo
est. 4 Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eum, quoniam major est, qui in vobis
est, quam qui in mundo. 5 Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur, &
mundus eos audit. 6 Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non
est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & spiritum
erroris. 7 Charissimi, diligamus nos invicem: quia charitas ex Deo est: Et om-
nis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. 8 Qui non diligit, non
novit Deum: quoniam Deus charitas est. 9 In hoc apparuit charitas Dei in no-
bis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per
eum. 10 In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse
prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. 11
Charissimi, si sic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere. 12 Deum
nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas e-
jus in nobis perfecta est. 13 In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, &
ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis. 14 Et nos vidimus, & te-
stificamur, quoniam pater misit Filium suum Salvatorem mundi. 15 Quisquis con-
fessus fuerit, quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.
16 Et nos cognovimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus
charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 17 In
hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habemus in die judicii: quia
sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. 18 Timor non est in charitate: sed
perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet, qui autem ti-
met, non est perfectus in charitate. 19 Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus
prior dilexit nos. 20 Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum o-
derit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem
non videt, quomodo potest diligere? 21 Et hoc mandatum habemus a Deo, ut
qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

NOLITE

℣. 1. NOLITE OMNI SPIRITUI CREDERE.] In novo æque, ac in veteri Testamento & veri fuerunt, & falsi Prophetæ; id vero quærebatur, ut alii ab aliis secernerentur. In veteri quidem plurimæ suppetebant rationes, quibus hoc assequerentur [1]. Exempli gratia aliquis verus esse Propheta intelligebatur, cum supernaturali ratione ad hoc munus evocaretur; cum illius prædictiones effectu probarentur; cum ab alio vero Propheta agnosceretur; denique cum illius prophetia summa esset cum integritate, perfecta morum, & doctrinæ puritate, ardenti zelo ad gloriam Domini procurandam, & vitium, ac scelus persequendum conjuncta. Hi omnes characteres, vel eorum præcipui satis erant, ut intelligerent populi, aliquem a Deo vere esse inspiratum.

In novo autem Testamento hoc magis arduum erat, atque difficile; donum enim Prophetiæ ibi magis erat commune. Ibi ad litteram videbatur complementum prophetiæ hujus, quæ est apud Joelem [2]. *Effundam spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt: sed & super servos meos, & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.* In uno, eodemque cœtu ut plurimum multi aderant, qui supernaturalia Spiritus Sancti dona receperant; quorum alii variis loquebantur linguis, alii Scripturas interpretabantur, alii curabant ægros, alii vero *discretionem spirituum* habebant 1. Cor. 12. 10. Hi autem consulebantur, cum ambigeretur, utrum aliquis vere Spiritu Sancto esset afflatus [3]: quæ ratio ubi desit, imperat S. Paulus, ut judicium feratur ex doctrina, & uniformi vitæ ratione: *ideo notum vobis facio*, inquit ille 1. Cor. 12. 3. *quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu*. Ita Simoniani, & Cerinthiani Jesum Christum Messiam esse negantes, vel ejus Divinitatem in dubium vocantes, audiendi non erant, quantumvis Divino repleti Spiritu viderentur. Neque erant audiendi, qui doctrinam ferrent, Apostolicæ adversantem: *licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis, Anathema sit*, Galat. 1. 8.

S. Joannes igitur hoc in loco fideles præmunit contra falsos Doctores, & pseudo-Prophetas; & jubet, tanquam veram inspirationem nequaquam assumi quidquid in ejusmodi personis speciem ejusdem præseferre videtur. Hæc ipsa Discipulis suis monita accuratius ipse etiam Jesus Christus, & S. Paulus Apostolus tradiderunt, eaque nunquam magis opportuna fuerunt, quam primo, alteroque Ecclesiæ seculo, ubi cuncta pseudo-Christis, & pseudo-Prophetis erant repleta; quos Tertullianus l. 5. contra Marcion. c. 16. *præcursores Antichristi Spiritus* appellat. S. Joannes in subsequentibus duobus ℣℣. nos docet, quomodo queant Prophetæ dignosci.

℣. 2. IN HOC COGNOSCITUR [4] SPIRITUS DEI.] Simon Magus aperte Jesum Christum Messiam esse negabat, immo & se Christum asserebat [5]. Cerinthus Jesum a Christo distinguebat [6], dicebatque, Jesum merum esse hominem, ut alios, ex Josepho, & Maria natum: Christum vero Summi Dei, hoc est, Spiritum Sanctum (ex Divi Epiphanii sententia) in illum sub Columbæ specie descendisse; ei revelasse Patris nomen, quod adhuc erat ignotum, & per virtutem Christi, Jesum omnia miracula sua fuisse operatum: Jesum vero passum fuisse, & resurrexisse; sed Christum ab eo recessisse, & ascendisse in omni plenitudine sua, quin aliquid passus fuisset. Hoc innuit S. Joannes ℣. 3. *Omnis Spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est*. *Gnostici*, & *Docetæ*, vel Apparentes affirmabant, Jesum Christum neque natum esse, neque mortuum, neque resuscitatum, nisi in speciem [7]. Hæc omnia Hæreticorum monstra jam prodire inceperant, cum S. Joannes hoc litterarum daret; qui tenet, nullam habendam esse eorum Hæreticorum rationem, licet prodigia maxima operarentur, ac Deo pleni viderentur; sed immo anathema illis esse infligendum.

℣. 3. OMNIS SPIRITUS, QUI SOLVIT JESUM, EX DEO NON EST;] vel potius omnis pseudo-Propheta, qui Jesum a Christo distinguit; quemadmodum superiori versiculo explicuimus, non est spiritus Dei, sed spiritus tenebrarum. *Solvere Jesum* significare potest vel Jesum Christum, ejusque doctrinam destruere; vel hypostaticam illius unionem separare; dicere, Jesum non esse Christum, vel Jesum Christum non esse Deum, vel Jesum Christum in speciem tantum natum esse, obiisse, & resurrexisse; verbo, dividere quidquid in ejus persona unum tantummodo est. Græca exemplaria [8] a Vulgata differunt, quæ habent: *Omnis Spiritus, qui non confitetur, Jesum Christum in carne venisse, non est ex Deo*: quæ lectio uniformis videtur in Græcis omnibus exemplaribus, Syriaco, Arabico, Æthiopico, S. Irenæo l. 3. c. 18. S. Polycarpo S. Joannis Evangelistæ discipulo ep. ad Philipp. c. 7. in S. Cypriano l. 2. ad Quirin. c. 8. atque Theodoreto. Sed Vulgatæ lectio: *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est*, si Socrati hist. Eccl. l. 7. c. 32. fides est, in antiquis codicibus reperiebatur. Deprehenditur etiam in S. Cyrillo Jerosolymitano de Fide ad Reginas, in S. Leone ep. 10. ad Flavian. in S. Prospero l. 1. c. 23. de vocat. Gent. Cassiano l. 5. de Incarn. c. 10. Beda controvers. in hunc locum. Fulbertus Carnotensis ep. 1. ait, Hæreticos locum hunc ex S. Joannis Epistola expunxisse. S. Irenæus l. 3. c. 18. Tertullianus l. de carne Chr. c. 24. S. Ambrosius l. 1. de Vocat. Gent. c. 8. S. Augustinus Tract. 6. in hanc ep. Lucifer Calaritanus Vulgatæ lectionem sequuntur. Tertullianus vero de Carne Chr. c. 24. S. Augustinus in hunc locum, & S. Fulgentius ad Trasimund. l. 1. c. 5. & Græcam lectionem probant, & Vulgatam usurpant.

Critici vero dissentiunt, inquirentes, uter horum textuum præstet. Alii [9] utrumque admittunt: & profecto de eorum antiquitate ambigi minime potest, quoniam uterque in vetustissimis Auctoribus reperitur, vel simul, uti in Tertulliano, & Ss. Augustino, & Fulgentio; vel seorsim, quemadmodum in recensione superius habita ostendimus. Alii autem Vulgatæ versionem anteferunt, quæ plane mirum in modum Gnosticos, & Cerinthianos Jesum Christum dividentes impugnat. Denique hæc apud alios [10] suspicione non caret ex hoc ipso, quod nimis aperte eos lacessit Hæreticos; suspicantes, quod primum quidem in margine descripta, mox in Textum obrepserit, primum quidem cum lectione veteri, & mox sola in Latinis exemplaribus, quæ antiquam, & genuinam Græci Textus lectionem suppresserunt. S. Polycarpus, qui Græcorum exemplarium lectionem tantummodo sequitur, magnum addit pondus huic sententiæ. Ille S. Joannis erat discipulus, & præ cæteris omnibus melius intelligere poterat, quænam esset vera Textus ejusdem lectio.

HIC EST ANTI-CHRISTUS.] Græcus [11]: *hoc ad Anti-Christum pertinet*, vel *hoc est Antichristi*. Hæ sententiæ eorum sunt, qui sunt Præcursores Antichristi, dignæ hoc infestissimo Jesu Christi inimico. Antichristus nihil docebit, nisi quæ ab hujusmodi Hæreticis docentur, Jesum Christum non esse Messiam, non esse Deum, esse merum hominem, & se Christum esse; quod

1 Vide nostram præfationem generalem in Prophetas art. 4. & Deut. 18. 22. Ezech. 13. 2. & 22. 28.
2 Joel. 2. 28. Act. 2. 16. 17. 18. 3 1. Cor. 14. 29. 4 Græc. Ἐν τούτῳ γινώσκετε. *In hoc cognoscitis*. Alii: Ἐν τούτῳ γινώσκεται. Ita plures. Quid. Γινώσκομεν. Steph. ιγ.
5 Iren. lib. 1. cap. 20. August. de hæres. 1. Epiphan. hæres. 21. 6 Epiphan. hæres. 28. cap. 1. Iren. lib. 1. cap. 25. 7 Clemens Alex. lib. 7. Strom. & Theodoret. hæret. Fabul. pag. 128.
8 Καὶ πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστι.
9 Vide Zeges. & Luc. Brugens. Est. 10 Vide Grot. hic. & Mill. Var. Lect. in hunc locum.
11 Τοῦτό ἐστι τὸ τοῦ Ἀντιχρίστου. Alii: Τοῦτό ἐστι τὸ Ἀντιχρίστου. Veles. Οὗτός ἐστιν ὁ Ἀντίχριστος. Ita Copht & Vulg.

quod Simon Magus docebat. Audistis, Antichristum in Mundum esse venturum, & sane venturus est, & sub fine sæculorum in persona proditurus, sed *nunc jam in Mundo est* in spiritu, & figura, in horum pseudo-Prophetarum persona. Quemadmodum S. Joannes Baptista Elias erat spiritu, atque virtute [1], ita homines ejusmodi spiritu, & nequitia sunt Antichristi [2].

℣. 4. Vos ex Deo estis, et vicistis eum] hunc Antichristum, quippe qui estis filii Patris, & fideles discipoli Filii. Græcus: *vos estis Dei, & vos vicistis illos* pseudo-Prophetas, Præcursores Antichristi. At quomodo vicistis eos? *Quoniam major est, qui in vobis est, quam qui in Mundo.* Non viribus vestris, sed virtute illius, qui in vobis inhabitat; virtute Dei, & unctione Spiritus Sancti, qui fortior est atque potentior, quam universa Dæmonis nequitia, vim horum pseudo-Prophetarum superastis. Per illius gratiam, veritatem, atque justitiam hostes hujusmodi debellantur.

℣. 5. Ipsi de mundo sunt,] ad Mundum pertinent, pleni sunt spiritu illius, ejus præcepta sequuntur; *Mundus eos audit.* Simon, Cerinthus, aliique falsi Doctores non aliud, quam vitæ commoda quærebant, Deum suum ventrem faciebant, inimici erant Crucis Jesu Christi [3], persecutiones vitabant, auditoribus suis blandiebantur, suisque discipulis quælibet impurissimarum voluptatum genera pollicebantur [4]. Itaque mirum ne erat, quod Mundus eos audiret, & sequeretur?

℣. 6. Nos ex Deo sumus,] ad illum spectamus, illius spiritu repleti sumus, *& qui novit Deum, audit nos.* Qui cum Deo habet societatem, & qui filius est lucis; ille, cui Deus aperuit cor, & cui tribuit spiritum intelligentiæ, hic audit vocem Apostolorum, permanet in fide, quam ab illis recepit. Confer ea, quæ dixit Jesus Christus in Evangelio Joan. 8. 47. *qui ex Deo est, verba Dei audit &c.*

In hoc [5] cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris.] Per internam Spiritus Sancti unctionem, & societatem, quam habemus cum Deo ad quem spectamus, discernimus spiritum veritatis, intus in nobis loquentem, vel loquentem per os Apostolorum, a spiritu erroris, per os Hæreticorum, & pseudo-Apostolorum loquente. Deus ex misericordia sua rerum Cœlestium, & Evangelicarum veritatum suarum gustum nobis tribuit, atque intrinsece nos illuminat, ut inimicorum Jesu Christi dolos, atque insidias detegamus. Ipse efficit, ut audiamus Pastores nostros, qui Divino spiritu repleti sunt, & prophanas Antichristorum novitates perhorreamus.

℣. 7. Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est.] Redit ad ea, quæ præcedenti capite inceperat ℣. 23. ultro citroque nosmet sincera charitate amplectamur; in eadem sententia, atque fide permaneamus; charitas enim Dei donum est. Quicumque charitatem habet, gestat characterem filiorum Dei, ac vero Spiritus Sancti lumine repletus est. *Omnis qui diligit Deum, & proximum suum, ex Deo natus est, & cognoscit Deum:* ostendit, se ipsa & vere illum cognoscere. Qui vero e contra charitatem non habet, dicere nequit, se Deum cognoscere; quomodo enim illum cognoscere potest, quin diligat; & quomodo illum diligere, quin observet illud, quod ipse etiam, atque etiam commendavit, videlicet erga fratres nostros charitatem? ℣. 8. *Qui non diligit, non novit Deum.*

℣. 8. *Deus Charitas est:*] ille nos summo amore complectitur. Quidquid pro nobis fecit, infinitum ejus amorem testatur. Dicimus, sapientem hominem ipsam esse sapientiam [6], hominem gratiosum ipsam esse gratiam; venustum ipsam venustatem. Ita de Deo dici potest ipsam esse charitatem & misericordiam: *Deus meus misericordia mea* Psal. 58. 18. Dici etiam Theologice potest Deus essentialis esse charitas; in Deo enim qualitates & substantia non differunt [7]. Denique quemadmodum sapiens ait: *Deum time, & mandata ejus observa: hoc enim est omnis homo,* Eccl. 12. 13. ut innuat, omnia hominis officia in Dei timore & cultu consistere; ita *Deus Charitas est,* significare potest, quæcumque Deus erga hominem facit, esse misericordiæ, & charitatis ipsius effusionem.

℣. 9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis.] Ut probetur Deus esse charitas, non alio opus fuit indicio, nisi eo, quod præstitit nobis, Filium suum tribuens, *ut vivamus per eum.* Mortui eramus propter peccatum. Justa eramus divinæ iræ objecta; primus Parens noster Dei imperium perfregerat; prævaricationis ejus participes eramus, atque imitatores: Deus tamen, quin hæc omnia illum deterrerent, ad nos misit Filium suum, qui humanam carnem assumpsit, & qui vitam suam effudit, ut nos salvos faceret, & Patri suo reconciliaret.

℣. 10. Non quasi nos dilexerimus Deum.] Cogitare aliquis fortasse posset, Deum in nobis aliquid amore dignum nactum fuisse, vel nos adnisos, ut illum quæreremus. sed charitas ejus est omnino gratuita. Eramus illius inimici, illum tunc etiam lædebamus, cum ipse de nobis cogitavit: *commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est,* Rom. 5. 8 Quid feceramus, ut ille meritorum nostrorum habita ratione nos evocaret, atque in filiorum suorum albo describeret? *Si pigri eramus ad amandum, non simus pigri ad redamandum,* Augustinus hic.

℣. 11. Si sic Deus dilexit nos.] Deus nos amavit, licet illi essemus inimici; igitur illius exemplum sequuti, debemus etiam fratres nostros diligere, licet etiam nobis adversarentur [8]. *Estote imitatores Dei sicut filii carissimi, & ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & Hostiam Deo in odorem suavitatis,* Ephes. 5. 1. Ad hæc, si Deus nos tantopere amavit, æquum profecto est, ut eos diligamus, quos ille æque ac nos dilexit, & quos præcipit, ut propter amorem suum diligamus. Quoniam illi nihil valemus rependere, saltem amemus eos, quos in suum locum substituit, amemus amicos ejus, servos, & Creaturas illius, quippe professus est, se habiturum tanquam sibi factum, quidquid minimo alicui ex servis suis fecerimus, Matth. 25. 40.

℣. 12. Deum nemo vidit unquam.] Nos ad amorem Dei excitare adniteris; at quomodo nam id amare possumus, quod nunquam vidimus? Illum amatis, illum videtis in fratribus vestris [9]. *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet,* illum possidemus, cognoscimus, gustamus, *& charitas ejus in nobis perfecta est.* Illum vere, & efficaciter amamus, cum facimus imperata ejus, ejusque erga proximum nostrum charitatem imitamur. Perfecta charitas in eo posita est, ut Deum supra omnia diligamus, & proximum nostrum tanquam nos ipsos. Alterum pendet ab altero. Proximum & ipsos etiam inimicos nostros diligimus, eo quod amamus Deum: & amor, quo illos complectimur, ea charitate perficitur, qua diligimus Deum. Duo hi amores sunt tanquam duo surculi ex eadem radice germinantes.

℣. 13. Quoniam de Spiritu suo dedit nobis.] Hinc intelligimus, Deum in nobis permanere, nos in Deo. Qui habet Spiritum Dei, in Deo manet, & Deus in eo. At nos Dei spiritum, gratiam, & amorem recepimus: ergo permanemus in Deo. Efficit amor, ut duo amici unum, ut ita dicam, spiritum, unum animam habeant. At nos unum cum Deo spiritum habemus; arctissimis ergo vinculis illi conjuncti sumus: *qui adhæret Deo, unus spiritus est,* 1. Cor. 12.

℣. 14. Nos vidimus et testificamur.] Quod vobis superius dixi ℣. 9., Deum nobis misisse Filium suum, ut nos salvos faceret, hoc ego scio, hoc ipse hisce oculis vidi, hujus testis sum. Vobis nequaquam prædi-

1 Matth. 11. 14. 17. 10. 11. 12. Luc. 1. 17. a Vide Est. Grot. Menoc. alios.
3 [illegible] Quidem Vulg. libri: *Vicistis eos.* August. *Vicistis eum.*
4 Philipp. 3. 18. 5 Epiphan. hæres. 21. Iren. lib. 1. cap. 20. Origen. contra Cels. lib. 6. &c.
6 Græc. [illegible] Ex hoc. Alij: [illegible] In hoc. 7 Tostat. *Tu tantus quantus nil nisi sapientia es.* 8 Vide Est. hic. 9 Vide Menoch. Tir. alios maxime August. hic.

prædico doctas fabulas, chimericasque visiones, quemadmodum pseudo-Prophetæ, & pravi illi doctores Simon, atque Cerinthus, de quibus loquutus sum. Nihil dicimus, nisi quod scimus. Vide supra cap. 1. ℣. 1. & 2. Petri 1. 16. *misit filium suum Salvatorem Mundi*: quod longe abest ab errore Simonis, asserentis, se Christum esse, atque tanquam rivalem Salvatoris, cujus Divinitatem & Messiæ qualitatem negabat, sese exhibentis.

℣. 15. QUISQUIS CONFESSUS FUERIT.] Qui hanc veritatem crediderit, & ad fidei suæ lucernam vitam composuerit; qui fidem habuerit cum charitate conjunctam, *Deus in eo manet, & ipse in Deo*. Igitur ex hoc versiculo fides, charitas vero ex superioribus requiruntur, ut mereamur, Deum in nobis permanere, & nos in Deo. Fides ergo non sufficit sine bonis operibus, quemadmodum Simon Magus asserebat [1]: in Deo credendum est, ille est diligendus, proximus etiam amandus, & vita juxta Evangelii præcepta traducenda.

℣. 16. NOS COGNOVIMUS ET CREDIDIMUS CHARITATI.] Quod vobis diximus de amore Dei erga nos, hoc ipsi cognovimus, & didicimus ex eodem Jesu Christo, hoc nobis revelavit; nos illud credidimus, nos illius effecta vidimus, nos illum prædicavimus, nos illi testimonium perhibemus; noscimus, quod *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Si Deus nos amat, nos Deum diligamus; non ipsi priores illum diligimus. In sæcularibus amicitiis, vel invenimus, vel supponimus in iis, quos amamus, dotes amore dignas; has vero in illis nequaquam efficimus. In amore vero, quo Deus nos complectitur, omnino oppositum accidit; ut nos amare possit, opus est, ut suo efficiat amore dignos; ut vero nos illum amemus, debet ille nobis suam gratiam, amorem, lumen, ac studium illud conferre, quæ efficiunt, ut eum cognoscamus, atque diligamus. *Charitas est Deus, & Dei donum; charitas dat charitatem* [2]. Numquam nos frustra diligit: & primus effectus amoris sui erga nos, hic est, ut in nos erga se amorem inspiret. Creaturas diligere possumus, quin diligamur; at Deum non diligimus, quin ipse nos diligat.

℣. 17. IN HOC PERFECTA EST CHARITAS DEI NOBISCUM &c.] At quomodo nam fieri possumus hoc in Mundo similes Deo? Ita sane, si repleti fuerimus spiritu, & amore ejus, si ejus charitatem erga omnes homines fuerimus imitati, opem illis ferentes, eisque amorem nostrum testantes indiscriminatim, sive amici sint, sive inimici, affines aut alieni juxta Cœlestis Patris exemplum, qui Solem suum oriri facit super justos, & peccatores [3]. Ad hæc Dei amor nos quodammodo in ipsum transformat; nobis eosdem sensus inspirat, eadem studia; efficit, ut in Deo tantum vivamus de Deo, & propter Deum: nulla amplius cura tangamur, quam gloriæ ipsius, & amoris ejus; quo in statu si fuerimus, quomodo minime replebimur *fiducia in die Judicii*? Numquid posset Deus ea damnare, quæ in ipsius charitate fecerimus; vel cor ipsius amore succensum inferni flammis addicere?

℣. 18. TIMOR NON EST IN CHARITATE.] Fieri non potest, ut Deum ex toto corde nostro, proximum vero tanquam nosmet ipsos diligentes, nos terreat aspectus judiciorum ejus, & coram illo tanquam mancipia contremiscamus. Amor Dei perfectam nobis confidentiam inspirat; & sperandi locus est, futurum, ut nos bonis suis cumulet, quemadmodum pollicitus est [4].

Alii [5] hunc timorem, qui a charitate ejicitur, explicant de servili metu, qui efficit, ut Deo serviamus potius ex damnationis timore, quam ex amore Dei, atque justitiæ. Ubi aliquis in amore Dei confirmatus est, non agit ultra humili, ac servili ratione ductus, sed superiori tantum ex causa. Charitas filialem metum non ejicit, sed immo perficit. Timor incipit opus conversionis nostræ; charitas illud absolvit. Timor est velut acus filum introducens; filum vero non ingreditur, nisi acus exierit. Timor quidem cor excitat, & ad charitatem recipiendam disponit. *Quantum charitas crescit, tantum timor decrescit; & quantum illa fit interior, tantum timor pellitur foras. Major charitas, minor timor*, ait S. Augustinus.

Non desunt [6], qui ita explicent: charitas timorem expellit; perfectus Dei amor ejicit timorem mortis, persecutionis, malorum. Martyres charitate inebriati, tormenta, exilium, supplicia, mortem ipsam contempserunt: sed prior sensus melius cum reliqua S. Joannis oratione cohærere videtur.

TIMOR POENAM HABET: QUI AUTEM TIMET, NON EST PERFECTUS IN CHARITATE.] Si perfectus esset, nihil timeret, nihil pateretur; *ubi enim amatur, aut non laboratur, aut labor amatur*. Quæcumque magis ardua sunt, magis difficilia, hæc facillima efficit charitas [8]: timor autem semper molestus est, & sive præsens, sive futurum malum metuatur, anima non quiescit.

℣. 20. SI QUIS DIXERIT.] Si Deum amaret, amaret & fratrem suum. Amor Dei, amorem proximi continet. Numquid amari potest Deus, quin ametur, quod ille suo amore dignum censuerit, quod a nobis amari jusserit, quod ad ipsum pertinere cognoscimus: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Quomodo asserere possumus, nos vere amare Deum, quem non videmus, quem imperfecte tantum cognoscimus, qui nihil habet, quod sensus nostros alliciat, cujus pulchritudo, perfectio, illecebræ omnino intrinsecæ sunt; si oderimus fratres ad Dei imaginem creatos, nobis sanguinis, naturæ, similitudinis vinculis conjunctos, immo etiam quam plurimis commodis, quorum vicissim alternis indigemus nobis devinctos? Quomodo dicere possum, me Deum diligere, qui invisibilis est, si nolo amorem meum illi testari, gratificans fratribus meis, qui illius servi sunt, & quos propter amorem ejus amare jubeor? *Si Frater est, & eum non diligis; quomodo Deum diligitis, cujus mandatum contemnis*, inquit S. Augustinus?

℣. 21. ET HOC MANDATUM HABEMUS A DEO], ut illum diligamus, & fratres nostros amemus. *Quid tibi sum Domine* S. Augustinus l. 1. Confes. c. 5. *ut amari te jubeas a me, & nisi faciam, irasceris mihi & mineris ingentes miserias? Parvane ipsa est, si non amem te?* Quid tibi prodesse potest amor meus? Quinam Rex dicit servo suo: amici simus, tibi hanc trado Provinciam. Deus ipse, qui mihi præcipit, ut illum diligam, præcipit quoque, ut diligam proximum meum tamquam meipsum; & mihi inferni pœnas intentat, si hunc vel odero, vel perperam dilexero; hoc est, si vel parum vel nimis, vel ad malum finem amavero.

---

1 Epiphan. hæres. 21. Iren. lib. 1. cap. 20. August. hæres.   2 Bernard. Ep. 11.

3 Matth. 5. 45.   4 Vatab. Est. Menoch. Vorst. Alii,

5 August. hic. *Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur. Seta prius intrat; sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit ut introduceret charitatem.*   6 Tertull. Grot alii.   7 August. de Bono viduitatis, cap. 21. n. 26.

8 August. lib. 1. cap. 22. de Morib. Eccl. Cathol. *Nihil est tam ferreum atque durum, quod non amoris igne vincatur.* Idem Serm. olim 9. de Verbis Domini, nunc 70. cap. 3. *Omnia sæva & immania, prorsus facilia, & prope nulla efficit amor*,

CAPUT

CAPUT V.

Amor Dei, & proximi. Dei mandata facilia. Fides Mundi victrix. Tres JESU CHRISTI testes in Cælo, & tres item in Terra. Qui non credit in JESUM CHRISTUM, mendacem facit Deum. Peccatum, quod mortem infert, & quod non infert. Qui ex Deo natus est, non peccat. Mundus pravus est.

1. OMnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et om-
nis, qui diligit eum qui genuit, diligit & eum, qui natus est ex eo. 2
In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus,
& mandata ejus faciamus. 3 Hæc est enim charitas Dei; & mandata ejus gravia non
sunt. 4 Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est vi-
ctoria, quæ vincit Mundum, fides nostra. 5 Quis est, qui vincit mundum, nisi
qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei? 6 Hic est, qui venit per aquam, & san-
guinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua, & sanguine. Et Spiritus
est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas. 7 Quoniam tres sunt, qui testi-
monium dant in coelo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.
8 Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis: & hi
tres unum sunt. 9 Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est:
quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio
suo. 10 Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se: Qui non credit
Filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium, quod testificatus est
Deus de Filio suo. 11 Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis
Deus. Et hæc vita in Filio ejus est. 12 Qui habet Filium, habet vitam: qui non
habet Filium, vitam non habet. 13 Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam
habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei. 14 Et hæc est fiducia, quam ha-
bemus ad eum: Quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.
15 Et scimus, quia audit nos, quidquid petierimus: scimus, quoniam habemus pe-
titiones, quas postulamus ab eo. 16 Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad
mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem,
non pro illo dico, ut roget quis. 17 Omnis iniquitas, peccatum est: & est pecca-
tum ad mortem. 18 Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed
generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum. 19 Scimus, quoniam ex
Deo sumus: & mundus totus in maligno positus est. 20 Et scimus, quoniam Filius
Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero
Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna. 21 Filioli, custodite vos a simu-
lachris. Amen.

℣. 1. OMNIS, QUI CREDIT, QUONIAM JESUS EST CHRISTUS] est in vera Fide, in vera Ecclesia, in numero filiorum Dei, longe alius a Simonianis, & Cerenthianis, qui sunt extra Ecclesiam, filii dæmonis, atque mendacii. S. Joannes hic fideles opponit Hæreticis, quorum primos Dei filios appellat, quemadmodum c. 3. 8. 10. alteros filios dæmonis, atque præcursores Antichristi cap. 4. 3. vocavit. Simonianos perstringit, negantes, Jesum esse Messiam, & Cerinthianos impugnat, quemadmodum ostendimus, Jesum a Christo sejungentes.

QUI DILIGIT EUM QUI GENUIT.] Qui Patrem amat, amat & Filium. Qui æternum Patrem amat, amat quoque & Verbum ejus, & qui amat Verbum ejus, amat etiam JESUM CHRISTUM, Verbum carnem factum. Necquicquam gloriantur Hæretici, se Patrem B adorare & diligere: si illum cognoscerent, & vere amarent, amarent quoque Filium ejus, & eum qui est a Messiam, Deum Dei Filium esse confiterentur.

℣. 2. IN HOC COGNOSCIMUS, QUONIAM DILIGIMUS NATOS DEI.] Ostendimus, nos vere cognoscere Deum non sterili cognitione, & in speciem tantummodo; sed cognitione viva, & efficaci cum propter amorem ejus, atque ut mandatis illius pareamus, fratres nostros tanquam nos ipsos diligimus. Amor Dei, & amor proximi, quemadmodum diximus, duo germina sunt ex eadem radice existentia; quorum ubi alterutrum videtur, alterius etiam existentia colligitur. Hæ duæ virtutes sunt, quarum altera sine altera esse non potest. Immutato verborum hujus versiculi ordine hic etiam illi sensus tribui potest: ostendimus, nos vere amare Deum, si Christi fideles amamus filios ejus, quemadmodum ille nobis præcepit. Vide Grotium hic.

℣. 3. HÆC EST ENIM CHARITAS DEI, UT MANDATA EIUS CUSTODIAMUS.] Vel, inditium est, nos vere amare Deum, si illius mandata servamus. At alterum præceptorum ejus hoc est, ut proximum nostrum tanquam nosmet ipsos diligamus: igitur, si Deum, uti opus est, dilexerimus, & proximum nostrum diligemus. Neque conqueramini, quod vobis hanc necessita-

sem injecerit fratres vestros diligendi: hoc enim præceptum nequaquam difficile est [1]; præsertim vero post exemplum, quod Deus nobis tribuit, tradens Filium suum pro omnium hominum salute, eorum etiam ipsorum, qui maxime nequam sunt, atque scelesti. Vide supra cap. 4. 9. In proximi amore non nihil adest, quod difficillimum, ne dicam impossibile, videtur homini sua tantum animi studia consulenti; præceptum videlicet inimicos amandi. S. Joannes plane, ut objectionem præverat commentitiæ hujus difficultatis, hic ait, mandata Dei gravia non esse; & profecto gravia non sunt filiis Dei, illis, qui repleti sunt Dei Spiritu, & qui in proximis suis respiciunt Dei imaginem, Christianæ religionis characterem, amorem, quo Deus illos complectitur, & imperium, quo hoc præstare jubemur. Hæc si cogitaveris, jam omnes evanescunt difficultates, quæ huic præcepto a natura opponuntur.

Interpretes [2], ut plurimum, hæc verba; *mandata ejus gravia non sunt*, in generali explicant sensu, & animadvertunt, quod licet plurima præcipiat Deus naturæ difficillima, qualia sunt, pravis cupiditatibus adversari, acceptas injurias oblivisci, inimicos amore prosequi, Crucem ferre, & animi nostri affectus mortificare, hæc tamen homini molesta non sunt, ubi Dei gratia & amor accesserint [3]. Si pravæ concupiscentiæ studia coercenda sunt, si voluptatum illecebris adversandum, si ærumnæ, & persecutiones ferendæ; unctio Spiritus Sancti hæc omnia iis efficit jucunda, qui sunt eodem repleti. Videas satis est ea, quæ de se ipso inquit S. Paulus Rom. 8. 38. & quæ quotidie a piis, ac religiosis hominibus fieri intuemur.

ỹ. 4. OMNE, QUOD NATUM EST [4] EX DEO, VINCIT MUNDUM.] Quicumque ex Deo nati sunt, Filii Dei, veri Christi fideles de Mundo victoriam referunt. At quomodo nam hanc referunt victoriam? Per fidem videlicet. Mundus quidem ultionem inspirat, inimicorum odium, amorem divitiarum, & commodorum vitæ. Fides vero illis omnino oppositos sensus immittit, ut injurias remittant, inimicos diligant, pro persequentibus deprecentur, libenter ferant rerum ipsarum, quæ necessariæ sunt, carentiam, ut æternam mercedem promereantur. Fides charitate succensa in omnibus ærumnis nostris nos confirmat, in adversis solatio est, atque certa & infiniti pretii bona nobis proponit. Illa omnia potest cum Jesu Christo, qui illius est fortitudo [5]. Per fidem Sancti Veteris Testamenti, & Martyres novi tot prodigia operati sunt, & factis atque passionibus suis tantam sibi gloriam compararunt [6].

ỹ. 5. QUIS EST QUI VINCIT MUNDUM?] Ne quis crederet, fideles omnes, & singulos Christianos de Mundo victoriam referre, seipsum corrigit, & ait, illos tantum eandem referre, qui credunt, Jesum esse Dei Filium. Judæi credunt in Deum; sed in Jesum Christum non credunt. Simon se Christum esse confirmat. Negat Cerinthus, Jesum & Christum unam esse personam. Putant Gnostici, Jesum Christum in speciem dumtaxat apparuisse, & mortuum esse. Horum nemo eam habet fidem, per quam de Mundo victoria refertur. Fides eorum fallax est, & non ex Deo; non est donum Spiritus Sancti, neque ejusdem virtute animata.

ỹ. 6. HIC EST, QUI VENIT PER AQUAM, ET SANGUINEM.] Jesus Christus verum fidei nostræ objectum non venit solum in speciem, sed verus erat homo, & verus Deus; utraque natura Divina scilicet, & humana in eo erant vere & realiter in una persona conjunctæ. Ego equidem testis sum veritatis carnis ejus, & naturæ ipsius. Phantasma non habet carnem, ossa, sanguinem, aliumve liquorem in corpore suo; & ego ipse aderam in Calvarii vertice, cum aperto Jesu Christi latere, sanguis, & aqua emanarunt [7]. Plures erant tunc temporis Hæretici, asserentes, Jesum Christum hominibus in speciem tantummodo apparuisse; in ejus incarnatione, nativitate, morte, resurrectione, nihil reale fuisse [8]. Contra hos S. Joannes tanta sedulitate probat incarnationis veritatem, & ad eos plane hoc in loco alludit.

Credebant alii [9], S. Joannem isthic innuere voluisse aquam Baptismi, & Sanguinem, quem Jesus Christus pro nobis effudit. Per aquas Baptismi nos a peccatis nostris emundat; per Sanguinem vero suum nos Deo reconciliat; hac in re differebat a S. Joanne Baptista, qui venerat tantum *in aqua*, hoc est cum solo aquæ baptismo; cum Jesus Christus venerit in aqua simul, & sanguine. Aquis baptismi Jesu Christi virtutem conferebat meritum Sanguinis sui; ita ut Baptismum recipientes, in Jesu Christi Sanguine quodammodo immergamur [10]: quam ob rem addit: *non in aqua solum; sed in aqua, et sanguine*.

Credunt quidam [11], Apostolum alludere ad sacrificia Legis antiquæ, ubi semper aqua, & sanguis usurpabantur; aqua videlicet ad victimam & sacerdotem abluendos, sanguis autem ad Aræ pedem effundendus. Venit ergo Jesus Christus in aqua, ut nos lustralibus Baptismi undis detergeret; & in Sanguine, ut peccata nostra expiaret. Exemplaria quædam Græca [12] hic legunt: venit *per aquam, & per sanguinem, & per spiritum*; vel per *aquam, spiritum, & sanguinem*: sed *spiritus* hoc in loco abundat: inferius enim statim occurrit.

ET SPIRITUS EST, QUI TESTIFICATUR [13].] Non aqua solum, & sanguis de Jesu latere post mortem illius effluentes nobis testantur incarnationis & humanitatis ejusdem veritatem: verum etiam Spiritus Sanctus illi non una ratione testimonium perhibuit. Primo, cum super illum in ejus Baptismo descendit sub Columbæ specie, & audita est vox Patris de Cœlo dicentis: *hic est Filius meus dilectus, ipsum audite* Matth. 3. 16. Secundo per ea miracula, quæ fecit in digito, vel Spiritu Dei. Tertio per Paraclitum, quem ad Apostolos suos misit, cujus opera illos illustravit, confirmavit, atque in omnes alios immutavit. Quarto denique per Spiritum Sanctum, qui palam sese communicavit fidelibus, quos supernaturalibus donis replebat. Hæc omnia ostendunt, Jesum Christum esse veritatem: Numquid enim Pater, & Spiritus Sanctus conspirare possent, ut nos deciperent, nebuloni perhibentes præclara adeo, insignia, & aperta testimonia? At si Jesus Christus veritas non est, si non est Dei Filius, & Messias, nequissimus est Sycophanta, & Deus ipse fraudum ejus est consors: quod horresco referens.

Græcus legit [14]: *& spiritus perhibet testimonium, quod spiritus est veritas*; quæ lectio deprehenditur in S. Ambrosio l. 3. de spir. c. 11. & in Auctore tractatus de Hæreticorum Baptismo inter opera S. Cypriani. Spiritus Sanctus, quem Deus effudit in corda nostra, & per quem nos suo lumine, atque spirituali inspiratione illustravit, intra nosmet ipsos nobis testimonium exhibet

---

1 August. de Nat. & Grat. cap. 69. *Quomodo enim grave est, cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit & grave est: Aut diligit, & grave esse non potest.* 2 Est. Grot. Cornel. Menoc. &c.
3 Matth. 11. 30. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.*
4 Πᾶν τὸ γεγεννημένον. Alii: Πᾶς ὁ γεγεννημένος. *Omnis qui natus est ex Deo.* Ita Steph. 8. Syr. Arab.
5 Philipp. 4. 13. 6 Hebr. 11. per totum. 7 Joan. 19. 34. *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua; & qui vidit, testimonium perhibuit; & verum est testimonium ejus.*
8 Vide Theodoret. hæres. Præf. pag. 188. c. Clem. Strom. lib. 7. pag. 765.
9 Est. Men. Cornel. aliis plures. 10 Rom. 6. 3. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* 11 Vide Grot. 12 Græc. impres. Οὗτός ἐστιν ὁ ἐλθὼν δι' ὕδατος, καὶ αἵματος Ἰησοῦς ὁ Χριστός. Alii: Δι' ὕδατος, καὶ αἵματος καὶ πνεύματος. Alex. Cov. 2. Cyrill. Oecumen. Copht. Lin. Pet. 2. Alii: Δι' ὕδατος, καὶ πνεύματος, καὶ αἵματος. Steph. 8. 9. 10. Æthiop. Vide Mill. hic.
13 Græc. Καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν. Ambros. l. 3. de Spir. S. cap. 11. *Spiritus testimonium.* Æthiop. *Et Spiritus fuit qui testis erat.* 14 Τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια.

bet, illum esse veritatem; nos autem non esse repletos spiritu erroris, tanquam Hæreticos, & pseudo-Prophetas, qui nonnunquam decipi potuerant, antequam alios deciperent. Nos autem certi sumus, quod recepimus verum spiritum, spiritum veritatis; atque testimonium, quod ille intrinsecus perhibet veritati, quam prædicamus, omni dubitatione carere [1]. Evangelium ipsum nonnunquam veritas appellatur. S. Augustinus, S. Leo, Beda, aliique fere omnes Latini cum Vulgata legunt: *Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.*

Hic desinunt Commentarii Guglielmi Estii in Epistolas S. Joannis: quæ vero sequuntur a Bartholomæo Petro fuerunt adjecta.

℣. 7. QUONIAM TRES SUNT, QUI TESTIMONIUM.] In peculiari dissertatione ad examen vocavimus, quidquid affertur ad probandam, impugnandamque auctoritatem hujus loci, qui in pluribus antiquis exemplaribus cum Græcis, tum Latinis desideratur. Hic illi sensus tribui potest. S. Joannes probaturus veritatem Incarnationis, & Divinitatis Domini, versiculo superiori tres memoravit testes, sanguinem videlicet, aquam, & spiritum: hic vero pergit eamdem confirmare veritatem tribus aliis testibus, Patre, Verbo, & Spiritu Sancto, hoc ipsum comprobantibus. Ternarius numerus, cum de testibus agitur, perfectus est [2]. Credendum igitur est, Jesum vere Dei Filium esse, quoniam in Cœlo tres adsunt testes hoc asserentes; Pater videlicet, qui illum misit, Verbum, quod humanam carnem assumpsit, & Spiritus Sanctus, qui cum Patre & Filio unus est. Pater quidem testimonium perhibuit missioni, Incarnationi, Divinitati Jesu Christi ea voce, quæ & in illius Baptismo Matth. 3. 17. atque in Transfiguratione audita Matth. 17. 15. fuit; iterum etiam in Templo coram omni populo Joan. 12. 29. & denique iis miraculis, quæ semper Jesu Christi prædicationem sunt subsequuti Joan. 5. 19. & 8. 18. 54. & 10. 25. 37. 38.

Verbum sibimet ipsi testimonium perhibuit præstantia doctrinæ suæ, vita prorsus divina, miraculis, passione, resurrectione [3]. Si testimonium ejus solum esset, suspicione nequaquam carere videretur; sed cum conjunctum sit cum testimonio Patris, & Spiritus Sancti, omnis jam abest dubitatio, quemadmodum de se ipso ait Joan. 5. 31. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum*, saltem non exigo, ne pro vero recipiatur. *Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio, quia verum est testimonium quod perhibet de me, ... opera enim; quæ dedit mihi, Pater, ut perficiam ea: ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: & qui misit me, Pater, ipse testimonium perhibuit de me.*

Denique Spiritus Sanctus testimonium perhibuit Jesu Christo, & veritati Incarnationis ejus, & ejus divinitati, descendens & super illum in Baptismo [4], & super Apostolos die Pentecostes, & per interiorem gratiam supernaturalia dona, atque unctionem suam sese compluribus fidelibus communicans, & iis denique miraculis, quæ per Jesum Christum, servos, & Apostolos ejus operatus est. Tria hæc testimonia Patris, Verbi, & Spiritus Sancti unum tantummodo sunt, quoniam ad eamdem veritatem probandam conspirant [5]. Tres hæ personæ unum sunt in natura, & substantia [6]; ideoque divisæ esse non possunt sententiis, voluntate, testimonio: *& hi tres unum sunt.*

℣. 8. TRES SUNT, QUI TESTIMONIUM DANT IN TERRA; SPIRITUS, AQUA, ET SANGUIS,] de quibus jam sermo fuit ℣. 6. *& hi tres unum sunt;* quæ novissima verba in pluribus Latinis MSS. [7], & in editione Complutensi desiderantur. S. Thomas in opere suo in decretale *de summa Trinitate* contra Abatem Joachinum tenet, illa in genuinis exemplaribus non inveniri, sed addita fuisse ab Arianis vitiare conantibus sensum earumdem vocum in superiori versiculo, quas Catholici de unitate essentiæ in tribus personis explicabant. Alii legunt [8]: *& hi tres unum sunt in Christo Jesu;* ne unitas *aquæ, Sanguinis, & Spiritus* eodem intelligatur in sensu, ac unitas *Patris, Verbi, & Spiritus Sancti*. Græca exemplaria sibi constant, ubique legentia [9]: *tres hi testes sunt in una eadem re;* ad idem referuntur, incarnationi, & Divinitati Filii uniforme perhibens testimonium.

S. Augustinus l. 2. contra Maximin. c. 23. Facundus Hermianensis Episcopus l. 1. c. 3. de tribus Capitul. & S. Eucherius quæst. N. T. locum hunc explicuerunt de tribus Trinitatis personis. *Spiritus* Patrem indigitat, quoniam scriptum est Joan. 4. 24. *Deus est Spiritus*. *Aqua* Spiritum Sanctum significat, quoniam dixit Jesus Christus Joan. 7. 38. *qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* *Sanguis* denique Salvatorem, qui carnem assumpsit, & veri hominis sanguinem induit. Tres hæ personæ Divinæ unam tantummodo, eamdemque habent essentiam: *& hi tres unum sunt*. Theologi quidem ita explicant: Spiritus, aqua, & sanguis testimonium perhibuerunt veritati Dominicæ Incarnationis & humanitatis: Sanguis quidem, quem ex vulneribus suis effudit, aqua, quæ ex illius latere fluxit, spiritus, vel anima, quam reddidit Patri, *emisit Spiritum*: hæc tria unum sunt, & unum hominem Deum componunt. Videri possunt explicationes allatæ ℣. 6. Jesu Christi divinitas, atque humanitas probantur testimonio, non solum *Patris, Verbi, & Spiritus sancti*, ℣. 7. verum etiam *Spiritus, Aquæ, & Sanguinis* ℣. 8. hoc est Spiritu Sancto, qui Apostolis, atque fidelibus datus fuit, *Aqua* Baptismi, quem recepimus, & *Sanguine*, quem Jesus Christus pro nobis effudit.

℣. 9. TESTIMONIUM HOMINUM ACCIPIMUS.] Si in judicio duo, vel tres sufficiunt testes ad facti alicujus veritatem probandam [10], testimonium, quod perhibent Aqua, Sanguis, & Spiritus Sanctus, integram omnino fidem merentur, quorum si testimonium satis non est, satis esse debet SS. Trinitatis testimonium. Vidimus ℣. 7. hanc testificari Divinitatem, atque Incarnationem Filii Dei, quam Pater præsertim infinitis miraculis comprobavit [11]. Cum Judæi Jesu Christo dixissent Joan. 8. 13. *tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum: respondit JESUS, & dixit eis: & si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum: quia scio unde veni, & quo vado . . . .* Cæterum *solus non sum; sed ego, & qui misit me, Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso; & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.*

ET HOC TESTIMONIUM DEI, QUOD MAJUS EST.] Dei testimonium magnum est & objecto suo, & modo, quo perhibetur. Potentia, & magnificentia Dei numquam majori cum majestate eminuerunt. Græcus est simplicior [12]: *& hoc est testimonium, quod perhibuit Pater de Filio suo.*

℣. 10. QUI CREDIT IN FILIUM DEI.] Qui credit, Jesum Christum verum esse filium Dei, qui illum

1 2. Cor. 3. 6. *Qui & idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non littera, sed Spiritu.*
2 Deut. 17. 6. & 19. 15. *In ore duorum, aut trium testium, stabit omne verbum.*
3 Vide Joan. 5. 17. 10. 24. 19. 7.
4 Matth. 3. 16. Joan. 1. 32. 33. 34.
5 Vat. Erasm. Genev. Iac. Capell.
6 Barth. Petri. Cornel. Men. Tir. Zeges. Pisc. alii passim.
7 Lovanienses 15. Cod. Britannic. apud Mill. alii plures apud Simon. Dissert. Critic. de MSS. N. T.
8 Clem. Alex. hic, in Latinis Cassiodori; Ambros. lib. 5. de Spirit. S. cap. 11. Athanas. seu Vigil. Thaps. de Unica Deitate Trinit. & lib. de Fide ad Theophyl.
9 Καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν.
10 Deut. 17. 6. & 19. 15. Matth. 18. 16. Hebr. 10. 28.
11 Joan. 5. 36. 10. 25. 38. 14. 11. 15. 24.
12 Ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ, ἣν μεμαρτύρηκε περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Alii quidam: Τοῦ Θεοῦ, ὅτι μεμαρτύρηκε. Ita Alexand. Steph. 8. & Cov. 4. Genev. Rom. Velez.

confitetur, exoratur, invocat, in eo confidentiam suam constituit, qui membrum est Ecclesiæ ipsius, & qui recepit characterem nominis ejus in Baptismo; satis ostendit in seipso recepisse testimonium Dei; se credidisse iis, quæ Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus sibi revelaverunt; atque sibi de testimonii eorum veritatis satis esse persuasum: longe aliter ab iis Hæreticis, de quibus sæpe loquuti sumus, qui Incarnationis Jesu Christi, & Divinitatis ejus veritatem negabant. Hi profecto non receperunt testimonium Dei, tacite Deum mendacii, & calumniæ incusarunt, quasi potuisset illos fallere, perhibens Jesu Christo ea testimonia, quibus fides negari non potest: *Qui non credit Filio, mendacem facit eum*; agit, quasi illum mendacem crederet, in dubium revocat apertissima illius testimonia, quoniam *non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo*; in ea miracula, quorum fulgore illius missionem, atque prædicationem illustravit. Græcus simpliciter legit [1]: *qui credit in Filium Dei, habet in ipso testimonium* (non autem *testimonium Dei*.) *Qui non credit in Deum, mendacem facit Deum*.

℣. 11. ET HOC EST TESTIMONIUM, QUONIAM VITAM ÆTERNAM DEDIT NOBIS DEUS.] Per Jesum Christum filium suum. En quo tendat testimonium, quod perhibuit Deus de filio suo, videlicet, Jesum Christum esse Messiam, Verbum Patris, unicum ejus filium, coæternum, & consubstantialem; atque per illum nobis esse vitam æternam obtinendam: quas veritates negabant Hæretici eorum temporum, quos S. Johannes in hac Epistola impugnat, veritatem Incarnationis, & Jesu Christi Divinitatem probare conatus. Hinc omnia pendent; videlicet humani generis redemptio, vita æterna, Cœli Beatitudo [2]: *ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*.

℣. 12. QUI HABET FILIUM, HABET VITAM.] Christifidelis, qui credit, Jesum Christum verum esse Dei filium, habet vitam, saltem spem habet futurum, ut Dei favente gratia vitam consequatur. Sed *qui non habet Filium, vitam non habet*. Qui negat veritatem Incarnationis, vel qui in dubium revocat, utrum Jesus Christus Dei filius sit, & Messias; vel qui dividit Jesum Christum, Jesum a Christo sejungens, non habet vitam fidei, & gratiæ, neque sperare debet vitam æternam, & Cœli mercedem. Jesus Christus quatenus Messias, & filius Dei mediator noster est, nostra salus, vita, spes. Confer hunc locum cum illo Evangelii, ubi S. Johannes Baptista ait, Joan. 3. 36. *qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*.

℣. 13. UT SCIATIS QUONIAM VITAM HABETIS ÆTERNAM.] Hoc vobis magnum afferre solatium debet, scientibus, vos esse in vera fide, & vera Ecclesia, quæ Patris, Verbi, & Spiritus Sancti testimonio innititur; & vitam æternam, atque Cœli felicitatem vobis esse præparatam. Græcus hujus versiculi fusior est Latino. Græcus ait [3]: *vobis scripsi, vobis, qui creditis in nomine Filii Dei; ut sciatis, vos æternam vitam habere, & ut credatis in nomine Filii Dei*. Sed Vulgatæ lectio simplicior est, optimorumque MSS. Græcorum fide [4], & versionibus Syriaca, Arabica, Cophta, atque Æthiopica confirmatur.

℣. 14. HÆC EST FIDUCIA QUAM HABEMUS.] Hoc A ipsum ferme superius dictum est cap. 3. ℣. 21. Non minima Christifidelium in hac vita felicitas est, ad Deum fidenter confugere posse, certos se omnia obtenturos, quæcumque a Deo per Jesum Christum petierint, dummodo petant cum fide, humilitate, spe, nequa ea poscant, quæ vel saluti, & felicitati suæ, vel justitiæ, & gloriæ Dei adversentur. Hæc omnia satis intelliguntur, quin de illis admoneamus. Non parva esset hominis calamitas, qui semper voti damnaretur: sæpe enim ea petit, quæ vel suam, vel alienam inferunt calamitatem. Pro iis verbis: *secundum voluntatem ejus*, Græci quidam MSS. [5] legunt, *secundum nomen ejus*, vel in nomine illius, in nomine Jesu Christi: quod non abhorret ab iis, quæ toties in Evangelio docet Jesus Christus [6], opus esse, ut ad Patrem sæpius in nomine B suo confugiamus.

℣. 16. QUI SCIT FRATREM SUUM PECCARE, PECCATUM NON AD MORTEM.] Oret, & vitam fratris obtinebit. Peccatum ad mortem ex plurimorum Interpretum sententia [7], peccatum est mortale cum obduratione, impœnitentia, nequitia, pertinacia conjunctum, non sine habitu, in quo ita persistitur, ut nulla correctio admittatur. S. Johannes non loquitur de his peccatis, cum ait, Deum concessurum vitam illi, pro quo fidelis fuerit deprecatus. Peccatoris nequitia in iis circumstantiis, quas nuper expressimus, obices statuit divinæ misericordiæ, qui vix superari possunt, licet re ipsa nihil impossibile sit omnipotenti gratiæ Salvatoris. Verum hic loquitur de communi rerum ordine: Deus adeo raræ conversionis gratiam hujusmodi C hominibus concedit, ut cum illam concedat, considerandum sit, tamquam miraculum, quod pro exemplo usurpari minime debeat.

Credunt alii, *peccatum ad mortem*, de quo hic sermo, peccatum esse contra Spiritum Sanctum; vel crimen apostasiæ, atque infidelitatis [8]; vel illud, cui comes hæret excommunicatio [9], vel finalis impœnitentia; vel generatim quodlibet peccati genus, quod Infernum meretur [10], vel spiritualium fratris sui bonorum invidia [11]. Quidam antiquitus ad pœnitentiam non recipiebant, qui post baptismum in apostasiam, adulterium, Idololatriam ceciderant, vel qui aliquem necaverant; non quod omnino de misericordia divina desperarent; sed hos peccatores supremi Judicis judicio relinquebant. Tertullianus, S. Ambrosius, D aliique nonnulli locum hunc de novissimis hujusmodi sceleribus intellexerunt [12]. Cum igitur fidelis hominem videt, in peccato mordicus hærentem, & contemnentem eos, qui illum ad officium revocare conantur, atque Ecclesiæ, Pastorumque voces non audientem; sperare non debet, ut preces simplices a Deo illius conversionem obtineant. Ad id Omnipotentis gratiæ miraculum requiritur, & vix a Dei manu non convertetur. Utatur ergo non uno, vel duobus, sed universa Ecclesia, ut animæ hujus pœnitentiam deposcat: jugibus orationibus, lacrymas, eleemosynam, jejunium, aliaque pietatis opera adjiciat ad supremi Medici misericordiam flectendam, ut ægroto illius manum repellenti, ejusque medicinam contemnenti, salutem reddere E velit.

℣. 17. OMNIS INIQUITAS PECCATUM EST.] Vide supra cap. 3. 5. *& est peccatum ad mortem*. Græcus contra legit [13]: *& est peccatum non ad mortem*, quod opponitur peccato ad mortem, de quo superiori versiculo

1 Ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἔχει τὴν μαρτυρίαν ἐν ἑαυτῷ. Ὁ μὴ πιστεύων τῷ Θεῷ ψεύστην πεποίηκεν αὐτόν, &c. Plures legunt: Ἔχει τὴν μαρτυρίαν τοῦ Θεοῦ ἐν ἑαυτῷ. Ita Alex. Steph. 8. 9. 10. Lin. Colon.

2 Joan. 3. 15. 16. 36. & 6. 27. 33. 40. 47.

3 Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον, καὶ ἵνα πιστεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.

4 Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν, ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον οἱ πιστεύοντες εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.

5 Κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ. Alii: Κατὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Æthiop. Alex. Cod. Leicestr.

6 Joan. 14. 13. 14. 15. 16. 16. 23. 24. 26.

7 Vide August. lib. 1. de Serm. Domini in Matth. cap. 22. & de Corrept. & Grat. cap. 12. Gregor. lib. Moral. cap. 31. Pacian. Ep. 3. Beda, Lyr. Carthus. Erasm. Zeger. Barth. Petri, Men. Tir. alii. Vide, si placet, Grot. & Cornel. hic.

8 Gagnæus hic.

9 Turrian. lib. 4. pro Epist. Pont. cap. 3.

10 Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 8. 9. Glossa hic. alii.

11 August. lib. 1. de Serm. Domini in Monte, cap. 22. Beda hic.

12 Vide Tertull. de Pudicit. cap. 19. Ambros. lib. 1. de Pœnit. cap. 9. 10. 11.

13 Καὶ ἔστιν ἁμαρτία οὐ πρὸς θάνατον, omittunt οὐ, Vulg. Æthiop. Tertull. lib. de Pudicit. cap. 19. Alii Vulg. Libb. *Et est peccatum non ad mortem*. Ita August. in Speculo, Glossa ordinar.

culo sermo fuit. Ad fideles confirmandos, & consolandos, ait: scio, nos fragiles esse, ac neminem esse, qui in plura scelera minime cadat: sed non omnia peccata sunt ad mortem. Avertat Deus, nos in hæc præcipites ruere ℣. 18. *Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat*, non labitur in ea peccata, quæ sunt ad mortem [1]; non ruit in illa enormia scelera, quæ Ecclesiæ aditum prohibent, & quæ nos de fidelium corpore abscindunt. Si ceciderit, per pœnitentiam assurget, neque se se tradet obdurationi, & pastorum, atque Ecclesiæ legum contemptui.

℣. 18. SED GENERATIO DEI CONSERVAT EUM.] Hoc idem est ferme, ac illud, quod superius c. 3. 9. dictum est: *omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*. Divinum hoc semen idem est, ac *generatio Dei*, vel nativitas, quam recepit a Deo, de quo hoc in loco S. Johannes verba facit. Gratia, quam illi contulit Deus, ut eam in albo prædestinatorum describeret; absolutum decretum, quo statuit, se illum ad æternam beatitudinem perducturum; eum vel a gravioribus peccatis præservat, vel efficit, ut si in illa ceciderit, eadem sinceram capiet pœnitentiam [2]. Fieri non potest, ut illi, quos Pater dedit filio suo, pereant in æternum [3]. Græcus [4]: *Scimus, quod quicumque natus est ex Deo, non peccat; sed qui natus est ex Deo, se conservat*, vel observat se, ita ut in peccatum, neque locum Dæmoni tribuat, vel saltem ex illius manibus seipsum subducat, & in illius potestate non permaneat.

℣. 19. SCIMUS, QUONIAM EX DEO SUMUS, ET MUNDUS TOTUS IN MALIGNO POSITUS EST.] Scimus, nos esse ex Deo, ad Deum nos pertinere, esse filios fideles, electos illius. Hanc habemus confidentiam, quoniam per misericordiam ejus, in nobismetipsis habemus spiritum ipsius, & in fide, justitia, & communione Ecclesiæ perseveramus, quæ conditiones, & characteres filios Dei a filiis dæmonis distinguunt; quemadmodum in universa hac Epistola vidimus. Scimus ad hæc, Mundum universum *in maligno* positum esse, dæmoni esse subjectum, & quodammodo sub pedibus illius. Verti etiam potest: *In maligno jacet* [5] requiescit in dæmone; est, ut ita dicam, in situ illius. Vel Mundus est in potestate dæmonis, in manibus ejus; hic de illo tamquam de re sua disponit; Deus illi quodammodo Mundi imperium reliquit.

At quomodonam hoc potest ad litteram intelligi? nonne constat, Deum summum esse Mundi dominum, & dæmonem injussu Dei, vel sine illius facultate nihil ibi permutare posse? Nonne in iis omnibus, quæ in Mundo fiunt, apertissima effulgent exempla divinæ Sapientiæ, providentiæ, justitiæ, & misericordiæ?

Respondetur primo, S. Johannem hic de Mundo loqui, quatenus eo in statu, in quo erat ævo suo; hoc est in Idolorum cultu, atque sordidissimis sceleribus demerso [6]. 2. alii [7] vertunt: *Mundus totus in malo immersus est*: omnes homines nascuntur originali peccato coinquinati, & permanent concupiscentiæ subjecti, A quæ plerasque eorum actiones corrumpit, & in omnem Terrarum orbem gravissimam malorum catervam effundit. 3. Mundus oppositus filiis Dei; hoc est Infideles, Hæretici, Pseudo-Prophetæ; qui negant Jesum Christum, atque divinitatem ejus, spiritu ipsius repleti sunt, ejusque præcepta sequuntur; idaoque omnes eorum viæ pravæ sunt, & corruptæ; omnino sub illius potestate, atque imperio versantur. Postremus hic sensus ad S. Joannis mentem magis mihi videtur accedere, & melius cum reliquo hujus Epistolæ decursu cohærere.

℣. 20. SCIMUS, QUONIAM FILIUS DEI VENIT.] Hæc est totius Epistolæ Anacephalæosis. Hæc sunt, quæ filios Dei a filiis dæmonis Principis hujus Mundi distinguunt. Primo credunt, confitentur, Jesum Chri-
B stum esse filium Dei, in Mundum venisse, humanam carnem assumpsisse, mortuum esse, atque pro totius Mundi salute resurrexisse. 2. *Et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum* [8], quem nullus hominum vidit unquam [9], & quem nos numquam, uti oportet, cognovissemus, nisi illum nobis revelasset Jesus Christus. 3. Cognitio, quam habemus de Deo, & Jesu Christo ex luminibus fidei efficit, *ut simus in vero filio ejus*, fideliter adhæreamus fidei, quam de ipso per Apostolorum ejus prædicationem recepimus. 4. denique, *hic est verus Deus, & vita æterna*; hic est Jesus Christus [10], qui noster est Deus, cultus nostri objectum, spes nostra, & ille, qui nobis vitam æternam promeruit. In quatuor hisce articulis summatim repetit, quidquid dixit contra Simonianos, Cerinthianos, a-
C liosque divinitatis filii, & veritatis Incarnationis ejus adversarios.

℣. 21. CUSTODITE VOS A SIMULACRIS. AMEN.] Creditur S. Joannes hoc litteratum dedisse ad Hebræos conversos, quos hortatur, ut omnem Idololatriam evitent, seu formalem, & directam, seu indirectam, atque interpretativam [11]. Ne adoretis Idola, ne in nomine eorum juretis, ne illa metuatis, ne ad eorum festivitates confluatis, ne interesse velitis religiosis Infidelium conviviis, neque carnes Idolis immolatas comedatis. Liquet ex Epistola S. Pauli ad Corinthios 8. 1. & 10. 7. non defuisse plurimos fideles, qui Religioni sibi minime vertebant interesse Idololatrarum conviviis, & idolothytis vesci. Credit Hammondius S. Johannem præmonere velle fideles contra errores disci-
D pulorum Simonis, qui Idola venerari non refugiebant, & præsertim simulacra Simonis, & Helenæ, quos sub Jovis, & Minervæ specie exhibebant, eisque thus adolebant, vinum libabant, & victimas offerebant [12]. Testatur Origenes [13], hujusmodi Hæreticos nullo in discrimine habuisse cultum Idolorum: quod causa fuit, ut iis minime paterent persecutionibus, quibus Christiani erant obnoxii.

AMEN.] Non legitur in MS. Alexandrino, neque in aliis pluribus exemplaribus Græcis, neque in Versionibus Syriacis, Arabicis, Copticis, Æthiopicis. MSS. quidam [14] in fine hujus Epistolæ eam Epheso scriptam fuisse ferunt.

---

1 Tertull. de Pudicit. cap. 19. alii. 2 Vide Bern. serm. 23. in Cantic. & serm. 1. in Septuag. & August. de Corrept. & Grat. cap 12. 3 Joan. 3. 15. 16. 6. 39 17. 9. 18. 12. Vide Oecumen. hic.

4 Οἴδαμεν ὅτι πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐχ ἁμαρτάνει, ἀλλ᾽ ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ Θεοῦ τηρεῖ ἑαυτόν. Quidam: Ἀλλ᾽ ἡ γέννησις τοῦ Θεοῦ τηρεῖ αὐτόν. Ita Volg. Velez. Hieronym. lib. 2. contra Jovin.

5 Ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται. 6 Vide Cornel. a Lapide, in hunc loc.

7 Oecumen. Beda, Lyran. alii. Vide Ambros. Apologet. David. cap. 2. *Mundus in maligno positus est, quia omnes homines sub peccato nascuntur, quorum ipse ortus est in vitiis.*

8 Græc. impress. Ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινόν. *Ut cognoscamus verum*. Plures addunt Deum. Ἀληθινὸν Θεόν. Ita Alex. Steph. 3. 1. 6. &c. Alii Vulg. Arab. Æth. Basil Cyrill. Ambros. Beda, &c.

9 1. Joan. 4. 12. 10 Oecumen. hic. Athanas. Hieronym. August. Cyrill. Alexand. Ambros. apud Cornel. a Lapide hic. Et Interpp. passim. Erasmus & Grotius ad Patrem referunt.

11 Vide Tertull. de Corona Milit. cap. 12. Didym. Oecumen. Barthol. Petr. Tirin. alii.

12 Vide Euseb. Hist. Eccles. lib. 2. cap. 13. Iren. lib. 1. cap. 20. August. de Hæres. 1. pag. 6.

13 Origen. lib. 6. contra Cels. pag. 282. Vide & Justin. Apolog. 2. pag. 70.

14 Ita Laud. 2. Petit. 2. Sin. seu Cov. 5.

Finis primæ S. Joannis Epistolæ.

PRÆFATIO

IN SECUNDAM EPISTOLAM S. JOANNIS.

HAnc secundam, & quæ hanc consequitur, Epistolam Authorum disceptatio S. Joanni Apostolo sæpe eripuit [1]. Fuere, qui alteri Joanni, cognomine seniori, cujus sepulcbrum Ephesi ostenditur, & cujus apud Papiam, Eusebium, & Hieronymum mentio, eas tribuerint. Hoc sane discrimen, quod usque ad quartum sæculum Ecclesias in contraria distraxit, nostra iterum ætate a quibusdam inventum est, qui eas Epistolas ab Joanne exaratas omnino inficiantes [2], his ducuntur argumentis. 1. Hujus Epistolæ Scriptor non Apostolum, sed *Presbyterum*, seu *Seniorem* seipsum appellat. 2. Utramque ex his Epistolis diu Ecclesiæ rejecerunt, & nonnisi sero admodum in suam linguam converterunt. Christiani nullius temeritas eo pervenisse credenda est, ut Apostolum repelleret, quemadmodum hic [3] Epistolæ tertiæ Authorem Diotrephes rejecisse dicitur.

His respondemus, Apostolos & nomen, & sui Apostolatus dignitatem Epistolis semper præponere non consuevisse; In Epistola ad Hebræos Paulus, & ipse Joannes in sua prima, nomen suum præterierunt: Porro nomen ibi suum suppressit, veritus, ne, ut de prima ejusdem Epistola paulo ante Grotius suspicatus est, veritus, inquam, ne in manus Fidelium, a quibus prave acciperentur, inciderent [4]. Has profecto postremas duas Epistolas in Scripturarum Canone diu non recensitas fatemur; nemo tamen omnino rejectas perhibebit. Nos a primo ad quartum & quintum usque sæculum, quibus unanimi consensu canonicæ haberi cœptæ sunt, veluti Scripturas Sacras a Patrum plurimis allegatas fuisse, paulo post ostendemus.

Temere quidem asseritur, in alias linguas nonnisi sero admodum fuisse conversas. Nos eas in omnibus Latinorum, Syrorum, aliorumque Orientalium Collectionibus invenimus; & ab iisdem aliquando fuisse rejectas nullibi ostenditur. Quod vero quædam Ecclesiæ, & Patres de eis dubitarint, canonica earum authoritas inde minime evertitur. Diotrephis præterea audacia, qua S. Joannem contemptui habebat, S. Apostoli authoritati nil detrahit. Quo temeritatis non progrediatur superbus? Nonne & ipse Apostolus Paulus nihili habitus, & maledictis affectus? [5] Simonis & Cerinthi Discipuli, cæterique Anti-Christi præcursores, quos S. Petrus, S. Paulus, S. Jacobus, & S. Joannes strenue impugnarunt, inter Christianos quidem merebant; Apostolos nihilominus, eorumque doctrinam despicatui habebant.

Joannem Seniorem, quem Papias [6] Præceptorem suum, & postremæ utriusque Joannis Epistolæ Authorem appellat, satis adhuc minime novimus. Ipse Hieronymus, qui ejus sepulchrum una cum sepulchro S. Joannis Evangelistæ Ephesi ostendi asserit, id a pluribus alterum ejusdem S. Evangelistæ monumentum reputari asserit [7]. Qui Joanni Marco [8], de quo in Apostolorum Actis 12. 25. has Epistolas tribuunt, nullo valido argumento ducuntur. Quare cum stilus, sententiæ, ratiocinia, & cæteræ circumstantiæ, tot potissimum sæculorum fides pro S. Joanne Evangelista nos stare compellunt, & adversantium præterea argumenta vel inania sint vel enervia, veterum instar utramque hanc Epistolam vere ab Joanne Evangelista exaratas fateri cogimur.

Eo ducti principio, canonicas adigimur profiteri; nobisque adstipulantur Concilia & Patres, a quibus veluti a Spiritu S. inspiratæ laudatæ fuere. Quidam Magni Concilii Carthaginensis Episcopos apud Cyprian. p. 403. hanc, de qua hic potissimum agimus, secundam veluti a S. Joanne scriptam allegat. S. Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 4. S. Gregorius Nazianzenus car. 24. Concilium Laodicense can. 60. & Carthaginense tertium anni 397. can. 47. & S. Clemens Alexandrinus in Hypotypos. apud Euseb. l. 6. c. 14. inter Canonicos Libros utramque recensent. S. Hieronymus, qui in Libro de viris Illustribus huic secundæ favere non videtur, Ep. 85. commendatam allegat. *Clangat tuba Evangelica, filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit. Presbyter Electæ Dominæ, & filiis ejus, quos ego diligo in veritate &c.* S. Irenæus l. 1. c. 12. 13. l. 3. c. 18. Joannis Christi Discipuli nomine, nomine vero Beati Joannis Alexander Alexandrinus apud Socrat. l. 1. c. 16. & S. Athanasius eam allegant. Athanasius præterea in Synops. & in Epist. Parasc. Canonicam appellat, cui & Rufinus Exposit. Symb. S. Augustinus de Doctr. Christ. l. 2. c. 8. Innocentius I. Ep. 3. 27. & alii Recentiores ultro adhærent.

De *Electa*, ad quam data est Epistola, nunc discutiamus. Nobilis quædam Matrona prope Ephesum degens vulgo creditur, cui una cum familia ab Hæreticis Filii Dei Divinitatem, & Incarnationem impugnantibus S. Joannes per hanc Epistolam cavit [9]. Hæc vero sententia magnis difficultatibus obvolvitur. S. Athanasius in Synops. hujus Matronæ nomen *Kiriam* seu *Dominam*, *Electam* vero epitheton, seu præclarum titulum putat: *Domina a Deo electa*. Verum alii & *Electam* & *Dominam* utrumque honoris titulum putant [10], Joannem vero addunt, & suum & hujus Matronæ nomen consulto præteriisse, præsertim cum & Epistolæ delator, & stilus, & characteres Joannis optime noscerentur. Quem morem & in tertia Epistola amplexus, *Senioris* nomine se ipsum, *Gaji* vero seu *Caji* cognomine, non genuino nomine, eum, ad quem scribit, designat.

Non

1 Origen. apud Euseb. l. 6. c. 26. hist. Eccl. Hieron. de vir. Illustr. c. 9. *Reliquæ duæ Epistolæ Joannis Presbyteri asseruntur, cujus & hodie alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur.* Vide Papiam apud eumdem c. 18. Nazianz. car. 125.
2 Grot. Ita censet Erasmus. Dubitat Cajetan. 3 3. Joan. 9. 4 Vide Cleric. not. in hunc loc.
5 1. Cor. 4. 13. 6 Apud Euseb. l. 3. c. 39. hist. Eccl. 7 Hieronym. de vir. Illustr. c. 6. *Nonnulli putant, duas memorias ejusdem Joannis Evangelistæ esse.* 8 Doduvel. Dissert. 1. in Irenæum.
9 Vide nostr. Comment. 10 Barr. Petri, & Cleric.

Non desunt, qui [1] hanc Epistolam nulli Matronæ, sed toti Ecclesiæ scriptam ducant, quam S. Joannes per ænigma & symbolice *Dominam & Electam* appellarit; eandem præterea, veluti cum suis filiis unum quid constitueret, plurali numero alloquitur. *Electa* tandem *Sororis suæ, ejusdemque filiorum*, nempe, subdunt, Ecclesiæ & Christianorum Ephesi nomine salutat. S. Petrus Ecclesiam Romanam [2] salutat nomine *Ecclesiæ, quæ est in Babylone coelecta*. Fideles in Apostolorum scriptis *Electi* sæpissime appellantur [3]. Si per *Dominam Electam* quamdam Ecclesiam, & si per *ejus Sororem Electam una cum filiis* Ecclesiam alteram S. Joannes induxit, extraordinarium sane loquendi genus adhibuit. Tempora vero & circumstantiæ figuratas aliquando phrases adhiberi expostulant, ut illud lateat, quod sciri non expedit. S. Petrus in prima sua Epistola [4], & S. Joannes in Apocalypsi [5] Romam appellant Babylonem. Neronem S. Paulus Leonem vocat [6]. Prophetæ simillimis phrasibus sæpissime utuntur. Quare non despiciendi, qui non Matronam hic, sed Ecclesiam quandam intelligunt, cum præsertim fides minime utrinque lædatur. S. Clemens Alexandrinus [7] Babyloniam Matronam, ad quam S. Joannes scribebat, *Electam* fuisse tradit.

Quo tempore scripta fuerit, ignoramus; forte eodem, quo prima, cum pravos eosdem Doctores, & eosdem, Simonis nempe, Cerinthi, & Gnosticorum errores impugnet. Forte etiam Epheso datam credimus, cum & hanc & cæteras Asiæ Ecclesias Apostolus gereret, qui tandem se ad eam invisendam cito adventurum, *Electa* pollicetur.

1 Quidam apud Oecumen. hic. Mauduit. Dissert. 23. Cornel. Strat. vers. 13. Bukentop. Lux de Luce l. 2 p. 124. Hammond. 2 1. Petr. c. 5. 13. 3 Coloss. 3. 12. Rom. 16. 13. & 1. Petr. 1. 1. 4 1. Petr. 5. 13.
5 Apoc. 16. 19 & 17. 5. & 18. 2. 19. 21. 6 2. Timoth. 4. 17.
7 Clem. Alex. Commentar. in hanc epist. a Cassiodoro Latine versum.

COMMENTARIUM LITTERALE IN SECUNDAM S. JOANNIS EPISTOLAM.

CAPUT UNICUM.

S. Joannes Electam, ejusque filios hortatur, ut constantes in fide & charitate permaneant, evitent Hæreticos, & nullam cum ipsis necessitudinem ineant.

1. SEnior Electæ dominæ, & natis ejus, quos ego diligo in veritate, & non
ego solus, sed & omnes, qui cognoverunt veritatem, 2 Propter verita-
tem, quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum. 3 Sit vobis-
cum gratia, misericordia, pax a Deo Patre, & a Christo Jesu Filio Patris, in ve-
ritate, & charitate. 4 Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambu-
lantes in veritate, sicut mandatum accepimus a Patre. 5 Et nunc rogo te, do-
mina, non tamquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab ini-
tio, ut diligamus alterutrum. 6 Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum
mandata ejus. Hoc est enim mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, in
eo ambuletis, 7 Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confi-
tentur, Jesum Christum venisse in carnem; hic est seductor, & antichristus. 8
Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis: sed ut mercedem plenam ac-
cipiatis. 9 Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non
habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem, & Filium habet. 10 Si quis
venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec
AVE ei dixeritis. 11 Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus ejus mali-
gnis. 12 Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum: spe-
ro enim me futurum apud vos, & os ad os loqui, ut gaudium vestrum plenum
sit. 13 Salutant te filii sororis tuæ Electæ.

℣. 1. **SENIOR ELECTÆ DOMINÆ, ET NATIS EJUS.**] Supponimus, S. Joannem Evangelistam esse hujus Epistolæ Auctorem, quemadmodum diximus in præfatione. Seipsum *Senioris*, vel *Sacerdotis* nomine designat. Græca enim vox Presbyteros [1] utrumque significat. Hoc ille nomine agnoscebatur, cumque ad notissimas personas scriberet, opus esse minime duxit, aliud nomen apponere. *Electa*, cui hanc mittit Epistolam, pia erat mulier, de qua sermo non est in historia. Loquor autem secundum vulgatiorem sententiam; scio enim, complures non assentiri, quod *Kyria* nomen sit hujus mulieris, & alii minime credunt, illam aut *Electam*, aut *Kyriam* fuisse vocatam: sed Epistolam hanc ad peculiarem Ecclesiam fuisse conscriptam. Ea videnda sunt, quæ hac de re diximus in Præfatione.

ET OMNES, QUI COGNOVERUNT VERITATEM.] Veram Evangelii fidem, qui permanent in fide Ecclesiæ, & a prophanis Hæreticorum novitatibus abhorrent, vos diligant, atque æstiment, quemadmodum ego facio, hoc est *in veritate*, sincere, & in Jesu Christo.

℣. 2. **PROPTER VERITATEM, QUÆ PERMANET IN NOBIS.**] Hæc ea est ratio, propter quam vos diligimus, quod videlicet veritatem amatis, exercetis, & hæc *permanet in vobis*, ac ibi solidas adeo radices jecit, ut nihil inde eam convellere possit; & spero futurum, ut simul omnes constanter in eadem ad finem usque permaneamus. Confer 1. Joan. 2. 14. *Verbum Dei permanet in vobis*. Hic verus est fidelium character, constantia videlicet, & perseverantia in fide.

℣. 3. **SIT VOBISCUM GRATIA.**] In hoc versiculo tota hujus Epistolæ substantia continetur. Ait, Jesum Christum esse *Filium Patris* contra eos, qui ejus divinitatem, & Incarnationis veritatem negabant. Optat Electæ *gratiam, misericordiam, & pacem*, maxima videlicet bona, quæ Deus hominibus in Terra concedere possit, idque *in veritate, & charitate*, ita ut constanter adhæreat veritati sibi prædicatæ, & fidei receptæ, atque foveat sinceram charitatem erga proximum suum, immo etiam erga inimicos. Græcus ad litteram [2]: *gratia nobiscum*; alia exemplaria, *vobiscum*.

℣. 4. **INVENI DE FILIIS TUIS AMBULANTES IN VERITATE.**] Videntur nonnulli ex filiis Electæ hujus mulieris convenisse, ubi erat S. Joannes, qui eorum fidem scrutatus, illos Orthodoxos invenit: qua de re cum eorum Matre gratulatur. Alios illius filios non viderat, ideoque de illis verba non facit: sed ex illius silentio nihil inferri potest contra eorum virtutem, & fidei integritatem: immo cogitandi locus est, quod cum essent filii religiosæ adeo mulieris, & qui veritatem tantopere consectabantur, ipsos quoque virtutibus omnibus ornatos fuisse, atque veris Christianæ Religionis præceptis imbutos. In primo versiculo Matri simul, & filiis indiscriminatim salutem dixit; nec desunt, qui *de filiis tuis* [3] explicent, quasi legerent *filios tuos*. Supponunt alii [4], omnes mulieris hujus filios nondum in Jesu Christi fidem transiisse. S. Clemens Alexandrinus in hanc ep. ℣. 1. innuit, hos Electæ filios, vel filias (Græcus enim utrumque sensum patitur) Virgines fuisse; *secunda Joannis Epistola, quæ ad Virgines scripta est*.

℣. 5. **NUNC ERGO ROGO TE, DOMINA.**] Ad charitatem te hortor; quo vinculo simul conjungi debemus, & Deo accepti fieri. Hoc est præceptum, quod etiam, atque etiam Jesus Christus nobis commendavit. Nihil tibi novi scribo, cum ad hujus virtutis exercitationem te hortor; hoc est, *mandatum, quod habuimus ab initio* Evangelii. Inde te erudire incepimus, postquam fidei mysteria, tuaque erga Dominum officia tibi explicuimus: Vide supra 1. Joan. 2. 7. ubi res eadem invenitur.

℣. 6. **HÆC EST CHARITAS, UT AMBULEMUS SECUNDUM MANDATA EJUS [5].**] Dei amor, & proximi in praxi separari non possunt. Numquam poteris proximum tuum diligere, uti opus est, nisi illum in Deo, & propter Deum dilexeris. Ita illum diligens, diligis Deum. Sin autem fratres dilexeris, nulla Dei habita ratione, & unice propter ipsos; charitatis præcepto non satisfacis, & neque Deum, neque fratres amas. Charitas unionis virtus est, atque vinculum: qui igitur unionem dogmatum suorum singularitate perfringunt, charitatem non habent, & Dei mandatum violant in uno ex præcipuis ejus articulis [6].

℣. 7. **MULTI SEDUCTORES EXIERUNT IN MUNDUM, QUI NON CONFITENTUR, JESUM CHRISTUM VENISSE IN CARNEM.**] Vel cum vera carne, cum corpore ex carne confecto, credentes, illum apparuisse, phantastica circumdatum carne, ideoque in speciem tantummodo, & mortuum esse, & resurrexisse. Hæc erat Gnosticorum, vel *Docetarum* discipulorum Simonis Magi doctrina [7]. Asserebant Verbum, Christum in terris fuisse versatum, quin humanam carnem indueret, quin nasceretur ex Virgine, quin corpus haberet, nonnisi in speciem, quin re ipsa pateretur. Ita universam Religionis nostræ œconomiam evertebant, omnia fidei nostræ mysteria abrogabant, & ad nihilum redigebant quidquid ubique prædicabant Apostoli de Verbo Carne facto, & de humana redemptione per Sanguinem Dei, qui pro nobis in Cruce animam efflavit. Doctores hujusmodi nonne veri seductores erant, & veri Antichristi, quemadmodum illos isthic S. Joannes appellat? *Hic est seductor, & Antichristus*.

℣. 8. **VIDETE VOSMET IPSOS, NE PERDATIS [8], QUÆ OPERATI ESTIS.**] Ne credatis hujusmodi falsis doctoribus; eorum insidias metuite: id unum enim quærunt, ut vos in infidelitatem, & apostasiam detrahant; atque efficiant, ut bonorum operum vestrorum jacturam faciatis. Quæcumque hactenus fecistis, vobis non proderunt, si reliqueritis fidem, quam ab Apostolis accepistis. Extra Ecclesiam nulla salus; sine fide nulla virtus: sine perseverantia in bono nulla merces. Vidimus jam in prima S. Joannis Epistola, Simonianos putasse, opera bona ad salutem nihil prodesse, cum bonorum, malorumque operum distinctio ab Angelis tantum fuerit instituta, ut sibi mortales subjicerent; dicebant ad hæc, illis, qui in Simonem Helenamque ejus sperabant, integrum esse omnia, quæcumque vellent, facere [9].

℣. 9. **OMNIS, QUI RECEDIT.**] Græcus [10]: *qui transgreditur* mandatum Dei, *& non permanet in doctrina Jesu Christi, non possidet Deum*. Vel: *qui supergreditur, & non permanet in doctrina Jesu Christi*, in doctrina, quam nobis Jesus Christus, vel ejus Apostoli tradiderunt; vel denique, qui recedit a doctrina, quam de Jesu Christi persona recepimus [11], non possidet

---

1 Ὁ πρεσβύτερος Ἐκλεκτῇ Κυρίᾳ. 2 Ἔσται μεθ' ὑμῶν χάρις. Alex. omittit, ἔσται μεθ' ὑμῶν. Alii legunt: μεθ' ὑμῶν vobiscum. Ita Oecumen. Complut. Lin. Vel. Vulg.

3 Menoch. Cornel. a Lapide hic.

4 Barthol. Petri. 5 Κατὰ τὰς ἐντολάς. Alii: Κατὰ τὴν ἐντολήν. Ita Ald. Froben. Oecumen. Hunt. 1. Col. &c. 6 Beda hic. Barth. Petri, &c. 7 Iren. lib. 3. cap. 18. & Hieronym. advers. Luciferi. cap. 8. Clem. Alex. Strom. lib. 7. Theodoret. hæret. Fab. Prol. pag. 188. 8 Græc. *Ne perdamus quæ operati sumus*. Μὴ ἀπολέσωμεν ἃ εἰργασάμεθα, &c. Alii: Μὴ ἀπολέσητε ἃ εἰργάσασθε, &c. Steph. [illegible] Alex. Colb. Barb. 2. Cant. B. Alii. Syr. Aeth. Isidor. Pelus. Oecumen. Iren. Lucif. Calarit. 9 Iren. lib. 1. c. 20. Epiph. hæres. 7. cap. 4. &c.

10 Πᾶς ὁ παραβαίνων καὶ μὴ μένων ἐν τῇ διδαχῇ τοῦ Χριστοῦ. Alex. Πᾶς ὁ προάγων. Vetusti Codd. apud Zeger. *Omnis qui præcedit*.

11 Barthol. Petri hic.

det Patrem. Hoc idem est, ac illud, quod dixit in A
Epistola prima cap. 2. v. 23. *omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, Patrem habet.* Non cognoscitur Pater, cum Filius negatur; & neuter habetur, ubi negatur alteruter: Filius enim non est sine Patre, neque sine Filio Pater: *Ego, & Pater unum sumus*, Joan. 8. 9.

℣. 10. SI QUIS VENIT AD VOS.] Neque tenet, Jesum Christum Messiam esse, Deum, & Filium Dei: si Incarnationis, & caeterae ejus veritatem negat: si ab Ecclesia recedit, neque permanet in doctrina, quam ab Apostolis recepit, ille tibi sit tamquam Ethnicus, & Publicanus, tamquam pollutus homo, qui non meretur, ut ipsi communia humanitatis præbeantur officia, non ex odio contra illum, sed ex horrore scelerum ejus, & ex timore, ne illius societas, aspectus, B
colloquia contagione quadam enecent animas vestras, sensim vos disponendo ad ipsos audiendos, & doctrinam ipsorum cum voluptate percipiendam. Pseudo-Apostoli paulatim in familias, & Ecclesias conabantur obrepere, eorumque verba erant instar cancri, serpentia: *sermo eorum ut cancer serpit*, 2. Tim. 2. 17. In ejusmodi morbis, qui ex contactu magis invalescunt, potissima hæc est medicina, ut locos, virosque infectos vitet, & horreat.

S. Joannes, licet in fide, & gratia tantopere confirmatus esset, id tamen exercuit, quod hic aliis suadet. Narrabat S. Polycarpus [1], S. Joannem, cum esset Ephesi, atque ad publica balnea se se conferret, ibi forte Cerinthum Hæresiarcam nactum statim erupisse illotum, dicentem se vereri, ne balnea in caput C
suum ruerent, & se una cum Cerintho contererent [2]. Idem etiam S. Polycarpus, cum aliquando deambulans offendisset Marcionem, ab eo interrogatus; nostin nos? nosco, ait ille, primogenitum diaboli: *tantum Apostoli, & eorum discipuli habuerunt timorem, ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulterabant veritatem*, concludit S. Irenæus, ex quo hæc facta didicimus.

℣. 11. QUI DICIT EI, AVE, COMMUNICAT OPERIBUS EJUS MALIGNIS.] Veteres quidem MSS. adduunt [3]: *hæc vobis prædixi, ut in die Judicii non confundamini.* Cum Hæreticis versari, illis salutem dicere, eos domi suæ recipere, eum illis necessitudinem inire, quædam est approbatio errorum suorum, & qui hæc fecerit, quodammodo vel scelerum suorum fautorem, D
vel consortem se ostendit. Infirmi, qui vos intuentur cum hujusmodi hominibus versari, inde inferunt, vos ab eorum sententiis non abhorrere, neque impia illorum dogmata vobis admodum displicere. Hoc illos vestro exemplo disponit, ut & ipsi illis credant, & virtus vestra in sequiorem sensum intellecta fratribus scandalum est. Oportet igitur, errorem plane perhorrescere, ubi cognoscitur, ut saltem mortales intelligant, quod si ad Hæreticos accedis, ideo accedis, ut ex erroribus ad veritatem eos revoces [4].

NOLUI PER CHARTAM, ET ATRAMENTUM [5].] Veterum charta longe a nostra erat diversa: quippe composita erat ex pluribus foliis calami cujusdam Ægyptii, qui papyrus dicebatur, simul conglutinatis eodem ferme pacto, quo nos paginas consuevimus [6]. Atramentum vero fiebat ex lucernæ, vel funalium fuligine, cui immiscebatur gummi, quemadmodum liquet ex Plinio [7]. Consuetudo Ægyptiæ papyri jam pridem excidit, & Eustathius ad Odyss. α. ait, artem papyri elaborandæ ævo suo jam interiisse. Vide nostram Dissertationem de libris veterum, deque veteri scribendi ratione, Genesi præpositam, & primum librum Palæographiæ Græcæ R. P. Montfauconii.

SPERO ME FUTURUM APUD VOS.] Apostoli non omnia scriptis mandabant; sed plurima viva tantum voce edocebant. Res non ita satis bene explicantur scriptis, ut voce. Cum coram loquimur, objecta statim afferuntur, & statim diluuntur. Epistolæ vero nihil opponitur: hæc etiam abuti aliquis potest, quoniam ibi non possunt omnia explicari. Loquentes vero in altera explicatione supplemus, quod in priori non satis fuit intellectum.

S. Joannes, cum esset in Asia, Provinciæ illius Ecclesias invisebat; & S. Hieronymus de Viris illustr. asserit, omnes regionis illius Ecclesias ab illo institutas, & gubernatas fuisse. Testatur Eusebius l. 3. c. 23. illum ad extremam usque senectutem Provincias illas circuire consuevisse, ut Episcopos ibi constitueret, & nonnunquam etiam, ut ad Sacros Ordines evueheret aliquem, quem sibi Spiritus Sanctus indigitaverat. Credit S. Clemens Alexandrinus in hanc ep. personam, ad quam missa fuit hæc Epistola, Babylone permansisse: sed magis fidei consonum videtur, illam non longe abfuisse Epheso, quo S. Joannes quam primum sese conferre debebat, ut eam Ecclesiam inviseret.

℣. 13. SALUTANT TE FILII SORORIS TUÆ ELECTÆ.] Hi filii, & fortasse eorum Mater Ephesi erant, ubi S. Joannes hanc Epistolam scripsisse putatur. *Electa* est Soror *Kiriæ*, quæ & ipsa *Electa* appellabatur. *Electa* epithetum est *Ecclesiæ* ex nonnullorum sententia [8]. Alii [9] legunt *Endeclam* pro *Electa*: salutant te filii Sororis tuæ *Endeclæ*. Alii [10] vocandi casu legunt: *filii sororis tuæ, o Electa.* Non ita facile duas Sorores invenerit, quæ eodem nomine appellentur: sed videri potest hujus Epistolæ Prolegomenon.

Græcus in fine hujus Epistolæ legit *Amen*: sed nihil simile in MS. Alexandrino, aliisque nonnullis invenitur. Syrus addit: *gratia sit vobiscum.* Et Æthiops: *gratia, & charitas sint vobiscum.*

---

1 Iren. lib. 3. cap. 3. 2 S. Epiphanius ait, Ebionem fuisse in balneo, *Hæres.* 30. c. 2. Et Fevardentius, & Cornel. a Lapide ex S. Hieronymo contra Luciferianos asserunt, revera balneum decidisse, & contrivisse Cerinthum. Verum nihil horum habetur in eo tractatu. *Fevard. in Iren. Not. pag.* 240. *& Cornel. a Lapide hic.*

3 Velez. Ἴδε προεῖπον ὑμῖν ἵνα ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου μὴ αἰσχυνθῆτε. Cod. Gemol. Et alii quid. apud Zeger. *Ecce prædixi vobis, ut in die judicii Domini non confundamini.* Vide Mill. Schol. 504. Ita legunt Lyr. Hug. Dionys. Thom.

4 Vide Barthol. Petr., Men. Grot. alios. 5 Διὰ χάρτου καὶ μέλανος.

6 Plin. lib. 3. cap. 11. *Præparantur ex papyro chartæ, divisæ acu in prætenues, sed quam latissimas philyras.*

7 Plin. lib. 35. cap. 6. *Atramentum fit ex fuligine variis modis, resina vel pice exustis, . . . omne autem atramentum sole perficitur, librarium gummi, tectorium glutino admixto.* 8 Τῆς ἐκλεκτῆς ἐστὶ τῆς Ἐκκλησίας. Covel. 3. adv. ἐκκλησίας. 9 Grot. hic. Alii libri ἐκλεκτῆς. 10 Mariana ex Bibliis Gothicis, Menoch. Cornel. a Lapide. *Sororis tuæ Electæ, id est, Sororis tui; vel tui, quæ vocaris Electa.*

Finis secundæ S. Joannis Epistolæ.

PRÆ-

P R Æ F A T I O

IN TERTIAM S. JOANNIS EPISTOLAM.

INitio secundæ S. Joannis Epistolæ, & de hujus canonica authoritate meminimus. An præterea vere hæc Apostoli Joannis fuerit, a Veteribus dubitatum, & ab iisdem alteri Joanni, cognomento Seniori, quem Papias Præceptorem suum appellat, adscriptam retulimus. Verumtamen & ejus stilo, characteribus, cæterisque circumstantiis & unanimi, potissimum a quarto hucusque sæculo, Ecclesiæ consensu ducti, & ab Joanne Apostolo exaratam credimus, & Scripturam Sacram atque Canonicam reputamus.

Cajus, ad quem hæc traditur, alter est forte ex duobus Pauli Apostoli Discipulis, quorum utrumque hoc nomine appellatum novimus. Ex his celeberrimus Corinthi ortus, a S. Paulo Fidei mysteriis initiatus, & baptismate [1] ablutus. In eadem urbe Apostolum hospitio excepit; quare Paulus hæc de ipso ad Romanos [2]; *Salutat vos Cajus hospes meus, & universa Ecclesia*. Beda in 3. Jo. p. 754. Ambrosiaster ad Rom. 16. Ado, post quos & Ligfootus [3], atque Interpretum plerique, hunc esse putant, cui S. Joannes tertiam hanc Epistolam inscribit. Alii Cajum Derbeum [4], de quo in Actis 2. 4. verosimilius credunt. Cajus sane, de quo hic, in Asia potius, quam Corinthi morabatur. Caji cujusdam Macedonis S. Pauli Discipuli meminit S. Lucas, Act. 19. 29. qui cum Apostolo Ephesum profectus, in seditione Demetrii vitæ discrimen subiit. Hunc vero Grotius in Acta cum Cajo Derbæo confundit, quem e Lycaonia oriundum, & Thessalonicæ natum asserit. Hac tamen de re certi nihil.

Illud tantummodo constat, quod Cajus, ad quem hanc Joannes, eidem S. Apostolo apprime charus, hospitalitati penitus incumbebat, vel invito Diotrephe, ejusdem, ut credimus, Urbis, in qua ipse versabatur, Episcopo, qui fratres ad Fidem ab Judaismo conversos hospitio excipi interdixerat, & eos, qui excepissent, anathemate multabat. Fratres omnes, & Joannes potissimum, Caii pietatem, virtutemque commendabant, cui hic S. Apostolus se cito adventurum spondet, ut eum invisat, & Diotrephis audaciam retundat. Grotius in altera ex septem Ecclesiis, de quibus mentio in Apocalypsi c. 4. Ligfootus vero Corinthi Cajum commorantem perhibent. Nos hanc Epistolam Ephesi datam, & in aliquam ex proximis Civitatibus missam arbitramur. Quo autem scripta fuerit anno, frustra inquirimus; nullatenus enim fieri potest, ut comperiamus. Baronius, post quem alii plures, ab Joanne annos circiter 97. nato singulas tres Epistolas exaratas asserit; alii vero ante Evangelium & Apocalypsim conscriptas suspicantur.

A' Judæis Fidelibus, qui Evangelio enunciando addicti vagabantur, & ab Ethnicorum donis & contubernio abstinebant, hanc Epistolam delatam fuisse simillimum vero ducimus; quare ita de hac reputandum, veluti de Epistola eorumdem Concionatorum commendatitia [5]. Illud ex hac Epistola constat, quod Gentium, & Judæorum Fideles non semper inter se convenirent, quodque plurimum elaborandum esset, ut mutua eorum simultas divelleretur. In S. Pauli Epistolis earumdem divisionum inter Judæorum & Gentium Fideles semina leguntur; quare Apostolus in id præcipue incubuit, ut hinc Judæos se Gentibus anteferentes, compesceret, inde vero Gentes Judæos contemptui habentes coerceret [6]. Alibi Fidelium ex Gentibus audaciam comprimit, eisque interdicit, ne Evangelica omnes promiscue ciboa comedendi libertate abutentes, Judæis crearent offensionem [7]. Hebræis denique adversatur, quod Gentes ad Legalia compellere niterentur [8]. Quæ sane omnia demonstrant, quam mirifice Apostoli de Fidei rebus & Ecclesiæ regimine inter se convenirent.

---

1 1. Cor. 1. 14. 2 Ad Rom. 16. 23. Syriacus legit: *Totiusque Ecclesiæ*.
3 Ligfoot. Chronogr. p. 152. Hugo, Glossa, Lyran. Men. Tir. 4 Tillemont. tom. 1. S. Paul. art. 23. & Not. 29. 5 Vide vers. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 6 Vide Epist. ad Rom. per totam.
7 Vide Epist. ad Corinth. 8 Vide potissimum Epist. ad Galat. & Epist. ad Philippens.

COM-

COMMENTARIUM LITTERALE IN TERTIAM SANCTI JOANNIS EPISTOLAM

CAPUT UNICUM.

Elogium Gaii, sincera illius pietas, ejus hospitalitas, atque irreprehensibilis vita. Diotrephes non recipit S. Joannem. Praeclarum virtuti Demetrii testimonium. S. Joannes sperat, se conventurum Gajum.

1. SEnior Gajo charissimo, quem ego diligo in veritate. 2 Charissime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi, & valere, sicut prospere agit
anima tua. 3 Gavisus sum valde venientibus fratribus, & testimonium
perhibentibus veritati tuae, sicut tu in veritate ambulas. 4 Majorem horum non
habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare. 5 Charissime,
fideliter facis, quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos. 6 Qui testimonium reddiderunt charitati tuae in conspectu Ecclesiae: quos, benefaciens, deduces digne Deo. 7 Pro nomine enim ejus perfecti sunt, nihil accipientes a Gentibus. 8 Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis.
9 Scripsissem forsitan Ecclesiae: sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos. 10 Propter hoc si venero, commonebo ejus opera, quae
facit, verbis malignis garriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse
suscipit fratres, & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia ejicit. 11 Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est:
qui malefacit, non vidit Deum. 12 Demetrio testimonium redditur ab omnibus,
& ab ipsa veritate, sed & nos testimonium perhibemus: & nosti, quoniam testimonium nostrum verum est. 13 Multa habui tibi scribere: sed nolui per atramentum, & calamum scribere tibi. 14 Spero autem protinus te videre, & os ad
os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

℣. 1. SENIOR GAJO.] In praefatione ad examen vocavimus, quinam esset hic Gajus. S. Joannes eadem ferme ad illum mente scribit, qua superius ad Electam. Gajus non erat nomen proprium, sed pronomen Romanum longe pluribus commune. Divinando assequi nequaquam possumus causam, cur S. Joannes proprium suum nomen reticuerit, aeque ac illius, ad quem scribit. Nihil hac de re nobis Prisci tradiderunt.

℣. 2. ORATIONEM FACIO PROSPERE TE INGREDI.] Deum enixius oro, ut omnia, quae ad valetudinem, & domestica negotia spectant, tibi fluant e sententia: vel [1]: *ante omnia* Deum oro, ut temporalia negotia, atque valetudo tua eum statum habeant, quem A optimum animae tuae esse cognosco. S. Joannes jure animae, & spiritus bonis primas tribuit, secundas valetudini, tertias denique bonis temporalibus, iis videlicet, *quibus doles natura negavit*.

℣. 3. GAVISUS SUM,] cum fratres, qui ex tuis hisce regionibus ad me venerunt, mihi nuntiarunt sinceram pietatem, & vitam, quam secundum veritatem traducis, S. Joannes scit dato loco opportunas laudes apponere, ut magis magisque ad virtutis exercitationem accendat. Cum Gajo gratulatur, quod fidei, ac veritati adhaereat, puram, & integram illius vitam commendat, qualem veri Christiani esse decet. Graecus ad litteram [2]: qui testimonium perhibent *veritati tuae, quemadmodum ambulas in veritate*, sinceritate,

1 Περὶ πάντων εὔχομαί σε εὐοδοῦσθαι.
2 Μαρτυρούντων σου τῇ ἀληθείᾳ, καθὼς σὺ ἐν ἀληθείᾳ περιπατεῖς.

te, æquitate, innocentia, justitia, fide, officiis omnibus, atque sententiis, charitate erga Deum, & erga proximum.

℣. 4. MAJOREM HORUM NON HABEO GRATIAM.] *Majus his non habeo gaudium* [2]: quemadmodum antiqua Latina Biblia legunt, quæ vera est Græci textus [2] significatio. Nullum majus accidere Magistro solatium potest, quam si videat discipulos suos in scientiis proficientes. Salutis scientia, & virtutis exercitatio prima erant S. Joannis, & discipulorum ejus objecta. Primum eorum studium hoc erat, ut fides pura esset, & vita irreprehensibilis.

℣. 5. FIDELITER FACIS QUIDQUID OPERARIS IN FRATRES [3].] Græcus ad litteram: *facis fidele*, firmum ac tutum, quidquid facis erga fratres, & præsertim erga alienos. Aliter [4]: *facis actionem fidelem*, Christiano viro dignam, vel simpliciter *actionem bonam* [5], & meritoriam. Hoc pendet ex ea veritate, aut fidelitate, quam in te commendavi; hoc est opus fidei tuæ, atque pietatis.

℣. 6. IN CONSPECTU ECCLESIÆ.] Perhibuerunt illi testimonium fidei tuæ, & operibus charitatis, quam exerces egregie; idque coram universa Ecclesia, in qua sum, coram Ecclesia Ephesi, ubi S. Joannes tunc fuisse putatur. Ea verba, *in conspectu Ecclesiæ*, referri etiam possent ad bona opera, quæ Gajus cum totius Ecclesiæ, in qua erat, ædificatione exercebat.

QUOS BENEFACIENS, DEDUCES DIGNE DEO.] Benefacies, efficiens, ut digne Deo in itineribus suis deducantur; vel simpliciter: benefacies, illos honoris ergo prosequens, cum domo tua egredientur. Videtur S. Joannes innuere, hoc illum non præstitisse, vel etiam aliquem fortasse hoc de Gajo conquestum fuisse. Hospites quidem, summo charitatis affectu recipiebat: sed illos abire patiebatur, quin cum honore eos comitaretur: quod urbanitatis erat officium, quemadmodum liquet ex Actis Apostolorum, & S. Pauli Epistolis [6]. Sæpe Ecclesia universa cum mulieribus, & filiis hospites ad navem usque deducebant, vel eligebat Ecclesia eos, a quibus illi eousque deducerentur, quo erant ituri. Ita fideles Berææ S. Paulum Athenas usque adduxerunt [7]; & hic Apostolus ad Corinthios scribens, ait, se sperare futurum, ut ab illis Jerosolymam usque deducatur [8], seu re ipsa illis itineris Duces, & socios tribuerent, vel simpliciter commendatitias darent Epistolas, aut pecuniam, aliaque subsidia, ut ad eum, quo contendebant, locum pervenirent. S. Joannes Gajo commendat, ut merito hospitalitatis, & charitatis suæ hoc etiam adjiciat. Quidam pro *deduces* legunt *deducis*, quod plane loci sensum immutat. *Deduces* quidem conforme est Græco [9] typis edito: sed Græca quædam exemplaria, Syrus, Æthiops præsenti tempore legunt, *deducis*: juxta quam lectionem S. Joannes commendaret Gajum ea facientem, quæ ab ipso nequaquam fieri innuit Vulgata. Quæ sequuntur, posteriori huic sensui favent. Vide ℣. 7.

DIGNE DEO.] Hoc significat quidquid melius, atque perfectius excogitari potest: digne illo, quem in hospitum persona recipis; nam Dominus ait Matth. 10. 40. *qui recipit vos, me recipit*; & Matth. 25. 40. *quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*. Vel: digne Deo, liberaliter, generose, quemadmodum decet Christi fideles, eos viros, qui propter Deum vivunt, & qui fidei tantum lumina sequuntur. S. Paulus sæpe hac eadem utitur loquutione [10]: *ut am-*

A *buletis digne Deo*; vel [11]: ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis.

℣. 7. PRO NOMINE ENIM EJUS [12] PROFECTI SUNT.] Duo sensus huic loco tribui possunt secundum explicationem, quam versiculo sexto sequutus fueris. Si supponis, S. Joannem suadere Gajo, ut hospites suos deducat, eisque itineri necessaria suppeditet, Apostolum ita loquentem inducere oportebit: cave, ne domo tua egredientibus aliquid desit; nam Religionis causa, & unice ne cum Gentilibus societatem inirent, iter ingressi sunt, quin ab illis aliquid accipere vellent. Ita fac, ne aliquid illis desit, nec velis eos in necessitatem adducere, ut confugiant ad Gentiles pro iis rebus, quæ in itineribus requiruntur. Hoc innuit, Gajum domi suæ recepisse Judæos ad fidem conversos, quod sequentibus

B etiam confirmatur.

Verum si supponas, Gajum tanto cum zelo hospitalitatem exercuisse, ut hospitibus etiam ministraret ea, quæ itineri perficiendo erant necessaria, ita per paraphrasim locus Apostoli posset efferri. Testantur Apostoli, atque commendant liberalissimam charitatem, qua hospites excipis, & qua illos deduci jubes in iter suum digne Deo; vel quia illis suppeditas ea, per quæ iter perficere possint digne Deo; propter nomen Dei cum tuæ charitatis; & beneficiorum auxilio iter susceperunt egressi domo tua, quin aliquid ex Gentilibus recipere cogerentur. Utraque hæc explicatio optimum sensum affert.

Alii [13] hoc ita intelligunt: benefacies curans, ut hospites tui in itineribus suis deducantur, eisque neces-

C saria suppeditans; præsertim vero si propter amorem Dei ad Evangelium annuntiandum profecti fuerint, quin aliquid ex Gentilibus recipere voluerint, imo neque ex illis, quos ipsi converterant, juxta S. Pauli exemplum, qui diligentissime semper cavit, ne in Evangelii prædicatione alicui esset onerosus [14]. Denique ita etiam potest explicari [15]: bene facis, hospitalitatem exercens, & deduci jubens in itineribus suis fideles ex Ethnica superstitione conversos, qui Patriam, & commoda sua reliquerunt, quin secum aliquid sumerent, seu paupertatis, & integritatis consilio, seu propter impotentiam, & persecutionem Gentilium, qui illos secedere coegerunt.

℣. 8. NOS ERGO DEBEMUS SUSCIPERE HUJUSMODI.] Hoc explicari potest juxta varios sensus, quos

D præcedenti versiculo proposuimus. Bonum opus est, hospites recipere, seu simplices fideles sint, iter suscipientes hac mente, ne cum Ethnicis necessitudinem ineant, in domos eorum ingrediantur, aliquid ab illis recipiant; seu Gentiles sint conversi, extorres, exulesque a patrio solo, seu sponte seu ex concivium suorum importunitate depulsi; sive denique sint Evangelii præcones, qui gratis prædicare volunt, quin aliquid recipiant, vel ex Gentilibus conversis, vel ex iis, qui conversi non sunt. In iis omnibus *Cooperatores sumus veritatis*, religionis, pietatis, ædificationis, propagationis Evangelii.

℣. 9. SCRIPSISSEM FORSITAN ECCLESIÆ.] Monuit S. Joannes scribere Gajo, quam Ecclesiæ ejus loci, in qua Gajus erat; ea enim in Ecclesia homo erat

E ambitiosus, cui nomen Diotrephes, qui cum fidem recepisset fortasse a S. Paulo, vel ab alio Evangelii præcone, cumque primum locum in illa Ecclesia occupasset, ibi nolebat alium recipere Apostolum, vel Concionatorem; præsertim vero ex numero eorum, qui Mosai-

---

1 Μειζοτέραν τούτων οὐκ ἔχω χαράν. Quidam legunt, χάριν, gratiam. Steph. 2. Magd. 1. Vulg.
2 Ita constanter Latinæ tribus locis. Complut. Reg. Alii Libri apud Isidor. Clar. Barthol. Petri hic.
3 Πιστὸν ποιεῖς ὃ ἐὰν ἐργάσῃ εἰς τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ εἰς τοὺς ξένους. Quidam: Καὶ τοῦτο ξένους. Alii: Καὶ τοὺς ξένους. Et hoc in fratres. 4 Oecumen. Vide Barthol. Petri. Men. Tir. alios. 5 Grot. hic.
6 Act. 9. 30. 15. 3. 20. 38. 21. 5. Rom. 15. 24 & 1. Cor. 16 6. 11. 2. Cor. 1. 16.
7 Act. 17. 14. 15. 8 1. Cor. 16. 11. 2. Cor. 1. 16.
9 Οὓς καλῶς ποιήσεις προπέμψας ἀξίως τοῦ Θεοῦ. Alii: Καλῶς ποιεῖς. Ita Syr. Æth. Steph. Cov. 4. Gen. Ita legit Hugo. Deducis. 10 Coloss. 1. 10. & 1. Thessal. 2. 12. 11 Ephes. 4. 1.
12 Plures omittunt, ejus, ait Beda. Ita Græc. Ὑπὲρ γὰρ τοῦ ὀνόματος ἐξῆλθον. Quidam tamen legunt ὀνόματος αὐτοῦ. Steph. Editi alii quidam. 13 Barthol. Petr. Men. Tir. Pisc. Beda.
14 Vide 1. Cor. 9. 2. 2. Cor. 11. 7. & seq. 12. 13. & seq. 15 Grot. Barthol. Petr. Men. Pisc.

Mosaicæ Legis cæremonias cum Evangelio consociare cupiebant. Quæ sequuntur, huic explicationi lucem afferent.

Neque mirum sit videntibus ambitionis, & superbiæ spiritum in Christi fidelibus primis etiam Apostolicis temporibus grassantem. Non defuerat in duodecim Apostolis Judas. Dicunt nonnulli, Diotrephem Hæreticum fuisse [1], quod vix crediderim. Videtur S. Joannes ob id unum Ecclesiæ illi non scribere, ne superbum Diotrephis ingenium exacerbet; qui si hæreticus fuisset, hoc non solum non prohibuisset, quin immo magis S. Joannem debuisset impellere, ut Ecclesiæ scriberet, eique suaderet, illum esse evitandum. Putat Grotius [2], Diotrephem hunc Episcopum fuisse ex numero Gentilium ad Christi fidem conversorum; quod commendatitias S. Joannis Epistolas non eo, quo opus erat, honore reciperet, neque in Ecclesiam suam admitteret Judæos fideles, qui a Legis cæremoniis non recesserant: qua in re testantur antiqui, S. Joannem erga Judæos, qui in Jesu Christi castra transierant, fuisse indulgentiorem. Putant alii [3], Diotrephem Christianum fuisse Judaizantem, neque recipientem commendatitias Apostoli Epistolas, & in suam communionem, vel mensæ suæ Gentiles conversos non admittentem. Sed Grotii explicatio mihi magis arridet, & melius cum iis, quæ sequuntur, cohæret.

Græcus [4]: *scripsi Ecclesiæ: sed Diotrephes* &c. Vel juxta alia exemplaria: *non nihil scripsi Ecclesiæ*: sed nos non recipit Diotrephes. Scripsi equidem, sed eam non judicavi litteras mittere. Vel: aliás Ecclesiæ tuæ scripsi: nunc vero satis est mihi scribere ad te, eo quod Diotrephes Epistolarum mearum rationem non habet. Videtur hinc hæc Epistola fortasse delata fuisse a fratribus quibusdam, quos S. Joannes Gajo commendabat. Quærunt quænam fuerit hæc Epistola, alias ab Apostolo scripta Ecclesiæ, in qua Gajus erat? Quidam [5] illam excidisse putant; Alii [6] hanc esse arbitrantur primam S. Joannis Epistolam. Sed plerique sequuntur versionem Vulgatam, quæ nonnullorum veterum Mss. Græcorum fide probatur [7]: *scripsissem forsitan*, vel, *scribere potuissem Ecclesiæ* &c.

℣. 10. SI VENERO, COMMONEBO OPERA EJUS.] S. Joannes moderatione utitur erga Diotrephen, licet id ille minime mereatur, ut locum ei tribuat resipiscendi. Attamen satis sit hoc in loco, unde salutari pudore suffundi possit, & ad officium revocari. Prudentiæ & charitatis interest non aperte vi vehementem, turbidumque animi affectum impugnare. Tria isthic illi objicit, primo quod contra se, & eos, qui ipsum sequerentur, *verbis malignis garriret* [8]; plane contra S. Joannem, & Hebraizantes Christianos, qui ut ipse, legalés cæremonias sequebantur. Alterum, *quod non susciperet fratres*, qui nomine suo ad illum venirent, & qui Legis cæremonias sequerentur [9]. Tertium quod *eos qui susciperent, prohiberet, & de Ecclesia ejiceret*; ex quorum numero Gajus erat. Hoc probat, Diotrephen Episcopum fuisse, & hominem furentem; quippe qui pro ea re, quæ ex se laude digna erat, & quæ inter fideles maximam afferre poterat utilitatem, de Ecclesia eos ejiciebat, qui injustum animi ejus affectum induere nolebant.

℣. 11. NOLI IMITARI MALUM.] Cave ne imiteris Diotrephen in iis, quæ mala sunt; at illius doctrinam sequere, immo & exemplum in iis, quæ bona esse possunt [10]. Moderatur quodammodo quidquid duriusculum contra Diotrephen dixerat. *Qui benefacit, ex Deo est: qui malefacit, non vidit Deum*. Vide supra 1. Joan. Cap. 3. ℣℣. 6. 10. Cap. 4. ℣℣. 7. & 8. & Cap. 5. ℣. 19. Nunnisi ex spiritu malo, malum efficere potest: sed Deus illum illustrare poterit, & cor immutare; poterit ergo abjicere injustam sententiam, & sævitiam suam in charitatem convertere. Tu vero semper bene fac: hic est character filiorum Dei.

℣. 12. DEMETRIO TESTIMONIUM REDDITUR AB OMNIBUS.] Demetrius aliæ erat ejusdem Ecclesiæ fidelis imitator charitatis, pietatis, & hospitalitatis Gaji. Quicumque illum norunt, egregia illi perhibent testimonia, & *ab ipsa etiam veritate* illi testimonium perhibetur. Loquitur Jesus Christus, qui ipse est veritas [11], vel potius, ipsa opera loquuntur, & illius recte facta illud ei perhibent testimonium, quod antiquari, vel infirmari minime potest [12]. Denique ego ipse testis sum, & scis, me non mentiri: *sed nos testimonium perhibemus, & nosti, quoniam testimonium nostrum verum est*. S. Johannes certus est adeo testimonium suum rejici nequaquam posse, quod seipsum testem proferre non vereatur. Non desunt Sancti viri, quorum probitas est adeo perspicua, ut liceat ipsis se etiam nonnumquam laudibus celebrare. Tanta illis æquitas, atque sinceritas est, ut persuasum sit, illos, si quidquid mali ipsis inesset, eadem ingenuitate, qua bonum dicunt, malum etiam prolaturos. S. Johannes hoc uno satis suum characterem ostendit; quod ipsum non semel sibi usurpat in Evangelio Joan. 19. 35. & hoc recens est argumentum, quo ille hujus Epistolæ auctor esse probatur. Hæc ratio auctoritatis sibi vendicandæ belle decet Apostolum, atque dilectum Salvatoris discipulum.

℣. 13. MULTA HABUI TIBI SCRIBERE.] Sed nolui ea papyro committere. Hæc viva voce tibi dicam, cum te videro. Apostoli non scripsere multa, Salvator vero nihil omnino scripsit. Cupiebant potius fidelibus viris fidei depositum committere, quam illud in omnium mortalium manus per publica scripta indiscriminatim versari: *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere*, ajebat S. Paolus in 2. ad Timotheum n. 2. Vide superioris Epistolæ finem, ubi eadem occurrunt verba.

℣. 15. SALUTANT TE AMICI.] Hæ loquendi rationes magnam innuunt familiaritatem, atque necessitudinem inter S. Johannem, & Gajum, inter Ecclesiam Ephesi, ubi hæc Epistola scripta fuisse dicitur, & illam, in qua Gajus numerabatur.

---

1 Oecumen. Beda. Barthol. Petr. Fromond. alii. 2 Vide Grot. Hamm.
3 M. Le Clerc, Barth. Petr. 4 Ἔγραψα τῇ Ἐκκλησίᾳ. Ἀλλ' ὁ φιλοπρωτεύων αὐτῶν Διοτρέφης. Alii Ἔγραψα τι τῇ Ἐκκλησίᾳ. Alex. Steph. 2. 5 Tillemont. tom. 1. S. Jean l'Evangeliste, art. 9. pag. 368.
6 Ligfoot. Chronol. pag. 152. 7 Ἔγραψα ἂν τῇ Ἐκκλησίᾳ. Ita Genev. Covel. 3. Petr. 3. Colleg. ... Lin. Str. vel Ἔγραψα ἄν τι τῇ Ἐκκλησίᾳ. Ita Copht. Covel. 4.
8 Φλυαρῶν ἡμᾶς. Oecumen. λοιδορῶν, κακολογῶν. 9 Grot. Barth. Petr. Menoch. Tir.
10 Grot. Barthol. Menoch. alii. 11 Lyran. Barthol. Petr.
12 Grot. Barthol. Menoch. Pisc. alii passim.

Finis tertiæ S. Joannis Epistolæ.

PRÆFATIO

IN EPISTOLAM S. JUDÆ.

JUdas cognomento *Thaddæus* sive *Lebbæus*, & *Zelotes*, & juxta Origenem in Matth. 35. Chrysostomum t. 5. orat. 32. Hieronymum in Galat. 4. & in Helvid. cap. 7. Gelasium Papam[1] & alios nonnullos, interdum *Frater Domini*[2] idcirco appellatus, quod filius Mariæ Sororis B. Virginis, & S. Jacobi Minoris Jerosolymorum Episcopi frater esset[3]. Ex uxore, quam Nicephorus Mariam vocat, caecepit liberos; Hegesippus enim duorum Martyrum ejus Nepotum meminit[4]. Ejus, quæ extat, Epistola inter Catholicas ultima recensetur, quam ipse nulli peculiari Ecclesiæ, sed omnibus Fidelibus a Deo Patre dilectis, & a Christo Domino vocatis inscribit; ex cujus versiculo decimo septimo, quo Petri, veluti ab iis, quos alloquitur, satis agniti, secundam allegat, & ex toto ejusdem contextu, qui ad Apostolorum Principis phrasim quam maxime accedit, omnibus Judæis, qui Christianæ Fidei nomen dederant, & in Orientis Provinciis versabantur, Epistolam suam scripsisse videtur.

Jamdiu ad eos scribere optantem illuc usque se prohibitum idcirco fuisse ostendit, quod pravis quibusdam Doctoribus per doctrinas, nefariosque mores ultimam Ecclesiæ perniciem molientibus oppugnandis, totam suam operam collocasset. Simonianorum præcipue cum hic meminisse credimus, & Nicolaitarum, aliorumque ejus ætatis Hæreticorum[5], qui in Historiis Gnostici appellantur; quorum pravæ sententiæ, & pudenda flagitia a S. Epiphanio, a S. Irenæo, & a cæteris vetustis Patribus referuntur. Eos quidem S. Judas quibusdam coloribus ita pingit, ut iis minime blandiri videatur; verum de lubricis eorum Hæreticorum moribus non nisi caute loquendum est.

Sub Epistolæ exitum, ut Fidei & Charitati firmissime adhæreant, & precibus studiose addicti a Deo misericordiam, & æternam vitam expectent, Fideles hortatur, enixeque rogat, ne Fratrum, qui ab Hæreticis decipi facile possent, salutem negligant; utque veluti a mediis flammis illos eripiant, quos Hæreticorum fraus in errores impulerat. Vereantur, denique concludit vers. 23. *& eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam*.

Quo tempore eam scripserit, ignoramus; sane post Hæreticos, quorum meminimus. Apostolos veluti aliquandiu ante peremptos memorat[6]; præterea cum secundæ Petri verba exscribat, & ad secundam Pauli ad Timotheum alludat[7], post eorum mortem, nempe post annum Christi 66. eamdem inscriptam jure putamus. Qui vero post Neronem, imo & post Jerosolymæ excidium exaratam duceret, utique non procul a veritate facile aberraret.

Omnes prorsus Ecclesiæ inter Canonicas Scripturas hanc non semper recensuere; quare an Canonica fuerit, Veteres nonnulli dubitarunt; imo & plurimi, Eusebio l. 3. c. 25. hist. Eccl. Hieronymo de Vir. Illustr. c. 4. & Amphilochio carm. ad Seleuc. Nazian. carm. 125. testibus, canonicam ejus authoritatem impugnarunt. Eusebius præterea l. 2. c. 23. a Scriptoribus Ecclesiasticis vix allegatam, simul tamen in pluribus Ecclesiis publice perlectam testatur. Ideirco autem a pluribus improbatam scimus, quod S. Judas in ea Libri Henoch, cui nunc ut apocrypho nulla fides, veluti cujusdam prophetiæ meminerit: quod etiam de cadavere Moysis quiddam referat, cujus in Canonicis Veteris Testamenti Libris nulla mentio; quare a quodam Apocrypho Opere, *Moysis Assumptio* inscripto, depromptum credebatur.

Verum esto[8], S. Judas duo hæc Apocrypha Opera allegarit: ex iis sane Libris, utpote Dei Propheta, vera a commentitiis secernere potuit. In iisdem præterea vera plurima referuntur, quæ S. Judas aliunde forte hauserat. De libro Henoch fusius egimus in Dissertatione ad Genesim. Quod vero ad *Assumptionem Moysis*, & S. Michaelis cum Dæmone de Moysis corpore altercationem attinet, in peculiari Dissertatione paulo ante perpendimus. S. Hieronymus magis abs re non esse putat[9], quod S. Judas apocryphum Librum citaverit, quam quod S. Paulus prophanos Poetas laudaverit. Plurimum tamen inter illud interest, quod S. Paulus Prophanos ut Prophanos, S. Judas Henoch ut Prophetam allegat[10].

Putavit Grotius, eam Epistolam minime Apostolo Judæ esse tribuendam, sed Judæ alteri, decimoquinto Jerosolymæ Episcopo, qui paulo ante Barchochebam, Adriano imperante, florebat. Quare ea verba, *Frater autem Jacobi*, quæ eidem Epistolæ præferuntur, ut ad ejus authoritatem conferrent, ab Amanuensibus addita autumavit; præsertim quod ipse Judas *Jesu Christi servum* se vocasse contentus, se nunquam Apostolum prodiderit; quodque etiam Ecclesiæ omnes eam Epistolam ab initio excepissent, & in proprium quælibet idioma reddidissent, si ab Apostolo exaratam non ignorassent[11]. Lutherus, Centuriatores, Anabaptistæ, & Kemnitius veluti incertam rejiciunt; ne minimum quidem validum ea de re argumentum proferentes; his enim, quæ modo prætulimus, nil utique infirmius.

Porro verba illa, *Frater autem Jacobi*, Amanuensium fraude supposita nulla conjectura probantur; quippe quæ in omnibus tam vetustioribus quam recentioribus Exemplaribus legantur. Apostoli sibi titulum

1 Vide Florens. Martyrolog. pag. [illegible]. 2 Matth. 13. 55.
3 Vide Tillemont. t. 1. pag. 682. Not. 2. in S. Jud. 4 Hegesipp. apud Euseb. Hist. Eccl. l. 3. c. 20.
5 Epiphan. hæres. 26. Oecumen. hic ad vers. 4. Athanas. in Synops. Alii recensiones pleique.
6 Vide vers. 17. & 2. Petr. 3. 32. 7 Confer Judæ vers. 18. cum 2. Timoth. 3. 1.
8 Vide August. de Civit. c. 23. & lib. 18. c. 38. e Barth. Petri hic, alios.
9 Hieronym. in Tit. 1. 10 Jud. vers. 14. *Prophetavit de his septimus ab Adam Henoch*.
11 Extat Syriace, Arabice, & Æthiopica versa in Polyglottis Anglicis. Adhuc Syriace & Arabice in Polyglottis D. le Jay, & alibi. Vide Cornel. a Lapide Præfat. in hanc Epist.

lum in fronte ejusdem Epistolæ negavit S. Judas; cujus tamen Apostolici muneris privilegium viro illi Sancto asserit Evangelium. Profecto nec S. Paulus speciosum illud Apostoli elogium scriptum voluit in fronte Epistolæ ad Ephesios, geminatum ad Thessalonicenses, singularis ad Philemonem, sicut & ad Hebræos; nec S. Joannes in fronte trium suarum Epistolarum. Nec invidia in genuinum Authorem creanda est ex ambiguitate quarumdam Ecclesiarum: cum dubitasse pariter constet nonnullas de Epistola secunda S. Petri, & geminis posterioribus Joannis. Nihil sane in hoc scripto Apostolo S. Judæ repugnat, non tempus, non circumstantiæ; consonant hæretici quos oppugnat, errores quos revincit. Recitat suppresso nomine verba e secunda S. Petri, & de Apostolis loquitur quasi aliquandiu ante occubuerint. Quid hic non conveniens ætati, qua S. Judas in vivis egisse constat? excidio enim Jerusalem superstitem fuisse credimus. Nemo unus inter Veteres, qui eam Epistolam laudavit, de illius Authore, ambigere se significavit: uno omnes assensu S. Judæ Apostolo tribuunt; ambigit nemo ante Grotium, qui in ea fuit sententia, Judam decimumquintum Jerosolymæ Episcopum hujus Operis genuinum esse scriptorem.

Nonnullorum Veterum ambiguitati Origenis testimonium objicimus [1], qui hanc Epistolam maxime commendans, a S. Juda exaratam perhibet, & cœlestibus plurimis in pauca verba congestis sententiis refertam testatur. S. Epiphanius hær. 26. se illud de S. Juda arbitratum asserit, quod Spiritu Sancto inspiratus adversus Gnosticos suam, quæ extat, Epistolam scripserit. S. Clemens Alexandrinus Commentar. in hanc Epist. Judam *Jesu Christi servum*, *& fratrem Jacobi* se dixisse contentum, a Fratre Domini se vocando per modestiam abstinuisse; alibi vero tam ipse Clemens [2], quam Tertullianus [3], veluti a S. Juda scriptam, & inter Canonicas Scripturas recensitam allegant.

A Conciliis Laodiceno can. 60. & Carthaginensi tertio can. 47. a S. Athanasio in ep. Pasc. & in Synopsi. a S. Cyrillo Jerosolymitano Cathec. 4. a S. Gregorio Nazianzeno carm. 34. a Rufino Exposit. in Symbol. a S. Augustino de Doctr. Christ. l. 2. c. 8. ab Innocentio I. Ep. 3. c. 7. & a Recentioribus cæteris in Sacrorum Librorum Catalogis hæc S. Judæ Epistola recensetur; quam præterea omnes, quorum modo meminimus, Patres allegant; insuper Lucifer Calaritanus Tract. de non conveniendo cum hæreticis, S. Ambrosius in Luc. 8. 28. S. Hieronymus in Jerem. 29. 8. & in Ezechiel. 32. & alii plurimi ultro accedunt. Quare merito ambigi nequit, quod a quarto hucusque sæculo canonicam semper per omnes Ecclesias non obtinuerit authoritatem.

---

1 Origen. in Matth. pag. 223. Vide & homil. 7. in Joan.
2 Clem. Alex. in Strom l. 3. & Pædagog. l. 3.
3 Tertull. de Cultu Fœminar. c. 4.

COMMENTARIUM LITTERALE IN EPISTOLAM SANCTI JUDÆ.

CAPUT UNICUM.

Perseverandum in Fide, ac traditione, quam recepimus. Mali Doctores Fidem impugnantes Terribile supplicium, quod in illos Deus exercebit. Dæmonum lapsus. Sodomæ incendium. Prophetia Henoch. Fidelium Officia.

1 JUDAS Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, his, qui sunt in Deo Pa-
tre dilectis, & Christo Jesu conservatis, & vocatis. 2 Misericordia vobis,
& pax, & charitas adimpleatur. 3 Charissimi, omnem solicitudinem faciens scri-
bendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecans
supercertari semel traditæ Sanctis fidei. 4 Subintroierunt enim quidam homines
(qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferen-
tes in luxuriam, & solum Dominatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum ne-

gantes. 5 Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus
populum de terra Aegypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt, perdidit.
6 Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum
domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. 7
Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, &
abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.
8 Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt,
majestatem autem blasphemant. 9 Cum Michael Archangelus cum diabolo
disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ;
sed dixit: Imperet tibi Dominus. 10 Hi autem, quæcumque quidem ignorant,
blasphemant: quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt,
in his corrumpuntur. 11 Væ illis, quia in via Caio abierunt, & errore
Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt, 12 Hi sunt in
epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine
aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ,
eradicatæ, 13 Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia:
quibus procella tenebrarum servata est in æternum. 14 Prophetavit autem
& de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis
millibus suis. 15 Facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus
operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris,
quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii. 16 Hi sunt murmuratores querulosi,
secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba, mirantes
personas quæstus causa. 17 Vos autem charissimi, memores estote verborum,
quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, 18 Qui dicebant vobis,
quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes
in impietatibus. 19 Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, Spiritum
non habentes. 20 Vos autem charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ
vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes, 21 Vosmetipsos in dilectione Dei
servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.
22 Et hos quidem arguite judicatos: 23 Illos vero salvate, de igne rapientes.
Aliis autem misereminì in timore: odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam
tunicam. 24 Ei autem, qui potens est vos conservare sine peccato, & constituere
ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in adventu Domini
nostri Jesu Christi. 25 Soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum
nostrum, gloria, & magnificentia, imperium, & potestas, ante omne sæculum,
& nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. 1. JUDAS JESU CHRISTI SERVUS.] S. Judas, data opera hæc adfert epitheta, ut se distinguat a Juda Iscariothe Salvatoris nostri proditore. S. Judas vocatur etiam Lebbæus, & Thaddæus. Consuli potest Præfatio, ubi de Apostoli hujus persona fusius disseruimus. Putat Grotius, hæc verba, *frater autem Jacobi* addita fuisse a Librariis, ut persuaderent rudibus hominibus, S. Judam esse ex numero Apostolorum; cum ex illius sententia, hæc Epistola sit Judæ decimi quinti Episcopi Jerosolymitani, quod paradoxon in Prolegomenis confutavimus. Exemplaria Græca, & Latina hoc in loco plane sibi constant. Nomen S. Jacobi Minoris Episcopi Jerosolymitani maximo erat in honore apud Judæos, ad Christianam Religionem traductos. Forsasse igitur ad attentionem sibi conciliandam, S. Judas hoc in loco Jacobi se fratrem appellat.

HIS, QUI SUNT IN DEO PATRE DILECTIS.] Græcus [1]: *quos Deus Pater sanctificavit*, quos vocavit ad fidem, sanctitatem, & Christianæ Religionis perfectionem, quos lustralibus aquis expiavit, & sanctificavit. Sed præstantissimi complures MSS. Græci [2], A Syrus, Cophtus, Æthiops, Oecumenius, Lucifer Calaritanus cum Vulgata legunt: *his, qui sunt in Deo Patre dilectis*, quos ille sua misericordia, & gratia replevit, quos ab incredulorum, & infidelium numero separavit, & quos prorsus gratuita largitate in suorum numero adscripsit. Credimus, S. Judam præsertim scribere ad Judæos conversos.

IN CHRISTO JESU CONSERVATIS, ET VOCATIS.] Quos Jesus Christus conservavit, illos vocans. Græcus simpliciter [3]: *conservatis, vocatis in Jesu Christo*, vel *servatis, vocatis*. Pater per misericordiam suam vos elegit; Filius per gratiam suam vos servavit, atque vocavit; vos secrevit, & *reservavit* ex numero eorum, qui pereunt, ad fidem vos evocans; vel denique vos præservavit ab erroribus eorum, qui sanam B doctrinam corrumpunt, & in veram Ecclesiam vos vocavit, cum tot alii a sycophantis decepti hæresi se se tradant, & in Synagogam Dæmonis ingrediantur; *Conservatis, & vocatis*. *Pater*, Salvator ait Joan. 17. 13. *quos dedisti mihi, custodivi*.

℣. 2. MISERICORDIA VOBIS, ET PAX ADIMPLEATUR [4].] In vobis perficiantur, augeantur, omnemque

1 Τοῖς ἐν Θεῷ πατρὶ ἡγιασμένοις.
3 Καὶ Ἰησοῦ Χριστῷ τετηρημένοις κλητοῖς.
2 Alexand. Stephan. 3. 1. Barb. 2. Alii: Ἠγαπημένοις.
4 Πληθυνθείη.

quæ ejus plenitudinem possideatis. Vos cumulet Deus misericordia, gratia, pace, charitate sua. Vel: ut iisdem repleamini misericordia erga fratres vestros, cum illis pacem servetis, eosque perfecta charitate diligatis.

℣. 3. OMNEM SOLLICITUDINEM FACIENS SCRIBENDI VOBIS DE COMMUNI VESTRA SALUTE [1].] Nunc necessitate cogor propter circumstantias temporum, cum Hæreticis sepre undequaque sitis, impugnantibus fidem, quam recepistis. Simonianos præsertim, Gnosticos, Nicolaitas, aliasque Christianæ Religionis pestes perstringit [2], Apostolorum doctrinam adulterantes, atque docentes, solam fidem sine operibus ad salutem sufficere. S. Petrus in secunda Epistola contra eosdem errores jam scripserat.

℣. 4. SUBINTROIERUNT ENIM.] Hæretici, de quibus loquuti sumus, nequaquam aperte dogmata sua proferebant, neque audebant, omnem simul turpitudinem suam aperire. Primum quidem secreto in domos irrepebant sub pietatis specie, & veluti mysteriorum scientissimi, quæ non omnibus communicabant; postmodum vero virus suum eo liberius effundebant, quo melius primum scrutari fuerant eorum corda, ad quos loquebantur, atque certi erant, fore eum, ut benignis auribus flagitiosissima doctrina sua reciperetur, & in libidines, atque sordes suas auditores pertraherent: *Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam*. Simoniani asserebant, bona opera ad salutem minime prodesse, & discrimen bonarum, malarumque actionum ab Angelis fuisse institutum, ut mortales sibi subjicerent [3]. Vivebant illi in flagitiis adeo turpibus, inquit Eusebius l. 2. cap. 13. ut longe quidquid animo fingi potest, superent, quæ illi, quibus vel tantillum pudoris est, numquam aut scriptis, aut voce auderent exprimere. Ipsi etiam in libris suis confitebantur iis, qui primum in abditissimis mysteriis eorum loquentes audirent, admirationem, horroremque incedere. Nicolaitæ æque saltem flagitiosi erant, & nequam, quorum turpissimos sensus, & flagitiosissimas impudicitias enarrare non ausim [4]. Tales erant illi, *qui Dei nostri gratiam*, & libertatem, quam ille nobis per Evangelium procuravit, *in luxuriam* transferebant. Confer 2. Pet. cap. 2. ℣. ℣. 10. 13. 14. 18. & Galat. 5. 13. *Vos in libertatem vocati estis; tantum ne libertatem in occasionem detis carnis*.

QUI OLIM PRÆSCRIPTI SUNT IN HOC JUDICIUM.] S. Petrus hoc ipsum his verbis dixit in 2. epist. 2. 3. *quibus judicium jam olim non cessat*. Prænovit Deus ab æterno eorum nequitiam, & pravitatem; eisque supplicia sceleribus eorum paria destinavit. Eos quodammodo in Scripturis suis designavit in gigantibus ante diluvium, & incolis Gomorrhæ, qui erant veluti perditissimorum horum hominum præcursores, atque figuræ. Supplicium, quod olim exercuit Deus, in nequissimos illos mortales, illud idem est, quod aliquando contra hos exercebit. Ita fratres mei, ne murmuretis, neque scandalum vobis inferri patiamini ex sceleribus, atque flagitiis, quæ late in terris grassari conspicitis. Deus hæc omnia per suam providentiam prævidit, eaque in Scripturis prædici jussit, noverit etiam gloriæ suæ consulere ex iis ipsis, quæ vobis tantum ingerunt horrorem. Hæc omnia in Divinis decretis præstituta sunt. Justitia Dei non dormit; *perditio eorum non dormitat*, ait S. Petrus 2. ep. 2. 3. illos jam æternis alterius vitæ suppliciis destinavit.

SOLUM DOMINATOREM, ET DOMINUM.] Græcus [5]: *unicum Dominum Deum nostrum, & Dominum nostrum Jesum Christum*, ubi innuere videtur indigitare Patrem per hæc verba: *unicum Dominum Deum nostrum*, Filium vero per illa: *Dominum nostrum Jesum Christum*. At secundum Vulgatam, hæc omnia ad Jesum Christum potius sunt referenda. S. Petrus in loco huic gemino simpliciter legit [6]: *eum, qui emit eos, Dominum negant*; quod præcipue ad Filium pertinere videtur. Certum est, Simonianos, Nicolaitas, & Gnosticos non Filium tantum, sed etiam Patrem negasse. Simon se magnam Dei virtutem [7], Supremum Deum dicebat; se descendisse, tamquam Patrem erga Samaritanos, tamquam Filium erga Judæos, erga alios autem, tamquam Spiritum Sanctum [8]. Nicolaitæ asserebant, Mundum non e Deo, sed e quibusdam superioribus Potestatibus fuisse creatum [9]. Cainistæ, quæ erat Nicolaitarum species, virtutem non deesse dicebant, superiorem virtuti Creatoris [10]. Omnes hæ hæreses Jesum Christum negabant, & neque Deum, neque Messiam esse credebant.

℣. 5. COMMONERE VOS VOLO, SCIENTES SEMEL OMNIA.] Scio, me nihil novi vobis afferre posse, quod jam pridem a Patribus, atque Apostolis vestris [11] non didiceritis; scio, vos omnia tenere, ex Sanctarum Scripturarum lectione. Græcus [12] verti potest: *volo hoc vobis in memoriam revocare, licet hoc jam olim didiceritis*: vel, *volo semel adhuc vos commonere, quamvis id jam sciatis*. Non utar prolixis sermonibus, scio enim, me loqui apud eos, qui jam tenent, quid ego dicturus sim. Sed MSS. complures cum Vulgata [13] legunt: *scientes omnia*. Syrus, & Æthiops: *omnes scitis*.

QUONIAM JESUS POPULUM DE TERRA ÆGYPTI SALVANS.] Græcus legit [14] *Dominum pro Jesu*. Syrus, S. Clemens Alexandrinus [15], & MSS. quidam legunt, *Dominum Deum*. Sed MS. Alexandrinus, Æthiops, S. Hieronymus, & Græca nonnulla exemplaria cum Vulgata legunt *Jesum* [16]. Magis consonum est Scripturarum consuetudini, dicere, a Deo, vel Domino, quam a Jesu tamquam Salvatore populum eductum fuisse de Ægypto. Sed re intus perspecta nihil isthic non verissimum adest; Angelus enim, qui deducebat populum & qui Moysi assistebat, Verbum, & Sapientiam Patris repræsentabat [17]. S. Hieronymus l. 1. contra Jovin. intelligit Josue, qui erat Moysis minister, & Jesu Christi figura, & qui a Septuaginta semper Jesus appellatur. Verum enim vero de eo dici non possunt, quæ sequuntur, *eos, qui crediderunt, perdidit*; eos videlicet, qui contra Deum murmurarunt. Hoc respicit tantummodo Verbum Dei, vel Jesum Christum tamquam Deum. Sanctus Judas loquebatur ad Hebræos conversos, qui explicare consueverant de Jesu Christo ea, quæ in veteri Testamento legebant. S. Paulus 1. Cor. 10. 1. ad Jesum Christum transfert, quidquid Israelitis accidit, cum de Ægypto egrederentur: transitum Maris rubri, nubis columnam, aquam ex lapide emanantem, murmurantium pœnam. Sapientiæ Auctor etiam [18] omnia accepta refert Sapientiæ Dei, quæ non aliud est, quam Jesus Christus quatenus Deus. Si non pepercit Dominus Israelitis incredulis, atque inobedientibus, numquid se mitiorem præbebit impiis, de quibus modo loquutus sum?

℣. 6. ANGELOS VERO, QUI NON SERVAVERUNT SUUM PRINCIPATUM [19].] Fusius verba fecimus de me-

1 [illegible]. Alii: [illegible]; Alii a [illegible].
2 Oecumen. Grot. Hammond. alii.
3 Iren. lib. 1. cap. 20. Epiphan. hæres. 21.
4 Iren. lib. 1. cap. 27. Tertull. Præscript. cap. 47. Epiphan. hæres. 25. cap. 3.
5 [illegible]. Omittunt Θεὸν. Alexand. Barb. 3. Sin. Genev. Lin. Covel. 3. 4. Vulg. Calasit. Beda omittit, [illegible]. Æthiop.
6 2. Petri 2. 1.
7 Act. 8. 10.
8 Iren. lib. 1. cap. 20.
9 August. de Hæres. 5. pag. 7.
10 Iren. lib. 1. cap. 35.
11 Confer 1. Joan. 2. 21.
12 [illegible], &c.
13 Alii: [illegible]. Ita Alexan. Steph. 1. 2. Genev. Cov. 4. Velez. Calasit. Hieronym. ad Marcell. Alii, [illegible]. Syr. Aethiop.
14 [illegible]. Alii: Θεὸς.
15 Clem. Alex. Pædagog. lib. 3. cap. 8.
16 Ita Steph. 2. 1. Alex.
17 Vide Barth. Petri, Cornel. hic.
18 Sap. 10. 15. 16. & seq. 11. 1. 2. & seq.
19 [illegible]. Verti potest: *qui non servaverunt originem suam, primam suam naturam*, vel potius, *primævam suam dignitatem*. Vatab. *Suum ordinem*. Calasit. pag. 222.

malorum Angelorum lapsu in Differtatione, quam elucubrati sumus de bonis, & malis Angelis, ante Sanctum Lucam edita. Superbia origo fuit illorum infelicitatis. Insurrexerunt in Deum; primam dignitatem suam tueri non potuerunt, de summo Cœlorum vertice in præceps dati sunt. Eorum autem impotentiam, & defectionem a Deo, Hæretici illi imitati sunt, de quibus sum vobis verba facturus; qui meriti sunt, ut de Ecclesiæ corpore divellerentur; illius unionem perfregerunt, fidelibus scandalum attulerunt sceleribus suis, & causa sunt, ut Jesu Christi nomen apud gentes blasphemetur: quodnam igitur eorum supplicium erit, quæ calamitas?

IN JUDICIUM MAGNI DIEI VINCULIS ÆTERNIS SUB CALIGINE &c.] Hujusmodi loquendi rationes nobis designant infernum, quo dæmones post lapsum suum relegati fuerunt, *Judicium magni diei* præstolantes. Hoc nequaquam intelligendum est, quasi ad eam usque diem ita in inferno clauderentur, ut inde egredi minime possent: vel ante eam diem illos sensibilibus pœnis non esse afficiendos. Ita in abysso conclusi sunt, ut, permittente Deo inde egredi possint; ita vincti sunt, ut solvi queant ad eos lacessendos, quos Dominus ab illis oppugnari permittit. Sunt tamquam canes, vel leones vincti, qui tamen mordent, ac devorant eos, qui nimis prope accesserint, ac se se illis tradiderint [1]. Supplicium eorum ab ipso defectionis momento incœpit, & viget, sed post novissimum judicium multo magis augebitur. Jam judicati sunt, sed eorum sententia tunc proferetur, & in omnem æternitatem confirmabitur. Confer 2. Petri 2. 4. Videtur hoc in loco S. Judas alludere ad ea, quæ in libro Henoch dicuntur, Angelum Raphaelem a Deo jussum fuisse vinculis constringere Angelum Azaelem, quem deinde in tenebras æternas projecit.

℣. 7. SICUT SODOMA, ET GOMORRHA, ET FINITIMÆ CIVITATES] Adama, & Seboim, quæ tanquam Sodoma, & Gomorrha *exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram* [2] præpostera libidine contra naturam [3], *factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes*, in cineres Cœlesti igne redactæ, & mox Asphaltitis lacus aquis insepultæ. Earum supplicium figura est ignis æterni, quo omnes impii comburendi sunt, præsertim vero Simoniani, Gnostici, & Nicolaitæ, qui earum exemplum sequuti omni libidinum generi sese ingurgitant.

Græcus alium sensum potest admittere [4]: *non secus ac Sodoma, & Gomorrha, atque finitimæ Civitates, quæ ut illi, in omnem impudicitiam sese tradiderant*. Hæc verba, *ut illi*, referuntur vel ad Hæreticos, de quibus supra sermo fuit; vel ad Israelitas, quorum mentio est ℣. 5. vel ad Incolas Sodomæ, & Gomorrhæ; vel denique ad Apostatas Angelos, de quibus nuperrime verba facta sunt [5]. S. Judas plane alludit ad eumdem librum Henoch, quem explicite memorat post versiculos 14. 15. & ad quem ℣. 9. alludit. In eo libro scriptum est [6], Vigilantes amore mulierum captos ultro citroque sibi dixisse: nostrum quilibet nobis eligamus Uxores inter filias hominum &c. Quæ sequuntur in hunc sensum ultro deducunt: *abeuntes post carnem alteram*; re enim vera *vigilantes*, vel Angeli, juxta libri hujus Auctorem sese manciparunt impudicitiis, quæ ab earum natura plane abhorrebant. Hæretici, de quibus S. Judas loquebatur, imitabantur quodammodo & malos Angelos, & Incolas Sodomorum, omnibus sese impudicitiis mancipantes.

Hic sensus magis litteralis, & aptus videtur: at qui
A illum sequi velit, videtur admittere sententiam, quæ ab omnibus Theologis proscripta est, & supponere, quod S. Judas crediderit, Angelos carnali amore tangi, & Dæmones olim ad filias hominum accessisse: quæ sententia neque S. Judæ imputari potest, neque tanquam vera probari. Ita dicendum est, S. Judam hanc sententiam supponere, atque inde elicere argumentum *ad hominem* contra eos, ad quos loquebatur, quin tamen hac de re illi persuasum esset, vel illum historiam hunc desumpsisse tanquam simplicem allegoriam; vel denique relinquenda est hæc explicatio, licet alioquin apta videatur, ut alterutram ex antea propositis amplectamur. Nullum ingruere absurdum reor, ubi confiteamur, S. Judam hac ratiocinatione usum fuisse, licet ei rei innitatur, quæ ad litteram vera non est;
B non secus ac absurdum non est fateri, sacros Auctores loquutos esse de inferno, abysso, chaos, regno *Adis*, vel Plutonis, catenis Dæmonum, Dæmone Asmodeo, in deserto superioris Ægypti ligato, de Gigantum sub aquis gementium carceribus; & sæpius verba fecisse secundum vulgarem populorum conceptum, quem nunquam ideo probare voluerunt. Hoc semper eumdem obtinet effectum in populo, & veritas, quæ probanda est, semper subsistit, quin illi officiat falsitas popularium sententiarum, quæ rem ipsam non tangunt, sed extra eandem assumptæ sunt.

℣. 8. SIMILITER HI CARNEM QUIDEM MACULANT.] Hujusmodi Hæretici, Simoniani, Nicolaitæ, Gnostici *carnem suam maculant* impudicitiis æque obscœnis, ac illæ Angelorum Apostatarum, & Civium Sodomæ,
C & Gomorrhæ, de quibus sermo fuit. Hoc satis, superque probatur ex historia, & ex iis, quæ Patres antiqui de eorum impudicitiis testatum reliquerunt. *Dominationem*, legitimas Potestates *spernunt, majestatem autem blasphemant*, eos videlicet, qui in dignitate sunt constituti. Hæc omnia jam vidimus in secunda S. Petri Epistola 2. ℣℣. 10. 11. *Post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, Dominationemque contemnunt .... sectas non metuunt introducere*. Græcus [7] *glorias non metuunt*, eos videlicet, qui sunt honoribus decorati.

Græcus hujus loci Textus [8] legit: *similiter hi per somnium carnem suam maculant*. Credunt quidam [9], S. Judam isthic innuere velle nocturnas, & voluntarias immundorum hominum pollutiones, qui indiscriminatim
D in omnia cogitationes suas circumferentes, ac mentem fœdantes cujuslibet objecti intuitu, mox in criminosas, obscœnasque corruptiones labuntur. Alii [10] vertunt: *similiter hi nugas, et somnia sua vendicantes, carnem suam polluunt*. Postrema hæc verba indigitant obscœnos, & contra naturam concubitus: naturam suam, & carnem quodammodo suis flagitiis coinquinant. Denique vertunt quidam [11]: turpitudini tantum intenti sunt; qua & dormientes mentem habent repletam.

DOMINATIONEM AUTEM SPERNUNT.] Quidam [12] hoc explicant de suprema Dei potestate, & Dominatione, quam Gnostici aspernabantur, duplicem Dei speciem invehentes, & Creatorem distinguentes a Deo, qui hominibus per Filium suum se tradidit cognoscendum [13]. S. Epiphanius hær. 26. c. 11. ait, illis non
E satis fuisse blasphemare Moysem, Eliam, aliosque Prophetas, sed blasphemasse etiam Deum, qui illos elegerat. Negabant, Jesum Christum humanam carnem induisse, ex Virgine natum esse, Cruci fuisse confixum. Hæc omnia ex eorum sententia in speciem dumtaxat acciderant [14]. Credunt plerique, ab his Hæreticis neglectas fuisse temporales, & legitimas Potestates

1 August. de Genes. ad Litt. lib. 11. c. 27. Tract. 7. in Joan. n. 7. & Tract. 52. n. 9. & alibi sæpius.
2 Ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας. Calmet. legit: σαρκὸς, ... &c. *Cinis proposita sunt exemplum.*
3 Oecumen. Est. Men. Tir.
4 Ὡς Σόδομα καὶ Γόμοῤῥα, καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις, τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον, ἐκπορνεύσασαι.
5 Ita Capell. Glassius, &c.
6 Lib. apocryph. Enoch.
7 Δόξας δὲ βλασφημοῦσι.
8 Ὁμοίως μέντοι καὶ οὗτοι ἐνυπνιαζόμενοι σάρκα μὲν μιαίνουσι.
9 Gaudutt. in Synopsi hic. Arab. Aethiop. Vat. Vide Lucret. lib. 4. ℣. 124. Horat. serm. lib. 1. sat. 5.
Tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant.
10 Clem. Alexand. lib. 3. Strom. Oecumen. hic. Epiphan. hæres. 26. alii.
11 Clem. loc. citat. Hier. contra Jovin. alii.
12 Clem Alex. hic. Epiph. hæres. 26. Oecum. hic.
13 Vide Bullum, lib. 3. c. 1.
14 Item l. 3 c. 2. Epiph. hæres. 26. c. 10.

tes in Terris a Deo constitutas ad pacem rectumque ordinem servandum. Apostoli S. Petrus, & Paulus in Epistolis suis nihil magis fidelibus commendarunt, quam obedientiam Principibus, & Magistratibus; fortasse quod illi Hæretici flagitioso suo vivendi genere locum præbebant, ut suboriretur suspicio, omnes Christianos in eadem esse sententia, & Principibus officia sua detrectare.

Non desunt denique, qui putent, illos Dei Majestatem contempsisse, atque Potestati illius injuriam intulisse alia invehentes principia, ac tertias tantum Creatori tribuentes. In illum blasphemias evomebant, illius opera damnabant, præsertim vero animæ unionem cum corpore [1]. Simon etiam Creatori inferebat injuriam, asserens, Mundum, & homines opus esse Angelorum, & Angelos a prima Intelligentia, Helena videlicet sua [2] productos fuisse. Affirmabat Cerinthus, Judæorum Deum non alium esse, quam Angelum, non autem supremum Deum [3]; & illum, qui legem irrogaverat, unum esse ex Angelis Creatoribus Mundi, immo etiam Angelum malum [4]. At hæc dicta sufficiant, ut probetur, quod ait S. Judas, illos contempsisse Potestatem, & blasphemasse majestatem, sive de Deo, sive de Angelis intelligatur [5]: quo enim majorem Angelis honorem deferebant cum Creatoris detrimento, hujus Majestatem magis coinquinabant.

℣. 9. CUM MICHAEL ARCHANGELUS CUM DIABOLO DISPUTANS &c.] S. Petrus in loco huic gemino [6] ait, Hæreticos, quos ille impugnat, *blasphemare; ubi Angeli fortitudine, et virtute cum sint majores, non portant adversum se exsecrabile judicium*: hoc est bonos Angelos nunquam maledicta, & blasphemias proferre in Angelos malos, licet eorum defectionem damnent, ac detestentur. S. Judas probat, quod asserit; & producit exemplum modestiæ Ss. Angelorum in persona S. Michaelis Archangeli, qui a Deo jussus Moysis corpus abscondere, & prohibere, ne Dæmon hominibus detegeret locum, ubi sanctus hic Legislator sepultus fuerat, illi summa quidem vi restitit; sed quin in illum injurias & maledicta proferret, dixit tantum: *Imperet tibi Dominus*: Majestatem ejus fatere, & ejus cede imperiis.

S. Judas ait, S. Michaelem non ausum fuisse Dæmoni maledicere [7]; *non ausus est*, hoc est noluit eo, quod bonum Angelum minime decebat maledicta proferre. *Merebatur Diabolus maledictum*, S. Hieronymus ait in ep. ad Tit. 3. *sed per Angeli os blasphemia exire non debuit*. Bonus Angelus tantopere horret blasphemiam, & quidquid ad illam accedit, ut ne tum quidem eadem uti possit, cum vel res, vel persona eam efflagitare videatur. Simpliciter Dæmoni ait: exerceat in te Dominus imperium suum; ad litteram: *increpet te Dominus*; tibi minitetur, tibi silentium indicat, tibi præcipiat, & ad eam, quam illi debes, obedientiam te redigat. Hoc idem est ac illud quod legimus in Zaccharia 3. 2. ubi Propheta testatur, se vidisse hinc quidem summum Sacerdotem Jesum, inde vero Satanam utrumque coram Domino stantem, Satanam vero qui accusabat Jesum a Domino ejectum fuisse dicente: increpet Dominus in te, Satan.

Historia vero, quam S. Judas isthic attingit, nullibi in Canonicis Veteris Testamenti libris legitur. Tantummodo in fine Deuteronomii 34. 4. dicitur, Moyses, cum in Montem Nebo ascendisset, ubi promissam Hebræis terram videre poterat, *mortuus esse jubente Domino, et sepultus fuisse in Valle terræ Moab contra Phogor: et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem*. Sed Patres antiqui [8] meminerunt libri cujusdam Apocryphi, cui titulus *assumptio Moysis* ubi hæc

A legebatur historia. Vide nostram de Moysis morte, & sepultura dissertationem.

Oecumenius hic ait, judicium, de quo hic loquitur S. Judas, in hoc consistere, quod Dæmoni obsistenti, ne Moyses tumularetur (asserebat quippe illum sepultura indignum quod Ægiptium occiderat) S. Michael restitit, atque sancto ei Viro justa persolvit.

Eduardus Bernardus [9] hoc in loco pro illis verbis: *cum Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore*, legi vellet, *de corpore Jesu*, filio Josedech, existimans, Judam alludere ad ea, quæ in Zaccharia 3. 2. referuntur, ubi Jesus filius Josedech summi Judæorum sacerdotis stans apparuit, sordidis, atque immundis vestibus tectus coram Domino, habens ad latus Satanam, a quo accusabatur. Hæ sordidæ vestes fortasse designantur nomine corporis, vel cadaveris, quod, uti liquet apud Judæos, erat immundum. At undenam Moysis nomen pro Jesu isthuc migravit? Inde, hic Auctor ait, quod cum veteres Librarii in margine librorum suorum e conspectu hujus loci adscripsissent verba illa: *Moysis assumptio*, ut innuerent, hanc narrationem ex libro, cui hic titulus, fuisse depromptam; Moysis nomen sensim de margine in textum obrepsit: sed hæc suppositio nullius Ms. fide probatur, & explicatio, quam Auctor *corporis* nomini appingit, nimis est violenta. Apud Serrarium, & Cornelium a Lapide videri possunt aliæ plurimæ hujus loci explicationes.

Sin autem quæratur, cur S. Judas hoc factum ex Apocrypho libro isthuc attulerit, responderi potest, primo, quod Apostolus ex libro Apocrypho desumpsit,
C aliunde etiam illi compertum fuisse, puta ex certa traditione, vel peculiari revelatione; hunc vero locum auctoritatem non addere libro universo, qui in aliis circumstantiis fabulosus esse posset. 2. Dici potest, S. Judam, quin huic historiæ auctoritatem addere cogitaret, eam referre potuisse, ut inde eliceret argumentum *ad hominem* contra illos, qui hanc crederent, & ut fidelibus, ad quos suam mittit Epistolam, suaderet facilius, Hæreticos horrore dignos esse, quippe qui potestates blasphemabant; blasphemiam vero, quæ Deo, & Angelis adeo erat invisa, summo odio esse prosequendam.

℣. 10. HI AUTEM QUÆCUMQUE QUIDEM IGNORANT, BLASPHEMANT.] S. Petrus in loco huic gemino inquit [10]: *hi vero velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem, & perniciem in his, quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt*. Simoniani, Gnostici, aliique Ecclesiæ inimici vere blasphemabant, quod ignorabant, & Patrem, & Filium, & Christianæ Religionis mysteria oppugnantes. *Gnosticorum*, vel *Doctorum* nomen, quod plerique primorum Hæreticorum sibi vendicabant, eorum satis ostendit superbiam, & cupiditatem, qua simplicibus persuadere adnitebantur, se præ aliis majori lumine esse donatos. Singulis aliquid superaddere conabantur. Christiana Religio nimis simplex, & illius dogmata, atque sententiæ nimium communes videbantur; magnifica perquirebant vocabula, & scientiæ auram aucupantes supra cæteros efferri gestiebant. Nugis vero suis, atque magnificis ineptiis existimationem comparare non poterant, nisi Catholicorum doctrinam deprimentes, & blasphemantes, quod ignorabant, & non intelligebant. Eorum vero impia dogmata, ineptamque doctrinam isthuc nequaquam afferemus, quæ peti potest ex S. Irenæo, S. Epiphanio, Eusebio, Bullo, Tillemontii tom. 2. de Hæresi Gnosticorum p. 52. & seq.

QUÆCUMQUE AUTEM NATURALITER.] Hujusmodi Hæretici naturali ratione, & sensu abutuntur, quem illi indidit natura boni, & mali, voluptatis, atque doloris, ut obscœnis impudicitiis sese corrumperent, ut vi-

1 Photin. contra Gnostic. lib. 18 pag. 202. 203. 204. 2 Iren. lib. 1, cap. 20. Tertull. de Anima, cap. 34.
3 Tertull. Præscript. cap. 48. 4 Epiphan. hæres. 28. pag. 131.
5 Clem. Alex. hic, & alii non pauci. 6 2. Pet. 2. 10. 11. 7 Οὐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας. At τολμᾶν sæpe significat, volo, sustineo, ex. g. *Dic sodes, sive sodes; si vis, si sustines*. Vide Rom. 5. 7. *Mori sustinere*. Rom. 15. 8. 8 Origen. lib. 3. Περὶ ἀρχῶν. Didym. Alex. in hunc loc. Clem. Alex. hic. & lib. 6. Strom. Athanas. in Synopsi. Evod. ad August. Ep. 259. inter Augustin.
9 Eduard. Bernard. Not. in Joseph. Antiq. lib. 4. cap. ult. 10 2. Petri 2. 12.

et vino, & epulis se suis ingurgitarent, atque effrænes in omnes sensuum voluptates ruerent, brutorum instar, quæ suum ingenium sequuntur, quin pudor, honor, ratio, aut religio illa coerceat. Quæ veteres de impudicitiis, atque iniquitatibus Gnosticorum, aliorumque Hæreticorum primorum temporum narrant, vel cogitantes horrescimus. Videntur illi suæ humanitatis obliti; eorum flagitia naturæ ipsi dedecus inferebant.

℣. 11. VÆ ILLIS, QUIA IN VIA CAIN ABIERUNT.] Odio, invidiæ, inimicitiæ, violentiæ ac cædibus se se tradunt, veri imitatores Cain, qui fratrem suum interfecit [1]. Invidia, & odio contra fideles repleti sunt; mortem inferunt animabus simplicium, quos fallunt [2], illis suos errores, suaque flagitia inspirantes. Fortasse etiam S. Judas scelus illud perstringit, quod grassatum est in familia Cain, qui factus est Pater maledictæ sobolis, & earum filiarum hominum, quæ cum virorum suorum mores depravassent, diluvium in terras pertraxerunt, Genes. 6. 2.

ET IN ERRORE BALAAM MERCEDE EFFUSI SUNT.] S. Petrus similiter fere loquitur 2. epist. 2. 15. *erraverunt secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit*. Hic Propheta nequam, promissionibus Balac Regis Moabitarum illectus, in illius regionem ascendit, ut Israelitis malediceret, sed consilium, quæ improbissimum huic Regi tradiderat, præclaram mercedem nactus est, ab Hebræis occisus [3]. Gnostici, hoc enim nomine appellabantur omnes Hæretici, de quibus S. Petrus in secunda Epistola, & S. Judas in præsenti loquuntur; Gnostici, inquam, imitantur Balaam, eo quod turpi lucro adducti maledicta, & blasphemias contra Domini populum evomunt. Balaam Dei potestate prohibitus fuit, ne malediceret Israeli; sed nihil potuit pravam horum voluntatem cohibere. Balaam filias Moabitarum, & Madianitarum hortatus est, ut filios Israel in impudicitiam pertraherent; hi vero in omne libidinis genus se se ingurgitant, aliosque in sui rapiunt imitationem. Sed quemadmodum Deus percussit Balaam gladio Hebræorum, ita & hos inimicos Ecclesiæ Filii sui æternis suppliciis percutiet.

Græcus [4] verti potest: *effusi sunt in errore Balaam argenti*. Seu se vendiderunt, pecuniam acceperunt, ut errorem Balaam imitarentur. Vel: errorem, & scelus amplexati sunt, secuti sunt exemplum Balaam, quia Balac Moabitarum Rege mercedem accepit. Vel denique: mercedem nacti sunt, velut Balaam, ex iis erroribus, quibus se se mancipârunt. Tradidit illos Deus erroribus cordis eorum; se se ingurgitarunt omnibus libidinibus, pudori oppositis, & ipsi etiam naturæ contumeliosis. Hæ voces *error*, & *effusi sunt* belle innuunt, & libidinosum vivendi genus, & effrænem licentiam, qua in omnibus impudicitiis brutorum instar volutabantur. Deus illos puniturus, in Inferorum præcipites dabit.

IN CONTRADICTIONE CORE PERIERUNT.] Scelus Core fuit defectio contra Moysem, & Aaronem, quos insimulabat, quod Sacerdotium, & regimen populi sibi vendicassent. Insigni miraculo confirmavit Deus electionem, qua ipse Aaron, ejusque familiam optaverat, ut Sacerdotio perfungerentur, atque terra hiscens Core, & conjuratos ejus deglutivit [5]. Gnostici, aliique Ecclesiæ inimici imitati sunt Core, & socios ejus in seditione ipsorum. Superbiæ, & avaritiæ spiritus eos rapuit, ita ut partium capita esse vellent; non satis illis fuit mediocrem post Apostolum locum obtinere; ab illis neque discere, neque prodere voluerunt, obedientiæ jugum excusserunt, dereliquerunt fidem Ecclesiarum, atque in errorum, & flagitiorum abyssum se se præcipites dederunt. Deus illorum superbiam, & defectionem iis pœnis persequetur, quarum non satis aptæ figuræ supplicia Core fuerunt.

℣. 12. HI SUNT IN EPULIS SUIS MACULÆ.] Sine observantia, sine verecundia, sine modestia, sine temperantia vitam ducunt in omni vitiorum genere effrænes. S. Petrus in loco huic gemino ita habet [6]: *Coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes in conviviis suis luxuriantes vobiscum*. Simoniani, Nicolaitæ, & generatim Gnostici sua impudicitias in conviviis suis, quæ Agape, vel charitatis convivia appellabant, ad imitationem Catholicorum, ut de illis verba facere non ausim. Quidquid flagitiosissimum, atque turpissimum est in omni impuritatum genere, illic impune fiebat. Præter conjugum [7] communitatem, hæc illis erat sententia, nullum actionis genus ad salutem consequendam esse omittendum; & perfectionem luminis in eo constituebant, ut impudentissime turpissimas actiones committerent, quas verecundia nominari vetat [8]. Illorum tanta erant impudicitiæ, ut nemo honestus cum illis ausus fuisset conversari. Jejunium, pœnitentiæ austeritatem, virginitatem, odio, ut ita dicam, plusquam Vatiniano insectabantur: qui vero inter illos erant flagitiosissimi, Levitæ appellabantur, & majori in pretio, atque existimatione habebantur [9]. Tenet Plotinus [10], Gnosticorum non secus, ac Epicuri doctrinam in id unum valere, ut virtus omnino contemnatur, & homines in omnem flagitiorum licentiam se se tradant.

Videtur S. Judas innuere, illos cum Catholicis convivari consuevisse: *convivantes sine timore*; vel ut ait S. Augustinus, *turpulantes* [11], & S. Petrus 2. ep. 2. 13. *in conviviis suis luxuriantes vobiscum*. Si illos admiscetis vestris charitatis conviviis, statim et illorum impudentissimum, eorumque libidinosissimam impuritatum cognosceris. *Semetipsos pascentes*, pauperum curam non habent, in quorum præcipua gratiam hujusmodi convivia instituta fuerunt [12], & quin modestia, vel pudor, qui maxime decet Sanctorum congregationem, illos coerceat, similes sunt Pastoribus, de quibus Ezechiel 34. 8. verba facit, seipsos pascentibus, quin grex Domini ipsum negotium facessat; *pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant*.

NUBES SINE AQUA, QUÆ A VENTIS CIRCUMFERUNTUR.] Vel juxta complura Græca exemplaria [13], *quas ventus corripit, quo minime opus esset*; quas alio transfert. Nubes imbrem promittentes, & quæ ventorum vi alio translatæ spes humanas fallunt. Confer S. Petrum 2. Epist. 2. 17.

ARBORES AUTUMNALES.] Quæ Autumno tantum florent, vel quæ frondibus onustæ, & nullam spem tribuunt futurum, ut fructus ferant; vel denique [14] *Arbores frugiperdæ*, quarum fructus decidit, & perit, antequam maturescat, vel ex nimio calore, vel ex frigore, vel ex tinea, vel etiam ex arboris sterilitate, quæ fructus suos alere satis non potest; ideoque arbores *infructuosæ*, *bis mortuæ*, mortuæ videlicet in nullam reditus spem, divulsæ, exsiccatæ, *eradicatæ*. Hujusmodi epithera simul congesta, & quorum alia præcedentibus majorem vim obtinent, mirum in modum imprimunt, quod Apostolus conatur ostendere.

℣. 13. FLUCTUS FERI MARIS [15].] Non secus ac agitati fluctus maris sulque deque vertunt, & in naufragii

1 Genes. 4. 5. 6. 7. 8. 2 Oecumen. Est. Gent. Zeger. alii.
3 Vide Num. 22. 2. 3. 4. & seq. 23. 24. 4 Καὶ τῇ πλάνῃ τοῦ Βαλαὰμ μισθοῦ ἐξεχύθησαν. Puro ἐξεχύθησαν, notare eorum supplicium, ac intelligendum, quasi diceretur: Καὶ τῇ πλάνῃ τοῦ μισθοῦ Βαλαὰμ. ἐξεχύθησαν; propter errorem avari Balaam effusi sunt velut aqua, dissipati, ad nihilum redacti. Hunc improbum prophetam imitati sunt; sicut ille, peribunt. Num. 31. 8. 5 Num. 16. 1. 2. & seq. 17.
6 2. Petri 2. 13. 7 August. de hæres. 5. pag. 7. Epiphan. hæres. 26. cap. 4.
8 Iren. lib. 1. cap. 35. 9 Epiphan. hæres. 26. cap. 13. 10 Plotin. lib. 18. contra Gnostic. pag. 213. 214. 11 Συνευωχούμενοι. Alii; Συνευωχούμενοι ὑμῖν. Steph. 2. 6. 1. Laud. 2. Hunt. 1. Cov. 4. &c.
12 1. Cor. 11. 20. 21. 22. 13 Νεφέλαι ἄνυδροι ὑπὸ ἀνέμων περιφερόμεναι. Alii quamplurimi Codd. παραφερόμεναι. Vide Mill. hic. 14 Δένδρα φθινοπωρινά.
15 Κύματα ἄγρια θαλάσσης. Feroces fluctus maris. Clem. Alex. in Cassiodor. Fluctus ferocis maris.

fragii periculum viatores educunt; ita homines hujusmodi terras omnes circumeunt, procellas ubique, & doctrinæ suæ novitate, & vitæ suæ iniquitate excitaturi; procellas inquam, quæ non solum cum corporis, verumetiam cum animarum naufragio desinunt; hæ quippe fidem,[1], gratiam, pietatis, & pudoris spiritum emittunt. Fluctus isti despumans confusiones suas; Doctores hi nequam immundam doctrinam serunt; ostendunt corruptionem, qua anima sua diffluit; & vitæ suæ improbitate pessimum ubique odorem effundunt [2].

SYDERA ERRANTIA.] Inflammata meteororum species, quæ nonnumquam in aere videntur [3], & quæ tandem in tenebrarum horrorem, & caliginem decidunt; ubi exhalationes, aliæque materies, ex qua componebantur, & alebatur ignis, propter quem effulgebant, absumptæ fuerint, vel dissipatæ. Aliter *Sydera errantia* [4] significare possunt planetas, quorum cursus non eam legem sequi videtur, quam stellæ fixæ sequuntur; licet vere eamdem omnes sequantur, cum quælibet stella suum habeat motum, ortum, & occasum, atque species suas semper maxime uniformes, atque institutas juxta magnitudinem, aut parvitatem massæ, & loci, quem in solis turbine occupat, a quo rapiditate motus sui trahitur, & gubernatur.

S. Judas juxta populi conceptum loquitur. Heretici, quos ille describit, jure ignitis meteoris comparantur, quæ brevissime durant, & quæ sæpe procellas portendunt, vel saltem, quæ turbo aliquis, vel atra caligo subsequitur. Perniciosi hujus vis Doctores vos minime decipiant magnifice, inutilis scientiæ pompa, quæ id unum efficere potest, ut decepti fidei lucem amittatis, & præcipites in omne flagitiorum genus proruatis. Sin autem Planetis comparantur, hoc accidit propter incompositum eorum motum, cursus inæqualitatem, cum inconstanti, ac levi eorum sententia. De Provinciis in Provincias currunt solliciti, antiquam Apostolorum Doctrinam conantes evertere, ut illi sua commenta, suasque ineptias substituant.

℣. 14. PROPHETAVIT AUTEM DE HIS.] De Henoch, ejusque libro in Commentariis in Genesim verba fecimus. Hic Patriarcha septimus est ab Adam, non omisso Adam ipso, hoc pacto: Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Henoch. Hic de Gnosticis prophetavit, eorum interitum, æternumque supplicium prædixit, cum loquutus est de judicio Dei; licet fortasse ad illos magis non spectaret, quam ad longe plurimos æque nocentes [5], contra quos Domini justitia aliquando detonabit. S. Judas hunc locum fortasse deceperat ex libro *Revelationis Henoch*, cujus ad hanc diem prolixum extat fragmentum. Hic liber apocryphus quidem habetur, sed Apostolus, qui hoc aliunde, vel ex traditione, vel ex peculiari revelatione didicerat, hunc locum inde haurire potuit, qui alioquin certissimæ, atque divinæ est veritatis.

℣. 15. VENIT DOMINUS IN SANCTIS MILLIBUS SUIS.] Græcus [a] *cum Sanctis copiis suis decem millium*. Complura exemplaria legunt: *cum copiis suis decem millium Sanctorum Angelorum*, quod simile videtur loco illi Epistolæ ad Hebræos 12. 22. ubi dicitur Dominus sedem suam in Cœlo constituisse, & in Cœlesti Jerusalem cum multa Angelorum myriade: *multorum millium Angelorum frequentia*. Hæc est Ecclesiæ fides in Scripturis optime expressa, Dominum venturum, Angelis stipatum, & omni gloria circumdatum, ad vivos simul, & mortuos judicandos [7].

ARGUERE OMNES IMPIOS DE OMNIBUS OPERIBUS IMPIETATIS EORUM.] Græcus [8]: *Omnes impios eorum de omnibus operibus impietatis*, sed vox illa *eorum* non extat in Syro, MS. Alexandrino, aliisque pluribus Græcis exemplaribus. Re quidem vera ex illis Hæreticis nemo fuit non impius, & qui in Dominum contumeliosa verba non protulerit. Videri potest ℣. 8. Hæ blasphemiæ verba dura isthic vocantur, *de omnibus duris, quæ loquuti sunt* [9], dura, quæ intelliguntur, Deo contumeliosa, pias aures terrentia, & quæ sine fremitu audiri non possunt. Gnostici, Simoniani, & Nicolaitæ sexcenta proferebant, quæ fideles sine horrore audire non poterant; illa e. g. quæ contra Jesu Christi Incarnationem, atque divinitatem evomebant, & quæ asserebant de Creatione Mundi ex eorum sententia a Potestatibus Deo inimicis producti. Denique quis umquam audire solum, vel legere poterat impudicissimas cœtuum eorumdem iniquitates, atque tot libidinum monstra, quæ illi non solum tolerabant, verum etiam probabant, & laudibus efferebant?

In Scripturis *dura verba* ea vocantur, quæ indignationem significant; veluti ea, quæ Joseph fratribus suis ait, cum primum ad ipsum in Ægypto accesserunt [10]: *durius loquebatur*. Vel ea, quæ aliquid absurdum continent, aut quæ in speciem fieri non posse videntur, velut ea, quæ Jesus Christus Capharnai docebat de necessitate carnis suæ manducandæ, suique sanguinis bibendi [11], quam ob rem, qui audierant, dixere: *durus est hic sermo, & quis potest illum audire?*

℣. 16. MURMURATORES QUERULOSI.] At quanam de re querebantur? de severitate Legum, & Magistratuum, qui impudicissimos eorum cœtus non ferebant, de Pastorum Ecclesiæ Jesu Christi diligentia, & cura, qua eorum turpitudinem aperiebant, & prohibebant, ne audirentur, ne reciperentur hospitio, ne salus illis diceretur [12], ne ulla cum ipsis necessitudo iniretur. Denique jugiter conquerebantur de hospitio, cui admittebantur, vel epulis, quæ ipsis instruebantur, numquam satis contenti vel de iis, a quibus reciperentur, vel de iis, a quibus minime reciperentur.

OS EORUM LOQUITUR SUPERBA.] Jugiter jactitabant doctorum suorum scientiam in iis, quæ ad Religionem pertinent [13]. *Omnes tument, omnes scientiam pollicentur*, Tertullianus ait de Præscript. cap. 41. emphatice loquebantur de systematibus suis, de variis principiis virtutum superiorum Creatori Mundi totius, de ea ratione, qua Jesus in speciem dumtaxat in Terris apparuerat, de iniquissimis sectæ suæ mysteriis, quæ ignotarum vocum integumento celabant. Ut verbo me expediam; eorum sermones superbi, atque importantes significare possunt insolentiam, qua Simon de se ipso loquebatur, se dicens magnam virtutem Dei, Verbum Dei, pulchritudinem Dei, Paraclitum, Omnipotentem, unicum verum Deum [14].

MIRANTES PERSONAS, QUÆSTUS CAUSA.] Personas admirari in Hebræorum stylo est, illas per adulationem laudare, vel eas vere admirari, vel illis contra justitiam favere [15]. Dicitur in Daniele 11. 36. Antiochus Epiphanes *admirabilia* contra Altissimum dicturus; hoc est, blasphemias, ex Septuaginta interpretatione. Hic autem *mirari personas, quæstus causa*, significat illis adulari etiam cum veritatis ipsius detrimento, dummodo ex assentatiuncula aliquid lucri proficiscatur.

℣. 17. MEMORES ESTOTE VERBORUM, QUÆ PRÆDICTA SUNT AB APOSTOLIS.] A S. Petro in altera Episto-

1 1. Timoth. 1. 19. *Circa fidem naufragaverunt.* 2 Est. Grot. alii. 3 Men. Tir. Cornel.
4 Ἀστέρες πλανῆται. *Procellæ seducentes.* Cclarit. *Sidera seductionis.* Beda.
5 Vide Hamm. & Grot. hic. 6 Ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ. Alii plures: Ἁγίων μυριάσιν αὐτοῦ. Alii: Μυριάσιν ἁγίων Ἀγγέλων αὐτοῦ. Ita Steph. 10. Covel. 2. Syr. Arab. Copht. Auth. ad Novatian. Inter opera Cypriani. 7 Matth. 16. 27. 25. 31. Marc. 8. 38. Luc. 9. 26. Joan. 17. 5. Zach. 14. 5. Hebr. 12. 22. Apoc. 5. 11. 17. 14 & seq. 1. Thessal. 5. 13. 8 Πάντας τοὺς ἀσεβεῖς αὐτῶν. Alii plures omittunt αὐτῶν.
9 Καὶ περὶ πάντων τῶν σκληρῶν. Plures addunt λόγων. Stephan. 1. 12. Colb. 7. Covel. 2. 4. Genev. Vien. Syr. Arab.
10 Genes. 42. 7. 30. 11 Joan. 6. 60. 61. 12 2. Joan. vers. 10.
13 Iren. lib. 1. c. 9. *Perfectos seipsos vocant, quasi nemo possit exæquari magnitudini agnitionis ipsorum, quasi Paulum, aut Petrum dicas, vel alterum quemdam Apostolorum, &c.* 14 Vide Hieron. in Matth. 24.
15 Levit. 19. 15. Οὐ θαυμάσεις πρόσωπον δυνάστου. Vide 70. in Deut. 10. 17. Prov. 18. 5.

Epistola 3. 2. ubi ait : *venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes : ubi est promissio, aut adventus ejus?* Et a S. Paulo 1. ad Timoth. 4. 1. *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam* &c. Et 2. Timoth. 3. 2. *erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi . . . . protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis, quam Dei.*

℣. 18. ILLUSORES SECUNDUM DESIDERIA SUA AMBULANTES.] *Illusor* sæpius, præsertim vero in Proverbiis Salomonis, invenitur [1], ad perniciosos, corruptosque homines innuendos, qui Religionem, & sanctissima quælibet in jocum traducunt, & qui contemptu, aut miseratione dignos putant eos, qui permanent in simplicitate, humilitate, & obedientia, quam nobis inspirat Religio. Hæretici, de quibus sæpe loquuti sumus, hujus erant figlinæ, sine verecundia, sine lege, sine Religione, veri Cynici, & veri Epicurei, qui clanculum sanctissima quælibet irridebant, atque inanibus cognitionibus suis turpissime utebantur, ut simplices, rudesque deciperent, & ex eorum corde timorem, & Domini amorem auferrent; quandoquidem Resurrectionem, bonorum operum necessitatem, Incarnationis, & mortis Jesu Christi veritatem negabant.

℣. 19. HI SUNT, QUI SEGREGANT SEMETIPSOS [2].] Ab Ecclesia, a fidelium communione, a meritis Jesu Christi. Hi secessionem faciunt, haberi volunt soli perfecti, soli sapientes, soli jugo superstitionis, & ignorantiæ liberati.

ANIMALES, SPIRITUM NON HABENTES.] Primi Hæretici, *Gnosticorum* nomen sibi vendicarunt, ut innuerent, se aliis vulgo Christianis longe excedere elatis, atque sublimibus cognitionibus suis [3]. S. Judas ad eorum superbiam infringendam eos vocat *Psychicos*, vel animales; sine spiritu, sine ratione, sine lumine, qui brutorum instar ingenium suum, & cordis sui improbitatem sequuntur.

℣. 20. SUPER ÆDIFICANTES VOSMET IPSOS SANCTISSIMÆ VESTRÆ FIDEI.] S. Judas relinquit veritatis inimicos, quos huc usque persequutus est, & incipit fideles hortari, ut constantes permaneant in fide, quam ab Apostolis acceperunt, & super solidum hoc fundamentum extruant suæ perfectionis, atque salutis ædificium. Vult, illos *orare in Spiritu Sancto*, qui in cordibus nostris vivas, ardentes, & efficaces preces effingit [4], qui efficit, ut per lumen ipsius cognoscamus, quid nobis petendum sit, nobisque sanctum ardorem inspirat, cum quo petere debemus, ut orationum nostrarum effectum obtineamus. Ecclesiæ initio inter cætera supernaturalia Spiritus Sancti dona, hoc quoque adnumerabatur, precum videlicet publicarum, atque solemnium, quas in cœtu vel Episcopus proferebat, vel, eo permittente, ille, cui Deus tale donum permiserat. Ex hujusmodi precibus, quas primum Spiritu Sancto afflati homines protulerunt, profectæ sunt Liturgiæ [5], & formulæ precum, quæ olim in Ecclesia fieri consueverant, quorum pleræque ex ipsis usque Apostolicis temporibus ad nos pervenerunt.

℣. 21. VOSMET IPSOS IN DILECTIONE DEI SERVATE.] Sedulo in cordibus vestris servate charitatem erga Deum; Divinum hunc ignem fide, precibus, & virtutis exercitatione fovere. Vel, servate vobis amorem, quo Deus vos prosequitur, in illius Ecclesia permanete, illi obtemperate, ut vitam traducatis, expectantes Dominum, misericordiam, ac denique vitam æternam consequamur; *expectantes misericordiam Domini in vitam æternam.*

℣. 22. ET HOS QUIDEM ARGUITE JUDICATOS.] Si quis fratrum vestrorum in scelus aliquod ceciderit, primum ostende illi peccatum suum, postmodum vero illum corripe. Si quis in fide titubaverit, atque aurem præbuerit rebus novis, de quibus loquutus sum, inde illum, tamquam de medio igne eripe : ne quiescas, nisi illum eripueris ex salutis periculo, in quo versatur.

Græcus parum aliter verti potest [6] : *aliorum quidem miserere, usus prudentia*, ut leniter illos ad officium revoces, si per imbecillitatem tantummodo ceciderint, vel, si illos prope esse cognoveris, ut sibi os sublini patiantur : *alios vero salvos fac cum timore*, cum ardore, cum sollicitudine, *illos tamquam ex incendiis subducas*. Duo isthic virorum genera distinguit, quorum alii in periculo quidem versantur, sed magis remoto; alii vero in magis proximo, atque, ut ita dicam, jam jam in igne medio. Græca quædam exemplaria legunt [7] : *aliorum miserere, postquam illos judicaveris*, vel redargueris, vel condemnaveris. Fac, agnoscant illi scelus suum, & illos excipe cum lenitate, & misericordia.

℣. 23. ALIIS AUTEM MISEREMINI IN TIMORE; ODIENTES ET EAM, QUÆ CARNALIS EST, MACULATAM TUNICAM.] Hoc est, odio habentes, tamquam pollutum vestimentum, quidquid carnis redolet corruptionem. Græcus [8] typis editus hoc in loco non legit ea verba : *aliis autem miseremini in timore*, quæ tamen leguntur in plurimis antiquis MSS. & Versionibus Orientalibus. Alii legunt : *corripite illos cum timore, abominantes vestem pollutam carne* : quæ novissima verba ænigmatica videntur. Alludit ad ea, quæ in Lege Levit. 13. 47. dicuntur, de vestibus pollutis lepra, vel aliis impuritatibus, aut pollutionibus, quæ non corporum solum, sed etiam indumentorum ablutione sunt expiandæ. Horrete doctrinam Hæreticorum; eorum societatem fugite, eorum etiam si fieri potest, vestes, atque umbram evitate. Quidquid illorum est, corruptum est, contagione infectum est. Vel miseremini fratrum vestrorum, qui in aliquod scelus ceciderunt : cavete, ne & ipsi cadatis. Evitate scelus, atque improbitatem libidinum; fugite illud etiam, quod vestra indumenta potest polluere. Hebræi conversi, ad quos scribit Sanctus Judas, seduli erant Legis, & cæremoniarum observatores : verum noverant, externas omnes immunditias esse symbolicas.

℣. 24. EI AUTEM, QUI POTENS EST VOS CONSERVARE [9].] Finem Epistolæ imponit, Deo gloriam tribuens, qui solus nos integros, vitæ, scelerisque puros servare potest, & ope gratiæ suæ, suæque Omnipotentiæ protectione ad æternam Beatitudinem perducere. Quid enim est homo sine Deo [10]? *Quid enim sum ego mihi sine te, nisi dux in præceps*; Quid potest homo sibi traditus, nisi seipsum vulneribus confodere, cum sine supremi Medici auxilio seipsum curare conatur? *In vulnera, vulnere surgis* [11]. *Quisquis se inculpatum dixerit*, S. Cyprianus [12] ait, *aut superbus est*

aut

1 Prov. 1. 22. לצים Ἐμπαῖκται, 3. 34. 9. 7. 8. 13. 1. & passim. Vide & Psal. 1. 1. 118. 51. Osee 7. 5.
2 Græc. Ἀποδιορίζοντες. *Distinguentes*. Plures addunt, ἑαυτούς. Steph. 3. 5. 6. Covel. 2. 4. Colb. 7. &c.
3 Vide 1. Timoth. 6. 20. Τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. Chrysost. homil. 18. in 1. Timoth. 6. Clem. lib. 2. Strom. &c.
4 Rom. 8. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* 5 Vide Chrysost. ad 1. Cor. 14. 26. & Hamm. hic.
6 Καὶ οὓς μὲν ἐλεεῖτε διακρινόμενοι, οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε, ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες.
7 Οὓς μὲν ἐλεεῖτε διακρινόμενοι. Ita Steph. 3. 5. 6. Alex. Lin. Barb. 1. Petit. 3. Covel. 4. Gener. Vulg.
8 Μισοῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα. Quidam addunt ante hæc verba quæ sequuntur : οὓς δὲ ἐλεεῖτε ἐν φόβῳ, μισοῦντες, &c. Ita Steph. 3. 5. Alex. Lin. Genev. Cov. 4. Barb. 2. Petit. 3. Copht. Vulg. Syr. Æth. Alii vero, Οὓς δὲ ἐλέγχετε ἐν φόβῳ. Vide Mill. hic.
9 Τῷ δὲ δυναμένῳ φυλάξαι αὐτούς. Alii : φυλάξαι ὑμᾶς. Ita Steph. 3. 5. 6. 10. Lin. Cov 2. 3. 4. alii,
10 August. lib. 4. Confess. cap. 1. 11 Prosper. Carm. de Ingratis.
12 Cyprian. de Opere & Eleemosynis.

aut ſolvimi. Confiteamur ergo, quod ſine impietate non A ferenda negari non poteſt, citra Dei gratiam hominem abſque peccato eſſe non poſſe, ait S. Auguſtinus 1: *hoc confiteamur, quod impietate ſceleratiſſima negatur, ſine gratia Dei hominem ſine peccato eſſe non poſſe.*

ANTE CONSPECTUM GLORIÆ SUÆ . . . . IN ADVENTU DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.] Noviſſima hæc verba, in adventu &c. in Græco, Syro, & Arabe non extant; a Beda non leguntur, & in quibuſdam etiam Latinis exemplaribus deſiderantur. Deſumpta fuerunt ex Epiſtola ad Theſſalonicenſes 3. 13. Unus Jeſus Chriſtus nos poteſt coram Patris ſui ſolio in cœleſti gloria puros, & ſine macula exhibere. Hæc noſtra fides eſt, hæc noſtra ſpes.

℣. 25. SOLI DEO SALVATORI NOSTRO PER JESUM CHRISTUM . . . . GLORIA &c.] Græcus legit 2: *Soli Deo Sapienti Salvatori noſtro*, & omittit per *Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. *Salvatoris* nomen alicubi in Epiſtolis S. Pauli 3 tribuitur Deo Patri, & ibi inveniuntur laudum formulæ, his omnino ſimiles 4. Creaturæ omnes Deo gloriam deferant, illius dominationem, atque infinitam poteſtatem confiteantur, & laudent illum, cui *poteſtas ante omne ſæculum* 5, *& nunc, & in omnia ſæcula ſæculorum, Amen.*

1 Aug. de Nat. & Gratia, cap. 10. Vide Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 23.
2 Μόνῳ σοφῷ Θεῷ. Deeſt σοφῷ, in pleriſque MSſ. Alex. Copht. Arab. Aethiop. Quamplurimi Codd. addunt : Διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν. Ut Vulg. Alex. Syr. Aliæ verſion. Oriental. ex Rom. 16. 27.
3 1. Timoth. 4. 10. Tit. 1. 3. 3. 4. 4 Rom. 16. 27. & 1. Timoth. 1. 17.
5 Hæc verba non leguntur in Græco edito, ſed extant in pluribus MSſ. Πρὸ παντὸς αἰῶνος, Steph. 8. 1. Alex. Lin. Colb. 7. Petr. 3. Cov. 2. 3. 4. Genev. Copht.

Finis Epiſtolæ S. Judæ.

PRÆFATIO
IN APOCALYPSIM.

ARTICULUS PRIMUS.

Totius Apocalypſis idea, Laudes, obſcuritas, & recte explicandi difficultas.

VAriæ olim de Apocalypſi ſententiæ. Nonnulli, quod obſcura ſit, velut ſinaoem rejecerunt 1; alii 2 eidem explicandæ incumbere ſupervacaneum duxere, tum quod plurima Interpretes ſemper latuerint, tum quod mundus ſit prius abſolvendus, ut difficultatibus omnibus ſolutis figuræ ſingulæ percipi poſſint. Sapientiores vero ſanius de Apocalypſi pronunciarunt. S. Dionyſius Alexandrinus tertii ſæculi Author perhibet 3: *Ego Librum hunc nullo modo audeo abrogare, præſertim cum adeo multi fratres eum tam magni æſtiment; ſed hanc mecum de eo opinionem concipio, longe abſtruſiorem eſſe in illo materiam, quam mens mea facile conſequi queat, & in ſingulis prope ſententiis ſenſum quemdam myſterii involutum, & valde admirabilem deliteſcere, plane exiſtimo. Et quamquam eum ipſe non intelligo, ſuſpicor tamen intellectum quemdam reconditiorem verbis ipſis incluſum: atque iſtas res non propria ratione metior, ac pondero, ſed Fidei potius tribuo, & altiores, Diviniorſque profecto arbitror, quam quas ipſe ullo pacto cogitatione comprehendere valeam. Atque non eas improbo, quas non intelligo: ſed ideo potius admiror, quod mentis aciem luſtrare non queo.*

Quanti Dionyſius Alexandrinus, tanti Apocalypſim faciebat Hieronymus, quam laudibus idcirco cumulans, *Apocalypſis Joannis*, inquit Ep. ad Paulin. *tot habet Sacramenta, quot verba. Parum dixi, & pro merito Voluminis laus omnis inferior eſt. In verbis ſingulis multiplices latent ſententiæ.* Eadem profecto ſapientiores noſtri Critici de tanto Opere ſentiunt: id permaximæ nobis utilitatis eſſe ducentes, ejus obſcuritatem non ad contemptum, ſed ad illius potius reverentiam conferre tuentur 4; & de eo illud aliorpondum cenſent, quod de Heraclito perhibuit Socrates apud Laert. l. 2. n. 57. *Ea quidem, quæ intellexi, fortia ſunt, puto item & quæ non intellexi: verum Delio quopiam natatore indigent.*

Invita licet ejus obſcuritate, legentes ſuaviter adeo afficiantur, ut permaximam Divinæ Majeſtatis exiſtimationem concipiant, & de Jeſu Chriſti Myſteriis, Victoriis, Regno, & Judicio magnifice cogitent. Quidquid in Scripturis pulchrius, in hoc uno Libro congeritur 5; quidquid in Lege, & Prophetis vividius, atque ad majeſtatem magis compoſitum, novo quodam & clariori lumine hic augetur.

Cum Apocalypſis Prophetiis ſit undique referta, mirum ſane non fuerit, ſi tenebris obvolvatur. Obſcuritas enim ad vaticiniorum naturam quodammodo ſpectat, tum potiſſimum, cum eorum eventus vel procul abeſt, vel actu perficitur. Tunc vero tantummodo perſpicua fiunt, cum re peracta cum iis, quæ prænunciata fuerant, eventus conferuntur. Ante Chriſti adventum Veteris Teſtamenti Prophetias quis noverat? De promiſſo ſibi Meſſia generatim ſciebant Judæi; verum Prophetarum de eo vaticinia, quæ ſibi etiam mutuo adverſari videbantur, eam nubem induxerant, ut noniſi poſt Servatoris obitum & Reſurre-

1 Quidam apud Dionyſ. Alex. apud Euſeb. l. 7. c. 25. 2 Caſtalio & alii quidam. Dionyſ. Alex. apud Euſeb. l. 7. c. 25. de Dionyſ. Alex. 3 Dionyſ. Alex. apud Euſeb. lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 25.
4 Perer. in Apoc. 5 Boſſuet Præfat. in Apocal.

surrectionem depulerint. Idem profecto contigit Patribus, qui quatuor, seu quinque primis Ecclesiæ sæculis floruerunt. Quidam enim in præsentibus calamitatibus obtutum omnem collocantes, & mentis acie longius non prospicientes, per illas Apocalypsis vaticinia perfici arbitrabantur; quidam vero de ejus prophetiis veluti de mysteriis intellectui penitus impervis, & post sæculorum exitum tantummodo percipiendis cogitabant; quidam denique de ejus literali sensu investigando prorsus desperantes, ad figuratum, & allegoricum confugiebant, ad mores instituendos documenta undique haurientes.

Liber Apocalypsis, inquit Augostinus de Civit. Dei. l. 2. c. 8. *totum hoc tempus complectitur, quod a primo adventu Christi usque in sæculorum finem, qui erit secundus ejus adventus, excurrit*. Quare cum septemdecim ab hinc prope sæculis Apocalypsis ab Joanne conscripta fuerit, ejusdem plurima vaticinia jam completa fuisse minime dubitandum. Ecclesiæ & Romani imperii Historiæ nunc præ cæteris ætatibus clarius patent; nosque majori præ Veteribus ope ad easdem dignoscendas instruimur. Quare facilior nobis quam Patribus & Interpretibus ejus ætatis Apocalypsis explicatio contingit; cum ea nobis tantummodo quæ has prophetias adimpleverint, in sæculis ab Joanne hucusque elapsis investiganda supersint. In primo quidem limine explicatu impossibilem sese & nobis hunc Librum exhibuisse fatemur. Quamobrem nisi de omnibus Novi Testamenti Libris disserere jam instituissemus, nunquam fieri potuisset, ut facinus plus nimio arduum aggrederemur; a quo præterea deterrebamur, quod Interpretum plerisque, qui Apocalypsi explanandæ incubuere, feliciter res minime evaserit.

Verum re propius perspecta, & præclarissimorum quorumdam, qui nostra ætate Apocalypsim historice exponendam susceperunt, exemplo excitati, Operi & nos manum admovimus, & monstra, quibus terrebamur, sensim eo usque evanuere, ut, quidquid nullo superandum labore arbitrabamur, omnem omnino difficultatem posuerit. Hinc nos conclusimus, tot Apocalypsis Interpretes rem hucusque non attigisse; vel quod Ecclesiasticæ Historiæ ad hæc postrema usque sæcula ignoratæ satis fuerint; vel quod ad S. Joannis vaticinia explicanda vix fuerint adhibitæ; vel denique quod plus æquo habita sit reverentia Veterum interpretationi: quorum alii ante oraculorum complementum, cum scilicet fieri non poterat, ut historice illa explicarent; alii vero ea scripserunt ætate, qua & Libris, & auxiliis ad res occultas explorandas penitus destituti, ut Historiarum Epochas stabilirent, vel ad morales & mysticos sensus confugerunt, vel ea singula vaticinia in sæculorum exitu adimplenda asseruere, vel denique proferendis conjecturis studium omne posuerunt, quæ ad talis tantique Libri intellectum per se ipsas minime conferunt.

Ecclesiam persecutionibus affectam, victricem postea, & alia pace fruentem verum Apocalypsis clavem certo ducimus. Omnia huc sane collimant; quare arte prophetica & ænigmatica figuras exuere, & rebus sua nomina, suamque faciem opus est tantummodo impertiri, ut Apocalypsim in veram historiam convertamus. Antiquus dierum, Alpha & Omega, qui est, & qui erat, & qui venturus est, Deum Patrem; Agnus vero Deum Filium significant. Per terram Romanum Imperium; per bestiam septem capitum septem Imperatores Persecutores Ecclesiæ; per Draconem mulieri jamjam parituræ insidiantem, iidem Ecclesiæ persecutores designantur. Bestia cornibus instar Agni instructa Julianum Apostatam refert; meretrix magna, mystica Babylon., Romam innuit; tres anni cum dimidio, modo per duos & quadraginta menses, modo per dies mille ducentos sexaginta, per *dies tres & dimidium*, per *tempus, & tempora, & dimidium temporis*, persecutionem duratione ostendunt. Babylonis eversio, bestiæ & meretricis interitus persecutorum & Romæ idololatræ excidium exhibent. Plagæ, quibus Deus terram conficit, & iræ suæ phialæ, quas in orbem jubet effundi, eas præferunt calamitates, quibus Romanum Imperium, præsertim post Diocletiani persecutionem, obrutum fuit.

In hoc vero systemate nihil in levissimis immorandum neque ubique investiganda mysteria: forsan & hic latebunt; sed quis ea sine peculiari revelatione percipiat? Qui de cujuslibet pretiosi lapidis nomine, & proprietate, & Angelorum vestium coloribus, & de Cherubin figura dissereret, suo quidem ingenio, & libertate abuteretur; nisi forte id caute præstaret, neque suis conjecturis veluti certis fidem vellet adhiberi. In Apocalypsi, quemadmodum in Veteri Testamento, omnia omnino habenda non sunt vaticinia. Divinæ Majestatis magnificentiam, viginti quatuor Seniores e Thronis in genua ante Dominum provolutos, quatuor animalia Dei solium sustinentia; Librum consignatum Agno traditum, & id genus plurima Deus S. Joannis intellectui videnda exhibuit, ut eum ad maximam erga Divinam Majestatem reverentiam excitaret, utque ejus, & deinde Lectorum animos redderet attentiores. Hæc vero nonnisi indirecte ad præcipuum ejus Prophetiæ objectum pertinent, & infinitam Dei potentiam & amplitudinem ostendunt. Liber obsignatus ejus arcana consilia, & homini prorsus incognita exhibet; sicuti per Agnum, cui Liber reclusus oblatus est, eadem Divina consilia per Jesum Christum S. Joanni in Apocalypsi revelata designat. Angeli denique cum tubis & phialis a Dei Throno dimissi, calamitates, quibus Roma, ejusque Imperium obruta sunt, non fortuito, sed de Justitiæ & Potentiæ imperio evenisse demonstrant.

Hæc sana habenda non sunt Interpretum inventa, cum in ejusdem Apocalypsis Textu perspicue exhibeantur. Ipse Joannes, seu Angelus Joannem alloquens palam præcipua facit. Ea enim Agno tribuit, quæ nonnisi Christo, ea etiam Antiquo dierum, quæ nonnisi Deo Patri conveniant. Mulier, quæ a Dracone fuga sibi consulens, invitis ejus persecutionibus, in deserto eripitur, Ecclesiam sine ambagibus præfert. Mystica Babylon, nempe Roma, in septem montibus, non per Interpretem hominem, sed per ipsum Dei Angelum constituta describitur.

Futuros eventus non diu post adimplendos ab Apocalypsi referri, nil utique est quod ambigamus; etenim ipse Joannes citius perficiendos annunciat [1]. *Tempus prope est. . . . ecce venio cito reddere unicuique secundum*

[1] Apocal. 22. 10. &c.

dum opera sua. Cum vaticinia in Veteri Testamento res diu post adimplendas respicerent, Dominus ea obsignare Prophetas jubebat [1]: Apocalypsim vero, quod cito implenda esset, sigillo muniri prohibuit [2]: *Ne signaveris verba prophetiæ Libri hujus: tempus enim prope est*. Cum itaque plusquam mille sexcentis ab hinc annis S. Joannes Apocalypsim conscripserit, ejus vaticinia saltem perplurima sæculis retroactis jam completa jure merito dijudicamus.

ARTICULUS II.

De Apocalypsis Interpretum Methodo.

QUadrifariam Apocalypsis Interpretes dividi possunt. Alii omnes Joannis visiones de postrema Judicii die explicant. Bestiam proinde septem capitum Anti-Christum dicunt; duos testes, Henoch & Eliam; mille annorum Regnum, de Justorum post Judicium millenario; & septem plagas, totidemque iræ Dei phialas, de calamitatibus mundi interitui præituris interpretantur.

Alii omnia de iis explanant, quæ Ecclesiæ persecutionibus agitatæ evenere; verum inter hos non convenit, cum verba Apocalypsis peculiaribus eventibus sunt adscribenda.

Alii, nempe Protestantium Interpretum plurimi, ut jure merito ab Ecclesia se defecisse ostendant, in eam odio excitando pro viribus incumbentes, quidquid teterrimi S. Joannes de bestia, de Babylone, de meretrice prodidit, Ecclesiæ temere adscribunt: quare Anti-Christum Pontificem designare volunt; & Romam Catholicam, seu Romanam Ecclesiam eam esse dictitant, in quam tot intentantur calamitates, quibus obruenda est Roma idololatra. Quorumdam præterea eo pervenit audacia, ut ejus futuri excidii non modo annum, sed momentum etiam statuerunt. Sed eorum vaticiniis invitis, Catholica & Romana Ecclesia stat, & usque ad omnium sæculorum exitum incolumis manebit.

Alii denique Apocalypsis singula morali explicatione exponunt. Hujusmodi scimus Ambrosium Autpertum S. Vincentii Vulturni in Italia Abbatem, Patrem de Viegas, & alios, præsertim Tychonium Donatistam, quem spiritali methodo Apocalypsim explicasse Gennadius asseruit.

Veterum Patrum & Interpretum plerique Apocalypsim de postremo Judicio explicuere. S. Justinus, S. Irenæus, S. Victorinus Petaviensis [3] tertii sæculi Scriptor, S. Hippolytus Episcopus Portuensis [4], Millenarii, Papias, Nepos Ægypti Episcopus, Andreas & Aretas [5] Cæsarienses, Primasius Episcopus Adrumentinus [6], Ven. Beda, S. Ambrosius, seu potius Berengarius sub nomine Ambrosii; S. Anselmus seu alius sub eo nomine, & Recentiores plurimi vel omnia, vel ferme omnia ad ultimum Judicium referunt, tribus tantummodo capitibus primis exceptis, quæ de septem Asiæ Ecclesiis ut plurimum ad litteram ab Interpretibus exponuntur.

Singulorum Authorum omnes omnino Interpretationes referre, e re esse non duximus, cum præsertim fieri neque posset, ut tot Interpretum variæ methodi & sententiæ singillatim referrentur. Satius itaque duximus eorum varia systemata leviter tantum attingere, & illud generatim ostendere, quod ea, cui adhæsimus, sententia & ceteris præstet, & sola sit, cui in literali Commentario subscribendum; ne perplurimas hic recenseremus opiniones, quæ nonnisi ægre ab omnibus perlectæ, neque ad clariorem hujus Libri lucem, neque ad nostrum institutum contulissent. Qui vero earum forte desiderio tenerentur, videant in Criticorum Synopsi Recentiores, & potissimum Protestantes, & apud Cornelium a Lapide Veteres, & juniores Catholicos Interpretes. Per varias tot Authorum sententias & animos implicari, & incertos sæpissime hærere experientia didicimus; quare, ne Lectores in incerta vagentur, in rebus perpendendis & secernendis opinionibus, Authoribus est elaborandum.

Morales Interpretes hic non moramur. Eæ vero sunt plerorumque Protestantium explicationes, ut dignæ minime sint, quæ tantummodo referantur. Grotius & Hammondus præ fratrum suorum plerisque saniori consilio historice Apocalypsim exhibent, & omnia ferme, quæ post caput tertium afferuntur, de calamitatibus explicant, quibus, Nerone & Vespasiano imperantibus, Judeæ Ecclesia confecta ingemuit. In hoc adducti sunt systema, quod Chronologiæ errorem ab Epiphanio haurientes [7], S. Joannem in Pathmos Insula sub Claudio exulasse putaverint, cum sane id Irenæo [8], Eusebio [9], aliisque innumeris testibus, anno circiter Christi 94. Domitiano imperante, contigerit.

D. Bossuet [10] Meldensis Episcopus post tria prima Capita, quæ ad septem Asiæ Ecclesias pertinent, eas calamitates, quibus Ecclesia ab Imperatoribus Ethnicis usque ad Constantini pacem, & quibus deinde ub Apostata Juliano conficienda fuerat, victorias etiam ab eadem Ecclesia de suis persecutoribus referendas; ultionem denique de Roma, & Romano Imperio per plagas, & per barbarorum impetus quarto & quinto sæculis divinitus exposcendam, S. Joannem prænunciasse contendit.

Quamvis vero hujus doctissimi Episcopi Opus nonnulli parvi æstimarint, illud nihilominus sane est pronunciandum, quod & rem ipse tetigerit, & adeo arcani Libri mysteria præ cæteris patefecerit. Esto, singula historica facta Apocalypsis figuris non omnino feliciter accommodarit; ejus profecto systema cæteris præstat, faciliusque defendi potest; imo & præclarum aliquid de Apocalypsi quis proferre, si cupiat, licet singulis peculiaribus Bossueti sententiis non subscribat, ad ejus methodum tandem confugiat necesse prorsus esse censemus.

1 Daniel 8. 26. *Tu autem visionem signa, quia post multos dies erit*. Daniel 12. 4. Isai. 8. 16.
2 Apoc. 22. 10. 3 Petavium veteris Pannoniæ urbs secus Dravum in Styria.
4 Sub tertii sæculi initium. 5 Sexti sæculi scriptor. 6 Adrumentum Provinciæ Bizacenæ urbs. 7 Epiph. hæres. 51. 8 Iren. l. 5. c. 30. 9 Euseb. in Chronic. ad an. 14. Domitian. & hist. l. 3. c. 18. 10 Bossuet in Apocalyps.

D. de la Chetardye S. Sulpicii Parisiis Parochus, quemadmodum D. Bossuet, Apocalypsim historice explanavit. Prioribus tribus Capitibus, de quibus sat constat inter omnes, quod universalem Ecclesiam non afficiant, de minoris Asiæ Ecclesiis interpretatus, per quartum, & quintum caput, quibus Dei gloria & magnificentia S. Joanni exhibita describitur, proxime consequentibus visionibus viam tantummodo sterni ostendit. Capitibus deinde 6. & 7. & 8. & 9. & 10. & 11. septem sigillis, quæ Agnus aperuit, septem Ecclesiæ ætates designatas censet. Grando sanguine & igni immixta primam ætatem significat, tempus nempe Martyrum, ab Ecclesiæ exordio usque ad Constantinum. In secundo sigillo eques stricto gladio bellis, & dissensionibus orbem concutiens, designat hæreses, quæ persecutiones subsecutæ sunt; sigillum tertium, & tertia tuba ferens equitem equo nigro insidentem, & famem habentem in comitatu, tertiam Ecclesiæ ætatem innuunt, qua Barbari a suis regionibus egressi, Romanum Imperium invaserunt, & Provincias diripuere.

Sigillum quartum, seu quarta tuba hominem morti simillimum, equo pallido vectum, inferno comitante, & in quatuor Orbis partes pestem, famem, & bellum inferentem producit: quo emblemate quarta Ecclesiæ ætas exprimitur, Græcæ Ecclesiæ schismate, & Mahometismo funestata. Quinto recluso sigillo, quintaque clangente tuba sydus de cœlo delapsum Lutheri Sacerdotis & Religiosi apostasiam designat; cujus ab Ecclesia defectio bella, hæreses, & innumeras calamitates invexit. Ubi sexta tuba sonitum edidit, innumerus hostium exercitus terram invasit, tertia hominum parte interfecta. Hanc prophetiam Author non explicat, quod non dum impletam, sed futuram, & sexta Ecclesiæ ætate adimplendam putaverit; Angelus enim capite 7. S. Joanni Judæos ad Fidem traducendos ostendit. Angelus præterea capite 10. mundi finem, & capite 11. Henoch, & Eliæ adventum, & Anti-Christi utrumque Prophetam interficientis regnum prænunciat. Aperto denique sigillo septimo, & septima clangente tuba postremum instituitur Judicium, & Jesus Christus, Angelis, & Sanctis comitantibus, e Cœlo descendit cap. 11. & seq.

Is juxta hunc Authorem generalia Apocalypsis scopus. S. Joannes capite duodecimo, & deinceps ad primam suæ Prophetiæ partem conditam Ecclesiam, persecutiones obeundas, & ejusdem de persecutoribus victorias respicientis revertitur. Sola amicta & Lunam calcans mulier Ecclesiam exprimit. Draco capitibus septem, & decem cornibus caudaque tertiam stellarum partem e Cœlo præcipitam trahens, Dæmonem refert, qui a septem Imperatoribus, per septem capita designatis, & a decem persecutionibus, per decem cornua expressis, adjutus, mulierem ejusque filium vorare, Ecclesiam nempe & Fideles avertere conatur. Victo Dracone a S. Michaele profligato, Constantinus septem cæsis Tyrannis, Imperio potitur. Septimus superest post Constantinum excitandus, nempe Julianus Apostata, cujus persecutiones capite 13. & 14. referuntur. Tandem Deo tot flagitia ulciscente, Barbari in Romanum Imperium irruunt, totumque discerpunt. Angeli vero septem phialis effusis, Romam, ejusque Imperium omnibus omnino calamitatibus obruunt. Hæc capitibus 15. & 16. & 17. & 18.

Post Romani Imperii excidium solemnes Agni Nuptiæ celebrantur, & serpens antiquus vinculis addicitur. Hic Ecclesiæ status usque ad Antichristi adventum, cujus persecutiones capite 19. referuntur. Deus vero Ecclesiæ suæ opitulatur; Jesus Christus e Cœlo descendit; Judicium pronunciatur, bestia in inferos detruditur; Justi in Cœlos regnaturi ascendunt una cum Christo, cujus imperium capitibus 21. & 22. magnifice describitur. Hæc interpretatio, quam D. de la Chetardye in Apocalypsim exhibet. Nos vero illud veremur, ne hæc Ecclesiæ in sex ætates distributio arbitrio nimium nitatur, & ne regressus a capite 21. quod de postremo Judicio is Author explicat, ad Ecclesiæ confirmationem, capita 12. & sequ. juxta eumdem exhibitam, plusæquo detortus judicetur. Quarta denique Ecclesiæ ætas, quam a Mahometo usque ad Lutherum collocat, cui nempe millenarium circiter tribuit, si cum cæteris conferatur, protracta nimium videtur. De singulis & peculiaribus explicationibus hic non inquirimus, ne longius a scopo abducamur.

Abbas du Pin paulo post Apocalypsim explicans, latiori quam Bossuet, & de la Chetardye, via incedit. In peculiaribus Historiæ eventibus perquirendis, ut singulis singulas S. Joannis prophetias accommodet, non immoratur, sed tria prima Apocalypsis capita ad septem Asiæ Ecclesias, tria ultima ad Mundi finem, ad Judicium postremum, & ad Justorum felicitatem respicere tantum arbitratur; cætera vero de Ecclesia persecutionibus affecta, de persecutorum supplicio, & de Idololatriæ excidio generatim interpretatur. S. Joannes ad Fidelium solatium varias inducit figuras, quæ ad eundem scopum collimant.

Qui singulas visiones de peculiari eventu explicare aggrediuntur, de hujus Authoris sententia rem non modo arduam, nulloque exitu absolvendam, verum etiam S. Joannis menti contrariam suscipiunt. Singulæ autem visiones non ad hoc magis, quam ad illud respiciunt. Septem bestiæ capitibus septem designati addit idololatras Imperatores, qui postremam adversus Ecclesiam persecutionem excitarunt, Diocletianum nempe, Maximianum, Galerium, Severum, Maxentium, Maximinum, & Licinium: quam adhuc explicationem veluti conjecturam exhibet; adeo, ne incerta proferat, veretur.

Methodus hæc sane facilis, quæ unico simul ictu innumeras difficultates præcidit; neque enim historiis nimium perquirendis incumbere adigitur, neque sibi hypotheses & conjecturas incertas producendi periculum creat. Innititur quidem historiis, quas ponit, quamvis nimium non perscrutetur eventus, ut singulas vaticiniorum circumstantias impletas ostendat. Verum, ut sententiam meam proferam, animus huic penitus non acquiescit, & inter ejus vagas explicationes veluti errat, & innatat. Apocalypsim, quemadmodum Prophetias cæteras, & ad generalem, & ad peculiarem scopum respicere putamus. Isajas, Jeremias, Ezechiel de Jerosolymæ excidio, de Judæ captivitate, & a captivitate regressu loquuntur: Babylonem etiam, & Chaldæorum Imperium evertenda commemorant. Daniel Antiochi Epiphanis adversus Judæos persecutiones plurimis figuris exhibuit. Neque de singulis his Prophe-

tæ ge-

tæ generatim meminere, sed tempus, durationem, authores, circumstantias demum singulas figuris expressas recensuerunt. Quamobrem Interpretes singula omnia in Historiis perquirunt, figurarum sensum expromunt, prænunciatos eventus sua etiam chronologia confirmant. Cum præterea Daniel v. g. eventum nobis exhibuerit, ita circumstantiis instructum, ut, ipsa historia nil ferme referente accuratius, eandem Prophetiam post exitum suppositam Porphyrius defenderit; illud sane constat, quod res & peculiariter fuerint prænunciatæ. Quare si veterum Prophetarum adversus Ninivem, Babylonem, & Ægyptum singula adimpleta ostendere modo non possumus, in earum ætatum historias, quibus destituimur, est referendum. Simile quid & de Apocalypsi perhiberi cur non potest? Plurima ejus vaticinia jam completa certo scimus; earumque ætatum, de quibus ibi sermo, historiam optime novimus. Cur igitur peculiares hujus historiæ eventus hujus prophetiæ figuris non accommodemus? Cur in circumstantiis perquirendis, in conferendis figuris, & in eventibus ab Apocalypsi designatis, per Romanas & Ecclesiasticas historias adimpletis ostendendis non elaboremus?

Posse quidem quempiam interdum decipi, & incertas producere conjecturas, ultro fatemur. Lector vero queri non debet, si Scriptor suas interpretationes modeste exhibens, huic vel illi prophetiæ historiam aliquam accommodet, ut integra tamen omnia Lectoris judicio & censuræ relinquat. Equidem ita censeo, ab Interprete Apocalypsis illud exigere, ut periculum interdum errandi in se sumat. Iniquum vero esset, si ab eo demonstrationes, & certissima argumenta postularentur. Illud utique satis superque fuerit, si explicatio speciem veri præferat, neque Prophetæ menti contrarium quidquam contineat; si præterea Vates de rebus ante Prophetiam peractis loquens non inducatur; vel id ab eodem prænunciatum non offendatur, quod ad suum generalem scopum, per characteres ita sensibiles semper exhiberi solitum, ut nemo de eo decernendo decipi queat, nullatenus respiciat. Hac methodo usi sunt peritiores Interpretes, qui Veteris Testamenti Prophetiis explicandis operam navarunt; hanc & nos sequemur in Apocalypsis interpretatione, S. Joannem tot circumstantiis adjunctis, & descriptionibus peculiare nil voluisse designare vix credimus; si vero ea omnia quid significant, & per historias sunt adimplenda, quare, ut ad literam & historice impleta ostendatur, non sit elaborandum?

ARTICULUS III.

De Apocalypsis Authore, & de Canonica ejus authoritate.

AN S. Joannes Apocalypsim scripserit, olim dubitatum. Sunt, qui eam a Cerintho, exeuntis primi sæculi hæresiarcha, ut deliramentis suis authoritatem vindicaret, exaratam putent. Cerinthum suam edidisse Apocalypsim certo constat [1], quam Baronius S. Joannis nomine ab eodem evulgatam arbitratur. Aliam tamen fuisse ab Joannis Apocalypsi, a Patribus perspicuum prorsus accipimus [2].

Quod ea veræ Apocalypsi inesset obscuritas, ut a Lectorum plerisque percipi nequiret, illud satis contulit, ut Apocrypha crederetur [3]. Prophetiæ antequam adimpleantur, obscurissimæ sunt; donec autem earum clavis abditur, clausæ quidem manent, nobisque inutiles. Grotius conjectura ducit, idcirco etiam quibusdam sæculis a nonnullis Ecclesiis Apocalypsim fuisse rejectam, quod perraro occurreret, quodque ab Episcopis caute abdita servaretur, ne Imperatorum, de quibus subobscurus quidem, sed rem serio investigantibus perspicuus etiam in ea sermo, in se iram concitarent. Præterea, cum Gog & Magog, Millenariorum regni, primæ cujusdam resurrectionis, & novæ Jerusalem, quibus omnino Cerinthiani, & Fideles nonnulli hebraizantes abutebantur, in eadem occurreret mentio in Ecclesiarum Tabulariis condita, ne ab omnibus promiscue legeretur, caute & consulto servari consueverat.

Hanc sæculo secundo Marcio & Cerdo rejecerunt. Cajus Ecclesiæ Romanæ Presbyter [4], ut Millenariorum, qui Apocalypsis authoritate potissimum nitebantur, errorem everteret, eam non a S. Joanne, sed a Cerintho editam asseruit. In quam sententiam, teste Dionysio Alexandrino, etiam Catholici plurimi devenere. Ipse vero Dionysius tertii sæculi Scriptor [5], a viro quidem probo & inspirato, Joannis, ut pluries in eadem Apocalypsi vocatur, nomine conscriptam putabat; an vero a Joanne Evangelista, incertus hærebat. Libri stilus & Authoris ingenium ab Joannis Evangelistæ prima Epistola, & Evangelio ipsius satis videbantur abesse, quod eamdem elocutionis puritatem, & verborum delectum non præferrent. Quare vel Joanni Marco, de quo in Actis Apostolorum, vel alteri Joanni, cujus sepulchrum prope tumulum S. Joannis Evangelistæ Ephesi videbatur, satius adscribendam duxit.

Quarto sæculo Alogi, Arianorum surculus, de quibus apud S. Epiphanium hær. 51. c. 3. eam idcirco rejecerunt, quod ibi Dei Filium, sicuti in Evangelio ab ipsis quoque rejecto, S. Joannes *Verbum* appellet. Ei præterea objiciebant, quod de Thyatiræ Ecclesia, quæ nunquam extiterat, meminisset: quam quidem eorum ætate a Manichæismo penitus infectam fatemur, sed dum floreret Joannes, Catholicam, & paulo post Alogos, rejectis erroribus, ad Fidem reversam comperimus. Quinto etiam sæculo de Apocalypsi disceptatum. Græci, Hieronymi ætate, ut ipse testatur [6], adhuc eam non exceperant: quare neque a Concilio Laodiceno cap. 60. neque a S. Cyrillo Jerosolymitano Cathech. 4. neque a Gregorio Nazian-

1 Theodoret. hæretic. fabul. l. 2. c. 3. 2 Vide Tillemont. not 3 in Cerinthianos.
3 Dionys. Alex. apud Euseb. l. 7. c. 25. Hist. Eccl. 4 In Disceptatione adversus Proclum Cataphrygum caput. 5 Dionys. Alex. loc. cit. 6 Hieronym. Ep. 129. ad Dardan. *Quod si epistolam ad Hebræos Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas, nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt; & tamen nos utraque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum authoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis.*

zeno c. 54. in suis Catalogis recensetur. Amphilochio teste a nonnullis excepta, a plerisque respuebatur [1]; Epiphanius vero hær. 51. c. 32. eam quidem complectitur, sed rejicientes improbare non audet.

Author quidam S. Hieronymi nomine falso editus, ei tamen vel omnino vel ferme coævus [2], in Provinciis, in quibus scribebat, nempe, ut credimus, in Palæstina, Apocalypsim sua ætate minime recipi, sed a Regionibus Occidentalibus, & a Phœniciæ & Ægypti Provinciis, veluti Canonicæ, fidem adhiberi testatur: quam præterea a Veteribus Ecclesiasticis Authoribus, Irenæo, Polycarpo, Dionysio Alexandrino, Cypriano receptam, allegatam, & explicatam affirmat. Unanimi omnium consensu canonicæ authoritatis habita esse videtur quinto ab hinc sæculo usque ad postrematum hæresum ætates; Calvinus enim, Lutherus, & alii eam a Canone divulsarunt.

Ante annum 210. canonicam Apocalypsis authoritatem a nemine impugnatam, aut eamdem S. Joanni ereptam Millius defendit Prolog. in Apoc. nisi forte id Marcio præstiterit, qui omnes Novi Testamenti Scripturas contemptui habebat. Cajus Romanus Presbyter omnium primus, quamvis non dolo malo, dubium invexit; cum enim Millenariorum errorem impugnaret, Libri illius, a quo præcipuum hæreticis illis argumentum, authoritatem improbare e re esse duxit; seque unico impetu eorum penitus ædificium eversurum putavit, si fundamentum deleret. Quamobrem Apocalypsim Cerintho adscripsit, eo forte deceptus, quod hujus Hæresiarchæ Liber eodem Apocalypsis titulo inscriberetur.

Verum S. Justinus Dialog. cum Triph. & S. Irenæus l. 5. c. 1. & apud Euseb. l. 5. c. 8. &c. Cajo vetustiores, S. Joannem Christi Apostolum ejus Authorem testantur. Tertullianus Scorpiac. c. 12. contr. Marcion. l. 3. c. 14. Præscript. c. 33. S. Hippolytus Tract. contr. Noet. Bibl. PP. tom. 15. p. 623. & de Antichr. p. 48. Origenes hom. 7. in Josue, & præfat. in Evang. Jo. p. 5. S. Victorinus in Apoc. Bibl. PP. t. 1. p. 576. Eusebius Chron. ano. 14. Domitian. S. Athanasius in Synops. S. Hilarius l. 6. de Trinit. p. 44. S. Basilius in Eunom. l. 2. S. Gregorius Nyssenus hom. de ordinat. sua. S. Ambrosius in Symbol. c. 27. & ep. Chromat. S. Paulinus ep. 24. S. Epiphanius hæres. 51. c. 32. S. Hieronymus in Catalog. & in Ezech. 43. S. Augustinus Tract. 13. & 36. in Joan. & alii veluti canonicam S. Joannis Scripturam allegant; quæ etiam ab aliis plurimis, nempe S. Clemente Alexandrino Pedag. l. 2. c. 10. S. Cypriano ep. 63. Firmico Materno contr. Idol. c. 20. S. Macario Ægyptio hom. 30. S. Paciano ep. 1. Bibl. PP. tom. 3. & aliis veluti Scriptura Sacra, Authoris tamen suppresso nomine producitur. Quidam denique nil Joannis nomini addentes, S. Joanni tribuunt. Hujusmodi fuere Theophilus Antiochenus Episcopus, S. Clemens Alexandrinus l. 6. Stromat. Apollonius lit. 5. ad Novat. c. 18. Author Tractatus adversus Novatianos apud S. Cyprianum, S. Methodius apud Phot. Cod. 234. S. Athanasius Orat. 3. contr. Arian. S. Phebadius Agenni Episcopus contr. Arian. ibid. tom. 4. Bibl. PP. p. 275. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 32. Rufinus Exposit. Symbol. apud Cyprian. p. 548. Concilium Carthaginense tertium art. 397. can. 47. & Innocentius I. ep. 3. c. 7. Post tot, tantaque testimonia, an Apocalypsis canonica sit, an S. Joannes Evangelista ejus fuerit Author, jure ne quis dubitaret?

Ipsi Protestantes, ambigentibus licet prioribus illis Sectæ Authoribus, eam nihilominus ultro recipiunt, Beza præterea strenue tuetur, & difficultatibus ab adversariis productis studiose respondet. Argumenta Dionysii Alexandrini in dubium revocantia, num Opus Joannis sit, facile corruunt; stilus enim a cæteris Joannis Scripturis abhorret quidem, sed non multum; quædam vero, quæ præfertur varietas, in rerum diversitatem est referenda. Sulpicius Severus Hist. l. 2. certam adeo ejus authoritatem ducit, ut eam rejicientes aut impios, aut stultos appellat. *A plerisque aut stulte, aut impie non recipitur*. S. Joannes verbis, quę sibi tantummodo congruunt, sese exhibet Apoc. 1. 9. *Ego Joannes .... fui in insula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & testimonium Jesu*. Et Apoc. 1. 2. *Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Jesu Christi quæcumque vidit*. Quę quidem iis respondent, quę S. Joannes in Evangelio scripsit c. 19. 35. *Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium ejus*. Verba denique ibi occurrunt S. Joanni peculiaria, quibus Filium Dei *Agnum* [3], *Verbum* [4] appellat.

Sententiam, quę Apocalypsim Cerintho adscribit, retundere supervacaneum ducimus, cum hujus Heresiarchę errores ab ea validissime oppugnentur. *Theologi* etiam cognomen [5], quo ejus Author inscribitur, a S. Joanne scriptam ostendit; ita enim, quod prę cęteris sublimius de Divinitate scripserit, a Veteribus appellari consuevit. Vulgata Apostolum tantummodo inscribit. Variant Græca Exemplaria; nonnulli etiam Theologi nomini Apostolum & Evangelistam apponunt. Apocalypsis denique doctrinę puritate, & excellentia, vaticiniis de futuro Ecclesię statu eventu omnino adimpletis, omnes Divinitatis characteres ostentat. Nullum enim nobis Operis inspirati, & Divini certius argumentum, quam futurorum per eventum impleta prędictio [6]. Nil pręterea in Apocalypsi, quod S. Joannis vitę & doctrinę adversetur. In ea denique S. Joannes veluti Ecclesię Asię Apostolus, & Pręsul loquens inducitur [7], suas de Divinitate sententias pręstantissimas exhibet, & prophetiarum, atque Judęorum consuetudinum peritissimum se ostendit.

ARTICULUS IV.

Quo tempore, loco, & idiomate scripta Apocalypsis. De stilo judicium.

APocalypsim in Pathmos Insula scriptam fuisse, ab ipso ejus Authore docemur: *Ego*, inquit Apoc. 1. 9. *fui in Insula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & testimonium Jesu*. Qui eam adscri-

1 Amphiloch. in Catalog. 2 In explicat. Psal. 1. in nov. edit. S. Hieronym. p. 526.
3 Apoc. 5. 7. &c. Confer cum Joan. 1. 29. 36. 4 Apoc. 19. 13. Confer cum Jo. 1. 1. & 5. 7.
5 Titull. in editis. 6 Isai. 41. 23. *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos*. 7 Hieronym. in Catalog. in Joann.

scripsere Cerintho, Joannis nomine ab eodem editam forte putarunt; Cerinthum enim nunquam in Pathmos exulasse certo scimus; Veteres autem de S. Joannis in eadem Insula exitio vulgo omnes meminere; idque etiam S. Irenæus l. 5. c. 30. Eusebius in Chronic. ad ann. 14. Domitian. S. Hieronymus in Catalog. S. Victorinus in Apocal. & alii plurimi testantur. Solus Epiphanius S. Joannis exilium Claudio, non vero Domitiano, imperante collocat; cui, ut ostendimus, & Grotius adhæsit. Ligfootus, & Hammondus Grotio subscribunt. Salmeron, Hentenius, & P. Possinus Apocalypsim ante Jerosolymæ excidium conscriptam tuentur. Vulgo tamen & Veteres, & recentiores Interpretes inter Christi annos 94. & 96. exaratam statuunt. Illis sub Domitiano scripta est, his post ejusdem Imperatoris interitum, cum S. Joannes restitutus est. Addit Grotius, Eusebii testimonio assertum esse, quod S. Joannes suam Apocalypsim Ephesi ediderit; qua de re nil prorsus apud Eusebium. Verum S. Victorinus Petaviensis Episcopus ab Joanne post exilium editam arbitratur [1].

Scaliger [2] Apocalypsim primo Hebraice exaratam credidit, cui quidem a nemine adhibita fides. Omnes omnino Græce scriptam vel putant, vel affirmant: quod Textus ipse satis ostendit. Deus enim ibi pluries de se ipso enunciat: *Ego sum Alpha & Omega*. Id autem Hebraice neque significaret, neque perciperetur, cum *Omega* non modo non sit literarum Hebraicarum postrema, verum etiam ad Hebraicum Alphabetum nullatenus pertineat. S. Dionysius Alexandrinus apud Euseb. hist. Eccl. l. 7. c. 25. Evangelii & primæ S. Joannis Epistolæ stilum, ab Apocalypsi abhorrere, penitus asserit. Illa enim, addit, phrasium elegantiam, & sermonis puritatem barbarismis, solœcismis, & idiotismis prorsus immunem præferunt; quippe Deus scientiæ & eloquentiæ munere Discipulum Dilectum instruxerat. Hæc vero elocutionem non omnino Græcam, quandoque etiam barbarismis, vel solœcismis vitiatam exhibet. Sedemum ab exemplis ea de re producendis ob reverentiam abstinere concludit, cujus præterea idcirco tantum se meminisse testatur, ut & studiose rem perpendisse, & stili varietatem se comperisse palam omnibus faceret.

Si stili diversitas Opus aliquod ab Authore aliquo certo abjudicaret, Apocalypsis S. Joanni utique adscribenda non esset. Plurima vero, ætas nempe, temporum circumstantiæ, animi genius, rei, de qua agitur, argumentum ad stili varietatem quammaxime conferunt. Tria Salomonis Opuscula, singula peculiarem præferunt elocutionem: gravem, & sententiis refertam Proverbia; fortem & argumentis revincentem Ecclesiastes; suavem, accuratam, vividam Cantica Canticorum. Præterea in Pathmos Insula, Ibi enim cum Patrum plerisque, & ferme singulis, Apocalypsim a S. Joanne editam ducimus, eadem, quæ Ephesi, præsto ei non erant auxilia, quibus per Viros peritiores & stilum expoliret, & opus castigaret.

Apocalypsis artificium atque venustas Doctissimis plurimis in admiratione fuere. S. Hieronymi laudes supra jam retulimus. S. Dionysius Alexandrinus Opus, quantum ad rem ipsam, plurimum commendat. Henricus Morus [3] tanti Apocalypsim pendit, ut ejus artificium & venustatem omnibus præferat; *Nullus unquam Liber majori cum artificio scriptus est, unoquoque verbo velut in bilance pensitato*. Abbas du Pin [4] hujus voluminis singula verbis amplissimis effert, sublimem & propheticum stilum; narrationes omnes & descriptiones præclaras, grandes, & phrasibus propheticis expressas. Permaximo, subdit, artificio elaboratum est; Veteris Testamenti figuras sibi egregie accommodatas exhibet; Veterum Prophetarum phrases ad rem summopere usurpat. Cœlum & terra visionibus singulis theatrum, Dominus vero, Agnus, Angeli, inferorum Potestates, mundi Reges, Idololatria in scenam inducuntur, & singula ad virum personam agunt suam, ut Lectorum animi ab iis tanquam vi quadam sensibili commoveantur. Narrationes demum, simplici licet & naturali methodo expositæ, sublimitatem, phrases vero undique magnificentiam referunt. Si quid obscurum, non ad verba, ad res tantummodo referendum.

Si hujus præstantissimi Viri judicio & nostram sententiam nobis liceat adjungere, cum Apocalypsim suscepimus explicandam, nullo in illam inclinantis ingenii momento ferebamur; eam enim veluti ænigma humana inquisitione, nisi divina opitularetur revelatio, nunquam solvendum animis nostris reputabamus; omnesque Interpretes nobis veluti homines effingebamus, qui tenebris undique offusi, quo forte feruntur, incedunt. Re vero studiose perspecta eam operis venustatem tandem agnovimus, ut cum elegantissimis Danielis, Isajæ, Jeremiæ, Ezechielis locis jure merito possit comparari; nil profecto nobis occurrit, quod nostram in se non converterit admirationem. Sive ordinem, & rerum delectum, sive lumen in obscura quædam loca opportune effusum, & eventus ingeniis nobilibusque figuris mirifice contectos; sive sexcentis propemodum in locis, quæ micant in Prophetis & in Templi ritibus singularia magnificis allusionibus expressa; sive denique pulcherrimas descriptiones ad timorem nna & reverentiam in Lectorum animis concitandam idoneas advertamus, omnia magnificentiam referunt, & venustatem. Divina ibi Majestas, infinita ejus Potentia, & in Reges, Imperia, Orbemque universum Dominium supremum vividis coloribus exhibentur. Narrationes graves, vividæ, variæ, & ingeniosæ. Vividiorem hac poesim nunquam agnovimus, nil enim irritum, nihil otiose positum offendimus; eorumque, ad quæ Apocalypsis respicit, vestigia ita dilucide perspicimus, ut historiam figurate contextam, seu poeticis ornamentis instructam perlegere teneamus.

---

1 Victor. Petav. in Apocal. p. 579. D. 2 Scaligerana. 3 Henric. Morus Vision. Apoc. l. 3 c. 15. in Synopsi p. 1661. 4 Du Pin Apocalyps. pag. 514

ARTICULUS V.

Apocalypsis argumentum & conspectus.

TRifariam Apocalypsis dividi potest. Prima tria capita ad septem Asiæ Ecclesias respiciunt, quibus excolendis S. Joannes potissimum institit, quibusque vel ex Insula Pathmos, ubi exulabat, gubernandis incubuit. Sexdecim succedentia capita calamitates & bella, quibus a suis persecutoribus Ecclesia confecta est; victorias, quas de illis retulit; ultionem denique, quam ab hostibus propter cæsos Martyres Deus exegit, complectuntur. Tria demum postrema ad Filii Dei triumphum pertinent, quibus etiam Beatorum Martyrum felicitas, Judicium postremum, mortuorum resurrectio, Justorumque in Cœlis æterna voluptas describuntur.

Tribus primis capitibus ad Ephesi, Smirnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, & Laodiceæ Ecclesias propheticam instructionem contineri, vulgo convenit; quamquam plures Interpretes in iisdem mysteria investigent, & monita ad septem Ecclesias ita directa, ut ad futuros etiam eventus, & ad totam Ecclesiam pertinere tueantur. Tria vero postrema ad Mundi interitum, & ad Beatorum in cœlis felicitatem, nullum est omnino discrimen. Tota igitur interpretationis difficultas secundam hujus divisionis partem afficit, & in eo sita est, ut non modo generatim, hac enim ratione vix inter Authores dissidium, verum etiam peculiariter S. Joannis vaticinia in historiis completa esse ostendantur, ab anno 303. quo maxima Diocletiani & Galerii cœpta est persecutio, usque ad annum 410. quo Romam Alaricus oppugnavit. Hujus persecutionis veluti præludia habendæ sunt cæteræ, quas Judæi, Præfecti, Imperatores Romani, & Idololatræ ceteri in Ecclesiam excitarunt.

Quartum caput Præfationis vices gerit, qua Dei Majestas, & veluti scena, ubi hæc acta est visio, describitur. Dei decreta atque consilia a Jesu Christo S. Joanni revelata, per Librum septem consignatum sigillis, & ab Agno resignatum, quinto capite exhibentur. Dum sigilla singula (cap. 6. & 7.) aperiuntur, eventus ab eorum quolibet contecti patefiunt, seu potius quæ deinde eventura sunt, prænunciantur. Primo resignato sigillo, Jesus Christus albo equo insidens sese victorem exhibet, ut famulis suis addat alacritatem; *Confidite: ego vici mundum* Joan. 16. 33. Secundo bellum, a quo Ecclesia vexanda est; tertio, caritate quapremendum est Imperium; quarto pestis, seu mortalitas prædicuntur. Quinto SS. Martyres ultionem expetunt. Sexto concutitur tellus, tenebris Sol, Luna sanguine offunditur, cadunt sidera &c. quæ omnia calamitates referunt, quibus Roma, Romanum Imperium, & Ecclesiæ persecutores obruti, propter immanes Fidelium cædes, corripientur. En totius Apocalypsis generale argumentum. Singula vero consequentibus capitibus peculiarius ostenduntur. Huc usque eorum, quæ ventura sunt, veluti contracta tabula visa est, atque adumbratio: eadem deinde fusius, atque ampliora exhibentur; Prophetia enim gradatim clarescit: quo vero ulterius progredimur, eo Spiritus Sancti majori luce perfundimur.

Cap. 7. ad magnum aliquid aspiciendum instruimur quatuor Angelorum repræsentatione, qui ventis singulis dominantes, ventorum impetum cohibere jubentur, quousque Dei signum in omnium Electorum frontibus imprimatur; statimque eodem Dei sigillo innumeri notantur. Angelus deinde (cap. 8.) sigillum septimum resignat; quo aperto septem Angeli totidem videntur tubis instructi. Prima clangente tuba tertia terræ pars exuritur. Ignis bellum designat. Clangit tuba secunda, & mons in mare dejicitur. Judæorum ultimo sub Trajano & Adriano a Romanis deficientium supremum excidium, per eum montem in mare dejectum exhiberi putamus. Tertia clangit tuba, & sidus e cœlo cadit, venenoque flumina inficiuntur. Quo forte sidere falsus Sideris filius Barchochebas exprimitur, qui Judæos adversus Romanos excitavit; quæ defectio Romanis quidem noxia, sed Judæis exitialis.

Quarta clangente tuba Sol & Luna tertiam suæ claritatis partem amittunt; quibus vel primæ hæreses, quæ Ecclesiam teterrime obumbrarunt, vel Judæorum infortunia, vel Romani Imperii calamitates designantur. Post hæc auditur Aquila, quæ gravioribus terram obruendam esse malis, ubi quatuor superstites Angeli sonitum edant, voce magna intentat. Clangit tuba quinta (cap. 9.), statimque stella de cœlo delapsa ostium abyssi recludit; unde innumeræ locustæ egressæ, omnem omnino terram populantur. Barbari, qui post Constantini, ejusque filiorum obitum, Romanum invaserunt Imperium, his locustis referuntur; quorum quidem populorum characteres per eamdem locustarum figuram optime exhibentur. Prophetæ ad Dei Majestatem efferendam figuratos sermones sæpissime usurpant. *Sibilabit Dominus muscæ*, inquit Isajas 7. 18. *quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ est in terra Assur, & venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium &c.* quibus utique verbis Ægyptias & Assyrias acies designavit.

Clangit sextus Angelus, & statim voce ex aureo Altari egressa jussus solvit quatuor Angelos, qui utrique Imperio Parthorum, & Romanorum præsidio erant. His utriusque Imperii exercitus referuntur; quorum pacem ab anno 320. usque ad 337. utrinque mutuo habitam Sapores diremit. Constantinus, antequam bellum adoriretur, interiit; cujus deinde impetus repulit Constantius, quin ulla unquam momenti clade conficeretur. Verum Julianus interemptus occubuit, ejusque exercitus prope fuit, ut ab hujusmodi Imperatoris imprudentia atque temeritate ad postremum exitium perduceretur. Antequam tuba septima clangat, sese Angelus exhibet, (Cap. 10.) qui manibus libellum præferens, S. Joanni tradit devorandum. Quo Dei de sua Ecclesia consilia S. Joanni revelata ostenduntur.

Tum ipse Joannes jussus est (cap. 11.) Templum metiri, præter atrium exterius, & Civitatem Jerusalem, quod hæc mensibus 42. seu diebus mille ducentis sexaginta, seu annis tribus cum dimidio a Gentibus essent proterenda. Hic Diocletiani exhibita persecutio. Tum sane Christi Ecclesia, ejusque Templum

plum quod ad exteriora attinet, Ethnicorum potestati tradita videbantur. Hi enim Ecclesiis eversis, Fidelibus obrutis, eorumque plurimis, vel quod infirmi essent, vel temerarii, ad Apostasiam perductis, innumeros etiam peremere martyrio; quos Martyres duo Testes designant, qui postquam perplurima præstitere prodigia, a Christi hostibus interfecti occubuerunt. Hanc procellam consequuta est tranquillitas, Constantinus Imperium in sui ditionem prorsus redegit; Ecclesia paci restituta est; Martyres demum & Cœlum & tellus meritis honoribus cumularunt. Verum ut ea tranquillitate Ecclesia potiretur, plurima bella, per terræmotus decimam Urbis partem evertentis speciem in Apocalypsi designata, Constantino & obeunda & suscipienda fuere.

Quæ Capitibus 10. & 11. quorum modo epitomen recensuimus, referuntur, illud tantummodo præstant, ut majori perfundantur lumine, quæ subobscure per sex Angelos clangentes designata fuerant. Ab utroque hoc capite harum prædictionum solutiones haurimus, & quare tot calamitates Imperium obruerint, clarius percipimus. Septimus tandem Angelus (cap. 11.) clangorem edit, lætaque vox insonat, qua Dei Filius victoriam & Regnum consequutus denunciatur. Hæc pax Ecclesiæ per Constantinum.

Ecclesiæ persecutiones, quas septem sigillorum, totidemque tubarum figuræ rudius retulerant, consequentibus capitibus exhibentur expressius. Per mulierem Sole amictam (cap. 12.) partui proximam, quam una cum filio septem capitibus instructus Draco devorare intentat, Jesu Christi Ecclesia præfertur. Septem Draconis capita septem Imperatores Ecclesiæ persecutores ostendunt, videlicet Diocletianum, Maximianum, Herculem Galerium, Maximinum, Severum, Maxentium, & Licinium. Ecclesia persecutionibus invictis felicissime enititur: ut vero a furentium hostium impetu sese subducat, in desertum aliquandiu perfugit, & ab insequentis Draconis conatibus evadit incolumis.

Ut vividius adhuc tum Joannis Spiritui, tum Lectorum animis res eadem exhibeatur, bestia septiceps e mari egrediens, in quam Draco omnes suas vires confert, capite 13. inducitur. Bestia Romam, seu Romanum Imperium exprimit. Ex capitibus septem, quinque statim corruunt, quod Diocletianus, Maximinus, Galerius, Severus, Maxentius minus diu imperarint, Maximinus vero malis plurimis Ecclesiam in Oriente confecit. Sexto hoc deleto capite, septimum assurgit, quod brevi evertitur, puta Licinium. Egreditur tandem octavum, nempe Apostata Julianus, qui eodem hoc cap. 13. per bestiæ duobus cornibus Agni simillimis instructæ speciem exhibetur. Ea omnia, quibus veluti coloribus Julianus ab Joanne describitur, per historiam mirifice adimplentur. Hoc 13. caput cum 17. a quo fusius explicatur, conferendum.

Jesu Christi & Martyrum victoria, æterni Evangelii per orbem universum confirmatio, & de Roma infideli ultio exacta, messis & vindemiæ specie expressa, Capite 14. ostenduntur. Septem Angeli totidem phialas (cap. 15.) ira Dei plenas in Jesu Christi, & Ecclesiæ hostes effundunt (cap. 16.) His forte innuuntur calamitates, quæ post Constantini, ejusque filiorum obitum Imperium obruerunt. Hæc luculentius in Commentario videnda. Cap. 17. magnam inducit meretricem, Regum terræ Dominam, septem montibus insidentem, & Martyrum sanguine perfusam, quæ mystice Babylon appellatur, quæque prostitutionis suæ mero populos omnes inebriat: quibus omnibus Romanum Imperium, seu Roma perspicue designatur; singuli enim hi characteres omnes Romæ infideli, veluti Romani Imperii Metropoli congruunt. Hæc magna meretrix septicipiti bestiæ insidet. Bestia interficitur, ejusque septem capita septem Imperatores Ecclesiæ persecutores, octavum vero Julianum Apostatam exhibentia, evertuntur. His decem cornua succedunt, nempe Barbarorum Reges, qui in Romano Imperio sibi sedibus constitutis, Romanæ Religionis ritibus, atque moribus adhærere decreverant. Hi primum in Ecclesiam & Agnum arma sua verterunt; demum vero profligati se Fidei dedere, & ei, quem insequuti fuerant, cultum venerationemque adhibuere.

Caput 18. bellorum omnium, omniumque minarum, quas hucusque vidimus, veluti conclusio. Babylon evertitur; Domini populus incolumis egreditur: nationes, & longinqui Reges ejus excidium plorant; exsecrantur alii, ejusque infortuniis insultant. Alaricus Roma capta Sanctos & Martyres ulciscitur. Christi de hostibus suis victoria; de Roma, Romanisque Imperatoribus ultio; Agni denique Nuptiæ, & Sanctorum, qui ad has nuptias vocantur, felicitas confuse capite 19. describuntur.

Tria cetera Capita 20. 21. 22. ad alteram vitam, & ad mundi exitum respiciunt. Idololatræ Imperio everso, & Martyrum sanguine vindicato, ab Angelo Draco seu Diabolus catena devinctus in abyssum ad mille annos detruditur; quibus peractis, iterum solutus, Gog & Magog adversus Christum & Ecclesiam concitat; utrumque vero ignis de cœlo delapsus absumit. Hæc sub mundi exitum Anti-Christi adventum referunt. Demum supremus Judex coram suo Tribunali omnes homines sistet, quorum alios, ut singulorum opera postulabunt, præmio, alios supplicio mancipabit.

Cœlis, terrisque (cap. 21.) innovatis, Christi Sponsa, nova Jerusalem, Catholica Ecclesia de Cœlo ad sponsum advenit; Eorum nuptiæ celebrantur. Hac nova Sponsa ditius nil, nilque venustius. Electi omnes convivio intersunt, Urbem mediam (cap. 22.) deliciarum fluvius intersecat, & secus fluvium plurimæ, quæ immortalitatem afferunt, arbores assurgunt. Per has magnificas species, post generalem resurrectionem, æterna Beatorum in Cœlis voluptas exhibetur. Hæc totius Libri œconomia.

ARTICULUS VI.

Apocalypses Apocrypha Apostolis S. Joanni, S. Petro, S. Paulo, S. Thomæ; S. Stephano &c. falso adscriptæ.

IMpostores, qui Epistolas, Acta, & falsa Evangelia Apostolorum nomine supposuerunt, iisdem & revelationes, seu Apocalypses falsas adscripsere. Extat in Vindobonensi Bibliotheca apud Lambec. Cod.

Cod. 119. fol. 318. 115. Codex Græcus manuscriptus, qui ita inscribitur: *Apocalypsis S. Ioannis Theologi, de Anti-Christo. Post Ascensionem Domini nostri Iesu Christi, cum essem solus, ego Ioannes, in monte Tabor &c.* Hunc vero Librum Veterum nemo agnovit; ea propter nihili habendus.

Falsa S. Petri Apocalypsis celebrior est, atque vetustior; ejus enim apud Theodorum secondi sæculi Scriptorem [1], apud S. Clementem Alexandrinum [2], Eusebium l. 3. hist. c. 3. Hieronymum Catalog. Script. Eccles. de S. Petro, & alios Veteres mentio. In Palæstinæ Ecclesiis hæc, teste Sozomeno [3], singulis annis Parasceves die legi consueverat; qua præterea die omnes Passionis Dominicæ obsequio cibis abstinebant. Et nunc apud Ægyptios hunc Librum venerationi haberi, & in Ecclesiis legi ferunt [4], quod prorsus incertum. Jacobus Vitriacus sæculi 13. Author, Petri quamdam Apocalypsim allegat, quæ ita inscribitur: *Revelationes Beati Apostoli S. Petri, a S. Clemente ejus Discipulo in volumen digestæ.* Hujus Author de Agarenorum, seu Turcarum legis eversione, & de proximo Paganismi excidio Petrum meminisse testatur. Ea, quam Veteres allegant, hanc Apocalypsim jure merito recentiorem putamus; quare minor etiam eidem fides.

S. Paulus 2. Cor. 12. 2. &c. usque ad tertium Cœlum, seu in Paradisum se raptum & mirabilia, quæ fieri nequit ut ab homine proferantur, se vidisse fatetur. Hujus occasione raptus, Cainitæ [5] nefarium contexuere Librum, quem *S. Pauli Anabaticum* appellatum S. Paulo adscripsere. Eo Gnostici etiam utebantur.

S. Augustinus in Joan. hom. 98. cujusdam S. Pauli Apocalypsis fabellis undique refertæ meminit, qua Apostoli ineffabilia referre dicuntur. Sozomeno teste l. 7. c. 19. quamdam S. Pauli Apocalypsim plurimi quinti sæculi Monachi permagni faciebant, quam arca marmorea conditam Tharsi Ciliciæ in ædibus S. Pauli, Theodosio I. imperante, inventam ostentabant. Quamobrem Sozomenus veritatis indagandæ cupidus, optimum quemdam Senem Tharsensis Ecclesiæ Presbyterum consuluit; a quo hujusmodi nunquam apud ipsos non accidisse, & forte id esse hæreticorum commentum, accepit. Eam præterea Veteribus prorsus incognitam asserit. Quamobrem alia est ab Ascensione, seu Apocalypsi S. Pauli, cujus apud Epiphanium & Augustinum mentio. Et profecto credi facile non potest, quod Monachi Sozomeno coævi tanti eam fecissent, si tot, quot hi Patres testantur, fabellis redundasset.

Oxonii in Bibliotheca Mertoniana Manuscriptum, *S. Pauli revelatio* inscriptum, D. Grabe invenit [6], quo ea, quæ per triduum, postquam resipuit, Apostolus viderat, referuntur: quo triduo S. Michael Inferni & Purgatorii pœnas Paulo videndas exhibuit; Paulus vero iis animabus a Deo veniam obtinuit, quæ deinceps qualibet die Dominica in Purgatorio excruciandæ reperirentur; quod utique solum deliramentum & novitatem, & non Operis falsitatem comprobat.

Cerinthus, primi sæculi hæresiarca nequissimus suam edidit Apocalypsim [7], qua sibi veluti Apostolo præstantissimo, sublimia plurima ab Angelo revelata ostentat. Post resurrectionem terrestre Jesu Christi Regnum Jerosolymis constituendum præsertim asserit; quo in Regno ad annos mille inter sensuum voluptates protrahendo, homines, quemadmodum nos in præsentia, vitiis, & concupiscentiis iterum subjicientur. Hinc forte factum est, ut Veteres nonnulli [8] veram S. Joannis Apocalypsim Cerintho tribuerint; utque alii, an Joannis vere fuerit, dubitarint [9]. Inde etiam de canonica ejus authoritate dubium invectum, quod millenario Regno per eamdem exhibito Hæretici abuterentur. Quædam demum simillimi species, quam eo de millenario vera Apocalypsis cum falsa præfert, in causa fuit, ut vererentur plurimi, ne utramque confunderent, & Cerinthi commentum, veluti Joannis revelationes, exciperent.

Anno 1595. novam quamdam Apocalypsim plumbeis laminis insculptam, ab iis, quas hucusque retulimus, prorsus aliam, Granati in Hispaniis repertam ferunt. Hispani quidam Authores Cæcilio S. Jacobi Majoris Discipulo, quem Hispaniarum Apostolum vocant, eamdem adscribunt [10]. Cæcilius secundo Neronis anno martyrio absumptus eam, inquiunt, Hispanice vertit, & commentariis adauxit. Plura de Mahometi Imperio, & de ejus sectatorum vastationibus, quibus obruendæ erant Hispaniæ, ibi occurrunt vaticinia. Qui vero S. Cæcilius tandiu antequam hispanicum idioma instingueretur, Hispanice scripserit? Quod inquit Franciscus Bivarius [11], novi, exteri, & adhuc occulti idiomatis donum divinitus acceperit; seu quod, juxta Gregorium Lopez [12], Christi & Apostolorum ætate Hispanum idioma usu jam convaluisset, quod deinceps plurimis Arabum verbis immixtum desiit. Verum hæc ab ipsis Hispanorum sapientibus improbata, & a Summis Pontificibus damnata deliramenta prætereamus [13].

Utramque Apocalypsim, quarum alteram S. Thomæ, alteram S. Stephano Protomartyri tribuunt, Gelasii Decretum rejicit. Hanc postremam Manichæi, ut Serapion testis est, sancti habebant, ut femori inscriptam, gererent [14]; quamquam id in editis Scriptoris hujus Exemplaribus non occurrit [15].

---

1 Vide Grabe Spicileg. tom. 1. pag. 74. apud Clem. Alex. 2 Vide Euseb. l. 6. c. 14.
3 Sozomen. l. 7. c. 19. Vide & Nicephor. l. 12. c. 34. 4 Prateolus Elench. hæres. pag. 358. Petr. de Luxemburg. Catalog. hæres. l. 2. 5 Epiph. hæres. 38. c. 2. p. 277.
6 Grabe Spicileg. Patr. tom. 1. pag. 83. ex Biblioth. Merton. Cod. 13. 2. art. fol. 77.
7 Euseb. hist. Eccl. l. 3. c. 28. ex Cajo Rom. Eccles. Presbyt. Theodoret. Hæret. Fabul. 2. c. 3.
8 Vide Philastr. hæres. 60. & Epiphan. hæres. 50. Quidam apud Dionys. Alex. apud Euseb. l. 7. c. 25.
9 Dionys. Alex. apud Euseb. l. 3. c. 39. alii. 10 Vide Bivarium, Michael de Luna Bern. de Aldrete &c. apud Fabric. tom. 2. de Apocryph. p. 963. 11 Bivarius Cisterciens. Monach. Comment. in pseudo Dextri Chronic. ann. 54. pag. 110. 12 Gregor. Lopez. Apolog. pro vera Sancti Montis Granat. antiquitate.
13 Vide apud Bolland. tom. 3. Februar. p. 10. & tom. 7. Maii, pag. 285. 14 Apud Sixt. Senens. l. 2. ex Serapionis Opere contr. Manich. 15 Imo neque apud Sixtum Senensem. Vide loc. cit.

COM-

COMMENTARIUM LITTERALE IN APOCALYPSIM SANCTI JOANNIS.

CAPUT PRIMUM.

Apocalypsis a Jesu Christo dictata, missa de Insula Patmos ad septem Ecclesias Asiæ. Septem aurea candelabra, septem Ecclesias designantia. Jesus Christus manu gestans septem stellas; quæ septem Episcopos exhibent septem Ecclesiarum.

1 APocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ
oportet fieri cito: & significavit, mittens per Angelum suum servo suo
Joanni. 2 Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Jesu
Christi, quæcumque vidit. 3 Beatus, qui legit, & audit verba prophetiæ hujus
& servat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim prope est. 4 Joannes septem Ec-
clesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui
venturus est; & a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt: 5 Et a Jesu
Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ:
qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, 6 Et fecit nos re-
gnum, & sacerdotes Deo, & Patri suo: ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculo-
rum: Amen. 7 Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum
pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ: Etiam: Amen. 8 Ego
sum Alpha, & Omega, principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui
erat, & qui venturus est, omnipotens. 9 Ego Joannes frater vester, & particeps in
tribulatione, & regno, & patientia in Christo Jesu, fui in insula, quæ appellatur
Patmos, propter verbum Dei, & testimonium Jesu: 10 Fui in spiritu in Dominica
die, & audivi post me vocem magnam tamquam tubæ, 11 Dicentis: Quod vides,
scribe in libro: & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, &
Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ. 12 Et conversus
sum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum: Et conversus vidi septem candela-
bra aurea: 13 Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis,
vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea: 14 Caput autem ejus, &
capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix, & oculi ejus tamquam flam-
ma ignis, 15 Et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti, & vox il-
lius tamquam vox aquarum multarum: 16 Et habebat in dextera sua stellas septem
& de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat: & facies ejus sicut sol lucet in vir-
tute sua. 17 Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus. Et po-
suit dexteram suam super me, dicens: Noli timere, ego sum primus, & novissimus:
18 Et vivus, & fui mortuus: & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo cla-
ves mortis, & inferni. 19 Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet
fieri post hæc. 20 Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, &
septem candelabra aurea: septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum; & cande-
labra, septem Ecclesiæ sunt.

℣. 1. APOCALYPSIS JESU CHRISTI, QUAM DEDIT ILLI DEUS.] Nomen Apocalypseos Græce sonat revelationem. Sacra Evangelia historiam continent actionum, quas patravit Jesus Christus in vita sua humana; Apocalypsis nos docet gesta, quæ post Ascensionem suam in Cœlos fecit in Ecclesia. Evangelistæ nobis produnt fundamenta Regni Dei, quæ Jesus Christus venit jacere super terram; Apocalypsis nobis tradit persecutiones, quas novum hoc Regnum perpessum est ab Idololatris, triumpham, quem de ipsis retulit, denique hujus imperii consumptionem in fine Mundi, & in extremo judicio. Alii Prophetæ prophetias suas fere auspicabantur ab hisce verbis. *Verba Jeremiæ filii Helciæ* [1] *visio Isaiæ filii Amos &c.* vel: *verbum Domini, quod factum est ad Ezechielem, ad Jonam, ad Joelem*, &c. Hic autem ipse Jesus Christus, S. Joanni apparet, & cum eo loquitur. S. Joannes hujus prophetiæ non est author, sed scriptor tantum, quam Jesus Christus ei dictat.

Filius accepit hanc revelationem a Patre: *Quam dedit illi Deus*; eam accepit non uti Deus, quippe quatenus Deus omnia novit, & omnia habet in potestate; sed sicut homo, qui a Deo omne lumen accepit, & omnem gratiam, ubi verbum hypostatice cum natura humana conjunctum est. Porro dicitur eam accepisse, cum illam Divo Joanni detexit, quippe erat antea ignota, atque abscondita; ac proinde quoad nos filius ante id tempus eam neque accepit, neque nobis aperuit.

PALAM FACERE SERVIS SUIS, QUÆ OPORTET FIERI CITO.] Hæc Prophetia dirigitur ad Christianos, ad servos Dei; tota respicit eorum commodum, & solamen; ac res complectitur propediem eventuras. Ac proinde tum ii, qui tunc locum interpretantur de dispersione, & calamitatibus Judæorum, quæ sub Vespesiano inciderunt; tum ii, qui eum explicant de eventuris in fine Mundi, & in extremo judicio, sententiam Apostoli non assequuntur. De rebus agit, quæ servos Dei, quibus scribit, attingunt, & quarum proximus est eventus [2]. Quod Mundi finem respicit, signis peculiaribus notatur, quibus a reliquis Prophetiæ partibus distinguitur, ut cap. 20. 21. 22. videbimus.

SIGNIFICAVIT MITTENS PER ANGELUM SUUM SERVO SUO JOANNI.] Ex hoc loco videtur, cum ait, Jesum Christum Joanni apparuisse, id intelligendum esse, Angelum nomine Jesu Christi ei verba fecisse [a]: quemadmodum Angelus Domini alloquens Moysem, eum semper alloquitur, tamquam si Deus ipse foret. Jesus Christus vere loquendo est Propheta, & hujus operis auctor; Angelus nuntius est, mediator, & minister; S. Joannes est scriptor, ac depositarius.

℣. 2. QUI TESTIMONIUM PERHIBUIT VERBO DEI [3].] Nihil vobis dico, quod mihi certum non sit; ego vidi, ego novi, ego loquutus sum; ego sum testis eorum, quæ scio, quæ mihi Deus detexit, quæque ipse nuntiare me jussit hominibus. S. Joannes fere se notat hisce verbis: *Quod fuit ab initio*, inquit is in prima sua Epistola c. 1. 1. *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, annuntiamus vobis*. Tum 19. 35. *Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus*. Ipse nondum Evangelium suum conscripserat, sed in multis Asiæ prædicaverat urbibus, & rectitudine sua, atque integritate innotescebat. Non verebatur, cum verum esse testimonium suum ajebat, ne ab aliquo mendacii postularetur, neve argueretur, quod in sua Apocalypsi perinde, atque in sermonibus suis, quod sibi non esset certissimum, asseveret.

℣. 3. BEATUS QUI LEGIT [4].] Nolite hæc existimare, perinde ac vos nihil attingant, tamquam Prophetiam rerum remotarum, & quibus vos interesse minime debeatis. Nuntiaturus sum vobis res proximas, & gravissimas, quæ regnum Dei respiciunt, & Ecclesiæ suæ statum, quæ nobis ipsa vita, existimatione, & quocumque vel maximo bono cariora esse debent. Hinc si liber iste in manus vestras inciderit, cavete ne illum rejiciatis; attente, pie, & religiose illum legitote; hic est ipsius Jesu Christi sermo. Beati si eum intellexeritis. Orate ut illum capiatis; id autem, quod minime percipietis, adorate.

ET SERVAT EA, QUÆ IN EA SCRIPTA SUNT.] Qui ea memoria [5] tenet, qui per ea proficit, qui ea scrutatur, expendit, qui iis subjicitur; postremo, qui ea exequitur, quæ emendandis moribus inserviunt, exempli causa, quæ septem Ecclesiis scripta sunt, & adversus Idololatriam occurrunt.

TEMPUS ENIM PROPE EST.] Veteres Prophetæ nonnisi de rebus remotis vobiscum agebant; hæc in extremis diebus, in extremis evenient temporibus, dicunt ii. *Visionem signa*, dicit Dominus Danieli c. 18. 26. *quia post multos dies erit*. Hic secus est; tempus proximum est, res propius vos attingit; initium saltem eorum, quæ vobis vaticinor, propediem inspicietis. Ita sibi argumentis, vel efficacissimis, eorum attentionem conciliabat.

℣. 4. JOANNES SEPTEM ECCLESIIS, QUÆ SUNT IN ASIA.] Hæ septem Ecclesiæ sunt Ephesus, Smyrna, Pergamus, Thiatyra, Sardes, Philadelphia, & Laodicæa [6]; quæ omnes erant in Asia Minori, vel in Asiæ Provincia Proconsulari. Aliæ profecto plures aderant in hac Provincia Ecclesiæ, ac S. Joannis opus omnes orbis Ecclesias spectabat; sed cum ea, quæ nomine Jesu Christi initio Apocalypsis annunciat, hasce præcipue Ecclesias respiciant, idcirco has tantum nominat hoc in loco. Aliæ Ecclesiæ, vel hujusmodi documentis non indigebant, vel non adeo peculiariter ab ipso regebantur. Quippe, quemadmodum in Præfatione diximus, ex Insula Patmos, ubi exul degebat, administrabat Ecclesias Asiæ, quæ propius ab ipso aberant, & in quibus facile Episcupos constituerat.

PAX AB EO, QUI EST, & QUI ERAT, & QUI VENTURUS EST.] Vel potius ab ente æterno, quod præteritum, præsens, & futurum continet [7]. D. Joannes vim Hebraicorum verborum, quibus in Exodo utitur Angelus, quo nomen Dei designet, voluit exprimere [8]: *Ego sum, qui sum*. Vel juxta Hebræos. *Ego ero qui ero*; & : *ille qui est, me misit ad vos*. Nomen *Jehovah*, quod est proprium, & incommunicabile Dei, tria tempora præsens, præteritum, & futurum complectitur; & æternitatem Dei, atque immutabilitatem significat. In Deo rite loquendo nihil est præteritum, nihil futurum, sed omnia sunt præsentia. Verum pro nostri intellectus infirmitate, ipsi tria tempora accommodamus, ut omnem varietatem, successionem, inconstantiam auferamus. Quod hic de Patre asserit S. Joannes, adscribit etiam Christo cap. 3. ℣. 1.

ET A SEPTEM SPIRITIBUS, QUI IN CONSPECTU THRONI EJUS SUNT.] In veteri Testamento passim nobis exhibetur thronus Dei, innumeris beatis spiritibus circumseptus [9], inter quos septem sunt primores [10], qui Archangeli appellari possunt, sive principes ministri Domini. Hæc figura deducta est ab Aula Regum Persarum [11], omnium Orientalium potentissima ac splendidissima, in qua aderant septem Principes ministri, faciem Regis intuentes, & accedentes ad ipsum, qui oculi, atque aures Regis appellabantur. Si igitur Joannes hic Dominum a septem Principibus Angelis circum-

---

1 Vide infra vers. 3. & 22. 20.
a Grot. Cornel. Bossuet, Du Pin.
3 Nonnulla exemplaria Græca addunt: [illegible]. Ita Steph. 2. Per. 3. Barb. 1. Cov. 2. Arab. Alii: [illegible].
4 Græci *& ille* qui legit, & ii qui audiunt. [illegible]. Alii plures: [illegible]. Barb. 1. Vulg. Æth. Velez.
5 Grot. Cornel. Piscat. du Pin, alii passim.
6 Infra vers. 11.
7 Vide Perer. Ribes. Cornel. Grot. alios.
8 Exod. 3. 14. [illegible]
9 Dan. 7. 10. Confer 3. Reg. 22. 19. & Job. 1. 6. &c.
10 Vide Tobiam 12. 15. *Raphael ex septem qui astamus ante Dominum*. Vide quoque Zach. 4. 10. *Septem isti oculi sunt Domini*.
11 Esth. 1. 10. 14. *Septem Duces Persarum, atque Medorum, qui videbant faciem Regis*. 1. Esdr. 7. 14. 3. Esdr. 8. 12.

cumdatum repræsentat, iis pacem optantibus, quibus ipse scribit. Sacræ Scripturæ sunt veluti Epistolæ, quas a Deo accipimus[1]: *Venerunt ad nos literæ de patria nostra.*

Multi veteres [a] septem *spiritus* hoc in loco intellexerunt de Spiritu Sancto, adeo ut in hoc versiculo totum Sanctissimæ Trinitatis mysterium occurrat. Pater designatur his verbis, *ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est*. Filius his, *& a Jesu Christo*; his denique Spiritus Sanctus, *& septem spiritibus*. Datur ipsi septenus numerus propter septem munera, quæ hominibus impertitur. Sed interpretatio de Angelis verbum magis sequitur. Vide infra Apoc. 4.5. 5.6. 8.2.

℣. 5. ET A JESU CHRISTO, QUI EST TESTIS FIDELIS.] Cur septem Angeli, de quibus modo sermonem fecit, Jesu Christo preponuntur? Hoc præstitit D. Joannes, ne illius nomen repetere cogeretur, dum illum deinde inducturus est, Ecclesias alloquentem. Præterea nihil officit summo obsequio, quod debetur Christo, loquendo de Patre, ea quoque describere, quæ ad ejus attinent majestatem, tum loqui de Filio iis verbis, quæ ejus potentiæ conveniunt. Verum quidem est, S. Joannem optare pacem fidelibus nomine septem Angelorum, non secus ac Patris, & Filii nomine, quod videretur eos quodammodo personis divinis æquare. Verum nullum licet intercedat discrimen in verbis, & ratione, qua pacem optat nomine Angelorum, ac Dei, reapse tamen ingens est differentia. Angeli eam possunt nobis optare, possunt eam petere pro nobis, possunt divino nomine eam nobis annuntiare, at nemo unus est præter Deum, qui eam nobis, ut Dominus, dare possit. Angeli sunt ministri: atque instrumenta; Deus unus est omnipotens, & despoticus munerum suorum dispensator, causa, & principium.

Ait Divus Joannes, Jesum Christum, *esse testem fidelem*, de quo scriptum est in Isaja 43. 10. *Ecce testem populi dedi eum*; atque de se ipse ait in Evangelio Joan. 18. 37. *Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*. Non est sicut Prophetæ, qui veritates a Deo ipsis revelatas testabantur; J.C. est ipsa veritas, qui nos docet, quæ ab omni æternitate vidit ac novit [3]. Cum igitur hanc prophetiam legeris, ita ne dicatis; homo est, qui nos alloquitur; quomodo certi esse possumus de verborum ejus veritate? Hic est ipse Christus testis fidelis, atque æterna veritas, qui vos edocet per me.

PRIMOGENITUS MORTUORUM [4].] Primus eorum omnium, qui resurrexerunt, ne amplius morerentur, & qui virtute sua resurrexerunt. Nonnulli ante Jesum Christum ad vitam revocati fuere; novimus, quid Scriptura 4. Reg. 4. 33. de filio viduæ excitato ab Elisæo, & 4. Reg. 13. 21. de mortuo, qui surrexit ad ossium ejus contactum, & Joan 4. 39. de Lazaro per Jesum Christum suscitato narret: at istorum nemo resurrexit, ne amplius moreretur, nemo virtute sua resurrexit. Cum dico, me vobis mittere a Jesu Christo mihi dictatam revelationem, ne putetis, mortuum jam Servatorem cum hominibus amplius loqui non posse; ipse resurrexit, & nos etiam cum ipso aliquando revocabit in vitam; ipse est primogenitus mortuorum; est veluti noster primogenitus frater; illius resurrectio est nostræ pignus, & argumentum; resurrexit, ut nobis gloriam, & gratiam promereretur resurrectionis.

Primogeniti nomen passim usurpatur in Scriptura pro maxime, atque insigniter bono, vel malo. Ita dicitur Psal. 78. 28. *primogenitus Regum terræ*. Job 18. 13. *primogenita mors*: Isai. 40. 30. *primogeniti pauperum*. Ac Divus Paulus ad Rom. 8. 29. loquens de Jesu Christo, illum appellat *primogenitum in multis fratribus*; & ad Coloss. 1. 15. *primogenitum omnis creaturæ*; & S. Joannes hic, *primogenitum mortuorum*. Possunt igitur hæc

A verba explicari: Jesus, qui est testis fidelis, & præstantissimus ac præclarissimus omnium, qui surrexerunt, ejus enim resurrectio est immortalis vitæ principium, qui virtute sua resurrexit, & resurrectione sua spem nobis resurgendi aliquando, & sua fruendi gloria gignit.

PRINCEPS REGUM TERRÆ.] Rex Regum, & Dominus dominantium. Idcirco, quæ vobis ejus nomine dico, eo, quo par est, obsequio, excipite. Hoc attributum *Rex Regum* proprium est Dei, uti videre est in Daniele 4. 17. Hoc titulo S. Joannes vult Jesu Christi divinitatem designare.

QUI DILEXIT NOS.] Exemplaria Græca hoc loco discrepant inter se [5]. Alia habent; *qui lavit nos*; alia; *qui nos solvit a peccatis*; & alia utramque lectio-

B nem nectunt. Amor, quo nos Jesus Christus complexus est, & redemptio, quam nobis suo sanguine conciliavit, per omnes novi Testamenti paginas verbis exprimuntur indelebilibus.

℣. 6. ET FECIT NOS REGNUM.] Omnes Christiani uti membra, uti fratres, uti cohæredes Jesu Christi sunt vere Reges. Participes sunt ejus regni, gloriæ, atque imperii, quod in mortem, peccatum, ac dæmonem exercet; hoc enim imperium ipsimet ejus instructi gratia, in saluris suæ hostes exercent. Ipsi quoque sunt Sacerdotes, cum incruentum Altaris sacrificium, in quo Christus est Sacerdos simul & hostia, cum ipso offerant Patri; ipsi se se devovent æterno Patri; ei offerunt corde contrito, atque humiliato laudum hostias; offerunt preces, quas vocat Scriptura Osee 14. 3. *vitu-*

C *los labiorum*. Confer hunc locum cum Exodi 19. 6. *Eritis mihi in Regnum Sacerdotale*, & cum 1. Petri 2. 9. *Vos autem electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*. Pro *fecit nos Regnum, & Sacerdotes*. Græca edita habent [7], *Reges, & Sacerdotes*. Sed multa vetera manuscripta nihil abludunt a Vulgata. Alia legunt: *fecit nos Regnum, & Sacerdotium*, quæ tamen omnia eodem recidunt.

℣. 7. ECCE VENIT CUM NUBIBUS.] Pleriqun veteres, recentioresque Interpretes hæc referunt in adventum Jesu Christi, in diem iræ suæ, & in extremum Judicium. Sed cum pluribus aliis existimari potest, Divum Joannem designare velle ultionem, quam Jesus Christus exercebit adversus suæ Ecclesiæ insectatores, atque imprimis contra Romanum Imperium. Siqui-

D dem Scriptura cum vult vindictam Dei extraordinariam exprimere, utitur plerumque hisce figuris, nempe Dominum cum acie sua venire, gloria, & majestate circumdatum, Cœlum ac terram concutere, obscurare Solem, ac Lunam, stellas de firmamento eruere, in aciem adducere elementa, bestias, & extremos populos ad hostes suos exterminandos, fugare Oceanum, liquare montes, & aliis hujusmodi dictionibus hyperbolicis, quæ ex omnium Interpretum consensu ad verbum non sunt explicandæ.

Exempli causa, cum Habacuc cap. 3. 5. & seqq. describit Dominum venientem de Sina, & Seir ad profligandos Chananæos; & Auctor Psalmi 67. ℣. 8. & seq. cum exhibet hoc ipsum iter Domini; & David cum insignia adjumenta, quæ a Deo acceperat se regnan-

E te, recenset Psal. 17. 8. & Joel cap. 2. 10. in descriptione famis, & malorum, quæ agmen locustarum invexerat in Judæam; & Ezech. c. 38 & 39. cum de strage Gog sermonem facit; & servator noster in Evangelio, cum extremum Romanorum bellum in Judæos denuntiat, his plane locutionibus omnes utuntur. Plura alia exempla afferri possent; sed hæc in præsentia adnotasse sufficiat, ut quæ nonnullis hujus libri locis inservient, in elatiorum, ac magis figuratorum Prophetarum stylo descripti.

VIDE-

1 Aug. in Psal. 90. Enarr. 2. n. 1. & in Psal. 141. n. 5. Vide Perer. Ribei. alios.

a Ambrosiast. Andreas Cæsar. Primas. Rupert.

3 Joan. 3. 11. 30. 5. 20.

4 Ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν. Plures omittunt, ἐκ. Vide Mill.

5 Τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς καὶ λούσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ. Alii legunt: Ἀγαπῶντι καὶ λύσαντι. Alex. Covel. 2. Baroc. Syr. Alii quidam: Ἀγαπήσαντι ἡμᾶς καὶ λούσαντι, καὶ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας κηλῖδος λούσαντι ἐν τῇ ἐκχύσει τοῦ ζωτικοῦ αἵματος καὶ ὕδατος, ποιήσαντι ἡμᾶς βασίλειον ἱεράτευμα, Καὶ λούσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν, &c. Ita Aretas & Arab.

6 Psal. 30. 19.

7 Καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς. Alii: Βασιλείαν καὶ ἱερεῖς. Alii: Βασίλειον καὶ ἱεράτευμα. Alii: Βασίλειον ἱεράτευμα. Ex 1. Petri II. 5.

VIDEBIT EUM OMNIS OCULUS, & QUI EUM PUPUGERUNT.] Cum Jesus Christus in terram ad suos hostes debellandos venit, non apparet oculis hominum; sed eos ita gravat brachio suo, ut fateri cogantur Dei digito opprimi, & Omnipotentem esse contra se. *Qui pupugerunt* Jesum Christum, Judæi sunt; & Romani crudelitatis Judæorum Ministri, qui clavis illum cruci affigentes eum terebrarunt, & latus ejus lancea confoderunt. Hi sunt impii, qui nomen ejus blasphemarunt. Hebraice [1] verbum, quod blasphemare, violare, maledicere significat, pro perforare pariter usurpatur. Ii denique, qui eum pupugerunt, sunt Ecclesiæ suæ, Apostolorum, & Fidelium suorum persecutores. Aspicient hi aliquando filium Dei armatum, ut vindicet suorum amicorum sanguinem, atque eos, qui bellum veritati, & Religioni intulerunt [2], profliget.

ET PLANGENT SE SUPER EUM OMNES TRIBUS TERRÆ.] Populi Idololatræ, & Judæi, qui contumaces permanserunt, tunc videbunt Dei manum super se gravitantem; sentient, sed nimium sero, cum omnipotenti contendisse, eum infirmis, & se taeri non valentibus sibi res esse censentes. Quod revera non semel visum fuit, sed vicies a Domini nostri resurrectione ad Jesu Christi Ecclesiam sub Constantino, ejusque successoribus penitus confirmatam. Docti viri non potuere mala, quæ Judæis contigerunt. v. g. in priori bello, quod eis Romani sub Vespesiano intulerunt, & deinde in eo, quod ob seditionem Barchochebæ sub Adriano perpessi sunt, iræ divinæ non tribuere. Quæ Neroni, Domitiano, Severo, Diocletiano, Maximino, Licinio, Juliano Apostatæ contigerunt, & calamitates quibus percussum fuit Imperium, clarissima signa divinæ justitiæ fuerunt; & quamvis populi Deum clare non noverant, saltem agnoscebant sibi Deum iratum esse; quod ad asserendam verborum S. Joannis veritatem satis est. Ut autem vel minimum animadvertere voluissent, intelligere facile poterant, persecutiones in Christianos motas injustas esse. Alludit S. Joannes ad Ezechielem 32. 10. ubi aliud prorsus agitur.

Ad secundum quoque Domini adventum locus iste optime refertur; atque in hunc sensum a plerisque Patribus, & recentioribus Interpretibus explicatur. In hac significatione omnia ad verbum, & religiose intelligenda sunt; secus in præcedenti, in qua pleraque figurate, atque allegorice sunt explicanda.

ETIAM: AMEN.] Affirmat, quod asseruit, quia hæc erat veritas scitu necessaria, & ad fidem difficilis. Nolite timere mala præsentia, odium, & persecutiones hominum; tempus proximum est, quo sane Filius Dei in vestros hostes vim iræ suæ effundet.

℣. 8. EGO SUM ALPHA, ET OMEGA [3].] Prima, & ultima Græci alphabeti littera, principium, & finis. Hic est Deus Pater, sive Jesus Christus [4], qui loquitur: sed satius est, hæc de Patre intelligere [5] ob ea, quæ sequuntur; *dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, Omnipotens*. Licet autem id omne æque conveniat Patri, ac Filio, id tamen Scriptura plerumque Patri adscribit. Ipse est, qui impiis adventum filii sui minatur. Deus est alpha, & omega, principium, & finis; ipse est causa, origo, principium, & finis omnium creaturarum; ipse in sua æternitate præsens, & futurum includit; omnia ab illo fluunt, & redeunt ad ipsum.

℣. 9. EGO JOANNES FRATER VESTER .... FUI IN INSULA, QUÆ APPELLATUR PATMOS.] Videri possunt, quæ in Præfatione de exilio S. Joannis in Insula Patmos disseruimus. Eo relegatus fuit, quemadmodum ait hoc loco, *propter verbum Dei, & testimonium Jesu*. Hoc ipsi nonnisi gloriosum est. S. Victorinus Episcopus Pictaviensis, & Primasius asserunt, eum in Patmos ad fodinas missum. At is non erat pro ætate aptus tanto labori; atque ignoro, an in Patmos essent fodinæ. Ipse se fratrem, quibus scribit, fatetur, & socium eorum doloris ac patientiæ in Jesu Christo. Hi sunt ejus illustres tituli: ita revelationem suam orditur.

℣. 10. FUI IN SPIRITU IN DOMINICA DIE.] Ex hoc colligitur antiqua Dominicæ sanctificatio apud Christianos in Resurrectionis Jesu Christi memoriam. S. Barnabas ait, nos diem octavum in lætitia transigere, quia in illo Jesus Christus resurrexit, & in Cœlos ascendit. S. quoque Ignatius Martyr in ep. ad Magnes. vult, a nobis celebrari hunc diem Domini, diem hunc resurrectionis, principem, & dierum præstantissimum diem. S. Justinus Martyr in apolog. 2. dicit, eo die Christianos congregari solitos, ut quo Deus mundum incœpit creare, & quo Jesus Christus Servator noster resurrexit a mortuis. Hoc ipsum legitur in Tertulliano Apol. & de Anima, S. Irenæo apud Script. resp. ad Orthod. Origene hom. 6. in Exodo, et in Decretalibus, quæ S. Clementi Papæ tribuuntur, atque in antiquis Conciliis.

Quæritur, num S. Joannes conscripserit hanc Prophetiam totam simul, et continenter die Dominico, qui adnotatur hoc loco; an illam membratim, ac per intervalla conscripserit variis diebus, variisque locis? Interpretes in hac quæstione in varias sententias abeunt. Alii contendunt [6], ipsam uno die conscriptam, vel saltem revelatam, quamvis in posterum S. Joannes eam commodius disponere potuerit. Hujusce loci textus adstipulatur huic interpretationi, quia ait S. Joannes, se die dominicæ in Insula Patmos fuisse *in spiritu*, et vidisse, quæ continenter enarrat, nullo alio revelationis die commemorato. Præterea tanta extat harum prophetiarum series, & nexus, ut altera alteri arctissime cohæreat. Insuper liber, illas continens, ostensus ei fuit septem obsignatus sigillis, quæ brevissimo tempore soluta sunt. Denique S. Joannes fuit jussus, ut scriberet eodem tempore monita, quæ septem Ecclesias respiciebant, *quæ sunt*, & prophetias, quæ tempus futurum spectabant, *& quæ oportet fieri post hæc*, Apoc. 1. 19.

Qui contrarium asserunt [7], deprehendere putant in ipso S. Joannis textu distantiæ, atque intervalli, quod inter singulas prophetias intercessit, argumenta. Utitur enim aliquando his verbis *post hæc*, Apoc. 4. 1. dicit, se in cœlo fuisse in spiritu cap. 10. 2. ad maris litus; cap. 17. 3. in loco deserto, sive simpliciter in Insula Patmos, cum quædam vidit. Præterea hoc esset Prophetam nimium fatigare, tot illi mysteria consequenter aperiendo. Putat Grotius, S. Joannem in Patmos sub imperio Claudii relegatum, continuo aliquas habuisse visiones, & deinceps Ephesum redeuntem habuisse aliquas imperante Vespasiano. Cæterum sententia, quæ ipsi uno die hæc revelata affirmat, nobis majoribus momentis subnixa videtur. Hinc tamen asserere non cogimur, eodem die fuisse conscripta. Nam sicut ipsi hæc visio in animo alte inhæserat, eam subsequentibus diebus scriptis mandare commode potuit.

℣. 11. SCRIBE IN LIBRO, & MITTE SEPTEM ECCLESIIS [8].] Non scripsisse videtur hunc librum totum simul, & uno spiritu, uti diximus; expectavit aspicere ea omnia, quæ illi Deus erat ostensurus. Nonnulli putant nihil aliud nisi in scribendo occupatum fuisse, Christo dictante; sed narrationis progressus id ita intelligi non sinit, saltem de toto libro. Septem Ecclesiæ hic commemoratæ erant in Asia minori. Inspici potest earum situs in Tabula, quam ad frontem Actuum Apostolorum attreximus.

℣. 12. ET CONVERSUS SUM UT VIDEREM VOCEM.] Hebræi sæpe utuntur verbo *videre*, pro audire: *sancta*

autem

1 חלל *Profanavit, perforavit, maledixit.* 2 Vide Joan. 7. 34. & Chrysost. Theophyl. Leont. Euthym. in eum loc. 3 Ἐγώ εἰμι Α. καὶ Ω. Quidam τὸ ἄλφα, καὶ ὦ. Plures omittunt: Principium & finis, ἀρχὴ καὶ τέλος, Ita Alex. Pet. 2. Hunt. 1. Covel. 2. Complor. Æthiop. Syr. Aresh. alii. 4 Ita Patres quidam apud Alcasar. & Cornel. hic. 5 Ita Primas. Rupert, Cornelius, alii plures. 6 Perer. in Apocal. Brighmsn. anonym. 7 Paræus, hic & Grotius 5. 9. & 17. 9. 8 Græc. Ταῖς Ἐκκλησίαις. Alii plures: Ταῖς ἑπτὰ ἐκκλησίαις. Ita Steph. α. ιδ. ιε. Alex. Petit. 3. Syr. Arab. Æth. alii, &c.

autem populus videbat voces & lampades, inquit Moyses Exod. 20. 18. Omnia, quæ in hoc libro narrat S. Joannes, vidit in Spiritu; & revera nihil contigit exterius simile illis, quæ videbat, & intelligebat in spiritu.

VIDI SEPTEM CANDELABRA AUREA.] Erat in Templo Jerosolymitano candelabrum aureum, septem ramos habens [1]. S. Joannes de Ecclesia Christiana disserens sæpe alludit ad ea, quæ in Templo Jerosolymitano aspiciebantur. Hoc septem ramorum candelabrum positum, erat in Sancto, in quod sacerdos de vice quotidie vespere ad accendendas lampadas, & mane extinguendas, ac thus super altare aureum Domino adolendum ingrediebatur. Hoc in loco habentur septem candelabra, quæ septem Ecclesiarum, de quibus dictum est, Episcopos designant; & Jesus Christus in medio candelabrorum apparens est veluti sacerdos, qui sanctum ingrediebatur ad munia, quæ supra exposuimus, explenda.

ỳ. 13. ET IN MEDIO SEPTEM CANDELABRORUM AUREORUM SIMILE FILIO HOMINIS;] nempe Jesu Christo, qui passim in Scriptura sub nomine filii hominis designatur. Ambigitur autem, num is, qui S. Joanni apparuit, fuerit Christus, an Angelus sub ejus specie. Posterior sententia videtur nobis simplicior [2], eamque S. Joannes insinuat, cum ait, se non vidisse filium hominis, sed quemdam ei similem. Hic porro S. Joannes ad illud Danielis 17. 13. alludit: *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum; & filius hominis accepit potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient.*

VESTITUM PODERE [3], ET PRÆCINCTUM ZONA AUREA.] Vestis longa, & syrmate aucta Regnum, & Sacerdotium Jesu Christi, & zona aurea ejus auctoritatem, majestatemque regiam referebat. Zona aurea erat ornamentum regium [4]. Archangelus quoque Michael apparuit Danieli cum zona aurea, Daniel. 10. 5. atque inferius cap. 15. 6. Angeli lino mundo induti, & zonis aureis præcincti producuntur. In Veteris Testamenti locis, ubi in Vulgata vestis humum verrens occurrit, in Hebræo plerumque legitur *badim* [5], quod sonat linum tenuissimum. Porro conciliari potest hic utraque versio, ajendo, Angelum, qui Filium Hominis referebat, indumento humum verrente, & candore fulgentissimo indutum fuisse [6]. Summus Pontifex, & alii Pontifices hujusmodi tunicas, lineas, & syrmate ornatas gerebant; at Summi Pontificis tunica in festis solemnioribus erat pretiosior [7].

ỳ. 14. CAPUT EJUS, ET CAPILLI ERANT CANDIDI, TAMQUAM LANA ALBA.] Angeli, Jesum Christum exhibentis capilli erant candidi ad instar lanæ candidissimæ. *Caput*, veluti synonimum *capillis* additum est; ejus caput sive coma erat fulgentissima. Id ejus æternitatem significare potest; & candor capillorum senectutem notat. Vide Danielem 7. 9. *antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum, quasi nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda.* S. Johannes gestit veterum Prophetarum locutiones imitari.

OCULI EJUS TAMQUAM FLAMMA IGNIS.] Vividi, atque ardentes erant, tamquam flamma. Eadem descriptio legitur in Ezechiele 1. 27. de Majestate Dei verba faciente; atque in Daniele 10. 6. Angelum Michaelem describente. Vide quoque inferius 19. 12. Hæ notæ penetrationem, atque infinitam scientiam Dei possunt innuere.

ỳ. 15. PEDES EJUS SIMILES AURICHALCO.] Græcus legit [8]: *pedes ejus similes æri Libani*; sive juxta Tichonium *aurichalco Libani*. *Aurichalcum*, sive *Orichalcum* erat genus æris communi pretiosioris. Subalbum erat, & auro, argento, atque ære, simul coagmentatis, cum a Lucio Mummio Corinthus incensa fuit, conflatum putabatur. Tunc etenim fusis pluribus statuis ex tribus hisce metallis conflatis, hoc metallum emersit, quod veteres pari fere cum auro in pretio habebant [9]. Sed hæc vulgaris relatio suspicione admodum laborat. Animadvertit ipsemet Plinius lib. 34. cap. 2. celebres vasorum ex ære, quod Corinthium vocabatur, artifices centum annos ante Corinthi captivitatem, & eversionem desiisse. Testatur Josephus Antiqu. l. 7. cap. 8. Salomonem vasa ærea, quæ erant in Templo, metallo auro pretiosiore conflasse. Esdras in l. 1. c. 8. 27. inquit, in reditu a captivitate duo vasa ærea fuisse Deo dicata, æque ac aurum, pretiosa. Denique Ezechiel c. 1. 7. de hoc pretioso metallo sub nomine Hebraico *Chasmal* loquitur.

Sed ut ad Divi Johannis textum redeamus, tria *Electri*, sive *Aurichalchi* genera observantur [10]; primum, quod argento magis abundat, ac subalbum est; alterum, quod auro, & flavius est; tertium, cui plus æris inest, & magis rufum apparet. Videtur autem S. Joannes Græca voce *Chalcolibanon* usus, ut innuere voluisse, quod subalbum erat, & cui plus inerat argenti, illi non absimile, de quo cecinit Virgilius Æn. 12.

. . . . Auro squalentem, alboque orichalco
Circumdat loricam humeris.

Vetus item Scholiastes Hesiodi [11] hoc subalbum metallum novit; & *Tzetzes* [12] de eo tamquam de Chymistarum opere verba facit. Qui hanc sententiam sequuntur, Græcam vocem *Libanos* ab Hebraico *Laban*, quod album significat, derivatam putant; & fortassis Apostolus hoc in loco, quin ad naturalem metalli, de quo loquitur, colorem mentem adverteret, colorem potius respexit, quem habet in crucibulo, cum fusum est, & quodammodo penitus ignitum: tunc enim colorem præsefert album, ardentem, coruscantem, cujus fulgorem oculus vix ferre queat. Contendunt alii, Chalcolibanon æs Libani montis [13] significare. Probare conantur, montem Libanum hoc metallum olim produxisse, nam dicitur in Deuteronomio 33. 25. ubi sermo de Aser; *Ferrum, & æs calceamentum ejus*. David præterea, cum Adarezer Regem Syriæ devicisset, ex urbibus Beroth, & Bethach magnam æris vim asportavit [14]. Urbes hæ proximæ erant monti Libano. Homerus Sidoni urbi huic monti propinquæ nomen *Polychalcos* tribuit, quod sonat dives æris. Sarepta vicina Sidoni, a metallis, quæ in ipsa liquabantur, nomen sumsit. Hæc ad hanc sententiam defendendam afferuntur. Nihilo secius numquam satis ostensum est, Libanum ære abundasse; atque ea omnia, quæ supra retulimus, profecto nihil concludunt.

Suspicatus est Bochartus, *Chalcolibanon* fuisse æris genus a Plinio dictum [15] *æs Livianum*, quod pretiosum admodum erat, & reperiebatur in Galliis, ac de nomine Liviæ Imperatricis Augusti uxoris, *Livianum* cognominabatur. Sed idemmet author suam conjecturam evertit, observando post Plinium, quod hoc æris genus in exigua admodum copia inveniebatur: *Quod certe admodum exiguum invenitur*, ac proinde non facile credi potest, ejus nomen usque ad Orientem pervenisse, ubi scribebat S. Johannes Evangelista.

Nebrissensis Quinquagen. cap. 3. putavit, sub no-

mine

1 Grot. Cornel. alii. 2 Ribera, Cornel. Bossuet, Grot. alii. 3 Ἐνδεδυμένον ποδήρη.
4 Job. 12. 18. Isai. 11. 5. 5 Ezech. 9. 2. Dan. 10. 5. בדים 6 Vide Grot. Alcas. Perer. Riber.
7 Exod. 28. 4. 8 Οἱ πόδες αὐτοῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ. 9 Plin. lib. 34. cap. 2. Flor. lib. 2 cap. 16. *Quidquid Corinthii æris toto orbe laudatur: Corinthii incendio supervixisse comperimus; nam æris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ urbis fecit injuria; quia incendio permixtis plurimis statuis atque simulachris æris, auri, argentique vena in commune confluxere.* 10 Vide Bochart. de Animal. Sacr. tom. 2. lib. 6. cap. 16. pag. 879. edit. Lugd. Batav. 11 Scholiast. Hesiod. Ὀρείχαλκος, τὸ λευκὸν χάλκωμα.
12 Tzetzes in Hesiod. Οὗτος γὰρ τελείως τοῖς γίνεται χαλκὸς λευκὸς, ὅταν πυρίζει ... .
13 Χαλκολίβανον, ὁ χαλκὸς ὁ ἐν τῷ Λιβάνῳ ὄρει μεταλλευόμενος. Ita Andreas, & Arethas Cæsariens. Syr. Æthiop. alii plures. 14 2. Reg. 8. 8. collat. 1. Par. 18. 8. 15 Plin. lib. 34. cap. 2. Successit ei (sallustiano æri) Livianum in Gallia, &c.

mine *Chalchelibanes*, thus recens, & odorum S. Joannem inaoere voluisse, quod a mediete, & a veteribus, *ebus masculum* appellatar. Laudat Aathorem anonymum, a Salmasio in Solinum relatam, qai asserit, thus mascalum appellari Chalcholibsaas, quod lucet, velati flamma, & flavum est, ac fabrosam. Sed noo agitar isthie da ra, quę colorem subflavum præferat, ac broenlrae. D. Johannes hie de metallo loquitar durabili, & in medio ignis lucante; adao at santanius potius taherrendom sit, qam intelligit æs album, sive sabalbam, ob argeoti immixtionem, vel ob ignem, in qao liquatam ast.

Vox illius, tamquam vox aquarum multarum.] Tamquam maris irati, qai luis flactibas scopulos quatit; siva fluviorum, qui de montibus sarqtra in aggarem allidaatur; sive denique, ut pluvia grandinosa, qaæ furiose decidit, a veotis, procellisque agitata. Totas hie apparatus aptissimus erat, ot tarrorem, atque obsequium S. Joannis animo ineuterst. Confer Ezechielem 43. 2. *Vox erat ei, quasi vox aquarum multarum.*

℣. 16 Et habebat in dextera sub stellas septem.] Hæ septem stellæ idem significant, ac septem candelabra, in medio quorum apparait Filius Hominis. Innaebant siquidem septem Ecclesiarum, de quibus supra, Episcopos [1], vel ipsasmet septem Ecclesias. Eas tenet Jasus Christus in deatera sua, at cara, quam da iis habet, significetur. Vide ℣. 20.

De ora ejus gladius utraque parte acutus.] Gladius hic sive Dei vindictam notabat, parati ad eos percatiendos, qui verbum ejus non audirent; siva verbum Dei [2], quod gladio aento a Sancto Paulo Hebr. 4. 12. comparatur, ad ima cordis usqaa penetranti, impiis, incredulisque mottem inferenti, & vitam, atque incolumitatem fidelibus, ac Deo subjectis tribuenti.

Facies ejus sicut Sol.] Iaspeximus superios ℣. 14. ejus caput, sive comam candidam fuisse, sicuti lanam. Hic nonnisi de ejas facia differit, quæ taotum fulgorem emittebat, ut eom oculi pati nequirent, Solis meridiani splandori non absimilem. Id gloriam Sanctæ humanitatis Jasu Christi designabat. Hoc ipsum infra cap. 10. ℣. 10. da Angalo dicitur: quod plane confirmat sententiam nostram supra expositam, nempe

A Aagelum fuisse illum, qui S. Joanoi sub Jesu Christi gloriosa specie apparait; supposito tamen, hoc physice, neque tantum in spiritu contigisse.

℣. 17. Cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus.] Adeo vehemente timore percussus sum, ut exanimis ciciderim. Hujusce majestatis visio sive oculata, siva in spiritu fuerit, sansas, & animam Prophetæ ita concussit, ut illum usu sensuum privaverit. Verum Angelos, ut eum reficeret, ac recrearet, dexteraam retigit, & admonait, ne timeret, *quia ego sum*, inqait, *primus, & novissimus, & vivus*. Ego Jasum Christam viventem, quique a mortuis resurrexit, Deum, & hominem repræsento. Vide superius vers. 8.

B ℣. 18. Habeo claves mortis, et inferni [3].] Eorum januas aperire, vel claudere possum, possum suscitare mortuos, & vivos extinguere [4]: Contremiscent impii sub potenti manu mea; & justi omnia a mea banignitate expectent: possom illos punire, & hos remunerari, non tantom in hac vita, sed etiam in altera [5].

℣. 19. Scribe ergo, quæ vidisti.] Id, quod tibi ostendi, & qaod inferius videbis: *quæ sunt*, quæ propediem eventara sant, nempe quæ ad septem Asiæ Minoris Ecclesias spectant: & *quæ oportet fieri post hæc*: quæ tempora remotiora respiciunt, nempe quæ ad liberationem Ecclesiæ, extremamque judicium pertinent [6].

C ℣. 20. Sacramentum septem stellarum.] Quas vidisti ℣. 16. in manu Filii hominis. Hæ septem stellæ Angelos, sive Episcopos septem Ecclesiarum Asiæ notant, *& septem candelabra aurea*, in medio quorum apparait, ℣. 12. septem Ecclesias, de quibus dictum est, designant. ℣. 1. Episcopos Angelis comparat ob amborum similitudinem. Siquidem Angelus est minister Domini, qui ejus jussa, & voluntates hominibus defert; Episcopus idem præstat erga illos, qui suæ curæ commissi sont; eos instruit, corrigit, objargat, ac Dei voluntates illis annuntiat. Apud Hebræos *Angeli Domini* vocabantur Prophetæ [7], Sommus Pontifex [8], Reges ipsi [9]. Episcopi zelum, puritatem, lumen, sapientiam, vigilantiam Angelorum, quantum infirmitas humana patitur, habere debent.

1 Ambrosiast. Tichoni. Victorin. Haymo, Beda, Cornel. Vide Grot. Glass. Durham. Cornel.
2 Tichon. Primas. Areth. Haymo. Ansel. Hag. Victor. Alrazas. &c.
3 Ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ᾅδου, καὶ τοῦ θανάτου. Alii: Τοῦ θανάτου καὶ τοῦ ᾅδου. Ita Alex. Cov. 2. Hunt. 1. Baroc. Petit. 2. Complut. Syr. Arab. Æthiop. alii plures.
4 Areth. Perer. Lyran. alii.
5 Andreæ. Richard. a sancto Victore.
6 Ita Ambrosiast. Rupert. Anselm. Ribes. Perer. alii.
7 Judic. 2. 1. Agg. 1. 13. Malach. 2.
8 Kimchi apud Grot. & Hamm. 2. 7.
9 Vide 1. Reg. 29. 9. 2. Reg. 14. 17. 20. 19. 27.

CAPUT II.

Laudes Episcopi Ephesini; ejus errores; debet pœnitentiam agere; odit Nicolaitas; persecutiones quas Episcopus Smyrnaeus pati debet. Admonitio Episcopo Pergameno, Nicolaitas sufferenti. Instructio Episcopo Thyatiræ.

1\. Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe: hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum: 2 Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & invenisti eos mendaces: 3 Et patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. 4 Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. 5 Memor esto itaque, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. 6 Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego o-
di.

di. 7 Qui habet autem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo e-
dere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. 8 Et Angelo Smyrnæ Eccle-
siæ scribe: Hæc dicit primus, & novissimus, qui fuit mortuus, & vivit: 9 Scio tri-
bulationem tuam, & paupertatem tuam, sed dives es: blasphemaris ab his, qui se
dicunt Judæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ. 10 Nihil ho-
rum timeas, quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in car-
cerem, ut tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque
ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. 11 Qui habet aurem, audiat, quid Spi-
ritus dicat Ecclesiis: Qui vicerit, non lædetur a morte secunda. 12 Et Angelo
Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui habet romphæam utraque parte acutam:
13 Scio, ubi habitas, ubi sedes est satanæ, & tenes nomen meum: & non ne-
gasti fidem meam: Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est a-
pud vos, ubi satanas habitat. 14 Sed habeo adversus te pauca: quia habes il-
lic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Is-
rael, edere, & fornicari: 15 Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.
16 Similiter pœnitentiam age: si quo minus veniam tibi cito, & pugnabo cum il-
lis in gladio oris mei. 17 Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis:
Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo
nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. 18 Et Angelo Thya-
tiræ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis,
& pedes ejus similes aurichalco: 19 Novi opera tua, & fidem, & charitatem
tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua novissima plura prioribus.
20 Sed habeo adversus te pauca; quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit
propheten, docere, & seducere servos meos, fornicari, & manducare de idolothy-
tis. 21 Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret; & non vult pœnitere a for-
nicatione sua. 22 Ecce mittam eam in lectum: & qui mœchantur cum ea, in tri-
bulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint. 23 Et filios
ejus interficiam in morte, & scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes,
& corda: & dabo unicuique vestrum secundum opera sua. Vobis autem dico, 24
Et cœteris, qui Thyatiræ estis: Quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non
cognoverunt altitudines satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud
pondus. 25 Tamen id, quod habetis, tenete, donec veniam. 26 Et qui vice-
rit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes,
27 Et reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confrigentur. 28 Sicut &
ego accepi a Patre meo: & dabo illi stellam matutinam. 29 Qui habet aurem au-
diat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.

℣. 1. ANGELO EPHESI ECCLESIÆ SCRIBE.] Episcopo nempe, qui id temporis Ecclesiam hanc regebat. Hic vero esse non poterat, nisi D. Timotheus [1], ibi e S. Paulo Episcopus constitutus, priusquam etiam in Asia S. Johannes domicilium suum statuisset, & quam administravit usque ad annum 97. Jesu Christi, quo martyrium passus est, paulo ante reditum D. Joannis ob exilio Patmos: huc enim Sanctus Apostolus fuit relegatus anno 95. atque in Patmos permansit usque ad mortem Domitiani, quæ incidit anno Jesu Christi 96. Rediit Ephesum anno 97. Non sunt quidem S. Timotheo imputandi errores, quibus arguit Divus Joannes Angelum Ephesi; quæ dicit hoc loco, spectant ad alios ministros, seu ad alia hujusce Ecclesiæ membra; & idem, habita proportione, dicendum de aliis, quibus ille scribit. Quæ ipsis annunciat, non tam ipsis, quam totum Ecclesiis [2] diriguntur.

HÆC DICIT, QUI TENET SEPTEM STELLAS.] Loquitur veterum Prophetarum more: *Hæc dicit Dominus*: en quæ dicit Dominus: en quæ dicit Deus Hebræorum. Hic est Christus Jesus, qui S. Joannis ore loquitur. Cum autem eis miserit, non solum ea, A quæ in hoc capite, & subsequentibus, sed etiam quæ in præcedenti leguntur, noverant, quinam esset, quem hisce verbis designabat: *Qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.*

℣. 2. SCIO OPERA TUA, ET LABOREM, ET PATIENTIAM TUAM.] Scio, quæ bene, & male agis, angores tuos, persecutiones, quas pateris: *scio, quia non potes sustinere malos*, hæreticos, pseudofratres, & improbos doctores; *& cum tentasses eos, qui se dicunt Apostolos esse, invenisti eos mendaces*, sive illos mendaciis convicisti. Eos nedum non recepisti, vel in societatem tuam admisisti; sed etiam rejecisti, ac pudore suffudisti. Illi, qui se dicebant Apostolos, & non erant, ii ipsi sunt, de quibus adeo frequenter verba fecimus in commentariis in S. Joannis, D. Petri, ac B D. Judæ epistolas; Simoniani videlicet, Nicolaitæ, Gnostici, atque alii, qui funditus Religionem excindebant, resurrectionem, bonorum operum necessitatem, ac Jesu Christi Divinitatem negantes. Sanctus Timotheus, cui S. Joannes hæc scribit, præ ceteris noverat pravum horum hæreticorum ingenium; diu ante a S. Paulo admonitos epistolis suis [3], ubi eos

1 Ita Perer. Grot. Viegas, Alcasar. Aoreolus, Cornel. Bossoet, Du Pin, &c.
2 Ita Interpp. plerique. 3 Vide 1. Timoth. 3. 4. 1. 2. 3. & seq. & 2. Timoth. 3. 1. & sequ.

ad vivum descripserat, ac Ephesiis etiam multos ante annos prædixerat [1].

℣. 3. ET PATIENTIAM HABES: ET SUSTINUISTI, ... ET NON DEFECISTI.] Hæc versio non longe abludit a quorumdam MSS. Græcorum [2], & nonnullorum in eodem idiomate editionum lectione, nisi quod pro *non defecisti*, in eis extat, *lassatus non fuisti*. Sed alia Græca exemplaria, Syriacum, Arabs, Æthiopicum legunt [3]: *sustinuisti, patientiam habes, & propter nomen meum passus es, & non defecisti*. Memorem semper tenebat S. Timotheus verba, quæ Divus Paulus, paulo ante quam obiret, ei dixerat [4]: *Labora, sicut bonus miles Jesu Christi. Nemo militans implicat se negotiis sæcularibus*. Iterum [5]: *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam*.

℣. 4 SED HABEO ADVERSUM TE, QUOD CHARITATEM TUAM PRIMAM RELIQUISTI.] Intelligi nequit, quo pacto hoc S. Timotheum respicere possit, qui perseveravit in fide, & charitate usque ad extremum, adeo ut & vitam suam pro Jesu Christo profuderit. Subalterni fortasse ministri Ecclesiæ, seu Fideles Ephesini a pristina erga proximum charitate aliquantulum defecerant. Negligebantur eleemosyna, hospitalitas, ægrotorum subsidia; vel pietatis exercitia, prædicationes, ac infidelium conversiones elanguebant. Hujusmodi peccata occurri possunt in Ecclesiis optime institutis inter ministros subalternos, quin tamen jure Pastoribus semper vitio dari possint: sed cum id accidit, ac admonetur Episcopus, ita cum eo verba fiunt, quasi rationem reddere teneatur eorum, quæ agunt ii, quibus præest. Ejus studium ad omnia esse intentum, ut cui non solum de suis, sed etiam de ministrorum actibus reddenda sit ratio. S. Timothei virtus cum hujusmodi incuria, cui quilibet obnoxius est, sociari utique potuit. Viri quique sanctissimi in errores prolabi possunt, vel falli in Ministrorum electione. Præterea non semper pastoris zelo, documentis, atque exemplo respondet gregis docilitas.

Denique non desunt Interpretes [6], qui huic sanctissimo viro notam inurere non existimant, ajendo, pristinum ejus fervorem paululum deferbuisse; sive quod ætas, vel labor illum infirmaverint, ac debilitaverint; sive quod aliquantulum tepuerit, quod non paucis probis viris contingit. Verum adeo S. Johannis admonitiuncula profecit, ut subsequenti anno vitam suam pro Jesu Christo devoverit, strenue martyrium passus.

℣. 5. MEMOR ESTO, UNDE EXCIDERIS, ET AGE POENITENTIAM.] Recordare veteris ardoris tui, & illius zeli, quo flagrabas; pœnitentiam age socordiæ, in quam lapsus es. Resume illam pristinam apostolicam vim, & sicut alias assidue, opportune, & importune prædica, argue, ora, patienter corrige, semper docendo: *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*, 2. Tim. 4. 2.

SIN AUTEM, VENIO TIBI, ET MOVEBO CANDELABRUM TUUM DE LOCO SUO [7].] Nisi tuam agendi rationem celeriter immutatam videam; nisi pristinam tuam instaures charitatem, veniam in ira mea, ac de loco suo movebo candelabrum, quod Ecclesiam tuam designat. Tu principem locum obtines, ac Asiæ sanctissima, & purissima Ecclesia haberis; alteri eminentiam dabo; vel sinam, ut hæresis, schismata, persecutio te occupent, te dissipent, vexent, perdant [8]. Sæpe mala, quæ Ecclesiæ contingunt, hæreses, schismata, scandala, & divisiones sunt pœnæ a Deo im-

A missæ, ad puniendam Pastorum incuriam; sive populorum contumaciam. Deus recedit ab iis, qui pristinam suam pietatem deserunt, & a fide ei debita deficiunt; & sæpe sensibilibus calamitatibus, ac aliquarum Ecclesiæ suæ columnarum lapsu fulgurat illius indignatio.

℣. 6. ODISTI FACTA NICOLAITARUM [9].] De Nicolao, qui Nicolaitarum auctor dicitur, vel saltem, ex quo Nicolaitæ nomen suum desumpserint, in cap. 6. 5. Actuum locuti sumus. En præcipui illorum errores. Præter mulierum communionem, inquit Divus Augustinus de hæres. 5. nullum inter carnes Idolis immolatas, & communes discrimen esse contendebant. Ait S. Irenæus [10], eos idolothita, postquam ea exorcizassent, comedisse. Præterea superstitiones Ethnico-
B rum nullam illis Religionem incutiebant; adulterium, fornicationem, ac turpissima quævis crimina, veluti res indifferentes respiciebant. Duo hujus sectæ characteres impudicitia, ac deliramentum erant. Fœdas eorum actiones ne referre quidem audemus, quippe quæ hominibus pudorem aliquem præseferentibus horrorem creent.

Nescio, quas de Mundi creatione, ac dispositione fabellas enarrabant, Angelorum, atque Potestatum nomina immiscentes, quo terrorem, & obsequium audientibus instillarent. Hæc autem eo spectabant, ut suaderent, Mundum non fuisse a Deo creatum, sed esse quorumdam spirituum, quos omnino confingebant, opus. Utebantur authoritate cujusdam Libri, cujus aliqua loca Divus Clemens Alexandrinus lib. 3. Strom.
C refert, ex quibus apparet, illos Deo ipsi suas turpitudines tribuisse.

Testatur Tertullianus in Præscript. cap. 33. eos transiisse in Sectam Cainistarum, qui vim quamdam Creatore superiorem admittebant [11]. Creatori adscribebant veteris Testamenti justos, ac Patriarchas, & vi superiori, quam *Sapientiam* appellabant, omnes illos, qui in Veteri Testamento reprehenduntur, puta Cainum, Esau, Core, Sodomitas, atque ipsum Judam, & se ipsos in hunc ordinem referebant. Docebant, Judam solum ante illos hæc omnia mysteria tenuisse; quod eum prodere Jesum Christum compulit. Blasphemabant adversus legem, Deumque Legis, & resurrectionem negabant [12]. Contendebant ad salutem consequendam, quodcumque perpetrari debere, & lu-
D minis perfectionem ponebant in tenebrarum operibus, quæ pudor nominare putat, audacter committendis [13]. Dicebant insuper quamlibet actionem habere Angelum præsidem, quem eam facientes invocabant. En qui tam essent Nicolaitæ, ab ipso Jesu Christo damnati, atque a primis Ecclesiæ Patribus oppugnati.

℣. 7. QUID SPIRITUS DICAT ECCLESIIS [14].] Quid Spiritus Sanctus, Spiritus Jesu Christi, qui in me loquitur, dicat non solum Ecclesiæ Ephesinæ, sed omnibus aliis, ac præcipue septem Ecclesiis, quibus scribit. At quid dicit: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei*. Promittit Jesus Christus, S. Joannis ore, vincenti Nicolaitas, atque alios hujusmodi hæreticos, & ardenter oppugnanti Idololatriam, licentiam, ac morum corruptelam; promittit, in-
E quam, ei *fructum arboris vitæ*: nempe immortalitatem, atque æternam beatitudinem in altera vita [15]: atque in hac gratiam, supernaturale lumen, sapientiam, ac justitiam. Alludit ad arborem vitæ, in medio Paradisi terrestris existentem, quæ ideo fuit appellata *arbor vitæ*, quia Adamo vitam, sanitatem, ac immortalitatem servare debebat; *arbor* autem *scientiæ*, *boni*,

1 Act. 20. 29. 30. 2 Alii plures: Καὶ ὑπομονὴν ἔχεις, καὶ ἐβάστασας διὰ τὸ ὄνομά μου, καὶ οὐκ ἐκοπίασας. Quidam: Καὶ ἐβάστασάς με, pro ἐβάστασας. Ita Ald. & duæ priores edit. Erasmi.
3 Καὶ ἐβάστασας, καὶ ὑπομονὴν ἔχεις, καὶ διὰ τὸ ὄνομά μου κεκοπίακας καὶ οὐ κέκμηκας.
4 2. Timoth. 2. 3. 5 1. Timoth. 1. 18. 6 Ribera, Perer. Alcazar. Cornel.
7 Εἰ δὲ μή, ἔρχομαί σοι, ταχύ. Illud ταχὺ deest in Alex. Velez. Aethiop. Vulg. alii: Ἔρχομαί σοι ταχύ. Edit. Sixti V. an. 1590. Veniam tibi cito. 8 Victorin. Andr. Cæsariens. Alcazar. Lyran. Cornel. alii.
9 Τὰ ἔργα τῶν Νικολαϊτῶν. Tertull. Præscript. cap. 46. *Doctrinam Nicolaitarum, quam & ego odi*.
10 Iren. lib. 1. cap. 27. Vide Philastr. & Theodoret. de hæres. Epiphan. hæres. 25.
11 Iren. lib. 1. cap. 35. 12 August. de Hæres. 18. 13 Iren. lib. 1. cap. 35.
14 MSS. Alex. Ταῖς ἑπτὰ Ἐκκλησίαις. 15 Corosl. Menoch. Riber. alii.

boni, & mali, quia illi ejus fructus comedenti oculos aperire debebat, ut errorem a se commissum intelligeret, & calamitatem, in quam se conjecerat. Nonnulli veteres, & recentiores per [1] *fructum arboris vitæ* intelligunt sanctam Eucharistiam, quæ illis tribuit, auget, atque conservat gratiam vivificantem, qui digne eam accipiunt, & mundum, carnem, ac Dæmonem superant.

℣. 8. ANGELO SMYRNÆ.] Episcopo, qui tunc hanc Ecclesiam administrabat. Is juxta multorum [2] sententiam erat Divus Polycarpus, qui fuit ordinatus Episcopus Smyrnæ ab Apostolis, ac nominatim a Sancto Johanne Evangelista, ut a S. Irenæo, Tertulliano, atque a nonnullis veteribus aliis edocemur [3]. Ei feliciter obtigit cum S. Johanne Evangelista vitam agere, ac discipulos SS. Ignatium, & Papiam habere. De anno, quo creatus fuit Smyrnensis Episcopus, nondum compertum est. Verum si a D. Johanne fuit institutus, atque si is est Angelus Smyrnæ, cui hæc scribuntur, esse debuerat Episcopus ab anno 95. sive 96. Jesu Christi, qui est Apocalypsis epocha, & ante annum 100. J. Christi, quo obiit S. Johannes. Elogia, quibus Spiritus Sanctus hunc Smyrnæ Angelum exornat, apprime S. Polycarpo conveniunt; atque animadversione dignum est, ne verbo quidem illum hic redargui.

Smyrna, cum S. Polycarpus Episcopus ordinatus est, inter nobilissimas Imperii urbes censebatur, præsertim ob litterarum studia, & eloquentiam, quibus ex omnibus Mundi partibus magna hominum vis pertrahebatur. Ipsa etiam cum Epheso de jure Metropolitico contendebat: ac hoc jus aliquando obtinuisse [4] reperitur.

℣. 9. SCIO TRIBULATIONEM TUAM, ET PAUPERTATEM.] Græcus [5]: *scio opera tua, tribulationem tuam, & paupertatem*. Sed Manuscriptum Alexandrinum, atque versio Æthiopica prætereunt *opera tua*. Spiritus igitur Sanctus ait, se bona Smyrnensis Episcopi opera cognoscere, atque administrationem, persecutiones, tribulationesque, quibus objectus est; paupertatem bonorum fortunæ, ad quam redactus est; sed addit: *dives es*, habes pretiosissimum bonorum omnium, quæ mundus suspiciat [6], thesaurum; nempe, fidem, spem, charitatem, ipsum Jesum Christum, qui te locupletat muneribus suis, quique te cœlestibus bonis eo ditiorem efficit, quo magis integra est, & voluntaria tua terræ bonorum spoliatio.

ET BLASPHEMARIS AB HIS, QUI SE DICUNT JUDÆOS ESSE.] Adversarii potissimi, quos Ecclesia jam inde a suis initiis habuit, fuerunt increduli Judæi, qui per Orbem totum contra Christianos calumnias multas disseminarunt [7], quo in illos odium Principum, Magistratuum, ac populorum concitarent. Ex hac natione complures in provincias se se diffudere, multasque Ecclesias perturbarunt, contendentes, Gentiles Christianismum amplexos circumcidi, & omnibus aliis legis præceptis subjici debere. Divus Paulus sæpe contra hosce malos doctores invehitur, ac præcipue in epistola ad Galatas. Id vero non quod legis, quam cæterum plerique non sequebantur [8], observantiam curarent, sed solummodo ut avaritiam, ac ingluviem suam explerent, de Ecclesia in Ecclesiam ita percurrendo, & calumniis suis, quatenus poterant, in fidelium mentibus veros Domini Apostolos evertendo. Porro ii nec

A Judæi proprie, nec Christiani erant; cum neque Moysis legi obtemperarent, neque Jesum Christum Crucifixum prædicarent. Sed diligenter curabant, ut tum a Gentilium, tum a Judæorum persecutionibus se tutos redderent [9]. His ita dicebant: Nos e vestrum numero sumus, utpote circumcisi, & Moysis discipuli; illis vero: Christiani non sumus; Religio nostra haud nova est; Ea in Imperio toleratur, atque Imperatoriis legibus fulcitur, nempe Judæorum Religionem profitemur.

Martyrii Divi Polycarpi historia, in primis antique authentica, utpote e quadam epistola, quam Ecclesia Smyrnensis paululum ab illius obitu scripsit [10], deprompta, refert, sancto hoc igni damnato, Judæos, qui Smyrnæ frequentes aderant, præ reliquis accurrisse ad colligenda ligna, ac efficiendum rogum, in quo B martyrium suum debebat absumere. Id nobis insinuat, quod hic S. Johannes ait, malos nempe Judæos Sanctum hunc Episcopum, tamquam infestissimum hostem respexisse; atque ansam præbet credendi, ipsos numquam prætermisisse calumniis, atque obtrectationibus illum insectari.

℣. 10. MISSURUS EST DIABOLUS ALIQUOS EX VOBIS IN CARCEREM.] S. Johannes martyrium S. Germanici, & decem, sive undecim Christianorum, qui Smyrnæ bestiis objecti sunt, paulo ante Sancti Polycarpi martyrium, signare videtur [11]. Id anno J. C. 166. contigit.

ET HABEBITIS TRIBULATIONEM DIEBUS DECEM.] Angelus post hæc eum a persecutione liberatum iri non C pollicetur; immo innuit, moriturum: *esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Ac revera Sanctus Polycarpus Smyrnæ in eadem persecutione M. Aurelii, quæ multos alios Christianos e vita sustulit, martyrium passus est. Historia decem dierum numerum distincte non designat: sed notas circumstantias conferendo, pauciores admitti non possunt. Acta, quæ extant, ejus martyrii tempus nobis designant: attamen docti non acquiescunt omnino. Tillemontius, qui post multos alios id expendit [12], existimat, S. Polycarpum Sabbato Februarii 23. anno Jesu Christi 166. obiisse; qui sextus Imperii M. Aurelii, ac Lucii Veri numeratur. Persecutio initium duxit a martyrio quorumdam Smyrnæ fidelium, qui ante S. Polycarpum varia tormenta passi sunt. Quin- D tus Phrygius quidam, qui se temere obtulit martyrio, cessit, atque Idolis litavit. Hæc Sanctus Polycarpus conspiciens, precibus amicorum, qui ei in villam recedere suadebant, assentitus est. Illic aliquot dies mansit; ac triduo ante mortem visionem habuit, per quam se vivum combustum iri intellexit. Reverteriduo post comprehensus, adductusque est coram Proconsule, qui eum comburendum populo tradidit.

℣. 11. QUI VICERIT, NON LÆDETUR A MORTE SECUNDA.] Prima mors est corporis: altera animæ [13]. Hostes nostri possunt nobis vitam animalem eripere; possunt corpus, in quo moramur, tamquam in tentorio destruere; attamen nihil valent in animam: Deus illam gloria, & felicitate in altera vita cumulabit. Modus hic loquendi, *mors secunda* reperitur itidem in- E ferius cap. 20. 6. 14. ubi ait, infernum esse mortem secundam. Occurrit etiam in Paraphrastis Chaldæis [14]; nec desunt Rabbini [15], qui impiorum animas in al-

1 Rupert. hic. Anastas. Sinaita, lib. 1. Hexaemer. Paschas. Radbert. de Corpore & Sang. Christi, cap. 7. & 8. Alcazar. &c. 2 Aureolus, Ribera, Perer. Alcazar. Lyr. Cornel. Men. Tir. Est. Paræ. &c. 3 Iren. lib. 3. cap. 3. Tertull. Præscript. c. 32. Hieron. de Viris Illustr. cap. 17. Chronic. Alexand. 4 Vide Tillemont. tom. 2. S. Polycarpo p. 337. 5 Οἶδά σου τὰ ἔργα, καὶ τὴν θλῖψιν, καὶ τὴν πτωχείαν. Omittunt, τὰ ἔργα σου. Alexan. Vulg. Aethiop. 6 Arethas hic. Πλούσιος δὲ ὁ τοῖς πνευματικοῖς, θησαυρὸν ἔχων κεκρυμμένον ἐν τῷ ἀγρῷ τῆς καρδίας σου, ὅς ἐστι Χριστὸς, δι' ὃν καὶ πλούσιος εἶ, &c.

7 Justin. Dialog. cum Tryph. & Apolog. 2. Origen. homil. 18. Græc. in Jerem. Euseb. Hieronym. in Isai. 18.

8 Galat. 4. 12. 13. *Quicumque volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt, &c.*

9 Galat. 4. 17. 5. 11. *Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis.* Vide & Galat. 6. 12. Philipp. 3. 18. 10 Apud Euseb. lib. 4. c. 15.

11 Vide Euseb. ibidem. Ribes. Hammond. Men. alios. 12 Vide Notam 35. Tillemontium S. Polycarpum. 13 Victorin. Andreas, Beda, Lyran. Haymo. Cornel. Ribes. Men. alii.

14 Paraphrast. ad Deut. 33. 6. & Isai. 22. 14. 15 Dav. Kimchi & alii quidam. Vide Grot. hic, & Mais ad Psal.

tota vita in nihilum abituras affererent.

℣. 12. ANGELO PERGAMI.] Putarunt nonnulli [1], S. Carpum fuisse Episcopum Pergami, cui hæc scribuntur. Sed hic martyrium sub Decio affectus est; atque ideo Episcopus Pergami tempore Domitiani esse non poterat. Vide Tillemontium, t. 3. p. 346. & subsequ. Apocal. 22. 18. ac Fabric. t. 2. Bibl. G. p. 75. 76. Et quamvis constet, S. Carpum Pergami objisse [2], nullum est argumentum, eum ibi Episcopum fuisse. Pergamus erat in Troade; Urbs antiqua, atque ea tempestate illustris.

HÆC DICIT, QUI HABET ROMPHÆAM.] Id est, Jesus Christus, sive Angelus, qui eum repræsentat, tenens ore gladium ancipitem. Vide supra cap. 1. ℣. 16. Hoc ultionem innuit, quam de impiobis sumere debebat. Vide infra ℣. 16.

℣. 13. SCIO, UBI HABITAS, UBI SEDES EST SATANÆ.] Pergamum corruptissima urbs fuerit, oportet, ac præcipue Idolis addictissima [3]: Græcus legit; *scio, quæ sunt opera tua, & habitas in loco, ubi est sedes Satanæ*. Attamen nec MS. Alexandrinum, nec versio Æthiopica legunt: *scio, quæ sunt opera tua*.

ANTIPAS TESTIS MEUS FIDELIS.] Antipas Pergami martyrium sustulit sub Domitiano [4]. Acta, quæ de illo supersunt, Episcopi Pergameni ei tribuunt titulum, ac referunt eum in æneum ardentem Taurum fuisse conjectum; & quamvis Andreas, & Aretas ambo Cæsareæ Cappadociæ Episcopi, atque illustres Apocalypsis interpretes de ejus actis mentionem faciant, ea tamen non censentur admodum authentica. Adnotet Grotius, ænei ardentis tauri supplicium Romanis legibus fuisse ignotum, quæ ad tempora Pergami obsurvebuntur. Verbum Græcum [5], *occisus fuit*, ei suadet, Antipam facile in populari aliquo tumultu fuisse interfectum, instigantibus Æsculapii sacerdotibus, qui peculiare Pergamenorum numen erat. Antipæ supplicium haud terruerat Episcopum Pergami, quamvis perpetuo eidem periculo esset obnoxius.

℣. 14. HABEO ADVERSUS TE PAUCA.] In Ecclesia tua viget abusus, quem ferre minime deberes; habes nempe *tenentes doctrinam Balaam*, improbi illius pseudo prophetæ, qui a Balach Moabitarum Rege accitus, ut filiis Israel malediceret [6], ac prospiciens, se non posse in maledictionibus proficere, Domino in ejus ore pro maledictionibus benedictiones ponente, Balac, ad quem reliquit, qui eum arcesserant, exitiosum consilium suggessit, illis suadens, ut aliquot adolescentulas in Israelitarum exercitum mitterent, quæ Hebræos in impudicitiam, & deinceps in Idololatriam pertraherent. Hoc modo offensionis lapides objecit filiis Israel, ut ad comedenda idolothyta, ac in fornicationem prolaberentur. Vide Num 24. 14 & 31. 16. Pergit vero dicere, quinam sint hi Doctores Balaamo similes.

℣. 15. ITA HABES, ET TU, TENENTES DOCTRINAM NICOLAITARUM.] Qui perditi Balaam exemplo fideles in impudicitiam, ac Idololatriam sapius enuantur. Supra versic. 6. horum hæreticorum turpitudines exposuimus.

℣. 16. SIMILITER POENITENTIAM AGE.] Græcus non legit [7] *similiter*; sed in fine versiculi præcedentis E habet, *quam ego odi*, hoc modo; *doctrinam Nicolaitarum, quam ego odi; pœnitentiam age*. Alia exemplaria: *habes & tu tenentes pariter doctrinam Nicolaitarum; pœnitentiam age*. Sicut Balaam filiis Israel lapides offensionis injecit; ita Pergami existunt, qui Nicolaitarum doctrinam tenent. Igitur in hoc tibi vigilandum est, hique hostes exitiosi reprimendi. Sin mi-

A nus, *veniam tibi cito, & pugnabo cum illis gladio oris mei*. Gladius meus anceps eos vulnerabit, & perdet, uti Balaam sub gladio Hebræorum [8] concidit. Gladios hic vel vindictam divinam, vel verbum Dei designat. Adversus eos suscitabo ultores, qui illos caringuent; sive Prophetas, ac potentes in verbis concionatores, qui eos pudore afficient, eorum mysteria turpissima revelantes.

℣. 17. VINCENTI DABO MANNA ABSCONDITUM.] Qui Nicolaitas oppugnavit, & de ipsis victoriam reportabit, manna spirituali nutrietur, & cœlesti illo alimento, quod Christus in Mundum attulit; nempe veritatum salutis scientia; Providentiæ erga homines consiliorum cognitione; gratia, & Spiritus Sancti omnia; ejus Corpore, & Sanguine pretioso in Eucharisti B stia; cœlestibus deliciis, & consolationibus. Id omne *manna absconditum* vocatur, utpote Judæis carnalibus ignotum, & fidelibus, qui perpetuo carnem, Mundum, Dæmonem, & errorem insectentur, reservatum. Putant nonnulli [9], S. Joannem allusisse ad gomor manna, quam Moyses servavit, & in Sanctuario ad Arcæ latus seposuit, Exod. 16. 32.

ET DABO ILLI CALCULUM CANDIDUM: ET IN CALCULO NOMEN NOVUM SCRIPTUM.] In judiciis criminalibus Judices lapillis plerumque suffragia dabant. Candidis reus absolvebatur, & nigris damnabatur. Ovidius 15. Metamorph.

Mos erat antiquis niveis, atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpa.

Et ad hunc veterem morem allusisse S. Johannem ex C interpretibus plerique [10] opinantur. Aretas ait, solemne etiam fuisse victoribus in publicis ludis candidum lapidem dari. Ait igitur Jesus Christus, victori manna absconditum, & calculum candidum se daturum; illud ut eum reficiet, & recreet; hunc, ut absolvat, & victorem pronuntiet. Alius autem antiquitatis usus S. Johannem hic respexisse, docti quidam Critici contendunt. Totus sermonis progressus ad munera victoribus in ludis publicis dari solita eum allusisse demonstrat. Iis porro plerumque assignabantur quædam tritici, aliorumque fructuum mensuræ, quæ ex publicis horreis accipiebant, exhibentes tesseras, quæ eorum nomen, & conditionem, ac tritici, quod accepturi erant, quantitatem præferebant [11]. Imperatores Romani interdum in publicis ludis tesseras in popu D lum projiciebant, in quibus argenti, vel tritici, vel alterius rei quantitas erat designata, quas qui arripiebant, ea uterio regio exigebant, quod in iis notatum erat. Instruebantur etiam publice quædam, sacraque convivia, quibus non admittebantur, nisi tesseras exhibentes, quibus jus ingrediendi sibi esse testarentur.

Hammondius putat, id forme innui, quod contingit in sortibus, in quibus scilicet schedulæ fortuito cadunt, & nomen novum, ac ignotum extrahenti referunt, notum autem ei soli, qui aleam jecit. S. Johannes hic ait, victorem bonam schedulam, bonam sortem cum nomine Jesu Christi habiturum, *nomine illo novo, quod nemo scit, nisi qui accipit*; quod est æternæ compensatio, Cœlestis gloriæ, mysterium profanis ignotum, ab illud non agnoscentibus neglectum; notum vero, & æstimatum a fidelibus; qui E bonorum, quæ Deus diligentibus se promisit, pretium, & excellentiam norunt.

℣. 18. ANGELO THYATIRÆ ECCLESIÆ.] Thyatira nunc Mysiæ, nunc Lydiæ tribuitur; ad utriusque enim provinciæ fines sita erat. Martyrologia quædam Episcopum Thyatiræ adscribunt S. Carpum, de quo ℣. 12. dictum est; alia [12] S. Irenæum. Sed eti-

rum

---

1 Aureolus, Lyran. 2 Euseb. Hist. Eccl. lib. 4. cap. 15. 3 Areth. Ita Grot. Gagn. Cluver. alii. 4 Vide apud Bolland. 11. April. pag. 3. Tillemontium in persecutione Domitiani, tom. 2. pag. 132. & Not. 2. 5 Ἀπεκτάνθη 6 Num. 22. 23. 25. 17. 31. 16. Mich. 6. 5. 2. Petr. 2. 15. Judæ. 2. 7 Vers. 15. Τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαϊτῶν, ὃ μισῶ, 16. Μετανόησον. Plures legunt: Τῶν Νικολαϊτῶν ὁμοίως. 17. Μετανόησον οὖν. Ita Steph. in. Alex. Pet. 2. 3. Hunt. 1. Sin. Baroc. Cov. 2. Barb. 2. Areth. alii: Ὁμοίως μετανόησον. Ita Vulg. Syr. Cornel. 8 Num. 31. 8. Josue 13. 22. Grot. Riber. 9 Capell. Cotter. Paræ. 10 Ita Riber. Cornel. Menoch. Tir. Paræ. Piscat. Cluvar. Durham. Cotter. &c. 11 Vide Vitruv. Præfat. lib. 9. & Plin. Ep. 119. & 120. Justin. ad Zenam. Grot. & Hamm. hic, & Petit. Var. Lect. cap. 8. 12 Aureolus hic.

rum est incertissimum: alterum nullo nititur fundamento. S. Epiphanius hæres. 51. loquitur de quibusdam hæreticis, qui canonicam esse Apocalypsim negabant, eo quod tunc Thyatiræ nulla esset Ecclesia. Hinc quidam asseruere, S. Johannem prænuntiasse, quod erat aliquando eventurum; alii vero Ecclesiam, quæ ibi erat, a Cataphrygibus eversam fuisse. At Grotius censuit, ibi fuisse Ecclesiam e Judæis tantummodo conversis conflatam. A vero non abhorret, Ecclesiam, cui hæc scribuntur, cum monitis S. Johannis minime profecisset, incidisse in calamitates, quæ interius ipsi denuntiantur, & fuisse vel a persecutione penitus dissipatam, vel ab hæreticis depravatam, cum secundo sæculo exeunte, vel tertio ineunte nulla amplius in hac urbe aderat catholica ecclesia.

QUI HABET OCULOS TAMQUAM FLAMMAM IGNIS.] Videsis superius cap. 1. vers. 14. Oculi ardentes, ejus itam, vel infinitam penetrationem designant.

℣. 19. ET OPERA TUA NOVISSIMA PLURA PRIORIBUS.] Laus singularis hæc est, numquam ardorem remisisse, & semper magis, magisque in virtutibus profecisse [1]: *rara avis in terris est, qui de gradu, quem in religione forte semel arripuerit, vel parum ascendat.*

℣. 20. PERMITTIS MULIEREM JEZABEL.] Quemadmodum in versiculis 14. & 15. doctrinam Balaam, Nicolaitarum appellavit doctrinam; ita hic pseudoprophetissam Thyatiræ nomine Jezabel vocat. Quænam fuerit hæc mulier, ignoratur. Crediderunt quidam [2], hanc fuisse Episcopi uxorem, atque plures MSS. Græci [3] legunt, *uxorem tuam Jezabel*. At si Episcopus ille in uxore sua tantam passus fuisset licentiam, quantam ei Sanctus Johannes objicit, numquam profecto tam leniter Episcopum objurgasset. Alii [4] putant, Sanctum Johannem Nicolaitas inibi degentes indigitare, qui fideles in hæresim suam pertrahentes, eorum mores corrumpebant. Mulierum nomine eos ob mollitiem, & effeminatos mores appellat. Sed plerique [5] autumant, hanc fuisse mulierem quamdam potentem, & superbam, quæ inanibus prophetiis populos seducebat, falsis illis Montanistarum prophetissis, Priscillæ, Maximillæ, Quintillæ facile non absimilem. Nulla forte hæresis umquam fuit, quam extraordinariam mulier aliqua non propugnarit, eique nomen conciliaverit.

FORNICARI, ET MANDUCARE DE IDOLOTHYTIS.] Mulier hæc procul dubio Nicolaitarum, sive Gnosticorum erroribus erat imbuta, qui turpes actus, Ethnicosque cibos, & superstitiones rebus indifferentibus accensebant.

℣. 21. DEDI ILLI TEMPUS, UT POENITENTIAM AGERET.] Eam monui, eam invitavi, ut ad me rediret, erroremque rejiceret. Sed ℣ 22. *mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulationem maximam erunt.* Sive hoc de spirituali adulterio, nempe de idololatria intelligatur; sive de turpi, & carnali adulterio, mulier hæc, ut antea diximus, errores Nicolaitarum sectabatur, qui impudicissimas actiones religioni non habebant. Id temporis in fideles, qui in aliquos dilabebantur errores, Deus corporalibus morbis animadvertebat. Vide 1. Cor. 11. 30.

℣. 23. FILIOS EJUS INTERFICIAM MORTE.] Fortassis ejus discipulos, & sectatores, sive filios, turpissimæ ejus vitæ imitatores. Eos peste percutiam, sive alio lethali morbo; seu denique secunda morte, nempe Inferni morte eos damnabo [6].

℣. 24. QUI NON COGNOVERUNT ALTITUDINES SATANÆ.] Qui novam, vitiosamque Nicolaitarum, Simonitarum, & Gnosticorum doctrinam audire renuistis: vel qui eam nec recepistis, nec approbastis. *Altitudines*, sive potius *profunditates Satanæ* [7]: profunditates nempe abstrusæ doctrinæ horum hæreticorum, qui sunt veri discipuli, seu vera Satanæ semina: quæ de spiritibus mundi creatoribus, & summo Creatori contrariis docebant, quæ de Angelis, & variis eorum gradibus effutiebant; eorum turpissimarum actionum arcana, reconditos libros, qui eorum doctrinam continebant. En quæ S. Johannes vocat *altitudines Satanæ, quemadmodum dicebant ipsi*. Porro hi *altitudines* appellabant; ut Divus Johannes addit *Satanæ*, ut irrideat jactatas altitudines, quæ non nisi diabolica erant arcana.

ALIUD PONDUS.] Legis jugum vobis rursum non imponam [8], vel potius [9]: novas vobis non incutiam minas; novas, molestasque prophetias vobis non annuntiabo. In Prophetarum stylo *onus* pro prophetia infausta vaticinatore usurpatur. *Onus Ninive: onus Babylonis*; & alia id genus.

℣. 25. ID, QUOD HABETIS, TENETE.] Fidei depositum servate, perseverate in bono, in patientia, in charitate, quas in vobis suspexi ℣. 19. Si ab his non deflexeritis, certi estote, iram meam super vos non delapsuram; sed solum supra Jezabel; vers. 20. 21. 22. 23.

℣. 26. QUI VICERIT, DABO ILLI POTESTATEM SUPER GENTES.] Qui perditam Jezabel superabit, qui ejus blanditiis obstabit, & flagitiosæ ejus doctrinæ bellum inferet, potestatem super gentes obtinebit; præerit Gentilibus ad Christum conversis [10], vel ei dabo gratiam, & lumen, ut illos convertat, & ad fidem perducat; vel denique ei meam in cœlis gloriam communicabo, & mecum in extremo judicio nationes judicabit [11].

℣. 27. REGAT EAS IN VIRGA FERREA.] Hæc interpretationem de extremo judicio confirmant; quippe Ecclesiasticorum pastorum in gregem suum regimen numquam per virgam ferream designatum fuit, & Salvator numquam Ecclesiæ suæ imperium asperum, ac terrificum in victas nationes pollicitus est. Ipsemet testatus est, Joan. 18. 36. Regnum suum non esse de hoc mundo. Attamen Psalmista de ejus Regno super gentes disserens, inquit psalm. 2. 9. ipsum in virga ferrea eos recturum: & tamquam vas figuli confracturum. Et inferius cap. 12. 5. Divus Johannes dicit, filium, quem Ecclesia peperit, nempe populum Christianum recturum infideles gentes, *in virga ferrea*: quo ostenderet temporale mundi imperium in manibus Principum Christianorum futurum, qui in subjectos sibi Gentiles absolutum, supremumque dominium, ac omnia regiæ potestatis jura exercebunt. Haud aliter, habita ratione, explicari potest hic locus.

℣. 28. DABO ILLI STELLAM MATUTINAM.] Hæc stella matutina juxta aliquos [12] Angelum custodem, qui ad nos regendos destinatus est, repræsentat. Juxta aliquos [13] ea est Jesus Christus, sive ejus gratia, sive munus fidei, sive lumen supernaturale, sive denique lumen gloriæ, & cœlestis beatitudo [14].

---

1 Bernard. Ep. 96 ad Richard Fontan. Abbat. 2 Ita Syr. Tichon. Cyprian. Areth. alii plures e veterib. 3 Ὅτι ἀφεῖς τὴν γυναῖκα Ἰεζάβελ. Alii plures: Τὴν γυναῖκά σου Ἰεζάβελ. Steph. α. 12. Alex. Sin. Baroc. Pet. 2. Hunt. alii. Syr. Areth Cyprian Ep. 55. Tichonius, Seidel, & ita veteres, ait Grot. 4 Tichonius, Primas. Rupert. 5 Beda Rupert. Primas. Perer. Cornel. alii. 5 Drus. hic. Vide sup. ad vers. 21. 6 Beda, Rupert. Primas. Richard. alii. 7 Τὰ βαθέα, vel τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ. 8 Victorin. Ambros. Primas. Rupert. Beda, Haymo, Joachim. Ausbert. Lyr. Hugo, Pannon. 9 Tichon. Cornel. Durham. 10 Cornel. Hammond. Ita Bed. Primas. Ausbert. 11 Ribera. Lyran. Gomus. Menoch. Cornel. Ita ex Antiq. Victorin. Andræ. & Areth. &c. 12 Richard. de Sancto Victor. Dionys. Carthus. Muldon. omn. MSS. apud Cornel. hic. 13 Perer. Viegas, Riber. Cornel. 14 Richard. Primas. Areth. alii.

CAPUT

CAPUT III.

Admonitio Episcopis Sardis, Philadelphiæ, & Laodiceæ. JESUS CHRISTUS tenet claves David, Columnæ, in quibus nomen Dei, & Sion incisum est. JESUS CHRISTUS tepidos rejicit, quos amat, punit; ad ostium pulsat.

1. ET Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: Hæc dicit, qui habet septem Spiritus Dei,
& septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mor-
tuus es. 2 Esto vigilans, & confirma cœtera, quæ moritura erant. Non
enim invenio opera tua plena coram Deo meo. 3 In mente ergo habe qualiter
acceperis, & audieris: & serva, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, Ve-
niam ad te tamquam fur, & nescies, qua hora veniam ad te. 4 Sed habes pau-
ca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua: & ambulabunt mecum
in albis, quia digni sunt: 5 Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non
delebo nomen ejus de Libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, &
coram Angelis ejus. 6 Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.
7 Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Sanctus, & Verus, qui ha-
bet clavem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit: 8 Scio
opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere:
quia modicam habes virtutem, & servasti verbum meum, & non negasti nomen
meum. 9 Ecce dabo de synagoga satanæ, qui dicunt se Judæos esse, & non
sunt, sed mentiuntur: Ecce faciam illos, ut veniant, & adorent ante pedes tuos:
& scient, quia ego dilexi te. 10 Quoniam servasti verbum patientiæ meæ,
& ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum ten-
tare habitantes in terra. 11 Ecce venio cito: tene, quod habes, ut nemo acci-
piat coronam tuam. 12 Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei,
& foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen
civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, & nomen
meum novum. 13 Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis. 14
Et Angelo Laodiceæ Ecclesię scribe: Hæc dicit, Amen, testis fidelis, & verus,
qui est principium creaturæ Dei: 15 Scio opera tua, quia neque frigidus es, ne-
que calidus: utinam frigidus esses, aut calidus: 16 Sed quia tepidus es, & nec
frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo: 17 Quia dicis: Quod
dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & mi-
serabilis, & pauper, & cæcus, & nudus: 18 Suadeo tibi emere a me aurum
ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non ap-
pareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, ut videas. 19
Et ego, quos amo, arguo, & castigo. Æmulare ergo, & pœnitentiam age. 20
Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi
januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. 21 Qui vicerit,
dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo
in throno ejus. 22 Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.

℣. 1. ECCLESIÆ SARDIS.] Non dicit, ut antea, *scribe Angelo Sardis*; hæc etenim Prophetia, sive epistola non tantum respicit episcopum, sed etiam ecclesias regionum, quibus dirigitur. Sardis erat olim Lydiæ Metropolis, & urbs Regia celebris Crœsi: *Quid Crœsi Regia Sardis?* Horat. l. 1. ep. 2.

QUI HABET SEPTEM SPIRITUS DEI, ET SEPTEM STELLAS.] Paraphrasis hæc est, qua J. Christus innuatur. Confer cap. 1. ℣℣. 16. & 20. Id posset etiam fortasse intelligi de Patre, ac Filio, hoc modo: Qui habet prope thronum suum septem spiritus; is est Pater, juxta cap. 1. 4 & qui gestat manu septem stellas; hic est Filius, juxta cap. 1. 16. 20. Græcus [2] numerum septem spirituum non legit; hic tamen numerus in multis optimæ notæ Mss. reperitur.

NOMEN HABES QUOD VIVAS, ET MORTUUS ES.] Qui te non nisi leviter norunt, te probum Christianum, & bonum virum existimant; at ego, qui cogitationes tuas funditus novi, te gratiæ mortuum esse, & veluti cadaver, quod aversor, a me respici tibi denuncio. In sacrorum scriptorum stylo *vivere* idem est ac esse in dei gratia, & bene agere; *mortuum esse*, est vivere in peccato,

2 Ὁ ἔχων τὰ πνεύματα τοῦ Θεοῦ. Alii plures: Τὰ ἑπτὰ πνεύματα. Ita Steph. α. ια. ιε. Alex. Cov. 2. Hunt. 5. Sin. Baroc. Colinæi. Edit. & aliæ quæd. Edit. Syr. Arab. Æth. Aeth. Vulg.

cato, & officiorum suorum negligentia [1].

℣. 2. Esto vigilans, et confirma cetera, quæ moritura erant.] Tu quoad majorem tui partem mortuus es [2], & quoad præcipua gregis tui membra; excita, erige reliquum vitæ, quod tibi, & illis superest, produc favillam, quæ latet sub cinere; resume novum fervorem; collige te ipsum; convola ad pœnitentiam, expelle pravos magistros; incumbe ad scientiam & praxim veritatum salutis; gregi tuo invigila; sana vulnera, quæ hæresis inflixit: *non enim invenio opera tua coram Deo meo*. Deest enim illis spiritus, charitas, & zelus, quibus animari debent, & perfecta, Deo accepta, & præmio digna reddi. Opera, quæ fulgentiora hominum oculis videntur, mortua & inania sæpe sunt oculis Domini, quippe deest illis charitas, sine qua salutem æternam promereri non possunt.

℣. 3. In mente habe, qualiter [3] acceperis.] Recordare doctrinæ, quam a primis Apostolis accepisti, & depositi fidei, quam tibi commiserunt; illud diligenter custodi, & cave ne quis illud novitatibus, quæ semper in discrimen adducunt, aggrediatur.

Veniam ad te tamquam fur,] & cum minus expectaveris. Deus nos imprudentes deprehendere, vel nobis insidias struere non cupit. Nos admonet, se venturum tanquam furem, ne dormitemus. Si nos imparatos intercipere vellet, ne utiquam admonuisset [4].

℣. 4. Habes pauca [5] nomina in Sardis.] Nomen interdum sumitur pro personis [6]. Deus inter Sardicenses paucos quosdam fideles tutatus fuerat, quæ summam ei fidem servaverant, neque se a Nicolaitarum turpitudinibus, aut profanis hæreticorum novitatibus abripi passi fuerant. *Vestimenta inquinata*, improbas ac turpes actiones allegorice significant. Qui vestimenta sua non macularunt, ii sunt, qui baptismi innocentiam, puritatem fidei, ac morum conservarunt. *Ambulabunt cum filio Dei in albis, quia digni sunt*. In Cœlis Dei præsentia perfruentur; ipsum sequentur, ejusque gloriæ participes erunt, veluti amici, vel servi electi. Vide inferius cap. 7. 9. *Post hæc vidi turbam magnam, quam nemo dinumerare poterat. . . stantes ante thronum, & in conspectu Agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum*. En fidelium Sardicensium societas.

Alii putant [7], S. Joannem hic alludere ad insignes solemnitates, in quibus magnates, sacerdotes, ac primores populi albis vestimentis prodeunt; sive ad triumphorum cæremonias, in quibus victor, & qui eum ejusque currum affectabantur, albis vestibus erant induti. Hic erat lętitiæ, solemnitatum, & triumphorum color. Angeli albis induti semper apparent.

℣. 5. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis.] Id confirmat interpretationem modo allatam; *& non delebo nomen ejus de libro vitæ*. Hic loquendi modus, scribere in libro vitæ, & delere de libro vitæ, prædestinationem, ac reprobationem in scriptura plerumque significat. Prædestinati in libro vitæ scripti sunt, & reprobi, ex eo deleti. [8] Verum cum prædestinatio ad gloriam, & reprobatio immutabiles sint, quomodo Dei filius isthic pollicetur, se victorem e libro vitæ non deleturum? Nonne id insinuat factum fuisse ut deleretur, si se vinci passus fuisset? Respondetur, duo genera reprobationis, & prædestinationis esse; alterum totale, & irrevocabile; alterum partiale; illud ad vocationem, & justificationem; hoc ad omnem gratiam & gloriam.

Omnes ii, qui Christianæ fidei nomen dederunt, qui baptismi gratiam acceperunt, & qui munus divinum degustarunt, electi sunt, & prædestinati ad gratiam; prædestinationis, quam appellavimus partialem, & S. Thomas 1. par. qu. 24. ar. 3. inchoatam, & adumbratam vocat, facti sunt participes. Deus eos descripsit in libro vitæ, in numerum suorum filiorum, & fidelium eos recipiens. At si non perseverent in gratia, vel in fide, aut potius, nisi perseveraverint, cum non sint in numero prædestinatorum ad gloriam, e libro vitæ delebuntur. Prædestinati vero ad gloriam totali atque irrevocabili decreto, nunquam de libro vitæ delebuntur, quippe permanebunt in bono, ac si in peccata, atque incredulitatem delapsi fuerint, per pœnitentiam resurgent. Hi videbantur scripti in libro vitæ, sed revera non erant scripti, inquit sanctus Augustinus [9]; inchoarunt opus suæ salutis; sed neutiquam perfecerunt. Porro hi, de quibus S. Joannes, confirmabuntur in gratia; Deus ipsis signa prædestinationis dabit, & perseverantiæ gratiam tribuet.

Et extremo die *confitebitur nomen eorum coram patre suo*, eos agnoscet pro suis, quemadmodum, & ipsi coram hominibus eum confessi sunt, & agnoverunt; juxta Evangelii verba [10]; *omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo* [11].

℣. 7. Angelo Philadelphiæ ecclesiæ &c.] Philadelphia erat Phrygiæ, sive Mysiæ, sive etiam Lydiæ urbs. Tres istæ Provinciæ confines sunt, & pro variis temporibus modo uni, modo alteri harum Provinciarum attributa est, juxta varias divisiones quæ factæ sunt.

Hæc dicit sanctus, et verus, qui habet clavem David.] Hæc sunt nova Jesu Christi epitheta. Sanctus est, & verus per antonomasiam, sanctitas & veritas essentialis; omnis veritatis, & sanctitatis origo. *Habet clavem David*; sive *clavem domus David*, ut scriptum est in Isaia [12], ad quod isthic alludit S. Joannes. Porro clavis erat dignitatis *Præfecti* regiæ domus insigne. In sensu figurato, *domus David* Ecclesia est [13], sive Cœlum. Jesus Christus utriusque claves habet; infinita potentia sua cœlum aperit, & claudit. Ejus Apostoli, & ministri in terris, ejus nomine in Ecclesia ligandi, & solvendi peccata potestatem exercent. Ecclesia terrestris, sive ecclesia militans, & Ecclesia Cœlestis, sive ecclesia triumphans, nonnisi unam quodammodo efficiunt. Quod ligatum est, vel solutum in terris, ligatum est vel solutum in Cœlis. Jesus Christus invisibiliter agit in cœlo, quod ejus servi illius nomine operantur in terra. Ipse igitur Domus David claves tenet, cum ipse eas servis suis tradat.

Alii [14] nomine *clavis David* prophetiarum, & generatim sacrarum scripturarum intelligentiam innui putant. Jesus Christus eam ecclesię suæ, Apostolis & amicis suis tribuit. Ipsa est quodammodo hæc clavis; quippe sine ipso totum Vetus Testamentum est liber obsignatus, qui numquam intelligi potest, nisi prophetiæ, & figuræ, quæ in ipso continentur, Jesu Christo accommodentur.

℣. 8. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere.] Frustra veritatis, & Evangelii hostes exerent conatus suos, ut te impediant, quominus populis prædices, & Gentilibus ecclesiæ fores occludere aggredientur; iis januam reclusi; atque intrabunt: te ad prædicandum misi, & laboribus tuis benedixi, ac invitis inimicis tuis proficies [15]. S. Paulus

1 Vide Ephes. 2. 1. 1. Timoth. 5. 6. Luc. 15. 22. Ephes. 5. 14. 2 Στήριξον τὰ λοιπά. Alii: Τὰ λοιπὰ, ὅ. Ita Syr. Aeth. Arab. Ita explicant Beda, Primas. Lyran. Perer. Alcazar. Cornel. Menoch. Paræ. alii.

3 Πῶς εἴληφας, καὶ ἤκουσας. Quidam: qualia, πῶς, pro, ποῖα. Arab. Aeth. Bea. Grot. Zeger. Cornel. Areth.

4 Vide Matth. 24. 43. 1. Thessal. 5. 2. Apocal. 16. 15. 5 Pauca nomina, ὀλίγα ὀνόματα.

6 Vide Act. 1. 15. Ἦν τε ὄχλος ὀνομάτων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὡσεί. Apoc. 11. 13. Ὀνόματα ἀνθρώπων χιλιάδες ἑπτά. Tibull. Eleg. *Nec fidum fœmina, nomen, &c.* 7 Vide Paræ. Drus. Gemar. Durham Pisr. Claver.

8 Ambrosiast. D. Thom. Perer. Est. Cornel. Riber. Men. alii. 9 Augustin. in Psal. 68. 29. & Ambrosiast. hic. 10 Matth. 10 32. 33. & Luc. 9. 26. 11 Matth. 25. 12. *Amen dico vobis; nescio vos.*

12 Isai. 12. 22. *Dabo clavem domus David super humerum ejus: & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.* 13 Tichonius, Primas. Andræ. Aretas, Bed. Anselm. Riber. Perer. Alcazar. Cornel. alii. 14 Ambrosiast. Anselm. Rupert. Richard. Lyr. Joachim. Thom. Pannon. Viegas.

15 Ribera. Cornel. Men. Grot. Gemar. alii.

Paulus in eodem ferme sensu dicebat, loquens de prædicatione sua 1. Cor. 16. 9. *Ostium enim mihi apertum est magnum, & evidens, et adversarii multi.* Et 2. Cor. 2. 12. *cum venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino.* Et Coloss. 4. 3. *orate simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum.*

QUIA MODICAM HABES VIRTUTEM.] Quia modicas vires habes [1], te ingenti certamini non committam; (℣. 10.) *Ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum.* Dei siquidem sapientia tentationes, quas Christianis immittit, uniuscujusque viribus, & gratiis eisdem datis accommodat; numquam sinit, homines supra eorum vires tentari. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* 1. Cor. 10. 13.

Hoc etiam explicari hoc modo potest: *quia modicam habes virtutem*, nempe modicum spiritum, modicum lumen [2], modicam gratiam, & munera supranaturalia Spiritus Sancti; modicam eloquentiam, & scientiam; ac proinde, licet parum potuisti in Evangelii prædicatione proficere, tamen *quia servasti verbum meum, et non negasti nomen meum*, tuam fidem compensare volo, & virtute mea tuam infirmitatem roborare; (℣. 9.) *Ecce dabo de synagoga satanæ, qui dicunt se Judæos esse, et non sunt.* (Vide superius cap. 2. 9) qui neque Christiani sunt, neque Judæi, licet cæremoniarum legalium, quas non observant, studio teneri videantur. Eos pedibus tuis sistam, ibi errores suos fatebuntur, & abjurabunt, & cogentur fateri, *quia ego dilego te*, & bonis desideriis tuis obsecundo.

℣. 10. QUONIAM SERVASTI VERBUM PATIENTIÆ MEÆ.] Ut fidem tuam, & patientiam compensem, te tutum reddam a tentatione, & persecutione; te ab ea corripi non patiar. De persecutione, quæ Trajano imperante detonuit, illthic loqui velle videtur [3] S. Joannes. Plinius, qui ea tempestate vivebat in Bythiniis Provincia Mysiæ, & Phrygiæ, ubi ponitur Philadelphia, contermina, se plures martyrio affecisse testatur [4]. Porro Trajanus nullum in Christianam religionem edictum evulgasse creditur; certissimum tamen est, sub ejus Regno plures Ecclesias vexatas, pluresque Christianos pro fide interfectos fuisse. Passus non est Deus, ut Ecclesia Philadelphiæ hisce calamitatibus objiceretur, & ob episcopi tunc eam regentis, & fidelium eam constantium merita.

Ait S. Joannes, hanc *tentationem venturam in orbem universum*; nempe in totum Romanum Imperium; quippe quamvis Trajanus, ut dictum est, nullam legem in Christianos expresse tulerit, attamen sæpius contingebat, ut Pagani odium proprium explendi causa, sive pseudo zelum erga suos Deos ostentandi, in Theatris publice postularent, ut Christiani stirpitus evellerentur [5], atque interdum non expectato magistratuum mandato flammis, ac lapidibus eos impetebant. Ingentem martyrum vim sub hujus Imperatoris regno nobis suppetit Ecclesiastica historia [6].

℣. 11. ECCE VENIO CITO: TENE QUOD HABES.] Veniam propediem, ut singulis pro merito reddam, & opera servorum meorum invisam: *Igitur vigila, tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Deus nos visitat calamitatibus, morbis, ac morte. Ait S. Joannes, Jesum Christum a persecutionis periculo defensurum Episcopum Philadelphiæ; vult igitur facile illthic insinuare hunc Præsulem propediem moriturum, & coronam gloriæ atque immortalitatis [7] acquisiturum.

℣. 12. QUI VICERIT, FACIAM ILLUM COLUMNAM IN TEMPLO DEI MEI.] Qui hæreticorum [8] malitiæ, ac versutiæ obstabit, & perseverabit usque ad finem in fide, & in virtutis exercitio, erit columna in Jesu Christi Ecclesia [9]; validum erit fulcimentum, & in Cœlis honorabitur, ut qui fideles exemplis suis, & doctrina sustinuerit. S. Paulus ad Galat. 2. 9. ait, SS. Petrum, Jacobum, & Joannem veluti ecclesiæ nascentis columnas habitos fuisse. Porro victoribus erigebantur interdum columnæ, quæ in Templis collocabantur, in quibus eorum nomina, & præclara gesta exsculpebantur [10]. Asserunt alii [11] S. Joannem alludere ad duas æreas columnas, quæ in limine Templi Hierosolymitani astabant. Vide 3. Reg. 17. 15. & 2. Par. 3. 15.

ET FORAS NON EGREDIETUR AMPLIUS.] Ex hoc apparet, hic agi præcipue de mansione æterna beatorum in Cœlis. *Et scribam super eum nomen Dei mei*, Domini Dei, Creatoris Mundi, Patris æterni, *& nomen civitatis Dei mei*, quæ est Ecclesia Christiana, stylo prophetico vocata, *nova Jerusalem; meum novum.* Sancti in Cœlis tres habent titulos, qui eos distinguunt; primum filiorum, & servorum Dei; alterum filiorum, sive membrorum Ecclesiæ; tertium fratrum Jesu Christi. Ferunt quodammodo in fronte nomen Dei, Jesu Christi, & Ecclesiæ. Cultores Patris sunt, imitatores Filii, & cives Jerusalem, seu viventia Ecclesiæ Christianæ membra. Qui hosce characteres in Ecclesia militanti detulerint, eos longe illustriores in triumphanti etiam deferent.

℣. 14. ANGELO LAODICIÆ ECCLESIÆ SCRIBE.] Hæc urbs est in Lydia ad Lycum fluvium sita. De Ecclesia Laodiciæ loquitur S. Paulus in Epistola ad Colossenses c. 2. 1. & 4. 13. 15. 16. Ibi eum aliquando prædicasse non censemus: sed Epaphras, qui facile illius erat Episcopus, & forte fundator, & Apostolus, quippe S. Paulum inviserat, hunc adegerat, ut Laodicensium, perinde ac Colossensium saluti studeret. Quinam vero fuerit hujus Ecclesiæ Episcopus, cum S. Joannes hæc nomine Jesu Christi illis conscripsit, ignoratur.

HÆC DICIT: AMEN.] Ad litteram [12]: *Hæc dicit ille, cujus nomen est, Amen, et testis fidelis. Amen* Hebraice significat *veritatem*, sive eum, qui *verus est*. Vide *Apoc.* 1. 5. ubi Jesus Christus vocatur *testis*, sive *martyr fidelis*, quippe martyr græce sonat testem; & Christus est princeps martyrum juxta Patres [13]. In Evangelio [14] Christus se nomine veritatis vocavit; & sæpissime se esse testimonium verum nobis affirmavit, quia nihil asserebat, quod ab ipso Deo non didicisset, & id, quod ab eo hauriebat, est essentialis veritas.

QUI EST PRINCIPIUM CREATURÆ DEI.] Filius Dei, sapientia Patris, verbum æternum est principium operum Dei, quatenus Deus per verbum suum, & Sapientiam [14] omnia creavit. Aliter Jesus Christus est principium novæ creaturæ, sive novæ creationis, regenerationis hominis, & renascentiæ ad gratiam, & salutem [15]: Etenim scriptura sæpius utitur novæ creationis voce, de regeneratione, & fide Christiana loquens: Exempli causa 2. Cor. 5. 17. *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova.* Tum Galat. 6. 15. *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.*

Id alii explicant ita: Jesus Christus genitus est ante omnem creaturam, quemadmodum habetur in sancto Paulo Coloss. 1. 15. Jesum Christum esse *primogenitum omnis creaturæ*, nempe genitum a Patre ab omni æternitate, antequam extrinsecus aliquam creaturam produxisset. Sive; *principium creaturæ Dei*, designabit non principium, sed imperium, potestatem, quam Jesus Chri-

1 Ὅτι μικρὰν ἔχεις δύναμιν. 2 Victorin. Ambrosiast. 3 Riber. Alcazar. Cornel. Menoch. Tirin. Gomar. 4 Apud Euseb. lib. 3. 32. & 33. & Plin. lib. 10. Ep. 102. 5 Euseb. lib. 4. cap. 15. Hist. Eccl. Tertull. Apologet. cap. 37. 6 Vide Tillemontium tom. 2. p. 185. & seqq. in Persecut. Trajan.
7 Riber. Men. Hamm. 8 Tichon. Beda. Haymo, Andreas. Aretas, Anselm. Alcazar.
9 Vide Pareum, & Cornel. Menoch. 10 Ribera. Pare. Grot. 11 Τάδε λέγει ὁ Ἀμήν. Plures Vulgatæ Libri post Vaticanos ann. 1590. 1592. 1593. & 1598. & Roman. 1624. & Plantin. Et alii universi ab anno 1600. usque nunc, sic legunt: *Hæc dicit: Amen.* Cum duobus punctis ante Amen. Sed alii omnes ante Vaticanos Editi legebant: *Hæc dicit amen.* Bene. Bukentop. Lux de luce, lib. 2. pag. 212. 213.
12 Greg. Nazianz. Orat. 18. August. serm. 2. de sancto Stephano. 13 Joan. 14. 6. 16. 7. 18. 37.
14 Psal. 32. 6. Prov. 8. 27. 28. & seq. 15 Vide Rupert. Grot. Alcaz. Riber. Cornel.

Christus, quatenus Dei filius, in omnes creaturas exer- A
cet. Græce idem verbum, quod principium significat,
imperium quoque, et dominationem notat [1]. Ariani
hoc explicabant perinde, ac Jesus Christus simplex es-
set creatura, ceteris in nulla re alia superior, quam in
principatu ordinis et temporis; vetustissima et nobi-
lissima omnium creaturarum. Sed ecclesia hanc inter-
pretationem divinitati Verbi adeo adversam expunxit.
S. Joannes isthic alludit ad Cap. 1. 8. *Ego sum alpha, et omega, principium et finis.*

℣. 15. Utinam frigidus esses, aut calidus.] Tepor in vita Christiana, et in Dei servitio, sæpius nocet magis, quam frigus, quia saltem frigidus non sibi placet. Huic facile est animæ suæ periculum persuadere. Angitur aliquando, et conscientiæ stimulis agitatur. Tepidus autem absque conscientiæ stimulis, sine timore B
atque diffidentia vivit, neque eos audit, qui statum sui terrorem [2] illi possunt incutere. Servus, qui Domini voluntatem ignorat, lenius punietur, quam qui eam prudens neglexerit [3]. Satius esset veritatem non agnovisse, quam cognitam [4] non curasse. Facilius apertus peccator, quam hypocrita, et tepidus emendabitur [5]. Expedit aliquando superbis, et tepidis in fœdos errores dilabi, ut suam infirmitatem recognoscant, atque odium salutare adversus se ipsos concipiant, qui sibi tantopere placuerant [6]: *audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant.*

℣. 16. Incipiam te evomere;] nempe te deserere, rejicere de gremio meo, de ecclesia mea, gratiam meam tibi subtrahere, et sinere, ut in gravem errorem deci- C
das, quo puniam præsumptionem tuam, reprimam superbiam, et inanem tui oblectationem obtundam.

℣. 17. Quia dicis: quod dives sum . . . . . et nescis quia tu es miser, etc.] Existimas esse spiritalium bonorum divitem; credis esse gratum Deo, et posse mundi, carni, et Dæmonis tentationibus obsistere. Noli te ipsum decipere; bonis spiritalibus, et gratiis cares, infirmus, cæcus, infelix es. Summa bonorum spiritalium paupertate laborat, qui illis existimat se abundare. Sanctissimi quique viri humillimi sunt, suam infirmitatem, et nuditatem præ ceteris agnoscunt: sibi ipsi ocularius invigilant, et cupidissimi sunt cœlestium gratiarum, quas sine intermissione ardentius efflagitant, quin unquam satigentur. Sapientia inquit in Scriptura [7], ut qui eam biberit, sitiet adhuc, et qui eam comederit, D
adhuc esuriet. Qui hujus cœlestis alimenti fame, vel siti non laborat, ostendit se illo minime affici, et longe abesse, ut eadem sit repletus.

℣. 18. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum.] Aurum, hoc est charitas [8], quam fides, spes, & bona opera comitantur, est cœlestis sapientia, quæ virtutis pretium nos edocet, ejusque amorem nobis instillat. Id omne tuorum commodorum, voluptatum, inanisque tranquillitatis, in qua vivis impendio, emendum est. Oportet exuere hanc superbiam, & teporem, quæ te a salute curanda avertunt; & *locuples eris* coram Deo, cum nullo modo divitem esse tibi persuaseris.

Et vestimentis albis induaris.] Te bene indutum existimas; falleris. Eme cito indumenta alba, pura, munda, ut turpem nuditatem tuam tegas. E
At quænam sunt vestimenta ista? Hæ sunt innocentia, justitia, humilitas, charitas, modestia, patientia. Audi S. Paulum ad Coloss. 3. 2. *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.*

Collyrio inunge oculos tuos [9].] Existimas te clare videre: falleris. Eme collyrium, ut oculos purges. Collyrium hoc est pœnitentia [10], resipiscentia, cœlestia lumina, quæ tibi perpetuo petenda sunt; est humilitas [11], quæ tibi errores tuos ostendet, & sanctum terrorem incutiet.

℣. 19. Ego quos amo arguo, et castigo [12].] Ne putas hæc tibi dici, quia odio, & contemptui habearis. Ego reprehendo, & castigo quos amo; eo magis eorum peccata odi, quo magis eos diligo. Pater filium suum intime diligens valde afficitur iis omnibus, quæ illum lædunt atque dedecorant. Vide Prov. 3, 12.

Æmulare [13] ergo, et pœnitentiam age.] Depone teporem in quo jaces, pœnitentiam age, ut laudes meas, & amicitiam promerearis.

℣. 20. Ecce sto ad ostium.] Deus ad cordis nostri januam pulsat suis inspirationibus, & admonitionibus, quas nobis interinsecus per se ipsum, sive extrinsecus per suos ministros insinuat, sive etiam per creaturas, & per calamitates, quas nobis immittit [14]. Nostrum est ei aperire, & eum orare, ut auferat a nobis cor lapideum, & det nobis cor carneum; quippe certum est, ut ait Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 5. 6. & can. c. 2. 3. quemadmodum homo libero suo arbitrio assentiri semper, & dissentire, obsistere, & obtecundare gratiæ potest; ita quoque ex se, ac solis naturæ adjumentis, sine præsidio cœlestium gratiarum, & luminum, nullum salutare bonum eum agere posse. Deus est, qui inchoat semper in nobis bonum, quod nos ipsi cooperantes cum illo perficimus [15]: *Ipse Deus ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Ipse præparat voluntatem, & explet suo adjumento, quod inchoavit actione suæ gratiæ: *Ille præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit.* Nostri conatus inanes sunt, nisi Deus illos fortunet; & conari non possumus, nisi Deus nos præveniat, ac excitet, ut ait S. Bernardus de Grat. & lib. arb. *conatus nostri et cassi sunt, si non adjuventur; & nulli, si non excitentur.*

Cœnabo cum illo, et ipse mecum.] Notat id infinitam Dei erga nos benignitatem & necessitudinem, quam fidelibus, & obsequentibus sibi tribuit. Notat etiam bonæ conscientiæ voluptatem, & consolationes, quibus Deus amicos suos cumulat. Lacrymæ, quæ effunduntur in precibus, dulciores sunt Theatrorum oblectamentis, ait S. Augustinus in Dial. 127. n. 10. *Dulciores sunt lacrymæ orantium, quam gaudia Theatrorum.*

℣. 21. Qui vicerit, dabo ei sedere in Throno meo;] vel potius in Throno, quem ei dabo, siquidem beati in Cœlo regni Jesu Christi [16] participes erunt, sed non illi æquales. Sedebunt cum ipso die Judicii, improbos condemnaturi [17], sed non in eodem Throno. Nonnulli tamen putant [18], Jesum Christum hic alludere ad morem Orientalium, qui throni sui sedilibus longis utuntur, quibus plures insidere possunt. Sedebit in Throno meo; amplissimum, quem consequi possit, honorem ei deferam mensæ meæ, & in eadem qua ego sede. Illum non uti servum, sed uti filium, & amicum adhibebo. Id hyperbolem quandam continet, atque hanc esse veram hujus loci explicationem opinor.

1 . Vide Areth. Cornel. Vatab. Tir. Durham. Gemat. 2 Vide Ambros. in Psal. 118. Berengaud. hic, Salvian. lib. 4. de Provid. Bernard. serm. 3. de Ascensione. 3 Luc. 12. 48. 4 2. Petri 2. 21. 5 Riber. Est. Cornel. Durham. Grot. Drus. alii passim. 6 August. lib. 14. de Civit. cap. 13. 7 Eccli. 24. 29. 8 Vide Bedam, Richard. Ausbert. Hugon. alios. 9 Καὶ κολλύριον ἔγχρισον τοὺς ὀφθαλμούς σου. Alii: Κολλύριον ἵνα ἐγχρίσῃς. Alii: Κολλύριον ἔγχρισαι. 10 Berengaud. Thom. Anglic. 11 Rupert. Cornel. Gagn. Menoc. 12 Ἐλέγχω καὶ παιδεύω. 13 Ζήλωσον, καὶ μετανόησον. Alii: Ζήλευε καὶ μετανόησον. 14 Vide Riber. Cornel. Menoc. Tirin. Pacr. alios. 15 August. de Grat. & liber. arbitr. cap. 17. 16 Aug. in Psal. 127. n. 10. 17 Vide Apoc. 2. 26. Joan. 17. 24. Matth. 19. 28. 18 Gregor. Magn. lib. 26. Moral. cap. 26. *Quia judicii principatum ex Christi virtute percipimus, hinc velut in ejus throno residemus.* Vide Ludov. de Dieu hic.

CAPUT

CAPUT IV.

S. Joannes spiritu in Cœlum translatus videt thronum Dei, & viginti quatuor seniores circa illum. Septem spiritus. Mare chrystallinum. Animalia oculis plena. Seniores Deum adorant.

I. POst hæc vidi: & ecce ostium apertum in cœlo: & vox prima, quam au-
divi, tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: Ascende huc, & osten-
dam tibi, quæ oportet fieri post hæc. 2 Et statim fui in spiritu: & ec-
ce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens. 3 Et qui sedebat, similis
erat aspectui lapidis jaspidis, & sardinis: & iris erat in circuitu sedis, similis vi-
sioni smaragdinæ. 4 Et in circuitu sedis sedilia vigintiquatuor seniores sedentes,
circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. 5 Et de thro-
no procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: & septem lampades ardentes ante thro-
num, qui sunt septem spiritus Dei. 6 Et in conspectu sedis tamquam mare vi-
treum simile chrystallo: & in medio sedis, & in circuitu sedis, quatuor animalia plena
oculis ante, & retro. 7 Et animal primum simile leoni, & secundum animal si-
mile vitulo, & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal si-
mile aquilæ volanti. 8 Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas:
& in circuitu, & intus plena sunt oculis: & requiem non habebant die, ac no-
cte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat,
& qui est, & qui venturus est. 9 Et cum darent illa animalia gloriam, & ho-
norem, & benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum, 10
Procidebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viven-
tem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: 11
Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia
tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.

℣. 1. POST HÆC VIDI, ET ECCE OSTIUM APERTUM IN COELO.] Hactenus S. Joannes admonitiones, quas filius Dei dat septem Asiæ Ecclesiis, exposuit: en alterius generis prædictiones, quæ totius Ecclesiæ Jesu Christi per Romanum Imperium circumfusæ statum generatim respiciunt. Exhibet contingenda post suam mortem, quæ paululum post hás prædictiones incidere: persecutiones nempe, quas partim ab Hereticis, & Judæis, partim a Romanis Idololatris Ecclesia perpessa est; victoriam, quam ea de hisce hostibus reportavit, & vindictam, quam Jesus Christus de illius persecutoribus cepit. En summa prædictionum, quæ ab hoc capite usque ad vicesimum, reperiuntur. Post hæc S. Joannes quæ in fine Mundi eventura sunt, recenset. Hæc omnia, ordine quo occurrent, illustrabuntur in commentariis. Inspici possunt, quæ dicta B sunt in præfatione.

Plurimi intererat eo sæculo, quo vivebat hic Apostolus, consolari fideles & munire adversus persecutiones, quæ undecumque in illos excitabantur; illis nomine Dei annunciare Ecclesiam invitis hostibus suis & persecutoribus fore semper inconcussam, & portas Inferi non prævalituras adversus eam, & demum fore, ut de illam insectantibus victoriam esset relatura. Ita Prophetis Isajæ, Jeremiæ, & Ezechieli, qui adeo perspicue captivitatem Babylonis, & excidium Jerusalem prenunciaverant, Israelitas confirmandos jussit Deus, ut apertius adhuc urbis, & templi instaurationem, & populi in Patriam suam reditum illis annunciarent.

Ait igitur S. Joannes, acceptis a Filio Dei mandatis C scribendi septem Ecclesiis Asiæ, se in spiritu vidisse Cœlum aperiri in conspectu suo, & audisse vocem di-

A centem, ut ascenderet. Raptus ergo in spiritu, & ex templo in Cœlum deductus, ibi Dominum super thronum suum, ab omnibus Angelis circumseptum, & in medio gloriæ suæ ac majestatis conspexit. Hoc ait in vers. 1. & 2. in vers. 3. & subsequentibus describit majestatem, quam vidit.

℣. 3. ET QUI SEDEBAT, SIMILIS ERAT ASPECTUI LAPIDIS JASPIDIS.] Animadvertendum est, in tota hac visione perpetuam cum templo Jerosolymitano allusionem continere [1]. In hoc templo in postrema Sanctuarii parte aderat Arca, & Cherubin, qui tanquam thronus Dei habebantur. Ante Sanctuarium erat *Sanctum*, ubi inerat altare thymiamatis, & candelabrum aureum, septem lucernis instructum. Mare chrystallinum, de quo hic S. Joannes, convenit cum grandi vase, Mare B appellato, quod Salomon locavit in templo. Viginti quatuor seniores repræsentant viginti quatuor classes Levitarum, qui alternatim in eo serviebant. Quatuor animalia oculis plena, Cherubin ab Ezechiele descriptos exhibent. Deus in throno suo sedens habet coram se septem Spiritus, quemadmodum in suo Sanctuario post velum candelabrum aureum septem lucernis instructum coram se habebat. Jaspis, Sardius & aliæ gemmæ, quibus similis erat Dominus, non ita debent intelligi, quasi S. Joannes vultum vidisset, horum lapidum colorem præferentem; sed e facie Domini lumen fulgentissimum, horum lapidum fulgori haud absimile erumpebat.

IRIS ERAT IN CIRCUITU THRONI.] Ezechiel similiter c. 1. 27. nobis exhibet gloriam Domini sedentis in C throno suo, circumdati Iride plurimis coloribus distincta. Virg. Æneid. 4.

Mille trahit varios adverso Sole colores,

Qui

1 Grot. hic. Med lib. 3. pag. 541. & 544. lib. 5. pag. 1222.

Qui sedebat in throno, erat veluti fons luminis, hanc colorum varietatem parientis. Ait S. Joannes, principem Iridis, quam vidit, colorem fuisse smaragdinum, idest viridem.

℣. 4. SEDILIA VIGINTI QUATUOR: ET SUPER THRONOS VIGINTI QUATUOR SENIORES SEDENTES.] Viginti quatuor seniores assidentes circa thronum Dei, nobis exhibent judicium, quod Omnipotens in Ecclesiæ Filii sui hostes pronuntiabit. Ita Daniel c. 7. 9. cum exponit judicium adversus Antiochum Epiphanem: *aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit . . . . . judicium sedit, & libri aperti sunt*. Hic viginti quatuor seniores *circumamicti sunt vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ* ad eorum dignitatem innuendam. Ipsi vero Reges, & Sacerdotes, supremi judicis assessores. Porro videtur Deus hoc 24. seniorum numero voluisse nobis designare antiquos Patriarchas, & duodecim Apostolos, qui cum Domino judicant, & persecutorum impietatem damnant [1].

℣. 5. ET DE THRONO PROCEDEBANT FULGURA.] Hæc omnia iram Dei adversus peccatores designabant, & pœnas, quæ exercendæ erant in persecutores Sanctorum. *Fulgura, voces, & tonitrua* exponuntur tanquam quid animatum, quod exit de throno, & erumpit in malos. *Tonitrua, & voces* idem sunt. In Scriptura *tonitru* appellatur vox Dei; & *fulgura* ejus sagittæ.

SEPTEM LAMPADES ARDENTES.] Velut in templo erat candelabrum aureum, septem ramis constans, quorum singuli lampade onerabantur; hæ vero *septem spiritus Dei vocabant*, nempe principes voluntatum ejus ministros, septem Archangelos, quorum curæ datum est regimen Ecclesiæ [2]. Plures pro septem lampadibus septem Spiritus Sancti munera intelligunt. Vide superius dicta ad cap. 1. ℣. 4.

℣. 6. TANQUAM MARE VITREUM.] In Regum Orientalium aulis extant semper in singulis Ædium partibus salientes aquæ, ut mundæ & algidæ serventur. In Templo Domini similiter habebatur aqua in pluribus molis ingentis vasibus, ac præcipue in eo, quod Mare Salomonis appellabatur. Videtur etiam novissimis temporibus fons inibi extitisse ingenti sumptu aliunde derivatus [3]. Eum passim memorant Prophetæ [4]. Vide Commentarium in Ezechielem 47. 1. & sequ. Mare, seu vas aquæ puræ, & pellucidum sicut chrystallum, quod S. Joannes ante thronum Dei vidit, & de quo loquitur etiam inferius cap. 15. 2. notat juxta aliquos [5] baptismum; juxta alios [6] pœnitentiæ sacramentum. Hi illud explicant de sæculo præsenti; illi de Cœlo Empireo, quod est habitaculum beatorum [7]. Fortasse non oportet inquiramus mysterium, & mare istud ornatui tantum inserviebat, non secus ac in regum Orientalium aulis crateres, &, salientes aquæ. Id nobilitatis, magnificentiæ, concinnitatis argumentum est. Marmorei crateres, balnea, salientes aquæ sunt Orientalium delitiæ, quas in primis ædium suarum contignationibus locant, quin vereantur, ne tabulata nimium onerentur. His ipsis oblectabantur antiqui Mauri, & Saraceni, ut ex eorum vetustis palatiis, quæ in Hispaniæ conspiciuntur [8], apparet.

IN MEDIO SEDIS, ET IN CIRCUITU SEDIS, QUATUOR ANIMALIA PLENA OCULIS ANTE, ET RETRO.] Hæc quatuor animalia, fortasse erant veluti quatuor throni Dei fulcra. Ad quatuor sedis angulos jacebant non secus ac sub mare Salomonis boves erant: sustinebant enim sedem, & ornabant; sive potius veluti quatuor Cherubim, qui Dei currum, cum apparuit Ezechieli [9], ducebant. Rotæ currus, quem vidit Ezechiel, oculis erant plenæ [10], & animatæ. Hic vero Cherubim, sive quatuor animalia oculis plena sunt [11]. Ex iis, qui hujus figuræ intelligentiam scrutati sunt, alii existimarunt [12], a quatuor animalibus repræsentari quatuor Evangelistas, alii Apostolos, & viros apostolicos; alii Angelos, sive Archangelos. Sed id omne ad arbitrium asseritur; quin etiam affirmare non ausim, illud mysticum esse. In hujusmodi visionibus non omnia symbolica sunt, & ex sermonis decursu liquet, totam hanc descriptionem non esse, nisi proœmium, ac præparationem ad prophetias, quæ exponendæ sunt, & quæ præcipue attentionem nostram occupare debent.

Tom. VIII.

℣. 7. PRIMUM ANIMAL SIMILE LEONI.] Ex variis figuris conflatum, instar operis quod Hebræi opus Cherubim vocitabant [13], & Ægyptii figuras hieroglyficas; ita tamen, ut Leonis figura princeps esset. Caput Leonis habebat. Paria dicas ratione habita juxta uniuscuisque speciem de tribus aliis animalibus, adeo ut singula singulis throni dominici angulis essent subjecta, illumque sustinerent, non secus ac Cherubim Ezechielis Cœlum, in quo erat thronus omnipotentis, fulciebant.

℣. 8. SINGULA EORUM HABEBANT ALAS SENAS.] Cum Cherubim Ezechielis nonnisi quaternas [14] haberent. At senas habebant Seraphim, quos vidit Isajas c. 6. 2. Forma Cherubim, quos Scriptura describit, semper admodum variat, neque unquam aliqua ratione convenit. S. Joannes non prodit, quinam esset eorum alarum usus, & num extensæ essent, vel contractæ. Mysticas harum figurarum significationes pluribus non prosequimur, tum quia nihil certi atque explorati habeatur; tum quia id nihil ad Prophetiæ substantiam conducit. Tota hæc descriptio nonnisi præfatio est, sive ornamentum rei omnino adventitium.

PLENA ERANT OCULIS.] *In circuitu, & intus*. Nempe tum eorum pars, quæ conspiciebatur, tum quæ latebat sub throno; uno verbo, totum horum quatuor Cherubim corpus plenum erat oculis, ad instar ferme caudæ pavonis. Græcus legit [15]: *plena sunt oculis intus*; nempe quidquid erat super alas, & super totum eorum corpus. In vers. 6. dicuntur oculis fuisse referta, *ante, & retro*, ut supra notatum est.

ET REQUIEM NON HABEBANT.] Plures MSS. Græca [16] novies legunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Hic erat horum animalium hieroglyphicorum clamor, & vox vulgaris. Confer Isai. 6. 3. ubi Seraphim eodem modo, clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus*.

℣. 9. ET CUM DARENT ILLA ANIMALIA GLORIAM.] Nempe cum canticum suum inchoabant: licet enim ab eo nunquam cessarent diu, noctuque, ut dictum est in versiculo præcedenti; intererat tamen aliquod intervallum inter unamquemque cantici resumptionem; & in cujusque cantus exordio viginti quatuor seniores procidebant ante Omnipotentis thronum.

℣. 10. PROCIDEBANT, ET MITTEBANT CORONAS [17].] Assurgentes e thronis suis, & dejicientes se coram eo usque in terram, & quo ostenderent, totam suam gloriam, & potentiam ab eo accepisse, *mittebant coronas suas ante pedes ejus*. Nihil porro infinitam Dei majestatem, & summum obsequium, quod ei debetur, excelsius, ac magnificentius exprimere potest. Quonam obsequio Christiani consistere deberent in Templis coram Deo exercituum, si quod augustius, & sublimius habetur in cœlo, nihilum suum, atque humili-

Nnn tatem

1 Vide Victorin. Riber. Andræ. & Areth. & alios. 2 Cornel. alii plures.
3 Aristæ. lib. 70. Interpp. Eupolem. apud Euseb. lib. 9. Præparat. Tacit. Annal. 5.
4 Joel. 3. 18. Zachar. 14. 8. Ezech. 47. 1. 2. 5. 5 Primas. Beda, Richard. Rupert. 6 Carthusian. Alcazar.
7 Perer. Cornel. &c. 8 Tournefort, Voyage du Levant to. 2. p. 3. 9 Ezech. 1. 4.
10 Ezech. 1. 18. 10. 12. 11 Vide Basil. Sophron. Cyrill. Item Prado & Villalpand. in Ezechiel.
12 Ita Patres plerique apud Perer. hic. & Cornel. Vide & Victorin. Bedam, Berengaud. Haymon. &c.
13 Vide Exod. 22. 1. & Commentarium in eum locum. 14 Ezech. 1. 6.
15 Græc. Καὶ ἔσωθεν γέμουσιν ὀφθαλμῶν. Unus. Per. 3. Ἔξωθεν. 16 Ita Valla omnes. Cod. Hispan. apud Erasm. Steph. … M. Baroc. Bacb. 2. Petit. 2. Hunt. 1. 17 Πεσοῦνται, καὶ προσκυνοῦσι καὶ βάλλουσι. Sed plures Manuscripti Græci non legunt: Προσκυνήσουσι, καὶ βαλοῦσι. Ita Steph. … Alexand. Hunt. 1. &c.

ratê in hujus formidandę majestatis conspectu cognoscit? A
℣. 11. DIGNUS ES DOMINE, DEUS NOSTER [1] ACCIPERE GLORIAM, ET HONOREM &c.] Tibi uni debetur gloria, honor, & laudes omnium bonorum, quę in Mundo habentur. Tu es omnium benefactorum; author, creator, promotor, & conservator. Per gratiam tuam sumus id, quod sumus, nihil eorum, quę in nobis posuisti, nobis tribuere possumus, quin jura tua sacrilege usurpemus. Ad nos dolor, & confusio spectat, ad te justitia, & misericordia: *tibi, Domine, justitia; nobis autem confusio faciei*, Dan. 9. 7. Non nobis gloriam, non nobis, sed nomini tuo tribue: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, Psal. 113. 9.

1 Græcus legit solum, *Dignus es, Domine*, At plures MSS. Græci, Syrus, Arabs, &c. Vulgatæ conformes sunt.

CAPUT V.

Liber clausus, quem nemo aperire potest, nisi Agnus, qui fuit immolatus. Totum Cœlum eum glorificat cantico novo. Quatuor animalia, & viginti quatuor seniores confirmant laudes, quæ Patri, & Filio tribuuntur.

1. ET vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus, & foris,
signatum sigillis septem. 2 Et vidi Angelum fortem prædicantem voce
magna: Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus? 3 Et
nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire li-
brum, neque respicere illum. 4 Et flebam multum, quoniam nemo dignus inven-
tus est aperire librum, nec videre eum. 5 Et unus de senioribus dixit mihi: Ne
fleveris: ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & solvere se-
ptem signacula ejus. 6 Et vidi: & ecce in medio throni, & quatuor animalium,
& in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua quatuor,
& oculos septem: qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. 7 Et ve-
nit, & accepit de dextera sedentis in throno librum. 8 Et cum aperuisset librum,
quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singu-
li citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sancto-
rum: 9 Et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine, accipere li-
brum, & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in san-
guine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, 10 Et fecisti nos Deo
nostro regnum, & sacerdotes: & regnabimus super terram. 11 Et vidi, & audivi vocem
angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus
eorum millia millium 12 Dicentium voce magna: dignus est Agnus, qui occisus
est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & hono-
rem, & gloriam, & benedictionem, 13 Et omnem creaturam, quæ in cœlo est,
& super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo; omnes audivi,
dicentes; Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & pote-
stas in sæcula sæculorum. 14 Et quatuor animalia, dicebant: Amen. Et vigintiqua-
tuor seniores ceciderunt in facies suas; & adoraverunt viventem in sæcula sæ-
culorum.

℣. 1. VIDI IN DEXTERA SEDENTIS LIBRUM SCRIPTUM INTUS, ET FORIS [1].] Apparatu, quo Dei majestas se conspiciendam præbuit, descripto, S. Johannes rem aggreditur, & nobis exhibet Dei decreta [2] veluti obsignata in libro utrieque scripto, obsignata vero septem sigillis, adeo ut nemo illum aperire, legere, vel interpretari posset. Quod perspicue ostendit, futura in Dei voluntate statuta certa quidem esse, sed humanæ menti penitus impervia. Nemo est, nisi Jesus Christus, Sapientia Patris, qui ejus signacula solvat, & doctrinam nobis interpretetur, ita tamen, ut adhuc eam typis, & ænigmatibus involvat. A

Hebræi quodcumq; scripti genus *librum* appellant. Ille, de quo hic agitur, erat potius epistola quædam plicata, & lino, sive alia re involuta, & septem locis signata more antiquorum, quemadmodum in nostra Dissertatione de antiquis libris initio Geneseos explicuimus. Pictores nostri, qui hunc librum cum septem sigillis pendentibus instar bullarum depingunt, ostendunt, se penitus rationem ignorare, qua veteres epistolas, & alias mysticas scripturas obsignabant. Putant alii, hunc librum septem folia fuisse, alterum super alterum convoluta, cum suo sigillo singula, adeo ut primo aperto, & resoluto, cætera obsignata, & convoluta remanerent. Utcumque se res habeat, liber iste creditur fuisse Apocalypsis [3]; Apocalypsis saltem id, com-

1 Γεγραμμένον ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν. Alii plures Ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν. Ita Steph. ἃ. ιγ. ια. Baroc. Petav. 2. Hunt. 1. Cos. &c. Arab. Æth. Aeth. 2 Andr. Cæsar. Aureol. Piscat. Hammon. Durham. Coccei.
3 Ita Pannon. Prado. Ribera. Viegas, Cornel. Menoc. Pasa. Durham. Bossuet. Vide Ambros. lib. 3. de Fide, cap. 7.

complectitur; quod in eo continebatur quoad ea, quæ ad universum Ecclesiæ statum pertinent, usque ad integram ejusdem constitutionem. Adnotat S. Johannes, hunc librum intus, & foris fuisse scriptum, quod quidem singulare erat: tunc enim libri amplis pergamenæ, sive papyri Ægyptiæ voluminibus componebantur, in altera tantum latere plerumque inscripti, quod ad epistolas attinet, non raro utrimque inscribebantur. Hic liber sive voluminis, sive epistolæ figuram habere poterat; lino tamen, sive panno involutus erat, & septem locis signatus, ne scripta conspicerentur. Septem sigillorum numerus mysteriorum altitudinem, & interpretationis difficultatem designat.

℣. 2. Vidi Angelum fortem.] S. Johannes quosdam Angelos *fortes* [1] appellat, facile ut notet eorum dignitatem. In Hierarchia Cœlesti inotescunt *potestates, dominationes*; sive potentiæ, & principatus. Lyranus putat, hunc Angelum fuisse Gabrielem, cujus nomen potentiam Dei sonat. Hic Angelus, et infinitam Dei magnitudinem, & profunditatem ejus consiliorum extollat, alta voce clamat, & sciscitatur, an aliquis in Cœlo sit, qui voluminis, quod in manibus est Omnipotentis, sigilla solvere, revelare mysterium hominibus valeat. Sed non Beati viginti quatuor senioribus designati, non Angeli, neque alia quævis creatura est se æterna providentiæ decreta pervadere potest. Solus est Jesus Christus, agnus ab exordio mundi morti destinatus, cui aperiendi libri, & interpretandi facultas sit.

℣. 3. Neque in Coelo, neque in terra, neque subtus terram.] Neque Angeli, neque Beati, neque mortales, multoque minus ii, qui in inferis sunt. Hebræi infernum subtus terram, sive subtus aquas in imis abyssis collocabant [2]; Ibi Sapientum Paganorum, heroum, Regum, & improborum animas statuebant. Uno verbo, nulla creatura potest aperire, quæ Deus vult delitescere.

℣. 5. Ne fleveris: ecce vicit Leo de tribu Juda.] Jesus Christus, natus de hac tribu, Leo propter vim suam, & potentiam, in Prophetia Jacob, Genes. 49. 9. sub figura Leonis designatur: *Catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti, ut Leo, & quasi Leæna, quis suscitabit eum?* Jesus Christus *est germen familiæ David* [3]. Ipse est, qui ob victoriam, quam de mundo, peccato, morte, Dæmone reportavit, aperire librum, solvere sigilla, eum legere, & interpretari promeruit. Jesus Christus quatenus Deus tenet librum, sicut Pater suus; quatenus homo-Deus eum aperire, & nobis mysteria revelare meretur.

℣. 6. Vidi Agnum stantem tamquam occisum.] *In medio throni*; nempe in illo intervallo, quod erat inter thronum sublatum, & sustentatum a quatuor Cherubim, ac inter viginti quatuor seniorum sedilia, quæ thronum Dei in semicirculo antrorsum cingebant, In illo intervallo, inquam, vidi Agnum tamquam occisum, atque immolatum. Animadverte, Sanctum Johannem semper alludere ad eam dispositionem, quæ in Templo Hierosolymitano visebatur, ubi victimæ immolatæ super Altare holocaustorum ponebantur, ante januam Sancti, & e conspectu Sanctuarii, quod veluti Omnipotentis habitaculum habebatur. Agnus igitur, quem vidit S. Johannes, erat super altare, immolatus, & simul vivus, habens septem cornua, & totidem oculos. Id Jesum Christum notabat, agnum Dei [4], victimam expiationis totius humani generis, qui morte sua nos Patri reconciliavit, atque in ipsomet cœlo suæ passionis, & sacrificii gestat insignia. Immolatus est super Crucem; jacet ante Patrem, ut intercedat pro nobis [5]; vivus est, & suscitatus: gerit septem cornua, tamquam tot coronas, & omnipotentiæ suæ characteres; habet septem oculos, ut scientiam suam, sapientiam, intelligentiam infinitam designet; omnia videt, novit omnia; ast omnium temporum Dominus: vel potius, quoad eum nullum habetur tempus, sed tantum quoad nos.

Qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.] Septem Agni oculi erant symbola Angelorum, qui ad exequenda Omnipotentis mandata per universam terram mittantur. Veteres Persidis Reges, ut dictum est sup. ad cap. 1. 12. septem principes ministros habebant, qui in eorum faciem intrabantur, & eorum jussa peragebant. Appellabantur oculi, & aures Regis [6], quia Rex non videbat, neque audiebat, ut ita dicam, nisi per suos ministros, qui eum de omnibus certiorem reddebant, ejusque imperia implebant. Eamdem ferme de aula Cœlesti ideam habebant Hebræi. Cujus rei argumentum est, tum septem Angelorum numerus, qui in nonnullis Scripturæ locis notatur [7], tum ea, quæ leguntur in Libro Job cap. 1. 6. & 2. 1. dæmonem nempe etiam adfuisse inter filios Dei, vel Angelos, qui ad Deum venerant relaturi, quidquid ubique gentium gereretur.

℣. 8. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia . . . . . ceciderunt coram Agno.] Quatuor animalia, quæ erant ad quatuor throni angulos, & *viginti quatuor seniores* se prostraverunt coram Agno, eumque ut Deum adoraverunt. Distinctius narrat S. Johannes cap. 6. ℣. 1. & sebseqq. ea, quæ contigere, cum Agnus librum sumpsit, ejusque sigilla singulatim solvit. Ut librum accepit, eumque aperire aggressus est, supremam illius potentiam quatuor Cherubim, & viginti quatuor seniores cognoverunt. Græcus legit [8]: *& cum accepisset*, pro *cum aperuisset*. Tychonius, Berengaudus, Beda, Primasius legunt: *& cum accepisset*.

Habentes singuli citharas, et phialas aureas [9].] Hæ citharæ symbolum sunt laudum, quæ Deo tribuuntur; & phialæ plenæ odoramentorum, orationes Sanctorum signant. Juxta hanc ideam videtur S. Johannes voluisse viginti quatuor seniores nobis exhibere, veluti totidem Senatores, qui Deo in Cœlis exhibeant vota, preces, adorationes, sacrificia, & laudes, quas Sancti ei præstant in terris [10]. Id etiam desumptum est ab eo, quod observabatur in Templo, ubi semper circa Altare tempore sacrificiorum aderant Levitæ, instrumentis musicis laudantes Deum, & Sacerdotes cum phialis, quibus ad effundendum vinum, & sanguinem utebantur, & cum acerris, in quas thura injiciebantur. Ignis nonnisi ab Altari holocaustorum sumebatur, & incensum in thuribulum, nonnisi in Sancta coram Deo injiciebatur.

℣. 9. Et cantabant canticum novum.] Quatuor Cherubim, & viginti quatuor seniores in honorem Agni sequens canticum cecinerunt. Appellatur novum, id est, excellens. Cantica in Scriptura passim nova appellantur [11]. Cantica nova semper sunt jucundiora, ait Pindarus [12].

Dignus es, Domine, accipere librum.] Je-

1 Vide Apoc. 10. 1. 18. 21. 2 Vide Prov. 9. 18. 15. 11. Job. 26. 5. Is. 14. 9. 26. 14. Ezech. 32. 17. 18. 32. 19. Vide Commentarium in Job. 26. 5. 3 Isai. 11. 1. 53. 2.

4 Joan. 1. 29. 36. Act. 8. 32. Isai. 53. 7. &c. 5 Rom. 8. 34. Hebr. 7. 25. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Vide August. Quæst. in nov. Test. qu. 88. 6 Xenophon. lib. 8. Cyropæd. Apolæ. de Mundo. *Apud Persas aures Regiæ & Imperatorum oculi, quidam homines dicebantur, per quæ officiorum genera Rex ille ab hominibus Deus esse credebatur, cum omnia quæ ubique gererentur, ille accusatorum delatione disceret.* Aristid. orat. Panægyr. Cyzicen. Οἱ μὲν γὰρ τοῦ Περσῶν βασιλέως ... βασιλέως ὀφθαλμοὶ, καὶ βασιλέως ὦτα. 7 Tobiæ 12. 15. 8 Καὶ ὅτε ἔλαβε.

9 Græc. Κιθάρας καὶ φιάλας χρυσᾶς. Alii: Κιθάραν καὶ φιάλας. Ita Alex. Baroc. Petav. 2. Hunt. 2. Syr. Æth. Arab.

10 Vide Est. Perer. Cornel. alios. Philon. de Sacrificantib. Clem. Alexand. lib. 6. Stromat. Origen. lib. 8. contra Celsum. apud Grot. hic. 11 Psal. 32. 3. 39. 3. 95. 1. 149. 1. Isai. 42. 10.

12 Vide Grot. hic. Farer. Homer. Odyss. α'.

sus Christus mortis suæ, & passionis [1] fructu promeruit, quibus voluit, ea omnia, quæ ad Ecclesiam suam spectant, & quæ ipsi imposterum eventura sunt, revelare. Plaudit totum Cœlum, cum is imperium, & jus suum exercet.

REDEMISTI NOS DEO . . . . EX OMNI TRIBU, & LINGUA.] Viginti quatuor seniores Sanctos, qui beatitudine fruuntur, repræsentant. Fatentur, se felicitatem suam uni Jesu Christo debere; qui eos congregavit ad Omnipotentis thronum ex omnibus Mundi nationibus, nullo habito Judæi, vel Gentilis, Græci seu Barbari discrimine. Quisquis credidit, & per baptismum, atque per praxim Evangelii meritorum Christi particeps evasit, in Ecclesiam receptus est, & filiis Dei promissum præmium consecutus.

℣. 10. FECISTI NOS DEO NOSTRO REGNUM, ET SACERDOTES [2].] Omnes Christiani sunt Reges, & Sacerdotes Domini, ut qui Regni, & Sacerdotii Jesu Christi participes sint, atque per virtutum exercitiam in passiones, & Mundum imperium spirituale exerceant, & per preces, quas fundunt, super aram cordis sui Deo boni odoris offerant sacrificium. Hoc desumptum est ab Exodo 19. 6. Vide etiam 1. Petr. 2. 5. 9. & Apoc. 1. 6.

ET REGNABIMUS SUPER TERRAM.] Imperio nempe, quod exercebimus in passiones nostras, unione, quam habebimus cum Jesu Christo, ejusque Ecclesia: de iis hostibus, qui eos insectati fuerint, triumphantes. Regnabimus etiam die judicii, cum infideles, & incredulos judicabimus. Denique regnabimus in terra viventium [4]: nempe in Cœlo cum Jesu Christo nostro Duce, & Domino [5].

℣. 11. ERAT NUMERUS EORUM MILLIA MILLIUM.] Græcus in multis exemplaribus habet [6]: *& erat numerus eorum decies millia, centies millia, & millia millium*. Sacri Scriptores Angelorum numerum maximum semper, ac innumerabilem nobis repræsentant [7]. Vide nostram de Angelis Dissertationem, Sancto Lucæ præpositam.

℣. 12. DIGNUS EST AGNUS, QUI OCCISUS EST, ACCIPERE VIRTUTEM, ET DIVINITATEM, ET SAPIENTIAM.] Dignus est accipiendi laudes, obsequia, adorationes, quæ debentur ipsi Deo, ut qui ejusdem

A cum Patre substantiæ sit. Cum dicitur dignus esse accipere divinitatem, id non significat eam, tamquam gratiam, quam antea non haberet, accepisse: Verbum Divinum numquam desiit esse Deus. Jesus Christus quatenus homo Deus, divinos honores meretur [8], quos humanitas sola, divinitati hypostatice non unita, numquam promereri potuisset, utcumque excellens esset ejus meritum. At Jesus Christus, cum esset imago Dei, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo [9]: Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens . . . . humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*. Notandum est, hic haberi, ut infra 7. 12. septem laudum, sive benedictionum nomina.

B Græcus pro *divinitatem*, legit *divitias* [10]. MSS. in hoc cum editis consonant. Apparet etiam ex Tychonii, Victorini, & Primasii commentariis, eos ita legisse in suis exemplaribus. Versiones etiam Orientales habent *divitias*. Pro *divitias*, Amanuenses fortasse *divinitatem*, sicut communiter in omnibus latinis exemplaribus legitur, transcripserint.

℣. 13. ET OMNEM CREATURAM, QUÆ IN COELO EST, &c.] nempe Angelos, homines, animas defunctorum, quæ in purgatorio sunt [11], Dæmones, damnatos ipsos, qui obsequia sua Patri, & Filio præstabant, *sedenti in throno, & Agno*, qui occisus est, & immolatus. Ea Jesus Christus iterum par Deo habitus, adoratus, & cultus, æque ac Pater. S. Paulus ad Philippenses 2. 9. similiter ante pedes Filii Dei collocat Cœlum, terram, & inferos: *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, Cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus est in gloria Dei Patris*.

℣. 14. QUATUOR ANIMALIA DICEBANT: AMEN [12].] Preces acclamatione claudebant, dicentes: Fiat. Multa exemplaria Græca [13] non habent in hoc versiculo, *viginti quatuor seniores*: sed habent tantum: *quatuor animalia dicebant: Amen, & procidebant in facies suas*: sine verbis sequentibus: *viventem in sæcula sæculorum*. Hæc postrema etiam verba prætereunt plures MSS. Codices Latini.

---

1 Cornel. Grot. Men. alii. 2 Ἐποίησας ἡμᾶς τῷ Θεῷ ἡμῶν βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς. Alii plures: Ἐποίησας αὐτοὺς βασιλείαν καὶ ἱερεῖς. 3 Origen. lib. 6. contra Cels. pag. 289.
4 Andræas, & Est. hic. Vide Matth. 5. 5. 2. Petri 3. 13. 5 Anselm. Ep. 1. ad Hugonem. *In cælo singuli erunt perfecti Reges, quia quod singuli volent, hoc erit; & omnes simul cum Deo unus Rex, & quasi unus homo, quia omnes unum volent, & quod volent, erit.* 6 Καὶ χιλιάδες χιλιάδων. Alii plura: Καὶ ἦν ὁ ἀριθμὸς αὐτῶν μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων. Ita Alex. Covel. 2. Hunt. 1. Colinæi. edit. & aliæ quædam. Syr. Arab. Æthiop. Areth. alii. 7 Dan. 7. 10. Deut. 33. 2. Psalm. 67. 17. Hebr. 12. 22. Matth. 25. 31.
8 Vide Lyran. D. Thom. Peres. Cornel. alii. 9 Philipp. 2. 5. 6. 7. 8. 9.
10 Λαβεῖν τὴν δύναμιν, καὶ πλοῦτον, καὶ σοφίαν. Et Cap. 6. 9. Ἡ εὐλογία καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ σοφία. Velez. Θειότητα, pro Πλοῦτον. Sed interpretes Græci constanter legunt *divitias*, non secus ac antiquiores interpretes Latini. 11 Suarez. Riber. Cornel. alii passim. 12 Ἔλεγον Ἀμήν. Alii plures: Λέγοντα τὸ Ἀμήν. 13 Ita Alex. Baroc. Covel. 2. Petav. 2. 3. Hunt. 1. &c. Arab. Syr. Arab. &c. Vide Zeger. & Mill. hic.

CAPUT VI.

Aperiuntur septem sigilla voluminis; quorum primum dum evolvitur candens equus est victor; dum alterum, equus rufus ingentia excitat bella; dum tertium, niger equus annonæ adfert charitatem. Quarto aperto, pallidus equus magnas suscitat persecutiones; quinto, Martyres ultionem exposcunt, sexto denique dissoluto contra Sanctorum persecutiones Domini vindicta desævit.

1. ET vidi [1], quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis, & audivi unum de
quatuor animalibus, dicens, tamquam vocem tonitrui: Veni, & vide. 2
Et vidi: & ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum,
& data

& data est ei corona, & exivit vincens, ut vinceret. 3 Et cum aperuisset sigil-
lum secundum, audivi secundum animal dicens: Veni, & vide. 4 Et exivit alius
equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei, ut sumeret pacem de terra,
& ut invicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus. 5 Et cum aperuis-
set sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens: Veni, & vide. Et ecce equus
niger: & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua. 6 Et audivi
tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario, &
tres bilibres hordei denario, & vinum, & oleum ne læseris. 7 Et cum aperuisset
sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis: Veni, & vide, 8 Et ec-
ce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen illi Mors, & infernus seque-
batur eum, & data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio,
fame, et morte, et bestiis terræ. 9 Et cum aperuisset sigillum quintum vidi sub-
tus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium, quod
habebant, 10 Et clamabant voce magna dicentes: Usquequo, Domine (sanctus,
et verus) non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in
terra? 11 Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: et dictum est illis, ut requiesce-
rent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum,
qui interficiendi sunt sicut et illi. 12 Et vidi cum aperuisset sigillum sextum: et
ecce terræmotus magnus factus est, et sol factus est niger tamquam saccus cilicinus:
et luna tota facta est sicut sanguis; 13 Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram,
sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur. 14 Et cœlum re-
cessit sicut liber involutus: et omnis mons, et insulæ de locis suis motæ sunt: 15
Et reges terræ, et principes, et tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus,
& liber, absconderunt se in speluncis, & in petris montium: 16 Et dicunt mon-
tibus, & petris: Cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thro-
num, & ab ira Agni: 17 Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis po-
terit stare?

℣. 1. VIDI; QUOD APERUISSET AGNUS UNUM DE SEPTEM SIGILLIS [1],] quibus liber claudebatur. Agnus illud aperuit, & vigintiquatuor seniores eum venerabantur, cum S. Johannes, qui omnem primum curam impenderat, ut bibulis auribus exciperet, quidquid Cherubim, & creata quælibet dicerent; ab Agno primum ex septem Sigillis demptum esse intellexit.

AUDIVI UNUM DE QUATUOR ANIMALIBUS,] vel *primum* ex quatuor animalibus [2], alta voce, tamquam tonitru, clamans: *Veni, & Vide* [3]. Græci quidem MSS. legunt simpliciter: *Veni*. Septem sigillorum apertio revelatio est eorum, quæ in Romano Imperio sunt eventura, in iis tamen, quæ ad Jesu Christi Ecclesiam pertinent. Sigilla imposita erant filo, quo liber, vel Epistola erat involuta; scriptura vero statim subtus filum erat; & ex quo primum ex sigillis ablatum fuit, & demptum ab Agno quidquid scripta verba obtegebat, in superiori pagina legit, ℣. 2. *Equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens, ut vinceret.* Dicere debuisset Johannes, se hæc legisse in volumine, vel in tabella utrimque scripta; sed ait, se vidisse hunc equitem ad victorias suas prosequendas proficiscentem, quod schema orationis est venustius, & aptius ob oculos rem ipsam repræsentans, quam si dixisset, se legisse, vel audivisse: immo etiam a specie veritatis non abhorret, prout Agnus epistulam evolvebat, atque sigilla auferebat, Deum in S. Johannis mente illa exhi-
A buisse, quæ hic describuntur; ut altius illius memoriæ infigerentur.

℣. 2. ECCE EQUUS ALBUS.] Et eques exhibens Jesum Christum [4] pergentem ad gentes fidei subjiciendas, & Ecclesiæ suæ acquisitionem obtinendam. Vox est: *populus acquisitionis*, & S. Petrus ad Fideles loquutus in 1. ep. c. 2. 9. & S. Paulus [5] quoque sæpe *acquisitionis*, & *acquirendi* verbo utitur, ubi de populis ad fidem conversis sermonem instituit. Apostoli, & Apostolici viri ministri sunt, & quodammodo milites, quibus divinus hic Imperator usus est, ut omnem Terrarum orbem suæ ditioni subjiceret [6]. Arcus designat Evangelium, ac Verbum Dei; valentia illa arma, de quibus sæpe verba facit Apostolus [7]. Corona vero supremam Jesu Christi potestatem, atque victoriæ certi-
B tudinem repræsentat.

℣. 3. CUM APERUISSET SIGILLUM SECUNDUM.] atque evolvisset librum; *secundum animal* me accedere jussit; & statim ℣. 4. exivit alius eques rufus. Id continebatur in ea voluminis parte, quam modo Agnus evolverat. Equus autem rufus bellum significat, a Romanis Imperatoribus Christianæ Religioni indictum [8]: quod & ex equi colore [9], & ex equitis illi insidentis characteribus, satis probatur. *Datum est ei, ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus.* Edixerat Jesus Christus in Evangelio Matth. 10. 34. se venisse, ut in terram gladium afferret; homines etiam ab iis, qui sanguinis, & arctissimæ cognationis vinculis sibi essent conjunctissimi,

1 Græc. Mian ek ton sphragidon. *Unum de sigillis*. Alii plures: Mian ek ton epta sphragidon. Ita Steph. a. Alex. Petav. 2. Cov. 2. Lyr. Arab. Æthiop. Armen. alii. 2 Confer hanc vers. cum vers. 3. *Audivi secundum animal*, &c. 3 Erchou kai blepe omittunt, blepe. Alexand. Complut. Cod. Joan. Mori.
4 Cornel. Bossuet, Du Pin. Vide Apoc. 19. 11. 13. Ita Grot. Zeger. Riber. Menoc. Durham. Hammon. Ligf. Med. Pasæ. &c. 5 Act. 20. 28. *Quam acquisivit sanguine suo*. Ephes. 1. 14. &c.
6 Grot. Forer. Petav. Ribes. 7 2. Cor. 10. 4. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum*, &c. Et 2. Cor. 6. 7. Rom. 6. 13. Ephes. 6. 11. 13.
8 Andreas, Ribes. Cornel. Gagnæ. Menoch. Grot. alii passim. Bossuet, Du Pin.
9 Ippos pyrros. Alii plures: Ippos pyros. *Equus igneus*. Ita Alex. Petav. Baroc. Cod. Joan. Mori.

mi, invicem tradendos esse, atque prodendos; quod factis, superque probavit eventus.

℣. 5. SIGILLUM TERTIUM . . . , EQUUS NIGER.] Hic niger eques publicas calamitates, rei frumentariæ inopiam, famemque indigitabat. Pullus color luctus est symbolum [1]. Libra, quam manu tenet eques, ea non est, quæ ad justitiam innuendam depingi solet; sed statera ad fruges in maxima charitate appendendas; quod explicatur ℣. 6. *Bilibris tritici denario; & tres bilibræ hordei denario*. Frugum inopia tanta erit, ut nihil magnis dimensum modiis venumdari valeat; sed omnia bilibri mensura appendantur; deinde vero omnia immodico pretio existimentur. *Bilibris* vero est mensura duas liquoris libras continens; cujus mensuræ genera ad fruges, triticum, vel hordeum metiendum uti minima consueverant. Romanus denarius decem solidis æstimabatur.

Græcus hæc habet [2]; *Chœnix tritici denario, & triplex chœnix hordei denario venibunt*. Chœnix vetus est Græcorum mensura, cujus certam magnitudinem ignoramus; alia enim erat aliis in locis. Putant quidam, hanc fuisse duarum librarum. Alii & quadrantem adjiciunt; alii quatuor libras illi assignant [3]. Hoc tamen constat, chœnix tritici mensuram esse singulorum hominum bene valentium victui in singulos dies sufficientem [4], denarius vero pretium fuisse diurnum Artificis [5]. Atqui Artifex, qui laboribus suis vix lucrari potest panem, quo vescatur, næ ille quidem calamitosus est, præsertim vero, si uxorem habeat, & filios, quorum etiam victui debet consulere [6]. Romanum Imperium passim fame laboravit, ex quo Imperatores Jesu Christi Ecclesiam persequi cœperunt; ideoque superfluum esset, de hac potius, quam illa fame id explicare, cum toties charitate laboratum fuerit intra ducentos circiter annos, & ultra, qui ab hujus Prophetiæ tempora usq; ad Imperium Constantini, quo tandem rerum summam obtinente Ecclesia pacem nacta est, & de hostibus suis certissimam victoriam retulit, effluxerunt.

℣. 6. ET VINUM, & OLEUM NE LÆSERIS.] Jubet quidem Deus, frugum, non autem vini, & olei charitate mortales affligi.

℣. 7. SIGILLUM QUARTUM . . . 8. ECCE EQUUS PALLIDUS.] Cladem designat. Hujus equi sessor mors erat; illum sequebatur *infernus*, vel sepulchrum [7]. Deus illi tribuit potestatem [8], ut interficeret quartam partem viventium [9], variis iis flagellis, quibus erant percutiendi; *gladio, fame, & morte*, vel peste, & *bestiis terræ*. Romanorum Imperium omnibus his malis erat affligendum, & in historia supersunt adhuc plurima gravissimarum calamitatum monumenta, ut ad hanc S. Johannis prophetiam probandam nihil ultra requiratur.

℣. 9. CUM APERUISSET SIGILLUM QUINTUM, VIDI SUBTUS ALTARE ANIMAS INTERFECTORUM [10].] Ultionem de interfectoribus suis expetentium. Animadvertimus jam supra ℣. 6. cap. 4. Deum ut sese accommodaret ideæ S. Joannis, eidem in Cœlo apparuisse, eadem ferme ratione, qua Hebræi illum in Templo exhibebant. Agnus immolatus, & vivens erat sub ara holocaustorum; & viginti quatuor Seniores eumdem in E Orbis dimidiati formam compositi, ex Orientali latere ambiebant, Dominus insidens throno quatuor Cherubim suffulto in occidua parte, & penitioribus Sanctuarii adytis erat; animæ vero Martyrum jacebant sub ara

A holocautomatum, quæ quidem ænea erat, ingens, atque in inferiori parte excavata. Ibi illæ præstolabantur, donec fratrum suorum numerus compleretur, & elatis clamoribus assidue flagitabant, ne Deus diutius sanguinis sui ultionem differret.

PROPTER TESTIMONIUM, QUOD HABEBANT.] Propter confessionem nominis sui, in qua ad finem usque constantes permanserant; vel propter martyrium, quod passæ fuerant; vel propter testimonium, quod illi perhibuerant; vel tandem cum nonnullis Græcis exemplaribus [11], *propter testimonium, quod perhibuerant Agno*.

Mirum videtur, quod Martyrum animæ a Deo effusi sanguinis sui ultionem expostulant, & paulisper adhuc præstolari jubeantur, donec fratrum suorum numerus compleatur. Numquid ignorabant post diuturnum temporis intervallum, pœnas a Deo ex nequissimo B quoque esse repetendas? an hac animi impatientia abripiebantur, ut quantocyus ultionem suam videre peroptarent? Haud ita sane, sed Evangelista nobis exhibet desiderium, quo illi flagrabant, videndi justitiam Dei manifestam fieri, ut illam mortales omnes metuerent, & converterentur. Ita Prophetæ quoque Deum orabant, ut inimicos suos pudore suffunderet, eos in terra affligeret, eorumque superbiam prosterneret; ut aliquando innocentes opprimere, & contra Deum insurgere cessarent [12]. Ultio, quam expectant Martyres, adimpleta fuit manu Barbararum gentium, quæ in Romanum Imperium irrupere, & opera Christianorum Imperatorum, qui Dæmonis Imperium everterunt, & præcipua Christianæ Religionis hostes exterminarunt. C

In quarto Esdræ libro cap. 4. 35. & seq. legitur locus huic fere similis: *nonne de his interrogaverunt animæ Justorum in promptuariis suis, dicentes, usquequo spero sic? Et quando veniet fructus area mercedis nostræ? Et respondit ad ea Jeremiel Archangelus, & dixit: quando impletus fuerit numerus seminum in vobis: quoniam in statera ponderavit sæculum, & mensura mensuravit tempora, & numero numeravit tempora, & non commovit, nec excitavit, usque dum impleatur prædicta mensura*. Et paulo post: *in inferno*, vel in loco, ubi mortuorum animæ detinentur, *promptuaria animarum matrici assimilata sunt: quemadmodum enim illa festinat, quæ parit, effugere necessitatem partus: sic & hæc festinat reddere ea, quæ commendata sunt*. Hujus libri D Auctor non est admodum recentior libro Apocalypseos, ejusque idea ab hac S. Joannis non procul abludit; utterque enim nobis exhibent animas præstolantes resurrectionem, atque perfectam beatitudinem, quæ tunc tandem accidet, cum iterum anima suo corpori adhæserit.

Non abhorret a quadam veritatis specie, ex hoc loco profectam fuisse veterem consuetudinem sumendi Martyrum cineres subtus aras Ecclesiarum, vel ædificandi Altaria super Martyrum corpora. Cum enim illi Deo obtulerint veluti sacrificium Sanguinis sui, eorumque animæ in Cœlis existentes, visæ fuerint sub eodem Altari, in quo stabat Agnus vivens, & immolatus; fideles nullum æquiorem esse locum ad immaculatam Corporis, Sanguinisque Dominici hostiam immolandam, offerendumque laudum, atque precum sacrificium, quam Martyrum monumenta crediderunt.

Patres antiqui, de animarum post mortem statu dissentientes in diversa abierunt. Verba Apocalypseos, quæ modo explicuimus, complures impulere, ut arbitraren-

---

1 Andræ. Forer. Cotter. Grav. Pisc. Paræ. Hammon. Bossuet. Du Pin.

2 Χοῖνιξ σίτου δηναρίου· Καὶ τρεῖς χοίνικες κριθῆς δηναρίου. 3 Vide Budæum, Agricol. alios in Synopsi, hic. 4 Vide Bedæ. Grot. Zeger. &c. 5 Matth. 20. 2. 6 Vide Grot. Hamm.

7 Καὶ ὁ ᾅδης. Vide Grot. Cotter. Drus. Pisc. &c. 8 Καὶ ἐδόθη αὐτοῖς ἐξουσία. *Data est illis potestas*. His duobus equitibus, morti, sepulchro &c. Plura Exemplaria legunt: Ἐδόθη αὐτῷ. *Data est illi*.

9 Ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς a super quartam partem terræ. Vulgata: *Super quatuor partes terræ*. Græco explicanda est. 10 Τὰς ψυχὰς τῶν ἐσφαγμένων. Quid. Τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἐσφαγμένων. Medus, P. Martianæus, & alii quidam hoc intelligunt de cadaveribus interfectorum. *Anima* passim pro mortuo usurpatur. Sed hic genuinus hujus loci sensus hic nobis non videtur. 11 Διὰ τὴν μαρτυρίαν ἣν εἶχον. Alii plures: Διὰ τὴν μαρτυρίαν τοῦ ἀρνίου ἣν εἶχον. *Propter testimonium agni quod habebant*. Steph. 2. 10. Cov. 2. Sin. Baroc. Pet. 2. Hunt. 1. Syr. Arab. Areth. 12 Vide Perer. Bossuet. Du Pin. alios.

centur, justorum, & iniquorum animas, neque perfecta mercede affici, neque integro supplicio mulctari, nisi post novissimum judicii, & resurrectionis diem. Crediderunt alii, illas nullius quidem voluptatis gustu affici, at neque ullo dolore cruciari, sed inertes sine ulla cognitione, & amore, tamquam altissimo obrutas somno ad extremum usque judicium permanere. Alii denique docuerunt, illas ad nihilum redigi: quam hæresim tertio Ecclesiæ sæculo quidam Arabiæ Christiani asserere ausi sunt, ab Origene apertissime confutatam, qui illos de ejus erroris caligine eduxit, quem primum quidem Tatianus severat, & quem mox Anabaptistæ sexto decimo sæculo instauraverunt. Sententia denique probatior, & quam Ecclesia amplexa est, affirmat, post obitum animarum nostrarum causam peculiari judicio, quod generale, & novissimum præcedit, illico discuti; justorum animas, quæ sine sordibus inveniuntur, statim æterna beatitudine perfrui; illas vero impiorum statim in æternum ignem præcipites dari: Quæ vero venialibus addictæ criminibus ex hac vita decedunt, vel quæ cum mortalia peccata patraverint, quorum licet veniam obtinuerint quoad culpam, nihilominus moriuntur, quin omnino satisfecerint temporalibus pœnis, quæ sceleribus illarum debebantur; has inquam lustralibus flammis mundari, donec prorsus expientur.

Qui asseruerunt, Sanctos super Terram annos mille esse regnaturos, negarunt, justorum animas ante resurrectionem beata æternitate gaudere: in quam sententiam plane abiit S. Justinus Dialog. cum Tryph. cum ait, bonorum, & impiorum animas judicii diem præstolari; illas quidem in amœno, jucundoque loco positas, has autem in turpiorem locum detrusas. Tenet S. Irenæus l. 5. contra hæres. 31. n. 2. animas post mortem in locum invisibilem concedere, sibi a Deo præfinitum; ubi ad resurrectionem usque permaneant; quo tempore corporibus suis iterum conjunctæ ad Domini tribunal accedant. Tertullianus [1] in inferno quidem, atque in suppliciis impiorum animas collocat: sed animas justorum in Abrahæ sinu constituit [2] ubi corporum suorum resurrectionem, ac Mundi finem patienter præstolantur: *nam & nunc animas torqueri, foverique penes inferos licet nudas, licet adhuc exules carnis, probavit Lazari exemplum*. Nonnisi post resurrectionem justorum animæ eadem una cum corporibus suis in Cœlum ascendent, & perfecta beatitudine perfruentur [2]; Ante hoc temporis spatium illas in loco quietis tantummodo collocat. Hoc ipsum, immo apertius, Lactantius l. 7. c. 21. affirmat: *nec tamen quisquam putet, animas post mortem protinus judicari; omnes in una, communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Iudex meritorum faciat examen: tunc quorum fuerit probata justitia, ii præmium immortalitatis accipient; quorum autem peccata, & scelera detecta fuerint, non resurgent &c.*

Origenes l. 4. de Princip. existimat, animas hac vita decedentes, per varias sedes transire, ac tandem alias quidem in Abrahæ sinum, alias in infernum juxta vitæ singulorum merita pervenire. Docet hom. 7. in Levit. Apostolos Sanctus etiam nondum ea gaudere gloria, & felicitate, qua aliquando perfruentur; *Nondum enim receperunt lætitiam suam, ut Apostoli quidem; sed & ipsi expectant, ut & ego lætitiæ eorum particeps fiam*. S. Hilarius in Psalm. 120. num. 16. ait, justorum animas corporibus egressas in Abrahæ sinu reservari, donec regnum Cœlorum adveniat: secerni quidem ab impiis, sed ad regnum æternum tunc solum obtenturas esse, cum eas sibi Dominus recipiet. S. Ambrosius l. 2. de Cain, & Abel cap. 2. putat, animas post mortem usque ad novissimum Judicii diem ambigue versari: *solvitur corpore anima, & post finem vitæ hujus adhuc tamen futuri Iudicii ambiguo suspenditur*. Idem etiam de Bono Mort. c. 10. num. 45. 46. non secus ac in spectaculis victores omnes simul corona donantur; ita generali judicii die Sanctos omnes simul præmium esse accepturos: *corona dies expectatur ab omnibus, ut intra eum diem & victi erubescant, & victores palmam adipiscantur victoriæ*. Ab hac sententia non abhorrebat D. Chrysostomus hom. 39. in 1. Corinth. docens, animam sua mercede carere, atque beatitudine non perfrui, nisi post corporis resurrectionem. Affirmat hom. 28. in ep. ad Hebr. cap. 11. Patriarchas, & Martyres nondum præmium fuisse consequutos, sed præstolari fratres suos, cum quibus simul coronam accipient. Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius de more sequuntur D. Chrysostomum.

S. Augustino [3] semper quidem persuasum fuit, justorum animas summa perfrui lætitia ante resurrectionem, animas vero impiorum exquisitis suppliciis torqueri: sed non credit, animas Sanctorum in Cœlo perfectam beatitudinem consequi. Eas in sinu Abrahæ constituit, vel in ignotis receptaculis resurrectionem suam expectantes, quin tamen eorum felicitas perfecta esse valeat. S. Bernardus [4], qui tamquam Patrum novissimus recensetur, in eamdem S. Augustini sententiam videtur abiisse. Ait enim, Sanctos donec inter vivos versantur, esse tamquam in Tabernaculo. Post mortem vero stare veluti in atrio Domus Dei; post resurrectionem denique in penitiora Dominici Templi adyta ingressuros. Non parum quidem est in atrium introiisse; at lætitia, & beatitudo tunc tandem perfectæ solummodo sunt, cum in ipsa domus Dominicæ penetralia aditus patuit. Illuc animæ sine corporibus non ingrediuntur, & Sancti, nonnisi simul omnes eodem introibunt: ideoque justis corporum suorum resurrectionem efflagitantibus hæc reddita responsio fuit [5], *ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum*. Candidam stolam jam receperunt: alteram vero stolam, gloriæ videlicet, & immortalitatis, nonnisi post corporum suorum resurrectionem accipiunt.

Hæc sententia rursus excitata fuit sæculo decimo quarto a Joanne Papa XXII. qui eam palam prædicavit, eamque literis, scriptis, & Nuntiis suis confirmavit, sed efficere non potuit ut admitteretur. Facultas Theologiæ Lutetiæ Parisiorum illam explodit; Joannes ipse XXII. palinodiam canere coactus fuit, & Benedictus XII. qui illi successit, quæstionem ita disceptavit: Sanctorum omnium, qui ante Jesu Christi passionem obierunt, & Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, aliorumque fidelium, qui Sacramento Baptismi regenerati occubuerunt, animas, in quibus, decessus eorum tempore, nihil reliquum fuit, quod expiarent; non secus ac eorum etiam animas, qui deinceps erant morituri, quin ulla expiatione indigerent; vel eas, quæ altera in vita expiatæ fuerunt, & illas etiam puerorum, qui post baptismum ante rationis usum vitam cum morte commutarunt: omnes inquam has immediate & perspicue videre, & visuras esse Divinam Essentiam, & per hanc visionem, atque fruitionem & esse & futuras esse vere beatas, vita & requie æterna fruentes. Hanc sententiam hodie sequitur Ecclesia, eamque semper Patrum antiquorum plurimi sequuti sunt, uti videre est ex Dissertatione X. du Pin in Apocalypsin p. 468. et sequ.

Fidei consonum est, S. Joannem ex Auctoribus Judæis mutuatum fuisse hanc ideam de animabus Sanctorum sub Altari Domini positis [6]; illas enim eodem ferme pacto constituunt sub Throno Dei, et dicunt, cum Hebræi aliqua calamitate afflictantur, Sanctorum animas sub throno gloriæ positas pro illis deprecari; cumque Deus earum clamoribus misertus illas interrogat, quænam ire velit, hominibus opem latura, illis quæ sese ultro offerunt, alas tanquam Angelis aptari, eusque mitti ad miracula in eorum gratiam patranda, qui calamitate afficiuntur. Inter cetera docent, Moysis animam

1 Tertull. lib. 4. contra Marcion. & lib. de Resurrect. carnis. 2 Idem Tract. de Testim. animæ.
3 August. in Psal. 36. serm. 1. & de Genes. ad Litter. lib. 12. cap. 32. Et de fide, spe, & charit. cap. 109. & l. 12. de Civit. cap. 9. n. 2. 4 Bernard. serm. 3. & 4. in Festo omnium Sanctorum.
5 Apoc. 6. 11. 6 Mekir in Pulvere aroma.

animam sub Throno Domini positam esse [1].

℣. 11. DATÆ SUNT ILLIS SINGULÆ STOLÆ.] Differtur quidem ultio expetita; sed statim illis permittitur peculiaris merces, exantlatis calamitatibus debita. Traditur illis stola candida, innocentiæ ipsorum et beatitudinis, qua perfruuntur, inditium. Fortasse etiam singulæ stolæ singulis datæ significant, earum felicitatem nondum esse consummatam, neque consummatum iri nisi post generalem resurrectionem, cum eorum corpora induerint immortalitatem [2].

UT REQUIESCERENT ADHUC TEMPUS MODICUM.] Angelus, qui super Ara stabat, vel potius Dominus suo insidens solio, illis dixit, vel dici jussit, ut modicum adhuc præstolarentur; hoc est ducentos et viginti circiter annos, si hoc producatur usque ad Constantini Regnum, qui Ecclesiam pace donavit, easque injurias B persequutus est, quibus ab Ethnicis fuerat affecta; vel omnia illud tempus, quod hactenus effluxit, et effluere debet adhuc usque ad extremum Judicii diem; si expectandum est, donec Sanctorum omnium numerus compleatur, et Deus omnibus gloriam, perfectamque remunerationem tribuat [3], per resurrectionem, insignemque vindictam de omnibus Ecclesiæ suæ, suorumque fidelium persecutoribus a primis usque terrarum primordiis deposcat. Cum S. Joannes hæc scriberet, plures jam erant Christianæ Religionis Martyres, Apostoli omnes, et plerique primi Discipuli Jesu Christi jam obierant; aliique plures fideles conversi, vel a Judæis, vel ab Ethnicis martyrium fuerant perpessi: At numerus Martyrum longe major deinceps erat futurus. Tunc duæ tantum propriæ numerabantur persecu- C tiones; Altera quidem Neronis, Domitiani altera, licet complures Martyres sub aliis Principibus fuerint martyrii coronam adepti.

℣. 12. SIGILLUM SEXTUM.] Sextus hic sigillus S. Joanni aperit rationem, qua Deus eam exercebit ultionem, quam Martyres poposcerunt. Descriptio hoc in loco exornata sane horribilis est, eaque ad duo tempora potest referri: primum, cum Constantino imperante Christiana religio insignem retulit de Ethnica superstitione triumphum [4]: tunc enim Idolorum cultus jacuit, et post Constantini, filiorumque ejus obitum, Imperium Barbaris in prædam cessit, Roma capta, direptaque fuit, omnibusque Provinciis gravissimus terror, atque tumultus incessit. Alterum, cum Deus novissimo Judicii die coram omnibus justis iræ suæ calicem D impiis omnibus propinabit [5]. Vindictæ peculiares, quas subinde exercet Deus in persecutores amicorum suorum, leves sunt illius figuræ, quæ magno illo ac terribili die ab eodem est exercenda.

Terræ motus, Solis & Lunæ defectus, Syderum lapsus, Montium conturbatio, hyperbolicæ sunt loquendi rationes Prophetis familiares, ex quibus illas S. Joannes mutuatus est, ut extrema, & generalia mala significaret. Romanum Imperium bellis, dissidiis, exterioribus, interioribusque seditionibus fuit agitatum; persecutores vero præsertim a Deo gravissima pœna affecti fuerunt. Maxentius præceps in Tiberim corruit, Milvio ponte sub illius pedes corruente. Maximinus Jovius horribili, & insanabili morbo fuit appetitus, ita ut dum teterrimis doloribus torqueretur, intellexit, Dei E manum in se desævire, ultionem relaturam ob ea mala, quæ ipse Christianis intulerat. Maximinus Dajas oborta cum Licinio dissensione, acie victus vestem mutare coactus fuit, ut sibi fuga consuleret, qua cum se in ditionem suam recepisset, omnes idolorum Sacerdotes jussit interfici, atque præclarum in Christi fidelium gratiam edictum proposuit. Denique vero miro morbo affectus fuit; interiori quippe vorabatur flamma, propter quam oculorum jacturam subiit in sceleti formam redactus. Licinius a Constantino cum secessisset, ab eo semper victus fuit, ac tandem relegatus, & jussu illius A jugulatus. Maximianus alter Constantini competitor, Massiliæ, ubi clausus erat, manum sibi inferre, & suspendio vitam concludere coactus fuit. Hæc omnia bella, & seditiones, nequaquam contingere potuerunt, quin gravissime concuterent Imperium, & Gentiles, qui Constantino adversabantur, odio atque invidia distrumperentur, cum hic Imperator palam religionem Christianam amplexus est.

Si lubet in Scripturis invenire loquendi rationes, atque descriptiones æque graves, ac illas, quibus hoc in loco utitur S. Joannes, ad innuendas calamitates, & turbas fortasse minores, quam quæ acciderunt Romano Imperio Ethnico & persecutori, cum Constantinus omnes competitores suos profligavit, atque idololatriam penitus sustulit; locus hic conferendus est cum *Isai.* 13. B 10. 34. 4. *Deut.* 32. 20. *Jerem.* 4. 23. *Isai.* 24. ℣℣. 4. 19. 20. 22. 23. & cap. 45. ℣. 17. *Joel.* 2. ℣. 1. 10. cap. 3. ℣. 2. 14. *Ezech.* 32. 7. & sequ. *Amos* 8. 9. & sequ. *Matth.* 24. ℣. 27. 29. 2. *Petri* 3. 10. &c.

SACCUS CILICINUS,] velut ii, qui in luctu adhibebantur, ex nigro, vel subnigro pilo contextus, & quo passim Prophetæ utebantur [6]. Hic rudis crassusque pannus erat, ex Caprarum, vel Camelorum pilis confectus. Cum Sol in Eclypsi laborat, videtur tanquam nigro & denso velo coopertus, Luna vero deficiens tanquam cruore suffusa.

℣. 13. STELLÆ COELI CECIDERUNT.] Hoc ad litteram intelligendum non est. Nemo ignorat, Sidera non illius esse naturæ, ut super terram labi queant; Extra enim quamlibet comparationis rationem universo il- C lo Orbe, quem colimus, majora sunt. Hæc igitur popularis est, atque hyperbolica loquendi ratio, quæ gravissimam rerum omnium in universo Mundo innuit perturbationem: Qui gravissimis torquentur calamitatibus, ita loquuntur, ut ex illorum verbis ipsorum turba deprehendatur. Videntur nonnunquam ignita quædam meteora decidentia, vel in aere volantia, quæ populus labentes stellas esse opinatur:

Fertur ut interdum de Cælo stella ferens,
Et si non cecidit, potuit cecidisse videri.

Hinc inferunt, Stellas posse de Cœlo labi; & ad innuendam generalem naturæ totius perturbationem dicitur Cœlum omnibus ornatibus suis esse exuendum, & sidera æqua frequentia lapsura esse, ac virides ficus, dum arbor vehementi ventorum impetu concussa agitatur.

D ℣. 14. COELUM RECESSIT SICUT LIBER.] Antiqui libri ingentia erant volumina ex papyro, aut membranis confecta, quæ in orbem circumvolvebantur, ut clauderentur, & quæ extendebantur, ubi aperienda essent, aut legenda: in altera enim duntaxat facie, eaque interiori erant descripta. Populus Cœlum esse opinatur tanquam magnum volumen extensum, quod virtute sua Deus potest involvere, & claudere, ita ut neque Cœlum, neque Sol, neque Luna, neque Stellæ amplius videantur. In Scripturis [7] Cœli nonnunquam comparantur Tabernaculo, quod temporis momento Deus complicare potest. Hæ loquendi rationes mentem nostram afficiunt, & sublimem divinæ magnitudinis adstruunt ideam.

OMNIS MONS, ET INSULÆ.] Ea in perturbatio- E ne, qua Romanum Imperium agitatum est, Constantino bellum omnibus competitoribus suis inferente, Montes, & Insulæ visæ sunt quodammodo commoveri, & mutare locum propter eos motus, qui ibi acciderunt, & prælia in pluribus Imperii Provinciis præliata. Septem eodem tempore præter Constantinum fuere viri appetentes imperii; Maximianus Galerius, Maxentius, Severus Cæsar, Maximinus, Alexander, Maximianus, Hercules, & Licinius: quorum sex primi intra novem annos ab anno 306. usque ad 314. deleti fuerunt; Licinius vero 324. jugulatus. Omnes hi Principes Christianæ Religionis hostes erant infensissimi; & Constanti-

nus,

1 Vide apud Gaulm. not. in Pitiarh. Mose, lib. 3. cap. 7.
2 Vide Grot. Cornel. 3 Vide August. serm. 18. de Sanctis. Greg. Magn. lib. 2. Moral. cap. 4. Cornel. alii. 4 Med. Durham, Bossuet, Du Pin. 5 Victorin. Primas. Tichon. Haymo, Andr. Beda, Peres. Riber. Cornel. Bossuet, Du Pin.
6 4. Reg. 1. 8. Zachar. 13. 4. 7 Psal. 103. 2. Isai. 40. 22.

nus, qui huic unus favebat, unus totius Imperii summam obtinuit; id vero tunc tandem, cum bellum in omnes ferme partes Imperii circumtulisset, ac pluries cum hostibus acie dimicasset.

℣. 15. OMNIS SERVUS ET LIBER.] Omnes a Rege ad novissimum usque mancipium delitescent *in speluncis, & in petris Montium* (℣. 16.) *& dicent Montibus, & petris: cadite super nos*. Imperatores, de quibus nuper verba fecimus, & victi populi, coacti fuerunt, vel fugam arripere, vel ad mortem confugere, ne in victoris manus deciderent. Ethnici, qui hactenus in Christi fideles sævierant, tunc tandem pudore suffusi, & desperatione adacti latebras conquirere debuerunt, quodammodo in speluncis delitescere, ac Montes orare, rupesque, ut in caput suum ruerent, ipsosque sua ruina contererent: quæ locutiones mirum in modum indigitant terrorem, tumultum, desperationem populi victi, & qui, conscientia sua judice, ac teste, severissima supplicia se meritum fuisse cognoscit. Confer Isajam 2. 18. *Introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ a facie formidinis Domini, & a gloria Majestatis ejus*. Vide etiam *Osee* 10. 8. & *Lucam* 23. 30. Hæc omnia ad novissimum Judicium transferuntur, cujus ea mala, quæ memoravimus, non aliud erant, quam symbola, vel figuræ.

CAPUT VII.

Quatuor Angeli ventos omnes retinentes prohibentur ab alio Angelo aliquid malum inferre, nisi primum electos salutari signo notaverit. Numerus signatorum, qui candida stola induti, Deum laudibus celebrant, atque beatitudine perfruuntur.

1. POst hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes
quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in
ullam arborem. 2 Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi: & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum
est nocere terræ, & mari, 3 Dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. 4 Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel.
5 Et tribu Juda duodecim millia signati: Ex tribu Ruben duodecim millia signati: Ex tribu Gad duodecim millia signati: 6 Ex tribu Aser duodecim millia signati:
Ex tribu Nephtali duodecim millia signati: Ex tribu Manasse duodecim millia signati:
7 Ex tribu Simeon duodecim millia signati: Ex tribu Levi duodecim millia signati: Ex
tribu Issachar duodecim millia signati: 8 Ex tribu Zabulon duodecim millia signati:
Ex tribu Joseph duodecim millia signati: Ex tribu Beniamin duodecim millia signati.
9 Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu
Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: 10 Et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. 11 Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium: et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum, 12 Dicentes, Amen.
Benedictio, et claritas, & sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro, in secula, seculorum, Amen. 13 Et respondit unus de senioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & unde venerunt?
14 Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. 15
Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die, ac nocte in templo ejus: & qui sedet in throno, habitabit super illos. 16 Non esurient, neque sitient amplius, nec
cadet super illos sol, neque ullus æstus: 17 Quoniam Agnus in medio throni est,
reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

℣. 1. POST HÆC VIDI QUATUOR ANGELOS.] Pergunt ea, quæ vidit S. Joannes, postquam sigillum sextum apertum fuit; septimum enim sequenti tandem capite aperietur. Arbitror autem, quatuor hos Angelos, qui retinent ventos, & prohibent, ne ab illis aliquid corrumpatur in Terra, innuere pacem, quæ Constantino Magno imperante lætissima floruit. Post annum 324. hic Princeps altissima pace gavisus est, & Ecclesia a nullo extrinsecus hoste fuit lacessita [1]. Tres filii Constantini, Patris sui zelum imitati sunt pro Ecclesiæ requie, & incremento; neque a veritatis specie abhorret, calamitates, quæ inferius cap. 8. designantur, cum septimum sigillum aperitur, eas esse, quas Ecclesia a Barbaris perpessa est, qui post Constantini, & filiorum ejus obitum in Romanum Imperium irruptione facta, plurimas, maximasque Provincias ceperunt.

Mar-

1 *Vide Andræ, Bedam. Carthus. Perer. Vide & Ambrosiast. Primas. Autbert. Anselm.*

Martyrum animæ Deum oraverant, ut sanguinem suum effusum ulcisceretur; eisque hæc reddita fuerat responsio; modicum adhuc præstolarentur, donec fratrum suorum numerus adimpleretur[1]: quo tandem completo sub novissimis persecutoribus, cum Dei justitia adversus Ecclesiæ inimicos exarserit eo modo, quo superiori capite vidimus, recensendus est tandem per otium Sanctorum, & Martyrum numerus, ut omnes simul conjuncti cum illis, qui primum sub Altari visi sunt, ad Omnipotentis Solium accedant, eum laudibus celebrent, eique debitas gratiarum actiones persolvant, tum pro ea gloria, qua cumulati fuerunt, tum pro ultione, quam ille contra persecutores exercuit, tum denique pro pace, quam Ecclesiæ donavit.

Venti, qui terras, & maria perflare prohibentur, generatim ea significant omnia, quæ rerum publicarum pacem, & populorum requiem possunt perturbare[2]. Bella, seditiones, persecutiones, hæc omnia ab Ecclesia, & Imperio procul abfuerunt saltem novissimis Constantini imperantis annis, qui annos triginta, & menses aliquot regnavit a 306. ad 337.

℣. 2. VIDI ALTERUM ANGELUM HABENTEM SIGNUM DEI VIVI.] Credunt quidam[3], Angelum hunc esse filium Dei, alii vero ex præcipuis Angelis aliquem; & hæc sententia nobis potius arridet[4]. Ab Oriente accedebat, habita ratione Altaris holocaustorum, ubi erat Agnus, & Sanctuarii, ubi erat Dei thronus. Habebat ille *signum Dei vivi*; signum videlicet, ubi Dei nomen erat insculptum, quod imprimebat fronti eorum omnium, qui ad Dominum pertinebant. Vide infra cap. 14. 1. *habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis*. Hoc videtur dictum ad imitationem Ezechielis[5], dicentis, Deum Angelo cuidam præcepisse, ut gementium frontibus incolumitatis eorum signum inureret; ut Angeli cœlestis iræ vindices illis parcerent, quos hoc signo notatos invenirent; quemadmodum olim ea nocte, qua Israel de Ægypto egressus est, exterminator Angelus iis abstinuit domibus, quas Paschalis Agni cruore imbutas deprehendit. Genes. 12. 22.

His autem Angelus fortasse imprimit nomen Jehovah, vel Crucis signum[6] electorum frontibus, et eorum, qui vitam suam pro Jesu Christo effuderunt. In Oriente hæc obtinuerat consuetudo, ut servis, & militibus etiam nonnunquam indelebiles quidam characteres inurerentur, ex quibus cognosci possent, si forte se in fugam dedissent[7]. Christiani veteres in singula fere momenta frontem suam signo Crucis notabant, ita ut hoc quodammodo impressum, & delineatum ex frequenti digitorum attritu permaneret[8]: *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus*.

CLAMAVIT VOCE MAGNA QUATUOR ANGELIS:] *magna* quidem voce, ut in quatuor terrarum angulis audiretur, *a quatuor Angelis* ventos continentibus, & penes quos erat arbitrium tempestates ciendi, & quibus datum erat *nocere terræ & mari*. Videtur isthic vetus Hebræorum sententia, existimantium, Angelos syderibus, elementis, anni tempestatibus, & imperiis præesse. Quæritur, utrum quatuor hi Angeli boni essent, an mali. Munus illis traditum nocendi Terræ, & Mari eos malos Angelos videtur innuere[9]. Verum liquet, in Scripturis Deum sæpe bonos Angelos mittere ad homines puniendos & vindictam suam exercendam[10]. In Oriente Principes præcipuis Ministris suis præcipiunt, ut eos, qui sibi injurii fuerunt, vel interficiant, vel aliquorum membrorum mutilatione puniant. Id ex Regum Hebræorum historia innotescit: neque turpis erat hæc supplicii exercitatio illis, qui ejusdem erant ministri.

℣. 4. AUDIVI NUMERUM SIGNATORUM.] In fronte ex unica Judæorum natione præter gentiles populos ad Christianam religionem conversos, de quibus sermo erit ℣. 9. Et erant centum quadraginta quatuor millia signati, duodecim videlicet millia ex singulis Tribubus, quemadmodum explicatur inferius. Liquet, finitum hunc numerum usurpatum esse ad ingentem numerum indigitandum, quippe S. Joannes Tribus recensens omittit Tribum Dan, quæ dici minime potest, nullos prædestinatos peperisse. Ad hæc patet tempore defectionis Barcochebæ plurimos fuisse Judaizantes Christianos, qui martyrio coronati fuerunt; & qui hoc in loco indigitantur nomine *signatorum* ex numero Tribuum Israel. Barcochebas ipse illos persequebatur, quoniam in suas partes renuebant concedere[11]; & Romani ipsi illos vexabant, ac tamquam Judæos, & infestos hostes imperii ejiciebant.

Quæritur, cur Tribus Dan in recensione Tribuum Israel isthic non memoretur? Complures antiqui Patres[12], atq; Interpretes non pauci[13] in hunc locum arbitrantur, ideo eam Tribum omitti, quod ex eadem Antichristus sit nasciturus, & quod plerique Judæorum sub illius imperio confugient, cum ille in sæculorum fine apparuerit. Sed hæc traditio nunquam pro certa habita fuit, nec desunt Catholici Auctores, qui illam vel in dubium revocent[14], vel inter fabulas censeant adscribendam[15]. Ita dicere præstat, eamdem a S. Joanne omissam fuisse, eo quod erat ex Tribuum Israel minus frequentibus, & quod numerum certum electorum pro incerto atque indeterminato[16] afferre voluerat: non secus ac S. Matthæus ter quatuordecim generationum numerum in Jesu Christi genealogia recensere cum instituisset, nonnullas personas de industria omisit[17] ne numerum, quem sibi proposuerat, excederet. Adde; si hæc ad litteræ apicem essent intelligenda, Tribus Joseph in Manasse, & Ephraim divisa, una illa duplum electorum produceret, ac alia quælibet Tribus, cum interim Dan nullum prædestinatum haberet; quod nullatenus probandum est.

℣. 8. EX TRIBU JOSEPH.] Dicere potuisset: *ex Tribu Ephraim*, nam de Tribu Manasse jam loquutus est ℣. 6. Liquet, Ephraim, & Manasse filios Joseph duplicem hæreditatis partem obtinuisse, a qua Ruben primogenitus exciderat[18], & duas in Israel Tribus constituisse.

℣. 9. VIDI TURBAM MAGNAM.] Multitudo hæc innuebat innumerabilem numerum prædestinatorum, tum ex Judaico populo, tum ex Ethnico ad Christianam Religionem converso,[19] præsertim vero maximam Martyrum vim (infra ℣. 14.) in quorum fronte signatum fuit nomen Dei. *Stolæ albæ, & palmæ*, quæ illis tribuuntur, symbola sunt eorum innocentiæ, justitiæ, & victoriæ, quam de Mundo, dæmone, carne, & persecutoribus reportarunt.

℣. 10. SALUS DEO NOSTRO.] Gloria Deo nostro, grates Omnipotenti Deo, qui de inimicis nostris nos eruit, nobisque victoriam concessit.

℣. 11. ET OMNES ANGELI.] Nondum verba fecit de hac Angelorum multitudine; hactenus enim ad alia magis utilia, atque argumento suo aptiora animum appulit,

1 Apoc. 6. 9. 10. 11. 2 Grot. Med. alii.
3 Ita Berengaud. Ansbert. Primas. Haymo, Anselm. Richard. Bed. Zeger. Paræ. Forer. Cluver. Durham. &c.
4 Perer. Riber. Grot. Cornel. 5 Ezech. 9. 4. 6 Cornel. Grot.
7 Aristophan. apud Grot. hic. Herodot. lib. 7. cap. 233. Cod. Theodor. tit. 21. lib. 4.
8 Tertull. de Corona Militis, cap. 3. Vide & Cyprian. Ep. 63. & lib. 3. Testimon. cap. 22. Ambros. de Isaac, cap. 8. &c. 9 Vide Delrio. lib. 2. de Magia. cap. 11. Zeger. Cluver. Pisc. Grot. Paræ.
10 Vide Genes. 19. Infra cap. 8. Ezech. 9. Alcazar. Riber. Perer. Cornel.
11 Vide Justin. Apolog. 2. & Euseb. in Chronico. 12 Iren. lib. 5. cap. 30. August. qu. 22. in Josue. Theodoret. qu. ult. in Genes. Ambros. de Benedict. Patriarch. cap. 7. Hippolyt. Tract. de Consummat. mundi. Greg. lib. 31. Moral. 18. Cyrill. Euener. Isidor. Prosper. Rufin. &c. 13 Andr. Haymo. Richard. Anselm. Bed. Rupert. Lyran. alii hic. 14 Tostat. in Genes. 49. 17. Fromond. hic Bossuet. 15 Oleaster in Genes. 49. 17.
16 Cluver. Hamm. Beda Bossuet. 17 Vide Matth. 1. 8. 9. 11. 17. 18 1. Par. 5. 2. *Primogenita reputata sunt Joseph*. Vide Genes. 48. 27. 18. & seq. 49. 27. 19 Riber. Per. Aureol. Cornel. Bossuet. Du Pin. alii.

pulit. Angeli Sanctorum Martyrum laudibus responderunt, & quidquid illi dixerant, provexerunt in majus. ℣. 12. Responderunt *Amen* in fine benedictionum, quas Martyrum corona protulerat; mox vero perrexerunt dicentes: *benedictio, & claritas* [1], *& sapientia etc.*

℣. 13. ET RESPONDIT UNUS DE SENIORIBUS.] hoc est unus de Senioribus loqui cœpit: Hæbræi enim sæpius *respondendi* verbo utuntur pro verbo loquendi.

℣. 14 HI SUNT, QUI VENERUNT DE TRIBULATIONE MAGNA.] De re futura loquitur tanquam præterita more Prophetarum. Hi, quos vides candidis amictos Stolis, dextraque palmas gerentes, instar victorum triumphum agentium, Martyres sunt ex Ecclesia Gentilium ad fidem conversorum. Plurima illi pertulere mala, ut ad beatitudinem pervenirent, & dealbatas stolas, quibus induti sunt *laverunt, & dealbaverunt in sanguine Agni* [2]. Proprium non est, ut sanguine vestes dealbentur; sed isthic omnia sunt in mystico, atque spirituali sensu intelligenda. Lavacrum Sanguinis Agni baptismus est, pœnitentia, martyrium: ibi animæ sordes omnes deterguntur, & peccatorum maculæ eluuntur; ibi enim merita Sanguinis, & Passionis Jesu Christi nobis applicantur.

℣. 15. SERVIUNT EI DIE, AC NOCTE IN TEMPLO EJUS.] Hoc ea confirmat, quæ jam non semel animadvertimus, a S. Joanne Cœlum nobis exhiberi tanquam Templum, & domum Altissimi, ubi videtur quidquid in Principum ædibus, præsertim vero in Templo Jerosolymitano deprehenditur. Magna Ministrorum copia, plurimi famuli, iique plurimorum ordinum; Princeps in penetralibus suis insidens folio; Consiliarii, vel amici illius, coram eodem in corona sedentes &c. Hic sanctorum animæ nobis exhibentur, tanquam hanc dignitatem adeptæ, ut Domino famulentur, & in illius Templum admittantur. Hæc earum est merces, quod pro Jesu Christo vitam suam profuderunt: *serviunt ei die, ac nocte in Templo ejus: & qui sedet in Throno, habitabit super illos.* [3] Eorum erit protector, atque præsidium. Hic est humanæ felicitatis cumulus, ad Deum pertinere, eidem famulari, illi inservire, illum diligere, eum in æternum adorare, citra quemlibet illius amittendi timorem; ejusdem gratia, & protectione lætari: *Beati, qui habitant in domo tua, domine, in sæcula sæculorum laudabunt te,* Psal. 83. 5. Propheta in hac etiam vita hoc unum optabat, ut jugiter in Templo Domini permaneret. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in Tabernaculis peccatorum,* Psal. 83. 11. Confer, *Apoc.* 21. 3. *Levit.* 26. 11.; & 2. *Cor.* 6. 16.

℣. 16. NON ESURIENT, NEQUE SITIENT AMPLIUS.] Non fame, non siti, non calore, non frigore amplius laborabunt [4]. Sanctorum beatitudinem describit per negationem, quia ibi nullum adest ex vitæ hujus malis, nulla urget necessitas. Qui magno alicui Principi famulari incœpit, certus est, se nullam ex illis calamitatibus experturum, quibus mortales cæteri sunt obnoxii. Sed ut animo tibi fingas imaginem status sanctorum in Cœlo; mentem attollas oportet ad felicitatem longe perfectiorem. Animo tibi finge qualibet mala, quibus subjecta est hominum vita; nullum horum te ibi manebit. Concipe, quidquid humana mens, & animus gustare potest innocuum, & æquum; hæc omnia gustabis in Cœlo. S. Joannes igitur minus exprimit quam intelligat: omnia enim vocabula deficiunt, neque satis valent exprimere, uti oportet, id quod oculus non vidit, auris non audivit, & in cor hominis non ascendit [5]. Longe facilius est dicere, quod non erit, quam quod erit.

℣. 17. AGNUS REGET ILLOS.] Illos tuebitur a fame, siti, aliisque malis, quibus mortalium vita undique est circumsepta. Ipse illis esca erit, & potus, vivens aqua illos inebrians [6], atque torrens divitiarum, ad quem sitim relevaturi confugient: *torrente voluptatis potabis eos.* Psal. 35. 9. Hæc omnia desumpta sunt ex Isaia 39. 10. Vide etiam Psalmum 35. ℣℣. 9. 10. In calidis regionibus jucundum est perspicuas aquas invenire, ideoque Scriptura ad eas sæpius alludit. Pro, *ad vitæ fontes aquarum*, Græcus legit, *ad vivos fontes aquarum* [7]: sed optimi MSS. Vulgatæ similes sunt. Græcæ quædam editiones [8] illa omittunt verba: *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*; quæ ex Capite 21. 4. libri hujus desumpta videntur.

---

1 Vulg. *Claritas*. Græc. δόξα, gloria. 2 Plures MSS. legunt: *eas dilataverunt in sanguine agni*. ἐλεύκαναν τὰς στολὰς αὐτῶν, pro ἐπλάτυναν. Ita Steph. 10. Hunt. 1. Ald. Colinæ Froben. Edit. 2 priores Roberti Steph. 3 Σκηνώσει ἐπ' αὐτούς. Psal. 90. 1. *Qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*. Confer Apoc. 21. 3. 4 Οὐδὲ καῦμα. Confer Isai. 49. 10. Hebræi omnia vitæ mala per ignem, & ventum adurentem exprimunt. Grot. 5 1. Cor. 2. 9. 6 Joan. 4. 10. 15. 14. 8. 38. 7 Ἐπὶ ζώσας πηγὰς ὑδάτων. Alii plures: Ἐπὶ ζωῆς πηγάς. Ita Steph. 10. Alex. Baroc. Petav. 2. Cov. 2. Hunt. 2. Complut. Æthiop. Arcib. Cyprian. 8 Ald. & Erasm. Edit. 3. N. Test.

CAPUT VIII.

Septimum sigillum aperitur. Silentium ad horæ dimidium. Septem Angeli cum tubis. Angelus adolet thura, & in terram ignem Altaris effundit. Primus Angelus tuba clangit, atque terræ triens comburitur. Personant quoque tres aliæ buccinæ. Effectus, quos pariunt.

1. ET cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, quasi media hora. 2 Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei: & datæ sunt illis septem tubæ. 3 Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. 4 Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. 5 Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus magnus. 6 Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, præparaverunt se, ut tuba canerent. 7 Et primus angelus tuba cecinit, & facta est grando, & ignis, mista in sanguine, & missum est in terram, & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est, & omne

omne fœnum viride combustum est. 8 Et secundus Angelus tuba cecinit, & tam-
quam mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris san-
guis. 9 Et mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in ma-
ri, & tertia pars navium interiit. 10 Et tertius Angelus tuba cecinit: & cecidit de
cœlo stella magna ardens tamquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, &
in fontes aquarum: 11 Et nomen stellæ dicitur absinthium, & facta est tertia pars
aquarum in absinthium: & multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ
sunt. 12 Et quartus Angelus tuba cecinit; & percussa est tertia pars solis, & tertia
pars lunæ, & tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei non
luceret pars tertia, & noctis similiter. 13 Et vidi, & audivi vocem unius aquilæ
per medium cœli, dicentis volantis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in terra,
de cœteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba cannituri.

℣. 1. SIGILLUM SEPTIMUM.] Septimum adhuc aperiendum supererat sigillum, quod statim ac apertum fuit, Angeli, Beati, viginti quatuor seniores, quatuor Cherubim altissimo in silentio, silentio nempe admirationis, & expectationis [1], obmutuerunt. Profecto sigillum hoc majora proponit, quam aliud quodvis ex numero superiorum: Videntur autem, quæcumque leguntur in capitibus 8. 9. & 10. in septimo hoc sigillo contineri. Sanctorum persecutio, & vindicta contra persecutores exercenda, nonnisi obiter fuerat adhuc S. Joanni proposita, dum sextum sigillum aperiretur. Deus illi proprie solum ostenderat, quod post finem persecutionum in Cœlis evenerat; sed persecutorum lapsus, & persecutionum descriptio in septimi sigilli aperitionem reservabantur; quod in hoc capite & subsequentibus duobus visuri sumus [2].

Credunt alii [3], septimum hoc sigillum respicere primum mala, quæ Judæi sub Trajano, atque Adriano fuere perpessi; 2. Hæreses Judaicas, quæ primis illis sæculis obortæ sunt; 3. denique persecutiones contra Ecclesiam excitatas. Alii hoc intelligunt de malis, quæ novissimum Judicium sunt præcessura; & alii [4] de iis, quæ post Constantini, filiorumque ejus mortem usque ad Romam ab Alarico, Genserico, Odoacre, Totila, aliisque Barbaris captam Jesu Christi pertulit Ecclesia. Hic sensus probatior videtur, & in sequentibus etiam Capitibus deprehenditur. Familiare Prophetis est eadem argumenta, aliis, aliisque figuris proponere, præsertim vero cum magni momenti sunt. In Isaia e. g. quintuplici ratione Babylonis captivitas, & de eadem reditus prædicuntur [5] In Daniele etiam persecutiones, quas Judæi a Regibus Syriæ erant perpessuri, quatuor variis in locis exhibentur [1].

℣. 2. VIDI SEPTEM ANGELOS] præcipuos divinæ voluntatis Ministros, qui præ ceteris ad illum propios accedunt, & de quibus non semel jam sermo fuit [6]; & vidi singulis singulas tubas distribui, ut clangerent, & varia ederent signa malorum, quibus Tellus erat afficienda.

℣. 3. ALIUS ANGELUS VENIT.] Sed antequam septem Angeli tubis personarent, alius apparuit Angelus, qui arreptum thuribulum aureum illud intulit in Sanctum coram Altissimo, atque constituit super aureo Altari, ubi sacerdos hebdomadarius, mane, & vespere quotidie thymiama præscriptum a Moyse Exod. 30. 1. offerre consueverat. Huic Angelo magna thuris copia tradita fuit, quam ille in acerram suam conjecit. Judæorum ritualia [7] animadvertunt, thus ab alio adoleri, non ab eo, a quo in sanctum infertur; & hoc thus symbolum esse orationum sanctorum, quemadmodum S. Joannes testatur explicite [8]. Notandum est, Prophetam nostrum continenter alludere ad ea, quæ in Jerosolymita-

A no Templo fiebant, & eorum symbolicas rationes adferre. Fumus hujus Thymiamatis, quo Sanctorum preces exhibentur, significat Orationes, quas Ecclesia militans, atque triumphans offerebat Deo, cum persecutiones contra fideles maxime desævirent. Pietas, & devotio nunquam magis enituerunt, quam calamitosis Ecclesiæ temporibus. Ex quo persecutionum vis magna defervbuit, Patres conqueruntur, fidelium quoque aestum intepuisse.

℣. 5. ET ACCEPIT ANGELUS THURIBULUM [9].] Postquam Angelus adolevit thus in aurea mensa, & fumus coram Domino ascendit, extra sanctum acerram retulit, cumque ignem illius ibi effudisset, alium accepit ignem de Altari holocaustorum; non enim licebat in Templo aliunde ignem accipere [10], *& misit in terram*,
B quam habitamus, & igne cadente *facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus magnus*. Hæc omnia videntur innuere Deum excitum precibus Sanctorum, qui sunt in Terra, & quorum vota illi oblata fuerunt, cum fumo thuris statim in impios effundere effectus iræ suæ [11], per eamdem viam, qua ad illum Sanctorum preces, & gemitus ascenderunt. Idem thuribulum, quod illi thus offert, terrorem etiam in Terras conjicit. Fumus & suavis odor precum electorum justitiam expetentium de Terra in Cœlum ascendunt; eodemque tempore minæ, & ultio de Cœlo in Terram descendunt ad eos puniendos, a quibus Sancti affliguntur. Ita apud Ezechielem 10. 2. Cherubim ignem sumit de Altari, eumque super Jerosolymam effundit. In scriptura ignis fere semper iram, ultionemque significat.
C TONITRUA, ET VOCES.] In scripturis [12] tonitru passim *vox*, aut *vox Dei* appellatur. Vide eamdem loquendi rationem supra cap. 4. 5. Hæ hactenus minæ sunt; at in sequentibus ℣℣. reales ultionis effectus occurrunt.

℣. 6. SEPTEM ANGELI PRÆPARAVERUNT SE.] Septem Angeli septem tubas habentes, supra ℣. 2. accepto signo per hujus ignis effusionem super Terram, præparaverunt se, ut clangerent coram Domino, solio suo insidente. Septem Angeli in orbem dispositi erant coram Altare holocaustorum eodem pacto, quo Levitæ in solemnibus Sacrificiis buccina personantes Num. 10. 10.

℣. 7. PRIMUS ANGELUS TUBA CECINIT,] & eodem temporis momento *facta est grando, & ignis mixta in sanguine*, quo *tertia pars Terræ combusta est, & tertia pars arborum concremata est*. Græcus omittit *tertiam ter-*
D *ræ partem*, sed extat in plurimis optimis Mss. in Syriaca versione, & in Arabica. Ne putes, hæc omnia ad litteram posse deprehendi, neque ostendi posse, omnes has figuras omnino, & ad apicem fuisse adimpletas. Sufficit, hoc innui flagella, quibus Deus Ecclesiæ suæ hostes persequitur, seu bellum, seu famem, seu pestem; omnia enim mala, bello, grandine, igne, toni-

1 Viegas. Perer. Cornel. Bossuet, Du Pin. 2 Du Pin. 3 Bossuet. Alcazar. Zeger. Cluver. alii ad vers. 7. 4 Durham. Med. Synop. pag. 1783. 5 Dan. 7. 2. 3. 4. & seq. Ibidem vers. 17. 18. & seq. & 8. 2. 3. 4. & seq. Ibid. 19. 20. & 11. 12. 6 Apoc. 1. 4. 12. 3. 1. 15. 1. 7 Massechet. Tamid. Capell. hic. 8 Hic, & sup. 5. 8. 9 Quidam Mss. Latini addunt: *Aureum*. Luc. Brug. 10 Levit. 10. 1. 2. 11 Ita Grot. Cotter. Cornel. Bossuet. alii passim. 12 Vide Genes. 3. 8. 10. Psal. 27. 14. 28. 3. 4. 5. & seq. 45. 7. 47. 34. 2. Reg. 22. 14. Isai. 30. 30. Joel. 2. 2. Abac. 3. 10.

nitru, Terræ motu &c. exhibentur; & abunde ex historia suppetunt exempla, quæ hujus rei veritatem ad litteram possint ostendere iis in plagis, quibus Romanum Imperium sub Imperatoribus Ecclesiæ hostibus fuit afflictatum. Primum hoc flagellum non modicam habet cum septima plaga Ægypti similitudinem, Exod. 9. 18.

℣. 8. SECUNDUS ANGELUS.] Visus est mons igneus in mare projici: quinam est hic mons? Alii[1] de dæmone explicant, qui mons dicitur propter superbiam, & igneus est propter infernale supplicium, quo in æternum torquetur. Alii[2] hoc intelligunt de urbe Jerusalem, vel de Judæa, quam Romani vastarunt, in servitutem redegerunt, & cujus Metropolim everterunt, Templum incenderunt, populum dissiparunt. Quæ si vera sententia est, dicendum est, hoc per anacephalæosim dici, neque hanc esse prophetiam; cum enim S. Joannes scripsit Apocalypsim, plures jam excesserant anni, ex quo Romani Jerosolymitanam Urbem, atque Templum diruerant. Verum est, bellum rursus sub Trajano exarsisse, & Judæorum nationem contra hunc Imperatorem in Ægypto, Lybia, & Insula Cypro arma cepisse[3], ubi gravissima mala, plurimasque cædes pepererunt. Ferunt enim, ipsos in Lybia Ægypti ultra ducenta hominum millia trucidesse, & in Insula Cypro ultra ducenta, & quadraginta millia. Verum hæc omnia mala ultus est Trajanus, ac populi, quibus ea natio magis, magisque in dies fuit invisa. Fidei consonum est, Judæos, qui ubique semper odium suum contra Christi fideles deprompserant, ea in occasione iisdem non pepercisse, sed plurimos eorum mactasse.

Mons igneus similis Vesuvio, atque Æthnæ, ubi vehementius evomunt flammas, imperfecte quidem, sed aliquo modo tamen exhibet Judæorum furorem, & pertinaciam. In Prophetis Jerosolyma sæpius sub montis imagine exhibetur. In Monte quidem sita erat, & inde sæpius belli ignis exarserat. Hæc explicatio mihi arridet: Mons hic *missus fuit in mare, & facta est tertia pars maris, sanguis*. Bella a Judæis adversus Romanos bellata, illis quidem funesta, his vero semper cruenta fuerunt. Romanis non modico stetit sanguine victoria, cum propter Judæorum defectiones, qui obvium quemlibet trucidarunt, tum propter cruenta prælia, ubi non multi ceciderunt Judæi.

Qui hunc locum explicant de bellis, quæ Barbari populi Romano intulerunt Imperio, Montem hunc intelligunt de Urbe Roma, quæ capta, & direpta fuit ab iis gentibus, quæ in omne Romanum Imperium, terrorem, ignem, cædemque intulerunt. Intelligi denique potest de malis, quibus Deus percussit Imperatores, qui Ecclesiam fuerunt persecuti, & quibus Romanum Imperium concussit eo tempore, quo Constantinus solium ascendit, & competitores suos profligavit. Vide quæ diximus in Caput sextum, & confer præcipue nonum Capitis hujus versiculum cum octavo Capitis sexti. In Capite sexto quadrans in terra viventium interit, hic perit triens eorum, quæ erant in mari. Nescio, utrum hoc innuere velit defectionem Judæorum in Insula Cypro. Certe bellum, quod ibi exarsit, rem nauticam maxime perturbavit, & maritimum negotium sustulit: *tertia pars navium interiit*. Ego tamen præferrem eorum sententiam, qui de Judæorum bellis adversos Romanos, & de Judaicæ nationis excidio hoc interpretantur.

℣. 10. TERTIUS ANGELUS] tuba cecinit, atque statim ingens stella cecidit in fluvios. Quidam hoc de Mahumete[4], alii de Ario[5], alii de Hæresiarchis generatim, alii denique hoc de Barchochebas putant intelligendum[6]. Nomen hujus pseudo-Prophetæ a stellæ nomine non abhorret. *Barchochebas* enim Syriace stellæ filium significat. Hic sub Adriano[7] in Judæa atque in Syria defectionem fecit, & præsertim adversus Christi fideles desæviit, in quos gravissima quæque experiebantur supplicia, ut Jesum Christum relinquerent, & blasphemarent, atque in illius partes contra Romanos concederent. Tot Martyrum lacrymæ, & ejulatus ad thronum Dei usque pervaserunt; quod innuebat thus illud, Deo in aureo thuribulo oblatum. Barchochebas de se ipso explicabat, quod in Numeris dicitur[8] de Stella ex Jacob proditura. Judæorum plerique illum Regem, & Messiam suum crediderunt.

Tandem vero Tinnius Rufus Judææ Præses, & Julius Severus, quem in illos miserat Adrianus, cruento bello eos persecuti sunt, in quo infinitus prope Judæorum numerus occidit. In præliis, aliisque levioribus certaminibus quingenta, & octoginta Judæorum millia cæsa dicuntur; eorum enim, qui morbo, igne, vel fame interierunt, numerum assequi minime licet. Quamplurimi etiam equorum pretio in Terebinthi, & mox in Gazæ nundinis sub corona venumdati sunt: qui vero superfuerunt, in navem impositi, ut in Ægyptum traducerentur; alii naufragio, alii fame occiderunt, vel ab Ethnicis cæsi fuerunt: atque ita Judæa penitus deserta facta est.

Calamitosa hæc natio ex tanto infortunio numquam convaluit; & vere dici potest cum S. Johanne, post lapsum ignei montis in mare, quo tertia pars viventium interiit, fatale hoc sydus in fluvios decidens, aquas omnes penitus corrupisse, & plurimos mortales, qui ex illis biberant, obiisse. Non Judæi solum plurimi occubuerunt, quemadmodum vidimus; verum etiam maximus Romanorum numerus periit: & Dio[9] animadvertit, Imperatorem Adrianum per Epistolam Senatui hujus belli nuncientem eventum, non ausum fuisse vulgari uti formula; exercitum scilicet bene valere. Ea in occasione creditur *Tinnius Rufus*, vel quemadmodum a Judæis vocatur, *Turannus Rufus*[10] aratrum induxisse in aream, ubi erat Templum Salomonis. Perfecto denique bello, Adrianus edictum palam affixit[11], quo Judæi prohibebantur pedem in Jerusalem inferre, mortis pœna proposita. Hæc Civitas Romanæ Coloniæ assignata fuit, & *Ælia Capitolina* nuncupata.

℣. 11. NOMEN STELLÆ DICITUR ABSINTHIUM.] Hujus enim qualitates habebat: erat quippe amara, & amaritudinem suam aquis, in quas deerdit, communicavit; quæ quidem amaritudo mortem intulit iis omnibus, qui eas aquas gustarunt. *Vocari* in Scripturarum stylo sæpius *esse* significat: e. g. Luc. 19. 46. *domus mea domus orationis vocabitur*: & Luc. 1. 76. *Propheta Altissimi vocaberis*: Messias *vocabitur admirabilis, Consiliarius, Emmanuel*, Isai. 7. 14. & 9 *Oriens nomen ejus*, Zach. 6. 12. &: *voca nomen ejus Iesdrael*: *voca nomen ejus absque misericordia*, Osee 1. 4. Hujusmodi denominationes, personæ qualitatem indigitant, non autem nomen, quo in terris est appellanda.

MULTI MORTUI SUNT.] In defectione Barchochebæ, quemadmodum vidimus, plurimi Judæorum interierunt. Auctor libri, cui titulus *Juchasim*, ait, tunc occidisse duplum eorum, qui ex Ægypto fuerant egressi; hoc est, duodecies centena virorum millia præter mulieres, ac pueros: & alius Auctor Judæus apud Drusium in Prætermiss. testatur, neque Nabuchodonosor, neque Titum tanta Judæis mala intulisse, quanta illi ab Adriano perpessi sunt.

℣. 12. PERCUSSA EST TERTIA PARS SOLIS.] Sydera Eclypsim passa, & atra caligine obducta sunt secundum Orbis sui trientem, vel tertia pars lucis eorum interiit. Interpretes istic in sua varietate persistunt: alii hoc intelligentes generatim de flagellis, quibus Deus persecutores suæ Ecclesiæ percussit: alii de Judaicæ nationis calamitatibus, alii de hæresibus, quæ primis Ecclesiæ sæculis eruperunt. Bossuet vero Meldensis Episcopus de caligine, quam Judæorum nequitie Prophetis offudit. Sub tempus Barchochebæ scripserunt illi ea volumina, quæ Talmud vocantur, aliosque

1 Primas. Beda Paræ. Cluver. 2 Vide Zeger. Grot. Bossuet.
3 Vide Euseb. lib. 4. cap. 2. Hist. Eccl. & in Chronic. & Dio lib. 68. 4 Cartes.
5 Viegas, alii quid. 6 Bossuet. 7 Euseb. lib. 4. cap. 6. Hist. Eccles. Idem in Chronico.
8 Num. 24. 17. Vide Euseb. in Chronicon. 9 Dio, lib. 69. pag. 794.
10 Scaliger. Isagog. lib. 3. pag. 311. alii. 11 Euseb. lib. 4. cap. 6.

qua libros, ubi digesserunt traditiones suas, quæ fere Legem omnem, atque Prophetas averterunt. Hæc omnia ex singulorum libidine profecta mihi videntur: nec loquor de illis, qui putant, Ecclesiam pluribus ab hinc sæculis in quamdam Eclypsis speciem incidisse; atque in eadem ad hanc quoque diem versari sub Summis Pontificis Imperio: hujusmodi insanissimi errores contemptu, vel lacrymis potius digni sunt. Generatim Lunæ, vel Solis obscuritas, ingentes calamitates significat. Vide supra c. 6. 12. 13.

℣. 13. AUDIVI VOCEM AQUILÆ.] Hæc est præparatio, vel admonitio ad excitandam attentionem ad ea A mala, quæ nuntiaturi sunt quatuor Angeli, qui nondum tuba personuere. Quod audisti, gravissimum quidem est, sed leve, si cum iis, quæ visurus es, conferatur. Pro *Aquila*, Græcus *Angelum* legit [1]: sed Syrus, Æthyops, & complures optimi MSS. Græci legunt Aquilam cum Vulgata. In quibusdam etiam editionibus [2] his tantum repetitur: *væ*, *væ*. Hæc Aquila *per medium Cœli* volavit, vel per Cœlum; ubi tunc in spiritu S. Johannes aderat ante Thronum Dei: vel per Cœlum, hoc est, aerem, ut homines ea, quæ sibi nuntiabantur, possent audire.

---

1 Ἤκουσα ἑνὸς Ἀγγέλου. Alii plures: Ἑνὸς ἀετοῦ. Ita Steph. 4. Alex. Barroc. Hunt. 1. Sin. Æthiop. Syr. Areth. Victorin. Ambros. Tichon. Beda. Quidam. Ἀγγέλου ὡς ἀετοῦ. Seidel.
2 Aldin. Colinæ. Erasm. Edit. 3. Priores Æthiop.

CAPUT IX.

Tuba quinta. Lapsus stellæ, propter quem Infernus aperitur. Locustæ illinc egredientes. Tuba sexta. Quatuor Dæmones Euphratis catenis soluti. Exercitus ex duplici hominum myriade conflatus. Peccatorum impœnitentia.

1. ET quintus Angelus tuba cecinit: & vidi stellam de cœlo cecidisse in terram,
& data est ei clavis putei abyssi. 2 Et aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus
putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol, & aer de fumo
putei: 3 Et de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est illi potestas,
sicut habent potestatem scorpiones terræ. 4 Et præceptum est illis, ne læderent fœnum
terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: nisi tantum homines, qui
non habent signum Dei in frontibus suis: 5 Et datum est illis, ne occiderent eos
sed, ut cruciarent mensibus quinque, & cruciatus eorum ut cruciatus scorpii, cum percutit
hominem. 6 Et in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam:
& desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. 7 Et similitudines locustarum, similes equis
paratis in prælium: & super capita earum tamquam coronæ similes auro: & facies earum
tamquam facies hominum. 8 Et habebant capillos sicut capillos mulierum, & dentes earum
sicut dentes leonum erant. 9 Et habebant loricas sicut loricas ferreas, & vox alarum
earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum: 10 Et habebant
caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum, & potestas earum
nocere hominibus mensibus quinque: & habebant super se 11 Regem angelum abyssi,
cui nomen Hebraice Abaddon, Græce autem Apollyon, Latine habens nomen
Exterminans. 12 Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ post hæc.
13 Et sextus angelus tuba cecinit: & audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris
aureis, quod est ante oculos Dei. 14 Dicentem sexto angelo, qui habebat tubam:
Solve quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. 15 Et soluti
sunt quatuor angeli, qui parati erant in horam, & diem, & mensem, & annum,
ut occiderent tertiam partem hominum. 16 Et numerus equestris exercitus vicies
millies dena millia. Et audivi numerum eorum. 17 Et ita vidi equos in visione: &
qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas,
& capita equorum erant tamquam capita leonum: & de ore eorum procedit ignis,
& fumus, & sulphur. 18 Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum,
de igne, & de fumo, & sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum. 19 Potestas
enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum. Nam caudæ eorum similea
serpentibus, habentes capita: & in his nocent. 20 Et cæteri homines, qui
non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum,
ut non adorarent dæmonia, & simulachra aurea, & argentea, & ærea, &
lapidea, & ligna, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare. 21
Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a
fornicatione sua, neque a furtis suis.

QUIN-

℣. 1. QUINTUS ANGELUS.] Quasi homines nondum satis puniti fuissent iis plagis, quas superiori capite vidimus, demittit de Cœlo Dominus stellam, quæ de abysso maximam vim locustarum eduxit, quæ terram depopulatæ sunt, hominesque ad eam desperationem redegerunt, ut mortem, tamquam summum bonum concupiscerent, quin voti damnari possent.

Per hanc stellam de Cœlo decidentem, plerique Interpretum [1] intelligunt Luciferum, qui deturbatus de statu gloriæ, & felicitatis, in quo fuerat creatus, a Deo abyssi claves recepit, atque inde tot eliciuit hæreses, & schismata, quæ summum bonis viris horrorem, Ecclesiæ vero gravissimum semper attulere detrimentum. Alii [2] hoc de malis explicant, quibus Judaicus populus affectus fuit. Bossuet Meldensis Episcopus hoc interpretatur de primis hæresibus, quas Judæi perperam conversi conflarunt, qui omnes in id conjurabant, ut Jesu Christi divinitatem penitus tollerent. Qui hanc sententiam inire velit, potest asserere, stellam de Cœlo delapsam indigitasse celeberrimum aliquem eorum temporum hæresiarcham, puta Simonem, Cerinthum, Ebionem, Valentinum, vel ipsum Dæmonem, hæresum omnium Auctorem. Lucifer de Cœlo lapsus est propter suam a Deo defectionem. Hæresiarchæ per apostasiam de gratiæ statu, in quem per baptismum fuerant ingressi, exciderunt in statum teterrimum, quem anima sibi fingere valeat in hac vita mancipata superbiæ, errori, spiritui seductionis, & defectionis contra eumdem Jesum Christum, ut dæmoni, tamquam instrumentum ad aliorum mortalium excidium inserviat. Pro his locustis intelligi denique possunt Barbari, qui in Imperium Romanum irruptione facta [3], gravissima ibi mala pepererunt, post magni Constantini decessum. Reliquiæ idololatrarum, quæ in Imperio vigebant, nondum satis afflictæ fuerant iis bellis, quibus Constantinus competitores suos profligaverat; recentes hostes mittendi erant in illos, a quibus penitus delerentur. Posterior hæc sententia mihi probabilior videtur.

℣. 2. APERUIT PUTEUM ABYSSI [4].] Vel inferni, ubi tamquam in carcere detinentur vicarii satanæ, ministri dæmonis, rebelles Angeli [5]. Erupit statim ex eo puteo teterrimus fumus, symbolum gravissimi odoris, quem impii in terras suis flagitiis effundunt. Sol, & Luna hujus fumi caligine obscurati sunt: pulchritudini Ecclesiæ nebulam quamdam, & dedecus hæresiarcharum errores, & scelera offuderunt. Ethnici, qui veram Ecclesiam ab hisce dæmonis Synagogis dignoscere nesciebant, fidelibus imputabant quæcumque mala deprehendebant in tabidis, putridisque membris, quæ ipsa de suo corpore divulserat. Hoc de omnibus quidem hæreticis potest explicari: sed multo melius convenit illis, qui duobus, vel tribus primis Ecclesiæ sæculis impotenter debacchati sunt: quibus nullos umquam nequiores, ac putidiores vidit Ecclesia: & quorum errores ex Judaicæ superstitionis sinu prodierant.

℣. 3. DE FUMO PUTEI EXIERUNT LOCUSTÆ.] Quas fumus peperisse videbatur. Hæ non erant similes locustis, quæ in agris nostris occurrunt; quippe quibus *data erat potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ*. (℣. 5.) *Et datum est illis, ne occiderent homines, sed ut cruciarent mensibus quinque; ut cruciatus scorpii, cum percutit hominem*. (℣. 7.) *Similes erant equis paratis in prælium*. (℣. 8.) *Et dentes earum sicut dentes leonum erant*. Hæc est pars descriptionis mystici hujus gregis Locustarum, ubi libidinem suam abunde explere poterunt, quibus in deliciis est, conjecturas venditare, & allegoricos sensus perquirere. Potest, quemadmodum diximus, explicari, vel de hæreticis primorum temporum, vel de populis barbaris, quos Deus in Romanorum terras immisit. Intelligi autem nequaquam potest de veris locustis, vel alio insectorum genere, a quibus agri fuerint vastati. Hæ locustæ contra homines tantum mittuntur. Vide infra ℣. ℣. 4. 5. 6.

Nemo unus ignorat in Oriente Locustarum exercitus nonnumquam Provincias quasdam ad excidium fuisse depopulatos [6]: Hostium irruptio numquam majora mala inferebat. Descriptio, quam S. Johannes de hujusmodi insectis exornat, poetica aliquantulum videtur, neque abhorret ab ea, quam Joel c. 2. 1. & sequ. tradit de ejusmodi animantibus, quæ ævo illius Judæam penitus vastarunt, & quæ ille describit, tamquam hostilem exercitum ferro, flammaque agros depopulantem. Hic illius afferam verba, quæ cum S. Johannis vocibus possunt conferri: *Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, quia prope est. Dies tenebrarum, & caliginis: dies nubis, & turbinis: quasi mane expansum super montes populus multus, & fortis*; (loquitur de nube Locustarum.) *Similis ei non fuit a principio, & post eum non erit usque in annos generationis, & generationis. Ante faciem ejus ignis vorans, & post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neque est, qui fugiat eum. Quasi aspectus equorum aspectus eorum, & quasi equites, sic current. Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient, sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium*. Reliqua descriptio eodem stylo est concinnata.

SICUT HABENT POTESTATEM SCORPIONES TERRÆ.] Bochartus ostendit [7], apud veteres tria fuisse Scorpionum genera: alii enim erant in terra, alii in mari, alii in aere. Illi, de quibus loquitur S. Johannes, terrestres erant. Scorpii marini, & volantes cum terrestribus nihil habent commune, præter virulentum aculeum, quem deferunt non in cauda, veluti terrestres, sed in ore, & reliquo corpore. Terrestris scorpius satis notus est. Hæretici pungunt, atque in tenebris suum venenum effundunt, quin aliquis sibi caveat: quemadmodum incautos scorpius ferire consuevit. Hoc animal mortem statim non infert, sed lenta, veruntamen magnis cum suppliciis conjuncta morte, quos pupugit, enecat [8]: *pestis importuna veneni serpentium, nisi quod graviore supplicio lenta per triduum morte conficiunt*. Ita hæresis clanculum irrepit, & lentam, sed certam mortem producit. Auctor libri Sapientiæ cap. 16. 19. de octava Ægypti plaga, locustarum videlicet [9], verba faciens ait: illas morsu quamplurimos homines sustulisse. Ad eam Ægypti plagam S. Johannes istbic plane alludit, & videtur conferre velle has de abysso locustas egressas cum iis, quæ Ægyptios cruciarunt.

℣. 4. PRÆCEPTUM EST ILLIS, NE LÆDERENT FOENUM.] Vulgatæ locustæ pratis, arboribus, & iis omnibus, quæcumque virent, interitum afferunt: earum quippe morsus plantis veneficus est: *multa contacta adurentes, omnia vero morsu erodentes, & fores quoque tectorum*, Plinius inquit l. 2. cap. 29. Illæ vero, de quibus hic sermo, nihil tale faciunt: non enim contra arbusta missæ sunt, sed contra *homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis*. Qui vero signum habent Dei in fronte, hi sunt prædestinati, vel generatim Christiani. Vide supra cap. 7. ℣. ℣. 2. 2. 3. 4. In hoc capite hoc signum pro Martyribus tantum est.

Locustæ, de quibus hic agitur, potestatem non habent, nisi contra inimicos Ecclesiæ, vel reprobos Christianos. Hæc duo objecta Interpretes distinent. Alii pro Locustis intelligunt hostes, quos Deus contra Romanum Imperium excivit: alii vero hæreticos,

1 August. Beda. Primas. Gagnæ. Ribet. Zeger. Med. Cornel. &c. 2 Alcazar.
3 Aureol. Lyran. S. Anton. 1. parte Chronic. tit. 6. c. 1. 4 Quidam omittunt hæc verba. Ita Becoc. Bei. 2. 3. Hunt. 1. Sin Æthiop. Arethas. 5 Judæ vers. 6. & 2. Petri 2. 4.
6 Vide Bochartum de Animal. sacr. tom. 2. lib. 4. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Et nostrum Commentarium in Joel 2. 7 Bochart. de Animal. sacr. tom. 2. lib. 4. cap. 29. 8 Plin. lib. 11. 25.
9 Exod. 10. 5.

quibus permisit Deus, ut Ecclesiam [illegible] impugnarent. In Imperio Romano plerique non deferebant in fronte signum Dei viventis, adhuc erant idolorum cultui mancipati; in Ecclesia vero maximus fuit pravorum Christianorum numerus, qui ab hæreticis falli passi sunt, & qui per Apostasiam deleverunt sacrum illud signum, quod sua erat gloria, & felicitas. Sed priores sensus æquior mihi videtur. Locustæ, si de hæreticis intelligantur, potestatem suam, atque nequitiam præcipue exercuerunt in Christi fideles, in quorum fronte erat Dei viventis character; cum eædem locustæ, si de imperii hostibus intelligantur, in eos præcipue eam facerent, qui illud tueri conabantur, & quorum plerique idolis serviebant.

Cum Julianus Apostata se christianorum hostem professus est, statim patuit, idololatriam extinctam non esse, & odium idololatrarum contra Ecclesiam non aliud fuisse, quam ignem cineribus insepultum. Roma errores suos, & inania numina abjicere non poterat, & Christianæ Religioni accepta referebat ea mala, quibus in dies premebatur. Tyranni, qui insurgebant, vel qui tyrannidem affectabant, Maximus, Eugenius, Eucherius Romanorum animos sibi deliniebant, profitentes, se idololatriæ magis suffragaturos, quam Imperatores, contra quos arma capiebant. Romani Patres, plerique saltem idolis thura adolebant; & Symmachus non semel flagitavit, ut ab Imperatoribus ara victoriæ restitueretur. Roma Ethnicæ superstitionis lue prorsus erat infecta, non secus ac plateæque Imperii Civitates. Hi sunt homines illi Dei viventis charactere nequaquam notati, contra quos locustæ de abysso prodeuntes crudelitatis suæ exercendæ potestatem acceperunt.

Gothi hinc; inde Persæ: hinc Franci, Alemanni, Burgundi; inde Hunni, Itaqui sæpius in imperium irrupere, dum Julianus Jovianus, Valentinianus, Gratianus rerum summam obtinerent. Post hos Alani, Vandali, Svevi, aliique barbari in Gallos impetum fecerunt. Eodem tempore duo Gothi Reges minabantur Italiæ. Radagisus, & Alaricus alter Ethnicus, Christianus alter, sed Ariana hæresi imbutus, Radagisus ducenta hominum millia ducebat: illumque Romani putabant magis timendum propter deorum suorum opem, quam propter vires exercitus ipsius; ille tamen cæsus fuit, ejusque copiæ dissipatæ. Alaricus vero Romam obsedit, & cepit, licet Romani ea in occasione plurima Sacrificia, atque superstitiones adhibuissent. Victor autem in Christianorum Ecclesiis asylum constituit, & Ethnici summæ felicitati acceptum retulere, qui illuc confugere potuerunt.

Deinde vero nominis Romani majestas penitus viluit, Imperium corruit, & quilibet e populis barbaris aliquam partem ex immensa illius ruina sibi vendicavit. Post annos quinque, & quadraginta Gensericus Vandalus Romam iterum diripuit, eamque post paucos annos rursus cepit Erulorum Rex Odoacres. Tandem viginti, vel triginta annorum spatio Roma inter Gothos, ducesque Romanos, qui vicissim eamdem oppugnabant, expugnabantque, pependit; neque cessavit Deus, quo minus illam persequeretur, donec idolorum cultus prorsus interiit. Hæc omnia nequequam continentur in hoc textum, vel & in sequenti capite; sed eorum complementum ad Babylonis usque interitum quærendum est, nempe a capite 10. usque ad capita 18 & 19.

℣. 5. NE OCCIDERENT EOS.] Locustæ Vulgares grave afferunt detrimentum agris, præsertim vero in Oriente, ubi nonnumquam tanta in copia feruntur, ut Soli caliginem videantur offundere. Eminus accedere prospiciuntur, veluti nubes, ac maria transeunt; unde occasionem arripuit S. Johannes dicendi, illas cum teterrimo fumo de abyssi vortice prodiisse: ubi vero recessis incubuere, maximus incedit locustis terror: *Solem*

A *obumbrat, solicitis spectantibus populis, ne suas operiant terras: sufficiunt quippe vires &c.* Verum hoc malum perfunctorium est, & hebdomadas aliquot, vel menses ad summum perstitit; Locustæ enim numquam integrum æstatis anni spatium vivunt [1]. Hæ autem homines afflixerunt *mensibus quinque*; quod magnam quidem diuturnitatem, sed indefinitam significat propter similitudinem locustarum, cui hic mensium numerus appositus est.

NE OCCIDERENT, SED UT CRUCIARENT.] ℣. 6. ita ut *quærent homines mortem, & non invenient: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Satis explicari non potest tædium, mœror, desperatio, quæ hominibus tunc temporis hæc mala incussere. Romanum Imperium eodem ferme tempore undequaque a Barbaris
B circumsessum ita afflictum est, ut illius calamitatem æquissime S. Johannis verba repræsentent. Videri possunt, omissis prophanis Auctoribus, ea, quæ Patres dixere de Gothis, Visigothis, Vandalis, quorum colluvies præcipuas Imperii Provincias inundavit. *Hoc tempore*, ait Ammianus Marcellinus l. 26. c. 5. *velut per universum orbem Romanum bellicum canentibus buccinis, excitæ sævissimæ gentes; limites sibi proximos persultabant.*

℣. 7. SIMILES EQUIS PARATIS AD PROELIUM.] Joel cap. 2. 4 eamdem instituit similitudinem, loquens de veris locustis, quæ ævo suo Judæam vastarunt. Nemo nescit, Locustarum caput ab equinis capitis ferme non longe abhorrere, earumque saltum ab equorum gradario cursu non esse dissimilem. Itali eas vocant *Ca-*
C *valette*: & Job plane ad hoc alludit, cum ait cap. 39. 20. *Numquid suscitabis eum*, equum videlicet, *quasi locustas?* Illæ, de quibus S. Johannes verba facit, sunt locustæ mysticæ equitatum exhibentes. Si de hæreticis hoc intelligatur, facile explicari poterit. Equus animal est ferox, bellax, & audax. Hic vero est hæreticorum character.

SUPER CAPITA EORUM TANQUAM CORONÆ.] Nonnihil simile videtur in Locustis vulgaribus; sed illæ, de quibus hic agitur, barbari populi, qui se in Imperium effuderunt, Reges habebant suos, coronam capite deferentes. Populi illi Romano minime parebant Imperio, & diversa Regna cum in Africa, tum in Europe constituerunt.

℣. 8. HABEBANT CAPILLOS TANQUAM CAPILLOS
D MULIERUM.] Populi, de quibus est sermo, ii præsertim, qui ex transrhenanis Regionibus irruerant, oblongam cæsariem deferebant, eaque apud illos Regiæ dignitatis nota quædam erat. Ex Talmudistis, & Arabibus Auctoribus Bochartus [2] ostendit, non deesse quamdam locustarum speciem, quæ villosæ sunt, & quodam pilo refertæ.

DENTES EARUM.] Leo terribiles habet dentes. Locustæ durissimum etiam lignum, & domorum januas rodunt [3]: *omnia morsu rodentes, & fores quoque tectorum.* Populi barbari, qui Romanum Imperium invasere, omne Leonis robur, voracitatem, & sævitiam habebant.

℣. 9. HABEBANT LORICAS.] Locustarum figura belle congruit. Earum tergum, & pectus lorica qua-
E dam, vel testa septum est [4]. Hostes, de quibus loquimur, omni armorum genere erant induti.

VOX ALARUM.] Liquet, locustas magno cum stridore per aerem ferri, præsertim vero cum magna in copia prætereolant: *tanto volant pennarum stridore, ut aliæ alites credantur*, Plinius ait l. 11. c. 29. Quinam autem credendus est fuisse tumultus, & fragor exercituum barbarorum ex universo populo, mulieribus, puerisque coalescentium? Quinam strepitus, qui terror iis in provinciis, quas populi illi pertransibant?

℣. 10. CAUDAS SIMILES SCORPIONUM.] Locustarum cauda aliquam habet cum cauda scorpionis similitudi-

1 Plin. lib. 11. cap. 29. *Vergiliarum ortu parere; deinde ad canis ortum obire, & alias renasci. Quidam arcturi occasu renasci; mori matres cum pepererint, certum est. Eodem tempore mares obeunt.*
2 Bochart. de Animal. sacr. tom. 2. lib. 4. cap. 2. 3 Plin. lib. 11. cap. 29. 4 Claudian. de Locustis loquens,
Cognatus dorso durescit amictus,
Armavit natura cutem.

tudinem : sed venenum non infert, cum scorpionis caude, Plinio referente l. 11. c. 25. *semper in ictu est, nulloque momento meditari cessat. ne quando desit occasioni.* Exercitus in Imperii Provincias effusi, post se vastitatem, famem, solitudinem relinquebant. Hæc vocari potest harum locustarum cauda. Addit S. Joannes, his insectis esse potestatem *nocere hominibus mensibus quinque*; hoc est diu; locustæ enim non satis diu vivunt.

℣. 11. Habebant super se Regem.] Hic locus in paucis suffragatur iis, qui hæc omnia de Hæreticis explicant, quorum pater, & Rex non alius est, quam Dæmon, Angelus abyssi. Verum si ab eo systemate, quod hactenus proposuimus, nolimus recedere, hic locus nobis ostendit, quænam esset horum hostium religio, quorum arma adhibuit Deus ad Romanorum superbiam conterendam, atque apud illos Idolorum cultum evertendum. Gothi, Vandali, Franci, Germani, gentiles erant cultu, & dæmonem tanquam Deum venerabantur. Plerique mox in Christianæ religionis castra sunt ingressi, nec modicum profuere, ut Evangelium latius diffunderetur : sed hoc non nisi serius evenit.

Cui nomen Hebraice Abaddon, Græce autem Apollyon.] Infernus ab Auctoribus Græcis nonnunquam *Abaddon* vocatur [1]; dicunt enim, in Inferno duos esse locos finitimos quorum alter *Scheol*, *Abaddon* alter nuncupatur. Ex priori illo post aliquot sublatas pœnas exitus patet; non ita ex posteriore. *Abaddon* etiam dæmonem vocant, eaque vox significat [2] perdentem, exterminantem; quod ipsum Græca vox *Apollyon* indigitat, & inferno, atque Principi tenebrarum potest convenire.

℣. 13. Sextus Angelus tuba cecinit : et audivi vocem unam ex quatuor cornibus Altaris aurei,] videlicet thymiamatum, quod erat in Sancto *ante oculos Dei*; Thronus enim Domini in penitiori Sanctuarii parte positus erat. S. Joannes hic aureum Altare nobis exhibet tanquam anima, & voce præditum, Prophetarum more vitam iis omnibus tribuentium, de quibus verba faciunt. Primum quidem animæ vel corpore Sanctorum Martyrum sub Altare holocaustorum clamabant [3]; nunc vero ipsum clamat aureum Altare, tanquam contra persecutorum scelera irritatum.

℣. 14. Solve quatuor Angelos.] Hi quatuor Angeli, qui nobis exhibentur tanquam custodes positi finium inter Romanorum atque Parthorum imperia, prohibentes, ne duo hi populi in arma concurrerent; statim ac solvuntur, in horam, & diem, & mensem, & annum prænotatos, & in Dei consiliis decretos bellum exarsit, & quatuor Angeli, vel potius milites, qui sub eorum nomine designantur, tertiam partem hominum occiderunt. Hoc itaque agitur, ut in historia post Constantini Regnum bellum inveniatur a Romanis, & Parthis secus Euphratem fluvium bellatum; in quo utrinque tertia pars hominum ceciderit. Superioribus versiculis illud vidimus bellum, quo barbari ex ultimo Occasu egressi Urbem Romam, & Occidentis Provincias afflixerunt; hic vero in Orientem rapimur, ut ibi aliquid simile intueamur.

S. Joannes satis plane Parthos designat ℣. 17. *Vidi equos in visione, & qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, et sulphureas* &c. Satis patet, eos populos præstantissimos equites fuisse. Aliud etiam addit, quo mirum in modum ab aliis distinguuntur, quod videlicet & ore, & cauda a fronte & a tergo interficiunt; Parthi enim non æquanda dexteritate arcu, & sagittis, cum ante pectus, tum post terga uti consueverunt. Virgilius Georgic. 3.

Fidentemque fuga Parthum, versisque sagittis.

Quatuor Angeli, qui utriusque Imperii fines tuebantur; videlicet hinc quidem Romanorum, inde Parthorum præsidia in pace, & quasi catenis vincta ab initio Imperii Constantini, usque ad exitum ejusdem permanserunt; nempe ab anno Jesu Christi 320. usque ad 337. vel etiam ab anno 297. quo Narses Rex eorum insigni clade cæsus fuerat a Maximiano Galerio, usque ad 337. quo Sapor ex Constantino petiit quinque Provincias ad Tigrim, quas Narses illi cedere fuerat coactus. Constantinus anno eodem, cum Saporem bello coercere meditabatur, ad plures abiit, & Constantius illius filius inceptum contra Persas bellum persequi coactus fuit. Bellum hoc tandiu perstitit, quandiu ille regnavit, & semper æquo Marte pugnavit, si penes assentatores aliquos fides est : verum Libanius Orat. 12. e contra ait, Imperatori huic satis fuisse quotannis copias suas ad Imperii fines educere, quin vel cum hoste conserere, vel illius victorias auderet retardare.

Julianus dictus Imperator cum magnis copiis contra Persas profectus est, sed iniquissimo pugnavit marte, eoque sublato ab exercitu electus fuit Jovinianus Imperator, qui defuncto succederet. Hic tamen cum se videret sine commeatibus in hostili terra, & hostilibus copiis circumseptum, coactus fuit cum Persis inire pacem Romano nomini ingloriam, sed afflictis rebus necessariam. Pax in annos triginta sancita fuit, & Imperium toto belli hujus tempore, ab anno videlicet 337. usque in annum 363. nihil satis dignum majestate sua obtinuit; immo dum hæc hostilia gererent, maxima vis militum interiit, atque affirmari potest, S. Joannis Prophetiam ad litteræ apicem fuisse adimpletam, ac *tertiam partem* Romanarum legionum absumptam fuisse *igne* belli, *fumo*, morbo, & *sulphure*, nimio videlicet Cœli ejus calore. At descendamus aliquando ad textus nostri examen, ab hoc systemate non recedentes.

℣. 16. Numerus equestris exercitus vicies millies dena millia.] Græca quædam exemplaria quin afferant numerum militum, legunt [4] *Myriades* & S. Epiphanius : *myriades, et millia millium*; Numerum certum, et definitum pro incerto et indefinito, qui significat Persarum exercitus frequentissimos. Videtur tamen S. Joannes innuere, numerum hunc certum esse [5]; addit enim : *audivi numerum eorum* [5]; et credi potest Spiritum Sanctum illi revelasse certum copiarum numerum, quæ toto ejus belli tempore in castris fuere ab anno 337. ad 363.

℣. 17. Vidi equos in visione.] Persarum equitatus apud antiquos insignis fuit; ita equitare consueverant, ut nonnisi in equis publica et privata obirent officia [6]. Idem Persarum nomen Hebraice *Pharas* ab equis, vel equitando profectum videtur.

Habebant loricas igneas.] Loricæ equitum, quos S. Joannes vidit, erant vel ignei coloris, vel cærulei exuberantis, vel violacei pallentis, qualem emittit sulphur accensum. Veteres passim discolori filo contextas loricas deferre consueverant; Persæ vero præsertim quemadmodum ex Xenofonte l. 6. Cyroped. innotescit; utebantur etiam loricis ex metallo, quas fortasse colore aliquo imbuebant, ut facilius distinguerentur.

Capita equorum erant tanquam capita leonum.] Celeberrimi sunt equi regionum, quæ alluuntur Euphrate, quibus Appiano teste, earum Provinciarum populi in leonum venatu maxime utuntur; pernicissimæ enim sunt celeritatis, et Leonis aspectu non terrentur.

1 Liber Zohar apud Drus. *Apud inferos duæ sunt regiones contiguæ Scheol* שאול, *& Abaddon*, אבדון *Ex illa homines pœna persoluta tandem subducuntur; ex hac numquam liberantur.* 2 Liber Aruch. Vide Grot. Drus. Capell. 3 Apocal. 6. 9. 4 Τῦ ἱππικῦ δύο μυριάδες μυριάδων. Quidam : ἱππῶ, vel ἱππικῶ μυριάδες μυριάδων. Ita Steph. α. ια. Sin. Hunt. 1. Seidel. Cov. 2. Arab. Alii quidam. Epiphan. hæres. 51. cap. 34. Ἱππικαῖ μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων. 5 Æthiops, & Arabs omittunt hæc verba.
6 Xenophon. lib. 8. Cyropæd. Οὐδὲν ἂν πεζῇ ἰδεῖν ... Hieronym. in Jerem. 12. *Juxta historiam omnis Persis, & universa Chaldæa & regionum illarum exercitus, gaudet equitatum.* Justin. lib. 41. *Equis omni tempore vectabantur. Illis bella, illis convivia, illis privata & publica officia obibant.*

℣. 18. AB HIS TRIBUS PLAGIS.] Tertia pars hominum cæsa fuit igne, fumo, et sulphure, ex equorum ore egredientibus. Diximus jam, *igni bellum* indigitari posse; eos nempe, qui ceciderunt in prælio. *Fumus, et sulphur* designare possunt vel famem, vel pestem, vel alios morbos, quos commeatuum charitas, et Cœli calor parere consuevit. Optimi etiam Poetæ magnificas has S. Joannis locutiones imitati sunt. Virgilius Georgic. 3.

Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Et Silius Italicus l. 7.

Prima in cornipedis sedit spirantibus ignem
Naribus hasta volans.

Et Claudianus in 4. Consul. Honor. etc.

Ignescunt patulæ nares &c.

Job 39. 20. *Gloriam narium ejus terror.* Nahum 2. 3. *Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis, ignea habena currus* etc.

POTESTAS EORUM IN ORE, ET IN CAUDIS.] Veteres unanimi consensu docent [1], Persas, et Parthos a teneris usque unguiculis ita consuevisse, ut arcum tenderent, et sagittas jacularentur, quam ob rem præstantissimi sagittarii ferebantur: neque minori arte post terga et fugientes quam ante pectus, et lacessentes hostes ipsos petebant. Virgilius Georgic. 3.

Fidentemque fuga Parthum, versisque sagittis.

Et Horatius l. 1. Ode 19.

Et versis animosum equis Parthum.

Ita equites vel equi isti et capite, et cauda æque terribiles erant. *Caudæ eorum similes serpentibus*, caudis nempe scorpionum, illac virus suum emittentium. *Habentes capita & in his nocent* [2]; Eorum caudæ habent capita; hoc est fugientes etiam lacessunt, ac vulnerant, quasi facie ad faciem congrederentur. Hæc est repetitio eorum, quæ paulo superius dicta sunt.

℣. 20. ET CÆTERI HOMINES.] Non populorum Barbarorum irruptiones in Occidentis Provincias, non bella contra Parthos Imperio tantopere luctuosa omnino idololatriam evertere, et ad Deum compellere potuerunt Ethnicos tot tantisque calamitatibus superstites. Plurimi adhuc superfuerunt idololatræ, et impii, qui ℣. 21. *non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis.* His nominibus cætera etiam delicta complectitur.

---

1 Xenophon. lib. 1. Cyropæd. Curt. lib. 7. Justin. lib. 41. Herodot. lib. 1. Strabo. lib. 15.
2 Αἱ γὰρ οὐραὶ αὐτῶν ὅμοιαι ὄφεσιν, ἔχουσαι κεφαλάς. Καὶ ἐν αὐταῖς ἀδικοῦσι.

CAPUT X.

Angelus de Cœlo descendit, habens in manu librum. Septem tonitrua. Non erit amplius tempus. Mysterium Dei, quod est adimplendum. Liber voratus dulcis, & amarus.

1. ET vidi alium Angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite ejus, & facies ejus erat ut sol, & pedes ejus tamquam columnæ ignis, 2 Et habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram: 3 Et clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas. 4 Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram: & audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Signa, quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere. 5 Et angelus, quem vidi stantem super mare, & super terram, levavit manum suam ad cœlum: 6 Et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum, & ea, quæ in eo sunt, & terram, & ea, quæ in ea sunt; & mare, & ea, quæ in eo sunt: Quia tempus non erit amplius: 7 Sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei sicut evangelizavit per servos suos Prophetas, 8 Et audivi vocem de cœlo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu angeli stantis super mare, & super terram. 9 Et abiit ad angelum, dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe librum, & devora illum: & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel. 10 Et accepi librum de manu angeli, & devoravi illum: & erat in ore meo tamquam mel dulce; & cum devorassem eum, amaricatus est venter meus. 11 Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.

℣. 1. VIDI ALIUM ANGELUM FORTEM] ex numero Potestatum, et Dominationum Cœlestium. Vide supra cap. 5. 2. Angelus hic nequaquam ille est, qui septima tuba est personaturus. Visio hæc est quoddam veluti intermedium, quod inter sextam septimamque tubam S. Joanni Dominus ostendit; fortasse ut illi causam demonstraret, quæ Dei iram in Romanum Imperium succenderet, antequam describeret effectus hujus iræ, et ultionis quam cepit Deus de Roma Sanctorum carnifice, atque turpissima meretrice. Non semel jam adnotavimus, Deum sæpe sub varia imagine Prophetis idem argumentum exhibuisse, seu ut illud eorum animo magis inhæreret, seu ad majorem rei certitudinem, et ne quis dicere auderet, ea fortuito prædicta fuisse, et eventum ex casu mere fuisse profectum. Imperatorum contra Eccle-

clesiam persecutiones, Denique ultio contra persecutores sæpe adeo hic iterantur, ut nemo æquus existimator queat inficiari, illud fuisse magnum Prophetiæ hujus argumentum.

Angelus, qui nobis isthic exhibetur, ex plurimorum Interpretum sententia [1], ipse est Jesus Christus. Potestas, qua indutus est, fulgor, quo nitet, splendor faciei ipsius, iris, qua caput ejus redimitum est, præ simplici Angelo majus aliquid innuunt. Capite 11. ℣. 1. loquitur tanquam Deus: *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt amicti saccis*. Credunt alii [2], ab hoc Angelo Jesum Christum nobis exhiberi, quemadmodum per S. Michaelem ad Moysem in deserto loquutus est, & per alium Danieli apparuit. Tenent alii denique [3] simplicem fuisse Angelum in terras missum ad annuntiandam Diocletiani persecutionem, & significandum, Deum illi terminos impositurum, eamque, ubi e re censuerit, cohibiturum.

Descriptio, quam S. Joannes exornat de hujus Angeli forma & luce, qua circumdatus est, fortasse mysterio non caret; sed cum ad Prophetiam minime referatur, & nihil, nonnisi e divinantibus, afferri possit, satius ceor hoc præterire, & integrum iis relinquere, quibus res hujusmodi vestigare est in deliciis.

℣. 2. HABEBAT IN MANU LIBELLUM APERTUM.] Hic liber ea continebat, quæ a S. Joanne deinde narrantur. Apostolus eum comedit, deglutivit, eoque se replevit; Et liber in illo fuit tanquam symbolum luminum, & cognitionum supernaturalium, quibus Spiritus Sanctus illum intrinsecus illustrabat. Apertus autem liber erat, ut ostenderet, latam jam esse sententiam, & jam jam adimplendam.

POSUIT PEDEM SUUM DEXTRUM SUPER MARE.] Hoc significat, corporis illius habitum longe humano fuisse majorem: situs vero illius indigitabat ea, quæ Dei nomine annuntiabat; & terram simul, & mare, æque continentem, & insulas respicere; quod satis aperte exprimitur ℣. 6. terra enim, & mare pro universo Mundo memorantur. Hoc tamen juxta eorum temporum consuetudinem est intelligendum de toto Romanorum Imperio, quod Imperium Terrarum Orbis appellabatur.

℣. 3. CLAMAVIT VOCE MAGNA] tanquam præco de Cœlo missus, ut hominibus supremi Judicis decretum significaret. *Et cum clamasset, loquuta sunt septem tonitrua voces suas*. At quid illa dixerint, nos latet; cum enim (℣. 4.) S. Joannes scripturus esset quod illa dixerant, audit de Cœlo vocem: *Signa, quæ loquuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere*. Hæc autem signata, & ignota permanere debent usque in tempus, quo Deo eadem revelare placuerit. Confer hunc locum cum Daniele 8. 26. *Tu ergo visionem signa*; & 12. 4. *Signa librum usque ad tempus*.

℣. 5. ET ANGELUS .... LEVAVIT MANUM SUAM.] Angelus, qui altero pede terræ, altero mari innixus erat ℣. 2. *levavit manum suam ad Cœlum*, ut solemne jusjurandum juraret ℣. 6. *& juravit ...... quia tempus non erit amplius*, nulla erit amplius mora, nulla tergiversatio [4]. Quod vobis annuntiandum est, quamprimum accidet. Hoc non est tanquam eæ visiones quæ post diutinum temporis spatium sunt adimplendæ [5]; id enim omnino proximum est. Daniel cap. 12. 7. fere similem nobis figuram proponit, cum ait: *Angelum, qui stabat super aquas fluminis, cum elevasset dexteram; & sinistram suam in Cœlum juravisse per viventem in æternum, quia in tempus & tempora, et dimidium temporis*, quia videlicet quæ portendebat, tres annos cum dimidio erant permansura. Hic vero jurat Angelus, nullum fore intermedium tempus vel moram inter ea

A quæ annuntiat, & eorum eventum; & ℣. 7. *in diebus vocis septimi Angeli cum cœperit tuba canere* (infra Cap. 11. ℣. 15.) mysterium Dei esse adimplendum [6].

Videbimus infra, quodnam sit hoc mysterium. Generatim non aliud esse videtur, nisi Ecclesiæ glorificatio, & finis persecutionum, quas pluribus in locis Prophetæ prædixerant; jure enim affirmari potest, post Incarnationis, & mortis Dominicæ mysterium illos nulli rei magis vacasse, quam Ecclesiæ institutioni, & Gentilium populorum ad Evangelium conversioni; quod præsertim innotescit ex iis omnibus, quæ de Babylonis captivitate, de reditu ex eadem, ac de temporibus, quæ eamdem subsequuta sunt, portenderunt. Bella a Nabuchodonosor, & Antiocho Epiphane contra Judaicam Ecclesiam bellata, symbola eorum fuerunt, quæ Christiana Ecclesia ab Ethnicis erat perpessura: quemadmodum status, qui bella eadem subsequutus est, imago est illius, qui persecutiones contra Jesu Christi Ecclesiam excitas erat subsequuturus.

℣. 8. AUDIVI VOCEM DE COELO,] quam jam audiveram supra [7] ℣. 4. Hæc iterum loquuta est, & jussit, me libellum de manu Angeli accipere, quem cum ab eo petiissem ℣. 9. illum dedit mihi dicens, hunc in ore meo suavem, sed amarum in ventre futurum. Hoc ipsum olim acciderat Ezechieli, quem jussit Deus oblatum volumen comedere [8], quod quidem in ore illius mellis instar fuit dulce; licut non affirmet, amarum in ventre fuisse. Profecto rerum earum, quas comedimus, ubi in abdomen lapsæ sunt, gustum non percipimus, nisi fortasse nauseam cieant, & vomitus pruriginem. Gustus unice sedet in lingua: verum cum aliquid acre, & amarum deglutitum est, hoc sæpe stomachum lacessit, & nauseam creat, quod plane hoc in loco S. Joannes indigitat. Dulcedo, quam hic liber in ore parit, significat voluptatem, qua justi perfunduntur, videntes Dei justitiam aliquando enitescere, ejusque ultionem in impios exerceri. *Lætabitur justus cum viderit vindictam*, Psalmista ait psal. 57. 11. *manus suas lavabit in sanguine peccatoris, et dicet homo: si utique est fructus justo; utique est Deus judicans eos in terra*. Sed eodem tempore liber hic intrinsecus dolorem peperit, ut innueret afflictionem, qua afficitur, videns tot malorum interitum [9]; *usque quo Domine irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus? effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt: et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt*, Psal. 78. 5.

Aliter hic liber complectebatur, & persecutiones, quas Ecclesia erat passura, & victoriam, quam de hostibus lata erat relatura. Duo hæc objecte, quorum alterum triste, alterum lætum est, hoc in loco indigitantur, & dulcedine, quam liber in ore peperit, & amaritudine, quam in stomacho produxit [10]. Dulces epulæ sæpe in bilem, & amaritudinem immutantur. Horat. Satyr. l. 2. Sat. 2.

Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum,
Lenta feret pituita.

Mel invenisti, Sapiens ait Prov. 25. 16 *comede, quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud*

℣. 11. OPORTET TE ITERUM PROPHETARE GENTIBUS,] quemadmodum dictum fuit Jeremiæ c. 18. *ego dedi te hodie in Civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram Regibus Juda, Principibus ejus, & sacerdotibus, et populo terræ*. Et S. Paulus missus fuit, *ut portet nomen Dei coram gentibus, et Regibus, et filiis terræ*, Act. 9. 15. Ita etiam Apocalypsis, vel S. Joannis prophetia non erat pro fidelibus solum, verum etiam pro gentilibus populis. Contra novissimos hos vaticinabatur, & Christianis calamitatem, & libertatem suam annunciabat, persecutiones,

quas

1 Primas. Beda, Richard. Zegar. Piscat. Corter. Duebam. Med. Morus, Gahn & alii plures.
2 Vide Grot. 3 Andreas, Areth. Viegas, Ribera, Claves, 4 Ita Gent. Cornel. Hammond. Cluver. Bossuet, Ligfoot. alii passim. 5 Vide Apoc. 6. 11. 7. 1, 2 3. &c. Dan. 10 13. *Adhuc visio in dies*. Num. 24. 17. *Videbo eum, sed non modo; considerabo illum, sed non prope*. &c.
6 Græc. Καὶ τελεσθῇ τὸ μυστήριον τοῦ Θεοῦ. Alii e Ετελέσθη. *Consummatum est mysterium Dei*. Alii: Τελεσθήσεται, *consummabitur*. Vulg. Syr. Arab. Æthiop. 7 Græc. Καὶ ἡ φωνὴ ἣν ἤκουσα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πάλιν λαλοῦσα μετ᾽ ἐμοῦ, &c. 8 Ezech. 3. 1. 3 3. 9 Vide Riber. Cornel. Bossuet. 10 Du Pin, hic.

quas erant passuri, & victoriam, quam erant relaturi. S. Victorinus in commentario suo in hunc librum ait, S. Joannem exulem in Insula Patmos, & senectute jam prope confectum sperasse quam primum se laborum suorum finem visurum; sed illi Deum revelasse, eidem adhuc coram populis, & Regibus esse prophetandum, quod innuebat, illum quam primum revocandum esse, quemadmodum profecto brevi accidit.

CAPUT XI.

S. Joannes metitur templum. Sancta Civitas gentilibus tradita in tres annos cum dimidio. Prophetæ duo potestatem habentes in universo mundo. Eorum mors, & resurrectio. Magnæ Civitatis excidium. Gaudium Sanctorum, quod JESU CHRISTI regnum advenerit.

1\. ET datus est mihi calamus similis virgæ, & dictum est mihi: Surge, & me-
tire templum Dei, & altare, & adorantes in eo. 2 Atrium autem, quod
est foris templum, ejice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum est
Gentibus, & civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus. 3 Et da-
bo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti
saccis. 4 Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra, in conspectu Domini terræ stan-
tes. 5 Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit
inimicos eorum: & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. 6 Hi
habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & pote-
statem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere terram om-
ni plaga, quotiescumque voluerint. 7 Et cum finierint testimonium suum, bestia,
quæ ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, & vincet illos, & occidet
eos. 8 Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiri-
tualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est. 9 Et vide-
bunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus, corpora eorum per tres
dies & dimidium, & corpora eorum non sinent poni in monumentis. 10 Et in-
habitantes terram gaudebunt super illos, & jucundabuntur: & munera mittent invi-
cem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant super terram.
11 Et post dies tres & dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos. Et stete-
runt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos. 12
Et audierunt vocem magnam de cœlo, dicentem eis: Ascendite huc. Et ascende-
runt in cœlum in nube: & viderunt illos inimici eorum. 13 Et in illa hora fa-
ctus est terræmotus magnus, & decima pars civitatis cecidit: & occisa sunt in ter-
ræmotu nomina hominum septem millia: & reliqui in timorem sunt missi, & de-
derunt gloriam Deo cœli. 14 Væ secundum abiit: & ecce væ tertium veniet cito.
15 Et septimus angelus tuba cecinit: & factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes:
Factum est regnum hujus mundi Domini nostri & Christi ejus, & regnavit in sæ-
cula sæculorum: Amen. 16 Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei se-
dent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Deum, dicentes:
17 Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui
venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti. 18 Et iratæ sunt
Gentes, et advenit ira tua, et tempus mortuorum judicari, et reddere mercedem
servis tuis Prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum pusillis, et magnis,
et exterminandi eos, qui corruperunt terram. 19 Et apertum est templum Dei in
cælo: et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, et facta sunt fulgura, et voces,
et terræmotus, et grando magna.

ỳ. 1. DATUS EST MIHI CALAMUS SIMILIS VIRGÆ.] Angelus, qui S. Joanni librum obtulit comedendum, nihil illi peculiare aperuit; dixit tantummodo, mysterium Dei quamprimum esse adimplendum, quemadmodum Prophetæ prædixerant. Cæterum jussit, illum signare prophetiam suam, eamque nondum promulgare, quod in posterum erat faciendum. Postmodum illi tribuitur exapeda, vel mensorius baculus [1], ut olim Ezechieli [2], quo Templum, & Altare metiretur. Ezechiel Templum jam dirutum dimensus est,

[1] Vero simillimum est, hanc virgam ei datam fuisse ab Angelo, neque ab eo[?] facile, qui ei præceperat, ut librum comederet. Quidam MSS. habent: Ἐδόθη μοι κάλαμος ὅμοιος ῥάβδῳ, καὶ εἱστήκει ὁ Ἄγγελος λέγων, ἔγειρε, &c. Ita Steph. a. Cod. Mod. Mori, & Leicestr. Edit. aliqua Syr. [2] Ezech. 40. 3. *Calamus mensuræ*

est, ut Hebræis captivis certam spem conferret, sanctum illud ædificium instauratum iri, & captivitati finem imponendum esse eo tempore, quod Prophetæ prædixerant. Hic idem ferme accidit. Templum, quod S. Joannes metitur, designat Ecclesiam[1], quæ quidem affligetur, vexabitur, non tamen polluetur, neque evertetur. Gentiles exteriora illius atria ingredientur, sancta Civitate potientur, sed ad breve tempus dumtaxat; Deus omnibus hujusmodi malis finem imponet. Ex Orationis decursu hæc spectare videntur ad persecutiones Ethnicorum contra Ecclesiam, præsertim vero ad Diocleriani tyrannidem[2], quod fusius visuri sumus.

METIRE TEMPLUM, ET ALTARE.] Templum isthic usurpatur pro Sanctuario Sancto, & atrio Sacerdotum, ubi erat Altare holocaustorum. Neque enim metitur Apostolos Atrium populi, quod erat extrinsecus, & ante Sacerdotale, eo quod gentilium nequitiæ traditum erat.

Cum jubetur S. Joannes Templum metiri, *et adorantes in eo*; hoc est Sacerdotes, Levitas, & Fideles, qui mundati sunt, & digni, ut ingrediantur atrium Interius, suas victimas oblaturi, ne credideris, illum homines mensum fuisse; eos enim numeravit, sed mensus est locum, ubi illi erant. Cum S. Joannes scriberet, Templum Jerosolymitanum non erat amplius; septem enim, & triginta effluxerant anni, ex quo a Romanis eversum corruerat; sed illi non secus, ac Ezechieli quasi adhuc existens exhibetur; illuc in spiritu translatus fuit, & Deus illi Templum ostendit, tanquam Christianæ Ecclesiæ figuram.

℣. 2. ATRIUM, QUOD EST FORIS TEMPLUM[3], EJICE FORAS.] Hoc atrium pars erat Templi totius, sed sacri loci habita ratione erat exterius. Materiales designabat Ecclesias, quæ in Christiana religione semper habitæ fuerunt dumtaxat tanquam aliquod additamentum, quo cultus spiritualis, & verus, ad quem instituendum Jesus Christus accessit, carere posset, & quo re ipsa diutius caruit. Primis temporibus, cum ex Martyribus quæreretur, ubinam esset Templum eorum, illud ubique esse respondebant; Deum Cœlum Terramque replere; quocumque in loco qui mundi sunt corde, eidem gloriam, & honorem deferre[4]. Ferunt, Christianos nonnisi sub annum Jesu Christi 230. post Tertullianum, & Severi persecutionem publica Templa habuisse: neque negotium facessere debet ulli, quod permiserit Deus, sub Diocleriano[5] delubra sua ab Ethnicis dirui: Non enim in hoc verum Dei Templum consistit, sed fidem, interiorem cultum, charitatem respicit Deus, eosque in fidelibus suis conservat, cum interim persecutoribus Ecclesiarum materialium cæmenta, atque trabes relinquat.

CIVITATEM SANCTAM CALCABUNT MENSIBUS QUADRAGINTA DUOBUS,] hoc est tribus annis cum dimidio. Et sane ab initio persecutionis inceptæ anno 303. octavo Kalendas Martij usque ad initium Constantini anno 306. octavo Kalendas Augusti tres anni cum dimidiato effluxerunt. Constantinus autem in ipso Imperii sui exordio pro Christi fidelibus proposuit edictum[6]: & post tertium mensem, ex quo Constantinus Imperator fuerat inauguratus, cum Maxentius etiam eumdem Romæ titulum induisset, præcepit etiam, ut persecutio contra Christianos omnino desineret[7].

℣. 3. DABO DUOBUS TESTIBUS MEIS,] vel duobus martyribus meis, qui sunt *amicti saccis*, qui in dolore, squalore, luctu, pœnitentia vitam traducunt, *et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*, hoc est tribus annis, & dimidio persecutionis, de quibus nuper locutus est. Duodeviginti circiter[8] desunt dies, ut anni tres, & dimidiatus compleantur; verum sciendum est, S. Joannem hic ea uti recensione, cui Hebræi in rebus sacris consueverant, & quam a veteribus Prophetis traditam acceperant, qui prophetiarum suarum tempus secundum anni sancti rationem notabant. Eo autem tempore Judæi menses Lunares habebant, quorum singuli tricenis diebus constabant, pro dierum festorum celebratione. Vide nostram de chronologia dissertationem, Genesi præpositam.

Cæterum hi duo testes in hypothesi nostra nequaquam indigitant duos peculiares viros, sed omnem martyrum summam designant, qui in Diocletiani persecutione Jesum Christum confessi sunt. Eorum alii in Oriente, alii in Occidente martyrio coronati sunt; alii ex numero gentilium ad fidem conversorum, alii ex multitudine Christianorum Hebraizantium. Duo populi in Jesu Christi Ecclesia simul coaluerant; duo illi testes duos hosce populos indigitant. Quidam veritati testimonium perhibuerunt, bona sua relinquentes; quidam vitam suam effundentes; Alii sacris erant initiati, alii ex grege populi. Jesus Christus testes habuit & Martyres, columnas Ecclesiæ, & Prophetas ex omni hominum conditione. *Propheta* nomen hoc in loco significat hominem divino repletum spiritu, verbum illius prædicantem, testimonium veritati perhibentem.

Civitas Sancta, in cujus medio prophetant, est Ecclesia: hæc gentilibus, & persecutoribus traditur in tres annos cum dimidio; qui extrinsecam illius sanctitatem polluunt, atque conculcant, non permittente Deo, ut illi contra sanctuarium, atque Templum interius prævaleant. Sancti inter gravissimas persecutiones victores sunt; Martyrum sanguis fit semen Christi fidelium, & Ecclesia nunquam gloriosior, vel integrior fuit, quam cum majoribus fuit afflictata calamitatibus.

Trium annorum cum dimidio persecutionis diuturnitas videtur in ea, qua Macchabæorum ævo Antiochus Epiphanes Judæis intulit[9], & quæ figura fuit persecutionis Diocletiani contra Fideles. S. Joannes infra cap. 12. ℣. 6. & 14. ait, Ecclesiam, dum eam persequerentur, in desertum recessisse, ubi *alitur per tempus, & tempora, et dimidium temporis*; hoc est, *diebus mille ducentis sexaginta*, qui efficiunt tres annos cum dimidio, si dies triceni in singulos menses numerentur, quæ tunc erat Judæorum consuetudo, saltem in sacris. Vide etiam Caput 13. 5. ubi bellum sanctis inferendum sæviturum dicitos menses duos, & quadraginta, quod idem est ac dies mille ducenti sexaginta, vel anni tres cum dimidio.

Patres, & Interpretes[10] pro duobus hisce Prophetis vulgo intellexerunt Henoch, & Eliam; neque ambigimus, quo minus sub Mundi finem, & ante novissimum judicium se ipsa in Ecclesia prodituri sint, Fideles contra vires Antichristi confirmaturi. Sed antequam hoc re ipsa contingat, in figura sæpius accidit in sanctis viris, qui cum variæ Ecclesiæ persecutiones grassarentur, fidem atque constantiam suam contra veritatis inimicos insignibus monumentis probatas reliquere.

℣. 4. HI SUNT DUÆ OLIVÆ.] Locus hic concinnatus est ad imitationem Zachariæ, 4. 14. ubi loquens de Zorobabel, & Josue, alter quorum caput erat, & alter summus Judæorum Sacerdos, ait, illos per visionem sibi exhibitos fuisse sub imagine duorum candelabrorum septem ramos habentium cum lampadibus septem, in quas ex duabus olivis non procul positis oleum influebat. Duo testes, vel generatim Martyres, de quibus S. Joannes verba facit in Jesu Christi Ecclesia, idem ferme sunt, quod olim Zorobabel, & Josue in Judaico populo non ita

1 Ita Bossuet, Du Piu, Riber. Cornel. Menoch. Paræ. Ligfoot. Cottes. Claver. Durham. Forer. & alii plures. 2 Vide M. Bossuet in hoc caput. 3 Græc. Τὴν αὐλὴν τὴν ἔσωθεν τοῦ ναοῦ, ἔκβαλε ἔξω. Alii plures: Τὴν αὐλὴν τὴν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ ἔκβαλε ἔξω. Ita Alex. Steph. a. Cov. 2. Sin. Hunt. 1. Baroc. Syr. Arab. Aeth. Hieronym. Victorin. Vulg. alii optime. 4 Vide Acta martyrii S. Justini, & sociorum ejus; atque acta S. Seraphiæ. 5 An. 303. incœpit persecutio 23. Febr. Ecclesiarum eversione. Vide librum *de Morte persecutorum*. 6 Lactant. seu alius de Morte persecutorum, cap. 24. Institut. lib. 1. cap. 1. Surius 31. Jul. pag. 362 Socrat. lib. 1. 7 Euseb. lib. 8. cap. 14. Hist. Eccl. 8 Tres anni cum dimidio 1278. dies complectuntur. 9 Dan. 12. 7. 10 Ambros. in Psalm. 45. 10. Beregaud. Areth. Ansbert. Haymo, Richard. Hugo. Dionys. Vat. Cornel. Vieg. Riber. alii. Vida & Tertull. de Anima. Et Hieronym. ad Marcellam. Ambrosiast. in 1. Cor. 4. August. de Genes. ad Litt. lib. 6. cap. 9. Gregor. l. 9. Moral. cap. 3.

Ita pridem ex Babylonis captivitate reverso. Illi deducunt, erudiunt, tuentur, confirmant fideles, & Deus auctoritate sua illos protegit adversus eos omnes, qui illis detrimentum vellent inferre.

℣. 5. SI QUIS VOLUERIT EOS NOCERE.] Non postremum Divinæ protectionis in Ecclesiam suam argumentum, ratio est, qua eam tutatus est, cum omnes terræ potestates pene conflato consensu in illius excidium conjurassent. Circumscripsit Deus inimicorum suorum impotentiæ, & furori terminos; suscitavit zelum testium suorum, qui illis resisterent, & tantam his contulit fortitudinem, ut veluti murus aheneus hostibus, adversarentur. Cum magis, magisque, persecutionum vis debaccharetur, quot Episcopi in medio gregum suorum nullo metu perterriti perstiterunt, invisibili quodammodo manu protecti? Alii capti fuerunt, confessi sunt, in carcerem conjecti, & inde tandem summa cum gloria post persecutionis procellas emerserunt. Alii plurimi, vel sanguinem effuderunt, vel bona sua reliquerunt, vel in solitudines recesserunt, ne fidei jacturam paterentur.

Cum hæc horribilis tempestas maxime fureret, Christiani insignia operabantur miracula, quæ persecutoribus ruborem ingererent. Plurimis Martyribus prophetiæ donum conferebat Deus; pœnas sumebat de impiis delatoribus, aliisque sævissimis Imperatoriæ crudelitatis Ministris. Hæc omnia Spiritus Sanctus innuere voluit per ea verba: *si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum*; veluti cum Elias ignem de Cœlo elicuit in eos, qui ad ipsum capiendum accesserant [1]; *et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi*, igne cœlesti, velut ducenti, & quinquaginta homines illi, qui contra Moysem, & Aaronem in deserto insurrexerant [2]. *Hi habent potestatem claudendi Cœlum, ne pluat*, quod fecit Eliseus, scelera Achab puniturus [3]. Denique *potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga*, quemadmodum fecit Moyses in Ægypto [4]. Hæc omnia significant donum miraculorum, quod tunc temporis frequens erat utique in Ecclesia. S. Joannes perennem instituit allusionem ad magis insignia veteris testamenti miracula.

℣. 7. CUM FINIERINT TESTIMONIUM SUUM [5],] & annunciaverint veritates religionis, *bestia, quæ ascendit de abysso*, dæmon [6] *faciet adversus eos bellum, et vincet illos, et occidet eos*. Persecutio tanta fuit & tam vehemens, ut hostes Jesu Christi, se nomen illius penitus delesse crediderint. Profecto hoc laudi datum fuit Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano; nec defuere epigraphes quædam in Hispania, quæ illis honorem similem Christiani nominis deferebant. Hoc est earum inscriptionum compendium: *Imperatoribus Diocletiano, et Maximiano propter Imperii fines latius extensos, deleto nomine Christianorum, qui Rempublicam evertebant, dissipatam ubique terrarum eorum superstitionem, et deorum cultum adauctum.*

℣. 8. CORPORA EORUM JACEBUNT IN PLATEIS [7] CIVITATIS.] Quemadmodum supra Ecclesiam dixit *Civitatem sanctam*, ita hic Ethnicam pravitatem vocat *Civitatem magnam*, spiritualiter hoc est allegorice dictam [8] *Sodomam, et Ægyptum, ubi et Dominus eorum Crucifixus est* [9]. Videretur novissimis his verbis S. Joannes innuere voluisse Jerosolymam: sed ex eo tempore, quo a Tito deleta fuit, usque ad illud, ad quod existimari potest, S. Joannes hoc in loco alludere; Jerusalem Civitas magna appellari non potuit. Ad hæc, si pressius loquamur, non intra Jerusalem, sed extra eamdem Jesus Christus fuit Cruci confixus: *extra portam passus est*, Hebr. 13. 12. & eo tempore, de quo loquimur, Jerusalem ab Ethnicis ferme incolebatur.

Præstat igitur hoc de Urbe Roma intelligere, ubi SS. Petrus & Paulus, atque tot alii Martyres crucifixi sunt, & Martyrii coronam adepti, & ubi quodammodo passus est cum illis Jesus Christus, quemadmodum antiqui explicite tradunt, de S. Petri martyrio verba facientes [10]. Denique cum urbs Jerusalem eo tempore, quo Jesus Christus ibi damnatus fuit, Romanorum esset, illi Præses Romanus imperaret, ibique Salvator a Romanis supplicio damnatus, & affectus fuisset, ad litteram verum est, illum mortuum esse in magna Civitate, hoc est in magno Imperio, quod spiritualiter *Sodoma* propter flagitia sua, & *Ægyptus* propter persecutiones, quas contra Sanctos excivit, appellatur.

℣. 9. VIDEBUNT DE TRIBUBUS, ET POPULIS ... CORPORA EORUM PER TRES DIES, ET DIMIDIUM.] Derelicta, projecta, & quæ nemo audeat efferre. Vitæ sæpius periculum subibat, qui Martyrum corpora tumulare studebat. Ethnici, qui noverant, quo cultu a Christianis reliquiæ Sanctorum exciperentur, nihil intentatum relinquebant, ut hoc illis ea possidendi, colendique solatium auferrent. Illa projiciebant in mare, carnivoris feris objiciebant, in cineres redigebant, cum Ethnicorum, & impiorum corporibus commiscebant, ne dignoscerentur [11]. S. Johannes in uno verso hoc loco duobus adscribit testibus, quidquid vel omnibus, vel fere omnibus Martyribus erat commune.

Numerus trium dierum cum dimidio hoc in loco allatus, & ℣. 11. repetitus mysterio non caret, & juxta Prophetarum stylum redit ad annos tres cum dimidio, terminum persecutionis Diocletiani, quemadmodum non ita pridem ℣. 2. 3. ostendimus. At sicuti S. Apostolus Martyrum multitudinem sub duorum testium nomine exhibuit, ita diuturnitatem contumeliarum, quibus toto persecutionis tempore eorum corpora fuerant affecta, tres dies vocat cum dimidio, qui tribus annis, & dimidiato respondent. Aliter loqui non poterat, si allegoriam suam persequi cupiebat. Possunt quidem duos, vel tres dies insepulta relinqui cadavera, sed tres annos, & dimidium in media Civitate insepulta relinqui non possunt.

℣. 10. INHABITANTES TERRAM, GAUDEBUNT SUPER ILLOS.] Ethnici fidelibus etiam post eorum cædem insultabant, multifariam illorum corpora contumeliis coinquinantes. Triumphi loco habebant Templorum eversionem, & innocentium cruciatus. *Munera mittebant invicem*, quod fieri festis [12], lætisque diebus consueverant, & semet gravi quodam pondere exonerasse arbitrabantur, cum sustulissent Christianum aliquem virum, cujus vita frugi, & casta eorum libidines, & flagitia damnabat. Hoc innuunt ea verba: *quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant super terram*. Vide, quid dicat Sapientia cap. 2. 3. loquens de impiis ad boni viri interitum conjurantibus: *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum: gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.*

℣. 11. POST TRES DIES, ET DIMIDIUM, SPIRITUS VITÆ.] In Prophetarum stylo [13] status mortis, sepulchrum, pulvis, mortis tenebræ significant tempus calamitatum, & persecutionum. Et e contra resurrectio, reditus de sepulchro, consurgere de pulvere, iterum vitæ spiritum sumere, significant pacem, & prosperitatem, quæ has calamitates, & persecutiones

1 4. Reg. 1. 10. 12. 2 Num. 16. 35. 3 3. Reg. 17. 1. Jacobi 5. 17.
4 Exod. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 5 Ὅταν τελέσωσι τὴν μαρτυρίαν αὐτῶν. Arab. *Prophetiam*. Æthiop. *Testimonium & prophetiam*. Hippolyt. Τὸν δρόμον καὶ τὴν μαρτυρίαν. *Cursum & prophetiam*.
6 Supra c. 9. 1. 2. Inferius cap. 13. 1. & 17. 8. 7 Græc. In platea. Ἐπὶ τῆς πλατείας πόλεως.
8 Πνευματικῶς Σόδομα καὶ Αἴγυπτος. Arethas. Πνευματικῶς, κατὰ ἀλληγορίαν.
9 *Dominus eorum*. Græc. *Dominus noster*. Κύριος ἡμῶν ἐσταυρώθη. Alii plures: Κύριος αὐτῶν. Ita Steph. 15. Alex. Cov. Sin. Baroc. Petav. Hunt. Compl. Syr. Arab. Æthiop. Areth. &c. 10 Vide adnotat. in 2. Petri 1. 14. 11 Vide acta S. Tarachi apud Baron. an. 290. 12 Esth. 9. 18.
13 Ezech. 37. Thren. 3. 6. Dan. 12. 2. Baruc. 3. 4. 11.

net'excipiont [1]. Igitor S. Johannes hoc in loco innuit, post tres dies, & dimidiom, qoi isthia idem sunt, ac tres anni, & dimidietoa versiculorom superiorum, Ecclesiam pacem esse assequututam, quemadmodum re ipsa per Coostantinum elt essequuta: licet hæc paa codem tempore, neqoe ioregra statim suarit, neqoe universalit. Sed qoi magnum hoc opua erat absoluturut, inauguratus foit Imperaror, & ab ipso Imperii sui primordin [a] edicta proposuit, Cheistiano Religioni quam maaime otilia.

℣. 12. AUDIERUNT VOCEM MAGNAM DE COELO.] Qoe illuc ascendera jubabantur, atqoa illuc ascendeeont in conspectu inimicorum soorum. Ethnici quidem procoldubio nequaquam testes foeruot gloriæ Martyrum in Cœlo, sed cum admiratione intuiti sunt constantiam, cum qua ex humaoia eacedebent, & gaudium, quod illia afferebat, certissima spea ad ætarnas Cęli coronas migrandi. Hoc quodammodo idem erat, ac illos nube io Cœlum ascendaotes conspicere.. Mors eorum prœmarura erat beatitudo, & supplicia tanta cum virtote eaantlata pro causa adeo boua, & post vitam tanta cum sanctitate traductam, oon minorem æterna beatitudine nanciici poterant remunerationem.

℣. 13. IN ILLA HORA [3] FACTUS EST TERRÆMOTUS MAGNUS.] Postquam Constantinoa Imperator fuit inauguratua, quidam veluti stupor ouiversum cepit imperium; Imperatores alii non sine gravissimo metu adolescentem hunc Principem in ipsos iosorgere conspeacrunt, idque gravissima peperit bella. *Decima pars Civitatis cecidit: & occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia* [4]. Civites magoa Imperium significat, quemadmodum diximus vers. 8. Anno 305. dum maxime fureret persecotio, Galerius, Herculiom, & Diocletianum impulit, ut Imperium relinquerent, quorum uterque illud abdicaruot Kalendis Maii, anni ejusdem: Diocletianus qoidem Nicomediæ, Herculiua vero Madiolani, qua eadem die Augusti declarati sunt Constantius Coustantini Pater, atque Galeriua. Constantiua quidem Galliarum, Hispaniarom, & Angliæ regimen suscepir; Constantinua vero ejoa filius obsidis loco apud Galerium permansit; sed inde anno 306. aufugit, & ad Constantiom Patrem in Angliam venit. Constantius obiit octavo Kalendas Augusti, qua eadem dia Constentinus Augustus dictua fuic, & edictum pro Christianis proposuit. Hic ast noia trium annorum aum dimidio persecutionis. Post hæc asaidit terræmotua, de qoo S. Johannes hic verba facit, qui aliod non ast, oisi motor, qui estitit in Imperio statim post Coostantini dignitatem. Anno enim 306. quinto Krlendas Octobris Maxentiua Romæ, atque Itrlia potitua, Augusti nomen invedit, atqoe illud Herculio patri suo defert, qui illud anno superiori abjecerat. Cæsar Severoa Meaaotio bellum intolit, atque ad Romæ obsidionem properavit: sed a plerisqoe mrlitum desartos, & aofogera coactos, atque Revannam sa se recipere, se sa dedidir Maaimiano Herculio, a quo non multo post occisus fuit. Anno 307. Galerius, & Maaimianus Hercoliua in Italiam venere, ot Maaeotio Imperium adimerent, sed Galeriua, & ipsa non parva militum suorum parte destitutus, fugam cœpit meditari. Hic motos, hæc rerum tenta pertorbatio belle eabibetor terræmotu magoo Civitatis, & lapsu decimæ pertia mototom ejus, septam hominum millia lapsu suo contetentiom.

℣. 14. VÆ SECUNDUM ABIIT.] Primum væ notatum foit cap. 8. 13. & sequ. usque ad cap. 9. 12. huc osque proseqoitor: Tertium vero hia incipit vers. 15. & pergit osque ad capot 20. Bossuet Meldensis Episcopus hoc incipera putat cap. 18. & ad cap. 19. produci.

℣. 15. SEPTIMUS ANGELUS TUBA CECINIT.] Hoc

A est oovissimum signom septem Angelorum, de qoibus fuit sermo cap. 8. 2. Primus toba cecinit cap. 8. 7. alter capite eodem vers. 8. Tartius ibidem vers. 10. quattua vers. 12. ejusdem capitis octavi. Quintus cap. 9. 1. Searus eodem capita vers. 13. septimua denique hic soum munus adimplet: com boc ramen discrimine, quod cæteris nuntiantibua mala, hia Jesu Christi, ejusque Ecclesiæ victoriam porteodit. *Facta sunt voces magnæ in Cœlo, dicentes: Factum est Regnum hujus Mundi Domini nostri* [5], *& Christi ejus*. Cum Constantinus electus fuit Augustus, tunc Jeso Christi ragoum cœpit in Ecclesia, atqoe in dies semper convaluit, proot Imperator ille competitorea soos profligavit? tandem vero pacatissimum fuit, & post Licinii cladem anno 323. Ecclesie universa lætissima pace gavisa est.

B Constantino imperante, populi iotegri Christianam Religionem amplexi sunt; ubique Crux fuit eaaltata, ubique Templa ædificata: idololatria in opprobrium, arqoa contemptom cecidit, & Cœlum, ac Terra Divinis laodibua, & canticis actionis gratiarum eaultarunt ℣. ℣. 16. 17.

℣. 18. ET IRATÆ SUNT GENTES.] Tempos pacis Ecclesiæ nequaquam tale fuit pro universo Mundo. Dei Jostitia, quæ Ecclesiam soam probaverat, atque permiserat, ut Ethnici illam tandiu persequerentur, tandem aliquando in ipsos persecutorea se se converrit, & illis totum brachii sui pondor ostendit. Dissensio obrepsit inter Imperetoras, qoi tunc temporis quatuor erant; Galerios, & Constantinus, Maxentius, & Maaimianus Herculios. Sopra vers. 13. vidimus, inC utiles Severi Cæsaris, & Galerii contra Maaeotiom conatus. Maaimianua Hercolius Maxentio filio suo Imperium arripere voluit. Gelerius Augustum creavit *Licinium* anno 307. quam eamdem dignitatem anno insequenti sumpsit Maaiminus; & eodem ferme tampora Aleaander in Africa Imperatorem se dici voluit. Hi omnes, alii post alios, deleti fueroot, & Imperii possessio penes uoom Constaotinum permansit.

Maximianus Herculios cum Constaurino vitam, atque Imperium auferre meditarotur, dira adeo illum præverrit necessitas, ut seipsum jugularet. Maaiminos anno 311. doloribua confectus, & morti proximus solemne proposuit edictom, ut persecutio tandem deferveseeret, sed non multo post oltima passas est. Aleaander in Africa ab eaeteitu Maaentii cæsus fuit,

D & interfectus. Anno 312. Constantinus quatuor prœliis Maaentii copias delevit, qoi in Tiberim decidens in aqois vitam amisit. Maaimioos alios insignis Ecclesia perseaotor victus fuit anno 313. a Licinio non sine quadam miraculi specie, cum illius copia licet numero longe prastareor Licinianis, horum ne primum quidem impetum propulsare adoiterentur. Licinius denique, qui Christianæ Religioni faverat, donec cum Constaotino senserat, illi bellom iodiais [6], & cum aodem inimicitias iniit, a quo statim fusos foit anno 314. prope Cibalem in Ungaria, ac tandem penitua terra, marique deletus aono 323. ac Thessalonicam relegatos, ubi anno eodem fuit jugulatos. Ita adimpletum est, qood hoc in loco S. Johannes ait: *Advenit ira Dei, & tempus mortuorum judicari*, vel ulci-

E scendi Martyrum internecionem, *& reddere mercedem Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen Dei, pusillis, & magnis, & exterminandi*. Tyrannos, atque persecutores, qoi crudelitatibus, & sceleribus suis *corruperunt terram*; omnes enim isti Imperatores Ecclesiæ flagitiosissimi ferebantot hostes, quemadmodum ex omnium historicorum fide probator.

℣. 19. ET APERTUM EST TEMPLUM DEI IN COELO.] Jesu Christi Ecclesia repræsentatur a Templo Dei, quod ast io Cœlo; & Arca fœderis symbolum est Evan-

1 Vide Judic. 15. 19. 2. Reg. 12. 3. Psal. 60. 20. 84. 7. 118. sæpius.
a Vide Lactantium, de Morte Persecutor. & Instit. lib. 1. cap. 1. Socrat. lib. 1. Histor.
3 Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ. Alii plures: Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. Ita Steph. α. ιε. ιζ. Baroc. Petav. 2. Huos. 1. Cov. 2. Sin. Arab. Aeth. 4 Vide eamdem locutionem Apoc. 3. 4. Act. 1. 15. *Nomina* idest *capita*.
5 Ἐγένετο αἱ Βασιλεῖαι τοῦ κόσμου τοῦ Κυρίου ἡμῶν. Alii plurimi: Ἐγένετο ἡ Βασιλεία τοῦ κόσμου, &c. Ita Vulg. Syr. Arab. Æthiop. Aeth. Steph. α. ιε. ιζ. Alex. &c. 6 Vide Euseb. lib. 10. cap. 8. pag. 395. 396. 397. Hist. Eccles.

Evangelii. Templum apertum significat libertatem publice Christianam Religionem profitendi; & Arca in Templo publicam Evangelii prædicationem designat. Hæc omnia palam, Constantino imperante, visa sunt. Ubique instauratæ sunt Ecclesiæ antiquæ, & novæ etiam ædificatæ; ubique proposita Christianæ Religioni utilissima edicta; ubique Evangelium prædicatum fuit, & summo culto exceptum.

A

S. Johannes videtur isthic alludere ad ea, quæ contigerunt sub novissimis Regibus Juda, quorum quidam clauserunt Templum, ita ut Sacerdotes ibi munere suo non perfungerentur; sed cum pius aliquis princeps, veluti Ezechias, vel Josias ascendebat ad solium, statim Templum Domini aperiebatur, & illuc referebatur a Sacerdotibus Arca [1]; quam inde abstulerant [2]: *Ponite Arcam in Sanctuario Templi .... nequaquam enim eam ultra portabitis.* Ostendimus alibi [3], Arcam fœderis nequaquam repositam fuisse in secundo Templo post captivitatem ædificato; & fortasse numquam fuisse repertam, neque erutam ex eo loco, ubi illam abdiderat Jeremias, antequam Jerosolyma a Nabuchodonosor caperetur. Vide Machab. 2. 4. ... 9. Illi autem abunde supplevit *Evangelium æternum* [4], in Jesu Christi Ecclesia collocatum. *Fulgura, voces, terræmotus* [5], *grando magna*, quæ insigne hoc factum subsequuta sunt, significant turbas, & bella, quibus Imperium agitatum fuit, cum interim Constantinus Ecclesiæ pacem restitueret.

1 2. Par. 34. 4. 7. 8. 2. Par. 29. 3. 2 2. Par. 35. 3.
3 In Dissertatione, an Arca fuerit in secundo templo, Macchabæis præposita.
4 Apoc. 14. 6. 5 Græcus id omittit in pluribus Exemplaribus MSS.

CAPUT XII.

Mulier amicta Sole. Draco rufus septem habens capita. Filius mulieris in Cœlum rapitur, illa vero in desertum secedens, ibi tres annos cum dimidio immoratur. Prælium S. Michaelis cum Dracone, ejusque victoria. Draco mulierem in Deserto persequitur. Fluvius terra deglutitus. Furor Draconis in Sanctos.

1. ET signum magnum apparuit in cœlo; Mulier amicta sole, & luna sub pe-
dibus ejus & in capite ejus corona stellarum duodecim: 2 Et in utero ha-
bens, clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pariat. 3 Et visum est aliud si-
gnum in cœlo, & ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua de-
cem: & in capitibus ejus diademata septem. 4 Et cauda ejus trahebat tertiam
partem stellarum cœli & misit eas in terram: & draco stetit ante mulierem, quæ
erat paritura; ut cum peperisset, filium ejus devoraret. 5 Et peperit filium ma-
sculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea: & raptus est filius ejus
ad Deum, & ad thronum ejus. 6 Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat
locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. 7 Et
factum est prælium magnum in cœlo, Michael, & angeli ejus præliabantur cum
dracone, & draco pugnabat, & angeli ejus. 8 Et non valuerunt, neque locus
inventus est eorum amplius in cœlo. 9 Et projectus est draco ille magnus, ser-
pens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit universum orbem: &
projectus est in terram, & angeli ejus cum illo missi sunt. 10 Et audivi vocem
magnam in cœlo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri,
& potestas Christi ejus; quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accu-
sabat illos ante conspectum Dei nostri die, ac nocte. 11 Et ipsi vicerunt eum
propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt ani-
mas suas usque ad mortem. 12 Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis.
Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens
quod modicum tempus habet, 13 Et postquam vidit draco, quod projectus esset
in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum. 14 Et datæ sunt
mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi ali-
tur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, a facie serpentis. 15 Et
misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tamquam flumen, ut eam faceret
trahi a flumine. 16 Et audivit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & ab-
sorbuit flumen, quod misit draco de ore suo. 17 Et iratus est draco in mulie-
rem: & abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt manda-
ta Dei, & habent testimonium Jesu Christi. 18 Et stetit super arenam maris.

℣. 1. SIGNUM MAGNUM APPARUIT IN COELO.] Hæc recens est figura nobis exhibens persecutiones, quas pertulit Ecclesia [1] a *Diocletiano*, *Maximiano*, *Herculio*, *Galerio*, *Maximino*, *Severo*, *Maxentio*, & *Licinio*, quorum symbolum hic proponitur, Draco septem habens capita, & in septem capitibus, septem diademata. Ecclesia hic exhibetur veluti *mulier amicta Sole*, & *Luna sub pedibus ejus*, & *in capite ejus corona Stellarum duodecim*. Imago sane neque illustrior, neque augustior esse potest. S. Johannes pluribus in locis visiones suas variis figuris id ipsum repetit, et magis animo imprimat; neque aliter consuevere Daniel, elisque Prophetæ, ubi de re maximi momenti ageretur. *Sol*, quo Ecclesia amicta est, Jesum Christum significat: *Luna* vero Creaturas, Imperia, atque terrena qualibet mutationi obnoxia. B Stellæ duodecim coronam illius componentes, designare possunt duodecim Apostolos, & eorum successores. Patres, & Ecclesiastici Auctores [2] sæpe ad Sanctam Virginem transtulerunt, quod hic dicitur de Ecclesia; sed hujusmodi explicationes mysticæ sunt dumtaxat, & spirituales. Ecclesia fœcunda est sine ullo virginitatis detrimento, non secus ac Sanctissima Virgo Mater Jesu Christi.

℣. 2. IN UTERO HABENS, CLAMABAT [3] TAMQUAM MULIER PARTURIENS.] Christiana Ecclesia tamquam fœcunda mater plures annos pariter dolores pertulit. Pariebat Deo filios per fidem, atque baptismum [4], non tamen sine dolore, quippe superandi erant errores, minæ, & insidiæ Mundi simul, & Dæmonis. Verum hæc levia sunt, si conferantur cum iis, C quæ perferebat, cum per martyrium, cædes, & persecutiones filios Cœlo erat paritura. Draco tunc ea, qua potuit rabie, illam persequutus est, ut una cum fructu suo perderet; quod sequentibus versiculis visuri sumus.

℣. 3. VISUM EST ALIUD SIGNUM IN COELO.] Tempore eodem, & *ecce Draco magnus rufus habens capita septem*, & *cornua decem*. Magnus hic Draco est Imperii Romani potestas. Rufus est, propter crudelitatem; septem habet capita, quia tunc in Imperio septem erant Imperatores, qui subinde Jesu Christi Ecclesiam persequuti fuere: habet vero coronas septem: quod innuit auctoritatem, & dignitatem septem Principum, quorum nomina vers. 1. memoravimus: habet denique cornua decem; quod exhibet barbaros Re- D ges, qui plurimis Imperii Provinciis dominabantur. Confer cap. 13. vers. 1. & 17. vers. 7. 12. libet hujus.

℣. 4. CAUDA EJUS TRAHEBAT TERTIAM PARTEM STELLARUM.] Dum persecutiones vehementius sævirent, non defuere Christiani complures, qui vel defecerunt a fide, vel sacros libros tradiderunt, vel pecunia schedulas quasdam emerunt, quasi jam sacrificassent. Ecclesiastica historia exemplis plurimis illius temporis, hujusmodi lapsibus ubique scatet. Non fugit, quinam fuerint in Africa *Traditores*: hi libros Sacros prodiderant, et aliquod vitæ momentum redimerent; nec defuerent ignavissimi Antistites, & Sacerdotes, qui hoc scelus patrarent. Ex historia S. Romani liquet, Laicos complures catervatim cucurrisse, ut idolis sa- E crificarent. Prope fontes in plateis, & compitis, immo etiam in viis collocata fuerant parva quædam idolorum simulacra, & homines, qui cogerent mortales, ut illis thus adolerent, ita ut nemo vel emere, aut vendere, vel aquam haurire posset, quin dæmoni sacra faceret. Ubique ferrum adhibebatur, ignis, minæ, vis, impotentia, ut Christiani idola venerari, & Jesum Christum blasphemiis proscindere cogerentur.

A Post hæc mirum ne videri potest, quod Draconis cauda tertiam stellarum Cœli partem, Episcoporum videlicet, Sacerdotum, Diaconorum in infernum pertraxerit? Primo enim persecutionis anno edicta illis solum mortis pœnam intulerant. Sed non multo post hæc fidelibus omnibus passim fuit intentata.

DRACO STETIT ANTE MULIEREM.] Gutture aperto, & minacibus oculis, ut *cum peperisset*, *filium ejus devoraret*. Persecutores in id unum omnem industriam, & omne tempus transmisisse videbantur, ut vel morte, vel apostasia perderent fideles, illis vitam vel corporis, vel animæ auferentes.

℣. 5. ET PEPERIT FILIUM MASCULUM.] Fideles, quibus constantiam in tormentis Deus elargitus est; qui pro Jesu Christo vitam effuderunt; vel qui omnia reliquerunt, ut fidem suam servarent, fuerunt veri Ecclesiæ filii, progenies mascula, & fortis [5]. Alii in Cœlum translati sunt coram Deo, ibi beatitudine perfruituri, alii superstites permanserunt in terram, & facti sunt Dominationum, ut eas regerent *in virga ferrea*. Christiana Religio sub Constantino victrix facta est, Ethnici vero vicissim in squalore, & opprobrio jacuerunt. In illos expedita nequaquam fuerunt tormenta, ut & ipsi fallacissimam Religionem suam relinquere cogerentur: sed in eos Deus omnem justitiæ suæ severitatem deprompsit. Confer hunc loquendi rationem: *qui recturus erat gentes in virga ferrea* cum Apoc. 2. 27. & Psal. 2. 9.

℣. 6. MULIER FUGIT IN SOLITUDINEM.] Christiani complures, dum hac persecutio deseviret, in solitudines aufugerunt, ubi alii ex humanis decesserunt, alii ibi vitam suam traducere voluerunt, jam solitudini assueti, alii tandem, ubi persecutio deferbuit, domus suas reversi sunt. Cogitati Sancti Basilii Magni in Ponti saltus se se receperunt, ibique septem annos transegerunt [6]. Alii cum ultra sibimet ipsis eadem indubitant, apud externos tutum asylum nacti sunt, ibique libere religionem suam exercuerunt [7]: Hoc usus consilio Deus est, ut ingentem Ethnicorum multitudinem evocaret ad fidem. Animadvertit Sanctus Hieronymus, per occasionem harum persecutionum vitæ Eremiticæ institutum incœpisse. S. Paulus Eremitarum antesignanus Decio, & Valeriano imperantibus, in desertum recessit, ubi ita consuevit, ut rursus ad suos redire noluerit. Acta Martyrum Nicome- D diæ ferunt, Christianos aufugisse, & recessisse in montes, specus, & deserta abditissima; & S. Basilius narrat, S. Martyrem Gordium persecutionum tempore inaccessa penetrasse deserta, sed non multo post martyrii desiderio succensum latebras reliquisse, ac se se obtulisse populo, ludos in arena spectanti. Nemo nescit, S.S. Dionysium Alexandrinum, Cyprianum, Gregorium Thaumaturgum in solitudinem, donec Deus de illis disponeret, secessisse.

UBI HABEBAT LOCUM PARATUM A DEO.] Per providentiam suam permisit Deus, ut fideles plurimi in desertis, & apud nationes barbaras tutum contra persecutores, quemadmodum jam dictum est, nanciscerentur asylum. Ibi nutriti fuerunt *diebus mille ducentis sexaginta*, hoc est tribus annis & dimidio, quibus Dio- E cletiani persecutio grassata est, ab anno 303. usque ad mensem Julium anni 306. Vide supra Cap. 11. 3.

℣. 7. FACTUM EST PRÆLIUM MAGNUM [8] IN COELO.] S. Michael bonis Angelis præpositus, & Lucifer, vel Draco dæmonum catervam ducens, bellum sibi inferunt; primi illi, ut Ecclesiam, & Christianam religionem tueantur; alteri vero, ut illam evertant, ac diruant. Hujusmodi tamen bellatores oculis non videntur; qui autem videntur, hinc quidem sunt Christi fide-

1 Bossuet. Du Pin, Alcazar. alii. 2 Vide August. lib. 4. de Symbolo ad Catechum. Bernard. serm in hunc loc. Ausbert. Berengaud, Haymo. Gagnei. Pannon. Cornel. Audræ. Areth. hic.
3 Κέκραγε. *Clamat*. Alii ἔκραζε. *Clamabat*. Ita Steph. a. 10. 11. Baroc. Per. c. Sic. Cov. 2. Syr. Æthiop. Arab. alii. 4 Joan. 16. 21. Galat. 4. 19. 5 Confer Isai. 66. 7 *Antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit umquam tale? Et quis vidit huic simile? Numquid pariet terra una die? Aut parietur gens simul? quia parturivit & peperit Sion filios suos*. 6 Nazianz. Orat. 20. pag. 319. 320.
7 Euseb. lib. 2. de Vita Constant. cap. 53. 8 Græcus simpliciter: *Factum est prælium in cœlo*. Quidam MSS. Latina omittunt pariter, *magnum*; idque non legit Primasius.

fideles vexati, inde vero Ethnici vexantes. Ecclesia bonorum Angelorum, & Omnipotenti Jesu Christi præsidio suffulta, victrix est; Ethnici vero, quos Draco confirmat, vincuntur. Christiana religio potentior fit, gloriosior, & latior, quam antea: Septem Draconis capita amputantur; decem ejus cornua proteruntur. Septem Imperatores Constantini competitores miserrime pereunt: Unus regnat Constantinus, per quem Jesu Christi fides regnat. Hoc potest conferri cum iis, quæ Daniel 12.1. & 10.13. ait de ope, a S. Michaele populo Dei allata, cum ab Antiocho Epiphane, Diocletiani præcursore, & figura, affligeretur.

℣. 9. DRACO ILLE MAGNUS:] *ille serpens antiquus*, qui fefellit Evam, & qui hujus opera in peccatum impulit Adum. Hic Jesu Christi inimicus, *qui vocatur Diabolus*, vel calumniator, & *Satanas*, vel adversarius; *qui seducit universum Orbem* tentationibus suis, & retinet Ethnicos in errore idololatriæ (℣. 10. hic *accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte*, victus est, profligatur, de Cœlo ejectus. Græca quædam exemplaria [1] omittunt hæc verba: *Accusator fratrum nostrorum*. S. Joannes alludit ad ea verba Job, ubi dicitur Sathanas sese obtulisse coram Deo, & accusasse Job, quod nonnisi propter utilitatem Domino inserviret [2]; & ad ea, quæ Zacharias 3. 1. inquit, Dæmonem stetisse coram Deo, ut Jesum filium Josedech, & Zorobabel accusaret. Vide etiam Psalmum 108. 6. *Diabolus stet a dextris ejus*. Supponit S. Joannes persecutionem ex Dei permissione, & dæmonis instigatione, qua quodammodo vim fecerat divinæ clementiæ, ut sibi hæc facultas concederetur, accidisse; & deinde hunc infestissimum fidelium hostem in Ethnicis Imperatoribus apta invenisse instrumenta, ut contra Ecclesiam suam rabiem, nequitiamque exerceret.

℣. 11. ET IPSI VICERUNT EUM PROPTER SANGUINEM AGNI.] Victoria, quam retulerunt fideles de diabolo, atque idololatris, eorum interitum ope summa quærentibus, nequaquam fuit humanæ virtutis effectus; sed Sanguinis Jesu Christi, & sancti Verbi illius, quod Spiritus Sanctus in cordibus eorum insculpserat, & cui ad extremam usque sui cruoris effusionem testimonium perhibuerunt. *Non dilexerunt animas suas usque ad mortem*; Vitam suam contempserunt, ita ut libentissime mortem subirent.

℣. 12. VÆ TERRÆ, ET MARI [3], QUIA DESCENDIT DIABOLUS.] Draco magnus victus quidem est, nondum tamen occisus. Ejectus est de Cœlo, & mulier, vel Ecclesia enixa est puerum masculum, populum sanctum, & justum, cruciatuum, atque mortis victorem. Hoc spectat ad annos tres cum dimidio, vel mille ducentos sexaginta dies persecutionis Diocletiani. Draco in terram dejectus, magis magisque in Christi fideles accenditur. Scit, Imperium suum brevi esse evertendum, Constantinum, per quem Jesus Christus ubique regnaturus est, jam Imperatorem esse inauguratum. Recentes igitur conatus exerit, ut acceptæ cladis deleat ignominiam.

Profecto, dum Constantino imperante mitesceret persecutio in Provinciis, quæ illi parebant, Maxentius in Italia, atque Provinciarum Præsides plurimos in Oriente martyrio afficiebant; atque tormentis inferendis hominibusque necandis defatigati, Sanctos ad metalla damnabant, aliisque suppliciis torquebant. Initio anni 308. acerrima fuit persecutio, sed mox deferbuit, & statim paulo post iterum sæviit. Maximinus semper Christianis infensissimus fuit, & nonnisi invitus anno 311. accepit edictum solemne, quod Maximianus Galerius doloribus acerbissimis vexatus, & morti proximus Sardicæ edidit, ut persecutione tandem abstineretur [4]. Verum quidem est, variis subinde temporibus Maximinum odium suum in Christi fideles deprompsisse; at nullam palam indixit persecutionem; & anno 312. a Constantino, & Licinio coactus fuit edictis subscribere, quæ illi in Christianæ Religionis gratiam ediderant. Ita Draco magnus cum multa conatus fuisset, ut resurgeret, profligatus fuit, & cedere coactus.

℣. 14. DATÆ SUNT MULIERI ALÆ DUÆ,] & avolavit in desertum, ubi permansit *per tempus, et tempora, et dimidium temporis*, hoc est annis tribus cum dimidiato; ab initio anni 308. quo Maximino adnitente persecutio acrior, quam antea, in Oriente detonuit, usque ad annum 315. quo fidelibus pacem relinquere debuit, recipiens edictum Maximiani Galerii, publice in Urbe Nicomediæ affixum. Toto eo tempore tyrannidi cedere consuevit Ecclesia, in solitudinem secedens, ubi permansit, donec pacem integram obtinuit.

℣. 15. ET MISIT SERPENS POST MULIEREM AQUAM.] Cum non posset amplius in illam vel flammas, vel venenum projicere; neque ferro aut igni eamdem lacessere, extremos conatus exerens, quendam veluti aquæ fluvium in illam evomuit. Maximinus non ausus amplius fidelibus vim ferre, varios adhibuit astus, ut de Urbibus ejicerentur; ut prohiberet, ne in cœmeteria convenirent, ne Ecclesias ædificarent, & ne publice aliquem religionis actum efficerent [5].

Sed hunc aquæ fluvium, quem serpens evomuerat, *terra absorbuit* ℣. 16. Imperatores primum Ecclesiæ opem tulere. Constantinus, & Licinius, quemadmodum diximus, Maximinum coegere, ut edicta suis similia in gratiam Christianæ religionis proponeret. Cum autem Maximinus bellum contra Licinium suscepisset, fusus, fugatusque mutata veste sibi consulere debuit; cumque in Imperium redisset suum, omnes idolorum Sacerdotes occidit, quibus Auctoribus hoc bellum susceperat, & edictum protulit in Christi fidelium gratiam, quod tamen non obiit, quominus a Deo acerbissimo morbo puniretur, ex quo peccati sui magnitudinem intellexit; quin tamen inde verum, atque sincerum dolorem conciperet [6].

℣. 17. ET IRATUS EST DRACO IN MULIEREM: ET ABIIT FACERE PRÆLIUM CUM RELIQUIS DE SEMINE EJUS,] cum aliis Ecclesiæ filiis, *qui custodiunt mandata Dei*, & qui cum priorum persecutionum vim superassent, lætissima pace fruebantur in Ecclesia. Postremus hic Draconis conatus innuit fortasse Licinii persecutionem, quæ anno 320. inchoavit. Hæc neque diuturna fuit, neque latius grassata est; ejus enim potestas tantummodo in quasdam Orientis Provincias protendebatur, & metu, qui de Constantino illi incesserat, coercebatur. Primum quidem Christianos de suis ædibus ejecit [7], conjecitque in exilium fidelissimum quemque, & ad humillima mancipiorum munera eos redegit, quos ipse ad dignitates provexerat. Vetuit, ne Episcopi aliquam inter se haberent necessitudinem, & ne generalem conventum, vel synodum inirent; cavit etiam, ne viri in Ecclesias convenirent eodem tempore, quo mulieres, & ne mulieres iis cœtibus interessent. Instituit, ne Episcopus mulieribus erudiendis operam navaret, sed ex earum sexu jussit eligi, a quibus ceteræ imbuerentur [8]. Imperavit ad hæc, ut Christianorum conventus sub dio, atque in agris patentibus haberentur: quas leges cum contemni videret, tunc in apertam persecutionem exarsit. Præcepit, ut qui in Civitatibus juri dicundo vacarent, gradu moverentur, nisi idolis sacrificarent. Plurimos Christi fideles bonis, & libertate exuit; aliis ad humilia, ac turpissima officia coactis,

aliis

1 Ὁ κατήγορος τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν. Omittunt Aldin. Colinæ, Erasm. Edit. 3. priores.
2 Job. 1. 6. 9. 12. & 2. 2. 3. 3 Οὐαὶ τοῖς κατοικοῦσι τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν. Alii: Οὐαὶ τῇ γῇ καὶ τῇ θαλάσσῃ. Ita Steph. α. ις. Baroc. Petav. 2. Hunt. 1. Cov. 2. alii. Vulg. Syr. Arab. Æthiop. Aeth. &c.
4 Euseb. lib. 8. cap. 17. & lib. 9. cap. 1. Et Lactant. de Morte Persecut. cap. 33. 35.
5 Lactant. de Morte Persecutor. cap. 36. Euseb. lib. 9. cap. 2. & 4. Histor. Eccles. Tillemont. de persecutione Diocletiani, tom 5. cap. 42. pag. 104. 105. 6 Vide Euseb. Histor. Eccles. lib. 9. cap. 10. de Vita Constant. l. 1. c. 58. 59. & Lactant. de Morte Persecutor. cap. 45. 46. 49.
7 Euseb. lib 10. cap. 8. & Vit. Constantin. lib. 1. cap. 52. 8 Euseb. Hist. Eccl. lib. 10. c. 8. & de Vita Const. l. 1. c. 53.

aliis in exilium ejectis, aliis ad metalla damnatis [t]. Denique cum illius furor per gradus increfceret, apertius adhuc perfecutus eft Ecclefiam in Epifcoporum perfonis, quorum plurimos capite damnavit [u]. Hic erat noviffimus Draconis fibilus. Licinius a Conftantino oppugnatus, expugnatufque anno 323. victoriam, Imperium, & non multo poft vitam etiam amifit, Nicomediæ jugulatus: atque ita defiit noviffima Chrifti fidelium perfecutio, ab Ethnicis Imperatoribus conflata.

℣. 18 ET STETIT SUPER ARENAM MARIS.] Hæfit Draco arena maris impeditus, quin fefe movere poffet, profligatus, & victus Chriftianorum conftantia, contra quos omnem aftum, omnemq; fuam crudelitatem depromplerat. Fortaffe etiam per hæc verba S. Joannes innuere voluit Licinium primum a Conftantino prope Andrianopolim fufum fuiffe, ejufque claffem ex ducentis Navibus compofitam, mox vel in fyrtes fcopulofque illifam, vel a Chrifto deletam penitus interiiffe. Conftantini claffis vix octoginta erat navium, quæ tamen centum, & triginta Licinii Naves depreffit,

A itaut hic Princeps Byzantium aufugerit, ubi illum Conftantinus obfedit. Inde tamen evafit, & traducto mari, Chalcedonem fe recepit, quo Conftantinus illum perfecutus cum eo iterum acre decertavit. Licinius iniquiffimo pugnavit marte, cumque haberet centum, ac triginta militum millia, vix triginta millia ei fuperfuerunt. Inde Nicomediam fe recepit, ubi a Conftantino rurfum obfeffus, fe fe illi dedere, & Imperium abdicare coactus fuit. Denique poft aliquot annos jugulatus fuit Theffalonicæ, quæ civitas maritima eft, & hoc in fenfu, Draco *ftetit fuper arenam*. Græcos [§] pro *ftetit*, legit, *fteti fuper arenam*, quafi diceret S. Joannes, poft hanc vifionem fe in fpiritu ad arenam maris raptum fuiffe. Sed Vulgatæ lectio in Alexandrino MS. invenitur, in Syriaca verfione, & Arabica, in editione Al-B dina, & apud Tichonium. Græca tamen lectio optime cum fequentibus cohæret, ubi S. Johannes videt immanem belluam de fluctibus emergentem. In fpiritu eram fuper arenam maris, cum vidi beftiam feptem habentem capita, inde egredientem.

t Vita Conftant. lib. 2. cap. 20. 30. 31. 32. u Eufeb. Hift. lib. 10. cap. 8. & Vita Conft. lib. 1. c. 56. lib. 2. cap. 2. § Καὶ ἐστάθην ἐπὶ τὴν ἄμμον. Alii plures: Καὶ ἐστάθη, &c.

CAPUT XIII.

Beftia feptem capitum, ac decem cornuum, de mari afcendens. Draco illi poteftatem fuam confert. Unum ex capitibus ejus, quod mortuum videbatur, convalefcit. Univerfus orbis Draconem, & beftiam adorat, quæ bellum indicit Sanctis, eofque fuperat. Beftia duo habens cornua velut Agni, univerfam terram feducit. Hæc loqui facit imaginem beftiæ, & omnes hanc imaginem deferunt.

1. ET vidi de mari beftiam afcendentem, habentem capita feptem, & cornua decem, & fuper cornua ejus decem diademata, & fuper capita ejus nomina blafphemiæ. 2 Et beftia, quam vidi, fimilis erat pardo, & pedes ejus ficut pedes urfi, & os ejus ficut os leonis. Et dedit illi draco virtutem fuam, & poteftatem magnam. 3 Et vidi unum de capitibus fuis quafi occifum in mortem: & plaga mortis ejus curata eft. Et admirata eft univerfa terra poft beftiam. 4 Et adoraverunt draconem, qui dedit poteftatem beftiæ: & adoraverunt beftiam, dicentes: Quis fimilis beftiæ? & quis poterit pugnare cum ea? 5 Et datum eft ei os loquens magna, & blafphemias: & data eft ei poteftas facere menfes quadraginta duos. 6 Et aperuit os fuum in blafphemias ad Deum, blafphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in cœlo habitant. 7 Et eft datum illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos. Et data eft illi poteftas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem: 8 Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram: quorum non funt fcripta nomina in Libro vitæ Agni, qui occifus eft ab origine mundi. 9 Si quis habet aurem, audiat. 10 Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic eft patientia, & fides Sanctorum. 11 Et vidi aliam beftiam afcendentem de terra, & habebat cornua duo fimilia Agni, & loquebatur ficut draco. 12 Et poteftatem prioris beftiæ omnem faciebat in confpectu ejus: & fecit terram, & habitantes in ea, adorare beftiam primam, cujus curata eft plaga mortis. 13 Et fecit figna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo defcendere in terram in confpectu hominum. 14 Et feduxit habitantes in terra, propter figna, quæ data funt illi facere in confpectu beftiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem beftiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit. 15 Et datum eft illi, ut daret fpiritum imagini beftiæ, & ut loquatur imago beftiæ: & faciat, ut quicumque non adoraverint imaginem beftiæ, occidantur. 16 Et faciet omnes pufillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & fervos habere characterem in dextera manu

 fua,

ſua, aut in frontibus ſuis. 17 Et ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus, 18 Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.

℣. 1. ET VIDI DE MARI BESTIAM ASCENDENTEM.] Nunc tertio eadem perſecutio S. Joanni exhibetur. Capite 12. ſummatim vidit, quid eventurum erat fidelibus exagitatis, in perſona duorum teſtium, qui interfecti quidem ſunt, ſed mox reſurrexerunt. Capite duodecimo Principes Eccleſiæ perſecutores exhibentur ſub imagine Draconis, ſeptem capita, & cornua decem habentis. Hic tandem cap. 13. res eadem oſtenditur ſub imagine cete ſimilis Draconi, de quo ſermo fuit. Daniel quoque cap. 7. 3. vidit quatuor magna Imperia de mari prodeuntia, velut quatuor animantium monſtra. Principes Alexandri ſucceſſores in eodem Propheta ſub corvorum ſpecie repræſentantur, non ſecus ac marinum monſtrum hoc in loco ſeptem habet capita, & cornua decem. Tria ex his capitibus fortaſſe bina habebant cornua, reliquis quatuor erant ſingula. Cornua vero decem diademate ornata erant ad regiam, vel ſupremam poteſtatem indigitandam.

Bellua de mari egreſſa, eſt Romanum Imperium. Capita ſeptem deſignant ſeptem Imperatores, qui Eccleſiam perſequuti ſunt; videlicet Diocletianum, Maximianum, Galerium, Maximinum, Severum, Maxentium, Licinium. Quidam [1] in Severi locum, cujus Imperium breve fuit, enumerant Conſtantinum Chlorum Conſtantini Patrem, qui ſemper ab ea tyrannide abhorruit, quæ in Chriſti fideles exercebatur, ſed cui non ſatis fuit auctoritatis, ut illam tolleret in iis Imperii Provinciis, ubi non imperitabat: ita ut edicta contra Chriſtianos prolata nomine illius non ſecus ac aliorum Imperatorum inſcriberentur, & Chriſtiani illum una cum reliquis Imperii ſociis adorare cogerentur.

Decem cornua cum coronis ſuis, quæ inſita erant capitibus belluæ, & ſingula diademata gerebant, ſignificabant decem Regna barbarorum, qui in Provinciis ex Imperio Romano divulſis, totidem Regna [2] inſtituerunt; qualia fuerunt Perſarum, & Saracenorum in Aſia, Vandalorum in Africa, Gothorum in Hiſpania, Longobardorum in Italia, Francorum, & Burgundorum in Gallia, Hunnorum in Pannonia &c. & hic ſenſus unice verus eſt, quemadmodum liquido innoteſcet ex ℣℣. 12. 13. 14. 15. 16. 17. cap. 17.

Nomina blaſphemiæ [3] ſeptem capitibus inſcripta, nomina ſunt Idolorum, quæ Imperatores ſinguli nomini proprio addiderunt, veluti *Jovii* nomen, quod ex Jove ſibi conflavit Diocletianus; *Herculeii*, quod ex Hercule ſibi vendicavit Maximianus. Maximinus etiam *Jovius* dictus fuit, & dici voluit ad imitationem Diocletiani. Sed veritati magis congruum videtur, hæc blaſphemiæ nomina, vel eſſe edicta, quæ illi contra Chriſti fideles ediderunt, vel idololatriam, quam imperarunt. Caput hoc, ut facilius intelligatur, cum cap. 17. eſt conferendum. Sanctus enim Joannes illic ſeipſum explicat.

℣. 2. BESTIA, QUAM VIDI, SIMILIS ERAT PARDO.] Pardus animal eſt diſcoloribus diſtinctum maculis, crudeliſſimum, callidiſſimum, atque celerrimum: ideoque inconſtantiæ ſymbolum. In Daniele 7. 6. deſignabat Alexandrum Magnum Principem ſibimetipſi non ſatis conſtantem propter virtutem, vitiorumque commixtionem, & cujus in omni conatu ſumma ſemper fuere vis, atque pernicitas. Ad hæc, bellua, quam S. Joannes aſpexit, habebat Urſi pedes, & caput, vel guttur Leonis, ad robur, & crudelitatem ipſius ſignificanda. Hæc in ſe una omnes colligebat characteres quatuor animantium, quæ Danieli apparuerunt c. 7. 4. Similis erat quartæ belluæ, de qua ille Propheta loquitur cap. 7. 7. cui nullam peculiarem formam tribuit, ſed hoc unum ait, illam terribilem fuiſſe, admirabilem, crudelem, & longe a tribus aliis diſſimilem. Romanum Imperium tria magna in ſe collegerat Imperia, Chaldæorum videlicet, Perſarum, atque Græcorum; ſaltem poſſidebat, quidquid antiqua illa Imperia citra Euphratem poſſederant; & Imperatores ſeptem, qui præcipuum ſunt Prophetiæ hujus argumentum, in perſonis ſuis colligebant eas omnes qualitates, quæ fuere in Nabuchodonoſor, Cyro, & Alexandro conditoribus Imperiorum, quæ Daniel indigitabat.

Boſſuet Meldenſis Epiſcopus in Imperatoribus Maximiano Herculeo, Galerio Maximino, & Diocletiano proprium deprehendit characterem trium animantium, quæ in bellua deprehendebantur; *Pardus* in Maximiano Principe inquieto, crudeli, inconſtanti; *Urſus* in Galerio Maximino, qui ex Septentrione venerat, ingenio agreſti, atque fero, & corporis habitu enormi ſimul, ac informi [4]; quem Lactantius ait, in deliciis habuiſſe Urſos alere, ſibi & magnitudine, & ferocitate ſimillimos [5]: *Leo* denique in Diocletiano Principe crudeli, & acerrimo Chriſti fidelium hoſte videtur.

DEDIT ILLI DRACO VIRTUTEM.] Eadem ſemper poteſtas Eccleſiam perſequitur ſeu per Draconem, ſeu per marinum monſtrum repræſentetur. Idem ſemper eſt Diabolus Ethnicos Imperatores in Chriſtianos accendens, quem Spiritus Sanctus, & ſuperiori capite, & præſenti deſignavit.

℣. 3. VIDI UNUM DE CAPITIBUS EJUS QUASI OCCISUM.] Conferentibus caput hoc cum 17. 10. qui hujus eſt veluti clavis, atque explicatio [6], videtur ſeptem hæc capita, ſeptem Imperatores deſignantia, deinceps eſſe, unum poſt aliud, peritura. Statim autem quinque ceciderunt. Ex omnibus perſecutoribus Maximinus tantum in aliquod tempus ſuperſtes fuit, qui Orientis Eccleſiam perſequutus eſt, cum interim reliqua Imperii pars pace perfrueretur. Poſt ſenes hujus capitis lapſum, ſeptimum extitit, nempe Licinius. Sed caput hoc non diu viguit, quemadmodum dictum eſt cap. 7. 10. & ille unus inventus eſt ex hoſtibus Eccleſiæ poſt interitum Diocletiani, Maximiani, Galerii, Maximini, Severi, & Maxentii. Denique eodem capite 17. 11. alia beſtia dicitur ventura, quæ *octava eſt, & de ſeptem eſt*; qui plane eſt Julianus Apoſtata Idololatriæ perſecutorum, & crudelitatis eorumdem in Eccleſiam imitator, eo regnante adimplendum erat, quod in hoc verſiculo, & in ſequentibus legimus.

ET PLAGA MORTIS EJUS CURATA EST. ET ADMIRATA EST UNIVERSA TERRA [7].] Beſtia, quæ Conſtantino, & Conſtantio regnantibus mortua videbatur, reviviſcere viſa eſt, cum Julianus ad ſolium aſcendit. Hic Princeps Ethnicæ religionis zelo magis ſuccenſus, quam veteres Imperatores, illam reſtituere pro virili adniſus eſt, *& admirata eſt univerſa terra* mutationem hanc adeo inſperatam. Ethnici, qui nunquam ſperabant futurum, ut inanis ea religio ex lapſu conſurgeret, divinitus factum exiſtimarunt, cum Julianus ſe illius patronum profeſſus eſt. Mundus univerſus *poſt beſtiam* abiit;

---

1 Boſſuet in hunc locum. 2 Berengaud. in cap. 17. Boſſuet, Du Pin ibidem.

3 *Nomina blaſphemiæ*. Græc. *Nomen blaſphemiæ*. Ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτοῦ ὄνομα βλασφημίας. Alii plures: Ὀνόματα βλασφημίας. Ita Steph. a 10. Baroc. Cov 2. Vulg. Syr. Arab. Areth Seidel. &c.

4 Lactant. de Morte Perſecut. cap. 9. 5 Lactant. de Morte Perſecut. cap. 21.

6 Apoc. 17. 10. 14. 7 Καὶ ἐθαυμάσθη ὅλη ἡ γῆ ὀπίσω τοῦ θηρίου. Alii: Ἐθαυμάσθη ὅλη ἡ γῆ. Alii plures: Ἐθαύμασεν ὅλη ἡ γῆ. Ita Vulg. Syr. Arab. Areth. Iren. Editi aliquot: MSS. non pauci.

abiit; Ethnici omnes iterum ad idola sua redierunt, & complures mali Christiani Principis studia imitati sunt.

℣. 4. ET ADORAVERUNT DRACONEM.] Tunc populi catervatim Draconem adorare visi sunt, qui belluę suam potestatem tradiderat; & belluam ipsam venerati sunt. Nemo unus ignorat, Ethnicorum Imperatorum simulacris cultum sacrilegum, atque honores impios deferri consuevisse. Fideles non denegabant illis officiosam quamdam reverentiam, quam illis religio sua permittebat. Julianus, ut illos falleret, & quodammodo invitos, & nihil tale suspicantes in idololatriam pertraheret, se una cum Deorum simulacris insculpi jubebat [1], ne sibi urbanus, licitusque honor deferretur, quin simul idolis, quæ conjuncta erant, cultus impius præstaretur. In quibusdam imaginibus ejus aderat Jupiter nubibus insistens, & capiti illius inserens coronam: In aliis Mercurius, & Mars illum respicientes exhibebantur; quasi innuerent, illum & in militari disciplina, & in scientiis æque prestare. Jussit quoque sibi, & uxori suæ poni simulacra sub imaginibus Apollinis, & Dianæ [2], quod pluribus Christi fidelibus maximum fuit offendiculum.

Dicebant: quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea? dicebant Ethnici, religionem Romanam invictam esse; Christianis atque Imperatoribus Constantino & Constantio illudebant, & in Deum, & Jesum Christum blasphemias evomebant.

℣. 5. DATUM EST EI OS LOQUENS MAGNA.] Hæc belle Juliani characterem exhibent. Qualibet in re ambitionem suam ostentabat; quod præsertim apparuit in Satyra, quam de Imperatoribus decessoribus suis conscripsit. Laudes populi tantopere appetebat, ut nunquam ad satietatem laudaretur [3]; & Libanius illius admirator egregius fatetur, illum quæcumque suscepisse, ut laudibus celebraretur [4]. Tantæ vero, ac tam nefariæ illius fuerunt blasphemiæ in Jesum Christum, & religionem Christianam, ut ipsi etiam Auctores Ethnici [5] laude nequaquam censuerint dignam superstitionem, qua Ethnico nimis hærebat cultui, immodicos sumptus, quos in animantium sacrificiis insumebat, & denique sævissimas Christiani nominis persecutiones. Ferunt illum moriturum, cum se lethali vulnere confectum cognovisset, manibus accepisse cruorem e vulnere diffluentem, eumque in aerem projecisse dicendo: *Vicisti Galilæe* [6]. Philostorgius [7] ait illum contra Solem sanguinem suum jecisse, & hæc protulisse verba: tu igitur satia; tu Sol Julianum perdis [8]. Dicitur quoque Deos suos blasphemasse, eosque proditores, & nequam vocasse [9].

DATA EST EI POTESTAS FACERE MENSES QUADRAGINTA DUOS], vel mille ducentos sexaginta dies, vel tres annos cum dimidio; idem enim semper est numerus dierum, mensium, & annorum, quasi Deus non sine peculiari providentia voluerit intra hoc tempus finem imponere persecutionibus Antiochi Epiphanis in Judæos [10], Diocletiani [11], Maximini in Oriente [12], Licinii [13], & denique Juliani Apostatæ in Christianam Ecclesiam. Si omnia diligentius ad examen revocentur, patebit, omnes illas persecutiones eodem ferme annorum numero sæviisse. Julianus dictus fuit Augustus Parisiis sub ver anni 360. Inauguratus vero fuit Imperator post mortem Constantii, quæ accidit die tertia Novembris anno 361, Obiit autem anno 363. quinto Kalendas Julii. Ita uno tantum regnavit anno cum mensibus septem, vel octo; sed Augusti nomine gavisus est tribus annis cum dimidio, quo tempore potestatem habuit bellum inferendi. Verum quidem est, hoc palam non intulisse, nisi duobus circiter annis; sed jam hostis erat Sanctorum & Ecclesiæ: (℣. 6.) jam secreto Deum, Jesum Christum, & Sanctos blasphemabat, cum Augusti nomen assumpsit contra Constantium, qui unus erat legitimus Imperator. Idola quidem clanculum noctu venerabatur, Jesum Christum vero palam in Ecclesiis interdiu [14]. Initio Apostasiæ suæ conatus est nefariis quibusdam cæremoniis delere characterem baptismi, quo fuerat ablutus [15], & hoc clanculum perfecit per sacrificium, cui nomen Taurobolium, quod ab Ethnicis Regeneratio appellabatur. Taurus immolabatur, & qui expiandus erat, in semet positus in fovea quadam infra cratem recipiebat cruorem omnem, ex jugulata victima diffluentem.

℣. 7. DATA EST ILLI POTESTAS IN OMNEM TRIBUM, ET POPULUM [17], ET LINGUAM.] Potestas ejus semper increbuit: primum Cæsar, mox licet invito Constantio Augustus, deinde post mortem Constantii, quæ brevi contigit, unicus Terrarum Orbis Imperator. Persecutio, quam in Ecclesiam excivit, fuit universalis: eumque Christianam religionem cognosceret, nequaquam persequutus est illam brutali ea crudelitate, qua primi persequutores usi sunt, sed lentis, subdolisque usus cruciatibus, opprobriis, irrisionibus, atque blasphemiis in Jesum Christum, SS. Virginem, sanctosque Apostolos, fidelium patientiam torquere, & superare adnisus est.

℣. 8. ADORAVERUNT EUM OMNES.] Vide supra ℣. 4. Ethnici Julianum verebantur tanquam novum aliquod Numen, qui ad opem ipsis ferendam descendisset. Gestiebat ille haberi Solis filius, vel saltem amicus [18]. Quodammodo igitur adoratus fuit; vel potius idolis veras adorationes procuravit; sed undenam? ab illis videlicet, *quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni*; hoc est, ab Ethnicis, nefariisque Christianis, qui corpore tantum erant in ecclesia, & ad exiguum prædestinatorum numerum non pertinebant, qui vel sæculi amore, & ambitione illecti, vel pęnarum metu deterriti Jesum Christum abdicarant, ut belluæ thus adolerent. Dicitur tamen, præ cæteris, plures milites in partes suas Julianus pertraxisse [19].

S. Joannes hic ait, *Agnum occisum fuisse ab origine mundi*, quæ verba aliter, atque aliter explicantur. Credunt quidam [20], totius versiculi verba ita esse disponenda: *Illi, quorum nomina ab origine Mundi scripta non fuerunt in libro vitæ Agni, qui occisus est*: quæ explicandi ratio simplicissima videtur, eamque nobis ipse S. Joannes suppeditat infra cap. 17. 8. ubi ait: *mirabuntur inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ a constitutione Mundi, videntes bestiam quę erat & non est*. Id genus hyperbata, vel transpositiones, in scripturis insuetæ non sunt.

Alii [21] ita explicant: *Agnus occisus est ab origine Mundi*, non realiter, quandoquidem S. Paulus [22] docet, Jesum Christum nequaquam sæpe obtulisse semet ipsum, sed semel in consummatione sæculorum ad excidium peccati per hostiam suam apparuisse; & semel oblatum fuisse ad multorum exhaurienda peccata. Occisus igitur fuit ab origine Mundi, vel habita ratione æterni decreti passionis, & mortis suæ, quæ ab ipsa usque æternitate constituta quidem fuit, sed adimpleta solum sub finem sæculorum; vel ratione meritorum mortis ejusdem, quæ ab initio Mundi [23] Sanctis applicata fuere, vel tandem

1 Nazianz. Orat. 3. pag. 83. Sozom. lib. 5. cap. 17. 2 Codin. Origin. Constantinopol. pag. 97. 3 Ammian. lib. 25. pag. 291. 294. 4 Liban. Orat. 12. 5 Eutrop. pag. 589. Themist. Orat. 5. Ammian. lib. 22. & 25. 6 Theodoret. lib. 3. cap. 20. Hist. Eccles. Sozomen. lib. 6. cap. 2. 7 Philostorg. pag. 105. Sozomen. pag. 658. 8 Chronic. Alex. pag. 692. 9 Philostorg. pag. 105. 10 Dan. 12. 7. 11 Apoc. 11. 3. 11. 12 Apoc. 12. 14. 13 Apoc. 12. 17. 14 Vide Nazianz. Orat. 3. 15 Nazianz. Orat. 3. pag. 62. 16 Vide Prudent. Hym. de Martyrib. 17 Græcus omittit *populum*, sed legitur in plurimis MSS. & in versionibus orientalibus. 18 Julian. in Cæsarib. in fine. Libanius orat. 11. 12. Socrates, lib. 3. cap. 21. 19 Nazianz. Orat. 4. pag. 75. 20 Andræas, Arethas, Tichonius, Ambrosiast. Beda, Ribera, Alcazar. Cluver. Est. Paræ. Grot. Gatak. Cnatchbull. Colomiez. Castal. 21 Ita Hugo. Gagnæ. Valentin. Vasquez. apud Cornel. hic. 22 Hebr. 9. 25. 26. 27. 23 Confer Act. 15. 11. 18. Galat. 3. 17. Paræ. Cluver.

ratione veterum sacrificiorum, quæ a Patriarchis, & Sacerdotibus Aaronicis oblata fuerunt: omnia enim sacrificia figuræ erant illius, quod Salvator obtulit pro peccatis nostris [1]. In omnibus quidem his sensibus immolatus fuit ab ipsa Mundi constitutione: sed prior explicatio mihi magis arridet.

℣. 10. QUI IN CAPTIVITATEM DUXERIT, IN CAPTIVITATEM VADET.] Utilissimum persecutoribus, atque impiis monitum: *discite justitiam moniti*. Qui habet aures, audiat. Principes, qui Ecclesiam persequuti fuerunt, sive gladium in illam distrinxerint veluti Maximini, Diocletiani, Galerii, seu illam simpliciter dissiparint, vel in captivitatem redegerint, quemadmodum Licinii, & Juliani, severa Dei ultione punientur, quæ ipsorum nequitiam exæquet. Vidimus supra, quomodo plerique Principum persecutorum mortui sunt; alii gladio interempti, ut Julianus; alii fune jugulati, ut Licinius, alii sævissimis doloribus acerrimisque conscientiæ stimulis non sine desperatione ad necem perducti. Loquor autem de iis tantum suppliciis, quæ in hac vita contra illos exercuit Deus; quæ enim eos manent in altera, omnino graviora erunt, & acerbiora. *Hic est patientia & fides sanctorum*. Moriuntur, æternam beatitudinem præstolantes, & certi, Deum, quæ illius justitia est, nequaquam passurum, ut hostium suorum crudelitas abeat impunis.

℣. 11. VIDI ALIAM BESTIAM ASCENDENTEM DE TERRA.] Hi novi sunt Ecclesiæ inimici; neque agitur amplius de cædibus, exiliis, bonorum publicationibus, quemadmodum in bello, quod Ecclesiæ indixerat Draco; sed de argumentationibus, Philosophia, fictis miraculis, simulatis virtutibus, quæ opposita fuere scriptis & argumentis Apostolorum, & Christianæ religionis propugnatorum; miraculis, atque virtutibus Iesu Christi, & discipulorum ejus. Diocletiano Imperante enituit Porphyrii maxime, & Hieroclis odium in fideles, quorum posterior potissimus fuit huic Imperatori persequutionum Auctor [2], & contra Christianos scripsit ipso anno 303. qui primus fuit persecutionis: at opus illius ab Eusebio confutatum est, cujus adhuc scripta supersunt [3]. Hujusmodi hostes Ecclesiæ loquebantur, sicut Draco, & Magistrum habebant dæmonem.

Lactantius Inst. l. 5. c. 2. ait alium quoque Nicomediæ tempore eodem contra nos tres libros scripsisse, qui quidem erat insignis Philosophiæ professor, sed a cujus præceptis vita maxime abhorrebat. Illius opus jam tunc cœpit contemni, & mox in oblivionis caligine jacuit. Porphyrius autem majori pollebat ingenio, & mentis acumine, quam aliorum quispiam, qui hactenus Ecclesiam oppugnaverunt; ideoque præ ceteris solidius hoc præstitit. Opus illius in quindecim libros distinctum non extat amplius; extant tamen apud Patres fragmenta quædam, ex quibus colligere est illius calumnias, nequitiam, & improbitatem. Ipse etiam Julianus Imperator eorum numero semet adscripsit, qui scriptis, atque argumentationibus, Christianos persequebantur [4]; opus ejus excidit; at non excidit opus S. Cyrilli Alexandrini, qui illud fusius, & tanquam collato pede confutavit. Ille divinitatis Jesu Christi præsertim fuit impugnator acerrimus.

Juliani aula refertissima erat Philosophis, Magis, perditis hominibus, infestis fidelium inimicis, calumniatoribus, veneficis, vanitatis, & ambitionis auram occupantibus [5]: qui omnes nimii erant amatores Apollonii Thyanei, qui illorum veluti heros ferebatur, & quem non æquare solum, verum etiam præferre audebant Jesu Christo propter fictitia miracula, quæ fuerat operatus. Illum tanquam Deum, vel saltem tanquam admirabilis sanctitatis virum habebant.

Maximus Philosophus Cynicus, & Magus, omnium maxime in pretio habebatur a Juliano, qui eumdem ex ipso Imperii sui primordio ad se accersivit, & plurima illius consilia sequutus est. Eo auctore fortasse Julianus in Ethnicam religionem invehere studuit eam omnem disciplinam, quæ in Ecclesia adhibebatur; instituens in omnibus Civitatibus publica gymnasia, hymnorum cantum, Choro duplici recinendorum, publicas pro gravioribus sceleribus pœnitentias, & moralia præcepta. Ædificare quoque voluit Nosocomia, & Xenodochia, ubi viatores, atque hospites exciperentur, Cœnobia pro illis, qui virginitatem voverent, & ut verbo me expediam, Simius fieri voluit, & ridiculus Christianæ religionis imitator. *Habebat cornua duo [6] similia Agni*; sed non operosum erat, illius fraudes deprehendere, nam *loquebatur sicut Draco*. Videbatur quidem Principum omnium suavissimus, sed mortalium hominum improbissimus erat, atque nequissimus.

℣. 12. ET POTESTATEM PRIORIS BESTIÆ.] Julianus unicus erat Imperator, exercebatque omnem eam potestatem, quam Draco, vel bestia septem capitum contra Ecclesiam exercuerat. In illos minas omnes, blanditias, rationes, cruciatus etiam septem illorum persecutorum, de quibus supra loquuti sumus, deprompsit; licet enim moderatior haberi cuperet, eo regnante plurimi fuerunt martyrii palmam adepti, & plurimi bonis, atque honoribus exuti, cum ille pejora machinaretur tunc temporis, quo mors illum velut ex insidiis adorta tanta lue terrarum Orbem liberaverit [7].

FECIT TERRAM ADORARE BESTIAM PRIMAM.] Eo regnante, idololatria revixit, & bestia septem capitum, quæ fuerat lethali vulnere confecta, & quæ Constantino, & Constantio imperantibus intermortua videbatur, repente convaluit, & amissas vires recepit.

℣. 13. ET FECIT SIGNA MAGNA.] Julianus jam pridem, antequam fidelium se hostem profiteretur, magiæ studio sese addiderat, & Magos sequutus fuerat, qui præstigiis plurimis, fictisque miraculis illum fefellerant. Omnia Jamblici, Porphyrii, aliorumque scripta [8] tanta in pretio a Juliano habita hujusmodi fallacibus præstigiis diffluunt, quæ simplices vera esse miracula arbitrabantur. Eunapius [9] plurima refert commentitia prodigia, quæ tunc temporis acciderunt, falsas etiam resurrectiones mortuorum in vita Porphyrii, Maximi, Chrysanti, aliorumque illius ævi Magorum. Cum Julianus in Asia fuisset, multo pridem antequam Christianam Religionem desereret, celeberrimos Philosophos, & Magos, qui tunc florebant, vidit, & præcipue summam iniit cum Maximo necessitudinem, qui quidem omnium peritissimus ferebatur.

Eusebius, Ædesi discipulus, invidens gloriæ Maximi, vel potius illum contemnere simulans, ut a Juliano enixius & ipse quæreretur, quondam illi dixit, Maximum veteratorem esse, ut rebus indignis vacare; Quadam die, addit ille, cum parvo thure, ac verbis nonnullis risum elicuit ex simulacro Deæ Hecatis, professus quoque, se accensurum extinctas funalia, quæ manibus Dea gerebat; & quæ verba cum ille vix protulisset, repentinus fulgor lampades omnes accendit. Nihil ultra quæsitum fuit, ut Juliano os sublineretur, Qui dixit, se jam invenisse, quem perquirebat: ideoque Maximo ad se evocato, se se illi tradidit [10]. Ita probari possunt, quæ S. Johannes ait de prodigiis, a bellua patratis, ut Ethnicos in errorem induceret, eosque magis, magisque idolorum cultui manciparet.

℣. 14. DICENS HABITANTIBUS IN TERRA.] Versiculis 4., & 8. vidimus, Julianum, æque ac alios Ethnicos Imperatores divinis honoribus affectos fuisse una

cum

---

1 Bereugaud. Anselm. Aubert. Thom. Viegas, &c.

2 Lactant. de Morte Persecutor. cap. 16. Instit. lib. 5. cap. 2.

3 Euseb. contra Hieroclem.

4 Vide Hieronym. Ep. 84. & Cyrill. in Julian.

5 Vide Chrysost. in Gentes, pag. 496. Nazianz Orat. 4. in Steph. ... Baron. ... Sin. Arch. cap. 18.

6 Ἔιχε κέρατα δύο. Quidam omittunt, duo.

7 Nazianz Orat. 3. pag. 94. & Sozom. lib. 5.

8 Vide Bossuet in hunc vers. & Ammianum l. 23. 24. 25.

9 Eunap. in Porphyr. Ædes. Maxim. Proæres. Chrysant.

10 Eunap. in Maxim.

cum falsis diis, in quorum medio se jubebant insculpi. Consueverant Romani Imperatorum simulacris [1] thus, & libationes offerre; & sæpe conati sunt pellicere Martyres, ut diis, & Imperatoribus [2] sacra facerent, atque per horum genium jurarent. Constantinus, ut sanctificaret reverentiam, quam populi, & milites deferebant, *Labaro*, quod præcipuum erat exercituum vexillum, Crucem apposuit, cum Monogrammate Christi [3]: at illud Julianus abstulit, & vexillum pristinæ reddidit formæ [4]; ut cum nihil esset non prophanum, atque humanum, Fideles vel minime possent illud solemni cultu venerari, quin idololatriæ periculum subirent, vel cultum eidem denegare, quin subirent iram Principis, Ducumque, & Magistratuum pœnas, a quibus hoc tamquam Majestatis crimen habebatur.

℣. 15. UT DARET SPIRITUM IMAGINI BESTIÆ.] Julianus, ejusque Magi, Apollinis, aliorumque deorum oracula in pristinam celebritatem vocarunt; nihil enim aggrediebantur illis inconsultis [5]; Diis autem a Sacerdotibus verba afficta fuisse, credendum est, quoniam eorum oracula ad Julianum referebantur. Narrat Libanius [6], deos huic Imperatori dixisse, illum moriturum, postquam Persas profligasset, eumque laudat, quod maluerit suam mortem sibi properare, quam ea gloria carere, quam ex eo bello sperabat se consequuturum. Suidas etiam in Julian. refert, Oraculum, quod hac de re illi redditum fuisse. Cum S. Johannes ait, illum spiritum dedisse bestiæ, loquitur secundum Vulgi opinionem, arbitrantis, falsos Deos simulacra animasse, quibus Sacerdotum fraus, vel nequissima dæmonis calliditas commentitia appingebat oracula. Oraculum Daphnitici Apollinis prope Antiochiam, obmutuerat, ex quo corpus S. Babilæ Martyris illic fuerat collocatum. Sed cum imperante Juliano Martyris reliquiæ ablatæ fuerunt, dæmon illi, ut olim, sua oracula cecinit [7].

ET FACIAT, UT QUICUMQUE NON ADORAVERINT IMAGINEM BESTIÆ, OCCIDANTUR.] Hanc ille potestatem habuit, & eamdem exercuit, effundens Martyrum sanguinem, qui, ipso regnante, passi sunt. Vovisse dicitur etiam [8] diis suis Sanguinem Christi fidelium, si victor ex bello Persico rediisset, & jam præsignaverat diem, qua Christiani omnes essent interficiendi, & Jesu Christi nomen delendum. Promiserat ille, in Ecclesiis obscœnam Veneris imaginem collocaturum, & si Orosio lib. 7. cap. 30. fides sit, præceperat, ut Jerosolymæ amphiteatrum ædificaretur, ubi Episcopi, Monachi, omnesque eorum locorum fideles objicerentur. Crudeli quadam irrisione dixisse fertur, se festinare, ut Persico bello expediretur, deinceps Christianorum excidio unice vacaturus [9]. S. Johannes prophetico more suo stylo ait, Julianum id facturum, quod se facturum decreverat, & quod fecisset profecto, si integrum illi fuisset.

℣. 16. FACIET OMNES PUSILLOS, ET MAGNOS... HABERE CHARACTEREM IN DEXTERA, AUT IN FRONTIBUS.] S. Johannes alludit ad Ethnicorum consuetudinem, in manu, vel fronte gerentium nomen ejus Numinis, cui se se devoverant; vel aliud quoddam emblema, quod ad Numen illud spectaret. ex gr. in tertio Macchabæorum libro 2. 29. Philopator præcipit, ut hederæ folium imprimatur pugno obtrectantium suis parere mandatis. Idem etiam Rex eamdem notam sibi jussit inuri [10], non secus ac eadem notati erant Galli, qui Deorum quidam erant Sacerdotes. Narrat Lucianus [11], Assyrios pugno suo characterem Deæ Syriæ inscribere consuevisse: quod Prudentius [12] factum fuisse ait, ignitis acubus, quibus cutis pungebatur, ut ea nota, quam quisque vellet, inurerentur.

Quod cum sacrandus accipit Sphragitida,
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt urere, utque igniverint,
Quamcumque partem corporis fervens nota stigmarit,
Hunc sic consecratum prædicant.

In Oriente servorum frontibus nota inurebatur, ut dignoscerentur; apud Romanos vero hoc fieri consueverat solum cum fugitivis. Militum quoque corporibus, Vegetio teste l. 2. cap. 8. notæ quædam imprimebantur.

Cum igitur dicuntur, omnes homines coacti fuisse, ut in se bestiæ characterem gererent, hoc innuit dumtaxat, Julianum ea omnia præstitisse, quæ potuit, & longe plura adhuc facere decrevisse, ut subditi Imperio suo idola venerarentur, & publice Ethnicam Religionem profiterentur.

℣. 17. ET NE QUIS POSSIT EMERE, VEL VENDERE.] Nisi qui gesserit characterem bestiæ, & idololatriæ particeps fuerit. Testis est Theodoretus lib. 3. c. 15. hist. Eccles. Julianum, Diocletiani exemplo [13] polluisse nefariis sacrificiis fontes omnes, qui erant Antiochiæ, & Daphne, ut nemo aquam haurire posset, quin prophanis sacrificiis, quæ ibi commissa fuerant, pollueretur. Hoc ipsum fecit in pane, carne, fructibus, oleribus, aliisque rebus esculentis, & poculentis omnibus; jubens, aqua idolis consecrata adspergi, quæcumque in foro essent venalia. Hoc tamen non obfuit, quominus indiscriminatim fideles rebus ad victum necessariis uterentur, scientes, idolum nihil esse, & S. Pauli verbis 1. Cor. 10. 25. adhærentes; *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.*

℣. 18. HIC SAPIENTIA EST.] Bestia, quam primum S. Johannes vidit, & quæ præ cæteris in tota hac visione magis apparuit, Draco est septem capitum [14]: Ex ea bestia altera septem capitum [15], quæ deinde apparuit, potestatem recepit, & hæc deinque illa est, cui alia bestia duo habens cornua, cornibus Agni similia [16] successit, & cujus spiritum, & sensus sequuta est. Plane igitur de priori illa bestia S. Johannes hoc in loco nomen proponit. At hæc bestia, quemadmodum fusius ostendimus, non alia fuit, quam *Diocletianus*. Hujus Imperatoris nomen, antequam ad Imperium accederet, erat *Diocles* [17], cui nomini, si Augustus apponatur, palam existet numerus 666. ubi numerales Latinorum literæ æstimentur, quandoquidem de Latino Imperatore sermo est. DICLVVV.

D	500
I	1
O	0
C	100
L	50
E	0
S	0
A	0
V	5
G	0
V	5
S	0
T	0
V	5
S	0
Summa	666

Hæc

1 Plin. lib. 10. Ep. 97. 2 Vide Dionys. Alex. apud Euseb. lib. 7. cap. 10.
3 Euseb. Vit. Constant. lib. 1. cap. 31. 4 Sozom. l. 5. c. 17. Nazianz. Orat. 3.
5 Theodoret. l. 3. c. 10. 6 Liban. Orat. pro Templis Gentil. 7 Sozom. lib. 5. cap. 19.
8 Sozom. lib. 5. cap. 18. Nazianz. Orat. 4. pag. 114. 124. Theodoret. lib. 3. cap. 16.
9 Chrysost. in Julian. pag. 694. 10 Vide Etymologic. in Γαλλος.
11 Lucian. in Dea. Syr. 12 Prudent. Hymno 10. Vide Grot. hic, & Hamm. &c.
13 Lactant. lib. de Morte Persecutor. c. 15. 14 Apoc. 12. 3. 15 Apoc. 13. 2. 8.
16 Apoc. 13. 11. 12. 17 Lactant. de Morte persecutorum cap. 9. & 19.

Hæc est explicatio Dom. Bossuet Meldensis Episcopi, quæ mihi videtur earum omnium, quæ in locum hunc afferuntur, probatissima. Dominus de la Chetardie invenit numerum 666. in nomine C. F. JULIANUS CÆSAR ATHEUS, vel ANTICHRISTUS, cujus litteræ numericæ sunt IↃCLVVVI.) Legere mallem C. F. JULIANUS CÆS. AUG. ita illius nomen in numismatibus, & inscriptionibus legitur, & certum est, litteras hoc pacto collectas, reddere numerum IↃCLXVI. de quo hic quæritur. Sed crederem, S. Joannis mentem fuisse, ut numerus nominis bestiæ in Græco nomine perquireretur; hic enim liber Græce conscriptus fuit. Vide nostram de Antichristo Dissertationem art. 3.

Veteres hæc omnia de Antichristo explicuerant, ejusque nomen in numero 666. quæsiverunt [1]. Plerique putarunt, nomen hoc in *Λατεῖνος* [2], quod in Græcis characteribus efficit summam 666. Credidit Grotius, se numerum hunc invenisse in voce *Οὐλπιανος*, Trajani prænomine, sed alii characteres bestiæ huic Principi non conveniunt, neque credibile est, Sanctum Joannem illum potius ex prænomine, quam ex nomine proprio indigitare voluisse. Adde his ad grammaticæ regulas Græcum nomen *Οὐλπιανος* summam efficere 860. [3]. Alii [4] crediderunt, numerum 666. hoc in loco non significare nomen bestiæ, sed tempus quo erat proditura. Sed undenam incipiunt, vel ubi desinunt hi anni 666. hoc inter illos non constat; immo affirmari etiam potest, hac in re ipsos numquam consensuros. Tenent alii [5], bestiæ nomen non aliud significare, quam illius auctoritatem; hanc vero auctoritatem incœpisse solum anno 666.

Auctores protestantes, qui omnem curam exercent, ut Antichristum in Papa, & Romana Ecclesia inveniant, certatim varia proponunt systemata, ut hoc iniquissimo suo accommodent præjudicio. Credunt quidam commentitium hoc Antichristi Regnum incœpisse, anno Jesu Christi 666. Phoca imperante. Alii initium illud incœpisse putant. Ego quidem novi eruditum virum, qui finem annorum 666. statuit sub Barchocheba. Porterus, qui in hunc locum opus singulare elucubratus est, omnes Algebræ, atque Arithmeticæ rationes expendit, ut ostenderet, primum numerum bestiæ 666. respondere dimensioni Ecclesiæ, quæ est cubitorum 144. infra cap. 21. 17. secundo radicem numeri 144. esse numerum 12. & radicem 666. esse numerum 25. Tertio, quemadmodum in Cœlesti Jerusalem ubique invenitur numerus duodenarius; duodecim Apostoli, duodecim tribus, duodecim articuli fidei, duodecim millia stadiorum, duodecim fructus, duodecim fundamenta; ita in Roma Antichristiana (hoc enim nomine Romam Catholicæ unitatis centrum appellat) deprehendi portas viginti quinque, viginti quinque titulos Cardinalium, viginti quinque articulos fidei, in Ecclesia S. Petri aras viginti quinque, totidemque stadiorum millia in circuitu &c. Hæc nonne ridicula sunt? Miror equidem, quod Henricus Morus, & Josephus Medus adinventum hoc, nihil omnino probans, tot laudibus celebraverint. Licet in Roma veteri, & recentiori toties inveniretur numerus viginti quinque, quoties illi contendunt, quod falsum est, quid inde? Numquid ideo Papa Antichristus est, & Romani servi sunt Antichristi? Pudeat saltem illos harum nugarum, quas ipse Grotius bona fide contempsit, imo & confutavit in iis, quæ edidit de Antichristo.

1 Irenæ. Areth. Andreæ. alii.

2 Irenæ. lib. 5. circa finem. Ita Med. Paræ. Cluver. Brigtman. Henric. Mor. Napier. Lud. de Dieu, Pisc.

3 ΟΥΛΠΙΑΝΟΣ. Grotius vult sigma Σ vel C, hic non valere, nisi sex, atque accipi pro ς, sex tantum ora rem valente. At alii tenent, ubique sigma valere 200.

4 Bul. & Balæ. alii plures apud Malvend. de Anti-Christo l. 8. c. 17.

5 Vide, si lubet, Durham, & N. Stephan. hic, in Synopsi.

CAPUT XIV.

Virgines sequuntur Agnum, Evangelium æternum. Judicium venit. Babylonis excidium. Cultoribus bestiæ infernus intentatus. JESU CHRISTI messis; peccatorum vindemia.

1. ET vidi, & ecce Agnus stabat super montem Sion, & cum eo centum qua-
draginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scri-
ptum in frontibus suis. 2 Et audivi vocem de cœlo, tamquam vocem a-
quarum multarum, & tamquam vocem tonitrui magni: & vocem, quam audivi, si-
cut citharœdorum citharizantium in citharis suis: 3 Et cantabant quasi canticum no-
vum, ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere
canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. 4
Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequun-
tur Agnum, quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo, & A-
gno. 5 Et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante
thronum Dei. 6 Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem
Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gen-
tem, & tribum, & linguam, & populum: 7 Dicens magna voce: Timete Domi-
num, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus: & adorate eum, qui fecit
cœlum, & terram, mare, & fontes aquarum. 8 Et alius angelus secutus est, dicens:
Cecidit, cecidit Babylon illa magna: quæ a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes
gentes. 9 Et tertius angelus secutus est illos, dicens voce magna: Si quis adoraverit
bestiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua: 10
Et

Et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur
igne, & sulphure in conspectu angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni : 11
Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die,
ac nocte, qui adoraverunt bestiam, & imaginem ejus, & si quis acceperit characte-
rem nominis ejus. 12 Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, &
fidem Jesu. 13 Et audivi vocem de cœlo, dicentem mihi : Scribe : Beati mortui,
qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis:
opera enim illorum sequuntur illos. 14 Et vidi, & ecce nubem candidam : & su-
per nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream,
& in manu sua falcem acutam. 15 Et alius angelus exivit de templo, clamans vo-
ce magna ad sedentem super nubem : Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora
ut metatur, quoniam aruit messis terræ. 16 Et misit, qui sedebat super nubem,
falcem suam in terram, & demessa est terra : 17 Et alius angelus exivit de templo,
quod est in cœlo, habens, & ipse falcem acutam. 18 Et alius angelus exivit de al-
tari, qui habebat potestatem supra ignem : & clamavit voce magna ad eum, qui ha-
bebat falcem acutam, dicens : Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ
terræ : quoniam maturæ sunt uvæ ejus. 19 Et misit angelus falcem suam acutam in
terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum : 20 Et
calcatus est lacus extra civitatem, & exivit sanguis de lacu usque ad frænos equo-
rum per stadia mille sexcenta.

℣. 1. ECCE AGNUS STABAT.] Descriptis perse- A cutionibus, quas ab Ethnicis Imperatoribus, quorum figura fuerunt belluæ, quas vidit S. Joannes, Ecclesia perpessa fuit, Deus eidem ostendit rem lætissimam, triumphum nempe Jesu Christi, qui non semel hoc in libro Agni nomine designatur. Sequebantur illum, ait S. Joannes, *centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris sui [1] scriptum in frontibus suis;* quo omnino distinguebantur ab illis, quibus erat inustum bestiæ signum cap. 13. ℣℣. 16. 17. 18. Hæc centum quadraginta quatuor millia symbolum sunt Electorum omnium, sed eorum præcipue, qui ex duodecim Tribubus Israel prodierunt [2], quemadmodum inferri potest ex iis, quæ supra cap. 7. 4. dicuntur. Cæterum videtur hic numerus pro indefinito, & maximo numero usurpari, qualis est prædestinatorum, quorum nomen B in vitæ libro scriptum est, & præsertim Martyrum [3], qui persecutionibus omnibus, de quibus sermo fuit, testitere.

℣. 2. AUDIVI VOCEM.] Hæc est vox centum quadraginta quatuor millium, Agni triumphum exornantium.

℣. 3 NEMO POTERAT DICERE [4] CANTICUM, NISI . . . . QUI EMPTI SUNT DE TERRA.] Neque Angeli, neque viventes homines discere poterant, vel canere hoc canticum, & Martyrum dumtaxat, qui omnes persecutionum cruciatus pertulerant, Electorum, & Virginum coram Dei solio illud concinere intererat; pro illis enim tantum compositum fuerat. Continebat quippe eos sensus, qui ad illos tantum pertinebant, & ad victoriam spectabant, quam illi re- C tulerant. *Empti sunt de terra* : ab origine quidem ex numero mortalium sunt, sed meritu sanguinis Agni illos de peccati, et mortis servitute eduxerunt, ut in Cœlo innocentiæ suæ mercede, atque beata immortalitate gauderent. Feliciter de gutture Draconis, atque Idololatrarum illecebris sunt liberati.

℣. 4. HI SUNT, QUI CUM MULIERIBUS NON SUNT COINQUINATI.] Sed qui virginitatis florem servarunt. In Prophetarum stylo, fornicatio idololatria est; virginitas autem a sordibus sacrilegi cultus immunitas. Hi igitur hoc in sensu virgines fuere, neque ceciderunt in immunditiam cultus creaturarum [5]. S. Joannes infra nobis exhibet Urbem Romam, tamquam insignem meretricem, se se omnibus terrarum populis prostituentem. Aliæ Imperii civitates pari ratione, & in eodem sensu erant meretrices, id unum quærentes, ut & cives suos, & advenas corrumperent. Qui Agnum sequuntur, eorum illecebris, atque lenociniis capti non sunt; sed virgines permanserunt. Non desunt tamen [6], qui hoc de virginibus explicent, & illis, qui in perfecta continentia vitam suam traduxerunt. Sed prior sensus ad litteram magis accedit.

HI EMPTI SUNT EX HOMINIBUS [7] PRIMITIÆ DEO, & AGNO.] Deus per misericordiam suam illos de medio peccatorum, atque Idololatrarum eripuit; & periculis, & communi contagione præservavit, B eosque in hæreditatem præclaram, atque distinctam sibi elegit. *Primitiæ* ea dicuntur nonnumquam, quæ in re quavis optima fuere, & præstantissima, quo in sensu Jeremias 2. 3. ait, Israelem, Domino fuisse dedicatum veluti primitias : *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus*.

℣. 5. IN ORE EORUM NON EST INVENTUM MENDACIUM.] Non defecerunt a fide, quam debent Deo; eam coram Judicibus non abjecerunt, neque Dei nomen Idolis, & creaturæ alicui detulerunt. Græcus legit [8]: *Fraus inventa non est in ore ipsorum* : Sed plurimi, iique optimi MSS. Græci, Syrus, Arabs, Æthiops, Origenes, S. Hieronymus, Aretas cum Vulgata legerunt : *In ore eorum non est inventum mendacium*. Pleri- C que etiam textuum eorumdem omittunt, quæ sequuntur *Ante thronum Dei*; & simpliciter legunt : *sine macula enim sunt* : nec desunt Latina quædam exemplaria, quæ similiter legant.

℣. 6. VIDI ALTERUM ANGELUM.] Post persecutorum interitum, & idololatriæ excidium nihil aliud reliquum erat, nisi ut Jesu Christi Evangelium regnaret, in omnem terram annuntiaretur, & ultio repeteretur ob effusum Martyrum cruorem. Hoc nobis annunciat Angelus, qui hic apparet. Gerit Evangelium æternum, ad finem usque sæculorum duraturum, quum in re,

1 ἔχοντας τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς αὐτοῦ γεγραμμένον. Alii plures : Ὄνομα αὐτοῦ, καὶ τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς. Ita Alex Steph. α. ιε. Syr. Arab. Æth. & alii. 2 Hieronym. l. 1. Alcazar. contra Jovini. Alcazar. hic Grot. Bossuet. 3 Estius hic. 4 Græc. Οὐδεὶς ἐδύνατο μαθεῖν. Nemo poterat discere Canticum. Forte positum est dicere, pro discere. 5 Ambrosiast. in 2. Cor. 10. 1. Prado in Ezech. 16. 15. Medus. Cluver. Paræ Grot. Durham. Pisc. Bossuet. Du Pin. 6 August. de sancta Virgin. cap. 27. 28. 29. Gagnæ. Viegas, Cornel. alii.
7 Οὗτοι ἠγοράσθησαν ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων. Plures. Οὗτοι ὑπὸ Ἰησοῦ ἠγοράσθησαν ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων. *Empti sunt a Jesu ex hominibus*. 8 Ἐν τῷ στόματι αὐτῶν οὐχ εὑρέθη δόλος. Alii plures : Οὐχ εὑρέθη ψεῦδος.

næ, & a Lege Moysis distinguitur, quæ ad Messiam usque erat valitura, & ab inani Gentilium religione in omnibus terrarum plagis jam jam delenda, atque exterminanda.

℣. 7. TIMETE DOMINUM [1], ... QUIA VENIT HORA JUDICII EJUS.] Gentiles populi, qui hactenus in ignorantiæ caligine, & Dei contemptu vixistis, incipite illum vereri, adorare, amare, nisi omne justissimæ iræ illius pondus subire velitis. Prope est, ut percutiat; sed antea minas intentat, ut ictus evitandi vobis tempus suppeditet. Vos corrigere & salvos facere quærit, non autem perdere.

℣. 8. ALIUS ANGELUS SEQUUTUS EST DICENS: CECIDIT, CECIDIT BABYLON ILLA MAGNA;] illius excidium jam decretum est, jam certus est ejus interitus; Deus enim sententiam in eam pronuntiavit. Babylonis nomine Urbem Romam intelligit [2], a barbaris populis, qui Romanum Imperium invaserunt, oppugnatam, & ab Alarico captam, atque direptam. S. Joannes hic alludit ad illa Jeremiæ verba 51. 8. *Subito cecidit Babylon, & contrita est*: vel ad illa Isajæ 21. 9. *Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum ejus contrita sunt in terram*. Hæc Civitas nondum ceciderat, cum Prophetæ illi ita loquerentur: sed illius excidium in decretis Dei jam erat constitutum. Idipsum hoc in loco dicendum de Roma, idolorum cultui mancipata, & quæ Fideles persequebatur. Illa iniquitatibus suis cumulum erat impositura Martyrum cæde, debebatque in seipsam gravissimos iræ Divinæ effectus convertere. Prædictionis hujus complementum planissime videbitur capitibus 17. 18.

QUÆ A VINO IRÆ FORNICATIONIS SUÆ POTAVIT OMNES GENTES.] Propinavit illa omnibus gentibus Calicem iræ Dei, quæ justa est pœna prostitutionis, & idololatriæ, in quam illos impulerat. In se ipsam, omnesque sceleris sui participes, Domini ultionem pertraxit. Sed alii Græcum aliter vertunt [3]: *Propinavit omnibus gentibus venenum vinum fornicationis suæ*; omnes idololatriæ sua veneno interemit. Vel potius [4], *illis bibendum dedit philtrum*, potionem amatoriam, ut illas in suas impudicitias, suamque idololatriam perduceret: quæ novissima versio huic loco melius accommodatur. Pleraque philtra vera sunt venena.

℣. 9. TERTIUS ANGELUS,] explicat ea, quæ duo priores impeditius dixerant: ait autem, quod, quicumque bestiam adoraverit, vel in se illius characterem acceperit ℣. 10. *bibet de vino iræ Dei .... & cruciabitur igne, & sulphure* in inferno, *in conspectu Angelorum Sanctorum, & ante conspectum Agni*. Agnus eorum Judex erit, Angeli erunt suppliciis spectatores, dæmones vero ministri. Opponit vinum iræ Dei Calici, quem hauriendum tradit Babylon amatoribus suis. Qui biberit ex Calice Babylonis, Salvatoris Calice inebriabitur.

℣. 11. FUMUS TORMENTORUM EORUM.] Dabuntur præcipites in abyssum flammarum, & sulphuris nunquam extinguendi, & cujus fumus in sæcula sæculorum ad Cœlum ascendet.

℣. 12. HIC PATIENTIA SANCTORUM EST.] Hæc causa est, propter quam Sancti & Fideles hoc in Mundo patiuntur quælibet cruciatuum genera, quin animos uspiam despondeant: quod videlicet & sperant, se aliquando perfruituros præmiis patientiæ suæ debitis, & quod supplicia vereantur illis præparata, qui Dei nomen polluerunt, & coram Baal in genua procubuerunt. Aspectus æternorum suppliciorum, quæ manent impios, justis suadet, ut hujus vitæ mala patienter ferant. *Fides Jesu* significat, vel *fidem in Jesum Christum*, vel *fidem, quam a Jesu Christo accepimus*.

℣. 13. BEATI MORTUI, QUI IN DOMINO MORIUNTUR,] nempe in fide, amore, & gratia Domini, vel qui moriuntur *propter Dominum* [5]; ut veritatem, & religionem propugnent. De Martyribus singulariter verba facit [6].

OPERA ENIM ILLORUM SEQUUNTUR ILLOS.] Æquum est, post tot labores, illos tandem quiescere, & in æternum frui mercede fidei suæ; namque *opera illorum sequuntur illos* in Cœlum; eaque ipsi invenient, ubi aliqua urgentur necessitate. Perveniunt in Patriam suam, aucti thesauris bonorum operum in hoc Mundo congestis. Hoc inquit Apostolus contra negantes bonorum operum necessitatem, & asserentes, nullum esse bonarum, malarumve actionum discrimen, quæ erat doctrina Simonianorum [7], Nicolaitarum, aliorumque ejus temporis Hæreticorum [8]: *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum*, ait S. Paulus 2. Cor. 5. 10.

℣. 14. ECCE NUBEM CANDIDAM.] Ecce novissimi Judicii apparatum, & præludia ejus ultionis, de qua supra fuit sermo, & cujus complementum infra videbitur. Apparet Jesus Christus in nubibus, quemadmodum sæpe in Evangelio præmonuit [9], se venturum ad ultionem suam exercendam.

HABENTEM IN MANU FALCEM ACUTAM.] Proxima Domini ultio in ℣℣. 14. 15. 18. 19. nobis exhibetur sub imagine messis, atque vindemiæ: quæ figura apud Prophetas est familiaris. Joel 3. 13. *Mittite falces, quoniam maturavit messis; venite, & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia*. Et in Isaja victor de prælio reversus cum indumentis suis sanguine imbutis ait [10], *Torcular calcavi solus, & de gentibus non erat vir mecum; calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea; & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea*. Et Jeremias Thren. 1. 15. *Torcular calcavit Dominus Virgini filiæ Juda* in Jerosalem.

℣. 16. DEMESSA EST TERRA.] Romanum Imperium vastatum est, Roma capta & direpta ab Alarico, & iis, qui cum illo venerunt.

℣. 18. ANGELUS, QUI HABEBAT POTESTATEM SUPRA IGNEM.] Exivit etiam de Altari, vel de Templo supra ℣. 15. & Apoc. 9. 13. Angelus, cujus potestas erat in ignem, & qui huic elemento fuerat præpositus. Loquitur Apostolus juxta Hebræorum præjudicia, qui elementis, sideribus, fluminibus, Civitatibus, Provinciis Angelos præpositos esse arbitrabantur. Angelus igitur ignis significat Angelum belli, & divinæ ultionis ignem late in gentes omnes effundentem. Nihil in Scripturis magis commune, quam bellum, iramque Dei ignis nomine exhibere. Intelligi quoque potest Angelus, potestatem habens in ignem perpetuum, qui præerat igni sacro Altaris holocaustorum, & cui curæ erat eumdem alere, ne aliquando interimoreretur [11]. Egreditur ergo de Altari, ubi erat hic ignis, cujus curam gerebat.

MITTE FALCEM TUAM, QUIA MATURÆ SUNT UVÆ.] Incipe uvam secare, jam enim matura est. Replevit Roma mensuram scelerum suorum, iræ tempus advenit. Missa fuit falx ℣. 19. Uva cæsa fuit, & in torculari iræ Dei collecta. Roma, atque universum Imperium sensit ultionem, quam Deus contra idololatriæ reliquias exercuit.

℣. 20. CALCATUS EST LACUS EXTRA CIVITATEM.] Falx in messem posita Romam capiendam significabat; missa vero in vineam, innuebat cruenta bella, & mala gravissima, quæ Barbari in Provinciis pepererunt. Hæc argumenta generatim adhuc ab Angelo proponuntur, sed illa fusius in sequentibus capitibus videbuntur. Tanta vero fuit cædes, *ut exiverit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta*, hoc est leucas communes 67. Hæc exaggeratio significat ea mala, quæ attulit Attila Provinciis Occidentis annis 451. & 452. [12]

CAPUT

1 Græc. *Timete Deum*. 2 Riber. Grot. Menoc. Hamm. *Past.* Bossuet. Du Pin, &c.
3 Ὅτι ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς πεπότικε πάντα ἔθνη. 4 Med. Gatak. Grot. Lod, de Dieu Hamm. 5 Berengaud. Ausbert. Haymo, Alcazar. Bex. Grot. Ribea. Med. Jun. alii.
6 Bossuet. Med. alii. 7 Iren. lib. 1. cap. 35. 8 *Ibid.*
9 Matth. 24. 30. 26. 64. Luc. 21. 27. Apoc. 1. 7. 10 Isai. 63. 2.
11 Levit. 6. 12. *Ignis in altari semper ardebit.* 12 Bossuet.

CAPUT XV.

Septem Angeli septem novissimas plagas manu generentes. Mare pellucidum, super quo Victores Moysis canticum recinunt. Septem Angeli ultores de Sanctuario egrediuntur, eisque tribuuntur septem phialæ iræ Dei. Templum repletur fumo.

1. ET vidi aliud signum in cælo magnum, & mirabile, Angelos septem, habentes plagas septem novissimas: Quoniam in illis consummata est ira Dei,
2 Et vidi tamquam mare vitreum mistum igne, & eos, qui vicerunt bestiam,
& imaginem ejus, & numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei: 3 Et cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum Agni,
dicentes: Magna, & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: justæ,
& veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. 4 Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt. 5 Et post hæc
vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cælo. 6 Et exierunt
septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo, & candido,
& præcincti circa pectora zonis aureis. 7 Et unum de quatuor animalibus dedit
septem Angelis septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. 8 Et impletum est templum fumo a majestate Dei, & de virtute ejus: &
nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem
Angelorum.

℣. 1. VIDI ALIUD SIGNUM IN COELO .... ANGELOS SEPTEM HABENTES PLAGAS SEPTEM NOVISSIMAS.] Angeli isti erant iræ divinæ Ministri, atque percussuri erant Romam, quæ nefarie Sanctos fuerat persequuta septem plagis novissimis, quæ respondent prioribus septem, de quibus supra fuit sermo cap. 8. 2. & sequ. usque ad cap. 14. Primæ illæ partim contra Fideles erant, & partim contra persecutores, atque innuebant, & quid ab Ethnicis Servi Dei essent passuri, & quibus flagellis a Deo persecutores essent percutiendi. Sed Angeli septem, de quibus hic sermo, in Romanum dumtaxat Imperium, & Romam, quæ Sanctorum sanguinem effudit, invehuntur. Semper occurrit hic numerus Angelorum septem, tanquam septem præcipuorum Ministrorum Omnipotentis. Ne- B que mirum est, quod boni Angeli ad severitatem & ultionem exercendam adhibeantur: Angeli enim æque in Deo & justitiam, & misericordiam adorant.

Sequentis Capita planius ostendent litterale, historicumque complementum eorum, quæ isthic leguntur. Post hæc septem flagella *consummata erit ira Dei* in Imperium Romanum. Hoc erit novissimum vulnus, neque bis illud iterabit Deus. Hæc Sancti Joannis locutio conferri potest cum aliis aliorum Prophetarum, quæ gravissimum, in nullam reditus spem, excidium significant. Isaias 10. 22. *Consummationem & abbreviationem Dominus Deus Exercituum faciet*, hoc est omnia prorsus delebit. Nahum 1. 8 *Consummationem faciet, & non consurget duplex tribulatio*. Jeremias 4. 27 *Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam*; hoc est C non eousque mea sæviet ira, ut sævire ulterius minime possit: & 5. 10. *Ascendite muros ejus, & dissipate, consummationem autem nolite facere*: ne eam funditus evertatis, & diruatis. Hic vero a contra minitatur Deus, se adversus Sanctorum suorum persecutores iram suam consummaturum.

A ℣. 2. VIDI TAMQUAM MARE VITREUM.] Pelvim ingentem, & maximam repletam aqua nitida, æque ac crystallus, & æque lucenti, ac ignis. Hic non aliud intelligimus Mysterium, quam supra cap. 4. 6. *tamquam mare vitreum simile crystallo*. Hæc pelvis erat ea aqua repleta, quæ Sancto Johanni apparuit ante thronum Dei in Cælo; eodem ferme pacto, quo in Templo maximum aderat æneum vas, quod mare dicebatur; & in aulis Regum, & Principum virorum Orientis labra videntur immania, & ingentia psycteria. Super hoc mare positi erant sancti Martyres, cum musicis instrumentis, illum celebrantes, per quem de bestia victoriam retulerant.

HABENTES CYTHARAS DEI.] Musica videlicet instrumenta, quæ in Templo Domini pulsari consueverant [1]; vel musica instrumenta præstantia, & penitus Divina. In Jerusolymitano Templo Levitæ cum cytharis, & buccinis prope altare holocaustorum psallebant. Isti vero prope mare personant, cujus rei rationem infra videbimus.

℣. 3. CANTANTES CANTICUM MOYSI, ET CANTICUM AGNI.] Hoc mare aquæ, & ignis exhibebat illud mare, quod Moyses, & Israel in exitu de Ægypto traduxerunt; memoria celeberrimi hujus facti collata cum liberatione persecutionis, & mortis illis occasionem præbet canendi canticum, quod tunc Moyses elucubratus est [2]: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est; equum, & ascensorem dejecit in mare*. Canticum Agni significat canticum, quod Agnus illis tradiderat, vel quod Agni laudes continebat; vel denique Canticum Moysis ad Agnum, & victoriam traductum, quam ope illius de peccato, Mundo, & dæmone retulerant. S. Johannes hic tradit nonnulla hujus cantici verba: *Magna, & mirabilia sunt opera tua, Domine, Rex sæculorum*; Græcus [3]: *Rex Sanctorum*; alia exemplaria: *Rex gentium* &c. quod fortasse erat carmen intercalare. Laudabant justitiam, magnitudi

1 Vide 1. Par. 16. 42. 2. Par. 7. 6. 34. 12. Grot. Med.   2 Exod. 15. 1. 2. 3. & sequ.
3 Ὁ Βασιλεὺς τῶν ἁγίων. Alii, Ὁ Βασιλεὺς τῶν ἐθνῶν. Ita Steph. u. 11. Alex. Baroc. Petav. 2. 3. Hunt. 1. Cov. 2. Sin. Arab. Æth. Areth. Seidel. Alii, Αἰώνων. Velex. Syr. Æd. Vulg.

dinem , & majeſtatem Dei , & futurum prædicebant , ut illius majeſtas , & æquitas ab omnibus populis adoraretur .

℣. 5. APERTUM EST TEMPLUM TABERNACULI .] Sæpe animadvertimus , Sanctum Johannem ea omnia , quæ in Cœlo vidit , nobis deſcribere juxta exemplar eorum , quæ in Templo Jeroſolymitano videbantur . Quod hic vocatur *Tabernaculum Teſtimonii* , non aliud fortaſſe eſt , quam Arca Fœderis , ubi Majeſtas Domini reſidebat , & ubi oracula ſua reddebat de ſummo propitiatorio , licet ratione plane inviſibili . Sanctuarium apertum ſignificat manifeſtationem decretorum Dei . In deſerto Tabernaculum Teſtimonii vocabatur Tentorium illud , quo ſecedebat Moyſes, Domini mandata excepturus [1] .

℣. 16. EXIERUNT SEPTEM ANGELI .] De Templo , vel de Tabernaculo a conſpectu Majeſtatis Dei , cujus poteſtate præditi , ejuſque imperata facientes profecti ſunt ad effundendas ſeptem noviſſimas plagas iræ Dei ſuper Gentiles Eccleſiæ illius perſecutores .

VESTITI LINO MUNDO , ET CANDIDO .] Veluti Sacerdotes , donec erant in Templo Angeli plerumque candidis , nitidiſque induti veſtibus apparebant [2] . Vetera quædam Græca , & Latina exemplaria legunt [3] . *Veſtiti lapide mundo , & nitenti* , quæ lectio ante Sixti V. correctionem communis erat etiam in editis .

℣. 7. UNUM DE QUATUOR ANIMALIBUS .] Quæ erant in quatuor angulis throni [4] & quæ illum fortaſſe fulciebant , eadem ratione , qua Cherubim Ezechielis illum deferebant [5] . Unum igitur ex his quatuor animalibus , vel Cherubim , ſingulis ſeptem Angelorum de Sanctuario egredientium dedit *ſeptem phialas aureas plenas vini iracundiæ Dei æterni* , & Omnipotentis . Liquet , in Scripturis iram , & ultionem Dei ſæpius exhiberi ſub imagine Calicis , qui in orbem circumfertur hauriendus [6] , quin eorum aliquis , cui exhibetur , ex eodem bibere abnuat ; quæ quædam eſt allegoriæ ſpecies deſumpta ex iis , quæ in religionis conviviis conſueverant , in quibus omnes convivæ ex oblato ſibi Calice bibere tenebantur . *Phiala* ſignificat vas liquoribus , atque igni continendo idoneum , ita ut ibi & thus poſſet adoleri , & vini , ſanguiniſque libationes fieri .

℣. 8. ET IMPLETUM EST TEMPLUM FUMO .] Quemadmodum cum Salomon illius dedicationem peregit [7] craſſior nebula Sanctum replevit , ita ut Sacerdotes illuc non auderent accedere , rati , fumum illum ſymbolum eſſe gloriæ Domini , ut olim in deſerto columna nubis , quæ ſuper Tabernaculum apparuit , nota , & pignus præſentiæ Domini fuerat [8] . In Iſaja cap. 6. 4. cum Dominus apparuit in Templo , inſidens throno ſuo , domus , vel Templum fumo , aut craſſa nube repletum eſt : *domus impleta eſt fumo* , fumus autem non in Sanctuarium , & Sanctum tantummodo , verum etiam fortaſſe in Atrium Sacerdotum ſe ſe effudit . Vel replevit penitiora tantum Templi adyta , Sanctum , & Sanctuarium ; eodem ferme pacto , quo cum Summus Sacerdos in Sanctuarium , vel Sacerdos hebdomadarius in Sanctum ingrediebantur , illuc magnam fumantis thuris vim deferebant , qui ſanctis locis fumum , & caliginem quamdam offundebat , ita ut Sacerdotes attentius partes , atque ornamenta omnia ſingulatim perpendere minime poſſent , & ſacris iis locis majeſtas quædam conciliaretur , ut nonniſi cum gravi terrore illuc accederent .

---

1 Exod. 26. 31. &c. 2 Ezech. 9. 2. Dan. 10. 5. Matth. 28. 3. Joan. 20. 12. Act. 1. 10.
3 Ἐνδεδυμένοι λίθον καθαρὸν καὶ λαμπρόν . Alii : Λίθον καθαρὸν . Ita Alex, Velez. Meminit hujus lectionis Andreas Cæſar. in hunc locum . Plures Vulgatæ libri antiqui : *Veſtiti lapide mundo* , quam lectionem notant , Autbert Beda . Haymon. 4 Apoc. 4. 6. 7. 8. 5 Ezech. lib. 5. 6. 7. 8. & ſeq.
6 Iſai. 51. 17. 22. Jerem. 25. 15. 49. 12. 51. 7. Thren. 4. 21. Ezech. 23. 31. Abac. 2. 16. Matth. 26. 39. Pſal. 74. 7 2. Par. 13. 6. 1. 2. 7. 1. 2. & ſeq. 8 Exod 33. 9. 10. 40. 32. Levit. 16. 2. Num. 9. 15. 16.

CAPUT XVI.

Septem Phialæ in terram effuſæ . Prima ulcera parit : altera mare in ſanguinem immutat : tertia eamdem in ceteris aquis gignit immutationem : quarta ingentem ciet calorem : quinta affligit cor impiorum : ſexta Euphratem exſiccat : ſeptima ingentem terræmotum producit . Terribiles ejus effectus . Grando talenti pondere . Peccatorum impœnitentia .

1. ET audivi vocem magnam de templo , dicentem ſeptem Angelis : Ite , & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram . 2 Et abiit primus , & effudit phialam ſuam in terram ; & factum eſt vulnus ſævum , & peſſimum in homines ,
qui habebant characterem beſtiæ , & in eos , qui adoraverunt imaginem ejus . 3 Et
ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare , & factus eſt ſanguis tamquam mortui:
& omnis anima vivens mortua eſt in mari . 4 Et tertius effudit phialam ſuam ſuper
flumina , & ſuper fontes aquarum , & factus eſt ſanguis . 5 Et audivi Angelum aquarum dicentem : Juſtus es , Domine , qui es , & qui eras ſanctus , qui hæc judicaſti :
6 Quia ſanguinem Sanctorum , & Prophetarum effuderunt , & ſanguinem eis dediſti
bibere ; digni enim ſunt . 7 Et audivi alterum ab altari , dicentem : Etiam , Domine Deus omnipotens , vera , & juſta judicia tua . 8 Et quartus angelus effudit phialam ſuam in ſolem ; & datum eſt illi æſtu affligere homines , & igni : 9 Et æſtuaverunt homines æſtu magno , & blaſphemaverunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper
has plagas , neque egerunt pœnitentiam , ut darent illi gloriam . 10 Et quintus Angelus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ ; & factum eſt regnum ejus tenebro-

ſum ,

fum, & commanducaverunt linguas suas præ dolore : 11 Et blasphemaverunt Deum cœli, præ doloribus, & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. 12 Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem : & siccavit aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu solis. 13 Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum. 14 Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei. 15 Ecce venio sicut fur. Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. 16 Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraice Armagedon. 17 Et septimus Angelus effudit phialam suam in aerem, & exivit vox magna de templo a throno, dicens : Factum est. 18 Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus factus est magnus, qualis numquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram : talis terræmotus, sic magnus. 19 Et facta est civitas magna in tres partes, & civitates Gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus. 20 Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi. 21 Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines : & blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis : quoniam magna facta est vehementer.

℣. 1. EFFUNDITE SEPTEM PHIALAS [1] IRÆ DEI.] A Hæ plagæ septem imitantur decem Ægypti plagas. Ambigitur [2], utrum septem hæ phialæ fuerint vel simul omnes, vel subinde effusæ in varias Imperii Romani Provincias, quod isthic *terræ* nomine designatur [3]. Sancti Joannis narratio poscere videtur, ut potius de successiva effusione explicetur. Postquam cap. 13. ℣. 11. & sequ. verba fecit de Juliani persecutionibus contra Ecclesiam, nobis hic exhibet mala, quæ illius Principis Regnum exceperunt. Hoc est systema, quod præsenti in capite sequemur; in illud enim duplex nos ratio impellit. Prior est, quod S. Joannes monet, has *plagas septem novissimas* [4] esse, & neminem potuisse Templum ingredi, antequam septem plagæ consummarentur [5]. Altera vero est, quod ℣. 17. capitis hujus post septimæ phialæ effusionem audita fuit vox de summo throno egrediens, & clamans : Factum est ; & quod ℣. 19. *Facta est Civitas magna* Roma *in tres partes, & Civitates gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi Calicem vini indignationis iræ ejus*. Postrema hæc verba conveniunt solum bellis Gothorum contra Romanos, Roma, & Civitatibus Imperii captis. Insignia hæc facta summatim duntaxat hoc in capite proponuntur; sed in sequentibus perspicue magis videntur.

Bossuet Meldensis Episcopus quinque priores plagas de iis explicat, quæ in Romano Imperio contigerunt, imperantibus Valeriano, & Gallieno. Sexta plaga convenit cum persecutionibus Valeriani, Diocletiani, & Juliani; septima vero cum temporibus Honorii, & Alarici [6]: Hoc systema probari quidem potest; at ego quidem tria invenio, quæ absurda videri possunt. Primum quod repente a Juliano ad Valerianum retrocedimus per spatium annorum ferme centum : Alterum quod gressus fit repente a Valeriano ad Julianum, a Juliano ad Honorium, & Alaricum, quæ quidem intervalla grandiuscula mihi videntur. Tertio S. Joannes supponit, hæc omnia pœnam esse persecutionum, de quibus loquutus est hic ℣. 2. 10. 13. & bestiam, quæ illas peperit, adhuc vigere. At bestia tunc solum apparuit cum Diocletiani persecutio descripta fuit.

℣. 2. ABIIT PRIMUS, ET EFFUDIT PHIALAM,] & homines idololatræ percussi sunt plaga sæva & pessima ; Græcus [7] *ulcere*. Hæ plagæ, quibus Deus percutit homines, in bonos æque ac in impios decidunt; cum hoc tamen discrimine, quod boni putant, illa esse virtutis suæ experimenta, vel remedia, vel occasiones Cœlum promerendi, vel signa divinæ erga se bonitatis [8]; impii vero existimant vera esse mala, ideoque furunt, & in Deum blasphemant, quemadmodum illos facere videmus ℣℣. 9. 10. 11. Justi ergo hæc flagella patienter, atque hilariter ferunt; impii vero in furorem, impatientiam, & desperationem erumpunt. In his præludia sunt æternorum cruciatuum, qui illos manent; in justis vero nova sunt meritorum origines, & recentes spei causæ.

℣. 3. SECUNDUS ANGELUS] cum effudisset phialam suam in mari, omnis aqua in sanguinem conversa B est, & pisces omnes interierunt. *Aquæ maris* universum Imperium significant, quemadmodum *aquæ fluminum* sequenti versiculo designant Provincias. Aquæ maris, & aquæ fluminum in sanguinem immutatæ indigitant bella, quæ Romanum Imperium inundarunt, cum rerum summam obtinerent Valentinianus, Valens, Gratianus, & sequentes. Eo enim tempore Persæ in Orientali parte, & Gothi, aliique barbari in Occidentali vexabant Imperium [9]. Procopius coronam assumit, & in Valentinianum arma capit [10]: Germani Rhenum traducunt, & Romanos delent [11]. Isauri Asiam percurrunt : Astutii Africam depopulantur. Anglia a Pictis, & Scotis [12] ferro, flammaque vastatur. Imperium iterum turbatum fuit anno 377. & 378. a Gothis, & Germanis, qui annis sequentibus impetum C suum minime retardarunt.

Ethnica religio tunc erat adhuc potens, quemadmodum liquet ex Oratione Libanii anno 384. pro Templorum incolumitate habita, & ex petitione Symmachi, qui eodem anno efflagitavit, ut Ara Victoriæ instauraretur : quam eamdem petitionem Senatus anno 392. iteravit. Eugenius Valentiniani interfector, cum Augusti titulum sibi vendicasset, immanem collegit exercitum [13], conflatum partim ex auxiliaribus copiis, partim ex præsidiis Barbarorum, quos in suas partes pellexerat. Eugenius plane favebat Ethnicis, quippe illis Templorum suorum redditus, & Aræ Victoriæ instaurationem permisit [14]. Tune iterum Romæ victimæ cœperunt mactari, & Civitas illa rursus pol-

1 Ἐκχέετε τὰς φιάλας. *Effundite phialas*. Alii : Τὰς ἑπτὰ φιάλας, ita Steph. 16. Alex. Baroc. Hunt. 1. Covel. 2. Syr. Arab. Areth. 2 Dupinius & Bossuet in hunc locum.
3 Grot. Hamm. Bossuet, Du Pin. Vide supra 8. 8. 13. 9. 1. 3. 11. 6. 10. &c.
4 Cap. 15. 1. 5 Apoc. 15. 8 6 Hic vers. 2. 5. 6. 7. 7 Ἕλκος κακὸν & πονηρὸν, &c.
8 Vide Dionys. Alex. apud Euseb. lib. 7. Hist. cap. 22. Cyprian. de Mortalitate.
9 Anno J. C. 364. 10 An. J. C. 365. 11 An. J. C. 366. 12 An. J. C. 367.
13 An. J. C. 393. Vide Oros. l. 7. c. 35. 14 Paulin. Vit. S. Ambros. pag. 85. Ambros. Ep. 15.

polluta fuit cruore animalium, quibus dæmoni litabatur. Theodosius iterum contra Eugenium ducit agmen, & primum quidem Alpes traducere conatus est, sed consertis manibus permisit Deus, ut non exiguam exercitus partem amitteret. Iterum tamen in aciem descendit, ubi Eugenium vicit, illius exercitum internecione delevit, & Eugenium ipsum captivum duxit. Postmodum Senatui significavit, se omnino nolle, ut ex ærario sacrificiorum sumptus erogarentur, quam ob rem illa penitus neglecta sunt, et fana deserta, Sacerdotes etiam et Antistites Idolorum ejecti [1].

Et ipso anno 389. Theodosius jam Serapidis Templum eorum omnium, quæ Alexandriæ erant, celeberrimum solo æquavit; anno vero 399. eo universo Imperio idola omnia sublata sunt [2], delubra, quæ erant in agris, eversa propter Arcadii Imperatoris legem [3], qua gravissimis propositis pœnis prohibuit, ne quis ullarum Deorum Templa ingrederetur, aut alicubi illis Sacra fierent [4]; atque sexto idus Decembris anni 400. Sacerdotes atque Idolorum ministros ejecit pe... legis, quæ iisdem olim concesserat: & hoc nomine illos cavit, quod e... munus a legibus ipsis damnaretur.

Imperator Honorius Arcadii frater non minorem zelum protulit in Occidente, ut funditus Idolorum cultum everteret. Anno 399. edictum fecerat, ut omnes idololatriæ notæ tollerentur [5]; & Auctor libri Promissionum, qui Sancti Prosperi nomine circumfertur, ait, illum omnia Deorum fana Ecclesiis dedisse una cum Claustris contiguis, usque subjectis; atque potestatem tradidisse fidelibus, ut omnia Idolorum simulacra confringerent. S. Augustinus etiam [6] scribens anno 400. contra Parmenianum Donatistam, ait, Leges omnino recentes præcipere, ut Ethnicorum simulacra confringantur, & vetare capitis pœna proposita, ne Idolis Sacra fierent, & re ipsa testatur in omni ferme terrarum Orbe Idola diruta, Sacrificia antiquata, & gravissimis suppliciis affectos fuisse, qui dæmones venerarentur, ubi hoc liquido innotuisset.

Ita licet Imperium bellis, & calamitatibus affictaretur, Regna enim Arcadii & Honorii nullatenus fausta forent, Ethnica religio jacuit, & permisit Deus, ut earum calamitatum pondus in ipsorum suæ religionis hostium caput relaberetur. Arcadius, & Honorius Principes non satis cordati, ac fortes, subinde variorum Ducum regebantur consilio; Arcadius quidem primum a Rufino, Honorius vero a Stilicone. Rufinus in Orientem Hunnos, in Thraciam Gothos accersivit; excivitque Alaricum, qui Græciam omnem late depopulatus est [7]. Rufino autem ab exercitu trucidato in ejus locum subiit Eutropius. Anno 397. Arcadius Stiliconem hostem esse declaravit. Gildo in Africa ab Honorio defecit. Anno 399. Tribigildus in Asia rebellavit, & anno sequenti Gainas, ubi Tribigildum subegisset, ipse etiam deficiens delectus, cæsusque fuit ultra Danubium. Ex alia parte Alaricus, & Radagaisus in Italiam non prope ab Aquileja defectionem fecere. Alarico Italiam ingrediente anno 402. omnia late contremuerunt, & Roma ipsa pertimuit. Anno sequenti insigne editum fuit prælium inter Alaricum, atque Romanos: qui primum quidem meliori fortuna usi sunt, mox vero deleti [8]. Stilico Alaricum impulit, ut Arcadio bellum inferret. Radagaisus anno 405. in Italiam irrupit cum quadringentis hominum millibus, & anno sequenti Vandali, Alani, & Suavi Gallias invasere, quas Franci, Burgundi, aliique barbari paulo post Vandalos depopulati sunt. Alaricus a Stilicone illectus, ut Arcadio bellum inferret, adversus Honorium revertitur, Alpes traducit, & ad Imperatorem mittit petitum magna auri pondera. Romam usque progreditur, eamque obsidet: at misera Civitas, postquam fame, & peste laborasset, omnium divitiarum suarum pretio libertatem redemit [9].

Conati sunt Alarico plurima requirenti satisfacere; ideoque cum ipso inita fuerunt colloquia, sed nihil potuit ad finem perduci; iterumque ille Romam obsedit, eamque coegit, ut Attalo Imperatoris nomen deferret. Denique nono Kalendas Septembris anno 410. Alaricus Romam ingressus illam diripuit [10], & biduo post egressus est, ut reliquam Italiam depopularetur. Hæc summatim ea sunt, quæ in Imperio acciderunt per annos quinquaginta, qui Juliani Apostatæ mortem subsequuti sunt. Ex hoc levi specimine judicari potest, utrum verum sit, ab eo tempore maris, & fluviorum aquæ in sanguinem immutatæ fuerint juxta propheticam Evangelistæ locutionem jugibus in bellis, quibus ubique Imperium fuit afflictatum. Hoc intelligi etiam potest de Imperio maritimo a Romanis amisso. Post Maximum, qui ingentem adornavit in Mediterraneo classem contra Theodosium Magnum, non potuit deinceps Roma aliam classem instruere, neque eam resarcire cladem, quam Maximus a Theodosio victus receperat.

℣. 5. AUDIVI ANGELUM AQUARUM.] Angelum videlicet præpositum aquis maris, & fluminum, qui Dei justitiam celebravit, & quin doleret ob cladem tot populorum, qui isthic aquarum nomine designantur, Dominum laudavit, & confessus est, nihil ab eo non æquissime factum fuisse, ultionem reposcente effusi Martyrum suorum cruoris, Idolorum cultum evertente, & curante, ut veritas, & vera religio triumpharet. Licet enim, quemadmodum jam animadvertimus, Fideles nequaquam immunes fuerint a communibus Imperii calamitatibus, eos tamen Deus peculiari ratione protexit. Imperatores erant Catholici; ipse etiam Alaricus post Romam captam, licet Arrianus esset, voluit Christianorum Ecclesias asylo esse iis, qui illuc confugerent [11].

℣. 6. QUIA SANGUINEM SANCTORUM, ET PROPHETARUM EFFUDERUNT.] Barbari in Imperium effusi, Romano sanguine inebriati sunt: *Omnes fere barbaræ gentes Romanorum sanguinem biberunt*, Salvianus l. 7. init. cit. Viginti jam effluxerunt anni & ultra, ex quo a Constantinopoli ad Julianas alpes Romanus cruor continenter effunditur, S. Hieronymus inquit [12]. Gothi, Sarmatæ, Quadi, Alani, Hunni, Vandali, Marcomanni, inundarunt, Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Agros Thessalonicæ, Achajam, Epirum, Dalmatiam, omnemque Pannoniam; quas Provincias depopulantur, devastant, omnesque mortales in captivitatem traducunt. Undequaque clamores, gemitus, ejulatus, & cædes sexcentis modis illatæ exaudiuntur; & quasi tot mala ad nostrum interitum non sufficerent, Civile bellum plures perdit, quam qui barbarorum gladiis intereunt. Hoc Divus Hieronymus testis malorum ævi sui.

℣. 8. QUARTUS ANGELUS EFFUDIT PHYALAM SUAM IN SOLEM,] & homines nimio caloris æstu vexati sunt. Perrarum est, quod historiæ harum rerum monumenta transmittant, nisi præter naturam sint. S. Augustinus [13], Tyro, Prosper, & Marcellinus meminerunt cujusdam nubis igneæ, quæ pluribus diebus super Constantinopolim apparuit, quam in cineres redigere velle videbatur; cujus miraculi testes non defuisse ait S. Augustinus in populo suo, & fortasse etiam inter eos, a quibus audiebatur. Hoc accidit anno Jesu Christi 396. Arcadii Imperatoris 2. Primum quidem sub initium

noctis

1 Zosym. lib. 4. cap. 5. Histor. 2 Idacius & Tiro Prosper.
3 Cod. Theodos. 10. t. 10. l. 16. 4 Cod. Theodos. 16. t. 10. l. 13. pag. 277.
5 Cod. Theodos. 16. t. 10. lib. 15. pag. 280. 6 August. contra Parmenian. lib. 1. cap. 9.
7 An. J. C. 395. 8 Oros. lib. 7. cap. 37. Cassiodor. Chronic. Jornand. pag. 613.
9 Zosym. lib. 5. pag. 814. 815. Sozomen. lib. 9. cap. 6. 10 Vide Hieron. Ep. 16. Orosium lib. 7. cap. 39.
11 August. de Civit. lib. 5. cap. 23. Oros. lib. 7. cap. 39. Hieronym. Ep. 16.
12 Hieronym. Ep. ad Heliodor. Epitaph. Nepotiani. 13 August. de Urbis Rom. excidio. cap. 6.

noctis visa fuit nubecula quædam ignita ex Oriental plaga consurgere, quæ semper crescens ita processit, donec tandem super universam Civitatem sese latius extendit. Quilibet capiti suo flammam pendulam imminere videbat, simulque gravissimum sulphuris odorem sentiebat. Undequaque omnes ad Ecclesias confugiebant, & qui nondum baptismo fuerant regenerati, sollicite salutaribus aquis ablui efflagitabant. Hæc S. Augustinus, qui tamen ad ea solum animadvertit, quæ apud Fideles fiebant: verumtamen credibile est, Ethnicos, atque impios minime pœnitentiam egisse peccatorum suorum, immo e contra blasphemias evomuisse in Deum, a quo hac plaga percutiebantur, quemadmodum hoc in loco ait S. Joannes. Fortasse etiam arbitrari sunt, illud phænomenon signum esse iræ Deorum suorum contra Christianos. Verum non licet hic divinare, neque conjecturas nulli innixas rationi venditare. Verba facit Salvianus l. 7. c. 39. de fulminibus, quæ Deus contra superba urbis Romæ monumenta, quæ hostiles evaserant flammas, sæpe jaculatus est; & sanctus Hieronymus ep. ad Marcellam affirmat, loca magis sublimia, & quæ olim ab superstitiosa Civitate sanctissima habita fuerant, sæpe igni de Cælo tacta fuisse in odii signum, quo eamdem Deus persequebatur.

℣. 10. QUINTUS ANGELUS] phialam suam effudit super thronum bestiæ, qui tenebricosus factus est. Thronus bestiæ Romana est Civitas, quæ quidem erat tanquam solium Imperatorum, & idololatriæ propugnaculum. Hæc cum illustris esset, & gloriosa, facta est caliginosa, & obscura, cum tradita Barbaris obsidetur, expugnatur, diripitur, opibus & ornamentis exuitur, & ad miserrimarum Civitatum inopiam redigitur. Hoc autem accidit duobus, vel tribus novissimis Alarici annis ab anno 408. ad 410., quo tempore Roma capta fuit, atque in direptionem tradita. S. Hieronymus [1] de calamitosis iis temporibus loquens exclamat: *Clarissimum terrarum omnium lumen extinctum est: imo Romani Imperii truncatum est caput; & ut verius dicam, in una Urbe totus orbis interiit*.

ET COMMANDUCAVERUNT LINGUAS SUAS PRÆ DOLORE.] Roma adhuc plena erat Ethnicis, quanquam Christiana religio Imperatorum auctoritate ibi dominaretur. Lapsus hujus Civitatis olim totius Mundi Dominæ universum Imperium concussit. Provinciæ omnes, & præcipuæ Civitates excidii ejus fuere participes. Romani cum Ethnici, tum Fideles, ex calamitosa ea Urbe aufugerunt ad extremam inopiam redacti, omnesque Occidentis, & Orientis Provinciæ repletæ sunt hominibus, quos Roma Barbarorum terror ejecerat. Descriptio, quam ævi illius Auctores [2] de hac dispersione reliquerunt, legentibus mœrorem infert. Romani tamen sese non converterunt, & qui Ethnici erant, tot, tantaque hæc mala accepta referebant idolorum eversioni, & cultui Jesu Christi, & quod mirum est, plerique eorum, qui hujusmodi blasphemias evomebant, ex eorum erant numero, qui mortem evitaverant, vel in Christianorum Ecclesias confugiendo, vel se Jesum Christum colere fimulando [3]. S. Augustinus de Civit. l. 1. c. 31. animadvertit, Romanos hos profugos, cum ex Patriæ suæ naufragio emergentes, in Carthaginis portum vix appulissent, statim ad theatra cucurrisse, interfuisse iis seditionibus, quæ ibi grassabantur, & majores, quam antea, turbas peperisse.

Ut Ethnicorum blasphemiis, quas illi ob factum hoc proferebant, responderet Sanctus hic, magnum illud opus suum de Dei Civitate conscripsit, & Paulus Orosius historiam universalem aggressus est, quæ extat adhuc. Et sane flagitiosos id genus sermones Romanorum nequam in sceleribus suis, atque in idololatria obduratorum frequentes nimis fuisse opus est, quandoquidem S. Augustinus serio eosdem confutat, atque eorumdem passim meminit in operibus suis [4]. Hic habes quomodo ad litteram probari possunt, quæ S. Joannes ait de blasphemiis, & impœnitentia hominum, bestiæ throno adhærentium. *Obsessa est Urbs Roma, & expugnata, & non desierunt blasphemi, ac furiosi esse Romani*, Salvianus ait l. 6. de Providentia.

℣. 12. SEXTUS ANGELUS.] S. Joannes, ubi Romæ lapsum ostendit, & mala, quæ in universo Occidente illum præcesserunt, & subsequuta sunt, in orientem nos revocat, ut ibi quoque videamus divinæ ultionis effectus in Idololatriam, Hæresim, & Magiam, quemadmodum sequentibus versiculis innotescet. Euphratea exhaustus innuit, apertam esse viam Orientis Regibus, ut in Romanorum terras irrumpant, quorum quoddam veluti vallum fluvius ille habebatur. Prophetæ Isaias 11. 15. & Zacharias 10. 10. eadem figura usi sunt, ut facilitatem nobis innuerent, qua Hebræi de suis captivitatibus Ægyptia, & Babylonica reversi sunt. Psalmista psal. 65. hoc ipsum ait; & Auctor quarti libri Esdræ c. 13. 41. illud ad literam intelleat, tatus, Dominum per Euphratem captivo populo viam aperuisse, ut in alias terras concederet, ubi legem suam posset observare.

Hic autem res in eo vertitur, ut ex historiæ monumentis ostendamus, Orientis Reges facillime in Romanorum terras irrupisse. Vidimus supra, Julianum, cum temere in Persidem processisset, ibi & copiarum suarum partem, & vitam ipsam amisisse. Jovianus, qui illi successit, ea imminenti maximæ cladis periculo Romanam aciem educere non potuit, nisi turpes pacis conditiones a Persis recipiens. Illis relinquere debuit tres Provincias, quæ Tigri flumine alluuntur cum multis oppidis, & Urbibus Nisibe, & Singara, atque interposita juramenti fide sese adstringere, nullam se opem Arsaci Armeniorum Regi adversus Persos allaturum. Ita fines Romani Imperii, ea ex parte arctati sunt. Valens autem Joviani successor contra Persas bellum iniit anno 372. & contra illos, Param Armeniæ Regem adjuvit. Anno quidem 373. Valens aliquam de hostibus victoriam visus est retulisse, Ducibus Comite Trajano, & Vadomiro, qui olim Germaniæ imperitaverat [5]. Sed anno 374. cum Valens per proditionem interemisset Param Armeniæ Regem, bellum inter Persas, & Romanos exarsit: quod ut componeretur, duo nequicquam anni effluxerunt; at demum anno 376. cum Sapor in Armenia, & Hiberia varias retulisset victorias, coegit Valentem, qui alibi a Gothis tunc premebatur, ut pacem [6] iis conditionibus acciperet, quas in tanta Imperii calamitate potuit impetrare.

Interim Romanorum fines omnibus patebant excursionibus, & direptionibus cum Persarum, tum Isaurorum, atque Saracenorum. S. Basilius in Epistola, quæ sub finem anni 373. scripta videtur, ait, u Cappadocia Constantinopolim usque omnia hostibus plena fuisse ita, ut iter illac suscipere minime liceret; & ex ratione, qua hæc ab illo narrantur, malum hoc altero quoque die accidisse videtur. Saraceni pace perfracta ad Montem Sinai, & Erythræum usque mare [7] excurrerunt: quæ tanta mala inde sane proficiscebantur, quod fines Romanorum circa Euphratem, & Orientem non satis erant validi, neque inerat Romanis præsidiis tantum virium, ut eos populos possent in officio continere.

℣. 13. ET VIDI DE ORE DRACONIS,] & bestiæ, & pseudo-Prophetæ tres prodire dæmones, tanquam ranas (℣. 14.) qui iverunt ad Reges totius terræ, ut eos congregarent in magnum diem Dei Omnipotentis. ℣. 16. quod non caplerunt in loco, qui Hebraice dicitur *Armagedon*. Hic locus fortasse idem est ac *Mageddo* [8] in Palæstina, plurimorum Principum cæde nobilitatus. *Sisara* & Reges Chanaam illius fœderati, ad Mageddo cæsi fuerunt a Barach [9]; Ochozias Rex Juda ibidem inte-

1 Hieronym. Præfat. in Ezechiel. 2 Vide S. Hieron. Epist. 12. & in Ezech. S. August. lib. 1. de Civit. cap. 5. & 32. & Serm. de Excidio Urbis Romæ, &c. Orosi. Hist.
3 August. lib. 1. de Civit. cap. 1. 4 Vide Sermones 81. 105. 106. &c.
5 Amian. Marcell. lib 29. 6 Zosym. lib. 4. pag. 748. Eunap. Excerpta de Legationib. ad calcem Eunap. 7 Sozomen. lib. 6 cap. 38. 8 *Armagedon* Hebraice הר מגדון *Mons Mageden*.
9 Judic. 4. 7. 16. 5. 19.

rit [1]; Josias eodem in loco lethali vulnere confossus fuit, ejusque exercitus deletus [2]. Deoiq; ibi periisse credimus Cambysem, qui in Ezechielis prophetia nomine Gog, & Magog [3] designatur. Non procul inde Josue complurium Chananæorum Regum delevit exercitum [4], & deinde Romani ibidem validum præsidium collocarunt in Urbe, quæ Legio appellabatur, ut tuerentur eas montium fauces, qua de Phœnicia in Palæstinam aditus erat.

Igitur Armagedon hoc in loco usurpatur pro loco ultionis, & cædis. Zacharias 12. 11. verba facit de luctu *Adradremmon* prope Mageddo insigni propter mortem Josiæ, tanquam de re, quæ apud Judæos adagii locum obtinuerat. S. Joannes isthic innuere vult, Reges, & pseudo-Prophetas, vel Magos, qui bestiæ, & draconis spiritu se decipi passi sunt, & qui alios decipere quæsiverunt, ab Omnipotente esse judicandos, & ab eodem nequitiæ eorum justam pœnam esse infligendam. At scimus, Valentem Arianum successorem Joviani, qui toto Regni sui tempore Catholicos fuerat persecutus, & qui exercitui suo præposuerat Sebastianum Hæreticum Manichæum, insignem propter ea mala, quæ Catholicis Alexandrinis intulerat: Valentem, inquam, contra consilium peritissimorum Ducum, & prædictionem Isaaci Sancti Eremitæ, qui illi, & exprobraverat persecutiones, quibus vexabat Ecclesiam, & ipsius, totiusque exercitus cladem prædixerat; nihilominus contra Barbaros signa movisse, a quibus exercitu ejus fuso, ac cæso, ipse quoque vulnere confossus fuit: qui cum ex acie delatus fuisset in propinquam ei loco domum, ubi fuerat dimicatum, apposito ab hostibus igne ita conflagravit, ut neque ossa, neque ulla corporis ejus particula inveniri potuerit; quam cladem Patres atque Auctores eorum temporum [5] tanquam justam considerant pœnam illius crudelitatis, quam contra Catholicos exercuerat.

Addi etiam huic Principi potest Maximus Tyrannus, qui calamitoso fine vitam conclusit, & cujus obitus a Sancto Ambrosio ep. 17. habitus fuit tanquam effectus Divinæ maledictionis, qua fuerat percussus, eo quod Judæorum partes suscepisset contra Catholicos, qui eorum Synagogas incenderant [6]. Vidimus etiam supra ℣. 3. quomodo Eugenium Imperii invasorem, interfectorem Valentiniani, Ethnicorumque patronum Deus aperte percusserit [7]: quæ satis sunt, ut adimpleta ostendatur Sancti Joannis prophetia contra Reges spiritu bestiæ repletos, deceptosque a dæmonibus, qui ex illius, & Draconis ore prodierant.

Hic igitur restat, ut ostendamus Dei judicium in pseudo-prophetam. Hic pseudo-Propheta non alius est, quam Magi, atque eorum temporum Philosophi, qui omnes fere Magiam profitebantur [8]. Id genus homines Julianum perverterunt, eumque impulerunt, ut Ecclesiam persequeretur. Dei justitiæ quodammodo intererat, illorum nequitiam punire. Anno 364. qui immediate Juliani mortem subsequutus est, Imperatores Valentinianus, & Valens eodem simul tempore ægrotarunt, quod mentem quibusdam injecit, hunc fortasse effectum fuisse veneficiorum, quæ amici quidam Juliani parassent. Philosophi Priscus, & Maximus Constantinopolim adducti sunt; Priscus quidem statim absolutus dimissus fuit, Maximus vero non dimissus nisi post inflictam ingentem auri mulctam, qua nisi ad ultimum quadrantem dissoluta in carcere jacuit [9].

Hoc tamen leve dumtaxat præludium fuit malorum, quæ ira Dei pseudo-Prophetis præparaverat. Anno 374. cum Valens esset Antiochiæ, detecta fuit conjuratio in vitam illius inita, quam Ethnici quidam conflaverant; qui cum per Magiam cognoscere voluissent nomen illius, qui Valenti in Imperium erat successurus, atque intel-

A lexissent, hujus nomen ea literis *Theod* incipere [10], arbitrati sunt, Theodorum alterum inter scribas Imperatoris a Magis designari; neque hoc illis ingratum erat. ille enim erat Ethnicus, atque talis, qualem ipsi cupiebant. Theodorus vero, ubi hoc intellexit, serio Imperium cepit affectare: sed hac ejus libidine deprehensa capite damnatus fuit: quo cœlo alii etiam plurimi extremo supplicio fuerunt affecti [11]. Cumque Philosophi, vel Magi Ethnici primi fuissent Auctores disquisitionis, quæ tot cædibus locum præbuerat, in illos præsertim sese Imperatoris ira convertit. Maximus, insignis ille Maximus Juliani Apostatæ præceptor, in carcerem raptus fuit Antiochiam, & inde Ephesum missus; ubi caput illi fuit amputatum [12]. Simonides, & ipse Philosophus Magus incensus fuit: Hilarius, Patritius, Andronicus,
B aliique nonnulli, & ipsi necati. Ferunt etiam, Jamblicum eorum temporum Philosophum hausto veneno sibi mortem conscivisse, ne in Valentis manus decideret. Perquisiti etiam diligentissime fuerunt Magiæ libri, quorum maxima vis in toto Oriente cum a privatis, tum publica Magistratuum auctoritate flammis devota fuit [13]. Ita adimpleta est sancti Joannis Prophetia, quæ minitabatur, & Reges persequutores, & eos, qui illorum spiritum sequuti fuerant, & pseudo-Prophetas, qui prodigia operabantur, atque Principibus os sublinebant præstigiis suis, in locum Armagedon esse congregandos, ut ibi crudelitatis, & fraudis suæ pœnas acerbissimas luerent.

℣. 15. ECCE VENIO SICUT FUR.] Ea, quæ nuper narravimus, acciderunt anno 374. post Juliani mortem
C decimo. S. Joannes hic alludit ad eos fures, qui eorum vestes subripiebant, qui, ut sese abluerent, in balnea descenderant. Illi *balneorum latrones* vocabantur, de quibus Tertullianus sæpe verba facit.

℣. 17. SEPTIMUS ANGELUS EFFUDIT PHYALAM SUAM IN AEREM] eodemque tempore audita fuit vox clamantis: *Factum est*. Hic est finis septem plagarum, hic novissimus est ictus ultionis Divinæ in persecutores Ecclesiæ. Alaricus Romam contendens aperte dicebat, se velut invitum impelli a nescio quo, jugiter sibi dicente: vade, Romam everte [14].

℣. 18. ET FACTA SUNT FULGURA, ET VOCES], atque tantus terræ tremor, ut nunquam similis extiterit. Hæc omnia gravissimum Imperii motum significant: neque major angi potest, quam ille, quem in primum
D versiculum retulimus. Quinquaginta annorum spatio Imperium bellis, defectionibus, irruptionibus, hostibus patuit; atque tunc accessit tot tantisque malis cumulus, cum Roma capta, direptaque est, Provinciæ vastatæ, & militares vires exhaustæ.

℣. 19. FACTA EST CIVITAS MAGNA IN TRES PARTES.] A Juliani obitu ad Romam usque ab Alarico captam novem, aut decem Imperii usurpatores enumerantur, qui intra illud temporis spatium contra legitimos Imperatores insurrexerunt. *Procopius* anno 365. *Firmus* 372. *Theodorus* 374. *Maximus* 383. *Eugenius* 392. *Attalus* 409. *Jovinianus* 411. *Sebastianus* 412. *Heraclianus* 413. Non loquor autem de Rufino, Stilicone, Eutropio, Gaina, qui contra Arcadium, & Honorium dominos suos ea abusi sunt auctoritate, quam ab illis re-
E ceperant. Cum tunc vulgo duo essent Imperatores, alter in Oriente, alter in Occidente; statim ac tertius aliquis insurgebat, Civitas magna, Romanum Imperium, Roma Caput, & domina mundi, necessario in tres partes erat dissecta. Non desunt, qui credant, tres hasce partes innuere flagella, quibus Deus Romam percussit, pestem, famem, & bellum. Ezechiel 5. 12. minitabatur, eodem ferme pacto tertiam Jerosolymitanorum Civium partem peste, & fame, tertiam alteram

1 4. Reg. 9. 27. 2 4. Reg. 23. 29. 3 Ezech 38. 39. Vide nostram Dissertationem in eamdem rem, Ezechieli præmissam. 4 Josue 11. 5. 7. 5 Hieronym. in Chronic. Rufin. lib. 2. cap. 13. Oros. lib. 7. cap. 33 Socrat. lib. 4. cap. 38. Chrysost. Theodoret. &c.
6 Maximi cædes contigit an. 388. 7 Eugenii tyranni cædes contigit an. 394.
8 Aug. l. 8. c. 9. de Civit. Dei. 9 Zosym. lib. 4. pag. 735. Eunap. cap. 5.
10 Ammian. lib. 29. Sozom. lib. 6. cap. 35. Socrat. lib. 4. cap. 15. &c. 11 Ammian. lib. 29. Eunap. cap. 5 12 Zonar. pag. 28. 13 Ammian. lib. 29. Chrysost. in Acta homil. 38.
14 Socrat. lib. 7. cap. 10. Sozomen. alii.

ram obsidionis calamitate, reliquam vero captivitate, & dispersione perituram. Roma etiam trifariam dividitur. Alii advenienre Alarico fuga sibi consuluerunt, reliqui vero permanserunt in Urbe, sed inter se dissentientes; quandoquidem alii idololatræ erant, alii Christiani.

Civitates gentium ceciderunt.] Arduum est, atque multi operis eas enumerare Civitates, quæ vastatæ, ac dirutæ fuerunt a Barbaris, quæ per ea tempora, de quibus loquimur, undequaque inundarunt Imperium, cujus nulla Provincia fuit, quæ eorum populorum crudelitatem minime experiretur. Roma vero & terrestre, & maritimum amisit Imperium.

Babylon magna venit in memoriam ante Deum.] Deus illius recordatus est in ira sua, deditque illi exhauriendum Calicem vini furoris sui. Postquam Alaricus Romam cepit, hæc urbs caput Imperii facta fuit, ut ita dicam, hostium suorum ludibrium, qui intra centum, & quadraginta annorum spatium sæpius eandem ceperunt. Ab Alarico capta fuit anno 410. ab Ataulpho 411. Giserico 455. Odoacre 476. Theodorico 500. Totila 546. & 549.

℣. 20. Omnis Insula fugit.] Romæ excidium adeo universum Imperium perterruit, ut Provinciæ, Insulæ, Urbes, Montes, sensu aliquo affici viderentur[1]. Hujusmodi loquutionibus sæpe utuntur Prophetæ, ut mala similia designent in Tyri interitu. Isaias

A 24. 3. repræsentat Insulas, maritimas Civitates, & naves ob lapsum illius læsum facientes. Ezechiel 26. 15. quoque ait, audito celeberrimæ illius Civitatis excidio, Insulas metu re confectum iri, atque Principes terræ sessuros in pulvere. Alibi etiam describunt Montes commotos, & quodammodo liquescentes, & ad conspectum iræ Omnipotentis depressos: quæ omnia nihil aliud significant, quam severissimam Domini ultionem.

℣. 21. Grando magna sicut talentum.] Sive hue intelligatur allegorice de terribili pondere iræ Dei, quæ tunc in miserrimam eam Civitatem cecidit, vel de grandine, aliisque similibus malis, quæ afflixerunt Imperium, non operosum est, hoc adimpletum ex historiæ monumentis ostendere. Grando, quæ Byzantii cecidit post S. Joannis Chrysostomi exilium anno 404. ab histo-

B ricis describitur tamquam gravissimus, atque apertissimus Divinæ ultionis effectus[2]. Philostorgius l. 11. c. 7. ait, grandinis granum octo libras appensum fuisse; alii vero illius magnitudinem nucis instar fuisse testantur. Sed præstat hanc grandinem explicare tanquam generale signum ultionis Divinæ, cui explicationi favent, quæ sequuntur. S. Joannes ait, quod *blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis*; & S. Augustinus[3] testatur, Ethnicos in die semper obduratiores credidisse, tot malis se affectos, præsertim vero Romam captam, atque direptam fuisse, quod idolorum cultus fuerat eversus.

1 Vide Hieronym. Epist. 16. & in Ezech. Proem. August. lib. 1. de Civit. cap. 33.
2 Sozom lib. 8. cap. 27. Socrat. lib. 6. cap. 19. Chronic. Alex. pag. 714.
3 August. lib. 1. de Civit. cap. 2, & de Urbis Excidio, tom. 6. nov. edit. in fine.

CAPUT XVII.

Babylon magna meretrix sedet super aquas. Sanctorum sanguine inebriatur. Descriptio bestiæ gestantis Babylonem. Explicatio septem Capitum, & septem cornuum illius. Reges, qui bestiam sequuntur, victoria Agni.

1. ET venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & locutus
est mecum, dicens: Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ,
quæ sedet super aquas multas, 2 Cum qua fornicati sunt reges terræ,
& inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus. 3 Et abstu-
lit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam cocci-
neam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem.
4 Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pre-
tioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione,
& immunditia fornicationis ejus. 5 Et in fronte ejus nomen scriptum: Myste-
rium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ. 6 Et vi-
di mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine martyrum Jesu. Et mi-
ratus sum, cum vidissem illam admiratione magna. 7 Et dixit mihi Angelus:
Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, & bestiæ, quæ portat eam,
quæ habet capita septem, & cornua decem. 8 Bestia, quam vidisti, fuit, & non
est, & ascensura est de abysso, & in interitum ibit: & mirabuntur inhabitantes
terram (quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ a constitutione mundi)
videntes bestiam, quæ erat, & non est. 9 Et hic est sensus, qui habet sapien-
tiam. Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges se-
ptem sunt. 10 Quinque ceciderunt, unus est, & alius nondum venit; & cum
venerit, oportet illum breve tempus manere. 11 Et bestia, quæ erat, & non
est: & ipsa octava est: & de septem est, & in interitum vadit. 12 Et decem
cornua, quæ vidisti, decem reges sunt: qui regnum nondum acceperunt, sed po-
testatem tamquam reges una hora accipient post bestiam. 13 Hi unum consilium
habent, & virtutem, & potestatem suam bestiæ tradent. 14 Hi cum agno pu-

gnabunt, & Agnus vincet illos: quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum, & qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles. 15 Et dixit mihi: Aquæ, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & Gentes, & linguæ. 16 Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igni concremabunt. 17 Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant, quod placitum est illi: ut dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei. 18 Et mulier, quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.

℣. 1. VENIT UNUS DE SEPTEM ANGELIS,] A Quos superiori capite vidimus, habentes septem phialas iræ Dei, dixitque S. Joanni: *Ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas.* Meretrix magna Roma est Idolorum cultrix [1]; aquæ magnæ sunt populi multi, quibus illa imperat, quemadmodum Angelus ipse inferius explicat ℣. 15. Peritiora nunc explicatio decimi tertii, & quædam veluti libri totius clavis. Nihil Romæ convenit melius, quam meretricis nomen, in Prophetarum sensu desumptum [2], plerumque hoc titulo corruptas, atque infideles Urbes designantium. Characteres vero, quos S. Joannes infra huic assignat meretrici, nos magis adhuc impellunt, ut de Roma hæc dici arbitremur. ℣. 18. *Habet Regnum super Reges terræ.* ℣. 9. *Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet.* ℣. 6. *Vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum JESU.* Denique mysticum illius nomen est. ℣. 5. *Babylon magna,* quo nomine jam appellata fuit a S. Petro in Epistola priori [3]: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone.*

℣. 2 CUM QUA FORNICATI SUNT REGES TERRÆ.] Non Romani solum Imperatores, verum etiam Reges, illorum Imperio subjecti, Idolorum cultu se se polluerunt; imo & Romam ipsam tamquam Deam venerati sunt: Martial. Epigr. 12.

Terrarum Dea, gentiumque Roma.

INEBRIATI SUNT, QUI HABITANT TERRAM DE VINO PROSTITUTIONIS EJUS.] Voluit Roma, numina sua, atque religionem, ubique coli; quod illi n C votis esset. Cum enim Deorum pluralitatem admitteret, nequaquam invidebat, si alii etiam Dii cum suis colerentur, imo religioni sibi vertebat, nullius numinis cultum abjicere [4]: *Cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus; & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.*

℣. 3. ABSTULIT ME IN SPIRITU IN DESERTUM.] Angelus, qui mecum loquebatur, ut distinctius mihi explicaret, quid sibi vellet ea visio, quam paulo ante habueram, in spiritu transtulit me in solitudinem, ubi aliis rebus mens mea minime abstraheretur. *Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam.* Urbes, atque Provinciæ passim sub mulierum imagine repræsentantur, quod Prophetis, Poetis, aliisque prophanis Au- D ctoribus commune est. Hæc autem induta est cocco, vel purpura; qua Imperatores induebantur, & quæ supremam significat potestatem [5]. Coccineus color potest innuere sanguinem Martyrum, quo illa se se imbuerat. Erat autem plena *nominibus blasphemiæ,* blasphemiis nempe, quas & ipsa in Jesum Christum protulerat, & quas proferri ab aliis jusserat, ab iis etiam ex numero Christianorum, qui in apostasiam ceciderant.

Habebat autem *capita septem, & cornua decem,* quod jam vidimus supra cap. 13. 1. Septem capita septem sunt Imperatores, qui Ecclesiam persequuti fuerunt; videlicet *Diocletianus, Maximianus, Galerius, Maximinus, Severus, Licinius;* quod si pro Severo *Constantium Chlorum* velis recensere, per me licet. Cornua vero decem sunt vel Provinciarum Præsides, Imperatorum mandata facientes; vel hæc decem cornua significant Imperatores decem, qui persecutionis illius tempore purpuram induerunt, licet non omnes Ecclesiam fuerint persequuti. Hi autem sunt Diocletianus, Maximianus, Galerius, Maximinus, Severus, Maxentius, Licinius, Constantius Chlorus, Constanti- B nus, & Eugenius.

℣. 4. MULIER ERAT CIRCUMDATA PURPURA.] S. Joannes sedulo mulierem hanc suis characteribus circumscribit; hoc enim erat præcipuum suæ Prophetiæ argumentum. Illi autem omnia tribuit ornamenta, quæ eam Mundi Dominam designare possunt, illamque sedem, arcemque dicit Idololatriæ, & spiritualis fornicationis omnium mortalium: qua in re simillima erat veteri Babyloni, de qua scriptum est Jerem. 51. 7. *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram: de vino ejus biberunt gentes, & ideo commotæ sunt.* Ad hoc S. Joannes alludit.

℣. 5. IN FRONTE EJUS NOMEN SCRIPTUM: MYSTERIUM: BABYLON MAGNA.] Hæc nequaquam est Babylon illa, Chaldææ Civitas ad Euphratem sita; sed C mystica Babylon omnes veteris Babylonis habet characteres; Civitas idololatra, & superstitionibus diffluens, opprimens populos sub injusto ditionis suæ jugo, persequens Sanctos Domini, Templa subvertens, omnia ad ambitionis suæ normam componens; quæ & Dei flagellum est ad populos puniendos; & postquam criminum suorum mensuram repleverit, ipsa quoque vicissim calicem iræ Dei, quo tot gentes inebriavit, exhauriet. Videri possunt Prophetæ, qui contra Babylonem scripserunt [6]. Notandum quoque est, Meretrices Romæ nonnumquam nomen suum, & in fronte inscriptum gestasse, & cellæ suæ ostio affixisse [7]. Videtur S. Joannes ad hunc morem alludere.

℣. 6. VIDI MULIEREM EBRIAM DE SANGUINE SANCTORUM.] Roma Idololatra, Imperatores ejus, D Provinciarum Præsides ac populi, Jesu Christi Ecclesiam infensissimis odiis fuerant persecuti. Hoc innuit sanguinis ebrietas, quem ea mulier bibit usque ad ebrietatem. Hæc ebrietas, atque sævitia in admirationem rapit S. Joannem. Quem enim fructum referebat illa, persequens eos, qui ex omnibus subditis suis magis erant fideles, frugi; & Imperii parentes? Omnes Religio-

1 Hieronym. in Isai. 14. Tertull. contra Judæos cap. 9. Andreas & Aretb. Cæsarienses. Berengaud. Victorin. Oecumen. Viegas, Ribera, Sixt. Sen. lib. 2. Biblioth. Bellarm. lib. 2. de Pontif. cap. 2. Alcazar. Apoc. 13. Cornel. aliique plures apud eum, Bossuet, Du Pin. 2 Isai. 23. 17. & 47. 1. 8. Nahum 3. 4.
3 1. Petr. 5. 13. Vide Papiam apud Euseb. lib. 2. Hist. Eccl. cap. 15. Hieronym. Catalogo. Bed. Oecum. in 1. Petri.
4 Leo Magn. homil. 1. in Natali Apostol. Petri & Pauli. 5 [?] Horat. Carm. lib. 1. Ode 35.
Purpurei metuunt Tyranni.
6 Jerem. 50. Isai. 13. 14. 21. Ezech. 29. 30. Vide & Hieronym. in Jovinian. lib. 2. ad finem.
7 Senec. Controvers. 2. *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus.* Idem ibidem. *Nomen tuum pependit in fronte, pretia stupri accepisti, &c.* Juvenal. satyr. 6. de Messalina.
. . . . *Nuda papillis*
Constitit auratis titulum mentita Lyciscæ.
Vide Martial. Epigr. 2. 46. Cornel. & Med. hic. Durant. lib. 1. Variar. c. 2.

ligiones admittens, ac nullum Deum externum abjiciens, abjiciteam dumtaxat Religionem, quæ sola vera est, & quæ una populum suum efficere potest meliorem, sapientiorem, æquiorem.

℣. 7. DICAM TIBI SACRAMENTUM MULIERIS.] Angelus incipit explicare S. Joanni, quæ viderat, & quæ descripta sunt in capite 13. de persecutionibus bestiæ, atque de suppliciis, quæ illa erat passura in pœnam suæ crudelitatis.

℣. 8. BESTIA, QUAM VIDISTI, FUIT, ET NON EST.] Bestia, quam vidisti, persecutricem, crudelem, Sanctorum sanguine inebriatam, fuit quidem, sed quamprimum non erit amplius. Illi data fuit potestas rabiem suam exercendi tribus annis cum dimidio; verum hac potestate abusa est, atque odium suum explevit. Hoc tamen fuit; illa non est amplius; videbis eam prostratam, afflictam, atque in abyssum dejectam. Non erit amplius; namque ad calamitosissimum statum redacta, tamquam nulla existimabitur; non quod desistat, qui in pœnis est sempiternis, ait S. Hieronymus in Ezech. 26. sed quod qui Deo non vivit, in Scripturis Sanctis dicatur non subsistere.

Humiliata Roma Ethnicam Idolorum Religionem abdicabit, & fidelis facta, centrum erit Religionis Christianæ, quemadmodum centrum erat, & arx erroris, atque superstitionis. Ut hoc intelligatur, animus transferendus est, non in illud tempus, quo S. Joannes scribebat, sed in illud, circa quod illius Prophetia versabatur; in tempus videlicet, quod subsequutum est Diocletiani, aliorumque persecutiones usque ad Constantinum, & mox ad illud, quod Julianum, & Valentem excepit; quorum posterior Christianus quidem erat, sed Arii imbutus erroribus, atque propter illos in veros fideles succensus. Tunc verum erat dicere, unum dumtaxat intercessisse momentum inter Romam florentem, & Romam eversam: inter Romam Sanctorum sanguine inebriatam, & Romam, quæ non est amplius; videlicet, quæ amplius non est vetus illa superba, superstitiosa, crudelis Roma, Domina Mundi; sed altera Roma Christiana, humilis, obediens, pristino spoliata fulgore, sed tantum Jesu Christi Religioni favens, quantum antea illi fuerat adversata.

ASCENSURA EST DE ABYSSO.] Hoc futuro tempore effertur, res enim vera nondum acciderat, dum S. Joannes hæc scriberet, & Angelus ad eum loqueretur: verum si advertitur animus cum ad ea, quæ illi fuerunt prædicta capite 13. 1. tum ad ea, quæ nuper dixit de lapsu bestiæ, videretur hoc in præteritum tempus esse rejiciendum. Ascendit de abysso, & quamprimum est peritura. Prophetæ indiscriminatim plerumque præterito, & futuro tempore utuntur, propter prædictionum suarum certitudinem.

MIRABUNTUR INHABITANTES TERRAM.] Propter hujus bestiæ interitum, cui sortes, & Oracula æternitatem polliceri videbantur [1]:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono;
Imperium sine fine dedi.

Christianis tamen hoc admirationem non attulit; sciebant enim Urbem tot flagitiis coinquinatam, & quæ tantum innocui sanguinis effuderat, Dei ultionem minime evasuram. Sancta Melania Romæ excessit, aliisque pluribus persuasit, ut alio sedem transferrent; præsentiebat enim intrinsecus, illam quamprimum interituram [2].

℣. 9. SEPTEM CAPITA, SEPTEM MONTES SUNT.] Romam super septem colles ædificatam esse, notum est, ut ita dicam, lippis, atque tonsoribus: Horatius in carm. sæcul.

Dis quibus septem placuere colles
Dicere carmen.

Et Ovidius l. 1 Tristium:

Sed quæ de septem totum circumspicit Orbem
Montibus, Imperii Roma, Deumque locus.

℣. 10. ET REGES SEPTEM SUNT.] Septem capita significant & Urbem, & Romanos Imperatores, qui Ecclesiam persequuti sunt. Hi autem illi sunt, quos sæpius memoravimus, Diocletianus, Maximianus, Galerius, Maximinus, Maxentius, Severus, Licinius. *Quinque ceciderunt*, videlicet Diocletianus, Galerius, Maxentius, & Severus. *Unus est*; videlicet Maximinus, qui sævissime Orientis Ecclesiam persecutus est: quo non secus ac aliis victo, atque dejecto, Licinius apparuit, qui brevi tempore Ecclesiam persequutus, & ipse ut alii, Constantini viribus profligatus est, quod hic innuitur per ea verba: *alius nondum venit, & cum venerit, oportet illum breve tempus manere*. Conferri possunt ea, quæ diximus in caput 13. ℣℣. 1. 2. 3.

℣. 11. BESTIA, QUÆ ERAT, ET NON EST, & IPSA OCTAVA EST, & DE SEPTEM EST.] Post excidium capitum septem, & mortem septem persecutorum, de quibus loquuti sumus, bestia mortua visa est, quemadmodum dictum est cap. 13. ℣℣. 3. 12.

Sed ex vulnere convaluit, saltem convaluisse visa est, cum *alia bestia ascendit de terra, & habebat cornua duo similia Agni*. Hoc erat veluti octavum bestiæ caput. *Et de septem est*: erat ex numero septem priorum, quæ veneno, sævitia, & nequitia exæquabat; ab illis tamen discrepabat numero, namque erat octavus: *& ipsa octava est*. Hic est Julianus Apostata, cujus characteres planissime designantur capite 13. ℣℣. 11. 12. 13. 15. 16. 17. *Et in interitum vadit*. Princeps ille unum dumtaxat regnavit annum, & menses septem, vel octo; quo tamen tempore Ecclesiæ tanta peperit mala, ut Ethnici sperarent futurum, ut eo diutius imperante Ethnica Religio reflorescceret.

℣. 12. DECEM CORNUA, QUÆ VIDISTI, DECEM REGES SUNT.] Bestia, quam S. Joannes vidit cap. 13. ℣. 1. septem habebat capita, & cornua decem; & super cornua diademata decem, quod intelligimus de Regibus, qui varias Romani Imperii Provincias [3] usurparunt, & qui ex ingentis illius corporis lanienа sibi Regnum suum constituerunt. Hinc cornua illa infixa quodammodo sunt super corpus bestiæ: quam autem genuinam esse hujus loci explicationem sequentes ostendunt versiculi. Denarius numerus generatim magnum numerum significare potest [4]: quod si numerum decem signanter invenire cupis, sequi potes Berengaudium septimi sæculi Auctorem, qui sæpe sub Sancti Ambrosii nomine in Apocalypsim editus fuit. Scriptor hic ait, Persas, & Saracenos, Asiæ parte potitos fuisse, Vandalos Africa, Gothos Hispania, Longobardos Italia, Burgundos Gallia, Francos Germania, Hunnos Pannonia, Alanos, & Suevos plurimis aliis regionibus, quas igne, ferroque vastarunt.

QUI REGNUM NONDUM ACCEPERUNT.] Non enim ipso persecutionis tempore, nec statim post eamdem illud acceperunt. Nondum septem Imperatores Ecclesiæ inimici, neque dum Constantinus, ejusque filii, immo neque dum Julianus imperaret; Barbari illi, externique Reges in Romanum Imperium impetum fecerunt, ibique ditionem suam constituerunt; sed quinto tandem sæculo ea regna constituta sunt. Cum S. Joannes vidisset cornua decem cum coronis suis super bestiæ corpus, eodem tempore, quo vidit cornua

1 Virgil. Æneid. 1. Vide & Horat. carm. sæculare.

Vosque veraces cecinisse Parcæ,
Quod semel dictum est stabilisque rerum
Terminus servet, bona jam peractis,
Jungite fata.

Florus in Tarquinio Superbo. *De manubiis captarum urbium templum erexit, quod cum inaugurarentur, cedentibus ceteris Diis, restitere juventus & terminus. Placuit vatibus contumacia numinum, siquidem firma omnia, & æterna pollicebantur.* 2 Hist. Lausiac. cap. 118. 3 Vide Berengaud. hic. Bossuet. Du Pin. Grot. alios plerosque. 4 Tichon. Beda. Alcazar. alii passim.

nua septem; credere fortasse potuisset, decem hoc cornua tempore eodem una cum Imperatoribus persecutoribus esse regnatura. Eum igitur præmonet Angelus, eique dicit, decem hos Reges nondum accepisse Regnum eo tempore, quo Imperatores septem regnabant; *sed potestatem tanquam Reges una hora accipient post bestiam*, vel cum Græco [1]: *Cum bestia*; quod nihil sensum immutat. Hi externi Reges ditionem suam acceperunt *post bestiam*, vel post lapsum ejus, post profligatum, infirmatumque Romanum Imperium; vel *cum bestia* eodem tempore, quo Romanum Imperium adhuc Imperatoribus, sed Christianis, atque Catholicis parebat, quorum potestas propter tot Provinciarum secessionem jam fuerat imminuta.

S. Joannes præterea inquit, illos accepisse potestatem *una hora*. Græcus verti potest, *eadem hora*, quæ utraque versio probari similiter potest. Reges, de quibus loquuti sumus, eodem ferme tempore sibi usurparunt Imperium in Romanis Provinciis, & quasi dato signo in omnes ingentis illius Imperii partes impetum fecerunt [2]. Ab anno 400. usque ad 410. Gothi magis, magisque in Imperii viscera processerunt, & Hunni, Isauri, Vandali, Alani, Saevi, Burgundi, Franci, aliique Barbari undequaque eruperunt: quo tempore elapso in id unum incubuerunt, ut certam sibi sedem facerent, quod se ipsa alii serius, alii ocyus, sed omnes circiter intra annos triginta sunt consecuti.

℣. 13. HI UNUM CONSILIUM HABENT.] sedem sibi quærendi in uberiori, & commodiori solo, quam patrii sunt agri, fertilem aliquam Provinciam acquirendi, & locupletandi spoliis hujus Imperii, quod reliqua omnia deleverat. Reges alii ideo plerumque bellum inferunt, vel ut acceptas injurias ulciscantur, vel ut sua jura tueantur, & latius Imperii fines protendant: sed hi Reges prorsus diverso sunt ingenio. Nullum ipsis jus erat, ut eas Provincias peterent, quas oppugnabant; non quærebant aliquid suis Regnis adjicere; sed nova sibi constituere Imperia, eaque armorum vi tueri decreverant.

POTESTATEM SUAM BESTIÆ TRADENT.] Quotsum autem? quandoquidem illius ditionem evertere, ejusque Imperium profligare conantur? Distinguenda sunt tempora. Primum quidem Gothi, Franci, aliique populi facta vi in Imperium irruperunt; quibus quoad licuit, repugnatum est: sed tandem cum ingressi fuerunt, eos ferre coacti sunt Romani: cumque illi militiæ dumtaxat vacarent, Imperatores, & Duces non semel ultro, ingentique pretio eorum sibi compararunt auxilia, ut eorum viribus, vel contra alios Barbaros, vel contra Imperii competitores uterentur. Illis autem traditæ sunt Provinciæ quædam custodiendæ; in Romanorum fœdus recepti sunt, eisque vastæ regiones dono datæ, ut ibi sedem suam constituerent. Alaricus sub Arcadio Romanis exercitibus præfuit anno 399. Gainas Gothus ab eodem Principe missus fuit adversus Tribigildum, qui anno 400. in Asia defecerat. Stilico Alarici robore uti voluit, ut Arcadio Orientalem auferret Illyrium, ideoque eumdem Illyrii Præfectum dixit anno 405. Francorum sæpius victos enituit in Romanis exercitibus, & in exercitu Aetii adversus Attilam una cum Burgundis, Saxonibus, & Gothis tanquam auxiliares copiæ meruere stipendia [3]. Alani quoque adversus Radagaisum in castris Honorii versabantur [4]. Roma ab Alarico ob id fuit capta, quod illi fides præstita non fuit [5].

℣. 14. HI CUM AGNO PUGNABUNT.] Primum hi populi Ethnici fuerunt, atque idololatræ; Christianos persequuti sunt, & plurimi Fideles perierunt, cum illi primum in Imperii Provincias irruptionem fecere [6]. S. Augustinus de Civit. l. 17. c. 5. & Paulus Orosius l. 1. c. 32. meminerunt cujusdam Regis Gothi cui nomen Athanaricus, sub quo complures Christiani martyrii palmam adepti sunt.

AGNUS VINCET ILLOS.] Illos fidei, & Christianæ religioni subjiciet. Hæ omnes Nationes, quarum pars ad hanc quoque diem subsistit, maturato Jesu Christi fidem acceperunt. *Adora, quem incendisti*, ajebat S. Remigius Cludovæo. Verum est, eorum nonnullos in Arii errores cecidisse, qui tunc late percrebuerant, sed brevi plerique ad Ecclesiam Catholicam reversi sunt. Burgundi jam erant Catholici, ita etiam & Franci. Visigothi in Hispania veram fidem amplexi sunt, & Arianismum abdicarunt sub Recaredo fratre Sancti Hermenegildi, qui pro eadem fide martyrium pertulerat. Orosius ait [7], Ecclesias Hunnis, Saevis, Burgundis, aliisque id genus populis repletas fuisse, cum interim Romani in medio Christi Fidelium mordicus in idolorum cultu persisterent. Jesus Christus hos Barbaros in suam ditionem redegit, *quoniam Dominus Dominorum est & Rex Regum*, & hi populi, quos antea Nationes reliquæ abominabantur, oderant, contemnebant, per conversionem suam facti sunt *electi, & Fideles*.

℣. 15. AQUÆ QUAS VIDISTI, ... POPULI SUNT.] Aquæ significant integras eas gentes, quibus Roma legem irrogat, & super quas suum extendit Imperium. Populi fluminibus, atque exundationibus sæpe comparantur. Vide *Isai*. cap. 8. ℣. 6. 7. *Jerem*. 51. 13 *Naham*. 2. 8.

℣. 16. DECEM CORNUA.] Populi Barbari, qui Romanum Imperium inundarunt, & Reges, quibus illi parebant, omnes Meretricem oderant, hostes erant Romæ & Imperii, omnesque ad illius interitum excidiumque conjurabant. Superius cap. 16. 3. ostendimus, Ethnicam religionem, atque idololatriam adhuc Romæ viguisse. Eo etiam tempore, quo ab Alarico fuit capta, plerique adhuc idola sectabantur, quemadmodum vidimus cap. 16. 10. ideoque Roma optimo jure prostituta vocatur [8]. Gothi *desolatam illam fecerunt*, cum eam cepit Alaricus, & *nudam*, cum magna ea Civitas in direptionem tradita est, quam Ecclesiæ tantum evaserunt: *& ipsam igni concremaverunt* flammis undique injectis, quod explicite liquet ex Marcellino in Chron. S. Hieronymo ep. 12. Orosio l. 7. c. 39. Philostorgio p. 534. Minime pepercerunt hostes mulierum pudicitiæ, sed virgines etiam, imo & eas quæ Deo erant devotæ, fœdissime constuprarunt [9]. Roma periit igni, peste, fame, quemadmodum S. Augustinus non semel animadvertit [10]. S. Joannes ait, hostes Meretricis hujus *carnes manducasse*; quod innuere potest summam eam charitatem, qua laborabat Roma, cum ante obsidionem, tum in obsidione eadem; vel si mavis, feritatem, quam victor exercuit in corpora honestarum mulierum, quæ in manus ejus ceciderunt. S. Hieronymus ep. 16. ad Principiam ait, eousque sæviisse famem, ut homines humana carne vesci cogerentur.

℣. 17. DEUS DEDIT IN CORDA EORUM, UT FACIANT QUOD PLACITUM EST ILLI [11].] Ne credas, Barbaros id cogitasse, ut Deo obtemperarent, & ulciscerentur injurias, ejus nomini illatas ob blasphemias in eum prolatas, aut sanguinem Martyrum effusum; in id unum incumbebant, ut suam avaritiam, & vindictam explerent, & idolorum cultum iis in locis statuerent, quo facta vi aditum sibi aperiebant. Verum Scriptura ait, Deum illis hanc injecisse mentem, ut ea facerent, quæ illi placerent; hoc est, Deum usum fuisse dispositionibus cordis eorum, ut ipsius decreta facesse-

1 Ἀλλ' ἐξουσίαν ὡς Βασιλεῖς μίαν ὥραν λαμβάνουσι μετὰ τοῦ θηρίου. Alii: Μετὰ τὸ θηρίον. *Post bestiam*. Ita Velez. Vulg. alii, Iren. Andr. Areth. Primas. *Cum bestia*. 2 Vide S. Hieron. Ep. 11. Sozim. lib. 6. Oros. l. 7. c. 38. 39. 40. 3 Jornand. de Reb. Gethicis. 4 Zosym. lib. 4. Oros. lib. 7. c. 37. 5 Jornand. de Reb. Gethicis. Alii. 6 Bossuet hic, Du Pin. 7 Paol. Oros. lib. 7. cap. 41. Vide & Berengaud. hic & Bossuet, & Du Pin, & Grot. Vide & Hieronym. ad Heliodor. & ad Lætam. 8 Berengaud. Bossuet. 9 August. de Civit. lib. 1. cap 16. 10 August. Serm. 296. cap. 5. lib. 1. de Civit. cap. 7. Serm. de Urbis Excidio, cap. 2. 11 Græcus addit: Καὶ ποιῆσαι μίαν γνώμην, Sed hæc verba neque in Vulgata, neque in Ms. Alex. leguntur: videntur desumpta e vers. 13. hujus capitis.

cesserent; feritatã illorum habeant laxasse, eosque egisse tanquam libera, & animata instrumenta ad ea perficienda, quæ ab ipsis fieri cupiebat, licet illi, utrum hoc Deo placerent, ne cogitarent quidem. Ita in veteri Testamento adduxit Nabuchodonosor contra Jerosolymam, & adversus rebellem populum suum suscitavit hostes ab extremis terræ.

UT DENT REGNUM SUUM BESTIÆ.] Primum eorum consilium, cum in Romanum Imperium irrumperent, hoc erat; ut ibi sedem sibi compararent, atque simul falsam religionem ibidem tuerentur: ideoque dominationem suam bestiæ imperio, atque idolorum cultui subjicerent: sed Deus aliter decrevit; ipsi enim Romanorum victores ab Agno victi sunt, cui bellum studebant inferre, & cujus Imperium conabantur evertere [1]. Hoc ita etiam potest intelligi: Primum eorum consilium erat, *ut darent Regnum suum bestiæ*. Cum in Imperium ingressi sunt, ausi non sunt sperare, se eas victorias relaturos, quas retulerunt. Existimabant, se vitam ibi traducturos sub Romanorum legibus, & religione, tantummodo in agris uberioribus, quàm quos reliquerant. Plerique illuc a Stilicone pertracti fuisse dicuntur [2], qui eorum viribus contra Imperatores Arcadium & Honorium uti cupiebat. Verum cum in Provinciis subigendis majorem deprehendissent facilitatem, quam antea crediderant, eas vias sequuti sunt, quas illis Providentia aperiebat; cumque aliquandiu opem tulissent bestiæ, & veluti auxiliares copiæ in Romanorum Provinciis meruissent stipendia [3], sibi Imperii Provincias diviserunt, quibus erant potiti. Denique cum Alaricus Romanos cogeret, ut Attalum Imperatorem reciperent, palam bestiæ imperium constituere conabatur; novus enim hic Imperator Arianus erat, Ethnicisque favebat [4].

V. 18 MULIER, QUAM VIDISTI] insidentem bestiæ, Civitas est magna, quæ habet Regnum super Reges terræ, Roma est, quæ perspicue his characteribus designatur. Eamdem jam descripserat versiculis prioribus, sed operæ pretium erat eam ita circumscribere, ut nullus ambiguitati locus relinqueretur.

---

1 Vide vers. 14. 2 Vide Oros. lib. 7. cap. 37. Marcell. & Tiro Prosper. Chronic.
3 Vide supra vers. 23. 4 Vide Zosim. l. 6. Oros. l. 7. c. 42. Sozom. lib. 8. cap. 9.

CAPUT XVIII.

Interitus Babylonis. Inde populus Domini egreditur. Superbia illius obtrita. Timor eorum, qui cum illa necessitudinem inierant. Eam maledicunt. Sanctorum lætitia. Martyrum sanguis invenitur in illa.

1. ET post hæc vidi alium Angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem
magnam: & terra illuminata est a gloria ejus. 2 Et exclamavit in fortitudine,
dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna: & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, &
odibilis: 3 Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes: & reges terræ cum illa fornicati sunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti
sunt. 4 Et audivi aliam vocem de cœlo, dicentem: Exite de illa populus meus, ut
ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis, 5 Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum ejus.
6 Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia secundum opera
ejus: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. 7 Quantum glorificavit se, &
in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum: quia in corde suo dicit: Sedeo regina: & vidua non sum: & luctum non videbo. 8 Ideo in una die venient
plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis est Deus,
qui judicabit illam. 9 Et flebunt, & plangent se super illam reges terræ, qui cum
illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus: 10
Longe stantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes: Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis: quoniam una hora venit judicium tuum. 11 Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam: quoniam merces eorum nemo emet
amplius: 12 Merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, &
purpuræ, & serici, & cocci (& omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris, &
omnia vasa de lapide pretioso, & æramento, & ferro, & marmore. 13 Et cinnamomum) & odoramentorum, & unguenti, & thuris, & vini, & olei, & similæ, &
tritici, & jumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum,
& animarum hominum, 14 Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt a te, & omnia pinguia, & præclara perierunt a te, & amplius illa jam non invenient. 15 Mercatores horum, qui divites facti sunt, ab ea longe stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes, ac lugentes, 16 Et dicentes: Væ, væ civitas illa magna, quæ
amicta erat bysso, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioso,
& margaritis: 17 Quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ. Et omnis guber-
nator,

nator, & omnis, qui in lacum navigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longe
steterunt, 18 Et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes: Quæ similis
civitati huic magnæ? 19 Et miserunt pulverem super capita sua, & clamaverunt
flentes, & lugentes, dicentes: Væ, væ civitas illa magna, in qua divites facti sunt
omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus: quoniam una hora desolata est.
20 Exulta super eam cœlum, & sancti Apostoli, & Prophetæ: quoniam judicavit
Deus judicium vestrum de illa. 21 Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi mo-
larem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa
magna, & ultra jam non invenietur. 22 Et vox cytharædorum, & musicorum, &
tibia canentium, & tuba non audietur in te amplius: & omnis artifex omnis artis
non invenietur in te amplius: & vox molæ non audietur in te amplius: 23 Et lux
lucernæ non lucebit in te amplius: & vox sponsi, & sponsæ non audietur adhuc in
te: quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt om-
nes gentes. 24 Et in ea sanguis prophetarum, & sanctorum inventus est, & om-
nium, qui interfecti sunt in terra.

℣. 1. POST HÆC VIDI ALIUM ANGELUM] clamantem magna voce [1]: *cecidit Babylon*. Romæ interitus maximum erat hujus Prophetiæ argumentum. Insigne hoc factum sæpe ibi adeo memoratur, & iis characteribus distinguitur, at nulla dubitatio supersit. S. Joannes iis atitur coloribus, & loquutionibus, quibus Isajas, & Jeremias Babylonis Chaldeæ Metropolis excidium descripserunt, ut exhibeat interitum, & vastitatem Romæ, quæ Romani Imperii caput erat. Confer *Isai*. 21. 9. *Jerem*. 51. 8. *Babylonia quasi prima Roma; Roma quasi secunda Babylonia est* ait S. Augustinus de Civit. l. 18. c. 2.

℣. 2. FACTA EST HABITATIO DÆMONIORUM.] Prophetæ, qui magnarum Urbium interitum, atque excidium describunt, & ipsi dicunt quæ S. Joannes; illas videlicet redigendas esse eo vastitatis, ut ibi dæmones, spectra, aves immundæ, ac lugubres, animantia virulenta, & ominosa suam sedem constituant. Vide ex. gr. quæ Isajas ait c. 13. 19. *Et erit Babylon illa gloriosa in Regnis, inclyta superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham. Non habitabitur usque in finem, & non fundabitur usque ad generationem & generationem: Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum Draconibus: Et habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi: Et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & Sirenes in delubris voluptatis*. Vide etiam Isajam 34. ℣℣. 11. 14. 23. Jerem. 51. 37. Baruc. 4. 35. Septuaginta *dæmones* verterunt, quod S. Hieronymus *pilosos* reddit. S. Joannes, ubi aliquid e Scripturis adfert, versionem septuaginta sectatur. Creduntur vulgo dæmones, atque spectra desertis, incultisque locis potiti [2].

Roma ab Alarico capta, Gothorum sævitiæ ac feritati maxime patuit [3]; ignis, gladius, vincula superbos Mundi dominatores abstulerunt, & Roma filiorum suorum sepulchrum facta est, S. Hieronymo teste proœm. in Ezech. ante enim fame victa, vastataque fuerat, quam gladio. Urbis pars magna in cineres redacta fuit, & Procopius asserit, nullum, vel publicum, vel privatum ædificium belli detrimentum non sensisse [4]. Ut verbo me expediam, Roma ea omnia mala passa est, quæ ex patiuntur Civitates, quas belli infestissimi hostes expugnant. Quodammodo deserta facta est Civium suorum cum morte, quorum alii fame, alii gladio cæsi sunt, tum fuga, plurimi enim in Insulas, atque in transmarinas oras concesserunt; ita ut S. Hieronymus ep. 12 affirmet, Provincias omnes plenas fuisse illis, quos Roma Barbarorum terror expulerat. Orientis, Ægypti, & Africæ littora repleta

A sunt iis, qui cum Cives essent Urbis hujus Dominæ gentium, fuerant ad servitutem redacti [5].

Scio quidem, Romam mox restitutam fuisse, & post paucos annos, ex quo ab Alarico fuerat capta, adeo frequentem iterum factam fuisse, & ita reædificatam, ut nullum ab hoste detrimentum passa videretur, nisi iis in ædificiis, quibus ignis fuerat injectus. Et Albinus, qui anno 414. videlicet quarto post Urbem captam Romæ Præfectus erat, Honorio Imperatori scribebat, eam panis copiam, quæ gratuito distribuebatur populo, non amplius satis esse, adeo Incolarum numerus increverat, cum illuc una tantum die quatuordecim fere hominum millia migraverint. Ita videntur S. Joannis prædictiones ea in occasione minime fuisse adimpletæ. Verum est, illud principium dumtaxat
B fuisse dolorum ejus: deinceps enim iterum, ac sæpius ab hostibus capta fuit, qui nova illi in dies mala semper pepererunt. Alaricus eam cepit anno 410. Genfericus 455. Odoacres 467. Totilas 546. & 549. Post tot calamitosissimas vices Civitas illa olim adeo superba ad solitudinem, & extremam paupertatem redacta fuit, ut desertum videretur. Itaque Dei manus in eamdem sua exequebatur consilia, sed pedetentim, atque per intervalla, ut eidem pœnitentiæ tempus præberet. Ad hæc novi Urbis Incolæ minus, quam veteres idololatriam deperibant. Testatur enim S. Hieronymus ævo suo capitolium tantæ sumptæ inauratum fumum, ac fuliginem contraxisse; Romæ Templa aranearum telis obsita fuisse; & Deos in summo tectorum vertice derelictos cum bubonibus, & ululis tantum jacuisse.

C Hoc Deus fecit cum Babylone, cujus interitum Prophetæ aperte adeo prædixerant. Illa nonnisi post multa sæcula cecidit, sed si stetit, postquam a Cyro capta fuit, nequaquam stetit tanquam maximi Imperii Metropolis, nec fuit veteri fulgore circumdata. Hoc ipsum Romæ accidit, postquam ab Alarico fuit expugnata: nunquam enim perfecte convaluit, præsertim vero, si de idolorum religione intelligamus, quæ deinceps ibi fere penitus jacuit. Asseri immo jure potest, si tunc temporis non interiit omnino, hoc Christianæ religioni acceptum referendum esse, cum enim illis pepercisset hostis, qui ad Sanctorum Apostolorum monumenta, & Urbis Ecclesias confugerant; hi mox Urbem iterum frequentem fecere, quemadmodum vidimus [6].

℣. 3. DE VINO IRÆ FORNICATIONIS EJUS.] Vel
D potius, illis propinavit vinum fornicationis suæ; incompositi affectus, quo acta idolis sese prostituit, vel amatorii potus fornicationis suæ, velut scelesta mulier, amasiis suis philtra distribuens. Vide eamdem loquendi rationem supra cap. 14. 8. Externi Reges, & popu-

1 Ἔκραξε ἐν ἰσχυῖ φωνῇ μεγάλῃ. Alii: ἐν ἰσχυρᾷ φωνῇ λέγων. Ita Steph. *&c. ca.* Alexand. Syr. Arab. Æthiop. Seidel. alii quidam Latini: *Forti voce dicens*. 2 Vide Cyrill. & Procop. apud Grot. Ribet. Confer Matth. 12. 43. Marc. 5. 2. 3. 3 Prosper Tyro, Hieronym. Ep. 16. 4 Procop. de Bello Vandal. pag. 170. 5 Hieronym. in Ezech. Proœm. 6 Vide Sozom. lib. 9. c. 9.

populi, qui cum eadem rem habuerunt, ex illius idololatria surdes contraxerunt. Effecit, ut religio sua in omnes, quas vicit regiones, migraret.

℣. 4. AUDIVI ALIAM VOCEM DE COELO DICENTEM: EXITE DE ILLA POPULUS MEUS, UT NE PARTICIPES SITIS DELICTORUM EJUS], vel potius suppliciorum, pœnæ peccatorum ejus, & ne ejusdem ruina opprimamini. Hoc dictum est ad imitationem Jeremiæ 51. 6. *Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam*. Propheta ita Judæos monebat, ut de Civitate illa recederent, quemadmodum ex navi, quæ jam naufragium passura est, quilibet conatur aufugere. Deus pœnas de Roma sumpturus, beata morte quosdam inde servos primum suos eduxit, veluti Papam Anastasium, de quo S. Hieronymus ep. 16. ajebat, quod Roma illum diu possidere nequiverat, & Deus illum terris abstulerat, ne totius mundi caput sub tanto Episcopo everteretur. Alii etiam viri boni ex ea urbe divinitus erepti sunt, veluti Papa Innocentius, qui Orosio teste l. 7. c. 39. Roma eductus fuit, non secus ac Loth Sodoma, ne populi flagitiosissimi videret interitum. Sancta Melania interiori sensu prænoscens, corruptæ illius Civitatis excidium imminere, ab ea recessit, atque pluribus persuasit, ut suum exemplum sequerentur [1]. Cum autem Roma diriperetur, præparavit Deus asylum extra Civitatem in Ecclesiis Sanctorum Petri, & Pauli, iis omnibus, qui illac confugerent [2]: quæ quidem asyla juxta Alarici mentem eadem concedentis, in fidelium gratiam erant tantummodo valitura, quamvis iisdem etiam Ethnici complures usi fuerint [3]. Denique vidimus in ℣. 1. hujus Capitis post Romam captam Fideles plurimos in Ægypsum, Africam, & Syriam fuisse dilapsos, ubi illos felici hospitio fratrum suorum charitas excepit. Hoc ipsum accidit post Urbem captam a Genserico. Charitas & zelus Deogratias Carthaginiensis Episcopi erga captivos maxime enituit [4].

℣. 5. PERVENERUNT PECCATA EJUS.] Hæc omnia concinnata sunt ad imitationem Jeremiæ, ubi hæc ait contra Babylonem Chaldææ, cujus scelera, sævitiam, idololatriam, Roma fuerat sequuta. Vide *Jerem.* 51. 9. *Pervenit usque ad Cælos visium ejus*. Clamor peccatorum Romæ in Cœlum usque ascendit. Græcus [5]. *Peccata sua illam usque in Cælum sequuta sunt*. Alia exemplaria legunt. *Illi adhæserunt usque in Cælum*.

℣. 6. REDDITE ILLI SICUT ET IPSA REDDIDIT VOBIS.] Hoc etiam ex Jeremia depromptum est cap. 50. ℣℣. 14. 15. & cap. 51. ℣℣. 24. 29. Non præcipit Dominus Christianis, ut ultionem sumant de Romanis persecutoribus, atque idololatris, imo neque hoc permittit: sed prædicit solum, illis aliquando, si voluerint, hoc integrum fore. Quinam prohibere poterat Christianos, ne ejicerent idololatras de asylis, quo hi simulantes se in Jesum Christum credere, confugerant? quis illos prohibere poterat in generali eo tumultu, ac perturbatione, ne trucidarent hostes suos, & per indignationem, atque contemptum rejicerent eos, qui in exteras Provincias opem ex ipsis petituri concesserant? oppositum fecere tamen; summa eos charitate exceperunt, & pro virili a mortis periculo eosdem eripuerunt, obtemperantes Evangelicis legibus, quibus pro malo bonum reddere jubebantur.

Sin mavis hæc verba ad Alaricum, copiarumque ejus milites dici [6]; haud operosum est ostendere, Romanos illis omnia, quæ potuerant, intulisse mala, donec vitibus præstiterunt. Denique notandum est, eam gentem illa in occasione fuisse publicæ omnium gentium contra Romam ultionis instrumentum: quæ superba Civitas non ferenda impotentia, atque imperio populos omnes contempserat.

℣. 7. QUANTUM GLORIFICAVIT SE.] S. Jo. alludit ad *Isaiam* 47. ℣℣. 7. 8. & seq. & *Sophoniam* 2. 15. Quod olim de Babylone dictum fuerat, mirum in modum in Roma adimpletum est. *In sempiternum ero Domina*. Hanc, ajebant Romani, non postremam esse prærogativam, quam fata Romæ concesserant, ut in æternum vigeret. Vide quæ adnotavimus in cap. 17. 8. Ammianus Marcellinus l. 15. c. 54. Romam æternam vocat; & Virgilius Æneid. 1. *Imperium sine fine dedi*. Tertullianus [7], Lactantius, aliique nonnulli hoc ipsum supponere visi sunt, ubi dixerunt, mundum tunc defuturum, cum Roma eversa conspiceretur. Extat adhuc inscriptio quædam, ubi Civitati illi nomen *æterna* tribuitur, sex, vel septem annis antequam caperetur, cum mœnia illius restaurarentur [8].

℣. 8. UNA DIE VENIENT PLAGÆ EJUS.] Hoc jam vidimus superioribus versiculis. Certum est, adeo fame fuisse laboratum [9], ac tantum mortuorum fuisse numerum, ut efferri præ multitudine minime possent [10], tantumque in Civitate fuisse luctum, & vastitatem, ut verbo describi non possit. *Igni combusta est*, & nullum fere ædificium flammas evasit [11].

℣. 9. PLANGENT SE SUPER ILLOS REGES TERRÆ.] Imperii Provinciæ, & fœderati Reges Romæ interitum tanquam suum existimarunt, arbitrati, universum Imperium corruere, ubi Romam prostratam viderunt. S. Augustinus [12] Orientis populos publice læsum fecisse, & maximas, atque remotissimas Civitates squalore, & luctu fuisse confectas testatur: *plangentibus Orientalibus populis, & maximis Civitatibus in remotissimis terris publicum luctum, mœroremque ducentibus*. Hic etiam S. Joannis locus concinnatus est ad Isaiæ 14. 9. & Ezechielis 26. 16. 31. hujus autem potissimum, imitationem. Ea vero quæ Apostolus hic de Mercatoribus, & mercibus Romæ ait ℣℣. 10. 11. 12. 13. 14. 15. cum iis, quæ de Tyriis narrat Ezechiel capitibus 27. 28. conferantur.

℣. 12. ET SERICI [13].] Sericum S. Joannis ævo perrarum erat, & maximo in pretio habebatur. Illud tamen Romæ non erat ignotum. Petronius de Romanorum luxu verba faciens hæc ait:

Hinc Numidæ crustas, illinc sua vellera Seres.

De Serico autem fusius verba fecimus in Ezechielem 26. 10.

OMNE LIGNUM THYINUM,] odoriferum nempe; ita enim nonnulli Interpretes Græcam vocem *thyinon* vertunt [14]: sed Grotius potiori jure credit, hoc lignum esse pretiosum ex Africa advectum, cui nomen *Citrus*, ex quo Romani mensas, & pretiosa laquearia efficiebant. De hoc Plinius l. 13. c. 16. & Martialis passim verba faciunt. Præsertim vero æstimabatur radix Citræ propter venarum, atque colorum varietatem: *radice nihil crispius, nec aliunde pretiosiora opera*.

℣. 13. CINNAMOMUM.] Syrus, Ms. Alexandrinus, aliique nonnulli Græci MSS. atque Æthiops legunt: *Cinnamomum, & Amomum*: quæ duo sunt aromatum species non longe dissimiles.

MANCIPIORUM, ET ANIMARUM HOMINUM.] Græcus [15] ad litteram *Corporum, & animarum hominum*. Sed Græci plerumque servos *Somata* dicunt. *Hominum animæ* in Scripturæ stylo generatim viventes homines significant. At numquid liberi homines venibant? Haud ita sane, cum saltem liberi agnoscerentur: sed rapiebantur nonnunquam homines, qui deinde veluti mancipia venibant, quod hoc in loco plane S. Joannes indigitat. Nonnulli, ut *Mancipia* distinguant ab iis, qui hoc

1 Histor. Lausiac. cap. 118. 2 August. lib. 1. de Civit. cap. 4.
3 Vide Grot. Hamm. Bossuet, Du Pin. 4 Victor. Vit. lib. 1. cap. 8.
5 Græc. Ἠκολούθησαν αὐτῆς αἱ ἁμαρτίαι ἄχρι τοῦ οὐρανοῦ. *Ejus peccata illam secuta sunt usque ad cælum*. Sed plura exemplaria Græca legunt: Ἐκολλήθησαν αἱ ἁμαρτίαι, &c. Ita Steph. a. m. Alex. Petav. 3. Hunt. 1. Cov. 2. Syr. Areth. Hippolyt. Arab. Vide Zach. 14. 5. 6 Vide Bossuet.
7 Tertull. Apologet. cap. 35. Idem ad Scapulam, cap. 2. Lactant. l. 7. c. 25.
8 Baron. t. 5. an. 403. Bossuet. hic. 9 Hieronym. Ep. 16. 10 Aug. lib. 1. de Civit. cap. 12.
11 Procop. de Bello Vandal. lib. 1. cap. 2. pag. 179. 12 August. lib. 1. de Civit. cap. 31.
13 Καὶ σηρικοῦ. 14 Πᾶν ξύλον θύϊνον. Alex. Πᾶν σκεῦος θύϊνον. *Omne vas Thyinum*. *Thyinum odoratum*. Beza. Camera. Parx. Cornel. Syr. 15 Σωμάτων, καὶ ψυχὰς ἀνθρώπων.

hoc in loco *animæ hominum* appellantur, putant hos servos fuisse, qui a Lanista in arenam inducebantur secum dimicaturi [1]. Tenent alii, duo hæc vocabula unum, & idem significare [2]: alii denique prius de servis, qui venibant, intelliguut: alterum vero de illis, quorum animæ interenut, addictæ turpibus, vel impudicitiæ, vel idololatriæ criminibus [3]. Grotius e contra censet, *animas hominum* servos esse, non secus ac in Ezechiele 27. 13. corpora vero esse liberos homines, qui sese prostituebant, aut venundabant, ut in amphitheatro dimicarent.

℣. 14. ROMA DESIDERII.] Romanorum luxus, atque mollities summa erat, præsertim vero, ubi agebatur de fructibus raris, & exquisitis, aliisque id genus deliciis. Poma nonnumquam pro symbolo amoris usurpantur, quo in sensu hic Grotius intelligit: *Non ultra poteris indulgere amoribus*.

℣. 17. ET OMNIS, QUI LACUM NAVIGAT.] Græcus [4]: *Omnes qui naves conscendunt*, vel *omnis navigantium multitudo*. Vel cum aliis exemplaribus: *Omnes, qui in locum navigant*. quæ vulgatæ olim lectio fuisse videtur, ita ut in textu non *in locum*, sed *in lacum* legendum sit. Ita vertendum est: *Et omnes, qui ad eum locum appellunt*, qui portus vestros adeunt, portus Romæ, & Italiæ, quasi legeremus: *Omnis, qui in locum istum navigat*.

℣. 18. LOCUM INCENDII EJUS] vel aream hujus civitatis succensæ. Græcus: Fumum incendii ejus. Flagrantis Civitatis incendii fumum eminus prospicient.

℣. 20. EXULTA SUPER EAM, COELUM.] Cœlum dumtaxat ob Romæ excidium lætatur. Sancti cum gaudio vident Dei justitiam exerceri, & dæmonis imperium everti. At ii sancti, qui in terris adhuc versantur, hoc videntes contremiscunt, & lugent. Græci quidam MSS. pro *Sancti Apostoli, & Prophetæ*, legunt [5]: *Sancti, & Apostoli, & Prophetæ*.

℣. 21. SUSTULIT LAPIDEM QUASI MOLAREM,] ut

A apertius magis innueret, Romam in nullam reditus spem prolapsuram. Et profecto numquam pristinum fulgorem, magnitudinem, potestatem, opes post Alaricum Roma adepta est. Cum Jeremias scripsisset vaticinium, in quo Babylonis interitus continebatur, præcepit Sarajæ, ut postquam illud Babyloni recitasset, alligatum lapidi in mare projiceret dicens [6]: *Sic submergetur Babylon, & non consurget a facie afflictionis, quam ego adduco super eam, & dissolvetur*.

℣. 22. VOX MOLÆ.] Hoc dictum est ad imitationem Jeremiæ cap. 25. ℣℣. 9. 10. Roma in solitudinem redigetur. Non audietur amplius pistrinorum strepitus, fruges tantæ Civitati molentium. Syrus atque Æthiops isthæc non legunt.

℣. 23. MERCATORES TUI PRINCIPES ERANT.] Hac
B loquendi ratione Ezechiel 27. 21. & Isaias 23. 8. usi sunt. Non solum Principes, & optimates, Nobiles, & Senatores Regio luxu vivebant; Mercatores quoque tanquam Principes luxuriabantur, atque immensas opes congerebant. Hoc in figurato etiam sensu potest intelligi: Hi Mercatores, de quibus loquor, & quæ tecum negotiabantur, sunt Principes Nationum; tu eos corrupisti, tu illis superstitiones, atque flagitia sua communicasti.

℣. 24. IN EA SANGUIS PROPHETARUM, & SANCTORUM:] non Prophetarum veteris Testamenti, quibus Roma necem inferre non potuit, sed Prophetarum novi, Apostolorum, Martyrum, Fidelium, quos fuerat persequuta, & quos interfecerat [7]. Confer *Jerem.* 2. 34. 51. 35. In Caput suum convertit pœnam non solum
C Martyrum omnium, qui in ipsa cæsi fuerunt, sed omnium etiam, *qui interfecti sunt in terra*, in omnibus Provinciis, atque urbibus Imperii; omnes enim Romæ, ac Principum ejus jussa, & exempla sequuta sunt.

1 Menoch. 2 Hammond. alii. 3 Cornel. Foter.
4 Alii: Ὁ ἐπὶ τῶν πλοίων ὁ ὅμιλος, καὶ, &c. Alii: Ὁ ἐπὶ τόπον. *Et omnis in locum navigans*. Ita Alexand. Sin. Barber. 2. L. Hunt. 3. Cov. 2. Per 2. Seidel. 5 Οἱ ἅγιοι Ἀπόστολοι, καὶ οἱ Προφῆται. Alii: Οἱ ἅγιοι, καὶ Ἀπόστολοι, καὶ Προφῆται. Ita Steph. α. ιε. Alexand. Baroc. Arcih. & alii.
6 Jerem. 51. 64. 7 Grot. Cluver, Bossuet.

C A P U T XIX.

Alleluja in Cœlo cantatum. Nuptiæ Agni. Felicitas eorum, qui ad illas invitati sunt. JESUS CHRISTUS apparet tamquam Imperator exercitus. Ipse est Rex Regum, & vindex criminum. Mundus in illum præliatur. JESUS est Victor.

1. POst hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluja:
Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est: 2 Quia vera, & justa judicia
sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prosti-
tutione sua, & vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus. 3 Et ite-
rum dixerunt: Alleluja. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum. 4 Et ecide-
runt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adoraverunt Deum sedentem su-
per thronum, dicentes: Amen. Alleluja. 5 Et vox de throno exivit, dicens:
Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus: & qui timetis eum, pusilli, & magni.
6 Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut
vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluja: quoniam regnavit Dominus Deus
noster omnipotens. 7 Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia vene-
runt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se. 8 Et datum est illi, ut cooperiat se
byssino splendenti, & candido. Byssinum enim, justificationes sunt Sanctorum. 9
Et dixit mihi: Scribe: Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt: & dicit
mihi: Hæc verba Dei vera sunt. 10 Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum:

Et

Et dicit mihi : Vide, ne feceris : conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium
testimonium Jesu. Deum adora, Testimonium enim Jesu, est spiritus prophetiæ. 11
Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur
Fidelis, & Verax, & cum justitia judicat, & pugnat. 12 Oculi autem ejus sicut
flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod ne-
mo novit, nisi ipse. 13 Et vestitus erat veste aspersa sanguine; & vocatur nomen
ejus, Verbum Dei. 14 Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis
albis, vestiti byssino albo, & mundo. 15 Et de ore ejus procedit gladius ex utra-
que parte acutus, ut in ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea : &
ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. 16 Et habet in vestimento,
& in femore suo scriptum : Rex regum, & Dominus dominantium. 17 Et vidi unum
Angelum stantem in sole, & clamavit voce magna, dicens : omnibus avibus, quæ
volabant per medium cœli : Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei : 18
Ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes e-
quorum, et sedentium in ipsis, et carnes omnium liberorum, et servorum, et pu-
sillorum, et magnorum. 19 Et vidi bestiam, et reges terræ, et exercitus eorum
congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, et cum exercitu
ejus. 20 Et apprehensa est bestia, et cum ea pseudopropheta : qui fecit signa coram
ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adoraverunt
imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis in sulphure : 21 Et
cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius; et om-
nes aves saturatæ sunt carnibus eorum.

℣. 1. POST HÆC AUDIVI.] Post prælia sequitur triumphus; persecutionibus pax, afflictioni lætitia succedit. Jesu Christi Ecclesia tandem a persecutionibus liberatur, effusi Martyrum sanguinis ultio reposcitur, idolorum cultus evertitur, Roma recens Babylon, sanctorum carnifex, & magna meretrix profligatur. Post magna illa argumenta, quæ superioribus capitibus nobis descripta fuere, S. Joannes isthic triumphantis Ecclesiæ lætitiam repræsentat. Innumerabilis sanctorum, Martyrumque turba in Cœlo concinit : *Alleluja : salus, & gloria, & virtus Deo nostro, quia vera, & justa judicia sunt ejus*. Ille judicavit, damnavit, percussit magnam meretricem, & secundum opera, & merita ejus dignis affecit suppliciis. Liquet, *Alleluja* significare, *Laudate Dominum*, & quandam esse Epinicii speciem, quæ solemnibus, Sanctisque gratiarum actionibus emphatice canebatur. B

℣. 3. FUMUS EJUS ASCENDIT IN SÆCULA SÆCULORUM.] Memoria excidii ejus non delebitur; fumus incendii ejus in æternum, vel diutissime permanebit. Roma non ita evertetur, ut nullæ penitus reliquiæ supersint. Quod tamen supererit, erit veluti æternum excidii, atque pristinæ magnitudinis ejus monumentum.

℣. 4. SENIORES VIGINTIQUATUOR, & QUATUOR ANIMALIA.] Vel quatuor Cherubim in quatuor angulis throni positi conjungetur voces, laudesque suas cum vocibus Martyrum, & cantum suum concluserunt : dicentes : *Amen, Alleluja* : ita est : Laudate Dominum.

℣. 6. ALLELUJA, QUONIAM REGNAVIT DOMINUS.] C Deus ab æterno regnavit; regnavit semper, & in omnia sæcula regnabit, licet in oppositum Dæmonum, atque mortalium illum minime cognoscentium nequitia eluctetur. In illos absolutum Regnum suum exercet, tunc etiam cum permittit, ut persequantur Fideles, ipsius cultum evertant, ejusque consiliis adversentur. At juxta nostram intelligendi rationem tunc regnat, suumque exercet Imperium, cum inimicos suos exterminat, cum ultionem suam in illos depromit, eorum conatus evertit, atque de eorumdem impiobitate triumphat. Persecutionum tempore, hoc erat quodammodo Regnum iniquitatis, injustitiæ, crudelitatis, idololatriæ; deinceps vero Dominus perfectius regnare A cœpit, saltem secundum nostrum conceptum :

℣. 7. VENERUNT NUPTIÆ AGNI.] In Novo Testamento [1] Ecclesiæ institutio, populorum ad fidem vocatio, Messiæ Regnum passim nuptiarum, solemnisque convivii nomine designantur. Jesus Christus Sponsus est, Ecclesia Sponsa, convivæ populi, cum Judæi, tum Gentiles. Nuptiæ hoc in loco videntur præsertim respicere beatitudinem, qua in Cœlo Justi fruuntur, præsertim vero post eam victoriam, quam de hostibus suis Agnus reportavit, & pacem quam Ecclesiæ reddidit.

℣. 8. DATUM EST ILLI, UT COOPERIAT SE BYSSINO.] Ecclesia Jesu Christi Sponsa, induta est innocentia, sanctitate, justitia, bonis operibus; hæc sunt illius ornamenta, quemadmodum S. Joannes ipse testatur : *byssinum enim justificationes sunt Sanctorum*. Byssus apud Auctores Græcus sæpe pro tenuissimo lino usurpatur, sed in Commentariis in 1. Paralip. 15. 27. ostendimus, byssum Hebræorum speciem fuisse sericei productam a pisce quodam ex genere testaceorum, cui nomen *pinna*.

℣. 10. CECIDI ANTE PEDES EJUS, UT ADORAREM EUM.] Sed me prohibuit, dicens : Conservus tuus sum. Patres quidam [2] crediderunt, Angelum hunc a S. Joanne acceptum fuisse pro Jesu Christo, ideoque Apostolum illi latriæ cultum præbere voluisse. Putant alii [3], S. Joannem cum vere cognovisse, quinam esset; & ratum, visionem jam esse absolutam, quandoquidem Agni nuptias viderat apparari, in genua procubuisse ante pedes ejus, eidem gratias actutum ob ea, quæ sibi hactenus ostenderat; sed Angelum, cui alia adhuc erant dicenda, illius adorationem respuisse, eodem ferme pacto, quo Jesus Christus in horto Magdalenæ cultum inhibuit, Joan. 20. 17. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*; poteris adhuc me videre, & mecum colloqui, vel quemadmodum S. Petrus respuit adorationem, & reverentiæ notas, quas illi Cornelius Centurio deferebat; cum Apostolus eum sustollens, ait Act. 10. 26. *Surge, & ipse homo sum*. S. Joannes tamen arbitratur, cultum, quem Angelo deferre cupiebat, eidem non esse molestum, quoniam sub finem Apocalypsis c. 22. 9. conatur iterum eum duliæ cultu venerari, quo homo legitime potest Angelos colere.

[1] Matth. 22. 2. 25. 1. 2. 3. &c. Luc. 14. 16. 17.

[2] Athanas. serm. 3. contra Arianos. Aug. lib. 22. contra Faust. cap. 21. Vide & D. Thom. 2. 2. qu. 84. art. 1.

[3] Vide Menoch.

Alii [1] putant, Angelum non passum fuisse a Joanne duliæ cultu adorari, eo quod Incarnationem Filii Dei veneratur: *Angeli enim postquam naturam nostram supra se assumptam in Christo perspiciunt*, ait S. Gregorius Papa, *prostratam jam videre pertimescunt* [2]. Arbitrantur alii, Angelum in S. Joanne Virginis [3], aut Sacerdotis [4], aut Apostoli, aut Prophetæ dignitatem [5] prospexisse; cui novissimæ rationi videtur Angelus favere ipse, cum ait Apoc. 22. 9. *Conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui servant verba Prophetiæ libri hujus*, vel [6], qui habent Prophetiæ donum, vel qui Martyrium passi sunt, ut Jesu Christo testimonium perhibeant.

TESTIMONIUM ENIM JESU EST SPIRITUS PROPHETIÆ.] Rationem reddit Angelus, cur respuat adorationem, quam S. Joannes sibi deferre cupiebat. Deus unus a te æque ac a me colendus est. Si ego tibi aperui, quid in Jesu Christi Ecclesia eventurum est, non mihi, sed uni Deo omnis honor debetur. Si habes Prophetiam, & tibi abdita mysteria pando, habes *testimonium JESU*, confiteris nomen ejus, veritates ejus annuntias, spiritu ejus afflatus, pro amore ejus Martyrium pati potes; quæ omnia æque valent, ac Prophetia, quam in me admiraris. Vel simplicius: Cave, ne coram me in genua procumbas; ego quoque sum Dei servus non secus ac tu, & alii omnes, qui habent spiritum Prophetiæ, atque ita Jesu Christo perhibent testimonium. Deum unum adora; Prophetiæ enim spiritus, quem tibi dedit Deus, testimonium est Jesu Christi, vel testimonium, quod perhibes Jesu Christo. Tu quodammodo par Angelis es.

℣. 11. ECCE EQUUS ALBUS.] Hæc est Jesu Christi descriptio [7], qui nobis exhibetur, tamquam victor Idololatriam, Dæmonem; atque peccatum profligans, & de hostibus suis triumphum reportans. Confer caput 6. ubi Jesus Christus, ut isthic, exhibetur albo insidens equo, quemadmodum victores solemni triumphi die Romam ingredi consueverant.

℣. 12. IN CAPITE EJUS DIADEMATA MULTA.] Ad ostendendam Imperii sui magnitudinem, atque potentiam, & innuendum, ipsum Regem esse Regum, & Dominum Dominorum. Reges victores plerumque eorum, quos vicerant, Regum coronas accipiebant. David devicti Ammonitarum Regis suo capiti coronam imposuit [8]. Ptolomæus Ægypti Rex, Antiochiam ingressus, duo accepit diademata, ut se & Syriæ, & Ægypti Regem esse indigitaret [9]. Diadema, ut liquet, non aliud est, quam linea vitta, qua Regum caput ornabatur.

HABENS NOMEN SCRIPTUM.] Nomen hoc est, vel *Dei verbum*, quod infra ℣. 13. memoratur, vel *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, quod in ejus veste descriptum erat infra ℣. 16. Nullus mortalium nominis hujus magnitudinem, majestatem, dignitatem agnoscit. Scriptum autem erat aureis plane litteris in anteriori parte diadematis, quæ fronti imminet, non secus ac Summus Judæorum Sacerdos in aurea lamina insculptum, *Sanctum Domino* deferebat [10]. S. Joannes fortasse veteri alludit consuetudini, quæ ad hanc usque diem viget apud Orientis populos, deferendi secretum aliquod nomen, quod nemini aperitur [11]. Numina quoque & civitates secreta sua nomina habebant, ut carminibus veneficis evocari non possent.

℣. 13. VESTITUS ERAT VESTE ASPERSA SANGUINE.] Velut heros ille, de quo loquitur Isajas 63. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra &c.* Ipse etiam Jesus Christus in passione sua vestes proprio sanguine infecit: sed quodammodo imbuit etiam eisdem sanguine inimicorum suorum ea in cæde, quam ediderunt Reges, ultionum ipsius Ministri, præsertim verò Constantinus in cæde competitorum suorum, qui omnes Jesu Christo erant infensissimi; & Alaricus a Deo missus, ut Martyrum sanguinem vindicaret, atque magnam meretricem, & bestiam septem capitum perderet.

VOCATUR NOMEN EJUS VERBUM DEI.] Victor ille, de quo sermo est, *Dei Verbum* appellatur, Verbum Patris, ejus Sapientia, Unigenitus, æqualis, & consubstantialis Patri. Vide caput primum, & primum Evangelii S. Joannis versiculum.

℣. 14. EXERCITUS, QUI SUNT IN COELO.] Eum sequuti sunt, & ipsi, ut ille, albis equis insidentes. Exercitus isti sunt Angeli, & Sancti Martyres, atque Confessores, qui beata æternitate in Cœlis fruuntur. Illi Jesu Christi comitantur triumphum, ut Romæ olim milites, qui in victoris exercitu stipendia merebant. Alludit S. Joannes ad quasdam triumphi minoris cæremonias, qui *Ovatio* dicebatur, in qua triumphans non curru vehebatur, sed equo, militum oleaginos ramos deferentium corona stipatus, quæ triumphi species tunc victori permittebatur, cum non operosum fuisset vicisse, vel cum bellum susceptum fuerat contra inimicos, qui ne merebantur quidem, ut in eosdem arma caperentur. Idololatria, persecutores, Dæmon, imbelles erant adversarii pro Jesu Christo, quos unico oris flatu disperdere, atque subvertere potuisset [12].

℣. 15. DE ORE EJUS PROCEDIT GLADIUS.] Gladius hic est Verbum Dei, veritas Evangelium. Armis hujusmodi, non ferro, gentes percutiet, superabit, *atque* suo Imperio subjiciet; *& ipse reget eas in virga ferrea*. Earum superbiam proteret, redigetque, ut pedum suorum vestigia venerentur. Salvatoris victoria ex omnibus gentibus relata, eo magis gloriosa est, quod in illas tantum Verbi gladium, & veritatis arma distrinxit. Locus hic Isajæ comparari potest 11. 4. *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium*. Bis jam [13] usurpatam vidimus virgam ferream ad innuendam auctoritatem, & absolutam Jesu Christi virtutem in Gentilibus populis ad fidem convertendis, atque Ecclesia sua regenda. Nihil suavius, quam Ecclesiasticum regimen, quatenus spectat ad Jesu Christi Ministros; nihil etiam absolutum, quam regimen ipsum, quatenus spectat ad Jesum Christum invictum, atque omnipotentem. Nihil illi resistit, seu vi utatur, ut nos superet, seu mansuetudine, ut nos illiciat.

IPSE CALCAT TORCULAR.] Vide supra cap. 14. ℣. 19. 20. & hoc etiam capite ℣. 13. & Isai. cap. 63. ℣. 1. 2. 3. Hæc imago mirum in modum convenit triompho Jesu Christi.

℣. 16. HABET IN VESTIMENTO, & IN FEMORE SUO SCRIPTUM.] Præter nomen ineffabile, & secretum, quod in diadematibus suis deferebat ℣. 12. aliud quoque palam gerebat in superiori veste regiaque chlamyde, atque gladii sui capulo, aut vastium serum panno in equitantis femora decidenti, *In femore*. Hoc autem erat: *Rex Regum, Dominus Dominantium*. Theologi mystici Jesu Christi femur explicant de illius Humanitate, vel Incarnatione. Jesus Christus etiam quatenus homo Rex Regum est, & Dominorum Dominus.

℣. 17. VIDI UNUM ANGELUM STANTEM IN SOLE.] Et omnes aves accersentem *ad cœnam magnam Dei*, vel juxta Græcum editum [14]: *ad Cœnam magni Dei*; sed plurimi, iique optimi MSS. cum Vulgata legunt: *ad Cœnam*

1 Berengaud. Rupert. Ausbert. Richard. Haymo. 2 Gregor. homil. 8. in Evangelia. 3 Petr. Damiani Serm. 1. de Excell. Sancti Joan. 4 Viegas hic. 5 Cornel. a Lapide. 6 Beda, Rupert. Berengaud, Viegas. 7 Ita Interpp. passim. 8 2 Reg. 12. 30. 9 1. Macc. 11. 13. Vide Grot. hic. 10 Exod. 28. 36. 37. 38. 11 Vide Grot. hic. 12 Thessal. 2. 8. & Isai. 11. 4. *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* 13 Apoc. 2. 27. 12. 5.
14 Εἰς τὸ δεῖπνον τοῦ μεγάλου Θεοῦ. Alii: Εἰς τὸ δεῖπνον τὸ μέγα, vel εἰς τὸ δεῖπνον τὸ μέγα τοῦ Θεοῦ. Ita Alex. Complut. Vulg. Syr. Arethas, Baroc. Petav. Cov. Huet. Steph. 2. &c.

Cenam magnam Dei. S. Joannes hoc in loco describit eam cædem, qua Dei Filius Reges, Principes, persecutores, hostes suos percussurus est, tamquam magnam cœnam, quam avibus cœli, & carnivoris terræ belluis instruit. Hæc eadem descriptio occurrit in Ezechiele cap. 39. ubi de excidio Gog, & Magog verba facit. Hæ figuratæ, atque hyperbolicæ loquendi rationes, nequaquam sunt ad litteram intelligendæ; simpliciter enim innuunt acerrimam internecionem, qualis iis in bellis vila fuit, de quibus capitibus superioribus verba fecimus.

ỳ. 19. VIDI BESTIAM, & REGES TERRÆ.] Ubi Jesum Christum, victoremque ejus exercitum describit, hoc in loco nobis exhibet hostes, in quos dimicare debuit, & quos superavit, hoc est, bestiam septem capita habentem, de qua sæpe loquutus est, Romanum Imperium, Idololatriam, & Romanos Imperatores, qui eam fovebant, atque tueri adnitebantur, Ecclesiam Jesu Christi evertentes.

ỳ. 20. ET APPREHENSA EST BESTIA, & CUM EA PSEUDO-PROPHETA.] Illa victa fuit, profligata in victoris manus cecidit. Romanum Imperium Gentilibus ablatum fuit, & Fidelibus datum. Constantinus vicit Maxentium, & Licinium, & eos omnes, qui eidem Imperium eripere conabantur; cujus tandem unicus Dominator superfuit. *Pseudo-Propheta* generatim significat Ethnicos Sacerdotes, Philosophos, Magos, Hæresiarchas, qui fuerunt veluti bestiæ propugnatores, & vicarii. Vide, sis, quæ supra adnotavimus cap. 16. ỳ. 13.

VIVI MISSI SUNT HI DUO.] Bestia, & Pseudo-Propheta præcipites dati sunt in Infernum: *bestia*, hoc est idololatræ, & persecutores Ecclesiæ; *Pseudo-Prophetæ*, hoc est Magi, inanium Deorum Sacerdotes, fictorum Oraculorum Auctores, suasores belli, quod Ethnici Imperatores Ecclesiæ indixerunt.

ỳ. 21. COETERI OCCISI SUNT IN GLADIO] prodeunte ex ore Jesu Christi, albo equo insidentis. Alii idololatræ, qui post bestiæ, Imperatorumque cædem, fuerunt reliqui, conversi sunt, & mortui idolis, et gratiæ & fidei vitam viverent. Occisi sunt gladio Verbi Dei: *& omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum*. Angeli & Sancti ob eorum conversionem læti sunt [1]. Qui hunc locum explicant de idololatris, qui clanculum diu in Imperio, præsertim vero in agris vigebant, ajunt, illos re ipsa fuisse interfectos, cum Imperator Justinianus legem irrogavit, qua vitæ pœna proposita idololatriæ interdictum est [2].

1 Luc. 15. 7. 2 Vide Grotium in hunc locum.

C A P U T X X.

Sathanas ad annos mille vinctus; quo tempore cum JESU CHRISTO Sancti regnabunt. Prima resurrectio. Sathanas ad breve tempus solutus. Bellum adversus Sanctos. Sathanas præceps datur in infernum, Mortuorum resurrectio. Novissimum Judicium.

1. ET vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, & catenam
magnam in manu sua. 2 Et apprehendit draconem, serpentem antiquum,
qui est diabolus, & satanas, & ligavit eum per annos mille. 3 Et misit
eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes,
donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solvi modico tempore. 4
Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis: & animas decollatorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis. 5 Cœteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.
6 Beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem. sed erunt sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum illo mille annis. 7 Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, & seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. 8 Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra Sanctorum, & civitatem dilectam. 9 Et descendit ignis a Deo de cœlo, & devoravit eos: & diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris: ubi & bestia, 10 Et pseudopropheta cruciabuntur die, ac nocte, in sæcula sæculorum. 11 Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, a cujus conspectu fugit terra, & cœlum, & locus non est inventus eis. 12 Et vidi mortuos, magnos, & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius Liber apertus est, qui est vitæ: et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. 13 Et dedit mare mortuos, qui in eo erant: et mors, et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant: et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum. 14 Et infernus, et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. 15 Et qui non inventus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

℣. 1. VIDI ANGELUM DESCENDENTEM DE COELO.] Postquam S. Johannes verba fecit de persecutionibus, quas Ecclesia passa est, sub allegoria draconis rubidi [1], & bestiæ septem capita habentis [2], Sanctos persequentis, in illos omnes Romani Imperii potestates permoventis, atque vim omnem, omnemque calliditatem exercentis, ut illos in errorem inducat: postquam prælium Agni cum Dracone, & bestia, ac victoriam ab illo de utrisque relatam descripsit; procedenti capite finem harum persecutionum sub imagine triumphi Jesu Christi, ejusque nuptiarum cum Ecclesia portendit. Hic autem pergit hoc ipsum nobis describere, aliarum figura, quæ respondet iis, quæ alibi dixit de Sathane in Ecclesiam emisso, eumdem scilicet ligatum, atque in infernum præcipitem datum ostendens. Descriptio quidem elegans est, & magnifica, atque mirum in modum exhibet supremum Domini in omnia create dominium. Sathanas tunc solum præliatur, cum Deo placet, & quamdiu ille permittit, neque ullas habet vires, nec aliquid illi e voto cedit, nisi quatenus patitur Deus, neque iterum illum certis veluti cancellis coarctans: cumque temporis ratio poscit, illum in abyssum detrudens, quemadmodum inde illum, cum ita censuit, eduxit.

Angelus, quem videt Sanctus Johannes de Cœlo descendentem, & abyssi clavem, ingentemque catenam gerentem, qua dæmonem vincit, & in abysso claudit, Domini potestatem significat, persecutioni finem imponentis. Penes illum jus est, ac facultas abyssum claudendi, & aperiendi, solvendi Sathanam, & dissolvendi. Ubi passus est, eumdem in Sanctos tribus annis cum dimidio debacchari [3], illum ad annos mille in inferno concludit; quod innuit, Ecclesiæ pacem bello ejusdem multo fore diuturniorem: & non secus ac tres anni cum dimidio, quibus Diocletiani persecutio detonuit, non obfuere, quominus alia etiam ante, ac postea, sed minores, brevioresque persecutiones erumperent; ita mille pacis anni, qui hoc in loco promittuntur, intelligendi non sunt, quasi Ecclesiæ eo temporis intervallo, nullam persecutionem, vel turbam sit aliqua ex parte passura. Hic etiam numerus annorum mille, non est signanter de certo, ac definito annorum numero, sed de diutissimo tempore explicandus, quo elapso, permittet Deus, ut sua Ecclesia ad brevissimum tempus turbetur, post quod apparebit judicium, ac resurrectio novissima, qua finis est omnis revelationis, omnisque œconomiæ, salutis hominum, & Religionis, quam in terris Jesus Christus instituit.

℣. 2. LIGAVIT EUM PER MILLE ANNOS.] Dicto eorum principio, ac victoriæ, quam retulit Agnus de bestia, & pace, quam procuravit Ecclesiæ. Sed cum pax ista sua habuerit primordia, progressus, & perfectionem, non satis liquet, unde horum mille annorum initium sit desumendum. Ab anno 410 quo Roma ab Alarico fuit capta, & quo, ut ita dicam, interiit superba civitas, & bestia, quæ illius symbolum erat, usque ad annum 540 pluribus vicibus oppugnata, expugnataque fuit. Inde vero ad annum 1540. mille circiter elapsi sunt anni; ac sub illud ferme tempus novissime erupserunt hæreses [4], pro quibus tantum sanguinis Europa fudit, & quæ altissima Ecclesiæ vulnus intulerunt. At quin prophetæ personam hoc in loco induamus, cum S. Augustino [5], nosque melioris Interpretibus [6], dicimus, millenarium hunc numerum certum, ac definitum non esse, & innuere

A solum totum illud temporis spatium, quod ad sæculorum usque exitum diffluet.

Ex hoc loco perperam intellecto profecta est Millenariorum opinio, credentium, Jesum Christum cum Sanctis annos mille regnaturum in terra, ante novissimi Judicii diem. Qui hanc sententiam propugnarunt, non erant Heretici, vel Schismatici, ab Ecclesiæ sejuncti: sed Patres in Ecclesia celebres, & sanctitatis laude florentes, hoc asseruerunt, quin tamen dictæ mordicus adhærerent. Eorum auctoritas plurimos Ecclesiasticos Auctores induxit; & Millenariorum sententia in Veterum scriptis diutius versata est. Sanctus Hieronymus [7] certe profitetur, se, licet illam minime amplectatur, non audere tamen illi nigrum theta præfigere, quoniam complures Ecclesiastici Auctores, B immo etiam Martyres illam secuti sunt; ideoque licere, ut hac in re abundet quisque in sensu suo, idque judicio Domini reservet. Hoc ipsum [8] sensit D. Augustinus, qui Millenarios non inter Hæreticos censuit adscribendos, sed tantum inter carnales homines, qui rudi, crassaque, ut ita dicam, Minerva intelligebant, quod spiritualiter erat explicandum.

Verum est, S. S. Epiphanium hær. 77. atque Philastrium hær. 59. de Millenariis tamquam de Hæreticorum secta verba facere; & fieri quidem potuit, ut eorum plurimi, qui in ea erant sententia, ob alias opiniones, & obstinatissimam pertinaciam, qua huic ipsi mordicus adhærebant, vere essent Hæretici; at si regnum mille annorum censuerunt solum sententiam esse probabilem, atque nonnullis Sacrarum Litterarum, C Patrumque monumentis innixam, non satis liquet, quæ de causa Hæreticis fuerint accensendi. Constat, S. Philastrium passim in hæresum numerum ea rejicere, quæ ab Ecclesia non damnantur; & S. Epiphanius peculiarem instituit de Millenariis articulum, ubi ait, eos, qui crediderant, post Jesum natum Sanctissimam Virginem cum S. Josepho conjugii jura exercuisse, fuisse quoque in Millenariorum sententia.

Millenariorum sententia ex ipsis Judæis originem duxit, qui Messiæ regnum præstolabantur in annos mille super terram, quemadmodum liquet ex quarto Esdræ libro cap. 4. 35. & cap. 6. 18. & Rabbinis nonnullis, qui maxime celebritate nominis floruerunt, puta Maimonides, Manasse-Ben-Israel. Sed huic systemati majorem addidit auctoritatem Papias, S. Johannis Evangelistæ discipulus, & S. Polycarpi socius, qui se ab Apostolis, eorumque discipulis accepisse ferebat D opinionem regni annorum mille Jesu Christi super terram [9], quod S. Irenæum [10], S. Justinum Martyrem [11], Tertullianum [12], Victorinum in Commentariis suis in Apocalypsim [13], Lactantium [14], & alios complures in hanc impulit sententiam, quæ ab aliis plurimis primorum sæculorum Patribus fuit impugnata. Et profecto quod Eusebius animadvertit de Papiæ ingenio, satis, superque esse deberet, ut illius hac in re auctoritas prorsus concideret. Ejus quippe ingenium mediocre, ne dicam exile, satis erat, ita ut assequi non valens ea, quæ sibi ab Apostolis dicebantur, in litterali sensu intellexit, quod in mystico tantummodo erat explicandum [15]. S. Dionysius Alexandrinus [16] E tertio sæculo date opera confutavit quemdam, cui Nepotis nomen, qui Librum ediderat, qui Millenariorum sententiam confirmaret. Cajus [17] Romanæ Ecclesiæ Sacerdos, qui altero vivebat sæculo, sententiam illam fabulam vocat, a Cerintho adinventam; eamque non

1 Apoc. 12. 3. & sequ. 2 Apoc. 13. 1. 2. & sequ. 3 Apoc. 11. 3. 12. 6. 14.

4 Lutherus coepit virus suum effundere an. 1516. & 1517. In eum excommunicationis bulla prodiit an. 1520. 5 August. lib. 20. de Civit. cap. 7. & sequ. 6 Vide Gregor. lib. 4. Moral. cap. 12. Andræ Cæsariens. Berengaud. Ribera, Viegas, Alcazar. Bossuet, Du Pin. alios.

7 Hieronym. in Jerem. 20. *Quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus, quia multi Ecclesiasticorum virorum & martyres ita dixerunt; & unusquisque suo sensu abundet, & Domini cuncta judicio reserventur.*

8 Aug. de Civit. lib. 20. cap. 7. 9 Euseb. lib. 3. Hist. Eccles. cap. 39.

10 Iren. lib. 5. cap. 33. & apud Euseb. lib. 3. cap. 39. 11 Justin. Mart. Dialog. cum Tryphone.

12 Tertull. lib. contra Marcion. cap. 24. 13 Victorin. apud Hieronym. in Ezech. 36.

14 Lactant. lib. 7. cap. 24. 15 Euseb. lib. 3. cap. 39. Hist. Eccles.

16 Dionys. Alex. apud Euseb. lib. 7. cap. 24. Hist. Eccles.

17 Cajus apud Euseb. lib. 3. cap. 28. Hist. Eccles.

non semel in Operibus suis Origenes explodit [1].

Quod hactenus diximus in S. Johannis Apocalypsim, mea quidem sententia, satis liquido ostendit, Jesu Christi regnum esse in Cœlo, Sanctos Martyres ibi cum illo beatitudine perfrui, ibique corporum suorum resurrectionem præstolari, quæ illorum gloriam, & felicitatem longe perfectiorem efficiet. Itaque cum eruditissimo viro [2], qui argumentum hoc prorsus exhausit, affirmari potest, Millenariorum sententiam, Evangelio quidem, & S. Pauli doctrinæ adversari, Apocalypsis vero auctoritate nequaquam probari. Hoc systema ortum suum debet Judaicæ superstitioni; in Christianam vero Religionem invectum est a Cerinthi nequitia; ac inter fideles institutum est per Papiæ auctoritatem, ibique maxime increvit propter Auctorum credulam facilitatem, qui cum animadverterent, utrum Papias testis esset fide dignus, se se induci passi sunt ea auctoritatis imagine, quam illi dignitas discipuli S. Johannis, speciosa conformitas cum infidelibus Apocalypseos explicationibus, fallax allegoriæ error conflaverat. Ita quantumvis ea sententia in Ecclesiis sit vetus, & quantacumque sit illorum auctoritas, qui eamdem, inducti fallaci sensu, quem Papias Apostolorum verbis affinxit, asseruerunt, omnino est improbanda.

Illud enim tamquam potissimum animis nostris inhærere præceptum debet, juxta Tertulliani doctrinam, quam omnes Patres secuti sunt; opinionem vetustissimam, eamdem & verissimam esse; *id verius, quod prius*; eam autem vetustissimam, quæ ex eodem Jesu Christo, atque Apostolis profecta est: *id prius, quod ab initio; id ab initio, quod ab Apostolis*. Jesus Christus, & S. Paulus Apostolus non obscure loquuntur; prior ille, cum ait, post resurrectionem nulla amplius futura conjugia, nosque in Cœlis tamquam Dei Angelos futuros [3]; alter autem [4], ubi docet, corpora nostra, ubi resurrexerimus, spiritualia fore, gloriosa, incorruptibilia, cœlestia, omnibusque illis qualitatibus, quibus hoc in sæculo impediuntur, expedita. Illorum igitur oracula solum a nobis hac in re sunt audienda; neque attendenda, quæ in oppositum Veteres asseruere: traditio enim ex Jesu Christo, ejusque Apostolis originem suam debet deducere. Ecclesia de hoc neque in generalibus Conciliis, neque universali consensu aliquid statuit; hærendum igitur est Evangelico textui, & scriptis Apostolorum.

℣. 3. Misit eum in abyssum.] Pluries illi oblongam circumdedit catenam, quam manu gerebat, & quæ innuit certissimum Domini imperium, atque decretum. Clausit etiam abyssi januam, signavitque, ut Sathanas non *seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni*; quod minime significat, Dæmonem quomodo nemini insidiari, neminemque seducere, ac Fideles omnes imperturbata pace gaudere. Quot enim bella, quot hæreses, dissidia, schismata, cædes, aliaque scelera, quæ Dæmoni accepta referuntur in Scripturis, ex eo tempore vidimus, & adhuc quotidie videmus? At non insurget amplius, ut olim, universam Ecclesiam perturbaturus, ac tantos ad eam seducendam conatus adhibiturus, quantam sævitiam, atque impotentiam exercuit sub Imperatoribus, qui Ecclesiæ E nefarium bellum indixerunt, atque Jesu Christi regnum evertere conati sunt.

Cum autem audis, bellum, quo fideles ab eo sunt lacessendi, cruentum non esse, ubi sanguis sit effundendus, ac vita expetenda, ne credas, futurum ne intra simplicis seductionis terminos velit subsistere. Præsertim quidem omnem exeret calliditatem, atque astum; non negliget tamen extera sævitiæ, & impotentiæ adminicula, ubi operæ pretium censuerit. Dæ-

A mon idem semper est quovis tempore: hostis vafer, æque & crudelis; in id semper intentus, ut noceat, ac fidelibus insidias struat [5]. At Deus nonnisi per intervalla, eum, omnem in fideles iram depromere patitur. Aliquando catenas illi adimit; atque tunc ille gravissimas parit calamitates.

Donec consummentur mille anni.] Ad mundi usque finem, & adventum Antichristi: tunc enim *oportet illum solvi modico tempore*. Jesus in Evangelio Matth. 24. 22. describens ea, quæ novissimis sunt futura temporibus, ait, tunc non defuturos antichristos, & pseudo prophetas, ea prodigia, ac signa operaturos, quæ, si fieri posset, electos etiam in errorem inducerent, & nisi dies illi breviarentur, neminem salvum futurum, sed propter electos dies illos esse im- B minuendos; quod belle congruit cum iis, quæ hoc in loco a S. Johanne dicuntur. Creditur, Antichristi regnum violentum, perniciosum, sed non diuturnum futurum, hoc est, ex plurimorum Interpretum sententia [6] annorum trium cum dimidio.

℣. 4. Et vidi sedes.] Hæ sedes sunt pro *animabus* Martyrum Jesu Christi, *decollatorum propter testimonium* Jesu [7]. Decollatæ supplicium fuit apud Romanos frequentissimum. Hi sunt Martyres illi, qui passi sunt, dum sæviret bestiæ, vel Imperatorum, de quibus toties sermo fuit, persecutio. Nonnulli [8] *animarum* nomine hoc in loco, non secus ac cap. 6. 9. Martyrum corpora intelligunt. Crediderunt veteres quidam [9], ante novissimam resurrectionem alteram in Martyrum gratiam esse processuram, quod ex ℣. 5. C capitis hujus inferebant. Verum duo sunt respondenda. Primo, certum non esse, *animarum* nomine hic eorum designari corpora, qui Martyrium passi fuere. S. Johannem alibi nequaquam distincte satis verba facere de priori hac resurrectione, & eos ipsos, qui istic Martyrum corpora intelligunt, sententiam hanc minime tueri: Secundo, licet hoc in loco sermo esset de Martyrum corporibus simul, & animabus, nihil inde tamen erui posse, communi Ecclesiæ sensui contrarium, juxta Scripturarum fidem credentis, ante Judicium novissimum resurrectionem esse processuram. Ac S. Johannes hic loquitur de extremo Judicio, cui Sancti Apostoli, & Martyres assidebunt, infideles, & persecutores suos judicaturi, ac damnaturi.

Vixerunt, et regnaverunt cum Christo.] D Post Imperatorum adversus Ecclesiam persecutiones, Sancti Martyres in Cœlis vivunt, & regnant; ibique prævia quadam resurrectionis specie *mille annis*, hoc est, usque ad Judicii diem gloria, ac beatitudine perfruuntur. Tunc re ipsa resurgent; eorumque corpora iterum cum gloriosis animabus suis coalescentia felicitate, atque gloria adhuc perfectiori gaudebunt. Alcazar, Grotius, & post illos Bossuet Meldensis Episcopus Martyrum regnum ante Judicii diem in iis etiam constituunt miraculis, quæ ad eorum monumenta Deus operatur, in eo cultu, qui ipsis adhibetur, atque publicis honoribus, quos in eorum memoriam sancta decrevit Ecclesia. Hæc quædam est figurativa resurrectio, realem, & generalem resurrectionem præcedens.

℣. 5. Cæteri mortuorum non vixerunt.] E Martyres summo præ cæteris mortuis privilegio fruuntur, immo etiam præ justis, qui in gratiæ statu decedunt; quod videlicet statim ad beatitudinis perfruitionem feruntur; cum martyrium sit charitatis consummatio, & novus quidam baptismus reliquias omnes peccatorum, quæ expiandæ supererant, prorsus abstergens [10]. Aliorum justorum plerique, quos charitatis ardor, & justitiæ perfectio Martyrum meritis non exæquavit, expiatorio igne lustrantur, neque gloria & beatitudine perfruuntur, nisi *post annos mille*, hoc

1 Origen. lib. 2. de Princip. cap. 2. & in Matth. 2 Du Pin, Dissertation 9. in Apocalypsin. Dissertatione in Millenarios. 3 Matth. 25. 24. Luc. 20. 28. 4 1. Cor. 15. 94. 45. &c.
5 Vide August. lib. 20. de Civit. cap. 7. 8. Bossuet, hic. 6 Ita fere Interpretes ad Apoc. 11. 3.
7 Τὰς ψυχὰς τῶν πεπελεκισμένων διὰ τὴν μαρτυρίαν. Alexand. Τῶν πεπολεμηκότων. *Eorum, qui bellum sustinuerunt.*
8 P. Martianæus vertit : *Corpora eorum*. Vide Apoc. 6. 9. 9 Hæc est plerorumque ex Millenariis sententia. 10 Clem. Alex. apud Grot. ad ℣. 4. hic. Tertull. *Ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat; omnia enim huic operi delicta donantur.*

est post illud temporis spatium, quod illis Divina justitia præscripsit [1]. Ita proprie loquendo prima resurrectio Martyribus tantummodo convenit, pro quibus solis minime sollicita Ecclesia non preces, sed laudes offert, cum gratiarum actione conjunctas [2]. Syrus, & Græca quædam Exemplaria [3] hæc omittunt verba: *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni.*

HÆC EST RESURRECTIO PRIMA.] Resurrectio in quadruplici sensu potest intelligi. 1. De reali resurrectione, quam post sæculorum finem præstolamur. 2. De resurrectione figurativa, quæ animæ est de peccati statu emergentis, ut gratiæ vitam vivat; de qua resurrectionis specie S. Paulus sæpe verba facit, Eph. 5. 14. *Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.* Et Coloss. 3. 1. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* &c. 3. Resurrectio significare potest gloriosum eum statum, quem animæ ex corporis ergastulo egressæ subeunt: re enim intus perspecta, atque explorata, mortalis hæc vita mors potius est, quam vera vita; anima nostra quodammodo in corporibus nostris tanquam in tumulis sepulta est, unde cum soluta egreditur, ad beatitudinis gaudium migratura, jure dici potest resurgere, recentemque vitam percipere. 4. Denique anima ex lustralibus Purgatorii flammis egrediens, ingrediensque Sanctorum gloriam, atque felicitatem; vel ea, quæ piacularibus suppliciis mundari non indigens, statûs illius longa tædia, pœnasque inexperta, repente in Cœlum evolat; hæc quodammodo prævia resurrectione resurgit.

At Sancti & eam, quæ a peccatis emundat, & eam, quæ de mortis hujus corpore liberat, & eam, quæ ex purgatorii flammis eripit, resurrectionem acceperunt; hi ergo vere primam habent resurrectionem, & alteram præstolantur, quæ in omnem æternitatem eorum corpora ipsorum animabus rursum conjunget. De prima hac resurrectione idem ferme judicium est, ac de morte animæ. Mors prima [4] mors est peccati; altera vero [5] mors est inferni: ita etiam prima resurrectio est a peccato immunitas, & cœlestis beatitudinis fruitio; altera vero est beatorum post sæculorum finem resurrectio. Hoc autem belle S. Johannes ait ℣. 6. *Beatus, & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima; in his secunda mors non habet potestatem.*

℣. 6. SED ERUNT SACERDOTES DEI, & CHRISTI,] Sancti Martyres participes sunt sacerdotii J. C. ejusque regni, & gloriæ; in eoque sensu Sacerdotes, ac Reges sunt. In Cœlo quamdam Sacerdotii speciem exercent, Deo fidelium preces offerentes, ac deprecantes pro illis, & Ecclesia [6], cujus semper se veluti membra, & cives existimant. In Cœlo cum Jesu Christo regnant *annis mille*, hoc est ad finem usque sæculorum, & generalem resurrectionem.

℣. 7. CUM CONSUMMATI FUERINT MILLE ANNI, SOLVETUR SATHANAS.] Cum prope erit, ut compleantur ea tempora, quæ pro Mundi hujus diuturnitate in decretis suis Dominus statuit, hic rursus permittet Sathanæ, ut Ecclesiam lacessat. Erumpet de abysso hinc infensissimus Sanctorum hostis, *& seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ*, hoc est, omnes terrarum populos; saltem illos fallere conabitur præstigiis, fictisque miraculis, & iis omnibus artibus, quascumque sibi fingere inexhaustus ille dolorum artifex poterit. Seducet *Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium*, contra Ecclesiam. Hoc nequaquam intelligendum est ad apicem litteræ. Gog, & Magog nomina sunt in Ezech. 38 & 39. insignia, ubi propheta portendit bellum ab ipsis populo Dei inferendum, & miraculosam rationem, qua a Deo erant exterminandi. Omnes hostes Ecclesiæ sunt Gog, & Magog ob sævitiam suam, ob iram contra Sanctos, ac impium consensum, quo simul Dei opus conantur evertere.

℣. 8. ASCENDERUNT SUPER LATITUDINEM TERRÆ.] S. Johannes hoc in loco sub imagine belli describit conatus, quos sub finem temporum exeret Antichristus. Hic Jesu Christi inimicus aget agmen frequens adeo, ac arenas maris; cooperiet superficiem terræ, Sanctorum castra circumdabit, sanctamque civitatem arcta obsidione vallabit. Hæc omnia metaphoram sapiunt. Civitas sancta, Ecclesia est; Sanctorum castra, eorum cœtus, qui perstiterunt in fide. Verum exercitus Antichristi conflatus ne erit vere ex militibus, qui reipsa Christianis eorum temporum Principibus bellum inferant; an simpliciter constabit ex seductoribus, ac impiis, Dæmonis spiritu repletis, falsis doctoribus, pseudo-prophetis, qui mortales in idolorum cultum, vel infidelitatem inducere quærant? Hac in re vix aliquid ausim in neutram partem proferre. Deus unus novit, quæ futura sunt; & nostrum non est futura scrutari, & ea, quæ Pater sibi reservata voluit, investigare. Credunt vulgo tamen, hos veros milites fore.

℣. 9. DESCENDIT IGNIS DE COELO.] In Antichristi exercitum, ut olim in Gog, & Magog demittet Deus [7] imbrem ignis, & sulphuris, grandinem simul, ac fulmina, quæ illum disperdent. Superbum hunc, funestumque inimicum oris sui flatu Dominus evertet; & populus fidelis, uti ille mala gravissima intentabit, divinitus tandem ex omni calamitate eripietur. Validi quidem, violentique erunt Sathanæ conatus; verum adversus eos, qui fideles perstiterint, erunt inutiles; ipse vero præceps dabitur *in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & bestia* (℣. 10.) *& Pseudo-Propheta*, idololatræ, persecutores, magi, hæresiarchæ, *cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum*. Hic aperte significatur æternitas pœnarum, quibus dæmones, atque damnati excruciandi sunt, & consummatio eorum omnium, quæ pertinent ad militantem Ecclesiam, & bella, quæ illa est subitura. Judicio peracto omnia in certo, atque immutabili statu permanent, seu gloria pro beatis in Cœlo, seu cruciatus pro dæmonibus, impiisque in inferno.

℣. 11. VIDI THRONUM MAGNUM,] nitentem, ac mira luce fulgentem [8], cui insidebat Jesus Christus, *a cujus conspectu fugit terra, & cœlum, & locus non est inventus eis.* Ecce novissimi Judicii apparatum. Apparet Jesus Christus in solio majestatis suæ; Cœlum, ac terra quodammodo perterrita ob terribilē ejus adspectum liquescunt, dissipantur, evanescunt; omnia coram supremo Judice faciem immutant. Non sunt amplius Cœli antiqui, ac terra vetus; sed recens cœlum, & terra nova. Non delebit Dominus creata, sed immutabit, ac rediget in statum perfectiorem [9]. Vide nostram de Mundi fine Dissertationem. Credit S. Augustinus [10] immutationem hanc non nisi post Judicium futuram; quæ communis est Interpretum sententia.

℣. 12. ET VIDI MORTUOS.] Omnes homines prodeunt in Judicium coram Jesu Christo, pro meritis suis præmia, vel pœnas accepturi [11]. *Libri aperti sunt*; ad examen vocatum est quidquid singuli fecerant, & facturi erant; sedulo enim omnium tum bene, tum perperam factorum habetur ratio. Hi libri materiales non sunt, neque sensibiles; significant solum in Deo nullam esse oblivionem, nullamque rerum memoriam apud ipsum oblitterari [12]. Ibi vero simulationi, fraudi, errori locus non erit. Non judicandorum copia, neque infinita factorum eorumdem series Judici nego-

ainm

1 Vide Dupinii Dissertationem in Apocalypsim. 2 August. Serm. 14. de verbis Apostoli.
3 Petav. 2. Hunt. 1. Cov. 2. Sin. Leicest. Syr. 4 Rom. 5. 15. 2. Cor 16. 22.
5 Apoc. 2. 11. & 20. 22. 6 Grot. hic. *Sicut olim Deus preces Sacerdotum exaudiebat pro populo; ita nunc preces Martyrum exaudit pro Ecclesia.* 7 Ezech. 38. 22.
8 Vide Apocal. 14. 14. Grot. Cornel. Bossuet. 9 Aug. l. 20. de Civit. c. 14. Berengaud. hic, Viegas, Cornel. Men. Cluver. Durham. &c. 10 Aug. loco cit. 11 2. Cor. 5. 14. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*
12 Vide August. l. 20. de Civit. c. 14.

tinm facessent. Omnia scripta, omnia notata sunt, omnia in illo subsistunt. Pro verbis illis *in conspectu throni*, Græcus editus legit, *in conspectu Dei*; Sed Vulgatæ lectio versionis Syriacæ, Arabicæ, Æthiopicæ, plurimorumque Mss. auctoritate probatur.

Alius liber apertus est, qui est vitæ;] hoc est prædestinatorum ad vitam, continens electorum nomina, eorumque bene facta. Hic autem solus est ad innuendum exiguum eorum numerum, si conferatur cum numero reprobatorum, atque scelerum, quæ pluribus in libris continentur. *Libri aperti sunt.* Quilibet secundum opera sua judicatur: nulla ibi admittitur excusatio; nemini tribuitur malum, quod ab eo factum non fuerit. Qui bona opera non protulit, huic nulla gratia speranda est: omnia ibi secundum rectissimam justitiæ trutinam transiguntur. Credidere nonnulli [a], hos libros, qui novissimo in judicio aperiuntur, Sanctas esse Scripturas veteris, novique Testamenti, in quibus omnia mortalium officia continentur. Dicunt, hæc volumina ita aperta ab omnibus hominibus esse legenda, ut singuli ex se met propriæ, alienæque damnationis justitiam palam intelligant. *Quædam igitur intelligenda est vis divina, qua fiet, ut cuique opera sua, vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset, vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul singuli judicentur*, ait S. Augustinus l. 20. de Civ. c. 14. Ipse vero opinatur, libros hosce apertos non aliud esse, quam Sanctos ipsos, vel singulorum judicandorum conscientiam; lectionem autem eorum non aliud fore, quam illam ingenii vim, quam Deus singulis concedet, ut quæ quisque fecerit, scrutentur, & tanquam in speculo expressa intueantur. Cæterum hic locus ex Daniele 7. 10. desumptus est: *Judicium sedit, & libri aperti sunt.*

℣. 13. Dedit mare mortuos.] Generalis erit resurrectio. Omnes homines generatim ante Jesu Christi tribunal prodibunt. Terra, & mare; vel sepulchrum [b], & mare eos reddent, quos veluti sequestres custodiunt. Mare, mors, sepulchrum nobis exhibentur velut tyranni mortuos sub suæ ditionis imperio tenentes. Jesu Christo imperante illis libertatem restituent, eisque permittent, ut coram Domino rationem accedant reddituri.

℣. 14. Infernus, et mors.] Persequitur allegoriam suam. Duo hi tyranni sepulchrum, & mors æternis addicuntur ignibus; hoc est, dæmon, qui mortem, mala, & peccatum invexit in mundum, iis afficietur suppliciis, quæ nullum invenient finem, una cum iis, qui injustæ illius dominationi sese mancipaverunt. S. Paulus 1. Cor. 15. 26. ait mortem postremum esse inimicum, quem post Judicium delebit Dominus, atque tunc adimpletum iri ratiocinium illud: *absorpta est mors in victoria*. Addit S. Johannes: *hæc est mors secunda*. Æternus hic ignis, hic flammarum lacus *secunda mors est* [c], cujus prior non aliud, ut ita dicam, erat quam umbra, & imago. Anima, quæ a corpore divellitur, post eam secessionem verius vivit, quam ante: sed cum decidit in infernum, moritur, ut ita dicam, in æternum, quin mori possit. *Non perit, ut possit sæpe perire.* Mors enim illi tanquam bonum esset optanda, si illam consequi posset.

℣. 15. Qui non est inventus in libro vitæ,] in numero prædestinatorum ad gloriam, *missus est in stagnum ignis*, cum Sathana, bestia, & pseudo-Propheta. Justi, atque electi in cœlum ibunt, æterna felicitate perfruituri, impii vero præcipites in infernum dabuntur: quod conforme est iis, quæ in Evangelio Matth. 25. 33. Jesus Christus inquit, se Judicii die electos a reprobis sejuncturum, hos quidem a sinistris, illos vero a dextris suis collocaturum, & aliis æternam vitam daturum, alios vero æternis suppliciis addicturum.

---

a Beda. Alcazar. b Alcazar. Hammond. Cornel. Bossuet.
c Quædam Mss. Græca addunt: *Stagnum ignis est secunda mors.* Οὗτός ἐςι ὁ δεύτερος θάνατος, ἡ λίμνη τῦ πυρός. Syr. Arab. Æthiop. Areth. Alex. Seidel. alii.

CAPUT XXI.

Novum Cælum, & terra nova. Nova Jerusalem sponsa Agni. Deus cum hominibus permanet. Omnia erunt nova. Peccatores in ignis, sulphurisque stagnum missi. Descriptio novæ Jerusalem. Ejus ostia, muri, forma, dimensiones. Deus, & Agnus illius Templum sunt; quo nihil pollutum ingredietur.

1. ET vidi cœlum novum, & terram novam. Primum enim cœlum, & prima
terra abiit, & mare jam non est. 2 Et ego Joannes vidi sanctam civita-
tem Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo paratam, sicut sponsam orna-
tam viro suo. 3 Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernacu-
lum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, & ip-
se Deus cum eis erit eorum Deus: 4 Et absterget Deus omnem lacrymam ab o-
culis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor e-
rit ultra, quia prima abierunt. 5 Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova
facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera. 6
Et dixit mihi: Factum est. Ego sum Alpha, & Omega: initium, & finis. Ego
sitienti dabo de fonte aquæ vivæ, gratis. 7 Qui vicerit, possidebit hæc, & ero
illi Deus, & ille erit mihi filius. 8 Timidis autem, & incredulis, & execratis,
& homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendaci-
bus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure; quod est mors secun-
da.

da . 9 Et venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis
novissimis , & locutus est mecum , dicens : Veni , & ostendam tibi sponsam , uxo-
rem Agni . 10 Et sustulit me in spiritum in montem magnum , & altum , & o-
stendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, descendentem de cœlo a Deo . 11 Ha-
bentem claritatem Dei : & lumen ejus simile lapidi pretioso tamquam lapidi jaspidis,
sicut chrystallum. 12 Et habebat murum magnum, & altum, habentem portas duo-
decim : & in portis Angelos duodecim , & nomina inscripta , quæ sunt nomina
duodecim tribuum filiorum Israel. 13 Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone por-
tæ tres , & ab Austro portæ tres , & ab Occasu portæ tres . 14 Et murus civi-
tatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Aposto-
lorum Agni. 15 Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream,
ut metiretur civitatem , & portas ejus , et murum . 16 Et civitas in quadro po-
sita est, et longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo: et mensus est civitatem de a-
rundine aurea per stadia duodecim millia : et longitudo , et altitudo , et latitudo
ejus , inæqualia sunt . 17 Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor
cubitorum , mensura hominis , quæ est Angeli . 18 Et erat structura muri ejus ex
lapide jaspide : ipsa vero civitas , aurum mundum simile vitro mundo . 19 Et fun-
damenta muri civitatis , omni lapide pretioso ornata . Fundamentum primum , jas-
pis : secundum, sapphirus: tertium, chalcedonius: quartum, smaragdus : 20 Quin-
tum , sardonix : sextum, sardius : septimum , chrysolithus : octavum , beryllus : no-
num topazius : decimum , chrysoprasus : undecimum , hyacinthus : duodecimum ,
amethystus . 21 Et duodecim portæ , duodecim margaritæ sunt , per singulas : et
singulæ portæ erant ex singulis margaritis : et platea civitatis aurum mundum, tan-
quam vitrum perlucidum . 22 Et templum non vidi in ea : Dominus enim Deus
omnipotens templum illius est , et Agnus . 23 Et civitas non eget sole , neque
luna , ut luceant in ea : nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus.
24 Et ambulabunt gentes in lumine ejus: et reges terræ afferent gloriam suam, et
honorem in illam . 25 Et portæ ejus non claudentur per diem : nox enim non e-
rit illic . 26 Et afferent gloriam , et honorem gentium in illam . 27 Non intra-
bit in eam aliquod coinquinatum , aut abominationem faciens , et mendacium , nisi
qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

℣. 1. VIDI COELUM NOVUM , ET TERRAM NOVAM.] Caput hoc, & subsequens continent cœlestis Jerosolymæ, Ecclesiæ triumphantis, & beatitudinis Sanctorum in Cœlo descriptionem [1]. Hoc est omnium veteris, novique Testamenti complementum, & unicum objectum desiderii, ac spei Christi fidelium. Post novissimum Judicium videbitur, quemadmodum superiori capite vidimus ℣. 11. *Cælum novum, & terra nova*, nova propter formam, & qualitates; at nova magis adhuc propter substantiam. Hæc loquendi ratio communis erat fortasse apud Judæos, quoniam non semel hoc in libro [2], bis in Isaja [3], atque etiam in altera S. Petri Epistola invenitur. Velle autem asserere, quodnam futurum sit hoc cœlum novum, & hæc terra nova, & quænam eorum ornamenta, & qualitates, hæc mea quidem sententia impudentissima temeritas est. Generatim hæ loquendi rationes maximas in Universo immutationes designant.

℣. 2. VIDI SANCTAM CIVITATEM, JERUSALEM NOVAM.] Sancti Martyres aliique electi de terra ascenderant in Cœlum, ibi triumphantem Ecclesiam constituturi, cum interim in terra militans Ecclesia substiterat. Modo vero, cum nulla sit amplius Ecclesia militans, prædestinati omnes ad eamdem beatitudinem collecti sint, natura omnis in melius sit immutata, ac cœlum, & terra perfecta; Ecclesia Jesu Christi de cœlo in Terram descendit æque formosa, elegans, & magnifica, ac nova sponsa, quæ ad sponsum deducitur; quod innuit cœlum, terramque coaluisse, Jesum Christum, sanctos, Ecclesiamque ejus ibi perfecta pace, ac beatitudine perfrui. Cœlestis Jerusalem in terram descendens non ideo cœlum deserit, sed post resurrectionem regnum illius in terram, ac Cœlum simul extenditur.

℣. 3. AUDIVI VOCEM MAGNAM DE THRONO DICENTEM.] Exemplaria nonnulla legunt *descendentem de Cælo, & dicentem : Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus*. Deus olim populo suo promiserat futurum, ut in medio eorum Tabernaculum suum collocaret [3]: atque fidem præstiterat, quodam in sensu apertissima præbens Hebræis indicia præsentiæ suæ in Tabernaculo, ac Templo. Aliquid amplius in Christianorum gratiam concessit, illis tradens Jesum Christum, qui pro nobis humanam carnem assumpsit, atque in ara crucis se obtulit, & qui per jugem quandam incarnationis, & sacrificii sui continuationem nobis est præsens in Sanctissimo Corporis, Sanguinisque sui Sacramento. Hæc tamen nondum erat promissionis Domini consummatio: quæ non nisi in Cœlo, ac Jerosolyma cœlesti adimpletur, ubi Electi omnes sine ulla alienigenarum commixtione verum Dei populum componunt.

℣. 4. ABSTERGET OMNEM LACRYMAM.] In Cœlo nullus erit luctus, nullus dolor, nullæ vel pœnitentiæ, vel miserationis lacrymæ. Sancti nihil timebunt, nihil patientur, præteritorum malorum obliviscentur, & intelligent, aliena mala in iis quidem, qui eadem perpetiuntur, omnino esse libera, ea quippe ipsi sibi conflarunt; in Deo vero, qui eadem illis inflixit, esse justissima. Nullus ibi oppressi populi clamor erit, nullæ opprimentium irrisiones. Sancti non cupient amplius, ut corpora animabus suis iterum adhærescant, neque expetent ultra, ut Dominus sanguinis sui effusi ultionem deposcat.

Di-

1 August. lib. 22. de Civit. cap. 27. Cornel. Bossuet, alii passim.
2 Cap. 22. 11. Infra vers. 4.
3 Isai. 65. 17. & 66. 22.

℣. 5. DIXIT, QUI SEDEBAT IN THRONO. ECCE NOVA FACIO OMNIA], A novum Cœlum, novam terram, novam Jerusalem, novum Regnum, novam sponsam, novam Ecclesiam. Iidem profecto, qui militantem constituerunt Ecclesiam, & triumphantem component: sed eorum status, gloria, felicitas immutabuntur. Felicitas eorum non erat perfecta, cum fratrum eorumdem numerus nondum erat completus, nondum sanguinis ipsorum ultio desumpta, nondum justitia Dei in impios expleta, nondum ipsorum corpora resuscitata [1]. Modo vero hæc omnia jam sunt peracta.

℣. 6. ET DIXIT MIHI: FACTUM EST.] Per generalem resurrectionem, novissimum judicium, novæque Jerosolymæ institutionem, universa consiliorum Dei in humanum genus œconomia adimpleta est. Figuræ, prophetiæ, promissiones, minæ, leges expletæ sunt, & B ut verbo me expediam, perfectum est quidquid ad Religionem spectabat, & quidquid in cœli, terræque creatione sibi proposuerat. Omnia Patri per Filium subjiciuntur, qui Regnum in manibus ejus iterum collocavit, & omnem potestatem, & auctoritatem exinanivit. Pater quoque vicissim pedibus Jesu Christi subjecit omnes illius inimicos; & novissime mortem etiam illi subdidit [2].

EGO SUM ALPHA, ET OMEGA.] Hoc quidem Deus semper est, semperque fuit, hoc tamen ex nostra intelligendi ratione perfectius est in Ecclesia triumphanti, & post novissimam resurrectionem, cum nihil ejus adversatur imperiis, & omnes illius inimici ad pedes ejusdem jacent prostrati. Græcus hoc in loco sibi non constat [3]; quædam enim Exemplaria cum vulgata legunt. *Factum est: Ego sum alpha, & omega*, quæ- C dam vero simpliciter legunt. Et dixit mihi. *Ego fui alpha, & omega*, vel *ego sum alpha, & omega*.

EGO SITIENTI DABO DE FONTE AQUÆ VITÆ GRATIS.] Beatitudinem viventis aquæ fontem appellat. In aliis Evangelii [4] locis per hæc verba Spiritus Sancti gratiam, fidem, varitatis cognitionem intelligit. Sanctis dicit, se illis supremam felicitatem gratis dedisse, non enim suapte virtute, sed Dei gratia favente illam fuere promeriti; & cum Deus nostra coronat merita, sua dona coronat [5]: sed hanc Deus illis tantummodo dedit, qui eamdem sitierunt, atque ex toto corde concupierunt. Incepit in illis, ciens ejus amorem, fervidumque desiderium; deinde vero illi satisfecit desiderio, quod ipse per Spiritum sanctum in eorum corde succenderat.

℣. 7. QUI VICERIT, POSSIDEBIT HÆC.] Citra labo- D rem, atque certamen æterna præmia speranda non sunt. Præliandum est, in prælio perseverandum, victoria de mundo, dæmone, ac nobis metipsis referenda. Sancti coronas æternas non nisi belluæ ejusque vicariis, Anti-Christi fraudibus, Pseudo-Prophetarum dolis, carnis, & mundi illecebris, minis, cruciatibus, ipsi etiam morti præsenti animo resistentes promerentur.

ERO ILLI DEUS, ET ILLE ERIT MIHI FILIUS.] Dei Filius adoptionem Patris nobis promeruit, ejusque filiatio in omnes nos est effusa per fidem, atque Baptismum. Spiritus Sanctus, quem accepimus, hanc in nobis parit confidentiam, ut ad Deum clamemus, Abba, Pater [6]. In cœlis vero præsertim electi cum ineffabilium voluptatum effusionibus intelligunt, atque admirantur, quænam hæc sit Filiorum Dei prærogativa. Ibi gratissi- E mo cordis affectu videbunt vias Dei, ejusdem in seipsis adimpleta consilia, & omnes ejus filiationis effectus, quam illis sanguine suo peperit Jesus Christus.

℣. 8. TIMIDIS AUTEM, ET INCREDULIS.] Quædam est laude digna timiditas, quæ nempe ex propriæ infirmitatis cognitione proficiscitur, & quæ temeritati adversatur. Alia etiam oritur ex observantia, qua dignitatis, meritique superioris virum excipimus, quas timoris species hic Jesus Christus non damnat; illas enim dumtaxat perstringit, quæ ex ignavia, diffidentia, incredulitate procedunt. Eos vero damnat, quos sui nominis pudet, qui causam ipsius deserunt, qui illum coram hominibus abnegant [7], qui minis, terroribus, cruciatibusque cedentes, sese bestiæ tradunt, ac inde illius notam, & characterem assumunt. Fides sanctam inspirat audaciam, æquis a temeritate, ac ignavia intervallis sejunctam.

EX OMNIBUS MENDACIBUS.] iis præsertim, qui fallaci doctrina, fictisque prodigiis os populo subliniunt, pseudo-prophetis, magis, hypocritis, qui Religione abutuntur, ut fallant simplices; generatim mendacibus omnibus, & veteratoribus, qui veritatem, justitiam, sinceritatem lethalibus criminibus lædentes, inferni flammis æternum cruciandi addicentur.

℣. 9. VENIT UNUS DE SEPTEM ANGELIS,] quos supra videram cap. 16. ℣. 1. gerentes septem phialas plenas septem plagarum novissimarum, & dixit mihi [8]: *Veni, & ostendam tibi sponsam, uxorem Agni*, vel ostendam mulierem, quæ est Agni Sponsa, hoc est novam Jerusalem, atque triumphantem Ecclesiam, quæ prophetico describitur stylo, tamquam formosissima; eadem fere ratione, qua idololatria, vel Romana civitas sub meretricis habitu descripta fuit.

℣. 10. SUSTULIT ME IN SPIRITU.] super excelsum montem, ubi sita erat hæc nova Jerusalem, sponsa Agni eo fere pacto, quo vetus Jerusalem in sublimi montis cacumine posita erat. Alludere videtur ad hæc Isaiæ verba 2. 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*; erit montis instar, super alium montem insiti. Situs hic novæ Jerusalem illius pulchritudini, atque fortitudini maxime confert; inexpugnabilis est, agris omnibus dominatur, undique cernitur. Talis erit in sublimi, mysticoque sensu triumphans Ecclesia.

℣. 11. HABENTEM CLARITATEM DEI.] Superius dixit, post Resurrectionem futurum Cœlum novum, ac terram novam. Ad id autem aliqua re opus erat, quæ solis lumini suppleret, novamque Jerosolymam illustraret, non enim erat in tenebris. *Habentem claritatem Dei*, claritatem supernaturalem, & prorsus divinam [9], quemadmodum dicitur, pulchritudo Dei, mons Dei pro singulari pulchritudine, & monte altissimo. Denique *claritas Dei*, vel cum Græco textu [10] *gloria Dei* significare potest præsentiam Dei, supernaturale Spiritus Sancti lumen, quod nullam patitur unquam imminutionem, aut eclypsim. Ibi non cernebatur nox diei succedere, neque noctes diesque perenni vicissitudine augeri & decrescere. Lumen, quod ibi lucebat, perpetuum erat, uniforme, æternum. Finge tibi lapidem pretiosum, *lapidem jaspidis, sicut chrystallum* [11], qui nulli obnoxius est immutationi, & æquali semper nitore coruscat.

℣. 12. HABEBAT MURUM MAGNUM, ET ALTUM, ... ET IN PORTIS ANGELOS [12] DUODECIM.] Antiqua nonnulla Vulgatæ exemplaria pro *duodecim Angelis, duodecim Angulos* legunt, qui bipalmaris est error. Duodecim Angeli positi singuli in singulis portis novæ Jerusalem, earum custodes sunt, atque janitores, non quod metuatur, ne hostis, vel advena per fraudem illuc

1 Apoc. 6. 11. *Dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.*

2 1. Cor. 15. 26. 27.

3 Græc. impress. Καὶ εἶπέ μοι γέγονε, ἐγώ εἰμι τὸ Α, καὶ τὸ Ω. Alii: Εἶπέ μοι γέγονεν ἐγὼ τὸ Α, καὶ τὸ Ω. Ite Pera. 2. 3. Cov. 2. Aeth. Steph. &c. Hunt. 1. Seidel.

4 Joan. 4. 14. 7. 38. 39.

5 August. Ep. 186. & 3. *Hoc & ipsum hominis meritum donum est gratuitum.* Et Epist. 194. cap. 5. *Ei cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam dona sua.*

6 Rom. 8. 15. Galat. 4. 6.

7 Luc. 9. 26. Marth. 10. 32. 33.

8 Δεῦρο, δείξω σοι τὴν νύμφην τοῦ ἀρνίου τὴν γυναῖκα. Alii plures: Δείξω σοι τὴν γυναῖκα τοῦ ἀρνίου τὴν νύμφην. Ita Vulg. Arab. Seidel. Cyprian. Areth. alii.

9 Cornel. Menoch. &c.

10 Ἔχουσαν τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ. Vide Grot. Durham, alios.

11 Ὅμοιος λίθῳ τιμιωτάτῳ, ὡς λίθῳ ἰάσπιδι κρυσταλλίζοντι.

12 Ἀγγέλους δώδεκα: Omittit Alex. & Syr. In quibusdam Latinis, *Angulos duodecim*. Vide Valsa. γωνίας δώδεκα.

fue obrepant; dœmones, & impii in æternum flammis addicti in inferno crementur, & nihil adest in terra, quod cœlestis Jerosolymæ pacem, ac requiem valeat turbare: at majestas saltem, & elegantia urbis adeo formosæ, divitis, Agno dilectæ requirit, ut præ foribus vigilent excubiæ.

NOMINA DUODECIM TRIBUUM.] Singulæ portæ singularum tribuum nomina deferebant; quod innuebat, ea in urbe universum electum populum contineri, & extra Ecclesiam nullam salutem, nullamque beatitudinem esse sperandam. Duodecim Tribus universum Prædestinatorum numerum significant. [1] Vide supra cap. 7. 4. & seq.

ỹ. 13. AB ORIENTE PORTÆ TRES.] Civitas quadrata erat, & quatuor mundi plagas spectabat. In singulis lateribus ad æqualem inter se distantiam ternæ erant portæ. Non abhorret a veritatis specie, portarum nomina, ac tribuum dispositionem, eadem fuisse, ac illa, quæ in castris Israel in deserto [2]. In Orientali plaga erant Juda, Issachar, & Zabulon, ad meridiem Ruben, Simeon, & Gad: Ephraim, Manasse, & Benjamin spectabant occasum; Dan vero, Aser, & Nephtali Septentrionem. Confer hanc S. Johannis civitatem cum illa, quam describit Ezechiel c. 48. ỹỹ. 30. 31. & seq.

ỹ. 14. MURUS CIVITATIS HABENS FUNDAMENTA DUODECIM.] vel duodecim lapides miræ prorsus magnitudinis, & soliditatis, qui erant pro Fundamento; in his vero duodecim lapidibus fundamenti erant *nomina duodecim Apostolorum Agni*. Jesu Christi Ecclesia super eumdem, ejusque Apostolos fundata est; ipse fundamentum est essentiale, ac primum, super quod & ipsi Apostoli fundati sunt.

ỹ. 15. HABEBAT MENSURAM ARUNDINEAM AUREAM [3].] Angelus urbem coram S. Johanne metiri cupiebat, ut hic facilius dimensiones posset memoria retinere. Confer hoc cum Ezechiele 40. 3. ubi Angelus illi novi Templi post reditum de captivitate reædificandi mensuras ostendit. Supra cap. 11. ỹ. 1. S. Johanni mensorius calamus tribuitur, quo Templi partem, quæ ab omni pollutione immunis erat futura, metiretur. Omnis hæc descriptio non est ad litteram intelligenda, sed rei prædictæ certitudinem innuit, & portendit, post resurrectionem Ecclesiam conflatum iri ex prædestinatis dumtaxat, eamque futuram in Cœlis novis, novaque terra, quæ Cœlis, terræque præsentibus succedent.

ỹ. 16. CIVITAS IN QUADRO POSITA EST, ET LONGITUDO EJUS TANTA EST, QUANTA ET LATITUDO.] Hoc per se patet: adamussim enim posita erat in quadro. Habebat autem *stadia duodecim millia* in circuitu, ideoque tria stadiorum millia in longitudinem, tantumdem vero in latitudine, ab una porta ad alteram. Illud vero non ita patet; *Longitudo, & altitudo, & latitudo ejus æqualia sunt*. Quomodo enim altitudo par esse potest longitudini, & latitudini? Credunt quidam, urbis longitudinem æque, ac latitudinem fuisse stadiorum duodecim millium, circuitum vero octo millium supra quadraginta. Muros autem ab ipsis fundamentis, vel potius ab ipsis radicibus montis, super quem civitas erat ædificata, ad duodecim mille stadiorum altitudinem assurgere, ita ut centum, & quadraginta quatuor cubitorum crassitiem haberent.

Putant alii, urbis longitudinem, ac latitudinem fuisse stadiorum trium millium, circuitum vero duodecim millium; murosque ejus duodecim stadiorum mille ambitum habuisse, altitudinem vero cubitorum centum, & quadraginta quatuor: quod longe probabilius videtur. Antiquarum urbium mœnia, de quibus apud Historicos est sermo, admodum erant procera: Babylonica ducentorum cubitorum altitudinem habuisse dicuntur. Quod hic ait S. Johannes, urbis altitudinem longitudini fuisse parem, de muris est intelligendum, qui in altitudine sua, quæ erat cubitorum centum, & quadraginta quatuor, urbem omnem undequaque ad æqualem altitudinem ambiebant.

Græca quædam exemplaria legunt [4]. *Mensus est longitudinem ejus, quæ erat stadiorum duodecim; duodecim mille*: sed hic textus nihil significat, nisi in Vulgatæ sensu intelligatur. Hoc autem notandum est, in omnibus partibus, atque dimensionibus novæ Jerusalem, duodenarium numerum semper inveniri, tamquam radicem, ac basim rerum omnium; duodecim portæ, duodecim Angeli, duodecim fundamenta, duodecim tribus, duodecim stadiorum millia in circuitu, duodecim fructuum species &c. Urbis hujus magnitudo, quæ leucarum erat sexaginta, & ingentem Provinciam æquabat, illius sumptus, magnificentia, soliditas satis ostendunt nihil tale in rerum natura inveniri, & illam omnino spiritualem, atque mysticam esse. Hæc omnia desumpta sunt ex descriptione Ezechielis, novam Jerusalem, novumque Templum delineantis; immo non desunt, qui putarunt, in utroque Propheta dimensiones omnes esse easdem. Verum S. Johannis Jerosolyma longe est magnificentior quam quæ ab Ezechiele exhibetur; & dimensiones longe sunt diversæ, quemadmodum facile innotescit, utrumque Prophetam conferenti.

ỹ. 17. MENSUS EST MURUM EJUS.] Murum, qui urbem ambiebat, cujus altitudo erat centum, & quadraginta quatuor cubitorum, *mensura hominis, quæ est Angeli* [5]; quod innuit, angelum usum fuisse cubitis, vulgatisque mensuris in omnibus hisce dimensionibus. Hæc necessaria est animadversio, ne quis credat, cubitos, ac stadia, de quibus hic sermo, alterius esse generis, quam quæ cognovimus.

ỹ. 18. STRUCTURA MURI EJUS.] Traditis novæ Jerosolymæ dimensionibus, illius structuram, atque materiem considerat: qua nihil ornatius, nihil magnificentius. In id enim insumpti fuere pretiosissimi lapides, ac nitidissimi; quod si aurum etiam adhibetur, huic nitor, atque splendor crystalli tribuitur. In ornatu Sponsæ Filii Dei nihil nimis pretiosum, & ornatum potest inveniri.

ỹ. 19. FUNDAMENTA MURI CIVITATIS.] In communibus ædificiis fundamenta nullo decorantur ornatu; plerumque enim latent, ac illorum soliditati magis, quam ornatui consulitur. Hic vero fundamenta ipsa iis sunt rebus ornata, quæ in rerum natura sunt locupletissima, quia Apostoli, quorum fundamenta hæc symbola sunt [6], pretiosissimis Spiritus Sancti, & gratiæ donis sunt cumulati.

ỹ. 21. DUODECIM PORTÆ DUODECIM MARGARITÆ SUNT.] Nihil est in rerum natura, quod vel eminus ad hanc magnificentiam accedat. Margaritæ numquam ad eam magnitudinem crescunt, quam illhic S. Johannes indigitat. Margaritarum nomine putat Grotius nitidum, candentemque unionem instar marmoris esse intelligendum. Ego vero hoc hyperbolice dictum arbitrari malim; pulcherrima enim, & ornatissima quæque memorantur, ut dignior adstruatur idea pulchritudinis Sponsæ Cœlestis.

ỹ. 22. TEMPLUM NON VIDI IN EA.] Tota enim est Templum. Deus ipse, & Agnus illius Templum sunt; ubi sanctæ dumtaxat actiones peraguntur, Deus adoratur, & colitur, eique purissimi, ac perfectissimi amoris sacrificia offeruntur. Templa, quæ in terris cernimus, ideo constituta sunt, ut hominibus comparentur rationes, facilius ad Deum sese attollendi, atque illi vota, sacrificia, precesque suas offerendi majori cum attentione, atque pietate. Hæc sacra delubra nequaquam ideo extruuntur, ut eo Divinitas confugiat, ubi imbrium, aerisque intemperiem evitet: sed re proprius perspecta, atque explorata pro nobis tantummodo sunt. Per indulgentiam dignatus est Dominus præsentiæ suæ notas peculiaribus quibusdam in locis

---

1 Gago. Forer. Cluv. Cotter. Tir. alii. 2 Num. 2. 2. 3. & sequ.
3 Græc. Ἔιχε κάλαμον χρυσοῦν. Alii plures: Ἔιχε μέτρον κάλαμον χρυσοῦν. Ita Alex. Hunt. Cov. Complur. Arab. Arch. Seidel. alii. 4 Ἐπὶ σταδίους δώδεκα, χιλιάδων δώδεκα. Steph. 11. Petav. 2. Hunt. 1. Sin. M. Seidel. Ita Complut. Montan. Et hanc lectionem alteri præfert. Forer. 5 Men. Tir. Parx. Pisc. Durham. Ribera. Cornel. 6 Supra vers. 14.

æis tribuerat, eaque eligerat, ut ibi externa cultus nostri reciperet officia: at in Cœlo Beati hac ope non indigent amplius; ubique enim inveniunt Deum, illum norunt, illum sentiunt, illo penetrati sunt. Deus est *omnia in omnibus*.

℣. 23. CIVITAS NON EGET SOLE.] Hoc ipsum ferme superius inquit ℣. 11. In recenti hac Jerosolyma nihil commune est, nihil naturale. Illa increata, atque æterno lumine illustrata est. Non Sol, non luna, non aliud lucidum corpus, sed ipse Deus, & Agnus illuminant illam, ibique in corda, animosque lumen effundunt. Corpus etiam luminosum erit, spirituale, tenue, pellucidum.

℣. 24. AMBULABUNT GENTES IN LUMINE EJUS [1].] Alludit ad ea, quæ Isajas ait [2], de Messiæ regno verba faciens. Prædestinati, quorum plerique educti sunt ex nationibus, quas Jesus Christus ad fidem, cultumque suum evocavit, coram hoc lumine lætabuntur, eoque penetrabuntur: Et *Reges*, quamquam electorum minimi, *afferent gloriam suam, & honorem in illam*, Deo gratias agent ob ea, quæ bona fecerunt, coronas suas ad throni pedes conjicient [3], & clamabunt; Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam [4].

℣. 25. PORTÆ EJUS NON CLAUDENTUR.] Hoc etiam ex Isaja desumptum est [5]: *Aperientur portæ tuæ jugiter: die, ac nocte non claudentur; ut afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur*. Nova Jerusalem nec vires hostium metuit, nec dolos. *Nox non erit illic*, nec quiescendi necessitas (℣. 23.) *Et afferent gloriam, & honorem gentium in illam*. Omnes electi, ac fideles populi confluent, illuc præmia, & coronas meritis suis debitas percepturi illuc, autem omnem gloriam suam conferent, ut Agnum adorent, atque ad illius pedes provoluti ejus ditionem, potestatem, justitiam, infinitamque sapientiam venerabuntur, ac infinitas agent gratias ob ea, quæ præclara munera ab eo perceperunt in vitæ libro descripti.

℣. 27. NON INTRABIT IN EAM ALIQUOD COINQUINATUM.] Nemo sibi cavere debebit ab alienigenis, ab incircumcisis corde [6], ab hominibus immundis [7], gentibusque infestis, & reprobis [8]; nemo enim adeo impudenter audax erit, ut illuc pedem ausit inferre. Reprobi omnes in ignis, sulphurisque stagno, unde nequeant emergere, continebuntur; ab illis sancta civitas nihil veretur. Draco, bellua, meretrix, pseudo-propheta non sunt amplius. Per omnem æternitatem non alii ibi videbuntur, *nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni*, non alii, nisi populus justus. *Populus tuus omnes justi*. Pax, charitas, justitia, ibi æternum florebunt. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæculum sæculi laudabunt te*, Psal. 83. 5.

---

1 Καὶ τὰ ἔθνη τῶν σωζομένων ἐν τῷ φωτὶ αὐτῆς περιπατήσουσι. *Et gentes eorum qui salvantur, ambulabunt in lumine ejus*. Alii plures: Καὶ περιπατήσουσι τὰ ἔθνη, &c. Ut Vulg. 2 Isai. 60. 3.
3 Apoc. 4. 10. 4 Psal. 113. 1. 5 Isai. 60. 11. 6 Isai. 52. 1. *Non adjiciet ut pertranseat per te omnis incircumcisus*. 7 Isai. 35. 8. Joel. 3. 17. 8 Isai. 60. 21.

CAPUT XXII.

Fluvius aquæ vivæ emanans de throno Dei. Arbor vitæ in nova Jerusalem. Fructus, quos fert. Nulla nox erit in ea civitate. Angelus prohibet, ne a S. Johanne & cultus sibi deferatur, & Liber signetur. Sponsa desiderat adventum JESU CHRISTI sui Sponsi.

1. ET ostendit mihi fluvium aquæ vivæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni. 2 In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem Gentium. 3 Et omne maledictum non erit amplius: sed sedes Dei, & Agni in illa erunt, & servi ejus servient illi. 4 Et videbunt faciem ejus: & nomen ejus in frontibus eorum. 5 Et nox ultra non erit; & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum. 6 Et dixit mihi: Hæc verba fidelissima sunt, & vera. Et Dominus Deus spirituum prophetarum misit Angelum suum ostendere servis suis, quæ oportet fieri cito. 7 Et ecce venio velociter. Beatus, qui custodit verba prophetiæ libri hujus. 8 Et ego Johannes, qui audivi, & vidi hæc. Et postquam audissem, & vidissem, cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat: 9 Et dixit mihi: Vide, ne feceris: conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui servant verba prophetiæ libri hujus: Deum adora. 10 Et dicit mihi: Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus; tempus enim prope est. 11 Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc. 12 Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. 13 Ego sum Alpha, & Omega, primus, & novissimus, principium, & finis. 14 Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni: ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem. 15 Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. 16 Ego Jesus misi Angelum meum, testi-

teſtificari vobis hæc in Eccleſiis. Ego ſum radix, & genus David; ſtella ſplendida, & matutina. 17 Et ſpiritus, & ſponſa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui ſitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis. 18 Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus: Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. 19 Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate ſancta, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto: 20 Dicit, qui teſtimonium perhibet iſtorum. Etiam venio cito: Amen. Veni, Domine Jeſu. 21 Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

℣. 1. OSTENDIT MIHI FLUVIUM AQUÆ VIVÆ [1].] Caput hoc perſequitur deſcriptionem novæ Jeruſalem; quæ viventis aquæ flumine irrigatur, ex throno Dei, atque Agni emanante. Cum civitas longiſſima eſſet, & maxima, ſons unus minime ſuffeciſſet, ſed requirebatur fluvius, immo maximus etiam fluvius, qui eam interluaret. Veteris Teſtamenti Prophetis [2] oſtenderat Dominus fontem aquæ vivæ, ex dextera Templi parte diffluentem, & inde ad dulcorandas lacus Sodomorum aquas tendentem; quæ quædam erat promiſſio harum aquarum, de quibus hic S. Johannes verba facit. In Prophetis, ac S. Johanne aquarum nomine Sanctorum innocentia juſtificans, Baptiſmi gratia, beatorum felicitas ſunt intelligendæ. S. Ambroſius [3] hoc de Sancto Spiritu intelligit; alii [4] de prædicatione Evangelii pro omnium populorum ſalute. Pſalmiſta [5] nobis Sanctorum felicitatem deſcribit, veluti torrentem voluptatis eos inebriantem; *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Videtur S. Johannes ad eum fluvium alludere, qui de terreſtri paradiſo effluebat, & ad arborem vitæ, quæ ibidem poſita erat [6].

℣. 2. IN MEDIO PLATEÆ ejus.] Plures igitur erant arbores vitæ, quibus omnibus eædem erant qualitates, eademque virtus gentium curandarum, eiſque immortalitatis conferendæ. Ibi rurſus iis omnibus donabimur bonis, quibus per Adæ peccatum excidimus, Spiritus Sanctus in libri hujus primordio, illi, qui victoriam retuliſſet, futurum promiſerat, ut daret *edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei* [7]. Cum C ait, hanc arborem ferre *fructus duodecim*, vel *per ſingulos menſes reddere fructum ſuum*; utraque enim hæc loquendi ratio, unum & idem ſignificant, & *folia ligni ad ſanitatem gentium eſſe*, hoc ſignificat ſolum, has arbores tenuere immortalitatem, quam conferunt fructus ſuos comedentibus, qui effectum ſuum adeo certe producunt, ut folia ipſa præſentiſſima ſint contra mortem medicina; non quod mors in paradiſo metuenda ſit, nec quod hoc fructu, vel foliis veſcendum ſit, ut illa evitetur [8]. Hæc omnia ſymbolum ſunt, mirum in modum beatorum ſtatum indigitans.

Putant nonnulli [9], ſecus hoc flumen, vel in mediis aquis illius unam dumtaxat arborem fuiſſe, ramos in utramque fluminis ripam extendentem. Sed hujus loci collatio cum Ezechiele [10], cui S. Johannes alludit, nos D in eam ſententiam impellit, ut credamus, ipſum plures arbores innuere voluiſſe, verum omnes ejuſdem ſpeciei; ita ut Sacer Auctor illas unius arboris nomine deſignaverit; re enim vera unum, & idem ſignificabant, nempe immortalitatem, vel beatificam viſionem, vel A Jeſum Chriſtum [12], qui præſentia, ac viſione ſua beatis immortalitatem impertit. Quidam tamen [13] crediderunt, in Cœlo re ipſa non defuturas arbores, aquas, & flores, omneſque ſenſus propriis voluptatibus perfruituros.

℣. 3. OMNE MALEDICTUM NON ERIT AMPLIUS [13].] In Terreſtri Paradiſo homo tentationi erat obnoxius; jacturam facere poterat gratiæ Creatoris ſui, ejuſque maledictum, atque indignationem promereri, quemadmodum reipſa promeritus eſt, atque morte damnatus. In cœlo vero nihil erit ſimile, nulla maledictio, nullum mortis periculum, nulla immutatio; *Sedes Dei, & Agni in illa erunt*, quæ in terreſtri Paradiſo non erant, *& ſervi ejus ſervient illi*; ℣. 4. *& videbunt faciem ejus, & nomen ejus in frontibus eorum*. Confir- B mabuntur in gratia, & nihil illis officere poterit. Felicitate adeo perfecta perfruentur, ut nihil illis deſiderandum ſuperſit.

℣. 5. NOX ULTRA NON ERIT.] Vide quæ diximus ſupra cap. 21 ℣℣. 11. & 23. Non ſemel repetit, Deum unam eſſe unicam lucem, ac univerſam novæ Jeroſolymæ felicitatem. Iſajas cap. 60. 20 Jeroſolymæ poſt reditum de captivitate reſtituendæ promiſerat futurum, ut Sol ejus non occideret amplius, neque Luna illius amplius imminueretur. Hoc tamen nonniſi in Cœlo perfecte adimplendum eſt. Hic deſinit cœleſtis Jeroſolymæ deſcriptio; quod vero ſubſequitur, eſt totius operis concluſio.

℣. 6. HÆC VERBA FIDELISSIMA SUNT.] Vel hæc res certiſſimæ ſunt. Angelus ita ad S. Joannem loqui- C tur. Quidquid hactenus vidiſti, extra omnem dubitationem eſt poſitum. Deus ipſe, *Deus ſpirituum Prophetarum* [14] hoc tibi revelavit. Ne dubites ergo, quominus hæc ſit vera prophetia ex ipſo Deo profecta, qui Auctor eſt omnis veræ revelationis, & cum in re cenſuerit, ſuſcitat Prophetas. Itaque ne ambigas de veritate eorum, quæ vidiſti, neque putes, hoc ſomnium eſſe, aut naturalem viſionem; *Miſit Deus Angelum ſuum oſtendere ſervis ſuis*, Fidelibus, quos Tyranni perſecuti ſunt, *quæ oportet fieri cito*. Loquitur de perſecutionibus, quæ ſub Diocletiano, aliiſque Ethnicis Imperatoribus uſque ad Conſtantini tempora contigerunt, & de iis, quæ in Romano Imperio erant eventura, ex eo tempore uſque ad Romæ Idolorum cultricis interitum. Hæc omnia intra annos trecentos D contigerunt, poſtquam hic liber ſcriptus fuit. Perſecutiones inceperunt anno 303. Roma capta fuit anno 410. Quæ inter utrumque hoc tempus in Eccleſia, atque Imperio acciderunt, præcipuum Apocalypſeos argumentum conſtituunt. Non loquor autem de prioribus duobus capitibus, quæ eadem S. Joannis tempora reſpi-

1 Ἔδειξέ μοι καθαρὸν ποταμὸν ὕδατος ζωῆς. Plures omittunt, καθαρόν. Ita Vulg. Syr. Æthiop. Hilar. Hunt. 1. &c.
2 Ezech. 47. 1. Joel. 3. 18. Zachar. 14. 8. Vide Commentarium in Ezechielem.
3 Ambroſ. de Spiritu Sancto, lib. 3. cap. 21.   4 Ausbert. Haymo.   5 Pſal. 35. 9. Vide & Pſal. 45. 5. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*. Et Iſai. 66. 12. *Declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium*.   6 Geneſ. 2. & 9. 10.   7 Apoc. 2. 7.
8 Zeger. Druſ. Patr. Grot. Cotter. alii. Confer Ezech. 47. 12.   9 Patr. Cotter. Durham. Hamm.
10 Ezech. 47. 7. *Ecce in ripa torrentis ligna multa nimis*.   11 Ita Beda, Ruperr. Ausbert. Ribera.
12 Vide, ſi placet, Cornel. a Lapide, hic, & Auctores ab eo laudatos magno numero.
13 Πᾶν κατανάθεμα οὐκ ἔσται ἔτι. Alii plures: Πᾶν κατάθεμα οὐκ ἔσται ἔτι. Ita Steph. a. 16. Alex. Barb. 1. Cor. c. Areth. Seidel. Complut. &c.   14 Græc. Κύριος ὁ Θεὸς τῶν Ἁγίων Προφητῶν. *Dominus Deus ſanctorum Prophetarum*. Alii plures; Κύριος ὁ Θεὸς τῶν πνευμάτων τῶν Προφητῶν. Ita Vulg. Steph. a. 16. Alex. Petav. 1. Hunt. 1. Cov. 2. Syr. Arab. Æthiop. Areth. Seidel. &c.

respiciunt, hoc est finem sæculi primi, neque de novissimis tribus, quæ circa postremum judicium, Mundi finem, Beatorumque in Cœlo regnum versantur.

℣. 7. ECCE VENIO VELOCITER.] Loquitur Deus, & ait, quamprimum harum prophetiarum complementum futurum; ne despondeant igitur animos Fideles mei; libertas, quam illis polliceor, non procul abest; quamprimum illis opem afferam, & in hostes eorum judicium meum exercebo.

℣. 8. POSTQUAM AUDISSEM . . . CECIDI, UT ADORAREM.] Majoris observantiæ causa, atque in grati animi signum. Nolebat autem latriæ cultum illi deferre, cum enim Angelum esse noscerat, & sciebat, illum paulo ante respuisse adorationem, vel severitatis notam, qua illum venerari voluerat; verum arbitratus revelationem jam desiisse, censuit, tempus esse observantiæ, & grati animi specimen illi præbere, cui tantopere devinctus erat. Putant quidam [2]; hanc esse repetitionem eorum, quæ anteà contigerunt, & quæ cap. 19. ℣. 10. narrantur.

℣. 10. NE SIGNAVERIS VERBA PROPHETIÆ.] Cum revelationes, quas Deus Prophetis suis aperire dignabatur, ad remotiora tempora pertinebant, ut plurimum jubebat, eas signari, atque monebat, illas non ita facile intelligendas, ac nonnisi multo post adimplendas; exempli gratia in Isaja 8. 16. *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis: & expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Jacob.* Quæ nuper dixi, non ita cito evenient; sed expectandum est. Ea Daniel 8. 26. *Tu ergo visionem signa; quia post multos dies erit.* Et 12. 4. 9. *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum usque ad tempus statutum . . . . Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones usque ad præfinitum tempus.* Hoc autem in loco prorsus oppositum significatur: *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus: tempus enim prope est.*

℣. 11. QUI NOCET, NOCEAT ADHUC.] Quilibet bene, vel male operetur, prout incœpit (℣. 12.) Ego vero, ut ita dicam, jam in foribus adsum, paratus, ut singulis juxta eorum opera retribuam. Si impii vos persequi, atque vexare perseverant, ne terreamini; non enim ab incœpto destiterint, licet omnia illis intentem mala, & hæc omnia illis portendam; verum nequitiæ suæ pœna haud claudo pede eos subsequetur. Cum ait: *Qui nocet, noceat adhuc*; hoc neque permittentis est, neque suadentis impios, ut a via pessima non secedant; sed patris est filio, qui ad frugem nullo pacto revocari potest, dicentis: Quandoquidem mea contemnitis monita, ac minas aspernaris, sequere viam, quam ingressus es; verum sciat, me jam certum esse consilii futurum, ut te abdicem; atque tuæ te libidini derelinquam.

℣. 13. EGO SUM ALPHA, & OMEGA.] Jesus Christus hic palam Dei qualitatem assumit. Vide supra cap. 1. ℣. 8. & cap. 4. ℣. 8. cap. 20. ℣. 11. cap. 21. ℣. 6. Ego sum, qui ab initio vobis locutus sum, & qui non semel jam vobis dixi [5], me esse Alpha, & Omega, principium, & finem, primum, & novissimum, gratiarum auctorem, atque coronarum distributorem, primum cultus, & spei vestræ objectum, & finem actionum vestrarum. In Deo, si pressius loquamur, neque initium est, neque finis; sed nostri ratione habita, initium est, & finis, omnia in omnibus. Ipse in nobis, & nobiscum nostræ sanctificationis opus ordiatur, ipse illud absolvit, eique in Cœlo perfectionem impertit.

℣. 14. BEATI, QUI LAVANT STOLAS SUAS [4].] Beati, qui Martyrium subibunt ob fidem propugnandam, atque Baptismo, & operibus justitiæ se se mundos præbebunt. Novam ingredientur Jerusalem, & fructum arboris vitæ gustabunt, participes beatitudinis Sanctorum, & felicissimæ immortalitatis. Multi eorum miseratione ducitur, qui pro veritate patiuntur, & in squalore versantur; ego vero illos beatos existimo, eisque polliceor, quidquid illos confirmare potest, ac spem eorum fovere. Si vicerint, regnabunt, æternasque coronas habebunt.

℣. 15. FORIS CANES.] In æternum a Cœlesti Jerusalem prohibeantur. Canes hi designant, vel persecutores contra Ecclesiam latrare, eamque in filiis ipsius dilaniare numquam cessantes [5]; vel impudicos, impudentissime in omne flagitii genus irruentes, vel impios generatim omnium scelerum labe sese polluentes, vel apostatas, canum instar ad vomitum redeuntes [6]. Apud Hebræos canis immundum erat animal; neque poterat contumeliosius aliquis appellari, quam si canis diceretur [7]. Interdixerat Moyses, ne Templo offerretur pecunia ex turpi, & contra naturam libidine confiata [8], quam *pretium canis* appellat: *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in Domo Domini.* S. Paulus canes [9] vocat Pseudo-Apostolos propter impudentiam, fugesque clamores, quos contra veros Apostolos proferebant; & J. C. in Evangelio canum nomine Gentiles indigitat [10]: *non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Confer hunc versiculum cum cap. 21. ℣. 8. & 27. Olim in Ecclesia, cum populus ad sacra accederet Mysteria, Diaconus clara voce clamabat: *recedant Cathecumeni, recedant pœnitentes.*

℣. 16. EGO JESUS MISI ANGELUM MEUM.] Qui hæc tibi revelarent, ut illa in Ecclesiis annuncies, atque solatium aliquod afferas fidelibus, illis testatum faciens, me quamprimum ultionem capessiturum effusi Martyrum sanguinis, atque idololatriæ imperium me esse eversurum.

EGO SUM RADIX, ET GENUS DAVID.] Jesus Christus hic ita S. Johanni se aperit, ut nullum dubitandi locum relinquat. Ego sum, ego ipse, Jesus, qui Messias sum, germen David, gloria seminis ejus, *stella splendida, & matutina* [11], de qua supra sermo fuit cap. 2. 28. Itaque ne ambiges de veritate earum rerum, quas dico tibi, neque tibi illudi verearis; ego ipse tibi loquor.

℣. 17. SPIRITUS, ET SPONSA DICUNT: VENI.] Spiritus Sanctus in imo fidelium corde, clamans [12], & Ecclesia Agni Sponsa, Jesu Christo dicunt: Veni, & celeriter fer opem Sanctis tuis: veni, ut ulciscaris injurias servis tuis illatas. *Et qui audit* prophetiam hanc, *dicat: Veni.* Vota sua cum votis Ecclesiæ, Sanctorumque conjungat, ut Salvator nobis statim, quemadmodum pollicitus est, opitulatur.

ET QUI SITIT, VENIAT.] Qui esurit, ac sitit justitiam, veniat, ut famem, sitimque suam expleat ad flumen aquæ vivæ novam Jerusalem irrigantis [13], ad Jesum Christum confugiat [14] omnis justitiæ, ac veritatis fontem; credat in illum, eique adhæreat. *Si quis sitit*, ait ille in Evangelio, Joan. 7. 37. *veniat ad me, & bibat: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*: Addit S. Johannes: *Et qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Alludit ad ea Isajæ verba cap. 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum, & lac.* Deus beatitudinem gratis nobis impertit, quemadmodum alibi jam explicuimus [15]: hoc est, gratis nos vocat, gratiæ suas nobis gratiis largitur, nos gratis prædestinat, & cum nostra coronat merita, sua dona, sesque beneficia coronat: atque hoc in sensu gloriam quoque gratis concedit.

℣. 18. CONTESTOR ENIM.] Iis omnibus, qui prophe-

1 Apoc. 19. 18. 2 Pareus, Cotter. Brigmann. 3 Apoc. 1. 8. 21. 6.
4 Græcus habet: *Beati, qui ejus præcepta exercent?* Μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ. At alia exemplaria Vulgatæ consonant: Οἱ πλύνοντες τὰς στολὰς αὐτῶν. Ita Alex. Cov. 2. Velez. Æthiop. Addit Vulgata: *in sanguine Agni.* S. Athanasius: Οἱ πλατύνοντες τὰς στολὰς αὐτῶν. 5 Vide Psal. 21. 17.
6 Prov. 26. 11. & 2. Petr. 2. 22. 7 1. Reg. 17. 43. 24. 15. 2. Reg. 3. 8. 9. 8. 15. 9. Job. 30. 1.
8 Deut. 23. 18. 9 Philipp. 3. 2. 10 Matth. 15. 26. 11 Num. 24. 17. Zach. 6. 12.
12 Rom. 8. 26. 13 Apoc. 22. 1. 2. 14 Joan. 4. 13. 14. 15 Apoc. 21. 6.

phetiæ hujus audierint verba, edico, futurum ut si quid addiderint, vel ademerint, verbo, si quid, & quomodocumque immutaverint, illos puniat Deus, in eorum caput eas omnes pœnas contorquens, quæ in hoc libro continentur, eosque prohibens ab omnibus iis bonis, quæ ibi promittuntur, ac eorum nomina de vitæ libro abradens. Nihil fingi gravius potest hujusmodi comminatione. Passim tunc temporis videbantur in Ecclesia audaces, atque impudentes homines, qui Sacras Scripturas adulterarent, vel addendo, vel auferendo, quidquid ipsis e re videbatur, ut sententiis suis robur accederet, & veritates, quæ illis obsisterent, infirmarentur. Liquet, Ebionitas, & Marcionem, exempli gratia, plurima in Evangeliis immutasse; illos quidem in Hebraico, autographoque S. Matthæi; alterum vero in S. Lucæ Evangelio. In Dissertatione de apocryphis Evangeliis, vidimus, quonam hoc in re Hæreticorum esset primis illis Ecclesiæ sæculis protervia, quod satis, superque ostendit, non inutili cura id S. Johannem hoc in loco præcavisse.

Hoc ipsum cacerat Moyses de Legibus suis in Deuteron. c. 4. 2. 12. 32. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*: & item: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito: nec addas quidquam, neque imminuas*. S. Irenæus in fine Operis sui de Octava [1], illos, qui ipsum exscripserint, obsecrat, ac obtestatur, ut hoc fideliter peragant, & exemplar suum cum autographo conferant, & has easdem preces ad calcem Exemplarium, quod descripserint, addant. S. Hieronymus in fine Chronicorum Eusebii, & Rufinus in Præfatione Librorum Origenis, quos Latinos fecit, Librarios enixius rogant, ut nihil velint immutare. Origenes etiam [2] olim conquestus est, quod operibus suis plurima fuerint admixta contra suam mentem, ac sensum. Ex varietatibus Lectionibus, quas in hoc Opere attulimus, quilibet colligere potest, Librarios non pepercisse, quominus Sacris Libris manum inferrent, ac sæpe Textus, licet in rebus nequaquam magni momenti, immutasse.

℣. 20. DICIT, QUI TESTIMONIUM PERHIBENT ISTORUM.] Jesus Christus hic loquitur, ac instantare ea, quæ non semel in hoc libro spoponderat [3]; scilicet quamprimum venturum ad salvandos servos suos, finem doloribus eorum statuendum, idololatriam evertendam, Regnum suum instituendum, Ecclesiæ suæ persecutores puniendos.

ETIAM VENI DOMINE JESU.] Respondet S. Johannes promissioni Domini: Utique veni, Domine; juxta ea, quæ dixit ℣. 17. *Et qui audit, dicat: Veni*. Impii nihil magis, quam Domini adventum metuunt; hoc est enim supplicii ipsorum exordium. Boni vero illum ex toto corde cupiunt, & petunt, veluti suæ felicitatis initium. Hujusmodi erat Psalmistæ, qui ajebat [4]: *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus!* Et S. Paulus [5], *dissolvi, & esse cum Christo*. Sanctorum animæ, quæ erant sub altari, clara voce clamabant [6]: *Usquequo Domine, sanctus, & verus non judicas?* Pro modulo suo dicebant: *Etiam veni Domine Jesu*.

℣. 21. GRATIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CUM OMNIBUS VOBIS, AMEN [7].] Quemadmodum hic liber epistolari orditur stylo, ita & definit. Sanctus Johannes Apocalypseos c. 4. comprecatus est *Ecclesiis Asiæ gratiam*, & pacem ab eo, qui erat, qui est, *& qui venturus est* &c. Hic vero fidelibus omnibus, & iis, qui hunc librum legerint, optat *gratiam Domini nostri Jesu Christi*, ut videlicet Deus Spiritus sui lumine, & gratiæ suæ dulcedine repleat, ut prophetiæ hujus sensum assequantur, & ut inter ea mala, quibus undique septi sunt, inde fidei, spei, & consolationis argumenta percipiant.

1 Iren. apud Euseb. lib. 5. Histor. Ecclef. cap. 20. 2 Vide Rufin. pro Origene pag. 195. 196.
3 Apoc. 2. 5. 16. 3. 11. 18. 15. 22. 7. 12. 4 Psal. 41. 2. 5 Philipp. 1. 23.
6 Apoc. 6. 10. 7 Μετὰ πάντων ὑμῶν. Quidam omittunt ὑμῶν. Ita lea Æthiop. Alii: Μετὰ τῶν ἁγίων. Steph. 2. 10. Hunt. 5. Petav. 2. 3. Cov. 2. Syr. Areth. Seidel. *Cum omnibus Sanctis*.

Finis Commentariorum in Apocalypsim.

DISSERTATIO

De Patriarcha Henoch, Filio Jared, & Patre Mathusalæ.

Patriarcha, de quo modo, alter est vir ab Henoch filio Cain [1], post decessum Abelis nato, de cujus nomine Cain condita a se in regione septemtrionali Urbem appellavit Henochiam. Vir est enim noster iste ætate recentior, e genere Seth, familiæ nempe justorum, in qua sincerus Dei cultus, floruit; cum alter ex Cain ad familiam pertineret impiorum, avita referentem scelera, criminibus suis terram universam infectantem, ac deinde aquis diluvii exterminatam. Cum autem argumentum fœcundissimum tractemus, totam hanc Dissertationem in tres articulos distinguere visum est. Agemus primo de vita Henoch: tum de ejus translatione; ac tandem de ejus in mundum regressu.

ARTICULUS PRIMUS.

De rebus gestis Henoch.

Henoch filius Jared, natus A. M. [2] 622. ante Æram vulgarem 3382. cum ætatis annum ageret 65. genuit Mathusalem [3], A. M. 687. ante Christum 3317. Septimus erat ab Adam, cujus ex patre in filium ducta genealogia ita retexitur. Adam, Seth, Henos, Cainan, Malaleel, Jared, Henoch. Vitam egit in terra pro eorum temporum conditione brevem; translatus est enim a Deo ann. 365. ætatis [4] A. M. 987. ante Christum 3017. sed brevi hoc annorum periodo Sanctissimorum virtutes attigit universas, suoque demonstravit exemplo, Virtutem & pietatem fructus esse laboris, non senectutis. Ejus elogium paucis complectitur Sacra Scriptura, asserens [5] ambulasse illum cum Deo; quibus verbis insinuat totum se ad genium Altissimi virtutum exercitio elaborasse. Septuaginta reddunt: *Placuit Deo*; & Onkelos: *Ambulavit cum Dei timore*. Quæ omnes loquendi phrases perinde valent ac aliæ in Sacra Scriptura: *ambulare coram Domino*: *ambulare in viis Domini*; *ambulare secundum Spiritum*: *ambulare ad dexteram in veritate*, *in timore Domini &c.* id est justitiam, pietatem colere.

Fuerunt tamen inter Rabbinos quidam, Henochum de hypocrisi & levitate in servitio Domini accusantes,

Vir

1 Genef. 4. 17. 2 Genef. 5. 18. 3 Genef. 5. 21. 4 Genef. 5. 23.
5 Genef. 5. 22. Vide Joseph. & Ecclef. 44. 16. & Hebr. 11. 5. & Sap. 4. 10.

= Vir erat hypocrita, ait R. Ibbo [1], modo se tradens justitiæ, modo licentiæ; reputavit autem Dominus: *Educam ergo illum e mundo, quandiu justus est*. Gemina ferme habet R. Salomon. Cum Henoch, ait ille, in cultu Domini nutaret, maturandum censuit Deus, e mundo illum educens, antequam impiorum consuetudine corrumperetur. Quod autem in eam persuasionem venirent Rabbini, in causa facile est illud Genes. 5. 22. *Ambulavit Henoch cum Deo*; sive illud: *Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*. Subduxit, ait Boulducus, ne pravorum Monachorum consortio vitiaretur [2]. Author enim ille opinionum singularitate nunquam non se distinguens, persuasum habet, Henoch, veluti disciplinæ correctorem & Prædicatorem fuisse Monachorum Cinæorum, quorum erant Ascetæria plura in mundo jam inde ante diluvium. Cum ergo Patriarcha ille annum 65. ætatis gereret, & filium haberet Mathusalam, mundo valedicens, inter Cinæos sese adlegit, ac ambulans cum Deo, nempe Monasticam professus, Religionis exercitiis se totum addixit, adscitotunc primum, uti facile credimus, nomine Henoch, quod redditur, consecratus, devotus. Tunc Cainan & Enos, veluti duo Cinæorum & Enosiorum supremi Antistites, hominem destinarunt prædicationi apud Angelos obeundæ, juxta ac docet S. Irenæus [3]; quo nomine si designantur Viri eximiæ pietatis, apud Moysem *filii Dei* [4], apud Septuaginta *Angeli Dei* appellati. Post actos in Religione 300. annos, Deus hominem ad se revocavit, raptum, uti Elias olim, in igneo curru cœlitus demisso. Hæc Boulducus; nec ego adversus ejus systema quidquam.

Ad testimonium S. Irenæi quod attinet, animadvertendum arbitror, S. Doctorem nequaquam illud innuisse, quod ejus Interpretibus plerisque adprobatur, sanctum hunc Patriarcham prædicationis munere functum apud homines e genere Seth, a Moyse filios Dei appellatos; eccur enim, si id tantum intendebat vir sanctus, animadvertisse juvisset, Henochum merum hominem fuisse? *Cum esset homo, legatione ad Angelos fungebatur*. Angelorum ergo nomine designat S. Irenæus Vigiles illos, qui juxta Librum Apocryphum Henoch, fœminarum amore capti fuse in homines mortales transformarunt, & maritali cum puellis illis commercio juncti genuerunt viros Gigantes. Apud istos Angelos Henoch legatione fungens, ad saniora revocare conatus est.

Damnata et tunc ab Henoch Idola, & Idolorum cultores arbitratur Tertullianus [5]; docet autem alibi de Henoch [6]; *Sine dubio potuit Noe in prædicationis delegatione successisse*. Et S. Judas vers. 14. 15. non obscure docuit, Henochum Prophetam seu concionatorem egisse, verba illa proferentem; *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii*. Ultionis ergo Divinæ metu & Angelos & homines ætatis suæ terruit Henochus, quo tandem a criminibus suis & impietatibus illos revocaret. His omnibus lux affunditur textui S. Irenæi.

Laudes Henochi non unus tantum inter Authores Sacros Moyses prosequitur. S. Paulus ad Hebræos 11. 5. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem; ante translationem testimonium habuit placuisse Deo*. Author Ecclesiastici 44. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*: & cap. 49. 16. *Nemo natus est in terra qualis Henoch: nam & ipse receptus est a terra*. Hunc tandem virum spectasse videtur Author Sapientiæ illis verbis 4. 10. *Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est. Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius..... Consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*. Hic & ubique Author constituit justum, de quo agit, e mundo per mortem translatum, quod sane alienum est ab Henoch, juxta ac plerique ex Patribus & Interpretibus observant; reputari tamen posset; Saerum hunc Authorem de industria confudisse characteres viri justi cum Henocho, absque eo quod tamen aliquid de obitu Henoch assereret; quamquam certum constitueret, virum justum antea e vita per mortem translatum, quam in mundo ad senium pertingeret.

Liber Constitutionum Apostolorum l. 8. c. 5. Henochum refert inter Patriarchas, a Deo in ipso mundi exordio docendo populo suo constitutos; cui pariter Authori assignant Hebræi formulam majoris excommunicationis, qua nunc etiam utuntur [7]; non interrupta enim serie ex patre in filium adusque seros nepotes transmissam affirmant. Extat apud Seldenum formula illa [8], prolixa utique, & multa ferens Henoch ætate posteriora. Quid enim cum illa nomina Moysis, Josue, Elisei, Giezi, Barach, Meroz? quid mentio magnæ Synagogæ, Angelorum singulis anni mensibus præsidentium, Librorum Legis, in quibus 613. præcepta & Angelorum quorum ignota in Scriptura nomina? Frequenter etiam ad Libros ipsi Moysi posteriores alluditur. Quibus omnibus docemur, formulam illam, qualis saltem nunc extat, alium referre ab Henocho Authorem. Facile tamen adscribendum viro censuerunt, quod exercuisse crederetur munus Sacerdotis Altissimi, & Principis totius generis Justorum ante diluvium.

Licet autem vir iste in eo vitæ statu modo constituatur, ut neque e justitia possit decedere, neque admittendi criminis facultatem habeat expeditam, quam nos libertatem nostro malo obtinemus [9]; publicum tamen illi cultum, quemadmodum & Eliæ, deferre opportunum non duxit. Legitur quidem ejus nomen in Calendario ad diem 3. Januarii; datum id tamen ad honorem translationis potius, quam ad cultum aliquem religiosum arbitramur. Ferunt apud Christianos Æthyopes festum quoddam ejus viri celebrari, quod *Sabbatum Henoch* appellant, veluti si eo speciali honore prosequi se ostenderent septimam hominum generationem; quemadmodum non dissimili exemplo Judæi septimam a creatione diem consecrarunt.

Nec Paganos latuisse prorsus vir tantus, ejusque in pietatem studium videtur. Narrant enim, agente adhuc in vivis Annaco, qui vitam ultra 300. annos prorogavit, consultum ab Iconiis aliisque finitimis gentibus Oraculum respondisse; futurum ut omnes morerentur, ex quo vita cedere Annacum contigisset. Ingens inde in omnes consternatio, & ejulatus, ut in proverbium abiret pro ingenti aliquo luctu exprimendo: *Lugere Annacum*. Post ejus obitum, Deucalionis diluvium regionem universam inundavit, ex quo Oraculi fides liberata est. Emicat per oppansum hujus fabellæ velum lux aliqua veritatis, nempe 1. nomen Henoch, vel Hanoch, juxta Hebraicam pronunciationem. 2. Ejus ætas ultra 300. annos. 3. Diluvium universale, quod sub Noe nepotis illius filio contigit.

Alii tamen originem illius proverbii, *Lugere Annacum*, sive *Nannacum*, seu *Canacum*, aliunde referunt. Vetus erat Phrygiæ Rex Chanacus, qui imminere diluvium intelligens, populum in Templum coegit, ut Numinum a se iram averteret [10]. Tam calidis illi precibus lacrymisque Deos fatigarunt, ut locum proverbio illi facerent; sed vicit ira misericordiam. quare superveniente diluvio, omnes inundantibus aquis submersi sunt.

1 In Beresc̈hit. Rabba. 2 Boulduc. Eccles. ante Legem l. 1. c. 14.
3 Iren. 4. c. 30. *Henoch placens Deo, cum esset homo, Dei legatione apud Angelos fungebatur*.
4 Genes. 6. 4. 5 De Idolorat. c. 4. 6 De cultu fœmin. l. 1. c. 3.
7 Jo. Colerus Vita Spinosæ pag. 31. 8 De jure Nat. & Gent. l. 4. c. 7. ex lib. Colbo pag. 144
9 Aug. l. 2. Oper. imperf. in Julian. c. 30. *Hoc eis Dei gratia credimus esse concessum, ne haberent unde dicerent: Dimitte nobis debita nostra*. 10 Vide Suidam in Nannacu, & Hermog. in Phrygiis.

ARTICULUS II.

Translatio Henoch.

VErba, quibus translatum e mundo Henoch Moyses expressit, pluribus quæstionibus locum fecerunt. Quæsitum est, an re ipsa obierit, vel maneat adhuc superstes; an in mundo sit, vel extra mundum; an æterna beatitudine seu tranquilla tantum pace fruatur, certum futuræ mortis tempus expectans, ut deinde æterna beatitudine donetur. Hæc tantum Moyses de illo Genesis 5. 24. *Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*. In examen hic revocandum est, an postremis hisce verbis prodigio quodam translatus, uti Elias, vel tantum e mundo per mortem sublatus designetur. En rationes, quibus insinuari obitus videtur.

I. Non dissimili loquendi phrasi mortem exprimit Scriptura. Ita Elias ad Dominum 3. Reg. 19. 4. *Tolle animam meam: sufficit mihi Domine, neque enim melior sum, quam Patres mei*. Porro vir Sanctus nil nisi mortem, quemadmodum & Patres sui, optabat: *Petivit animæ suæ, ut moreretur*. Job 22. 16. de iis, qui acerbo erepti sunt fato, habet: *Qui sublati sunt ante tempus*. Et cap. 32. 22. *Nescio quandiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus*. Jesus filius Sirach Eccli. 19. 3. *Tolletur de numero anima eius* [1]. Psalmista Ps. 48. 16. *Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me &c.*

Et Ps. 30. 14. *Accipere animam meam consiliati sunt*. Ps. 72. 24. *In voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me*. Apud Ezechielem 24. 16. Dominus habet: *Ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga*, (nempe uxorem tuam) *et non plangres neque plorabis*. Et 30. 4. *Veniet gladius in Ægyptum, cum ablata fuerit multitudo illius*. Et 33. 4. *Venerit gladius, et tulerit eum*. Jonas 4. 3. *Domine, tolle quæso animam meam a me*. In omnibus hisce textibus eadem in Originali vox recurrit, qua Moyses translationem Henoch expressit; intelligimus autem phrasibus illis, tollere animam ab aliquo idem designare, ac e vita per mortem in alteram transferre. Verba illa, *Non apparuit*, sive juxta Hebræum, *Non fuit*, vel *non fuit ultra*, non dissimilem sensum ferunt in pluribus Scripturæ locis, uti Genesis 37. 30. *Puer non comparet, & ego quo ibo?* Et cap. 42. 13. *Alius non est super*. Et ibidem vers. 36. *Joseph non est super, Simeon tenetur in vinculis*. Job 7. 8. 21. *Oculi tui in me, & non subsistam . . . si mane me quæsieris, non subsistam*. Et 24. 24. *Elevati sunt ad modicum, & non subsistent*. Et 27. 19. *Dives cum dormierit, nihil secum auferet*. Ps. 36. 10. *Adhuc pusillum, & non erit peccator; et quæres locum eius et non invenies*. Ps. 36. 37. *Transivi, et ecce non erat*. Saadias Author Versionis Arabicæ reddit: *Henoch defunctus est, Deus recepit illum ad se*. Cum ergo phrasibus illis naturalis hominis mors frequentissime designetur, quod a Moyse translatio quædam prodigiosa exprimatur, ut credamus nihil est.

2. Fatemur quidem, in referenda Eliæ translatione eodem verbo uti Sacrum Scriptorem [2]: *Filii Prophetarum dixerunt ad Eliseum: Numquid non nosti, quia hodie Dominus tollet Dominum tuum a te?* Elias ad Eliseum: *Postula quid vis ut faciam tibi, antequam tollar a te . . . . . Si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petisti*. Sed hæc verba nullam sane ideam ingererent novæ cujusdam translationis, sin minus circumstantiis aliquibus in Historia expressis juvarentur. Ita prodigiosam translationem satis insinuat, quod Prophetæ translatio antea Divinitus ceteris aliis Prophetis innotuisset, quam Dominus Prophetam illum superstitem elevaturus venisset. Elias vero cum ascenderet, ex humeris pallium suum A demisit; filii Prophetarum Præceptorem suum quærere volebant, dubitantes ne forte Divino Spiritu raptus Propheta in deserto quodam loco maneret; sed frustra illi, contra Elisei monitum agentes. Raptum ergo Prophetam fuisse nemo unus dubitat; sed nihil simile in relatione Moysis de Henoch.

De translatione prodigiosa Henoch minime persuasus videtur Author Libri Sapientiæ; habet enim cap. 4. 10. *Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius . . . . . . Consummatus in brevi explevit tempora multa . . . . Condemnat autem iustus mortuus vivos impios . . . Videbunt finem sapientis, & non intelligent quid cogitaverit de illo Dominus*. Quadrant hæc profecto cum Henoch, & Moysis textum B præ oculis habuisse Scriptor videtur illis verbis: *Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est*.

Luculentius etiam obitum Henoch exprimit Jesus filius Sirach author Ecclesiastici cap. 44. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*. Deest quidem in Græco illud *In Paradisum*: sed cum Ecclesiæ authoritas Latinam Versionem consecraverit, additamentum illud in Vulgata nostra servatum recepisse pariter censenda est. Ex quo etiam constat, Ecclesiæ authoritate non parum momenti ad sententiam de obitu Henoch confirmandam accessisse. Etenim Paradisi singulari nomine designari certum est *Cœlum*, Justorum destinatam post obitum sedem. Ita Jesus ad probum Latronem Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in Para-* C *diso*; & Apostolus 2. Cor. 12. 4. de se testatur, *Raptum fuisse in Paradisum*; ac in Apocalypsi 2. 7. Jesus pollicetur: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei*. Quando vero de Paradiso terrestri sermo est, tunc plerumque nomini Paradisi aliud quid adjicitur, ut significatio ex alio ad alium sensum transferatur.

Patres etiam nonnulli sub verborum saltem ambagibus eandem de obitu viri sententiam insinuarunt. S. Ambrosius translatum dicit ab illo thesaurum suum in Cœlum, ac de ipso usurpat illud Sapientiæ: *Raptus est, ne cor eius malitia mutaret* [3]. Pseudo Clemens in Libro Recognitionum l. 4. n. 12 tenet, Deum charum sibi virum *ad immortales transtulisse*. S. Cyprianus in Tractatu *de Mortalitate* habet, virum hunc probum singulari privilegio e contagione hujus Mundi subduci meruisse; ac D Salomonem in Libro Sapientiæ egisse de præcoce Justorum interitu, quasi de singulari Dei beneficio. S. Hieronymus [4] docet pariter, translatum illum in Cœlum, cœlesti pane nutriri; & in Amos 9. ascendisse scribit in Cœlum cum Jesu Christo.

S. Athanasius translatum asserit in Paradisum [5]; & Rabbini [6] Mosaicum illum textum de translatione per obitum interpretantur. Illos sequitur Calvinus, S. Cyprianus, S. Ambrosius, aliique nonnulli Interpretes Catholici, uti Jansenius, Menochius, Mariana. Volunt alii, Authorem Sapientiæ agere de Henocho, vel saltem ejus historiam verbis suis spectare, cum scilicet obitum Justi præcocem describit. Hæ majoris momenti rationes pro obitu Justi.

Quæ vero pro ejus translatione afferuntur rationum E momenta, nihil prioribus illis concedunt. Fateor equidem, Mosaicum illum textum non necessario prorsus exigere, ut de viro superstite adhuc, sive in Cœlum, sive in alium quemcumque locum mortalibus invium translato explicetur: si quis tamen conferat ea, quæ de Henoch habet Sacer Historicus, cum iis, quæ de ceteris Patriarchis scribit, satis inde colligimus, e mundo digrediendi aliam plane fuisse viro huic quam ceteris aliis rationem. Primo observat, virum illum actionum suarum merito Dei in se favorem conciliasse; intulit subinde: *Tulit eum Deus*; & cum verba illa non satis aperta esse intelligeret, adjecit: *Et non apparuit*; quibus

---

[1] Deest locus iste in Græco. [2] 4. Reg. 2. 3. 5. 9.
[3] Ambros. Epist. Class. 1. Ep. 38. n. 7. *Dives Henoch, qui quod habuit secum transtulit, & omnem illum bonitatis suæ censum cœlestibus invexit receptaculis*. [4] Ad Pammach. Ep. 61. pag. 184. antiq. edit.
[5] Athan. l. 2. pag. 1103. orat. de Patriarch. & Prophet. [6] Abenezra Salom. Jarchi, & alii apud Menasse Ben-Israel, lib. de fragil. human. sect. 12. art. 7.

bus profecto insinuaretur, superstitem illum adhuc in loco extra mundum versari.

Plus autem postremæ huic sententiæ quam priori illi favere videtur Siracides, sive ejus Teatum cum additamento Vulgatæ legamus, sive Græca veritas preferatur. Voces illæ, quibus exitum ejus de mundo describit, eandem habent vim ac aliæ apud Moysem; quibus profecto aliquid aliud plerumque insinuatur, quam communis mortalium interitus. Additamentum illud, *in Paradisum*, duo significare potest; sive Cœlum, justorum hominum post obitum sedem destinatam; sive Paradisum terrestrem: quo posteriori sensu admisso, vitam pariter agere Henochum admittamus oportet: neque enim terrestris Paradisus locus est Sanctorum post decessum. Ad priorem illum sensum quod attinet, nequaquam incongruum reputarunt Veteres Patres, ut Henochum, & Eliam in Cœlo reipsa versari, etiam admissa Ecclesiæ sententia, arbitrarentur, quemadmodum infra etiam examinabimus. Plures etiam inter illos aperte asseruerunt, Henochum in Cœlo versari, quo cum Jesu Christo ascenderit, quamquam certum constituerent, superstitem adhuc e mundo migrasse.

Cum Author Libri Sapientiæ de immatura Justi morte dissereret, posuerat ille quidem ante oculos narrationem Mosaicam de translatione Henochi. Nec tamen inde cogimur fateri, in ea illum fuisse sententia, ut interiisse virum crederet. Cum enim agendum sibi proponeret de Justo in primo ætatis flore sublato, ipse argumenti status poscebat, ut de illo usurparet quæ Moyses de Henocho nondum provecta ætate translato, nondum, inquam, provecta, si ætatis ejus anni 365. cum nongentis, vel circiter annis ætatis cæterorum Patriarcharum comparentur. Tandem S. Paulus ad Hebr. 11. 5. omnibus remotis ambagibus pronunciat: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem: & non inveniebatur, quia tulit illum Deus*. Posterior igitur hæc sententia de translatione viri adhuc superstitis tanquam fide certa tenenda est.

Græci pariter & Latini Patres cum Judæis Authoribus plerisque docuerunt, Henochum superstitem adhuc in deliciarum locum translatum fuisse. Superstitem in Cœlum elevatum ferunt Paraphrastæ Chaldæi. Jonathan filius Uzielis habet translatum illum ad Cœlum Dei jussu, in generationibus Terræ esse desiisse; ibi vero appellari Metatron, & magnum Cancellarium. Onkelos apertissime: *Et non apparuit, et non occidit eum Deus*. R. Hisenni [1], aliique nonnulli tenent translatum illum in anima pariter & corpore, esse demum restituendum tempore venturi in Mundum Redemptoris.

R. David in 2. Reg. 2. 1. translatum asserit in Paradisum terrestrem una cum Elia; quod tenere se dicit ex sententia vulgo apud Judæos & viros doctos Synagogæ recepta. Nec dissentit R. Gerson; receptum e mundo, sicut Eliam, in turbine ignis affirmat Akiba. Per Angelum translatum censet S. Chrysostomus c. 5. homil. 238. p. 877. in igneo curru, nempe ut ipse explicat, Angelorum ministerio, sicut postea Elias, habet Author Libri de Trinit. inter Opera S. Ambrosii.

S. Clemens Romanus in priori Epistola ad Corinthios docet, Henochum obedientiæ suæ & fidelitatis merito translatum fuisse; nullibi autem scriptum de ejus morte reperiri. Author Constitutionum Apostolicarum semel & iterum scribit, noluisse Deum, ut Henoch gustaret mortem [2]; & cum eam sententiam repetat in formula, quam recitat, Liturgiæ, demonstrat id apertissime, quid communis Ecclesiæ sententia teneret. S. Irenæus l. 4. c. 16. & l. 5. nov. edit. translatum Henochum perhibet, & hodie usque servatum, in testimonium justæ ultionis a Deo de Apostaticis Angelis exactæ.

Tertullianus advers. Judæos hæc habet in rem nostram: *Necdum mortem gustavit, ut æternitatis candidatus*. Et de Anima c. 50. de Henocho & Elia scribit: *Nec mors eorum inventa est, dilata scilicet*, ad finem nempe sæculorum, ut deinde immortalitati resurgant. Vivere illum adhuc, ne dubitat quidem S. Cyprianus seu alius de montib. Sinæ & Sion advers. Judæos. In exitu mundi statuendos in medio Henochum, & Eliam, & ab Antichristo interficiendos definit S. Hilarius in Matth. c. 20. Vivunt ergo adhuc.

S. Hieronymus in Amos 9. insinuare videtur, Henochum ascendentem ad Cœlum Jesum una cum Moyse, & Elia comitatum fuisse, adeoque æterna ibi gloria donari; sed & ibidem pariter scribit, ascendisse illum una cum S. Paulo, qui ad tertium usque Cœlum raptus fuit: ex quo satis intelligimus, nequaquam egisse S. Doctorem de translatione immortalis corporis in Cœlum, cum maxime alibi de Henoch & Elia ita differat [3]: *Necdum mortui, et Paradisi jam coloni, habent membra, cum quibus rapti sunt et translati*. Tradit insuper in Epistola ad Marcellam, utrosque illos Prophetas necem in exitu mundi manere, qualis in Apocalypsi cap. 11. 3. &c. describitur.

Hilarius Diaconus Author Commentarii inter Opera S. Ambrosii in 1. Cor. 4. 9. scribit, Henoch & Eliam in Antichristi persecutione interimendos, quorum etiam projicienda cadavera in forum, ut horrori sint intuentibus. S. Ambrosius, cujus textum supra laudavimus, subobscure insinuantem & Henochi obitum, & translationem in Cœlum, satis aperte præfert posteriorem hanc sententiam, cum virum illum socium adjungat Eliæ, superstiti utique, nemine refragante [4]. Cum autem ambos Prophetas in Cœlo constituit, hanc ille sententiam tenet, quam ante ipsum plures adoptasse supra animadvertimus.

Et in Lucam l. 3. ad finem ita differit: *Henoch vero nonne manifestum pietatis Dominicæ, & divinitatis indicium est, eo quod nec mortem senserit Dominus, & ad Cœlum remeaverit, cujus generis auctor raptus ad Cœlum est?* Ascensionem Jesu Christi in Cœlum typo quodam exprimere Henochum S. Gregorius Magnus hom. 29. in Evang. num. 6. asseruit eadem phrasi, qua Ecclesiastici Scriptores frequenter.

S. Augustinus de Gen. ad lit. l. 9. c. 6. ne ambigit quidem, virum hunc & superstitem ex hominibus migrasse, & modo etiam vitam agere ab omni morborum & senectutis incommodo tranquillam: rediturum tandem in Mundum, quo commune mortalium omnium fatum, mortem scilicet, subeat, resurrecturum deinde ad vitam immortalem. Et in Lib. 1. de Peccator. merit. c. 3. tenet, Henoch & Eliam immortalitate quidem non donari, verum superstites adhuc, & nulla cibi indigentia laborantes vitam ea plane ratione sustentare, qua Elias in prolixa 40. dierum inedia; vel si forte cibos capiunt, ita se tamen in eo gerere, quomodo Adam in Paradiso terrestri ante crimen admissum. Tandem non invitum persuaderi se dicit, translatos illos in hortum Eden; documentum autem exhibere, quid Adam & Evæ sperandum fuisset, siquidem in fide Dei jubentis mansissent. Post asserta adeo testimonia, frustra alia in causam adduceremus: quare statuamus oportet, vivere adhuc Henochum, prodigio quodam ex hominibus translatum; frui autem gustu quodam anticipatæ beatitudinis; mortem extrema die se manentem opperiri, postquam ad æternam felicitatem admittetur.

Quonam vere Henoch translatus est? Non convenire in loco illo assignando Veteres jam animadvertimus. Collocant alii virum in Cœlo, alii in Paradiso terrestri, alii judicium suum ea in re suspendunt; rati utiose admodum supervacaneam hanc quæstionem, nulla satis asserta authoritate definiendam, tractari. Latinus Textus Libri Ecclesiastici translatum in Paradisum præfert; sed deest illud, *in Paradisum*, in Græcis Originalium loco habitis: quando autem admitteretur, de significatione hujus nominis ex integro quæstio repararetur.

Refert S. Irenæus l. 5. cap. 5. Discipulos Apostolorum docuisse, Henoch & Eliam vitam agere in horto Eden, ubi olim primi parentes vitam duxerunt tran-

1 Vide Drus. de Henoch, t. 1. p. 2. pag. 379. Crit. Sacr.
2 Constit. l. 5. c. 7.
3 Advers. error. Jo. Jerosol. Vide & l. 3. cont. Pelag. *Hanc communem mortem, qua & bruta solvuntur animalia Henoch, & Eliam nondum vidisse cognoscimus*.
4 Epist. 38. pag. 942. n. 7.

quillam; *ibi autem manere eos, qui translati sunt, usque ad consummationem*. Hæc ex Discipulis Apostolorum recepta sententia obtinuit deinde in Ecclesia. Pseudo Justinus in Quæstionibus ad Orthodoxos q. 85. habet, viros illos sanctissimos in obitu Jesu Christi revocatos ad vitam, & ab incolis nonnullis Sanctæ Civitatis per visum spectatos [1], vivere nunc etiam in Paradiso terrestri, una cum Henoch & Elia, generalem resurrectionem opperientes, post quam ad vitam undequaque immortalem transferentur.

S. Augustinus, quamquam alioqui maxime cautus in ferenda de rebus dubiis sententia, asserere tamen videtur, Henoch & Eliam in Paradisum terrestrem translatos, ibi versari [2]: *Nam quo nos credendum est fuisse translatos, nisi ubi est ipsum lignum vitæ, unde illis sit potestas vivendi, nec ulla moriendi necessitas?* Frui autem illos credit omnibus concessis olim Adamo privilegiis, quorum pariter in consortium venissent cæteri Adami posteri, si quidem primus ille hominum parens admisso crimine duram mortis necessitatem sibi & posteris non subiisset. Addit, in eo vitæ statu Deum viros illos sanctos in innocentia ita continere, ut necessario peccatum non admittant, nec illorum exaudiantur illæ voces: *Dimitte nobis debita nostra*. Nec tamen ita se persuasum exhibet S. Doctor de mora Henoch & Eliæ in Paradiso terrestri, ut quæstionem illam in utramque partem agitari non posse teneat [3]. Credimus, ait Augustinus, vivere adhuc illos in mortali corpore; integrum autem nobis esse ducimus, ut quæramus, an in Paradiso degant, vel alibi.

Pseudo-Isidorus in Tractatu de vita & morte SS. c. 3. S. Thomas [4], aliique plures [5], translatos tenent Henoch & Eliam in Paradisum terrestrem. Verum S. Athanasius [6] autumat, Henoch translatum fuisse in Paradisum, quo raptus est S. Paulus, & qui Latroni post obitum Jesu Christi patuit: tenet autem, S. Paulum ad Cœlum raptum fuisse, eoque pariter introductum Latronem cum Jesu Christo post resurrectionem. S. Ambrosius epist. 38. primæ classis scribit, Henoch divitias suas in cœlestes thesauros transtulisse. S. Hieronymus [7] asserit de Henoch, & Elia, inter cœlestes cives admissos, in Paradiso versari, *ubi vescuntur cælesti pane, & saturantur omni verbo Dei, eundem habentes Dominum, quem & cibum*. Asserit tandem Josephus Antiq. l. 1. c. 4. ad Deum perrexisse illum, ex quo factum, ut ejus mors nullibi scriberetur.

S. Gregorius Magnus hom. 29. in Evang. & post illum Rupertus Abbas, nihil satis certi determinantes, notant, versari illum in loco quodam sancto hujus terræ in tranquillo animæ & corporis; rediturum postea in consummatione mundi inter homines, ut indictum omnibus mortis tributum solvat. Tertullianus de Resurrect. carnis c. 58. de Henoch & Elia habet: *De orbe translati, & hoc ipso jam æternitatis candidati*. S. Chrysostomus sive de loco sive de ratione translationis quæstionem institui curiosius vetat [8]; satis enim habere nos monet, si teneamus superstitem illum a Deo translatum, versari in loco quodam Deo tantum noto, exteris incognito. Eadem observat Theodoretus q. 45. in Gen. Satis est nobis, ait, si illa cognoverimus, quæ nobis Deus in Scripturis suis revelavit, nec ulterius inquirenda, quæ latere ille nos voluit. Scite admodum sententiam suam ea de re proferunt Theophylactus & Oecumenius [9]. Tenemus, inquiunt illi, Henoch translatum fuisse, vivere adhuc scimus; sive autem rationem translationis, sive locum, quo translatus est, ignoramus. Nec aliter nobis in re præsenti statuendum est: Quæ enim S. Irenæus tanquam a Discipulis Apostolorum recepta perhibet, de translatione nempe Henochi in Paradisum terrestrem, forte aliquid sapiunt de errore Millenariorum, invalescente plurimum in illo Ecclesiæ exordio; quippe cui fidem adstruxerit authoritas Christianorum ex Judæis, qui se Apostolorum Discipulos jactitabant, quanquam Apostolicæ doctrinæ parum omnino tenaces.

Opinionem suam de translato Henoch, & Elia in ipsum eundem Paradisum, quo raptus olim S. Paulus, & probus ille Latro introductus, opinionem, inquam, illam accepto retulisse videtur S. Athanasius ex illo S. Irenæi, constituentis Henoch, & Eliam cum reliquis Justis in horto Eden, quo pariter raptum credit Apostolum. Porro horti Eden nomine intelligendus est Paradisus terrestris, juxta Millenariorum & Veterum etiam complurium sententiam. Terrestrem hunc Paradisum constituit Origenes in tertio Cœlo, quo raptus Apostolus [10]. Origenem sequitur S. Ambrosius de Paradiso. c. 3. Moyses Bar-Cepha in suo Libro de Paradiso terrestri illum constituit terram inter & firmamentum medium, eoque introductum probi illius Latronis Spiritum. Idem spectat in lucubrationibus Severiani, & Eulogii, qui non alium locum constituunt animabus Sanctorum, quæ ex hoc mundo secesserunt. S. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis in Genesim censet, Paradisum terrestrem ante creatum mundum stetisse; collocat ergo eum locum extra mundum; vel saltem ita tenent Hebræi. Satis hæc, quantum arbitror, ad excusandam sententiam S. Irenæi, & S. Athanasii: nec alia fuit mens S. Ambrosio, & S. Hieronymo, docentibus, Henoch, & Eliam ad Cœlum ascendisse; vix enim persuaderemur, SS. illos Doctores superstites adhuc homines, quos ad diem certam manebat interitus, constituere voluisse in destinata Angelis, immortalitate donatis hominibus gloria, & sede.

ARTICULUS III.

De regressu Henoch in mundum, in sæculi consummatione.

Ex his, quæ huc usque disseruimus, animadvertisse arbitror, Lectores, receptam inter Patres sententiam tenere, Henoch, & Eliam non jugem tantum degere nunc vitam, sed & statuendos pariter certa die in prælium contra Antichristum, ac tandem perimendos ab adversario illo omnium Sanctorum, restituendosque post hoc in vitam, & gloriam immortalem. Utrisque illis viris accommodant illud Apocalypsis 11. 1. &c. quo Dominus præcepit S. Joanni, ut Templum, & Altare cultoresque illius metiretur, abstineret autem ab atrio, & Templi ambitu, quod scilicet Gentium potestati relinqueretur, a quibus Urbs sancta pedibus proculcanda esset mensibus *duobus, & quadraginta*. Sed adjecit Dominus, *dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum .... Hi habent potestatem claudendi Cœlum ne pluat diebus prophetiæ ipsorum; & potestatem habent super aquas, convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint. Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos: & corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi Dominus eorum crucifixus est: & videbunt de Tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium, & corpora eorum non sinent poni in monumentis .... Et post tres dies, & dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos: & steterunt super pedes suos*;

1 Matth. 27. 53. 2 August. contra Julian. l. 6. c. 30. pag. 1360 1361.
3 De peccat. Origin. contr. Pelag. & Cælest. c. 23. n. 27. 4 D. Thom. 1. p. q. 102. art. 2. ad 3. &
3. p. q. 46. art. 5. ad 2. 5 Cedren. p. 8. Chronic. Alexandr. Beda de Templo Salom. c. 19. p. 38.
6 De Synod. Nicæn. decret. p. 214. nov. edit. 7 In Amos 9. & Epist. 61. ad Pammach. advers. error. Joan. Jerosolym. 8 Homil. 21. in Gen. 9 Theophylact. & Oecumen. in Hebr. 11.
10 Vide Huet. Origenian. l. 2. q. 12. art. 7.

sunt, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.

Frequentes adeo Patres, & Interpretes in hanc sententiam concesserunt; ut æstimari satis non possit Recentiorum quorundam audacia, quibus omnia, quæ de regressu in mundum Henoch, & Eliæ ad exitum sæculorum feruntur, commenta reputantur. Notat Suicerus [1], Ravanellum in Bibliotheca sua *v. transferre* ea proferre, quæ fabulam de reditu Henoch apertissime exsufflant. Ravanellum ego quidem non legi; legisse me tamen profiteor Scripta Patrum, & Veterum Ecclesiæ Auctorum, quorum neminem apertis verbis rem illam negantem offendi; plures quin etiam luculentissime asserunt: & quicumque alteram sibi interpretandi Textum Apocalypsis methodum struunt, duos testes interpretantur Eliam, & Moysem, vel Eliseum, vel S. Joannem Baptistam; quorum asserta mors in Scriptura; sive Jeremiam, cujus mortem licet conceptis verbis Scriptura non exprimat, nihil tamen habet, ut superstes credatur. Si quis ergo in mundum iterum rediturus est, id profecto privilegium Henoch asserendum, quem translatum discimus ex Textu Mosaico, sicut & vitam adhuc agere ne ambigendi quidem ullus est locus, post Apostoli ad Hebr. 11. 4. testimonium: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem.*

Veteres fere omnes, & Recentiores, qui in Apocalypsim scripserunt, uti Andreas, & Aretas Episcopi Cæsareæ in Cappadocia [2], Beda, Primasius, Berengarius, Ambrosius Antpertus sive Ansbertus, Haymon Halberstadensis, Hugo de S. Caro, Dionysius Carthusianus, Vatablus, Vega, Ribera, Cornelius a Lapide, & alii. Quicumque pariter scriptis Operibus de Antichristo disseruerunt, uti S. Hippolytus Martyr, Rabanus Maurus, Adson Dervensis Abbas in Diœcesi Catalaunensi, cujus est Liber impressus in Appendice sexti tomi novæ Editionis S. Augustini, & alii plures, tanquam certa, & continuata traditione a prisais acceptum norunt futurum, ut Antichristus pugnet adversus duos testes, Henoch, & Eliam, victosque trucidet; quos testes, juxta Apocalypsis testimonium, tenent pœnitentiam gentibus prædicaturos sacco indutos 1260. dierum spatio [3]. Post dictum illam periodum, inquiunt, duo testes in medio Urbis Jerusalem jugulabuntur, & honore sepulturæ privati jacebunt, donec recepto vitæ spiritu a Deo divas iterum auras spirabunt.

S. Irenæus l. 5. c. 5. de Henoch, & Elia, in Paradiso terrestri versantibus agens, commoraturos ibi docet *usque ad mundi consummationem*. Tertullianus de Anima cap. 50. *Cæterum morituri reservantur, ut Antichristum sanguine extinguant*. S. Hilarius in Matthæum cap. 20. pag. 710. de Moyse, & Elia transfigurationis Jesu Christi testibus agens, *Hos quidem, ait, eosdem Prophetas duos prævenientes adventum ejus intelligimus, quos in Apocalypsi Joannes ab Antichristo perimendos esse dicit, licet varia vel de Henoch vel de Jeremia plurimorum fuerint opiniones, quod alterum eorum, sicut Eliam, mori oporteat.* Ephrem Patriarcha Theopolitanus, vel Antiochenus apud Photium Cod. 229. tradit, *Henoch, Eliam, & Joannem Baptistam* post diuturni admodum temporis vitam, morte tandem interituros, sed in ictu tantum oculi, ut iterum ad gloriam resurgant. S. Ephrem Syrus, Sermone de adventu Christi & Antichristi, Dei miserantis pietate committendum dicit, ut Henoch, & Elias Antichristo opponendi, ejusque doctrinam refutaturi, minas & sævitiam repressuri, proximum Servatoris adventum annuntiaturi, veniant in mundum.

Hilarius Diaconus [4] observat, viros sanctos nunquam non persecutionibus vexari, ut Enoch, & Elias, qui a Deo missi adversus Antichristum in mundi exitu pugnaturi sunt, *quos & persecutiones pati, & occidi lectio Apocalypsis testatur*. S. Ambrosius in Psal. 95. n. 10. bestiam ex abysso egredientem, nempe Antichristum, adversus *Henoch, Eliam, et Joannem Baptistam*, testes a Deo pro Jesu Christo mittendos, uti docet Apocalypsis, pugnaturam testatur. Nomen S. Joannis Baptistæ legit, quemadmodum in Editionibus nonnullis, ita pariter in MSS. quibusdam, quanquam minori numero, uti observant Authores postremæ Editionis hujus S. Doctoris. S. Joannes in Apocalypsi nonnisi duorum testium meminit: & Evangelii authoritate compertum est, S. Joannem Baptistam capite obtruncatum ab Herode; ejus ergo nomen superfluere in Textu videtur.

S. Hieronymum consuluerat Marcella [5], an singuli homines morte, & resurrectioni destinentur, quando juxta Apostolum coram Jesu Christo in aera producendi erunt [6]. Ambigebat illa, cum Henoch, & Elias ipsi pariter inter mortuos futuri essent; quippe quos occidendos ab Antichristo notet S. Joannes in Apocalypsi. S. Hieronymus ultro admittens veritatem eorum, quæ de adventu, & morte duorum Prophetarum scripserat Marcella, respondit, eos qui forte superstites ad illum Domini adventum pervenient, coram judice elevandos in corpore, novis dotibus gloriæ, & immortalitatis auctos. Paria docet S. Augustinus contra Julian. l. 6. cap. 39. hæc habens de Henoch, & Elia: *Creduntur ad exiguum temporis rediturі in has terras, ut etiam ipsi cum morte confligant, et quod primi hominis propagini debetur, exsolvant*. S. Gregorius Magnus [7]: *Henoch, et Elias ad mundum revocabuntur, et crudelitatis sævitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt.*

Pseudo-Prosper in Libro de Promissionibus, & Prædictionibus cap. 13. docet, ea plane ratione, qua Moyses, & Aaron legatione ad Pharaonem functi sunt, & adversus illos Jamnem, & Mambrem Diabolus opposuit; ita pariter adversus Antichristum a Deo missi stabunt Henoch, & Elias, quibus tres Pseudoprophetæ ab eodem Diabolo opponentur. Testium agmen claudunt Cedrenus, Philippus Solitarius [8], S. Joannes Damascenus [9], in Patrum illorum sententiam concedentes. Tradit enim S. Damascenus, venturos in mundum Henoch, & Eliam, & ut Antichristo resistant, & cor Patrum ad Filios reducant, id est, Synagogam ad Ecclesiam, & Judæos ad Christianos; qui functi munere, ait, ab Antichristo interficientur, statimque Dominus toto Majestatis apparatu, & naturæ humanæ exuviis ad gloriam circumdatus, ea plane specie, qua ad Cœlum ascendentem viderunt Apostoli, in terram descendet.

Hanc tamen tot virorum doctissimorum suffragiis firmatam sententiam nunquam Ecclesia inter articulos fidei recepit, sive a fidelibus communi assensu probata est. Opinio est enim Theologica, cui repugnare, salvo veterum Patrum, & Authorum Ecclesiasticorum, qui pro illa steterunt, obsequio, nunquam non licuit. Suspicantur aliqui, duos illos Testes apud S. Joannem, esse Moysem, & Eliam, Legem & Prophetas [10]. Tenent alii [11], nomine illo duo designari Testamenta, Vetus, & Novum, & utriusque Doctores ac Prædicatores. Alcasarius stat pro Moyse, & Elia, sapientia nempe, & zelo primitivæ Ecclesiæ, testimonium ferentibus Jesu Christo; Moyses enim divinam ejus sapientiam commendat, Elias sanctitatem, & zelum.

De Elia, & Eliseo, sive Elia, & Moyse dictum explicat Victorinus Petaviensis [12], sed obiisse Moysem, & Eliseum tam certum est, quam quid aliud. Cum de Jeremiæ morte nullibi scriptum reperiatur, Veteres omnes autumarunt, ait idem Scriptor, Jeremiam alte-

rem

1 Thesaur. Eccles. in Henoch. Ita & alii, ut Drus. in Henoch, & Calviniani. 2 Andreas in Apoc. 11. t. 6. Biblioth. PP. & Aretas in Apoc. 11. t. 9. Biblioth. PP. 3 Apocal. 11. 3. &c. 4 Ambrosiast. in 1. Cor. 4. 5 Hieron. ad Marcellam Epist. 148. p. 347. Ver. Edit. 6 1. Thessal. 4. 16.
7 In Job cap. 18. l. 14. c. 22. Vide & in Ezechiel homil. 12. l. 1. p. 1295. vers. 7. 8. 9.
8 Dioptr. Rei Christ. in Biblioth. PP. to. 21. pag. 592. 593. 9 Lib. 4. c. 27. pag. 300. D.
10 Arias Montanus & alii. 11 Pannonius. 12 Biblioth. PP. t. 3. pag. 418.

rum esse e Testibus S. Joannis. Tres, non duos testes assignant Ephrem Patriarcha Antiochenus, & S. Ambrosius, nempe Henoch, Eliam, & Joannem Baptistam. S. Hilarius stare se significat pro sententia, quæ Moysem, & Eliam tenet; quamquam fatetur, aliorum opinionem proferre Henoch sive Jeremiam. Moysi, & Eliæ faveut pariter Gegnous, Catherinus, Maldonatus in Matth. 17. & Joachim Abbas.

Apocalypsis Oraculum non de futuro, sed de transacto tempore ita intelligunt aliqui, ut duorum testium nomine designatos credant Jesum Christum, & S. Joannem Baptistam, De Sylvestro Papa, & Menone Patriarcha Constantinopolitano, conatibus Eutichetis Heresiarchæ se se opponentibus, exponunt S. Antoninus, Lyranus, & Aureolus [1]. Quæ sententiarum varietas satis indicat, amplam cuique dari opinandi in hac re facultatem.

Ex his, quæ huc usque disseruimus, statuendum arbitror, primo, quamquam nihil certi statui potest de translatione Henoch, ex verbis Mosaicis, rem tamen extra controversiam ponere tum Apostoli Pauli oraculum, cum Ecclesiastico traditionis authoritatem, quibus utique docentibus intelligimus, tamquam fide certum tenendum esse, virum hunc superstitem adhuc usque manere. 2. De pietate & virtute hujus viri nullum esse ambigendi locum, quidquid seorians in contrarium Rabbini; versari autem modo in eo rerum statu, in quo, licet mortali corpore indutus, nulli tamen cordis corruptioni obnoxius sit. 3 Quamquam non constare satis ex dissensu Patrum, & Interpretum de loco translationis ejus videtur, si quis tamen propius eorum sententias perpendat, convenire satis intelliget in assignando Paradiso terrestri, quem alii in terra, alii in Cœlo collocant. 4. Tandem, quamquam nullos certo opinandi limites præscribebat Ecclesia, in determinandis duobus illis testibus in exitu sæculorum, & de quibus in Apocalypsi, fateamur tamen oportet, sententiam illam, quæ venturum in mundum Henoch, & Eliam præfert, multum cæteris præstare sive antiquitate, sive merito, & numero Scriptorum.

DISSERTATIO

De Libro Henoch.

Mirari subit profecto, quomodo fieri potuerit, ut priora illa Ecclesiæ sæcula, Fidelium sanctitate, & Martyrum numero adeo illustria, miraculis, & doctrina Apostolorum, eorumque Discipulorum adeo felicia, tantam nihilominus intus, & in se foverent hæresum corruptionem; externos vero hostes paterentur adeo perniciosos, molientes calumniis, & blasphemiis invidiam Christiano nomini conflare plurimam. Inde tot falsa Evangelia, tot Pseudo-Actus Apostolici, Apocalypses sive Revelationes, rerum gestarum a viris in Ecclesia amplissimis Acta corruptissima. Inde abominanda Sectarum monstra, Simonianorum, Nicolaitarum, Gnosticorum, Carpocratianorum, Basilidianorum, Menandriorum, aliarumque quarum singulis efferendis sua erant corruptissima Evangelia, & scripti alieni plane ab Ecclesiæ doctrina Libri.

Aliud tunc temporis emersit adversariorum genus, quorum licet minor esset nocendi voluntas, consilium tamen maxime obfuit Religioni; Authores nempe Apocryphorum quorumdam Librorum, qui Lucubrationibus suis nomina præscripserunt virorum, sive in Synagoga, sive in Ecclesia, sive apud Gentiles amplissimorum; rati id potissimum conducturum, ut ad Religionem Christianam Judæos, & Paganos converterent, si prædictum a viris apud illos magni nominis Christum demonstrarent. Ea fuit mens Scriptoribus illis, qui Lucubrationes obtruserunt sub nomine Trismegisti, Sibyllarum, Libri Henoch, quarti Esdræ, Testamenti duodecim Patriarcharum, sicut & alias ejusdem generis. Ea fraude impositum est non raro vetustissimis Ecclesiæ Patribus, quibus non satis in ea re cautis, tanta virorum nomina fucum fecerunt.

Tanto fuit hujus artificii major pernicies, quanto infallibilior videbatur effectus; siquidem vel perniciosa illa Opera tamquam genuina, & Scriptorum, quorum præferebant nomina, syncera reputanda erant, ex quo erroribus etiam non infrequentibus in ejusdem farinæ Operibus fides afferebatur non suspecta; sive rejiciebantur tamquam apocrypha, & impostorum fraude supposita; & ea pariter nota præjudicio quodam inurebantur syncera Apostolorum, & Apostolicorum virorum Opera; unde parum Fidelibus de fraude suspicantibus utilitatis; multa vero obtrectandi cæteris a fide alienis ansa, quippe qui vera a falsis secernere sive nollent, sive non possent. Hinc minor etiam in Fidelibus sicut, & in Infidelibus erga sacrarum Scripturarum authoritatem amor, & observantia.

Liber Henoch, de quo modo, varie in Ecclesia receptus est. Primo illi quidem multum a prioribus Fidelibus delatum, quin & inter Canonicos a nonnullis receptus est, vel saltem inter Opera Religioni plane non repugnantia, quod testimonium ab illo petitum in Epistola S. Judæ animadverterint; sed interim tamen alii minus creduli, & magis cauti vel fidem suam retinerent, vel tamquam apocryphum rejicerent. Porro de ejus authoritate persuasi Patres, sententiam inde suam, quæ futilis licet, maxime tamen apud Veteres obtinuit, retulerunt; nempe Angelorum perduellium manum, quod in filias hominum turpi quodam tenerentur amore, excusso Dei jugo, junxisse se cum illis fœminis, iisque parentibus natos liberos corporis proceritate, & criminum granditate apud Veteres sub Gigantium nomine famosos.

De Libro Henoch primus omnium meminit S. Judas; post quem laudatur in Testamento duodecim Patriarcharum, vetustissimo illo plane, cujus sermo est apud Origenem hom. 15. in Josue. Ex eo Libro sententiam suam de connubio Angelorum cum filiabus hominum derivarunt S. Justinus Martyr [2], S. Clemens Alexandrinus [3], S. Irenæus [4], Tertullianus [5], Athenagoras Legat. pro Christ. S. Cyprianus de disciplin. & habit. Virg. 3. 14 Lactantius l. 2. cap. 14. Sulpicius Severus hist. Sacr. lib. 1. Minutius Felix in Octavio, S. Ambrosius [6], Proclus, & Psellus Philosophi Christiani. Hujus erroris origo est facile Textus Septuaginta, in plurimis Exemplaribus ita ferens: *Angeli Dei videntes filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi in uxores ex omnibus, quas elegerant*; quo loco Hebræus, & Vulgata habet: *Videntes filii Dei filias hominum &c.* Præpostere igitur intellectus locus Septuaginta fabellæ de Angelorum defectione & connubiis materiam struxit, & occasionem.

Integrum Opus periit, fragmenta tantum servantur, quibus desiderium amissi Operis non satis magnum inducunt. Hæc verba e Libro Henoch laudat S. Judas in Epistola ver. 14. *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, qui-*

1 Ita Ubertin. & Michael, & Eitisginher in Pentaplo p. 100. 2 Apolog. 1. p. 44. & Apolog. 2. p. 55. 3 Strom. l. 3. & 5. & Pædag. l. 2. c. 2. 4 Iren. l. 4. c. 30. su r. 16. nov. edit. & c. 70. n. 36. 5 De Idololat. l. 2. c. 9. de cultu fœminar. c. 10. de veland. Virgin. c. 7. 6 De Noe & Arca c. 4. & de Virgin. l. 1.

quibus impie egerunt, & de omnibus duris quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii. Hæc, ait Apostolus, *prophetavit de his*, corruptoribus doctrinæ Jesu Christi, quibus accommodat, quæ de impiis ante diluvium dicta sunt) *septimus ab Adam Henoch*. Author Testamenti duodecim Patriarcharum fragmenta quædam servat, quorum potissima dabimus infra. S. Irenæus l. 4. c. 30. docet Henoch, *cum esset homo*, legatione ad Angelos functum fuisse, & translatum fuisse. S. Justinus, aliique plures, quos supra recensuimus, de impuro quodam Angelorum in filias hominum amore tractarunt. Angelorum perduellium inventa plura recenset Tertullianus de cultu fœminarum l. 1. c. 2. e Libro Henoch. S. Hilarius in Psal. 132. ver. 3. tradit, in defectionem contra Deum terribilibus anathematismis inter se conspirasse, coactos in monte, cui exinde nomen mansetit *Hermon*, idest *Anathema*.

Sed majoris momenti, & ad doctrinam præ omnibus conferens, fragmentum recitat Syncellus in suo Chronico [1], & publici juris fecit omnium primus Josephus Scaliger ad Græca Eusebii: hujus autem hæc summa. Vigiles, Græce Egregori, (ita ad Danielis [2] imitationem) fœminas turpi deperientes amore, mutuis se adhortationibus excitarunt, ut sibi in conjuges charas quisque puellas adsciscerent. Semiexas vel Samsai Princeps Egregororum, coactam in celsissimi montis cacumen ducentorum manum ita affatus est; Vereor ego quidem, ne initi inter nos consilii vos terreat executio; quare ab incepto desistentes omnes, in me unum perduellionis reum Dei vindicis furorem totum convertatis. Optimum proinde facto censeo, ut sacramentis & anathematismis nos invicem adigamus ad opus. Nec mora; statim omnes terribilibus sacramentis & obsecrationibus se adstrinxerunt ad propositi operis executionem, ex quo monti nomen *Hermon*, i. e. *Anathema*. Supremorum perduellionis Authorum nomina hæc sunt: 1. Semieaas; 2. Atareuph; 3. Araciel; 4. Cobabiel; 5. Horammamus; 6. Ramiel; 7. Sampsich; 8. Zaciel; 9. Balciel; 10. Azabrel; 11. Pharmarus; 12. Amariel; 13. Amagemus; 14. Thausail; 15. Samiel; 16. Sarinas; 17. Eumiel; 18. Tyriel; 19. Jumiel; 20. Sariel.

Anno ab orbe condito, ait idem Author, 1170. [3] Angeli seu vigiles connubia sua cum fœminis inierunt, perseverantes cum illis usque ad diluvium: Nata ex his trium liberorum genera, nempe *Enakim* filii; *Nephilim* nepotes; & *Eliudim* nepotum filii. *Enakim* sive Gigantes uxores & coævos suos res magicas & venenatorum poculorum usum docuerunt. Abaael, sive Azabael, decimus inter supremos illos Angelos perduelles, instruxit homines in rebus Chymicis liquandorum & parandorum metallorum artem, armorum & bellicorum instrumentorum fabricam; rationem expoliendi ad usum gemmas, & ad fœminarum pellectum muliebrem supellectilem. Semiexas ceterorum Princeps, furoris & ultionis primus incentor, venena ex herbis exprimendi perniciosam artem docuit. Pharmarus [4], undecimus inter Principes, curiosas artes magiæ & astrologiæ invexit. Aeris signa explicavit Zaciel; astrorum cursum Balciel; astrologiam Cobabiel; terræ signa Araciel; solis Sampsich; Lunæ ad præsagia futurorum Sariel.

Cum igitur nati Gigantes cibum sibi ex hominum carne pararent, factum inde ex imminuto plurimum hominum numero, paucitatem suam intelligentes, qui inter illos supererant, Deum precibus sollicitarent, ne charos sibi homines negligeret. Tunc quatuor Principes Angeli, Michael, Uriel, Raphael, & Gabriel coram Domino sese sistentes, verbis plurimis exaggerarunt mala intolerabilia, quibus Angeli perduelles terram vastaverant; nec siluerunt quæ a Gigantibus per dies singulos committebantur; repræsentarunt suspiria emissa a spiritibus animarum virorum illorum, in quos morte fuerat sævitum [5]; illis e terra exitum plurima admissa crimina vetabant.

Tunc Omnipotens Urieli præcepit, iret statim ad Noe filium Lamech, suisque verbis renunciaret diluvium non ita post multum temporis inducendum super terram, cujus imminens malum annunciaret hominibus, se vero compararet, ut a communi hominum fato eximeretur, quo plantarum & hominum in terra exitium repararet; novumque substitueret hominum genus, ad exitum usque sæculorum permansurum.

Oneravit pariter mandatis Angelum Raphaelem, ut catenis vinctum Azaelem projiceret in tenebras, ima etiam aperiret deserti Dudael, ut in profundam obscuritatem Angelum hunc perduellem conjiceret, super prærupta & acuta saxa constitutum; terram ab iniquitatibus suis omnibus repurgaret; ac tandem censum ageret hominum & criminum sibi commissorum.

Tum ad Gabrielem: Conferas te illico ad Gigantes, superbos illos Egregororum filios, commissosque invicem in mutuam perniciem armare te illos jubeo & animare.

Præcepit tandem S. Michaeli, conferret se ad Semiexam totius seditionis principem, & coactum illum ocularum testem spectare cædem Gigantum filiorum suorum, raptaret ad extrema terræ hujus catorrem, ubi usque ad septuaginta generationes, nempe ad diem judicii, relegaret. Tunc, ait Deus, princeps agetur in chaos ignis æterni perpetuo claudetur in carcere una cum ceteris perduellionis consortibus. Adjecit. Ad Gigantes e connubio Egregororum cum filiabus hominum natos quod attinet, in terra tanquam pravi quidam Spiritus pererrantes malorum erunt omnium, cædium, & ruinarum authores; homines possidebunt, in terram projicient, sine cibo vitam tolerabunt, spectra formabunt & terriculamenta, angentur siti, aggredientur homines, torquebunt pueros. Mons vero ille initi consilii & conspirationis, ac terribilium sacramentorum infamis, diris subjicietur anathematismis, nivibus & algenti bruma locus erit horrendus ad diem usque judicii, tunc flammis absumptus liquescet.

Legitur in eodem Opere, Angelum Urielem, astrorum principem, anno Henochi 165. Mundi 1286. a Deo missum venisse docturum Henoch rationem mensis, anni, & solstitii. Hæc summa fragmenti Libri Henoch apud Syncellum. Dispescebatur totum Opus in duos saltem libros, cum Syncellus primum laudet.

In fragmentis, quæ restant, nuspiam legimus illud, quod e Libro Henoch S. Judas descripsit; nec fuisse unquam in Opere viri quidam docti suspicantur. Horum aliqui censent non e Libro aliquo, sed e traditione accepta Apostolum retulisse: aliis ita sedet opinio, Spiritus Sancti revelatione didicisse Apostolum, quid Henoch olim vaticinando effatus fuerit [6]: alii tandem censent, Authorem Libri Henoch nonnisi ex occasione loci S. Judæ consilium scribendi Operis suscepisse, tantam magnam exinde Operi suo existimationem proventuram, tanquam Apostolo noto, probatoque.

Sed facile conjecturas has omnes evellam. Patres, qui Librum Henoch utique legerant, & præ manibus habebant, sententiam ab Apostolo relatam contineri in illo

1 Chronograph. p. 11. & 24. 2 Dan. 4. 10. 14. 20. Heb. Hir. Aquil. Sym. Egregori, Vigiles.
3 Syncellus p. 16. refert, Egregoros e Cœlo descendisse A. M. 1058. Subinde refert, Henoch divinitus rescivisse futurum diluvium A. M. 1425. & translatum illum in Paradisum A. M. 1488. Deum mortis sententiam in Egregoros dixisse A. M. 2121. Diluvium vero consignat ad A. M. 2241. Quare post adventum Egregororum usque ad diluvium spatium relinquitur annorum 1143. 4 Legunt alii Pharmacus sive Pharmaceus, nempe venena conficiens. 5 Vide Dissertationem de natura animæ juxta Hebræorum sententiam. 6 Vide Herman. Vitsii Meletem. Leidens. pag. 501. & Heidegger. hist. Patriarch.

in illo satis aperte testati sunt; nec alia ratione, ait S. Hieronymus in Catalog. Script. c. 4. *a plerisque rejicitur*, (Epistola Jacobi) *nisi quia de Libro Henoch, qui apocryphus est, assumit testimonium* [1]. Vicissim Tertullianus ex Apostoli authoritate Libri hujus authoritatem vindicat [2]. Quam sane vim habuisset apud Fideles recens conversos laudatum ab eodem Apostolo testimonium, si vel ex Libro parum assertæ fidei, vel ignoto prorsus apud gentem, deductum fuisset? Opportune quidem Sacer aliquis Author testimonio utitur Pagani Vatis, cum Paganis agens, propriis velut armia illos conficiens; opportune illud idem Pagani testimonium Fidelibus reduceret in memoriam, eas veritates, quas inculcat, vel Ethnicos non latuisse demonstraturus; sed ignotum vel minus assertum Prophetæ oraculum ad extorquendam fidem, nullis aliis testibus productis, quis laudet? Itaque statuendum est, Prophetiam Henoch vel litteris tunc traditam, vel traditione servatam apud Fideles obtinuisse.

Ultro enim admittimus servatum tunc apud Judæos traditionum quarundam, absque eo quod literis traderentur, depositum. Hujus generis arbitramur quæ refert Apostolus de Jamne & Mambre, lateri Pharaonis assistentibus, & prodigia Moysis eludere adnitensibus [3]; inde pariter accepta altercatio S. Michaelis cum Dæmone de Mosaici cadaveris possessione. Cujus sane traditionis occasione factum credimus, ut Liber scriberetur, nostra ætate servatus sub titulo *Petirath Mose*, sive *Assumptio Moysi*; scriptus utique post Jesum Christum, uti apertissime prodit mentio eversionis secundi Templi. Alter est autem Liber iste ab *Assumptione Moysis*, Veteribus sat cognita, qui plura ex ea afferunt, nuspiam in priori isto legenda. Ex eo pariter traditionum fonte recepta credimus gesta quædam ejusdem Moysis apud Josephum Antiq. l. 2. c. 5. relata; cujusmodi gesta memoriæ posteritatis commissa serius plerumque literis traduntur.

In traditionum ejusmodi censum referenda arbitror oracula Henoch, ex quibus deinde natus Liber sub ejus nomine. Nihil certi statuere possumus, an ante, sive post S. Judæ ætatem adornaretur; neque enim satis exacte constat scriptæ hujus Epistolæ tempus. Illud tamen asserimus, non antea digestum fuisse Opus, quam post eversionem Templi Jerusalem per Romanos; de illa enim agit Author in fragmento, quod in Testamento Levi servatum est. Factu autem possibile censemus, ut S. Judas tandiu post Templi eversionem supervixerit, ut legere commode potuerit Librum Henoch, Patribus deinde visum & excerptum; legere, inquam, potuerit, & eo, qui menti affulgebat, divino lumine, vel saltem populari traditione instructus, veritatem a fabulis distinguere, atque segregare. Sed conjecturæ omnes.

In ipsa ejus origine brevissimum fuisse Opus illud censet Grotius, quod deinde novis novisque accessionibus creverit, uti furtivis & apocryphis scriptis contigisse non semel constat. Solemne est Judæis, ut traditiones, quas magno numero servant, Patriarchis attribuant [4]; & sub tantorum nominum obtentu, Doctores eorum, allegoriis & cabalæ studentes, varia obtrudunt opera, fabellis & absurdis aliis plenissima; vel saltem nihil de veritate sollieiti, ea in Libris illis tribuunt, quæ Lectorum aures mulcere arbitrantur. Georgius Syncellus factum reputat, ut Liber Henoch tractu temporis a Judæis & Hæreticis corrumperetur; sed conjecturas affert argumentis destitutas: indicet ille additiones, quibus subinde infertum est, opus indicet illarum tempora, & authores.

S. Augustinus de Civit. l. 15. c. 23. & l. 18. c. 38. scribit: *Scripsisse nonnulla divina Henoch, illum septimum ab Adam, negare non possumus, cum hoc in Epistola Canonica Judas Apostolus dicat*. Sed consulto

A a Synagoga e Canone Scripturarum rejecta illa arbitratur, & facile *ob antiquitatem suspecta fidei indicata sunt*. Reipsa autem occurrunt in Libro Henoch fabellæ quædam ad arbitrium confictæ, ut quæ refert de Gigantibus ex Angelis parentibus natis; unde conjectura ducitur, ab impostore quodam Lucubrationem illam scriptam, sive ab Hæreticis, alia plurima ejus generis Opera procudentibus, suppositam.

Censet itaque Sanctus iste Doctor, laudatum quidem a S. Juda Librum quendam Henoch, quod plane ex Textu Apostoli aperte satis non intelligimus. Non enim scripsisse Henoch, sive legi in Henoch hoc illud dici; sed tantum: *Henoch prophetavit*; quod plane illi traditione competrum esse potuerat. Sed quando ille aliquid

B scripsisset, egregie demonstrat Augustinus, aliam fuisse Lucubrationem illam genuinam ab ea, quæ tunc obtinebat; duplici id ratione evincens: 1. Quod Judæi a Canone Scripturarum ablegarunt; 2. Quod futilia multa veritati & fidei repugnantia contineat.

Josephus Scaliger Not. ad Græc. Euseb. pag. 405. Librum Henoch vetustissimum arbitratur, scriptumque Hebraice a Judæis, ut sub obtentu magni nominis simplicioribus imponerent. Sed non satis diserte de antiquitate illa mentem suam explicat, an scilicet ante, vel post Christum; etsi enim non nisi secundo Ecclesiæ sæculo prodiisset, vetustissimum utique Opus censeretur. Vix autem cum illo convenimus in iis, quæ de scripto Hebraice Libro asseruit; ejus enim sententiæ argumenta nulla ex ipso Opere deducuntur. Hebraismos occur-

C rere in illo non diffiteor; sed & Hebraismos pariter animadvertas in Græcis Hellenistarum Operibus, uti in Libris N. T. & in Macchabæis. Suspicatur Hottingerus, Græcum esse Operis Authorem, cujus rei argumentum exhiberi in nomine Pharmarus, sive ut ipse legit, Pharmachus; Pharmaceus enim Græce est veneficus.

Contendit D. Grabbe Not. in Spicileg. PP. t. 2. pag. 345. Librum illum deberi Judæo cuidam Authori ætate J. C. multo vetustiori; quod duobus argumentis demonstrat. 1. Alexander Polyhistor apud Eusebium Præpar. l. 9. c. 17. refert, tradi ab Eupolemo Henoch Astrologiæ Authorem fuisse, cujus rei honor Atlanti a Prophanis tribuitur; Atlantem autem Græcorum eundem esse virum ac Henoch Judæorum. 2. Liber Zohar, scriptus,

D uti fertur, paulo post eversionem Templi per Titum, Librum Henoch laudat; laudat & R. Manahum tertio sæculo suppar.

Hæc tamen ita diluas. 1. Neque Eupolemus, nec Polyhistor, vel Eusebius scripserunt, Henoch scripsisse aliquid de Astrologia. Nonnisi traditione apud Judæos vulgata refert Eupolemus; quare vulgatæ opinionis vel traditionis apud eas gentes merus est testis. Traditiones porro illæ diutius in ore tantum & memoria Vulgi servatæ sunt, antequam scriptis traderentur. 2. Quando Eupolemus satis diserte asseruisset, Henoch omnium primum scripsisse Libros astronomicos, quis asserenti crederet: 3. Judæi & Arabes plura viro illi Opera tribuunt; quorum tamen testimonia longissime absunt a persuasione. Vulgatum est apud Arabes, Esdrim vel Idrim, qui

E ipsissimus est Henoch, omnium mortalium primum studuisse Astronomiæ [5], missaque illi a Deo 30. volumina, quæ in sepulchro Adam una cum Libris Seth condiderit; quo excusso sepulchro, Abraham Opera illa Henoch reperisse.

Author Hebræus libri Inchasim [6] comminiscitur scripta ab Henoch omnium primo de Astronomia volumina, quæ sane de Cœlo, astris, & Magis agentia laudat RR. Salomon, Solem [7] vel Sullam, & Schem Tob [8]. Probatur quidem his omnibus traditionis illius vetustas, qua Henoch in censu doctissimorum Astronomorum refertur; sed nihil plane minus asseritur, quam quod Henoch sive aliquid scripserit, sive ejus Libros ad nos usque

---

1 Vide & in c. 1. ad Tit. 2 *De cultu Femin.* l. 1. c. 3. Accedit quod Henoch ad Judam Apostolum testimonium perhibet.
3 2. Timoth. 3. 8. 4 D. Simon. hist. Critic. l. 2. c. 21. 5 Elmacin. apud Hotting. hist. Orient. l. 1. c.
3. Aben Neph, apud Kirch. t. 1. Oedip. p. 67. &c. 6 Vide August. Pfeiffer. exercit. de Henoch c. 4.
7 Additam. ad Libr. Inchasim p. 134. 8 Schem Tob in Lib. Emunoth par. 3. c. 4.

que transmissos; sive assertam referre antiquitatem, si **A** forte extant, Libros ab Arabibus & Rabbinis laudatos; sive tandem hæc ipsa Henoch scripta confundenda esse cum Libro Henoch, da quo modo, Libro, inquam, non plane Astronomico, quanquam nonnulla levioris momenti ad illam utrumque referenda continet.

Secundo argumento D. Grabbe repono, Librum Henoch laudatum in Opere Simeonis Joachidæ, inscripto Thoar [1], & in altero R. Manahem Recinetensis [2], alium esse plane a Scripto Patribus Ecclesiæ noto; loca enim a Rabbinis excerpta nullibi occurrunt in fragmentis e Libro Henoch superstitibus; nec sane persuademur, Judæos authores Scriptum illud adoptasse, in quo adeo clara de Jesu Christo testimonia, uti de facto in Libro Henoch occurrunt. Quando autem omnia cohærerent, Librum nempe, cujus meminit S. Judas, & **B** Librum Zohar unum esse & eundem, tantamque vindicaremus Libro huic Zohar antiquitatem, quantam deferunt Judæi Cabalistæ, nihil pro remotissima Libri Henoch antiquitate inde deduceretur; potuit enim statim post Templi eversionem paruisse, ac subinde a S. Juda & post 4. vel 5. annos a Simeone Joachide laudari. Maxima absurdissimarum sententiarum portio, quarum est mentio in Libro Henoch, recurrit apud Josephum; uti illud de Angelorum in fœminas amore [3]; de impiorum animabus homines obsidentibus & infestantibus [4]; ut nihil dicam de nominibus Angelorum, quæ tanta religione celabant Esseni [5]. Porro arcana illa, & recondita Judæorum scripta, facile omnia prompsit author Libri Henoch.

Veterum Patrum, quorum censum supra retulimus, **C** plerique laudatum fuisse a S. Juda Librum Henoch persuasi, faciles etiam autharitatem Operi illi concessefunt; vix enim alioqui in absurdam illam opinionem descendissent, de angelorum cum mulieribus concubitu, atque Gigantum ortu e parentibus angelis &c. Si Librum hunc laudavit apostolus, reputabant illi, syncerum illum censuit; vix enim apostolos, Dei Spiritu ductos, id sibi sumpsisset, ut impostoris testimonio laudato, errandi offendiculum præberet Ecclesiæ. Nec sane illi fucum facere potuisset Prophetæ sive Patriarchæ nomen, fabulis refertissimo Libro impositum.

Fateamur tamen oportet, nunquam ab illis in Canonem receptum; quin & certum nos ubique constituere, ablegari illum a Canonicis Hebræorum & Christianorum Libris. Tertullianus inter potissimos ejus Libri as- **D** sertores, diserte asserit, de cultu femin. l. 1. c. 3. *Scio Scripturam Henoch non recipi a quibusdam, quia nec in armario Judaorum admittitur.* Laudat identidem Opus illud Origenes, quin & doctrinam in nonnullis probare visus est; fatetur tamen libr. 5. contra Cels. *Nonsiquam pro divinis in Ecclesia habentur.* Et in Num. 24. hom. 28. *Non videntur apud Hebraos in authoritate haberi.* Ac post laudatam ea illo sententiam, addit, in Jo. 1. 8. edit. Huet. *Si cui placet admittere Librum ut sanctum.* Hæreticos autem ille, sive remotissimæ antiquitatis vitium culpat, si a Canonicis Libris ablegetur; quanquam alioqui corruptionem nonnisi in levioribus quibusdam agnoscit.

Tertullianus, omnium inter Veteres potissimus Operis hujus æstimator, scriptum statuit a Propheta He- **E** noch, afflatu Spiritus Sancti. *Hoc pravidens Spiritus Sanctus ... praecinit per antiquissimum Prophetam Henoch* [6]. Quod autem a Christianis inter Canonicos non reciperetur, hanc affert rationem? *Opinor, non putaverunt illam* (scripturam) *ante cataclysmum editam, post eum casum orbis omnium rerum abolitorem salvam esse potuisse.* Quasi scilicet fieri potuisset, ait Tertullianus, ut Noe Henoch ex filio nepos, diluvio utique superstes, & servandæ avi sui memoriæ, uti credere par est, studiosissimus, quippe illi in munere concionum ad populum habendarum successerat, fieri, inquam, potuisset, ut Noe Scriptum tanti momenti & ad Religionem maxi- **A** me necessarium negligeret. Quin & *Noe potuit*, addit Tertullianus, *eam* (Scripturam) *abolefactam violentia cataclysmi in spiritu rursus reformare. Quemadmodum & Jerosolymis Babylonica expugnatione deletis, omne instrumentum Judaicæ litteratura per Esdram constat restauratum.*

Addit idem Tertullianus: *Cum Henoch eadem Scriptura etiam de Domino prædicavit, a nobis quidem nihil omnino rejiciendum est, quod pertineat ad nos*; eo magis quod de Scriptura legimus, Divini Spiritus afflatu scripturam illam instruendis moribus aptissimam esse. Si Scripta illa Judæi abiecerunt, nimis apertum de Christo testimonium illos avertit. Cum tandem Apostolus Judas Operi huic tulerit testimonium, probandi illum necessitas nobis imponitur.

B Hæc Tertullianus de authoritate divina ejus Operis, futilia plane & nullius ponderis. Esto utique potuerit Henoch Opus scribere ante diluvium; scriptum illud conservare potuerit Noe; abolitum reparare potuerit, uti ab Esdra in Libris V. T. factum dicitur; quid inde? Jesu Christi meminit Liber Henoch, Christianorum Religioni favet; instruendis moribus valet plurimum, quid inde? S. Judas Opus probat: hoc utique probandum est. Probat ille quidem laudatam a se prophetiam, sed reliqua ejusdem Libri forte nec vidit unquam.

P. Boulducus Capuccinus plus etiam aliquid quam Tertullianus evincit, authoritatem enim hujus Libri restituendam, & super modium lucernam ejus imponendam suscipit. Vocat in auxilium veteres Patres, qui Opus non una honoris elogio laudantes, authoris **C** tamen mentem non satis, ut ille quidem autumat, assecuti sunt. Veniam rogat a SS. Hieronymo, & Augustino, si cum illi corruptum, suppositum, vel confictum putarint, ipse contraria demonstret, ostendens allegoricum esse Opus, quo sub verborum emblemate Scriptor simplicissimam historiam refert, nec obscure a Moyse expressam, Vigiles sive angeli e Cœlo dilapsi, fœminas deperientes, facta a Deo discessione, parentes Gigantum, authores excantationum, & immodici fœminarum cultus, fuci, armorum, auri, & argenti, Vigiles, inquam, illi ipsissimi sunt *filii Dei* apud Scripturam [7], posteri Seth & Enos, qui post naturæ arcana penetrata, scientia sua abusi sunt seducendis puellis filiabus hominum, nempe e Caini posteris natis.

D Filii illi Dei, angeli cœlestes, vitam monasticam sub Cainan & Enos profitebantur; cujus rei merito Angelis ferme pares, e tanto demum virtutis culmine excidentes, professionem suam deseruerant, fœminas, ducentes, quarum erant mores corruptissimi. Nati ex illis Gigantes, nempe fastosi illi homines, qui impietate & licentia sua vel parentum etiam crimina excesserunt, Principes Vigilum, Patres utriusque Ordinis, Cinæorum nempe, & Enosiorum, apostasiæ crimine irretiti, subjectos sibi Monachos eadem vitii contagione infestarunt.

Hæc allegoricæ hujus historiæ veritas a Patriarcha Henoch scriptæ, & in Arca una cum exuviis Adami protoparentis a Noe ex filio nepote solerti cura servatæ. Forte tamen non omnia, quæ in ejus Libro leguntur, **E** Henochum habent Authorem; sed ea quæ ad tempus post ejus translationem spectant, Noe eodem afflatus Spiritu ad institutionem posteritatis censuit adjicienda.

In suo hoc systemate excogitando pompam ingenii exhibuisse Boulducum, facile omnes concedunt; sed de veritate, non de ingenio est quæstio. Veritati autem asserendæ solidiora argumenta desiderantur. Nihil esset utique certi in Sacra Scriptura, semel hac data via, sive ut historiæ vertantur in allegoriam, sive ut allegoriæ in historiam. Si utique constaret, Librum Henochi nomine inscriptum Sacrum esse & Canonicum, hanc deflectendi in allegoriam absurda quæque in illo expressa rationem probaremus. Ita enim factum constat,

---

1 Vide Fabric. Apocryph. V. T. pag. 208. 209. not. 2 Vide Drus. de Henoch. & Grab. Spicileg. PP. tom. 2. p. 355. not. 3 Antiquit. l. 1. c. 4. p. 8. 4 De Bello l. 7. c. 25. p. 981. 5 De Bello l. 2. c. 12. p. 786. 6 De cultu Femin. l. 1. c. 3. 7 Genes. 6. 4.

stat, si quando occurrunt minus exactæ quædam & populares phrases in Sacris Libris. Sed Opus nunc inter Canonica recepit vel Ecclesia vel Synagoga: ut quid igitur pro excusanda historia supra fidem laboremus? ut quid indigeo authoritate Libro authoritatem conciliare tanto animi nisu conemur?

Si Judæi veluti Canonicum Opus illud recepissent, maximo erga illud obsequio utique tenerentur; laudassent Sacri Authores, nec ignorassent Josephus, & Philo. Quid non indagassent de charactere, & sermone, quo primum luisset scriptum? quomodo & qua ratione ad nos pervenisset? Origenes, Eusebius, & S. Hieronymus Originalium Textuum Sacrorum Librorum diligentissimi scrutatores, ut quid Textum Henoch neglexissent? Ecclesia, qua tenetur observantia erga Henoch & S. Judam, nunquam in situ squalescere illum permisisset, si tanto nomine censuisset dignum. Invidia utique in S. Spiritum crearent, si quis auderet Scriptori illi Divino tam absurdum, tam inutile atque erroribus scateus Opus vindicare.

Non ingenui est hominis, si quis authoritate & nomine S. Judæ textum e Libro Henoch excerpentis abutatur. Paganos Vates, & Libros Apocryphos laudavit S. Paulus: quis unquam scripta illa Opera censuit consecranda? Laudat, inquam, ille Aratum [1], Menandrum [2], Callimachum sive Epimenidem [3], excerpit quondam e Libro apocrypho Eliæ [4]: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit &c.* Et ad Galatas 6. 15. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura*; quæ verba e revelatione Moysis deducta sunt. Et ad Ephesios 5. 14. *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus*, quod legitur in Opere apocrypho sub Jeremiæ nomine. Nec tamen inde recte inferas, apocrypha hæc scripta canonicam habere & divinam authoritatem; sed Spiritus Sanctus loquens in Apostolo illum dirigebat, ut vera a falsis secerneret. Nec aliud nos recipere uti sacrum cogimur, nisi quod Apostolus in sua scripta transferens veluti consecravit [5]. *Qui putant totum Librum debere sequi eum, qui Libri parte usus sit, videntur mihi & apocryphum Henochi, de quo Judas in Epistola sua testimonium posuit, inter Ecclesiæ Scripturas recipere, & multa alia quæ Apostolus de reconditis est locutus.* Hæc S. Hieronymus.

Veteres quidam Patres, quibus grande illud nomen Henochi, & relatum a S. Juda testimonium fucum fecerat, Opus illud & laudarunt & probarunt. Si ex illis quidam Canonicis Libris æquare illud visi sunt, laudanda est doli minime conscia mens; laudanda observantia in nomina S. Judæ & Henoch, de quo ne forte decederent aliquid, ab examinanda regulis criticis veritate abstinuerunt. Errarunt in facto quodam, non in dogmate; nec ex eorum errore quidquam inferendum est. Neminem fore arbitror nostra ætate, qui asserendum hunc Librum Henoch Authori suscipiat; si autem alterius est ab Henoch impostoris, est plane illi fides penitus detrahenda, nisi forte illius nonnulla ab Authore aliquo inspirato, tanquam a falsis vera segregante, probentur.

Cavendum est nobis de cætero, ne totam antiquitatem in favorem ejus Operis versam arbitremur. Doctissimi inter Patres studii nihil, contemptus plurimum erga illud exhibuerunt. Origenes, uti supra animadvertimus, nec recipi ab Ecclesia, nec a Synagoga testatur. S. Hilarius in Ps. 132. ℣. 3. frigide satis de illo: *Nescio enim Liber extat.* Hieronymi aster in Ps. 132. 3. *Manifestissimus Liber est, & inter apocryphos computatur*: ex eo autem sententiam se produxisse dicit, *non in authoritatem, sed in commemorationem.* Vitio tandem vertit Origeni, quod eo Libro apocrypho usus sit, hæresibus suis asserendis. S. Hieronymus de Script. Eccles. c. 4. agens de Epistola S. Judæ: *Quia de Libro Henoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur.* S. Augustini mentem supra vidimus; qua enim est sapientia & modera-

A tione vir Sanctus, ita de illo disserit de Civitate l. 15. n. 38. *Quorum scripta, ut apud Judæos & apud nos in authoritate non essent, nimia fecit vetustas, propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris.* Criticorum doctissimi nostræ ætatis minus etiam quam Patres illi scripto apocrypho favent.

Si quis autem ex me quærat, cuinam Authori tribuendum? Repono statim; non quidem Henoch, Noe, vel Sacro alicui Scriptori; non Judæo alicui, diu ante Jesu Christi ætatem scribenti; non Hellenistæ, qui Græcis litteris illud tradiderit. Imposturam credimus viri Christiani ex Judæis, qui Græce scripserit, juxta receptas vulgo apud suos traditiones; adjectis nonnullis ad Jesum Christum conducentibus, ut Judæis fratribus suis salutem mendacio faveret.
B Quod plus nimio Christianismum redoleret, ideo a Judæis injectum Opus suspicatur Tertullianus de cultu fœm. l. 1. c. 3. *A Judæis potest jam videri rejecta (ista scriptura) sicut et cætera quæ Christum sonant.*

Sunt equidem in Testamento duodecim Patriarcharum fragmenta plura ejus Libri, quæ Christianum Scriptorem sane produnt. In Testamento Levi: *In Dominum manus impruentes in omni malitia, et confundentur in vobis fratres vestri, et omnibus gentibus fietis illusio.* Et paulo infra: *Virum, renovantem Legem in virtute Altissimi, erroneum appellabitis. Et in fine, ut æstimabitis, occidetis eum, nescientes ipsius resurrectionem, innocentem sanguinem in malitia super capita vestra recipientes. Propter ipsum erunt sancta vestra deserta usque ad pavimentum prophanata, et non erit locus vester mundus; sed in gentibus eritis maledictio, atque dispersio*
C *augebit vos, donec ipse rursus visitabit et miserens recipiet vos in fide et aqua.*

Et in Testamento Nephtali: *Impie agent, et disperget eos Dominus super faciem universæ terræ, usquequo venerit misericordia Domini, homo faciens misericordiam et justitiam in omnes, qui longe sunt, et qui prope sunt.* Et in Testamento Benjamin. *In parte vestra fiet Templum Dei, et gloriosum erit in vobis. Quoniam ipse Dominus accipiet Regnum, et duodecim Tribus illic congregabuntur, et omnes gentes, usquequo Altissimus mittat suum Salutare in visitatione Unigeniti. Et ingredietur in primum Templum*, (forte in anteriorem partem Templi) *et illic Dominus injuriam patietur, et contemnetur, et lignum exaltabitur. Et erit velum Templi scissum, et de-*
D *scendet Spiritus Domini super gentes, ut ignis effusus est. Et ascendet ex Inferno, ascendet a terra in Cælum. Recordabitur quam fuerit humilis in terra, et quam gloriosus in Cælo.*

Sola autem locorum inspectio Christianum Authorem satis demonstrat: datur etiam suspicandi locus, num ipsissimus sit Testamenti duodecim Patriarcharum Scriptor, quod postremi hujus Operis Author in laudandis Libri Henoch testimoniis morositatem plus nimio affectet. Stili utrobique affinitas, barbarismus, & rustica Hellenistæ phrasis, Hebraismi frequentes utrobique, quibus vix unquam desuesceret Scriptor aliquis Judæus. Spectare hic licet traditiones & dogmata Synagogæ, spectare Jesum Christum, ejus adventum, passionem, mortem, resurrectionem, ad
E Cælum ascensionem, ad Inferos descensum, S. Spiritus illapsum, Templi Jerusalem eversionem, dispersionem Judæorum, & æternum illud opprobrium, quo florentis jam gentis facies in pœnam necis Jesu Christi illasæ obducitur; hæc autem omnia historice magis quam prophetice expressa. Scripta hæc igitur credimus post factum, a Christiano quodam Authore, zelo quidem, sed non secundum scientiam, flagrante. Christiana enim Religio nihil habet cum piis hisce fraudibus, sola sui veritate ad homines pelliciendos sat potens. Aliam injerunt viam Apostoli in Evangelii prædicatione: omni enim metu posito, Jesum Christum, & hunc crucifixum prædicarunt [6], *Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*; est autem *Dei virtus & sapientia illis, qui fidei donum acceperunt.* Si ergo S. Ju-

1 Act. 17. 28. 2 1. Cor. 15. 33. 3 Tit. 1. 12. 4 1. Cor. 2. 9. 5 Hieron. in Epist. ad Tit. c. 1.
6 1. Cor. 1. 23.

S. Judas legit Henochi Librum, paulo sane postquam scriptus est, in ejus manus devenit; non enim ejus epocham constituendam censemus, nisi post Templi per Romanos eversionem; qua pariter eversione multo recentiorem Epistolam S. Judæ non arbitramur.

Præter Librum Henoch, de quo hactenus, & triginta illa volumina missa, uti quidem ferunt, a Deo ad Edrim, & cæteros Astronomiæ Libros, quos Henocho supponunt Judæi, & de quibus nos egimus supra; sub ejus nomine Æthiopes volumen servant, de quo hic aliqua libanda, ne ex Operibus tanto viro adscriptis aliquod prætercam. Gassendus in vita D. Peirescki refert, Virum illum doctissimum cum rescisset a P. Ægidio Lochiensi Capuceino, qui plures annos egerat in Ægypto, servari in ea regione Librum Henoch, literis Æthiopicis scriptum, Europæis nostris prorsus incognitum, nec sumptibus nec labori pepercisse, ut illo potiretur [1]. Post ejus obitum, transiit Ms. illud in Bibliothecam Cardinalis Mazarini, ac deinde in Regiam, in qua thesauri loco servatur.

D. Ludolphus Lutetiam veniens [1] anno 1683. Ms. observavit, cujus ille famam audierat, atque Authorem Operis prodidit Bahadam Michaelem; esse autem asseruit Librum fabulis refertissimum, illi prorsus similem, qui sub Libri Henoch nomine laudatur a Syncello; quod postremum Opus Michael ille & excerpsit, & fabellis de suo plurimis auxit; ita e. g. catalogum longe majorem instruit perniciosissimarum artium, quas discipulos homines perduelles Angeli docuerunt.

Legitur ibi pariter singularis Lucubratio de ortu Henoch, cujus Author inducit Angelum de mysterio SS. Trinitatis ita disserentem, veluti si Theologus aliquis doceret in cathedra; ad mysterium illud relata loca quædam Scripturæ exponit; ex quo conjectura non levis Christianum Authorem prodit. Post hæc omnia refert certamena S. Michaele cum Seraphiele Principe Dæmonum initum. Rideas profecto ad historiam duorum Imperatorum &, quæ illis parent, copiarum.

Seraphiel procerus est 10000. Angelicis cubitis, vastissimum præfert oris hiatum 40. cubitorum, faciem habet ita longam, ut duorum itineria viam exæquet; utriusque oculi supercilia intervallum duorum itineris dierum disterminat; caput assurgit in montem celsissimum; oculos habet ita enormes, ut vertendis illis 7. dierum spatio sit opus; fluvium evomit ex ore cum capuit. Hoc specimen Libri Henoch, quem D. Peireskius tanto molimine ex Ægypto procuravit.

Ex dictis hucusque statuendum est, primo Henoch nullum facile scripsisse Librum, vel sane nullum eorum, qui sub ejus nomine laudantur, viro summo deberi. 1. Nihil certi asseri posse, an sententiam, quam sub nomine Henoch laudat S. Judas, a Libro Henoch, cujus supersunt fragmenta, decerpserit; seu potius Libri Author e loco S. Judæ struendi Operis sumpserit occasionem. 3. Librum Henoch non antea scriptum, quam post eversionem Templi Jerusalem per Romanos, nempe post annum 70. J. C. 4. Authorem illius esse Christianum ex Judæo; nec facile alium a Scriptore Testamenti duodecim Patriarcharum. 5. Opus illud nunquam in Canonem Judæorum vel Christianorum receptum fuisse. 6. Nihil certi affirmari posse, an Judæi Opus illud agnoverint; alterius enim esse argumenti videntur Libri Henoch, de quibus in Libris Zohar & Inchasim, ac Rabbinicis, alterius, inquam, ab Opere, cujus fragmenta leguntur apud Patres Græcos, & Latinos. 7. Vetustissimam obtinere apud Orientales traditionem de Henoch, tanquam Librorum Astronomiæ primo Authore; ex quo factum ut sub ejus nomine Libri plures vulgarentur. 8. Tandem Librum Æthiopicum ex Ægypto allatum, recentiorem esse imposturam, contemptu dignam & oblivione.

[1] Comment. in histor. Æthyop. pag. 347.

F I N I S.

INDEX RERUM,

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

A

Cathe-

Clinici

D

dona

Epi-

Tom. VIII.

F

Vuu &

G

H

Mons

spi-

im-

FINIS.